BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8 9/1
13 — M
24

Digitized by Google

Digitized by Google

SVMMÆ THEOLOGIAE SPECVLATIVAE, ET MORALIS, ET COMMENTARIORVM

IN TERTIVM LIBRVM SENTENTIARVM,
DOCT. SVBT. IOANNIS DVNS SCOTI
Theologorum facilè principis.

PARS SECVNDA.

In qua de Fide, de Eccleſia, de Papa, de Concilijs, de Spe, & Charitate, de Virtutibus moralibus, de Donis Spiritus ſancti, ac Præceptis diuinis à diſtinct. 23. vſque in finem vnà cum Magiſtro, & Scoto luculenter diſſeritur.

Et inter diſſerendum nedum Scoti ſententia explicatur, & contra Thomiſtas, & cæteros contradictores pro viribus defenditur, verum etiam multorum Theologorum tam priſci, quam noſtri æui opiniones recenſentur, & explicantur.

OPVS NEDVM THEOLOGIS SCHOLASTICIS, ET CONCIONATORIBVS; ſed etiam Sacræ Scripturæ ſtudioſis, & Confeſſarijs valde vtile, & neceſſarium.

AVTHORE ADM. REVER. P. FRATRE FRANCISCO DE PITIGIANIS ARRETINO
Ord. Min. de Obſer. Prouinciæ Hetruriæ Alumno, & Sereniſs. Ferdinandi Gonzagæ S. R. E. Card. Mantuæ, & Montisferrati Ducis, Theologo.

Cum duplici Indice, vno Quæſtionum, quæ in hoc volumine explicantur, & rerum Notabilium altero.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D.D. ROBERTO BELLARMINO Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Ampliſſimo dicata.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS.



VENETIIS, M. DC XV.
APVD IOANNEM GVERILIVM.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISS. DOMINO D. ROBERTO BELLARMINO S. R. E. CARD. AMPLISS.

Patronoq; ſuo Colendiſsimo

Frater Franciſcus de Pitigianis Arretinus S. P. D.

CVM his aliquot ſuperioribus menſibus in explicandis Doctoris Ioannis Scoti reuera ſubtilis quæſtionibus de Virtutibus, Donis, atque Præceptis ſuper Magiſtrum Sententiarum à vigeſimatertia Diſtinctione voluminis tertii in finem vſque horis ſucceſſiuis permultum temporis, ac operæ poſuiſſem (Cardinalis Ampliſſime, idemq́; doctiſſime, & integerrime) iamq́; eo ventum eſset, vt de excellenti aliquo Heroe, cuius auſpiciis, quemadmodum iam more comparatum videmus, hæ noſtræ lucubrationes prodirent in lucem, cogitatio mihi ſuſcipienda foret; Tu omnium primus occurriſti protinus, quippe qui præclaris, eximiisq́; animi dotibus, inſigni, ac multiplici eruditione, multarum linguarum haud vulgari cognitione, & peritia, inter omnes purpuratos velut alter Phœbus reſplendes. Neque eſt quod uerear, hoc quicquid eſt muneris litterarii tuæ amplitudini minus gratum fore, quod ab homine obſcuro, ac imperito tanto Principi offeratur; cum ille ſit animi tui candor, ea morum comitas, ea erga ſtudioſos beneuolentia, ac liberalitas, ut cupias gratificari omnibus, nec quicquam poſſis faſtidire, quod ſit animo candido oblatum. Mihi quidem ſic perſuaſum habeo. Commentaria de Virtutibus, de Eccleſia, de Pontifice Summo, de Conciliis, de Donis, & Diuinis Præceptis nulli re-

Digitized by Google

ctius, atque eruditiſſimo, & ſapientiſſimo, omniumq; virtutum genere ornatiſſimo Pontifici nuncupare potuiſſe; Neque vero quo minus id facerem mea me exiguitas debuit abſterrere. Delectaret me quidem in Tuæ Celſitudinis prædicandis encomijs prolixius, & accuratius verſari, niſi tuo candidiſſimo pectori moleſtus eſſe vererer: Animus enim generoſus laudes ferè contemnit, ac negligit, ſua virtute contentus. Atque vtinam Deus Optimus Maximus Celſitudinem Tuam diu nobis velit incolumem permanere, & ad faſtigium dignitatis tuis meritis debitum promouere, quo tua prudentia, induſtria, multiplici doctrina, virtute, integritate, ſapientia toti Eccleſiæ poſſis ſuccurrere, atque mederi. Vale Cardinalis celeberrime, atque has meas vigilias quo ſoles animi candore placidus accipe.

Datum Mantuæ Idibus Martijs 1615.

INDEX QVÆSTIONVM,

quæ in hac Secunda Parte explicantur.

DE FIDE.

DISTINCTIO XXIII. pag. 1

Quæſtio vnica.

VTRVM de credibilibus reuelatis neceſſe ſit ponere infuſam. 3

Hæc quæſtio diuiditur in 19. Articulos.

Primus. Vtrum ſit de fide, dari fidelibus habitus infuſos Theologicos. 4

Secundus. Vtrum in tractatione virtutum Theologicarum incipiendum ſit à fide. 5

Tertius. Vtrum definitio fides tradita à D. Paulo explicet naturam fides. 7

Quartus. Vtrum hæc definitio conueniat ſolum fidei formata, an etiam informi.

Quintus. Vtrum Charitas ſit forma fidei. 10

Sextus. Vtrum fides, tam formata, quam informis ſit virtus. 12

Septimus. Vtrum ſit certum eſſe in nobis fidem acquiſitam de rebus reuelatis. 14

Octauus. Vtrum fides infuſa reſpiciat primam veritatem, vt reuelantem articulos, & cauſantem aſſenſum de credibilibus. 16

Nonus. Vtrum fides infuſa ſit neceſſario poſcenda, vt cauſet aſſenſum de credibilibus reuelatis. 18

Decimus. Vtrum ad credendum ſit neceſſarium, quod Deus communicet nobis auxilium ſpeciale, &c. pagina 21.

Vndecimus. Vtrum ſit neceſſarius habitus fidei infuſus ad credendum articulis fidei. 23

Duodecimus. Vtrum Chriſtianus ſit certus infallibili certitudine, ac naturali, ſe habere fidem. 27

Tertiusdecimus. Vtrum fides ſit certior, quàm alij habitus intellectuales. 31

Quartusdecimus Vtrum fides infuſa augeatur actibus ſuis. 35

Quintusdecimus. Vtrum fides ſit in intellectu, vel in voluntate. 36

Sextusdecimus. Vtrum fides fuerit in Angelis ante beatitudinem bonorum, & damnationem malorum. pag. 38

Decimusſeptimus. Vtrum in Dæmonibus, & hominibus damnatis ſit fides. 40

Decimusoctauus. Vtrum fides infuſa ſit in hæreticis. pag. 43

Decimusnonus. Vtrum in peccatoribus fidelibus maneat fides infuſa. 44

DISTINCTIO XXIV. pag. 46

Quæſtio vnica.

Vtrum de credibilibus reuelatis poſſit aliquis habere ſimul ſcientiam, & fidem, &c. 47

Hæc quæſtio diuiditur in 17. Articulos.

Primus. Vtrum obiectum fidei ſit complexum vel incomplexum. 48

Secundus. Vtrum Deus, & ea quæ reuelantur à Deo pertineant ad fidem, & obiectum materiale fidei. pag. 50

Tertius. Vtrum Deitas ſit obiectum formale fidei. 52

Quartus. Vtrum Scientia ſubalterna poſſit ſimul eſſe cum fide. 54

Quintus. Vtrum in aliquo lumine medio poſſit ſimul haberi ſcientia, & fides de eiſdem credibilibus. 58

Sextus. Vtrum obiectum fidei ſit aliquod ſcitum; ita vt ſcientia ſtare poſſit ſimul cum fide. 62

Septimus. Vtrum aliqua notitia habitualis, vel actualis alia à ſcientia, & à fide poſſit ſtare ſimul cum fide. 66

Octauus. Vtrum articuli fidei ſint euidenter credibiles. 68

Nonus. Vtrum oporteat hominem cognoſcere credibilitatem noſtræ fidei, vt prudenter credat, &c. 70

Decimus. Vtrum euidentia credibilium ſit neceſſario prærequiſita ad generationem, & conſeruationem fidei. 71

Vndecimus. Vtrum fides Chriſtiana poſſit probari rationibus conuenientibus. 72

Duodecimus. Vtrum euidentia eorum, quæ credimus in genere credibilis pertineat ad habitum fidei, &c. 74

Tertiusdecimus. Vtrum fidei poſſit ſubeſſe falſum. pagina. 75

Quartusdecimus. Vtrum Deus poſſit fallere aliquem, vel mentiri. 78

Quintusdecimus. Vtrum quando ſacramentum Eucharistiæ proponitur nobis adorandum, teneamur illud abſolute credere, vel ſub conditione. 83

Sextusdecimus. Vtrum ſit de fide has, vel illas ſpecies particulares eſſe conſecratas. 84

Decimusſeptimus. Vtrum vltima noſtra fidei reſolutio fiat in eccleſiam, aut in primam veritatem. 85

DISTINCTIO XXV. pag. 92

Quæſtio Prima.

Vtrum ante Chriſti aduentum fuerit fides neceſſaria de his, quæ modo credimus. 93

Index Quæſtionum.

Hæc quæſtio diuiditur in vndecim Articulos.

Primus. Vtrum fides fuerit neceſſaria viatori pro omni ſtatu. 93

Secundus. Vtrum Articuli fidei ſint duodecim. 95

Tertius. Vtrum in ſymbolo Apoſtolorum contineantur ſufficienter omnia, quæ credere neceſſarium eſt ad ſalutem. 97

Quartus. Vtrum ſit neceſſarium habere actum fidei circa omnia, quæ continentur in ſymbolo. 99

Quintus. Vtrum pro omni ſtatu fuerit neceſſarius homini viatori ad conſecutionem iuſtificationis & gloriæ actus fidei ſupernaturalis. 101

Sextus. Vtrum ſit neceſſarium ad ſalutem explicite credere myſterium Trinitatis. 106

Septimus. Vtrum ſit neceſſarium ad ſalutem credere myſterium incarnationis. 106

Octauus. Verum poſt Chriſti aduentum fuerit neceſſaria explicita fides Domini noſtri Ieſu Chriſti ad ſalutem. 108

Nonus. Vtrum omnes explicite, & æqualiter credere teneantur. 112

Decimus. Vtrum fides antiquorum, & noſtra ſint de eodem credibili. 116

Vndecimus. Vtrum Patribus antiquis ante Chriſti aduentum neceſſarium fuit credere, quæ nos modo credimus. 119

Quæſtio Secunda.

Vtrum ad hoc, quod fides ſit in intellectu, neceſſe ſit aliquem habitum infuſum eſſe in voluntate. 120

Hæc quæſtio diuiditur in ſex articulos.

Primus. Vtrum requiratur imperium voluntatis ad hoc, quod intellectus credat. 121

Secundus. Vtrum ad hoc quod actus fidei ſit perfectus, requiratur voluntas illum imperans perfecta charitate. 122

Tertius. Vtrum actus fidei ſit meritorius. 123

Quartus. Vtrum ratio inducta ad ea, quæ ſunt fidei, minuat meritum fidei. 124

Quintus. Verum per quamlibet hæreſim fides corrumpatur. 126

Sextus. Vtrum confeſſio fidei ſit actus fidei, & cadat ſemper ſub præceptum. 130

Quæſtio Tertia.

Vtrum fides ſit vna, & quo pacto. 134

Tractatus de Eccleſia, qui diuiditur in 12. artic.

Primus. Vtrum Eccleſia ex ſolis conſtet electis. 136

Secũdus. Vtrum Eccleſia, quam in ſymbolo credimus, ſit viſibilis, ſenſibilis, & corporea. 139

Tertius. Vtrum Eccleſia ſit vna vel plures. 142

Quartus. Vtrum Eccleſia ſit ſancta. 146

Quintus. Vtrum Eccleſia ſit catholica, id eſt, vniuerſalis. 147

Sextus. Vtrum Eccleſia ab exordio mundi inceperit, & vſque ad finem mundi ſit duratura. 149

Septimus. Vtrum Eccleſia ſit Apoſtolica, & quare. 153

Octauus. Vtrum Eccleſia Romana ſit vera Chriſti Eccleſia. 154

Nonus. Vtrum tota Eccleſia poſſit errare circa fidẽ. 160

Decimus. Verum Eccleſia habeat certas regulas, quibus vtitur ne poſſit errare, & quæ ſint. 164

Vndecimus. Verum Eccleſia ſit tantæ vel maioris authoritatis, quam diuina ſcriptura, & traditio Apoſtolica. 171

Duodecimus. Verum in Eccleſia ſit poteſtas proponendi ea, quæ ſunt credenda, & iudicandi de rebus fidei. 175

Tractatus de authoritate Papæ, qui diuiditur in 7. art.

Primus. Vtrum D. Petrus immediate ſuſceperit a Chriſto primatum ſuper omnes fideles, etiam Apoſtolos, ita vt fuerit omniũ paſtor, & Chriſti Vicarius. 181

Secundus. Vtrum defuncto D. Petro ſit in Eccleſia aliquis eius ſucceſſor immediate habens a Chriſto eamdem poteſtatem, quam habuit Petrus. 189

Tertius. Verum Romanus Pontifex ſit Petri ſucceſſor, et Apoſtolicus paſtor, et humano, vel diuino iure. 191

Quartus. Verum Papa ſit regula infallibilis in definitionibus fidei, & morum. 193

Quintus. Vtrum Papa poſſit errare in canonizatione Sanctorum, & ordinum approbatione. 204

Sextus. Verum Concilium legitime congregatum nondum autem confirmatum, ſit maioris authoritatis quam Papa ita vt poſſit Papæ leges imponere, quibus teneatur obedire, & nullo modo Papa poſſit decreta eius infirmare. 204

Septimus. Vtrum Concilium plenarium ſit ſupra Papam in crimine hæreſis, & in notorio crimine ſcandalizante Eccleſiam. 215

Tractatus de Concilijs qui partitur in nouem articulos.

Primus. Vtrum ad ſummum Pontificem ſpectet congregare generalia Concilia. 220

Secundus. Vtrum ſoli Epiſcopi debeant Concilio intereſſe. 224

Tertius. Verum ſoli Epiſcopi, & maiores Prælati habeant in Concilijs votum deciſiuum. 218

Quartus. Vtrum ſolus ſummus Pontifex debeat in Concilio præſidere. 23c

Quintus. Vtrum Concilium generale legitime congregatum poſſit errare. 234

Sextus. Vtrum Concilium generale legitime congregatum, vbi non adeſt Papa perſonaliter, ſed tantum eius legati, poſſit errare in fide, & moribus ante confirmationem. 238

Septimus. Vtrum Concilia prouincialia, & Epiſcopalia poſſint errare, in cauſis fidei, & morum. 241

Octauus. Verum Concilia, quæ ſunt infallibilis veritatis per Papæ præſentiam, vel per eiuſdem confirmationem, ſint inter diuinas literas computanda. 243

Nonus. Vtrum aſſignari poſſint aliquæ certæ Regulæ quibus cognoſcatur, quæ decreta conciliarent, & quæ approbata a Papa ſint de fide, quæ vero non. 245

DI-

Index Quæſtionum.

DISTINCTIO XXVI. pag. 246

De virtute ſpei.

Quæſtio vnica.

Vtrum ſpes ſit virtus Theologica diſtincta à fide, & charitate. 247

Hæc quæſtio diuiditur in 12. art.

Primus. Vtrum ſpes ſit certa expectatio vitæ æternæ. 247

Secundus. Vtrum definitio ſpei ſuperius explicata tantum ſpei formatæ cum charitate, an vero etiam ſpei informi conueniat. 249

Tertius. Vtrum ſpes ſit habitus diſtinctus à fide, & charitate. 250

Quartus. Vtrum ſpes ſit quædam particularis fides. 253

Quintus. Vtrum ſpes ſit virtus. 254

Sextus. Vtrum ſpes ſit virtus Theologica. 256

Septimus. Vtrum ſpes infuſa ſit ad ſperandum ſimpliciter neceſſaria. 260

Octauus. Vtrum fides, ſpes, & Charitas acquiſita ſint virtutes Theologicæ eiuſdem ſpeciei cum infuſis. 262

Nonus. Vtrum actus ſpei qui eſt deſiderare ſit in præcepto, atque adeo meritorius eſſe poſſit. 263

Decimus. Vtrum ſpes ſit in voluntate, vt in ſubiecto. 267

Vndecimus. Vtrum in beatis, & in damnatis ſit ſpes. 270

Duodecimus. Vtrum ſi Deus alicui homini reuelaret ſuam damnationem teneretur adimplere præceptum ſpei. 271

DISTINCTIO XXVII. pag. 272

De Charitate.

Quæſtio vnica.

Vtrum ſit aliqua virtus Theologica inclinans ad diligendum Deum ſuper omnia. 274

Hæc quæſtio diuiditur in 17. artic.

Primus. Vtrum charitas ſit aliquid creatum. 275

Secundus. Vtrum charitas ſit amor amicitiæ, vel concupiſcentiæ. 276

Tertius. Vtrum actus diligendi Deum ſuper omnia ſit rectus, atque adeo charitas inclinans ad actum illum in quocunque gradu etiam infimo, ſit virtus. 278

Quartus. Vtrum charitas ſit excellentiſſima omnium virtutum. 281

Quintus. Vtrum charitas infundatur creaturæ ſecundum perfectionem naturalem. 282

Sextus. Vtrum præter charitatem infuſam ſit alia charitas noſtris actibus acquiſita. 283

Septimus. Vtrum charitas augeatur quolibet actu meritorio. 284

Octauus Vtrum Deus ſit obiectum charitatis, vt eſt bonum noſtrum beatificum ſupernaturaliter. 286

Nonus. Vtrum Deus ſub ratione infiniti ſit obiectum charitatis. 287

Decimus. Vtrum Deus ſub ratione Deitatis ſit charitatis obiectum. 286

Vndecimus. Vtrum charitas ſit in voluntate tanquam in ſubiecto. 290

Duodecimus. Vtrum ex naturalibus poſſit homo diligere Deum ſuper omnia ſine habitu charitatis infuſo. 291

Tertiusdecimus. Vtrum ſine habitu infuſo poſſit homo appetitu libero ex ſuis naturalibus diligere Deum ſuper omnia. 293

Quartusdecimus. Vtrum diligere Deum ſuper omnia ſit ipſum magis inter ſe diligere, quam creaturam. 297

Quintusdecimus. Vtrum teneamur diligere Deum ſuper omnia aliquo præcepto. 298

Sextusdecimus. Vtrum præceptum dilectionis Dei ſuper omnia poſſit in præſenti vita adimpleri. 299

Decimus ſeptimus. Vtrum homo poſſit adimplere hoc præceptum diligendi Deum ſuper omnia ſine habitu charitatis. 301

DISTINCTIO XXVIII. pag. 303

Quæſtio vnica.

Vtrum eodem habitu charitatis ſit diligendus proximus, quo diligitur Deus. 304

Diuiditur hæc quæſtio in 3. artic.

Primus. Vtrum eodem habitu charitatis diligatur Deus & proximus. 305

Secundus. Vtrum habenti charitatem neceſſarium ſit diligere proximum. 308

Tertius. Vtrum creatura qualibet rationalis ſit noſter proximus. 309

DISTINCTIO XXIX. pag. 311

Quæſtio vnica.

Vtrum quilibet magis teneatur diligere ſe, poſt Deum. 312

Hæc quæſtio diuiditur in 5. artic.

Primus. Vtrum ſecundum bona, quæ quis ſibi, & proximo tenetur ex charitate velle, magis debeat quiſque ſeipſum diligere quam quemuis proximum, etiam ſe ſuperiorem, ac proinde, quam totã communitatem. 313

Secundus. Vtrum ſecundum bona, quæ non tenetur quis, aut ſibi, aut proximo velle, teneatur ex ordine charitatis diligere magis ſeipſum, quam proximum, vel e contrario. 316

Tertius. Vtrum teneatur quis exponere vitam corporalem pro ſalute animæ, & conuerſione proximi. 317

Quar-

Digitized by Google

Index Quæſtionum.

Quartus. Vtrum teneamur diligere magis noſtra temporalia bona, quàm bona temporalia proximi, ita vt ſit peccatum pro conſeruatione bonorum proximi amittere noſtra bona, & ſimiliter amittere vitam pro tuenda vita proximi. 318

Quintus. Vtrum teneatur quis magis diligere vnum proximum, quam alium. 319

DISTINCTIO XXX. pag. 325

Quæſtio vnica.

Vtrum neceſſe ſit ex charitate diligere inimicum. 325

Diuiditur hæc quæſtio in 7. artic.

Primus. Vtrum licite quis poſſit odiſſe inimicum ſuum. 325

Secundus. Vtrum quis poſſit licite odiſſe inimico corporalem vitam. 327

Tertius. Vtrum liceat optare inimicis incommoda ob priuatam vtilitatem. 330

Quartus. Vtrum teneamur diligere inimicum ex charitate. 331

Quintus. Vtrum diligere inimicum ſit præceptum, vel conſilium. 333

Sextus. Vtrum benefacere inimicis omnibus ſit præceptum. 335

Septimus. Vtrum teneamur pro inimicis orare. 338

DISTINCTIO XXXI. pag. 340

Quæſtio vnica.

Vtrum charitas maneat in patria, ita vt non euacuetur. 342

Diuiditur hæc quæſtio in tres artic.

Primus. Vtrum actus fidei, & clara Dei viſio poſſint ſimul eſſe, ac etiam actus ſpei, & tentio. 343

Secundum. Vtrum habitus fidei, & ſpei maneant ſimul cum clara Dei viſione, & diuina tentione. 345

Tertius. Vtrum remaneat charitas poſt hanc vitam in patria. 348

DISTINCTIO XXXII. pag. 351

Quæſtio vnica.

Vtrum Deus diligat ex charitate omnia æqualiter. 352

Diuiditur hæc quæſtio in 4. artic.

Primus. Vtrum Deus diligat omnia. 353

Secundus. Vtrum Deus diligat omnia ex charitate. 355

Tertius. Vtrum actus diligendi, quo Deus diligit ſe, & omnia alia ſit proprius alicui perſonæ diuinæ. 357

Quartus. Vtrum Deus æqualiter diligat omnia. 360

Dubium primum. Vtrum Deus dilexerit Chriſtum Dominum pluſquam totum genus humanum. 362

Dubium ſecundum. Vtrum Deus poſt Chriſtum Dominum magis dilexerit B. Virg. Matrem, quam vniuerſas creaturas rationales. 363

Dubium tertium. Vtrum Deus magis diligat Angelum quam Hominem. 364

Dubium quartum. Vtrum Chriſtus magis dilexerit Petrum, quam Ioannem. 364

Dubium quintum. Vtrum Deus magis diligat innocentem, quàm pœnitentem. 365

Dubium ſextum. Vtrum Deus magis diligat iuſtum præſcitum, quam peccatorem prædeſtinatum. 366

DE VIRTVTIBVS MORALIBVS.

DISTINCTIO XXXIII. pag. 367.

De virtute in communi. 368

Quid ſit virtus moralis, & quotuplex. 369

Quo pacto virtutes morales acquirantur, in qua re, & materia obiecta verſentur, & quomodo in mediocritate conſiſtant. 370

An medium virtutum moralium conſiſtat in indiuiſibili, & an maius peccatum ſit in virtute morali ſuperabundantia, quàm defectus. 373

De Prudentia, quid ſit, quæ ſint eius functiones, & officia, & quot ſint eius partes. 374

De Fortitudine, quid ſit, quot ſint fortitudinis functiones, & partes. 377

De Iuſtitia, quid ſit, an ſit virtus ſpecialis, quodnam ſit eius ſpecialis functio, & quot partes. 380

De Temperantia, quid & quotuplex ſit, quod eius munus, quot eius partes. 385

Quæ virtutes aliæ ſint alijs præſtantiores. 388

Scotus circa hanc diſt. mouet vnicam quæſt.

Vtrum virtutes morales ſint in voluntate ſicut in ſubiecto. 389

Diuiditur hæc quæſtio in 8. artic.

Primus. Vtrum virtutes morales ſint in appetitu ſenſitiuo. 389

Secundus. Vtrum virtutes morales ſint ſubiectiue in voluntate. 392

Tertius. Vtrũ virtutes morales ſint in voluntate quatenus eſt libera, vel quatenus eſt deliberatiua. 397

Quartus. Vtrum in appetitu ſenſitiuo hominis ſint aliquæ virtutes. 400

Quintus. Vtrum virtutes morales formaliter ſint in Deo. 403

Sextus. Vtrum in Angelis ſint virtutes morales. 404

Septimus. Vtrum in parte corporali, & in brutis ponendi ſint habitus. 405

Octauus. Vtrum virtus moralis ſit nobilior, quàm prudentia. 406

DISTINCTIO XXXIV. pag. 407

Quæſtio vnica.

Vtrum virtutes, dona, & Beatitudines, & fructus ſint ijdem habitus inter ſe. 410

Hæc

Index Quæſtionum.

Hæc quæſtio diuiditur
in 11. artic.

Primus Vtrum Spiritus Sancti dona ſint ſeptem. 410

Secundus. Vtrum ſeptem dona Spiritus Sancti ſint neceſſaria ad ſalutem, &c. 411

Tertius. Vtrum in voluntate ſint facultates iraſcibilis, & concupiſcibilis &c. 412

Quartus. Vtrum tres virtutes morales acquiſitæ, ſcilicet fortitudo, temperantia, & iuſtitia ſint genera intermedia, ſiue ſubalterna, vel ſpecies ſpecialiſſimæ. 414

Quintus. Vtrum ad perficiendum hominem ſufficiant virtutes Theologicæ infuſæ, & quatuor morales acquiſitæ. 415

Sextus. Vtrum virtutes diſtinguantur à donis, quia virtutes hominem perficiunt modo humano, & dona modo ſuper humano. 419

Septimus. Vtrum virtutes diſtinguantur à donis, quia per virtutes homo rectè agit, & per dona agit perfectè. 422

Octauus. Vtrum virtutes diſtinguantur à donis quia per virtutes diſponitur voluntas quatenus mobilis à recta ratione, & per dona prout eſt mobilis à Spiritu Sancto. 424

Nonus. Vtrum virtutes, & Spiritus Sancti dona ſint iidem habitus. 426

Decimus. Vtrum virtutes, & dona diſtinguantur à beatitudinibus. 429

Vndecimus. Vtrum fructus ſint habitus diſtincti à virtutibus, beatitudinibus, & donis. 432

DISTINCTIO XXXV. pag. 434

Quæſtio vnica.

Vtrum ſapientia, ſcientia, intellectus, & concilium, ſint habitus intellectuales. 435

DISTINCTIO XXXVI. pag. 436

Quæſtio vnica.

Vtrum virtutes morales ſint connexæ. 438

Hæc quæſtio diuiditur
in 14. artic.

Primus. Vtrum virtus obliquari poſſit 438

Secundus. Vtrum virtutes morales ſint connexæ in gradu heroico ſeu perfectiſſimo. 440

Tertius. Vtrum virtutes morales ſint connexæ in gradu perfecto temperantiæ. 443

Quartus. Vtrum virtutes morales ſint connexæ ſecundum proprietatem. 444

Quintus. Vtrum habitus genitus ex rectis dictaminibus ſine virtute morali in voluntate ſit prudentia. 447

Sextus. Vtrum malitia poſſit excæcare intellectum, atque in eo prudentiam corrumpere. 452

Septimus. Vtrum Prudentia ſit connexa cum morali virtute 456

Octauus. Vtrum omnium agibilium ſit vna prudentia. 464

Nonus. Vtrum qualibet virtus moralis ſit connexa cum ſua prudentia. 468

Decimus. Vtrum habitus genitus ex rectis electionibus ſine prudentia ſit virtus moralis. 469

Vndecimus. Vtrum virtutes morales ſint connexæ cum Theologicis. 471

Duodecimus. Vtrum præter virtutes morales acquiſitas ponendæ ſint morales infuſæ. 473

Tertiusdecimus. Vtrum virtutes Theologicæ ſint cum moralibus connexæ. 477

Quartusdecimus. Vtrum virtutes Theologicæ ſint connexæ inter ſe. 478

DE PRAECEPTIS.

DISTINCTIO XXXVII. pag. 480

Quæſtio vnica,

Vtrum præcepta Decalogi ſint de lege naturæ. 481

Diuiditur hæc quæſtio
in 8. artic.

Primus. Vtrum præcepta primæ tabulæ ſint de lege naturæ. 484

Secundus. Vtrum Tertium præceptum primæ tabulæ ſit de lege naturæ. 485

Tertius. Vtrum præcepta ſecundæ tabulæ ſint de lege naturæ. 487

Quartus. Vtrum præcepta primæ tabulæ ſint diſpenſabilia. 492

Quintus. Vtrum præcepta ſecundæ tabulæ ſint diſpenſabilia. 494

Sextus. Vtrum Deus diſpenſauit cum Abraham in præcepto Non occides. 497

Septimus. Vtrum Deus diſpenſauit cum filiis Iſrael in præcepto. Non furtum facies. 499

Octauus. Vtrum Deus diſpenſauit cum Oſea in præcepto Non mœchaberis. 501

DISTINCTIO XXXVIII. pag. 503

Quæſtio vnica.

Vtrum omne mendacium ſit peccatum. 504

Diuiditur hæc quæſtio
in 16. artic.

Primus. Vtrum mendacium ſit peccatum. 505

Secundus. Vtrum mendacium ſit peccatum: quia eſt contra primam veritatem, vel quia tranſit ſuper indebitam materiam. 506

Tertius. Vtrum mendacium ex eo ſit peccatum, quia eſt falſa ſignificatio vocis cum intentione fallendi. 508

Quartus. Vtrum mendacium pernicioſum ſit peccatum mortale. 510

Quintus. Vtrum mendacium iocoſum, & officioſum ſit peccatum mortale. 511

Sextus. Vtrum mendacium iocoſum, & officioſum ex circumſtantia perſonæ fiat mortale peccatum. 513

Septimus. Vtrum mendacium iocoſum in actu docendi, &c

di, & iudicandi ſit peccatum mortale. 515
Octauus. Vtrum interdum eligendum ſit mendacium veniale, ex magno pietatis affectu. 516
Nonus. Vtrum mendacium in facto, qua ſimulatio appellatur ſit peccatum. 518
Decimus. Vtrum grauius peccatum ſit mentiri laudando ſe, quam vituperando ſe. 520
Vndecimus. Vtrum Deus poſſit alicui præcipere, quod mentiatur 521
Duodecimus. Vtrum Abraham mentitus ſit quando dixit pueris, Expectate hic cum aſino, &c. 522
Tertius decimus. Vtrum Iacob fuit mentiens quando dixit Ego ſum Eſau, &c. 523
Quartus decimus. Vtrum Ioſeph mentitus ſit fratribus ſuis. 526
Quintus decimus. Vtrum Raab, Rachel, & obſtetrices mentitæ fuerint. 527
Sextus decimus. Vtrum Iudith mentita fuerit Holoferni. 530

DISTINCTIO XXXIX. pag. 531

Quæſtio vnica.

Vtrum omne periurium ſit peccatum mortale. 534

Hæc quæſtio diuiditur
in 14. art.

Primus. Vtrum iuramentum ſit aſſertio dicti humani, quod ipſum ſit verum, & hoc vltimate. 534
Secundus. Vtrum iuramentum execratorium, promiſſorium, & aſſertorium differant ſpecie. 536
Tertius. Vtrum licitum ſit iurare ſiue per Deum, ſiue per creaturas. 537
Quartus. Vtrum in iuramento promiſſorio præſupponatur qualitas iurati, & iurantis. 540
Quintus. Vtrum periurium ſit contra præceptum primæ tabulæ. 540
Sextus. Vtrum omne periurium ſit peccatum mortale. 541
Septimus. Vtrum indeliberatio in iureiurando a peccato mortale excuſet. 543
Octauus. Vtrum adducēs Deum in teſtem ad aliquid, quod credit eſſe verum, licet non ſit, de quo tamen habet aliquam opinionem, & magis aſſentit illi parti, pro qua iurat, peccet mortaliter. 545
Nonus. Vtrum iuramentum doloſum ſit obligatorium. 546
Decimus. Vtrum iuramentum incautum ſit obligatorium. 547
Vndecimus. Vtrum iuramentum coactum obliget in conſcientia. 549
Duodecimus. Vtrum omne iuramentum promiſſorium iuſtum ſit obſeruandum. 551
Tertius decimus. Vtrum ſit grauius peccatum peierare per Deum, an per Euangelium. 552
Quartus decimus. Vtrum periurium ſit maius peccatum quam homicidium, vel adulterium. 553

DISTINCTIO XXXX. pag. 554

Quæſtio vnica.

Vtrum lex noua ſit grauior veteri. 556

Diuiditur hæc quæſtio
in 7, artic.

Primus. Vtrum lex noua quo ad præcepta moralia grauior ſit lege veteri. 557
Secundus. Vtrum lex noua lege veteri ſit grauior quo ad præcepta cæremonialia. 558
Tertius. Vtrum lex noua ſit grauior lege veteri, quo ad præcepta iudicialia. 560
Quartus. Vtrum lex noua abſolute loquendo ſit leuior lege veteri. 562
Quintus. Vtrum lex noua quatenus non ſolum eſt a Chriſto Domino explicata, ſed etiam quatenus eſt per alios declarata, & ſuper eam aliqua per alios addita ſit lege veteri grauior. 564
Sextus. Vtrum lex noua contineat plura remedia, quam lex vetus. 566
Septimus. Vtrum lex noua ea omnia, quæ lex vetus continebat, & vltra aliquid ſuperaddat. 568

INDEX AVTHORVM,
Qui citantur in hac Secunda Parte.

A

ACciatolus
Adam Godam
Albertus Magnus
Albertus Pyg ius
Albericus
Alcuinus
Adrianus
Alanus
Alexander Papa. 1.
Alexander Papa. 6.
Alexander de Ales
Alexander Legiſta
Alexander Peſantius
Alphonſus a Caſtro
Alphonſus Toſtatus
Alphonſus Toletus
Alphonſus Piſanus
Aloyſius Lopomanus
Altiſiodorenſis
Aluarus Pelagius
Ambroſius
D. *Ambroſius Catharinus*
Angelus Arretinus
Angelus Caſalius
Andreas Vega
Anacletus Papa
D. *Antoninus*
Antonius Roſellus
Antonius Corduba
Antonius Butrius
Andronicus
D. *Anſelmus*
Ariſtoteles
Arnobius
D. *Athanaſius*
Auerroes
D. *Auguſtinus*
Auguſtinus de Ancona
Auicenna
Auguſtinus Sueſſanus

B

Baldus
Bartolus
Bartholomeus Medina
Bartholomaus Caranza
D. *Baſilius*
Beda
D. *Bernardus*
Benedictus XI.
D. *Bonauentura*
Boetius
Buridanus
Burleus

C

Camaracenſis
Campegius
Caſſianus
Cato
Caſar
Caſar Baronius
Caſſiodorus
Celeſtinus Papa
Celſus
Cicero
Cinus
Cyprianus
Cyrillus Alexan.
Cyrillus Hieroſolim.
Clemens Romanus
Clemens Alexandr.

Concilia:
Nicenum. 1.
Nicenum 2.
Conſtantinopolit.
Epheſinum
Calcedonenſe
Lateranenſe
Lugdunenſe
Trulantinum
Viennenſe
Conſtantienſe
Baſileenſe
Florentinum
Tridentinum
Carthaginenſe
Laodicenſe
Mileuitanum
Arauſicanum
Aurelianenſe
Sardicenſe
5. 6. 7. & 8. Synodus

Coraddus
Cornelius Ianſenius
Curtius Iunior.

D

Damaſus Papa
Didacus Couarruuias
Dionyſius Areopagita
Dionyſius Corinthius.
Dionyſius Carthuſianus
Dionyſius Ciſtercienſis
Dominicus Iacobatius
Dominicus Sotus
Dominicus Bannes
Dorotheus
Durandus

E

Ecchius
OEcumenius
Eſſrem
AEgeſippus
AEgidius
Epiphanius
Eugarius
Eulalius
Euſebius
Euſtratius
Euthimius

F

Felinus
Ferdinandus Velloſillus.
Franciſcus Mayronus
Franciſcus Zabarella Card.
Franciſcus Leuchetus
Franciſcus Titelmanus
Franciſcus Horantius.
Franciſcus Victoria
Franciſcus Forerius
Franciſcus Turrianus
Franciſcus Toletus
Franciſcus Zumel
Fulbertus
Fulgoſus

G

Gabriel Biel
Gabriel Vaſquez
Gaſparus
Gelaſius Papa
Geraldus Odonis
Gloſſa interlinearis
Gloſſa ordinaria
Gloſſa
Gotfridus de Fontibus
Gratianus
Gregorius Nazianzenus
Gregorius Niſſenus
Gregorius Papa
Gregorius de Arimino

Grego-

Index Authorum.

Gregorius XIII.
Gregorius de Valentia
Guilielmus Pariſienſis
Guilielmus Occham
Guilielmus Rubion.

H

Haymo
D. Hieronymus
Hieronymus Gadius
Hieronymus Angeſtus
Hieronymus Boleſcus
Henricus de Gandauo
Hippolytus Martyr.
Hilarius
Hoſius Martyr.
Hoſius Cardinalis
Hoſtienſis
Hugo de SanctoVict.

I

Iacobus Almayn.
Iacobus Payua
Innocentius I.
Innocentius III.
Ioannes Scotus
D. Ioannes Chryſoſto.
Ioannes Baſſolus
D. Ioannes Damaſcenus
Ioannes Bacco
Ioannes Capreolus
Ioannes Maior
Ioannes Gerſon
Ioannes Andreas
Ioannes Turrecrema.
Ioannes Galen.
Ioannes Ecchius
Ioannes Zonara
Ioannes de Neapolis
Ioannes Maldonatus
Ioannes Coſterius
Ioannes Azorius
Ioannes Driedo
Ignatius Martyr.
Ioſephus
Ionathas
Iſichius
Irenaus
Iſidorus
Iuo
Iulius Papa
Iuſtinianus
Iuſtinus Martyr.

L

Lactantius Firmianus
Leo Papa I.
Leo Nonus
Leontius
Laurentius Valla
Liberatus
Lindanus
Ludouicus Molina

M

Macrobius
Marſilius Hinguen.
Marcellus Papa
Martinus de Magiſtris
Martinus Lauden.
Martinus Nauarrus
Maximus
Melchior Canus
Michael Medina
Michael Salon
Moſes Aegyptius

N

Nicephorus Caliſtus
Nicolaus Papa
Nicolaus de Lyra
Nicolaus de Orbellis
Nicolaus Cuſanus
Nicolaus Sanderus

O

Optatus
Origenes

P

Pamphilus Martir.
Panormitanus
Paulus Oroſius
Paulus Burgenſis
Paulus Diaconus
Paulus de Palatio
Pelagius Papa
Perſius
Petrus Lombardus Magiſter
Petrus Aureolus
Petrus de Tarantaſia
Petrus Tataretus
Petrus de Ancharanno
Petrus de Monte
Petrus Paludanus
Petrus Gras Vrſellenſis Epiſc.
Petrus a Soto
Petrus de Arrogona
Pius Secundus
Pius Quintus
Philo Hebraus
Plato
Photius
Primaſius Vticenſis
Proſper Aquitanus
Pſellus

R

Rabbi Salomon
Richardus de Medianilla
Ribera
Robertus Bellarminus
Robertus Siconyen.
Robertus Olchot
Roffenſis
Romanus
Ruardus Taper.
Ruffinus
Rupertus Abbas

S

Sanctes Pagninus
Sedulius
Seneca
Sixtus Papa
Sixtus Senenſis
Silua
Silueſter
Solinus
Socrates
Sozomenus
Stapletonius
Simon Metaphraſtes
Sophronius
Stephanus iunior Mart.
Stephanus Brulifer
Sulpitius

T

Tabiena
Terentius
Tertullianus
Theodoretus
Theophraſtus
Thomas Aquinas
Thomas ab Argentina
Thomas Vualdenſis
Thomas Caietanus
Thomas Stapletonus
Titus Liuius
Tiraquellus
Trigoſus

V.

Valerius Maximus
Varro
Vatablus
Vegetius
Victor Papa
Vigilius
Vicentius Lyrinenſis
Virgilius
Vlpianus

Z

Zoſimus Papa
Zonara.

INDEX

SVMMAE THEOLOGIAE SPECVLATIVAE, ET MORALIS,

Atque COMMENTARIA SCHOLASTICA In Tertium Librum Sententiarum Scoti

TOMVS SECVNDVS.

DE VIRTVTIBVS, DONIS, ATQVE PRAECEPTIS.

Diſtinctio XXIII. Magiſter Sent.

Continuatio, & ordo dicendorum.

CVM ergo ſuperius probatum ſit Chriſtum plenum gratia fuiſſe non eſt ſuperuacaneum quærere, Vtrum, Fidem, & Spem ſicut charitatem habuerit, &c. *Hæc eſt diſt. 23. huius tertij libri, in qua Magiſter finita, & peracta prima parte, in qua de Verbi Dei incarnatione & de illis, quæ meritorie nos iuſtificant diſputauit; de his, quibus formaliter iuſtiſſimus differit. ſ. de virtutibus, Spiritus Sancti donis, & mandatorum decalogi obſeruantia. Et quia in tractatione de virtutibus primatum tenent Theologicæ, inter quas prima eſt fides, vt docet Sacrum Concilium Trident. ſeſſ. 6. c. 8. Ideo Magiſter primo diſputat de virtutibus Theologicis, deinde de Cardinalibus, donisq; Spiritus Sancti; Quare in hac d. 23. & duabus ſequentibus, agens de fide hanc ſeruat methodum; In hac diſt. agit de ſubſtantia, & quidditate fidei; in 24. de eius obiecto in 25. illius ſufficientiam, ac neceſſitatem inquirit. De hac materia Doctores ſcholaſtici Magiſtri ordinem ſequentes in eiſdem diſtinctionibus diſputant. Alex vero de Ales 3 p q. 64. & 68. per multa membra, & articulos. & D. Thom. 2. 2. à prima. q. vſque ad 16. Continet autem Magiſtri littera ſequentes concluſiones.*

Concilium Trid.

Alex. de Alef. D. Tho.

Prima Concluſio. D. *Aug.*

Prima Concluſio. Fides eſt virtus, qua creduntur ea, quæ non videntur. hæc patet ex D. Auguſtino dicente, lib. 2. quæſt. Euang. c. 29. & in Enchird c. 9 fides eſt credere, quod non vides.

2. Concluſio.

Secunda Concluſio. Non omnia, quæ non videntur pertinent ad fidem ſed ea ſolum, quæ ad religionem ſpectant. Multa enim ſunt, quæ ſi chriſtianus ignoret, nihil metuendum eſt: quia non ideo à religione deuiat. & hæc etiam patet ex D. Auguſtino locis citatis.

3. Concluſio.

Tertia Concluſio. Fides capitur trifariam, nempe pro eo, quo creditur, pro eo, quod creditur & pro eo, in quod creditur. primo modo eſt habitus in anima credentis inhærens, qui habitus ſi charitate coniungatur eſt virtus, ſi autem

ſit abſque charitate non eſt virtus: Ait enim D. Ambroſ. ſuper epiſtolam ad Roman. Charitas mater eſt omnium virtutum, quæ omnes in format, ſine qua nulla vera virtus eſt. Dicit inſuper Magiſter, q fides cum dilectione hominis chriſtiani eſt; ſine dilectione autem inanis eſt & Dæmonis: quia etiam Dæmones credunt & contremiſcunt Iacobi 2. Fides ſecundo modo eſt in rebus creditis vel ſunt ipſe res creditæ. iuxta illud hæc eſt fides Catholica quam niſi quiſque firmiter, fideliterque crediderit, ſaluus eſſe non poterit; vt legitur in ſymbolo Athanaſij. Fides tertio modo eſt Deus ipſe: quia in Deum credimus.

D. Ambr.

Athanaſ.

Duo dicit Magiſter in hac concluſione circa primam acceptionem fidei, videlicet, quod fides ſine charitate, quæ informis dicitur non eſt virtus, & hoc dictum probabile eſt: quia illud aſſerit Sanctus Thomas, quod poſtea examinabimus. Secundo dicit, quod fides informis eſt inanis, & non hominis Chriſtiani, ſed Dæmonis; & hoc dictum non eſt tenendum: quia fides informis eſt donum Dei, & principium iuſtificationis, vt ait Concilium Trid. ſeſſ. 6. c. 8. & per talem fidem etiam ſine charitate homo etiam dicitur chriſtianus, vt idem Concilium eadem ſeſſ. cano. 28. definit dicens. Si quis dixerit eum, qui fidem ſine charitate habet non eſſe Chriſtianum anathema ſit. Exiſtimauit autem Magiſter, quod fides informis eſt in Dæmonibus, quod quidem non eſt verum: quia oppoſitum communiter tenetur à Doctoribus.

D. Tho.

Concilium Trid.

Quarta Cõcluſio.

Quarta Concluſio Magiſtri. Aliud eſt credere Deo, aliud credere Deum, & aliud credere in Deum. credere Deo, eſt credere vera eſſe, quæ Deus loquitur; credere Deum eſt credere, quod ipſe eſt Deus, vel credere ipſum Deum eſſe; credere autem in Deum eſt, credendo Deum diligere, ſeu credendo in ipſum tendere, & eius membris per dilectionem incorporari; ita quod credere in Deũ includit, & credere Deo, & credere Deum, & ipſum diligere. Hanc diuiſionem accepit Magiſter à D. Auguſtino multis in locis ſuæ doctrinæ; maxime in expoſitione ſymboli Concione prima in vigilia Penthecoſtes, & tract. 29. ſuper Ioan. c. 7. & de verbis domini ſer. 61. & de tempore ſer. 181. in pſal. 77. in illo verſu. Non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius.

D. Aug.

Quinta Concluſio

Quinta Concluſio. Fides informis donum Dei eſt, patet quia hæc eſt eadem ſecundum ſubſtantiam cum ea, quæ eſt charitate informata; ſed talis eſt donum Dei, ergo &c. Tum quia etiã in malis, quædam Dei dona ſunt.

Seſta Cõcluſio.

Seſta Concluſio. Fides in formis, quæ eſt in malo Chriſtiano, accedente charitate non eliminatur, ſed remanet, & charitatis acceſſu virtus efficitur. oppoſitum tamen huius concluſionis nempe q accedente charitate depulſa fide informi, alia ſuccedat, quæ eſt fides, & formata virtus etiam probabile eſt; magis tamen Magiſter ad hoc declinat, q illa, quæ prius informis fuit, remaneat, & per charitatis aduentum formata fiat.

Septima Cõcluſio.

Septima Concluſio. Quando D. Paulus ad Epheſios 4. dicit. Vnam eſſe fidem intelligit tam de eo, quod credimus, quam de eo, quo credimus. prima pars patet: quia omnes iubemur vnum, & idem credere, vnde fides catholica dicitur id eſt vniuerſalis, quia vnum idemq́ eſt, quod creditur ab omnibus fidelibus Secundá pars patet: quia licet non ſit vna numero in omnibus, eſt tamen vna ſpecie, & ſimilitudine, quemadmodum dicimus vnam eſſe naturam humanam in omnibus hominibus.

Octaua Cõcluſio.

Octaua Concluſio. Fides eſt de non apparentibus, & de non viſis, hæc probatur ex Paulo Hebræorum 10. fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum argumentum non apparentium, & idem affirmat D. Gregorius hom. 26. in Euang ita ſcribens. Apparentia non habent fidem, ſed agnitionem.

D. Greg.

Nona Cõcluſio.

Nona Concluſio. Quamuis id, quod creditur ſit non apparens, ipſa tamen fides, quæ creditur videtur, & certiſſima ſcientia tenetur ab eo, in quo eſt, probatur authoritate D. Auguſtini lib. 13 de Trinitate c. 1. dicentis. Fidem ſuam videt quiſque in corde ſuo eſſe, ſi credit, vel non eſſe ſi non credit. Hæc concluſio Magiſtri, & authoritas D. Auguſtini intelligenda eſt, vt eam exponit Scotus hac diſt. & in quol. q. 14. & Sotus de natura, & gratia libro 3. c. vlt. dicentes, q ſicut quamuis non habeam euidentiam Hiſpalim eſſe, ſed tantum credam; tamen euidenter cognoſco me credere Hiſpalim eſſe. Ita eſtineuidens, Deum eſſe trinum, & vnum; & licet non ſit mihi euidens Trinitas, eſt tamen mihi euidens quod credo, ſiue per fidem acquiſitam. ſiue per infuſam non tamen determinate per infuſam: quia nemini eſt euidens ſe habere habitum fidei infuſum.

D. Aug.

Scotus.
Sotus.

Decima Cõcluſio.

Decima Concluſio. Fides dicitur fundamentum: quia eius actus præcedit naturaliter actus aliarum virtutum. hæc patet: quia non ſperatur, nec amatur aliquid, quod non creditur; licet multa credantur; quæ nec ſperantur nec amantur. Hæc de littera Magiſtri circa quam mouet Scotus vnicam quæſtionem ſub hoc titulo.

QVAE.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum de credibilibus nobis reuelatis neceſſe ſit ponere fidem infuſam.

Obiectū eſt duplex.

PRO explicatione huius tituli obſer. eſt primo, q; Duplex eſt obiectum. ſ. incomplexum, quod eſt res habens conceptum vnum, vt Deus, homo, lapis, & huiuſmodi. aliud eſt complexum, vt propoſitio vocalis, mentalis, vel ſcripta. Ideo quæri poteſt an credibile, ſit quid complexum, vel incomplexum. Cui interrogationi reſpondet D. Bonauentura d. ſequenti. art. 1. q. 3. quod credibilia ſunt propoſitiones complexę, vt Deus eſt trinus, & vnus. hoc eſt vnum credibile complexum; credibilia autem ſunt in duplici differentia: nam quædam ſunt de neceſſitate ſalutis, vt quod Deus eſt trinus, & vnus, quod Verbum ſit incarnatum, &c. Alia vero, quæ non ſunt de neceſſitate ſalutis, quia ſine illorū fide, quis ſaluari poteſt, vt credere Beatam Virginem ac D. Ioan. Euangeliſtam eſſe in cœlo in anima, & corpore. Beatam Virginem fuiſſe conceptam ſine originali peccato, vel in vtero Sanctificatam: quia Eccleſia hæc tanquā de fide tenenda, haud determinauit. Poteſt adhuc quis ad credendum teneri dupliciter, priori modo explicitè, velut cum quis credit Deum eſſe Trinum & vnum, Filiū eſſe conſubſtantialem Patri, Spiritum ſanctum à Patre, & Filio procedere, & ſimilia: poſteriori modo implicite, vt Credo Sanctā Eccleſiam Catholicam &c. Multa enim in ſacra ſcriptura continentur, quæ non explicantur; quæ tamen de neceſſitate ſalutis credenda ſunt. De vtiſquæ ac vtroque modo quærit hic Doctor.

Credibilia ſunt in duplici differentia.

Reuelatio quid ſit, & quotuplex.

Secundo obſeruandū eſt, quòd reuelatio eſt ammotio vmbraculi per quam res ignota monſtratur, & eſt triplex ſcilicet naturalis, ſupernaturalis ſimpliciter, & ſupernaturalis cum æſtaſi; reuelatio naturalis fit, quando res, quæ reuelatur, intuitiue videtur; atque ita Chriſtus ab inſtanti ſuæ conceptionis vidit Iudam eum eſſe proditurum, & hæc reuelatio proprio nomine appellatur viſio. reuelatio ſuper naturalis ſimpliciter, ideſt ſine æſtaſi, eſt ea, quæ fit ab inæquali, vel ſuperiori, & hæc fieri poteſt à Deo, vel ab angelo, & ſic reuelatio eſt ſuperius ad prophetiam; reuelatio vero ſupernaturalis cum æſtaſi, fuit ea, quę facta fuit D. Paolo, quando vidit, vel audiuit archana Dei, quę non licet homini loqui; quod autem eiuſmodi reuelatio fuerit cum æſtaſi, patet ex illis verbis. Scio hominem raptum eſſe vſque ad tertium cœlum, ſiue in corpore, ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit; In propoſito autem accipitur reuelatio in ſecunda ſignificatione, ſcilicet pro reuelatione ſupernaturali ſimpliciter, qua mediante reuelata ſunt nobis credibilia à Deo vel immediate, vel mediate.

Tertio obſer. eſt, quod duplex eſt neceſſitas, nimirum ſimpliciter, & ex ſuppoſitione, & quid ſit vna quæque explicatum eſt in prima parte d. 20. vide ibi. in propoſito autem accipitur ſecundo modo.

Fides accipitur multipliciter.

Alex. de Ales.

S. Bonau.

Vega.

Quarto obſer. eſt, q; fides multipliciter accipi conſueuit. Alex. Alen. 3. p. q. 64. m. 1. ponit 11. fidei acceptiones. D. Bonauentura hac diſt. in dubijs litteralibus. dub. 2. decem ſignificationes enumerat. Magiſter Vega opuſculo de iuſtificatione. q. 1. notabili 1. nouem recenſet; communiter autem ad quatuor ſignificationes reducuntur. Sumitur. n. primo fides pro fiducia, vel confidentia, & hæc fides non eſt virtus intellectualis, ſed eſt in voluntate; eſt. enim conditio ſpei; & huius ſignificationis eſt frequens vſus, in ſcriptura, vt Matth. 8. ait Chriſtus. Non inueni tantam fidem in Iſrael, & in Matth. 11. Omnia quæ petitis orantes, credite: quia accipietis. Secundo modo capitur fides pro fidelitate, quæ ita definitur à Cicerone lib. 1. de officijs. Fides eſt dictorum, factorumq́ue conuentio, & veritas; Vbi fides potius fidelitatem, quam certam animi perſuaſionem ſignificat. in ea dictione duæ ſunt ſyllabæ eodem Cicerone auctore, prior à facto, poſterior à dicto, quod fiat, quod dictum eſt deriuatur. Hinc latina ratione loquendi, dare fidem, & accipere fidem dicimus; auctore Donato, cum quid promittimus, aut ſub certa aſſeueratione nobis promittitur. Inde bonæ fidei homo, cui res tuto committitur, aut cui rem ſibi creditam fideliter conſeruat Latinè vocatur. Atque hanc fidem, Cicero fundamentum ciuilis iuſtitiæ cōſtituit; & in hac ſignificatione accepit eam Paulus ad Roman. 3. dicens incredulitas eorum fidem Dei non euacuauit, ideſt veritas, & conſtantia Dei in complendis ſuis promiſſis non irritatur per Iudæorum incredulitatem, & hæc non eſt virtus intellectualis, ſed moralis, eſtque in voluntate. Tertio modo capitur fides pro iureiurando, ſiue pro ſponſione, vel promiſſione ipſa, qua nos alicui rei faciendæ adſtringimus. Sic apud latinos dicitur liberare fidem ſuam, qui implet, & re exhibet, quod promiſit: violare vero fidem, qui non ſoluit promiſſa, neque præſtat conuenta. Quem & perfidum, & infidelem, & fœdifragum latini appellant. Sic & Paulus eam accepit, 1. ad Timotheum 5. prima fidem irritam fecerunt. Quarto modo ſumitur fides pro credulitate, ſeu aſſenſu firmo, & certo; ſed ineuidenti tamen; & in hac ſignificatione vſi ſunt iſto vocabulo, non ſolum Eccleſiaſtici Auctores nobiles, vt Lactantius, Tertullianus, Cyprianus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, ſed & prophani Authores Latiniſſimi, vt Liuius lib. 1. ſuæ hiſtoriæ. Celſus lib. 7. Virgilius 4. Aeneidos, & Cicero multis in locis & in hac ſignificatione fides eſt virtus intellectualis, atque ita accipitur in titulo quæſtionis, & eſt duplex altera acquiſita, altera infuſa, de quibus erit ſermo in ſequentibus. Senſus ergo tituli eſt. Vtrum de credibilibus complexis ſuper naturaliter nobis reuelatis à Deo, immediate, vel mediate ſit neceſſe neceſſitate ſuppoſitionis ponere fidem infuſam, vt eis aſſentiamus. Pro cuius quæſtionis lucida, ac luculenta interpretatione ſequentes articuli explicandi ſunt.

Cicero.

Lactantius.

Tertull.

Cyprian.

Ambroſ.

Hieron.

Auguſt.

Liuius.

Celſus.

Virgil.

Cicero.

Artic. 1. Vtrum ſit de fide dari fidelibus habitus infuſos Theologicos.

Art. 2. Vtrum in tractatione virtutum Theologicarum incipiendum ſit a fide.

Art. 3. Vtrum definitio fidei tradita à D. Paulo ſit competens, ita vt explicet naturam fidei.

Art. 4. Vtrum hac Pauli definitio conueniat ſolum fidei formata, an etiam fidei informi, ſ. abſque charitate.

Art. 5. Vtrum charitas ſit forma fidei.

Art. 6. Vtrum fides tam formata, quàm informis ſit virtus.

Art. 7. Vtrum ſit certum in nobis eſſe fidem acquiſitam de rebus reuelatis.

Art. 8. Vtrum fides infuſa reſpiciat primam veritatem, vt reuelantem articulos, & cauſantem aſſenſum de credibilibus.

Art. 9. Vtrum fides infuſa ſit neceſſario ponenda vt cauſet aſſenſum de credibilibus reuelatis.

Art. 10. Vtrum ad credendum ſit neceſſarium, quod Deus communicet nobis auxilium ſpeciale, an vero ſufficiat generale.

Art. 11. Vtrum ſit neceſſarius habitus fidei infuſus ad credendum articulis fidei.

Art. 12. Vtrum Chriſtianus ſit certus infallibili certitudine, ac naturali ſe habere fidem.

Art. 13. Vtrum fides ſit certior, quam alij habitus intellectuales.

Art. 14. Vtrum fides infuſa augeatur actibus ſuis.

Art. 15. Vtrum fides ſit in intellectu, vel in voluntate.

Art. 16. Vtrum fides fuerit in Angelis ante beatitudinem bonorum, & damnationem malorum.

Art. 17. Vtrum in Dæmonibus, & hominibus damnatis ſit fides.

Art. 18. Vtrum fides infuſa ſit in hæreticis.

Art. 19. Vtrum in peccatoribus fidelibus maneat fides infuſa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum ſit de fide dari fidelibus habitus infuſos Theologicos.

Ariſt. Habitus quid ſit.

PRo huius difficultatis explicatione obſeruãdum eſt primo, ꝙ habitus, pro vt eum definit Ariſt. 7. Phy. c. 3. tex. 17. eſt diſpoſitio perfecti ad optimũ, quæ definitio nõ eſt proprie habitus qui eſt de prima ſpecie qualitatis, & de quo eſt nobis ſermo in iſto articulo, ſed eſt potius definitio roboris, & pulchritudinis, quæ duo in exemplũ adduxerat eorũ quæ ſunt ad aliquid & ad quæ nõ eſt motus, dixit eſſe diſpoſitiones eius, ꝙ præſtantiſſimum eſt ad id, quod eſt optimum, vocat autem præſtantiſſimum, quod conſeruat, & rectè diſponit ipſã naturã, ac proinde ipſum naturam appellat id, quod eſt optimum. Nec etiam ſumitur hic habitus prout definitur ab Ariſt. 2. Ethy. ca. 5. vbi ita ſcribit. Habitus ſunt, quibus bene, vel male nos ad effectus ipſos habemus; nam hæc definitio non complectitur omnes habitus ſed tamen habitus animæ, de quibus ſolum propoſuit in eo capite ſe acturum, vt inueſtigaret naturam virtutum, quæ ſunt in anima. Verum cum in eo cap. ipſe diſtinguat potentiam, quæ eſt ſecunda ſpecies qualitatis ab habitu, ex prædicta definitione facile explicari poteſt natura habitus, & quo differat à potentia, quæ eſt qualitas ſecundæ ſpeciei.

Eſt ergo perfecta habitus definitio, quam tradit Ariſt. 5. Metaph. c. 20. Habitus eſt diſpoſitio ſecũdum quam bene vel male diſponitur diſpoſitum aut ſecundum ſe, aut ad aliud; quæ ſane diffinitio ſi rectè explicetur vniuerſim comprehendit omnem habitum, qui eſt ſpecies qualitatis, ſiue ſit principium operationis, ſiue non, ſiue ſit vſu acquiſitus, ſiue à ſolo Deo infuſus.

Habitus fuſi ſunt in duplici differẽtia.

Secundo obſer. eſt, quod habitus infuſi ſunt in duplici differentia; infuſi per ſe, & infuſi per accidens. Infuſi per ſe ſunt illi, qui viribus naturæ comparari nequeunt, quorum proinde acquiſitio eſt diuina, & ſupernaturalis infuſio, vt fides, ſpes, charitas. Infuſi per accidens illi ſunt, qui viribus naturæ comparari poſſunt, ſed ex munere Dei nobis conferuntur, vt ſcientia infuſa Adamo, & Salomoni.

Habitus infuſi, & acquiſiti ſunt eiuſdẽ ſpeciei.

Tertio obſeruandum eſt, ꝙ habitus infuſi per accidens ſunt eiuſdem ſpeciei cum acquiſitis: Geometria. n. infuſa eiuſdem ſpeciei eſt cum acquiſita, quemadmodum oculus reſtitutus cœco, eiuſdem ſpeciei eſt cum cæteris.

Quarto obſer. eſt ꝙ habitus Theologici ij appellantur, qui habent directe pro obiecto Deũ ipſum, & ſunt tres. ſ. fides, ſpes, charitas, quorũ ſufficiẽtia ita aſſignari poteſt: ſicut. n. ad faciendũ aliquod opus humanũ tria ſunt neceſſaria. ſ. ſcire, velle, & poſſe; ita etiã ad facienda opera quibus ad cœlũ tendimus neceſſe eſt ſcire diuina & hoc præſtat fides, quę cognitio eſt diuinorum; & velle ſeu amare, quod facit charitas; ſpes autem, quaſi præſtans vires, & robur vt ad cœleſtia tendamus. vnde iſta tria numerat Paulus. 1. Cor. 13. ſaluti æternæ comparandæ neceſſaria.

Quinto obſer. eſt receptiſſimum eſſe ab omnibus Theologis dari huiuſmodi habitus Theologicos, quia vt habitus morales neceſſarij ſunt ad finem naturalem, hoc eſt ad beatitudinem naturalẽ aſſequendam, ita & habitus Theologici ad ſupernaturalem adipiſcendam ſunt neceſſarij.

Sotus
Canus
Bannes
Valentia
Vaſquez.

His explicatis de hac re duplex eſt Theologorum ſententia. Prima eſt Soti lib. 2. de natura, & gratia c. 17. & 18. & in 4. d. 5. q. 3. art. 1. Cani in relectione de ſacramentis. p. 4. poſt. 5. concluſionem, & 7. lib. de locis. c. 2. Bannes. 2. 2. q. 23. art. 2. dub. 1. Valentiæ Tom. 3. diſp. 3. q. 1. de charitate puncto. 1. aſſertione. 2. & Vaſquez 1. 2. diſput. 78. cap. 1. qui affirmant non eſſe vſq; adeo certum dari fidelibus habitus Theologicos infuſos, vt id negare ſit hæreſis, vel expreſſus error contra fidem. Quod poteſt inde confirmari: quia in cap. Maiores de Baptiſmo, & eius effectu. Innocentius III. mentionem faciens controuerſiæ, quæ erat inter Theologos de infuſione habituum in Baptiſmo (§. illud vero) nihil deffinire voluit. Et in Clementina vnica de ſumma Trinit. Et fide Catholica ex cõcilio Vienneuſi. §. Verũ quia, licet commemoretur iam olim inter doctos fuiſſe controuerſum, vtrum ſint aliqui huiuſmodi habitus infuſi diuinitus hominibus iuſtis, nec tamen ſententia, quæ id affirmat definitur ibi tamquam certa, & indubitata, ſed ſolum eligitur, & anteponitur contrariæ tamquam probabilior, vt diſertis verbis in illa Clementina dicitur, quæ ſunt iſta. Verum quia quantum ad effectum baptiſmi in paruulis reperiuntur doctores quidam Theologi opiniones contrarias habuiſſe; Quibuſdam ex ipſis dicentibus per virtutem baptiſmi paruulis quidem culpã remitti, ſed gratiam non conferri: Alijs econtra aſſerentibus, qđ & culpa eiſdẽ in baptiſmo remittitur, & virtutes ac informans gratia infunduntur quo ad habitum, etſi non pro illo tempore quo ad vſum. Nos autem attendentes generalẽ efficaciam mortis Chriſti, (quæ per Baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem ſecundam, quæ dicit tam paruulis, quã adultis conferri in baptiſmo informantẽ gratiam, & virtutes; tamquam probabiliorẽ, & dictis ſanctorũ, ac Doctorum modernorũ Theologiæ magis conſonam, & concordẽ ſancto approbante Concilio duximus eligendã.

Vega.
Scotus.
Gabriel.
Almain.

Secunda ſententia eſt Magiſtri Vega lib. 7. ſuper Concilium. cap. 24. qui cenſet de fide eſſe definitum ineſſe nobis per infuſionem a ſolo Deo habitus Fidei Spei, & Charitatis, quam ſententiam prius docuit Doc. ſub. hac. diſt. 6. ad quæſtionem Gabriel. in 3. d. 23. q. 2. artic. 2. Concluſione 3. atq. Almain. tract. 2. moralium. ca. 2. & eam ſequuntur recentiores aliqui Theologi, quam ex ſacris ſcripturis. & ex Concilio Tridentino conantur defendere. Nam D. Paulus ad Hebreos 11. inquit ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, at paruuli baptizati Deo placent, etſi in eis non ſit actus fidei, vt manifeſtum eſt, ergo erit in eis fidei habitus. Præterea Chriſtus Dominus. Marci. vltimo. Qui non crediderit condemnabitur, paruuli autem baptizati non credunt actu, ergo ſi neq; habitu crederent condemnarentur, dum morerẽtur ante vſum rationis, & inefficax in eis eſſet baptiſmus. Cæterum, quamuis nõ deſit, qui durũ putet, ſub ſecundo teſtimonio non eſſe paruulos comprehenſos & credere ibi exiſtimet idem eſſe, ac Euangelium ſolemni aliquã profeſſione ſuſcipere, tamẽ Innocentius III. cap. Maiores de bapt. & eius effectu optima ratione ſtatuit de ſolis adultis eſſe intelligendum totum illud teſtimonium. Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit, qui vero non crediderit condemnabitur; Non enim ad alios prima, ad alios ſecunda clauſula eſt referenda. Neq; verisſimile eſt vnum, & idem credendi verbum aliter, & alter in orationibus adeo cõiunctis eſſe acceptum Et ex antecedentibus, & conſequentibus ſatis conſtat, hęc teſtimonia de ſolis adultis intelligi. Ideoq; ad rem hanc confirmandam non ſatis firmum eſt hoc teſtimonium. Verum illud apparens, & efficax eſt pro hac veritate quod habetur ad Roman. 5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis; nam ad omnes iuſtos retulit D. Paulus hæc verba; at manifeſtum eſt quod neq; adultis dormientibus neq; paruulis baptizatis conuenire valent, ſi de actu charitatis intelligantur; ergo neceſſe eſt, vt omnibus iuſtis vere, & proprie conuenire, & aptari poſſint, ponere aliquem habitum charitatis, qui diffundatur iuſtis in ſua iuſtificatione p Spiritum Sanctum eis benigne collatum, atq; ita interpretatur hæc verba Pauli Concilium Triden. ſeſſ. 6. de Iuſtificatione. cap. 7.

Conciliũ Trident.

cum, & charitatem diffuſam per Spiritum Sanctum in iuſtificatione aſſerat iuſtis inhærere, atq; infundi, quæ verba non niſi pro habitibus conueniunt omnibus iuſtis. Et confirmatur ex eodem D. Paulo 1. ad Corint. 13. vbi & nihil eſſe homines ſine charitate luculenter docet. & charitatẽ ait nunquam excidere, & nunc manere tria hæc, fidem ſpem charitatem quæ verba non poſſunt in vniuerſum vera eſſe neq; ita clare de actu charitatis exponi. ſiquidem & iuſti dormientes, imo etiam vigilantes multum ſunt & valent apud Deum etiam ſine actu charitatis & actus charitatis, quem habent iuſti in via definit paſſim eſſe neque permanentiam habet; ſed tranſit.

Cõcil. Trident.

Præterea Concilium Trident. ſeſſion. 6. cap. 7. videtur hanc ſententiam definiſſe his verbis. Quamquam enim nemo poſſit eſſe iuſtus, niſi cui merita paſſionis Chriſti Domini noſtri communicantur, id tamen in hac impij iuſtificatione fit, dum eiuſdem Sanctiſſimæ Paſſionis merito per Spiritum ſanctũ charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iuſtificantur, atque ipſis inhæret. vnde in ipſa iuſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc om-

nia

Digitized by Google

nia ſimul accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, per fidem, ſpẽ, charitatem, Quibus verbis. Quicquid Magiſter ante definitionem Viennen. Concilij ſenſiſſet, ad imponendum finem controuerſijs, acceptauit ſancta ſynodus ſimpliciter & abſq; vlla limitatione eam ſententiam, quam vt probabiliorem eligendam determinauit Viennen. Concilium. uno, & credenti, & aſſerenti oppoſitum anathema indixit. Intellexit namq; eam eſſe communem eccleſię fidem, tametſi non ſub nomine habituũ. cæterum huiuſmodi ſpiritus ſancti dona cordibus fideliũ infuſa, & inhærentia intellexiſſe Patres eſſe habitus non obſcure ex eorum verbis colligitur. Nam primo in eo capite diſerte aſſeruere Patres, ſingulos quoſq; iuſtorum ſuam propriam recipere in ſua iuſtificatione iuſtitiam; quod nec intelligi quidem poteſt ſi non ſit aliquid creatu noſtra iuſtitia; & paulo poſt aſſeuerant inhærere iuſtis charitatem diffuſam in cordibus eorum per ſpiritum ſanctum, vt cum ſciremus inhærentiam proprium quid eſſe accidentium creatorum non dubitaremus charitatem eſſe accidens quoddam creatum. Adiecerũt etiam poſt hæc in iuſtificatione cum remiſſione peccatorum ſimul infuſa accipere hominẽ hæc tria, fidem, ſpem, charitatem, vt intelligeremus has virtutes eſſe habitus infuſos. Infuſio ſiquidem habituum eſt, aut certe non niſi rei creatæ, & in his damnarunt obiter errorem Luteri, negantis fidem eſſe habitum aliquem in animo quieſcẽtem; & tandem vt omnẽ dimouerent ambiguitatem ſic in Canone 11. ſtatuerũt. Si quis dixerit hominem iuſtificari, vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per ſpiritum ſanctum diffunditur, atque illis inhæret, aut etiam gratiam, qua iuſtificamur eſſe tantum fauorem Dei. Anathema ſit.

1. Concl. Cæterum Pro huius difficultatis explicatione dico primum eſſe de fide, fidem infuſam eſſe, & ſpem, et charitatẽ, probatur ex Paulo ad Epheſios. 1. Gratia eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis: donum enim Dei eſt, & 1. ad Thimoteum 1. miſericordiam conſequutus ſum, vt ſim fidelis. & Ioan. 6. Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eũ. Et de charitate probatur. Rom. 5. Charitas diffuſa eſt in cordibus noſtris, per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Et Concilium Trident. ſeſſ. 6. c. 7. docet iuſtitiam Dei eſſe cauſam formalem noſtræ iuſtificationis, non qua ipſe Deus iuſtus eſt, ſed qua nos iuſti ſumus, docetur etiam eodem capite ꝙ huiuſmodi Iuſtitia, qua formaliter Iuſtificamur inhæret ipſis Iuſtis, & idem tradit de fide, & ſpe.

Cõcilium Trid.

2. Concl. Dico ſecundo Veritas fidei catholicæ eſt, quod ablutis ſacro baptiſmo infunditur gratia ad iſtum ſenſum, qui efficiuntur Deo grati, & conſortes diuinæ naturæ, & de nouo renati; in expræſſo patet ex illo Ioannis. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, & ex illo ad Titũ. 3. Per lauacrum regenerationis, & renouationis, & ex illo. Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.

3. Concl. Dico tertio ſecundum fidem catholicam aſſerendum eſſe nobis diuinitus concedi Dei adiutorium, vt credamus velimus, diligamus, quo in ſenſu catholico conſiſtendum eſt, per inſpirationem, & infuſionẽ ſpiritus ſancti, hæc omnia in nobis fieri. Sic definiunt patres in Concilio Araus. c. 6. & probatur ex illo. 1. ad Corint. 4. & is. Quid habes quod nõ accepiſti? & Gratia Dei ſum id quod ſum. Item ex illo Ioan. 6. Nemo poteſt venire ad me, niſi pater, qui miſit me traxerit eum; & ſine me nihil poteſtis facere, & non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis.

Concil. Araus.

4. Concl. Dico quarto fides catholica docet, quod hoc Dei adiutorium deſuper infuſum. eſt omnino neceſſarium vt credamus, diligamus &c. itaq; non eſt neceſſarium, vt facilius credamus, & diligamus, ſed omnino eſt neceſſarium. Sic definiunt Patres in Concilio Mileuit. c. 5. & Araus. c. 5. 6. 7. & 8. & probant ex illa ſententia Domini. Sine me nihil poteſtis facere; non dicit Dominus ſine me difficillime poteſtis, ſed ſine me nihil poteſtis facere.

Concil. Mileuit. Concil. Araus.

5. Concl. Quinto Dico, exploratum eſſe inter omnes Theologos Deum de potentia abſoluta poſſe mouere hominem, ad actus ſuper naturales fidei, & charitatis, &c. ſine habitibus infuſis. hæc concluſio eſt Scoti in hoc. 3. d. 27. art. 3. Capreoli in 1. d. 17. q. 1. art. 1. ad tertium Soti lib. 1. de natura, & gratia c. 22. & lib. 2. c. 16. Medina. 1. 2. q. 51. art. 4. & Valentia Tom. 3. diſp. 3. q. 1. de charitate puncto 1. eſt tamen contra Bannes. 2. 2. q. 23. art. 2. dub. 2. qui cenſet adeo charitatem oportere eſſe habitum, vt ſit plane impoſſibile voluntatem noſtram elicere actum dilectionis ſupernaturalis ſine eiuſmodi habitu. cæterum probatur concluſio: nam habitus concurrit ad actum in genere cauſæ efficientis, ſed quicquid Deus poteſt facere cum cauſa ſecunda efficienti poteſt facere ſe ſolo vt habet axioma Theologorum, ergo poteſt Deus hominem ſine iſtis habitibus mouere ad operandum, verum de hoc erit diffuſior ſermo in ſequentibus.

Scotis. Capreolus. Medina. Bannes. Valentia.

6. Concl. Dico ſexto Non eſſe de fide, quod fides, ſpes, & charitas infuſa ſint habitus. hæc concluſio non eſt contra Scotum, vt aliqui Thomiſtæ exiſtimant, Scotus enim ſolum dicit in hac quæſtione eſſe de fide, fidem infuſam eſſe, non autẽ nominat ipſam habitum, & quando dicit illam eſſe habitum loquitur ſecundum probabiliorem ſententiam. eſt ergo de fide infundi in nobis à Deo fidem, eſſe tamen habitum non eſt de fide: nam in authoritatibus, ſcripturæ & Conciliorum nulla fit mentio habituum ſed ſolum probatur dari fidem infuſam, ſed ſub opinione manet an ſit habitus, vel non.

7. Concl. Dico ſettimo Iſta veritas de habitibus infuſis eſt valde conſona ſacræ ſcripturę, quoniam pleraq; teſtimonia commode explicari nequeunt ſine habitibus infuſis, vt ex fundamentis ſecundæ ſententiæ liquido patet.

8. Concl. Dico octauo Temerarium eſſet dicere fidem, ſpem, & charitatem, non eſſe habitus, imo hac noſtra tempeſtate non ſolum eſſet temerariũ, & periculoſum, ſed ferè hæreticũ habitus infuſos negare. prima pars patet, Tum quia, & ſi ſub nomine habitus, non fiat mentio de illis in ſcriptura, & Concilijs, in illa quæ dicuntur de his virtutibus nõ poſſunt bene intelligi niſi habitus eſſe concedamus: nã infundi inhærere, inhabitare, & eſſe ſignũ in anima, quæ omnia dicuntur de fide, ſpe, & charitate in ſcriptura, & Concilijs, non poſſunt recte intelligi niſi dicamus, quod ſunt habitus, & patet etiam ex illo verbo Patris ad filium prodigum Lucæ 15. proferte illi ſtolam primã, ſtola namque hæret habenti, eſtq; aliquid habentis, ſicut & habitus aliquid ſunt habentis. Tum quia Concilium Viennen. aſſerit illam opinionem, quæ docet in baptiſmo conferri virtutes infuſas eſſe longe probabiliorem, & dictis ſanctorum magis conſentaneam, ergo temeritas eſt eam opinionem deſerere, & alteram amplecti. Itẽ vniuerſi Theologi vno conſenſu affirmant dari habitus infuſos, ergo temeritas eſt contrarium tueri. Secunda pars probatur ex Concilio Trident. locis citatis. ſeſſ. 6. ex cuius definitione aperte colligitur, quod charitas ſit aliquid inhærens, & creatum in animis eorum, qui iuſtificantur, ſed non eſt actus, vt patet in paruulis iuſtificatis, ergo eſt habitus. Idẽ docet Valentia. Tom. 2. diſp. 4. q. 3. puncto. 4.

Concil. Trident.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum in tractatione virtutum Theologicarum incipiendum ſit à fide.

HÆc quæſtio præſupponit fidem priorem eſſe cæteris virtutibus, Poteſt autẽ aliquid dici prius alio dupliciter, ſcilicet dignitate, atque origine, Quapropter ſentiendum eſt fidem quibuſdam modis non eſſe priorem reliquis virtutibus, & aliquo modo eſſe priorem illis: Nam non eſt prior prioritate dignitatis; ſic enim prior eſt charitas iuxta illud. 1. ad Corint. 13. Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc, maior autem bonum eſt charitas, quod autem Apoſtolus loquatur de maioritate excellentiæ patet ex eo, quod dixerat in fine capitis duodecimi. Excellentiorem viam vobis demonſtro ſuper eminentem ſcientiæ charitatem Chriſti; & ad Coloſſenſes. 3. ſuper omnia autem charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis. Nec eſt prioritate temporis, ſic vt neceſſario fides, quo ad habitum, vel actum debeat precedere reliquas virtutes, experimur autem contrarium ſæpe accidere. Nec prioritate ordinis conſiſtens in hoc, vt neceſſario quis debeat ex actu fidei moueri ad reliquos

Fides quo modo ſit prior reliquis virtutibus.

actus virtutum vt cunque exercendos, vel ſimul, vel poſterius tempore; Non enim apparet huius ordinis neceſſitas, & experientia eſt contraria, maxime quod attinet ad virtutes morales.

Verum excepta charitate fides eſt digniſſima, ac per conſequens prima dignitate inter alias virtutes, quod ſit prior omnibus virtutibus moralibus infuſis ex eo patet: quia virtus Theologica verſatur circa finem, morales vero circa media, quod vero ſit dignior ſpe inde apparet, quia tam fides, quàm ſpes formantur à charitate, & poſſunt eſſe informes ſine illa, ſed inſuper fides reſpectu ſpei habet rationem fundamenti, eſt enim fides ſperandarum ſubſtantia rerum, ergo fides reſpectu ſpei ſe habet quaſi forma, & præſtans illi certitudinem, quæ per ſe primo fidei competit.

Eſt inſuper fides prior cæteris virtutibus ordine quodam originis, ſcu via generationis per ſe loquendo, Tum quia nihil eſt volitum niſi præcognitum, fides autem cũ oſtendat finem vltimum ſupernaturalem ad quem virtutes reliquæ diſponunt, talis eſt habitudo fidei ad alias virtutes; vt qui ex actu fidei oſtendentis finem ſupernaturalem, moueretur ad reliquarum virtutum actus ſimul tempore, vel poſterius exercendos, hic apertiſſime virtutibus omnibus vteretur, attenta natura virtutum, quatenus diſponunt ad optimum ſimpliciter. Tum quia Apoſtolus. 1. ad Corint. 13. fidem primo loco numerat tanquam originẽ reliquarum virtutum. Nũc autem, inquit, manẽt fides, ſpes, charitas, & ad Hebræos. 11. ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim opörtet accedentem ad Deum quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator eſt.

D. Ambr. Et D. Ambroſ. libro. 2. de Cayn, & Abel. c. 9. quid miraris, inquit, ſi pietatem non agnouit (Cayn) qui non agnouit Authorem, & ideo doceris hac ſerie ſcripturarũ. Fidem eſſe radicem virtutum omnium. Vnde & Apoſtolus ait. Quia fundamentum noſtrum Chriſti eſt. 1. ad Corint. 3.

Cyrillus. Item Cyrillus lib. 11. in Ioan. c. 16. in illa verba, hæc eſt vita æterna &c. Radicem, inquit, atque originem æternæ vitæ fidem, & vere pietatis virtutẽ eſſe affirmat. &c.

D. Aug. Item D. Auguſtinus in prologo ſuper pſal. 31. laudo inquit fructum boni operis ſed in fide cognoſco radicem. & lib. de Agone chriſtiano. cap. 13. fides, inquit eſt prima, quę ſubiugat animam Deo, deinde præcepta viuendi &c. Sanctus Proſper lib. 1. de vocatione gentium. c. 8. fides inquit bonæ voluntatis, & iuſtæ actionis eſt genetrix. & ſimilia ſcribunt alij Patres.

Concil. Trident. Demum Concilium Trid. ſeſ. 6. c. 8. docet fidem eſſe humanæ ſalutis initium Principium, & radix totius iuſtificationis.

Solutio quæſtionis. Hoc ſuppoſito explicato reſpondetur, qđ Theologi in tractatu de virtutibus à fide incipere debent quia virtutes Theologales per ſe primo pertinent ad Theologum; ſicut enim primo & per ſe Theologus agit de Deo, ita virtutes, quæ per ſe primo habent Deum pro obiecto pertinent primo ad Theologum, inter quas fides eſt prima, vt explicatum eſt ſupra. Virtutes vero morales non per ſe primo ad Theologum pertinent, ſed quatenus per charitatẽ poſſunt ordinari in finem ſupernaturalem, atque ita poſt tractatum de virtutibus Theologicis agunt Theologi de virtutibus moralibus.

Contra in omni proceſſu alicuius ſcientiæ à notioribus, & prioribus incipiendum eſt; ſed virtus moralis eſt notior, & prior Theologica, ergo ab illa eſt incipiendum. Maior eſt Phyloſophi. 1. phy. t. 3. & minor probatur, & primo quod non ſit notior quia virtus moralis eſt à nobis cauſata, & acquiſita, ergo eſt notior, quod autem non ſit prior probatur, tum quia

Gloſſa. Gloſſa Lucæ 12. in illud. Dico vobis amicis meis inquit quod fortitudo eſt fidei fundamentum, ſed fundamentum eſt prius eo, cuius eſt fundamentum, ergo fides non eſt prima virtus; Tum quia Gloſſa in pſal. 36. ſuper illud. ſpem in domino &c. inquit Noli emulari, quod ſpes introducit ad fidem, ergo fides non eſt prima virtutum. Præterea intellectus credentis inclinatur ad aſſentiendum his, quæ ſunt fidei ex obedientia ad Deum, ſed obedientia eſt etiam quædam virtus ergo fides non eſt prima virtus.

Item ſimpliciter loquendo fides non eſt virtus, niſi preſuppoſita charitate, ergo nõ eſt prima virtutum. patet ſequela; quia eſſe virtutẽ per ſe primo cõpetit Charitati.

Præterea fides non eſt prior tempore, vel dignitate, quã charitas; ergo non eſt per ſe prima virtutum. Antecedẽs probatur: Nam per ſe loquendo ſimul infunduntur virtutes Theologicæ, & charitas maxima eſt dignitate. Et cõfirmatur: nam ſi per ſe loquendo fides eſt prima omnium virtutum, deberet eſſe cauſa illarum; ſed hoc eſt falſum; nam charitas non eſt effectus fidei, & quaſi fructus illius, vt lutherani falſo credunt ergo &c.

Deinde humilitas primum locum tenet inter virtutes, eo quod diſponit ad credendum, vt D. Thomas docet. 2. 2. q. 161. art. 5. ad ſecundum ergo in genere cauſæ materialis, prima virtutum eſt humilitas, Confirmatur. *D. Thom.* Quia ſi fides in aliquo genere cauſæ eſt prior, maxime in genere cauſæ materialis: fides enim ſe habet vt corpus reſpectu charitatis, quę ſe habet vt forma, ſed in genere cauſæ materialis prius eſt humilitas, iuxta illud Matth. 11. Pauperes euangelizantur, ideſt humiles recipiunt euangelium, ergo &c.

Reſpondetur, & ad primum Dico, quod maior debet intelligi intra limitem eorum, quæ per ſe pertinent ad illam ſcientiam, & per ſe continentur ſub obiecto formali obiecti ſcientiæ, virtutes autem morales non per ſe ad Theologum pertinẽt, atque ita non ab illis eſt exordiẽdũ.

Aliquid poteſt eſſe prius altero dupliciter. Ad ſecundum dico, quod aliquid poteſt eſſe prius altero dupliciter vno modo per ſe, alio modo per accidens, atque adeo licet fides per ſe prior ſit alijs virtutibus, per accidens tamen quandoq; ſunt virtutes aliæ priores; nam interdum poteſt contingere, vt per aliquam aliam virtutem oporteat prius, remouere id quod eſt homini impedimento, quo minus credat, vt timorem per fortitudinem, & per humilitatem ſuperbiam non cedentem difficultati credendi, tunc enim origine eſſent priores iſtæ virtutes, ſi quidem commode tunc aliquis per fortitudines, aut humilitatis actus moueretur prius ad beatitudinem; Quamquam tunc quidem (vt docet S. Thomas. 2. 2. q. 4. art. 7. ex D. Auguſt. lib. 4. contra Iulianum. c. 3.) virtutes tales, quæ *D. Thom. D. Aug.* præcederent fidem non haberent abſolutam, & completam perfectionem virtutis, ſic, vt ſufficienter valerẽt. (ideſt meritorie) ad vitam æternam conſequendam; diſponerẽt tamen ad huc vtcumq; ad illam, quatenus natura ſua ſũt conformes rationi, atque adeo fides ſimpliciter prior eſt alijs virtutibus, quatenus neceſſe eſt aliquem actum fidei circa Deum tẽpore, vel natura pręcedere, vt reliquarum virtutum actus diſponant ad vltimum finem per meritũ.

Ad tertium dico, quod ſpes non poteſt vniuerſaliter introducere ad fidem: Non enim poteſt ſpes haberi de æterna beatitudine, niſi credatur poſſibilis: quia impoſſibile non cadit ſub ſpe; ſed ex ſpe aliquis introduci poteſt ad hoc, quod perſeueret in fide, vel quod fidei firmiter adhæreat, & ſecundum hoc dicitur ſpes introducere ad fidem.

Ad quartum dico, quod obedientia bifariam dicitur: quandoq; enim importat inclinationem voluntatis ad implendum diuina mandata; atque ita non eſt ſpecialis virtus, ſed generaliter includitur in omni virtute: quia omnes actus virtutum cadunt ſub præceptis legis diuinæ & hoc modo ad fidem requiritur obedientia. Alio modo poteſt accipi obedientia, ſecundum quod importat inclinationem quantum ad implendum mandata ſecundum quod habent rationem obiecti debiti, & ſic obedientia eſt ſpecialis virtus, & pars iuſtitiæ; Reddit enim ſuperiori debitum obediendo ſibi; & hoc modo obedientia ſequitur fidem, per quam manifeſtatur homini, quod Deus ſit ſuperior, cui debeat obedire.

Ad quintum dico, quod in ratione virtutis ſimpliciter dictæ fides non eſt prima virtutum, & hoc probat argumentum efficaciter, ſed tamen in ratione virtutis ſecundum latam, & amplam ſignificationem fides eſt prima virtutum: quia eſt prima virtus intellectualis reſpectu ſuper naturalis finis.

Ad ſextum dico, quod fides interdum poteſt eſſe prior tempore, quam charitas, dignitate vero nõ ſimpliciter ſed ſecundum quid eſt prima. Ad confirmationem dico, quod fides cauſa eſt omnium virtutum non tamen efficiens, ſed eſt cauſa quodammodo materialis: quia eſt veluti corpus reſpectu ſpiritus, ita fides reſpectu charitatis ad conſtituendum bonum Chriſtianum.

Ad vi-

Ad vltimum dico, qđ humilitas diſponit remouendo prohibens, & ſic eſt prima inter alias virtutes, quæ diſponunt ad credendum, remouẽdo prohibens. Cęterũ ſine lumine fidei non eſt vera virtus humilitas. Fides.n.eſt, quæ docet nos nõ ex nobis diuinam excellentiam poſſe acquirere, ſed ex gratia Dei per Ieſum Chriſtum. Ad Confirmationem iam diximus in quo genere cauſæ poteſt dici fides prima inter omnes virtutes.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum definitio Fidei tradita à D. Paulo ſit competens, ita vt explicet naturam fidei.

Valla. Eraſmus.

LAurentius Valla, & Eraſmus in annotationibus Pauli dicunt qđ illis verbis quibus Apoſtolus deſcribit fidei definitionem dicens ad Hebreos. 11. Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum argumentum non apparentium, non traditur definitio fidei, ſed tantum encomium, & fidei laus quod probatur primo: quia hæc verba conueniunt ſpei, quæ eſt ſubſtantia ſperandarum rerum; ideſt expectatio ſperandorum reddens nos certos de rebus non viſis.

Secundo quia hæc definitio traditur per aliquid poſterius. ſ. per id, per quod ſperamus. tertio quia etiam fides eſt cognitio mediorum, quibus ad vitam æternã perducimur, ergo nõ ſolum eſt eorum quæ ſperamus. Eandem ſententiam tenet Gloſſa Bernardi. De ſumma Trinit. & fide Chat. c. firmiter, dicens qđ hæc non eſt vera definitio, ſed quædam notificatio fidei, ab Apoſtolo dicta. *Gloſſa.*

Inſuper inquit Eraſmus quod ſi illis verbis traditur aliqua definitio, non eſt fidei, ſed fiduciæ, quod ſic probat; quia fidei non poteſt ſubeſſe falſum, ſed fidei à Paulo definitę ſubſuit falſum; ergo ibi Paulus nõ definiuit fidem: probatur minor, quia Abraham, per fidem dicitur immolaſſe filium, quia putabat à mortuis reſurrectionem eſſe, vt in ipſo multiplicaretur ſemen iuxta promiſſionem ſibi a Deo factam: hoc autem falſum erat, ergo non diffinitur ibi fides, ſed fiducia cui bene poteſt ſubeſſe falſum.

Adeoq; duo Eraſmus deridendus deridens ſcholaſticos dicit. Primum eſt qđ D. Paulus non definit ibi fidem, ſed celebrat encomium illius, veluti ſi quis eruditionem laudans dicat ſapientiam eſſe in rebus aduerſis ſolatium, & in proſperis ornamentum. Alterum eſt quod eo loci fides non capitur pro virtute, qua credimus res ſupernaturales, ſed pro fiducia, qua certo ſperamus nos viſuros veritatem, quam credimus.

Ceterum hæc ſententia falſiſſima eſt: & primum Eraſmi dictũ temerarium videtur; nimis enim temere, & audacter dicit ibi fidem non definiri ab Apoſtolo, ſed laudari tantũ. Primo quia non modo Theologi omnes, vt Ale. de Ales. 3. p. q. 64. m. 5. art. 2. Albertus Magnus lib. 3. d. 23. art. 18. d. Thomas 2. 2. q. 4. art. 1. D. Bonauẽtura. Ricardus, & alij in 3. Sed etiam ſancti Patres eam ſententiam Apoſtoli acceperũt tamquam fidei definitionem, vt ſanctus Baſilius Concione in Pſal. 115. Sanctus Gregorius Niſſenus in lib. de vita Moyſi ante Medium. D. Chriſoſtomus hom. 21. in epiſtolam ad Hebreos, & alij expoſitores ibidem. D. Auguſtinus tract. 79. ſuper Ioan. D. Hierony. ſuper epiſtola ad Galatas c. 5. Theophylactus ibidem. Damas. libr. 4. fidei orthodoxę. c. 12. & D. Bernardus epiſtola. 190. quę eſt ad Innocentium: ſed audiamus D. Auguſtinum libr. 2. de peccatorum meritis & remiſſ. c. 21. fides inquit ita definita eſt, fides & ſperandarum ſubſtantia, & conuictio rerum, quæ non videntur. Et D. Hieronym. loco citato in illa verba. Fructus autem ſpiritus &c. Nec mirum (inquit) ſi ſpes in hoc catalogo, non referatur, cum in fide ſit quod ſperatur, & ita eam Apoſtolus ad Hebreos definiat. Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentũ nec dum apparentium. Et ſanctus Bernardus perinde ac ſi temeritatem Eraſmi redargueret. Ego inquit ſecurus in Magiſtri gentium ſententiam pergo, & ſcio quoniam non cõfundar. Placet mihi fateor illius de fide definitio, fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarũ, argumentũ non apparentiũ.

Alex. de Ales. Albertus. D. Thom. D. Bonau. Ricardus. Baſilius. Greg. Niſſenus. D. Chriſoſt. D. Auguſtinus. D. Hieron. Theophyl. Damaſc. Bernardus.

Alterum vero dictum Eraſmi. ſ. Apoſtolus illis non loqui de fide Theologica, ſed de fiducia, ſeu ſpe; plane erroneum eſt. Cum quia non ſolũ patres communiter, ſed etiã Concilia vniuerſalia ad comprobandam neceſſitatẽ fidei afferunt ex eo loco Apoſtoli teſtimonia, tanquam vere is loquatur de fide virtute Theologica, quæ neceſſaria eſt. Videatur Concil. Arauſicanũ ſecundũ c. 25. & Tridentinum ſeſſ. 6. c. 6. & 8. in decreto de Iuſtificatione. Tum quia de ea fide Apoſtolus ibi tractat, qua ſuperiori capit. 10. ex Abacuc affirmauerat iuſtum viuere, hanc autem conſtat eſſe fidem, quæ eſt virtus Theologica non in voluntate, ſed in intellectu exiſtens, vt multis teſtimonijs ſcripturæ, & patrum probabimus ar. 11. huius quæſt. Tum quia maniſeſte Apoſtolus ibi fidem diſtinguit à fiducia, ſiue ſpe, cum eam vocet argumentum, ſeu conuictionem: quia facit aſſenſum firmum, id quod non conuenit ſpei. Quo circa Magiſter ſent. hac diſt. capit. vltimo licet primo dixiſſet poſſe etiam ſpei hanc definitionem accommodari, tamen merito poſtea addit recte dici conuenire ſoli fidei.

Concil. Arauſ. 2. Concil. Trident. Mag. ſent.

Dicendum eſt ergo in illis verbis D. Pauli ſupra citatis ad Hebreos. 11. cõtineri propriã fidei definitionem, quod vt exactius appareat, oportet ſingulas particulas definitionis explicare, ſic autem explicantur à Gloſſa, de ſumma Trinit. & fide Catholica. c. firmiter. Dicitur ſubſtantia ſperandarum rerum: quia ſperare debemus, quia dictum eſt à Prophetis eſſe futurum. Argumentum non apparentiũ dicitur: quia per prophetias iam completas debemus habere argumentum, ideſt probationem non apparentem de futuris complendis. ſ. de die iudicij, & de fine mund. verũ hæc explicatio parũ Magiſtralis, ac Theologica eſt. Ideo alij ita eam explicant. fides dicitur ſubſtantia, quia hoc nomẽ ſubſtantia, vt hic accipitur ſignificat primum cuiusq; rei fundamentum, & ſubſtentaculum, quod fulcit, & ſuſtentat cetera; & quia ſubſtat ceteris dicitur ſubſtantia, ideſt ſubſtentatio. Sicut ergo in domo fundamentum eſt quædam inchoatio in cuius virtute tota domus continetur; ita fides eſt fundamentum, & ſuſtentaculum omniũ, quæ ſperamus in alia vita, habemusq; in fide quandam vitæ æternæ inchoationem, in cuius virtute continentur omnes res, quæ ſperantur, atq; ita qui credit, certo, & firmiter aſſentit per fidem euentura ſibi ea, quæ ſunt in alia vita. Vnde Paulus 1. ad Corint. 3. ait fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. i. fides Ieſu Chriſti. Dicitur etiam ſubſtantia quia facit res quas ſperamus ſubſiſtere. q. d. tam certi ſumus per fidem de rebus, quas ſperamus, ac ſi illæ in rerum natura ſubſiſterent.

Reſolutio quæſtionis, & explicatio definitionis fidei. Gloſſa.

Secunda particula eſt. Sperandarum rerum, in qua intelligitur beatitudo, quæ eſt præmium iuſtorum, & pœna inferni, quæ eſt ſtipendium impiorum pro ſuis peccatis, & quamuis verum ſit, quod per fidem non ſolum credimus futura, ſed etiam præſentia, & præterita, definitur tamen fides per futuram beatitudinem; quia inſtrumentum apte definitur per ſuum finem; Fides vero eſt inſtrumentum conſequendæ beatitudinis, & reliqua omnia creduntur veluti media futuræ beatitudinis, poniturque in numero plurali ſperandarum rerum: quia incarnationem quam credimus præteritam ſperamus viſuros in beatitudine, & multa alia; quæ quia numero plura ſunt, & ſperamus ea videre, ideo in numero plurali ponũtur, & quia oppoſitorum eadem eſt diſciplina, ideo in hac particula intelligimus, quod per fidem credimus finem malorum, qui eſt mors æterna, in quam credimus peccatores peruenturos eſſe.

Tertia particula, eſt argumentum, & ſignificat conuictionem: quia intellectus conuincitur authoritate diuina, ſeu eius dictis ab ea reuelatis ita certus aſſentit, ac ſi oculo corporis videret ea quæ credit; Fides enim duo habet, primum facere nos certos de rebus ineuidentibus; ſecundum firmare, & fundare ſpem: propter hoc ſecundum ponitur in definitione ſubſtantia ſperandarum rerum, & propter primum ponitur argumẽtum non apparentium; argumentum autem non quod ſolum ſuadeat, ſed quod conuincat, & cogat intellectum ad aſſenſum. 4. particula eſt non apparentium: quia res fidei modo non videntur, ſed latent.

Cęte-

Digitized by Google

Cæterum quod hæc definitio explicet totam eſſentiā, D. Bonauē tura. & quidditatem fidei ſapienter, & docte oſtendit D. Bonauentura hac. d. art. 1. q. 5. Tunc enim definitio eſt recte aſſignata (inquit ille) quando nihil continet ſuperfluum, nihil etiam diminutum, & hoc eſt, quando per ipſam notificationem ipſius definiti eſſentia plane indicatur, & aperte manifeſtatur, & ab omnibus alijs ſeparatur, hoc autem eſt reperire in propoſito ſi quis attendat. Nam ipſa fides ſecūdum eſſentiam ſuam aliquid reſpicit ex parte intellectus, & aliquid ex parte affectus. Habet enim affectum ſtabilire, & intellectum illuminare. Et inquantum affectum ſtabilitat, dicitur ſubſtantia ſiue fundamentum; in quantum vero intellectum illuminat, dicitur argumentum. Vt ergo plene fidei eſſentia explicaretur, oportuit eam definiri, ſeu notificari, vt diceretur ſubſtantia ſimul, & argumentum; debet enim definitio totam eſſentiam definiti in ſe claudere; debet etiam nihilominus aperte notificare. Quoniam ergo habitus virtutis dupliciter notificari habet, videlicet per finem vltimum, & per ſuum obiectum; finis autem ipſius fidei conſiſtit in æterna beatitudine, quam ſperamus, & ita in rebus ſperandis: obiectum autem conſiſtit in veritate non viſa, & ideo in rebus non apparentibus; Ideo oportunum fuit fidem definiri per res ſperandas, & non apparentes, vt ſic notificatio fidei non ſolum eſſentiam definiti explicaret plene per intellectum, & affectum; ſed etiam manifeſtaret aperte per finem, & obiectum. Debet etiam definitio definitum ab omnibus alijs ſeparare, & quoniam fides formata diſtingui habet à fide informi, & ab habitu cuiuſcunque alterius virtutis, à fide informi diſtinguitur inquantum ſuſtentat totam fabricam ſpiritualem; ab alijs autem virtutibus inquantum veritati non viſæ facit adhærere. Ideo quantum ad hæc duo dicitur ſubſtantia rerum ſperandarum, vt diſtinguatur à fide informi; Et argumentum non apparentium, vt diſtinguatur ab habitibus aliarum virtutum. Hactenus
D. Tho. D. Bonauentura, vide D. Thom. 2. 2. q. 4. art. 1. & Ricar.
Ricardus. hac. d. art. 4. q. 1.

Ex his probatur concluſio. Hęc definitio deſcribit nobis officium, & proprietatem fidei, ergo eſt optime aſſignata; conſequentia patet, & antecedens probatur: quia fides inter alia hæc duo habet officia, primum, vt ſit fundamentum, & ſuſtentatio eorum, quæ ſperamus, tam certos, & firmos nos reddens per aſſenſum earum rerum, ac ſi iam eſſent, & poſſiderentur à nobis. Secundum eſt quod fides per authoritatem Dei reuelantis oſtendit, & manifeſtat nobis res non apparentes, ac ſi cernerentur à nobis. ergo. Item habitus definitur per proprium actum in ordine ad obiectum proprium; ſed in hac definitione definitur fides per proprium actum in ordine ad proprium obiectum, ergo &c. probatur minor; actus fidei eſt credere; & hic actus habet ordinem, & ad obiectum voluntatis, quod eſt bonum, & ad obiectum intellectus, quod eſt verum; quia enim actus fidei eſt actus intellectus moti à voluntate, declaratur habitudo actus fidei ad obiectum voluntatis, quando dicitur fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum; Declaratur etiam actus fidei habitudo ad obiectum intellectus, quando dicitur, argumentum non apparentium, Idem enim valet argumentum, quod conuictio; Quemadmodum enim vi argumenti intellectus includitur ad inhærendum alicui vero; ſic per authoritatem diuinam intellectus credentis continetur, & inducitur ad aſſentiē dum his, quæ non videntur. Denique illa eſt optima definitio per quam definitum ſecernitur ab omnibus alijs, ſed per hanc definitionem fides ſecernitur ab omnibus habitibus ad intellectum pertinentibus. ergo &c. patet minor: quia per hanc particulam argumētum ſecernitur ab opinione, & ſuſpicione, quæ non important firmam adhæſionem intellectus reſpectu alicuius obiecti; Et per illam particulam non apparentium, ſeiungitur fides à ſcientia, & intellectu, qui & habent firmam adhæſionem, & ſimul euidentiam; & per illam particulam ſperandarum rerum ſeparatur fides infuſa, & diuina ab humana, quę non ordinatur ad beatitudinem ſperatam.

Contra concluſionem arguitur, & primo ſic per fidem aliqua vedimus, quæ non ſperamus, vt infernum verbi gratia Chriſtum eſſe natum, & ſimilia, ergo definitio minus late patet, quam fides. & confirmatur: quia aſſenſus huius propoſitionis. Chriſtus eſt natus, eſt actus fidei, & tamen non eſt ſubſtantia rei ſperandæ. Item in infidelibus, qui deſperant de ſalute, eſt vera fides; & tamen non eſt in eis ſubſtantia ſperandarum rerum, ergo fides non includit intrinſece, quod ſit ſubſtantia ſperandarum rerū. Præterea in hac definitione, quædam commemorantur accidentalia, quæ non ſunt de eſſentia fidei, ergo non eſt bona definitio, ſententia patet: quia definitio debet dari per eſſentialia, antecedens probatur, qui illa particula. nimirum eſſe fundamentum ſalutis, accidit fidei.

Reſpondetur. & ad primum dico, fidem definitam eſſe ab Apoſtolo per aſſenſum ipſius præcipuum, & primariū, qui eſt de obiecto beatifico, vt patet ex ſuperioribus, itaque per hunc aſſenſum voluit etiam reliquos ſecundarios ſubintelligi, etiam ſi non ſint de rebus ſperatis; vel dicas verum eſſe quod fides non eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, tamquam obiecti; ſed tamquam finis, atque adeo quamuis credulitas ſuppliciorum ſit rerum timendarum per modum obiecti; eſt tamen rerum ſperandarum per modum finis ideo enim quis credit æterna ſuplicia, vt aſſequatur bona ſperanda. Vel dicas tertio quod ipſum ſuplicium, quod fide credimus ſperamus effugere, atque ita quodammodo fides eſt rei ſperandæ. Vel dicas quarto q cum oppoſitorum eadem ſit diſciplina; cum dicitur fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, intelligitur conſequenter eſſe rerum timendarum. Ad confirmationem concedo maiorem, ſed diſtinguo minorem. Si enim Chriſtus natus eſt, conſideratur ſecundum id, quod temporaliter geſtum eſt, concedo, quod non ſperatur, ſed nihil valet conſequentia: quia ſi conſideretur, illa veritas quantum ad id, quod diuinum eſt ſcilicet quod filius Dei eſt, qui natus eſt de Virgine, adhuc eſt obiectum, quod ſperamus videre.

Ad ſecundum dico. Apoſtolum non dixiſſe fidem eſſe rerum, quas ſperet is, qui credit, ſed ſperandarum ſiue ſperatarum (vt legitur in textu græco) ideſt, quas fideles ſperant, & omnes ſperare debent, adeoque ipſa fides, quantum eſt ex parte ſua ſpem generat, & de rebus ſperandis eſt: tamen per accidens contingit, quod aliquis ex malitia ſua retinens fidem, amittat ſpem.

Ad tertium reſpondeo, ab Apoſtolo non penitus ſeruari formam definiendi purè quidditatiue, ſed ſatis eſt, quod definitio illa etiam eſſentialia fidei attigerit. ex quibus virtus hæc poteſt artificioſe definiri, vt ſi dicamus, eſſe illum habitum certum, & ineuidentem, quo veritatibus ſupernaturalibus aſſentiamur ob diuinam reuelationem, vel vt inquit Ricardus. Fides eſt habitus bonus totius edificij ſpiritualis exiſtens fundamentum, ad res ſperandas ordinatus, manifeſtatiuus veritatis tranſcendentis facultatem noſtræ naturalis cognitionis. Quapropter Alex. Alen. 3. p. q. 68. m. 5. art. 2. & Albertus Magnus hac. d. art. 18. cenſent, hanc definitionem non eſſe quidditatiuam, ſed accidentalem, & per effectum. Sed parum hoc refert, cum vtroque modo hæc definitio poſſit exponi ſicut etiam fecit Hugo Victorinus de Sacramentis. parte. 10. c. 1.

Ad rationes pro ſententia Eraſmi reſpondetur, & ad primā dico, quod hæc definitio non conuenit ſpei: quia ſpes non eſt argumentum non apparentium, neq; eſt ſubſtātia ſperandorum ideſt primum fundamentum, & inchoatio totius ſpiritualis edificij: hoc enim muniis fidei cōuenit.

Ad ſecundam dico, quod rectè fides definitur per ſperanda, tamquam per obiectum eius primarium; vnde non definitur per poſterius: quia ſua ratione intrinſeca habet ordinem ad illud obiectum.

Ad tertiam dico; quod illis verbis rerum ſperādarum, continentur implicite tamquam in fine media quibus in hac vita meretur vitam æternam; & ſimiliter continentur in illis verbis, non apparentium: Nam quicquid de ſupernaturalibus nobis in hac vita donatur, vt medium cognoſcamus per fidem, vt non apparens in ſe; oſtenſum tamen in authoritate Dei dicentis, & reuelantis. Ad illam rationem quam probat D. Paulum definijſſe fiduciam reſpondetur, quod fidei Abrahæ non ſubfuit falſum: quia credebat ex Iſaac eſſe multiplicandum ſemen; quo vero pacto eſſet multiplicandum, an ſcilicet immolato Iſaac & deinde excitato non nouerat Abraham per fidem, ſed ducebatur ad hoc coniecturis humanis, quibus poteſt ſubeſſe falſum.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum hæc Pauli definitio conueniat ſolum fidei formatæ an etiam fidei informi ideſt abſque Charitate.

Andreas Vega. Valentia. LVtherus in art. 12. in bullam Leonis X. & in reſolutionibus aduerſus Ecchium, & in libello de libertate Chriſtiana, diſtinctionem fidei in informem, atque formatam negat vt referunt Andreas Vega lib. 14. ſuper Concilium. c. 8. & Valent. Tom. 3. diſp. 1. q. 4. puncto. 4. Item Caluinus, iiſdem referentibus, diſtinctionem fidei communem apuſ Theologos ſcholaſticos in. 3. d. 23. in informem, & formatam, nugatoriam, putidam, & inſulsā appellat. & in. 4. ca. libri de inſtitutione, at verius deſtitutione religionis, reclamante vniuerſa ſcriptura à ſophiſtis magno malò eccleſiæ profectam aſſeuerat, & in c. 7. in Antidoto contra Concilium Tridentinum, Fidem Charitate vacuam, ſomnium, & inane hominis figmentum dicit. eorum fundamenta videas apud Vegam loco citato. c. 9. & 10. & apud Valentiam loco etiam citato. quibus in locis clariſſimè oſtenduntur præſuppoſitum huius quæſtionis eſſe certiſſimum, & tamquam de fide tenendum.

Nam orthodoxa doctrina eſt veram fidē, hoc eſt, Theologicam, quā definit Apoſtolus ad Hæbreos. 11. quæque vna cum alijs virtutibus in ſcripturis requiritur ad ſalutem, cum charitate, & ſine charitate poſſe conſtare, ac proinde quoad rem ipſam attinet optimam eſſe diſtinctionem illam Theologorum fidei informis, & formatæ; Ita enim in Concilio Trident. aduerſus hos hæreticos definitum eſt ſeſſ. 6. c. 15. & cano. 28. Quam doctrinam à Chriſto & Apoſtolis Eccleſiæ traditam, & ab ea perpetuo retentam hæc poſſunt argumenta docere.

Math. 7. Primo Chriſtus inquit, omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea ſimilis erit viro ſtultoqui edificauit domum ſuam ſuper arenam. Poteſt igitur quis audire verba Chriſti, & eis credere & tamen non eſſe in gratia; & hoc idē poſſunt illa verba Chriſti ad Apoſtolos, ſi hæc ſcitis beati eritis, ſi feceritis ea. *Ioānis 13* Nam ea ſatis innuunt fieri poſſe, vt quis ſciat mandata Chriſti, & eis fidem adhibeat, & tamen illa non faciat. Idem apertius oſtendit Chri*Luca. 15.*ſtus in parabola filij prodigi. Nam vtique fidem ille habebat, cum in ſe reuerſus dixit. Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo? Vnde enim niſi à fide tam bona verba prodiiſſent, atque *Hierony.* hæc præceſſiſſe iuſtificationē Hierony. in epiſtola ad Damaſum de filio hoc prodigo palam tradit, & manifeſta ratio oſtendit: quia hæc cognitio ad iuſtificationem non ſufficit, niſi ſequatur vera penitentia.

Secundo in Euangelio Ioannes aperte teſtatur. c. 12. multos ex principibus Iudæorum credidiſſe in Chriſtū, ſed dilexiſſe eos magis gloriam hominum, quam gloriam Dei, & propter Pharyſeos non fuiſſe confeſſos quod credebant. ex quo apparet peccato obſtrictos eſſe, atq; adeo charitate deſtitutos.

Tertio D. Paulus Idem apertius teſtificat. 1. Corint. 13. his verbis ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero nihil ſum. quibus verbis quidquid hæretici commententur. D. Paulus ex his, quæ poterant contingere præexcellentiam, & neceſſitatem charitatis colligit, atque adeo in his verbis innuit, ita poſſe fidem inueniri abſque charitate, ſicut certo ſcimus prophetiam, & cognitionem myſteriorum diuinorum, & eleemoſinas, & tollerantiam mortis non raro in*Cyprianus* ueniri abſque charitate. atque ita Cyprianus de Simplici*Auguſt.*tate prælatorum. Auguſt. tract. 9. in Ioan. & ſer. 9. de ver*Hierony.*bis Domini. & multis alijs in locis. Hierony. lib. 2. Con*Baſilius.*tra Iouinianū. Baſilius in proemio libri de moribus. Greg. *Gregorius* hom. 38. in Euang. Anſelmus in Commentarijs in hunc lo*Anſelmus.*cum, & Bernardus ſer. 24. in Cant. hunc locum intellexerunt, & ex eo collegerunt poſſe fidem eſſe abſque cha*Bernardus.*ritate.

Item Matthei. 7. legitur. Domine domine nonne in nomine tuo prophetauimus? & in nomine tuo demonia eiecimus? Et in nomine tuo virtutes multas fecimus? certe hæc tanta, & tam eximia opera ſine fide fieri nōn potuerunt, & tamen eſt reſponſum Chriſti ad eos. Nunquam noui vos, quibus verbis palam indicat non habuiſſe eos charitatem cum illa faciebant. Et vnde niſi à fide proficiſcebatur illa vox in Virginibus fatuis: Domine domine aperi nobis? At vero non habuiſſe eas tunc charitatem perſpicuum eſt ex eo, quod clauſa eis fuit ianua, & ſponſus eis reſpondit neſcio vos. Vnde & Chriſoſto*Chriſoſt.*mus hom. 54. in Matth. ex hac parabola colligit, non perdi fidem per peccatum, & in hoc errasse Virgines iſtas, quod fidem ſolam putarunt ad ſalutem neceſſarium atque ſufficere.

Demum apertiſſime Iacobus teſtatur fidem eſſe in peccatoribus, Quid proderit (inquit. c. 2.) fratres mei ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem nō habeat? Numquid poterit fides ſaluare eum; Quibus verbis apparet, affirmare fidem quandoque eſſe ſine operibus, ſed ſine illis non poſſe quemquam ſaluare. & ſtatim peccatorem interrogat. Tu credis quoniam vnus eſt Deus? & quaſi annuenti ſe credere, mox ait. Bene facis. ſed ne tali fide putaret quiſpiam ſe ſaluum fore, adiecit ſtatim; eam fidem etiam eſſe in dæmonibus, & ocioſam, ac plane mortuam eſſe; ſicut corpus ſpiritu deſtitutum. Ex quo poſſumus formare huiuſmodi argumentum quale eſt corpus ſine ſpiritu, talis eſt fides ſine operibus, ſed corpus ſine ſpiritu eiuſmodi eſt, vt mortuum ſit quidem, hoc eſt non viuum ſed verū corpus tamen; ergo ſimiliter fides ſine charitate mortua eſt quidem, id eſt nihil valeat ad vitam æternam, ſed tamen vera fides. atque adeo ſi fides peccatorum ocioſa, & mortua eſt, teſte Iacobo, erit igitur fides iuſtorum operans, & viua; & per conſequens diuiditur fides in mortuam, & viuam; Cumque viua fides coniunctam habeat ſecum charitatem, quam Am*Ambroſ.*broſ. dicit eſſe formam virtutum, & Auguſt. pulchritu*Auguſt.*dinem animæ. Quod malum attulerunt eccleſiæ ſcholaſtici, qui illos ſecuti ad diſcernendas inter ſe fides commodiſſime diuiſere in informem, & formatam? certe hæc diuiſio in re prorſus eadem eſt cum diuiſione fidei in mortuam, & viuam, quæ Chriſtum, & Euangeliſtas, ac Paulum, eo peculiariter Iacobum authores habet.

Qua propter hac diſtinctione fidei, vt de fide certa ſuppoſita. Quæritur an definitio D. Pauli ſolum fidei formatæ, & viuæ, an etiam fidei informi, & mortuæ, hoc eſt abſque charitate, conueniat. D. Thomas. 2. 2. q. 4. art. 7. *D. Tho.* ad quartum videtur tenere partem affirmatiuam: ait enim fidem informem non eſſe fundamentum, & per conſequens nec ſubſtantiam rerum ſperandarum. Idem ſentire videtur D. Bonauentura hac. d. art. 1. q. 5. vbi in*D. Bonauētura.*quit quod fides, quæ definitur. D. Paulo, diſtinguitur à fide informi; quatenus fides definita, ſuſtentat totam fabricam ſpiritualem, quibus verbis videtur innuere fidē informem non eſſe fundamentum; ex quo poteſt ſic colligi argumentum. Fides, quæ definitur à D. Paulo eſt fundamentum, ſeu ſubſtantia ſperandarum rerum, ſed fides informis non eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, ergo &c. probatur minor. fundamentum non ſolum ex ſua ratione habet, quod ſit primum, & ſubſtet cæteris, ſed quod ſit actu cæteris edificij partibus connexum, ſed fides informis non eſt actu charitati coniuncta, ergo non eſt fundamentum. Non enim eſſet fundamentum niſi ei aliæ partes edificij cohærerent; connexio autem ſpiritualis edificij eſt per charitatem iuxta illud Coloſſ. 3. Super omnia charitatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis. & ideo fides ſine charitate fundamentum eſſe non poteſt Et confirmatur: quia Paulus in dicta definitione loquitur de fide, ex qua iuſtus viuit, vt patet ex antecedentibus, Iuſtus autem ex ſola fide formata viuit, ergo hæc tantum illic definitur.

Dicendum eſt tamen, quod definitio fidei tradita à D. Paulo conuenit fidei pro vt abſtrahit à fide formata, & informi. Probatur primo ex multis Sanctis exponentibus illud Pſalm. 136. Exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea; vbi dicunt, quod fundamentum ſumitur ibi pro fide peccatorum, ergo ſecundum eos fides informis eſt fundamentum, & ſubſtantia, ſicut enim fundamētum manet deſtructo edificio, vt ſuper ipſum poſſit iterum reedificari; ita deſtructa charitate per peccatum morta-

Digitized by Google

mortale manet fides tamquam fundamentum, vt mediante ea peccator poſſit iterum charitatem adipiſci.

Præterea fides informis,& formata ſunt idem numero habitus,vt videbimus in ſeqlenti art. ergo habẽt eandem eſſentiam,& definitionem, & per conſequens vtriq; conuenit definitio Pauli.

Item omnes particulæ definitionis, conueniunt etiam fidei informi;ergo & definitio tota, probatur antecedens. Prima particula eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, hæc particula ſignificat fundamentum, & inchoationem vitæ æternæ,ſed fides abſq; charitate, eſt inchoatio vitæ æternæ & fundamentum ſpiritualis edificij, ergo fidei informi conuenit definitio Pauli.

Concilium Trident.

Minor patet ex Concilio Trident.ſeſſ.6.c.8.vbi illa verba Apoſtoli.Credimus iuſtificari hominem per fidem,ſic intelliguntur,quia fides eſt noſtræ iuſtificationis, & ſalutis initium; ſed fides informis eſt huiuſmodi ergo &c.minor patet: quia fides cum charitate,non eſt noſtræ iuſtificationis initium,ſed ipſa hominis iuſtificatio conſummata,ergo fides informis eſt fundamentum, & initium noſtræ iuſtificationis & per conſequens eſt ſubſtantia ſperandarum rerum. Illa etiam particula argumentum non apparentium conuenit fidei informi:quia ipſa efficit, vt firmiter aſſentiamur obiectis non apparentibus,vt videre eſt in his, qui ſunt in peccato mortali,& extra charitatem; qui fide informi firmiſſime credunt, ergo &c.

Ad D.Thomam reſpondetur,quod non negat abſolute fidem informem eſſe fundamentum, ſed quod adeſt fundamentum, ſuper quod fit aliquod edificiũ. Agit nãque eo loci D.Thomas de fundamento perfecto,quod videlicet hẽt connexionẽ cũ alijs etiam edificij partibus; In definitione autẽ Apoſtoli fides fundamentum eſſe intelligitur imperfectum,prout eſt inchoatio quædam, & initium ſaluus. Vnde ad Argumentum reſpondetur, non eſſe neceſſe quod fundamentum actu coniugatur cæteris partibus edificij, ſed ſatis eſt,quod poſſit coniungi:quando enim iaciuntur fundamenta edificij materialis, re vera ſunt fundamenta,& tamen non eſt actu edificium, & etiam edificio deſtructo interdum, manet integrum fundamentum, ergo ſimiliter continget in edificio ſpirituali amiſſa enim Charitate per peccatum mortale, manet vera fides, quæ poteſt fundare edificium ſpirituale, & per conſequens abſq; charitate eſt fundamentum.

Ad Confirmationem dico; quod D. Paulus ibi loquitur de fide,qua credimus, ſiue ſit formata ſiue informis; aliqua autem eius dicta intelliguntur de fide formata, vt illa.Iuſtus ex fide viuit,& aliqua de fide abſolute,vt ſunt verba dictæ definitionis.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum Charitas ſit forma fidei.

Caiet.

PRimo notandum eſt ex Caiet.2.2. q.4.art.3. terminos eſſe intelligendos in vnaquaque arte ſecundum ſubiectam materiam; Vnde cum in præſenti ſit ſermo moralis, non eſt intelligenda quæſtio de forma phyſica,& intrinſeca ſubſtantiali, ſiue accidentali, cuius triplex eſt proprietas, inhærere materię,& dare illi ſpeciem, & eſſe principium operationum, vt forma ignis inhæret materiæ ignis,& dat igni talem ſpeciem,& eſt principiũ, quo ignis ignit,calefacit,& comburit,ſed intelligenda eſt queſtio de forma extrinſeca, quæ non inhæret ſed dat rei ſpeciem,& eſt principium operatiuum eius, quæ forma reperitur in actibus moralibus, vt finis operantis eſt forma cuiuſcumq; actus moralis:dat enim illi ſpeciem:quia ſi quis furetur,vt fornicetur, tale furtum eſt potius actus libidinis,quam iniuſtitię;& finis etiam mouet ad operandum, ſenſus ergo tituli eſt, an Charitas ſit finis propter quem credimus,& moueat nos ad credendum.

Forma duplex phyſica,& moralis.

Secundo obſeruandum eſt,quod actus voluntarij, ſiue eliciti a voluntate, ſiue imperati recipiunt ſpeciem moralem ex fine operantis ex .6. Ethycorum, vt modo diximus.

Tertio obſer.eſt,quod ſicut in naturalibus id, quod dat ſpeciem,ſe habet vt forma,vt anima rationalis conſtituit hominem in ſpecie humana, & eſt eius forma,ita in moralibus,quod dat ſpeciem actui humano dicitur eius forma,ex quibus ſequitur finem actus humani vocari eius formam ſiquidem ab eo ſortitur ſpeciem.

Quarto obſer. eſt,quod finis credendi eſt aſſecutio boni diuini;Finis enim eſt cuius gratia aliquid fit,ſed credimus propter aſſecutionem boni diuini,ergo bonum diuinum eſt finis credendi,quod bonum diuinum eſt propriũ obiectum charitatis, quia ratio præciſa, diligendi Deum eſt eius ſumma bonitas. Cum ergo Theologi in 3.Sent.d. 23.cum Magiſtro affirmat fidem à Charitate tamquam à forma perfici, non ſentiunt, quod charitas proprie ſit forma fidei,aut eſſentialis,vt anima,dicitur forma hominis,aut accidentalis,& extrinſeca,vt albedo corporis.Hoc enim falſum eſſe ex eo perſpicuum eſt,quod charitas,& fides ſunt duæ virtutes ſpecie diſtinctæ, quę duas diuerſas potentias perficiunt. Solum igitur volunt Theologi charitatem:quoniam perfectionem aliquam addit fidei methaphorice dici poſſe formam ipſius, ſecundum analogiam ad formam proprie dictã modo ſuperius explicato.

His ita explicatis ſit prima Concluſio.Charitas eſt forma fidei,hęc cõcluſio eſt omnium Theologorum,& probatur ex D.Iacobo.cap.2.dicente fidem ſine operibus eſſe mortuam, ſicut corpus ſine anima, ſed opera ſunt, viua per charitatem,ergo charitas eſt anima,& vita fidei.

Prima Cõcluſio Charitas eſt forma fidei.

Item ad Galatas.2.fides per dilectionem,operatur, ſed vnumquodque operatur prout eſt in actu per formam: quia operari eſt à forma,ergo &c. Itẽ D. Auguſtinus lib. de cognitione verę vitę.cap.17.dicit.Fides ſpe nutritur, & charitate animatur,ergo &c.

D. Auguſtinus.

Præterea Charitas perficit fidem, ergo habet ſe vt forma eius,conſequẽtia patet.Quia ſicut Ariſt.dicere, quod elementa ſuperiora habent ſe vt forma inferiorum: quia perficiunt illa;multo magis licebit nobis dicere, ꝙ charitas eſt forma fidei,ſi quidem multo magis illam perficit, quam elementa ſuperiora perficiant inferiora, probatur antecedens ex Iacobo.c.2.dicente fidem ſine operibus eſſe mortuam.i.ſine charitate:quia fides habet opera meritoria per charitatem.Ex quo ſic arguo.Fides moritur, ergo perdit animam, non autem perdit niſi charitatem, ergo charitas eſt anima fidei, & conſequenter eam perficit,& eſt eius forma.

Ariſt.

Deinde D.Iacobus vbi ſupra inquit,quod fides conſumatur,ideſt perficitur ex operibus ideſt per charitatem,ꝙ ſuit eam operari.D.Paulus etiam 1.ad Corin.13.ait quòd fides ſine charitate nihil eſt. ſubinde probatur concluſio ex conſenſu omnium ſcholaſticorum, apud quos eſt receptiſſima ſententia de fide formata,& informi. Tunc ſic fides eſt formata & non niſi per charitatem, ergo charitas eſt forma fidei Murſus, fides eſt informis, ergo deeſt illi forma, at illi non deeſt niſi charitas ergo hæc eſt fidei forma.

Secunda Concluſio Charitas eſt forma fidei extrinſeca quemadmodum finis eſt forma actuum moralium; probatur prima pars.Charitas eſt in voluntate vt in ſubiecto, fides autem in intellectu, ergo charitas extrinſecè ſe habet ad fidem; atq; ita eſt forma extrinſeca ſecunda pars probatur finis credendi eſt dilectio Dei ergo charitas eſt forma fidei,conſequentia patet ex ſecundo & tertio notabili,probatur antecedẽs Tum quia finis legis eſt dilectio: Tum quia ideo credimus,vt deo placeamus. Nam ſine fide impoſſibile eſt placere deo.Pręterea Charitas eſt principium operationum credendi,nam fides per charitatem valet ad beatitudinem conſequendam hoc eſt ad meritũ, & per charitatis imperium refertur ad vltimum finem, charitas enim mouet voluntatem,vt imperet intellectui, vt credat omnibus reuelatis à Deo, ergo eſt forma fidei, conſequentia patet per ſimilitudinem formæ naturalis quæ eſt principium operandi.

Secunda Concluſio Charitas eſt fidei forma extrinſeca.

Tertia Concluſio. Charitas dicitur forma fidei multis alijs modis primo quia tribuit illi pulchritudinem tribuendo meritum,& pulchritudo eſt à forma,ſecũdo quia tribuit illi robur,& firmitatem contra tentationum pericula,quibus fides ſine charitate periclitari ſolet, tertio qa tribuit illi perfectionem,quæ ordinat illam in vitam æter nam,quarto quia tribuit illi operationem, & conſequenter vitam,nam vita in motu,& actione conſiſtit:illa enim

Tertia Cõcluſio. Charitas multis modis dicitur forma fidei.

quæ

Digitized by Google

quæ ocioſa ſunt, cum alioquin poſſint operari mortua vulgo appellantur, vt v.g. ſpecies quædam metalli appellatur argentum viuum quaſi continue motum, & aquæ ſemper fluentes dicuntur viuæ; ita fides: quia cum charitate operatur meritorie dicitur viua. Et deniq; quia fides eſt diſpoſitio ad charitatem, & quid præſuppoſitum, & ordinatum ad illam: quiquid autem ſe habet hoc modo, eſt veluti materia ad formam, & etiam quia fides ſe habet ad charitatem, veluti eſſe naturale ad morale; nam eſſe naturæ formatur & perficitur per eſſe moris.

Quarta concluſio.

Quarto Concluſio fides ſi ſumatur pro habitu, extrinſeca eſt illi charitas, vt diximus; ſi vero ſumatur pro actu, adhuc dupliciter poteſt ſumi, primo ſecundum eſſe naturale, & ſubſtantiale actus, & ſic extrinſeca eſt ſibi charitas, vel actus charitatis: quia actus fidei eſt ſubiectiue in intellectu à quo elicitur, & ſicut idem actus exterior v.g. deambulatio manens ſecundum eſſe naturale, & ſubſtantiale idem numero poteſt bene, vel male operari à voluntate, quod imperium eſt illi extrinſecum, ſic etiam idem actus fidei, idem numero manens ſecundum ſubſtantiam poteſt modo imperari a voluntate cum charitate, modo non cum charitate: quia actus credendi eſt liber, & volũtarius, atq; adeo pertinet ad voluntatem ſecundum imperium, ideo actus charitatis eſt quid extrinſecum illi: ſicut & imperium voluntatis ſecundo modo poteſt ſumi actus fidei, ſecundum eſſe morale, quod eſſe habet, vt eſt coniunctus imperio charitatis, & tunc imperium charitatis intrinſecum quid eſt ipſi actui fidei, vnde variato imperio charitatis variatur actus fidei non ſecundum ſubſtantiã, & naturam, ſed vt imperatus eſt à voluntate: quia variato fine, per quem voluntas imperat variatur obiectum voluntatis & variato obiecto voluntatis, variatur eius actus & conſequenter variatur actus fidei, vt imperatus à voluntate.

Idẽ habitus numero fidei eſt formatus & informis.

Ex quo ſequitur primo, quod idem habitus fidei ſpecie, & numero eſt informis, & ſine charitate qui eſt cum charitate; patet quia eadem ratio formalis aſſentiendi, eſt in vtraq; fide, videlicet authoritas Dei reuelantis, & etiã: quia fides dicitur formata, cum charitate ſolum extrinſece, variatis autem extrinſecis non mutatur res ſpecie, vel numero. Præterea illa, quæ non pertinent ad eſſentiam rei, ſed rei accidunt non multiplicant ipſam, cum poſſit eadem res varijs accidentibus ſubeſſe, ſed quod fides per charitatem ſit formata, aut non ſit, accidit ipſi, nec ad eius eſſentiam per ſe pertinet, ergo eadem fides poteſt eſſe tum, formata per charitatem, tum etiam informis. Minor probatur: nam quod fides formata ſit, aut non ſit, hoc habet ex voluntate in qua charitas ineſt: ita ſit, vt id non per ſe pertineat ad fidem, quæ non eſt niſi in intellectu.

Obſeruandum eſt tamen, per teſtimonia ſcripturæ, & Patrũ à nobis in ſuperiori art. atque ẽt in iſto allata ſolum probari, vt ex fide certum, quod eadem fides vera ſecundum ſpeciem conſtare poſſit cum charitate, & ſine charitate, quod vero eadem etiam numero, non eſt ex fide certum Neque fuit in Concilio Tridentino de hoc controuerſia aduerſus hæreticos, ſed ſolum voluerunt Patres ſtatuere, quod fides etiam vera chatolica, & Theologica poſſit eſſe ſine charitate, & re ipſa ſit in peccatoribus fidelibus, non autem definierunt, quod etiam eadem numero.

Concil. Trident.

Ricardus.

Vnde Ricardus Sapper. Tom. 2. artic. 8. pagi. mihi. 64. Cum ex definitione Concilij Triden. concluſiſſet tamquã de fide certum, quod eadem fides ſecundum ſpeciem maneat ſine charitate addidit. Veriſimilius etiam eſſe, quod eadem quoq; numero maneat: quaſi diceret, hoc non eſſe de fide. Eſt tamen id iam adeo certum, vt communiter Theologi ſentiant oppoſitum eſſe temerarium eo quod repugnet in re graui communi Doctorum ſententię, quã-quam olim vt videre eſt apud Magiſtrum in 3. diſt. 23. & apud Albertum Magnum ibidem artic. 9. & D. Thom. 2. 2. q. 8. artic. 3. probabiliter aliqui videntur putauiſſe, non eſſe eandem numero fidem informem, & formatam; oppoſitum tamen docent Alex. de Ales. 3. p. quæſt. 64. m. 6. Alber. & D. Thomas locis citatis. D. Bonauentura hac d. artic. 2. quæſt. 4. Ricar. eadem d. art. 5. queſtio. 3. & cęteri Theologi.

Mag. Albertus. D. Thom. Alex. de Ales. D. Bonau. Rurſus.

Secundo ſequitur eundem actum ſpecie eſſe actum fidei informis, & formatæ, loquendo in eſſe naturale, imo poſſe eſſe eundem actum numero, patet quia actus fidei ſecundum ſubſtantiam elicitur ab intellectu, poteſt ergo elici aliquando, ſine imperio chatitatis, & erit informis, & poſtea idem numero manens ſecundum ſubſtantiam poteſt continuari, & per imperium charitatis fiet formatus extrinſece.

Tertio ſequitur falſum eſſe illud, quod quidam exiſtimauerunt, videlicet duos eſſe diſtinctos habitus fidei informis, & formatæ, & ꝙ adueniente charitate corrumpebatur habitus informis, & infundebatur formatus; & etiã id, quod alij dicebant eſſe ſcilicet duos habitus, & quod manebat informis adueniente formato, vide D. Bonauenturam loco citato. & q. 5.

Quarto ſequitur, ꝙ quando D. Iacobus in ſua Canonica. c. 2. vocat fidem informem mortuam, non inde ſequitur ꝙ diſtinguatur ſpecie a fide formata, & viua: quia vt apparet in fine capitis comparat Apoſtolus fidem informem corpori mortuo, & non homini mortuo; & vita quidem non eſt de ratione intrinſeca corporis, quamuis ſit de intrinſeca ratione hominis, vnde ſicut vita eſt extrinſeca corpori, ſic charitas eſt extrinſeca fidei, atq; ita non diſtinguitur fides formata à fide informi. Hæc interpretatio maxime habet locum in opinione Scoti aſſerentis in viuentibus dari formam corporeitatis diſtinctam ab anima: quia tunc animali mortuo manet idem corpus ſpecie & numero, quam ante habebat, Tunc. n. apparet quomodo vita, & anima eſt quid extrinſecum corpori vt corpus eſt, & ſic fides ſe habet cum charitate. Sequendo tamen opinionem Thomiſtarum vnicam tantum formam in viuentibus ponentium, quæ ſit anima, à qua res habet eſſe corporis, & viuentis ex qua ſententia videtur ſequi, quod corpus mortuum diſtinguatur ſpecie, à corpore viuo, quia habet diuerſam formã ſubſtantialẽ, difficilius reſpondent ad hanc difficultatem. Poſſunt tamen dicere ꝙ tunc fides dicitur mortua per ſimilitudinem, non tamen proprie, & intrinſece; ſicut neq; dicitur viua niſi per ſimilitudinem: Fides enim ſine charitate habet ſe ad inſtar rei mortuæ, ita ꝙ nõ elicit opera vitæ æternæ digna, & quæ ocioſa ſunt cum poſſint alioquin operari dicuntur mortua p ſimilitudinẽ.

Scotus.

Impugnatur prima concluſio.

Contra primam Concluſionẽ arg. Fides eſt in intellectu, ergo charitas non eſt eius forma probatur ad ſequentia, quia chariras eſt in voluntate.

Item gratia eſt forma fidei, & omnium virtutum, etiã ipſiuſmet Charitatis ergo Charitas non eſt forma fidei, conſequentia eſt nota, & antecedens videtur eſſe D. Tom. de veritate q. 27. art. 5. ad quintũ. & idem dixerat art. 2. ad quartũ & probatur: quia actus fidei, & dilectio Dei nõ eſt meritoria, niſi informetur gratia. Et confirmatur: quia per ſolam gratiam, abſque charitate eſſet fides viua.

Præterea fides perfectior eſt Charitate, ergo ipſam perficit, & eſt forma eius, & non ecõtra, probatur antecedẽs: quia ſola fides iuſtificat iuxta illud ad Roman. 4. Credidit Abraham Deo & reputatum eſt illi ad Iuſtitiam; & c. 5. Iuſtificati ergo ex fide. & ad Epheſ. 2. Gratia Saluati eſtis per fidem; & Actorum 15. fides purificans corda, Marci vltimo. Qui crediderit, & baptizatus fuerit Saluus erit. & Abacuh. 2. Iuſtus autem in fide ſua viuet. Et paulus ad Hebræos ij. ita effert fidem, vt nihil videatur alijs virtutibus relinquere.

Arguitur contra ſecundã concluſionẽ.

Contra ſecundam Concluſionem arguitur. Fortitudo ordinatur ad Iuſtitiam tamquam ad finem, & tamen iuſtitia non eſt forma fortitudinis; ergo etſi fides ordinetur ad Charitatem tamquam ad finem, non ſequitur charitatem eſſe fidei formam.

Ad argumenta contra primam Concluſionem reſpondetur, & ad primum dico: conſequentiam eſſe nullam, & ad probationem dico ꝙ concludit de forma propria, & intrinſeca, non autem de forma ſimilitudinaria, & extrinſeca, de qua nos loquimur.

Ad ſecundum facilis eſt reſponſio iuxta principia Doc. ſub. tenentis gratiam, & charitatem eſſe idem realiter ſed iuxta ſententiã D. Thomę opinãtis eſſe habitus realiter diſtinctos, diſtinguerẽt Thomiſtæ antecedẽs, ipſumq; cõcederẽt de forma dante eſſe meritorium, ſic. n. dicerent gratiam eſſe formam etiam charitatis, quia facit filium gratum, & acceptum, atque dilectum, charitas autem facit

charum

Digitized by Google

charum. De forma vero dante eſſe virtutis negarent antecedens: quia charitas eſt forma fidei, quando dat illi finẽ vt probauimus: quare ſi per impoſſibile daretur Charitas abſque gratia fides eſſet virtus per ſolam charitatem, quia prompte, faciliter, & delectabiliter operaretur, firmiter propter finem ſupernaturalem; actus tamen eius non eſſet meritorius: quia non fieret ab homine grato. Si autem ſolum eſſet gratia ſine charitate: fides non eſſet virtus; quia eſſet actus imperfectus: nõ enim eſſet propter finem ſupernaturalem, eſſet tamen meritorius: quia eſſet bonus, ab homine grato productus.

Ad tertium nego antecedens, & ad omnes authoritates pro eius probatione adductas, reſpondetur primo, quod intelliguntur de fide formata. ſecundo reſpondetur, quod in ſcriptura diuina, remiſſio peccatorum, & iuſtificatio impij potius tribuitur charitati, quam fidei. Inquit enim Chriſtus Lucę. 7. Remittuntur ei peccata multa; quoniam dilexit multum, & non quia credidit multum. Et 1. Petri. 4. dicitur, Charitas operit multitudinem peccatorum, non fides. Si dicas, quod idem effectus tribuitur fidei, & charitati; cæterum per ſupradicta non probatur, quod principalius tribuatur Chritati. Dico quod ex D. Iacobo. c. 2. & ex 1. ad Corint. 13. conſtat charitatem eſſe principaliorem fide. Vnde ſicut finis Domus eſt protegere nos à frigore, & tempeſtate, quod non præſtat domus abſque fundamento, ſed domus ſuper ſtructa; ita remiſſio peccatorum, & iuſtificatio impij efficiuntur principaliter à charitate, non tamen ſine fide, quæ eſt fundamentum; & ſicut non eſt domus propter fundamentum, ſed è contra; ita non eſt Charitas propter fidem, ſed è contra; & ſicut fructus non eſt in radice, ſed in ramis non tamen ſine radice: ita illi effectus principalius ſunt à Charitate, non tamen ſine radice, quæ eſt fides, & ſicut operatio tribuitur materiæ, & formæ ita remiſſio peccatorum in ſcriptura tribuitur fidei, & charitati; ſed principalius charitati, quam fidei, ſicut operatio principalius tribuit formæ quam materiæ. Saluat itaque fides, & ſaluat charitas, at principalius ſaluat charitas. atque ita intelligenda ſunt teſtimonia ſcripturarum in argumento adducta.

Ad argumentum contra ſecundam concluſionem reſpondetur diſtinguendo maiorem; ex natura ſua nego. fortitudo enim ordinatur ex ſe ad compeſcendos timores, & audacias; ab ipſo autem fortiter operante concedo, & ſic neganda eſt conſequentia: quia fides ex natura ſua ordinatur ad charitatem ſicut ad finem. Sed contra quando iuſtitia imperat fortitudini dat illi finem, ergo etiam ſpeciem, & formam; & per conſequens iuſtitia eſt forma fortitudinis, Reſpondetur concedendo totum in tali caſu: negari enim non poteſt, cum in moralibus finis det ſpeciem & formam, vt probauimus ſupra: nam qui furatur propter mecchiam potius eſt mecchus quam fur. Inde autem non infertur iuſtitiam ex ſe, & ex natura ſua ſemper eſſe formam fortitudinis, ſed in aliquo caſu, charitas vero ſemper, & in omni euentu, & ex ſe eſt forma fidei.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum fides tam formata, quam informis ſit virtus.

Ariſt.
Virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum.

PRo ſolutione huius queſtionis obſeruandum eſt primo, quod Quando Ariſto. dicit, quod virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum, ſenſus eſt, quod virtus eſt habitus diſponens potentiam ad optimum actum eliciendum, non abſolute optimum, ſed optimum poſſibilem viatori. Sic charitas noſtra virtus eſt, quia diſponit ad optimam Dei dilectionem poſſibilẽ viatoribus, quamuis abſolute, non diſponat ad optimam dilectionem Dei; melior eſt enim dilectio comprehenſoris.

Actus fidei optimus qui nam ſit.

Secundo obſer. eſt, quod inter omnes actus fidei ille eſt optimus, quo tendimus in Deum per fidem, & dilectionem ſimul, vt patet. Credere enim eſt actus intellectus aſſentientis articulis fidei, ex imperio voluntatis. Vnde ſicut ad hoc quod credere ſit actus perfectus requiritur perfectio ex parte intellectus, vt tendat infallibiliter in ſuum bonum, quod eſt uerum, ita requiritur perfectio ex parte voluntatis imperantis, vt ipſa referat illum actum in vltimum finem. quod efficit mediante charitate.

Tertio obſer. eſt, definitionem virtutis, quæ habetur ab Ariſt. 2. Ethy. Videlicet Virtus eſt habitus qui eſt principium actus optimi, & perfecti, eſſe ab effectu; quia dicit Ariſ. Virtus eſt, quæ bonum facit habentem, ſcilicet per actum laudabilem, ad quem inclinat potentiam.

Virtus bifariã conſiderari poteſt.

Quarto obſer. eſt. Virtutem conſiderari poſſe bifariam, vno modo tantum ſecundum eſſentiam virtutis, altero modo ſecundum eandem perfectum ſtatum virtutis, priori modo cõſideratur ſecundum eſſentiam, & quidditatem ſuam ſpecificam; poſteriori modo ne dum ſecundũ eſſentiam virtutis, ſed etiam virtutis ſtatum, & perfectionem, conſiſtentem in hoc vt valeat ad conſequendam beatitudinem, in quam vt in vltimum finem, omnes virtutes referuntur.

1. Concl.

His ſuppoſitis ſit prima Concluſio. Fides abſolute eſt appellanda virtus, probatur ex Clementina de ſumma Trin. & fide Catholica. §. tertiam quia vbi Clemens V. abſolute appellat fidem, ſpem, & charitatem tres virtutes infuſas & Theologicas.

Alex. de Ales. D. Thom. D. Bonauentura. Ricardus. Gabriel.

Secunda Concluſio fides formata eſt vera virtus habens perfectum ſtatum virtutis. hæc Concluſio eſt communis ſententia omnium Theologorum. Alex. de Ales. 3. p. q. 68. m. 3. D. Thom. 2. 2. q. 4. ar. 1. & 5. D. Bona. hac. d. ar. 2. q. 1. Ricar. ar. 4. q. 2. Gab. q. 2. ar. 3. dub. 3. &c. Probatur: facit enim bonum habentem per inclinationem ad recte, & laudabiliter operandum. Tum quia eſt diſpoſitio perfecti ad optimum actum poſſibilem viatori; actus enim fidei formatæ eſt licitus ab intellectu perfecto fide, & imperatus à voluntate perfecta charitate, eſt etiam laudabilis & circa difficile, & productus prompte, facilè, & delectabiliter, & firmiter fertur in verum infallibile, & propter vltimum finem ſupernaturalem. Item actus fidei formatæ concurrit ad iuſtificationem, ergo eſt actus veræ virtutis. Deinde fides formata eſt principium faciendi actum perfectum, ergo eſt virtus; conſequentia patet, ex tertio notabili. probatur antecedens, quia actus fidei formatæ eſt aſſenſus veritatis infallibilis, ex parte intellectus, ordinatus per charitatem in vltimum finem ex parte voluntatis.

Durãdus.

Contra hanc concluſionem arguit Durandus hac. d. q. 6. probans fidem etiam formatam non eſſe proprie virtutem & primo ſic. Virtus proprie ſumpta, eſt diſpoſitio perfecti ad optimum, vt dicitur. 7. Ethy. quia diſponit potentiam, & perficit eam, vt poſſit producere actum perfectiorem ſibi poſſibile, ſed fides etiam formata nõ diſponit intellectum hominis ad actum optimum, & perfectum cognitionis Dei: quoniam cognitio Dei per fidem eſt imperfecta quia obſcura, vt dicitur. 1. Corin. 13. Videmus nunc per ſpeculum in enigmate. &c. ergo fides formata non eſt proprie virtus.

Secundo arguitur fides informis non eſt virtus, ergo nec formata; probatur conſequentia, quia fides formata ſuper informem, ſolum addit charitatem, quæ eſt extrinſeca fidei, vt ſupra probauimus, extrinſecum autem non mutat rei quidditatem, ergo ſi fides ſine charitate non eſt virtus, nec erit virtus cum illa. Confirmatur: quia ſi fides adueniente charitate conſtitueretur virtus, ſequeretur quod eadem charitas addita opinioni, conſtitueret opinionem virtutem; eadem enim eſt ratio; conſequens eſt falſum: quia opinari, vel non opinari etiam cum charitate, non eſt actus vitij, nec virtutis. ergo &c.

Tertio arguitur, fides non dependet à charitate quantum ad habitum, ergo nec quantum ad actum, vt ſit ſtudioſus, & per conſequens charitas non eſt perfectio intrinſeca fidei conſtituens ipſam virtutem.

Quarto arguitur. Fides formata poteſt concurrere ad actum malum, ergo non eſt virtus, conſequentia patet, & antecedens probatur: quia iuſtus poteſt confiteri fidem, ob inanem gloriam leuem.

Antequam argumenta pro ſententia Durandi ſoluamus, obſer. eſt, quod & ſi hæc controuerſia videatur eſſe de nomine, cum præter appellationem propriam virtutis, nihil propterea Durandus neget re ipſa fidei, quod ab alijs eidem fidei concedatur; inquit enim fidem poſſe qui-

dem

dem dici virtutem improprie, vt virtus dici poteſt habitus inclinans ad actum, vt cũique bonum, ſeu perfectum. proprie vero nec informem, nec formatam eſſe virtutem. Tamen neque rectæ, neque vere is loquitur, negans fidẽ proprie loquendo eſſe virtutem. Et primo in hac parte repugnat communi ſententiæ & modo loquendi Doctorum. Imo & ſcripturæ, in qua paſſim maximis laudibus effertur fides, vt proinde virtus ſimpliciter dicenda ſit.

Deinde hanc Durandi ſententiam reiicere poſſumus retorquendo illius argumentum hoc modo. Virtus proprie loquendo eſt habitus perficiens potentiam, ad actum vltimate perfectum attenta quidem natura potentiæ & inditione obiecti, atque etiam ſtatus huius vitæ &c. (ad has enim circunſtantias omnes Philoſophi attenderunt cum ſic virtutem definierunt) ſed fidei habitus eſt huiuſmodi, ergo eſt vere, & proprie virtus. Maior eſt ipſius Durandi minor probatur, quoniam obiecta ſuper naturalia, de quibus eſt fides non poſſunt à nobis in hac vita perfectius cognoſci, quam per fidei habitum, vt qui tam & ſi euidens non ſit, at eſt infallibilis ex natura ſua, & certiſſimus, propter ea quod nititur rationi formali obiecti, ſub qua maxime omnium certa videlicet diuina reuelatione, iuxta dicenda diſtinctione ſequenti.

Quod autem deinde Durandus addit, fidem non eſſe magis virtutem cum charitate, quam ſine illa, diſtinguendum eſt. Nam verum eſt loquendo de fide ſecundum ſuam eſſentiam; & de virtute quoque ſecundum eſſentiam virtutis præciſe; falſum autem eſt loquendo de fide, & de virtute ſecundum ſtatum, & perfectionem, qua poſſit perfecte tẽdere ad beatitudinem conſequẽdã.

Ad primum ergo argumentum Durandi iam patet reſponſio ex ratione veſtra. Nam fides formata diſponit intellectum hominis ad actum perfectum cognitionis Dei pro hoc ſtatu ſibi poſſibilem, quod ſufficit ad hoc; quod fides formata ſit proprie virtus, quamuis enim fides ex natura ſua ſit obſcura, & tamen certiſſima, & infallibilis in ſua aſſertione, & infans licet ſit homo imperfectus; non tamen ideo non eſt proprie homo; ita etiam licet cognitio fidei infantilis ſit, quia neſcit ad plenum cognoſcere diuina, eſt tamen proprie virtus. Non eſt ergo neceſſarium virtutem eſſe diſpoſitionem ad optimum ſimpliciter; ſed ſufficit ad optimum in ſuo genere.

Soluũtur argumenta Durandi.

Ad Secundum negatur antecedens ſi loquamur de virtute ſecundum virtutis eſſentiam, ſi autem conſideretur virtus ne dum ſecundum eſſentiam virtutis ſed etiam ſecundum quendam perfectum virtutis ſtatum, qui præcipue conſideratur à Theologis, & quem non habet fides in formis, concedo antecedẽs, & nego conſequentiam, da probationem, dico charitatem eſſe quid extrinſecum veræ fidei, concedo, eſſe autem extrinſecum veræ virtutis nego Theologice loquendo; ſic enim charitas eſt perfectio intrinſeca fidei. Virtus enim eſt diſpoſitio perfecti ad optimum, cuiuſmodi non eſt fides ſine charitate, bene autem cum illa.

Ad confirmationem nego ſequelam; quia opinioni poteſt ſubeſſe falſum, & ſic quamuis adſit charitas non diſponit ad optimum, quod conſurgit ex integra cauſa, & eadem ratione fides acquiſita etiam cum charitate non eſt virtus, nititur enim authoritate humanæ fallibili, fidei autem infuſæ non poteſt ſubeſſe falſum.

Ad Tertium diſtinguo conſequens, de actu veræ fidei extra rationem perfectæ virtutis concedo; de actu vero optimo in ratione virtutis nego.

Caietanus.

Ad Quartum nota, quòd aliqui dicunt fidẽ formatã non poſſe eſſe principium actus peccaminoſi, bene autem informem: quia illa eſt virtus, hæc vero minime. Ita videtur ſentire Caietanus 2. 2. quæſtio. quinta articul. ſecundo, & 1. 2. quæſtio. quinquageſimaquinta, articul. quarto, Communiter autem defenditur contraria ſententia, ſcilicet quòd nec fides informis ponit eſſe principium actus mali inclinando ad illum, ita docent Bannes. 2. 2. quæſt. quarta, & quinta, & Medina. 1. 2. quæſt. quinquageſimaſexta, articul. tertio. Pro quo obſeru. eſt, quòd habitibus vtimur cum volumus; poteſt enim Iuſtus dare eleemoſinam non propter Deum, ſed affectu cognatinnis, & carnis, vt inquit Diuus Gregorius in homilia Apoſtolorum; ſecundo obſeru. eſt obiectum formale fidei eſſe primam veritatem reuelantem, materiale vero eſſe aliquod verum complexum; obiectum vero formale voluntatis, eſt bonum verum, vel apparens.

Bannes.
Medina.
D. Gregor.

His obſeruatis Dico primo, quod nec fides formata nec informis inclinat ad actum malum moraliter; ſolum enim inclinat ad aſſenſum articulorum fidei propter primam veritatem reuelantem, ergo talis actus ſemper erit bonus ex genere: quia ex obiecto ſumit actus bonitatem genericam, & confirmatur: quia alias Deus concurreret auxilio ſpeciali ad malum actum, quod eſt falſum, quam vis auxilio generali ſemper concurrat.

Secundo Dico quod habens fidem formatam, vel informem poteſt illis male vti eliciendo hunc actum volo credere propter inanem gloriam: quia poteſt homo male vti bonis ſupernaturalibus, vt conſtat Matthæo ſeptimo, vbi multi, cum dono prophetiæ, & miraculorum damnantur, & Caiphas abuſus eſt dono Prophetiæ, & Balaam ſimiliter. Sacerdotes etiam ſæpe peccant abſoluendo, & conſecrando, & tamen vere abſoluunt & conſecrant. Confirmatur: quia habitibus vtimur cum volumus, ergo habens fidem formatum poteſt illa male vti credendo propter aliquem malum finem.

Habens fidẽ formatum vel informẽ pôt illis male vti.

Ad argumentum ergo reſpondetur negando antecedens; ad probationem dico, quod ille actus inquantum malus non eſt à fide formata, vel informi, ſed à voluntate deprauata; ex quo ſequitur ibi eſſe in virtute duos actus, primus volo credere propter inanem gloriam, & hic eſt à voluntate, & malus ex fine operantis. Secundus eſt credo articulis fidei, & hic eſt ex fide, & bonus ex genere; habet autem malitiam extrinſecam ex fine operantis, quod ſæpe contingit in actibus ſupernaturalibus prophetiæ, & miraculorum; Nec inde ſequitur Deum concurrere auxilio ſpeciali ad actum malum: ille enim actus ſecundum quod ſupernaturalis eſt, eſt à Deo, atque ita nullam habet malitiam; eam tamen habet ab extrinſeco ex mala intentione operantis: In moralibus enim vnus actus numero, eſt bonus ex genere, & malus ex fine operantis vt patet de eleemoſina data propter inanem gloriam.

3. Concluſ. Fides informis eſt proprie virtus.

Tertia Concluſio. fides informis eſt proprie virtus, hæc concluſio eſt contra Sanctum Thomam vbi ſupra illam tamen communiter defendunt Doctores huius temporis, & probatur ſuppoſita definitione virtutis tradita ab Ariſto. ſecundo Ethy. capitu. ſecundo, quæ eſt huiuſmodi. Virtus eſt quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit. Quæ definitio non eſt ſic intelligenda, vt dicamus temperantiam verbi gratia facere ſimpliciter bonum habentem, ſed in ſuo genere; temperantia enim facit temperatum, & fortitudo fortem. Hoc ſuppoſito probatur concluſio, Virtus eſt quæ facit bonum habentem in ſuo genere & opus eius reddit bonum in ſuo genere; ſed huiuſmodi eſt fides abſque charitate; ergo de ſe abſque charitate eſt proprie virtus, conſequentia eſt bona; maior eſt definitio virtutis, & minor probatur: quia licet fides informis non faciat habentem illam ſimpliciter bonum, facit tamen in ſuo genere ideſt in genere cognitionis diuinorum: quia facit fidelem, hoc eſt credentem diuinis ſermonibus, & omnes hæreſes reſiſtantem. iſtudque eſt optimum in ſuo genere; ſicut infidelitas eſt peſſimum, & facit habentem malum, & eius actum reddit malum; ita fides, facit bonum, & opus habentis reddit bonum. Et hoc etiam dicendum eſt de ſpe videlicet, quod eſt proprie virtus etiam informis; quia facit hominem certo ſperantem diuina promiſſa; & hoc eſt bonum: quia natura humana ad inuiſibilia difficulter excitatur, credere ergo veritates inuiſibiles firmiter & certe, & ſperare certo Dei occultiſſima promiſſa, quæ neque oculus vidit, neque auris audiuit, inſignia ſunt opera, & habitus talia donantes proprie ſunt virtutes, & ſupernaturales virtutes, & con-

firmatur quia perfectio, quæ prouenit fidei a charitate, non eſt illi eſſentialis, neque intrinſeca, ſed extrinſeca; ergo fides non habet eſſentiam ſuam à charitate, neque eſt virtus intrinſece per charitatem. Confirmatur ſecundo quia fides per ſolam infidelitatem perditur, vt dicitur in Concilio Tridentino ſeſſ.6. Ex quo ſic. Vitium deſtruit virtutem, ſed infidelitas deſtruit fidē, ergo deſtruit virtutem, ergo fides eſt virtus.

Concilium Tridenl.

Præterea omne prædicatum eſſentiale alicuius ſpeciei cōuenit æque proprie, & ſimpliciter omnibus contentis eſſentialiter in eadem ſpecie; ſed hoc quod eſt eſſe virtutem eſt prædicatum quoddam eſſentiale illius ſpeciei vltimæ habitus intellectualis, in qua eſt fides formata: virtus enim eſſentialiter tamquam genus proximum prædicatur de tali virtute, & fides informis eſt eſſentialiter habitus, eiuſdem ſpeciei vltimæ, imo eſt idem habitus numero vt probatum eſt articulo præcedenti. ergo æque proprie, & ſimpliciter conuenit fidei informi, vt ſit virtus, atque fidei formatæ.

D. Aug.

Cæterum quia antiqui Theologi, vt Alex. de Ales. Albertus Magnus. D. Tho. D. Bonauentura, & Ricardus locis ſupra citatis dicūt fidem charitate formatam eſſe proprie, & ſimpliciter virtutem; fidem autem informem non eſſe proprie, & ſimpliciter virtutem. Ideo dicendum eſt, ſuper citatos Theologos appellare fidem formatam proprie & ſimpliciter virtutem, non autem fidem informem: quia conſiderant virtutem non tantum ſecundum eſſentiam virtutis, ſed etiam ſecundum quemdam perfectum virtutis ſtatum, qui præcipue conſideratur à Theologis, & quem non habet fides informis; Itaque ſentiunt fidem formatam eſſe perfectam virtutem: quæ ſcilicet non ſolū habet eſſentiam virtutis, ſed etiam virtutis ſtatum, & perfectionem, conſiſtentem in hoc, vt valeat ad conſequendam beatitudinem in quam, vt in vltimum finem omnes virtutes referuntur. Fidem autem informem cenſent virtutem quidem eſſe, ſed non perfectam virtutem: Nam habet quidem eſſentiam virtutis, quatenus actum intellectus reddit infallibilem, atque adeo bonum; ſtatum tamen illius virtutis, ac perfectionem: quam iam diximus non habet.

Porro hanc ipſam eſſe mentem Alex. patet ex eius diſtinctione, inquit enim quod virtus ſumitur quadrupliciter. primo communiſſime, ſecundum quod diuiditur in virtutem naturalem, politicam, & gratuitam; ſecundo modo communiter, vt diuiditur in politicam, quæ eſt habitus acquiſitus, & gratuitam quæ eſt habitus infuſus, tertio ſtricte pro habitu infuſo tantum, ſiue ſit gratis datus, ſiue gratum faciens. quarto ſtrictiſſime pro habitu infuſo tantum gratuito, faciente gratum, & determinatio ad operabilia, & hoc modo ſolus habitus charitatis, aut charitate formatus eſt virtus. Et per hoc patet, quod fides infuſa informis eſt virtus primo, ſecundo, & tertio modis; quia habitus infuſus gratuitus gratis datus, ſed fides formata eſt virtus quarto modo. eamdem eſſe mentem D. Thomę apparet ex ſolutione 3. argumenti. Et idem voluerunt Albertus Bonauentura, & Ricardus, vt patet ex locis ſupra citatis.

Virtus ſumitur quatuor modis.

Et ſi dicas, quod ſi fides informis ſecundum eſſentiam virtus eſt, deberent potius Theologi eſtimare, & affirmare ſimpliciter illam eſſe virtutem, quam negare ob defectum ſtatus, ſeu perfectionis accidentalis; illud enim ſimpliciter res eſt, quod eſt ſecundum ſuam eſſentiam. Reſpondeo à Theologis perfectionem virtutis præcipue æſtimari ex valore, quem illa habeat ad beatitudinem conſequendam, in quam omnis illorum conſideratio refertur, proindeneque fides, neque vlla alia virtus ſimpliciter ab illis cenſetur virtus, niſi valeat ſecūdum meritum ad obtinendam beatitudinem, atque adeo niſi ſit coniuncta cum charitate. Hæc eſt igitur ratio, cur antiqui Theologi dicere ſolent fidem informem non eſſe virtutem. In duobus ergo Theologorum ſentētia conſiſtere videtur. Primum eſt, fidem ſecundum eſſentiam quidem ſuam ſpecificam; atque adeo etiam fidem informem vere & proprie eſſe virtutem, ſpectata quoque præciſè virtutis eſſentia. Alterum eſt, fidem formatam modo quodam perfectiori eſſe virtutem, cum habeat etiam virtutis ſtatum iam explicatum, quam Theologi conſiderant. vide Scotum infra d. 36. art. 4. ſub. lit. q. §. Dici poteſt. Sed dubium eſt, an fides ſit habitus intellectualis? Caietanus. 2. 2. q. 4. art. 5. tenet fidem non eſſe virtutem intellectualem, ſed eſſe virtutem intellectus, & ita docuiſſe videtur D. Thomas in. 3. d. 23. art. 3. quæſtiuncula. 3. Gabriel vero in. 3. d. 23. q. 2. dub. 4. Inquit quod proprie fides nec eſt virtus moralis, nec intellectualis. Cæterum diſputatio eſt de nomine: nam ſi virtus intellectualis dicat virtutem, quæ eſt in intellectu: fides eſt virtus intellectualis: quia eſt in intellectu. Si vero virtus intellectualis dicat ordinem ad obiectum intellectus, quod eſt verum, fides non eſt virtus intellectualis; quia non diſponit ad optimum verum, quod eſt euidens, ſicut aliæ virtutes intellectuales, ſed ad ineuidens.

Caietanus. An fides ſit habitus intellectualis.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrum ſit certum in nobis eſſe fidem acquiſitam de rebus reuelatis.

Damaſ.

PRo explicatione huius art. obſer. eſt primo ex D. Damaſ. lib. 4. de fide. c. 11. quod duplex eſt fides. Nam eſt fides ex auditu: audientes enim diuinas ſcripturas credimus doctrinę ſpiritus, quę quidem perficitur omnibus, quæ legiſlatione à Chriſto poſita ſunt, opere credēs pietate exercens, & præcepta eius faciens, qui renouauit nos. Qui enim ſecundum traditionem catholicæ Eccleſiæ credit, ſed communicat operibus Diabolo, infidelis eſt. Eſt rurſus fides eorum, quæ ſperantur ſubſtantia, rerum argumentum, quæ non videntur indubitabilis & indijudicabilis ſpes, tam eorum, quæ à Deo nobis promiſſa ſunt, quam aſſecutionis noſtrarum petitionum.

Duplicem fidem his verbis diſtinguit Damaſ. Prima eſt acquiſita, quam per doctrinam aſſequimur, cum edocemur articulos fidei, aut audientes verbum Dei dicimus, quæ nobis credenda proponuntur, & de hac loquitur Apoſt. ad Rom. 10. dicens. Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Ergo fides ex auditu eſt, auditus autem per verbum Chriſti. Et huiuſmodi fides vt habeatur efficax debet bonis operibus comprobari & diuinorum obſeruatione mādatorum fulciri: de ijs enim qui ore quidem credunt, ſed operibus a fidei pietate abhorrent, dicit D. Paulus. 1. c. ad Titum. Qui dicunt ſe noſſe Deum; factis autē negant. Eſt inſuper huiuſmodi fides noſtræ voluntatis. Quoniam vt dicit Auguſtinus. Cætera poteſt homo nolens, credere autem non niſi volens.

D. Aug.

Altera autem eſt fides infuſa animis eorum, qui baptiſma ſuſcipiunt, & vna de numero charismatum Spiritus ſancti inſpirantis eam in cordibus fidelium, quam Apoſtolus. 11. c. ad Hebræos deſcribit quod eſt ſperandarum ſubſtantia rerum &c. in hoc articulo de priori fide eſt ſermo.

Secundo obſer. eſt, quod fides acquiſita & infuſa quadrupliciter differunt vt docet Gabriel hac. d. q. 2. & accepit ab Scoto in quol. q. 24. art. 1. primo differunt quia fides acquiſita eſt habitus naturaliter requiſitus ex actibus credendi frequentatis, ſed fides infuſa eſt habitus à Deo ſupernaturaliter, & immediate in anima creatus. ſecundo differunt, quia fides acquiſita immediate inclinat ad actū credendi; nec aliud coexigit niſi apprehenſionem credibilis: nam credens docentem aliquod credibile eſſe veracem, ſtatim credibili reuelato aſſentit; at fides infuſa nunquam inclinat ad actum credendi immediate reſpectu cuiuſcunque credibilis ſine habitu fidei acquiſitæ: nā ſi puer baptizatus nutriatur inter infideles, & non informetur de his, quæ ſunt fidei, habet quidem fidem infuſam reſpectu huius credibilis. Deus eſt Trinus, & vnus, vel Deus factus eſt homo, & tamen non poteſt aliquem actum circa illud credibile elicere, ſecluſo miraculo diuinæ reuelationis, & illuminationis, niſi inſtruatur, & credat

Fides acquiſita, & infuſa quadrupliciter differunt.

Gabriel. Scotus.

Digitized by Google

dat per fidem acquiſitam, & per inſtructionem. Tertio differunt: quia fides infuſa eſt vnica circa omnes articulos credendos, non ſic fides acquiſita: quia licet fides infuſa, & acquiſita ſint de iiſdem articulis, & credibilibus; imo de quocumque articulo credibili habetur fides acquiſita, de eodem habeatur fides infuſa, tamen non omnium credibilium eſt vna fides aquiſita, ſicut eſt vna fides infuſa, ſed tot ſunt fides acquiſitæ, quot credibilia. Quarto differunt, quia fides infuſa corrumpitur per quemcumque errorem, circa quemcumque articulum, fides autem acquiſita vnius articuli ſtat cum errore reſpectu alterius articuli, vt magis explicabimus infra.

Conciliū Trid.

Tertio obſer. eſt, quod ſacrum Concilium Tridentinū ſeſ. 6. c. 5. & 6. docet neceſſariam eſſe fidem, qua credamus reuelata à Deo, & quod per gratiam Dei, & redemptionem à Chriſto factam iuſtificatur peccator, vt præparemur ad iuſtificationem, quā fidem definit, & a nemine haberi poſſe abſque auxilio Dei, & gratia præueniente, ſic enim ait Canone tertio. Si quis dixerit ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atq; adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit, & hæc fides ſic diſponens ad iuſtificationem, neque eſt habitualis, neque formata, neque infuſa, ſed tantum actus credendi res fidei, quem actum nullus habere poteſt niſi ſpeciali Dei auxilio.

Scotus.

Scotus autem in hoc art. non loquitur de huiuſmodi actu fidei, ſecundum quod per illum diſponimur ad iuſtificationem, de tali namque fide, nunquā negauit, ſed potius docuit non poſſe fieri abſque auxilio ſpeciali Dei.

Quarto obſer. eſt quod non eſt mens Scoti probare habitum fidei acquiſitæ eſſe neceſſarium cuilibet adulto ad credendum: quia ſi aliquis gentilis diſceret fidem, & baptizatus moreretur conſequeretur vitam æternam & tamen nondum habuiſſet acquiſitum habitum fidei acquiſitæ: quia ad illud acquirendum requiruntur plures actus, quos ille ex caſu non potuit habere in tam paruo tempore.

His obſeruatis. Concluſio ſit. Certum eſt, quod in nobis eſt fides acquiſita reuelatorum credibilium; probatur primo authoritate D. Auguſtini cōtra epiſtolam Matiodei, quæ dicitur fundamentum, dicente. Euangelio non crederem niſi Eccleſiæ me moneret auctoritas, patet igitur ſecundum Auguſtinum non eſſe credendum libris ſacris: niſi quia Eccleſia docet credendum eſſe illis, & ita inquit D. Auguſtinus. Non credimus Euangelio Nazarenorum, ſed quatuor Euangelijs, quia hæc approbat Eccleſia, illud vero reprobat. Ex hoc dicto D. Auguſtini ſic arguitur. Sicut hyſtorijs famoſis credimus fide acquiſita, aut audiē do eas ab hominibus fide dignis propter authoritatem illorum; ita fide acquiſita credimus hyſtorijs Sacrorum librorum narrante Eccleſia, & eius prædicatoribus, propter authoritatem Eccleſiæ approbantis illos libros, & nobis proponentis, & narrantis, ergo certum eſt quod in nobis eſt fides acquiſita de rebus reuelatis.

Credibili reuelato pōt quis bifariā aſſentiri.

Pro ampliori intelligentia huius rationis obſeruandū eſt, quod credibili reuelato poteſt quis dupliciter aſſentire; priori modo, quia credit reuelantem eſſe veracem, & nolle mentiri. Altero modo propter authoritatem approbantis illud credibile fuiſſe reuelatum ab homine veraci, & nolente mentiri. exemplum primi. Credo Mediolanū eſſe, quia Petrus hoc mihi dixit, quem ſcio eſſe veracem & & nolle decipere; & hoc modo ſicut fide acquiſita credo hyſtorijs humanis, à quibuſdam famoſis viris ſcriptis, & narratis; ita ſi nulla in me eſſet fides infuſa crederem firmiter hyſtorijs librorum Canonis, quia ſcio eorum authores fuiſſe veraces, & noluiſſe mentiri. Secundo modo aſſentimus articulis fidei, eo quod Eccleſia approbat, & docet ſcriptores fuiſſe veraces exēplū. Secūdi Euangeliſtę multa credibilia ſcripſerunt, dictis aūt eorum dupliciter aſſentiri poſſum, primo quia credo illos fuiſſe veraces, & noluiſſe mentiri. Secundo quia Eccleſia approbat eos fuiſſe veraces, quod audiens acquiro mihi habitū credēdi dictis illorū.

Secundo probatur. Si puer Iudeus non baptizatus educetur ab infantia inter nos audiendo prædicatores, haberet fidem de rebus, quas nos Chriſtiani credimus, at ille non haberet fidem infuſam, quia vt ſupponimus non eſſet baptizatus, ergo talis crederet per fidem acquiſitā. Sicut ergo fide acquiſita ex auditu parētum, & aliorum credo multa tempora tranſijſſe, mūdum etiam non incepiſſe mecum; credo etiam Hieroſolymam eſſe, quam non vidi ex relatu fide dignorum; ſic & reuelatis in ſcriptura per fidem acquiſitam ex auditu firmiter adhæreo credendo Eccleſiæ approbanti veritatem Authorum illorum.

Tertio probatur. Si aliquis baptizatus, & credens omnes articulos fidei cadat in hæreſim contra vnum articulum, habet fidem aliorum articulorum, quia eis firmiter adhæret, & non infuſam: quia in hæreticis non manet fides infuſa, ergo talis habet fidem acquiſitam de rebus reuelatis. v. g. Si quis baptizatus credens omnes articulos, erret deinde circa vnum tantum, ſcilicet Trinitatem perſonarum, & vnitatem eſſentiæ, tamen ſentit ſe firmiter adhęreret cæteris credibilibus: nenimō oportet errantem circa vnum articulum, errare circa omnes; quia hæreſes non ſunt neceſſatio connexæ; ille vtique ſine fide infuſa credet alijs articulis: quia fides infuſa corrumpitur, cum hæreſis generatur: nam hæreſis, & fides infuſa licet non repugnent formaliter, repugnant tamē demeritorie; atq; adeo non ſtant ſimul, quemadmodū charitas, & peccatum mortale non poſſunt ſtare ſimul; igitur fide acquiſita credit alios articulos, quæ ſcilicet fuit cum infuſa præcedēte ſi aliqua talis fuit, non enim in illo inſtanti, in quo corrumpitur fides infuſa per hæreſim; generatur primo fides acquiſita: nam ille error nō eſt pro tunc diſpoſitio ad fidem, imo eſt indiſpoſitio, vt pro tunc non generetur; igitur præfuit ante illum errorem, atque ita certum eſt in nobis eſſe fidē acquiſitam. Exemplum poteſt eſſe de Himeneo, Alexandro, & Phyleto, quos Paulus ad Titum. 3. vocat à fide excidiſſe, eo quod nō crediderant reſurrectionem mortuorū & tū credebant plures alios articulos, vt Chriſtū eſſet Dei filiū; factumq; hominē pro redēptione generis humani.

Fides infuſa, & hæreſis non ſtat ſimul.

Quarto, & poſtremo probatur cōcluſio ex D. Paulo ad Roman. 10. dicente. Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante, ergo fides eſt ex auditu, & auditus à prædicante; prædicare autem nullus poteſt niſi mittatur, ergo de primo ad vltimū nullus pōt credere niſi audiat aliquem prædicantem ſibi credibilia Hoc argumentum non valet niſi fiat ſermo de fide acquiſita: quia fides generatur in homine ex hoc: qa audit verba prædicantis, eis adhibendo fidem. Cum ſic poteſt dari ethnicus mortaliter malus ſcilicet exiſtens in peccato mortali per odium, vel furtum, & talis audiendo prędicatorem proponentem ſibi res noſtræ fidei, pōt illis aſſētiri; quia ratio naturaliter ſibi dictat, quod Deus non aſſiſtit falſitati alicuius, vt faciat miracula; Vnde ſi videat aliqua miracula fieri inconfirmationem prædicationis, tunc credet, & tamen poteſt manere in ſuo odio, & peccato, ergo tunc credet per fidem acquiſitam, patet conſequentia, quia infuſa non datur ſine charitate; & charitas nō datur exiſtenti in peccato mortali, & vt ſupponitur talis infidelis, vel hæreticus perſeuerat in ſuis peccatis; ergo certum eſt quod ille credit fide acquiſita.

Nō eſt neceſſaria fides infuſa vt firmiter credamus reuelatis.

Ex his infert Scotus corrolarium, quod ſcilicet ex hoc quod credimus firmiter articulis fidei, ſequitur nō eſſe neceſſariam fidem infuſā; ideſt non eſt neceſſe ponere fidem infuſam adhoc, vt credamus articulos reuelatos, & vt firmiter, & ſine hæſitatione illis adhæreamus. atque determinemur ad alteram partem ſine oppoſiti formidine; nec neceſſitas eius pōt ex hoc concludi; quia fides acquiſita eſt ſuper opinionem &c. Pro intelligentia huius litteræ Doctoris obſer. eſt, quod quadruplex eſt aſſenſus, primus eſt ſcientificus, qui eſt aſſenſus habitualis, firmus ſine formidine de oppoſito, eo habens euidentiam ab obiecto, vt docet Ariſ. primo. Poſt. Scire eſt rem per cauſam cognoſcere &c.

Aſſenſus eſt quadruplex.

Secundus aſſenſus eſt opinio, quæ eſt aſſenſus alicui parti contradictionis, cum formidine, de oppoſita parte, tertius aſſenſus eſt cum dubitatione, & formidine de vtraq; parte contradictionis, velut ſi quis quærat an fides ſit practica, vel ſpeculatiua: quia nunquam intellectus aſſentit, ſed dubitat de vtraq; parte contradictionis, donec fuerit oſtenſū per demonſtrationem, alteram partem eſſe veram, vel falſam; quartus aſſenſus eſt fides, qui eſt aſſenſus verus, firmus, ſine formidine, ſed non ex euidentia obiecti.

Secundo obſer. eſt, quod tres conditiones requiruntur

Digitized by Google

Scientia tres habet conditiones.

ad ſcientiam prima quod ſit notitia certa, ſecunda quod ſit ſine formidine, tertia q; ſit cum euidentia, in opinio autem nec eſt certa, nec ſine formidine, neque euidens. cæterum fides eſt certa, & abſque formidine, licet non ſit euidens. Dicit ergo Doctor, quod fides acquiſita eſt ſuper opinionem idest fides acquiſita eſt perfectior opinione; quia aſſenſus fidei eſt ſine formidine de oppoſito, opinio autem adhæret vni parti contradictionis cum formidine alterius licet ſit infra ſcientiam, quæ eſt ex euidentia obiecti ſcibilis, fides enim habet duas conditiones ſcientiæ: quia eſt notitia certa, & ſine formidine, ſed deficit ſibi tertia quia non habet euidentiam ab obiecto, atque adeo eſt inferior ſcientia. Item opinio adhæret vni parti cum heſitatione alterius; fides vero adhæret articulis ita firmiter, quod nullo modo hæſitat, at ſcientia non tamen firmiter concluſioni adhæret, ſed ex euidentia rei illi adhæret; ita quod à ſe ipſa cauſatur in intellectu concluſionis notitia, ita euidenter, quod non poteſt diſſentire; cum concluſioni propter principia ſibi euidenter nota adhæreat. At fides quamuis adhæreat firmiter verbi gratia huic articulo Deus eſt Trinus, & vnus, tamen non adhæret ex euidentia rei, ſed tantum quia credit veracitati aſſerentis. Ex his probatur ſic Corollarium; Sicut credimus firmiter, & ſine hæſitatione mundum fuiſſe ante nos, & eſſe partes mundi quas nõ videmus per fidem acquiſitam: quia non dubito de veracitate narrantium mihi talia eſſe vera, quod eſt quaſi principium, ita neque de illis, quæ affirmantur, quæ ſunt quaſi concluſio. Ergo à ſimili, quia homo non dubitat de veracitate Dei; naturaliter enim quilibet cognoſcit Deum eſſe veracem, & Eccleſiam eſſe magnæ veracitatis, & authoritatis, poteſt credere Eccleſiæ proponenti ſibi aliqua, quæ ſcilicet ſint à Deo, & vera; atque ita ſine fide infuſa; quia ad hoc ſufficit acquiſita; Quod aũt mũdum fuiſſe ante nos credamus tantum, patet; quia non ideo dicimus mundum non incepiſſe nobiſcũ; quia ſciamus ipſum præceſſiſſe nos, quia

D. Aug.

præteritorum non eſt ſcientia ſecũdum D. Auguſtinum, ſub ea ratione qua præterierunt, nec opinamur mũdum præceſſiſſe non quia non habemus formidinem de oppoſito; ergo firmiter adhæremus huic veritati, mundum nos præceſſiſſe, per fidem acquiſitam ex auditu illorum, quorum veracitati firmiter credimus.

Hoc igitur tenendum eſt tanquam certum in iſto articulo, quod reuelatorum in ſcriptura eſt nobis fides acquiſita generata ex auditu, & ex actibus noſtris, qua eis firmiter adheremus.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrum fides infuſa reſpiciat primam veritatem vt reuelantem articulos, & cauſantem aſſenſum de credibilibus.

Scotus.

DE hac re tractat Scotus in hac quæſtione ſub littera D. ibi ſecundo de fide infuſa &c. & inducit vnum modum dicendi de neceſſitate ponendi fidem infuſam. Pro cuius explicatione obſer. eſt, quod fides infuſa ſimilis eſt in aliquo fidei acquiſitę, imo ſimul is, ſed pro nunc ſcias quatuor eſſe conditiones fidei acquiſitæ. Prima quod per vnum credibile credimus alteri. Secunda quod aſſerens credibile reuelabat alijs ex hoc; quia ſibi à Deo fuit reuelatum: verbi gratia Apoſtoli habuerunt fidem, quia à Deo eis aliquod credibile reuelatum fuit, vel à Spiritu ſancto; Nos autem ab Apoſtolis habemus fidem acquiſitam: quia credimus eis fuiſſe a Deo credibilia reuelata. Tertia eſt quod fides acquiſita eſt certus aſſenſus, & Quarta quod eſt in enigmate. Hoc ſuppoſito. Dicitur ab aliquib. quod ſicut fides acquiſita aſſentit, vel credit dicto alicuius, quia credit veracitati aſſerentis illud eſſe verum. ſic fides infuſa aſſentit alicui reuelato: quia credit Deo, vel veracitati Dei aſſerentis illud.

Pro intelligentia huius dicti obſerua, quod fides dicitur aſſentiri, vel credere dicto alicuius, pro quanto habitus fidei inclinat potentiam ad credendum, vel aſſentiendum: non enim habitus fidei aſſentit vel credit: quia aſſentire, vel diſſentire eſt potentiæ, non habitus, pro quanto ergo fides inclinat potentiam ad aſſentiendum, dicitur fides aſſentiri dicto alicuius, & credere veracitati aſſerentis illud verum. Nam fides acquiſita ſecundum iſtum modum dicendi, non facit aſſentire immediate Deo reuelanti, ſed alicui teſti, creato, articulum aſſerenti; & in hoc differt à fide infuſa, quæ inclinat ad aſſentiendum articulis à Deo immediate reuelatis, ex hoc: quia facit aſſentire veracitati ipſius Dei immediate reuelantis.

Fides ergo infuſa, & acquiſita ſecundum iſtos in hoc conueniunt: quia vtraque inclinat ad aſſentiendum articulis fidei; quia inclinat ad aſſentiendum veracitati reuelantis. Differunt autem in hoc: quia fides acquiſita inclinat dumtaxat ad aſſentiendum veracitati reuelantis creati; Fides vero infuſa præciſe inclinat, vt aſſentiatur veracitati Dei immediate reuelantis.

Secundo dicunt, quod ex hoc quod Deus aſſerit, ſupernaturaliter reuelat, ideo fides aſſentiens tali reuelato, quia aſſentit veracitati reuelantis, eſt habitus ſupernaturalis: reuelat enim credibilia, quando infundit habitum. Pro huius dicti intelligentia obſer. eſt. Deum reuelare aliquod credibile duobus modis intelligi poſſe, vno modo quod Deus immediate cauſet notitiam alicuius articuli, nimirum iſtius Deus eſt Trinus, & vnus, altero modo, quod cauſet aſſenſum, quo illi articulo aſſentiam: nam ſtat quod quis habeat notitiam huius articuli, Deus eſt Trinus, & vnus; & tamen veracitati articuli non aſſentiat: Quia aſſenſus eſt ſimpliciter alius actus ab actu cognoſcendi, vt docet Scotus. 2. Meth. q. 1. Quando ergo dicunt iſti, quod aſſerere articulum, eſt ipſum immediate reuelare, debet intelligi nedũ de notitia articuli, ſed etiam de aſſenſu. ſecundo obſer. eſt, quod aſſenſus eſt duplex ſcilicet actualis, & habitualis, aſſenſus actualis eſt quum intellectus actu aſſentit credibili; habitualis vero, eſt quando habet habitum inclinantem ad aſſenſum, vel quo aſſentiri poteſt, atque ita Deus facit habitualiter aſſentire, quãdo infundit habitum fidei inclinantem ad aſſenſum, & Tunc habitualiter reuelat; actu vero facit immediate aſſentire, quando immediate actum aſſentiendi cauſat, & tunc dicitur actualiter reuelare. Et hoc eſt quod dicunt iſti, quod id, quod Deus aſſerit ſupernaturaliter reuelat; idest Deus tunc reuelat quando aſſerit articulum firmiter eſſe verum. Et hoc vel actualiter, vel habitualiter, vt explicauimus.

Deus duobus modis reuelat aliquod credibile.

Scotus.

Aſſenſus eſt duplex

Tertio dicunt, quod fides iuxta hunc modum dicendi non habet certitudinem ab obiecto, ſed ex veracitate teſtis ſcilicet Dei, & hoc modo facile eſt videre, quomodo fides eſt cum enigmate, & obſcuritate, prout enigma, & obſcuritas opponuntur euidentiæ rei in ſe, habens enim talem fidem vere credit articulis reuelatis: quia credit veracitati Dei reuelantis: adeo quod non credit articulum ex euidentia obiecti, ſed propter hoc, quòd aſſentit veracitati infundentis habitum, & in hoc reuelãtis credibilia. Vnde obſeruandum eſt, cognitionem huius articuli Deus eſt Trinus, & vnus duobus modis poſſe habere euidentiam, vno modo quando Deus ſub ratione Deitatis eſſet in ſe præſens alicui intellectui, ſicut eſt pręſens intellectui beato; altero modo quando eſt præſens per ſpeciem intelligibilem partialiter cauſantem notitiam diſtinctam Deitatis, ſicut fuit præſens intellectui Angelorum ante eorũ beatitudinem, vt docet Doc. in 2. d. q. Verum notitia, quę tantum habetur per reuelationem, neutro iſtorum modorum eſt euidens ex euidentia rei, ſeu obiecti; atq; adeo fides infuſa eſt cum obſcuritate, & enigmate; quia vt diximus habens fidem non credit articulum eſſe verum ex euidentia obiecti, ſed propter hoc quod aſſentit veracitatis infundentis habitum; & in hoc, quod habitum infundit reuelat credibilia.

Ponitur ergo fides infuſa iuxta hunc modum dicendi propter actum credendi, idest vt reuelatis aſſentiamur quatenus immediate à Deo reuelantur: nam fides infuſa reſpicit credibilia, quatenus à Deo ſunt reuelata: inclinat enim ad aſſentiendum articulis reuelatis immediate à Deo. Et iuxta hunc modum dicendi facile ſuſtineri poteſt, quod ſit vna fides omnium credibilium: quia ſecundum iſtum modum dicendi fides infuſa non reſpicit

ſpicit credibilia ſub eorum proprijs rationibus, ſed pro vt reuelata ſunt à Deo; adeo quod fides infuſa pro immediato, & proprio obiecto habet hoc complexum, omne reuelatum à Deo, eſt verum in eo ſenſu in quo reuelatur eſſe verum; quod poteſt eſſe principium inferens omnem articulum fidei in ſpeciali, ſic arguendo, omne reuelatum à Deo eſt verum, in eo ſenſu, in quo reuelatur eſſe verum, ſed Deum eſſe Trinum, & vnum; eſſe incarnatum. &c. eſt reuelatum à Deo; ergo &c. & ſicut illud complexum eſt principium inferens omnem articulum fidei in ſpeciali; ita habitus fidei infuſæ, cuius hoc complexum eſt immediatum obiectum, inclinat immediate ad omnem actum elicitum circa quemcumque articulum virtute illius cõplexi; & ex hoc patet quod eſt vna fides omniũ articulorum: quia eſt vnus habitus inclinans immediate ad proprium obiectum, ſeu immediatum, & mediate ad alia ſpecialia obiecta, quæ vt diximus non reſpicit ſub proprijs rationibus illorũ, ſed quatenus reuelata ſunt à Deo, ac proinde ratio formalis obiecti fidei, eſt præciſe eſſe reuelatũ à Deo: atque ita articuli omnes ſiue ad intra, ſiue ad extra ſunt obiecta fidei præciſe ſub ratione, qua ſunt reuelata, atque adeo eodem habitu reſpiciuntur, quo immediatũ, & primum fidei obiectum reſpicitur. Si enim habeo habitum, quo credo te eſſe veracem, per eumdem habitum credo ea, quę aſſeris eſſe vera inquantum cum illa ſint diuerſarum rationum: quia illis non aſſentio niſi per accidens, per hoc ſcilicet quod aſſentio veracitati tuæ atque ita illis aſſentio, quatenus ſunt à te aſſerta. Ita in propoſito. Credibilibus à Deo reuelatis aſſentio, quia Dei veracitati aſſentio, & ita fides reſpicit omnia credibilia, vt reuelata à Deo; non autem ſub proprijs rationibus. Ideoque vna fides poteſt eſſe de omnibus credibilibus, quãuis geometricalia, vt linea, eſt longitudo &c. Triangulus eſt figura rectilinea, quæ habet tres angulos &c. vel Phyſicalia, vt omne compoſitum ex contrarijs eſt corruptibile; omne corpus naturale eſt mobile, &c. & quantumcumque diuerſa, & alterius rationis introducerentur tamquam credibilia; in omnibus enim eſſet vna ratio credendi illa eſſe vera: quia reuelata ſunt à Deo.

Reijcitur hic modus dicendi.

Refellit Doc. hunc modum dicendi ſpecialiter quo ad duo. & primo in hoc quod dicit, quod obiectum fidei, nõ eſt articulus ſub propria ratione; ſed inquantum reuelatus. nam aſſerit, quod fides infuſa preciſe facit aſſentire articulo quatenus reuelato; quia facit aſſentire veracitati reuelantis;.

Secundo in hoc, quod ponit fidem infuſam eſſe neceſſariam propter credulitatem articulorum reuelatorum.

Primum dupliciter impugnat, & primo ſic. ſi obiectũ fidei eſt articulus ſub ratione reuelati, ſequitur quod fidelis habens fidem infuſam, non poſſet firmiter aſſentire alicui articulo nimirũ iſti, Deus eſt Trinus, & vnus, vel cõſimili; conſequens, eſt falſum, ergo, & antecedens. conſequentia probatur quia ſi non aſſentit firmiter huic articulo, niſi quatenus reuelato à prima veritate, quæro à te, quomodo aſſentit huic, nempe, Deus eſt Trinus & vnus, eſt articulus reuelatus à Deo; Si dicas, quod firmiter aſſentit: quia à Deo eſt reuelatum, hunc articulum. Deus eſt Trinus, & vnus, eſſe reuelatum à Deo: ideſt, quod Deus reuelat, hunc articulum. Deus eſt Trinus, & vnus eſſe reuelatum à Deo, atque ita credit, hunc articulum reuelatum à Deo; eſſe à Deo reuelatum. Ita quod duo credit ſcilicet Deum Trinum & vnum, eſſe reuelatum; & credit eſſe reuelatum, hunc eumdum articulum eſſe reuelatum. Cõtra: quia tunc eſſet proceſſus in infinitum in reuelatis; probatur: quia ſi aſſentio huic reuelato; quia credo illud eſſe reuelatum; hoc ſecundum reuelatum ſit. a. Tunc quęro, quomodo aſſentior ſecundo reuelato; ſi dicas quod aſſentio illi reuelato, quia credo illud eſſe reuelatum, ſit hoc tertium reuelatum. b. & quæratur, vt prius, atque ita erit proceſſus in infinitum, & per conſequens nũquid aliquid credam firmiter de articulis fidei probatur à ſimili; nam ſi ſcientia concluſionis reſoluatur in principia. & illa principia in alia, & ſic in infinitum, nunquã ſciretur aliquid, ſicut nec aliquid eſſe poteſt, quod depẽdeat eſſentialiter ex cauſis infinitis, vt ſubtiliter demonſtrat Doc. in. 1. d. 2. q. 1.

Si dicas, quod huic articulo. ſ. Deus eſt trinus, & vnus, aſſentio; & credo, eſſe reuelatum à Deo; per fidem acquiſitam. ideſt fide infuſa firmiter aſſentio huic articulo vt reuelato à Deo, Verum hunc articulum eſſe à Deo reuelatũ, credo præciſe fide acquiſita. Contra. quia Tunc fides infuſa dependeret in eſſe & infaciendo adhæreret alicui articulo à fide acquiſita velut à principio, ſicut etiã hic: quãdo firmiter adhæreo fide acquiſita huic articulo. Deus eſt Trinus; & vnus; quia credo veracitati aſſerentis; fides acquiſita de tali articulo dependet à veracitate aſſerentis, quaſi ſicut concluſio à principio vt diximus ſupra, ſic in propoſito ſi tantum aſſentio huic articulo, vt reuelato, quia aſſentio fide acquiſita talem articulum eſſe reuelatum, patet fidem infuſam dependere à fide acquiſita, & ſi non in eſſendo, ſaltem infaciendo aſſentire, & confirmatur: quia non potes dicere quod per ſcientiam ipſius articuli, adhæream ei; quia Deum eſſe Trinum & vnum eſſe reuelatum à Deo, non eſt magis ex terminis euidens, quam iſta propoſitio, Deus eſt Trinus, & vnus.

Cæterum hoc argumentum concludit ad hominem; ſed iuxta principia Scoti facillime ſoluitur: Nam quando dicis ego Credo per fidem infuſam huic articulo. Deus eſt Trinus, & vnus: quia credo illum eſſe reuelatũ à Deo, admitto, & hunc eſſe à Deo reuelatum fide infuſa teneo, fateor, & cum quæris per quam fidem? dico quod per ſe ipſam, atque ita non proceditur in infinitum: quia ſecundum Scotum, quando aliquod eſt denominatiue tale, & aliquid formaliter tale, ſtandum eſt in illo, quod eſt formaliter tale, vt paries albedine eſt albus denominatiue, & albedo eſt formaliter albedo, ergo ſtandum eſt in ipſa: quia ſe ipſa eſt talis formaliter. Ita in propoſito, non eſt neceſſe in vniuerſum, omne obiectum cui fides aſſentit eſſe reuelatum; ſed ſatis eſt, vel quod ſit reuelatum, vel ipſa reuelatio; ſicut non eſt neceſſe omne obiectum in quod potentia viſiua fertur, eſſe lucidum, ſed ſatis eſt quod ſit lucidum vel ipſa lux, quam etiam videmus: ita fides præbet aſſenſum reuelationi, vt reuelatæ, non per aliam reuelationem, ſed per ſe ipſam; valet tamen argumentum cõtra Thomiſtas. Poſſet etiam dici, quod huic. Deum eſſe Trinum, & vnum eſſe reuelatum à Deo, aſſentio: quia teſtem aſſerentem hoc, credo veracem, quia eſt Apoſtolus, vel ſcriptura, quem audiui, vel quam legi, & his aſſentio firmiter fide acquiſita: Non enim poteſt aliquis alicui credibili fide infuſa aſſentiri, ſine fide acquiſita, loquendo de communi lege vt diximus in ſuperiori articulo de puero baptizato, & nutrito ſine inſtructione; nec eſt inconueniens fidem infuſam coexigere acquiſitã, vt ſupra oſtẽſum eſt, neque dependet ab ea, tamquam à cauſa, quo ad eſſe: quia immediate infunditur à Deo, neque in faciendo adhærere, niſi vt à cauſa ſine qua non.

Secundo arguitur, quod eſſe reuelatum non poteſt eſſe ratio formalis obiecti alicuius habitus realis: quia habitus realis reſpicit obiectum ſub ratione reali, vt ſubtiliter probatum eſt à Doc. in. 3. q. prologi, & loquor ſemper non ſolum de habitu reali denominatione intrinſeca; & in ſe; quia ſic omnis habitus eſt realis; quia eſt qualitas de prima ſpecie qualitatis. Sed præcipue loquor de habitu reali denominatione extrinſeca: quatenus reſpicit obiectũ reale; Nam licet logica ſit in ſe ſcientia realis, appellatur tamen ſcientia rationis, quia pro obiecto habet ens rationis. Ita in propoſito habitus fidei eſt realis vtroque modo ſcilicet intrinſece, & extrinſece: quia reſpicit obiectum reale, ſub formali ratione reali; ſed eſſe reuelatum eſt tantum ens rationis; ergo fides infuſa non habet pro obiecto articulum fidei ſub ratione formali, quæ eſt ens rationis, quemadmodum eſt eſſe reuelatũ. Nam Deum Trinum, & vnum eſſe reuelatum; non dicit vltra Deum Trinum, & vnum, niſi reſpectum rationis, ſicut eſſe cognitum non dicit niſi reſpectum rationis, vltra rem, quæ cognoſcitur.

Secundo principaliter impugnat Doc. hunc modũ dicẽdi in hoc, quod poſſit fidem infuſam eſſe ſimpliciter, & abſolute neceſſariam propter credulitatem articulorum fidei, & intendet probare Doc. ꝙ fides infuſa non eſt ſimpliciter, & abſolute neceſſaria ad actum credendi, ſed abſolute loquendo poteſt viator habere ita perfectum, & firmum actum credendi reſpectu omnium credibilium ſine fide infuſa, ſicut iam fide infuſa; ſicut abſolute loquendo, vt dictum eſt in primo. d. 17. ita perfectum actum diligendi, & quantum ad ſubſtantiam actus,

& quantum ad modum quemlibet intrinſecum actus haberi poteſt ſine charitate habitu infuſo, ſicut cum ipſa, obſerua tamen, quod quando dicit Scotus, quod firmiter poteſt quis credere fide acquiſita ſine infuſa; loquitur de ea firmitate, qua ſolemus credere alijs hyſtorijs fide humana creditis ob authoritatem narrantis, quia ſine formidine oppoſiti, vt ſic talis aſſenſus diſtinguatur à ſcientia, & ab opinione; non tamen ea firmitate qua credimus cum fide diuina, & auxilio Dei; nunquam enim Scotus voluit æquare fidem acquiſitam fidei diuinæ in certitudine, imo oppoſitum docet in quol. q. 14. ar. 1. & q. 17. §. contra concluſionem. cum actus fidei acquiſitæ ſit à lumine naturali, & actus fidei infuſæ ſit virtute luminis diuini, & per Dominum, vt ibi docet Doc. actus credẽdi fidei infuſæ ex eo quod innititur regulæ certæ, & omnino infallibili habet, quod nõ poteſt eſſe falſus, actus vero fidei acquiſitæ cum innitatur naturali lumini, tamquam regulæ minus certæ, ratione illius non repugnat actui, quod eſſet falſus, vel circa falſum obiectum. hoc ſuppoſito prima ratio Doc. eſt talis.

D. Aug.

Et primo, cui articuli ſunt reuelati, ſufficit fides acquiſita, vt firmiter credat eis; ſicut in Paulo; igitur in alijs poſterioribus ſufficit fides acquiſita, vt firmiter credant talia credendi, conſequentia probatur, quia ſecundum D. Auguſtinum ſuper illud Pſal. 71. Suſcipiant montes pacem populi, & colles iuſtitiam. Inferiores illuminantur per ſuperiores, & non magis illuminantur, quam ſuperiores illuminantes ipſos. probatur. antecedens, ex puris naturalibus includendo habitum acquiſitũ, poteſt aliquis aſſentire omnibus aſſertis, & reuelatis ab aliquo: quia ex puris naturalibus aſſentire poteſt illum eſſe veracem, qui talia aſſerit, & reuelat; ſed ex puris naturalibus credit homo, & aſſentit, quod Deus eſt verax magis, quam omnes homines, & hoc ſcire, & aſſentire potuit Paulus: igitur fide acquiſita ex puris naturalibus poteſt aſſentire omnibus reuelatis à Deo. & per conſequens quilibet alius, igitur præter fidem acquiſitam, non requiritur neceſſario neceſſitate ſimpliciter, & abſoluta aliqua alia fides, licet neceſſitate ſuppoſitionis, & de facto ponenda ſit fides infuſa in quolibet viatore ſaluando, vt credat ſicut oportet vt videbimus in ſequentibus.

Secundo arguitur ad idem præſupponendo, quod licet aliqua ſcientia propter ſui difficultatem, vt Geometria, vel alia non poſſit ſciri ab iſto homine propria inuentione, & in ſuo lumine naturali, tamen poſtquam eſt inuenta, & ordinate tradita, poteſt homo iſte ex puris naturalibus, naturaliter adiſcere, & ſcire eam. Igitur eodem modo, quamuis nemo naturaliter lumine intellectus poſſit propria inquiſitione venire ad notitiam huius, Deus eſt Trinus, & vnus; tamen poſtquam eſt reuelatum alicui, poteſt alius, & ille cui reuelatum eſt, etiam firmiter aſſentire illi, & adhærere fide acquiſita.

Præterea tertio fides infuſa ſi ponitur eſt certior acquiſita; atque adeo ſi fides infuſa eſſet ſimpliciter neceſſaria ad credendum, certius faceret credere, quàm fides acquiſita, alias non neceſſario poneretur. Sed conſequens eſt falſum, ergo & antecedens, probatur minor: quia fides acquiſita eſt certior, Nam concluſio eſt minus certa, quã principium ex quo tota certitudo eius, pendet à principij certitudine, & propter ꝙ vnũ quodque tale, & illud magis. Sed huic credibili, Deum eſſe Trinum, & vnum, aſſentio fide infuſa, quia hoc reuelatum eſt a Deo; ſed hoc eſſe reuelatum a Deo credo fide acquiſita, nimirũ quia D. Ioannes, vel alius Apoſtolus, dixit hoc ſibi eſſe reuelatum; ſed ſi audiuiſſem eum aſſerentem hoc ſibi eſſe reuelatum, crediduſſem fide acquiſita; credendo illum eſſe veracem, & nihil falſi velle aſſerere. Igitur, & modo fide acquiſita per auditum vel ſcripturarum lectionem credo eſſe reuelatum Apoſtolo, Deum eſſe Trinum, & vnum; & per conſequens tota firmitas, quæ hoc modo ponitur in fide infuſa, quo ad actum credendi ſimpliciter, eſt ſimpliciter a fide acquiſita; ergo non videtur ponenda fides infuſa modo ſupra poſito, ſcilicet vt ſimpliciter, & abſolute neceſſaria ad actum credendi.

ARTICVLVS NONVS.

Vtrum fides infuſa ſit neceſſario ponenda, vt cauſet aſſenſum de credibilibus reuelatis.

DOctor ſub. in hac. quæſtione dicit quod nulla ratio cogit ponere fidem infuſam propter credulitatem articulorum, ſed ſi talis fides eſt ponenda, (ſicut de facto ponenda eſt) hoc eſt præciſe propter authoritatem ſcripturæ, & ſanctorum. Refert tamen duplicem modum ponendi fidem infuſam, propter credulitatem articulorum, & neutrũ firmiter aſſerit; quia vtrumque modum improbat. Secundus tamen modus videtur aliqualiter euidentior primo. Explicato itaque & improbato primo modo ponendi fidem infuſam. In hoc articulo explicandus, atque improbandus eſt ſecundus modus. pro cuius explicatione.

Fides infuſa reſpicit immediate Deum.

Obſer. eſt primo quod ſecundum iſtum modum ponendi fidem infuſam, Fides infuſa reſpicit immediate ipſum Deum vt obiectum, de quo formantur articuli, ſiue ad intra, vt Deus eſt Trinus, & vnus; Pater generat Verbum; Pater, & filius ſpirant Spiritum ſanctum, &c. ſiue ad extra, vt Deus eſt Creator; Deus eſt incarnatus; Deus eſt paſſus, Crucifixus, mortuus, &c. adeo quod fides infuſa reſpicit Deum ſub ratione Deitatis, vt obiectum primarium, & habet omnes articulos fidei, qui includuntur in Deo, vt obiecta ſecundaria, & in hoc differt à fide acquiſita, quia fides acquiſita, vt obiectum primum, reſpicit veracitatem aſſerentis, & vt obiecta ſecundaria reſpicit aſſerta.

Fides infuſa reſpicit Deum ſub ratione Deitatis.

Secundo obſer. eſt quod iſte modus ponendi fidem infuſam, differt à præcedenti in hoc, quod primus modus ponit fidem infuſam reſpicere Deum, vt primarium obiectum non abſolute, & ſub ratione Deitatis, ſed vt reuelantem credibilia; ita vt Deus ſub ea ratione, qua reuelat eſt primum obiectum fidei infuſæ; ponit etiam reſpicere articulos fidei vt obiecta ſecundaria, non abſolute, ſed inquantum reuelata, ita quod reuelari paſſiue eſt ratio formalis obiectiua; Iſte autem ſecundus modus ponit fidem infuſam reſpicere Deum ſub ratione Deitatis, & non ſub ratione reuelantis, & ſimiliter reſpicit articulos, ſiue credibilia abſolute, & ſub proprijs rationibus, & non quatenus reuelata ſunt.

Tertio obſer. eſt, quod licet fides infuſa habeat Deum pro obiecto ſub ratione Deitatis; habens tamen fidem, infuſam, non poteſt de communi lege Deum ſub ratione Deitatis cognoſcere; ſicut Theologia noſtra reſpicit Deum ſub ratione deitatis pro obiecto, & tamen habens illam, non poteſt de communi lege cognoſcere Deum ſub Deitatis ratione, vt docet Doc. 1. & 3. q. prologi.

Per fidem infuſam obiecta fidei non ſunt præſentia.

Quarto obſer. eſt, quod per fidem infuſam, obiecta fidei, ſiue primaria, ſiue ſecundaria, non habentur in ſe præſentia, neque in ſpecie intelligibili: quia tunc de eis poſſet eſſe aſſenſus ex euidentia rei, ſed fiunt præſentia per auditum: hoc patet, quia habens habitum fidei infuſæ, & non inſtructus de credibilibus ab aliquo Doctore, nullo modo cognoſcit illa, nec aſſentit illis, vt veris per talem habitum; ſed inſtructus per auditum de credibilibus, talia credibilia fiunt ſibi præſentia non in ſe, ſed præciſe per auditum; ſicut modo Hieruſalem eſt mihi præſens tantum per auditum, cum nunquam eam viderim; ſed quia credo veracitati aſſerentis Hieruſalem eſſe: ita in propoſito habenti fidem infuſam credibilia fiunt præſentia per fidem infuſam, & ipſis præſentibus facit illis aſſentiri. His obſeruatis explico literam Doctoris quæ reducitur ad ſeptem dicta.

1. Dictũ.

Primo dicit Doctor, quod credibilia poſſunt concipi, & cognoſci à nobis naturaliter in quolibet genere credibilium in conceptibus generalibus entis, & veri, & ſic de alijs, poſſumus enim hanc propoſitionem Deus eſt Trinus, & vnus, cognoſcere i terminis ſuis generaliter cognoſcen-

Digitized by Google

ſcendo Deum ſub conceptu generalis ſcilicet entis, veri, & boni, & ſimiliter trinum, & ita de alijs terminis, ſed hanc Deus eſt trinus in perſonis, & vnus in eſſentia nunquam cognoſcimus euidenter, neq; eſt nobis ex terminis euidẽs, niſi termini apprendantur a nobis imparticulari, & ſub proprijs rationibus. Vult dicere Sco: quod via naturali poſſumus cognoſcere omnes articulos fidei, præciſe in cõceptibus communibus, & confuſis, atq; ita lumine naturali poſſum cognoſcere iſtam propoſitionẽ, aliquod ens eſt trinum, & vnum. Nam ab hoc, & ab illo ente particulari poſſum abſtrahere conceptum entis, & ab hoc, & illo vno poſſum abſtrahere vnitatem, & ſimiliter ab hac, & illa Trinitate in numeris poſſum abſtrahere Trinitatem: & iſtos conceptus poſſum ad inuicem componere, & formare hanc propoſitionem, aliquod ens eſt trinum, & vnum. Ceterum hanc propoſitionem, nimirum, hic Deus eſt trinus, & vnus, non poſſumus naturaliter cognoſcere, & in particulari, in conceptibus proprijs, ſpecificis, & diſtinctis quia termini non poſſunt à nobis, ſub proprijs, & ſpecificis, conceptibus naturaliter concipi.

Secundũ dictum.

Secundo dicit Doc. quòd licet iſti termini apprehendãtur à nobis vniuerſaliter idest in conceptibus communibus, tamen vt ſic apprehenſi non ſunt termini propoſitionis immediate ſimpliciter primæ, ſed mediate. Ideo hæ propoſitiones Deus eſt trinus; & vnus. Deus eſt incarnatus, & huiuſmodi, præter omnem cognitionem, quam naturaliter poſſumus habere ex terminis illarum in vniuerſali, adhuc remanent nobis neutræ, ita quod nõ poſſumus naturaliter; ſcire eas eſſe veras, vel falſas, & ratio eſt; quia hæc propoſitio, Aliquod ens quod appellamus Deũ eſt trinum, & vnum, vel aliquod ens, quod appellamus filium Dei, factum eſt homo, eſt propoſitio mediata, ab aliqua immediata dependens, quam vna naturali ſcire non poſſumus, vt docet Doc. in q. 1. prologi ſoluendo vnum argumentum Henrici. Si vero poſſemus cõcipere terminos in particulari, & ſub proprijs, & diſtinctis conceptibus, termini iſti primo mouerent intellectum, ad ſimpliciter eorum apprehenſionem, ſub eorum proprijs rationibus, & ſecundo ad terminorum compoſitionem formando propoſitionem immeditam, & veram, quemadmodum: quia ſub propria ratione, & diſtincte concipio quid ſit totum, & quid ſit pars, totum & pars, primo mouet intellectum ad ſimplicem eorum apprehenſionem, ſecundo ad compoſitionem, & tunc intellectus format hanc propoſitionem veram, & immediatam, omne totum eſt maius ſua parte. Ita ſi poſſemus concipere Deum in particulari ſub proprio, & diſtincto conceptu, atq; etiam vnitatem, & Trinitatem, Deus vnitas, & Trinitas, primo mouerent intellectum ad eorum ſimplicem apprehenſionem, deinde ad compoſitionem, & Tunc intellectus formaret hanc propoſitionem, hic Deus eſt Trinus & vnus, eo modo quo beati formant eam in patria.

Tertium dictum.

Tertio dicit Scotus. Quod cum de facto in hoc ſtatu viatoris termini credibilium non moueant intellectum noſtrum, ſic in particulari, & ſub proprijs rationibus Deo non aſſentimur ipſis credibilibus tamquam propoſitionibus immediatis ex euidentia terminorum, quem tamen aſſenſum termini apprehenſi eſſent nati cauſare in intellectu, ſi diſtincte, & ſub proprijs, atq; diſtinctis rationibus conciperentur; atq; adeo circa eiuſmodi credibilia habemus vnum aſſenſum alium imperfectum, reſpectu illius perfecti, quem facerent termini ſi diſtincte conciperentur, & in illo incluſum, ſicut imperfectum in perfecto: nam ſicut duplex eſt cognitio, ſcilicet cõfuſa, & diſtincta; ita duplex eſt aſſenſus ſcilicet confuſus, & imperfectus, diſtinctus, & perfectus, & aſſenſus confuſus, & imperfectus includitur in diſtincto, & perfecto.

Aſſenſus eſt duplex.

Quarto dictum.

Quarto dicit quod ille aſſenſus imperfectus poteſt cauſari in nobis per aliquod ſuplens cauſalitatem terminorum imperfecte cognitorum: ſicut ex frequentia actuum cognoſcendi; terminos illos cognitione imperfecta. i. confuſa, & in vniuerſali, cauſaretur in nobis habitus cauſans aſſenſum propoſitionibus complexis ex illis terminis ſic imperfecte cognitis; ſed quia nihil mouet intellectum noſtrum naturaliter ad cauſandum aſſenſum intellectus iſtis credibilibus, ideo Deus ſuplet vicem obiecti; vt ſicut ex frequentia actuum cognitionis imperfectæ terminorum in articulis generaretur in nobis aſſenſus imperfectus de credibilibus, ſi tamen termini mouerent imperfecte ad huiuſmodi aſſenſum cauſandum, ſic Deus infundit nobis habitum fidei inclinantem intellectum noſtrum in aſſenſum articulorũ. Vult dicere & Doc. in hoc dicto, quod iſte aſſenſus imperfectus poteſt in nobis duplici modo cauſari, priori modo à cauſis naturalibus, velut ſi eſſent ſpecies intelligibiles repreſentantes terminos in conceptu vniuerſali, entis, vnitatis, & trinitatis in communi, & iſto modo cauſaretur aſſenſus imperfectus de propoſitione formata ex illis terminis imperfecte cognitis. Poſteriori modo per aliquod ſuplens vice obiecti naturalis, & cum pro ſtatu iſto termini huius propoſitionis Deus eſt trinus, & vnus, non moueant intellectum noſtrum naturaliter ad cauſandum aſſenſum intellectus huic credibilis. Ideo Deus ſuplet vicem obiecti, cauſando in nobis habitum, qui dicitur fides infuſa, ſine quo non aſſentiremus iſtis credibilibus.

Quintum dictum. Fides infuſa reſpicit Deum pro obiecto.

Quinto dicit, quòd fides infuſa reſpicit ipſum Deum pro obiecto de quo formantur articuli, quibus tamquam obiectis ſecundarijs aſſentimus per habitũ. Sed ille aſſenſus non eſt ex euidentia terminorũ; quia omnia credibilia, vel ſunt neceſſaria ſimpliciter ſicut Deum eſſe Trinum, & vnum, & alia ſimilia, quæ reſpiciunt Deum intrinſece, hoc eſt, ad intra; vel ſunt contingentia, vt illa quæ reſpiciunt extrinſeca, cuius modi ſunt incarnatio Filij, reſurrectio mortuorum & cętera huiuſmodi, quæ dependẽt a voluntate diuina, qui contingenter ordinauit illa ab æterno, quamuis ſint neceſſaria ex ſuppoſitione diuinæ voluntatis, ſic ſtatuentis; eſt enim neceſſitas illorum condictionata; Et talium credibilium, ſiue neceſſariorũ ſimpliciter, ſiue contingentium, neceſſitas, vel contingentia, aut ipſa met credibilia non ſunt nobis nota intuitiue, ſicut nata eſſent videri. Ideo aſſenſus, quem cauſat in nobis fides infuſa non eſt ita perfectus, ſicut erit quod videbimus Deum ſicuti eſt, ſed eſt imperfectus.

Sextum dictum.

Dicit ſexto Quod iſte modus ponendi fidẽ infuſam nõ innititur alteri ſicut præcedẽs modus, ideſt quòd ideo aſſentio huic credibili, Deus eſt Trinus & vnus; quia primo aſſentio Deo hanc veritatem reuelanti, atq; ita reſpicit Deum vt cauſantem aſſenſum, non vt obiectum habitus; hoc eſt dictum. Primus modus ponit fidẽ infuſam reſpicere Deum, vt obiectum primarium non abſolute, & ſub ratione Deitatis, ſed vt reuelãtem credibilia, ita quod Deus ſub ratione qua reuelat iuxta primum modum ponendi fidem infuſam, eſt fidei infuſæ obiectum; at iſte ſecundus modus ponit fidem infuſam reſpicere Deum abſolute, vt primarium obiectum, de quo ſicut de obiecto primo continente huiuſmodi veritates, formamus has veritates complexas, Deus eſt trinus & vnus, Filius Dei eſt incarnatus &c. nec credo hoc eſſe verum ſcilicet Deum eſſe trinum & vnum; quia prius credo hoc eſſe reuelatum à Deo, ſed ille habitus immediate inclinat in articulos fidei; ſicut ſi ex articulis cognitis immediate acquireretur; eodem prorſus modo, quantum ad hoc; quo ſcientia inclinat in cognoſcibilia; licet cognoſcibilia non ſint præſentia in habitu; ſed per ſpecies intelligibiles; & eſto quod obiectum ſcibile non eſſet præſens per ſpecies, adhuc ſtaret habitus. i. ſcientia, ſicut ſi ſpecies poſſent eſſe delete ſtãte ſcientia, adhuc ſcientia magis inclinaret in illa obiecta, quæ ſibi aliquando fuerunt in ſpeciebus præſentia, quam in alia; & ſimiliter ſi eſſent præſentia homo facilius intelligeret, & concluderet concluſiones ex eis, quam ex alijs obiectis, quorum nunquam habuit habitus. Cęterum credibilia licet non ſint præſentia per fidem infuſam, ita quod repreſentet obiecta, ſicut nec aliquis habitus facit, ſed aliũde puta per auditum, vel lectionem, inclinat tamen fides infuſa in credibilia primo, ſicut in ſua obiecta; ita quod fides infuſa reſpicit primam veritatem ſcilicet Deum abſolute, & ſub ratione Deitatis vt de qua eſt, ſicut de obiecto primo.

Septimum dictum.

Dicit poſtremo quod ex hoc patet diſcrimen fidei infuſæ ab acquiſita: quia ratio tendendi in aliquod creditũ fide acquiſita, eſt veritas teſtis aſſerentis illud eſſe verum; at ſecus eſt in fide infuſa; hæc namq; eſt de credibilibus immediate reſpicientibus primam veritatem hoc eſt fides infuſa eſt de articulis, qui formantur de Deo, qui eſt

prima

Digitized by Google

prima veritas;in qua prima veritate continentur omnes huiuſmodi veritates,tamquam in obiecto primo,i.adæquato, & non reſpicit primam veritatem, hoc eſt ipſum Deum,ſicut illud à quo ſunt cauſaliter huiuſmodi veritate reuelatæ iuxta primum modum dicendi,hoc eſt dictū. Fides infuſa eſt de credibilibus quæ attributionem habēt ad Deum,vt ad primum obiectum, & non reſpicit credibilia prout habent ordinem ad Deum, quatenus ſunt ab ipſo cauſaliter reuelata, vt dicebat prior modus ponendi fidem infuſam. Et quamuis articuli non ſint præſentes vt obiecta:niſi quia prius reuelari,tamen intellectus non tēdit in eos:quia primo credit ea eſſe reuelata,atq; adeo nō reſpicit pro formali obiecto in eis reuelari, ſed ipſos articulos in ſe; Adhuc tamē eſt obſcura fides infuſa quia licet firmiter inclinet intellectum in talia, vt obiecta, tamen non ſuit ea præſentia ex euidentia rei, nec aliud facit ea, ſic euidentia,vel præſentia.ſcilicet ex euidentia rei:tamen habitus fidei inclinat in veritatem obiecti,ſecūdum quod inclinat firmiter intellectum in eiuſmodi obiecta.

Refellit Scotus hunc modum dicendi. Hunc modum dicendi reijcit Doc. ſub. & potiſſimum in hoc,quod dicit fidem infuſā eſſe cauſam aſſenſus credibilium,eo vel maxime,ꝙ videtur aſſerere eiuſmodi aſſenſum non cauſari ab intellectu, & præciſe à fide infuſa.& primo deducit ad hoc inconueniens, quod tunc ſequeretur fidem infuſam eſſe ſimpliciter potentiam;quia ſimpliciter intellectus diceretur aſſentiri formaliter;nam aſſentiri & in ſe aſſenſum recipere cum attingentia ad obiectū quemadmodum intelligere formaliter & intellectionem recipere,vt Phyloſophus patet.a quocūq; intellectio cauſatur,Conſequentia probatur quia illud eſt potentia quo ſimpliciter poſſumus in actum; habitus vero quo ſic, vel ſic poſſumus ſcilicet faciliter,expedite, vel intenſius;nam ſimpliciter operari,eſt ſimpliciter operationem producere.ſed ſic,vel ſic operari,eſt ipſam producere magis intenſe,vel magis prompte, ſed fides infuſa ſecūdum hanc viā, eſt qua ſimpliciter aſſentimus credibilibus reuelatis: quia nullo modo poſſum aſſentire huic Deus eſt Trinus, & vnus;niſi per fidem infuſam,igitur fides eſt potentia,& nō habitus.concluſio falſa,ergo aliqua præmiſſarum non maior,ergo minor. Pro ampliori intelligentia huius rationis obſeruandum eſt,quod habitus non ponitur in potentia, vt per ipſum potentia ſimpliciter operetur:quia tali habitu non poſito poſſet operari ſi obiectum eſſet præſens in ſe, vel in ſpecie intelligibili, ſed ponitur habitus, vt potentia habituata perfectius operetur, quam non habituata operaretur poſito hinc inde æquali conatu & hoc tenē-

Scotus. do habitū concurrere vt cauſam partialem reſpectu actus vt tenet Doc.in 1.d.17.ſi vero teneatur, quòd habitus nō ſit cauſa partialis actus,ſed quod præciſe inclinet potentiam ad prompte,faciliter,& delectabiliter operari. Tunc dicimus,quod habitus non eſt id, quo ſimpliciter potentia operatur,ſed eſt id,quo prompte,facile,& delectabiliter operatur. At ſi iuxta hanc ſententiam fides infuſa eſſet cauſa totalis actus aſſentiendi, magis eſſet appellanda potentia,quam habitus,quia,vt ſic eſſet id, quo ſimpliciter potentia aſſentiret.

Præterea ſecundo.ſi habitus fidei infuſæ eſſet cauſa totalis actus aſſentiendi,ſequeretur,quod actus credendi fidei infuſæ eſſet alterius rationis ab actu fidei acquiſitæ, conſequens eſt falſum ergo & antecedens. conſequentia probatur,quia illi actus ſunt alterius rationis quorū principia ſunt alterius rationis; ſed ſic eſſet in propoſito,quia actus credendi fidei acquiſitæ tantum dependet ab intellectu credentis,& à veracitate aſſerentis,ſed actus fidei infuſæ dependeret tantum à fide infuſa. Huic rationi reſpōdetur,quod non eſt inconueniens actum fidei infuſæ & actum fidei acquiſite eſſe alterius rationis,ſicut non eſt inconueniens de actibus intelligendi reſpectu diuerſorum obiectorum:qa ſi obiecta ſunt alterius rationis & actus intelligendi ſunt alterius rationis. Poſſet etiam dici quod hæc ratio non concludit:quia Scotus in quol. q.14.art.1.

Scotus. ſub litera.g.§.Comparādo fidem infuſam &c.dicit quod actus elicitus ex inclinatione vtriuſque habitus eſt idem, quando eſt in eodem,& licet habitus acquiſitus, & habitus infuſus,ſpecie diſtinguantur,non tamen effectus;quia non ſunt cauſæ totales, ſed partiales. Et ad primam rationem dicitur,quod fides nō eſt potētia:quia potentia ſe tenet ex parte animæ,fides autem à parte obiecti,vt partialis cauſa reſpectu actus; ideo non eſt potentia animæ, ſed cauſat aſſenſum totum,vt tenet vicem obiecti. Vult dicere Doc.quod ſi fides ſupleret vicem intellectus cauſando aſſenſum,tunc poſſet dici quaſi potentia animæ; ſed quia ſuplet tātum vicē obiecti cauſando aſſenſum partialiter,& imperfectū,ideo non ponitur potentia animæ,dicitur autem obiecti vicem imperfecte ſuplere. quia non cauſat aſſenſum talem,qui natus eſt cauſari ab obiecto in ſe præſente,vel in ſpecie intelligibili:quia talis aſſenſus ſic cauſatus eſt euidens ex euidentia rei;aſſenſus autem cauſatus à fide ſuplēte vicem obiecti ſupernaturalis,nullo modo eſt euidens ex euidentia rei,vt diximus ſupra, ac proinde talis aſſenſus eſt obſcurus,& imperfectus.

Sed contra,& eſt ad principale. Hic doctor arguit ad principale & contra reſponſionem datam; ad principale quidem probando quod talis aſſenſus non ſit à fide infuſa;& contra reſponſionem datam probando etiam, quod non ſit à fide infuſa ſuplente vicem obiecti, vt dixerat reſponſio,& argumentum eſt tale. Poſita cauſa totali alicuius effectus in ſuppoſito conueniente, & non impedita, ſtatim ſequitur effectus,ſi ſit cauſa naturalis;ſed per te fides infuſa eſt cauſa partialis aſſenſus ſuplens vicem obiecti,& ex alia parte intellectus eſt alia cauſa pertialis,quę integrat vnam totalem;ergo habens fidē infuſam,& nullo modo inſtructus de articulis fidei per fidem acquiſitā, neceſſario aſſentit illis articulis: quod eſt manifeſte falſum: quia ſi quis haberet fidem infuſam & nullo modo eſſet inſtructus per fidem acquiſitam de articulis fidei, non aſſentiret firmiter illis. Patet,ſi eſſet puer vnus baptizatus,nutritus inter infideles vel in deſerto,ꝗ ſine inſtructione aliqua circa ea, quæ ſunt fidei noſtræ pertingeret ad ætatē adultam & nullam haberet doctrinā de credēdis,eſto quod haberet notitiam illorum terminorū, Mortui, & reſurgent ita quod ſciret, quid eſſet mortuus,& quid reſurgere, ſequeretur ſi fides infuſa eſſet cauſa totalis aſſenſus ſuplens vicem obiecti,quod poſſet aſſentire huic complexo mortui reſurgent, quod eſt falſum:nunquam enim omnibus illis poſitis plus aſſentiret, quam ante,niſi prius edoceretur de illo articulo quod eſſet credendus;& ex hoc ſequitur contra principale,quod aſſenſus non eſt à fide infuſa; Sed quod ſufficit fides acquiſita ex auditu,nec aliquis experitur alia in tali caſu. Pro ampliori intelligentia huius rationis,quia Scotus in hac ratione,& in tota hac quæſtione ſentit,quod actus credendi procedens à fide infuſa,non poteſt eſſe ſine aliqua notitia ſumpta ex apparentibus, & hoc probauit ſupra ex Paulo Roman.x.dicente. Quomodo credent ei,quem nō audierunt &c.obſer.eſt quod ad actum credendi neceſſarius eſt aliquis,qui proponat credibilia,tamquam digna, vt credantur.i.cum rationibus probabilibus, vel etiam cum miraculis; quod ſic patet: quia ſi ſola fides infuſa ſufficeret ad eliciendum actum, tunc baptizatus in quo eſt fides infuſa factus adultus propoſitis ſibi credibilibus, & oppoſitis credibilium, ſine aliqua perſuaſione ad hāc, vel illam partem,aſſentiret credibilibus,& diſſentiret oppoſitis,ſed hoc eſt falſum,ergo fides infuſa non ſufficit, vt exeat in actum credendi ſine fide acquiſita; conſequentia eſt optima, & maior inde patet: quia habitus qui ſolus ſufficit ad eliciendum actum propoſito obiecto poteſt illum elicere,& minor probatur:ſicut ſe habet ille, qui habet habitum infuſum fidei, antequam ſibi proponantur quæcumq; credibilia reſpectu ipſorum credibilium; ita habens eamdem fidem infuſam, & ſimul habens actum circa aliqua credibilia ſibi propoſita,& ab eo credita, reſpectu aliorum credibilium,quæ adhuc non fuerunt ſibi propoſita,hoc patet,quia vterq; æqualiter ſe habet,vnus reſpectu omnium credibilium, alter reſpectu illorum, quæ non fuerunt ſibi propoſita; ſed habens fidem infuſam, & ſimul actum reſpectu aliquorum credibilium, nō aſſentiret alijs articulis de nouo ſibi propoſitis,niſi ꝑcedat aliqua perſuaſio,& probabilitas,vt patet de Iudęis, qui habentes habitū fidei infuſæ & actum aliquorū credibilium non aſſentiebant articulis a Chriſto Domino propoſitis de nouo, niſi concurrente cum fide notitia ex miraculis,& perſuaſionibus Chriſti; ergo ſimiliter ille, cui nulla ſunt propoſita credibilia licet habeat fidem in-

infuſam

aſſenſum non exiet in actum illius fidei ſtatim, vt propoſita fuerint ſibi credenda, niſi habita prius aliqua notitia probabilitatis eorum quæ notitia accipietur ex apparentibus ſcilicet ex rationibus probabilibus, & miraculis, & alijs notitijs, & hoc volebat D. Auguſtinus dicens Euangelio nõ crederem, niſi Eccleſia mihi proponeret, & Chriſtus Dominus dixit Ioan. 15. ſi non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo: quia Chriſtus Dominus rationabiliſſime prædicabat, & confirmabat miraculis ea, quæ dicebat.

D. Auguſtinus.

Præterea ſi fides infuſa præberet talem aſſenſum &c. Hic Doctor ducit ad aliud inconueniens ſcilicet quòd fidelis habens talem fidem firmiter, & neceſſario aſſentiret articulis fidei ante omnem actum voluntatis, quod negat D. Auguſtinus ſuper Ioan. hom. 26. Cetera inquit poteſt homo nolens, credere autem non niſi volens, conſequentia ſic deducitur, ſi fides infuſa præbeat talem aſſenſum per modum naturæ, inclinans potentiam in actum, cum termini articulorum poſſint apprehendi ante omnem actum voluntatis, ſequitur quòd homo firmiter aſſentiret credendis ante omnem actum voluntatis; imo ſequeretur, quod homo firmiter aſſentiret credendis ſine fide acquiſita: quia habitus perfectus non eget alio, per quod non præſentatur eius obiectum; at per fidem acquiſitam non præſentatur obiectum fidei infuſæ cum fides acquiſita ſit per auditum, auditus autem per verbum, at verbum non eſt obiectum fidei, ergo &c.

D. Auguſtinus.

Præterea vltimo ſi fides infuſa ponitur, præbere talem aſſenſum, cum in ipſa non ſint credibilia præſentia; oportet ponere aliam fidem, vel habitum, in quo illa credibilia contineantur, vt neutra, & pſentia intellectui, & aliam fidem per quam fieret aſſenſus illis credibilibus cum termini eorum, & complexio ſit neutra, vt quod ita quilibet perfecte credens, vt Theologus haberet in ſe duos habitus intellectuales, vt per vnum credibilia eſſent ſibi præſentia, vt neutra, & per alium aſſentire. Vult dicere Doct. quod ſi fides infuſa neceſſario ponitur præbere aſſenſum articulis, ita quod intellectus ſine tali fide nullo modo poſſit firmiter aſſentire illis articulis; tunc eſſet neceſſarium ponere aliam fidem acquiſitam, per quam articuli, ſiue termini articulorum eſſent præſentes intellectui. qa per fidem infuſam talia obiecta non ſunt præſentia, vt ſupra patuit, atq; ita eſſet neceſſe ponere duas fides, vnam propter aſſenſum tantum, & alteram propter præſentiam articulorum, per quam credibilia eſſent præſentia vt neutra tantum, & per conſequens, quilibet perfecte credens, et Theologus, neceſſario haberet in ſe duos habitus intellectuales, vt ſcilicet per vnum credibilia eſſent ſibi præſentia vt neutra, & per alterum aſſentiret credibilibus, quod videtur valde inconueniens.

ARTICVLVS DECIMVS.

Vtrum ad credendum ſit neceſſarium, quod Deus communicet nobis auxilium ſpeciale, an vero ſufficiat generale.

Ratio quæſtionis.
Sotus.

HÆc queſtio mouetur propter aliquos Thomiſtas & potiſſime propter Sotum. 15. n. lib. 2. de natura & gratia cap. 8. ex his quæ dixit Scotus in hac quæſtione cõtra primũ modũ ponendi fidẽ infuſam, & in 14. q. quol. art. 1. inquit Scotũ cum Pelagianis negare requiri ſuper naturale auxilium ad fidem Theologicam. Quapropter pro huius difficultatis explicatione, & pro elucidatione ſententiæ Doc. ſub.

Quid ſit Deum cõcurrere cũ creatura.

Obſer. eſt primo, quòd Deum concurrere cum aliqua creatura, eamq; mouere, & auxiliari ad aliquod opus nihil aliud eſt, quam Deum velle creaturam illud opus facere; in Deo enim præter voluntatem non eſt aliqua potentia executiua, atq; adeo Deum mouere lapidem, idẽ eſt quod velle mouere illum, hoc autem diuinum auxilium duplex eſt generale, & ſpeciale, quæ differũt in duobus; primo ex parte finis; auxilium enim generale eſt ad aliquem effectum naturalem, ſpeciale vero ad ſupernaturalem, vt ad conſequendam gratiam & gloriam; ſecundo ex parte modi communicandi. Auxilium enim generale nulli denegatur ſine miraculo; eſſet enim miraculum ſic velle loqui, & non poſſe ignem applicato paſſo non comburere, & hac ratione dicitur generale, & computatur inter naturalia, ſpeciale vero multis ſine miraculo denegatur, vt impenitentibus, quos non pœnitere non eſt miraculum; nulli autem denegatur niſi in pœnam peccatorum, vt docet. D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 5. ad primum. Et hæc auxilia ſpecialia ſæpe impetrantur bonis operibus, & Ideo Daniel. dixit Nabuchodonoſori. Peccata tua eleemoſinis redime. Dan. 4. hæc etiam auxilia ſpecialia, quando ſunt aliquid poſitiuum in nobis vocantur habitus infuſi. Eſt ergo ſenſus articuli an auxilium ſpeciale ad credendum, nobis infundatur à Deo, ita vt ſine illo non poſſimus credere ſicut oportet.

Auxilium diuinũ eſt duplex.

D. Thomas.

Secundo obſer. eſt, quod ad fidem duo requiruntur, primo quod nobis proponantur credenda, vel immediate à Deo per reuelationem, vt propoſita fuerunt Apoſtolis & prophetis, aut per eccleſiam, aut per Prædicatorem tamquam per miniſtrum eccleſiæ. ſecundum eſt quod homo præſtet aſſenſum his, quæ ſibi proponuntur.

Ad fidem duo requiruntur.

Tertio obſer. eſt, quod ad generandum internum aſſenſum fidei, non ſufficiunt motiua exteriora, vt miracula, & prædicatio, propoſita enim fide per prædicationem Chriſti, & factis multis miraculis in eius confirmationẽ alij crediderunt, alij vero minime, ergo requiritur aliqua cauſa interior, quam eſſe liberum arbitrium Pelagius hæreticus affirmabat. Dicebat enim aſſenſum fidei dependere à Deo ſolum quantum ad reuelationem credibilium, quæ non poterant cognoſci lumine naturæ, tamen reuelatione facta, & propoſita fide ab Eccleſia, ſolis viribus naturalibus ſine auxilio ſpeciali poterat quis credere reuelata, ſicut credit Romam eſſe. Fallitur autem Pelagius: quia per aſſenſum fidei eleuatur homo ſupra ſuam naturam, eſt enim actus ſupernaturalis, ergo non poteſt homo præſtare talem aſſenſum cum ſolo libero arbitrio, & auxilio generali, quod inter naturalia computatur.

Ad generandum internum aſſenſum fidei, non ſufficiunt motiua exteriora.

Error Pelagij.

Reijcitur Pelagius.

Quarto obſer. eſt, quod Eccleſia non orat Deum pro aſſequendis illis rebus, quæ ſolo auxilio generali fieri poſſunt, ſed pro illis; ad quæ requiritur auxilium ſpeciale, ita D. Auguſtinus de natura & gratia. c. 13. Vbi docet bonum eſſe implorare diuinũ auxilium ad ſeruanda diuina mandata, at ſi voluntas noſtra illa poſſet implere ſine illo, vt aſſerit Pelagius Hæreticus. Vaniſſime in oratione poſcerentur; quæ in lege implenda ſunt, ſi ad ea voluntas humana ſine diuino adiutorio ſufficeret, ita refert Vega de Iuſtificatione. q. 8. quo argumento vſi ſunt Patres Concilij Carthaginenſis contra Pelagium. Dicunt enim ex opinione Pelagij ſequi non eſſe neceſſarium orare ne intremus in tentationẽ: Apoſtoli autem Luc. 17. petebant, Domine adauge nobis fidem & in quadam collecta Eccleſia petit augumentum eius. Omnipotens ſempiterne Deus da nobis Fidei, Spei, & Charitatis augumentum, ſed hoc ſuperuacaneum eſſet (inquit Scotus in hac quæſtione ſub litera. g.) ſi totus aſſenſus eſſet à voluntate.

Eccleſia pro qbus rebus oret Deum.

D. Auguſtinus.

Quinto obſer. huius modi auxilium ſpeciale biſariam accipi poſſe; vno modo vt ſit actuale tantum quod conſiſtit in inſtinctu quodam, & actuali concurſu Dei ſpeciali ad credendum, quod tantum eſt volitio diuina ſpecialis: altero modo, vt etiã ſit habituale, quod vtiq; eſt fides infuſa, communiter tamen omnes Theologi conueniunt illud auxilium eſſe etiam habituale.

Auxilium ſpeciale duplex.

Sexto obſer. eſt, quod ad credendum ſicut oportet tria copulatiue requiruntur, primum quod aſſenſus fidei ſit firmior & certior, quam ſcientificus, eo modo quo infra explicabimus art. 13. ſecundum quod eliciatur à pia affectione voluntatis in Deum, ita vt placeat nobis credere. Tertium quod credamus ex authoritate Dei mediãte Eccleſia proponente. Vnde Demones, & hæretici, & qui credunt propter ſola argumenta ſupernaturalia, & non alias crederent quamuis Eccleſia proponeret, non credunt ſicut oportet.

Ad credendum ſicut oportet tria requiruntur.

His obſeruatis reſpondetur ad quæſtionem hac concluſione. Ad credendum ſicut oportet requiritur præciſe auxilium diuinum ſpeciale; probatur primo authoritatibus ſcripturæ. Ad Epheſ. 2. Gratia eſtis ſaluati per fidem, &

Concluſio reſpõſiua.

hoc

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

hoc non ex vobis donum enim Dei eſt. Item ad Epeſ. 6. Pax fratribus, & charitas cum fide a Deo patre, &c. & ad Philippenſes ideſt Vobis donatum eſt pro Chriſto nõ ſolum, vt in eum credatis, ſed etiam vt pro illo gratiamini. Item 1. ad Corint. 4. Quis enim te diſcernitur; Quid habes quod non accepiſti? &c. Quo teſtimonio, vt D. Auguſtinus refert lib. de prædeſt. ſanct. c. 3. maxime vtebatur D. Cyprianus ad hanc rem confirmãdam, & Auguſtinus ipſe fatetur ſe illo in primis adductum eſſe; vt ſententiam ſuam in hac parte retractaret; Nam & ipſe quoq; aliquando ſenſit cum Pelagianis, vt videre eſt in libro expoſitionis quarundã propoſitionum Epiſtolę ad Romanos propoſitione. 60. 61. 62. ſed poſtea hunc errorem retractauit lib. 1. Retractationum cap. 23. Vide verbum de iuſtificatione. c. 9. *D. Auguſtinus.*

Vega. *Concilium Mileuit.* Secundo probatur ex Concilijs, in quibus hęc veritas definita eſt, vt in Concilio Mileuitano. cap. 5. vbi habentur hæc verba. Quicunq; dixerit ideo nobis gratiam iuſtificationis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium facilius implere poſſimus per gratiam, tanquam etiam ſi gratia non daretur, non quidem facile, ſed tamen poſſimus etiam ſine illa implere Diuina mandata anathema ſit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur: vbi non ait ſine me difficilius poteſtis facere, ſed ait ſine me nihil poteſtis facere, quæ verba referuntur etiam, de Conſecrat. d. 4. c. Placuit.

Concilium Arauſ. ſecundum. Et in Concilio Araus. 2. Can. 5. vbi ita ſcribitur. Si quis ſicut argumentum, ita etiam initium fidei ipſum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iuſtificat impiũ, & ad regenerationem baptiſmatis peruenimus, non per gratiæ donum, ideſt per inſpirationem Spiritus Sancti, corrigentem volũtatem noſtram ab infidelitate ad fidem, & naturaliter in nobis in eſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus aduerſarius approbatur, &c. Et in Cano. 6. legitur. Si quis ſine gratia Dei, credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus; pulſantibus nobis miſericordiã, dicit conferri nõ autem, diuinitus, vt credamus, velimus, vel hæc omnia, ſicut oportet agere valeamus per infuſionem, & inſpirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, aut humilitati, aut obedientiæ humanæ ſubiungit gratiæ adiutorium, nec vt obediens, & humillimus ipſius gratiæ donũ eſſe conſentit, reſiſtit Apoſtolo dicenti. Quid habes quod nõ accepiſti? & gratia Dei ſum id, quod ſum. eadem repetuntur Cano. 8. & 25.

Concilium Trident. Et demum in Concilio Triden. Seſſ. 6. Can. 3. eadem veritas definitur his verbis. Si quis dixerit ſine præueniente Spiritus Sancti inſpiratione, atq; eius adiutorio hominẽ credere, ſperare, diligere, aut pęnitere poſſe ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur anathema ſit. Eſt

Nota ſcoriſta. tamen hic modus dicendi Conciliorum diligenter obſeruandus, atq; notandum. verbo enim illo, ſicut oportet, indicarunt Patres non eſſe negandum, quin fide alterius generis nempe acquiſita poſſit aliquis veritatibus reuelatis aſſentiri ſine ſupernaturali ſeu ſpeciali auxilio; ſolum ergo definiunt requiri huiuſmodi auxilium ad credendum fide Theologica, quæ eſt noſtræ iuſtificationis initium, & quam diffinit Apoſtolus ad Hebręos 11. quæq; in ſcripturis ad ſalutem requiritur, & ex ſua natura infallibilis eſt. de hac enim hic agimus.

Clemens Alex. Tertio probatur ex Patribus. Clemens Alex. lib. 2. Stromatum. Fides inquit eſt gratia, quæ ijs, quæ demonſtrari nequeunt, deducit ad id, quod eſt ſimplex, generale, & vniuerſum, &c. D. Chriſoſtomus Hom. 4. in Epiſtolam ad Epheſ. Poſtquam inquit Deus ita voluit, ſaluauit fides. Hoc ipſum Deo donum eſt, ne quis glorietur. & paulo ſuperius. Neque quod fidem, inquit, concernit noſtrũ eſt. *D. Chriſoſtomus.*

D. Ambroſius. Sanctus Ambr. lib. 1. de pęnitentia. c. 10. Fides inquit Dei donum eſt ſicut habes ſcriptum. Quia à Deo vobis datũ eſt, non ſolum vt credatis in eum, ſed etiam vt pro illo patiamini ad Philip. 1. Sanctus Hieronymus in cap. 6. Epiſtolæ ad Epheſ. circa illud pax fratribus & charitas cum fide &c. Paci, inquit, ſimilis eſt charitas cum fide; quam & ipſe ſimul Deus Pater donat & filius &c. & D. Auguſtinus Epiſt. 105. Fides inquit ad Chriſtum nos trahit, quæ niſi deſuper gratuito munere nobis daretur non ipſe diceret. Nemo poteſt venire ad me, niſi pater, qui miſit me traxerit eum. Ioan. 6. & Idem lib. de prędeſt. ſanct. per multa capita probat ex inſtituto contra reliquias Pelagianorum. Sanctus Proſper libro primo de vocatione gentium. cap. 8. Fides inquit, quæ bonæ voluntatis, & iuſtæ actionis eſt genitrix, quo ipſa fonte naſcatur Apoſtolus Paulus exponit, qui pro Romanorum fide gratias Deo agit dicens, primum quidem gratias ago Deo meo: pro omnibus verbis, quia fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo, &c. ad Rom. 1. *S. Hieronymus.* *D. Auguſtinus.* *S. Proſperus.*

Quarto probatur ex cõmuni conſenſu omnium Theologorum Scholaſticorum in 3. d. 23. qui omnes in eadem aſſertione conſentiunt; Nec recte dicitur à Soto vbi ſupra citatur Scotus in 3. d. 25. q. vnica, & Durandus ibidem. q. 6. & in 2. d. 28. 1. & Gabriel in 3. d. 23. q. 2. artic. 2. quaſi hi cum Pelagianis negent requiri ſuper naturale auxilium ad fidem Theologicam. *Sotus.* *Scotus.* *Durandus.* *Gabriel.*

Et certe quantum ſpectat ad omnes iſtos generaliter. Tantum volunt poſſe homines vtcunq; credere illa, quæ reuelata ſunt ſine auxilio per fidem acquiſitam, qualem ſine controuerſia habent. v. g. hæretici de multis propoſitionibus fidei, quod autem ijdem Doctores ſolent dicere actum credendi ea, quę ſunt reuelata, quoad ſubſtantiam quidem eſſe naturalem, quo admodum vero. ſ. vt eſt à gratia, & habitu fidei infuſo eſſe ſupernaturalem, ſenſus non eſt, ꝙ ille idem actus ſpecie, qui ab habitu fidei elicitur, ſit ſecundum ſubſtantiam ſuam naturalis, ſed quod ſecundũ rationem quidem genericam actus credendi poteſt circa reuelata elici aſſenſus aliquis qui ſecundum ſubſtantiam ſuam ſit naturalis, nec requirat gratiæ auxilium, talis eſt aſſenſus fidei acquiſitæ circa aliqua credibilia, quam habent. v. g. hæretici. Itaq; falluntur qui ex ſententia prædictorum authorum defendere conantur actum fidei Theologicę eſſe naturalem quo ad ſubſtantiam. Imo Doct. ſub. in quodl. q. 17. ſub littera. l. licet actũ fidei acquiſitæ naturalem appellet, actum tamen fidei infuſę dicit eſſe ſimpliciter ſupernaturalem. *Scotus.*

Et quantum ſpectat ad Doc. ſub. male ipſum refert Sotus dicens ipſum tria docere, primũ quod fides infuſa ſemper eſt donum Dei. ſecundum ꝙ neceſſarium fuit Deum reuelare miſteria fidei: quæ duo veriſſima ſunt, & ab ipſo Scoto aſſerta, tertium quod ad credendum ſufficit audire prædicationem cum generali concurſu Dei, nec opus eſt fidei infuſæ habitu nec ſpeciali auxilio Dei, ſed hoc tertiũ eſt falſum, & ſimplex impoſtura. Nam ſi recte legatur Scotus hoc tertium non dicit, imo reperies in hac. q. §. ad quæſtionem tamen dico ſub littera. F. ipſum ſic dicere. Dico qđ oportet ponere fidem infuſam propter authoritatem ſcripturæ, & ſanctorum, ſed non poteſt demonſtrari fidem infuſam in eſſe alicui, niſi præſuppoſita Fide. Et quamuis ſupra contra primum modum ponendi Fidem infuſam, & in fine ſupra citati paragrafi videatur aſſerere fidem infuſam non eſſe neceſſariam ad aſſenſum, loquitur de neceſſitatę abſoluta, & ſimpliciter & de fide humana atq; morali vt explicauimus ibi, & non loquitur de facto, & fide diuina, quæ eſt iuſtificationis initium, nec abſolute negat auxilium ſpeciale eſſe neceſſarium ad aſſenſum, vt conſtat ex eodem Sco. quodl. 17. §. contra Concluſionem ſub littera. l. ibi ad probationem antecedentis.

Quinto probatur rationibus, & primo ſic. Non oramus Deum pro illis rebus obtinẽdis, quæ generali auxilio fiunt ex quarto notabili, ſed oramus pro fide obtinenda; orabant enim Apoſtoli, Domine adauge nobis fidem, & Eccleſia. Da nobis Domine fidei, ſpei, & charitatis augumentum &c. ergo fides non obtinetur generali auxilio, ſed ſpeciali. ſecundo Beati in patria indigent lumine gloriæ ad videndum Deum; quia obiectum. videndum ſuperat uires intellectus eorum; ergo etiam nos ad credendũ; ſicut oportet, indigemus lumine ſuper naturali, probatur conſequentia: quia etiam obiectum credendum ſuperat vires intellectus noſtri. Tertio Initium iuſtificationis impij eſt ab auxilio ſpeciali, imo ſi quis affirmaret initium iuſtificationis eſſe à ſolo libero arbitrio cum auxilio generali hæreticus eſſet, & pelagianus; vt patet ex ſupra citatis Concilijs & potiſſime ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 5. & can. 1. 2. & 3. ſed fides etiam informis eſt initium iuſtificationis impij. Sine fide enim impoſſibile eſt placere Deo, ergo ad eam requiritur auxilium ſpeciale. *Concilium Trident.*

Contra

Digitized by Google

Arguitur contra cõcluſionẽ.

Contra hanc concluſionem arguitur; videtur enim qd poſſimus credere ex puris naturalibus. Cum quia intellectus humanus firmiter aſſentitur falſis ex puris naturalibus, vt patet de Maumethanis, atq; hæreticis, ergo & veritatibus chatolicis, probatur conſequentia primo quia intellectus pronior eſt ad aſſentiendum veris, quam falſis, & ſecundo quia rationes probantes credulitatem fidei noſtræ efficaciores ſunt ijs, quibus falſa probantur.

Tum ſecundo ex puris naturalibus poſſumus credere hyſtorijs humanis, ergo & diuinis, probatur conſequentia: quia teſtimonia probantia hyſtorias diuinas efficaciora ſunt, quam quæ probant humanas, illę enim confirmantur miraculis, quæ a ſolo Deo fieri poſſunt, iſtę autem minime:

D. Thomas.

Tertio euidens eſt credendum eſſe articulis fidei, vt docet D. Thomas 2.2.q.1.art.4. ergo eis poſſumus credere ex puris naturalibus; ſicut huic Roma eſt aſſentimur naturaliter, quia eſt euidenter credibile.

Quarto Puer non baptizatus, nutritus inter nos, ac ſi eſſet Chriſtianus, firmiter aſſentitur articulis fidei, ſicut alij catholici; & tamen ſolum habet fidem acquiſitam naturaliter, ergo ad credendum non eſt neceſſarius habitus infuſus.

Præterea vltimo. Si fides infuſa eſſet ad credẽdũ neceſſaria ſimpliciter, ſequeretur eam eſſe potentiam, & non habitum cõſequens eſt falſum, ergo &c. probo ſequelam, habitus non datur ad operandum abſolute, ſed ad bene, facile, & delectabiliter, & perfecte operandum; ſed Sine fide infuſa non ſolum non poſſemus facile credere, ſed neque poſſumus credere, vt ſupponimus; ergo fides infuſa non habitus, ſed potentia erit; ſi autem eſt habitus, ergo ſine illa poſſumus credere, & cum illa prompte facile, & delectabiliter credere.

Ad primum diſtinguo antecedens, ea firmitate quam poteſt humana, & fallibilis authoritas præſtare concedo. firmitate autem infallibili, quam ſola Dei poſſunt authoritas, nego. & eodem modo diſtinguo cõſequens: quia credere firmiter propter ſolam Dei authoritatem, ita vt ſiue homines etiam illi, qui nobis perſuaſerunt credenda, aut angelus de cœlo oppoſitum prædicarent non deſiſteremus à credendo; non poteſt hoc natura præſtare, ſed requiritur auxilium ſpeciale Dei Paulus 1. Theſſalon. 2. Gratias agit Deo, quia Verbum ſuum acceperunt Theſſalonicenſes, vt verbum Dei.

Ad ſecundum reſpondetur, ſicut ad primum, & ſecundo negatur conſequentia, ratio differentiæ eſt: quia cęterę veritates ſunt naturales, neq; excedunt capacitatem noſtri intellectus, veritates autem fidei ſunt ſupra naturam noſtrã, atq; adeo ad aſſentiendum illis requiritur auxilium ſpeciale, quo noſter intellectus eleuetur ſupra ſe.

Ad tertium diſtinguo conſequens poſſumus credere ſolo generali auxilio articulis fidei, vt oportet nego. Si quis enim crederet conuictus euidentia credibilis: & non propter Deum reuelantem eius fides eſſet Demoniorum: qa quamuis ad prudenter credendum, & non leuiter exigantur teſtimonia probantia credibilitatem fidei, vt conditiones præciſe, cæterum firmiter non poſſumus credere propter diuinam authoritatem ſine lumine ſuper naturali, vt probatum eſt.

Ad quartum diſtinguo maiorem, ſtatim quando vſum rationis ille puer conuerſus habuerit in Deum, & fecerit, quod in ſe eſt concedo, & tũc nego minorem: quia ſimul cum gratia infundet illi Deus, & fidem; ſi autem non ſe conuerterit in Deum, nec fecerit quod in ſe eſt, nego maiorem, non enim credit vt oportet.

Ad vltimum nego ſequelam, ad probationem, dico q maior eſt vera ſolum in naturalibus habitibus, non in ſupernaturalibus, fides autem eſt habitus ſupernaturalis, datus ad ſimpliciter credendum, vt oportet, non ad ſimpliciter credendum abſolute; nec etiam ad credendũ, vt oportet excludendo potentiam. Nec etiam maior eſt vera omnino in naturalibus: quia habitus principiorum non ponitur ad facile, & prompte aſſentiendum, ſed ad aſſentiendum ſimpliciter, Item ſpecies intelligibilis, quæ habitus quidam eſt non ponitur ad faciliter intelligendum, ſed ad ſimpliciter intelligendum: Sed hoc vltimum de ſpecie nõ eſt ad propoſitum, quia ſpecies intelligibilis ſe tenet ex parte obiecti, ſuplet enim vicem obiecti in cognitione abſtractiua; dicendum eſt ergo, quod fides eſſet potentia ſi actus credendi eſſet totaliter ab ea, vt actus credendi ſe tenet ex parte potentiæ, cęterum ſecus eſt: quia actus credendi eſt ab intellectu, & a fide, vt à duabus cauſis partialibus principaliter tamen ab intellectu, licet intellectus ſine fide infuſa non poſſet aſſẽtire credibilibus vt oportet.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

Vtrum ſit neceſſarius habitus fidei infuſus ad credendum articulis fidei.

Fides tripliciter conſiderari poteſt primo quo ad eius aſſenſum, ſecundo quo ad ſuum obiectum, & tertio vt eſt quidam habitus virtutis Theologiæ ſupernaturalis. Primo modo accipiendo fidem Baſilidei hæretici cenſuerunt eam eſſe naturalem; vt colligi poteſt ex Clemente Alexandr. lib. 2. ſtromatum. *Clemens Alex.* Pelagiani quoque licet agnoſcerent Dei gratiam eſſe, quod per diuinam reuelationẽ doceantur homines de ijs, quæ ſunt fidei, atq; adeo fidem eſſe donum Dei ex parte obiecti, & vi ſic neceſſariam eſſe ad credendum, tamen cenſebant hominem non indigere, auxilio ſupernaturali, atq; adeo neq; habitu infuſo, vt ea quæ diuinitus reuelata ſunt crederet, contra quem errorem diſputat D. Auguſtinus lib. 1. c. 3. & 19. & lib. 4. c. 5. contra duas epiſtolas Pelagianorum, & in fine. 3. Hypognoſticon, & lib. de gratia Chriſti contra Pelagium, & Cœleſtium. c. 31. & lib. de Prædeſtinatione ſanctorum. Contra Reliquias Pelagianorum. *D. Auguſtinus.*

Secundo autem modo accipiẽdo fidem; Fidem nõn eſſe ſupernaturalem, ſed obiectum fidei naturaliter cognoſci poſſe, cenſuerunt ſectatores Baſilidis aliqui hæretici, vt commemorat de illis Clemens Alexandr. vbi ſupra paulo poſt initium. *Clemens Alex.* In quo errore vidẽtur quoque fuiſſe Manichei, ſi quidem aiebant nihil eſſe credendum, niſi quod ſciri poſſit euidenter, de quo errore tractat D. Auguſtinus in lib. de vtilitate credendi. c. 1. *D. Auguſtinus.*

Accipiendo vero fidem in prima ſignificatione, de qua hic agimus non poteſt eſſe dubium, quin ſit donum Dei, Quum autem ſit neceſſarium eiuſmodi fidem eſſe ponendam ſequentibus concluſionibus explicabimus.

Prima Concluſio. Scotus. Gabriel.

Prima Concluſio. Non eſt euidens argumentum, aut ratio naturalis probans fidei infuſæ neceſſitatem; hæc concluſio eſt Scoti in hac. q. 5. ad quæſtionem ſub litera. f. & Gabrielis in 3. d. 23. q. 2. art. 2. concl. 2. quæ poteſt ſic probari, ex fide acquiſita poſſumus credere omnibus articulis fidei, vt patet de puero non baptizato, & inter nos nutrito, qui ſine fide infuſa crederet omnibus articulis, quibus, & fideles credunt ergo &c.

Secunda Concluſio.

Secunda Concluſio, De fide eſt quod fides infuſa eſt neceſſaria ad ſalutem; hæc concluſio eſt etiam Scoti, & Gabrielis locis citatis, inquit enim Scotus oportet ponere fidem infuſam propter authoritatem ſcripturæ, & Sanctorum; ſed non poteſt demonſtrari fidem infuſam in eſſe alicui niſi præſuppoſita fide vel velit credere ſcripturæ, & ſanctis; Sed infideli nunquam oſtenderetur, ſed ſicut Credo Deum eſſe Trinum, & vnum, ita credo me habere fidẽ infuſam à Deo, quia hoc credo; ſed credere Deũ eſſe trinum & vnum eſt de fide, ergo credere infundi fidem ijs qui credunt eſt de fide. Probatur adhuc concluſio, quia expreſſe ſic continetur in Scriptura in multis locis, Ad Hebræos 11. dicitur ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Tunc ſic infantes baptizati placent Deo, & non habent fidem acquiſitam, ergo placent Deo, quia habent fidem infuſam: non enim videtur loqui D. Paulus de actu credendi: quia pleriq; ſunt, qui placent Deo, & non habẽt actum credendi. quia diſtrahuntur circa alia opera bona, ergo loquitur de habitu fidei infuſæ. ſecundo probatur ratione. Quos Deus ſanat perfecte ſanat, ergo non ſolum ſanat voluntatem per habitum ſpei, & charitatis infuſæ, ſed etiam intellectum per habitum fidei, ergo ponendus eſt talis habitus.

Tertia Concluſio. Scotus. D. Thomas.

Tertia. Concluſin. Fides infuſa eſt neceſſaria ad ſubſtantiam actus credendi Super naturalibus fidei myſterijs, ita vt ſine illa non poſſumus, vt oportet credere, hæc conclu-

ſi-

Scotus. D.Thom. ſio eſt Scoti, & Sancti Thomæ habetque duas partes, prima quod fides infuſa eſt neceſſaria ad ſubſtantiam actus credendi. ſecundo quod ſine illa non poſſumus credere, vt oportet. Pro explicatione primæ partis obſer. eſt, quod vt dicit Scotus fides infuſa ſpecialiter ponitur, vt perficiat intellectum in actu primo, ſicut charitas perficit voluntatem in actu primo, perficere autem potentiam in actu primo, eſt pertinere ſaltē partialiter ad actum primum; *Quid ſit intellectũ perfici in actu primo.* ſicut dicimus ſpeciem intelligibilem perficere intellectũ in actu primo, quia vna cum intellectu eſt partialis cauſa intellectionis, vt docet Doc. in 1.d.3.q.6.& 8. ex intellectu.n. qui eſt partialis cauſa, & ex ſpecie intelligibili, vt altera cum cauſa, integratur vna cauſa totalis, atq; ita vtraq; ſimul ſumpta appellatur actus primus totalis intellectionis. Ita in propoſito de fide infuſa, quę non tantum perficit intellectum illum informando, ſed etiam cõſtituendo ipſum in actu primo: quia ipſa vnà cum intellectu, eſt actus primus totalis; & totalis cauſa actus aſſentiendi poſita præſentia obiecti credibilis. Eſt tamen diſcrimen inter habitum, & ſpeciem: quia ſpecies ſe tenet ex parte obiecti: per ipſam enim habetur præſentia obiecti in notitia abſtractiua, atq; adeo dicitur ſpecies perficere intellectum ſimpliciter in actu primo: quia ſine ſpecie non poteſt intellectus notitiam abſtractiuam producere; Habitus vero non ſe tenet ex parte obiecti, cum per ipſum non habeatur obiectum præſens, ſed ſe tenet ex parte potentiæ; ex eo autem dicitur perficere potentiam in actu primo: quia cum potentia actiue concurrit ad actũ ſecundum non tamen ita ſimpliciter, & abſolute perficit, quod impoſſibile ſit intellectũ ſine fide infuſa cauſare actum credendi ſimpliciter, licet ſine ea non poſſit illum cauſare, vt oportet vt diximus ſupra. Ponitur itaq; fides infuſa & propter perfectionē actus primi, & propter perfectionē actus 2.i. propter perfectiorē aſſenſum: quia potentia habituata æquali conatu operans perfectiorem actum producit, quam non habituata, vt clare docet Scotus in 1.d.17. Primum probat doct. quia lex diuina hec eſt, quòd Deus quando perficit hominē perfecte perficit; ſicut quando ſanat aliquem ſecundum corpus perfecte ſanat pro ſtatu in quo eſt; ita etiam ſecundum animam: & quia anima eſt imago Dei ſecundum tres potentias, quæ deformatæ erant per peccatum, Ideo Chriſtus eam reformando ſicut perficit voluntatē per charitatē, ita intellectum per fidem: ſecundum probat à ſimili de charitate. Nam quamuis voluntas poſſit diligere Deum clare viſũ, non tamen eodem modo cum charitate, & ſine charitate: nam ſicut actus amoris elicitus charitate concurrente cũ voluntate eſt intenſiue perfectior; ita ſimiliter eſt de actu aſſentiendi cauſato ab intellectu fide infuſa concurrente: *Scotus.* Nam Deus inquit Scotus non ſolum propter actum primum dat charitatem, ſed propter actũ ſecundũ vt ſit perfectior, & intenſior actus diligendi ex potentia & charitate, quàm ex potentia tantum; & ſimiliter de fide ſuo modo: quia ſicut charitas facit actũ ſecundum perfectiorem, ita & fides, ſed charitas vltra hoc, quòd faciat actũ perfectiorē facit etiam actum ſuum acceptum, & etiam actus cuiuslibet alterius potentiæ: quia charitas facit actum acceptũ proxime; fides vero remote; iuxta illud quòd dicit D. Paulus ad Hebræos 11. ſine fide impoſſibile eſt placere Deo; & fide plurimā hoſtiā Abel, quā Caym obtulit Deo.

Quod autem potentia habituata perfectiorem, & intēſiorem producat actum, quam potentia non habituata, atq; adeo qui habitus ponatur, vt habeatur actus perfectior probat Doc. ibi. Si fieret vna voluntas perfectiſſima & non haberet charitatē. v. g. voluntas Michaelis tanto magis deficeret à propria perfectione in actu ſecũdo quē poſſet habere ſecũdũ proportionē geometricam propter carentiam charitatis proportionatæ potentię; quanto magis excederet aliam voluntatem inferiorem in perfectione prima. Perficit igitur has potentias per habitus ſupernaturales in eſſe quodam ſupernaturali, ſicut natæ ſunt etiam perfici naturaliter habitibus ſupernaturalibus.

Pro intelligentia huius literæ, quæ eſt aliqualiter difficilis, obſer. eſt quòd duplex eſt proportio ſ. Geometrica, & Aritmetica; Geometrica attenditur penes ſimilitudinē proportionis tantum vt ſicut ſe habet quatuor ad duo, ita octo, ad quatuor. ergo ſicut 4. ad 2. eſt proportio dupla; ita 8. ad 4. eſt proportio dupla; vel ſic ſicut ſe habet 4. ad 6 ita 8. ad 12. ſed 6. ſe habet ad 4. in proportione ſex qui altera, ita 12. ad 8. in proportione ſex qui altera. Adeo quòd proportio Geometrica eſt propter conuenientiam proportionis extremorum. Proportio autem Aritmetica reſpicit tantum æqualem exceſſum extremorum; vt talis eſt proportio 2. ad 4. qualis eſt. 10. ad 12. quia ſicut, quatuor excedit duo, in duabus vnitatibus, ita 12. excedit 10. duab. vnitatibus, & ex his patet, quòd. 12. excedit 8. in 4. & ſex excedit. 4. in duobus atq; ita nõ eſt talis proportio Aritmetica inter 12. & 8. qualis eſt inter 6. & 4. quia non eſt æqualis exceſſus, ſed bene eſt conſimilis proportio Geometrica: quia ſicut 12. ad 8. eſt proportio ſex qui altera ita ſex ad 4. eſt proportio ſex qui altera.

Secũdo obſer. eſt, quòd ſi ponatur voluntas ſupremi Angeli, quæ ſit perfecta vt octo, & nata producere dilectionem Dei, vt octo, & quòd ſit proportionaliter habituata. i. quòd habeat habitum ſecundum proportionem perfectionis ſuæ, quo mediante producere poſſit dilectionem perfectam vt 12. & ponatur infima voluntas, quæ ſit tantum perfecta vt 4. & nata producere dilectionem Dei, vt 4. & ſit etiam habituata ſecundum proportionem perfectionis ſuæ: ita vt per talem habitum producere poſſit dilectionem vt ſex: in vtraq; operatione poteſt eſſe proportio Geometrica, & Aritmetica, Geometrica nam ſicut ſe habet perfectio dilectionis Dei cauſata à voluntate Angeli proportionaliter habituata, ad perfectionem dilectionis Dei præciſe cauſatam à voluntate Angeli non habituata: ita ſe habet perfectio dilectionis voluntatis infimæ, cauſata ab ipſa voluntate proportionaliter habituata, ad perfectionem eiuſdem dilectionis, vt tantum cauſatam ab eadem voluntate non habituata: ſed perfectio dilectionis cauſata à voluntate Angeli habituata ſe habet ad eamdem, vt tantum cauſatam à voluntate in proportione ſex qui altera: ergo & illa, quæ eſt voluntatis infimæ habituatæ ſe habebit ad ſe ipſam vt cauſatam præciſe à voluntate in proportione ſex qui altera: quia erit ſex ad 4. ſex.n. continet quatuor, & medietatem illius: atque ita etiam 12. ad 8. eſt proportio ſex qui altera: nam 12. cõtinet ſemel 8. & dimidiam eius partem, atq; ita patet Geometrica proportio. Secundum vero proportionē Aritmeticam ſic infertur. ſubſumendo hanc minorem, ſed dilectio cauſata à volũtate Angeli habituata excedit eamdē, vt præciſe cauſatam ab eadem voluntate non habituata, in 4. gradus, ergo & illa infimæ voluntatis habituatæ excedit ſe ipſam, vt præciſe cauſatā ab eadē voluntate nõ habituata ſecũdum duos gradus, adeoq; in prima proportione eſt exceſſus vt 4. & in 2. vt duo, atq; ita quando volũtas Angeli ſola operatur. i. ſine charitate, cũ producat dilectionem vt octo, & habituata, vt 12. deficit nõ habituata ſecundum proportionem Geometricā ab operatione ab ipſamet cauſata vna cũ habitu: quia ſicut prima ſe habet ad ſecundam in proportione ſex qui altera: ita eius defectus erit ſecundum eamdem proportionem: & pari modo dicēdũ eſt de voluntate infima; adeo quòd volũtas Angeli producens dilectionē abſq; charitatis habitu, deficit à perfectione dilectionis, quæ produceretur cum habitu in proportione ſub ſex qui altera. octo.n. ad 12. eſt proportio ſub ſex qui altera. In proportione autem Aritmetica, volũtas Angeli nõ habituata deficit à perfectione dilectionis cauſatæ à voluntate habituata ſecundum quatuor gradus, & dilectio cauſata à voluntate infima non habituata deficit ſecundum duos gradus a dilectione, quæ cauſaretur ab ipſamet voluntate habituata, & hoc eſt quod intendit hic Doctor, atque ita ſequitur: quòd magis deficit voluntas perfectior ſi non perficiatur per habitum proportionaliter, quam deficiat voluntas creata infima: Deficit inquam magis ſecundum proportionem Aritmeticā: non ſecundum proportionem Geometricam, cum Geometrice defectus vtriuſq; ſit tãtum proportio ſub ſex qui altera. & ſic patet explicatio primæ partis concluſionis.

Duplex eſt proportio. Geometrica, et Arithmetica.

Secunda pars ita explicatur quia ſine fide infuſa, aut Dei adiutorio ſpeciali, non poſſumus credere vt oportet, adeoq; ad ſubſtantiam actus credendi neceſſaria eſt fides infuſa, vel ſpeciale Dei auxilium, & vt ſic explicata concluſio videtur recipienda de fide, iuxta Concilium Trid. ſeſſ. 6. c. 3. eſtq; credere vt oportet, vt etiam diximus ſupra, *2. Pars cõcluſionis explicatur Quid ſit credere, vt oportet.*

credere

Digitized by Google

dere omnia,quę ſunt fidei,non ex humana perſuaſione:
nam ſi credit aliquis omnibus articulis ductus ex huma-
nis perſuaſionibus,& non ob aliam cauſam,talis fides nō
eſt diuina,licet ſit de diuinis;fides,n.chriſtiana , vt docet
Scotus.
Scotus in quol.q.14.art.1.ſub litt.I.innititur a Deo reue-
lanti,& docento,ideo eſt fides certiſſima,quia Deum ha-
bet Doctorē, qui nec fallere poteſt nec falli ; oportet etiā
credere;non vt Demones credunt coacti , ſed ſpontanee,
& ex pia affectione,obedientiaque voluntaria . Vnde in-
D.Auguſt.
quit D.Auguſt.cętera poteſt homo nolens , credere non
Concilium Trident.
niſi volens,& iſte actus fidei eſt vt oportet . quem actum
admonuit Concilium Tridentinum non poſſe nobis adeſ
ſe niſi ex cœleſti adiutorio : quia ſuperat humanas uires
credere omnibus articulis non ex humana perſuaſione,
ſed ex diuina reuelatione & obedientia:q̄a qui ſic credit
certiſſime credit.Hereticus autem etiam ſi credat articu-
lis fidei,non tamen credit vt oportet: quia non ex fide di-
uina,ſed ſolum humana ratione ductus eligit credenda.

Probatur autem concluſio ſic explicata ex Concil.Tri-
den.ſeſſ.6.can.3.vbi dicitur,ſiquis dixerit ſine prçuenien-
te ſpiritus ſancti inſpiratione,atque eius adiutorio homi-
nem credere,ſperare , diligere , aut pœnitere poſſe ſicut
oportet anathema ſit.Vnde non ſolum ponitur fides infu
ſa,vt intellectus perficiatur illo habitu, ſed etiam ponitur
ad hoc vt actus ſecundus ſit perfectior,vt explicatum eſt.

4.Conclu.
Quarta.Concluſio.fides infuſa ne dum ponitur, vt in-
tellectus perficiatur illo,ne dum pp gradum in actu , ſed
etiam vt ſempliciter aſſentiatur intellectus articulis fidei
adiutus p habitū infuſum tanq̄ per cauſam partialē. Pro
batur:quia neque imperium voluntatis , neq; intellectus
ſunt cauſa totalis,aſſenſus,ergo neceſſe eſt ponere habitū
fidei infuſæ; ſententia patet & antecedens probatur: quia
Totus fidei aſſenſus non eſt à voluntate.
Apoſtoli Luc.17.petebant. Adauge nobis fidē,& eccleſia
in quadam oratione petit à Deo . Da nobis fidei , ſpei, &
charitatis augumentum &c.ergo &c. & hoc eſt quod in-
quit Doc. in hac littera cum dicit Nec pono habitum fi-
dei infuſę tantū pp gradum in actu , ſed etiam pp aſſen-
ſum:quia aſſenſus non eſt totaliter à voluntate: quia licet
voluntas moueat intellectū ad aſſentiendū tñ non cauſat
aſſenſū,ſed cauſatur aſſenſus ab intellectu habituato fide
infuſa;nā aliqui ſunt,qui vellent magis aſſentire, & tñ mi
nus aſſentiunt,Ideo petebāt Apoſtoli:Domine adauge no
bis fidē & Eccleſia inquadam collecta &c.Iſtud nō opor-
teret petere,ſi totus aſſenſus eſſet à voluntate:nec fides ex-
cludit omnem dubitationem,ſed dubitationem vincentē,
& trahentē in oppoſitum credibilis. Pro intelligentia hu-
Fides differt à Prophetia.
ius litteræ obſer.eſt,ꝙ fides in hoc ſpecialiter differt à pro-
phetia:quia Prophetia nullā patitur dubitationē nec leuē
nec probabilē,fides aūt infuſa leue dubiū admittere pōt.
Vnde duplex pōt eſſe dubitatio circa ea , q̄ ſunt fidei,vna
leuis,quę à D. Bonau.appellatur fluctuatio, mutatio,ſeu
Circa ea q̄ ſunt fidei duplex poteſt,eſſe dubitatio.
ſcrupulū in ſpiritu,& tentatio diabolica circa fidē,ita ꝙ ſi
Charitas viæ non eſt ita firma,nec adeo coniungens Deo,
quin patiatur inſultus,& tētationes Diaboli,atq; ēt venia
le peccatū:ita fides non eſt ex parte obiecti adeo clara,q̄ n
patiatur huiuſmodi leuia dubia,& tempeſtates in ſpiritu,
vnde ſicut primi motus carnis ſtāt cum gratia, imo ſunt mate
ria meriti illos tollerando,& vincendo;ita fides ſtat cū ta-
li dubitatione,& eſt meriti materia illā ſuſtinenti , atque
vincenti , iuxta illud ad Epheſ. 6. In omnibus aſſumentes
ſcutū fidei,in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea ex
tinguere.& 2.Petri vlt.Cui reſiſtite fortes in fide.

Altera eſt dubitatio,vincens,& q̄ trahit in oppoſitū cre
dibilis.ſ.in hæreſim,& hanc fides excludit:quia fides infu
Fides quā dubitationem excludat.
ſa,& hæreſis nō ſtant ſimul.Pōt ēt hæc littera Doc. ſecun
do exponi ſic ꝙ fides excludit omnē dubitationē oppoſi-
tā certitudini articulorū,vt nullo mō de illis dubitet.cęte
rū non excludit contingentē:nempe an eſſentia diuina di
ſtinguatur ex natura rei à relationibus,an cōnectur filio p
actum intellectus,vel memoria fęcunda;an relationes di-
uinæ dicant perfectionem;atque ita de aliis,circa quę, ne
dū fidelis idiota dubitare poteſt,ſed etiā eruditus Theolo
gus , & patet quòd cum talibus dubitationibus ſtat fides .

Secundo obſ.eſt ꝙ dubiū probabile circa fidē eſt ſimile
illecebris,circa quas ſi actus cōtinuentur, de motu primo
ſit peccatum,atq; ſicut duplex probabilitas de conſenſu il
lecebrarū, qui ſit peccatū mortale.ſ.negatiua, & poſitiua;
negatiua ſi præſentatis tibi illecebris,eas continues nec cō
ſentiens,nec diſcentiens pro illo tpe,pro quo teneris poſiti
ue allidere eas ad petrā qui eſt Chriſtus, & occidere illas,
ſic ſit peccatū mortale.Poſitiue aūt,ſi poſitiue conſentias.
Ita cōtingit in probabilitate dubii fidei infuſæ ,qđ dicitur
dubiū vincens & trahens inoppoſitū credibilis.Qđ accidit
qn̄ Diaboli ſophyſtica perſuaſione ſuſpenditur animus cir
ca articulū fidei eo tpe,pro quo debes illi adhærere, & aſ-
ſentiri: Vt ſi Diabolus tibi proponeret . Donec finiatur ſe-
culum ſurſum eſt Dominus,ergo nullo mō eſt in ſacramē
to Euchariſtiæ,ſi nec aſſentias nunc,nec diſſentias, iam po
ſitiue cōtrariaris fidei,& de hoc dubio probabili intelligi-
tur,illud commune dictum.Dubius in fide infidelis eſt .

Quinta Concluſio,fides infuſa,ne dū pp aſſenſū , ſed ēt 5.Conclu.
propter certitudinē ; vt.ſ.per eā certior habeat & firmior
actus credendi,q̄ haberetur per ſolā fidem acquiſitā,ponē
da eſt.hæc concluſio eſt Scoti hic,& in quol. q.14. artic.1.
Probatur.Firmus aſſenſus non pōt eſſe à fide acquiſita, er
go neceſſario ponenda eſt fides infuſa;antecedens probat:
quia fide acquiſita nullus credit alicui,niſi quem ſcit poſ-
ſe falli,& fallere;niſi credat ipſū non velle fallere: quia fi-
des acqſita innititur veracitati teſtis creati,innititur.n.aſſē
ſioni hominis,vel Angeli,quibus nō omnia ſūt nota, atq;
ita pōt aſſentiri mentienti;ſed nemo pōt perfecte aſſentiri
dictis eius,quē nouit poſſe fallere,& falli in his,quæ dicit,
ergo fide acquiſita nō pōt haberi firmus aſſenſus, oportet
ergo ponere fidē infuſā pp firmū aſſenſum;q̄ reſpiciat De
um pro obiecto primo , de quo ſicut de obiecto forman-
tur aliæ veritates,quę cōtinentur in articulis mediatis vel
immediatis ſecundum quod ipſum ſic , vel ſic reſpiciunt . Firmitas eſt duplex

Obſerua tñ,Scotum notanter aſſerere fide acquiſita nō
poſſe haberi firmū aſſenſū:quia duplex,eſt firmitas:vna q̄
dicitur firmitas ſenſus,& iſta non innititur niſi fidei infuſę,
quæ innititur obiecto infallibili,& eſt cū certiſſima certitu
dine,vel indeceptibilitate. Altera eſt.Firmitas affectus, ſi-
ue pij,ſiue impij,& iſta duplex firmitas eſt in viro Catho-
lico,atq; fideli.In hæretico aūt vel infideli pōt eſſe ſecūda.
firmitas.ſ.affectus;ſed nō prima;Videmus.n.hæreticos ali
quos ita affici eorū placitis,atq, ita pertinaciter, vt etiam
mori pro ſua hæreſi non timeant. Sed contra hāc conclu-
ſionē arguit Doc.& probat,qđ non ſit neceſſe ponere fidē
infuſam pp aſſenſum certiorē,& rō eſt talis,quia ille aſſen
ſus certus;aut accipitur certus,i.firmus ita ꝙ nō poſſit cre
dens dubitare de articulo,cui aſſentit;aut dicitur certus,i.
infallibilis,ita ꝙ in tali aſſenſū nulla ſit deceptio.Si primo
mō;ēt aſſenſus qui eſt à fide requiſita eſt firmus:quia ſtan
te fide acquiſita dū credens aſſentit per eā alicui obiecto ,
non pōt dubitare,vel non aſſentiri, alias de eodē obiecto ,
& ſub eadē rōne,eſſet fides ſiue adheſio,& dubitatio,atq;
ita oppoſita,ꝙ fieri nequit.Si ſecundo mō,i.ꝙ indeceptibi
liter adhæreat,& nō fallitur adhærēdo p fidē infuſā , pōt
aūt falli per adhæſionē fidei acquiſitæ . Contra decipi,&
nō decipi nō eſt a parte habitus, neque ex parte aſſenſus,
quē facit,ſed à parte obiecti ſm̄ ꝙ obiectū cui aſſentit, ve
re, vel falſe p̄ſētat habitui inclināti;ſed in ppoſito vterq;
habitus.ſ.infuſus,& acquiſitus inclinat naturaliter,& per
modū naturæ p̄bet aſſenſū;ſed error in aſſenſu eſt ex par-
te obiecti ſic,vel ſic cōcurrentis;ſicut habitus principiorū
inclinat ex parte ſui naturaliter in verū, & ſic ē deceptio,
hoc eſt ex obiectis falſo occurrētibus, & p̄ſentatis intelle-
ctui.Ideo nō eſt certior,q̄tum ad nō decipi fides infuſa, q̄
acquiſita.Et ſubdit Doc.Dico ꝙ tunc fides infuſa eſt pp a-
ctum primū,& pp perfectionē gradus actus ſecundi, quē
gradū non poſſet habere intellectus,cū fide acquiſita ſolū
vult dicere doctor,ꝙ ſi teneat,ꝙ fides infuſa nō ſit neceſſa
ria pp maiorē certitudinē actus,eſt vtiq; neceſſaria pp p-
fectionē actus primi,& pp inteſiorē actū ſm̄,vt ſ explica
tū eſt.At ſi teneat,ꝙ ſit ēt neceſſario ponēda pp aliq̄ certi
tudinē maiorē ſoluatur arg. factū ꝙ nō,ſuple, concludat.

Caietanus.2.2.q.4.art.5.admiratur Scoti ſubtilitatem, *Caietanus.*
& huic rationi reſpondens dicit,ꝙ liquido patet non deci
pi tenere ſe ex parte habitus,ex ipſa differentia inter ipſos
habitus intellectuales,qui ſunt virtutes, & illos qui non
ſunt virtutes; illi. n. quantum eſt ex ſe inclinant tantum
in Verum:quia ad cognoſcendū eſſe quod eſt, & nō eſſe,
quod non eſt , nec poſſunt inclinare ad actum oppoſitū,
iſti autem ad vtrumq; ſe habent ; & ideo non ſunt virtu-

tes. Vnde oppoſitum eſt eius quod arguens fingit: quia cognitio, & aſſenſio vera ex meritis habitus eſt ex propria natura ad talem actum inclinantis, & ſi contingat decepi, ex habitu illo non prouenit, nec ex obiecto præſentato ſufficienter, cũ poſſit intellectus vti habitu virtutis, & non adhærere falſæ præſentationi falſum enim obiectiue nõ habet vim coactiuam intellectus ad ſe, ſicut habet verum, quando eſt euidens. Fides autem infuſa inclinat ad verum ſupernaturale in deceptibiliter: quia ſecundum ipſam aſſentiendo non poſſumus falli: Ita Caietan. Idem ferè dicit

Valentia. Valentia. Tom. 2. diſp. 1. q. 2. puncto. 5. Ferdinandus Val-

Ferdinandus. loſillus in aduertentiis Theologicis in B. Ambroſium. qu. 27. dub. vlt. inquit Scotum affirmare fidem infuſam, & acquiſitam non differre eo modo quo ponit S. Tho. ſ. qd infuſa ſemper inclinat ad verum, acquiſita vero aliquando ad falſum. quia inquit ipſe, dicit Sco. ita differentiam non eſſe ex parte habituũ, ſed ſolum prouenire ex parte obiectorum: quia materia fidei infuſæ ſemper eſt de vero, & neceſſario; non autẽ materia fidei acquiſitæ: quia aliquando eſt de falſo cum ſit de contingenti, ex quo infert. ſ. Scotus, quod fides quantum eſt de ſe ſiue ſit infuſa, ſiue acq-ſita non magis inclinat ad verum, quam ad falſum. Caiet. inquit Ferdinandus, miratur Scoti ſubtilitatem, & quidẽ mirandum. Ariſt. ſi quidem. 6. Ethy. Ideo inquit fides non

Ariſtotel. eſt virtus, quia aliquãdo inclinat ad falſum, quare ſi fides infuſa, quantum eſt de ſe non magis inclinat ad verũ, q̃ ad falſũ, non ergo eſt vere, & proprie virtus, qđ profecto mirabile eſt. & tandẽ concludit aſſertũ Scoti erroneum eſſe.

Sed ego valde miror de iſtorũ admiratione, ſed nec quidem miror, quia cognoſco cauſam admirationis eorũ. Debebant. n. Primo Caiet. & Valentia animaduertere Scotũ hic aſſertiue ſeu cathegorice haud loqui, ſed hypothetice, & conditionaliter, cum dicat. Et ſi propter aliquam certitudinem maiorem velitis dicere (ſ. ponendam eſſe fidẽ infuſam) ſoluatis argumentum factum, quod non (ſ. concludat). Vnde quod Scotus non probat, non eſt ex Scoti intentione abſolute ſumendum.

Secundo legere debebant q. 14. quol. in art. 1. ſub. litt. I. vbi vidiſſent an fides infuſa ſecundum Scot. poſſit inclinare ad falſum ac etiã. q. 17. §. contra cõcluſionẽ. ſub litt. H. Vbi quid Scot. ſentiat de certitudine actus fidei, & vnde illam habeat cognouiſſent. Quod ſi feciſſet ẽt Valloſillus non dixiſſet Scotum negare fidem infuſam differre à fide acquiſita eo modo, quo ponit. S. Th. neque dixiſſet Scotũ aſſerere fidẽ quantũ eſt ex ſe, ſiue infuſã, ſiue acquiſitã nõ magis inclinare ad verũ, q̃ ad falſũ. neq; Scot. nota temeritatis ſugillaſſet. ſed ad pauca reſpicientes facilè denũciãt.

Sed audiamus quid dicat Doc. ſub. 14. q. quol. Alia eſt. inquit, differentia quantũ ad hoc, qđ eſt actum initi fidei: quia fides infuſa non põt inclinare ad aliquod falſum, inclinat aũt virtute luminis diuini, cuius eſt participatio, & ita non niſi ad illud, qd eſt conforme illi: lumine diuino. Actus igitur credendi in quantũ innititur iſti fidei non põt tendere in aliquod falſum. Sed fides acquiſita cõiter innititur aſſertioni alicuius teſtis, qui põt deficere. & ideo illa fides non tribuit actui credendi, inquantũ ſibi innititur, qđ non poſſit ſibi ſubeſſe falſum. Frequenter tamen non ſibi ſubeſt falſum, quando. ſ. teſtis, cui teſtimonio innititur inteſtificando illud ſit verax. Et dixi cõiter: quia, Deo immediate reuelanti, poſſet quis credere credulitate acquiſita; ſi aliud non ſit verũ reuelari à Deo; q̃ actum credẽdi, vel noſcendi cauſari immediate à Deo in eo, cui fit reuelatio. Et quandocunq; ad idem inclinant fides infuſa, & acqſita, tunc neceſſario acquiſitæ non ſubeſt falſum, non quod hæc neceſitas ſit ex ipſa fide acquiſita, ſed ex infuſa cõcurrente cum ipſa ad eumdẽ actum. Innititur igitur actus credendi, fidei infuſę tamquam regulæ certæ, & omnino infallibili, à qua actus habet, quod non poſſit eſſe falſus; ſed innititur acquiſitæ, tamquam regulæ minus certæ: quia nõ per illam repugnaret actui quod eſſet falſus, vel circa falſum obiectum. Hæc Scotus.

Et ecce an fides infuſa iuxta ſententiam Scoti poſſit q̃tum eſt ex ſe inclinare in falſum, & an diſſentiat à D. Thoma de differentia fidei infuſæ ab acquiſita.

Scotus. De certitudine autem actus fidei loquens Scotus in q. 17. quol. inquit ꝙ eam habet ab aliquo extrinſeco. ſ. à Deo reuelante, & infundente lumen fidei: quia illud lumen fidei infuſæ cum ſit participatio quædã luminis diuini, nõ põt inclinare intellectum, niſi in aliquod determinate verum: atq; ita certitudo illa, q̃ in eſt cognitioni fidei infuſę, eſt tantũ ex quadã comparatione ad quoddam extrinſecum infallibile. ſ. ad voluntatẽ diuinã reuelantẽ cui cognitio illa confirmatur; non eſt aũt ex ipſa intrinſeca perfectione actus cognoſcendi: quia æq; perfectus eſſet actus, quãtũ ad quolibet intrinſecũ ſibi ſi æq; intenſe eliceretur præciſe ſecundum fidem acquiſitã. Et ſoluens vnam inſtãtiã contra hoc, dicit, ꝙ actus fidei infuſæ eſt certus non ex hoc ſolo, ꝙ ſit ab habitu, ſed quia habitus inclinans ad talẽ actum, eſt ab eo qui non põt fallere nec falli; hanc autẽ certitudinem actus non põt intellectus naturaliter cognoſcere, niſi naturaliter cognoſcat principiũ dans actui certitudinẽ. Nã intellectui nata eſt in eſſe certitudo de actu ſuo, excludens non tantum deceptionem, ſed ẽt dubitationẽ; cæterum hanc certitudinẽ hẽt minime, niſi percipiat illud, à quo actus hẽt, ꝙ ſit certus: non. n. habeo cognitionẽ certam de hac propoſitione, totum eſt maius ſua parte, niſi percipiam terminos, & vnionẽ terminorũ: qui ſunt cauſa talis certitudinis. Ita in propoſito. Actus fidei infuſæ eſt certus, non ex hoc ſolo, ꝙ ſit ab habitu, ſed quia habitus inclinans ad talẽ actũ, eſt ab eo, qui non põt fallere nec falli, niſi ergo percipiam principium dans certitudinẽ actui, nunquam habeo certitudinẽ de actu, ſed tale principium viator percipere non põt. hęc Scotus fere ad literã. Non vult ergo Doc. ſub. certitudinẽ, & infallibilitatem actus fidei ſe tenere ex parte obiectorum præciſe, & non ex parte habitus. Vnde pro ſolutione argumenti Doc. contra cõcluſionem. obſer. eſt, ꝙ actus intelligendi dicitur habere veritatẽ, & infallibilitatẽ ab obiecto, quando ab obiecto, vt ſic dependet; ſicut actus intelligendi hominẽ eſſe riſibilẽ, eſt neceſſario verus & infallibilis, eo ꝙ dependet ab obiecto neceſſario, & infallibili, quia eſt impoſſibile tale cõplexũ poſſe falſificari; Aliquando eſt verus ſed nõ neceſſario, vt quando dependet ab obiecto non neceſſario vero, ſed contingenter vero, ſicut actus intelligendi quo intelligo hominem eſſe album, quod complexum poteſt aliquando falſificari; Hoc idem dico de actu aſſentiendi, quo aſſentit vero neceſſario, vel contingenti.

Secundo obſer. eſt, quando duo habitus inclinãt ad idẽ obiectũ cõplexum ſub eadem præciſe rõne ex parte obiecti, ita ꝙ ſit penitus idẽ obiectũ, & præciſe eadem rõ formalis in obiecto, tunc actus elicitus à potentia ſecundum inclinationẽ vtriuſq;, ſi erit infallibilis, vt innititur vni habitui, erit ſimiliter infallibilis, vt innititur alteri: patet quia tota veritas, & infallibilitas actus eſt à veritate obiecti cõplexi: Nã ſi haberẽ duos habitus inclinantes ad aſſentiendũ alicui cõplexo neceſſario, & euidenti ex terminis, ſicut eſt hoc complexum, totum eſt maius ſua parte, tunc illi habitus inclinarent ad eliciendũ actum euidẽtem circa tale complexũ, atq; ita actus aſſentiendi eſſet, ita euidens pro vt innititur vni habitui, ſicut, & alteri, cum vterq; inclinet ad idem obiectum complexum, & ſub eadem rõne, à quo obiecto eſt euidentia actus. Sic dico in propoſito de actu credendi, ſiue de actu aſſentiendi complexo vero.

Tertio obſer. eſt ꝙ obiectũ fidei infuſæ, ſiue ſit neceſſariũ, ſiue contingens, non ponitur illud obiectũ verũ præciſe, quia inclinat ad illud, vt in ſe verũ, & euidens; quia tũc non eſſet fides, ſed eſt obiectũ verũ: quia reuelatũ eſſet verũ ab ipſo Deo immediate. Quãuis. n. articuli fidei ſint veri, non tamen aſſentimur illis, vt veris ex natura rei, ſed aſſentimur: quia firmiter aſſentimus alicui homini, vel cõitati fide dignæ firmiter aſſerenti illum articulũ eſſe verũ. fides ergo infuſa, & fides acquiſita præciſe inclinant ad actum aſſentiendi eidẽ vero, nimirũ huic. Verbũ eſt incarnatũ; non tñ præciſe inclinat ad aſſentiẽdũ ſub eadẽ rõne formali: Quia infuſa inclinat ad actũ aſſentiendi illi vero, vt reuelato à Deo, & aſſerente illud eſſe verum: cui firmiter credẽdũ eſt tamq̃ illi, qui nullo mõ põt fallere, nec falli, atq; adeo illi actui aſſentiẽdi, vt p̃ciſe innititur fidei infuſæ non põt ſubeſſe falſum, & ẽt eſt infallibiliter verus. Sed fides acquiſita inclinat ad illud idẽ verum ſub alia tamen ratione; quia aſſentit illi non ex euidentia terminorũ: q a tunc non eſſet fides, ſed præciſe aſſentit illi quia firmiter aſſenſit alicui homini, puta Apoſtolis, ſeu prædicatoribus, aſſerentibus illud complexum eſſe verum: & quia tale te-

monium

Digitized by Google

ſtimonium ex natura ſua poſſet aliquando errare vel decipere, ideo talis actus aſſentiendi pro vt innititur fidei acquiſitæ non eſt infallibiliter verus, atque adeo vt ſic ei nõ repugnat poſſe ſubeſſe falſum, licet communiter nõ ſubſit, maxime quando credit Eccleſiæ aſſerenti, quę regitur non à Spiritu ſancto.

Leuchet. His obſeruatis reſpondeo ad Argumentum vna cũ Leuchero. quod fides infuſa inclinat ad aſſenſum firmiorem, quã fides acquiſita: quia fides infuſa immediate innititur ei, qui non poteſt fallere nec falli. ſ. Deo; fides autem acquiſita innititur ei, qui poteſt fallere, & falli, atq; adeo fide infuſa firmius aſſentitur articulis, quam fide acquiſita, nec forte, inquit Leuchetus, eſt inconueniens dare gradus in firmitate, ſicut etiã in aſſẽſu dãtur gradus, ita vt aliquis intentius aſſenſit, & aliquis minus aſſenſit, et ſimiliter aliquis firmius aſſenſit, & aliquis non ita firmiter, ſed tamen firmiter aſſenſit, ſic quod talis aſſenſus firmus excludit omnem dubitationem. ſecũdo dicit Leuchetus. quod fides infuſa eſt forte neceſſaria, quantum ad aſſenſum omnino infallibilem, ita ꝙ fidei infuſę non poteſt ſubeſſe aliquod falſum, fidei autem acquiſitę poteſt ſubeſſe falſum, vt vidimus ex ipſo Scoto. Ad argumentum ergo iuxta hanc reſponſionẽ, dico quod fides infuſa ponitur, vt aſſenſus ſit certus, ideſt firmus, atque etiam infallibilis, & ad improbationem primi dico, ꝙ & ſi fides aquiſita inclinet ad aſſenſum firmum, & indubitabilem, firmius tamen inclinat fides infuſa, quia in firmitate dantur gradus, ſicut in aſſenſu; Ad improbationem autem. ſecundi dico quod fides infuſa eſt omnino neceſſaria ad aſſenſum omnino infallibilem, atque adeo cum ſit participatio luminis diuini inclinat ex ſe, obiecto ſufficienter per reuelationem pręſentato in verum, & cum ei nõ poſſit ſubeſſe falſum. ſemper obiectum eſt vere ſibi pręſens, quod non neceſſario contingit reſpectu fidei acquiſitę, & ratio eſt quia fides infuſa reſpicit credibile, quatenus reuelatum a Deo qui non poteſt fallere, nec falli, fides autem infuſa innititur veracitati teſtis creati, qui de ſe, & fallere, & falli poteſt.

Tota indeceptibilitas fidei infuſæ non prouenit præciſe ex obiecto, ſed etiam ex habitu.

Secundo reſpondeo negando, quod tota indeceptibilitas ſit ex parte obiecti; quia eſt etiam ex parte habitus, & licet vterque habitus inclinet per modum naturę, non tamen ſequitur quod vterque inclinet, ex ęquo firmiter, & indeceptibiliter, quia vnus. ſ. infuſus habet ex natura ſua, quod inclinet indeceptibiliter, alius autem non, nempe acquiſitus, & ratio eſt, qui huc eſt talis habitus, & ille talis Et ſi dicas, fides eſt etiam contingentium, vt de Iudicio futuro, quę poſſunt mutari, & ita eſſent falſa, atque ita non eſt fides quantum ad veritatem infallibilis; Dico quod illa poſſunt mutari, vt in ſe abſolute conſiderantur, ſed non cõſiderata in ordine ad diuinam reuelationem ſecundum quam præciſe ſunt obiecta fidei. Dico. ſecundo quod fides infuſa inclinando dirigitur a Deo à quo immediate infunditur, & ideo licet quantum eſt ex ſe naturaliter inclinet, à Deo tamen habet, quod non inclinet niſi in verum. v.g. fides infuſa hodie inclinat in iſtam de facto; Iudiciũ erit. fiat cras iudicium, quo facto inclinabit in illa iudicium fuit, & quando fiebat in iſtam iudicium eſt. eſt enim fides infuſa inſtrumentum Spiritus ſancti, qui non vtitur illa ad falſum. Et ſi iterum dicas ſpei, & Charitati quandoque ſubeſt falſum: nam pręſcitus poteſt ſperare beatitudinem, & aliquis ſecundum charitatem inuincibile ductus errore, qui non expellit charitatem, poteſt accedere ad alienam, credens eſſe ſuam; ergo & fidei. Nego conſequentiam: quia cum fides ſit habitus intellectualis habet verũ pro obiecto, ideo excludit falſum, at non ſic alij habitus.

Fides infuſa inclinando dirigitur à Deo.

ARTICVLVS XII.

Vtrum chriſtianus ſit certus infallibili certitudine, ac naturali ſe habere fidem.

Hanc difficultatẽ tangit Scotus in hac q. ſub litt. I. I. Et ſẽſus difficultatis eſt, an chriſtianus poſſit habere ex actibus credendi notitiam experimẽtalẽ de habitu fidei infuſo Caietanus. 1.2.q.112. art. 5. aperte dicit, quod ex actibus fidei fedelis certo cognoſcit ſe habere fidem. eandem ſententiam docet Medina ibidem. q. 2. conclusione. 3. vbi inquit. Chriſtianus certitudine fidei infallibili, cui non poteſt ſub eſſe falſum cognoſcit ſe habere fidem ſuper naturalem, & aſſenſum fidei diuinę; ab eadem ſententia non abhorret Bannes. 2. 2. q. 6. art. 2. dub. 2. quę videtur etiam fuiſſe D. Thom. 1. p. q. 87. art. 2. ad 1. dicentis percipi fidem ab eo in quo eſt. per interiorẽ actum cordis hoc eſt per hoc, quod credit. quod clarius dicit. 1. 2. q. 112. art. 5. ad. 2m vbi inquit ꝙ ſicut ſcientia certificat hominẽ ſe habere demonſtrationem, & ſcientiã de obiecto, ita fides certificat hominem ſe habere fidem infallibilem. Et verba eius ſunt iſta. De rõne ſcientię eſt, ꝙ hõ certitudinem habeat de his, quorũ hẽt ſcientiã, & de rõne fidei eſt, quod hõ ſit certus de his, quorũ hẽt fidẽ. Et hoc ideo quia certitudo pertinet ad perfectionem intellectus, in quo prædicta dona exiſtunt, & ideo quicũque habet ſcientiam vel fidem, certus eſt ſe habere.

Caietanus. Medina. Bannes. D. Thom.

Quæ verba explicans Caiet. dicit, ꝙ hæc verba habens fidẽ ſcit certe ſe habere fidẽ poſſunt intelligi multipliciter, primo de fide acquiſita, & hoc eſt manifeſtum, ſcdo de fide infuſa, & tunc diſtingue certitudinẽ, & dic, ꝙ certitudine ſcientiæ nemo ſcit ſe habere fidẽ ex actu fidei, puta credere: quoniã hoc poteſt ex propria volũtate, & intellectu prouenire, certitudine autem fidei, quilibet ſcit certe ſe habere donum infuſum fidei. Et in hoc differt certitudo experimentalis fidei, & gratiæ: quia ex actibus gratiæ quamuis hõ putet ſe eſſe in gratia, ſtat tamen cũ formidine partis oppoſitæ. ex actibus vero fidei hõ credit abſq; formidine alterius partis ſe habere fidẽ, ſicut ẽt credit alia credita ſcilicet incarnationem Chriſti, &c. & quoniam littera in reſponſione ad ſecundum loquitur de certitudine, q̃ eſt de ratione fidei, ideo de hac certitudine intelligenda eſt, quo ad fidem infuſam. Hæc Caiet.

Caietanus.

Et confirmari põt hæc ſentẽtia ex illo. 2. ad Corint. vlt. Vos ipſos tentate ſi eſtis in fide vos ipſos probate. Vbi Ambroſ. Chryſoſt. Theophylactus, aiunt poſſe nos cognoſcere certo habere fidẽ miraculorũ quæ profecto diuina eſt; & chatolica Nicolaus de Lyra ſimpliciter de habitatione Chriſti per fidem interpretatur hũc locũ. Et extendit hoc Caiet. ad præſentiã Chriſti per fidẽ; vel donum linguarũ aut prophetiæ vel ſenſibilem punitionem, quam experti erant in inceſtuoſo; & S. Tho. ibidem ait, quod poſſumus certo cognoſcere nos habere fidem ſiue illa ſit formata ſiue non. Hoc enim diſtinguere nemo valet, inquit Bannes, niſi ex reuelatione ſpeciali.

Ambroſ. Chryſoſt. Theophyl. Nicolaus. de Lyra. Caietanus. D. Thom. Bannes.

Secundo Confirmatur eadem ſententia authoritate D. Aug. 13. de Trinit. c. 1. dicentis. Hõ fidem ſuã ter. et certiſſima ſcientia, & firmiſſima, eamq; in ſe videt, clamatque conſcientia: quia rerũ abſentia fides eſt præſens, & rerũ q̃ foris ſunt intus eſt fides, & rerũ q̃ non videntur videtur fides. ex qua authoritate patet euidens eſſe fidẽ infuſam nobis ineſſe & põt ſic formari ratio. Fides videtur à nobis viſio eſt ſcientia, ergo ſcientia eſt de fide infuſa, atque adeo quis percipit ſe operari ſecundum illam.

D. Auguſ.

Tertio Cõfirmatur: quia fides infuſa eleuat hominẽ ſupra ſe, & ſuã naturã, ergo ex actibus credendi põt hõ certè experiri fidẽ ſuam, antecedẽs eſt cõe axioma apud Thomiſtas, probatur ſequela habemus experientiam de actu fidei ſicut oportet, At ſic poſſumus credere ſine habitu infuſo, vt diximus ſupra ergo habemus experientiã etiã de habitu fidei infuſæ. Præterea quarto Phyloſophus 2. poſt contra Platonẽ, qui ponebant omnem ſcientiã in nobis a principio, ſed quaſi obnubilatã; & obnutã pp impedimenta aliqua, argumentatur inconueniens eſſe habere tã nobiles habitus, & latere nos; ergo inconueniens eſt ponere in nobis fidẽ infuſam, & nos latere: cõſequẽtia probatur ex Doc. ſub. in 4. d. 43. q. 3. ſub lit. C. vbi incõueniens putat nobiles habitos latere eos habentem & in ſequenti. d. contra Hen. ſub litt. B. §. Præterea contra hoc.

Ariſtotel. Plato. Scotus.

Pro explicatione huius difficultatis obſer. eſt primo ꝙ potentia habituata, & agens, vel ſecundum ſolam inclinationẽ actus, vel etiam ponendo habitũ concurrere partialiter ad actum; iuxta doctrinam Scoti. in. 1. diſtinct. 17. & in hoc. 3. diſt. 27. ſemper potentia eſt principale agens, ita quòd ipſa non agente, vel actum haud eliciente, nullus habitus quantumcumque perfectus & intenſus poſſet aliquo modo actum elicere, ſed potentia ipſa agens poteſt vti habitu ad agendum, vel ſequendo præciſe eius

inclinationem, i. eliciendo actum; ad quem talis habitus inclinat vel etiam vltra inclinationem vtendo illo habitu, vt cauſa partiali reſpectu actus.

Secundo obſer. eſt quòd potētia determinate vtitur habitu acquiſito ad eliciendum actū ſecundum illum habitum: quia ille habitus eſt euidens non immediate, ſed mediantibus actibus ex quibus generatur. qui actus dicētur euidentes terminatiue ex hoc, quod terminantur ad complexū, v.g. hoc aliqd ens eſt Trinū. & vnū euidēs ex terminis; non ſic abſolute intelligendo; quia ſi terminaretur ad complexum euidens ex terminis, tunc ille actus non eſſet actus fidei: nam fides de obiecto complexo non ſtat cum euidentia, vt patet in prologo. q. penultima, & clarius. d. ſequenti. ſed illud complexum non eſt euidens ex terminis cum ſit propoſitio mediata, vt patet in prologo. q. 1. nec ꝑ actum fidei ſit potentiæ euidens mediate; quia tunc potētia haberet aliam immediatam euidētem ex terminis per quam mediata fieret euidens. Et vltra actus fidei non ſtat cum euidētia obiecti ſiue mediate, ſiue immediate, vt docet Scotus in ſequenti diſt. Nec ſimiliter hoc complexum Aliquod ens eſt Trinum, & vnū, eſt euidens ex terminis euidentia experimētali. vt patet. Appello itaq; hoc complexum. Aliquod ens eſt Trinum, & vnum euidens ex terminis, pro quanto aſſentio illi complexo affirmato ab aliquo, cui indubitanter credo; pro quanto ergo teſtis fide dignus aſſerit illud complexum eſſe verum pro tanto aſſentio illi complexo: atque ita complexum illud dicitur euidens ex terminis, non abſolute: ſed quia affirmatur eſſe verum ab eo, cui indubitanter credo. & hoc modo illi termini habent aliquam euidentiam connexionis, quæ euidentia eſt à teſtimonio fide digno, cui firmiter credo.

Obiectū fidei quomodo ſit euidens.

Scotus.

Tertio obſer. eſt hoc quod dictum eſt verificari tātum de fide acquiſita, non autem de fide infuſa, & ratio eſt: qa fides acquiſita generatur ex frequentatis huiuſmodi actibus, ideo ipſa inclinat ad ea complexa, quæ habent euidētiam ex terminis, & euidentiam connexionis terminorū modo præ expoſito: quia ergo intellectus experitur ſe elicere multos actus, quibus firmiter aſſenuit tali complexo, & tandem experitur per frequentiam actuū, elicere alios actus. prompte, facile expedite, & delectabiliter, ideo experitur ſe habere talem habitum fidei acquiſitum, & per conſequens ſecundum inclinationem talis habitus elicit actum credendi; quia talis habitus eſt generatus ex pluribus actibus aſſentiendi, quos experitur in ſe, ideo ſi nullus actus aſſentiendi firmiter tali complexo non pręfuiſſet in tali intellectu & idem habitus; quem nunc habet acquiſitus ex pluribus actibus, eſſet immediate cauſatus à Deo in illo intellectu, intellectus ille non eliceret actum aſſentiendi illi complexo: quia propter talem habitum non firmiter crederet. atque adeo ſapienter dixit Scotus. in q. 14. quol. art. 1. & in hac. q. quod intellectus habens tantum habitū infuſum non eliceret communiter actum credendi ſecundū inclinationē illius. quia nunquā firmiter aſſentiret huic cōplexo, Deus eſt Trinus, & vnus, & hoc eſt: qa fides infuſa non inclinat ad illa cōplexa, quę habent euidētiā ex terminis modo pręexpoſito: nec per fidem infuſam ſcit intellectus tale complexum eſſe eſſertam a Deo, nec ab aliquo teſte fide digno, ideo pp illam non elicit actum aſſentiendi, ſed bene pp habitum acquiſitum elicit actum credendi: quia multos precedentes cauſantes ipſum habitum præhabuit, quibus firmiter aſſentiebat illi complexo.

Quarto obſeru. eſt quod habens fidem acquiſitam, & infuſam, quando elicit actum fidei circa complexum verum elicit ſecundum inclinationem vtriuſq;, vt docet Scotus in quol. loco citato; Cæterum quando elicit ſecundū fidem acquiſitam experitur ſe elicere ſecundum illam propter cauſam ſuperius aſſignatam; ſed quando elicit ſecundum inclinationem fidei infuſæ nullo modo experitur ſe elicere ſecundum eius inclinationem; ſed tantum credit in vniuerſali, quod habēs fidem infuſam, quando elicit actū credendi, quòd ſemper eliciat ſecūdum inclinationē eius.

Quinto obſer. eſt quòd habitus fidei infuſæ tantū conſtat probabiliter habenti ipſum: non enim conſtat eum habēri certitudine euidētiæ, vt expreſſe docet Scotus in hac. q. ſub lit. I. & in quol. q. 14. ſub littera K. & licet certū ſit ſecundum eundem Doctorem, ex authoritate ſcripturæ, & ſanctorum eſſe fidē infuſam, vt idem aperte dicit in principio ſolutionis huius quæſtionis, tamen non eſt certū ex fide, in omnibus illis eſſe fidem infuſam, qui credunt, & receperunt fidem, dubium eſt enim inter doctores an Deus infundat fidem ſine penitentia ſuorum peccatorum, cū illis non infundat charitatem, & vnus habitus infuſus non infundatur ſine aliis, licet maneat ſine ipſis. Et cū dicit in principio ſolutionis huius quæſt. Sicut credo Deum eſſe Trinum & vnum; ita credo me habere fidem infuſam, qua hoc credo, non debet hoc ſic rigide exponi, quaſi eadē firmitate crederet ſibi peculiariter eſſe infuſā fidem, qua crederet, ac credebat Deum eſſe Trinum, & vnū. Sed ita dēt exponi, vt ſenſus ipſius ſit, eadem firmitate ſe credere fidē infondi fidelibus à Deo, vt credant; ac credebant Deū eſſe Trinum & vnū. Neq; enim amplius ibi ſtatuere volebat vt patet ex adiunctis, quam non poſſe fidem demonſtrari ineſſe alicui niſi ſuppoſita fide, & voluntate credendi dictis ſcripturæ & ſanctorum, & eodem modo debent exponi ea verba, quæ dicit ſub littera. I. hæc nēpe. Ideo credo me habere fidem, qua aſſentio vero in ſe, ſicut credo verū eſſe illud, cui aſſentio. quia clare in hac q. aſſeuerat neminem ſcire ſe habere fidem infuſam, niſi reueletur ſibi.

His explicatis ſit prima Cōcluſio de fide eſt, quòd fides infuſa eſt neceſſaria ad ſalutem; atq; adeo neceſſario ponēda eſt propter authoritatem ſcripturæ & ſanctorum; hæc concluſio eſt Scoti, & probata eſt in præcedenti articulo. 1. Concluſio.

Secūda concluſio. omnis qui credit videt ſe credere: hoc enim experitur in ſe. hæc concluſio eſt cōis omniū Theologorum, & probatur authoritate D. Augu. lib. 13. de Trinit. c. 1. vbi ait. Fidem porrò ipſam, quam videt quiſquam in corde ſuo eſſe ſi credit, vel non eſſe ſi non credit. & poſtea. Cum itaque credere videatur: quia id, quod credere iubemur videre non poſſumus, ipſam tamen fidem, quando ineſt nobis videmus in nobis. Nā quilibet fidelis eſt certus ſe credere per aliquem aſſenſum fidei, qui nitatur auxilio aliquo ſuper naturali, eo ꝙ euidenter ſcit ſe credere omnia propoſita ab Eccleſia, & ex ſcriptura cōſtat ſine aliquo Dei auxilio ſupernaturali, non poſſe omnia huiuſmodi credere. & hoc eſt quod dicit Doc. cum inquit, quòd accipiendo fidem pro vt dicit habitum generatum inclinantem in aliquod non euidens ex ſe tamquam in verum, (& notanter dicit non euidens ex ſe quia pōt eſſe euidens mō ſupra explicato) & hoc determinate, vt aſſentit illi tamq̄ vero, ſic poteſt aliquis ſcire ſe habere fidem generaliter loquendo de fide. i. accipiendo fidem ſecundum cōem quandam aſſenſus rationem abſtrahēdo à fide Theologica ſeu Diuina. nam cuilibet euidens eſt vt ſic, credat nec ne; ſicut poteſt ſcire ſe habere ſcientiam arguendo habitum eſſe in ſe ex ipſis actibus; nam ſi habeo ſcientiam de hoc complexo. homo eſt riſibilis; non cognoſco immediate in me eſſe talem habitum ſcientificū, ſed per actus ſcientificos prompte, & expedite elicitos poſſum arguitiue cognoſcere in eſſe mihi habitum ſcientiæ, ita dicendū eſt de fide, ſecundū cōem quandam aſſenſus rōnem abſtrahendo. ſ. à fide diuina; quod non poſſum euidenter cognoſcere talē habitū in ſe mihi ineſſe, ſed bene per actū credendi, & aſſentiendi, alicui vero non ex ſe euidenti, nec in ſe præſenti ſed tantū per auditū poſſum arguitiue cognoſcere mihi ineſſe habitum fidei, ſicut etiā per actum intelligendi arguitiue cognoſco me habere potentiam intellectiuā, & ratio huius (loquendo de fide) aſſignata eſt, in 3. & 4. notabili.

2. Concluſio.

D. Auguſtinus.

Tertia Concluſio. Nemini pōt eſſe certū per fidē quod habeat fidē infuſam, atq; adeo nemini euidens eſt verum credat fide diuina. Hæc Concluſio eſt contra Caiet. locis ſupra citatis & contra Medinam. eſt tamē Scoti in hac q. Gabrielis in 3. d. 23. q. 2. art. 2. concl. 2. Soti in Apologia cōtra Chatarinū. c. 5. Vbi dicit. Euidentiſſime video me credere, Deum eſſe Trinum, & vnum ſi credo; ſed non video an credam per fidem infuſam; ſed fide hoc teneo, quod habeam fidem infuſam. Vegæ lib. nono ſuper Concilium. capitul. 37. & Valentiæ. tom. 3. diſp. 1. quæſt. 6. puncto. 1. & probatur primo ſic. Nemini datur fides infuſa, quin detur, & gratia, vt explicabimus infra. d. 36. q. 1. art. 4. ergo cum nemo poſſit certo ſcire ſe gratia Dei eſſe conſecutum nemo etiam certo ſciet ſe habere fidem infuſam.

3. Concluſio.

Caietanus
Medina.
Scotus.
Gabriel.
Sotus.
Vega.
Valentit.

Secundo omnes actus fidei, quos in nobis experimur poſſunt eſſe ab intellectu noſtro, cum habitibus acquiſitis, & auxilio Dei ſpeciali; cum autem aliquis effectus à

qualibet

qualibet duarũ cauſarum ex æquo poteſt procedere neutra illarum ex eo poteſt conuinci. ſubſtantiam quidem fateor nos certo cognoſcere & videre per ſua accidentia; & magiſtratum videre, cũ intuemur eius faſces idest eorum inſignia; & ſi licet parua cõponere magnis; Corpus, & Sanguinem Domini verè dicit Populus Chriſtianus ſe videre, cum videt ſpecies Sacramentales, quibus illa ex lege Dei inſeparabiliter ſunt coniuncta. Verum tamen cum nulli actus fidei neceſſario requirãt fidem infuſam, & aliunde omnes ipſi proficiſci queant, etiam de lege, neſcio, quomodo aliquis recte defendere queat, ſe per actus fidei videre ipſam fidem infuſam; equidem nec per illos eã certo nos poſſe cognoſcere, aut credere exiſtimauerim.

Tertio probatur ratione doctoris. De ratione aſſenſus fidei infuſæ eſt vt ſit infallibilis, atq; adeo vt verſetur duntaxat circa verum, ſed cum aſſentimur articulis fidei, non cognoſcimus euidenter, quod aſſentiamur veris, ergo nec quod habeamus aſſenſum fidei infuſæ: minor probatur: quia non eſt nobis euidens articulos fidei eſſe veros. Et confirmatur: Nam cum credimus articulos fidei; nihil aliud experimur, quam quod firmiter adheremus illis veritatibus, idq; conſideratione diuinæ reuelationis & motiuorum fidei adducti: at non eſt nobis euidens, vtrum hoc proueniat, ex ipſa natura aſſenſus, qui nimirum ſecundum ſe infallibiliter reſpiciat veritatem primam, vti reſpicit fidei infuſæ aſſenſus, an vero id proueniat ex noſtra diſpoſitione, quod videlicet conſideratione motiuorum fidei ad aſſentiendum talibus veritatibus per fidem ſolam acquiſitam moueamur, ad eum modum quo mouentur hæretici: Nam videmus aliquos ſine fide infuſa adeo firmiter aſſentiri, & adhærere ſuis erroribus, vt potius mortem oppetant, quam à ſententia moueantur, ergo non eſt nobis euidens, quod firmitas, quam experimur in aſſentiendo rebus fidei, non ſit illius generis. ſ. ex diſpoſitione ſubiecti. &c.

Corrolarium. Ex hoc ſequitur, quòd & ſi quilibet fidelis eſt certus, ſe credere per aliquem aſſenſum fidei, qui nitatur auxilio aliquo ſuper naturali, eo quòd euidẽter ſcit ſe credere omnia propoſita ab Eccleſia, vt probatum eſt in ſuperiori cõcluſione, tamen nemo eſt fide certus, quod habeat aſſenſum fidei diuinæ: quia id neq; eſt per ſe reuelatum in ſcriptura, aut alibi, neq; ſequitur euidenter ex propoſitionibus reuelatis; atq; adeo neq; per fidem, neq; per Theologicum diſcurſum eſt certum; Hoc conſectarium ponit Doctor in littera his verbis. *Scotus.* Sed quod aliquis ſciat, vel ſcire poſſit ſe habere fidem certam determinate inclinantem in verum, ita quod faciat aſſentire vero; & non ſolũ inclinet in aliquid tamquam verum, ſecũdum primũ modum. i. ſecundum quandam generalem aſſenſus rationẽ; hoc nullus ſcire põt in hac vita niſi reueletur ſibi. & clarius in quol. q. 14. art. 1. ſub littera K. vbi ita ſcribit. Si perciperem me habere actum ſecundum fidem infuſam, & cũ hoc ſcirem, quòd ſecundũ fidem infuſam nõ poteſt haberi actus niſi determinate verus, perciperẽ qđ actus meus non poteſt eſſe falſus: quia ex hoc ſequitur, quod perciperem, quod obiectum actus, non poteſt eſſe falsũ, & tũc ſcirem illud. i. infallibiliter cognoſcerẽ illud eſſe verum. Quod nullus experitur in ſe (vt credo) quãtumcũq; aliquis habeat vtrãq; fidẽ (. ſ. acquiſitam, & infuſam) & ſecundũ vtranq; aſſentiat: tantummodo igitur credimus in vniuerſali, quod tendens in aliquod complexum ſecũdum inclinationẽ fidei infuſæ in hoc nõ poſſet errare, q̃s autẽ. & q̃n ſecundum eã tendit, nec ipſemet tẽdẽs ſcit, nec alius, nec aliquis certitudinaliter experitur. ita Scotus.

Probatur corrolarium. & primo: quòd non ſit per ſe reuelatũ patet: quoniam de hac, vel illa perſona in particulari vtrũ credat et q̃to credat nihil conſtat per doctrinã reuelatã, atque ita nemini poteſt eſſe id certũ immediate ex fide vt bene diſſerit Bannes. 2. 2. q. 6. art. 2. Quod aũt nõ *Bannes.* poſſit aliquis per diſcurſum euidentẽ id elicere ex reuelatis probatur: Nã eiuſmodi diſcurſus hic eſſe deberet. Quicũq; omnibus propoſitis ab Eccleſia aſſentitur tamquã diuinitus reuelatis, ita vt aſſenſus ex natura ſua ſit infallibilis aſſentitur per actũ fidei infuſæ. ſed ego ita aſſentior, ergo habeo aſſenſum fidei infuſæ. At in hoc diſcurſu tam et ſi maior ſit de fide, minor tamen eſt ineuidens, vt probatum eſt, ergo concluſio non infertur euidenter ex concluſione reuelata, & per conſequens non eſt certũ per diſcurſum theologicum ei, qui credit omnia per Eccleſiam propoſita, quod habeat aſſenſum fidei infuſæ.

Confirmatur: Nam eque incertum eſt cuilibet, vtrũ ipſe habeat aſſensũ illius naturæ cuius eſt aſſenſus fidei infuſæ; atq; vtrũ habeat omnia requiſita ad gratiã Dei: ſed quia hoc incertũ eſt cuiuis: ideo nemini ex fide cõſtat, qđ ſit in gratia; ergo neq; quod habeat fidem infuſam: Eſt ergo certũ ex fide, quod ſint aliqui ſemper in Eccleſia, qui habeant fidem infuſam, ad quam eſt neceſſarium certum quoddam auxilium ſupernaturale: quia Eccleſia fidelium non poteſt deficere, ſed nemini ex fide certum eſt, quod ipſe in particulari habeat eiuſmodi fidem. *Certũ eſt fide ſemp in Eccleſia eſſe aliquos, qui habent fidem infuſam.*

Contra primam concluſionem arguitur, & ſunt argumenta principalia Doct. & primo ſic. Ad omnem certitudinem actus credendi, quã experimur in nobis de credibilibus, ſufficit nobis fides acquiſita, ergo ſuperflue ponitur infuſa. conſequentia patet, quia nõ ponitur habitus niſi propter actum, & ſuperfluum eſt ponere plura quando vnum ſufficit, probatur antecedens. quia ſicut firmiter aſſentimur hyſtorijs, & geſtis ſcriptis de rebus bellicis, & alijs quæ ſcribuntur in Cronicis fide acquiſita per hoc, qđ credimus veraces eſſe eos, qui talia referũt. Ita fide acquiſita firmiter aſſentiri poſſumus Sacris Scripturis, & Euangelio, quia firmiter credimus Authores fuiſſe veraces, q libros Canonis conſcripſerunt, igitur præter fidẽ acquiſitã ſuperfluit omnis alia propter certitudinẽ actus credẽdi.

Reſpondetur negando antecedens: Nam licet fides acquiſita ſufficiat ad aſſenſum, & certitudinem actus prout credere opponitur opinari, tamẽ non eſt ita perfecte certus, ſicut cum fide infuſa: nã fidei acquiſitæ nõ repugnat ſubeſſe falſum ſicut repugnat fidei infuſæ quæ nititur diuino teſtimonio, nec etiam actus eſſet ita intẽſus elicitus ſola fide acquiſita, ſicut cum fide infuſa; & demum non ſufficit fides acquiſita ad perfectionem actus primi: quia non perficit animam ita perfecte, ſicut perficit infuſa: oportet ergo ponere vtramque fidem.

Secundo arguitur. Ad aſſentiendum fidei articulis nõ conducit fides infuſa, ergo non eſt ponenda: conſequẽtia patet, & probatur antecedens. Magis eſt ſupra inclinationẽ intellectus: imo contra aſſentire falſis impoſſibilibus, oppoſitis, veris neceſſarijs: quam aſſentiri obiectis neutris quæ licet non habeant ex extremis euidentiam, ſunt nihilominus vera. Sed aliquis fide acquiſita aſſentit per ſyllogiſmum falſigrafum oppoſito concluſionis demõſtratæ vel demonſtrabilis: vt patet de illo, qui habet ignorantiã diſpoſitionis, qui errat dũ firmiter falſo adhæret. ergo fide acquiſita põt credere vera eſſe neutra, vt ſunt credibilia a nobis: hoc patet: quia ex principijs male intellectis, poteſt falſo concludi: ſed difficilius eſt aſſentiri oppoſito cõcluſionis demonſtratæ: quã complexo neutro credibili, ergo non eſt neceſſario ponenda fides infuſa. Et ſi dicas: quod forte ideo aſſentit: quia perſuaſus eſt aliqua apparentia argumenti: Ideo pono aliud exemplũ, Hæreticus ita adhæret ſuo errori, quod mori paratus eſt pro eo, & certũ eſt, quod non aſſentit illi ex euidentia cõnexionis terminorũ quia cũ ſit falsũ, & hæreſis, non põt eſſe euidens ex terminis, aſſentit ergo fide acquiſita, quæ inclinat intellectũ eius, vt firmiter illi errori adhereat, nec talis eſt perſuaſus ratione, ſed credit teſtimonio aliquorum, quos credit veraciter propoſuiſſe credita: ergo poteſt aliquis ſola fide acquiſita firmiter adhærere credibilibus abſq; fide infuſa, atq; adeo non eſt neceſſario ponenda.

Vt reſpõdeamus huic rationi obſer. eſt primo quod q̃n quis decipitur adhærendo concluſioni falſæ oppoſitæ concluſioni demonſtrabili, vt ſi adhæreat quis huic concluſioni. Triangulus non habet tres angulos equales duobus rectis, quæ opponitur iſti concluſioni veræ demonſtratæ, vel demonſtrabili. Triangulus habet tres angulos &c. ſi ei inquam adhæreat per ſyllogiſmũ ſophiſticum peccantem in materia, v. g. quia maior, vel minor eſt falſa, & tamẽ aſſentit maiori, vel minori, vt veræ; hoc erit per alium ſyllogiſmum ſophiſticum. & tunc quæro an aſſentiat illi propoſitioni falſæ, vt veræ per alium ſyllogiſmum ſophiſticum, ſi dicas quòd ſic, ergo vel per ſyllogiſmum peccantem in materia, vel in forma. ſi in forma, ergo defectus in forma eſt cauſa deceptionis atque ita non

erit maior ratio de primo, quæritur de ſecundo. Si autẽ in materia. tunc ſtabitur ad illud principium verum, vel ad illa principia vera, ex quibus ſequitur concluſio falſa; quę nõ poteſt ſequi niſi ex defectu ſyllogiſmi peccantis in forma: quia alias daretur proceſſus in infinitũ in principiis.

Secundo obſeru. eſt. Doctorem ſub. non negare defectũ in materia in aliquo particulari caſu eſſe deceptibilitatis cauſam. vt tantum eſſe vltimam cauſam, in quam reſoluatur omnis deceptio, quando quidem huiuſmodi cauſa eſt defectus ſyllogiſmi in forma. Nam error in materia qui fit altera præmiſſarum exiſtente falſa, quæ vera apparet, non poteſt eſſe prima deceptionis cauſa. Quod patet: quoniam in Euangelio habetur, quod dominus non deſcendet de cœlo, vſque ad Iudicium ſed non poteſt eſſe in Altari niſi deſcendat de cœlo, ergo non eſt in ſacramento Altaris. Concluſio iſta ſophyſtice deducta hæretico videtur vera, vtque ei tamque veræ aſſentit, quæ eſt ſimpliciter falſa; erit ergo falſa aliqua præmiſſarum: quia ex vero nõ ſequitur falſum vt non eſt falſa maior; tunc quæro iſta minor, vel eſt immediate apparẽs vera, vel mediate: ſi immediate, ergo eſt vera (alias non diſcerneret intellectus, inter notitiam principiorum, quæ ſunt immediate vera, & notitiam mediatarum propoſitionum, ergo non cõcluditur concluſio falſa; atque adeo non decipitur. Si autẽ ſit apparens vera mediate, ergo mediante altero ſyllogiſmo habente alteram præmiſſarum falſum, & tunc quæram de illa vt prius, atque ita erit proceſſus in infinitum. Licet ergo interdum deceptio proueniat ex ſyllogiſmo peccante in materia; non ſtatur tamen vltimate in reſolutione deceptionis ad huiuſmodi errorem materialem, ſed oportet deuenire ad vltimam reſolutionem, quæ erit ſyllogiſmus peccans in forma. Explico adhuc altero exemplo. Dicebant Iudæi vt habemus. Ioann. 9. ſcimus quòd Deus locutus eſt Moyſi, neſcimus autem an Deus fuerit iſti locutus; ergo non eſt iſte Meſſias, negatur conſequentia: Nam eſto verum eſſet, vt eſt, quòd Deus locutus ſit Moyſi, & eſto quòd verũ eſſet eos neſcire an Deus fuiſſet Chriſto locutus; quod tamen potuerunt ſcire; tamen adhuc nõ ſequitur ergo iſte non eſt Meſſias; propter malam diſpoſitionem ſyllogiſmi, qui peccat in forma, cum non ſit in modo, & in figura. Et hoc eſt quod intendit Doc. in reſpõſione ad ſecundum, quando dicit ad ſecũdum dico, quod aliquis poteſt aſſentire per ſalſigraphum oppoſito cõcluſioni demonſtrabili, propter apparentẽ ſyllogiſmum, ſed nunquam firmiter; & tunc cauſa adhæſionis eſt apparentia ſyllogiſmi, & cauſa prima deceptionis eſt defectus in forma, non in materia: quia tunc nunquam ſtaret ad aliquod principium verum, ſed iretur in infinitum in principiis. Ad argumentum ergo negatur minor. Et ad id quod dicebatur de hæretico qui aſſenſit falſis ſine ratione; Falſum eſt: quia nullus hæreticus (proprie loquendo excludẽdo ſimpliciter infideles) eſt qui nõ reputet ſe Chriſtianũ, & omnis talis errat male intelligendo aliquam authoritatem ſcripturæ, & ex illo falſo intellectu concludit cõcluſionem falſam, cui pertinaciter adheret: atque ita adhæret illi concluſioni falſæ, non ex ſola aſſertione alicuius teſtis, ſed etiam ex ratione falſa apparẽte. ſicut ſi aliquis male intelligendo illud Apoſtoli, ad Rom. 14. Qui infirmus eſt olus manducet, ex hoc inferret anathema eſſe omnem infirmum, aliud manducatem, quod olus, nihil eſſet ad intellectum Apoſtoli: quia Apoſtolus non loquitur de infirmitate corporali, ſed ſpirituali in fide. Infirmos appellat ibi Paulus Iudæos imbecilles, & neophytes in lege Euãgelica, qui cum eſſent emulatores paternarum traditionum non poterant penetrare quomodo lex Euangelica renouaſſet legalia, atque ita nolebãt vti carnibus porcinis, abſtinebantque ſe à ſuffocato, & ſanguine, obſeruabant calendas, & Neomias, & cætera huiuſmodi; atque adeo D. Paulus dicit eis quod comedant olera, i. omnes fructus terræ, olus, n. figurate dixit pro quibuslibet, quibus veſci licet citra dubium, eo ꝙ nihil herbarũ in lege prohibitũ fuit.

Tertio arguitur. Si fides infuſa neceſſario eſt in nobis ponenda; ergo corrumpi non poteſt; conſequens eſt falsũ, ergo & antecedens. conſequentia probatur: quia ſicut habitus infuſus creatur à Deo, & non poteſt creatura illum producere: quia non generatur ex actibus noſtris ita quãdo corrumpitur annihilatur totaliter; atque ita ſicut creatura non poteſt illum creare, ita neque annihilare; ergo nullus habens fidem quocunque errore poteſt fidem annihilare attingendo eſſentiam eius; nec etiam demeritorie: quia hoc fieri nequiret, niſi per maximum demeritũ ſcilicet per odiũ Dei; at nec ita annihilatur fides: quia demones credunt & contremiſcunt, & habent fidem informem, & tamen oderunt Deum, igitur ſi poneretur fides infuſa, non poſſet corrumpi, nec annihilari atque adeo nulla eſt fides infuſa.

Fides infuſa non corrũpitur effectiue, ſed demeritorie.

Reſpondetur quòd fides infuſa nõ corrumpitur in nobis effectiue, ſed tantum demeritorie: nullus enim habens fidem infuſam poteſt per aliquem actum illam annihilare, quia poſſet etiam eam creare, annihilatur ergo fides infuſa effectiue à Deo, & à nobis demeritorie, & non per quodcunq; demeritum ſed per illud, quod ex ratione ſua opponitur fidei, cuiuſmodi eſt infidelitas; & hæreſis, & ideo non ſequitur, quod per maximum demeritum.

Ad argumenta cõtra tertiã concluſionem.

Ad argumenta in principio art. poſita quatenus ſunt cõtra tertiam concluſionem reſpondetur, & ad primum dico quod Verba. D. Tho. & ſi quæ apud aliquos graues authores ſimilia reperiantur, ad certitudinem quam habemus per fidem de habitu fidei infuſo fidelibus ad credendum illa verba referenda ſunt, & non ad certitudinem de ipſa infuſa alicui particulari perſonæ: quia nulla talis certitudo haberi poteſt, vt diximus ſupra intelligendum eſſe doct. ſub. Poſſemus etiam dicere eos non de certitudine p fidem illa ſcripſiſſe, ſed de certitudine morali, quæ de hoc haberi à quolibet fideli poteſt. cum videat quiuis Chriſtianus ſe credere, & certo ſcire poſſit ſe nunquam à fide orthodoxa pertinaciter deuiaſſe, ſcire etiam poterit probabiliter, & abſq; vlla formidine aſſentiri, ſe habere fidem, & ſic exponerem ipſe S. Thomam locis ſupracitatis.

Hoc etiam modo reſponderi põt ad primam confirmationem ex D. Paulo, nẽpe ea verba intelligẽda eſſe de fide ſecundum cõem quandam aſſenſus rationem abſtrahẽdo à fide infuſa; vel quod loquatur de probatione morali; nã ex actibus quidem experiri poterant, an crederent, vel ne; non aũt an fide infuſa crederent, niſi probabiliter, ſeu moraliter, at non certitudine fidei, cui non põt ſub eſſe falsũ. Poſſemus etiam eadem reſponſione optime ſatisfacere 2. confirmationi ex D. Aug. nam loquendo de fide ſecundũ quandam aſſenſus rationem, vt à fide diuina abſtrahit, cuilibet euidens eſt credat ne ne, non tamen vtrum credat fide diuina, vt recte dixit Scotus. Verum alias duas reſponſiones profert Doc. ſub. Prior eſt, quòd D. Augu. loquitur de ſcientia, non qua fides ſciatur actu 2. ſed actu primo, i. quod fides infuſa eſt præſens intellectui in actu primo, ita ꝙ intellectus habens talẽ habitum, põt potentia remota exire in cognitionem illius, ſed non potentia propinqua pro ſtatu iſto: ſicut etiã anima ipſa eſt intellectui præſens in actu primo ſufficienti, quo põt exire in actum potẽtia remota, ſed nõ pro ſtatu iſto, & potentia propinqua: & rõ eſt quia anima pro ſtatu iſto intelligit cum Phantaſmate & iſtorũ non ſunt phantaſmata in ſe formaliter, ergo iuxta hãc reſponſionẽ dico, fidem infuſam eſſe nobis cognitã, põt dupliciter intelligi, vel notitia habituali ſiue quo ad actum primum vel notitia actuali. i. quo ad actum ſecundum; primo mõ intellexit D. Aug. 2. modo minime. & ad id, quod ſubdit D. Auguſt. quòd rerum abſentiũ præſens eſt fides, dico quod eſt præſentia entitatiua, at non præſentia obiectiua in ratione mouendi intellectum potentia propinqua.

Sciẽtia eſt duplex habitualis, et actualis.

Fides dupliciter ſumi poteſt, pro habitu, & pro actu.

Secundam reſponſionẽ refert Doct. in quol. qu. 14 art. 1. ſub littera K. immediate ante. l. Nempe quod fides ſumitur bifariam, priori mõ pro fide habituali, atq; ita non loquitur D. Augu. altero mõ pro fide actuali, i. pro actu credulitatis. & in hoc ſenſu intelligendus eſt Augu. quod patet ex his, quæ ſubdit. Aliquãdo rebus falſis accomodatur fides, hoc eſt aliquis actus credendi; & hæc ſecunda reſpõſio magis videtur mihi eſſe ad aures. D. Aug. licet oppoſitum videatur Leucheto in quol. vbi ſupra tamẽ mihi dubium nõ eſt, imo nec dubitare poſſem, ſi vellem, quin Auguſtinus de ſolo actu fidei locũtus fuerit. Non. n. habitũ fidei in ſuſæ, ſed actus firmiſſima. & certiſſima ſciẽtia, & ipſa clamãte conſcientia tenemus. Neq; aliquis ita hactenus diſipuit vt de habitib. infuſis perinde loquatur, ac Aug. de viſione, ac certa ſcientia, ſeu experientia fidei ſæpe locutus

Leuchetus

cutus

Digitized by Google

ctitus eſt. Quod nunquam ille ſanè feciſſet, ſi de habitu fidei infuſæ,& non potius de actu loqueretur; Si quidem habitus infuſi per ſolam fidem innoteſcunt.

Caietanus

Ad tertiam confirmationem. Caietan. 2. 2. quæſt. 6. articul. 1. reiecta quadam ſolutione reſpondet negando ſequelam, & ad probationem negat conſequentiam, ex eo enim quod experimur actum fidei ſicut oportet ſolum ſequitur, quòd credimus in nobis eſſe habitum fidei, & adducit ſimilitudinem: ſicut dolere de peccatis propter Deũ crucifixum beatificantem in patria, eſt actus eleuans hominem ſupra ſuam naturam, & credimus quod ſit ex pœnitentia infuſa à Deo, non tamen hoc ſcimus; & ſimiliter ire ad communionem poſt probationem ſui &c. eſt actus ſupra naturam humanam, & credimus, quod ſit ex diuina charitate etiam infuſa, & tamen hoc neſcimus. Aliud eſt ergo dicere, quod experimur in nobis actus excedentes naturam humanam, & aliud quod experimur propterea in nobis infuſos habitus illorũ principia. Ita Caietanus. Cæterum tantũ reſponſio Caietani: quam eius ſimilitudo patitur anguſtias. Non enim ſequitur, ego experior me credere, ſicut oportet, ergo credo me habere habitum poſitiuum fidei, quoniã ille actus fidei ſicut oportet, poteſt prouenire ab auxilio ſpeciali, & nũ ab habitu poſitiuo, bene autem ſequitur actum fidei prouenire ab aliquo principio ſupernaturali: præterquam quod falſum eſt, quod aliquis experiatur ſe credere ſicut oportet: nam nemini hoc conſtare poteſt, niſi ei ſpecialiter reueletur, vt docet hic doc. ſub, quomodo autem aliquis experiatur ſe credere explicatum eſt ſupra: Id autem quod dicit in ſimilitudine deterius eſt: quia quantumcunque quis pœniteat, & deuote accedat ad Euchariſtiam, non poteſt habere fidem quod ſit in charitate, ſed ſolummodo coniecturam, vel probabilem opinionem, quæ tamen ſtat cum formidine de oppoſito: quoniam nullus eſt actus deuotionis, vel dilectionis, elicitus ab auxilio ſpeciali, cui quantum ad ſubſtantiam actus non poſſit eſſe alius ſimilis elicitus ex viribus naturæ, atque adeo ex actibus dilectionis etiam intentiſſimis non poſſumus habere fidem, quod ſimus in gratia, vt egregie docet Sot. libr. primo, de natura, & gratia, c. 22. corolario. 2. & 3. Ad rationem, ergo negatur conſequentia, & ad probationem negatur maior.

Sotus.

Habitus iſuſi nõ cognoſcũtur ex actibus ſed acquiſiti.

Ad vltimũ dico, quod bene concludit de habitibus acquiſitis, ſecus autem de infuſis, & ad probationem ex Scoto, dico primo, quod hæc non aſſeruntur à doc. ſub. ſed inter argumentandum dicuntur, quo in loco ſæpe aliquibus vtimur ad conuincendum aduerſarios, quæ ipſi non credimus, ſi modo apud eos ſint recepta, & conceſſa. & forte ad hominem magis iſta dixit, quam ex ſententia propria. Dico ſecundo, non eſſe ſatis certum an argumenta illa contra Henricum ſint doctoris ſubtilis, an aliorum, ſtatim. n. ante hæc argumenta ita inquit. Præterea alij arguunt contra eum, quærentes quid ſit tale lumen &c. Dico tertio, incertum eſſe an in primo argumento, loquatur de habitu charitatis infuſæ generaliter enim de charitate loquitur, & ad charitatem acquiſitã poſſent, quæ dicit referri: Denique pro omnibus, quæ poſſent ex Scoto contra concluſionem adduci, ſatis eſt probabiliter poſſe conſtare nobis habitus infuſos, neque requiritur, vt etiam poſſint certo conſtare, præſertim certitudine fidei. Quare conſulto Leuchetus ad tollendum omnem ambiguitatem illis verbis, quæ habentur ſequenti. d. contra Henr. nimirum chatitas poteſt oſtendi, &c. adiecit ſaltim ſecundum coniecturas. Et quod hæc ſit intentio Scoti patet: qui ipſe paſſim contendit non poſſe habitus infuſos demonſtrari ex actibus; neque neceſſe eſſe eos ponere ad habendũ actus ex eis elicitos; vt patet in hac quæſtio. & diſtinctione vigeſimaſeptima, articulo tertio, & in 1. diſtinctione 17. quæſtio. prima. Hiſque accedit quod in quarta diſtinct. 6. quæſtio. 9. in principio ſolutionis expreſſe dicit non poſſe probari per rationẽ naturalem, neque in vniuerſali videlicet propter quid, nec etiam propter finem, neque in particulari; vt per experientiam alicuius actus, vel conditionem ipſius eſſe charitatem, ſicut in 3. dictum eſt non poſſe probari ex iſtis gratiam, vel charitatem.

Leuchetus.

ARTICVLVS XIII.

Vtrum fides ſit certior, quam alij habitus intellectuales.

HAec quæſtio non quærit de quidditatiua, & eſſentiali perfectione habitus fidei infuſæ ac eius actus, ſed tantum de certitudine, quæ actum fidei conſequitur. Pro cuius explicatione obſeruandum eſt, quod certitudo eſt determinatio intellectus ad vnum verum: quia ſi ſit ad falſum potius eſt firmitas, quam certitudo, vnde differentia inter certitudinem, & firmitatem eſt, quod certitudo ſe tenet ex parte potentiæ, & obiecti; Firmitas autem ex parte potentiæ tantum, & ideo, ſi quis determinetur ad falſum firmus eſt; non certus, qui verò determinatur ad verum certus, & firmus eſt.

Quid ſit certitudo & quõ differat a firmitate.

Secundo obſeruandum eſt, quod hæc certitudo habet ſuos gradus intentionis, vni enim veritati certius aſſentimur, quam alteri; illa veritas, quæ habet plures & potiores cauſas veritatis, certior eſt alia non habente tales cauſas, & ideo quamuis vtraque ſit veritas, vni certius aſſentimur, quam alteri, vt verum eſt Deum eſſe Trinum, & Vnum: & etiam verum eſt Hieroſolymam eſſe; tamen certior eſt prima veritas, quam ſecunda, quia cauſa eius eſt diuina reuelatio, cui non poteſt ſubeſſe falſum: cauſa autem ſecundæ eſt authoritas humana, cui falſum ſubeſſe poteſt.

Certitudo hẽt gradus

Tertio obſeruandum eſt, quòd habitus intellectuales, ſunt Sapientia, quæ eſt notitia rerum diuinarum, Intellectus, qui eſt notitia principiorum, & propoſitionum immediatarum, quæ cognoſcuntur ſine diſcurſu ſolum cognitis terminis, & Scientia, quæ eſt notitia concluſionum per diſcurſum demonſtrabiliũ; & Ars, quę eſt notitia rerũ mecchanicarũ, atq; Prudentia quę notitia rerũ agibilium, vt colligitur ex Ariſt. 6. & 7. lib. Ethy. inter quos habitus eſt duplex differentia; prima eſt quod tres priores ſunt habitus ſpeculatiui, quorum finis eſt cõtemplari, duo autem poſteriores ſunt habitus practici, quorum finis eſt operari. ſecundę tres priores verſantur circa neceſſaria, duo autem poſteriores circa contingentia:

Habitus itellectuales; qui, & quot ſint, & eorũ diſcrimen.

Quarto obſeruandum eſt, quòd ſapientia, ſcientia, & intellectus, conſiderantur primo, vt ſunt habitus intellectuales, de quibus agit Ariſtot. in Ethycis, & ſic verſantur circa naturalia: ſecundo, vt ſunt dona Spiritus ſancti, & recenſentur ab Iſaia cap. 11. & ſic verſantur circa reuelata: ſapientia enim eſt notitia altiſſimæ cauſæ reuelatę, per quã rectè de omnibus iudicatur per concurſum ſpecialem Spiritus ſancti, vt docet. S. Thom. 2. 2. quæſt. 45. artic. primo. Intellectus eſt concurſus ſpecialis Spiritus ſancti, ad intelligendas veritates reuelatas ſimpliciter: ſcientia eſt ſpecialis cõcurſus Spiritus ſancti ad colligendas concluſiones, & hoc iuxta viam, S. Thom. ſed iuxta ſententiam doc. ſub. in hoc, 3. diſt. 34. & 35. ſapientia idem eſt, quod charitas, intellectus, vero, & ſcientia exprimunt fidem infuſam, ita quòd illa duo non circumloquuntur duos habitus, ſed vnum tantum, ſecundum perfectum & imperfectum, poteſt enim intellectus dici fides imperfecta, quæ eſt notitia articulorum primorum: & ſcientia fides perfecta, quæ eſt explicita notitia de articulis, ſicut in ſcibilibus naturalibus intellectus dicitur eſſe principium, & ſcientia concluſionis.

Sapiẽtia itellectus, & ſciabiſa tiam conſiderantur.

D. Thom.

Scotus.

Quinto obſeruandum eſt, quòd certitudo alicuius veritatis, primo conſideratur ex parte cauſæ mouentis intellectum ad aſſentiendum illud, quo modo illud eſt certius, quod cauſatur ab infallibiliori cauſa. Secundo ex parte ſubiecti aſſentientis, ſcilicet intellectus, quomodo illud eſt certius, quod magis intellectus apprehendit, eſtque ſibi euidentius, & clarius, ſuæque naturæ proportionatum.

Certitudo biſariã cõſideratur.

Sexto obſeruandum eſt, quòd nos fideles multa negamus principia naturalia propter fidem, eſt enim principium, quod à priuatione ad habitum nõ eſt regreſſus poſſibilis: Chriſtianus autem id negat: quoniam credit mortuos reſurrecturos: & Chriſtum illuminaſſe cecos; & ſi Euangelicum diceret quantitatem infinitam eſſe poſſibilẽ, negaret etiam, quod totum eſt maius ſua parte: quia ſi ab

infini-

Digitized by Google

infinita aliquid adimas, quod remanet adhuc eſſet infinitum, & pars totius, atque ita totum non eſſet maius ſua parte.

Quantitas effectus vnde conſurgat.

Septimo obſeruandum eſt, quòd quantitas effectus, cõſurgit ex actione agentis, & diſpoſitione ſubiecti. Vnde ſol plus illuminat, quam lucerna: quia eſt maioris actiuitatis, & idem ſol magis illuminat aerem purum: quam nubiloſum aerem: quia ſubiectum eſt melius diſpoſitum, & in propoſito ſi aſpiciamus cauſam effectiuam fidei, potentius influit, quã naturale, & adiuuatur a voluntate mota auxilio ſpeciali Dei. Si vero aſpiciamus ſubiectũ.i. noſtrũ intellectum, magis diſpoſitus eſt ad aſſenſum ſciẽtificum, quam ad aſſenſum fidei; quare fides, & ſcientia habent ſe ſicut excedens, & exceſſum; fides excedit ſcientiam ex parte cauſæ effectiuæ, ſcientia vero excedit fidem ex parte ſubiecti: exceſſus autem fidei maior eſt, & ex plus facit ad certitudinem, quam expreſſus ſcientiæ: quia eſt ex parte cauſæ, ſicut ſol maius lumen cauſat in aere caliginoſo, quã lucerna in aere puro, ita lumen fidei maiorem certitudinem cauſat in intellectu indiſpoſito, quam lumen naturale in intellectu diſpoſito.

Subiectũ fidei eſt duplex.

Poſtremo obſeruandum eſt, quòd ſubiectum fidei eſt duplex, ſcilicet, quo, & quod, ſubiectum quo eſt intellectus, ſubiectum quod eſt fidelis, vel ipſe credens: Nam credens eſt ſuppoſitum, quo credit eſt intellectus cum habitu fidei: Vnde intellectus eſt fidei ſubiectum inhæſionis, ſuppoſitum vero credens eſt ſubiectum denominationis. His obſeruatis pro reſolutione.

Prima cõcluſio. Habitus fidei eſt pfectior habitib⁹ acquiſitis.

Prima concluſio ſit. Habitus & actus fidei infuſæ, quo ad perfectionem eſſentialem, & quidditatiuam ſunt perfectiores, quam ſint habitus intellectuales acquiſiti, hæc concluſio eſt Scot. in hac quæſt. in reſponſione ad vltimũ principale. Probatur, ille habitus ad quem non poteſt homo ex omnibus naturalibus ſuis attingere, eſt ſimpliciter perfectior omni habitu ad quem poteſt attingere generando ipſum in ſe ex ſuis principijs naturalibus, ſed homo ex tota coordinatione virium ſuarum naturalium, & earum actuum, & obiectorum, non poteſt generare in ſe fidem infuſam, ergo fides infuſa eſt perfectior omni habitu acquiſito.

Quod actus etiam fidei infuſæ ſit perfectior, quam ſint actus habituum naturalium, probatur, quia perfectiori habitui correſpõdet pfectior actus: at habitus fidei infuſæ eſt perfectior omnib. habitibus acquiſitis, vt probatũ eſt, ergo actus credendi fidei infuſæ eſt perfectior omnibus actibus habituum acquiſitorum. Eſt ergo fides infuſa perfectior ſimpliciter quõcumque habitu acquiſito, eo quòd ratione ſuæ perfectionis non poteſt cauſari niſi a Deo in ratione cauſæ, vt cauſat obiectum, vel per alium modum ſuplendo vicem obiecti, quando non eſt perfecte præſens in ratione obiecti reſpectu fidei: ideſt quando Deus reuelat articulum, qui vt reuelatus dicitur obiectum primarium, vel ſecundarium dicitur cauſare obiectum: itaque cauſare obiectum fidei, eſt articulum reuelare & idem articulum reuelare, eſt ſuplere vicem obiecti ſupernaturalis: nam ſi Deus eſſet in ſe præſens, poſſent euidenter ſciri omnes articuli de Deo, at quia reſpectu habitus fidei non eſt in ſe præſens, ideo cauſando habitum fidei, dicitur quodammodo ſuplere vicem ſupernaturalis obiecti.

Actus etiã fidei infuſæ in ſe conſideratus eſt ſimpliciter nobilior, & perfectior actibus habituum naturalium: Tum quia eſt à nobiliori cauſa, nempe à fide infuſa, tum quia tendit in nobilius obiectum. ſ. in Deum; at ſi de iſtis actibus ſit ſermo, quatenus plus, vel minus obiectum attingunt, in quod tendunt iuxta obiecti intelligibilitatem; actus intelligendi principia, qui eſt ab habitu, qui appellatur intellectus, & actus intelligendi concluſiones, qui eſt actus ſciẽtiæ ſunt perfectiores actu fidei: quia plus attingunt intelligibilitatem obiecti proportionabiliter: nam obiecti illorum actuum, non tantum excedunt ipſos in intelligibilitate non intellecta: quantum Deus excedit actum fidei in intelligibilitate, non intellecta per ipſummet actum fidei. exemplum. Sol eſt v.g. viſibilis, vt octo, & candela eſt viſibilis, vt duo, pono quòd oculus Aquilæ videat Solem, non ſecundum viſibilitatem vt octo, ita vt viſio eius non eſt perfecta vt octo, ſed præciſè, vt quatuor; & quod Petrus videat candelam ſecundum vnum gradum viſibilitatis, ita ꝙ viſio eius ſit vnius gradus: patet quòd Petrus plus attingit de viſibilitate candelę, quam Aquila de viſibilitate Solis ſecundum proportionem: quia magis viſibilitas Solis excedit viſionem Aquilę, in viſibilitate non viſa: quam viſibilitas candelæ in viſibilitate nõ viſa excedat viſionem Petri: quia viſibilitas Solis excedit ſecundum quatuor gradus, viſibilitas candelæ ſecundum vnum gradum: atque ita viſio Petri hoc modo poteſt dici perfectior viſione Aquilæ. Licet viſio Aquilæ ſecundũ ſe ſit perfectior viſione Petri: quia à perfectiori, et auctiori potentia eſt elicita. Ita in propoſito, obiectum actus intelligendi, ſiue ſciendi aliquod principium, vel concluſionem, naturaliter nota ſunt intelligibilia: v.g. vt decem, & actus intelligendi, & ſciendi attingunt illa, vt octo, atque ita intelligibilitas non intellecta eſt vt duo. Deus autem qui eſt obiectum fidei infuſæ eſt intelligibilis intellegibilitate infinita. Vnde eſto, quòd actus fidei attingat ipſum, ſecundum intelligibilitatem, vt 10. vel 12. intelligibilitas non intellecta adhuc eſt infinita, atque ita obiectum actus fidei excedit in infinitum actum fidei in intelligibilitate non intellecta; ſed obiectum actuum intelligendi, & ſciendi excedit illos ſecundum intelligibilitatem non intellectam, ſecundum duos gradus præciſè; atque ita patet, quomodo actus habituum naturalium proportionabiliter plus attingunt ſuum obiectum, quam actus fidei infuſę ſuum, ac proinde ſecundum proportionem geometricã actus illi ſunt perfectiores, ſecundum vero proportionem arithmeticam actus fidei infuſæ eſt nobilior: quia nobilius eſt parum attingere de nobilioribus obiectis, quam multum de alijs vt dicit Ariſtot. 11. de animalibus. Quid autem ſit proportio geometrica, & arithmetica dictum eſt ſupra.

Secũda cõcluſio. Fides ſuperat in certitudine oẽs habitus intellectuales.

Secunda concluſio. Fides ex ſuo ſundamento. i. conſiderando certitudinem ex parte cauſæ, ſuperat in certitudine, & veritate humanas ſcientias, & artes, & prudentias, atque adeo omnes habitus intellectuales. Hæc concluſio eſt Scoti, & D. Thomæ, 2.2. quæſt. 4. artic. 8. & Vegę lib. 9. in Concilium, cap. 39. & Soti lib. 3. de natura, & gratia, c. 10. & 11. Probatur, fundamentum fidei eſt reuelatio Dei, & fundamẽtum ſcientiarum humanarũ, eſt ipſa natura rerum, & operatio naturalis; ſed reuelatio Dei eſt certior, & verior; quã naturæ operatio; Chriſto Dño docẽte Luc. 12. Cęlum, & terra tranſibunt, verba aũt mea &c. ergo ſi natura deficere poteſt, & diuina reuelatio nequit deficere, certius habet fundamentum fides, quam ſcientia humana.

Scotus. D. Thomas. Vega. Sotus.

Secundo probatur. Cauſa ſcientiæ humanæ eſt lumen naturale intellectus, & cauſa fidei, eſt lumen diuinum, & diuina reuelatio; ſed lumen noſtrum naturale eſt fallibile: quia multo labore inquirit arcana naturæ, & multis fungitur diſcurſibus, vt aſſequatur finem naturalem: reuelatio vero Dei citra laborem, & citra diſcurſus docuit Patres fidei intima inſpiratione, & illuſtratione fidei ſacramenta abſque vlla deceptione, & falſitate, quia Deus, qui nequit fallere aut falli fuit doctor intimus arcanorum fidei iuxta illud Iſaiæ. 50. Erigit mane, mane erigit mihi aurem, vt audiam quaſi Magiſtrum. ergo &c. atque ita ſicut intellectus noſter aſſentit primis principijs, non ex alijs principijs, ſed per ſe inhæret illis ex euidentia rei; ita Patres fidei, quibus reuelata ſunt ſecreta cœleſtia adhæſerunt huic reuelationi per ſe, non ex alio, & nos credimus factam illis fuiſſe reuelationem ex Eccleſia nos docente.

Tertia cõcluſio.

Tertia concluſio. Conſiderando certitudinem ex parte ſubiecti certior eſt aſſenſus habituum intellectualium, quam fidei: ideſt ſubiectum quo fidei, minus certum eſt eorum, quæ fides credit, quam illorum, quæ ſcientia nouit. Probatur primo, quia intellectus noſter plenius apprehendit veritates naturales, quam veritates fidei: illæ enim ſunt ſibi euidentes, & iuxta eius capacitatem: iſtæ vero ſunt & obſcuræ, & ſupra eius capacitatem. Secundo probatur: quia ſubiectum quo eſt intellectus, & vt apparet in intellectu aliquando inſurgunt quidam infidelitatis motus; qui motus nõ ſibi cõtingunt circa ea, quæ nouit ſcientia, & huius rei ratio eſt, quia intellectus in ſcientijs determinatur intrinſece a ſe ipſo, in fide autem non determinatur intrinſece a ſe ipſo, ſed extrinſece a voluntate. ergo &c.

Quar-

Quarta cõcluſio.

Quarta concluſio. Aſſenſus fidei in intellectu credentis certior eſt aſſenſu ſcientifico, ita quod credens certior ſit de eo, quòd credit, quam de eo quod ſcit: hoc eſt dictum ſubiectum qu ad fidei eſt magis certum eorum, quæ fides nouit, quam eorum quæ ſcientia. Probatur ex D. Baſilio (*D. Baſilius*) in hom. 1. Exam. dicente, quod ſimplicitas fidei firmior eſt rationibus demonſtratiuis. (*D. Chryſo.*) Ad idem citatur D. Chryſoſtomus hom. 4. ſuper ad Coloſſ. hom. in feſto Penthecoſtes, & ſuper ad Hebr. cap. 11. vbi inquit, quod maiorem ſatiſfactionem habet homo eorum, quæ credit, quam eorum quæ videt. Et D. Auguſtinus (*D. Auguſ.*) lib. 7. Confeſſ. cap. 10. dicit potius dubitarem me videre, quam eorum quæ credo; Etenim fidelis ex Dei præſidio factus ſe ipſo potentior, accedit ad cor altum, & exaltans fidem Chriſti credens eſſe veraciorem, & certiorem humanis omnibus ſcientijs. Probatur.

Impoſſibile eſt Angelos beatos mentiri, tamen certius aſſentiendum eſt fidei, quam dictis Angelorum ex D. Paulo ad Galat. 1. ergo fides ex parte noſtri intellectus certior eſt dictis angelicis, & quacumque ſcientia. Item ſcientia naturalis docet nos Cœlum eſſe incorruptibile, & terram immobilem, tamen fides eſt immobilior, vt ait Chriſtus Lucæ 21. Cœlum, & terra tranſibunt, &c. ergo intellectus certius debet aſſentiri fidei, quam cuicumque ſcientiæ naturali. Præterea intellectus interdum negat principia naturalia propter fidem, ergo certior eſt de fide, quam de ſcientia: Probatur ſequela: quia intellectus de illo eſt certior, propter quod recedit ab alio. & confirmatur. Quia ſi in ſcriptura legeremus Triangulum non habere tres angulos &c. Chriſtianus crederet ita eſſe, quamuis haberet demõſtrationem in contrariũ. Deinde hæc propoſitio, vna res eſt tres res realiter diſtinctę, eſt euidenter impoſſibilis apud Ariſtot. ſi tamen ille ad fidem conuerteretur diceret eſſe veriſſimam, ergo intellectus certior eſt de creditis quã de ſcitis. Tandem tantam euidẽtiam hẽt ſenſus de hac propoſitione. hic eſt panis, demonſtrata hoſtia conſecrata, quantam habet intellectus de propoſitionibus naturalibus; ſed fides vincit illam, ergo & iſtam: & per conſequẽs eſt certior ſcientia. Si dicas has rationes concludere, quòd fides eſt certior ex parte cauſæ, non autem ex parte ſubiecti: nempe intellectus. contra. Si fides eſt certior ex parte cauſæ, ergo etiam ex parte intellectus, probatur conſequentia: quia tanto certius aſſentitur intellectus alicui veritati, quanto cauſa aſſentiendi fuerit infallibilior, ſed lumen fidei eſt infallibilius, quam lumen naturale, ergo, &c.

Ex hoc ſequitur, quòd ſi interdum fideles titubant in fidei articulis, & non nunquam à fide deficiunt, id noſtræ eſt infirmitatis; qui pro noſtro arbitratu habitibus vtimur vel non vtimur: nihilominus tamen fidei habitus certiſſime, & veraciſſime in Dei veritatem inclinat: vnde & contingit per fidem deſiſtere fidelem a rebus, quas putabat ſe ſcientia tenere: Nam philoſophus, qui putaret mundum eſſe ab æterno conuerſus ad fidem deſiſteret ab hoc propter fidem contrarium docentem.

Quinta concluſio. Abſolute loquendo certior eſt aſſenſus fidei, quam aſſenſus cuiuſcumque habitus intellectualis, quamuis ſecundum quid, ideſt ex parte ſubiecti, quo; ſcientia poſſit dici certior fide. Probatur. Illud quod conuenit alicui ex parte ſuæ cauſæ abſolute ei cõuenit, quod vero conuenit ex parte ſubiecti, conuenit ei ſecundum quid, vt riſibilitas conuenit homini abſolute: quia illi conuenit ex parte cauſæ .ſ. rationabilitatis: intelligere autem mediante ſenſu conuenit intellectui noſtro ſecundũ quid. ſ. pro hoc ſtatu: quia ei conuenit ex parte corporis corruptibilis, in quo ſubijcitur: ſed aſſentiri certius articulis fidei, quam veritatibus ſcitis, conuenit ex parte cauſæ mouentis intellectum ad aſſentiendum ex ſecunda concluſione, aſſentiri autem certius veritatibus naturalibus, quam fidei prouenit ex parte ſubiecti, ex tertia concluſione, ergo abſolute certior eſt aſſenſus fidei, quam veritatũ naturalium. Et confirmatur: quia abſolutum iudicium de aliqua re ſumendum eſt ex illo, quod ei conuenit ex natura ſua, & non ex eo, quod illi conuenit extrinſece, & per accidens, ex parte ſubiecti.

Contra ſecundam concluſionem arguit Durandus in 3. d. 23. q. 4. hac ratione ſcientia eſt certior extenſiue, & intenſiue, quam fides, ergo abſolute ſcientia eſt certior fide, probatur antecedens, & primo, quod ſit certior extenſiue: nam certitudo ſcientiæ pendet a duobus nempe adhæſione firma intellectus, & obiecti euidentia, certitudo vero ſcientiæ pendet tantum, ab hæſione intellectus, ergo ſcientia eſt certior extenſiue. Probatur etiam, quod ſit certior intenſiue: quia facilius quis recedit ab aſſenſu fidei, quam ab aſſenſu ſcientiæ, vt experientia patet, ergo etiam intenſiue ſcientia eſt certior fide.

Pro ſolutione obſeruandum eſt, quod certitudo habitus, vel aſſenſus intellectus, vt eſt accidens diſtinctum ab euidentia, & alijs in hoc proprie conſiſtit, quod quamdiu certus habitus, aut aſſenſus in intellectu viget & retinetur, nequit aliquis deliberate vereri, ne non ſit verũ, quod per talem habitum, ſiue aſſenſum ſibi perſuadet; atque adeo qui vere fidelis eſt, ideſt in fidei habitu uiget, multominus de veritatibus fidei dubitare poteſt, quam de vllis alijs veritatibus euidẽtibus, & facilius quaſcumque eiuſmodi veritates negaret, quam veritates fidei, quamdiu quidem fidei habitum retinet, vt recte Albertus in 3. diſt. 23. artic. 17. & D. Bonauentura eadem d. art. 1. q. 4. notarunt. & hoc modo fidei habitus multo ſecundum ſe eſt certior, noſque reddit certiores, quam vllus alius habitus quantumcumque euidens, atque hoc eſt quod Albertus, & Bonauentura, Ricardus art. 7. q. 1. & alij Theologi ſignificare voluerunt, cum affirmarunt fidem eſſe certiſſimam certitudine quadam adhæſionis, licet non certitudine cognitionis, ſiue ſpeculationis cum careat euidentia. Cæterum ſapientia, ſcientia, & intellectus principiorum, quoad nos, vna quadam ratione ſunt habitus certiores; quam fides, nimirum quatenus poſſumus abſolute quidem negare doctrinam fidei propter eius ineuidentiam; atque ita minus certi, aut omnino incerti eſſe de illius doctrina: non poſſumus autem negare veritates, quæ cognoſcuntur per ſapiẽtiam, ſcientiam; & intellectum cum ſint euidentes, ſed cogimur eis certo aſſentiri; atque hoc eſt quod volunt Theologi ſupra citati, cum dicunt fidem nõ eſſe certiorem certitudine cognitionis, ſeu ſpeculationis quatenus. ſ. caret euidentia & quoad nos. *Durandus* *Albertus.* *D. Bonau.* *Ricardus.*

Hoc ſuppoſito reſpondetur ad rationem Durandi, quòd licet certitudo fidei pendeat tantum a firma adhæſione intellectus, eſt nihilominus fides ſi in intellectu vigeat certior ſcientia: quia quod eſt infirmum Dei fortius eſt hominibus. 1. Corinth. 1. & minimum ſupernaturale eſt ſupra maximum naturale, & quamuis facilius aliquis recedat a fidei aſſenſu, quam ab aſſenſu ſcientiæ, tamen fides eſt certior: quia illud prouenit ex eo, quod aſſenſus fidei eſt ex libera voluntate, adhæſio autem intellectus in ſciẽtia naturali, eſt naturalis; & euidens, & ideo intellectus cogitur ad ſcientiam, & non ad fidem; tamen certior eſt aſſenſus fidei, quam ſcientiæ; ſicut dilectio naturalis hominis diligentis ſe ipſum minor eſt, quam dilectio ſupernaturalis, qua iuſtus diligit Deum; & tamen facilius quis peccat contra Deum relinquendo ſupernaturalẽ dilectionem Dei, quam contra ſe ipſum naturalem dilectionem relinquendo.

Argumentum ergo Durandi tantum probat ſcientiam habere cauſas certitudinis, quam fides, non tamen firmiores, firmior eſt enim cauſa ſolus Deus reuelans, quam omnes aliæ cauſæ naturales ſimul.

Contra quartam concluſionem arguitur, & primo ex Hugone de Sancto Victore libro primo, de ſacramentis, parte decima, capit. primo, dicente, quod fides eſt infra ſcientiam, & ſupra opinionem. *Hugo.*

Secundo arguitur facilius homo diſcedit a fide, quam à ſcientia ſemel acquiſita ergo certior eſt ſcientia, ex parte intellectus, quam fides: probatur conſequentia, quia illud eſt certius eſt parte intellectus, a quo difficilius recedit.

Tertio arguitur. tertius adheret intellectus illi veritati, quę in ſui acquiſitione, & conſeruatione a ſolo intellectu dependet, quam illi, quę etiam dependet à voluntate, ſed fides in ſui acquiſitione, & conſeruatione, dependet ab intellectu & voluntate, ſcientia vero à ſolo intellectu; ergo intellectus tertius adheret ſcientię, quam fidei: maior patet: quia voluntas libera eſt ad vtrumlibet, ratio autem intellectus ſemper eſt eadem.

Quarto

Digitized by Google

Quarto arguitur. Illud eſt immobilius ab intellectu, quod nullum habet contrarium, vt corrumpatur: ſunt cœlum eſt immobile ad corruptionem ſolum: quia non habent contrarium à quo corrumpatur, ſed fides plura habet contraria, quibus expugnatur, credimus enim multa contra ordinem naturę, vt reſurrectionem mortuorum, et exiſtentiam corporis Chriſti in ſacramentũ altaris modo non quantitatiuo, &c. ſcientia vero nullum habet contrarium, ergo ſcientia immobilior, & certior eſt fide ex parte intellectus.

Quinto arguitur. principia ſunt ex parte intellectus certiora fide, ergo &c. probatur antecedens: quia hoc principium. Quodlibet eſt vel non eſt; & ſimiliter hoc, de quolibet vera eſt affirmatio, vel negatio, & de nullo ambo ſimul, ſunt certiora ex parte intellectus: quam hęc fidei, Deus eſt Trinus, & vnus. Deus generat Deum, Pater, & filius ſpirant Spiritum ſanctum &c. ergo &c.

Sexto arguitur intellectus credens compatitur ſecum aliquam dubitationem leuem. quia vt diximus ſupra fides non excludit omnem dubitationem, ſed dubitationem vincentem, & trahentem in oppoſitum credibilis; Intellectus autem ſciens nullam, ergo ex parte intellectus certior eſt ſcientia, quam fides. probatur conſequentia: quia illud eſt certius ex parte intellectus, quod eſt dubitationi immixtius.

Ad primum negatur conſequentia, quia illud dictum Hugonis debet intelligi, quo ad euidentiam in qua fides eſt infra ſcientiam, ſed non quantum ad certitudinem, ſecundo reſpondetur, quod loquitur de fide acquiſita, quæ quo ad vtrunque eſt infra ſcientiam.

Ad ſecundum nego antecedens Verus, enim Chriſtianus in quo viget fides, facilius à ſcientia, quam a fide ſeparatur, vt probauimus, ſecundo reſpondetur negando conſequentiam, ſicut non valet facilius homo peccat quam eligat mori, ergo propoſitum euitandi mortem eſt firmius, quam non peccandi, & ratio quare non valeat eſt: quia voluntas libere dimittit propoſitum firmius. Ita in propoſito quamuis fides ſit certior, quoad nos quã ſcientia facilius diſcedit, quam ſcientia, quoniam fides dependet a voluntate, quo ad aſſenſum, in ſcientia vero minime. Ad probationem diſtinguo antecedens, ſi ſint cætera paria concedo. ſ. ſi aſſenſus ſint eiuſdem rationis, nempe ambo liberi, vel ambo naturales, ſi vero alter ſit naturalis, & alter liber bene ſtat liberum eſſe certiorem dum permanet, facilius ab illo reſilire, quoniam voluntas vult. declaratur exemplis, firmior eſt dilectio charitatis iuxta illud Roman. 8. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti &c. certus ſum: quia nec mors, nec vita, &c. tamen quia eſt omnino liber, potius, & pluries diſcedit quis ab illa, quam à dilectione naturali parentum, vel filiorum Præterea iunge vnam manum tuam alteri, & alias duas manus glutino, coniunctiores ſunt tuę manus, quam quæ iunctę ſint glutino, & tamen tuę facilius ſeparantur.

Ad tertium reſpondetur, quod fides non ſolum dependet à voluntate, & intellectu, ſed etiam à prima veritate infallibili, & ideo eſt certior ſcientia, quæ dependet à ratione fallibili; quanto enim perfectior fuerit cauſa perfectiorem generabit effectum.

S. Bonau. Ad quartum nego maiorem, quamuis enim fides plurima habeat contraria, tamen verus Chriſtianus certius adhæret ei, quam ſcientiæ, vt conſtat in martyribus. Videmus enim vt inquit D. Bonauentura, veros fideles nec per argumenta nec per tormenta, nec per blandimenta inclinari poſſe, vt veritatem, quam credunt ſaltem oretenus negent, quod nemo ſciens ſanæ mentis faceret pro aliquo, quod cognoſcit, niſi inquantum doctrina fidei dictat nõ eſſe mentiendum. Stultus enim eſſet Geometra, qui pro quacunq; certa concluſione Geometriæ auderet ſubire mortem. At verus fidelis, etiam ſi ſciret totam ſcientiam phyſicam, mallet totam illam ſcientiam perdere, quam vnum ſolum articulum ignorare, vel negare, adeo adhæret veritati creditæ, & ratio eſt, quam modo diximus ad tertium.

Ad quintum diſtinguo antecedens. ſunt enim prima principia in duplici differentia, alia à quibus depẽdet omnis veritas etiam diuina, qualia ſunt hæc. De quolibet verum eſt dicere, quod eſt, vel non eſt. De quolibet vera eſt affirmatio, vel negatio, & de nullo ambo ſimul, ex quibus inferuntur omnes articuli fidei &c. & iſta æque certa ſunt ac fides. alia ſunt principia ſecunda particulariũ ſcientiarum vt in Phyloſophia omne compoſitum ex contrarijs eſt corruptibile, &c. & de his dico fidem eſſe certiorẽ. Sed contra videtur adhuc non ſoluta ratio: quia certitudo primorum principiorum cauſatur à lumine naturali, & certitudo fidei à lumine ſupernaturali: Dico, quod certitudo illorum primorum principiorum etiam cauſatur mediate à lumine ſupernaturali, ſic enim hæc eſt vera Deus eſt Trinus, vel non Trinus.

Ad vltimum. dico primum antecedens eſſe falſum: nã ſcientia circa ſuum obiectum multa dubia relinquit in diſcuſſa, fides vero nullum; & ſicut demonſtratum nõ eſt amplius dubium in ſcientia; ita quando conſtat reuelatũ a Deo, nullum ſupereſt dubium in fide; ſcimus enim citius poſſe falſo rationem naturalem, quam primam veritatem.

Secundo reſpondetur negando conſequentiam: quia leuis dubitatio in fide naſcitur ex ineuidentia & obſcuritate, & etiam ex fragilitate, & libertate voluntatis a qua dependet. Scientia vero eſt clara & euidens, & quo ad aſſenſum non dependet à voluntate, ſed naturaliter generatur, atq; adeo cum illa non eſt aliqua dubitatio. Vnde ſtantibus cauſis aſſenſus fidei; nempe fide infuſa in intellectu, & auxilio ſpeciali in voluntate, non poteſt fidelis deliberate admittere dubium: iam enim perderet fidem. Stante autem ſcientia forte continget ſciens dubitare, vt ſi vir magnæ authoritatis diceret Geometræ Chriſtiano. Chriſtus dixit, quod Triangulus non habet tres angulos &c. dubitaret de ſcito, &c.

Arguitur iterum contra ſecundam concluſionem. ſicut lumen ſuper naturale eſt infallibile, ita & naturale, ergo vnum non eſt magis certum, quam aliud probatur antecedens, quia vtrunq; eſt à Deo. Alia argu. contra ſecundã concluſionẽ.

Nego conſequentiam: quia licet vtrumq; lumen ſit à Deo, altioris tam ordinis eſt ſupernaturale, quam naturale, atq; ita eſt certius. ſolum enim probat argumentũ vtrũque eſſe certum, quod libenter fatemur, ſed non quod alterum non ſit certius altero: quia ſimili argumento probaremus aſſenſum principiorum nõ eſſe certiorem aſſenſu concluſionum: quia vtrumq; eſt à lumine naturali; quod falſum eſt; cum aſſenſus concluſionum ſit certus propter aſſenſum principiorũ, & propter quod vnũ quodque tale &c. Vnde ſi poſſet aliquis deſerere aſſenſus illorũ potius deſereret aſſenſum concluſionis. Ita eſt in propoſito de fide, & ſcientia: quod ſi altera illarum poſſet deficere, potius deficeret ſcientia, quam fides iuxta illud Lucæ 21. Cœlum, & Terra tranſibunt &c. ideſt ſi aliquid illorũ poſſet deficere, potius deficerent Cœlum, & Terra, quã verba Chriſti.

Item ſcientia beatorum abſolute eſt certior fide, & hoc non ex parte cauſæ: lumen enim ſupernaturale cauſat fidem in via, & ſcientiam in patria, & vtriuſque idem eſt obiectum nempe Deus, ergo fides nõ eſt abſolute certior ſcientia. Nego conſequentiam. Scire.n. Deum abſolute eſt certius, quam illum credere, ſi ſint cetera paria; nimirum quando lumen ſuper naturale cauſat ſcientiam, & fidem, vt de facto eſt in noſtra fide, & in ſcientia beatorum. quando vero ſcientia de Deo, eſt à lumine naturali, & fides à ſuper naturali, non eſt ſcientia certior, ſed fides.

Deinde certitudo fidei eſt finita, ſit. v.g. vt octo, & certitudo ſcientiæ vt ſex, ergo ſi creſcat certitudo ſcientię ęquabit, imo ſuperabit certitudinem fidei. Nego conſequentiã: quia ſunt certitudines diuerſarum rationum; atque adeo quantum vis creſcat certitudo ſcientiæ non æquabit certitudinem fidei. ſicut quantum vis intendatur nigredo, nunquam æquabit in perfectione albedinem.

Præterea damnati ſunt certiores, quod infernus ſit, quã nos, & tamen nos ſumus certi de illo per fidem, illi vero per ſcientiam, & experientiam; ergo ſcientia certior eſt, q̃ fides. Nego minorem. Damnati enim ſunt forte de inferno certi aliunde, quam per experiẽtiam, quod ſit: Deo ſic diſponente in pœnam illorum. Dico ſecundo quòd illi ſolum ſunt certi per experientiam, certiores ſumus nos, quã illi, quòd infernus ſit. De ſe enim eſt experientia fallax. reuelatio autem diuina infallibilis.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS XIIII.

Vtrum fides infuſa augeatur actibus ſuis.

Fides duobus modis augeri poteſt.

PRO explicatione huius difficultatis obſeru.eſt, ꝙ fides duobus modis augeri poteſt ſcilicet extenſiue & intenſiue, extenſiue dicitur augeri ratione obiecti materialis, vel quando plura obiecta materialia adduntur, vel eadem propoſitio circa quam verſabatur prius habitus fidei, explicatius cognoſcitur, quã antea; & hoc modo fides poteſt dici augeri, nam ſuceſſu temporis poſſunt addi plures propoſitiones credendæ, & eadem poteſt magis diſtincte proponi aduariarum hæreſum confutationem, & de hac fidei auctione non loquimur in hoc artic. 2.ſ. intenſiue dicitur augeri habitus in quo eſt latitudo pfectionis, quam paulatim acquirit, ſiue hæc ſucceſſiua acquiſitio fiat per additionem gradus ad gradum, iuxta ſententiam Doc.ſub.in.1.d.17.q.3. ſiue per maiorem radicationem in ſubiecto iuxta placitũ Thomiſtarum. & in hac ſignificatione quærimus an fides infuſa augeatur actibus ſuis, hoc eſt intenſiue, & per additionẽ gradus ad gradum.

Secundo obſer.eſt quòd habitus fidei infuſæ non augetur per actus ſuos phyſice, ſed meritorie, & diſpoſitiue, ꝙd non augeatur phyſice patet: quia ſicut habitus infuſus nõ poteſt ꝑduci per actus, ita nec augeri. ſm patet quia licet peccator, non poſſit mereri de condigno tale augumentũ, cũ tale meritum exigat in merente charitatem, poteſt tñ mereri de congruo. Tertium etiam patet: quia actus fidei diſponit ſubiectum ad recipiẽdũ à Deo fidei augumentũ.

Vnde obſeru.eſt tertio aliud eſſe per actum fidei augeri habitum infuſum tamquam per diſpoſitionem, aliud vero actum mereri augumentum habitus: nam quilibet actus fidei, ſicut, & charitatis meretur augumentum habitus, non tamen quolibet actu augetur habitus, ſed tantum intenſiore ſecundum aliquos.

Quarto obſer.eſt actum fidei intenſiorem, non augere habitum ſecundum totam latitudinem habitus, ſed ſecundum illum gradum quo ſuperat habitum in intenſione: nam ſecundum illum tantum eſt diſpoſitio ſufficiens ad augumentum habitus; & quia eodem modo habitus naturales augẽtur; quẽ modũ ſeruãdũ eſſe dicunt Theologi in ſupernaturalibus, ne det locus fictioni. His obſeruatis ſit.

Prima conclusio.

Prima Concluſio. Habitus fidei infuſæ poteſt augeri ſecundum maiorem intenſionem factam in ſubiecto per quoſcumque actus meritorios, tam elicitos à fide, quam etiam imperatos. Hæc concluſio eſt contra Arag.2.2. q.4. artic.5. affirmantem fidem infuſam non augeri per actus aliarum virtutum, neque per actum fidei æquiſitæ, ſed tã tum per actum fidei infuſæ, cuius ratio eſt, quia virtutes, quæ vſu, & exercitio actuum naturaliũ acquiri poſſunt, non augentur niſi ex actibus, quos eliciunt, ergo idem dicendum de habitibus infuſis cum illorum augmento. Tũ quia actus fidei requiſitæ ſunt inferioris ordinis atq; adeo non habent proportionem ad fidem infuſam. Probatur tamen noſtra concluſio, fides augetur a nobis meritorie, à Deo autem effectiue, vt omnis Theologorum ſchola fatetur, ſed non ſolum actus fidei elicitus, ſed etiã imperatus poteſt eſſe meritorius, ſi fiat cum charitate, ergo fides augetur per huiuſmodi actus. Preterea Charitas augetur p omnem actum meritorium, ergo & fides: quia nõ eſt maior ratio vnius, quam alterius. Ad rationem Arag. dico, ꝙd cõcludit de habitibus acquiſitis, qui phyſice augentur.

Aragon.

Secunda concluſio.

Secunda Concluſio fides infuſa augetur per ſuos actus etiam informes; probatur; fides non dependet à charitate, quantum ad ſui infuſionem, & cõſeruationem, ergo nec quantum ad augmentum. probatur; cõſequentia: quia habitus remiſſus, & intenſus ſunt idem numero; probatur ſecundo. Peccatores poſſunt habere intẽtiſſimos actus fidei ergo per illos augebitur eorum fides. probatur antecedens ex Matth.7.cap. Vbi legimus multos damnandos in nomini Chriſti miracula facturos, quę ſine magna fide fieri nequeunt & D.Paulus.1.Corint.13. ſi habuero omne fidem, ita vt montes transferam &c. Si dicas, quòd in habitibus infuſis nihil facit actus ad quantitatem habitus, niſi ſit meritorius, Cõtra ponamus fidem infundi exiſtenti in peccato mortali, illi infunditur maior, vel minor fides ſecundum ſuam diſpoſitionem, & actum; ergo multum facit actus etiam non meritorius ad quantitatem habitus infuſi. Secundo probatur eodem modo augetur fides formata, & informis, ſunt enim in ratione fidei eiuſdem rationis, imo eadem fides numero, vt probauimus ſupra art.5. ſed informis non augetur per actus meritorios, ergo nec formata augetur ſemper per actus meritorios.

Contra hanc cõcluſionem arguitur: habitus infuſus augetur meritorie per noſtros actus, & nõ effectiue vt habet commune axioma Theologorum, ergo fides infuſa nõ augetur per actus informes. Reſpondetur negando ſequelã, quia fides diſpoſitiue augetur per ſuos actus etiam informes non aũt effectiue, vel meritorie, ſed effectiue à Deo, commune autem dictum Theologorum aſſerens qui habitus infuſi ſolum augentur meritorie, ſic debet intelligi, vt illa excluſiua ſolum tantũ excludat augumentum effectiue, vt ſit ſenſus, habitus infuſi non augentur effectiue à ſuis actibus, ſed alio modo, ſ. meritorie, vel diſpoſitiue.

Tertia cõcluſio.

Tertia Concluſio. Habitus fidei augetur non ſolum p quoſcumque actus meritorios intenſiores, ſed etiam per remiſſiones. prima pars communiter conceditur. Secunda eſt contra aliquos Theologos tenentes fidem duntaxat augeri per actus intenſiores, & non per remiſſiores, & probatur concluſio, fides per actus augetur meritorie, vel diſpoſitiue, ergo ſicut quando adeſt quicunque actus, qui ſit diſpoſitio ad fidem ſtatim infunditur fides, ſic etiã quotiens adeſt quicunque actus meritorius augetur fides. ſecundo probatur: exiſtente merito ſtatim confertur præmium, ſi non adſit impedimentum aliunde, ergo exiſtente actu meritorio augumenti fidei aderit ſtatim augmentum ipſius fidei. Et ſi dicas. ergo aſſidue augetur habitus, vel fides, vel charitas, hoc autem videtur contra experientiã: quia experimur nos in operando non tam faciles, & promptos eſſe. Reſpondetur, quòd experiri nos non ita faciles in operando prouenit ex paſſionibus in appetitu exiſtentibus, & inſurgentibus, quæ ſimul ſunt cum habitibus infuſis. vt patet etiam inaſſidue recipientibus ſacramenta pœnitentiæ & Euchariſtiæ; per quæ ex opere operato confertur gratia, & tñ non ſe experiuntur magis faciles, & promptos in operando rõne paſſionum; q̃ non tolliũtur neq; minuũtur, niſi frequenter operãdo, & acquirẽdo oppoſitos habitus.

Quarta cõcluſio.

Quarta Concluſio. Habitus fidei infuſæ, tam ſecundũ ſe, quam vt eſt in ſubiecto puta homine, vel Angelo põt augeri. prima pars eſt definita in concilio Trident. ſeſſ.6. vbi iuſtitiam, quam in.cap.7. docuerat conſiſtere in fide, ſpe, & charitate, cap.10. dicit augeri; & colligitur ex ſcriptura; vbi Apoſtoli Chriſtum rogant. Domine adauge nobis fidem, quo loco ad hoc confirmandum vtuntur. Ambroſ. epiſtola.79. Hieronym.2. contra Iouinianum, Greg. homil.15. & in Ezechielem, & aliis Patres Auguſt. tract. 79. in Ioan. Bernardus lib. de ordine vitæ. Et ratione patet quia omnes habitus tam naturales, quam ſupernaturales, vt ſpei, & charitatis augeri poſſunt, ergo & fides: nam eadem eſt omnino ratio.

Concilium Trident.
Ambroſ.
Hieronym.
Gregorius.
Auguſtin.
Bernardus

Secundo eſt etiam de fide, & colligitur ex ſcriptura, tũ locis citatis tum aliis, vbi dicitur fides parua, vel magna. Matth.14. Modicæ fidei; Magna eſt fides tua, & patet experientia: nam fideles ex frequentia actuum fidei redduntur promptiores ad credendum; tum quia habitus infuſi recipiunt augumentum, & non extra ſubiectum, vt patet, ergo in ſubiecto, & non repugnat magis recipere in vno, quam in altero. ergo &c.

Quinta cõcluſio.

Quinta Concluſio. Probabile eſt quod habitus fidei augeatur ſolum ſecundum exceſſum gradus, aut etiam ſecundum totam latitudinem graduum. ſenſus concluſionis eſt, quod ſi quis. v.g. habeat habitum fidei intenſum vt quatuor, & faciat actum credendi intenſum vt ſex, habitus pręexiſtens põt augeri per talem actum tantum ſm duos gradus in quibus ſuperatur ab actu, aut poteſt augeri ſecundum omnes gradus actus, atque ita habitus pręexiſtens fiet intenſus, vt decem; probatur prima pars; tales habitus infuſi augentur à Deo admodum habituum acquiſitorum, ſed habitus acquiſiti ſolum augentur ſecundum exceſſum graduum actus, ergo & infuſi. ſecunda pars probatur habitus infuſi augentur meritorie, vel diſpoſitiue per actus noſtros, ſed in tota latitudine graduum actus

eſt inten-

Digitized by Google

eſt meritum, vel debita diſpoſitio ad augumẽtum, ergo augentur ſecundum illam. Secundo probatur; actus remiſſiones, vt ſupra dicebamus ſufficiebant ad augendos tales habitus, ergo hoc ideo eſt; quia augumentum fit ſecundũ totam latitudinem actus.

6. Conclu. Sexta concluſio. Per actus fidei infuſæ producitur in intellectu habitus fidei acquiſitum, & idem indicandum eſt de ſpe, & charitate. Hæc concluſio eſt Almayn. in 3. diſtin. 23. quæſt. 3. Marſilij in 3. quæſt. 14. & Gabrielis eadem, d. quæſt. 1. ponitur que de mente Scoti: eam docet Gregor. de Arim. in 2. diſt. 26. quæſt. 1. artic. 6. Maior in 3. diſt. 23. quæſt. 9. & Paludan. diſt. 30. quæſt. 2. probatur concluſio. In fidelibus Chriſtianis eſt fides acquiſita genita ex actibus, ſed illi actus procedunt à fide infuſa, ergo per actus fidei infuſæ producitur habitus fidei acquiſitæ: Maior patet quia fidelis factus hæreticus circa vnum articulum amittit fidem infuſam, qui nihilominus credit alios articulos: quoniã hæreſes (vt ait Scotus in hac quæſtione) nõ ſunt neceſſario connexæ; neque in illo inſtanti in quo amittitur fides infuſa generatur habitus acquiſitus, ergo prius habebat fidem acquiſitam. Probatur minor, quia fides infuſa, & acquiſita concurrunt ſimul ad eundem actũ numero producendum, vt docet Scotus hac quæſtione, & quæſt. 14. quol. articul. 1. & probatur, quia ſi illi actus per quos eſt genita fides acquiſita, non proceſſiſſent à fide infuſa, pari ratione neque alius actus ab ea procedet; atque ita erit otioſa, hoc autem non eſt dicendum, ergo potius dicendum eſt, quod illi actus, per quos fides acquiſita eſt genita; ſunt à fide infuſa. Secundo probatur, de charitate. Si quis per charitatem infuſam exerceat ſe diu in actibus charitatis diligendo Deum, & proximum, & deinde committat peccatum mortale, per quod perdat habitum charitatis, infuſum, adhuc remanet promptus, & facilis in operibus charitatis erga proximum, & non per charitatem infuſam: quia illam non habet, ergo per habitum charitatis acquiſitum, quem acquiſiuerat per actus charitatis infuſæ.

Almayn. Marſil. Gabrielis Scotus. Gregor. de Arim. Maior. Paludan.

Hæc concluſio eſt contra D. Thomam 1. 2. quæſt. 51. artic. 4. ad tertium, & contraria Medinam ibi: oppoſitum tenentes videlicet, quod per actus fidei infuſæ; non generatur habitus acquiſitus, & probatur ſic; ſi operationes illæ procedentes à fide infuſa gignerent aliquem habitum, ille habitus eſſet eiuſdem ſpeciei: quia ſimiles actus ſimilem generant habitum. 2. Ethic. c. 1. & experientia patet, quia actus fortitudinis generant habitum fortitudinis, & nõ alium habitum, ſed habitus infuſus, & acquiſitus, ſunt diuerſæ ſpecies, ergo per actus fidei infuſæ; non generatur habitus acquiſitus.

D. Thom. Medina.

Ceterum tenendo noſtram concluſionem reſpondetur; quòd actus fidei infuſæ, & alterius cuiuſcumque habitus infuſi, duo habent, primum quod ſunt meritorij, vel poſſunt eſſe, & vt ſic augent habitum infuſum vt ſupra dictũ eſt. Secundum quod habent eſt, quod per illos potentia redditur facilior, & promptior ad operandum; quia enim actus eſt exercitium potentiæ, atque vſus, per multiplicationem actuum redditur potentia promptior, facilior, & potentior ad operandum iuxta dictum Vittorini: Naturã reddit habilem ars, facilem vſus, atque potentem, & hoc cum ſit naturale, quibuſcunque actibus, etiam ſupernaturalibus; ideo ex talibus generatur illa facilitas operandi, qui dicitur habitus de 2. ſpecie qualitatis. Dico ergo ꝙ actus habitus infuſi non ſecundum quod ſupernaturalis eſt, cauſat, & gignit habitum acquiſitum, ſed ſecundum quod per illum facilitatur potentia.

Hugo de S. Victore.

ARTICVLVS XV.

Vtrum fides ſit in intellectu, vel in voluntate.

PRo ſolutione quæſtionis obſeruandum eſt primo, quòd circa potentiarum animæ diſtinctionẽ ab ipſa anima, & inter ſe, eſt controuerſia inter D. Thomam & Doct. ſub. D. Thomas opinatur potentias animæ inter ſe, & ab anima diſtingui realiter, ſecundum quam opinionem eſt ſenſus tituli, an fides ſit in intellectu ſicut in ſubiecto inhæſionis; ſi enim potentiæ realiter diſtinguuntur, accidentia, quæ inhærent vni potentiæ non inhærent alteri; Scotus autem opinatur potentias eſſe idem realiter cum anima & inter ſe, & diſtingui formaliter, vt patet in 2. diſ. 16. atque adeo ſecundum ſententiã Doct. noſtri ſub. dicunt quidam, quod titulus quæſtionis non poteſt intelligi de ſubiecto inhęſionis, ſi enim potentiæ ſunt idem realiter, accidens, quod inhæret vni, non poteſt non inhærere alteri: cum anima ſit indiuiſibilis, ſed debet intelligi de ſubiecto perfectionis, cum enim potentiæ perficiantur ſuis operationibus, & habitibus merito poteſt dubitari, an fides perficiat intellectum, vel voluntatem.

D. Thom. Scotus.

Cæterum ne dum de ſubiecto perfectionis, ſed etiam de ſubiecto inhæſionis intelligi poteſt quæſtio etiam iuxta ſententiam Doct. ſub. & formalis diſtinctio, quę eſt inter intellectum, & voluntatem, & inter animam & ipſas potentias, ſufficit ad hoc, quod vna potentia ſit ſubiectum vnius habitus, & non altera, & quod habitus ſint immediate in potentijs, vt in ſubiecto, & non in eſſentia animæ.

Secundo obſeruandum eſt, quòd practicum, & ſpeculatiuum licet ſint differentiæ eſſentiales habitus: nam diuiſio habitus in practicum, & ſpeculatiuum eſt diuiſio generis in differentias eſſentiales, vel ſaltẽ in proprias paſſiones conſequentes differentias eſſentiales nobis ignotas, differentiæ enim diuidentes interdum ſunt nobis ignotæ, tamẽ non ſunt differentiæ eſſentiales, nec propriæ paſſiones potentiæ intellectiuæ: Intellectus enim poteſt biſariam denominari practicus, vno modo ab actu, atque ita ille intellectus eſt practicus, qui intelligit actu intelligendi practico, & ille eſt ſpeculatiuus, qui intelligit actu intelligendi ſpeculatiuo: Alio modo poteſt intellectus dici practicus ab habitu; atque ita ille intellectus eſt practicus, qui informatur habitu practico, & ille eſt ſpeculatiuus, qui informatur habitu ſpeculatiuo. Ex quo ſequitur primo, quòd intellectus poteſt biſariã denominari practicus; vno modo intrinſeca denominatione, & ſic denominatur practicus ab actu, vel habitu practico in eo formaliter exiſtentibus: Altero modo põt appellari practicus extrinſeca denominatione, atque ita denominatur practicus à praxi, quã dirigit, & regulat, exiſtente non in ipſo, ſed in voluntate. Secundo ſequitur, quod cum actus praticus, & ſimiliter praxis ſint prædicata, quæ denominatiue, & accidentaliter, prædicari poſſunt de intellectu; quod diuiſio intellectus in practicum & ſpeculatiuum, eſt diuiſio ſubiecti in accidentia non propria, ſed communia, ac ſi diuideretur corpus in album, & nigrum. Tertio ſequitur, quod cum quęritur an fides ſit in intellectu practico, vel ſpeculatiuo idem eſt, quod quærere an fides, eſt habitus practicus, vel ſpeculatiuus, cum intellectus non ſit practicus, vel ſpeculatiuus, niſi ratione actus, vel habitus, practici, vel ſpeculatiui.

Speculatiuũ, & practicũ non ſunt differẽtiæ eſſẽtiales intellectus.

Intellect⁹ biſariã poteſt denominari practicus.

Tertio obſeruandum eſt, quòd Caietanus, 2. 2. quæſt. 4. artic. 2. inquit ꝙ fides eſt habitus practicus, & ſpeculatiuus eminenter formaliter vero neuter eſt; ſicut Cœlum eſt eminenter frigidum, & calidum, formaliter vero neutrum eſt, ita fides continet quicquid perfectionis habet practicum, & ſpeculatiuum; formaliter vero eſt neuter. & idem docet Bannes ibidem, ſed hęc ſententia ſtare non poteſt: quia quandocunque aliquod commune diuiditur primo per differentias oppoſitas, vel per proprias paſſiones loco differentiarum ipſas differentias conſequentes impoſſibile eſt vtramque differentiam, vel propriam paſſionem inueniri in aliquo vno contento ſub illo communi: ſed habitus intellectualis in communi diuiditur primo in practicum, & ſpeculatiuum, tamquam per proprias differentias, vel ſaltim proprias paſſiones loco differentiarum, ergo impoſſibile eſt practicum, & ſpeculatiuum eidem habitui ineſſe & per conſequens fidem eſſe ſimul, ſpeculatiuam, & practicam. Maior eſt manifeſta, quia ſi differentię condiuidentes aliquod commune, vel proprias paſſiones ſpecierum ipſas differentias neceſſario conſequentes poſſent ſe compati in aliquo contento ſub communi, tunc idem corpus poſſet eſſe corporeum, & incorporeum, & idem animal ſenſibile, & inſenſibile, idem homo rationalis, & irrationalis, quæ ſunt abſurda. Minor eſt Auicen. 1. Meth. in principio, & Commentator. 1. Ethycorum, primo comment.

Caietanus Bannes. Auicenn. Cõmentat.

Nec

Digitized by Google

Nec valet reſponſio Banneſij: quod practicum, & ſpeculatiuum bifariam accipi poſſunt: primo quatenus ſunt differentiæ oppoſitæ diuidentes habitum inferioris ordinis. Secundo modo accipi poſſunt abſolute, & ſublatis omnibus imperfectionibus, quibus inter ſe in creaturis opponuntur, eo ſcilicet modo, quo diuinæ ſcientiæ conuenire poſſunt, q̄ reuera ſpeculatiua eſt & practica, & qđ priori modo accipiendo practicum & ſpeculatiuum, fides eſt ſimul practica, & ſpeculatiua eminenter, ſecundo autem modo fides eſt formaliter ſpeculatiua, & practica: quia vt ſic practicum, & ſpeculatiuum non ſunt differentiæ oppoſitæ, ſed ſe compatiuntur in eodem habitu.

Non valet inquam hæc reſponſio, primo quoniam inuoluit manifeſtam contradictionem. Nam concedit ipſe fidem eſſe formaliter practicam, & ſpeculatiuam ſumendo practicum, & ſpeculatiuum in ſecunda acceptione, & ſimul docet, quòd fides non eſt proxima, & immediata regula operandi, cum ponat eam primo, & per ſe ſpeculatiuam, & per conſequens eſſe regulam proximam ſpeculationis, nō autem operationis, & praxis. docet etiam quòd practicum & ſpeculatiuum in ſecunda acceptione continet quicquid perfectionis reperitur in practico, & ſpeculatiuo in prima acceptione; ſed eſſe proximam, & immediatam regulam operandi, quod conuenit practico in prima acceptione eſt perfectio maxima ſecūdum ſe nullam importans imperfectionem; quia dicit rationem cauſę, ergo ſi fides eſt practica formaliter in ſecunda acceptione practici, erit proxima operandi regula, ergo ſequitur ex eius ſententia, qđ fides eſt proxima regula operandi, atq; adeo primo, & per ſe practica, & non eſt proxima regula operandi; quia ſecundum eum, eſt primo, & per ſe ſpeculatiua, quæ eſt manifeſta contradictio, præterquā qđ non eſt de ratione intrinſeca practici, in prima acceptione, eſſe proximam regulam operandi, i. immediate dirigere in praxim, alias notitia principiorum communium non eſſet practica, nimirum iſtorum, Bonum eſt amplectēdum malum eſt fugiendum, Perturbantes Reipub. pacem ſunt exterminandi &c. qđ eſt manifeſte falſum, & conſequentia patet; quia huiuſmodi notitia non dirigit immediate in praxim.

Secundo patet reſponſionē nullā eſſe: quia notitia practica quatenus practica, neceſſario, & intrinſece eſt regulatiua praxis, determinatam enim rectitudinem reſpectu eius neceſſario importat: ið enim dicitur practica, & hoc ſiue illa rectitudo proxime, ſiue remote dirigat in opus; ergo cognitio ſpeculatiua illa erit, quæ talem naturā habet, vt nullam determinatam rectitudinem dicat in ordine ad opus. Nō eſt enim imaginabile, quomodo aliter ſpeculatiuum differat à practico, niſi per aliquid, ratione cuius ſibi neceſſario conueniat negatio rectitudinis in ordinem ad praxim, atque adeo implicat eamdem cognitionem præſertim finitam, & ſi ordinis ſuperioris, ſimul eſſe formaliter ſpeculatiuam, & practicam, quia ſimul erit directiua in operationem, & non directiua, quæ contradicunt. Et quidem à Phyloſophis ſic diſtinguitur ſpeculatiuum à practico. Dicere autem Phyloſophos. locutos eſſe de practico & ſpeculatiuo, prout ſunt differentię tantum ordinis inferioris, videtur potius argumenti fuga quam ſolutio: ſic enim haud facile erit ſoluere omnia argumenta ex Phyloſophia aduerſus res ſupernaturales deſumpta; nec ex rebus naturalibus ad ſupernaturales, quiſpiam Phyloſophari poterit. facile namq; reſpondit aduerſarius huiuſmodi argumenta, & rationes in ſolis rebus naturalibus, nō autē in his, quæ altioris ordinis ſunt habere locū; atq; procedere. Dicendū eſt ergo vt docet Doct. noſter. ſub. fidem eſſe ſimpliciter habitum practicum. vide Scot. in q. 4. Prologi. ad primum principale. & Ale. de Ales. Poſtremo obſeruandum eſt, vt docet Alex. de Ales. 3. p. q. 68. m. 8. art. 1. quòd fides ſicut & cæteræ virtutes eſt ſubiectiue in parte animæ, ſeu vi, quæ eſt motiua, & hæc eſt liberum arb. quod eſt (ſicut dicit Aug.) facultas rationis, & voluntatis; ſunt ergo virtutes in rationali vi, quæ ex libero arbitrio, duobus modis, quædam ad habilitandum facultatem rationis. i. intellectum; quædam ad habilitandā facultatem voluntatis; Facultas rationis iuxta duplicem portionē. ſ. ſuperiorem, & inferiorē, eſt ad duo, ſ. ad diſcernendum ea, quæ ſunt ad finem ſecundum portionem inferiorem, vt fiant, vel non fiant, & ad diſcernendum, & tēdendum in fine ſecundum portionem ſuperiorem. Similiter voluntas dupliciter eſt iuxta eius duplicem portionē ſcilicet in appetitu & electione eorum q̄ ſunt ad finem ſecundum portionem inferiorem; & in appetitu finis ſecundum portionem ſuperiorem. Erunt igitur virtutes, q̄ ſunt habitus, ſiue habilitates, q̄dam ad ordinandum iudicium rationis, quædam vero ad ordinandum appetitum voluntatis. Illæ quæ ſunt ad ordinandum iudicium, cognitionē habent pro materia; quæ vero ad appetitum voluntatis affectionem. Sunt igitur habitus facultatis rationis. i. intellectus, fides, & prudentia; ſed prudentia ad ordinandū iudicium in his, quæ ſunt ad finem ſecundum portionē inferiorem; fides ad ordinandum iudicium in ipſum finē ſecundum ſuperiorem portionem. Nā fides informat intellectū prout eſt portio ſuperior; prudentia vero vt eſt portio inferior. Similiter ex parte voluntatis ſecundū portionem ſuperiorem, quatenus reſpicit finem informatur per virtutes, quæ ſunt ſpes, & charitas, ſecundum vero portionem inferiorem. quatenus ſcilicet appetit ea, quæ ſunt ad finem habilitatur per fortitudinem, & temperantiam, vt ex vtraque parte diſtinguatur appetitus voluntatis ſecundum iraſcibilem, & concupiſcibilem, quæ eſt in finem, appetitum iraſcibilem informat ſpes, appetitū concupiſcibilem charitas, ſecundum vero portionem inferiorem, quæ reſpicit ea, quæ ſunt ad finem, appetitum iraſcibilem informat fortitudo, concupiſcibilem temperantia. Quod dictum tamen corrigendum eſt ex his, quæ docet Doct. ſub. infra. d. 26. & 34. vt illis in locis explicabimus.

Scotus. (margin)
Alexā. de Ales. (margin)

His obſeruatis ſit hæc concluſio. fides eſt in intellectu tamquam in ſubiecto. hæc concluſio eſt communis omniū Theologorum. Alexand. de Ales. loco citato. Diuus Thomas. 2. 2. quæſt. 4. articul. 2. Diuus Bonauentura in 3. diſt. 23. articul. 1. quæſt. 2. Ricardus eadem diſtin. art. 6. quæſt. 1. & Scot. diſtin. 25. quæſtio. Quæ tenenda eſt ſecundum fidem ſaltem quantum ad ipſum actum credendi: Eſt enim contra omnes hæreticos noſtri temporis Lutheranos, qui aiunt actum fidei iuſtificantis eſſe actum fiduciæ, quæ eſt modus quidam ſpei in volūtatē exiſtens. Certum eſt enim & catholicum, quod ad fidem ſpectant tamquam actus proprij, intelligere, cognoſcere, ſcire, credere: ſed conſtat naturali ratione, huiuſmodi actus in intellectu tamquam in ſubiecto reſidere, ergo error eſt negare actum fidei in intellectu tamquam in ſubiecto exiſtere. Maior probatur ex multis teſtimonijs Sacræ ſcripturæ. v.g. ad Hebræos. 11. dicitur. Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei. & ad Coloſ. 2. Inſtructi in Charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus in agnitionem myſterij Dei Patris, & Chriſti Ieſu; en vocat fidem diuitias plenitudinis intellectus. Item Pſal. 93. dicitur. Qui docet hominem ſcientiam; quæ verba in Concilio Mileuitano. cap. 4. explicantur, ita vt nomine ſcientiæ intelligatur fides; Præterea Iſaiæ. 33. Et erit fides in temporibus ſuis diuitiæ ſalutis, ſapiētia, & ſcientia; Et Apoſtolus. 2. ad Corint. 10. captiuantes intellectum in obſequium Chriſti.

Alexā. de Ales. (margin) *D. Thom.* (margin) *D. Bonau.* (margin) *Ricardus.* (margin) *Scotus.* (margin) *Concilium Mileuit.* (margin)

Item probatur concluſio. Viſio eſt in intellectu, ſed viſio diuinorum ſuccedit fidei eorumdem, ergo fides eſt in intellectu; ſecundo probatur, actus credendi eſt circa verum, ſed verum eſt obiectum intellectus ergo actus credendi eſt actus intellectus, ſed intellectus credit cum fide, ergo fides eſt in intellectu; tertio ſic, fides datur ad perficiendum potentiam, vt captiuetur in obſequium Chriſti, & vt aſſentiat rebus fidei; ergo debet poni in illa potentia, ad quam pertinent captiuatio, & aſſenſus, talis eſt intellectus ergo &c.

Contra Diuus Auguſtinus, & ferè omnes dicūt, quod credere pertinet ad voluntatem, ſed fides datur ad credendum, ergo datur voluntati: Reſpondetur: quòd ſancti debent intelligi ſic, quòd actus credendi licet eliciatiue fiat ab intellectu eſt tamen neceſſarius actus voluntatis mouens intellectum vt aſſentiat: quia homo non poteſt credere niſi volens. vt dicit Diuus Auguſtinus & Conc. Trident. Datur ergo ipſi intellectui habitus fidei, vt eliciat aſſenſum, & credat.

D. Auguſ. (margin) *Concilium Trident.* (margin)

ARTICVLVS XVI.

Vtrum fides fuerit in Angelis ante beatitudinem bonorum, & damnationem malorum.

Hugo.

Alex. de Ales.

DE hac re videtur fuiſſe ſententia Hugonis lib. 1. de Sacramentis. par. 5. capitu. 14. Vbi meminit alicuius alterius cognitionis quã tunc habuerint Angeli; præter quã naturalis triplicis qua. ſcilicet cognouerunt, quod facti erant, & à quo facti erant, & cum quo facti erant. i. ſuam obligationem, & perfectionem, ac potentiam, vt ibidem Hugo declarat, & ex eodem Hugone colligit Alex. de Ales 3. part. quæſtio. 68. mẽ. 8. art. 2. Angelum habuiſſe tunc oculum contemplatione Dei apertũ, Non dicit ibi Hugo quia homo oculum contemplationis non habet: Deum, & quæ ſunt in Deo, videre non valet. Ideo fides neceſſaria eſt, quo credantur, quæ non videntur; atque adeo cum ante confirmationem, & lapſum Angeli haberent oculum contemplationis apertum, non erat eis fides neceſſaria.

Idem quoque videtur ſentire Hugo. lib. 1. p. 6. cap. 14. de homine q. ſ. fidem non habuerit ante peccatum, ita. n. in ſententia ſcribit Cognouit homo in primo ſtatu creatorem ſuum, non ea cognitione, quæ foris auditũ ſolo percipitur, ſed ea quæ intus per inſpirationem miniſtratur; nõ ea, qua Deus modo à credentibus abſens fide quæritur, ſed ea, quæ per præſentiam contemplationis ſcienti manifeſtius cernebatur. Idem Doct. lib. 1. p. 10. cap. 3. dicit, q homo in primo ſtatu oculum acceperat, quo intra ſe Deũ videret, & ea quæ in Deo erant, & hic eſt oculus contemplationis: per tenebras vero peccati oculus contemplationis extinctus eſt, vt nihil videret, Qui ergo oculum contemplationis non habet, Deum & quæ in Deo ſunt videre non valet, propterea fides propter peccatum neceſſaria eſt, quibus verbis apparet hominem ante peccatum non habuiſſe fidem, ſed contemplationem quod magis dicendum videtur de Angelis.

Magiſter ſent. Ale. de Ales.

Hugonem ſecuti ſunt Magiſter ſent. in 2. diſt. 23. Alex. de Ales 3. p. quæſt. 68. m. 8. art. 2. Vbi loquens de Angelis dicit, q in eis non fuit fides, primæ veritatis, ſed quædam ſcientia imperfecta reſpectu cognitionis beatæ, poſt confirmationem, Quod explicans inquit, q poſſunt poni tres gradus ex parte cognitionis intellectiuæ, quemadmodũ nos inuenimus ex parte cognitionis ſenſitiuæ. Eſt enim q̃dam cognitio de dulci per auditum, quædam per viſum, quædam per guſtum. Cum auditur de re: quia dulcis, ſi interueniat credulitas fides eſt, ſi vero adueniat viſio cognitio eſt quædam ſpeculatiua; ſi vero adueniat guſtus experientia eſt, & completa cognitio de dulcedine. Ita p intellectum, acceptio quædã eſt prima veritatis, quaſi p auditum cum non videtur, & eſt fidei; quædã vero veritatis quaſi per viſum, cum. ſ. per quandã ſpeculationẽ lux eius percipitur, ſed non dulcedo, quædã vero eſt acceptio quaſi per guſtũ, cũ. ſ. non ſolum per ſpeculationem lucet, ſed ſenſu dulcedinis plene, & pfectè percipitur. prima cognitio non eſt ponenda in Angelis ante confirmationem, & lapſum, ſed ponitur in Angelis poſt lapſum, prout dicũtur demones habere fidem informem, tertia, vero ponẽda eſt in Angelis bonis poſt cõfirmationẽ; Media vero ponitur in Angelis vniuerſaliter ante confirmationẽ, & lapſũ.

Cognitio eſt triplex.

Et in art. 3. loquens de homine in ſtatu innocentiæ inquit, quod Adam in primo ſtatu non habuit fidem in rõne fidei, quod explicat in 2. p. q. 91. m. 2. art. 2. §. 1. dicens q triplex eſt cognitio. ſ. per ſpeciem, & lumen, per ſpeculum in lumine, & per ſpeculum in enigmate, prima eſt patriæ ſecunda erat in ſtatu innocẽtiæ. tertia in ſtatu naturæ lapſæ. Habuit ergo primus homo fidem quãtum ad illud, q eſt ſubſtantiale in fide ſiue formale, quantum ad illud autem, quod eſt materiale, habuit illud quod eſt perfectionis. Nam cognitio fidei duplex eſt, vt ipſe docet, quædam imperfecta & eſt illa quæ enigmatica eſt. de qua. 1. Corint. 13. Videmus nũc per ſpeculum in enigmate, enigma enim eſt ſimilitudo oſcura. Alia eſt pfectionis. ſ. illa, quæ non eſt enigmatica ſed lucida: qualis fuit illa, quam habuit Chriſtus; cum enim haberet fidem, ſecundum illud, quod erat perfectionis in illa, habuit illam non ratione viſionis enigmaticę, ſed cognitionis lucidæ, & huiuſmodi cognitionem fidei habuit primus homo, i. non illam, quæ eſt enigmatica, quam etiam negat à Chriſto in 3. p. vbi ſupra art. 3. ſed illam, quæ eſt lucida, quę eſt perfectionis.

Cognitio fidei eſt duplex.

Albertus Magnus.

D. Bonau.

Durandus

Eamdem ſententiam ſecuti ſunt Albertus Magnus. in 3. diſtinct. 23. artic. 6. & diſtinct. 25. artic. 2. & D. Bonauentura quo ad Angelos in 3. diſt. 23. articu. 2. quæſt. 3. & quo ad hominem in ſtatu innocentiæ in 2. diſt. 23. articu. 3. quæſt. 2. & Duran. in 3. diſtinct. 23. quæſt. 9. num. 12. Ex his patet Durandi ſententiam haud eſſe temerariam, vti dixit Bannes, cũ Theologi adeo inſignes eã defendãt.

D. Thom.

Ricardus.

Oppoſitam tamen ſententiã defendunt Sanctus Thomas. 2. 2. quæſt. 5. articul. 1. Ricardus. in 2. diſtinct. 23. art. 2. quæſt. 2. loquendo de homine in ſtatu innocentiæ. licet in 3. diſtin. 23. artic. 6. quæſt. 3. teneat malos Angelos non habuiſſe fidem ante lapſum, quod vtique affirmaret de Angelis bonis ante conuerſionem, & confirmationem; quia (vt ipſe dicit) fides non infunditur ſine gratia, & Angeli ſecundum ipſum, in 2. diſtinct. 4. articul. 1. quæſt. 2. non fuerunt creati in gratia, Et Scotus in hac quæſtione, qui docet Angelos habuiſſe fidem myſteriis diuinis.

Scotus.

Pro cuius ſententiæ explicatione obſer. eſt primo quòd hæc quæſtio præſupponit illam, videlicet an fuerint Angeli creati in gratia, & ſi teneatur pars negatiua certum eſt in illo inſtanti creationis, quo caruerunt gratia, nõ habuiſſe fidem, quia fuerunt in puris naturalibus. fides autẽ eſt de ſupernaturalibus, & non infunditur vt inquit, Ricard. vbi ſupra & Doct. ſub. in hoc 3. diſtinct. 36. quæſt. vnica ſub. littera R. ſine gratia; Si autem fuerunt creati in gratia, vt fere omnes Theologi tenent, vt oſtendimus in Commentariis noſtris ſuper Gen. in diſput. de prerogatiuis ſtatus innocentiæ. quæſt. 1. Tunc habuerunt charitatẽ, quia gratia aut eſt charitas, aut nunq̃ eſt ſine charitatẽ, ſed charitatẽ ſemper antecedit fides; quia charitas ordinat voluntatem habentis in finẽ vltimũ, quẽ finẽ ſola fides demonſtrat atque ita Angeli habuerũt fidem aliquo modo; quia habuerunt cognitionem ſupernaturalẽ myſteriorum diuinorum, quæ ordinantur ad vita æternam, & talis cognitio erat fides, & quo ad hoc omnes conueniunt, etiam Durandus; tota ergo difficultas conſiſtit in hoc, an illa cognitio tricte, & propriſſime fuerit fides, & in hoc Scotus, & Sanctus Thomas diſſentiunt à Durando, & ab aliis.

Aliud eſt cognoſcere veritatẽ aliud illã euidẽtem cognoſcere.

Secundo obſer. eſt aliud eſſe cognoſcere veritatem alicuius propoſitionis, aliud vero cognoſcere euidenter veritatem illius, primum conſiſtit in cognitione habitudinis, & connexionis extremorum propoſitionis: ſecundum conſiſtit in cognoſcere, quomodo, & qualiter ſe habeat illa connexio extremorum ſecundum ſe, & hæc euidens notitia non poteſt gigni niſi ex re viſa intuitiue prout in ſe eſt, vel viſa abſtractiue per principia, & cauſas proprias, vel per effectus proprios, vt haberi ſolet demonſtratione propter quid, vel demõſtratione, quia: Vnde quoniam res cognoſcitur ex teſtimonio dicentis, non poteſt cognoſci euidenter, quatinus cognoſcatur eius veritas per teſtimonium firmum, & certiſſimum, omnem dubitationem excludens; quia per teſtimonium illud nõ cognoſcitur, quomodo, & qualiter ſe habeant illa extrema propoſitionis: quia teſtimonium eſt medium extrinſecum ad cognoſcendum rem.

Aliquid poteſt eſſe euidens duob. modis.

Tertio obſer. eſt quòd aliquid poteſt eſſe euidens. duobus modis, vno modo in ſpeciali, quando res cognoſcitur notitia clara & intuitiua, qualis cauſatur aliquando ex ſola intuitione terminorum, interdum ex diſcurſu demonſtratiuo, & interdum ex experientia ſenſus. Altero modo aliquid dicitur euidens in communi; quando res non videtur in ſe ipſa, ſed in eius teſtimoniis infallibilibus, de q bus non eſt ratio dubitandi, quomodo mihi eſt euidens Hieroſolymam eſſe. & hæc vocatur euidentia in atteſtãte, vel teſtificante vt colligitur ex D. Thoma. 2. 2. q. 1. art. 4. ad ſecundum. Cum euidentia ſpeciali non eſt compoſſibilis fides; facit enim rem vere apparere. bene aũt cum euidentia in cõi, qualẽ habuerunt Moſes, & plurimi Prophetæ, qui dicebant hæc dicit dominus; & Diuus Paulus 1. Corint. 7. iis autem qui matrimonio coniuncti ſunt

præcipio

Digitized by Google

præcipio nō ego, ſed Dominus, & 2. Corint. 13. An experimentum quæſitis eius, qui in me loquitur Chriſtus, quibus conſtabat euidenter Deum ſibi loqui: quia habebant ſe merè paſſiue, ſolus enim Deus imprimebat illis aſſenſum veritatis reuelatæ, & ſimul ꝙ ipſe erat, qui reuelaret.

1. Concluſio. Prima Concluſio. Si Angeli, & homo fuerunt creati in gratia, vt communis opinio tenet; ſimul habuerunt fidē Trinitatis, & aliorum myſteriorum fidei. Probatur primo de Angelo ex Ezechiele. 28. Vbi loquens de Lucifero ante lapſum ſic ait. Tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia, & perfectus decore in delicijs Paradiſi Dei fuiſti, omnis lapis pretioſus operimentum tuum. Vbi inſinuatur Angelos ante caſum habuiſſe omnes virtutes intellectuales. ſecundo probatur de homine ex illo Eccl. 17. Creauit Deus de terra hominem ſecundū imaginē ſuā & iterum conuertit illum in ipſam. & ſecundum ſe veſtiuit illum virtute; & paulo inferius dicitur. Cor dedit illi excogitandi, & diſciplina intellectus repleuit illum. ideſt virtutibus intellectualibus.

Secundo probatur concluſio rationibus. Angelus, & homo non videbant myſteria fidei in ſe ipſis: talis enim viſio facit beatos; & tamen habebant eorum aſſenſum: quoniam ſine tali aſſenſu impoſſibile eſt placere Deo Angelus autem & homo in ſui principio placuerunt Deo, ergo habebant fidem illorum.

Præterea Deus diſponit omnia ſuauiter, ergo mouet quamlibet rem in ſuum finem ſecundum eius naturam, & per conſequens creaturam intellectualem mouet in ſuum finem per actus intellectuales circa illum finē quales ſunt, cognitio, & amor; & ſi finis eſt naturalis, per cognitionem, & amorem naturalem, ſi vero ſupernaturalis per cognitionem, & amorem ſupernaturalem, quales habentur per fidem, & charitatem ſola enim fide à maioribus cognoſcuntur certò ſupernaturalia.

Deinde in habentibus gratiam nondum conſumatam, eſt quædam inchoatio beatitudinis ſperatæ, nec dum adeptæ. hæc autem inchoatio fit in intellectu, & in voluntate, in intellectu per fidem, in voluntate per charitatē, ergo ſi Angelus, & homo fuerunt in gratia conditi, habuerunt etiam fidem propriiſſime, & ſtricte.

Subinde Angeli, & homo in ſua conditione habuerunt ſupernaturalem conditionem: quia habuerunt cognitionem ſui vltimi finis ſupernaturalis. quem appeterent, & ad quem ſuas actiones dirigerent; huiuſmodi autem finis ſupernaturalis cognitio non poteſt haberi niſi cognitione ſupernaturali, & infuſa, vt conſtat ex Iſaia 64. dicente. oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti diligentibus te: Vbi intelligit non ſolum de oculis hominum, ſed etiam Angelorum, ergo ſicut homo indiget fide infuſa proprie, & præciſe, ad talē cognitionem, etiam Angeli indigent eadem fide.

2. Concluſio. Secunda Cōcluſio. In omnibus habentibus Dei cognitionem ſupernaturalem, nondum adepta beatitudine eſt præciſe, & propriiſſime fides. Probatur. obiectum formale fidei, eſt veritas prima, ſed in omnibus habentibus cognitionem ſupernaturalem Dei, hæc eſt ratio aſſentiendi rebus propoſitis, ergo in habentibus talem Dei cognitionem, qui nondum habent adeptam beatitudinem, eſt proprie fides, & per conſequens in Angelis dum erant in via ante conſecutionem gloriæ bonorum, & damnationē malorum & in homine ante caſum, erat proprie fides infuſa.

Contra hanc ſententiam arguitur argumentis Durandi, & primo ſic. Angelo, & homini in ſua prima conditione fuit euidens Deū non poſſe mentiri, hoc enim etiā nobis poteſt naturaliter eſſe euidēs vt etiam docet Doc. ſub. in hac quęſt. & ſimiliter fuit illis euidens Deum ſibi reuelare myſteria fidei; audiebant enim Deum ſibi loquentem; ergo etiam illis fuit euidens, quod illa myſteria erāt vera, probatur conſequentia; quia ex præmiſſis euidentibus, non poteſt non ſequi concluſio euidens.

Secundo arguitur data illa hypotheſi, .ſ. quod euidens ſit Deum ſibi reuelare; neceſſario conuincitur intellectus ad aſſentiendum reuelatis à Deo. hęc propoſitio patet: q̄a per neceſſariam, & euidentem conſequentiam colligitur eſſe verum quod reuelatur à Deo, datis iſtis præmiſſis. v. g. Euidenter conſtat Deum eſſe veracē in dicendo, & euidenter conſtat Deum iſta reuelaſſe ex his enim ſi formatur ratio; intellectus conuincitur neceſſario, & euidenter ad aſſentiendum illis, quæ euidenter ſunt vera; talia ſunt illa, quæ conſtat euidenter Deum dixiſſe, & reuelaſſe: q̄a eſt euidens quod Deus eſt verax, ergo intellectus neceſſario, & euidenter conuincitur ad aſſentiendum reuelatis à Deo euidenter, ergo de huiuſmodi non eſt fides, quæ eſt de ineuidentibus.

Præterea de ratione fidei eſt, quod generetur per imperium voluntatis, ſed non fuit in poteſtate Angelorum nō credere, ergo nō habuerunt fidem: probatur minor: quia Angeli habuerunt euidentiam, quod omne reuelatum à Deo eſt verum, & quod Deus reuelabat myſteria fidei, ergo non poterant non credere, non enim ſtat aſſentiri maiori, & minori; & bonitati conſequentiæ quin aſſentiamur etiam concluſioni.

Quarto arguitur, fides eſt argumentum non apparentium, ſed Angelis apparebant myſteria fidei per reuelationem internā, ita vt ea negare non poſſent, vt probauimus, ergo eorum non habebant fidem. Reſpondet Caiet. 2. 2. quæſt. 5. art. 1. ꝙ non videbant myſteria fidei in ſe ipſis q̄ ſola euidentia excludit fidem, ſed ſolum habebant eorum euidentiam in ſua cā reuelante, q̄ euidentia nō excludit fidem. Sed contra, hac ratione enim tollitur euidentia, abſtractiua ſcientiarū: q̄a Aſtrologus habet euidentiam excludentem fidem de hac propoſitione terra interponetur inter Solem, & Lunam, & tamen non videt in ſe, ſed ſolū in ſuo effectu nempe in eclypſi Lunæ, quæ eſt illi euidēs, & Idem Aſtrologus habet etiam euidentiam excludentē fidem, ꝙ tali die erit eclypſis, & tamen nō videt eclypſim cum ſit futura, ſed ex motu Solis, & Lunæ ſibi euidenti infert etiā euidenter, quòd tali die erit eclypſis, ſimiliter Phyloſophus naturalis habet euidentiā excludētem fidē, quod Deus eſt vnus, & tamen nō videt Deum in ſe ipſo, ſed in ſuis effectibus. Ita dici poteſt ꝙ quāuis Angeli non viderunt in ſua prima conditione myſteria fidei in ſe ipſis tamen habuerunt eorum euidentiam cognoſcendo euidēter cauſam illa reuelantem eſſe infallibilem. *Caietanus.*

Vltimo arguitur, aſſenſus euidens cauſatur ex ſola apprehenſione terminorum, vt in primis principiis, ſed Angelus apprehenſis per reuelationem à Deo factam terminis huius. Deus eſt Trinus, & vnus, ſtatim habuit euidentem aſſenſum, ꝙ Trinitas eſt, ergo ſaltē de illa quæſt. An Trinitas ſit, habuit euidentiam excludentem fidem.

Reſpondetur, & ad primum dico, ꝙ aliquid eſt euidēs dupliciter, vno mō vt atteſtatum: quando. ſ. euidenter cognoſcitur ille, qui teſtatus eſt, altero mō in ſe ipſo, quando res cognoſcitur in ſe, vel in ſua cauſa; primo modo Angelis erat euidens Deum eſſe Trinum, & vnum, vt dictum, & teſtatum ab ipſo Deo; non aūt poſteriori modo, & illa prima euidentia non tollit fidem eiuſdem obiecti; non. n. qui præbet teſtimonium alicuius rei, facit eā videre, atq; ita cum euidentia teſtimonij ſtare poteſt fides rei, non tamen cum euidentia rei in ſe, vel in ſua cauſa, quam viſionem, ſiue euidentiam huius obiecti, Deus eſt Trinus & Vnus, & aliorum ſupernaturalium non habuerunt Angeli ante beatitudinem. Ad argumentum ergo diſtinguo cōſequens, Angeli habuerunt euidentiā myſteriorū fidei in ſe ipſis, nego, bene autem euidentiam in atteſtante, cum qua euidentiā compoſibilis eſt fides: non enim facit rem creditum apparentem. & hoc probat argumentum. Aliq̄d pōt eſſe euidens dupliciter.

Ad Secundū dico, ꝙ habere euidentiam veritatis alicuius propoſitionis contingit dupliciter. primo mō ita vt res quæ terminis ſignificantur, videantur in ſe ipſis pro vt habent eſſe in rerū natura, ita ꝙ videatur illud eſſe; ꝙ genus cognitionis eſt intuitiuum, Altero mō vt videatur in ſua veritate; & hoc dupliciter, primo vt videatur veritas propoſitionis in ſua cā, ſcđo vt in ſuo teſte, & hoc eſt videre veritatē dicentis. Euidentia primi generis omnino tollit fidē, nā cū res eſt manifeſta non eſt illius cognitio obſcura, & ſic de illa nō pōt eſſe fides. Euidentia ſecūdi generis nēpe res in ſua cā etiā tollit fidē: nā hęc euidētia gignit ſciētiā rei. Euidentia tertii generis nō tollit fidē: quia illa euidentia eſt rei in ſuo teſte: quia. ſ. videtur veritas teſtificantis, adhuc tn̄ manet res obſcura, & ineuidens in ſe. cū ergo Angeli hanc ſolā cognitionē, & euidentiam huius propoſitionis. Deus eſt Trinus & vnus, & aliarū ſibi diuinitus reuelatarū habuerint, requitur ꝙ habuerint ꝓpriè fidem. Euidentia eſt triplex

Fides biſariā conſiderari poteſt

Ad tertium dico, ꝙ ſi conſideretur fides abſolute, & ſecundum ſuã quidditatem, & rõnem intrinſecam, vt. ſ. eſt argumentũ non apparentium nego maiorem; ſi autem cõſideretur reſpectu ſubiecti in quo eſt, concedo, quod ad fidem, quo ad exercitium requiritur imperium voluntatis; in illis qui non habent reuelationem immediatam; non tamen in omnibus: analogia eſt in baptiſmo, qui in paruulis non eſt de ratione eius, quòd ſuſcipiatur voluntarie, bene autem in adultis.

Sed contra arguitur ſequitur ex hoc fidem Angelorum & primi hominis ante lapſum, Prophetarum, & Apoſtolorum non eſſe virtutẽ, quia non fuit libera, & voluntaria. Nego conſequentiam: quia Angelus, homo, prophetæ, atque Apoſtoli, non credebant ſolum: quia iudicabant reuelata à Deo eſſe euidenter credibilia ſicut dęmones modo credunt, ſed credebant etiam, quia iudicabant bonum eſſe credere Deo voluntate complacenti, & ſpontanea, quæ fides laudabilis eſt, & ſtudioſa, vt dicemus infra art. ſeq.

Ad quartum reſpondetur, vt ibi reſponſum eſt, pro ſolutione replicę præmitto, quod cognoſcere effectũ in ſua cauſa, & cauſã in ſuo effectu, eſt cognoſcere cauſam habere virtutem producendi talem effectũ, vt cognoſcere creaturas in Verbo, eſt cognoſcere Verbum habere virtutem illas producendi, & cognoſcere ſanitatem in medicina, eſt cognoſcere medicinam eſſe effectiuam ſanitatis, vnde vna numero eſt cognitio cauſæ, & effectus in ſua cauſa; & per conſequens ſi eſt euidens cognitio cauſæ, etiam erit euidens cognitio effectus in ſua cauſa. Secundo præmitto reuelationem non continere virtualiter obiectum reuelatũ, non. n. reuelatio Trinitatis cõtinet Trinitatem a parte rei, vnde alia eſt cognitio reuelationis, & alia cognitio obiecti reuelati, atque ita vna poteſt eſſe euidens altera vero obſcura; modo ad replicam nego ſequelam, ad probationem negatur conſequentia: non. n. ſequitur, qui cognoſcit euidenter cauſam cognoſcit euidenter effectum in cauſa, & econtra, ergo qui habet euidentiam reuelationis, habet etiam euidentiam obiecti reuelati, & ratio eſt modo proxime dicta.

Ad vltimum nego minorem, tunc. n. habetur euidentia ex ſola cognitione terminorum quando intellectus cognitis terminis ſtatim cognoſcit connexionem extremorũ, vt patet in aliquo principio, cognitis tamen ab Angelo terminis huius, Deus eſt Trinus, & Vnus: per reuelationem; non cognoſcitur euidenter cõnexio extremorum: quia nõ videntur ſecundum ſe, ſed in teſtificante, vt dictum eſt.

ARTICVLVS XVII.

Vtrum in Dæmonibus, & hominibus damnatis ſit fides.

Circa hanc difficultatem de duobus conuenit inter Theologos, & de vno eſt nonnulla quæſtio. prima conuenit in damnatis atque adeo in demonibus eſſe fidem aliqualem, id patet ex illo Iacobi 2. Demones credunt, & contremiſcunt. Secundo conuenit, demones; & alios damnatos non credere, ex affectu ad bonum, ſed quia conuincuntur pondere argumentorum fidei.

Quæſtio autẽ eſt an demones, & alij damnati, qui dum hic viuerent fideles fuerunt habebant re vera fidem Theologicam, ſeu infuſam, quæ eſt donum Dei, an vero fidem ſolum quandam acquiſitam, propter motiua fidei.

Alexã. de Ales.

Alexand. de Ales, 3. par. quæſtio. 64. m. 7. concedit in demonibus eſſe fidem informem, & non acquiſitam tantum ſed infuſam; cum enim in eis ſit cognitio veritatis diuinę, quam non vident, & cum veritas, quam credunt ſit excedens rationalem intellectum, vt quia Deus eſt Trinus, & Vnus, & quia Filius Dei eſt humanatus, & paſſus: ideo eſt in eis fides, quæ eſt donum gratuitum, ſiue habitus nõ naturalis, vel acquiſitus, at quia huiuſmodi fides in demonibus eſt omnino ſine amore, ideo eſt huiuſmodi fides informis: quod explicans m. 8. notat ex D. Bernardo, quòd in generali de credibilibus data fuit Angelis ante lapſum notitia: dicit namque D. Bernardus de Lucifero, quod præuidit rationalem creaturam aſſumendam in vnitate perſonæ Filij Dei, hæc autem notitia erat in eis ſicut lux clara non admixta tenebris diminuta tamen reſpectu lucis gloriæ, ſicut lumen ſtellæ reſpectu luminis Solis ante peccatum; poſt peccatum vero fuit ipſa lux tenebris admixta, velut lux in vmbra; & ideo quia eſt notitia in obſcuritate, eſt in enigmate, & veritatis abſentis, atque adeo fides, quia vero ſine charitate eſt ſicut lumen in vmbra ſine calore, ideo informis.

D. Bern.

Eſt autem inquit in membro 9. eiuſmodi fidei actus in demonibus illuminare atque mouere: illuminat. n. quia lux eſt, differt tamen ab illuminatione fidei formatę: quia hęc illuminatio contriſtat, quemadmodum lux oculum ægrum, ſic lux veritatis fidei, demonis intellectum: illuminatio vero fidei formatæ delectat & conſortat credentis intellectum. Item mouet quia habitus motiuus eſt; ſed differt motio hæc à motione fidei informis, & fidei formatæ in hominibus: nam fides informis demonum mouet ad ſentire veritatem, vnde iſte motus magis eſt paſſio, quã actio, vnde eſt in eis ad pœnam ſicut vermis conſcientiæ in damnatis. Fides vero informis in hominibus credentibus dum adhuc ſunt in carne, mouet ad aſſentire veritati; & fides formata ad conſentire.

Diſcrimen inter ſentire aſſentire, & conſentire.

Eſt enim diſcrimen (vt ipſemet notat in m. 7. ad ſecundum) inter ſentire veritati, aſſentire veritati: & conſentire veritati: ſentire enim ponit accipere de veritate, quoniam eſt, quod facit demõ, aſſentire eſt accipere de veritate quoniam eſt, & ad ipſam diſtanter inclinari, quod poteſt facere fidelis peccator, & hoc notat hæc præpoſitio (ad) quæ dicit finẽ remotum, vt cum dico vado ad eccleſiam, cum adhuc diſto; conſentire vero ponit de veritate accipere, quoniam eſt, & ipſi veritati amore coniungi, quod facit fidelis exiſtens in charitate, ſentire eſt credere Deum, aſſentire eſt credere Deo, conſentire eſt credere in Deum. Vnde dicitur credere in Deum, credendo amare, & credẽdo adhærere, & credendo in eum ire, quod eſt notabile: quia (in) non dicit finem remotum, ſed finem proximum; vnde non dicimus ire in domum niſi cum ſumus proximi, tñ dicimus ire ad domũ cũ ſumus remoti: ideo fide formata dicimur in Deum tendere, fide vero informi dicimur ad Deum tendere. Fides ergo demonis in ſuo credere habet ſentire, eſtque cogitatio cum ſenſu veritatis, ſed non aſſentire, vel conſentire; Fides informis hominis habet ſentire, & aſſentire, eſtque cogitatio cum aſſenſu. Fides vero formata habet ſentire, aſſentire, & conſentire, & eſt cogitatio cum conſenſu.

D. Bonau.

Fides ĩformis eſt duplex.

Hanc Alexandri ſententiam explicans D. Bonauentura in 3. d. 23. art. 2. queſt. 3. inquit quod fides informis dicitur duobus modis, quædã eſt fides informis, quæ innititur primæ veritati propter ſe, quamuis in ipſam nõ tendat amãdo. Alia eſt fides informis, quę innititur ipſi veritati articulorum propter aliquam rationem creatã, prima dicitur fides informis, non quod careat forma fidei ſecundum quod eſt virtus, ſed ſolum ſecundum quod eſt virtus gratuita, & de hac dictum eſt prius, quod eſt habitus ſtudioſus, & habitus infuſus. ſecũdo vero modo dicitur fides informis; quia caret forma fidei; & ſecundũ quod virtus eſt, & ſecũdũ quod gratiuta eſt, nã illa credulitas, qua prius aſſentit articulis pp rõnem creatã principaliter, non ſolũ caret intentione habitus gratuiti, ſed ẽt intentione habitus ſtudioſi. Nullius. n. virtutis videtur eſſe credere, cum quis credit intendẽs perſuaſioni: quã videt. Si ergo hoc ſecundo modo accipiatur informis fides, ſic põt concedi eam reperiri in demonibus. Habent. n. aliquam notitiam, & credulitatem de articulis, & credibilibus, quæ quidẽ poteſt dici fides, ſiue credulitas propter hoc, quod non eſt in ea viſio aperta; & illa quidẽ cognito partim fuit eis indita a prima conditione, partim ex acquiſitione. à prima. n. conditione ſua habuerunt cognitionẽ aliquã de articulis pertinẽtib. ad Trinitatẽ, quę etſi tunc non meretur dici fides, imò potius cognitio contemplationis propter abſentiã enigmatis; peccato tamen ſuperueniente, & enigmate ſubſequẽte illa cognitio meruit dici fides, cum ſit cognitio enigmatica de his, quæ ſpectãt ad diuina, & parum infra. Si vero loquamur de fide informi, ſecũdum quod accipitur primo modo, videlicet, prout eſt habitus ſtudioſus, atq; infuſus, & ẽt voluntarius, hoc modo, & ſi reperiatur in Chriſtianis viatoribus, non tamen poteſt reperiri in demonibus, Tum quia ipſi non ſunt apti ad ſuſcipiendos habitus infuſos,

cum

Digitized by Google

tum quia voluntas eorum magis pœna eſt ad impugnãdum veritatem, & æquitatem, quam ad aſſentiendum ei. Ex his patet ſecundum Alex. & D. Bonauenturam in demonibus non eſſe fidem informem, quæ eſt habitus infuſus, & ſtudioſus. eandem ſententiam docet Albertus. 3. Sent. diſt. 23. artic. 6.

Albertus. *Durãdus.*

Durandus vero hac. d. quæſt. 9. Inquit, quòd ſi demones, & damnati Chriſtiani habuerunt fidem infuſam antequam condemnarentur adhuc habent ipſam.

Intellect⁹ quare aſſentiatur articulis.

Pro huius difficultatis explicatione obſer. eſt primo ꝙ intellectus non aſſentitur articulis fidei, quia eos videat in ſe, vel quia colligat ex præmiſſis viſis in ſe; ſed propter authoritatem diuinam, & imperium voluntatis, vt ſæpe diximus.

Credere Deo põt quis dupliciter.

Secundo obſer. eſt quòd dupliciter poteſt quis credere Deo, primo quia iudicat bonũ eſſe credere Deo: quia mediante illa fide ſperat aſſequi bonum æternum, & tali fides eſt laudabilis; ſecundo, quia iudicat eſſe euidens, credendum eſſe Deo; ſigna enim teſtificãtia fidem ſunt vſq; adeo manifeſta, vt non ſit in poteſtate voluntatis auertere intellectum ab aſſenſu, vt ſi aliquis propheta affirmet aliquem euentum futurum reuelatum à Deo, & in eius confirmationem ſuſcitaret mortuum, tunc intellectus cõuinceretur ad manifeſte cognoſcendum illum euentũ reuelari à Deo, ſi quidem Propheta adhibuit ſignum in ſui confirmationem, quod non niſi à Deo fieri poteſt, ille tamen euentus per ſe euidens non eſſet, & ſic non tollitur ratio fidei eius, ex quo ſequitur diſcrimen inter voluntarium, & liberum, primum eſt actus factus à voluntate, quamuis coacta, ſecundũ vero eſt actus productus à voluntate ſpontanea, & complacenti.

Damnati poſſunt habere actus bonos ex genere. *Scotus.*

Tertio obſeru. eſt, quod damnati poſſunt habere actus bonos ex genere, nõ autem bonos moraliter, vnde triplex eſt bonitas, vt docet Doc. ſub. in 2. d. 7. q. vnica ſub littera. E. prima ex genere, quæ eſt bonitas ex obiecto, vt quando materia actus non eſt prohibita, vt largitio Eleemoſinæ, ſecunda eſt bonitas moralis, quæ conſtat ex omnibus circunſtantiis moralibus, vt dare Eleemoſinam tempore, & loco debito, cui oportet, & propter debitũ finẽ, tertia eſt bonitas meritoria gratiæ & gloriæ, quæ præſupponit gratiam gratum facientem. Damnati ergo poſſunt habere actus bonos ex genere, non autem bonos moraliter, ſaltem de facto nec meritorios, ſemper enim apponunt malã circunſtantiam, vel aliquam neceſſariam relinquunt, propter eorum obſtinatam malitiam.

Quarto obſer. eſt quòd fides infuſa eſt donum ſuper naturale datum viatoribus ad inclinandum intellectum ad credendum Deo, & voluntatem ad bene operandum iuxta fidem, vt vitam æternam conſequamur; probatur ex. D. Paulo 2. ad Corint. 5. per fidem ambulamus. i. meritorie operamur, quod proprie viatorum eſt, præterea fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum; operare autem viatorum eſt.

Fides nec virtus moralis inclinat vel actum malum.

Quinto obſer. eſt quòd nec fides, nec aliqua virtus moralis inclinat ad actum malum ex aliqua circunſtantia. ꝓbatur. Fides non inclinat hominem ad credendũ, niſi quãdo Spiritusſanctus mouet ipſum vt ſæpe dictũ, eſt enim inſtrumentum Spiritus ſancti, ſed Spiritus ſanctus nunq̃ mouet hominem ad malum auxilio ſpeciali, ergo &c. Virtus etiam moralis non inclinat potentiam, niſi ſit prudentia in intellectu; prudentia autem deficit in quocumque ctu malo, ex aliqua circunſtantia.

Actus fidei dãnatorum eſt ſemp malus.

Sexto obſeruandum eſt, quòd actus fidei Demonũ, & damnatorũ ſemper eſt vituperabilis, credunt enim coacti ſolum quia ſuo perſpicaci intellectu, vident demonſtrationẽ credibilitatis, & egerrime ferunt myſteria fidei; tot euidentibus ſignis cõfirmari, quib. ſimilis eſſet homo credẽs propter euidẽtiam credibilitatis, & non ex affectu ad bonum. Et hoc eſt quòd dicunt Alex. de Ales locis citatis, & S. Tho. 2. 2. q. 5. art. 2. quando dicunt Demones, & alios damnatos non credere ex affectu ad bonum; ſed quia cõuincuntur pondere argumentorum fidei; Quod eſt intelligendum de affectu voluntatis ad bonum ſupernaturale gratuitum, gratiæ videlicet, & gloriæ; ex quo alioqui fideles etiam ſi ſint charitate, & gratia deſtituti, credunt, aut ſaltem poſſunt credere. Ex affectu vero ad bonum naturale, hoc eſt ad veritatem ipſam, quæ bonum quoddam intellectus eſt, demones credere poſſunt, ſicut etiam reliqui damnati, tam etſi adiungant malam aliquam circunſtantiam propter obſtinationem volũtatis ad malum, ex quo fit, vt male credãt; cum ex pia affectione minime credant. His obſeruatis ſit.

Aleſſ. de Ales. *D. Thom.*

Prima Concluſio. Fides non eſt in demonibus per liberum voluntatis arbitrium in ordine ad bonum, ſicut in chriſtianis viatoribus. probatur quia talis fides eſt laudabilis, & honeſtatem habens, & à Demonibus aliena propter eorum obſtinatam malitiam voluntatis; & confirmatur: quia Demon numquã bonum intuetur, neque habet ordinem ad bonum, ſed potius ad malum. 1. Concluſio.

Secunda Concluſio. Fides eſt in demonibus de omnibus veritatibus, quas docet Eccleſia, & hoc ex conuictione intellectus; probatur, demones vidẽt multa, manifeſtaque ſigna, ex quibus colligunt fidem Eccleſiæ, & doctrinam eſſe à Deo profectã, & per conſequens eſſe verã, & credendam, quamuis res ipſas creditas non videant, ergo credunt, habentq; illorũ fidem, Vnde ſequitur ꝙ fides demonum eſt coacta; conuincitur enim demon ad credendum euidentia ſignorum; vident nãque creditas veritates confirmari ſignis, quæ niſi à Deo fieri queunt atq; ita ẽt renuente voluntate velint, nolint, credere compelluntur. 2. Concluſio.

Fides demonũ eſt coacta.

Tertia Concluſio. Quamuis actus fidei demonũ, & fidelium damnatorum ſit bonus ex genere, non tamen habent fidem infuſam, q̃ habuerunt in via: prima pars patet quia ille actus fidei eſt bonus ex parte obiecti materialis, tranſit enim ſuper debitam materiam; ſecunda, pars ꝓbatur. Actus fidei infuſæ eſt aſſenſus intellectus moti pie à voluntate erga Deum, & pia affectione circa diuina, ſed hæc affectio in dãnatis, ſiue demonibus ſiue hominibus minime reperitur, ergo &c. ſecundo probatur, actus fidei infuſæ eſt in homine ex auxilio Dei gratuito, & ſuper naturali, ſed non eſt veri ſimile quod Deus huiuſmodi auxilia ſupernaturalia hominibus damnatis, & demonibus tribuat, ergo &c. tertio probatur; fides infuſa nõ inclinat ad actum malum ex aliqua circunſtantia, ſed actus fidei demonum, & damnatorum eſt vituperabilis ex. 6. notabili ergo non eſt à fide infuſa; & per conſequens eã illi nõ habent. Probatur quarto, fides infuſa eſt donum ſupernaturale cõceſſum viatoribus ex quarto notabili, ergo deſinit eſſe in exiſtentibus in termino ſimpliciter, qualiter ſunt damnati, & demones; dixi in exiſtentibus in termino ſimpliciter pp patres olim exiſtẽtes in Limbo, & pp exiſtẽtes mõ in Purgatorio, in quibus eſt vera fides infuſa: quia adhuc ſunt in via ad gloriã, & in ſtatu cõpoſſibili cum fide, quinto probatur: quia alias ſequeretur, dãnatos eſſe vere Chriſtianos, & fideles, atq; in eis eſſe fidem ocioſam, quæ ſunt abſurda; probatur prima ſequela: quia tales denominantur à fide infuſa probatur; ſecunda conſequentia: quia fides infuſa; datur homini, vt per eam conſequatur beatitudinẽ, at ceſſante fine, ceſſant media. Probatur. 6. fide infuſa credimus illis veritatibus: quia ſunt reuelatæ à Deo, & ex pia affectione voluntatis, demones autẽ, & condẽnati, non credunt veritatibus fidei, eo ꝙ ſint reuelata à Deo, & ex pia affectione voluntatis, ſed ex euidentia miraculorum, & ex hoc quod videntes, omnes infideles cõdemnari, atq; ita credunt coacti, ergo non habent habitum fidei infuſæ. ſeptimo probatur, fides datur, vt per eã operando cũ dilectione conſequatur quis vitã æternã, condemnati aũt iam ſunt in termino condemnationis, ergo in illis nõ eſt fides infuſa, vel ſi eſſet, eſſet ocioſa, vt dictum eſt. 3. Concluſio.

Contra hanc concluſionem arguitur primo argumentis Durandi, & primo ſic. Demones & damnati habuerũt fidem infuſam cum erant in via; ergo etiam poſtquã ſunt damnati: antecedens patet ex ſuperiori art. probatur conſequentia. Quia quicunque habitus etiam infuſus nõ corrumpitur, niſi ad corruptionem ſubiecti, vel per habitum contrarium: ſed ſupra dicti non ſunt corrupti quia habẽt naturalia integra: nec habent habitum contrarium, quia credunt omnia, quæ nos credimus, vt probatum eſt in ſecunda concluſione. ergo &c. Durandus contra. 3. Concluſio.

Secundo damnati chriſtiani diſtinguũtur à Gẽtilibus, infidelibus, atque hæreticis; ſed non diſtinguuntur niſi quia chriſtiani dãnati in inferno habent fidem infuſam, gentiles vero non, ergo, &c. minor patet quia nõ apparet aliud in quo diſtinguantur, hæc ſunt argumẽta Durandi.

Tertio arguitur, ſi demones atque damnati non haberent fidem infuſam, hoc ideo eſſet maxime: quia hęc inclinat ad actum bonum, quem damnati habere non poſſunt, ſed hoc eſt falſum: quia damnati poſſunt habere actũ bonum: ergo &c. probatur minor: quia in damnatis eſt ſynderesis inclinans ad bonum. Et confirmatur ex diuite Epulone: qui exiſtens in tormentis deprecabatur Abraham, qui mitteret aliquem ex mortuis, qui hortaretur fratres ad pęnitentiam, ne damnarentur, & etiam Sapientię. 5. legimus damnatos in ſeipſos conuerſos deteſtari ſuam malam vitam preteritam dicentes. Quid profuit nobis ſuperbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia illa tamquam vmbra &c.

Arguitur, quarto ſupradicti non ſunt heretici, ergo nõ amiſerunt fidem infuſam, quam antea habebant, antecedens patet, quia credunt omnia, quę credebant, quando erant viatores, probatur conſequentia quia fides infuſa per ſolam hereſim corrumpitur.

Secundo principaliter arguitur authoritatibus. Nam Iacob. 2. dicitur Demones credunt, & contremiſcunt. Quibus verbis fidem peccatorum hominum cum fide demonum comparat, ſed conſtat fidem peccatorum eſſe infuſã ergo &c. Item ſuper illa verba ad Rom. 1. Ex fide in fidẽ &c. dicit Gloſſa eſt fides informis, quę eſt demonum, & nomine tenus Chriſtianorum, ſed fides informis Chriſtianorum eſt infuſa ergo &c. *Gloſſa.* Item ſuper illud Lucę. 5. ſcimus quoniam filius Dei es dicit Gloſſa Bedę. *Beda.* Erubeſcat Manichæus, qui dicit Chriſtum creaturam ſolum, cum demones confiteantur, quòd ſit filius Dei; ſed hęc confeſſio non erat ex ſcientia, quam haberent, ergo ex fide. Item ad Galatas. 5. fides quę per dilectionem operatur, dicit Gloſſa fides cum dilectione Chriſtiani eſt, ſine dilectione demonis eſt. *Gloſſa. D. Augu.* Item D. Auguſt. de fide & operibus. ca. 16. Vocat fidem peccatorum fidem demonum, ſed in peccatoribus eſt vera fides infuſa vt probabimus. art. vlt. huius quęſtionis, ergò & in demonibus. *D. Thom.* Item D. Thom. 2. 2. qu. 18. art. 3. ad ſecundum negat in damnatis ſpem, & concedit fidem, & Idem D. Thom. ſuper illud D. Pauli. 1. ad Corint. 3. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere &c. dicit fides formata eſt fundamentum, & per illam habitat Chriſtus in nobis; non vero informis, alias Chriſtus habitaret in demonibus, pp hęc argumenta probabilis videtur ſententia Durandi, neque à ſanctorum patrum, atque adeo à ſcriptura aliena. Patres, enim paſſim fidem Peccatorum, quę tamen fides eſt Teologica, & infuſa comparant cum fide demonum. Nihilominus oppoſita ſententia, quę communis eſt in re graui eſt amplectenda, atque adeo ad Argumenta Durandi reſpondetur. &

Ad primum dico, pręſupponendo, quod tribus modis intellectus poteſt induci, & impelli ad credendum, primo propter argumenta, & rationes humanas preciſe, ſecũdo propter diuinam authoritatem, in qua voluntas cordis humani pie affecta eſt, tertio propter ſigna miraculoſa fidem confirmantia, quę interdum ita ſunt euidentia, vt intellectum compellant ad credendum, etiã renuente, & reluctante voluntate, primus modus eſt fidei humanę, & acquiſitę, & fallibilis, ſecundus modus, eſt aſſenſus proprie fidei infuſę imperio voluntatis pie affectę circa diuina, quę pia affectio inclinat, & mouet hominem ad credendum propter diuinam authoritatem. Hoc pręſuppoſito ad primam rationem Durandi, nego conſequentiam, fideles enim ab infidelibus diſtinguuntur, vt inquit Caiet. *Caietanus* 2. 2. q. 4. art. 2. charactere qui ſuit illis datus indelebiliter in baptiſmo hunc enim in ipſis manere non eſt perinde abſurdum, cum non ita proxime ordinetur ille ad beatitudinem comparandam. ſecundo quia maiori pęna puniuntur fideles, quam infideles cæteris paribus, tertio ſignaculo maculatæ fidei, & quarto quia fideles fuerunt, alij non item, nec requiritur diſtinctio maior, tum demũ quia fideles fidem acquiſita retinent.

Caietan. Ad ſecundum dicit Caiet. vbi ſupra quòd fides non ſolum amittitur per hæreſim, ſed etiam ratione ſtatus: quia ſcilicet peruentum eſt ad terminum, In termino autẽ repugnat habere fidem. *In termino repugnat habere fidem.* Tum quia ille ſtatus includit actũ contrarium actui fidei. v. g. ſtatus patriæ includit actum viſionis Dei, cum qua non poteſt ſtare actus fidei. Tum quia includit actum negatiuum. i. quia non poteſt actus fidei exerceri in illo ſtatu, cuiuſmodi eſt ſtatus inferni, in quo non poteſt haberi actus fidei: quia non ſolũ inclinat fides infuſa ad credendum, ſed inclinat ex affectu boni, nõ naturalis ſed gratuiti; demones autem nullum affectum bonum habent erga Deum; & diuina, & ſuper naturalia, cum ergo actus fidei infuſæ in inferno ſit impoſſibilis, ſequitur, quòd neque habitus poſſit ineſſe exiſtentibus in inferno, quia habitus eſt propter actus. Poteſt etiam dici, quòd maior eſt falſa: quia etiam habitus infuſus corrumpitur per non conſeruationem a Deo propter aliquod demeritum; & quia nõ decet tantum donum, ſicut eſt fides infuſa, eſſe in damnatis non conſeruatur à Deo. Tertio reſpondetur quòd fides infuſa in damnatis corrumpitur à ſuo contrario; non enim credunt propter obiectum formale fidei, ſed ſolum propter euidentiam credibilitatis, & ab illa coacti.

Ad Tertium negatur minor, ad probationem dico, quod ſynderesis eſt bonum naturæ inclinans ad actum bonum ex genere, fides autem, eſt donũ Spiritus ſancti inclinans ad actum bonum ſupernaturalem, quem damnati habere nequeunt. Et quamuis ſynderesis inclinet ad actum bonum moralem, nunquam ſecundum de facto in damnatis exit in actum propter eorum obſtinationem in malo, atque ita ſemper in actu bono ex genere apponunt malam circunſtantiam.

Ad primam confirmationem reſpondetur, quòd ille actus diuitis Epulonis erat malus: quia ſolum deſiderabat fratres ſaluari, ne eorum damnatione grauius puniretur. In inferno enim non eſt ſolatium ſocios habere penarum ſed eſt cauſa maioris doloris, ita Beatus Vincentius in ſermone illius Euangelij, quæ eſt etiam expoſitio D. Greg. & Bedæ affirmantium non ſuorum fratrum, ſed ſua id feciſſe cauſa, ne ſi fratres damnarentur cruciatus ſibi maiores accreſcerẽt ex eorum pęnis, quos ſuo ipſe exemplo in eum locum deduxiſſet. *B. Vincentius. D. Greg. Beda.* Cæterum Chriſoſtomus ho. 4. de Lazaro Ambroſius, & Theophylactus bono animo feciſſe videntur interprætari: quaſi vexatio illi intellectũ dediſſet, velletque cauere fratribus, qui ſibi non cauiſſet, cũ tempus erat. *Chryſoſt. Ambroſ. Theophyl.* Et vere non eſt dubium, quin Chriſtus tam quam bono animo eum rogantem inducat, quemadmodum paulo ante pro ſe ipſo, bono vtique animo rogauerat. neque enim malum eſt optare, ne pœnæ augeantur.

Erat tamen deſiderium illud Epulonis, vt dicit Caietanus ſuper Lucam, malum ex circunſtantia ſuperbiæ: ægre enim ferebat videri à fratribus cruciari, & contemni à demonibus, quem antea viderunt exaltari. *Caietan.* Ad ſecundã confirmationem reſpondetur, ex Lyrano ibi, quòd illa pœnitentia damnatorum erat mala moraliter: quoniam pœnitebat eos peccaſſe ſolum ex odio pœnarum ita vt ſi non torquerentur non pęniterent, & ſic habebant hunc actũ; non diſplicerent nobis peccata ſi non torqueremur, quod eſt habere actualem conſenſum peccatorum. *Lyranus.*

Ad Quartum negatur conſequentia: quia dãnati non ſunt hæretici: habent enim fidem acquiſitam omnium, quæ credit Eccleſia, quod ſufficit, vt quis non ſit hæreticus, carent tamen fide infuſa propter rationes dictas; *Damnati non ſunt hæretici.* illa autem differentia hæreticorum, & fidelium, tantum eſt inter Viatores. In inferno enim ipſimet hæretici conuicti argumento, & indiciis, & argumentis euidentibus, & intelligentes ſe eſſe damnatos propter hęreſim, credent, quę in hac vita negabant.

Ad Authoritatem D. Pauli, dico comparationem in eo ſolum eſſe, quod homines peccatores veritatibus ſupernaturalibus fidei, aſſenſum præbent ſine vtilitate, & merito vitæ æternæ, ſicut faciunt demones, licet non per eiuſdẽ naturæ fidem. & ſimiliter ſententiæ Gloſſæ, & patrum accipiendæ ſunt. Ad primam Authoritatem D. Thomæ reſpondetur primo, quod ibi loquitur de actu fidei, & non de habitu; vel D. Thom. intellexiſſe non tam ſtatui damnatorum repugnare fidem, quam ſpem, tametſi vtraque certe repugnet. obiectum enim fidei quod eſt, quid obſcurum ſeruatur in damnatis, non vero obiectum ſpei, quod eſt bonum futurum poſſibile: damnatis enim nullum bonum ſupernaturale eſt poſſibile. Tum etiam quia damnati habent aliquam fidem nempe acquiſitã, ſed nullã ſpẽ.

Ad alias authoritates D. Tho. & D. Auguſtini, reſpondetur, quod fides eſt commune nomen ad naturalem, &

ſuper

ſuper naturalem,ad acquiſitam,& ad infuſam; Hæretici enim credunt Deum eſſe Trinum,& vnum fide acquiſita,quæ eſt ſimilis infuſæ,& infuſa informis eſt ſimilis acquiſitæ Ideo D.Iacobus.cap.2.inquit.tu. ſ. Peccator credis Deum eſſe Trinum,& vnum,demones etiam credũt, idest ita aſſentiuntur,vt tu,non tamen eadem fide.D.ergo Thomas. & Auguſtinus non locuntur in tanto rigore;vnde ſicut demones credunt,& non amant, ita & peccatores,differunt tamen:nam peccatores uiatores credunt ex pia affectione,& ex amore licet imperfecte, damnati autem coacti,& ex impia affectione.

ARTICVLVS XVIII.

Vtrum fides infuſa ſit in hæreticis.

Habitus diſtinguũtur ſpecie ex obiectis formalibus.

PRo explicatione huius queſtionis obſer. eſt primo, quod habitus diſtinguuntur ſpecifice ex ratione formali obiecti.v.g.huius propoſitionis, Deus eſt vnus poteſt eſſe ſcientia,& fides.Phyloſophus habet ſcientiam, quia eam demonſtrat. Chriſtianus ruſticus habet fidem: quia illam cognoſcit:quia prima veritas reuelauit, pro vt proponit eccleſia.

Obiectũ formale fidei quid ſit.

Secundo obſer.eſt quod obiectum formale fidei,ſiue ratio ſub qua eſt prima veritas reuelans, poteſt conſiderari dupliciter,primo abſolute,& ſic eſt obiectum formale illis,quibus facta eſt immediate reuelatio, vt Angelis Prophetis,& Apoſtolis.ſecundo quo ad nos, quibus non eſt facta immediate reuelatio, atque ita prima veritas reuelans non eſt abſolute obiectum fidei,ſed cum hoc addito,vt eccleſia proponit.Ex quo ſequitur, quòd ſi quis crederet non propter authoritatem eccleſię talis non haberet fidem infuſam: non enim credit propter obiectum formale fidei,ſicut à ſimili ſi quis aſſentiretur huic propoſitioni; Triangulus habet tres angulos &c.propter ſolam authoritatem Euclidis,& non propter demonſtrationem, non haberet ſcientiam eius,ſed fidem:quia non aſſentiret propter demonſtrationem,ſed propter auctoritatem humanam.

Tertio obſer.eſt,quòd qui credit Eccleſiam eſſe regulã infallibilem in proponendis rebus fidei,omnibus quę ipſa proponit debet credere,& preſtare aſſenſum; ſi enim aliquod negat,non credit eam eſſe regulam infallibilem.

Quot requirantur ad hoc ꝙ aliquis dicatur hæreticus.

Quarto obſer. eſt , quòd de ratione heretici eſt negare aliquam,vel aliquas veritates fidei,nec eſſe paratum obedire eccleſię,eo quòd exiſtimat poſſe decipi , ſi enim quis neget vnam veritatem fidei,ſed tamen paratus eſt obedire Eccleſię,quamuis erret in fide non erit hereticus.vt D.Cyprianus qui negauit baptiſmum hereticorum errauit in fide,non tamen fuit hereticus.Nam quatuor requiruntur adhoc quod aliquis hereticus dici poſſit, primo , quod fidem catholicam ſemel in baptiſmo ſuſceperit , nam qui nunquam fuit Chriſto dedicatus,is infidelis,aut Paganus, aut Iudeus,aut Saracenus cenſebitur , non tamen dicetur hereticus.ſecundo poſt fidem ſuſceptam requiritur error in fide,quod aliquam,ſ.hereſim amplectatur. tertio opus eſt vt non omnibus articulis fidei renunciet: nam qui ex toto fidem deſerit,is non hereticus , ſed apoſtata dicetur, qualis Iulianus Imperator fuit.Poſtremo quòd conſumatum hereticum conſtituit eſt , ſi errori adiungas pertinaciam.His ſuppoſitis & obſeruatis.

Circa hanc difficultatem ſolus Durandus in 3.d.23.qu. 9.num.8.art,ꝙ eſt hereticus qui diſſentit vno art.fidei, habet nihilominu . fidem infuſam circa alios articulos. Probat Durãdus ſuam ſententiam his rationibus:habitus virtutis moralis.v.g. Iuſtitię compoſſibilis eſt cum vno actu contrario.v.g.iniuſtitię, & idem eſt de virtute intellectuali,ergo ſimiliter hec habitus fidei infuſę corrumpitur per vnum actum infidelitatis,& confirmatur: quia ſicut parum caloris non tollit frigiditatem aquę totam,ita hereſis circa vnum articulum non tollit totum habitum infuſum fidei .

Secundo arguitur.Hereticus ita firmiter aſſentitur articulis,quos non negat ſicut antea quam eſſet hereticus,ergo quamuis erret in aliquo retinet eumdem habitum fidei circa alios,quos non negat , probatur conſequentia: quia ſimiles actus non procedunt niſi ab eodem habitu.

Tertio arguitur.hereticus aſſentitur articulis,quos non negat per fidem,& non per acquiſitam,ergo per infuſam, probatur maior:quia aſſenſus huius.Deus eſt homo, non poteſt haberi per opinionem , quia ad illum non eſt ratio probabilis,nec per ſcientiam : quia nec de illo eſt demonſtratio,ergo habetur per fidem,Pręterea hæreticus firmiter credit,opinio autem eſt cum formidine,ſciens euidenter cognoſcit;eſt enim ſcientia notitia euidens,fides autem obſcura,& in enigmate.Probatur minor,ponamus hæreticum nunquã habuiſſe niſi actus fidei infuſæ , ex quibus non generatur fides acquiſita,ergo talis nunquã habuit fidem acquiſitam,& per conſequens credit per infuſam.ſecundo probatur minor.hæreticus aſſentitur firmiter articulis,quos non negat,ergo non per fidem acquiſitam. ꝑbatur ſequela:quia ſi per fidem acquiſitam poſſumus firmiter aſſentiri,non eſſet neceſſaria ad credendum fides infuſa; quod eſt pluſquam falſum.

Oppoſitam ſententiam cõiter tenent omnes Theologi.Sit ergo hæc concluſio:Hæreticus negans vnum articulum,non habet fidem infuſam aliorum,quibus aſſentitur.hæc concluſio eſt D.Thom.2.2.q.5.art.3. & Scoti in hac quæſtione,quos ſequuntur omnes Theologi, & probatur primo:obiectum formale fidei eſt prima veritas reuelans prout proponit Eccleſia,ſed hæreticus non aſſentitur articulis propter hoc obiectum formale, vt dictũ eſt notabili ſecundo,ergo non habet fidem infuſam de illis . conſequentia probatur ex primo notabili. — *Concluſi.* — *D.Thom.* — *Scotus.*

Secundo probatur:quia ſi hæreticus haberet habitum fidei,ſequeretur illum eſſe fidelem,& infidelem ſimul;eſſet fidelis ab habitu fidei,à quo tales denominamur; infidelis autem:quia ſi dubius in fide eſt in fidelis ex cap. 1. de hæreticis,à fortiori erit infidelis qui aliquid affirmat contra fidem.

Reſpondet Durandus,quòd eſt fidelis ſecundum habitum,& in fidelis ſecundum actum, quod ipſe nõ reputat in conueniens;imo ait,quòd ille poteſt tot actus infidelitatis multiplicare circa illum articulum, vt generetur habitus infidelitatis circa illum articulum , & ſimul ſit cũ habitu fidei circa alios articulos .

Sed contra arguitur,eſt abſolute & ſimpliciter infidelis: quia abſolute & ſimpliciter eſt hæreticus , ergo non eſt ſimpliciter,& abſolute fidelis , & per conſequens non habet habitum fidei infuſæ à quo ſimpliciter fideles denominamur.Confirmatur:quia Arrius, & Lutherus, & alij hoſtes Eccleſiæ ſi habuerunt habitum fidei vocarentur fideles,erroneum aũt eſſet eos tali nomine nũcupari .

Præterea probatur concluſio. Antequã fides infundatur alicui,ſi nolit credere vnum articulum,quamuis credat alios non infundetur illi fides ; ergo nec conſeruabitur poſt infuſam in dicto caſu : tantum enim donum eſt conſeruare;quantum infundere .

Item præciſa ratio , quare peccatũ mortale corrumpit charitatem eſt:quia illi contrariatur,ſed hæreſis contrariatur fidei,ergo corrumpit etiam fidem,eo.ſ.modo , quo peccatũ mortale corrumpit charitatẽ oẽpe demeritorie .

Secundo probatur concluſio,ex Apoſtolo , qui quales cunque hereticos cenſet naufragium facere in fide,atque adeo ab ea excidere, cum,1.ad Tim.1. monet vt habeamus fidem,& bonam conſcientiam,quam quidam inquit repellentes naufragarunt à fide, & ad Epheſ.4. affirmat veram fidem non eſſe niſi vnam, i.per quam ab omnibus credantur eędem veritates diuinitus reuelatæ , & ab eccleſia propoſitæ.

Tertio probatur ex Concilio Trident.ſeſſ.6.cap.15.vbi ſimpliciter aſſeritur, per infidelitatem qualis eſt quælibet hæreſis amitti fidem.ita,enim ibi legimus, Non ſolum in fidelitate, per quam fides amittitur , ſed etiam per quodcunque peccatum mortale gratia deperditur, ſed hæreticus circa vnum articulum eſt ſimpliciter infidelis , ergo non habet fidem infuſam.Vnde opinio Durandi , non eſt probabilis,ſed temeraria,& periculoſa;non eſt tamen hæretica;quia in concilio nõ definitur illud ſicut de fide, nõ enim de hoc ibi ex profeſſo diſputabatur , ſed ſolũ an per quodcunque peccatum mortale amittatur charitas & fides ſimul , & definitur quod deperditur charitas non fides: Nam illa ſola definiri dicuntur,quæ ex inſtituto de- — *Cõcilium Trident.*

termi-

terminantur ab eccleſia. Verum tamē ſupponitur hæc veritas in Concilio tamquam certiſſima.

Reſpondetur ad rationes Durandi.

Ad rationes Durandi reſpondetur & ad primā de virtutibus moralibus negatur conſequētia, & ratio eſt: quia inter habitus acquiſitos, & infuſos hoc eſt diſcrimē, quod cum habitus requiſitus acquiratur per multos actus ita non tollitur vno aut altero actu contrario, habitus autem infuſus non acquiritur ex actibus, ſed infunditur à Deo, & ideo nō eſt opus multis actibus, vt fides infuſa pereat, ſed quouis actu contrario tollitur, atq; ita per vnam hæreſim tollitur habitus fidei infuſus.

Ad exēplum de virtutibus intellectualibus, diſtinguo antecedens; aut concluſiones eiuſdem ſcientiæ habent eādem rationem formalem, & medium, aut quælibet habet ſuum proprium medium: primo modo nego antecedens: quia qui negaret illam rationem ſciendi ſimul negat omnes concluſiones illius ſcientiæ, v.g. in ſcientia de homine ratio formalis ſciendi omnes concluſiones eſt rationalitas, & ideo qui negat hominem eſſe rationalē per conſequens negat eſſe uiſibilē, diſciplinabilem, beatificabilem &c.

Secundo autem modo concedo antecedens; qui enim negat vnam concluſionem Geometriæ non negat omnes: quia ſingulę habent particularia media, atq; adeo poteſt quis negare vnam, ex ignorantia medij illius, & habere ſcientiam alterius: quia ſcit medium eius. At vero quia omnes articuli fidei habent idem obiectum formale, & medium credendi. ſ. prima veritas reuelans prout proponit Eccleſia, Ideo negans vnum articulum negat omnes, & per conſequens caret fide infuſa.

Ad ſecundam dico, quod hæreticus non credit propter authoritatem diuinam, ſed propter ſuam; non enim Eccleſiæ quæ eſt Columna, & firmamentum veritatis, & ideo licet credat articulos, quos non negat, non inde ſequitur, quod habeat fidem infuſam: quia multi firmius adhærent opinionibus, quam demonſtrationibus quod prouenit ex pertinacia eorum, & non ex medio formali aſſentiendi. Illam ergo promptitudinem credendi in hæretico, circa alias veritates fidei, quæ non contrariantur ſuæ hæreſi dicimus non prouenire ex habitu infuſo fidei: quia illum iam non habet ex quo incidit in hæreſim, ſed ex habitu fidei acquiſitæ, & ex proprio ſenſu, & iudicio.

Secundo reſpondetur hæreticum non ita prompte credere alias veritates fidei, ſicut credebat antequam in hæreſim incideret: patet quia facile eſt hæretico non credere alias veritates fidei, poſtquam in vnam hæreſim incidit; quia facile incidit in alias. Contra Hæreticus credit Deum eſſe Trinum, & vnum: quia veritas prima in ſcriptura ita reuelauit; ergo credit ſub eadem ratione formali, ſub qua antea credebat, & per conſequens credit fide infuſa. Nego antecedens: nam ſi hæreticus crederet ſcripturam eſſe diuinam, hoc eſſet ex authoritate Eccleſię, ſed non credit authoritati Eccleſiæ ergo non credit authoritati diuinæ: minor probatur: quia ſi crederet authoritati Eccleſiæ crederet omnibus propoſitis ab Eccleſia, hoc autem non ita eſt, vt apparet, ergo &c. ſequitur ergo, quod credit ſolo ſuo iudicio & ſenſu; atq; ita ea, quæ sūt fidei tenet potius propria voluntate, & iudicio, quam ex diuina authoritate.

Ad tertiā nego minorem, & ad primam probationem dico, quod non omnes actus credendi in habente fidem infuſam ſunt à fide infuſa; fideles. n. ſępiſſime credūt: quia ſic audierunt à parētibus & à viris doctis, & quia omnes ita dicunt, qui actus non ſunt à fide infuſa, & ex illis generatur acquiſita; Secundo dico & melius, quod cum in habente ſimul fidem infuſam, & acquiſitam, ad eundē actum credendi ſimul concurrant infuſa, & acquiſita: ędd ex actibus fidei infuſæ generatur habitus fidei acquiſitæ, quo Hæreticus, fide infuſa deſtitutus, cæteris articulis, quos credit aſſentit; & Ideo negatur minor propoſitio, & ad probationem dico, quod ſi ponas aliquem intellectum nullum actum habuiſſe niſi à fide infuſa, illis actibus generaret in ſe fidem acquiſitam, quo mediante poſtquam incidit in hæreſim aſſentiret ab ipſo creditis.

Ad ſecundam probationem diſtinguo antecedens, ex parte medij, & rationis formalis credendi, nego Hæreticum aſſentire firmiter articulis, quos non negat; atq; adeo nō aſſentitur fide infuſa; ex parte auctoritatis fidei acquiſitæ, ſui ingenij, & pertinaciæ, concedo; ſic enim plures ſuis opinionibus firmiter adhærent, quam ſcientijs, vt dictum eſt.

Caietanus.

Caietanus. 2. 2. q. 5. art. 3. in primo dubio in fine inquit, quod manifeſtatio ſcripturæ, & propoſitio Eccleſiæ, ſunt de integritate fidei noſtræ, quod non placuit Viris ſapientibus, ſed dicunt, quod ſolum ſunt modus, & conditio ſine qua nō Deus reuelat, qui autē diſcedit à modo, & conditione rationis formalis, conſequenter diſcedit ab ipſa ratione formali, qualis eſt Hæreticus, vnde integra & adæquata ratio formalis fidei, eſt prima veritas reuelans, & propter illam ſolam credimus.

ARTICVLVS XIX.

Vtrum in Peccatoribus fidelibus maneat fides infuſa.

Hæreſis Lutheranorum.

Circa hanc quæſtionem eſt hæreſis Lutheri diſtinguentis fidem in fidem hyſtoricam, quę eſt aſſenſus eorum, quæ recenſentur in diuinis litteris, & hęc inquit manet in peccatore, & in fidem iuſtificantem, quę eſt fiducia, qua quis credit infallibiliter ſe eſſe iuſtum & hęc iuſtificat, & ſola priuatio eius condemnat, et in hāc acceptionem ſecundum Lutherum ſolum peccatum infidelitatis imputatur, cętera autem, vt homicidium. Fornicatio, furtum, &c. non imputantur dummodo quis firmiter credat ſe eſſe iuſtum. Vnde ex hac Lutheri ſententia, vel potius manifeſta hereſi, hęretici Lutherani in hāc hęreſim inciderunt, vt exiſtimarent fidem ſimul cum charitate amitti per peccatum mortale.

Fundatur hic error in ſcriptura male ab illis intellecta. Dicitur enim in ſcriptura multoties fidem eſſe, quę iuſtificat homines, & eſſe vitam animę ſpiritualem, & vitam ſempiternam; hæc autem non poſſunt conuenire fidei abſque charitate, ergo nūquā perditur charitas ſine eo quod ſimul perdatur fides. probatur maior: nam Ioan. 6. dixit Chriſtus. Qui credit in me habet vitam æternam, & rurſus. c. 11. Qui credit in me etiam ſi mortuus fuerit viuet. & ad Epheſ. 3. ſcriptum eſt Per fidem habitare Chriſtum in cordibus noſtris, & Actorum 15. Iuſtificari corda, & obtineri vitæ æternę hereditatem ergo &c.

B. Cypria.

Secundo etiam probant ex authoritatibus ſanctorum patrum, & in primis B. Cyprianus lib. de Simplicitate Pręlatorum. Cęterum, inquit, credere ſe in Chriſtum quomodo dicit, qui non facit, quod Chriſtus facere præcepit? D. Ambroſius Epiſtola 74. exponens illa verba. 1. Corint. 13. Si habuero omnem fidem ita vt montes transferam charitatem autem non habuero nihil ſum. Neq; . n. ait videtur mihi, qui habeat omnem fidem, ita vt montes trāſferat charitatem non habere. D. Hieron. in Com. 6. ca. ad Galatas expreſſe ait. Cum dilectio procul abfuerit, & fides pariter abſcedit. Item D. Aug. tract. 19. in Ioan. plane teſtatur fidem eſſe animæ vitam. & D. Gregorius in Euāgelio Marci c. vlt. Vera fides, inquit, eſt, quæ in hoc quod verbis dicit moribus non contradicit. ex qua authoritate ſic arguitur, in peccatoribus non eſt vera fides, ergo nō eſt fides, antecedens eſt B. Greg. quia peccator contradicit moribus in hoc, quod verbis dicit, & per conſequens in ipſo non eſt vera fides, ſed probatur conſequentia, verum non dicit aliquid reale ſupra ens, ergo quod non eſt verum, non eſt ens, ſicut qui non eſt verus homo non eſt homo, igitur quæ non eſt vera fides, non eſt fides. Ex his inferunt Lutherani, & Caluiniſtæ illam fidei diſtinctionē in informem, & formatam eſſe inuentam à ſophiſtis magno Eccleſiæ incommodo.

D. Ambr.

D. Hieron.

D. Auguſ.

D. Gregor.

D. Thom.

Tertio probatur rationibus, & primo ſic cæteræ virtutes infuſæ, & dona Spiritus Sancti non manent ſine charitate, vt paſſim conceditur, ergo nec fides; non enim eſt maior ratio de vno quam de alio, de antecedente vide D. Thomam. 1. 2. q. 65. art. 2. 4. & 5. Si autem aſſignes differentiam inter fidem, & alias virtutes, quod peccator vere credit, etiam peccator eſt vere fortis & temperatus, & tamen in eo non manet temperantia, nec fortitudo infuſa; ſed acquiſita, ergo licet credat non manet in eo fides infuſa,

fuſa,

Digitized by Google

fuſa,ſed acquiſita. Item fides informis, quæ manet in peccatore eſt mortua,ergo nõ eſt vera fides,ſicut homo mortuus non eſt verus homo.

D. Thom. *Scotus.*

Præterea peccatum mortale impedit infuſionem fidei in adulto accedente ad baptiſmum ſine dolore requiſito, vt videtur concedi à S.Thom. 1.2.quæſt.62. art.4. & videtur eſſe communis ſententia Theologorum aſſerentiũ virtutes Theologicas eſſe connexas quo ad infuſionẽ, vt docet etiam Scotus in iſto.3.d.36 art.4.ergo etiam peccatum mortale impedit conſeruationem fidei, tãtum enim eſt conſeruare donum Dei,quantum producere,& infundere de nouo.

Deinde per vnum peccatum mortale reſrigeſcit fides, & remittitur, ergo per multa corrumpetur, antecedens patet: quia quanto quis minus amat,minus credit, probatur conſequentia: quia omne finitum per ablationem conſumitur.

Subinde,ſi in peccatore fideli manet vera fides, ſecuntur inconuenientia,ergo non manet,probatur antecedẽs, aut ex actibus fidei,quos ille peccator producit, augetur fides,vel non,Non poteſt dici,quòd non augeatur: quia ſi peccator habet veram fidem poteſt producere actus fidei intenſiores habitu, qui neceſſario augebunt habitũ: ergo debet dici,quod augeatur eius fides,& non meritorie, quia peccator non poteſt mereri, ergo augetur effectiue ab illis actibus,ex quo rurſus ſequitur,quod fides vera infuſa poteſt produci,ex actibus fidei de nouo.omnes enim habitus qui augentur effectiuè per actus,poſſunt ex eiſdẽ actibus produci de nouo,hoc autem maximum eſt inconueniens.ergo &c.

Rurſus fides ſine operibus comparatur à D.Iacobo fidei demoniorum.cap.2.fides autem demoniorum nõ eſt vera fides infuſa,ſed moralis,& acquiſita, ergo fides peccatorum non eſt infuſa quæ ſit donum Dei.

D. Thom.

Iterum fides ſine charitate iuxta D.Paulum.1.Corint. 13.nihil prodeſt,ergo non eſt vera fides. Poſtremo omnes virtutes ſunt connexæ ſecundum D. Thomam;ergo ſine charitate non manet fides.

In contrarium eſt Fides Catholica. quæ docet in Chriſtiano peccatore, atq; Catholico manere veram fidem ſine charitate,ita vt licet quolibet peccato mortali charitas amittatur, fides tamen non ammittitur in hac vita niſi per infidelitatem,& hęc eſt concors ſententia Catholicorum,& probatur,donum Prophetiæ, miraculorum, & eijciendi demonia, non poſſunt eſſe abſq; donis fidei,& tamen illa habentes damnantur propter peccatum mortale iuxta illud Matth.7. Multi dicent mihi in illa die, Domine nonne in nomine tuo prophetauimus. &c. Tũc confitebor illis: quia nunquam noui vos diſcedite à me omnes,qui operamini iniquitatem; ergo corrupta charitate manet vera fides. Præterea Ioan.12.Ex principibus multi crediderunt in eum,ſed propter Phariſæos non confitebantur ne ex Sinagoga eijcerentur; dilexerunt.n. gloriam hominum,magis quam gloriam Dei. Et Matth.7. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine. (ideſt qui crediderit in me) intrabit in Regnum Cœlorum,ſed qui fecerit voluntatem eius,qui miſſit me.Et Luc.12. Seruus qui cognouit voluntatem Domini (per fidem ſcilicet) & non facit vapulabit multis. Et. 1. Corint.13. Si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero nihil ſum,ergo fides poteſt manere ſine charitate.Nam ſi Paulus dicit ſi habuero fidem, & non habuero charitatem, poteſt ſecundum Pauli doctrinam ſtare fides ſine charitate. Item D. Iacobus in Canonica. c.2.ait fides ſine operibus mortua eſt,& quaſi corpus ſine anima; ergo poteſt ſecundum Apoſtolum eſſe fides ſine operibus, hoc eſt ſine bona,& Chriſtiana vita, quam efficit charitas, ſiquidem charitas efficit vt homo bene, & ſecundum præcepta diuina viuat,quod eſt Chriſtiane viuere, vt ait ipſe Chriſtus Ioan. 15. Qui diligit me mandata mea ſeruabit.

Concilium Trident.

Secundo probatur ex Concilio Trident.ſeſſ.6. ca.7.vbi dicitur fides niſi ad eam charitas accedat,neque vnit perfecte cum Chriſto,neque corporis eius viuum membrũ efficit.& cap.15.dicit.Aſſerendum eſt non modo infidelitate,per quam & ipſa fides amittitur,ſed etiam,quocunque alio mortali peccato,quamuis non amittatur fides,ac ceptam iuſtificationis,gratiam amitti. Et canone 28. dicitur.Si quis dixerit amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti,aut fidem, quæ remanet non eſſe veram fidem,licet non ſit viua,aut eum qui fidem ſine charitate habet non eſſe Chriſtianũ. Anathema ſit. Idem confirmant fere omnes patres.Cyprianus.lib.de Simplicitate Prælatorum.Cyrillus lib.9.in Ioan.cap.43.& lib.10. cap. 8.Chryſoſtomus hom.54. in Matthæũ. Auguſtinus trac. 6.in Ioan.Hierony.lib.2.contra Iouinianum. Baſilius in proemio libri de moribus.Gregorius hom.30. in Euangelia.Anſelmus.1.Corint.13.Bernard. ſermone 24.in Cant. & Hugo de Laude charitatis. Subſcripſerunt his Venerãdis fidei noſtræ Antiſtibus Doctores omnes ſcholaſtici, quos legi in 3.diſt.36.nec non illi qui his temporibus hæreſes Lutheranas impugnarunt.Alphonſus à Caſtro contra Hæreſes lib.7.verbo fides.hæreſi.2.Roſenſis art.1.contra Lutherum.Andreas Vega lib.14.in Cõcilium Trid.c. 8.9.& 10.& Bellarminius. Tom.3. lib. 1.de Iuſtificatione capitul.15.

Cyprianus *Cyrillus.* *Chryſoſt.* *Auguſtin* *Hierony.* *Baſilius.* *Gregorius* *Anſelm.* *Bernard.* *Hugo* *Alphonſ.* *Roſenſis.* *Vega.* *Bellarmi.*

Tertio probatur ratione.Si ſine charitate non maneret fides.ſequeretur quẽlibet peccatorem eſſe infidelem; q. ſi eſt baptizatus eſſet hæreticus,quod eſt abſurdiſſimum probatur ſequela quia talis ſolum credit fide acquiſita,& humano motiuo, nec credit ſicut tenetur, quia hoc fieri nequit ſine vera fide infuſa.

Ad fundamenta Hæreticorum reſpondetur, & primo ad teſtimonia ſcripturæ dico: quod illa tria attribuuntur fidei in Sacris litteris, quaſi radici, & fundamento illorum: quia fides eſt noſtræ iuſtitiæ radix, & fundamentũ,vitæq; ſpiritualis,& æternæ. Vnde habenda eſt regula certiſſima,quam docet S.Thomas quæſtionibus de veritate,q.14.art.5.ad 12. Quod quando aliquod commune multis, tribuitur ſpecialiter alicui, illud prouenit aut quia in illo excellentiſsimè reperitur; aut quia primo reperitur,v.g.viuificare tribuitur animæ vegetatiuæ: quia hæc primo viuificat,atq; ita,quia fides eſt fundamentum noſtræ iuſtificationis,& vitæ ſpiritualis,ideo iuſtificatio, & ſalus hominis fidei attribuitur, Poſſunt etiam eadem teſtimonia intelligi,de fide formata cũ charitate, de qua intelligitur illud Pauli ad Eph. 3. Chriſtum habitare per fidem in cordibus noſtris,quæ verba D.Bernardus ſermone 2.de Reſurrectione exponens ait, Non inconuenienter dicitur Chriſtum viuere in cordibus noſtris, quamdiu viuit fides, per quam ipſe inhabitat corda noſtra, & quamdiu moritur fides, moritur quodammodo Chriſtus in nobis.

D. Thom.

Ad Authoritates Sanctorum reſpondetur & ad illud Cypriani dico quod non ſentit Sanctus Doctor quod in peccatoribus non manebat fides, ſed quod peccatores nõ poterant oſtendere fidem ſuam ex operibus, & hoc tale eſt ac ſi non eſſet fides. Vnde ait D.Bernardus lib.de Pręcepto,& Diſpenſatione,quod probari non poteſt;mihi infectum eſt. ideſt perinde eſt apud me, ac ſi eſſet non factum. Hæc itaq; & ſimilia Sancti Doctores dicunt, q. languet in peccatoribus fides,& ocioſa eſt,ac mortua;nec eam ſicut Iacobus oſtendit,poſſunt approbare, aut docere ſe habere ex operibus;quod apertiſſime oſtendit idem Cyprianus ad finem citati libri,vbi docet non quidem abſcedere fidem,ſed languere,& eneruem effici propter peccata. Quod Tertullianus in lib. de Cultu fœminarum expreſſit his verbis. Deliciarum mollitia, & fluxu fidei virtus effœminatur.

D. Bern. *Cyprianus* *Tertull.*

Ad authoritates D. Ambroſij reſpondetur,quod exiſtimat,& bene,quod qui habet fidem, ita vt montes transferat habet charitatem: quia talis fides eſt perfecta, charitas autem eſt perfectio fidei. ſubdit.n.ibi Ambroſius; omnis fides eſt,vbi perfectio charitatis. Diuus Hieronymus vt antecedentia indicant, de fiducia humanà loquitur,quam verum eſt locum non habere, vbi non eſt dilectio, quia non fidimus niſi eis,quos amamus, & à quibus nos amari non perſuademus. Neq; D. Auguſtinus propter ea dixit fidem eſſe vitam animæ, quod illa ſola animam viuificet, ſed quod illa vitæ eſt initium, & radix ac ſine illa nullus viuit,& niſi impediatur omnia nobis affert,quæ exiguuntur ad vitam.

Veritas fidei ſumitur dupliciter.

Ad illud Gregorij reſpondetur, veritatem fidei dupliciter accipi poſſe, primo quo ad eſſentiam, & ſpeciem

Secun-

Secundo quo ad efficaciam, quam fides ſecundum ſuã ſpeciem ſibi vendicat, primo modo in peccatoribus eſt vera fides, & ſub hoc ſenſu definitum eſt in Concilio Trident. in peccatoribus manere verum fidem; ſecundo modo in peccatoribus non eſt vera fides, quia non habet efficaciam, quam ſibi fides vendicat ſecundum ſuam naturã, quia non perducit ad vitam æternam, de hac re lege Caſtrum de hereſibus verbo fides hereſi 2. Vega, & Bellarminium locis citatis, & Sotum libro. 3. de natura, & gratia c. 7. & 21.

Ad rationes reſpondetur, & ad primam nego conſequẽtiam. Ratio differentiæ eſt, quia habitus corrumpuntur per actus illis contrarios, & quia quodcunque peccatum mortale contrariatur charitati (eſt, enim incompoſſibile cum dilectione Dei per omnia) ideo per quodcunque peccatum mortale corrũpitur charitas, & virtutes, et dona Spiritus Sancti charitati annexa. fidei autem ſolum cõtrariatur infidelitas, & non alia peccata, atque ita fides, & dona Spiritus Sancti, quę ex illa pullulant, vt donum Prophetiæ miraculorum &c. vere ſe compatiuntur cum alijs peccatis, excepta infidelitate.

Ad ſecundum, nego conſequentiam: quia vita non eſt intrinſeca fidei, vnde ſicut eadem materia puta corpus quod ante ſeparationem erat viuum, ſeparata anima manet ſine vita, quia de ratione corporis non eſt vita, ita eadem fides, quæ antea erat viua per charitatem, corrupta charitate manet mortua. ideſt, nullius meriti ad vitam æternam; & hoc ſignificauit D. Iacobus appellans fidem mortuam ſine charitate.

D. Thom. Ad tertium nego antecedens; eſt. n. probabilis opinio contraria, vt eam tenet D. Thom. 2. 2. q. 6. art. 2. ad vltimũ Secundo reſpondetur negando conſequentiam; ſicut. n. in naturalibus multa impediunt generationem alicuius rei, quæ tamen non impediunt eius conſeruationem, vt calor in certo gradu impedit generationem aquę ex aere, & tamen calor in eodem gradu non corrumpit aquã; ita quamuis peccatum mortale impediat infuſionem fidei, non tamen corrumpit infuſam, niſi ſit illi contrariũ.

Ad quartum nego antecedens, ad probationem dico, quod habet veritatem de actu fidei, ſed non de habitu; peccator. n. non tam intenſe credit vt antea, quando voluntas per charitatem mouebat intellectum ad credendum. Verum tamen eſt quod peccatum mortale diſponit ad infidelitatem: quia paulatim excecat intellectum. Plerumq; n. præ nimia peccandi frequentia, peccata grauia, aut parua, aut nulla videntur. Simile eſt peccatum veniale diſponit ad mortale per quod corrumpitur charitas, non tamen peccatum veniale remittit habitum charitatis, quamuis remittat feruorem dilectionis Dei

Ad quintum nego antecedens, ad probationem dico, quod fides peccatoris augebitur effectiue à Deo, & non ex eius actibus vt diximus ſupra de augumento fidei.

Ad ſextum, diſtinguo maiorem. In hoc quod eſt non eſſe fidem meritoriam, concedo. Tam. n. fides demoniorum quam fides peccatoris non eſt meritoria. In hoc autem quod eſt non eſſe veram fidem; nego, quia fides demoniorum non eſt vera fides nec donum Dei, nec credunt ſicut nos propter primam veritatem reuelantem, ſed eorum fides, eſt motalis, & acquiſita: Credunt enim quoniam intelligunt ſe damnatos propter ſua peccata. Peccator vero credit ex pia affectione voluntatis, & propter authoritatem reuelantis, Dei, & Eccleſiæ proponentis, & ideo eius fides eſt vera, & infuſa.

Ad ſeptimum, Nego conſequentiam: quia in ſcriptura ſæpe vocatur nihil, quod nõ eſt meritoriũ vitę ęternę.

Ad vltimum aliqui diſtinguunt antecedens, de virtutibus moralibus concedunt, de Theologicis vero negant. ſed verius reſpondetur diſtinguendo conſequens, in eſſe virtutis, eo modo, quo de virtute loquuntur Theologi concedo, in eſſe habitus, & virtutis eo modo, quo loquuntur de virtutibus philoſophi nego; atq; ita amiſſa charitate, manet verus habitus fidei non tamen eſt proprie virtus, niſi eo modo, quo explicauimus ſupra.

Quare homo fidelis Deum offendat. Si autem Dicas quomodo eſt poſſibile homines eſſe conſcios per fidem, pœnarum gloriæ ac beneficiorum Dei, & tamen adeo eſſe cęcos, vt pro rebus caducis, & nullius penè momenti Deum & Dominum ſuum lethaliter offendant? Reſpondetur hoc prouenire quadrupliciter de cauſa; prima eſt nimia voluntatis libertas male eligentis; poſt habita. n. Creatoris dilectione plus æquo diligit creaturas. Vnde ſecundum phyloſophum in Ethycis, omnis peccator errat arguendo in quatuor terminis; ponit. n. duplicem maiorem alteram veram, & alteram falſam, & ſyllogizzat ſub falſa, ſyllogizzaturus ſub vera ſi recte colligeret. v. g. Adulter facit iſtam maiorem, omne adulterium eſt malum ei, qui preſtat aſſenſum; dein de ſic arguit. omne delectabile eſt complectendum, adulterium eſt delectabile, ergo &c. Ideo dicitur quod omnis malus eſt ignorans. Secunda cauſa eſt nimia miſericordiæ diuinæ confidentia, quæ ſolet cauſare obliuionem iuſtitiæ. Tertia inconſideratio actualis gehennæ & myſteriorum fidei; ſolum. n. peccans conſiderat delectationẽ peccati. Quarta nimia aſſuetudo peccandi, quæ facit peccatores inſenſatos, ita vt non penetrent malitiam vitiorũ. iuxta illud Sapientiæ. 5. Nos inſenſati &c. & Pſalm. 108. Homo cum in honore eſſet non intellexit &c.

DISTINCTIO XXIIII.

HIC quæritur ſi fides tantum de nõ viſis eſt &c. *Ex quo de fide ſecundum ſe hactenus egit Magiſter in ſuperiori diſt. conſequenter in hac 24. diſt. de eadem loquitur per comparationem ad ea, quæ creduntur, ideſt, quantum ad eius obiectum ſiue materiam, & tria circa hoc dubia reſoluit. Primum eſt, Num fides de præteritis viſis eſſe poſſit. Secundum, an eſſe poſſit de viſis præſentibus. Tertium, vtrum poſſit eſſe de cognitis. Continetur autem tota littera Magiſtri tribus concluſionibus.*

1. Concluſio. Fides eſt de non viſis. *Prima Concluſio Fides eſt de non viſis. Probatur ex D. Auguſtino ſuper Ioan tract 79 dicente fides eſt credere, quæ non vides & ex D. Paulo definiente fidem, quod ſit argumentum non apparentium. Sed contra hanc concluſionem inſtat Magiſter dupliciter. primo authoritate Saluatoris Ioan. 14. vbi loquens Apoſtolis inquit. Nunc dico vobis prius quam fiat, vt cum factum fuerit credatis. vbi innui videtur quod fides illa fuerit de factis & viſis, Secundo authoritate D. Auguſtini lib 2 quæſt. Euangelicarum c 39 dicentis fidem eſſe de rebus præſentibus, quod erit in futuro, cum per ſpeciem Deum præſentem contemplabimur, non eſt ergo fides de non viſis.* D. Auguſ. D. Auguſ.

Fides duobus modis conſiderari poteſt. *Pro hac inſtantia tollenda diſtinguit Magiſter fidem. dicens poſſe duobus modis conſiderari vno modo præciſe, altero modo fuſe; priori modo fides eſt de non viſis: at ſecũdo modo nulli dubium eſſe poteſt, quin etiã credere nos dicamur, quæ videmus, vel vidimus ſecundum quem ſenſum Chriſtus locutus eſt in Euangelio Verum illa fides, quæ creduntur, quæ videntur non dicitur eſſe illa fides de qua hic agitur, quæ proprie dicitur eſſe de non apparentibus Ad D. Auguſtinum dicendum eſt fidem interdum vſurpari pro habitu quo creditur, interdum vero pro mercede*

fidei

Digitized by Google

ſidei, quam in patria nos habebimus primo modo ſententia Auguſtini haud intelligi debet ſed ſecundo modo, atq; ita reſoluitur primum dubium.

2. Concluſio.

B. Petrus nõ habuit fidem paſſionis & mortis Christi.

Secunda Concluſio. Beatus Petrus non habuit fidem paßionis & mortis Chriſti: patet quia oculis cernebat illum hominem pati, ſed credebat hominem illum, qui patiebatur Deum eſſe; ſicut & B. Thomas Apoſtolus, vidit hominem & credidit Deum. Petrus itaq; fidem habuit; ſed non in eo, quod hominem pati videbat, credebat; quia hoc videbat; ſed bene in eo quod illum hominem, quem pati videbat Deum eſſe credebat, Non ergo fuit Petro fides credere hominem illum mori, quod oculis cernebat at illum eſſe Deum credere.

D. Auguſ.

Vnde D. Auguſtinus Concione 2 ſuper illud Pſal. 101. Reſpondit ei in via virtutis ſua laus fidei inquit, eſt non quia credidit hominem illum mortuum quod & Paganus credit, ſed quia credit eum glorificatum & verum Deum. Credit ergo fides Deum mortuum, & hominem glorificatum. Nec etiam nobis meretur fides in hoc, quod credimus illum crucifixum, & mortuum, quod & Iudaus credit, ſed quia credimus hominem illum mortuum Deum eſſe, & hominem illum mortuũ eſſe glorificatum. quod Iudaus non credit.

3. Concluſio.

Quæ vidẽtur non ſciũtur neq; intelliguntur.

Tertia Concluſio. Qua creduntur non ſciuntur, neq; intelliguntur, ad eorum tamen ſcientiã & intelligentiam credendo peruenitur. Pro explicatione huius concluſionis ponit Magiſter diſtinctionem duplicis viſionis, Vna. n. eſt exterior, altera interior, fides de his, qua ſubſunt exteriori viſioni eſſe nequit, attamen de illis erit, qua aliquo modo capiũtur viſione interiori, atq; adeo non debet omnino fides de incognitis dici. Vnde pro maiori pradictorum intelligentia ſubinfert Magiſter quamdam credibilium diuiſionem Solent. n. inueniri intelligibilia quadam qua prius naturali ratione intelliguntur quàm credantur: qua tamen non ita dicuntur intelligi immia, vti cognoſcentur in patria, vbi melius cognita erunt per fidem, qua corda noſtra nunc emundat, non ergo ſunt penitus ignota, licet ex parte ignorentur. Quadam vero prius creduntur quam intelligantur, de quibus dicitur Iſaia. 7. Non intelligetis. niſi credideritis; & tamen omnia illa non ſunt totaliter ignota ſed ex parte, & aliquo modo. Fides itaque debet dici eſſe de his, qua aliquo modo ſunt cognita & aliquo modo non. Hac breuiter docet Magiſter in hac diſtinctione circa quam mouet Scotus vnicam quaſtionem, qua talis eſt.

Fides non eſt omnino de incognitis.

Credibilia ſunt in duplici genere.

QVAESTIO VNICA SCOTI.

Vtrum de credibilibus reuelatis poſſint aliqui habere ſimul ſcientiam & fidem, loquendo de ſcientia, vt accipitur pro notitia certa, accepta ex euidentia rei.

Sẽſus quæſtionis.

PRo explicatione huius tituli obſer. eſt primo, quòd non quærit hic doc. an de articulis reuelatis poſſit abſolute eſſe ſcientia, ſed an de reuelatis credibilibus, poſſit ſimul eſſe ſcientia & fides.

Quid ſit credibile & quotuplex.

Secundo obſ. eſt. quòd credibile eſt propoſitio, quę licet ſit certitudinaliter nota, non poteſt tamen euidenter cognoſci: & eſt duplex, Vnum quod reuelatur ab homine, vt Mexicum eſſe, Romam eſſe, &c. quę non ſciuntur à nobis niſi per atteſtationem reuelantis, quem credo verum dicere. Alterum eſt credibile à Deo immediate, vel mediate reuelatum, velut ſunt omnes propoſitiones de fide, quæ vt notat Doc. noſter ſub. diſt. 31 huius tertij ſunt in triplici genere. Quædam, enim ſunt credibilia, quorum uiſio pertinet eſſentialiter ad beatitudinem, & ſunt illa, quæ prędicantur de Deo per reſpectum ad intra, vt Deus eſt Trinus eſt vnus, Pater generat filium; pater & filius ſpirant ſpiritum ſanctum &c. & de his credibilibus intelligitur illud commune dictum. Fidei ſuccedit viſio. Alia ſunt credibilia, quorum viſio aliqualiter, at non eſſentialiter ad beatitudinem pertinet. velut ſunt credibilia de Chriſti humanitate, eius paſſione, & morte &c. quę Beati vident in Verbo. In tertio genere ſunt, quæ nec principaliter, nec cõcomitanter ad beatitudinem ſpectant, velut ſunt credibilia de humanis actibus. Sumitur credibile in hoc titulo ſecũdo modo, & huius ſecũdi modi primis duobus modis.

Scotus.

Reuelatio quid, & quotuplex ſit.

Tertio obſer. eſt, quòd reuelatio dicitur quaſi velaminis remotio, & capitur tribus modis, primo vt idem eſt reuelare, quod cauſare aliquod ſignum extrinſecum, cauſatiuũ aſſenſus in intellectu creato, & hoc modo dicitur Deum reuelaſſe Chriſti legem omnibus, tam fidelibus, quam infidelibus, quam vis non omnes aſſentiant, & hæc appellari poteſt exterior reuelatio. Secundo modo poteſt ſumi, vt idem eſt reuelare quod cauſare aſſenſum de aliquo credibili complexo in intellectu creato; vt ſi Deus cauſaret in intellectu meo aſſenſum huius propoſitionis poſt centum annos erit dies Iudicij, diceretur mihi diem futuri Iudicij reuelaſſe. tertio modo poteſt accipi reuelatio preſſius vt reuelare idem importet, quod in intellectu creato de aliquo complexo vero firmum aſſenſum cauſare, & poteſt appellari interior reuelatio, atq; ita accipit in propoſito.

Reuelatio Rapt᷒ extaſis, & mentis exceſſus quomodo diſferant.

Quarto obſer. eſt, q reuelatio, Raptus, Extaſis, & mẽtis exceſſus differunt. Nam reuelatio facta eſt cõiter omnibus, tam fidelibus, quam infidelibus, Raptum habuit D. Paulus; mentis exceſſum Adam in ſopore, & etiam D. Petrus in vigilia quando vidit in mentis exceſſu linteum illud, quatuor initijs ſubmitti de cœlo. Extaſim habuit D. Ioannes, quando recubuit ſupra pectus Domini, & in Apocalypſi.

Quinto obſer. eſt, quòd Raptus, Extaſis, & mentis exceſſus pro eodem interdum in ſcriptura accipiuntur. ſ. pro eleuatione mentis ab exterioribus ſenſibus, diuerſo tamen modo; quia huiuſmodi eleuatio fit duobus modis, vno modo per abſtractionem à ſenſibus, quantum ad intentionem tantum, cum tota mens intendit, & vacat diuinis, ita quòd etiam ſenſibus vtitur. atque ita large omnis contemplator dicitur eſſe in extaſi, vel in exceſſu mentis, ſiue in raptu, iuxta id, quod dicit D. Dionyſius de diuinis nominibus. Eſt extaſis faciens diuinus amor. Alio modo preſſius dicitur extaſis, vel exceſſus mentis, aut raptus, cum quis abſtrahitur ab actu ſenſuum ad aliqua ſuper naturaliter videnda, ſiue imaginaria viſione ſicut accidit D. Petro, & Ioan. Euang. in Apoc. ſiue intellectuali viſione ad videndum Deum per eſſentiam, pro vt raptus fuit D. Paulus, ſiue ad videndum Deum non quidem per eſſentiam, ſed quia intellectus per aliquas immiſſiones Deum intelligit, ſicut euenisſe Adamo inquit D. Auguſtinus ſuper Gen. ad litteram:

D. Dionyſius.

D. Auguſ.

litteram; & de hac materia vide quæ ſcripſimus in Commentarijs noſtris ſuper Gen. ſuper illa verba Immiſſit Dominus ſoporem in Adam &c. hic loquimur de reuelatione, non autem de viſione vel raptu.

Scię̄tia ſumitur tribus modis. *Ariſt.*

Sexto obſer. eſt, quòd ſcientia quantum ad præſens ſpectat poteſt tripliciter accipi, Vno modo dicitur ſcientia quælibet certa rei notitia, & hoc modo accepit ſcientiam. Ariſt. 6. Ethy. cum dicit, ſcientia eſt habitus, quo determinate verum dicimus; & in hac ſignificatione, tam principia, quàm concluſiones tam contingentia, quàm neceſſaria dicuntur ſciri, & hoc modo dicimus, ſcio Romam, aut Mediolanum magnam eſſe Ciuitatem. ſecundo modo dicitur ſcientia, pro vt diuiditur contra ſapientiam; iuxta illud Apoſtoli. 1. ad Corint. 12. Alij quidē per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem ſpiritum, &c. quæ verba explicans D. Auguſtin. 14. de Trinitate, dicit, quod ſapientia eſt æternorum. ſcientia temporalium; & in hac ſignificatione ſolum creata ſciri dicuntur, tertio modo dicitur ſcientia habitus concluſionis demonſtratæ, & hoc modo accepit ſcientiam Ariſt. 1. Poſt. tit. 5. vbi definiens, quid ſit ſcire, inquit ſcire autem opinamur ſimpliciter vnum quodque, ſed non ſophiſtico modo, quod eſt ſecundum accidens, cum cauſam arbitramur cognoſcere, pp quā res eſt, & quoniā illius eſt cauſa, & non contingit aliter ſe habere. Vbi quatuor ſcientiæ cōditiones tanguntur, vt videbimus in hac. queſt. In hoc titulo accipitur ſcientia tertio modo.

D. Auguſ. *Ariſt.*

Fides ſumitur tribus modis. *Athanaſ.* *Auguſtin.*

Septimo obſer. eſt, quod fides multis modis ſumitur, vt diximus ſupra, pro nunc tamen ſumitur tribus modis, primo ſumitur fides pro obiecto credibili, atque ita ſumitur in ſymbolo Athanaſij. fides autem catholica hæc eſt &c. ſecundo modo pro actu credendi, & in hac ſignificatione accepit fidem D. Auguſt. lib. 2. queſt. Euangelicarum. ca. 39. fides eſt credere, quę non vides, tertio modo pro habitu inclinante ad aſſenſum credibilium reuelatorum, et in hac ſignificatione ſumitur in propoſito.

Senſus q̄ſtionis.

Senſus ergo tituli eſt. Vtrum de credibilibus à Deo immediate, vel mediate reuelatis, poſſit ſimul quis habere fidem, & ſcientiam tertio modo ſumptam; adeo quod poſſit aliquis de eadem propoſitione habere ſimul, & in eodē tempore, aſſenſum per habitum fidei, & ſcientiam tertio modo acceptam. Reſolutio erit negatiua, ſed quia hæc quæſtio intelligi nequit niſi prius quid ſit obiectum fidei, & quæ formalis eius ratio cognoſcatur, & quia etiam multa ſcire oportet pro exacta huius quæſtionis, & præcedentis intelligentia, quæ Scotus ſicco pede pertranſijt. Ideo hæc omnia ſequentibus articulis examinanda ſunt.

Art. 1. Vtrum obiectum fidei ſit complexum, vel incomplexum.

Art. 2. Vtrum Deus & ea, quæ reuelantur à Deo pertineant ad fidem, vt obiectum materiale fidei.

Art. 3. Vtrum Deitas ſit obiectum formale fidei.

Art. 4. Vtrum ſcientia ſubalternata poſſit ſimul eſſe cum fide.

Art. 5. Vtrum in aliquo lumine medio poſſit ſimul haberi ſcientia & fides de eiſdem credibilibus.

Art. 6. Vtrum obiectum fidei ſit aliquod ſcitum, ita quod ſcientia ſtare poſſit ſimul cum fide de eiſdem credibilibus.

Art. 7. Vtrum aliqua notitia habitualis, aut actualis alia à ſcientia, & à fide poſſit ſtare ſimul cum fide.

Art. 8. Vtrum articuli fidei ſint euidenter credibiles.

Art. 9. Vtrum oporteat hominem cognoſcere credibilitatem noſtræ fidei vt prudenter credat, ita quod non crederet niſi videret eſſe credendum, vel niſi haberet teſtimonia euidentia.

Art. 10. Vtrum euidentia credibilium ſit neceſſario præ requiſita ad generationē, & conſeruationē fidei.

Art. 11. Vtrum euidentia eorum, quæ credimus in genere credibilis pertineat ad habitum fidei, vel ad habitum ſcientiæ.

Art. 12. Vtrum fides Chriſtiana poſſit probari rationibus conuenientibus.

Art. 13. Vtrum fidei poſſit ſubeſſe falſum.

Art. 14. Vtrum Deus poſſit fallere aliquem vel mētiri.

Art. 15. Vtrum quando Sacramentum Euchariſtiæ nobis proponitur adorandum teneamur illud abſolute adorare.

Art. 16. Vtrum ſit de fide has vel illas ſpecies particulares eſſe conſecratas.

Art. 17. Vtrum vltima noſtra fidei reſolutio fiat in Eccleſiam, aut in primam veritatem.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum obiectum fidei ſit Complexum, vel incomplexum.

Alex. de Ales *Albertus Magnus.* *D. Thom.* *D. Bonau.* *Durādus.* *Ricardus.*

DE hac re tractat Alex. de Ales 3. p. q. 68. m. 7. artic. 5. Albertus Magnus in 3. d. 24. at. 5. D. Thomas. 2. 2. q. 1. art. 2. D. Bonauentura in 3. d. 24. art. 1. q. 3. Ricar. eadem. diſt. art. 1. q. 2. Durandus. & alij. ſenſus tituli eſt, an credibilia ſint propoſitiones enunciabiles. ſ. apprehenſibiles intellectu, & proferibiles ore. Alex. de Ales. & D. Bonauentura locis citatis referunt tres opiniones circa hanc quæſtionem, Nam quidam aſſerebant fidem verſari circa incomplexum, ſicut circa proprium obiectum. Dicebant. n. articulos fidei non eſſe propoſitiones enunciabiles, ſed res ſimplices, vtpote Incarnationem, Paſſionem, Mortem, Reſurrectionem, &c. & iſtos quidem omni tempore fuiſſe eoſdem, ſicut ſemper eadem fuit ipſa fides, & licet actus fidei trāſeat ſuper ipſum credibile, ſicut ſuper complexum, dicebant hoc prouenire ex defectu intellectus, qui non poteſt totum ſimplici aſpectu intueri; ſed primū intuetur hoc, poſtea illud, vnum alteri componens.

Ceterum quoniam aſſenſus fidei eſt proprie ſuper cōplexionem, & ad perfectionem fidei, non tantum oportet cogitare de incarnatione, ſed etiam oportet credere incarnationem iam fuiſſe. Ideo dixerunt alij quod articuli ſunt propoſitiones enunciabiles, & quod fides conſiſtit circa complexum, & eo maxime quia fides quantū ad aliquos articulos reſpicit ſimul creatum & increatum, de nullo autem creato poteſt eſſe niſi ſecundum quod componitur cum ipſo increato quod ſine complexione fieri nequit; Verum quia errans circa verum complexum quantum ad differentiam temporis, ſimpliciter iudicatur hereticus; ſicut ſi aliquis crederet reſurrectionem iam factam, vel incarnationem futuram. Ideo non ſolum dixerunt fidem eſſe circa verum complexum, ſed circa verum complexum circa determinatam differentiam temporis.

Tertius modus dicendi eſt, quod obiectum fidei ſecundum quod ſuper illud fertur fides habet rationem complexi. Cum enim habitus fidei faciat mentē aſſentiri credibili, ſiue credito, & aſſenſus non feratur ſuper incomplexū ſed ſupra cōplexū, oportet ponere fidei obiectū cōplexū. Verū quia dupliciter contingit fidem ferri in ſuū obiectum; ſcilicet implicite, vel explicite, igitur ſecundum duplicem modum dicitur complexum eſſe obiectum fidei, ſiue fides verſari circa complexum. Nam fides quantum ad ſuam ſubſtantiam reſpicit complexum vel enunciabile, non determinatam temporis differentiam imo aliquod dictum, quod eſt commune, & indifferens ad omne tempus, ſicut Chriſtum fuiſſe paſſurum. fides autem explicita ſub differentia temporis determinata; ſicut nunc oportet credere incarnationem fuiſſe, & reſurrectionem futuram eſſe. Sicut ergo explicatio accidit fidei nec variat eſſentiam fidei, ita & variatio temporis determinati non variat fidem, vt ſit alia, & alia ſecundum ſpeciem, & hunc modum dicendi ſequitur D. Bonauentura dicens fidem proprie conſiſtere circa verum complexum.

D. Bonau.

Alex. de Ales. Obiectū fidei eſt duplex.

Alex. vero de Ales dicit obiectum fidei complexum, & in compexum eſſe, ſed primum ſecundū quid, ſecundum vero ſimpliciter: Nam obiectum fidei ſiue articulus eſt duplex. ſ. ſimpliciter, & ſecundum quid. Primo modo res ipſa, vt diuinitas, Incarnatio, & paſſio, & huiuſmodi, quæ abſtrahunt à tempore, & non mutantur, dicuntur obiecta fidei, & articuli ſimpliciter: ſecundo modo enunciabilia, & complexiones, quæ concernunt variationem ſecun-

dum

dum mutationem temporis dicuntur articuli; & primo modo ſunt articuli per ſe,& ſemper,ſecundo modo articuli contingentes non ſemper articuli per ſe ſemper manẽt articuli,vt Incarnatio, Paſſio,&c.articuli vero cõtingẽtes ſiunt non articuli,vt patet in his articulis,Chriſtum naſciturum, Paſſurum, qui fuerunt articuli, antequam Chriſtus naſceretur,& pateretur,modo nõ ſunt. Et ad id quod dicebatur,quod nõ ſufficit credere articulo ſimpliciter in ſua forma niſi concernatur tempus,vnde non ſufficit credere Incarnationem,niſi credamus Incarnationem ſactã. Reſpondet.Alex.ꝙ ad credere requiritur,vt credatur, ꝙ credendum eſt & debito modo,nec ſufficit credere, quod credendum eſt ſine debito modo, quod credendum eſt dicit ſubſtantiam fidei,ſeu articuli;modus autem credendi non eſt de ſubſtantia obiecti,ſed magis circunſtantia debita ex parte actus credendi,& tamen non ſufficit illud ſine iſto. Ex parte autem modi credendi prouenit credere cũ determinatione temporis.

D. Thom.

Eamdem ſententiã fere cum Alex.docet S. Thom.2.2. q.1.art.2.dicens ꝙ obiectum fidei eſt complexũ,& incomplexum.ex parte namq;ipſius rei creditæ obiectũ fidei eſt aliquid incõplexũ.ſ.res ipſa de qua fides habetur.ex parte vero credentis obiectũ fidei eſt aliquid complexum per modum enunciabilis.Et idem docet Ricardus loco citato quæ ſententia abſque dubio vt probabilior amplectenda eſt.vide Baſſolum hac.d.quæſt.1.art.1.

Ricardus. *Baſſolus.*

Quid ſit obiectũ cõplexũ; & incomplexum.

Pro cuius ampliori intelligentia obſer.eſt ꝙ obiectum complexum eſt illud,quod plures dictiones complectitur ex quibus cõponitur,& ſubordinatur alicui actui intellectus,qui dicitur cõpoſitio,vel diuiſio vt homo eſt viſibilis homo non eſt lapis.articuli fidei ſunt obiecta cõplexa, vt Deus eſt Trinus,Deus factus eſt homo,&c.quæ ſunt enũciabilia.Incomplexũ eſt id,ꝙ nõ cõplectitur plures dictiones,& ſubordinatur actui ſimplici intellectus, vt Deus, prima veritas Incarnatio Paſſio,&c.ẽ incõplexũ obiectũ.

Obiectũ fidei eſt duplex.

Secundo obſer.eſt,ꝙ obiectũ fidei eſt duplex vnum de quo aliquid creditur, alterum quod creditur, ſicut obiectũ ſcientiæ alterũ eſt de quo ſcitur,alterũ vero qđ ſcitur, obiectũ ſcientiæ de quo ſcitur eſt incõplexũ.ſ.ſubiectum concluſionis;quod vero ſcitur,eſt concluſio complexa.

1. Concluſio.

Prima Concluſio,obiectum fidei,vt illud de quo creditur,vel ſecundum ſe,eſt aliquod ſimplex & incomplexũ. ideſt ſi nomine obiecti fidei intelligatur res de qua habetur notitia,ſiue aſſenſus fidei,eſt aliquid incomplexũ.hęc concluſio probatione non eget;Nã ſicut illud,de quo ſcitur eſt ſubiectũ concluſionis ſcitæ, & eſt ſimplex & incõplexũ;ita illud de quo creditur,eſt ſubiectũ concluſionis creditæ, & eſt ſimplex, & incõplexum.Itẽ prima veritas eſt obiectũ formale fidei,quæ eſt Deus;Deus aũt eſt ſimpliciſſimus.Imo obiectũ materiale fidei eſt res cognita, à Deo;at vero quicquid à Deo cognoſcitur per modũ ſimplicitatis cognoſcitur,ergo ſubiectũ formale,& materiale fidei eſt incõplexũ,& ſimplex.& Confirmatur:quia Verbũ Incarnatum,Deus Trinus & vnus &c. à parte rei non ſunt propoſitiones complexæ ſed res incomplexæ.

D. Augu.

Et hoc mõ (.ſ.pro re extra intellectũ,q̃ non eſt ipſa cõpoſitio aſſenſus intellectualis) accepit obiectum fidei D. Aug.in Enchiridio.c.8. cũ ita ſcribit.Eſt itaq; fides & bonarũ rerũ & malarũ:quia & bona creduntur,& mala, & hoc fide bona nõ mala,eſt.n. fides & præteritarũ rerũ & p̃ſentiũ, & futurarũ &c. & in li.de Agone chriſtiano.c.13. cũ ait.fides in Eccleſia breuiſſime tradit̃ in qua cõmendãtur æterna,q̃ à carnalibus intelligi nondum poſſunt,& tẽporalia,& præterita,& futura, quæ pro ſalute hominum geſſit,& geſtura eſt æternitas diuinæ prouidentiæ.

2. Concluſio.

Secunda Concluſio.obiectũ fidei tamq̃ id, ꝙ creditur, vel ſecundum ꝙ recipitur in nobis,eſt aliquod cõplexum per modũ enunciandi.i.ſi nomine obiecti intelligatur notitia,ſiue aſſenſus ipſius fidei,mediante quo,res cognita dicitur eſſe in cognoſcente ſic obiectũ fidei eſt aliquod complexũ enunciabile; format.n.intellectus de articulis fidei propoſitiones complexas.probatur,obiectũ fidei eſt tamq̃ id,quod creditur,& ipſa cõcluſio ſiue propoſitio credita, quem ad modũ obiectũ ſcitum eſt concluſio ſcita;ſed propoſitio ſiue concluſio eſt quid complexum per modũ enũciabilis,ergo obiectum fidei primo eo ꝙ creditur eſt complexum.probatur.ſecundo omne quod recipitur per modum recipientis recipitur,ergo veritas fidei recipitur in nobis ſecundum noſtrum modum; ſed noſter modus eſt, vt intelligamus per veritatem,& falſitatem complexionis,& per modum enunciabilis ergo obiectum fidei, in quantũ proponitur nobis & recipitur in nobis,eſt aliquid complexum per modum enunciabilis.

D. Augu.

Hoc modo accipit obiectum fidei D. Aug.lib. de Gen. ad litteram imperfecto c.1.cum inquit Catholica fides explicanda eſt;eſt autem hæc Deũ patrẽ omnipotente vniuerſam creaturã feciſſe,atq; conſtituiſſe per filium ſuum vnigenitum,i.per ſapientiã,atq; virtutem ſuam ſibi conſubſtantialem,& coæternam in vnitate Spiritus ſancti cõſubſtantialis,& coæterni.Hanc ergo Trinitatem dici vnũ Deum eumq; creaſſe omnia, quę ſunt,inquãtum ſunt Catholica diſciplina dici iubet &c.Hæc omnia,& alia, quæ ibi addit Auguſtinus veritates quædam intellectus ſunt complexæ, & enunciabiles, quæ (vt idem Auguſtinus dicit) dici,& enunciari poſſint ac debeant.

Dubium notabilẽ.

Sed hic dubiũ occurrit an fides immediate inclinet, & ſimul ad oẽs articulos fidei,an vero immediate, & prius ad vnum,& ratione illius ad alium,vel ad alios. De quo eſt prima opinio,ꝙ immediate inclinat ad vnum,& ratione illius ad alios,ita Durandus in.3.d.24.q.1. vbi dicit primum articulum,ad quem inclinat fides eſſe Eccleſiam regi ab Spiritu ſancto,& per conſequens non poſſe errare & ex illo per conſequentiam credimus alios.

Durand.

Marſilius.

Marſilius in 3.q.14.art.1,in 3.par.artic.concl.1.dicit ꝙ primus articulus ad quẽ inclinat fides eſt.Deus eſt,ſecundus.Deus eſt verax.& tertius. omne reuelatum à Deo eſt verum per quem ſyllogiſtice aſſentimur alijs.Idem videtur ſentire D. Thom.2.2.q.1.art.2.& q.2.art.5. Quatenus dicit,ꝙ diuina reuelatio eſt mediũ cui fides innititur cuius ſenſus videtur eſſe, ꝙ ſicut hominẽ eſſe animal rõnale eſt mediũ in demonſtratione huius homo eſt riſibilis,ita prima veritas reuelans eſt medium ad aſſentiendum articulis fidei;ſed prius aſſentior ego hominem eſſe animal rationale,quam eſſe riſibilem & probatur iſtud,per illud. ergo eodem modo in fide prius aſſentior primæ veritati reuelanti,quam articulis fidei,& propter illam iſtis per conſequentiam.vide D.Thom.1.parte quæſt.1.articul.8.

D. Thom.

Secundo probatur,ego credo articulis fidei pp hanc rõnem omne reuelatũ à Deo eſt verum.Articuli ſunt reuelati à Deo,ergo &c.ſed antecedens eſt cã cõſequentis, & pp antecedens aſſentior cõſequẽti,ergo in dicta conſequẽtia prius aſſentior artic.fidei in antecedenti poſito,q̃ cõſequẽtię,& pp illud iſti.Præterea ſicut ſe hẽt authoritas humana ad fidẽ acquiſitã,ita diuina ad infuſam ſed authoritas humana eſt mediũ ad credendũ per fidẽ acquiſitam,prius enim credo illi authoritati ergo eodem mõ in fide infuſa.

Maior. *Scotus.*

Oppoſitã ſententiã tenet Maior in 3.d.23.q.9.concl.3. Doct.noſter,ſub.in hac q.ſub littera E,ubi ſcribit Peritos ſcriptorũ aſſentiri immediate omnibus & ſingulis, & non vni pp aliud,de his q̃ traduntur in ſcriptura,imo ſi aliqua ibi tradita probarent̃ ex alijs,non aſſentiret eis, q a ſic probata,ſed cuilibet dicto in Canone aſſentit :non q a probat̃ mõ dicto,ſed ſolũ pp authoritatẽ Dei, rõne cuius aſſentit immediate oĩbus traditis in ſcriptura non vni pp aliud p ſyllogiſticũ diſcurſum,& in fine q.in reſponſione ad vltimũ ſub.littera.N.dicit nos nõ deuenire in credibilibus ad aliq̃ propoſitionẽ primã,& immediatã,licet aliqua ſint talia ſm ſe puta iſta Deus eſt Trinus & vnus.Dicendũ eſt ergo fidẽ nullo mõ mediante diſcurſu elicere ſuos aſſenſus; ſed ſicut viſus.v.g.immediate fertur in obiecta ſua ſub rõne lucidi, ita ẽt fidei habitus in ſua ſub rõne reuelationis vel pp authoritatẽ Dei reuelantis.Ita ꝙ fides immediate, & ſimul,& vnico actu quantũ eſt ex ſe inclinat ad oẽs articulos fidei;i.ꝙ q̃uis per fidẽ credamus artic.fidei per medium.ſ.per primã veritatẽ,reuelantẽ, nõ oportet formare cõſequentiã,ſed vnico actu credimus.atq; ita ſenſiſſe exiſtimo ẽt D.Th.2.2.q.2.art.2.vbi dicit,qđ credere Deo conuenit fidei rõne obiecti formalis, credere in Deũ rõne obiecti materialis;& ibidẽ ad primũ inquit, ꝙ vnico actu iſta credimus,ſed obiectum formale eſt medium quo credimus obiectis reuelatis,ergo ſecundum D.Thomam,credimus medium & articulos fidei vnico actu,& ſimul.

Dubij reſolutio.

D. Thom.

Et probatur ratione eodem modo, lumen eſt medium ad videndum colores, quo veritas prima ad aſſentiẽdum

articulis fidei,ſed viſus ſimul & vnico actu fertur in lumē & colores;ergo fides ſimul & vnico actu fertur in primā veritatem reuelantem,& articulos fidei explicitos.

Secundo probatur,per habitum intellectus æqualiter, & vno actu,aſſentimur primis principiis explicitis,ergo p fidem æqualiter, & vnico actu aſſentimur articulis fidei explicitis,probatur conſequentia:quia ſicut ſe habet intellectus ad prima principia;ita Fides ad articulos fidei : q̄ ſunt principia noſtræ fidei;& Confirmatur per diſcrimen inter fidem,& Theologiam,quod eſt idem.quod inter habitus intellectus,& ſcientiam naturalem vt infra explicabimus,Vnde fides non indiget ratiocinatione, ſed ſolū ꝓpoſitione,& explicatione.Hanc ſent.Doct.noſtri ſub.ſecuti ſunt Capreolus hac.d.quæſt.vnica.artic.3.in reſponſ.ad tertium contra 2.Conclu.Caiet.2.2.qu.1.art.1.& Vega li.9.in Concilium Trident.capitul.3.& reliqui hoc idem vt certum ſupponunt.

Capreolus. Caietan. Vega.

Ad argumenta contrariæ opinionis negamus illum eſſe ſenſum ſententiæ D.Thomæ,non enim loquitur de medio ſyllogiſtico,quod eſt intrinſeca ratio aſſentiendi concluſioni per diſcurſum,ſed de medio formali,quod eſt medium ducens, vel illuminans illa,quibus eſt aſſentiēdum; Nos autem negamus medium ſyllogiſticum non formale, de quo loquitur D.Thomas.

Ad ſecundum reſpondetur,quòd illa conſequentia nihil facit.Sicut ſi quis diceret omne cognitum lumine naturali eſt verum;ſed totum eſſe maius ſua parte eſt cognitū lumine naturali,ergo eſt verum:præmiſſæ nihil faciunt : quia vel termini illius principij ſunt cogniti,vel non,ſi primum aſſentimur illi ſine ratione;ſi ſecundum non aſſentimur illi per rationem,nec alio modo:eodem modo in articulis fidei. Ad tertium nego maiorem. ratio differentiæ eſt , quia fides humana requiſita mediate ſe habet ad authoritatem humanam :quia prius debet videre in illa rōnem credendi;non enim credit cuilibet. fides autem infuſa immediate ſe habet ad authoritatem diuinam. Prima enim veritas reuelans & dicens , Verus eſt articulus fidei; fides immediate inclinat ad illud.

ARTICVLVS II.

Vtrum Deus, & ea quæ reuelantur à Deo pertineant ad fidem vt obiectum materiale fidei.

TItulus huius quæſtionis duo inſimul quærit,primum an Deus ſit obiectum materiale fidei,ſecūdum vtrum omnia quæ reuelantur à Deo pertineant ad fidem;vt obiectum materiale fidei, qđ eſt quærere vtrum fides inclinet ad aſſentiendum reuelatis à Deo ſolum ſpectantibus ad religionem Chriſtianā, & commune bonū,& ſtatum Eccleſiæ ; an etiam inclinet ad aſſentiendum particularibus reuelationibus , vt.v.g.ſi Deus priuatim alicui reuelaret, quòd eſſet in gratia , vel aliquid aliud particulare , vtrum tale reuelatum ſit obiectum fidei materiale,& fides inclinet ad aſſentiendū illi.

Obiectū habitus qđ ſit,& quotuplex.

Pro explicatione harū difficultatum obſer.eſt primo ꝙ obiectū habitus eſt illud circa quod habitus verſatur atq; ita quærere quid ſit obiectum fidei , nihil aliud eſt niſi q̄rere circa quod verſetur fides;obiectum autem habituum duplex eſt materiale,vnum,alterum formale; ſicut etiam potentiæ obiectum circa quod verſatur materiale, & formale eſt.v.g.obiectum potentiæ viſiuæ materiale , eſt res viſa,formale autem eſt ipſe color. hæc diuiſio aliis verbis declarari ſolet dicendo,quòd obiectum eſt duplex alterū vt res ſiue qđ;alterū vt obiectum ſiue quo,obiectū vt res, eſt obiectum materiale, obiectū verū vt quo eſt formale.

Omnis intellectio ſit virtute luminis.

Secundo obſer.eſt ꝙ omnes cauſæ quæ concurrunt ad cognitionem intellectuale in nobis concurrunt in virtute luminis intellectualis,& ita D. Paulus,ad Epheſ. 5. dicit, omnia quę aguntur lumine manifeſtantur,omne.n.quod manifeſtatur lumen eſt.q.d.omne quod intelligitur in virtute luminis intelligitur.v.g.quando intelligimus naturaliter concurrunt duæ cauſæ ad intellectionē:prima eſt cā efficiens,intellectus.ſ.poſſibilis informatus ſpecie intelligibili,hæc cauſa lumen eſt intellectionis , altera cauſa eſt obiectū:quia ab obiecto & potentia paritur notitia; obiectum vero eſt res,quæ intelligitur illuſtrata lumine intellectus agentis.Etenim res intellecta vnita quodammodo, & coordinata lumini intellectus agentis,eſt cauſa obiectiua intellectionis,hæc autem cauſa etiam lumen eſt, & in virtute luminis eſt cauſa intellectionis.

Intelligibilia quædā excedunt proportionem luminis naturalis.

Tertio obſer.eſt.quod ſunt quædam intelligibilia,quæ excedūt proportionem luminis naturalis tam intellectus poſſibilis,quam agentis noſtri ; huiuſmodi ſunt myſteria religionis chriſtianæ,vt quod Deus ſit Trinus & vnus,qđ Verbum Dei ſit incarnatum,& huiuſmodi,vnde ad hoc , ꝙ intellectus noſter habeat aſſenſum circa huiuſmodi intelligibilia ſupernaturalia,indiget duplici lumine , altero in genere cauſæ efficientis correſpondente quidem intellectui poſſibili,& hoc lumen pro iſto ſtatu eſt habitus fidei ſuper naturaliter infuſus,& in ſtatu patriæ cœleſtis eſt lumē gloriæ creatum;Alterum lumen requiritur ad cognoſcendum myſteria ſuper naturalia ex parte cauſę obiectiuæ quod correſpondet lumini intellectus agentis , & hoc lumen ex parte cauſæ obiectiuæ pro ſtatu viæ eſt veritas Dei in dicendo,& in ſtatu patriæ cœleſtis eſt lumē increatum,atque ita intelliguntur illa verba Pſal. 31. In lumine tuo videbimus lumen;quoniam in hac vita lumine, quod eſt habitus fidei credendo,quodammodo videmus primā veritatem in dicendo,quæ etiam eſt lumen,& myſteria religionis Chriſtianæ , quæ ipſa prima veritate in dicendo tanquam quodam lumine illuſtrantur vt credamus. In patria autem in lumine ſupernaturali creato videbimus lumen increatum,quod eſt ipſemet Deus.

Deus eſt veritas.

Quarto obſer.eſt; Quod Deus in diuinis litteris appellatur veritas,ita Ioan.14.dixit Chriſtus Ego ſum veritas,& ad Rom.3.Deus eſt verax.eſt autem Deus non modo veritas,ſed prima veritas:quia prædicata , quæ dicuntur de Deo,ita conueniunt illi,vt Deus dicatur talis per eſſentiā, v.g.ſi Deus dicitur ſapiens,dicitur ſapiens per eſſentiā ; & ſimiliter,qn̄ dr̄ veritas dr̄ ueritas per eſſentiā,in omni aūt genere illud,qđ eſt per eſſentiā tale,eſt primū,& cā aliorū omniū quæ ſunt in illo genere;atq; ita veritas Dei eſt veritas prima,& cauſa omnium veritatum;eſt autem Deus prima veritas connotando tria,primum,ꝙ non ſit veritas prior illa,alias non eſſet prima.ſecundū qđ ſit rō & regula omniū veritatū tertium quod nulla ſit regula ipſius,ſed ſit regula,quæ nec falli poſſit paſſiue, nec fallere actiue.

Duplex eſt prima veritas.

Quinto obſer.eſt ꝙ duplex eſt veritas prima;prima trāſcendetalis,qūo omnis res in quantū hēt eſſe reale extra intellectū dicitur vera,& in hoc genere, & modo veritatis Deus habet primatū:quia ſolus Deus habet eſſe,& neceſſe eſſe,& independens;cætera vero habent eſſe participatum à voluntate diuina,& iō ſecundum iſtum modū congruētiſſime Deus dicitur veritas prima: quia eſt primum eſſe.ſecundo mō veritas conſiſtit in dicendo, per q̄ homines dicuntur veraces;& hæc veritas conſiſtit primo in cōformitate intellectus ad res,quæ intelliguntur, cum.ſ.res intelliguntur quales ſunt & non decipitur in intellectione ipſarū.ſecundo cōſiſtit hæc veritas in adæquatione & cōformitate verborum ad intellectū,ita ꝙ verba concordāt cum eo,quod habemus in intellectu;iſto veroque mō veritatis homo non habet plenè veritatem, ſed eſt mendax. quia cum homines ſint ignari,& habeant intellectum limitatum,non poſſunt intelligere omnes res , quales ipſæ ſunt,& ideo poſſunt decipi homines,& quia inclinati ſumus ad malū,non habemus conformitatem verborum ad intellectum,atque ita communiter homines ſe ipſos inuicem decipiunt.Deus autem quia eſt ſumme ſapiens intelligit omnes res,quales ipſę ſunt;& non pōt decipi;& quia ſumme bonus eſt, nō poteſt velle decipere nos; atq; adeo ſecundum iſtum modum veritatis Deus eſt veritas prima atque ita omni modo Deus eſt prima veritas.

Obiectū materiale eſt duplex

Sexto obſer.eſt,ꝙ obiectum materiale cuiuſcunq; habitus cognoſcendi eſt duplex,alterum qđ ſe tenet vt finis eorum omnium,q̄ pertinent ad talē habitum tamq̄ obiecta materialia,& hoc obiectum dicitur attributionis quoniā ad ipſum reliqua attributionē habent,& cetera omnia dicuntur obiecta materialia minus principalia.

Fideis dupliciter ſumitur. *Athanaſ.*

Septimo obſer.eſt,quod fides interdū ſumitur pro obiecto materiali fidei,ſcilicet pro rebus , quæ creduntur , vt ait Athanaſius in Symbolo fides autem catholica hæc eſt &c.vbi congeriem,atque aggregatum ex omnibus rebus, quæ creduntur a fidelibus,appellauit fidem ; ſecundo ſumitur

mitur

Digitized by Google

mitur fides pro actu credendi vt diximus ſupra.

Diſcrimen inter fidē catholicā, & infuſā.

Octauo obſer. eſt, quòd ſiue fides ſumatur pro obiecto credito, ſiue pro actu credendi, fides catholica quo ad aliquid differt à fide diuina & infuſa; non enim omnis fides diuina ſeu Theologica, eſt fides Catholica, neq; omnia, q̃ fide diuina, ſeu infuſa & Theologica credimus dicenda ſunt ſpectare ad fidem Catholicam; Catholicum Græce idem eſt quod vniuerſale latine, ac propterea illa ſola cēſēda ſunt ſpectare ad fidē Catholicam, quæ reuelata ſunt à Deo ad ſalutem communem omnium, & vt talia omnia ſuo tempore differri ac proponi per Eccleſiam. Alia vero quæ ſunt reuelata à Deo ad peculiarem alicuius conſolationem, vel punitionem, vel perſonas aliquas particulares concernunt non ſpectant ad fidem Catholicam, atq; adeo vt dixi fides Catholica quo ad aliquid differt à fide diuina & infuſa Nam ſi ſumatur pro rebus creditis, tunc fides Catholica ſignificat aggregatum omnium illarum rerū, quæ publice & vniuerſaliter omnibus proponuntur ad credēdum, quia Catholicum vt diximus idem eſt quod vniuerſale. Si vero ſumatur fides ꝑ actu credendi, tunc fides Catholica erit actus fidei non quicumque ſed qui verſatur circa res propoſitas omnibus fidelibus ad credēdum, atq; ita fides Catholica addit ſupra fidem infuſam reſpectum quemdam ad tale obiectum ſcilicet vniuerſaliter propoſitum: nam fides infuſa in ſua ratione tantum importat, qđ ſit à Deo ſpecialiter concurrente, & quod verſetur circa res à Deo reuelatas, fides vero Catholica addit, quod verſetur non ſolum circa res reuelatas, ſed circa res reuelatas, & vniuerſaliter propoſitas. His obſeruatis eſt.

1. Concluſio.

Deus eſt obiectū materiale fidei.

Alex. de Ales. Albertus Magnus. D. Thom. D. Bonau. Ricardus. & Scotus. d. 23. et. 24.

Prima Concluſio. In habitu fidei obiectum materiale attributionis eſt Deus. hæc concluſio eſt cōmunis ſententia omnium Theologorum; eam docet Alex. de Ales. 3. p. quæſtio. 68. in. 7. articul. 6. vbi agens de obiecto fidei quod creditur dicit. Verum increatum, quod eſt Deus eſſe primum, & per ſe obiectum fidei. Albertus Magnus. in. 3. diſtinct. 23. articul. 12. vbi ait primum obiectum fidei, quod creditur eſſe primam veritatē. Diuus Thomas. 2. 2. quæſt. 1. articul. 1. Diuus Bonauentura in 3. diſtinct. 24. articu. 1. quæſt. 2. & 3. Ricardus eadem. diſtinct. articul. 1. quæſt. 1. & cæteri omnes, & probatur. primo ex ſcriptura, quæ non raro declarat, præcipuum obiectum & tamquā Scopū fidei eſſe Deum, vt Marci. 11. Habete fidem Dei. & Ioann. 14. Credite in Deum, & in me credite, & ad Epheſ. 4. vnus dominus, vna fides, vbi Apoſtolus ex vnitate principali obiecti fidei nempe Dei vult intelligi vnam, & eamdem apud omnes oportere eſſe fidem. &c. 1. ad Theſſal. 1. In omni loco fides veſtra, quæ eſt ad Deum profecta eſt. & ad Hebræos. 6. Non rurſus iacentes fundamentum ab operibus mortuis, & fidei ad Deum. & ad Hebræos. 11. Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, &c.

Symbolus Apoſtolorum.

Probatur ſecundo ex Symbolo Apoſtolico, vbi primus fidei articulus numeratur ille. Credo in Deū patrem &c. quia, ſcilicet Deus eſt primarium obiectum fidei, quo reliqua omnia credibilia referuntur.

D. Auguſ. Cyrillus Hieroſoly.

Tertio Probatur ex patribus. Nam Diuus Auguſtinus. lib. 4. de Ciuitate Dei. cap. 20. Ita ſcribit. Fidei primum officium eſt, & maximum, vt in uerum credatur Deum. Cyrillus Hieroſolymitanus Cathecheſi. ſcilicet illuminatorū fides, inquit, in anima celerrimo actu maxima perficit, de Deo ſpeculatur, Deum intuetur; Ita vt qui meretur fide illuminari, & mundi terminos circuit, & ante mundi huius conſumationem iudicium iam videt, & promiſſionum retributionem. Habeas vtque fidem in illum, &c.

Quarto probatur manifeſtiſſima ratione: nam illud eſt primarium & attributionis obiectum habitus cognoſcitiui, atque adeo fidei, ad cuius pleniorem cognitionem referuntur omnia alia, quæ per talem habitum cognoſcūtur, ſed omnia, quæ cognoſcuntur, & creduntur per fidem ſpectant eo, vt pleniorem de ipſo Deo cognitionem habeamus, quo ad eius fieri poteſt in hac vita, ergo Deus eſt obiectum materiale primarium. ſiue attributionis fidei.

2. Concluſio.

Et confirmatur. Deus eſt finis ad quem habent attributionem omnia, quæ credimus ex fide, tale eſt obiectū materiale attributionis, ergo &c. maior patet ex illo dicto Chriſti Ioan. 14. volentis inſinuare ſe eſſe verum Deum. Creditis. inquit, in Deum & in me credite; quaſi dicat. qc quid religioſe creditis, & tenetis referatis ad patrē, pariter ergo referte in me ipſū. Qui ſum idē Deus, cū Deo Patre.

Alex. de Ales. Albertus Magnus. D. Bonau. Ricardus.

Secunda Concluſio. Alia multa pertinent ad habitum Chriſtianæ fidei, tamquam obiecta materialia relata ad Deum: hæc concluſio eſt etiam communis ſententia omnium Theologorum. Alex. de Ales. Alberti Magni. Diui Thomæ Diui Bonauenturæ Ricar. & cæterorum locis citatis. probatur, quia incarnatio, & virtus ſacramentorū, & tota Hyſtoria ſacra, leges, & præcepta ſcripturæ, & quęcumque alia, quæ tenet Eccleſia ab Apoſtolorum traditione; & multa quæ à Conciliis ſacris definiūtur, ſunt etiam obiecta materialia fidei ſupernaturalis. ergo &c.

3. Concluſio.

Tertia Concluſio. Ad fidem Catholicam pertinent illa ſolum, quæ ſunt reuelata à Deo in ſcriptura, probatur, q̃a illa ſolum ſunt vniuerſaliter omnibus propoſita ad credēdū, vt patet ex 8. notabili. ex quo infertur, quod ſi Deus reuelaret alicui, quòd eſſet in gratia, ille talis non tenetur aſſentiri reuelationi ſenſu fidei Catholicæ.

4. Concluſio.

Quarta Concluſio; quicquid à Deo fuerit reuelatum, etiam ſi priuatim reuelatum fuerit eſt obiectum fidei diuinæ, & infuſæ, itaque habitus fidei inclinat ad aſſenſum illius reuelationis. probatur concluſio. Quia ſi Deus alicui reuelaret priuatim, quod eſſet in gratia, talis homo teneretur aſſentiri Deo reuelanti, & ille aſſenſus eſt aſſenſus fidei, ergo &c. min. patet quia eſt aſſenſus certus & obſcurus procedens à lumine ſupernaturali, ergo &c. Confirmatur: quia niſi talis aſſentiretur Deo in caſu poſito eſſet infidelis, & amitteret fidem, ergo fides infuſa, & diuina inclinat ad aſſentiendum illi reuelato: probatur antecedens: quia in euentu poſito ille talis nō poſſet diſſentire Deo niſi iudicando, vel quod Deus eſt mendax, vel quod non tenetur aſſentiri Deo reuelanti, ſed vtrumque horum eſt hæreſis, ergo qui ſic iudicaret amitteret fidem. Secundo probatur, ille cui facta eſt priuata reuelatio tenetur credere, vel ergo per fidem infuſam, ſcilicet, diuinam, vel per fidē acquiſitam, & humanam: non per fidem humanam, quia talis fides nō reddit hominem certum ſe non poſſe falli in tale aſſenſu, ergo debet credere fide diuina, & ſupernaturali. Tertio probatur, habitus fidei infuſæ ex natura ſua inclinat intellectum ad aſſenſum earum rerum, quæ à Deo reuelantur, dummodo notum ſit, quòd à Deo reuelantur, ſed ſicut ego ſum certus, quòd articuli reuelati ſunt a Deo, ex eo quod Eccleſia illos proponit tanquam à Deo reuelatos, ita ille cui eſt facta priuatim reuelatio, ipſamet reuelatione fit certus Deū eſſe, q̃ id reuelat, ergo habitus fidei non minus inclinabit ad aſſenſum huius priuatæ reuelationis, quam ad aſſenſum articulorum: hanc concluſionem ita explicatam tenent. Vega lib. 9. ſuper Concilium, c. 3. & Catharinus in tractatu de certitudine gratiæ.

Vega. Catharin. Caietan. Cano.

Sed contrarium huius concluſionis defendunt Caiet. 2. 2. q. 1. art. 1. & Cano. lib. 12. de locis, cap. 3. & primo ex illo Iſaiæ 48. Ego Dominus docens vtilia, & gubernans te in via, qua ambulas, ſed vtilia ſunt, quę ſpectant ad cōmune bonum, ergo ad iſta ſolum inclinat fides. Secundo ex illo, 2. ad Timotheum 3. vbi ait D. Paulus omnis ſcriptura diuinitus reuelata vtilis eſt ad docēdum, ad arguēdum, & corripiendum, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus, & ad Epheſ. 4. loquens de Spiritu ſancto, & de diuiſione gratiarum dicit, ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas in conſumatione ſanctorum. Item probatur ex D. Auguſtino in Enchiridio. cap. 8. dicente, quòd fides non verſatur circa omnia quæ non videntur, ſed ſolum circa illa, quæ pertinent ad religionem. Probatur etiam ratione, fides infuſa & Chriſtiana, de qua loquimur, & fides Catholica habet pro obiecto id ſolum, quod Catholicè, ſ. vniuerſaliter proponitur credendum, vt à Deo reuelatum, ergo fides infuſa, & Chriſtiana ad iſta ſolum inclinat, & non ad quodcunque reuelatum à Deo priuatim.

D. Auguſ.

Cęterum hæc non infirmant noſtram concluſionem, Nam illa ſcriptura, & D. Auguſtini teſtimonia tantum probant, quod ea, quæ Deus reuelauit in ſcriptura conducunt Eccleſiæ, & quod omnia, quæ Deus reuelat ſunt vtilia, quod libenter concedimus. Ad rationem reſpondetur quod vt diximus fides Catholica, & infuſa non ſunt penitus idem, ſed differunt quadam ratione ex parte obiecti.

Quinta concluſio. Fides infuſa & fides catholica tantū

ſunt vnus numero habitus inclinans in omnia, quę à Deo reuelantur, ſiue publicè ſiue priuatim ſint propoſita ad credendum, cæterum cum ille habitus exit in actum, erga res reuelatas, & publice propoſitas, talis actus ratione obiecti vniuerſalis dicitur fides catholica, cum autem exit in actum erga res reuelatas priuatim alicui, ille actus nõ eſt fides catholica, ſed tantum fides diuina, & infuſa: atq; hæc ſint dicta de obiecto materiali.

ARTICVLVS III.

Vtrum Deitas ſit obiectum formale fidei.

De hac re multiplex eſt opinio. Prima eſt, quam refert, & reijcit Duran. hac d. q. 1. qui aſſerit Deum eſſe obiectum fidei & hoc verum eſt & ſm rõnem formalem eſſe non viſum, & in hoc refellitur hæc opinio. Fundatur autem hæc opinio in illo Diui Pauli ad Hebræos vndecimo, fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparentium: ergo Deus ſub ratione non viſi, vel non apparentis eſt obiectum fidei. &

Baſſolus. D. Thom. Confirmatur ex D. Thom. ſecunda, ſecundæ, quæſtione prima, articulo ſexto, dicente non viſum pertenere, ad rationem formalem obiecti; vide Baſſolum hac, dicta q. 1.

Hæc ſententia non eſt tenenda; quia obiectum formale cuiuslibet habitus realis oportet eſſe aliquod poſitiuum, cum ſit ratio cognoſcendi; ſed non viſum eſt ratio negatiua, vel priuatiua; ergo ratio non viſi non poteſt eſſe ratio formalis obiectiua fidei: alias tres rationes format Durandus contra hanc ſententiam, quas vide ibi. Ad illud quod adducitur ex Apoſt. & ex D. Tho-

Caietanus ma, dicendum eſt cum Caietan. quod non viſum non eſt ratio formalis, ſed conditio obiecti fidei, ita quòd ſicut neceſſarium eſt conditio intrinſeca obiecti ſcientiæ & contingens eſt conditio intrinſeca obiecti opinionis; ita non viſum eſt conditio intrinſeca obiecti fidei, quamuis hęc diuerſimode ſe habeant: quia neceſſarium eſſe, & contingens eſſe in obiectis ſcientiæ & opinionis ſumuntur ex rebus ipſis; at vero non viſum eſſe in obiecto fidei ſumitur in obiecto in ordine ad nos, ita quod quemadmodum, dum quiſpiam habet opinionem de propoſitione neceſſaria, & ſcibile, illa propoſitio eſt contingens in opinante, contingẽtia, quæ erit in obiecto non ex parte obiecti vt res eſt, ſed ex modo quo apprehenditur ab opinante, ita ſimiliter res diuinæ, quæ creduntur à nobis, ſecundum ſe ipſas viſibiles ſunt, tamen ex modo, quo apprehendũtur à nobis pro hoc ſtatu, ſunt inuiſibiles, & ſic inducunt illam rationem nõ viſi, vt poſſint eſſe obiectum fidei.

Secunda opinio eſt Caietani, ſecunda; ſecundæ, quæſtione prima, articulo primo, qui aſſerit idem eſſe dicere Deum ſub ratione Deitatis & ſub ratione primæ veritatis eſſe obiectum fidei: explicat autem Caietan. ſuam ſententiam hoc modo, Deus eſt verus, & verax: verus; quia vere eſt: i. quia vere habet naturam diuinam; ſicut lapis dicitur verus lapis, veritate tranſcendentali, que conuertitur cum ente: eſt etiam verax; quia neque fallere, neque falli poteſt. Eſſe verum primo modo nihil aliud eſt, quam eſſe Deum: quia illa veritas tranſcendentalis nihil addit ſupra ens: Deum autem eſſe veracem nihil aliud eſt, quam omnia intelligere, ex quo ſequitur, quòd falli non poteſt, & omnibus bene velle, ex quo ſequitur quod neminem decipit; hæc autem duo, ſcilicet, omnia intelligere, & omnibus bene velle competunt Deo, quatenus Deus eſt. His poſitis ſic probat Caieta. ſuam ſententiam: Deum eſſe veracem nihil aliud eſt, quam habere naturam intelligentem omnia, & neminem decipientem, ſcilicet, habere naturam diuinam, ergo ſi Deus eſt obiectum formale fidei; quatenus verax eſt, vt ait, S. Thomas, eſt obiectum formale quatenus Deus. Et hãc exiſtimat Caiet. eſſe ſententiam D. Thomæ.

Cæterum pauciſſimi Thomiſtę conſentiunt cum illo, neque in ſua ſententia, neque in hoc, quod ſit D. Thomę: quia quamuis bonitas diuina realiter ſit Deitas, nihilominus non dicimus Deum ſub ratione Deitatis eſſe obiectum charitatis, ſed ſub ratione bonitatis propter diſtinctionem, ſiue formalem, ſiue rationis ratiocinatæ, quæ eſt inter bonitatem, & deitatem, eodem modo quamuis veritas prima ſit in natura diuina idem realiter, tamen propter eandem diſtinctionem, non eſt aſſerẽdum, quod Deus ſub ratione deitatis ſit obiectum fidei: quia eſt ſub ratione primæ veritatis. Et confirmatur, quia ſi per impoſſibile: Deus non eſſet prima veritas, ſed aliquid à Deo realiter diſtinctum eſſet prima veritas, ad talem primam veritatem fieret vltima fidei reſolutio, & non ad Deum: ergo &c.

Tertia opinio, quæ tribuitur Durando, hac d. quæſt. 1. & Gregor. Arimin. in prologo, quæſt. 4. artic. ſecundo, & Aureolo in prologo primo, ſentent. firmat obiectum formale noſtrę fidei eſſe Deum ſub ratione Deitatis, & probatur primo hæc ſententia. *Durandus Gregor. de Arimin. Aureol.* Reſolutio in vnaquaque ſcientia fit in rationem formalem obiecti: vt in ſcientia de homine reſolutio omnium concluſionum fit ad rationale, quæ ratio formalis hominis eſt, ſed vltima reſolutio fidei fit ad Deitatem, ergo Deitas eſt ratio formalis obiecti fidei: minor probatur: nam roganti cur credis Deum eſſe Trinum, & Vnum: reſpondendum eſt, quia prima veritas hoc reuelauit, interroganti, autem, vnde habet Deus, quod ſit prima veritas reuelans hoc? reſpondendum eſt: quia eſt Deus. & ibi ſtandum eſt, ergo Deitas eſt, ad quam fit vltima reſolutio noſtræ fidei, & per conſequens Deitas eſt ratio formalis obiecti fidei. Secundo probatur, quia fidei, quam habemus in via reſpondet viſio in patria, iuxta illud. 1. Corint. 13. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem ſed in beatitudine obiectum viſionis eſt Deus ſub ratione Deitatis; ergo ſimiliter obiectũ fidei eſt Deus ſub ratione Deitatis. Tertio probatur. Idem eſt obiectum fidei, & ſcientiæ Theologiæ. ſed Theologiæ obiectũ eſt Deus ſub ratione Deitatis, ergo fidei eſt etiam ſub ratione Deitatis. minor eſt vera fere apud oẽs. probatur maior; quia Idem eſt obiectum principiorum, & concluſionum, articuli autem fidei ſunt principia ſcientiæ Theologiæ; ergo idẽ dẽt eſſe obiectũ fidei, quod eſt Theologiæ.

Hæc opinio etiam reijcitur à multis maxime à Thomiſtis, & pro illius refutatione, & rationum ſolutione notãt, quod aliud eſt quærere à quo res habet vt ſit talis; aliud vero à quo credatur talis. v. g. quòd Roma ſit cauſa fuit Romulus, qui illam condidit, ſed quod ego credam Romam eſſe, cauſa eſt teſtimonium multorum. eodem modo quòd Deus ſit Trinus & vnus, & huiuſmodi; vt in ſcriptura dicitur; ratio formalis eſt ſua diuinitas. Quod autẽ à nobis credatur talis non eſt ſua diuinitas, ſed quia prima veritas, quæ falli, aut fallere non poteſt, ita reuelauit.

Vnde ad primam rationem reſpondetur concedendo maiorem, & negando minorem, videlicet quod vltima fidei reſolutio fiat in Deitatem, ſed fit in id, quod eſt nobis ratio credẽdi quod Deus eſt, qualis eſſe dicitur in ſcriptura, quamuis illud non ſit ratio, quod Deus ſit talis. atq; ita poſtquã fidelis reſpõderit interroganti. Quare credit Deũ eſſe Trinum, & vnum, quod ideo credit, quia prima veritas ſic dicit, ſi rurſus interrogetur vnde ſciat Deum eſſe primam veritatem, & etiã vnde habet, Deus ꝙ ſit prima veritas, huic interrogationi bene poteſt reſpõderi: quia eſt Deus. ſed hæc interrogatio non quærit cauſam, quare credamus Deum eſſe Trinum, & vnum, atque ita non pertinet ad fidei reſolutionem. Si autẽ interrogaretur, cur credat primæ veritati, hæc quidem interrogatio pertinet ad fidei reſolutionem, eſt tamen ſtulta: nam notiſſimum eſt, & manifeſtum credendum eſſe primæ veritati, neque huius rei alia reddi poteſt ratio, & ita conſtat, quod vltima ratio credendi non eſt Deitas, ſed prima veritas.

Ad ſecundum reſpondetur verum eſſe, quòd fidei ſuccedit viſio, & non infertur ergo habent idem obiectum, diſtinguendum eſt conſequens, Idem materiale verum eſt, nam fides, & viſio tendunt in Deum, non tamen ſub eadem ratione formali.

Ad vltimum reſpondetur primo, vt quidam Thomiſtæ reſpondent, concedendo maiorem, videlicet idem eſſe obiectum fidei, & Theologiæ, non ſolum materiale, ſed etiam formale, & negatur minor ſcilicet ꝙ Deus ſub ratione Deitatis ſit obiectum Theologiæ, & quando probatur ex Diuo Thoma. 1. part. quæſt. 1. articul. 7. Reſpondent, quòd Diuus Thom. in illo articul. non agit de obiecto

obiecto Theologiæ, ſed tantum intendit ibi tractare de obiecto materiali Sacræ Doctrinæ, de obiecto inquam non quatenus obiectum eſt, ſed quatenus res eſt obiecta. ideſt non de ratione formali in genere ſcibilis, vel credibilis, ſed de ratione formali rei in genere rei: concurrunt enim iſtæ duæ rationes in obiecto cuiuſcumque ſcientiæ tamquam neceſſario concomitatiue ſe habentes, ſicut lumen, & color in obiecto viſus. obiectum enim viſus eſt color terminatiue, illuminatus, vt colligitur ex Ariſt. lib. de ſenſu, & ſenſato. capitulo tertio, & ſimiliter cuiuslibet habitus cognoſcendi eſt illa duplex ratio in obiecto, altera in genere cognoſcibilis, & altera in genere rei. Et quia Doctores temporis Sancti Thomæ diuerſimode ſentiebant de obiecto fidei, & Theologiæ, vt res eſt; quidam aſſerentes eſſe res, & ſigna; alij eſſe actus meritorios, & alii Chriſtum, Sanctus Thomas dixit quod eſt Deus ſub ratione Deitatis.

Alij Thomiſtæ reſpondent negando maiorem, & ad authoritatem Diui Thomæ dicunt, quòd Sanctus Thomas locutus eſt de obiecto, quod, & principali: nam omnia, quæ vel creduntur per fidem, vel docentur per Theologiam; vel ſunt attributa Dei, vel pertinent ad Deum aliqua ratione, atque ita in obiecto quod, conueniunt fides, & Theologia, ſed differunt in obiecto quo, & ratione formali; nam eidem rei v.g. huic propoſitioni. Deus eſt ſapiens aliam rationem inducit fides ad aſſentiendum illi, & aliã Theologia: nam fides inducit ad aſſenſum illius vtens teſtimonio, & authoritate primę veritatis. Theologia vero rõne ſumpta ex ipſa natura rei.

D. Thom. Ioan. Maior.

Quarta opinio eſt Diui Thomæ 2. 2. quæſtio. 1. articul. 1. & Ioann. Maioris, & eſt communis ſententia, quæ aſſerit quod prima veritas, vt eſt veritas in dicendo eſt obiectum formale fidei. Hæc ſententia diuerſimode probatur à Thomiſtis; Qui enim tenent Deum eſſe obiectum fidei, & Theologiæ, ſic probant illam, Idem eſt obiectum formale habitus principiorum, & ipſius habitus ſcientiæ in omni diſciplina; ſed in diſciplina ſacra fides eſt habitus principiorum; Theologia vero eſt habitus ſcientiæ, ergo idem eſt obiectum formale reſpectu vtriuſq; conſequentia eſt bona. Minor (inquiunt iſti) eſt Sancti Thomæ. 1. parte quæſtio. prima articu. ſecundo. Maior declaratur hoc exemplo. In omni ſcientia naturali lumen naturale rationis, eſt obiectum formale, quod illuſtrat prima principia, vt illis aſſentiamur; & idem lumen naturale rationis per prima principia deriuatur ad concluſiones, ergo in ſcientijs naturalibus idem eſt obiectum formale principiorum, & concluſionum; ergo etiam ſimiliter in diſciplina ſacra lumen primæ veritatis in dicendo, eſt obiectum formale fidei, & concluſionum ipſius Sacræ Theologiæ.

Alij Thomiſtæ ſic probant. Veritas prima vt eſt veritas in dicendo, eſt ratio in quam tota reſolutio fidei diuinæ fit: nam ſi rogemus, quare aliquis credat Deum eſſe Trinum, & Vnum, aptiſſime reſpondebit, quia veritas diuina ideſt prima veritas dicit, ſi vero vltra interrogetur, quare credat ei, quia eſt veritas prima in dicendo, nihil amplius reſtat reſpondere; cum enim veritas prima in dicendo neque fallere, neque falli poſſit, licet per impoſſibile non eſſet Deus adhuc eſſet ratio formalis aſſentiendi credius infallibiliter: ergo tota ratio fidei noſtræ eſt veritas prima in dicendo, cuius authoritate mouemur ad credendum. Secundo probatur fides, & charitas habent Deum pro obiecto, & diſtinguuntur ex diuerſa ratione, quia tendunt in Deum, ſed charitas tendit in Deum, quatenus eſt bonus, ergo fides tendit in illum quatenus eſt verus.

Pro explicatione huius difficultatis obſeruan eſt, quòd obiectum formale vel ratio formalis obiecti alicuius habitus vel potentiæ duplex eſt, altera quæ ſe tenet ex parte obiecti vt res eſt; Altera vero quæ ſe tenet ex parte obiecti vt obiectum eſt, hoc eſt, vt perceptibile eſt à potentia vel habitu, cuius eſt; & hæc ratio ſe tenet etiam ex parte potentiæ, verbi gratia ratio formalis obiecti viſus eſt color, omne enim quod videtur ſub ratione coloris videtur, alia vero eſt ratio formalis, quæ ſe tenet ex parte potentiæ viſiuæ, ſcilicet lumen; non enim poteſt oculus videre colorem niſi mediante lumine; eodem modo in ſcientia, alia eſt ratio formalis, quæ ſe tenet ex parte obiecti vt res eſt, quæ eſt definitio ſubiecti, & medium demonſtrationis, altera vero, quæ ſe tenet ex parte potentię & eſt ratio ſub qua potẽtia obiectũ cognoſcit. v.g. ratio formalis obiecti Phyſicæ vt res eſt, & ex parte obiecti, eſt naturalitas corporis; ratio vero formalis, quæ ſe tenet ex parte potentiæ eſt abſtractio a materia ſingulari. Similiter Methaphyſice ens vt ens eſt, eſt ſubiectum, ita quòd veritas eſt ratio formalis, quæ ſe tenet ex parte obiecti, ſed abſtractio ab omni materia eſt ratio formalis, quæ ſe tenet ex parte potentiæ; non quod potentia conſideret ens abſtractum, aut ipſam abſtractionem, ſed quia intellectus conſiderat ex parte ſua abſtrahendo ab omni materia. prior ratio dicitur quæ; ſecunda vero ſub qua; eodem modo in propoſito, fides habet pro obiecto Deum, & hoc loquendo de obiecto materiali, & attributionis & ſub duplici ratione, vna q̃ ſe tenet ex parte obiecti vt res eſt, altera quæ ſe tenet ex parte potentiæ, prior quæ appellatur, ratio quæ, eſt ratio quidditatiua obiecti materialis, ſecunda autem quæ appellatur ſub qua eſt ratio denominatiua: obiecti vt res eſt; quidditatiua vero vt obiectum eſt. v.g. naturalitas eſt ratio quidditatiua corporis mobilis vt res eſt, abſtractio vero à materia ſingulari eſt ratio denominatiua, vt corpus mobile quædã res eſt, quidditatiua vero ipſiuſmet corporis mobilis, vt ſcibile eſt in Phyloſophia naturali; ſub ratione ſecunda debẽt cadere omnia, quæ conſiderantur in illa ſcientia, vt ad talem ſcientiam pertinere dicantur, & ſecundum iſtam accipitur vnitas ſcientiæ ſeu habitus, vt dictum eſt in logica in Comentario. primæ quæſt. vniuerſalium. Doc. ſub.

Ratio formalis obiectiua eſt duplex.

Secundo obſer. eſt, vt ſupra dicebamus. in 2. & 3. notabili articuli præcedentis omnes cauſæ, quæ concurrunt ad cognitionem intellectualem in nobis concurrunt virtute luminis intellectualis & quia ad ſuper naturalià non ſufficit lumen naturale tam ex parte intellectus poſſibilis quàm argentis, ideo ex vtraque parte indigemus lumine ſuper naturali, ex parte quidem intellectus poſſibilis eſt habitus fidei, ex parte vero intellectus agentis, vt illuſtretur obiectum cognoſcendum, datur nobis pro hoc ſtatu veritas Dei in dicendo, ſeu teſtimonium Dei, quod eſt lumen ſuper naturale reddens obiectum fidei cognoſcibile per ipſam fidem.

Tertio obſer. eſt, quòd ſicut diuerſa ratio formalis obiecti, vt quæ ſeu vt res eſt, conſtituit diuerſum ens in genere entis, ita diuerſa ratio formalis ſub qua cõſtituit diuerſitatem ſcibilis in genere ſcibilis, vnde prouenit, quod eadem res in genere rei, pertineat ad diuerſa genera in genere ſcibilis, atque ita ad diuerſos habitus cognoſcendi; & etiam diuerſa entia in genere entis pertineant ad idẽ genus in genere ſcibilis; quia omnia continentur ſub eadẽ ratione ſub qua: & quia ratio formalis ſub qua, & lumẽ illud, quod ſe habet ex parte obiecti illuſtrati idem pollent, hinc eſt quòd ſicut ſunt diuerſa genera ſcibilis ſecundum diuerſas rationes ſub quibus, ita etiam ſunt diuerſa ſcibilia ſub diuerſa lumina. v.g. aliud eſt ſcibile per lumen phyſicum, aliud per lumen Methaphyſicum, & aliud per lumen diuinum.

Diuerſa ratio ſub qua conſtituit diuerſum genus ſcibile.

Quarto obſer. eſt quòd ratio formalis, vt quæ, obiecti fidei eſt Deitas: quia cum Deitas ſit ratio quidditatiua Dei, vt Deus eſt habitus cognoſcitiuus, de Deo nõ poteſt non habere Deum ſub ratione Deitatis pro obiecto, vt res eſt, & quia lumen quo illum cognoſcimus eſt diuinum. ſ. diuinum teſtimonium, hinc eſt quòd ratio formalis ſub qua obiecti fidei eſt prima veritas in dicẽdo. fidelis enim credibilibus aſſentit, quatenus per diuinam reuelationem ſibi innoteſcunt, atque ita vna eſt ratio formalis, quæ ſe tenet ex parte obiecti vt res eſt, quæ eſt Deitas, & altera, quæ ſe tenet ex parte potentiæ, quæ eſt diuina reuelatio, aut prima veritas in dicendo.

Ratio formalis vt quæ fidei obiecti eſt Deitas.

Quinto obſer. eſt, quòd in obiectis ſcientiarum ratio in quam ſit reſolutio eorum, quæ cognoſcuntur in illa ſcientia eſt ratio formalis, vt quæ; eo quòd obiectum in ſe ipſo cognoſcitur à tali ſcientia. In fide autem: quia obiectum non percipitur in ſe, ſed in teſtificante, ideo veritas teſtificantis, eſt veluti ratio mediatiua, & reſolutiua, ad q̃ reſoluuntur, quæ continentur ſub fide, hoc apparet in fide humana, in qua teſtimonium dicentis mihi Romam

Ad quid fiat reſolutio in ſciẽtia, & in fide.

Digitized by Google

v.g. eſſe talem, vel talem Ciuitatem eſt mediũ deſeruiens, & ſuplens vicem ipſius Romæ in ſe, ita vt illa, quæ cognoſcerem per rationem Romæ, cognoſco per teſtimonium dicentis; & ſimiliter in fide diuina, illa, quæ cognoſcerem ſi eſſet mihi præſens clare ipſa diuinitas, cognoſco per teſtimonium Dei reuelantis. Eſt tamen diſcrimen in hoc inter fidem diuinam, & humanã, quòd in fide humana cõtingere poteſt, quòd veritas teſtificãtis, vel ipſe teſtificãs ſit res diſtincta à re quam teſtificat. In fide autem diuina veritas dicentis, eſt ipſemet Deus ſe per ſuum teſtimonium veriſſimum manifeſtans. Et ex hoc ſequitur manifeſte, quod in fide diuina ratio formalis ſub qua, quæ eſt veritas prima in dicendo, ſit quodammodo ratio; vt quæ, quia gerit vices rationis, vt quæ; fides enim vtitur Deo tamquam dicente, ſeu teſtificante, vt medio cognoſcendi Deum, ac proinde cum hoc teſtimoniũ ſit primæ veritatis (teſtimonium, enim innititur primę veritati, ſeu teſtificanti, vt verus eſt) hinc eſt, quod ſicut cognitio ſcientię reſoluitur in rationem formalẽ obiecti, vt res eſt; ita fidei cognitio reſoluitur in primam rationem credendi, quæ eſt veritas prima Dei reuelantis.

1. Concluſio.

His obſeruatis pono duas concluſiones. Prima Concluſio, Deus ſub ratione Deitatis eſt obiectum formalę fidei, loquendo de ratione formali, vt quę, vt dicebat tertia opinio, quę in hoc ſenſu veriſſima eſt, atque tenenda, hanc concluſionem puto eſſe de mente D. Thom. 1. p. qu. 1. art. 7. & 2.2. q. 1. art. 1. & eſt abſque dubio Scoti. q. 3. prologi. & hac diſt. & præcedenti: & illam probant optimè rationes factæ pro illa, atq; ita intelligendus eſt Baſſolus hac. d. q. 1. art. 1. eam etiam docẽt omnes Doctores Scholaſtici, quos citauimus in ſuperiori art. concl. 1. Vide etiã Molinam. p. 1. q. 1. art. 7. diſp. 1.

2. Concluſio.
Alexa. de Ales.
Albertus.
D. Thom.
D. Bonau.
Ricardus.

Secunda Concluſio obiectum formale quo, ſeu ratio formalis ſub qua obiecti fidei, eſt prima & ſumma veritas Dei reuelantis ea, quæ creduntur: ita docent Alex. de Ales 3. p. q. 68. m. 4. Albertus Magnus in 3. d. 23. art. 7. & 12. D. Thomas 2.2. q. 1. art. 1. D. Bona. hac d. art. 1. q. 2. & 3. Ricard. eadem d. art. 1. q. 1. obſeruandum eſt tamen, ꝙ dupliciter accipi poteſt nomen primæ veritatis, primo, vt eo nomine intelligatur ipſa Dei entitas, vel ipſa. Deitas, vt eſt veritas per eſſentiã, i. quod poteſt terminare intellectum verum; ſecundo modo poteſt intelligi ipſa diuina reuelatio infallibilis, ſeu quod idem eſt Deus vt infallibiliter reuelans immediate veritatem aliquam. Hęc cõcluſio non in prima ſed in ſecunda ſignificatione intelligenda eſt, ita tamen, quod ipſa diuina reuelatio licet ex parte obiecti ſit ratio immediata à qua fideles mouentur ad aſſentiendum per fidem rebus reuelatis, ipſa tamẽ per aſſenſum nõ attingitur, ſed res reuelata proxime, atq; adeo dici poſſet reuelationem diuinam eſſe obiectum formale fidei, quomodo medium demonſtrationis eſt obiectũ formale, vt. ſ. ratio mouens ad aſſentiendum concluſioni, ita reuelatio eſt ratio ex parte obiecti vt obiectum eſt & medium ad aſſentiendum, mouens, & inducens, ſed non aſſenſum terminans, non aliter ac lumen ſolet dici à pleriſq; obiectum formale, eius notitiæ, qua color videtur non ex eo tamen quod terminet notitiam coloris, ſed qđ ſit ratio ex parte obiecti quatenus viſibile eſt, vt eo mediante colores percipiantur. & in hoc ſenſu intellecta cõ-

Scotus.

cluſio veriſſima eſt, atq; tenenda; nec ei contradicit Doc. ſub. vt patet in ſuperiori. d. atq; in iſta. & q. 14. quol. art. 1. & 17. §. contra concluſionem, vbi docet fideles aſſentire fide infuſa credibilibus propter veracitatem Dei reuelantis, &c.

Cęterum illa ratio, qua hæc concluſio à quibuſdam probatur, videlicet, quòd ex eo veritas prima eſt formalis ratio ſub qua, quia in primam veritatem reſoluitur credulitas articulorum licet ſit vera, non tamen probat, quòd veritas prima ſit ratio formalis ſub qua: quia de ratione formali ſub qua non eſt, quod in illam fiat vltima reſolutio cognitionis obiecti; hoc. n. munus, eſt propriũ rationis formalis vt quæ, vt diximus notabili quinto; atq; ita per illam rationem non probatur immediate, quòd veritas prima ſit ratio formalis ſub qua: quia in fide hoc eſt peculiare, quod veritas dicentis ſupleat vicẽ obiecti, vt poſſit cognoſci, & ſic quoad hoc habeat rationem formalis rationis vt quæ; quo ad hoc autem, quod omnia conſiderata ſub illa ratione tantum cognoſcuntur quia. ſ. reuelata ſunt, & dicta à prima veritate, habet veritas prima dicens, aut reuelans quod ſit ratio formalis ſub qua; Vnde in fide ſat eſt probare, quod primæ veritati conueniat eſſe in quam ſit vltima reuelatio credulitatis, vt inde etiam maneat probatum, quod ſit ratio formalis ſub qua.

Opinio Caiet. reijcitur.

Ex his patet, quòd opinio Caie. merito reijcitur ab omnibus Thomiſtis, neque ſuſtineri poteſt: confundit enim has rationes formales; & licet verum ſit; quòd Deitas ſit communis omnium cauſa ad quam omnia reſoluuntur, quia fides ex hoc quod credit, quòd eſt Deus, qui dicit & reuelat res fidei, credit etiam quod ſit veritas prima, & bonitas ſumma, vnde prouenit vt neque falli, neque fallere poſſit, quare fidei reſolutio in diuinitatem videtur eſſe facienda; tamen hoc ſolum probat, quòd nulla alia veritas poteſt eſſe prima, neque bonitas ſumma, niſi ſit realitas ipſa Deitatis. Non autem probat quòd non ſit alia ratio diuinitatis, vt natura Dei eſt, & alia eiuſdem diuinitatis, vt teſtificans, & dicens eſt. Vnde ipſemet Caiet. ait, ꝙ inter cauſas credulitatis veritas eſt ad quã ſtat vltima reſolutio. Credo, namque Deo, quia eſt veritas prima, neq; poteſt amplius quæri, quare credis veritati primæ? Fatua enim eſt talis quæſtio; vndecunq; enim proueniat quòd Deus eſt veritas, ſat eſt ad hoc quòd ipſi credant infallibiliter. Vnde hanc quæſtionem valde confuſe, & parum cõſtanter tractare videtur Caietanus.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum ſcientia ſubalternata poſſit ſimul eſſe cum fide.

D. Thom.

DE hac re fuit opinio D. Thomæ. p. 1. quæſt. 1. articul. 2. dicentis ſcientiam ſubalternatam ſtare poſſe ſimul cum fide, de eiſdẽ credibilibus reuelatis, at non ſcientiam ſubalternantem. ꝑ

Tria requiruntur ad ſcientiam ſubalternantem.

cuius opinionis explicatione obſer. eſt, ad ſcientiam ſubalternatem tria requiri, primum quod cauſetur ex principijs illius ſcientiæ, vt ſcientia, quę habetur de homine, à proprijs principijs hominis cauſatur, itaq; in ea ſcientia non ſunt alia principia priora. v.g. ſcientia huius cõcluſionis omnis hõ eſt riſibilis, cauſatur ab iſtis principijs. omne animal rõnale eſt riſibile, omnis homo eſt animal rationale, quæ cum ſint principia per ſe nota ex euidentia terminorum, non habent principia priora. Secundo requiritur, quòd concluſiones in illa ſcientia demonſtrentur per propter quid, & à priori, per cauſam neceſſariã, & intrinſecam ſubiecti, vt cauſa formalis hominis eſt animal rationale; & animal rationale eſt cauſa à qua pullulat riſibile, & qua homo eſt riſibilis, tertio requiritur, ꝙ euidentia terminorum ſumatur à re, ita quod euidẽter cognoſcantur ex euidẽtia terminorum; & hoc eſt quod vult dicere, Scotus, cum inquit quòd ſcientia ſubalternans ha-

Scotus.

bet principia immediata, & prima, quę non habent reſolui niſi in terminos ſimplices notos ex euidentia rei in ſe, atque ita eiuſmodi principia ſunt nota propter quid ex terminis ex euidentia rei.

Scientiæ ſubalternatæ cõditiones.

Secundo obſer. eſt, quòd etiam ad ſcientiam ſubalternatam tria requiruntur. primum quòd ſubiectum ſubalternatę contineatur ſub ſubiecto ſubalternantis; ſecundo ꝙ ſubiectum ſubalternatę addat differentiam accidẽtalem ſupra ſubiectum ſcientię ſubalternantis; quod patet in Arimetica, & Muſica, perſpectiua, et Geometria illius, n. ſubiectum eſt numerus, iſtius vero numerus ſonorus. Geometrię ſubiectum eſt linea, perſpectiuę linea viſualis quæ ſunt differentiæ accidentales. tertio quod principia ſcientię ſubalternatę, ſint concluſiones ſcientię ſubalternantis, Et ex his ſequuntur alię proprietates, prima, quod ſubalternãs dicat propter quid principiorum, ſubalternata vero quia. ſecundo quòd ſcientia ſubalternãs procedat ex principijs per ſe notis in ſe ipſa, ſubalternata vero ex principijs per ſe notis in ſubalternante. atque adeo principia ſubalternatę non reſoluuntur immediate in terminos ſed in priores propoſitiones: quia principia ſubalternatæ ſunt concluſiones ſubalternantis. ex hac ſequitur quinta

pro-

Digitized by Google

proprietas,ſcilicet quod ſcientia ſubalternata non eſt ſciẽtia propter quid: quia non eſt per cauſam immediatam, habet,enim cauſam priorem,ſed eſt per cauſam remotam atque adeo principia ſcientię ſubalernatæ non habent immediate euidentiam à te.i.exterminis,ſed à prioribus propoſitionibus ſcientię ſubalternantis. Et hoc eſt quod vult dicere Scotus cum inquit,ſcientia autem ſubalternata nõ habet principia immediata,et prima reſolubilia immediate interminos ſimplices notos ex euidentia rei;& ideo nõ ſunt nota propter quid inſcientia illa,ſed in ſubalternante in qua ſunt concluſiones demonſtratæ, & ideo ſcientia ſubalternata accipit principia ſua,à ſcientia ſubalternante,& ſupponit ea eſſe vera, & ſunt nota ſibi non pp quid; ſed quia vt nos etiam explicauimus diffuſe primo poſt. lectione.22.parte.2.quarta proprietas eſt, quod ſi aliquis vellet gradum facere ab vna in alteram in ſubalternis vbi deſinit vnus,ibi incipit alius;nam vbi deſinit phyſicus, ibi incipit Medicus. Vltima proprietas eſt quòd ſubalternãs & ſubalternata poſſint eſſe ſimul in eodem ſubiecto, ſeu intellectu,quoniã vna dicit quia,altera vero propter q.d.

Scotus.

1. Concluſio.

His explicatis ex ſententia D. Thomæ ponuntur duæ Concluſiones. Prima Concluſio. Scientia ſubalternãs, & fides de eodem obiecto,& in eodem intellectu ſunt incompoſſibiles. hæc Concluſio eſt manifeſta quia in intellectu Beati eſt ſcientia de credibilibus, nimirum de his, quæ nos credimus, de quibus Beatus non habet fidem, Tum quia fidei ſuccedit viſio, Tum quia *Beatus* ea cognoſcit propter quid.

2. Concluſio.

Secunda Concluſio. Scientia ſubalternata & fides poſſunt eſſe de eodem obiecto,& in eodem intellectu ſimul, qualis eſt Theologia noſtra, quæ ſubalternatur Theologiæ Beatorum. Probatur Concluſio & primo ſic.

Scientia ſubalternata ſub ea ratione qua ſubalternata eſt,eſt proprie,& vere ſcientia, ſed in quantum ſubalternata non habet principia ſibi nota ex euidentia rei, & propter quid,quia ea ſupponit probata in ſuperiori ſciẽtia,a qua ſua etiam principia accipit;ergo ſtare poteſt vera ratio ſcientiæ ſine euidentia principiorum in ipſa,quãuis ea ſupponat & credat ipſa. ergo Theologia noſtra, quæ eſt ſcientia ſubalternata Theologiæ Beatorum eſt vera ſcientia, quamuis credibilia,quæ ſunt principia eius ſint ſuppoſita,& minime nota ex euidentia rei, atq; ita Theologia noſtra,quæ eſt vera ſcientia ſtat ſimul cum fide de eodem obiecto.

Præterea ſecundo, Perſpectiua ſub ſua propria ratione formali eſt vere ſcientia, ergo perſpectiuus in quantũ talis eſt verè,& proprie ſciens a ſcientia perſpectiua. Sed poteſt eſſe aliquis perſpectiuus circunſcripta Geometria, (ex quo.n.ſunt habitus diſtincte non ſunt neceſſario connexi in eodem) ergo aliquis poteſt habere ſcientiam perſpectiuam,non habendo Geometriam, & tamen principia perſpectiuæ non ſunt nota in ipſa propter quid ex euidentia rei,ſed in Geometria à qua accipit ſua principia,ex quibus ſuppoſiris,& creditis deducit ſuas concluſiones,& generatur in eo ſcientia perſpectiua à qua denominatur ſciens. Igitur eodem modo poteſt aliquis habere Theologiam,quamuis ſupponat principia ſua,& accipiat ea, à ſcientia Beatorum, & non ſint nota in ea ex euidentia terminorum & propter quid,ſed tantum quia, & credita,& ſuppoſita;& ex eis poſſunt deduci Concluſiones ex quibus habetur ſcientia ſubalternata, atq; adeo ſimul ſtant fides,& ſcientia de eodem, & hoc in intellectu viatoris.

Ariſt.

Item tertio. Si Ariſt.exquirit ad rationem ſcientiæ euidentiam,cauſa eſt ob certitudinem aſſenſus, ſed aſſenſus Theologiæ eſt certior, quam euidentia rei; ergo Theologia noſtra eſt vere ſcientia,atq; cum ea ſtat ſides de eodem ergo &c. Maior. patet.6.Ethy.c.4.vbi ita ſcribit Philoſophus.cum.n. aliqualiter cognita ſunt & credita ipſa principia ſcit. Vel ſic.Cum.n. fidem quodammodo adhibet quis,& principia ſibi nota ſunt,ſcit. & Comm.ibi inquit.Quando igitur contingit alicui credulitas rei alicuius,& fuerint principia prima illius rei nota apud ipſum, tunc iam contingit eis ſcientia illius rei. Sufficit ergo ex ſententia Ariſt.& Auer.habere aliquam cognitionem de principijs ad hoc,quod aliquis ſciat,& ſcientiam acquirat deducendo concluſionem ex ipſis.

Auerroes

Auerroes

Deinde quarto.Commentator.1.Poſt.tex.c.6. videtur aſſerere ad habendam ſcientiam ſufficere inductionem, quæ à ſingularibus ad vniuerſale procedit, & cognitis ſic principijs vniuerſalib. ex inductione ex neceſſitate ſequitur ſcientia,& dicit ꝙ hæc ſcientia ſic habita eſt alterius modi à ſcientia,quę habetur per ſyllogiſmũ, & demõſtrationem,ſufficit,enim ad ſcientiã habendam,quod principia ſint aliqualiter nota,vt,ſcilicet ſint credita & ſuppoſita,& accepta à ſuperiori ſciẽtia in qua ſunt nota, propter quid; ergo cum principia noſtræ Theologiæ aliqualiter nota ſint,& certiora quam id ex quo res per inductionẽ cognoſcitur,erit vere ſcientia, & inuiatore eſt ſimul cum fide de credibilibus reuelatis,ergo ſcientia ſubalternata,et fides poſſunt eſſe ſimul de eodem obiecto.

Reijcitur ſententia. *D.Thom.*

Contra hanc ſententiam arguit Doc.ſub, & primo deducit D.Thom.ad contradictionem:nam D. Thom.2.2. q.1.art.5.vbi ex intentione quærit,an ea, quæ ſunt fidei poſſint eſſe ſcita,dicit quòd fides,& ſcientia non ſtant ſimul.Non eſt autem poſſibile (inquit ipſe) quod idem ab eodem ſit viſum & creditum;at ſi Theologia inquantum eſt ſubalternata ſcientiæ Beatorum eſt vera ſcientia; vt ipſemet docet 1.p.q.1.art.7.& quatenus ſubalternata eſt tantum in intellectu viatoris,& de eiſdem quę per fidem credit,ſequitur manifeſte,quod idẽ ab eodem eſt ſimul viſum,& ſcitum,nec poteſt ſoluere contradictionem:niſi 2.2.loquatur de ſcientia ſubalternante, & non ſubalternata. Nam cum Theologia noſtra,& fides noſtra ſint de eodem obiecto,fieri nequit,quod aliquis vere ſciat hanc concluſionem.Deus eſt Trinus,& Vnus, & quod ſimul de eadem habeat fidem.Cum ergo Theologia noſtra tota ſit reuelata,& ſtet cum fide, & ex altera parte ſecundũ D.Thom. Theologia noſtra eſt vere ſcientia,ergo Theologia noſtra ſtat cum fide,& non ſtat cum fide; ſtat nãq; cũ fide,cũ ſit de articulis reuelatis de quibus eſt fides,non ſtat cum fide cum ſit ſcientia proprie dicta: quę ſecundũ eum non ſtat cum fide.

Huic contradictioni ſic communiter ſolent reſpondere Thomiſtę,quod fides non poteſt ſtare cum ſcientia ſubalternante,vt bene ſtate poteſt cum ſcientia ſubalternata, ſicut eſt Theologia noſtra;& ratio diuerſitatis eſt, quia fides non poteſt ſtare cum ſcientia propter quid, ſed bene ſtare poteſt.cum ſcientia quia. Verum hęc reſponſio falſa eſt.Nam Perſpectiuus non dicitur vere ſciens, niſi ſciat reſoluere ſuas concluſiones in propria principia;atque ita habet ſcientiam ſubalternantem, & quamuis principia ſubalternatæ,ſint propoſitiones mediatę, quę ſequuntur ex immediatis ſubalternantis,tamen ex hoc non ſequitur quòd demonſtratio in ſcientia ſubalternata non ſit propter quid,vt conſtat ex Ariſt.1. Topicorum.c.1. vbi definiens demonſtrationem dicit.Demonſtratio eſt, quando ex veris,& primis ſyllogiſmus erit,aut ex talibus, quę per aliqua prima, & vera eius quę circa ipſa eſt cognitionis principium ſumpſerunt.ex qua definitione conſtat,quòd in ſcientia ſubalternata fiũt demõſtrationes propter quid ex principijs mediatis,quæ acceperũt fidẽ ex immediatis atque ita cum ſcientia ſubalternata ſit vere ſcientia ex ſententia Ariſtot.& ſcientia non poſſit ſimul ſtare cum fide ex. D. Thoma,patet quod non tollitur hac reſponſione contradictio.

Syluester. *Caietanus.*

Syluester Reſpondet quòd Viator habet ſcientiam ſubalternatam non de articulis quos credit,ſed de concluſionibus ex eis deductis,quam reſponſionem adducit etiam Caietan.2.2.q.1.art.5.ſed hęc ſolutio non tollit contradictionem D.Thomæ: qui dicit ſcientiam & fidem ſtare ſimul de eodem:non enim ſolum principia noſtræ fidei credimus,ſed etiam concluſiones.ſecundo peccat hæc reſpõſio,quia vult euidens deduci ex non euidente,ſiue ſcitum ex credito,quod eſt contra Ariſt.1.Poſt. vbi docet habitũ principiorum eſſe longe euidentiorem habitu concluſionis:Nec poſſunt principia maiorem euidentiam concluſionis gignere,quam ipſa in ſe habeant:at principia Theologię noſtræ ſunt articuli fidei, qui vt fide tenentur non habent euidentiam,atque adeo nullam euidentiam concluſionis facient,ac proinde habitus qui generabitur non erit ſcientia. Præterea vt aliquis dicatur ſcire,neceſſe eſt, vt procedat ex principijs ſibi euidentibus, aut ſaltem ex his,quæ ſciat reducere ad principia euidentia, alioquin non ſciet,

Ariſt.

Digitized by Google

non ſciet, cum non habeat demonſtrationem illorum, vt docet Ariſtot. 1. poſt. c. 2. ſed principia ex quibus procedimus in Theologia noſtra, neq; ſunt nobis ex ſe euidentia neque ſcimus illa reſoluere ad principia ex ſe euidentia, atque adeo licet euidentia ſint Deo, & beatis, per ea nunquam ſcientiam comparabimus, ſed tantum fidem

Ideo aliter reſpondet Caiet. quòd licet Theologia noſtra ſecundum ſe eſt vere ſcientia ſubalternata; non tamen in ſtatu ſcientiæ, quouſque continuetur cum euidentia principiorum illius, atque adeo. dato quòd Theologia noſtra ſit de creditis, non ſequitur (inquit) aliqua contradictio, nec quod fides, & ſcientia ſint de eodem: quia hoc. ſ. quod ſcientia, & fides non poſſint eſſe de eodem intelligitur de ſcientia in ſtatu ſcientiæ; & non de ſcientia in ſtatu imperfecto.

Cęterum hęc reſponſio non eſt iuxta doctrinam D. Thomę, nam ipſe. 1. p. q. 1. art. 2. expreſſe fatetur noſtram Theologiam eſſe proprie ſcientiam, ſicut ſcientiam ſubalternatam in naturalibus, quæ proprie, & ſimpliciter eſt ſcientia licet ſupponat ſua principia probata à ſuperiori ſcientia; ſed ſcientia ſubalternata, vt Muſica, & Perſpectiua eſt proprie, & vere ſcientia ſecundum omnes phyloſophos, ergo & noſtra Theologia ſecundum S. Thomam Dicere autem noſtram Theologiam intra propriam ſpeciem eſſe ſcientiam imperfectam: quia nimirum pro ſtatu iſto non habet euidentiam, quam intra propriam ſpeciem nata eſt habere, & habebit quando peruenerit ad perfectum ſtatum; id eſt (vt dicit Caiet.) quando continuabitur cum euidentia principiorum eius; eſt dicere pro ſtatu iſto. i. vt eſt in nobis viatoribus non eſſe vere et proprie ſcientiam, quod eſt deſtruere ſententiam D. Thomę. probatur conſequentia: quia de ratione ſcientię proprie dictæ eſt, quod ſit cognitio euidens, & docet Ariſt. 1. poſt. c. 2. in definitione ſcire, vt infra explicabimus.

Ariſto. Secundo arguit Doc. ſub. contra ſententiam D. Thom. & primo ſupponit, quòd ſcientia ſubalternata depender à ſcientia ſubalternante ſaltem quantum ad hoc, quòd cognitio prinſipiorum ſubalternatæ ſit cauſata à notitia principiorum ſubalternantis, vel ſaltem ab obiecto illius ſcientiæ, vel à principijs, Hoc ſuppoſito arguitur ſic, ſcientia ſubalternata dependet à ſubalternante, tamquam à cauſa per ſe ſui, ſed Theologia noſtra nullo modo vt à cauſa per ſe dependet à ſcientia beatorum; ergo nullo modo ei ſubalternatur, conſequentia tenet, probo maiorem: quia concluſiones ſcientiæ ſubalternantis ſunt principia ſubalternatæ ſcientiæ, & tam concluſiones huius. ſ. ſubalternatæ, quam illius puta ſubalternantis probantur per principia ſcientiæ ſubalternantis, quæ ſunt cauſa per ſe ſcientiæ ſubalternantis, & per conſequens ſcientiæ ſubalternatæ, quia quod eſt cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati, ergo ſcientia ſubalternata dependet ſicut à cauſa per ſe ſui à ſubalternāte. Minorem ſic oſtendo: quia ſcientia ſicut à cauſa per ſe non dependet, niſi ab obiecto, vel potentia & hoc loquendo de dependentia cauſati ad cauſam, vt excludatur depēdentia accidentis ad ſubiectum, ſed noſtra Theologia non dependet à viſione beata, nec ſicut ab obiecto nec ſicut à potētia, (vt de ſe patet) quia obiectum noſtrę Theologiæ eſt Deus, potentia vero noſter intellectus; nec ſicut à lumine: quia concluſiones noſtræ Theologiæ ſicut à lumine ſolum dependent à lumine fidei, ergo &c. Et confirmatur, quia ſecluſa è medio viſione beata ab omnibus creaturis, maneret noſtra Theologia in ratione ſua formali intrinſeca, vt de ſe patet, ergo ſaltem nullo modo per ſe dependet à viſione beata creata, ergo ei non ſubalternatur; pręterea concluſiones noſtræ Theologię nullo modo vt noſtræ ſunt, ſciuntur per viſionem beatam; nam hæc notitia Theologica exiſtens in intellectu meo, nempe, Deus & trinus & vnus, nullo modo eſt cauſata à notitia beatorum, quæ eſt clara viſio eiuſdem concluſionis, vt patet, Tum quia non dependet ab illa vt ab obiecto, vel potentia vt probatum eſt. Tum quia iam non ſciretur per principia incuidentia; ergo nullo modo ei ſubalternatur; nec ſequitur, ſcientia beatorum eſt de creditis à nobis, ergo in nobis eſt ſcientia cum fide; imo eſſet ſimile ac ſi dicerem, in me eſt Geometria, quia eſt in Ioanne, quem credo habere ſcientiā Geometriæ: vel quia credo Ioanem habētis ſcientiam Geometriæ: & ex iis collige Caietanum. 1. p. quæſt. 1. articul. 2. omnino decipi: quando aſſerit noſtram Theologiam ſicut à lumine dependere à ſcientia beatorum. *Caietan.*

Syluester. Ad hoc argumentum reſpondens Syluester dicit Theologicam noſtram cauſari à ſcientia beatorū eo modo, quo ſcientia diſcipuli dependet, & cauſatur, à ſcientia Magiſtri, ſed non reſpondet probationi quando Scotus dixit, quod non eſt eius obiectum, nec eius potentia, & tamen ab iſtis eſſentialiter dependet, & ad illud, quod dicit de Magiſtro Dico, quòd Magiſter, & ſcientia eius, tantum excitant diſcipulum, & non ſunt potentia, nec obiectum ſcientiæ diſcipuli, à quibus dumtaxat vt à per ſe cauſa ſcientia diſcipuli dependet. vt docet Doc. ſub. in. 2. diſtinct. & diſtin. 24. quæſt. 2. ad ſecundum & in. 4. diſt. 1. quæſt. 4. & 5.

Tertio improbatur ſententia D. Thomæ. Habens ſcientiam ſubalternatam poteſt habere ſcientiam ſubalternantem, & è conuerſo, ſed hoc in propoſito eſt impoſſibile, ergo nullo modo Theologia noſtra ſubalternatur Theologiæ beatorum; probo maiorem, & primo ꝙ habens ſcientiam ſubalternatam poſſit habere ſcientiam ſic oſtendo. Quia ſubalternus Artifex habebit ſubalternātem ſi præmiſſas ſuarum demonſtrationum in prima principia reſoluat, nam tunc ſcientiam habebit huiuſmodi præmiſſarum, quæ non eſt alia niſi ſubalternans. hoc autem poſſibile eſt: quia niſi hoc poſſit efficere non erit vere ſciens. Sicut enim ſcientia ſubalternata non eſſet ſcientia niſi concluſiones eius eſſent in prima principia reſolubiles; ita hic non erit ſciens per ſcientiam ſubalternatam niſi poſſit reducere ſuas concluſiones in prima principia; ergo habens ſcientiam ſubalternatam poteſt habere ſcientiam ſubalternantem, imo eam de facto habet, & prius, alias nō erit vere ſciens, quia neſcit ſuas concluſiones vſq; ad prima principia reſoluere, Tunc enim (vt inquit Ariſt.) vnam quamque rem nos ſcire arbitramur, cum cauſas, primas, primaque principia, & vſque ad elementa cognoſcimus. Et confirmatur: quia principia ſcientiæ ſubalternantis ſunt vniuerſaliora, atq; ita ordine cognitionis intellectualis prius nota quia in intelligibilibus, quæ ſunt priora ſimpliciter ſunt priora nobis; licet in ſenſibilibus non ſint eadem priora nobis. & ſimpliciter, quia ſenſibilia poſteriora ſunt nobis magis nota, hæc autem ſcientia ſi eſt ſcientia, eſt de intelligibilibus, vt diſtinguitur contra ſenſibilia: quia de ſenſibilibus non eſt ſcientia, nec demonſtratio ex. 7. Metth. t. cap. 35. ergo qui habet ſcientiam ſubalternatam, prius habet ſcientiam ſubalternantē; ſi quidem eius principia ſunt naturaliter prius nota, quam principia ſcientiæ ſubalternatæ, nec principia huius ſunt euidenter nota, niſi per principia illius. *Ariſt.*

Quod vero habens ſcientiam ſubalternantem poſſit habere ſcientiam ſubalternatam ſic probo, quia habens principia de aliqua concluſione poteſt ſcire concluſionem ergo cum ſubalternans Artifex habeat principia concluſionum ſcientiæ ſubalternatæ, eas ſcire poterit. Sed iā probo minorem quoad vtrumque membrum, ſ. quòd nec viator, vt ſic poteſt habere ſcientiā beatorum; nec beatus ſciētiam viatorum: quia ſicut Viator vt ſic, non poteſt clare videre ſuas concluſiones, & principia; ita nec beatus poteſt habere incuidentem cognitionem concluſionum noſtræ Thelogiæ; quia eas euidenter ſcit in diuina eſſentia. Implicat autem eumdem intellectum euidentiam, & in euidentiam actualem de eadem concluſione habere: quia euidentia, & incuidentia in eodem reſpectu eiuſdem omnino repugnāt. ſequitur ergo quòd hæc ſcientia nō poteſt ſimul ſtare cum fide reſpectu eiuſdem obiecti: nam ſi poſſet aliquis habere ſcientiam ſubalternātem cum fide, poſſet eſſe comprehenſor ratione ſcientiæ & ſimul viator ratione fidei ſimul ſtantis, quod implicat. Proinde enim concedunt omnes Theologi in 3. diſtinc. 30. fidem ſecundum ſuum actum euacuari in patria: quia actus fidei, & actus viſionis ſunt ibi omnino incompoſſibiles.

Syluester. Ad hanc rationem reſpondens Syluester negat aſſumptum, quando illa principia ſunt incompoſſibilia, vt contingit in propoſito. quia ad manifeſtiſſima in natura habemus oculum. Noctuæ. Sed contra intellectus noſter eſt oculus Noctuæ circa Principia, quomodo erit oculus Aquilæ circa cōcluſiones deducendas ex illis principijs? pręterquam quod non reſpondet Syluester ad probationem

Scoti

Scoti atque ita patet Impugnatio ſententiæ D. Thomę.

Soluũtur rõnes pro ſententia D. Thom.

Ad rationes pro opinione. D. Tho. reſpondet Scotus in fine huius quæſtionis ſub littera. h. §. Ad primum pro prima opinione, & ad primam concedit maiorem, & negat minorem, ad probationem concedit maiorem loquendo de ſcientia ſubalternata, ſecundum ſuam propriam ſpeciẽ & naturam, ſed negat minorem: ſcientia, enim ſubalterna habet ſua principia nota ſibi ex ſuperiori ſcientia, quia eius principia ſunt reſolubilia in principia ſuperioris ſcientiæ, & hoc ſufficit ad hoc quod ſit ſcientia, Nam ſicut ſciẽtiæ ſubalternatæ principia, eſſent in ſe principia, ſi poſſent reduci ad principia ſimpliciter prima, & nota ex terminorum euidentia; ita ſunt modo principia ſecundum ſe, ſiue reducantur ab aliquo, ſiue non, ſed ſicut ſubalternata non eſſet ſcientia, niſi eius principia poſſint reduci in principia prima nota ex euidentia terminorum, ita non eſt huic ſciẽtia niſi ipſe poſſit eius principia reducere in principia prima ex quibus demonſtratur, quod nunquam efficere poteſt niſi habeat ſcientiam ſubalternantem. Et ſicut non eſſent principia ſcientiæ ſubalternatæ, niſi eſſent concluſiones demonſtratæ in ſcientia ſubalternante, ita nec eſſent iſti principia niſi eſſent ſibi demonſtrata in ſcientia ſubalternãte. Itaque aliquem ſcire perſpectiuam niſi ſciat Geometriam eſt manifeſta repugnantia. In ſumma dico, quòd ſubalternata ſcientia ſit ſecundum ſe proprie ſcientia ſufficit, quòd eius concluſiones ſint reſolubiles in principia nota ex terminis. Cæterum vt mihi ſit ſcientia non ſufficit, quòd eius concluſiones ſint modo prędicto reſolubiles, ſed oportet quòd ego ipſe poſſim, & ſciam illas in prima reſoluere principia. Et ſane ſi ad hoc vt notitia alicuius concluſionis ſit ſcientia ſubalternata ſufficiat quod ſit per ſcientiam ſuperiorem demonſtrabilis, ſequitur, ꝙ concluſio per ſyllogiſmum probabilem, & Topicum in me cauſata, eſt vere ſcita, & eius notitia ſcientia: quia per demonſtrationem poteſt ab alio, vel à me ipſo ſi medium demonſtratiuum didicerim demonſtrari, quod tamen falſum eſſe nemo ambigit; atque adeo, quod aliquis ſciat Perſpectiuam niſi ſciat Geometriam nihil eſt dictu; Poteſt tamen habere opinionem, vel fidem de traditis in perſpectiua, ſine hoc quod ſciat Geometriam, quia de eodẽ poteſt eſſe fides, opinio, & ſcientia, ſed non ſimul. Ad rationem ergo breuiter, Cum dicit D. Thom. quòd ſcientia ſubalternata in quantum huiuſmodi eſt vera ſcientia, cõcedo, quòd in ſe eſt vera ſcientia, ſed non eſt vera ſcientia habenti, niſi habeat etiam ſubalternantem: quia principia in ſubalternata ſunt concluſiones demonſtratæ in ſciẽtia ſubalternante, atque adeo eſt impoſſibile quod aliquis vere ſciat perſpectiuam, niſi ſimul habeat Geometriam, Ita ad cognoſcendum principia huius habitus Theologiæ ſic, vt ex primis, & immediatis illa demonſtret nullus attingit niſi comprehenſor.

Ad ſecundam concedo antecedẽs, & primam conſequẽtiam, ſcilicet, quòd perſpectiua vt huiuſmodi eſt ſcientia; & quod perſpectiuus vt huiuſmodi eſt ſciens, ſed nego quod aliquis ſit vere perſpectiuus & non ſit Geometra. Et cum dicis quòd aliquis poteſt eſſe perſpectiuus circũſcripta Geometria nego illud: quia numquã eſt perſpectiuus niſi ſit Geometra. Et cum dicis quòd ſunt diſtincti habitus, fateor, ſed ſicut non poteſt eſſe habitus perſpectiuæ ſcientificus niſi cauſetur ex principijs Geometriæ non immediate, ſed mediantibus concluſionibus ibi demonſtratis ex principijs euidentibus, ita non poteſt eſſe huic habitus ſciẽtificus niſi cauſetur in ipſo ex principijs eiſdem ſibi euidenter notis, ſicut igitur ſcientia ſubalterna vt perſpectiua, non eſt ex ſe ſcientia niſi cauſetur à principijs ſuperioris ſcientiæ, mediate tamen: ita nec iſti eſt ſcientia niſi cauſetur in ipſo ex principijs ſuperioris ſcientiæ, ſi autem ſcientia ſubalternata habeat aliqua principia prima quæ non accipit à ſuperiori ſcientia, quantum eſt ex parte illorum, poſſet ſciri nõ ſcita ſuperiori, ſed hoc nihil ad propoſitum: quia in hoc, quod habet talia principia non eſt ſubalternata.

Scientia duplex p ſe, & p accidens.

Ad Tertiũ quæ erat authoritas Phyloſophi, & Commẽtatoris, poteſt dici primo quòd Phyloſophus loquitur ibi de ſcientia per accidens, & non de vera ſcientia. Nam ita ſcribit in fine illius capituli: Cum, enim fidem quodã modo adhibet quis, & principia ſibi nota ſunt ſcit; nam ſi non magis diſcurſu concluſionis p accidens habebit ſcientiam, & Commentator ibi inquit, contingit alicui credulitas rei alicuius, & ſi fuerint principia prima illius rei nota apud ipſum, tunc iam contingit ei ſcientia illius rei ſi verò nõ fuerint nota apud ipſum, eſt ſcientia eius apud ipſum per modum accidentis & ſic patet quomodo authoritas eſt magis ad oppoſitum quam ad propoſitum ſecundo Dico, quòd Ariſtoteles expoſcit euidentiam in ſciẽtia quia eſt de ratione eius intrinſeca, & eſſentiali, & requirit certitudinem non quamcunque, ſed eam quę ex euidentia rei naſcitur, & dimanat.

Euidentia eſt de intrinſeca, & formali ratione ſcientiæ.

Inductio ſumitur bifariam.

Ad Commentatorem dicit Doc. quòd inductio bifariam accipi poteſt, primo vt eſt vna ſpecies argumentationis pro vt loquitur Boetius de inductione, ſecundo pro vt inductio dicitur omnis cognitio, quę ex ſenſu oritur, ſicut principia cognoſcimus: quia terminos per ſẽſum apprehendimus, cognitio, enim per ſenſum, ſupponitur cognitioni intellectiuæ. Nunc dico quòd ſi Commentator ſumit inductionem primo modo non ſufficit inductio ad ſcientiam; quia inductio à ſingularibus ad vniuerſale procedit; non autem ſcitur vniuerſale quia ex particularibus deducitur, ſed magis è conuerſo. v. g. magis ſcientifice ſequitur omne totum eſt maius ſua parte, igitur hoc totum eſt maius ſua parte, quã è conuerſo, hoc totũ eſt maius ſua parte, & illud, & illud ergo omne totũ eſt maius ſua parte, ſcientia, enim ex primis, & immediatis principijs oritur & dimanat, quę ex euidentia terminorum ſunt nota; Vnde euidentia principiorum in ſcientia non dependet ex ſingularibus; ſi nullum, enim ſingulare eſſet, cum ſcientia ſit neceſſariorum, adhuc ſtaret vera ſcientia: quia principia ex terminis eſſent nota, prout terminis vltro ſe offerũt intellectui; & reſolutio certitudinis ſtat in hoc, quòd ille eſt talis intellectus, & hi tales termini. oſtenſis namque intellectui iſtis terminis, totum, & pars, & facta terminorum complexione ſtatim intellectus euidenter aſſenſit huic. omne totum eſt maius ſua parte, ex ſola terminorũ apprehenſione, eorumque complexione: Quare autem ex aliquibus terminis ſit propoſitio per ſe nota, & ex aliquibus non, non videtur alia ratio aſſignanda: niſi quia ſunt tales termini, & ſimiliter quare intellectus euidenter aſſenſit complexioni eiuſmodi terminorum, non poteſt alia aſſignari ratio niſi quia eſt talis intellectus, atque adeo euidens principiorum notitia, neque ex ſingularibus dependet, neque ex ſyllogiſtica inductione dimanat.

Si vero Commentator ſumat inductionem ſecundo modo; verum eſt quòd notitia principiorum dependet ex ſenſu: quia omnis noſtra cognitio à ſẽſu ortum habet, ſed non ſufficit quæcũque terminorum notitia ad hoc, quod cognoſcantur eſſe prima, ſeu talia, ex quibus poſſit concluſio neceſſaria concludi, quæ eſt generatiua ſcientię, ſed requiritur notitia terminorum ex proprijs rationibus, ex illorum euidentia, ſed nõ ſemper immediate, & diſtincte, ſed in aliquibus ſcientijs ſufficit confuſa terminorum cognitio, velut in ſubalternatis; ſed bene requiritur quod eorum confuſa cognitio indiſtinctam poſſi reſolui, nam omnis propoſitio per ſe nota terminis confuſe cognitis, eſt etiam per ſe nota terminis diſtincte cognitis, vt docet Scotus in primo. d. 2. q. 2. ſunt, enim aliqua principia per ſe nota in aliqua ſcientia terminis confuſe cognitis, quę in alia ſcientia ſunt per ſe nota terminis diſtincte cognitis, vt clare patet ab Scoto vbi ſupra, & d. 3. q. 4. & alibi, & hoc eſt quod dicit Doc. hic. ſimiliter ſcientia naturalis pro vt præcedit Methaphyſicam habet ſuos terminos confuſe notos ſed Methaphyſicus mediante definitione exprimit diſtincte notitiam illorum, & tunc ſcientia naturalis eſt perfectior, quando eſt cum Methaphyſica. Et ex hac litera Doct. habetur expreſſe, quod Methaphyſicus, vt talis conſiderat diſtincte quidditates phyſicas. & hoc idem docet in 1. diſtinct. 2. quæſt. 2. & 4. & diſtinct. 3. quæſt. 2. & in 2. diſtinct. 3. q. 1. & in 6. in 3. quæſt. prologi. licet oppoſitum docere videatur, in. 1. Meth. 9. q. ſed vide Muritium in caſtigationibus. Bargium. qu. 3. Prologi, & Trombettam. 1. Meth. quæſt. 9.

Scotus.

Methaph. quidditates Phyſicas diſtincte cõſiderat Maur. Bargius. Trombetta.

ARTI-

ARTICVLVS V.

Vtrum in aliquo lumine medio poßit ſimul haberi ſcientia & fides de eiſdem credibilibus.

Henricus.

DE hac re differit Doct. noſter. ſub. in hac. quæſt, ſub littera. A. 6. alia eſt opinio, & mouetur quæſtio propter Henricum Gandauenſem. Is. n. ponit habitum quemdam medium, quem lumen appellat inter lumen gloriæ, & lumen fidei, quod eſt lumine fidei clarius, ſed infra lumen gloriæ, vt elicitur ex dictis eius, quol. 8. quæſt. 14. & quol. 12. quæſ. 2. & in ſumma. artic. 13. quæſt. 6. & 7. In quoli. nu. 8. quæſt. 14. Inquit Henricus, quòd differunt circa idem, credere, intelligere, & videre. Videre enim eſt oculo ad oculum mente conſpicere ſpiritualiter, ſicut conſpicimus ſolem corporaliter, & ſic beati vident omnia in diuina eſſentia; non ſic videri poteſt aliquid per intellectum extra viſionem glorioſam in diuina eſſentia, quacunque alia cognitione, ſiue naturali ſiue ſupernaturali: Intelligere autem eſt verum aliqđ cognoſcere perſpicue per medium certius ex ſenſus cognitione in primis certificatum: quemadmodum concluſiones intelligimus intellecto medio proprio notiori complexo, & applicato. Medium autem proprium complexũ cognoſcimus, & intelligimus per aliud medium notius, & ſic deinceps, quouſque deueniamus ad primum, quod inter prędicatum & ſubiectum nullum habet medium, quod intelligimus intelligendo terminorum definitiones, & differẽtias illorum, quouſque deueniamus ad prima in complexa, quorum cognitio non habetur niſi adminiculo ſenſus. Credere autem eſt veritati alicuius complexi propter authoritatem, propoſitis ſignis, & prodigijs, cæteriſque huiuſmodi confirmatũ, voluntarie per intellectũ adhærere.

Et parum infra ſubdit. Credere repugnat omni aperto intellectui veritatis. quia ſemper debet ſecum habere annexam obſcuritatem, ne omnino clareſcat veritas perſpicua; & ſic repugnat, & apertæ viſioni, & intellectui, ſed aliter & aliter. Viſioni enim repugnat ſic, vt ſimul omnino eſſe non poſſint fides, & viſio; videre & credere, quia implicant contradictoria. non enim eſt fides ſine obſcuritate, quam omnino viſio excludit: quamuis enim in viſione plures ſint gradus in lympidius, & minus lympide videndo, in omnibus tamen eſt viſio ſine omni obſcuritate.

Credere autem repugnat intellectui ex parte finis: quoniam ſecundum D. Greg. fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. vt ex parte formæ & naturæ veritatis credibilium nullo modo repugnat intellectui: quia vt ſic non repugnat intellectui præcedenti fidem, nec ſubſequenti, ſed proprie excedit præcedentem intellectum: quia ante fidem nõ poteſt haberi ratio niſi per media naturalia, & ſuppoſitiones mere naturaliter cognitas: quæ nullo modo attingere poſſunt veritatem credibilium: quia ſupra naturalem cognitionem eſt. Intellectum vero ſubſequentem iuuat & promouet, ſuppoſitis enim eis, quæ fidei ſunt, & concurrentibus, quæ naturali ratione vere cognita ſunt: quia veritas naturalium veritati ſupernaturalium nunquam repugnat, ſed potius via eſt, & adminiculum, non ad fidem faciendum de illa, vt dictum eſt, ſed fide ſuppoſita ad ipſam perſpicuam intellectui faciendam, & tanto magis perſpicuam, quanto media ex naturali ratione adiũcta efficaciora ſunt, & veritati fidei magis conſona, & propinqua. Hactenus Henricus. in quol. loco citato.

Quod explicatius docet in Summa. art. 13. quæſ. 6. Vbi ita ſcribit. Triplex eſt modus cognoſcendi in notitia eorũ quæ ſunt fidei. Vnus qui eſt ſolius fidei, quaſi ex auditu aſſentiendo diuinę authoritati. Alius eſt ex rei creditæ apparentia, quomodo cognoſcunt eam ſancti in patria. Tertius modus eſt medius, quo cognoſcuntur credita non ſolum auditu, nec apparentia rei quaſi viſu, ſed ex rationis euidentia; quia intellectui conſpicuum eſt naturam rei ſic ſe habere, vt fides tenet. Quemadmodum, enim cognoſcendo naturam Solis, & Lunę, & diſcurſus eorundem circa terram per intellectus inueſtigationem adiutorio luminis naturalis cum generali illuſtratione diuina, poteſt homini notum fieri, quomodo cõtingit Lunam eclipſari, ſic cognoſcendo naturas terminorum credibilium, vt Patris, & Filij, & Spiritus Sãcti in diuinis per intellectus inueſtigationem adiutorio luminis ſuper naturalis, & diuinę illuſtrationis ſpecialis, poteſt ei notum fieri: quia Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio, & nõ à Patre ſolo, & ſic de cęteris, quæ ſunt huius ſcientiæ propria, & ad fidem pertinentia.

Intelligere ea, quæ ſunt fidei contingit dupliciter

Et quæſt. 7. reſpondendo ad quæſt. ſub litt. R. inquit, ꝙ intelligere ea, quæ ſunt fidei contingit dupliciter, vel perfecte, & notitia clara, vt nihil lateat intelligendum de re ipſa prius credita cognitione obſcura, quod Auguſtinus proprie appellat videre; vel imperfecte, & notitia nõ omnino clara, vt aliquod reſtet de ipſa clarius intelligẽdum, quod proprie appello intelligere diſtinctum contra videre; intelligere primo modo non ſtat ſimul, in eodem cum fide, ſed fidem omnino euacuat, vt dictum eſt, & non poteſt contingere in via iſta ſecundum ſtatum viæ, & erit ſolummodo in ſtatu patriæ. Intelligere autem ſecũdo modo, bene in eodem, & circa idem ſtat ſimul cum fide, non tamen quantum eſt ex parte cognoſcentis, quo ad idem: cum, enim in iſta intelligere non eſt omnino obſcuritas notitiæ, nec perfecte claritas; quo ad id, quod obſcurum aliquid manet in notitia illa ſtat fides; quo ad id vero, ꝙ clare de re perceptum eſt, eſt intellectus de ea: ſicut poteſt patere exemplum in luce, & tenebra corporali. Cum, enim de nocte aer omnino eſt tenebroſus, in meridie vero aer eſt omnino lucidus, in ortu vero Solis, et occaſu ſimul lucitus, & obſcurus, vt tũc poſſit dici aer tenebroſus quo ad id, quod habet in ſe obſcuritatis euacuandæ omnino in plena luce meridiana: poſſet vero dici lucidus quo ad id, quod habet luminoſitatis euacuantis aliquid de obſcuritate tenebrarum noctis, quæ perficienda eſt & complenda omnino luce meridiana euacuatis omnino tenebris noctis. Vnde ſicut ab ortu diei vſque ad meridiem ſemper procedit lucis augumentum, & tenebrarum decrementũ, quæ omnino euacuantur circa meridiem; ſic claritas intellectus prędicti circa credibilia. Poſtquam, enim homo prius credita omnino inceperit intellectu percipere ſi proficiendo continue procedat continue creſcit notitia eius circa credita ſemper magis, ac magis continue fidei obſcuritatem euacuando, quam tamen nunquam perfecte euacuare poterit: quouſque adueniat claritas lucis meridianæ in viſione clara diei æternitatis. Vt ſic omnis noſtra cognitio in præſenti quantumcũque proficiat ſit ex parte reſpectu viſionis gloriæ, & hoc dupliciter tum quia obſcuratum, quia imperfecta; & opportunum eſt quod talis maneat, quouſque viſione aperta euacuetur quod obſcurum eſt ex fide, & perficiatur quod perfectum eſt intellectus claritate, ita Henricus. Ex his colligit Doc. ſub. quòd *Scotus.* apud Henricum triplex eſt lumen vnum ſufficiens ad apertam viſionem habendam, de his, quæ nunc credimus, *Triplex eſt lumen.* ſcilicet lumen gloriæ, in quo credita à nobis clare videntur cognitione intuitiua, & propter quid, aliud eſt lumẽ quod requiritur ad credendum, articulis fidei, quod eſt fides infuſa; & aliud eſt lumen medium, clarius lumine fidei, & infra lumen gloriæ, quod ad hoc ponitur, vt crędibilia de quibus habemus fidem intelligantur, & de ipſis habeatur ſcientia. Et de hoc lumine medio loquens Henricus, quol. 12. qu. 2. ſub. littera. F. inquit, quod quid Deus *Henricus.* eſt. & quod ſit Trinus & cætera credibilia de illo, clarius poſſunt cognoſci, quam per fidem: quia in clariori lumine, quam ſit lumen fidei: niſi, enim clarius quam per fidẽ poſſent cognoſci non haberet de credibilibus clariorem notitiam vnus, quam alter, licet firmiorem iuxta modum magnitudinis fidei. Quod autem detur hoc lumen medium à fide diſtinctum probat authoritate. D. Pauli. 1. ad Corint. 12. alij datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ alij fides. Vnde hoc lumen medium ſapientiam appellat, quando eſt credibilium de rebus æternis, ſapientiam vero, quando eſt credibilium de rebus temporalibus, iuxta ſententiam. D. Auguſtini. 14. de Trinit. cap. 1. *D. Aug.*

Eſt ergo ſententia Hen. lumen ſcientiale, quod lumen medium appellat, & intelligere ſtare ſimul cum fide de eiſdem credibilibus: nam ita ſcribit quol. 8. q. 14. Quod licet cognitiones extremæ in proprijs luminibus, ſcilicet co

gnitio

gnitio fidei,& apperta viſio in lumine gloriæ non ſtent ſimul;tamen cognitio media,ſ.intelligere, que eſt ſcientia in lumine medio ſtat cum cognitione fidei:quia extremũ & medium minus repugnant,ſicut extrema inter ſe.

Probant ſententiam ſuam primo exemplo: Nam ſi de aliqua eclipſi iam ſtante dicat aliquis non videns illam: quia iam Luna eclipſatur;ille ſi præſumat de veritate dicentis ſtatim credit,quod non videt præ oculis nec intelligit;quia per curſum motuum celeſtium non ſcit quod in tali inſtanti de neceſſitate debeat Luna eclipſari.ille vero qui hoc nouit iſto modo intelligit iam Lunam eclipſari, ſciendo aliquam eclipſim eſſe in ſingulari vago, & ita in vniuerſali,nõ autem in ſingulari ſignato, niſi videat eam præ oculis particulariter eam apprehendendo. Ille vero qui illam videt certiſſimum intellectũ habet de hac eclipſi,vt particularis eſt ſignata,de qua in particulari ſignato Aſtrologus non videns eam non habet niſi fidem ſiue opinionem, quanquam de ea in vniuerſali, & in particulari vago habeat demonſtrationem; ita quòd & certa demonſtratio de vniuerſali,& particulari vago, & fides ſiue opinio de particulari ſignato ſimul ſtant abſque viſione corporali in particulari ſignato,ſed cum eſt talis viſio, de eodem euacuatur fides præcedens ſiue opinio, nec ſimul eſſe poteſt,ita quòd quantumcunque fortificetur,de modo nũquã fides euacuatur quouſque adueniat viſio.

Ita per omnem modum eſt in propoſito.fides enim noſtra de particularibus eſt in determinatis nobis in iſta vita vt quod aliquis vnus homo eſt Chriſtus. Aliqua vna fœmina eſt Maria Mater eius, aliqua natura ſingularis eſt Deitas, ſed nihil determinatum vel in re vel in nobis fide percipimus ſed hoc in viſione expectamus,& de illo ſignato,quod tunc videbimus proprie fides eſt,quod quia nũc fide non cognoſcimus niſi indeterminate, in hoc conſiſtit fidei ænigma,quæ euacuatur ſi nobis huiuſmodi particulare determinetur.Patet igitur ſecundum eum, quòd viſio excludit fidem,ſed ſcientiam non, & hæc ſcientia de credibilibus habetur in lumine medio inter lumen gloriæ & lumen fidei.

D. Augu.

Secundo Confirmatur ex D. Auguſt. 14. de Trinit. c. 1. (& hæc confirmatio habetur quol. 12. quæſt. 2.) vbi inquit Diuus Auguſtin. Rerum diuinarum ſcientia ſapientia proprie nuncupatur, humanarum vero proprie ſcientiæ nomen obtinet,& ſubdit.qua ſcientia non pollent fideles plurimi,quam vis polleant ipſa fide,& parũ poſt, vt doceat D.Auguſt.quòd aliquis per ſcientiam poteſt clarius ſcire credibile aliquod,quam ille, qui ſcit illud ſola fide, ponens differentiam inter ſcire per ſolam fidem, & per aliam clariorem notitiam ſubdit;aliud,enim eſt ſcire tantum modo,quid homo credere debet propter adipiſcendam vitam beatam,quæ non eſt niſi æterna;aliud eſt ſcire quemadmodum hoc ipſum,vt pijs opituletur,& cõtra impios defendatur,quã proprio appellare vocabulo ſciẽtiam videtur Apoſtolus 1.Corint.12.Pijs autem opitulatur per hanc ſcientiam clariorem,quando per doctrinam maiorum,qui hanc habent ſcientiam clariorem, fides ſua detur minoribus,vt in ipſis generetur,& nutriatur. Contra impios autem,defenditur,& roboratur; quando minores,qui habent hanc ſcientiam,quam ſibi ex creditis acquiſiuerunt modo,quo aliæ ſcientiæ humanæ acquiruntur,ex ſenſibilibus per media,& rationes, quæ per hanc ſciunt elicere ex intellectu credibilium, ſiue ex credibilibus intellectis,vt ex primis principijs, reſpondent verſutis argumentationibus infidelium, & hæreticorum,& improbant dicta eorum, & per hoc fidei veritatem defendunt.Hec igitur ſcientia,quæ ſtat cum fide ſicut eſt cognitio clarior,quam cognitio fidei,ita eſt in clariori lumine, quam ſit lumen fidei, aliter niſi eſſet clarius lumen, qui plus haberet de fide plus haberet de hac notitia;Cuius cõtrarium dicit D.Auguſtinus,inquiens, quod hac ſcientia non pollent fideles plurimi, quamuis polleant ipſa fide plurimum.

D. Augu.

Præterea D.Auguſt. ſuper illud Ioan.1. Erat lux vera &c.vita erat lux.dicit Erat Ioan. de illis montibus,de quibus ſcriptum eſt.ſuſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam;intelligit,enim per pacem ſapiẽtiam,qua maiores illuminantur poſt fidem:Iuſtitiam autem appellat fidem,qua illuminantur minores.ſubdens colles, paruulæ animæ ſunt.Vnde vult ibi,quòd maiores in Eccleſia habeant ſcientiam cum fide, minores fidem tantum. Vlterius dicit quod lumen maius in quo credibilia intelliguntur,& in quo ſcientia habetur de illis non ineſt homini niſi cum fide præſuppoſita,nec illa ſcientia credibiliũ poteſt haberi niſi præſuppoſita fide,& hoc dicit quol. 8. quæſt. 14.

Refellit Scotus Hẽrici ſententiam.

Contra hanc ſententiam Hen.arguit Doc. multipliciter.Vnde pro clariori huius impugnationis luce reducenda eſt opinio Hen.ad quatuor dicta,quæ improbat Doc. ſub.Primum dictum eſt, ſcientia, & fides poſſunt ſimul ſtare in eodem intellectu de eodem credibili; Illud autẽ lumen in quo habetur ſciẽtia de credibili eodem, de quo habetur fides innititur lumini fidei.

Secundum dictum,ſcientia non poteſt præcedere fidẽ licet fides ſcientiam præcedat, ſi enim haberemus primo ſcientiã,de hac propoſitione.Deus eſt Trinus,& vnus;nũquã haberemus fidem,at ſi primo habeamus fidem,poſſumus deinde habere ſcientiam.

Tertium dictum.lumen iſtud ſcientiale eſt clarius lumine fidei;perfectius,enim cognoſcitur per lumen ſcientiale quam per lumen fidei,licet iſtud lumen ſcientiale,fidei lumen preſupponat in tantum quòd ſi quis nunquam articulo per fidem aſſentiret,de eodem ſcientiam habere non poteſt.

Quartũ,dictum ad cauſandam ſcientiam de credibili, de quo habetur fides,ſufficit lumen mediũ.Hec quatuor dicta improbat Doc.ſub. ſed primo arguit cõtra Hen. ex dictis ipſiuſmet Henrici Ipſe,enim in ſumma art.13.q.4. Inquit Theologiam eſſe homini de neceſſitate ſalutis;atque ita eſſe ei neceſſariam non ſolum vt veritati credibilium aſſentiat,ſed etiam vt ea mediãte pios opitulari poſſit,& veritatem credibilium cõtra impios ab omni falſitate defenſare queat. primum dicit eſſe neceſſarium cuilibet,quilibet,enim tenetur de neceſſitate ſalutis credibilibus aſſentiri;ſecundum dicit eſſe neceſſarium ſolum maioribus & ſuperioribus in Eccleſia,vt Epiſcopis,& Prælatis,qui tenentur reddere rationem,de ea,quæ in eis eſt fides.Vnde maiores ſecundum ipſum debent habere ſcientiam,qua poſſint fidem contra hæreticos defendere, & pijs minoribus exponere:Nam ſi in Eccleſia nõ eſſent aliqui,qui talia ſcirent,& facerent,cito deficeret fides ſimplicium & in errorem inciderent. Et inſuper vult quòd iſte ſit ordo acquirendi notitiam credibilium,ſ.quòd homo debet primo inueſtigare ſenſum litteræ in ſcriptura.ſecundo hoc habito ex ſenſu litteræ concluſiones explicitas deducere.Tertio ſtudere debet vt ipſa credita intelligat, & ibi vult expreſſe,quòd propter iſtud tertium,ſ. vt credita intelligantur,nimirum ſcientifice,non requiritur aliud lumen à fide.Et ex hoc infert Doc.contra Hen.quod multo minus propter primum & ſecundũ requiritur aliquod lumen ſupernaturale. probatur: quia ad intelligendum ſenſũ,litteræ,& concluſiones ex illo deducere,& explicare;poteſt homo attingere ſola perſpicacitate ingenij naturalis:patet quia Iudæus poſſet totum id facere circa Epiſtolas D.Pauli,quod & ego poſſem;& ſi ego credo firmiter dictis Pauli,& ipſe non,quo ad hoc,ego firmiorem habeo adhæſionem concluſioni deductæ,quàm ipſe Iudæus quia ego credo firmiter ſenſui litteræ,& Iudæus non, ſed opinatur,atque adeo ipſe dumtaxat concluſionem opinatam elicit,ſicut & ego creditam;igitur ſi propter tertium, ſcilicet vt credita intelligantur,nõ requiritur aliquod ſpeciale lumen vltra lumen fidei,ergo nec propter intelligentiam litteræ & concluſionum explicandarum ex illo ſenſu litteræ,requiritur aliquod lumen,ac proinde nullo modo requiritur neceſſario tale lumen.

Contra 1. dictum.

Secundo arguit contra concluſionem in ſe, & primo contra primum dictum,ſi ſcientia & fides eſſent ſimul in eodem intellectu de eodem credibili, ſequeretur quòd aliquis de omnibus concluſionibus Logicalibus Methaphyſicis,& Geometricis poſſet ſimul habere ſcientiam,& fidem,conſequens eſt falſum ergo & antecedẽs, probatur conſequentia:quia lumen illud non facit cognitionem intuitiuam,ſed abſtractiuam de credibilibus; & ſecundum hoc tota Geometria poſſet ſimul haberi cum fide,probatur,& pono quòd ſit aliquis doctor,qui legat Theologiã & interlegendo aſſumat aliquas propoſitiones Geometricas.

Digitized by Google

cas, ſcilicet quòd omnis Triangulus habeat tres angulos equales duobus rectis; Audiens præſumens de ſcientia & veritate exprimentis credat ei; habebit ergo fidẽ, quòd Triangulus habeat tres &c Pono vltra quòd Doctor ille ſciens Geometriam doceat eum cognitione abſtractiua demonſtrando ſibi concluſiones, quas prius credidit nempe explicet terminos, & ex terminis explicatis formet ſyllogiſmum demonſtratiuum; Tunc ille habebit ſimul ſciẽtiam abſtractiuam de cõcluſionibus geometricis, & fidẽ; ſed hoc eſt manifeſte falſum: quia notitia fidei non habet euidentiam ex natura rei: cum res credita non ſit præſens in ſe, nec in aliqua ſpecie intelligibili; nec in aliquo lumine; ſed tantum per auditum; atque adeo eſt tantum euidens ex veritate teſtis aſſerentis; at notitia ſcientifica eſt ſimpliciter euidens ex natura obiecti, & ex conſequenti ſcientia, & fides de eodem obiecto nequeunt ſtare ſimul.

Præterea ſcientia, & opinio non ſtant ſimul de eodem, ergo neque fides, & ſcientia; antecedens patet quia intellectus per ſcientiam ita firmiter concluſioni adhæret, quod nullo modo hæſitat, ſed opinio facit adherere cõcluſioni cum hæſitatione partis oppoſitæ, (cæterum de hac materia vide quæ ſcripſimus primo Poſt. Lect. 32. & 33.) Conſequẽtia patet: quia ſcientia eſt certa cognitio ex euidentia rei, fides autem nullo modo ex rei euidentia. Reſpondet Hen. duplicem eſſe differentiam inter ſcientiam, & opinionem, primam: quia ſcientia dicit certitudinem, & opinio formidinem; alteram: quia ſcientia habet euidẽtiam ex parte rei; opinio autem minime, cæterum fides ſicut ſcientia habet firmã adheſionem, & certitudinẽ, atq; adeo minorem cum ſcientia repugnantiam, & per conſequens fides, & ſcientia poſſunt ſtare ſimul, opinio vero & ſcientia nequaquam. Sed contra hanc reſponſionẽ arguit Doct. Quælibet duo externa contradictionis de eodem æque ſunt compoſſibilia inter ſe, ſed certitudo, & non certitudo de eodẽ ſunt talia extrema, igitur ſunt incompoſſibilia, atque adeo opinio quæ non habet certitudinem, & ſcientia quæ habet certitudinem ſunt incompoſſibiles de eodem, pari modo euidentia, & non euidentia de eodem contradicunt, ergo ſcientia quæ habet euidentiam ex parte rei & fides quæ non habet euidentiam ſunt incompoſſibiles de eodem.

Contra 2. dictum. Secundo arguit Scotus contra ſecundum dictũ Hen. ſi ſcientia ſequitur fidem, & eam neceſſario præſupponit, aut hoc eſt propter formalem repugnantiam illorum habituum interſe. verbi gratia. fides non poteſt ineſſe poſt ſcientiam habitam: quia fides & ſcientia non poſſunt ſimul eſſe in eodem, aut hoc eſt propter formalem repugnãtiam obiectorum. i. quia obiectum ſcientię, & obiectum fidei repugnãt. Si primo modo, ergo ſcientia nõ poteſt eſſe poſt fidem cuius oppoſitum dicis; cum ergo ponas iſtos habitus compoſſibiles, videtur quòd ſcientia poſſit præcedere fidem, & cauſare aſſenſum fidei, ſicut ſequi; Si autem hoc ponas propter formalẽ repugnantiam obiectorum: habeo propoſitum: quia obiecta æque diſtinguũtur ſecundum formales rationes poſt fidem poſitam, ſicut ante, atque ita de eodem obiecto non põt eſſe ſimul ſcientia, & fides. Nec valet dicere quod ſunt ſimul ſicut contraria in medio, vt colores extremi. ſ. nigredo, & albedo in rubedine, quia ſic eſſet vna cognitio mixta, & media ex ſcientia & fide, atque ita illa cognitio nec eſſet fides nec ſcientia, ſicut rubedo, non eſt albedo, neque nigredo.

Contra 3. dictum. Tertio Improbat Scotus tertium dictum Hen. dicebat Hen. quod illud lumen medium clarius lumine fidei in cauſando ſcientiam nitebatur luminĩ fidei, ab ipſoque dependet. Contra ſcientia illa non dependet à voluntate, ergo nec à lumine fidei, antecedens patet, quia ſcientia ſaltem ſpeculatiua eſt prior actu voluntatis, vt patet ex. qu. vltima prologi, ergo ſcientia, quę habetur de iſto articulo Deus eſt Trinus, & Vnus, mediãte tali lumine medio, nõ dependet à voluntate; ſiue illa ſit ſpeculatiua, ſiue practica: quia talis ſcientia eſt mere practica ab obiecto. conſequentia probatur: quia fides dependet à voluntate, vt docet D. Auguſt. ſuper Ioan. hom. 26. Cætera autem poteſt homo nolens, credere autem non niſi volens. ex hoc arguo ſic. Illud quod, ex propria ſui ratione nõ dependet eſſentialiter à voluntate, non dependet eſſentialiter ab aliquo à volūtate eſſentialiter dependente, ſed ſcientia ſaltem ſpeculatiua in quocunque lumine habeatur, non dependet eſſentialiter à voluntate, ſed præcedit voluntatem ſicut prius poſterius, ſicut naturali ordine intelligere præcedit velle; ergo nec ab illo quod eſſentialiter à voluntate dependet, cuiuſmodi eſt fides, atque adeo cognitio faciẽs ſcientiam non dependet eſſentialiter à fide in quocunque lumine habeatur: niſi dicas illam haberi in ſolo lumine fidei, cuius oppoſitum affirmas. dicens quòd habetur in alio lumine clariori.

D. Augu.

Contra 4. dictum. Quarto Improbatur quartum dictum Hen. nempe q̃ illud lumen medium ſufficiat ad ſcientiam comparandã. & intendit probare, quod illud lumen medium non põt in nobis cauſare ſcientiam alicuius credibilis. v. g. iſtius, Deus eſt Trinus, & Vnus, & arguit ſic. Impoſſibile eſt intelligere aliquam concluſionẽ mediatã, niſi prius natura ſaltem intelligantur aliqua principia immediata ex quibus illa concluſio deducatur: Tota enim euidentia cõcluſionis eſſentialiter dependet à principijs, vt docet Ariſt. 1. Poſt. tex. cõ. 5. ſed principia immediata intelligi nequeũt niſi prius apprehendantur termini, quatenus ſunt eorum termini, igitur illud lumen, quod non facit apprehendere terminos principiorum immediatorum, vt huius modi; non facit, nec facere poteſt intelligere principia immediata, & per conſequens, nec concluſiones, quæ ſequuntur ex illis, ſed lumen illud quod ponis non facit concipere, aut apprehendere iſtos terminos. Deus, & Trinus & Vnus, vt ſunt termini propoſitionis immediatæ: quia vt ſic, vnus terminus eſt Deus, ſub propria ratione Deitatis, vel Deitas, vt hæc Deitas, quę de communi lege à nobis diſtincte cognoſci non poteſt. ſed tantum confuſe & in generali cõceptu; Nullum, enim conceptum habemus in aliquo lumine de Deo Trino, & Vno, quem nõ poſſit habere Hęreticus, & ſimpliciter Infidelis, quod proinde patet: quia eũdem conceptum, quem ego affirmo de iſtis terminis, & de concluſione formata ipſe Iudæus negat. ſed certum eſt quòd Iudæus non habet conceptum diſtinctum terminorum ſub proprijs rationibus, ergo neque ego. ſed talis apprehenſio terminorum requiritur ad hoc, quod concluſio ex principijs deducta ſciatur, igitur illud lumen non ſufficit ad ſcientiam.

Præterea ſi lumen iſtud cauſaret apprehenſionem terminorũ illius principij ſub proprijs rationibus, illud principium eſſet certiſſimum, ne dum per fidei adhæſionem, ſed etiam ex euidentia terminorum abſtractiue cognitorum ſub proprijs rationibus, & per conſequens concluſio ſequens eſſet euidentiſſima, atque ita Theologia eſſet certiſſima ſcientia ex euidentia terminorum, & eſſet alijs ſciẽtijs abſtractiuis certior: ex quo, enim termini apprehendũtur ſub proprijs rationibus, & in ipſis eſt tota neceſſitas, euidentia, & certitudo principiorum, & concluſionum, eſſet Theologia certiſſima ſcientia ex euidentia obiecti, q̃ ipſe negat.

Præterea alij arguent contra eum, quærentes quid ſit tale lumen; & reſpondens dicit, quod eſt quid ſpirituale ſicut charitas, ideo nõ poteſt oſtendi, ſed illi percipiunt hoc lumen, qui illud recipiunt. Contra hanc reſponſionem arguitur primo: quia charitas poteſt oſtendi ex actu interiori, quo inuenit homo ſe promptum ad diligendum Deũ, & ex actu exteriori, quo feruet in actibus extrinſecis pro aliquo dilecto; ſicut aliqua ſcientia oſtenditur actu interiori in intelligendo, & actu exteriori in bene docendo; ſed qui habent hoc lumen ſecundum eos, non melius, nec firmius adheret actu interiori credibilibus, propter lumẽ iſtud, quam alij ſimplices non habentes huiuſmodi lumẽ, ſed frequenter minus. igitur non debet poni: obſeruãdum eſt tamen circa hanc rationem quòd Doc. hic arguit, ex aliorum principijs, & forte hęc argumenta, vt notauimus ſupra non ſunt Doctoris ſed aliorum. Non, enim poteſt ſuſtineri ſecundum principia Scoti poſſe ſimpliciter, vel ſaltem ſufficienter probari nos habere charitatem, neque quemcunque alium habitum infuſum; vt ipſemet docet in. 1. d. 17. & ſupra præcedenti diſt. de fide infuſa. & licet per aliquas coniecturas poſſit quis cognoſcere ſe promptiorem eſſe, & magis idoneum ad eliciendum actum nunc, quam prius, & euidenter cognoſcat hoc prouenire ex aliqua cauſa; non cognoſcit tamen euidenter illam cauſam eſſe charitatem ſibi infuſam q. a: poteſt eſſe Dei voluntas,

vel aliquid

vel aliquid aliud, vt dicitur in prologo. q. 1. & d. 17. q. 1.

Ariſt. Præterea contra hoc eſt Phyloſophus 2. Poſt. text. vlt. contra Platonem, qui ponebat omnes ſcientias in nobis à principio, ſed quod eſſet quaſi obnubilata, & obruta, propter

Plato. impedimẽta aliqua, dicebat enim Plato, quod a principio creationis animæ omnes ſcientiæ fuerunt ſibi concreatæ, tamen iſti habitus latent nos, propter quandã obſcuritatẽ, quæ eſt in nobis, cum enim anima corpori vnitur, ob corporis obſcuritatem, & denſitatem obruitur, & obnubilatur, atque adeo cognoſcere nequit ſe huiuſmodi habitus habere, & ex hoc inſerebat Plato, noſtrũ ſcire non eſſe niſi reminiſci, quantum ad actum; non enim poſſumus habitu iam habito vti. Cæterũ hoc improbat Phyloſophus dicens, hoc eſſe inconueniens. ſ. habere tam nobiles habitus, & tamen latere nos. ergo pari modo eſt incõueniens ponere huiuſmodi lumen, & tamen latere nos nam habentem fidem non latet ſe habere fidem aliqualiter quin. ſ. ſciat ſe habere habitum in generali: quia enim credo. i. aſſentior iſti. Deus eſt Trinus & Vnus, & nõ niſi per fidem, ideo cognoſco me habere fidem in vniuerſali, licet non determinate infuſam, quod autem ille habitus inclinet me in verum ſimpliciter, hoc ſimpliciter credo. Cũ igitur habitus iſte ſit manifeſtior, & clarior fide; ſ. lumen quod ponis, non lateret habentem, quin ſciret ſe illum habere, & poſſet illum oſtendere actu extrinſeco.

Deinde ſi hoc lumen ponitur, quæro quando infunditur; ſi dicas quod in Baptiſmo ſimul cũ fide, ergo homo in deſerto exiſtens, & ſine doctore poſſet inuenire totam Theologiam, ſaltem quantum ad media neceſſaria, quæ ſunt in ea: quia poſſet per illud lumen terminos apprehendere, & complexionem facere, & ex principijs concluſiones deducere, atque ita totũ Theologiam ſcire quantum ad ea, q̃ neceſſaria ſunt: quia multa ſunt cõtingentia in ea ſicut alias fuit dictũ. 5. q. 3. prologi. & 4. Aſſumptũ patet: quia Henric. ponit illud lumen eſſe ſufficiens ad cauſandã ſcientiam habita iñ fide de artic. ſed poſita cã totali alicuius effectus, & nõ impedita, põt poni effectus, ergo &c.

Si autem dicas, quòd tale lumen non infunditur in baptiſmo, ſed poſtea quando. ſ. homo applicat mẽtem ad intelligendum ſcripturam. Cõtra quia tunc eius infuſio nõ eſſet miraculoſa, quando enim Deus aſſiſtit vt generalis cauſa ad aliquem effectum cauſandũ, ſi natura diſponit, non dicitur miraculoſe conferri, nec illud collatum dicitur eſſe ſupernaturale, ſed magis naturale, vt patet, de corpore organizato & animæ infuſione. Non enim infuſio animæ dicitur ſupernaturalis quia ſequit̃ ad corpus organizatum tamque ad præuiam diſpoſitionem ex ordinatione diuina. Si ergo Deus aſſiſteret cuilibet inquirẽti veritatem ſcripturæ ad præſtandum eiuſmodi lumen, nõ diceretur dari miraculoſe, neque ſupernaturale lumen diceretur, atque adeo non fuit miraculum, quòd Montes. i. Maiores habuerint hoc lumen, & non minores. Et ſi dicas, ꝙ non datur ſic; ſed quibus Deus vult. vt Hieronymo Ambroſio, Auguſtino, Baſilio, Gregorio, & alijs, atq; etiã ijs, qui non ſtuduerunt, vt Franciſco, Ægidio, Antonio, &c. ergo fruſtra laboramus in ſtudio in inquirendo veritatem, & eſſet multo melior, atque ſecurior via veniendi ad ſciẽdam Theologiæ, ſedere in Eccleſia, & rogare Deũ vt daret nobis hoc lumẽ, ſed hoc eſt falſum, vt patet de Sãctis Patribus, qui licet habuerint aliquam notitiam, nõ tamen ita amplam, ſicut Alex. de Ales. Albertus. D. Thom. D. Bonauentura Scotus & multi alij, qui laborauerũt ſtudendo.

Reſolutio quæſtionis. Ex his ergo patet quod non eſt ponendum tale lumen medium ad hoc, vt aliquis aſſentiat articulis fidei, atque adeo in hoc medio lumine nõ poſſunt ſtare ſimul de eiſdem credibilibus ſcientia, & fides.

Soluuntur motiua Henrici. Ad motiua Hen. reſpondet Scotus in calce huius qu. ſub. littera. L. §. ad aliud pro opinione ſecunda & ad primum dicit. Quod ſimplices credunt omnia implicitẽ, q̃ explicite credit Eccleſia, nec ſciunt fidem explicare nec defendere, atque adeo illi qui ſciunt, habent habitum diſtinctum à fide, ſed non in alio lumine, quam ſit fides; nec iſte habitus innititur principijs euidẽter notis in aliquo lumine: iſto tamen habitu non pollent plurimi fideles: quia ille habitus diſtinctus eſt à fide; nec eſt ſcientia, prout deſcribitur à Phyloſopho, nec eſt ſcientia habenti fidem. ita Scotus. In hac reſponſione conuenit Scotus cum Henrico in hoc, quòd in Montibus. i. in Doctoribus Theologis ponitur habitus alius à fide: diſſentit tamen ab eo in hoc: quia Hen. dicit quòd ille habitus medius habetur in alio lumine à lumine fidei, & qđ eſt in lumine ſcientiali; ſed Doct. ſub. dicit quòd habitus ille medius inter habitũ luminis gloriæ, & habitũ fidei, licet ſit à fide diſtinctus, non eſt tamen habitus ſcientialis; quia non procedit per medium euidens ex natura rei; ſed tantum ex creditis: nã lumen in propoſito, nihil eſt aliud, quam medium. Et ſi q̇s dicat habitus eſt lumen & eſt alius à fide, ergo per aliud lumen, quam per lumen fidei videntur cõcluſiones Theologicę. nego antecedens quo ad primam partem: nõ enim omnis habitus eſt lumen, lumẽ enim facit immediate cognoſcere, vel videre obiectum: iſte autem habitus non facit immediate videre obiectum, ſed mediante fide. Vnde obſer. eſt, quòd per lumen intelligitur vel mediũ, vel modus intelligendi rem; eſt autem triplex cognoſcendi

Modus cognoſcendi eſt triplex modus nimirum cum certitudine, & euidentia, cum certitudine & ſine euidentia: & ſine certitudine, & euidẽtia, ſed tantum probabiliter: cum certitudine, & euidentia aſſentimur concluſioni demonſtratæ, & hoc appellatur lumẽ ſcientiale, qđ procedit ex medio euidenti, & per tale medium ſcientia comparatur. ſecũdo mõ, ſ. cum certitudine ſine euidentia, aſſentimur propoſitionibus Theologicis, vt ꝙ Deus eſt Trinus & vnus &c. & certius aſſẽtior huic credibili, q̃ concluſioni demonſtratæ, & tamẽ ſine euidẽtia, quia non poſſunt a nobis pro ſtatu iſto termini diſtinctè concipi; & hoc appellatur lumen fidei. tertio modo aſſentimur concluſioni eductæ per ſyllogiſmum topicum cui tantum probabiliter aſſentimur. Iſte habitus ergo medius, cum nõ faciat aſſentire euidenter, quia nõ procedit per medium euidenter notum, ſed pręciſe creditũ, non eſt habitus in lumine ſcientiali, & cum non faciat tantũ probabiliter aſſentiri, non eſt habitus topicus ſicut opinio: ac quia facit aſſentiri certitudinaliter, & ſine euidentia, licet ſit diſtinctus à fide, facit tamẽ aſſentiri in lumine fidei, & hoc eſt quod vult dicere hic Doc. ſub. quod bene nota.

D. Augu. Ad omnes authoritates D. Aug. & aliorum Patrum ſi eſſent mille quæ videntur confirmare hoc lumen mediũ in quo credibilia cognoſci poſſunt vltra lumen fidei. Audiat eum. 15. de Trinit. c. vlt. vbi ita ſcribit. Cum inconcuſſe crediderint ſcripturis ſanctis tamquã veraciſſimis teſtibus, agant, orando, quærendo, & bene viuendo vt intelligant. i. vt quantum videri põt videant mente, quod videtur fide. hoc eſt videndo concordiam vnius cũ alio in ſcriptura, ſic ex conformitate intelligant vtrumq, q. d. D Auguſt. Vis eſſe Theologus; agas orando, inquirendo, & bene viuendo, vt intelligas, & quod non potes capere per rationes, mente videas: quia fide videntur, ſed qũo? reſpondet. legendo, ſtudendo; paſſus qui contradicere videntur concordando; paſſum paſſui conſerendo, atque ita habebis Theologiam. quia Theologia, quã habẽt Theologi, eſt quidam habitus acquiſitus ex ſtudio ſacræ ſcripturæ, per quem poſſunt eiuſdem ſcripturæ loca conciliare, quæ in vniuerſali pugnare videntur. Verum talis habitus non eſt ſcientialis, cũ non habeat euidentes rationes, per quas poſſit probare in Theologia articulos fidei.

Ricardus. Sed Contra Ricardus lib. 1. de Trinit. c. 4. inquit ꝙ non deficiunt demonſtrationes pro Trinitate probanda. dico quod verum eſt: deſunt tamen nobis rationes neceſſariæ ex principijs euidenter notis; vult dicere Doct. ꝙ duplex eſt Theologia. ſ. in ſe, & in nobis. In Theologia in ſe non deficiunt rationes neceſſariæ ad probandum multa de Sanctiſſima Trinitate: quoniam illi, qui vident Deum intuitiue ſicut Angeli poſſunt multa demonſtrare de eſſentia diuina. ex propria ratione diuinæ eſſentiæ; ſed nobis viatoribus deſunt demõſtrationes, & rationes neceſſariæ ex principijs euidenter notis. Nam demonſtratio vt dicit Phyloſophus. 1. Topicorum. c. 1. vel eſt ex primis, ſicut docet Idem Phyloſophus. 1. Poſt. text. com. 5. vel eſt ex his quæ ex primis, & veris, & immediatis fidem acceperunt. In propoſito autem principia, quæ habemus hic non accipiunt fidẽ quo ad nos ex primis, veris, & immediatis, nec ſunt prima vera, & immediata: quamuis ſimpliciter, & in Theologia in ſe. ſ. Dei, & beatorũ fidem acceperint ex primis, & veris, & immediatis. Ideo non poſſumus Trinitatem demonſtrare, & hoc vult Ricardus ibidem.

ARTICVLVS VI.

Vtrum obiectum fidei ſit aliquod ſcitum ita quod ſcientia ſtare poßit ſimul cum fide de eiſdem credibilibus.

IN hac q. ſunt duæ opiniones oppoſitæ. prima eſt qđ fides & ſciẽtia de eodẽ in eodẽ eſſe poſſunt. Ita Durãdus. q. 1. Prologi. verſiculo, nunc reſtat inquirere. & in 3. diſt. 31. q. 4. & 5. Pro cuius explicatione obſ. eſt pri-

Durand.

mo ꝙ in cognitione poſſumus conſiderare euidentiam, & claritatẽ, firmitatẽ, & certitudinẽ, tunc cognitione eſt claritas, & euidẽtia, qñ res quæ cognoſcitur videtur, mouet que efficaciter potentiã cognoſcitiuã tanq̃ eius obiectũ, certitudo vero eſt determinatio intellectus ad vnum verum; nam ſi ſit ad falſum, eſt firmitas tantum, & nõ certitudo; vnde aſſenſus hæreticorũ eſt firmus, ſed non certus, differentia autem inter certitudinem, & firmitatem eſt, quod firmitas ſe tenet ex parte potentiæ tantum, certitudo autem ex parte potentias, & obiecti.

Secundo obſer. eſt ꝙ proprium ſcientiæ eſt claritas, & euidentia, acquiritur. n. per demonſtrationem, q̃ efficaciter mouet intellectũ ad aſſentiendũ. Proprium vero fidei eſt certitudo; fundamentum. n. eius eſt firmiſſimũ, & certiſſimum. ſ. prima veritas, quæ nec falli, nec fallere põt: ex quo ſequitur aſſenſum ſcientiæ eſſe euidentẽ intuitiuũ & rei preſentis. aſſenſũ vero fidei eſſe obſcurum abſtractiuũ & rei abſentis, nõ localiter, (Deus. n. de quo eſt fides vbique eſt) ſed dicitur abſens qñ creditur: quia non mouet efficaciter & intuitiue potentiam ad ſui cognitionem.

Tertio obſer. eſt. hanc quæſtionẽ poſſe habere triplicẽ ſenſum, primus eſt an in eodẽ intellectu, & de eodẽ articulo poſſit eſſe habitus ſcientiæ, & fidei. ſecũdus eſt, An vterque habitus ſcientiæ & fidei poſſit inclinare ad eundẽ aſſenſum numero euiſdem articuli; tertio eſt an aliquis de eodem articulo duplicem poſſit habere aſſenſum, vnum fidei, & alterum ſcientiæ. His obſeruatis ſententia Durandi quatuor concluſionibus explicari poteſt.

Prima Cõcluſio Durandi: fides Theologica, & ſcientia ſi ſumantur pro habitibus ſunt cõpoſſibiles in eodem ſu-

1. Concluſio.

biecto, & reſpectu euſdẽ obiecti. Probatur. Phyloſophus Catholicus, habet ſcientiã de hac propoſitione Deus eſt, & Deus eſt vnus ſm habitũ, & habet habitum fidei de eadem concluſione quatenus reuelata eſt in ſcriptura. Audi Iſrael Dñs Deus tuus vnus eſt, & quatenus habet præceptum credendi illam, ſaltem in animi præparatione, quod nequit habere ſine habitu fidei ergo reſpectu illius concluſionis habet habitum ſcientiæ & habitum fidei.

Secunda Concluſio. Nequit aliquis habere ſimul actũ

2. Concluſio.

ſcientiæ, & actũ fidei Theologicæ reſpectu eiuſdem obiecti; ſenſus eſt, ꝙ reſpectu huius propoſitionis Deus eſt vnus & ſimiliũ, quæ poſſunt demonſtrari, & ſimul ſunt reuelatæ, nõ põt fieri, vt ſimul habeamus duos actus alterũ ſcientiæ & alterũ fidei ſimul. Probatur: q a intellectus nequit ſimul intelligere plura hoc eſt neq; põt intelligere ſecundũ plures ſimul, neq; pluribus actibus ſimul: ſicut. n. nequit idẽ corpus pluribus figuris figurari: ita nequit intellectus terminari pluribus ſpeciebus, vel pluribus actibus habentibus ſe p modum pluriũ: ſcdo probatur aſſenſus fidei eſt aſſenſus ineuidens: quia eſt aſſenſus rei nõ viſæ; aſſenſus vero ſcientiæ eſt euidẽs: quia eſt rei viſæ viſione intellectuali, ſed eſt impoſſibile, qđ idẽ ſit ſimul viſum & non viſum, vni & eidẽ intellectui, ergo etiam impoſſibile eſt, quòd actus ſcientiæ, & fidei ſe compatiantur in eodem ſubiecto reſpectu eiuſdem.

3. Concluſio.

Tertia Cõcluſio. Mediũ ſcientificũ, & authoritas fidei diuinæ, poſſunt concurrere ſimul ad producendũ vnũ, & eundẽ actũ, qui erit ſimul actus fidei, & actus ſcientiæ. Probatur, aliq̃ cauſæ poſſunt eſſe incõpoſſibiles ad producendos diuerſos effectus in eodẽ ſubiecto, & tñ poſſunt eſſe cõpoſſibiles ad producendũ vnũ effectũ in eodẽ ſubiecto. v. g. Sol & Lucerna nõ poſſunt ꝓducere in eodẽ aere duo lumina, quorũ alterũ ſit remiſſum, alterũ vero intenſum; & tñ ambo poſſunt producere vnũ lumen intenſum & mutuo ſe adiuuare; ſed ita ſe habent fides, & ſcientia, ſicut duo lumina alterũ maius, & alterũ minus, ergo fides, & ſcientia poſſunt cõcurrere ad vnũ, & eundẽ actum in eodẽ intellectu. Scdo probatur. Cũ aliquis fidelis hẽt primũ fidẽ illius articuli: Deus eſt vnus, per actũ fidei meret credendo, ſi iſte fidelis deinde acquirat ſcientiã illius propoſitionis Deus eſt vnus, iã nõ merebitur, ſi ille actus fuerit ſcientiæ & nullo mõ fidei, ex quo efficietur vt fidelis incurrat detrimentũ meriti, per hoc qđ acquirit demonſtrationẽ illius articuli: atq; ita melius ſibi foret non ſcire Phyloſophiã, q̃ ſcire. Tertio probatur. Prophetę recedẽte ſpiritu Prophetico, & Paulus recedente viſione, q̃ habuit in raptu retinebant memoriã euidentẽ eorum q̃ viderãt, & ſimul credebant, hoc aũt nequibãt facere per diuerſos actus, vt in ſcda concluſionẽ monſtratũ eſt, ergo ſm vnũ, & eundẽ actum habebant euidentem memoriã, & habebant fidẽ eorum, q̃ ſibi reuelata fuere: imo accedẽte habitu ſciẽtiæ, poſſent habere vnũ actũ ex trib9 cauſis, vt ſi haberent aſſenſum huius ꝓpoſitionis prædictæ p memoriã Prophetiæ, per habitũ ſcientiæ, & p fidem Theologicã.

Quarta Concluſio. Ille vnus aſſenſus, qui ex vtroq; medio dicto. ſ. ſcientiæ, & authoritate fidei diuinæ veluti ex vna totali cã procedit, habet ꝙ ſit euidẽs a ſcientia, ꝙ aũt 4. Concluſio.

ſit firmus & certiſſimus habet à fide. probatur, Cã q̃ per ſe & ſeparatim ſumpta nata eſt aliquid producere coniũcta cũ cã perfectiori illud idẽ producit ſublata tñ imperfectione pp concurſum cauſæ perfectioris; ſicut Sol, & Aſtrũ. Si. n. Aſtrũ ſeparatim capiat̃ illuminat q dẽ licet imperfecte, ſi coniungat̃ cum Sole, q̃ eſt cã perfectior, ſimiliter illuſtrat, ſed perfectius pp concurſum Solis, & illud lumẽ clarũ ab vtroq; efficitur. ſ. à Sole, & ab Aſtro tanq̃ à duabus cauſis partialibus vicẽ gerẽtibus vnius cauſæ totalis, & integræ. ita ſcientia cum fide producit eũdem effectũ. ſ. aſſenſum euidẽtẽ firmiorẽ tñ, & certiorẽ: quia quo ad certitudinẽ fides eſt cã perfectior, & ſimiliter q a mediũ Theologicũ ſeparatim ſumptum natũ eſt efficere aſſenſum certum tamen ineuidentem, ita ẽt coniunctũ, cũ medio demonſtratiuo gignit illũ aſſenſum, ſed ſublata ima perfectione nẽpe in euidentia pp cõiunctionẽ ſui cũ medio demonſtratiuo. Pro quo clarius intelligendo obſerua quòd in his, in quibus fides, & ſcientia cõueniunt mutuo ſe adiuuant. in his vero in quibus differunt nõ ſolũ nõ ſe Notabile.

adiuuant ſed vnũ corrũpit aliud. Vnde quia ſcientia, & fides differunt in claritate ſi ꝓpoſitioni de qua eſt ſciẽtia, accedat fides, nihil facit ad euidẽtiã, & ſi ꝓpoſitioni de qua eſt fides, accedat ſcientia, facit illã propoſitionẽ euidentẽ: quia vero fides, & ſcientia cõueniunt in certitudine, ſi propoſitioni de qua eſt ſcientia accedat fides, facit illã ꝓpoſitionẽ certiorẽ, & ſi propoſitioni de qua eſt fides accedat ſciẽtia, nihil facit ad certitudinẽ; probat̃ hoc: q a qñ aliqđ agens fortius aduenit ſup aliud debilius, producit effectũ vbi non inuenit productũ, vt ſi igni vt duo ꝓducenti calorẽ vt duo, adueniat ignis vt quatuor, producet calorẽ vt quattuor; ſed claritas ſcientiæ eſt maior claritate fidei, & certitudo fidei, eſt maior certitudine ſcientiæ ergo &c.

Secunda opinio eſt D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 5. pro qua ſit hæc concluſio. Scientia, & fides tam ſecundum habitus, q̃ D. Thom.

ſecundũ actus repugnãt intrinſece in eodẽ intellectu, & reſpectu euiſdem obiecti per ſe primo, & proprie, probatur. Implicat contradictionem, vt dũ aliquis effectus ꝓcedit ab aliqua cã, tanq̃ à cã immediata, & per ſe primo ſufficienter, & totaliter, idẽ effectus procedat ab altera cã in eodem genere cauſæ, ſed actus ſcientiæ huius propoſitionis. Deus eſt vnus finis naturalis rerũ, procedit ab habitu ſcientiæ per demonſtrationẽ. tanq̃ à cã propria immediata, & p ſe primo ſufficienter, & totaliter, ergo implicat cõtradictionem, vt idem actus procedat ab habitu fidei, neque totaliter neque partialiter. ſicut v. g. Dum homo generatur ab homine totã perfectionem quam poteſt habere homo genitus à ſua cauſa in genere cauſæ propriæ & immediatæ, & per ſe primo habet ab homine generante neque in eodem genere cauſę poteſt concurrere aliud præter generantem hominem vel partialiter, vel totaliter, ita actus ille ſcientiæ, de quo loquimur, cum totaliter habeat omnem claritatem, & certitudinem quam actus natus eſt habere ab aliqua cauſa tanquam à cauſa propria, & immediate, & per ſe, implicat contradictionem, quod idem actus aliquid accipiat à fide tanquam à cauſa propria, & immediate, & per ſe; ergo ſequitur, ꝙ

non

Digitized by Google

non poſſunt eſſe ſimul habitus fidei; & habitus ſcientiæ in eodem intellectu reſpectu eiuſdem obiecti:

Probatur etiam de actibus: quia actus credendi eſt obſcurus, & actus ſciendi eſt clarus, ergo priuatiue opponũtur ſicut lumen & tenebræ, ergo ſicut aliquid nequit eſſe in lumine, & in tenebris, ita intellectus nequit eſſe circa idem obſcurus, & clarus, alioqui erit ſimul in lumine, & in tenebris.

Et hoc ſequitur ꝙ loquẽdo de ſcientia, & fide ſecundũ proprietates fides & ſcientia nõ poſſunt eſſe ſimul de eodem in eodem. probatur, proprietas fidei eſt eſſe de rebus obſcuris, & abſentibus; proprium vero ſcientiæ eſt, qđ ſit de rebus claris & præſentibus, vt dictũ eſt notabili tertio ſed idem ſecundum proprietatem non poteſt eſſe in eodẽ clarum, & obſcurum præſens, & abſens, ergo &c.

In quo cõueniat ſententia. D.Thom. Durando.

Hæc opinio D. Thom. ſic explicata, tantũ concordat cũ ſententia Durandi in 2. Cõcluſione, cæteræ aũt impugnãtur ſufficienter illa probatione priori: in qua non ſolũ probatur quòd habitus fidei, & ſcientiæ de eodẽ obiecto repugnãt ſimul, ſed etiã, quod neq; poſſunt ſimul concurrere ad vnum actũ producendũ, vt dicebatur in tertia concluſione Durandi, & ex conſequenti improbatur quarta Concluſio, ſi quidẽ ex tertia. ſequebatur. Poſſent tamẽ hę duæ ſententiæ concordari hoc pacto, Intelligendo, ꝙ D. Thomas loquatur de fide, & ſcientia ſecundũ proprietatem conſiderans enim fidem dicere ineuidentiam, & obſcuritatem, ſcientiam vero euidentiam, & claritatẽ, aſſerit non poſſe eſſe ſimul de eodẽ in eodẽ: opinio vero Durãdi eſt intelligenda, & eſt vera quantum ad certitudinem, quod D. Thomas non negaret. imo. quæſt. 14. de veritate articul. 2. diſt. 15. dicit, quòd ſi fides ſumatur quantum ad certitudinem, eſt cognitio ſcientiæ, & viſio. Cæterum pro ſolutione rationum Durandi obſ. eſt primo, ꝙ de hoc art. Deus eſt Vnus poſſumus loqui dupliciter primo intelligendo diuinitatẽ tanq̃ vnum principium naturale, & finẽ naturalẽ vniuerſi, & hoc modo vnitas diuinitatis eſt demonſtrabilis ex creaturis pro hoc ſtatu, & põt eſſe ſciẽtia de illa propoſitione. ſecundo modo poteſt à nobis illa propoſitio conſiderari in quantũ apprehenditur à nobis vnitas diuinitatis ſub rõne ſupernaturali, qua Deus eſt author ſalutis ſupernaturalis, & finis beatitudinis ſupernaturalis; & ſub hac ratione Deus eſt obiectum per ſe, & directè fidei Theologicæ, neq; poteſt demonſtrari ex creaturis, neq; de illo poteſt eſſe ſcientia pro hoc ſtatu; & hoc modo loquitur D. Paulus Hebræorum. 11. qñ ſtatuit illũ articulũ primũ fidei noſtræ dicens. Credere. n. oportet accedẽtẽ ad Deũ, quia eſt, & inq̃rẽtibus ſe remunerator ſit.

Cõciliatur Durandus cum D. Th.

Dupliciter loqui poſſumus de hoc artic. Deus eſt vnus.

Ad fidem Theologicam quid ſpectet.

Secundo obſer. eſt, ꝙ ad fidẽ Theologicã non ſolũ pertinet, vt credamus Deũ ſub rationibus ſupernaturalibus ſed etiã vt præſupponamus Deũ cognitũ ſub ratione naturali in quantũ hoc prerequiritur ad fidem, q̃ habemus de Deo, vt eſt finis ſupernaturalis, neforte aliquis exiſtimet alium eſſe Authorẽ naturæ, & finẽ naturalem, & aliũ eſſe Authorẽ gratiæ & finẽ ſupernaturalem: Vnde fides directe inclinat ad aſſentiendũ, ꝙ Deus eſt finis ſupernaturalis, & præceptum fidei obligat ad credendum illum primum articulum. Deus eſt Vnus ſub ratione ſupernaturali: Inclinat etiam in directe, & præſuppoſitiue, ad aſſentiẽdum, quod Deus eſt vnus in quantum eſt Author & finis naturæ & ſimiliter ipſum præceptum fidei obligat ad credendum illum primum articulum, Deus eſt vnus ſub ratione naturali indirecte tamen, & præſuppoſitiue.

Tertio obſer. eſt ꝙ illa cognitio Dei vt eſt Author naturæ, q̃ præſupponit fides, vel poteſt eſſe demonſtratiua, vel ſolum quædã naturalis cognitio procedens à lumine naturali intellectus. Si eſt demonſtratiua, tunc iã fidelis nõ credit, neq; tenetur credere indirecte. v. g. ꝙ Deus ſit vnus. Non tenetur inquam credere illo modo ſub ratione naturali, tenetur tamen ſubijcere ſciẽtiã ſuã fidei, vt ab ipſa reguletur tanq̃ habitus inferior per habitũ ſuperiorẽ, & architectonicum. Si vero illa cognitio Dei, vt eſt vnus & ratione naturali cognitus nõ ſit demonſtratiua, ſed tãtum quædam ſimplex cognitio, quæ dicitur ſcientia ſm quamdam ſimplicem acceptionem, q̃ per naturale lumẽ intellectus acquiſita fuit. Tunc fidelis tenetur non ſolum præſupponere huiuſmodi cognitionẽ naturalem, ſed etiã tenetur credere indirecte illum articulum per fidẽ, & hoc præſuppoſitiue, & per modum ſupplementi, quam diu non habet demonſtrationem illius.

Ex his ſequitur, ꝙ ſiue fidelis habeat cognitionem demonſtratiuã ſiue aliã huius articuli Deus eſt vnus vt eſt Author naturæ, tamen debet per fidem, vt per habitũ ſuperiorem regulare talẽ cognitionem, & illã fidei ſubiicere, licet cognitio, quæ non eſt demonſtratio pluribus modis ſubiiciatur q̃ demonſtratio. ſecũdo ſequitur, ꝙ fidelis meretur per fidem in qualibet cognitione illa naturali p fidem regulata, & ſubiecta fidei, imo magis quãdo habet ſcientiam demonſtratiuam: quia cum meritum eſſentialiter dependeat à Charitate, & modo ex charitate, ſubiiciat fidei excellentius donum q̃ antea, magis merebitur: modo. n. ſubijcit ſcientiã demonſtrationis, antea vero ſubiiciebat ſolũ lumen naturale, ſm quãdam acceptionẽ ſciẽtię.

Soluuntur rationes Durandi.

His poſitis reſpondetur. & ad primam nego maiorem, videlicet, ꝙ duæ cauſæ ſi ſint totales immediate, per ſe, & proprie, poſſint eumdem effectũ producere; & ad exemplum de Sole, & lucerna. Dico, quod quãdo duo lumina ſunt imperfecta mutuo ſe adiuuant in eodem medio, tũc enim concurrunt in virtute vnius luminoſi tertij perfecti tamen ſi ex duobus illis luminoſis imperfectis alterum paulatim perficiatur, paulatim etiã offuſcatur minus, & cum fuerit ſufficienter, & totaliter perfectum, totaliter offuſcabit minus luminoſum, atq; ita ſe habet Sol cũ lucerna, ſ. ꝙ totaliter illuminatur aer à Sole, & minime à lucerna. hoc intelligi debet, quando aliunde non ſit impedimẽtum, vt Sol perfecte, & inquantũ põt illuminet, & ita patet quod exemplum non eſt ad propoſitum, ſed potius ad oppoſitum; ſicut enim ſcientia illuminat ſufficiẽter, & totaliter ſuam concluſionem in genere cauſæ propriè, & p ſe, & immediate, Vnde impoſſibile eſt quod fides illuminet concluſionem ſcitam in genere cauſæ propriè & p ſe, & immediate. ita duo lumina mutuo ſe iuuant reſpectu eiuſdem medij, ſi ſunt eiuſdem ſpeciei in natura luminis, & vnum non ſit ita perfectum, quod præueniat actionẽ alterius. Sed ſcientia, & fides non ſunt eiuſdem ſpeciei in natura luminis ſed potius diuerſæ.

Ad ſecundam reſpondetur, ꝙ ille talis fidelis quãdo acquirit demonſtrationem non perdit fidẽ ratione dicta, & Phyloſophus Chriſtianus licet habeat ſcientiã demonſtratiuã, põt habere fidẽ nõ de illo articu. ſic demõſtrato, ſed qđ Deus eſt vnus & finis ſupernaturalis, & author gratię habetq; cognitionẽ demonſtratiuam fidei ſubiectã, atq; ita ille actus ſcientiæ, qui totaliter eſt à ſcientia, acquirit extrinſece certitudinẽ fidei Theologicæ, quatenus regulatur à fide in ordine ad finem ſupernaturalem. Ad illud de Prophetis, & D. Paulo. dico ꝙ Prophetæ & D. Paulus in raptu non potuerunt habere actum fidei illorum, quæ videbant; habebant tamen habitum: quia illa viſio erat per modum tranſeuntis, quæ habitum fidei non tollebat.

Sententia Scoti.

Doctor noſter ſubtilis, qui hanc q̃ſtionẽ mouet in hac. diſt. multa dicit Contra D. Tho. & Gandauenſem, vt vidimus in ſuperioribus articulis. conuenit tñ in concluſione cum D. Tho. nimirũ ꝙ ſcientia non poteſt ſtare ſimul cũ fide. Pro cuius explicatione obſ. eſt, ꝙ ſcientia dicitur multipliciter, primo dicitur ſcientia notitia cum adheſione firma, abſq; euidentia rei, ſecundo mõ dicitur ſcientia, notitia illa, q̃ habetur de aliqua re vera determinate, licet nõ habeatur per principia propria illius rei, ita vt nõ eſt p̃ciſe aſſenſus ſeu credulitas, qua adheremus teſtimonio aliena, ſed eſt aſſenſus ſimilis ei, quo veritati ſcitæ aſſentitur: licet non ex eiſdẽ cauſis. ſ. euidentia neceſſaria, eſt quę ſciẽtia hoc ſecũdo mõ notitia, qua aſſentimur non veracitati teſtiũ; ſed ipſi veritati ſine formidine de oppoſito, eo mõ, quo aſſentimur veritati ſcitę; licet non ex eiſdem cauſis. i. licet non ex euidentia obiecti; de qua ſcientia loquiť Phyloſophus. 6. Ethy. cap. 4. & 7. quòd habitibus intellectualibus dicit aliquis determinate verũ, & aſſentit uni parti cõtradictionis ſicut aliquis aſſentit et concluſioni demõſtratæ. tertio capitur ſcientia propriiſſime, vt capitur ab Ariſ. 1. Poſt. text. 5. ad quam vt ex eodem Phyloſopho colligitur quatuor cõditiones ſunt neceſſariæ. prima vt ſit cognitio certa, ita vt excludat dubitationem, & deceptionem, atque ita diſtinguitur à deceptione, opinione, & errore. ſecunda quòd ſit de obiecto neceſſario. i. quod non poſſit aliter ſe habere, qualia ſunt contingentia tertia quòd ſit p

Scientia diciť multipliciter.

Ariſt.

Sciẽtia habet quatuor conditiones.

Digitized by Google

cauſam euidentem intellectui.i.à principijs euidenter notis intellectus: quomodo fides non dicitur ſcientia: quia eſt de ineuidentibus, quarta quod talia principia euidenter nota applicentur per diſcurſum ſyllogiſticum, ad inferendam concluſionem.

Propterea dicit Phyloſophus.1.Poſt.t.cap.5. Tunc ſcire opinamur vnumquodque ſimpliciter, & non ſophyſtico modo &c. ex qua definitione ſcire colliguntur iſtæ quatuor cõditiones ſcientiæ, ex eo enim quod dicit, & non ſophyſtico modo, qui eſt ſecundum accidens habetur quòd ſit cognitio certa; nam illa particula excluditur deceptio & dubitatio, & ex eo quod dicit, & non contingit aliter ſe habere habetur ſecunda conditio, quod ſit de cognito neceſſario; tertia vero conditio habetur ex illa particula, cum cauſam illius cognoſcimus, vltima vero colligitur ex illa particula. Et quoniam illius eſt cauſa.

Scientiæ definitio.

Et his autem quatuor conditionibus poteſt ſic ſcientia magiſtraliter definiri: ſciẽtia eſt cognitio intellectiua certa, & euidẽs, complexa, neceſſaria, iudicatiua, cauſata per præmiſſas, applicatas cõcluſioni per diſcurſum ſyllogiſticũ. Dicitur primo cognitio loco generis, dicitur intellectiua ad diſtinctionẽ ſenſitiuæ quæ non eſt ſcientia, dicitur certa, & per hoc diſtinguitur ab opinione, quæ eſt cũ formidine de oppoſito; dicitur euidens, per quod diſtinguitur à fide, quæ licet ſit certa, non eſt tamen euidens. dicitur cõplexa, ſuple terminatiue, ſeu obiectiue: quia cognitio ſimplex, & incomplexa non eſt ſcientia, dicitur neceſſaria non quidem entitatiue & formaliter, ſed obiectiue, quia eſt de obiecto neceſſario; dicitur iudicatiua, i. aut cũ aſſenſu, & ſic iudicamus eſſe de aliquo vero, vel cum diſſenſu ſicut iudicamus eſſe de aliquo falſo, dicitur cauſata per præmiſſas natas applicari concluſioni per diſcurſum ſyllogiſticum. & per hoc differt à notitia præmiſſarum, quæ non eſt diſcurſiua, cum principia ſint primo nota, vt docet Ariſt.1.Poſt. Principia cognoſcimus in quantum terminos cognoſcimus.

1. Concluſio.
D. Auguſ.

Prima Concluſio Scoti: ſcientia primo modo bene poteſt eſſe cum fide, & poteſt eſſe ipſa fides, probatur ex Auguſtino in multis locis videlicet.1.Retractationum.c.13. & 14. de Trinit. & 11. de Ciuit. Dei. ca 2. Profecto inquit ea, quæ remota ſunt à ſenſibus noſtris; quoniam noſtro teſtimonio ſcire nõ poſſumus de his alios teſtes quærimus, eiſque credimus, à quorum ſenſibus remota eſſe, vel fuiſſe non credimus, & ſicut eſt in ſenſu quod credimus alijs de his, quæ videntur, ſic eſt in intellectu ſecundum ipſum de his, quæ mente ſentiuntur: quia & ipſe ſenſus mẽtis rectiſſime ſenſus dicitur. & 15. de Trinit. ca. 12. ait. Abſit qđ nos ſcire negemus, quæ teſtimonio didicimus aliorum; alioqui neſcimus Oceanũ eſſe, terras, atq; vrbes, quas celeberrima fama commendat: ergo ſcientia primo modo, vt eſt notitia cum adheſione firma, abſq; euidentia rei, nedum ſtat cum fide, imo eſt ipſamet fides. Et confirmatur: Nam & Scriptura ſacra fidem appellat ſciẽtiam, Lucæ.n. 1. Zacharias loquens cum Ioan. Baptiſta ait. Præibis ante Dominum parare vias eius. & addit. Ad dandam ſcientiã ſalutis plebi eius &c. loquitur autem de notitia fidei. Itẽ Iob. 19. Scio quod Redẽptor meus viuit &c. Id antẽ nõniſi per fidem ſciebat. Item ſapientiæ 10. dedit illis ſcientiam ſanctorum. Et Hieremiæ. 3. Dabo vobis Paſtores, & paſcent vos ſcientia, & doctrina, & c 9. In hoc glorietur q̃ gloriatur ſcire, & noſſe me. &. 1. ad Corint. 13. Inquit. D. Paulus ſiue linguæ ceſſabunt ſiue ſcientia deſtruetur, vbi nomine ſcientiæ ſecundum Caiet. intelligit Theologiã.

Caietan.
2. Concluſio.

Secunda Concluſio: ſcientia ſecundo modo, poteſt eſſe cum fide, & poteſt eſſe ipſa fides. hæc concluſio patet, Tum quia fides eſt habitus, quo determinate verum dicimus. Tum quia aliquis poteſt aſſentiri firmiter huic concluſioni homo eſt riſibilis, licet nõ habeat euidentiã principiorum, ſed aliquo alio habitu intellectus videlicet: q̃a illam audiuit à viris doctis, atq; ita habebit firmam notitiam de illa ſine dubitatione, & deceptione, & ſimul fidẽ atque ita fides qua quis aſſentitur alteri parti cõtradictionis determinate eſt ſcientia ſecundum Phyloſophum, & ſi eſt de ſpeculabilibus reducitur ad ſcientiam; ſi de agebilibus ad prudentiam, ſi de factibilibus ad artem, atq; ita patet quomodo hoc modo accipiendo ſcientiam fides infuſa, & ſcientia de reuelatis ſtant ſimul: quia ſic non accipitur proprie ſcientia, ſed præciſe quo habitu pro determinate verum dicimus.

Tertia Concluſio ſcientia tertio modo dicta non ſe cõpatitur in fide; hanc concluſionem probat Scotus authoritate, & ratione, quæ habentur poſt argumenta principalia. Authoritas eſt D. Pauli: 2. ad Corint. 5. dicentis. per fidem .n. ambulamus & non per ſpeciem. Vbi Gloſſa. Modo per fidem tantum illuminamur. ſi tantum per fidem ambulamus, ergo non ſcimus, quæ credimus: patet quia excluſiua eſſet falſa, ſi ea quæ credimus, ſciremus, q̃a non tantum ambularemus per fidem. Secundo probatur ratione. Notitia fidei, eſt notitia ineuidens ex natura rei; notitia vero ſcientiæ proprie dictæ. eſt euidens ex natura rei, ſed nihil poteſt cognoſci ſimul euidenter, & ineuidẽter, ergo neq; poteſt eſſe ſimul ſcitum, & creditũ, atq; ita impoſſibile eſt qđ aliq̃s poſſit habere fidẽ de hac cõcluſione Deus eſt Trinus & vnus, & ſimul ſcientiã euidentẽ.

Argumenta principalia. Scoti.

Contra hanc concluſionem arguit Doct. ſub. 7. rationibus, quæ habentur in principio quæſtionis. prima eſt talis. Ioann. 20. dicitur: Quia vidiſti me Thoma credidiſti; ſed Thomas, habuit de Chriſto certam notitiam intuitiuam, atque etiã fidem, ergo fides & ſcientia poſſunt ſtare ſimul de eodem: minor patet quoad vtramque partem nam quòd habuerit notitiam intuitiuam patet, quia dicitur: Quia vidiſti me Thoma, quod habuerit fidem etiã patet, quia ſubditur Credidiſti: ergo &c.

D. Greg.

Reſpondetur ex D. Gregor. homil. in octaua Paſchæ vbi dicit, quòd Thomas aliud vidit, & aliud credidit, vidit hominem, & credidit Deum: nam ſtatim exclamauit. Dominus meus & Deus meus.

Contra, & eſt ſecundũ argumẽtũ principale Petrus & Ioan. viderunt Chriſtum Crucifigi, & credebant Chriſtum Crucifixum, ergo habuerunt notitiam intuitiuã de illo homine crucifixo, & de eodem habebant fidem, patet quia eſt vnus articulus fidei: Non enim dicẽdum eſt eos tunc fuiſſe extra fidem, vel non habuiſſe fidem de illo articulo ergo ſtant ſimul de eodem ſcientia & fides.

Reſpondetur, ſi teneatur, quod omnium articulorum ſit vna fides poteſt dici, q̃ habuerunt fidem de alijs articulis, atq; ita credidiſſent eum eſſe crucifixum, ſi non vidiſſent, ſed ex quo viderunt, non crediderunt pro tunc, nec vnquam poſtea recogitãdo illius crucifixionem ſicut dũ intuitiue videbant, non credebant: habebant tamen habitũ fidei, quo credidiſſent ſi illum crucifigi non vidiſſent. Cum ergo dicitur Petrus & Ioan. viderunt Chriſtũ crucifixũ, cõcedo; & tñ crediderunt Chriſtũ crucifixũ nego.

Poſſet etiã aliter reſponderi; q̃ Petrus & Ioan. ſemp habuerunt fidẽ de iſta propoſitione hic hõ moritur, ſi illud pronomen hic deſignet ſuppoſitũ diuinũ ſuſtentans naturam humanã, ſi autem illud pronomen determinat naturam humanã ſingularem, vt ſic, de vita & morte Chriſti habuerunt ſcientiã experimentalẽ, atq; adeo vt illud. hic denotat ſuppoſitũ diuinũ, aliud videbãt. ſ. illum hominẽ ſingularem viuere, crucifigi, & mori, & aliud credebant ſcilicet illum hominem eſſe Deum, ac proinde Deum, crucifigi, & mori. quia ſuppoſitũ illius hominis erat diuinum. non ergo de eodem habebãt ſcientiam, & fidem.

Tertio arguitur ad eandẽ concluſionẽ probandã, &c. ſcientia & opinio poſſunt eſſe de eodẽ, ergo fides & ſcientia: conſequentia probatur: quia fides & ſcientia minus repugnãt q̃ ſciẽtia, & opinio: patet q̃ ſcientia, & opinio differunt dupliciter, primo quia ſcientia habet certitudinẽ & opinio formidinẽ, ſecundo ſcientia habet euidẽtiã, & opinio minime, ſcientia vero non differt à fide niſi vnica rõne, nẽpe quia ſcientia eſt euidens. Fides aũt non: ergo minus repugnãt fides, & ſcientia q̃ ſcientia, & opinio, probatur antecedens, quia ad eandẽ cõcluſionẽ probandã põt aliquis ſimul habere ſyllogiſmũ dialeticũ, & demõſtratiuum, ſi ſyllogiſmo dialetico vtatur habebit opinionem, ſi vero demonſtratiuo ſcientiã, ergo habebit ſimul ſcientiã & opinionẽ de eadẽ concluſione; nã quãdo cauſæ aliquorum effectuum ſunt cõpoſſibiles in eodẽ, etiam & ipſi effectus erunt compoſſibiles: ſi.n. albedo, & nigredo eſſent in eodẽ compoſſibiles, & diſgregare, & cõgregare q̃ ſunt effectus albedinis & negredinis eſſent in eodẽ cõpoſſibiles; ſed ſyllogiſmus topicus, & demonſtratiuus ſunt compoſſibiles in eodem intellectu; ergo ſcientia & opinio.

Reſponde-

Digitized by Google

Reſpondetur, Quando effectus ſunt ſimul in eodem incompoſſibiles, etiam eorum cauſæ ſũt ſimul incompoſſibiles in cauſando. exemplum frigidũ, & calidum in ſummo ſunt incompoſſibilia in eodem, atque adeo ſi ignis producat in aliquo ſubiectò ſummum calidum; frigus nõ poterit in eodem cauſare frigidum: nam ſi vna cauſarum cauſat, altera non cauſabit impedita à fortiori: cum igitur ſcientia, & opinio ſint ſimpliciter incompoſſibiles in eodem, de eodem obiecto, eſto quòd aliquis habeat primo de aliquo obiecto opinionem, ſi ſuperueniat demonſtratio corrumpetur opinio; & ſi aliquis per demonſtrationẽ habeat primo ſcientiam de aliquo obiecto, ſi eamdem Concluſionẽ probet ſyllogiſmo topico, medium topicum nihil faciet impeditum à demonſtratiuo. Cauſa namque perfectior, qui eſt ſyllogiſmus demonſtratiuus impedit dialeticum, atque ita nunquam effectus erunt ſimul, neq; cauſæ ſimul cauſabunt. poterunt itaque cauſæ eſſe ſimul in eſſendo; vel in eſſe naturæ, ſed non in cauſando, ſiue in ratione cauſæ.

Contra. Pono quòd medium topicum ſit vt 2. & medium demonſtratiuum ſit tantum, vt quinque, tunc vel illud medium cauſabit ſcientiam, & ita ſimul erunt ſcientia, & opinio, vel non cauſabit, atque ita medium demonſtratiuum non ſemper cauſabit ſcientiam. Dico, quòd Tu ponis comparationem inter incomparabilia plus, enim efficit vnus gradus medij demonſtratiui, quam infiniti gradus topici; cum ſint ſpecie diſtincti, atque ita medium topicum nihil cauſabit. Contra. pono è conuerſo, quòd ſit medium demonſtratiuum, vt quinque cauſans ſcientiam, vt quinque ſuperuenit medium topicum vt mille, ergo vincet demonſtratiuum, probatur. medium demonſtratiuum eſt finitæ virtutis, ergo tantum poterit intendi medium topicum quòd vincet illud. Dico quòd licet medium demonſtratiuum ſit virtutis finitæ, eſt tamen infinitæ reſiſtẽtiæ quo adhoc vt nunq̃ poſſit totaliter vinci atque ita reſiſtet cuilibet opinabili medio. Ad argumẽtum ergo nego antecedens, & ad probationem dico, ꝙ ſi quis habeat ſyllogiſmum dialecticum, & demonſtratiuũ, non aſſenſit propoſitioni per dialecticum, ſed per demonſtratiuum. quia impeditur ſyllogiſmus dialecticus, vt dictum eſt.

Quarto arguitur, Theologia poteſt ſtare cum fide, ergo ſcientia poteſt ſtare cum fide: probatur antecedens ex. D. Auguſt. 14. de Trinit. c. 1. dicente. Huic ſcientię tribuo

D. Auguſ. illud, quo fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur & roboratur; & loquitur ibi de Theologia, cuius eſt defendere fidem; nam ſi non eſſent Theologi periret fides: ergo Theologia ſtat cum fide. probatur conſequẽtia. quia Theologia eſt ſcientia, vt patet ex D. Paulo. 1. ad Corint. 12. Alij datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, alij prophetia &c. & Gloſſa dicit, quòd per ſcientiam intelligitur

Gloſſa. Theologia, ergo habens Theologiam habet ſcientiam, vt diſtinguitur contra fidem; ſed huiuſmodi ſcientia non deſtruit fidem, ſed nutrit, roborat, atque defendit; vt patet ex D. Aug. ergo ſcientia ſtat ſimul cum fide de eiſdem credibilibus: nam de quibus eſt fides de eis eſt Theologia.

Reſpondetur, quòd fidelis Theologus habet habitum, quo ſcit exponere, argumentari, & concluſiones deducere &c. diſtinctum quidem, & alium à fide, cęterum ille habitus non eſt ſcientia pro vt ſciẽtia definitur à phyloſopho. 1. Poſt. tex. 5. Ad arguementum ergo nego conſequentiã; & ad probationem dico quòd licet Theologia ſit ſcientia, prout definitur ab Ariſt. 6. Ethy. non tamen proprie prout definit eam. 1. Poſt. Ad D. Paulum dico, quod ſumut ſcientiam pro vt definitur. 6. Ethy.

Quinto arguitur. Poteſt aliquis lumine naturali habere ſcientiam de obiectis fidei naturaliter cognitis, ergo poteſt aliquis habere ſcientiam in lumine ſupernaturali, & fidem de eiſdem obiectis ſupernaturaliter cognitis, atque adeo de eodem habetur ſcientia, & fides. probatur conſequentia. quia lumen ſupernaturale nempe fidei eſt perfectius, quam ſit lumen naturale, ſed in lumine naturali, & virtute intellectus cum motione obiecti, poteſt aliquis acquirere ſcientiam, ergo etiam in lumine ſupernaturali.

Reſpondetur concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens, vel in lumine ſupernaturali perfectiſſimo, ꝙ habent beati, & ſic concedo; vel in lumine ſupernaturali imperfecto, vt eſt fides, & ſic nego; & hoc eſt quod vult dicere doctor cum inquit, ſi accipiatur lumen vtrobique in ſuo genere perfectum, bene procedit argumentum, & ideo in lumine gloriæ habetur ſcientia de obiectis ꝓportionatis, ſed ſicut argumentum procedit nihil valet: quia lumen naturale, in quo habetur ſcientia naturaliter, eſt ſupremum lumen, & perfectiſſimum in ſuo genere. lumen vero fidei eſt infimum inter lumina ſupernaturalia, ideo non ſequitur. ſi in hoc. ſ. in lumine naturali perfectiſſimo poteſt haberi ſcientia, ergo & in illo. i. in lumine ſupernaturali imperfectiſſimo. Pro ampliori intelligentia huius reſponſionis obſer. eſt; quod lumen naturale eſt intellectus cum motione obiecti. lumen autem ſuper naturale eſt duplex perfectum, quod eſt lumen gloriæ, & imperfectum, quod eſt fides; atque adeo non bene arguitur. quia non bene fit comparatio, ſic enim debet argui, in lumine perfectiſſimo naturali, quod eſt medium demonſtratiuũ poteſt haberi ſcientia, ergo etiam in lumine ſuper naturali perfectiſſimo. quod eſt lumen glorię. oportet. n. comparare optimum optimo, quod non fit in argumento.

Lumen ſuper naturale eſt duplex.

Sexto arguitur. Aliquis in lumine naturali ſolum, poteſt habere iudicium ſufficiens ad cauſandam ſcientiã de aliqua concluſione Geometrica, ergo etiam in lumine ſupernaturali, poteſt aliquis habere iudicium certũ ad cauſandam ſcientiam de credibilibus. probatur antecedens: quia in lumine naturali habeo iudicium, ſiue medium, quod eſt ſufficiens ad cauſandum ſcientiam. ſequela probatur: quia nullus eſt cui non ſit magis notum, quod Deus nõ poteſt fallere, nec falli, quam quod homo lumine naturali non poſſit decipi de aliquo cognoſcibili in iudicando ſed aliquis in ſolo lumine naturali, poteſt habere iudicium certum, quod ſufficit ad ſcientiam de aliqua cõcluſione Geometrica, igitur poteſt aliquis habere iudiciũ certũ in lumine ſupernaturali de aliquibus credibilibus, quod ſufficit ad ſcientiam; cum certius ſit Deum non poſſe falli nec fallere, quod confert lumen ſuper naturale, q̃ ſit de lumine naturali; ſed conſtat quod de credibilibus habet quis fidem, ergo ſimul de eodem poteſt eſſe ſimul fides & ſcientia.

Reſpondetur, quòd hoc argumentum procedit de maioribus. ſ. Prophetis, & Apoſtolis, quibus data fuit notitia de credibilibus, quæ in eis fuit ita certa, ſicut eſt nobis certa concluſio demonſtrata demonſtratione propter quid imo certior, atque ita de credibilibus erant certi, ſicut ego certus ſum de hac propoſitione totum eſt maius ſua parte; cæterum illa certitudo non erat cauſata ex euidentia rei, Et hoc eſt quod vult dicere Scotus cum inquit, quòd argumentum procedit de maioribus habentibus habitũ, quo aſſentiunt veritati reuelatæ tantum, quantum homo in lumine naturali aſſentit primis principijs, vel concluſioni probatæ ex illis, quæ excludit omnem dubitationẽ; ſed illa certitudo non fuit in eis ex euidentia obiecti, Et quamuis aliquis poſſet forte demonſtrare Deum non poſſe fallere nec falli: quia poteſt probari naturaliter; ſicut poteſt probari Deum eſſe; non tamen poteſt ſciri vel probari ab aliquo; quod Deus dederit nobis lumen ſuper naturale, in quo de reuelatis non poſſumus falli, ſed hoc credimus: quia dare tale lumen, dependet ex mera voluntate Dei; Hoc tamen oporteret ad hoc, quòd in lumine ſuper naturali haberetur ſcientia ex euidentia rei. Ad argumentum ergo nego conſequentiam, & ad probationem dico quòd licet aliquis poſſit eſſe certus etiam per demonſtrationem, quod Deus non poteſt fallere, nec falli, tamen non eſt nobis naturaliter notum, quod Deus dederit nobis lumen ſuper naturale, in quo de reuelatis non poſſumus falli, ſed hoc tantum credimus. Poſſet etiam reſponderi adhoc argumẽtum, per reſponſionem datam ad q̃ntum: ſ. quod ex lumine ſupernaturali imperfecto, quod eſt lumen fidei non poſſumus habere ſcientiam.

Septimo arguitur. Prima Principia, ſunt immediata & neceſſaria, & nota ex euidentia terminorum apprehenſorum, ſed in credibilibus ſunt aliqua prima principia immediata, ergo erunt neceſſaria, & nota ex euidentia terminorum; ſed ex principijs ſic notis poteſt haberi ſcientia deducendo ex illis concluſiones, ergo de credibilibus poteſt haberi ſcientia, & fides. Minor probatur, ſi in Theologia non eſſent aliqua principia ſimpliciter prima, & im-

Digitized by Google

mediata, nihil eſſet creditum, conſequens eſt falſum ergo & antecedens, conſequentia probatur. Si enim in credibilibus procederetur in infinitum, non poſſet dari aliquod primum credibile, at in eſſentialiter ordinatis vbi non eſt dare primum, nec aliquid poſteriorum 2. Meth. text. 26. Et ſi dicas quod aliqua credibilia ſunt ſimpliciter prima, ſicut Deum eſſe Trinum, & vnum, ſed tamen hoc nõ eſt cognitum ex euidentia terminorum appreheſorum: quia non poſſumus tales terminos apprehendere. & per conſequens illud principium non eſt nobis per ſe notum, ſed tã tum creditum. Contra, niſi termini apprehenderentur nũ quã formaremus hanc complexionem. Deus eſt Trinus & vnus, & per conſequens de complexo non haberemus fidem. igitur ſtat ratio.

Incredibilibus datur aliqd primũ immediatum per ſe notũ & neceſſariũ. ſed nõ nobis.

Reſpondetur, quòd in credibilibus eſt aliquod primũ, & immediatum, & neceſſarium. ſ. quod Hic Deus ſub ꝓpria ratione eſt Trinus in perſonis, & vnus in eſſentia hac ſub ratione huius; ſed ad illam propoſitionem immediatam non attingimus: quia nec terminos ſub proprijs rationibus eorum intelligimus, ſed ſolum in conceptibus vniuerſalibus in illis proprijs cõceptibus incluſis virtualiter. Vnde noſcimus Trinitatem, ſecundum quod abſtrahitur à Trinitate in numeris, vel in rebus corporalibus numeratis, & concipimus Deum non ſub propria ratione eius in ſe, ſed in ratione entis, & cauſæ, & ſic de alijs conceptibus generalibus, in quos deuenimus ex conceptibus communibus ſibi, & creaturis, ſed ad conceptus proprios Dei in ſe, ſicut eſt, Deitatis, Trinitatis perſonarum, & vnitatis naturæ non deuenimus in via clare nec confuſè, ſed intelligimus in communi quid eſſentia, & quid perſona, & poſtea credimus ibi eſſe tres perſonas, & vnam eſſentiam in tribus. Non igitur deuenimus in credibilibus ad aliquam propoſitionem immediatam, quamuis aliqua ſit talis in ſe; aliter nulla poſterior eſſet, & ideo ſcientiam de credibilibus non habemus, ſed oportet reſoluere omnem conceptum quem nos habemus in plures conceptus partiales antequam deueniretur ad conceptum ſimpliciter primũ, dẽ eſſentia & perſonis.

Propoſitio immediata eſt duplex.

Pro intelligentia huius reſponſionis obſer. eſt, quòd licet Doct. dicat, quod hęc propoſitio Deus eſt Trinus & vnus. eſt ſimpliciter prima & immediata, hoc tamen non dicit aſſerendo, ſed exemplificando exempla, enim ponimus non quod ita ſit &c. Nam Scotus. 3. q. Prologi. & 14. quol. dicit quod hæc propoſito Deus eſt Trinus & vnus poteſt demonſtrari à cognoſcente in particulari, & diſtincte Dei quidditatem. Vel dicas, quod duplex eſt propoſitio immediata, quædam eſt immediata immediatione ſubiecti, vt omnis homo eſt riſibilis, quædam immediatione cauſæ, vt omne animal rationale eſt riſibile. hæc propoſitio Deus eſt trinus & vnus; ſi eſt aliquo modo immediata, eſt tantum immediata immediatione ſubiecti.

Secundo obſer. eſt, quòd cum dicit Scotus q̃ ad conceptum proprium Dei non deuenimus in uia clare nec confuſe, intelligit de conceptu proprio ex proprijs accepto, at non de conceptu proprio accepto ex communibus, nam ad iſtum conceptum ens infinitum, qui eſt Dei proprius ex communibus tamen acceptus poſſumus naturaliter deuenire, vt docet ipſemet. 3. quæſt. prolog. & in 1. diſtinct. 2. quæſt. 1.

Obiectũ aliqd põt biſaria cõfuſe cognoſci.

Tertio obſer. eſt; quòd aliquod obiectum poteſt biſariam cognoſci confuſe, priori modo cognoſcendo illud in vniuerſali, vt cognoſcendo hominem quia animal, vel q̃a ſubſtantia. altero modo ſecundum quid vt cognoſcendo hominem non cognoſcendo definitionem eius, ſicut Ruſticus hominem cognoſcit vult ergo dicere Scotus quòd in via non cognoſcimus Deum confuſe. ſcilicet quantum ad quid nominis: quia non cognoſcimus quid ſignificetur per hoc nomen Deitas, bene tamen cognoſcimus Deitatem in vniuerſali, vt puta in conceptu entis.

ARTICVLVS VII.

Vtrum aliqua notitia habitualis, aut actualis alia à ſcientia, & a fide poſſit ſtare ſimul cum fide.

Notitia eſt duplex.

PRO intelligentia huius quæſtionis obſer. eſt, duplex eſt notitia; quædam incomplexa quæ habetur de terminis ſimplicibus, & quædam complexa, quæ habetur de propoſitione.

Secundo obſer. eſt quod notina non dicitur incomplexa, aut complexa formaliter, & entitatiue quia vt ſic omnis notitia eſt qualitas ſimplex. nec incomplexa nec incõplexa proprie, ſed dicitur complexa, vel incomplexa terminatiue, vel obiectiue, quia. ſ. eſt de obiecto complexo, vel incomplexo; Notitia quę eſt de obiecto complexo dicitur complexa, quæ autem eſt de obiecto incomplexo, incomplexa appellatur.

Notitia complexa eſt duplex

Tertio obſeruandum eſt, quòd notitia cõplexa eſt duplex, quædam apprehenſiua tantum, vt quoniam aliquis apprehenſis terminis componit, propoſitionem, ſed nõ iudicat de eius veritate, vel falſitate; vt apprehenſis iſtis terminis. Petrus & ſalus intellectus format hanc propoſitionem, Petrus ſaluabitur, quæ nec eſt vera, nec falſa ante determinationem diuinæ voluntatis. Alia eſt apprehenſiua & iudicatiua ſimul, & eſt qua intellectus iudicat de veritate, & falſitate ꝓpoſitionis. Quando ergo dicit Doct. In hac. q. ſub littera. E. §. ad propoſitum tamen. Quod aliqua notitia actualis, quæ non eſt notitia fidei poteſt ſtare cum fide, non tamen loquitur de notitia complexa apprehenſiua; ſed etiam de notitia iudicatiua: quia ſtante fide infuſa in me, poteſt Deus infundere in intellectu meo diſtinctam notioam credibilium terminorum, & intellectus poſſet tunc componere principia, & ex principijs inferre concluſiones, & tunc de concluſione haberẽ actũ ſciendi de eodem credibili, de quo haberem fidem infuſam, & ſi dicatur quod hoc eſt verum de diuerſis credibilibus, ſed nõ de eodẽ credibili, dico q̃d etiam poteſt eſſe verum de eodem, & ſi iterum dicatur ergo de eodem erit ſimul fides & ſcientia proprie dicta, quod eſt contra Scotum. dico quod de eodem poteſt eſſe ſcientia actualis, & fides habitualis; Contra, fides actualiter inclinat ergo cũ ſcientia actuali erit aliquando fides actualis. Dico, quòd in habente actualẽ ſcientiam de aliquo credibili, fides nõ inclinaret actu, quia eſſet impedita, vt diximus ſupra de medio demonſtratiuo, & topico. Hæc tamen dicta ſint opinatiue, in nullo Doct. noſtro ſub. contradicendo.

1. Concluſio.

His poſitis eſt prima Concluſio Doc. In homine Theologo poteſt eſſe ſimul cum fide habitus notitiæ eorum, q̃ traduntur in Canone Bibliæ. ſ. quando ſcit ſenſum litteræ Sacræ de creditis reuelatis; & huiuſmodi notitia non eſt ſcientia proprie dicta. Probatur, hęc notitia habitualis nõ habetur per demonſtrationem, ergo non eſt ſcientia proprie dicta. conſequentia patet, probatur antecedens, illa notitia habetur demonſtratiue, quæ ex aliquibus habitibus habetur. ſed notina de intellectu ſenſus litteræ Sacræ non ſic habet homo, ergo &c. conſequentia cum maiori patet, & minor probatur ex D. Auguſtino 18. de Ciuit. c. 41. in fine, vbi loquens de traditis in ſcriptura dicit: quòd illa commẽdata ſunt nobis diuinis eloquijs quamuis per homines; non argumentorum concertationibus inculcata, vt non hominis ingenium, ſed Dei eloquium contemnere formidaret, qui illa cognoſceret. ſ. quę tradita ſunt in ſcriptura. Habet igitur habitum de ſic creditis in ſenſu litteræ; non quidem habitum ſcientiæ, ſicut deſcripta eſt ſcientia ſuple a Phyloſopho. 1. Poſt. ſed habitum, quo immediate aſſentit omnibus & ſingulis, & non vni propter aliud de his, quæ traduntur in ſcriptura: quinimo ſi aliqua ibi tradita probarentur ex alijs, tamen fidelis Theologus: non credit quia probata ſunt, ſed propter Dei authoritatem diceotis illa, ratione cuius aſſentit immediate omnibus traditis in ſcriptura non vni propter aliud per ſyllogiſticum diſcurſum.

D. Augu.

Scotus.

Et ſi dicatur, quòd ſcriptura procedit arguitiue, definitiue. & diuiſiue ſicut aliæ ſcientiæ. Dicit Scotus Hoc non video,

video, neſcio vbi. Et ſi dicas quòd D. Paulus arguit. 1. ad Corint. 15. ſi mortui nō reſurgere, ēt nec Chriſtus reſurrexit, ſed Chriſtus reſurrexit, igitur mortui reſurgent. Item D. Ioan. 1. Cano. cap. 4. Diligimus nos inuicem: quoniam ipſe prior dilexit nos Reſpondet Scotus. Quod argumentum eſt de aliquare faciens fidem de ea, quę alias erat dubia, vt patet ex definitione argumenti apud Boetium; Argumentum eſt ratio rei dubiæ faciens fidem, ideo in argumento proprie dicto creditur, & conſentitur concluſioni propter argumentum, & eius euidentiam: at illa argumētatio D. Pauli non habet maiorem vim ad probandum, quod mortui reſurgent, quā ſi ſimpliciter diceretur mortui reſurgent. atque adeo ſi D. Paulus dixiſſet ſolum mortui reſurgent tñ, crediſiſſem et tunc, ſicut mō: non enim aſſenti fidei illi aſſerenti mortui reſurgent propter illud argumentū: qa non eſt maioris firmitatis illa concluſio ſic probata, quam ſi ſimpliciter narraſſet eam. Item ſicut credo concluſioni, vel conſequenti, ſic antecedenti: & ecōuerſo; ſicut enim credo, quòd mortui reſurgent: ita credo Chriſtum reſurrexiſſe: quia nullam certitudinem habemus de Chriſti reſurrectione, niſi ex teſtimonio aliorum ſicut patet per Apoſtolum vbi ſupra, qui dicit. Si Chriſtus non reſurrexit inuenimur falſi teſtes, & ideo tota certitudo, quæ habetur de reſurrectione Chriſti, & mortuorum non eſt niſi certitudo fidei, & non vltra. Illa tamen ratio eſt motiua ad credendum, quòd mortui reſurgent ſi quidem Chriſtus reſurrexit, & etiam quia reſurrectio Chriſti eſt cauſa reſurrectionis noſtræ. Tamē ſicut credo Chriſtum reſurrexiſſe, ita credo quod mortui reſurgent, atque ita quamuis vnum poſſit ſequi aliud non tamen habetur maior certitudo de illo, quod ſequitur, quam de illo ex quo ſequitur. Similiter, quòd dixit D. Ioan. diligamus nos inuicem &c. Hoc dixit ad mouendos animos noſtros ad Chriſti dilectionem; quod tamen Chriſtus dilexerit nos tali dilectione de qua loquitur. hoc eſt nobis creditum, & ſi habet certitudinem de concluſione, non tamen maiorem, quam de principio, & ideo cum principiū non cognoſcatur ex euidentia rei, non poteſt habere ſcientiam de concluſione. ſed ſi aliquis habet habitum vltra fidem, illo aſſentit omnibus, & ſingulis, quæ dicuntur in Canone, & nulli vni propter aliud, quia & ſi vnum poſſet ſequi ex alio, non habet tamen maiorem certitudinem de illo, quod ſequitur quam de illo ex quo ſequitur.

Pro huius litteræ ampliori intelligentia obſer. eſt primo quòd argumentum D. Pauli procedit a tota conditionali à deſtructione conſequentis ad deſtructionem antecedētis hoc modo. Vos dicitis reſurrectionem mortuorum nō eſſe. ſi per vos mortui non reſurgent, ergo Chriſtus non reſurrexit, ſed Chriſtus reſurrexit, ergo & mortui reſurgēt. Hoc tamen argumentum non probat euidenter, quia prę ſupponit ne dum Chriſtū reſurrexiſſe, ſed eſſe primitias dormientium, quod eſt ex fide tantum.

Qūo in ſcriptura, procedatur diffinitiue diuiſiue, et argumētatiue.

Secundo obſer. eſt. Quod in ſacra ſcriptura proceditur definitiue, vt Deus ſpiritus eſt. fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum &c. Diuiſiue. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire: aut. n. vnum diliget, aut alterum contemnet. Diuiſiones gratiarum ſunt Idem autem ſpiritus, et ſtatim ſubdit Apoſtolus Alij datur per ſpiritum ſermo ſapientię &c. & argumentatiue, vt. 1. ad Corint. 15. probat generalē reſurrectionem mortuorum futuram ex Chriſti reſurrectione. Quando ergo dicit Doct. ſub. quod hunc modum procedendi in ſcriptura non vidit. dico quòd Scotus non negat ſimpliciter ſe vidiſſe modum iſtum in ſcriptura ſacra, ſed negat ſe vidiſſe modum euidentem, & ſcientificū quo à præmiſſis euidenter, & naturaliter notis fit euidenter nota concluſio; atque ita etiam intelligendus eſt cum dicit, quòd non firmius aſſentior cōcluſioni deductæ per rationes probabiles, quam ſi illam ſimpliciter audirem ſine tali deductione: Non ſic inquam ſimpliciter, quòd nō firmiori aſſenſu adhęream, ſed non firmiori aſſenſu euidētię, vel quantum eſt ex natura rei, ſed bene habeo maiorem certitudinem ſtando intra genus cognitionis enigmaticæ & intenſiorem actum certitudinis, & probabilitatis propoſitionum fidei, ſicut habent doctores Theologi intenſiorem certitudinem de credibilibus, quam habeant imperiti, & ſimplices ob plura media perſuaſoria. Et ſi dicas ergo tota Theologia noſtra ſpectat ad libros Topicorum; quia tantum procedit, ex probabilibus. nego conſequentiam: quia Theologia nedum eſt de probabilibus, ſed etiam ex neceſſarijs certiſſimis à Deo reuelatis, dicitur tamen procedere ex probabilibus, quatenus conſequens non ſit notum euidenter per antecedens.

Secunda Concluſio. Poteſt homo habere habitum exponendi ſcripturam, & hoc explicando concluſiones, & ſoluendo ea, quæ videntur contraria, verum talis habitus non eſt ſciētia proprie dicta; Probatur: quia habens huiuſmodi habitum vel exponit vnum locum ſcripturę per alium, vt obſcurum per manifeſtum, & tunc non habet maiorem euidentiam aut certitudinem, de expoſito, quā de exponente, quia vterque locus creditur per fidem; & de hoc genere expoſitionis loquitur. D. Auguſt. 11. de Ciuit. c. 19. inquiens. Quamuis diuini ſermonis obſcuritas, etiam ad hoc ſit vtilis, quod plures ſententias veritatis pariat, & in lucem notitię perducit, dum alius eum ſic, alius ſic intelligit; ita tamen quod in obſcuro loco intelligitur, vel atteſtatione rerum manifeſtarum, vel locis minime dubijs aſſeratur, ſiue cum multa tractantur, ad illud quoque perueniatur, quod ſentit ille, qui ſcripſit. hæc ille. ſemper tamen ſtat vt diximus, quòd non eſt maior certitudo de expoſita, quam de exponēte, atque adeo nunquam habet ſcientiam proprie. habitus ergo quo quis ſcit exponere ſacrā ſcripturam, concluſiones explicare, atque defendere contra hęreticos, non eſt habitus ſcientialis accipiendo proprie ſciētiam, quia non procedit ex euidentibus ex natura rei. 2. Concluſio. D. Augu.

Vel Secundo exponit locum ſcripturæ per alias ſcientias videlicet immiſcendo principia phyloſophię, & accipiendo vnam premiſſam naturalem, & aliam creditam; ad quod vltimo deuenerunt Doctores, quod ſine dubio multum valet, & poriſſimum methaphyſicalis ſcientia vt veritas ſcripturæ de Trinitate, & intelligentijs, & abſtractis intelligatur. Tunc concluſio deducta erit tantum credita; quia ſequitur ex præmiſſa credita, atque adèo non habet maiorem certitudinem quàm altera pręmiſſarum, quæ minus certa, eſt; ſicut in omni mixtione ſyllogiſtica certitudo concluſionis, eſt certitudo præmiſſæ minus certæ, vt ex maiori de neceſſario, & minori de contingenti non ſequitur concluſio neceſſaria, ſed contingens, atq; ita cum præmiſſa ſumpta ex ſcriptura non ſit euidens ex terminis, ſed credita; igitur nec concluſio erit demonſtrata generans ſcientiam, quamuis poſſit generare habitum aliud à fide; & ſicut loquor de expoſitione; ita loquor de contrariorum ſolutione. ſolutio enim tantum habet certitudinem, ex quanta procedit in accipiendo: nam ſi accipiatur de ſcriptura habet certitudinem quam dixi. ſ. creditam, ſi aliunde ſumatur, certitudinem, quam habere poteſt cum ſcriptura cui innititur vtique habebit, nunquam tamen certitudinem ex euidentia.

Si quis autem habeat intellectum exponendi magiſtraliter, ad edificationem. ſicut habuit Nicolaus de Lyra & alij, ille habet explicatiorem intellectum: quam qui ſcit ſenſum litteræ tantum, ſed nunquā in tale explicatione, poterit aliquid demonſtrare ex euidentia rei. Nicolaus Lyra.

Tertia Concluſio. Poteſt homo habere habitum qualem habent Doctores Eccleſiæ qui dicuntur montes, qui primo recipiunt ſcientiam; illi videlicet, quibus veritas ſcripturę primo reuelabatur, & hoc modo maiores in Eccleſia habent quemdam habitum diſtinctum à fide, quo firmiter aſſentiuntur creditis, ſic quod talis habitus excludit omnem dubitationem etiam contingentem, quam nō excludit fides: fides enim excludit dubitationem oppoſitam illi credibili; cui aſſentitur, ſicut cum quis firmiter aſſentit, quòd Deus eſt Trinus & Vnus: nullo modo dubitat neque vaccillat de contrario. ſ. quod non ſit Trinus & Vnus. Sed quomodo Deitas ſit in tribus perſonis an videlicet in filio ſit communicata per intellectum, & Spiritui ſancto per voluntatem fides non excludit talem dubitationē, ſed habitus qui habetur in montibus. ſ. in Prophetis atq; Apoſtolis, quibus veritas ſcripturæ, primo reuelabatur excludit omnem dubitationem etiam contingentem circa articulos fidei, quem habitum pauci in Eccleſia poſſident, tamen adhuc non eſt demonſtratiuus, atque adeo licet habeant huiuſmodi habitum cum fide, non tamen ſcientia proprie dicta inuenitur cum fide: hæc Scotus 3. Concluſio.

breuiter

breuiter & in ſumma, ſed quia littera Doct. habet aliqualem difficultatem explico eã cum aliquibus notabilibus.

Explicatur littera Scoti.

Dicit ergo Doct. quòd omnem effectum, quem pôt Deus facere mediante cauſa ſecunda effectiua, poteſt facere immediate: intelligaris quo ad omnem rationem efficientiæ ſed nõ, quo ad rationem terminatiui in genere proprio, & per hoc tollitur inſtantia de futuris contingentibus in genere proprio, de quibus Deus non poteſt cauſare notitiam in eorum abſentia, ac etiam de notitia intuitiua in genere proprio, aſpectu cuius & ſi obiectum ſit cauſa ſecunda efficiens, attamen eſſe nequit intuitiua notitia niſi obiecti pręſentis & exiſtentis in propria præſentia & exiſtentia, vt docet ipſe Scotus in 2. d. 3. quæſt. vltim. & ratio eſt iã dicta: quia & ſi Deus poſſit ſuplere cauſam ſecundã efficientem, quo ad omnem rationem efficientiæ, non tamen quo ad rationem terminatiui in genere proprio. Et ſi dicas, quòd tunc hæc propoſitio aſſumpta nõ erit ad ꝓpoſitum. Quia Scotus vult probare hic, quod Deus ſe ſolo poſſit producere huiuſmodi notitiam certam: concedo ſed non intelligit quod omni, modo poſſit, poteſt quidem ſe ſolo illam notitiam cauſare in eſſe qualitatis, ſed non in eſſe notitiæ, vt terminetur ad illud obiectum, nam ratio terminandi in obiecto eſſentialis eſt, quæ ſuppleri non pôt.

Poteſt ergo Deus omnem effectum producere immediate, quem poteſt facere mediante cauſa ſecunda effectiua, quo ad omnem rationem efficientiæ. Nunc autem ſi res ipſæ de quibus ſcriptura tractat eſſent clarè apprehenſæ, & intuitiue, generarent notitiam certam abſque omni dubitatione, & hæc notitia: quia euidẽs eſt, diceretur ſciẽtia. v. g. ſi clare, & diſtincte apprehenderentur huiuſmodi termini, Deus, eſt Trinus & Vnus, Deus velut cauſa prima, cum iſtis terminis diſtincte, & intuitiue apprehenſis cauſaret notitiam certam huius propoſitionis Deus, & Trinus & Vnus; & quia hæc notitia eſſet ex terminis euidens diceretur ſcientia. Ita Deus abſque motione obiecti; ideſt abſque eo, quod termini ex ſe cauſent complexionis notitiam poteſt cauſare notitiam certam abſque omni dubitatione de hac propoſitione, Deus eſt Trinus & Vnus, ita quòd habens talem notitiam reuelatam à Deo nõ poſſit dubitare de veritate illius, huiuſmodi notitiam creditur Prophetas habuiſſe, & multos alios Sanctos in ſcriptura, & tales habuerunt habitum præbentem magnum aſſenſum; ita quòd illo ſtante non potuerunt non aſſentiri veritati, & ita firmiter aſſentiebant, ſicut ego aſſentio iſti; omne totũ eſt maius ſua parte: Certitudo tamen illa non fuit euidens ex euidentia rei, licet eſſet maxima certitudo atque adeo habitus ille non erat habitus ſcientialis, quia tunc contradictio eſſet, quòd huiuſmodi notitia, & fides ſimul ſtarent de eodem credibili: quia ſimul, & ſemel idẽ obiectum eſſet euidenter, & non euidenter notum; fuit tamen certitudo illa firma ſicut certitudo ſcientialis, quę cauſatur ex principijs per ſe notis ex euidentia terminorum; ſed illa certitudo non cauſabatur à principijs per ſe notis, ſed aliunde. ſ. à Deo reuelante atque adeo habitus ille ſcientia appellari non potuit, cum non fuerit cauſatus ex euidentia rei. habebat tamen ille habitus maiorem certitudinem, quam habeat fides: quia certitudo fidei nõ excludit omnem dubitationem, ſed tantum oppoſitam illi certitudini, non autem contingentem.

Concluſio Scoti.

Concludit ergo Doct. quòd cum fide non poteſt ſtare ſciẽtia proprie dicta de credibilibus reuelatis: patet quia termini credibilium non apprehenduntur ſub proprijs rationibus, & in particulari, igitur principia non ſunt nota ex euidentia rei, atque adeo concluſio non eſt ſcientifica; alias tota Geometria, & fides ſtarent ſimul de eodem, qđ eſt falſum. Poteſt tamen cum fide haberi habitus, & forte à multis habetur diſtinctus à fide de credibilibus: patet quia ex ſenſu ſacrę ſcripturæ poteſt quis acquirere vnum habitum, quo aſſentitur veritati firmiter, & non vni veritati propter aliam, ſed cuilibet immediate: quia quamuis inter propoſitiones credibiles ſit quidam ordo dignitatis, quia quædam ſunt neceſſariæ, quædam contingentes; tamen habitus non inclinat ad aſſentiendum vni propter alteram, ſed immediate inclinat ad aſſentiendum omnibus credibilibus.

Error Molinæ.

Ex his patet quam falsò Ludouicus Molina ſuper. 1. p. Summæ D. Thomæ. quæſt. 1. articul. 2. diſpu. 2. imponat Doct. ſub. quòd ſentiat habitum Theologicum non diſtingui à fide: cum totũ oppoſitum hic ex intentione euidentiſſime doceat. ſed ſolum negat Scotus habitũ Theologicum eſſe ſcientiam proprie dictam, quod etiã expreſſe concedit ipſe Molina; vbi ſupra concluſione prima. 1. diſput. & diſp. 2. in notabili pro ſolutione argumentorum & licet Scotus infra diſt. 35. dicat quod non eſt alius habitus, quo aſſentitur primis articulis, & alius quo aſſentitur articulis explicatis ex primis, ibi vt patet loquitur de fide infuſa, & vult, quòd non eſt alius habitus fidei infuſæ, quo aſſentitur primis articulis, & alius habitus fidei infuſæ quo aſſentitur articulis deductis & explicatis ex primis, ſed eſt vnus, & idem habitus ſecundum rationem ꝑfecti, & imperfecti: vt explicauit, diſt. 34. et non loquitur ibi Scotus de habitu Theologiæ, quem apertiſſime ponit alium & diſtinctum à fide, vt patet in hac quæſt. & in prologo. quæſt. 3.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum articuli fidei ſunt euidenter credibiles.

Videntur præſentia, creduntur abſentia.

PRO explicatione tituli quæſtionis obſer. eſt. quod videntur præſentia, & credũtur abſentia, eſſe enim viſum eſt moueri potentiam efficaciter tamquam obiectum, ita D. Auguſtinus lib. de videndo Deum. c. 3. & Epiſtola. 102. vbi dicit, quòd illa videntur, quæ ſunt pſto animæ, vel ſenſibus, quæ vero abſunt creduntur, atq; adeo, quoniam myſteria fidei excedunt noſtrum intellectum, & non ſunt illi præſto, non videntur, ſed ſunt credibilia, eſſe tamen non viſum, non eſt ratio formalis obiecti credibilis, quia eſt prima veritas indicendo, vt explicauimus ſupra, ſed nõ viſum, eſt conditio obiecti credibilis: res enim quæ creditur eſt non viſa, & occulta nobis.

In fide duo conſideranda ſunt.

ſecundo obſer. eſt quòd in fide duo ſunt conſideranda, primum eſt materiale, ideſt res ipſæ, & veritates; illę maxime de quibus eſt fides, ſecundum eſt formale ideſt, ꝙ iſtæ veritates cognoſcantur per hoc quod eſt credere: natura veri eſt, quod ſit demõſtrabile, & ſcibile, ex. 1. Poſt. c. 2. natura vero credibilis eſt, quod ſit ex authoritate dicentium, iuxta illud Pauli ad Rom. 10. Fides eſt ex auditu &c. & probatur ex Cicerone lib. 1. officiorum. dicente

Cicero.

fides eſt dictorum, conuentorumque conſtantia, & veritas. ex. hoc, enim in nobis naſcitur fides, quia videmus cõſtantiam in factis, & veritatem in dictis alicuius. Vnde

Sotus.

probat optime Soto lib. 2. de natura & gratia. c. 6. quod fides intellectualis naſcitur ex fide morali, & ſic patet quomodo credere pendeat ex authoritate alterius dicentis.

Ex quo ſequitur primo quòd cognitio veri, in quantũ veri, debet eſſe rei præſentis: quia eſt per demonſtrationẽ & ſcibilitatem, quæ facit rem eſſe præſentem intellectui, ipſumque efficaciter mouet, & conuincit, cognitio vero credibilis in quantum credibilis debet eſſe rei abſentis: quia vt ſic pendet ex authoritate dicentis, ſecundo ſequitur, quòd cognitio veri eſt perfectior ex ſe, quam cognitio credibilis. Tertio ſequitur communius eſſe credibile, quam verum, bene, enim poteſt eſſe aliquod credibile, & non verũ. vnde verum, & credibile non conuertuntur.

Ariſt.

Tertio obſer. eſt ex Ariſt. 2. de anima tex. 162. quòd inter omnes ſenſus præcipuus eſt viſus, cuius ratio eſt, vt ipſe docet. 1. Meth. c. 1. quia per ipſum plures rerum differẽtiæ cognoſcuntur, & hinc eſt quòd propter perfectionem & latitudinem, etiam alij ſenſus appellantur viſus.

Quarto obſer. eſt quòd in hoc articulo loquimur de videre, vt eſt actus ſpecialis viſus in omni tamen ſua latitudine, in qua poteſt proprie ſaluari. ideſt inquantum comprehẽdit ſenſum exteriorem viſus, & ipſum intellectum. Videre autem tam per ſenſum, quam per intellectum cõtingit dupliciter. primo per ſe quomodo habetur notitia

Videre dupliciter cõtingit.

intuitiua obiecti; vt in viſu, quomodo videtur hic color; & in intellectu, quomodo cognoſcitur obiectum per ſe ipſum, & ratione ſui, & non alterius dicentis, quæ vocatur viſio ſpecialis. ſecundo modo per accidens, quando videtur non ratione ſui, ſed ratione alterius teſtimonium perhibentis de illo; vt in, viſu, per accidens videtur anima, qa

videtur

videtur motus & aliæ operationes, quæ non ſunt niſi in corpore animato; & in intellectu, videtur per accidens Romani eſſe: quia omnes de illa veritate teſtimoniũ perhibent, & nullus contradicit, q̃ viſio appellatur cõmunis.

Concluſio. *D. Thom.* His obſeruatis ſit Concluſio affirmatiua, quam cum D. Thoma. 2. 2. quæſt. 1. art. 4. tenent omnes Theologi, nimirum Articuli fidei ſint euidenter credibiles, id eſt Teſtimonia fidei noſtræ cauſant euidentiam, quod articuli fidei ſunt credibiles, intellige in intellectu non excęcato malitia voluntatis. Volo dicere, quod articuli fidei poſsũt dupliciter conſiderari. primo in particulari in ratione veri, & ſic non ſunt euidentes, & viſi, vt dictum eſt ſupra; ſecundo in communi, ſcilicet in ratione credibilis, & hoc modo ſunt euidentes. probatur primo ex Pſal. 92. Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis. ſecundo probatur. Illa ſunt euidentia; quæ ſunt preſto intellectui, ipſumque mouent efficaciter tamquam obiectum. huiuſmodi eſt credibilitas articulorum fidei, ergo &c. maior patet ex dictis, & conſequentia eſt optima: probatur minor, de ratione credibilis non eſt, quod res credita ſit præſens, ſed quod teſtimonium illius ſit bonum, & præſens; ſed teſtimonia articulorum fidei ſunt bona, & præſentia ergo &c.

Præterea Iudicium habenti Reum conuictum de homicidio per teſtes fide dignos & omni exceptione maiores, & per eius confeſſionem libere factam eſt euidens eſſe credibile illum eſſe homicidam, non tamẽ eſt ita euidens eſſe verum: quia ad rationem euidentis credibilis ſufficit maximum teſtimonium credibilis quale eſt preſens. Ad rationem vero euidẽtis veri requiritur ipſam rem veram eſſe præſentem, ergo eodem modo teſtimonia noſtrę fidei poſſunt facere articulos fidei eſſe euidenter credibiles nõ tamen euidenter veros: quia veritas illorum non eſt præſens. Hoc eſt quod dicebat Iob. c. 42. Qui poſtquam dixit Deo, ſcio quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio, ſubdit. Auditu auris audiui te; nunc autem oculus meus videt te &c. id eſt antequam mirabilia tua cognoſcerem credebam te tamquam, ex auditu; poſtquam tamen ea cognoui credo vt videns.

Scotus. Teſtimonia autem cauſantia euidentiam articulorum, fidei, ſunt ea, quæ ſubtiliter explicantur ab Scoto, quæ. 2. prologi. ex quibus aliqua hic referam. primum eſt authoritas diuinæ ſcripturæ, quia vſus ex Chriſtus Dominus cõtra Iudæos Ioan. 5. ſcrutamini ſcripturas: quia illæ teſtimonium perhibent de me, & D. Paulus in principio. Epiſtolæ ad Roman. ait. Paulus ſeruus Ieſu Chriſti vocatus Apoſtolus ſegregatus in Euangelium Dei, quod ante promiſerat per Prophetas in ſcripturis ſanctis, &c. Ad cuius teſtimonij efficaciam præmitto euidentiſſimum eſſe authorem principalem ſcripturæ diuinæ eſſe ſolum Deum quod ſic probo. *1. Teſtimonium.*

Euidens eſt, quod nullus eſt præſcius futurorũ contingentium niſi ſolus Deus, & cui voluerit Deus reuelare: futura, enim contingentia, à ſola Dei voluntate dependent, ſed Scripturæ ſacræ dixerunt de Chriſto multo ante plurima futura cõtingentia, quæ noſtra fides proteſtatur: ergo euidens eſt ipſam eſſe reuelatam à Deo, & per conſequens ei eſſe credendum: quia Deus mentiri nequit; probatur minor. quia Iſaiæ. c. 53. per totum predixit Chriſti mortem, & in ſcriptis ponit aliquas eiuſdem. mortis circũſtantias: ſicut eas poſuit Ioan. Euangeliſtá, qui fuit iuxta Crucem Ieſu. ſic, enim ait. Tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt, & Ipſe peccata multorum tulit, & pro transgreſſoribus orauit. Idem etiam Iſaias. c. 35. de miraculis Chriſti ſic prædixit. Deus ipſe veniet & ſaluabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt, tunc ſaliet ſicut Ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum. Quem locum adduxit Chriſtus ad probandum ſe eſſe verum Meſſiam. Matth. 11.

2. Teſtimonium. *D. Aug.* Secundum Teſtimonium eſt concordia ſcripturarum. quo argumento vtitur D. Auguſt. contra gentes lib. 18. de Ciuit. Dei. ca. 41. Vbi ita ſcribit. Authores noſtri ſane pauci eſſe debuerunt; ne multitudine vileſceret, quod earum religione eſſe oporteret, non tamen ita pauci, vt eorũ non miranda ſit conſenſio. &c. ex hoc teſtimonio arguitur ſic. Præter aſſenſum primorum principiorum, & Concluſionum demonſtrabilium; nũquam inter Phyloſophos fuit concors omnium ſententia, vt eorum teſtatur multitudo opinionum: cuius ratio eſt: quia non habebant vnum intellectum ſed plures, & ſic vnuſquiſque ſuum placitum ſequebatur, ſed in ſcriptura diuina vna eſt omnium ſcriptorum ſententia, & nullus alteri contradicit, ergo eorum ſcripta ſunt eiuſdem principalis ſcriptoris, & Magiſtri, ſcilicet ſpiritus ſancti: alias, enim non eſſet concors eorum ſententia. Minor patet, & Confirmatur. quia multi ex ſcriptoribus non viderunt aliorum ſcripta, & tamẽ idem prophetauerunt. Tempore. enim quo Ezechiel prophetauit in Babilonia, prophetabat. Ieremias in Iudęa, & ſic alter alterius ſcripta non potuit videre; & tamen vterque de captiuitate Iudæorum, & de Hieroſolymæ excidio prophetauit, quod non accidiſſet ſi proprio intellectu, & non diuina reuelatione prophetaſſent.

Contra arguitur. etiam in iure ciuili, & Canonico, nulla eſt contradictio, & tamen illorum ſcriptores ſunt varij ergo &c. Reſpondetur quod licet ſcriptores ſint varij, tamen in vtroque vnus fuit totius iuris conſultor & author In Ciuili Iuſtinianus, in Canonico Gregorius Nonus, qui reſecantes aliorum contradictiones & ſuperflua, vnũ legum corpus conſtituerunt, quare vnus fuit legiſlator, at vero ſcriptores diuini minus principales fuerunt quam plurimi, atque ita illorum concordia Spiritui ſancto principali ſcribenti tribuenda eſt.

Tertium Teſtimonium eſt miracula Chriſti, & ſanctorum; ad cuius efficaciam nota ſolum Deum eſſe principalem authorem miraculorum; ipſe, enim ſolus poteſt mutare ordinem naturæ. ſecundo nota doctrinam ſupernaturalem nõ niſi miraculis eſſe probandã: Ait, enim Chriſtus Ioan. 15. ſi non veniſſem & locutus fuiſſem eis, & opera non feciſſem, &c. Modo argumentor. ſola noſtra fides eſt confirmata miraculis, ergo ſola noſtra fides eſt credibilis, alias, enim Deus eſſet mentitus, confirmans falſam doctrinam miraculis, quę non niſi ab ipſo fieri poſſunt, quod eſt impoſſibile, vt infra probabimus, art. 13. Quare Ricardus à ſancto Victore. lib. 1. de Trin. c. 2. inquit. Domine ſi error eſt à te decepti ſumus, nam tantis ſignis confirmata eſt doctrina Euangelica, quæ non niſi per te fieri poſſent. *3. Teſtimonium.* *Ricardus,*

Sed contra hoc arguitur de miraculis Antichriſti, qui vt teſtatur Paulus. 2. ad Theſſ. 2. facturus eſt miracula in omni virtute; ergo miracula Chriſti, & ſanctorum non ſunt ſigna euidentia ad credendum. veritatibus fidei, probatur conſequentia: quia etiam miracula Antichriſti erũt ſigna falſę doctrinæ. Reſpondetur, quod miracula Antichriſti erunt mendacia, vt teſtatur Paulus vbi ſupra, quòd eſt impoſſibile illum dixiſſe niſi ex reuelatione diuina, cum ſit futurum contingens, atque ita potius erunt mirabilia, q̃ miracula, ſicut illa, quæ fecerunt Magi Pharonis.

Quartum Teſtimonium eſt ex parte doctrinę, quæ in Euangelio ponitur ad credendum: Nihil, enim ponitur ad credendum; quod Deum non extollat, & magnificet, & ſit veritati maxime conſonum, & maxime magnificãs Deum. Nihil traditur expectandum; quod non ſit homini dignum: quia dicit beatitudinem ſpiritualibus conſtare delicijs iuxta illud Chriſti Ioan. 17. Hæc. eſt vita æterna, vt cognoſcant, te &c. i. vt videant te Deum oculis animæ, & te clare viſo fruantur, & non corporeis ſicut docuit Machometus, Nihil etiam præcipitur faciendum q̃ non ex fonte legis naturæ deducatur, vt videre eſt apud Matth. c. 5. in ſermone montis. *4. Teſtimonium.*

Quintum Teſtimonium eſt ſeries Pontificum, & perſeuerantia Eccleſiæ; quantum ad Papam; mirabile. n. eſt dictu, quòd fere mille ſexcenti anni præterierunt; & quam vis Tyrannorum rabies in Chriſtianos, & maxime in ſummos Pontifices ſeuierit, nunquam tamen Chriſti Vicarius, cuius vices in terris gereret defuit. Verum profecto eſt illud Gamalielis Actorum 5. Diuino Spiritu dictum. ſi eſt ex hominibus conſilium hoc, aut opus, diſſoluetur, ſi uero ex Deo eſt non poteritis diſſoluere, ne forte & Deo videamini repugnare. Chriſtus. etiã dixit Matth. 16. Portas inferi non præualituras aduerſus ſuam Eccleſiam, ac ſi dixerit Perſecutio Tyrannorum diabolica perſuaſione exorta nõ poterit Eccleſiam meã ſubuertere. *5. Teſtimonium.*

Sextũ teſtimonium eſt multitudo Martyrum, qui pro noſtra fide acerrima tormenta ſuſtinuerunt, quorũ fides Deus innumeris confirmabat miraculis. *6. Teſtimonium.*

Septimũ Teſtimonium eſt irrationabilitas aliarum ſectarum. *7. Teſtimonium.*

ctarũ. Dico, enim ſunt modo Sectæ principales Chriſtianæ fidei aduerſæ, ſcilicet Saracenorum, & Iudæorum; & ſi Saraceni, rationibus, & non armis ſuam ſectam diſcuterent, eam certiſſime damnarent, & ſic Auicenna, qui fuit Saracenus dixit. 9. Meth. Mahometum ſuum illis promiſiſſe fœlicitatem porcorum. quæ cibo, & libidine conſtat. Iudæi etiam propter ſuam perfidiam vniuerſalẽ patiũtur captiuitatem. quorum miſeria, & abiectio fidei noſtræ præbet teſtimonium: ſunt, enim omnibus etiam infidelibus exoſi: nec mirum quoniam Chriſtum authorem omniũ interfecerunt, & armatur omnis creatura ad vlciſcendam iniuriam creatoris, ſicut poſt iudicium ſcriptum eſt orbẽ terrarum pugnaturum contra inſenſatos idest peccatores. De, Iudæorum captiuitate, & de ipſorum conuerſione ad Chriſtum nouiſſimis temporibus vaticinauit. Oſe. Dies multos ſedebunt filij Iſrael ſine Rege, & ſine Principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine Ephod. & ſine Seraphim idest. ſine veſte ſacerdotali, & ſine imaginibus, & poſt hæc reuertentur filij Iſrael, & quærent Dominum Deum ſuum, & Dauid regem ſuum; vel ſecũdum tranſlationem Caldaicam obediet Meſſiæ filio Dauid Regi ſuo & parebunt ad Dominum, & ad bonum eius nouiſſimo dierum. Quæ omnia tanto tempore ante vaticinata ſuffragantur fidei noſtræ.

Auicenna. 9. Meth. c. 7.

8. Teſtimonium.

Vltimum Teſtimonium eſt ex parte eorum, qui Deum toto corde exquiſierunt. Nullus, enim hactenus Deum toto corde exquiſiuit, cui non fuerit reuelata veritas Euãgelica, & falſitas aliarum Sectarum; expurgato prius affectu ab omni praua affectione. Quod patet in Cornelio, et in Eunucho Reginæ Candacis, quibus per Petrum, & Phylippum veritas Euangelica annunciata & explicata fuit. Actorum. 8. &. 10. & etiam proteſtatur celebre exemplum Pauli de Sancta Maria Epiſcopi Burgenſis. Qui tempore Ioannis. 2. Regis Caſtellæ ad fidẽ de perfidia Iudaica conuerſus fuit, & Epiſcopus Burgenſis atque Archicancellarius Regis conſtitutus, qui de ſe ipſo in prologo Bibliæ ſic ait. Cum toto corde a Domino poſtularem vt quod ſalubrius animæ meæ eſſet cordi meo infigere dignaretur, nocte dieque eius auxiliũ præſtolabar, ſicque factum eſt, vt catholicæ fidei deſiderium in mente mea de die in diem fortius incandeſceret, quo ad ipſam fidem, quam corde gerebam publice profiterer, & ea fere ætate qua tu nunc es, baptiſmi ſacramentum in huius Eccleſiæ ſacro fonte ſuſcepi &c.

Burgenſis.

Contra hanc concluſionẽ arguitur. Si articuli fidei sũt euidenter credibiles, ergo ſunt euidenter veri, probo conſequentiam: quia omne credibile eſt verum, ergo omne euidenter credibile eſt euidenter verum. conſequens autẽ eſt falſum, ergo & antecedens. Reſpondetur negando conſequentiam: quoniam ſepe contingit multa falſa eſſe credibiliora veris, vt ait Ariſt. lib. Rectoricorum; Vnde non ſequitur habent euidentem credibilitatem, ergo ſunt euidẽter vera, ſed ſolum colligitur eſſe euidens habere probabilem veritatem; fides autem amplius credit, ſcilicet habere certiſſimam veritatem.

Ariſt.

Secundo arguitur. Si articulos fidei eſſe credibiles eſſet euidens & verũ, maxime, quia plures ex hominibus, ſcilicet Chriſtiani fidem profitentur, ſed hæc ratio eſt nulla, ergo &c. probatur minor; quia alias ſequeretur etiam credendum eſſe Sectæ Saracenorum, cõſequẽs eſt falſiſſimũ ergo &c. probatur ſequela: quia multo plures eam profitentur, vniuerſa, enim Aſia, & Aphrica, & maxima pars Europæ colunt ſectam Mahometicam. Reſpondetur negando conſequentiam; ſunt, enim alia teſtimonia multo euidentiora, de quibus ſupra.

Tertio arguitur. Si aliquod teſtimonium faceret euidẽtiam, quòd articuli fidei ſint credibiles, eſſent maxime miracula Chriſti; & ſanctorum; ſed iſta non; ergo &c. Probatur minor: quia Chriſto proponente myſterium Euchariſtiæ multi ex diſcipulis Chriſti receſſerunt dicentes durus eſt hic ſermo &c. & tamen viderant miracula, ergo non erat euidens per illa miracula. illam doctrinam eſſe credendam.

Reſpondetur negando minorem: quia illi fuerunt excæcati propter malitiam voluntatis, atque ita quam vis ſigna Chriſti, & ſanctorum eſſent euidentia, & efficacia; non crediderunt vt ſupra dictum eſt.

ARTICVLVS IX.

Vtrum oporteat hominem cognoſcere credibilitatem noſtræ fidei, vt prudenter credat, ita quod non crederet niſi videret eſſe credendum, vel niſi haberet teſtimonia euidentia.

PRo explicatione huius difficultatis obſer. eſt primo quòd euidentia credibilis penſanda eſt, ex grauitate aut leuitate rei; certum eſt, enim quòd facienti iter Romam, & interroganti Agricolam ſit ne illud iter, quo Romam proficiſcendum ſit, ſi reſpondet Agricola facit illud credibile euidenter eſſe tale iter: quia leuis eſt materia credibilis, ad quam ſufficit illud teſtimonium. In graui autem materia ad faciendum aliquid euidenter credibile neceſſe eſt graue teſtimonium, & ideo cum res fidei, & quæ pertinent ad ſalutem animarum ſint grauiſſima: nõ quæcunque leuia teſtimonia faciunt illas eſſe euidenter credibiles: quia de huiuſmodi rebus ait Sapiens Sap. 19. Qui cito credit leuis eſt corde, ſed debent eſſe teſtimonia grauiſſima, & ita contingit in fide catholica Chriſtianorũ quod teſtimonia grauiſſima faciunt eam euidenter credibilem.

Euidentia credibilis ex quo pẽſanda ſit.

Secũdo obſ. eſt. quod euidentia cauſatur tripliciter primo ex ſola apprehenſione terminorum quemadmodum cognitio primorum principiorum dicitur euidens, ſecundo demonſtratione, & hoc pacto ſcientia dicitur notitia euidens. tertio præuia cognitione ſenſuum, vt euidentia huius, hæc eſt albedo; hic homo eſt Petrus. Euidentia credibilitatis fidei cauſatur ex Caiet. 2. 2. q. 1. art. 4. hoc tertio modo quia proponunt credenda à Viris omni fide dignis.

Euidentia tripliciter cauſatur.

Caietanus

Tertio obſer. eſt. moraliter eſſe euidentiſſimum credendum eſſe Euangelio & væteri teſtamento. Hoc probat Scotus. q. 2. Prologi art. 4. hoc modo euidentiſſimum eſt aliquod eſſe credendum, quod non eſt patens, probatur: quia aut nulli credis de contingenti, quod non vidiſti: atque ita non credes mundum fuiſſe ante te, nec locum eſſe in mundo vbi non fueris, nec iſtum eſſe Patrem tuum, & illam eſſe Matrem tuam: quia non ſunt hæc præſentia, ergo euidentiſſimum eſt aliquod eſſe credendum, quod non patet: quia talis incredulitas deſtrueret omnem vitã politicam; ergo etiam euidentiſſimum eſt credendum eſſe alicui hyſtoriæ maxime, quæ recepta eſt per aliq̃ communitatem famoſam, & honeſtam. probatur conſequentia quia Communitas tota maiorem adhibet diligentiam in examinandis veritatibus, quam aliquis particularis homo, ſed Euangelia, & alij libri Canonici, ſunt hyſtoriæ receptæ ab aliqua Communitate famoſa, & honeſta, & cum maxima diligentia approbatæ, ergo euidentiſſimum eſt illis eſſe credẽdum; Probatur minor Tanta, enim apud Iudæos ſolicitudo fuit de libris habendis in Canone, & tanta apud Chriſtianos de libris recipiendis tamquam authenticis, quod de nulla alia ſcriptura habenda pro authẽtica tanta ſolicitudo fuit inuenta, præcipue cum tam ſolemnes Communitates de ſcripturis iſtis curauerunt tamquam de continentibus neceſſaria ad ſalutem.

Euidentiſſimum eſt credẽdum eſſe ſacris hyſtorijs.

Scotus.

Vnde D. Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. Dei. c. 38. inquit. quomodo ſcriptura Enoch, de qua Iudas in Epiſtola ſua facit mentionem, non recipitur in Canone, & multæ aliæ ſcripturæ, de quibus fit mentio in libris Regum. Vbi innuit quòd ſola illa recepta ſunt in Canone, quæ Anthores non ſicut homines, ſed ſicut prophetæ diuina inſpiratione ſcripſerunt. Et ibidem. c. 41. Illi Iſraelitæ quibus tradita ſunt eloquia Dei, nullo modo Pſeudo Prophetas cum veris Prophetis parilitate licentiæ conſunderunt, ſed concordes inter ſe, atque in nullo diſſentientes ſacrarum litterarum veraces ab eis cognoſcebantur, & tenebantur authores. Maxima itaque cum diligentia examinatæ atque receptæ fuerunt ſacræ hiſtoriæ tamquam canonicæ atq; adeo euidentiſſimum eſt illis eſſe credendum. Et confirmatur: moraliter eſt euidẽtiſſimum. Tacitum. Titum Liuium, atque Saluſtium in ſuis hyſtorijs vera narraſſe, & *D. Aug.*

adeo

ideo ſtultum eſſet Romanas inſiciari hyſtorias. ergò etiã à fortiori moraliter eſt euidentiſſimum credendum eſſe hyſtorijs diuinarum litterarum; ſiquidem per tot annos ab Eccleſia ſunt receptæ.

Explicatur titulus quęſtionis. Quarto obſer. eſt Titulum quæſtionis intelligendum eſſe, de actu credendi virtuoſè, ac prudenter, atque etiam de euidentia credibilitatis ſaltem in potentia propinqua: cum videlicet quis ad credendum mouetur ratione aliqua graui, ex qua facile poſſit euidenter colligere rem eſſe credibilem.

1. Concluſio. His obſeruatis eſt prima Concluſio, oportet hominem cognoſcere credibilitatem noſtræ fidei, vt prudenter credat. hęc concluſio veriſſima eſt intellecta de actu credendi virtuoſè, & prudenter, & de euidentia credibilitatis ſaltem in potẽtia propinqua. vt dictũ eſt in quarto notabili.

2. Concluſio. Secunda Concluſio. Moraliter eſt euidens infidelibus audientibus Euangelium, quamuis in eius prædicatione miracula non fiant credendum eſſe fidei noſtræ, dummodo non laborent infidelitate prauæ diſpoſitionis, ſed priuatiua tantum; Probatur. Moraliter eſt euidens credendum eſſe hyſtorijs receptis ab aliqua communitate famoſa, & honeſta, vt dictũ eſt in tertio notabili, ſed huiuſmodi eſt Euangelium, ergo &c.

Ex quo infertur primo Indianis ſufficienter fuiſſe prædicatum Euangelium, quam vis apud eos nulla fuiſſent miracula. ſecundo infertur verum eſſe, quod inquit. D. Thom. 2.2. q. 1. art. 4. ad ſecundũ videlicet, neminem credere niſi videat eſſe credendum; ideſt niſi habeat teſtimonia euidentia: quoniam nihil credimus niſi ſit viſum in ſuo teſtimonio. probatur. Infideles, priuatim audientes in primitiua Eccleſia prædicatum fuiſſe Euangelium ſignis ſuper naturalibus, atque à pauciſſimis hominibus, & inermis, & illitteratis, quorum doctrina vſque modo perſeuerat, & audientes ſeriem pontificum, et alia teſtimonia pręcedenti articulo poſita, procul dubio credent, niſi fuerint excecati aliquo errore, & malitia vt ſunt Saraceni, & Iudæi. ergo &c.

D. Thom.

Contra primam concluſionem arguitur: nam videtur quod poſſit quis credere, licet non videat doctrinam fidei eſſe probabilem. ergo concluſio falſa. probatur antecedẽs: Nam Pueri, quam primum capaces ſunt ratione fidem a parentibus amplectuntur. Item hoc patet in Ethnicis illico aſſentientibus concionanti. ij, enim non videntur euidenter de credibilitate iudicare. Reſpondeo concluſionẽ intelligendam eſſe de actu credendi virtuoſè, ac prudenter, & de euidentia credibilitatis in potentia propinqua modo ſupra explicato in quarto notabili: nam aliter credere eſſet leuitatis, & per hoc patet reſponſio ad obiectionem. Habent, enim illi euidentiam credibilitatis ſaltem in potentia propinqua, dum in re graui credunt parenti, aut Concionatori rectè rem proponenti: qui non facile ſolent decipere.

Contra ſecundam. concluſionem arguitur. Vel concluſio intelligitur de fide diuina, cui non poteſt ſubeſſe falsũ vel intelligitur de fide humana: ſi de diuina videtur falsũ quia Indiani, & multi infideles ad fidem cõuerſi fuerũt: nullo præmiſſo ſuper naturali ſigno, quo cauſaretur euidentia credibilitatis fidei. ſi de humana, etiam eſt manifeſte falſum: multa, enim tali fide credimus, quorum non eſt teſtimonium euidens, ergo concluſio eſt aperte falſa.

Reſpondetur, quòd concluſio intelligitur de fide diuina cuius euidentiam moralem non ſolum cauſant miracula, ſed etiam hyſtoria Euangelica ab Eccleſia recepta, & perſeuerantia Eccleſię quantum ad caput, & alia teſtimonia ſupra poſita.

ARTICVLVS X.

Vtrum euidentia credibilium ſit neceſſario prærequiſita ad generationem, & conſeruationem fidei.

Quid requiratur ad hoc vt fidei veritates credantur. HÆc quæſtio mouetur vt exactior ſuperioris articuli intelligentia habeatur. Vnde obſer. eſt primo, Ad hoc vt fidei veritates credantur præter ipſum lumen fidei requiri manifeſtationem, & propoſitionem illarum: nam ita ſe habet lumen fidei reſpectu credibilium, ſicut reſpectu primorum principiorum naturalium, naturale lumẽ, quod non proponit nobis ipſa principia, ſed poſtquam propoſita ſunt, & à Magiſtro explicata, facit vt illis aſſentiamur, atque adeo ſicut neceſſarium eſt, vt prima principia proponantur, vt illis præbeamus aſſenſum; ita ſunt neceſſarium, vt huiuſmodi veritates credibiles præter lumen fidei nobis infuſum a Deo alicui homini vel aliquibus proponerentur.

Vt propoſitio fidei obliget ad aſſenſum duo requiruntur. Secundo obſer. eſt. ad hoc quod propoſitio fidei obliget ad aſſenſum credibilis, duo ad illam requiruntur. primo, vt proponant veritatem, quæ credi debet, vt reuelatã a Deo: nam illi non aſſentitur fides niſi vt ſic: cum, enim fidelis per fidem credat Deo dicenti talem veritatem, debet illi eſſe certum Deum dicere, per ipſam fidem; & conſequenter hoc ipſum debet illi proponi ex ui modi proponendi ipſam veritatem. ſecundo vt per talem propoſitionẽ homini euidenter conſtet veritatem, quæ proponitur credenda, vt reuelata à Deo., eſſe ſecundum eam rationem credibilem, & ſecundum rectam rationem prudenter credendi vt diximus præcedenti articulo.

Tertio obſer. eſt, propoſitionem fidei fieri talem, qualis requiritur ad hoc, vt quis obligetur ad credẽdum rei propoſitę fide diuina, ex varijs motiuis & argumentis, de quibus egimus ſupra, ex quibus veritates fidei eſſe euidenter credibiles & credendas dignoſcuntur; & præter hæc neceſſarium fuit præter fidei miniſtrum proponentem ſufficiẽter res fidei dari aliquam regulam ſenſibilem accomodatam humano captui, per quam ineſtabili authoritate proponeretur verum Dei Verbum, & per illam dignoſceretur à falſo, & eum qui prædicat hoc verbum cognoſceretur eſſe vere miſſum à Deo, & ab eo habere authoritatẽ & teſtimonium dicendi verum.

Quarto obſer. eſt Hanc regulam ſenſibilem, & infallibilem iudicem, ac Magiſtram fidei nõ poſſe eſſe inanimatam, & mortuam. i. talem, quæ loqui non poſſit, neque ſe ipſam exponere, neque rationem ſui reddere, & per conſequens hãc regulam non poſſe eſſe ſcripturam, vel traditionem, quæ inter mortuas numerantur, quæ regula eſt ipſa Dei Eccleſia à Chriſto domino inſtituta, in qua eſt poteſtas infallibiliter iudicandi, & definiendi de rebus fidei, & hoc tam certum eſt, quam eſt certum ipſum Chriſtum habuiſſe talem poteſtatem, Nam ſicut Chriſto à Patre dictum eſt Ipſum audite, in confirmationem verbi, quod erat ipſe prædicaturus. ita Apoſtolis ipſe dixit. Qui vos audit me audit; & ſicut ille de ſe ipſo dixit. Data eſt mihi omnis poteſtas, ego ſum Paſtor bonus. Remittuntur tibi peccata tua. Ita Apoſtolis dixit Quæcunq; ligaueritis. Paſce oues meas &c. & Ioan. 15 & 14. Eccleſiæ promittitur perpetua aſſiſtentia Spiritus ſancti; qui doceat omnem veritatem.

1. Concluſio. His obſeruatis eſt prima Concluſio. Ad fidei generationem, & conſeruationem neceſſe eſt, quod præſupponatur euidens notitia, & experimentalis quod ea, quæ nobis credenda proponuntur, ſunt credibilia. probatur concluſio. Sap. 19. vbi dicitur. Qui cito credit leuis eſt corde, ergo ad credendum ſine leuitate neceſſe eſt vt præſupponatur euidentia credibilis. probatur ſecundo ratione. Ea, quæ ſunt fidei non poſſunt à nobis tradi in virtute luminis naturalis; ergo omnes homines ſumus rudes natura noſtra reſpectu eorum, quę ſunt fidei vt ait Diuus. Paulus. 1. Corint. 2. oculus non vidit, neque auris audiuit &c. ſed omnis homo rudis, & ignarus alicuius diſciplinæ nequit capere diſciplinam ipſam ab illis, qui ſunt in ea periti, niſi vel talis diſciplina ſit ſubiecta lumini naturali intellectus vel niſi cognoſcat homines illos à quibus docetur eſſe peritos in illa diſciplina, & ſapientes per aliquos effectus ſenſibiles, quos experimentaliter uidens intelligat præceptores illos eſſe ſapientes in illa arte, & diſciplina, quam tradunt; tunc, enim quam vis ipſe non ſit idoneus, vt poſſit ſcire illam diſciplinam, poterit tamen credere, ſi per effectus experimentales intelligat illos præceptores eſſe ſapiẽtes. ergo cum Apoſtoli, & Eccleſia docuerint diſciplinam ſuper naturalem, & omnes priuati homines per facultatẽ luminis naturalis ſint incapaces illius doctrinæ, nullo alio mõ percipient doctrinam ab Eccleſia, vel Apoſtolis,

quam

Digitized by Google

quam ſi experimentaliter, videant aliquos effectus ſupra vires naturales, ex quibus intelligant Apoſtolos, & Eccleſiam habere ſcientiam illa ſupernaturalem, quam prædicant & docent. ergo vera eſt concluſio.

Ex hac concluſione ſequitur: quòd cognitio illa experimentalis in prima fidei generatione debet formaliter, & expreſſe concurrere; In fidei autem conſeruatione ſatis eſt, vt quis habitualiter credat propter miracula illa, propter quæ cæpit credere. & hoc inſinuat D. Paulus. 1. Corint. 14. linguæ in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus. i. miraculum linguarum, ſiue quodcunque aliud miraculum expreſſe factum neceſſarium eſt vt in aliquo primo generetur fides, ſed poſtea quam credit non indiget ſempe rexpreſſa repetitione miraculi.

Secundo ſequitur, quòd ſcientia illa experimentalis neceſſario pręrequiſita ad fidei generationem innititur tantum modo operibus, quæ ſunt vere miracula: quia miraculum verum, eſt opus ſenſibiliter factum coram hominibus, quod excedit totius naturæ facultatem, & ex talibus accipienda eſt huiuſmodi euidentia experimentalis credibilium.

D. Gregor. *D. Auguſ.* Contra hanc concluſionem arguitur. D. Gregor. hom. 26. & D. Auguſt. tract. 79. ſuper Ioannem dicunt, quòd fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum: ergo ſi ad credendum, quæ ſunt fidei præ exigitur euidentia, quod talia ſunt credibilia diminuitur meritum vel totaliter aufertur. Reſpondetur, quòd ibi Gregorius, & Auguſtinus non loquuntur de miraculis, ſed de humana ratione. v. g. ſi homo crederet ſolum motus humanis rationibus tamquam ex principijs credēdi, tunc ſi principaliter credat propter humanas rationes, totaliter aufertur meritum, & non erit actus fidei ſed hereſis Manicheorum; & ſi credat propter humanas rationes minus principaliter, et magis principaliter propter authoritatem Eccleſiæ diminuitur fides, quia res fidei non ſunt regulande per humanas rationes; tamen ſi rationes humanæ adducuntur à Chriſtianis conſequenter poſt aſſenſum fidei, vt oſtendant ea, quæ ſunt fidei non repugnare lumini naturali, hoc non diminuit ſed potius auget meritum fidei.

2. Concluſio. Secunda Concluſio. omnis credens fide catholica præter euidentiam experimentalem miraculorum, habet ſciētiam ſpeculatiuam de his, quæ credit in genere credibilis, & habet ſcientiam practicam, quia iudicat credenda eſſe, prius quam credat. probatur prima pars. Impoſſibile eſt, quod intellectus vel naturaliter, vel voluntarie inclinetur in aliquod obiectum niſi in ipſo reluceat ſuū obiectum formale aliquo modo; ergo impoſſibile eſt, vt intellectus noſter apprehēdat aliquod obiectum, niſi ſit quidditas rei ſenſibilis, vel niſi in aliqua quidditate rei ſenſibilis contineatur aliquo modo quaſi inuolutum: conſequētia patet: quia pro hoc ſtatu obiectum noſtri intellectus eſt quidditas rei ſenſibilis, vt dicitur 3. de anima. Cum ergo in fide ipſa quidditas obiecti non percipiatur à nobis ſecundum ſe ipſam, neceſſe eſt, vt ſub quadam alia quidditate percipiatur, quaſi per accidens & circum voluta: ſed non eſt alius modus, quo percipi poſſit quidditas rei credibilis, vt veniat ad hoc vt credatur, quam vt percipiatur ſub quidditate eius, quod eſt, et dicitur credibile, igitur vt aliquid veniat in fidem neceſſe eſt, vt primum omnium percipiatur, ſub ratione, & quidditate communi in genere credibilis, & ſtatim atque percipitur ſub illa ratione communi habet ſub illa euidentiam: quia intellectus circa ipſum quod quid eſt, quod apprehendit ſecundum ꝙ ipſum, non fallitur, ſed euidentiam habet, vt dicitur 3. d. anima. tex. 26.

Secunda pars probatur. Intellectus non inclinatur ad actum fidei, niſi motus à voluntate, ſed voluntas nunquā mouet niſi præcedente iudicio practico, quo iudicatur bonum eſſe voluntatem tunc mouere intellectum, ergo intellectus nequit inclinari ad actū fidei niſi præcedente Iudicio practico, quo iudicatur illud tale eſſe credendum.

Multis modis contingit vt aliquis non credat. Ex hac concluſione ſequitur, quod multis modis cōtingit vt aliquis non ſuſcipiat fidem, neque credat. Primo ſi non aduertat ad miracula, quorum euidentia aliqua experimentalis, vel habitualiter, vel expreſſe præ ſuppoſita eſt primum fundamentum fidei. Secundo modo ſi aduertat ad miraculorum experimentum & non aduertat ad euidentiam ingenere cridibilis, atque ita deficiebat Pharao viſis miraculis Moyſi; tertio quamuis aduertat ad euidentiam in genere credibilis ſi non format iudicium practicum, quo iudicet ſibi eſſe credēdum; quod contingit Magis Pharaonis, vt dicitur Exodi. 8. quarto modo ſi haberet huiuſmodi iudicium ſecundum habitū, & non ſecundum actum, & hoc modo deficiebant à fide Phariſei non credentes Chriſto. Cæterum ſtantibus, & præſuppoſitis omnibus his quatuor conditionibus ſimul, voluntas mouet intellectum ad credendum.

Secundo ſequitur, quod quamuis miracula, & quælibet alia motiua ad credendum habeant neceſſariam habitudinem ad actum fidei, tamen ſi conſiderentur in ordine ad inſtinctum Spiritus ſancti, quo mouet voluntatem per affectum, & intellectum per habitum infuſum, habent ſe talia motiua ſufficientia, quaſi materialiter, inſtinctus vero Spiritus ſancti habet ſe formaliter, ita quòd quamuis vtrumque concurrat in genere cauſæ efficientis ad actus fidei; quia tamen efficacia miraculorum & perſuaſio, qua euidenter iudicātur ea, quæ ſunt fidei eſſe credibilia, minus principaliter concurrunt, & ideo hæc dicūtur quaſi materialiter ſe habere reſpectu inſtinctus Spiritus ſancti; ipſe vero inſtinctus Spiritus ſancti: quia perfectius concurrit dicitur formaliter ſe habere reſpectu efficaciæ miraculorum.

ARTICVLVS XI.

Vtrum euidentia eorum, quæ credimus in genere credibilis pertineat ad habitum fidei, an vero ad habitum ſcientia.

DE hac re duplex eſt ſententia. Prima eſt Sancti Thomæ. 2. 2. quæſt. 1. articul. 4. ad tertium & ibi Caietani, qui tenent quod ipſe habitus fidei inclinat ad aſſentiendum rebus fidei obſcure; inclinat autem clare ad euidentiam credibilitatis eorū quæ ſunt fidei & probatur ſic hæc ſententia; habitus fidei habet eminentiam quamdam ſuper habitus naturales, ergo poterit ratione illius eminentiæ inclinare ad aſſentiendum euidenter & clare ſuo obiecto ſecundum ſuā, rationem. ſ. credibilitatis, & obſcure ſecundum alteram. *D. Thom.* *Caietanus*

Secundo probatur: quia naturale eſt, vt omnis Ars imperfecta, & omnis habitus imperfectus reducatur ad artem, & habitū perfectum, cui innitatur, & à quo ſuſtētetur, ſed fides inquantum inclinat ad aſſentiendum obſcure habet quamdam imperfectionē, ergo reducitur ad habitum perfectum, ſed non eſt dicendum quod fides, quæ eſt habitus ſupernaturalis reducatur ad habitum naturalem, vt ad ſcientiam, ergo reducitur ad ſe ipſam, ita vt habitus fidei in quantum inclinat ad aſſentiendum obſcure ſuo obiecto in genere rei reducatur ad ſe ipſum, in quantum inclinat ad aſſentiendum euidenter ſub obiecto in genere credibilis: atque ita fides non alteri innititur niſi ſibi ipſi. Et confirmatur, quilibet habitus intellectualis cauſat euidentiam earum propoſitionum ad quas inclinat, ſed fides eſt habitus intellectualis, ergo cauſat euidentiam eſſe credendum articulis fidei ad quos inclinat: minor, & conſequentia patent; declaratur maior exemplis: quia Mathematica facit euidentiam huius, triangulus habet tres angulos &c. & ſcientia de homine, facit euidentiam huius; omnis homo eſt riſibilis.

Secunda ſententia eſt oppoſita: videlicet, quòd ad aſſentiendum euidenter, & clare his, quæ ſunt fidei ſub ratione credibilis nō cōcurrit habitus fidei, ſed habitus ſciētiæ experimentalis, & euidentiæ credibilitatis rerū fidei; qui habitus, licet poſſit reduci ad habitum ſcientiæ Theologicæ; tamen in rigore eſt habitus ſcientiæ topicus de rebus ſuper naturalibus. Probatur hæc ſententia. Vbicumquam ſunt diuerſæ rationes formales in genere intelligibilis opportet cōſtituere diuerſos habitus, ſed hic eſt diuerſa ratio credibilis à ratione veri veritate fidei, & ſuper naturali, ergo à diuerſis habitibus debet procedere.

Præterea; quod eſt obſcurum non poteſt facere euidētiam, nec claram cognitionem, ſed fides infuſa eſt obſcura

ergo

Digitized by Google

ergo non poteſt cauſare euidentiam: maior & conſequentia patet, & probatur minor ex illo D. Pauli. 1. ad Corint. 13. Videmus nunc per ſpeculum in enigmate.

Item Pueri venientes ad uſum rationis, & ruſtici, & indocti habent lumen fidei infuſum, & tñ nõ habent euidentiam, ꝙ articuli fidei ſint credibiles, vt patet, ergo &c.

Præterea ſi lumen fidei faceret euidentiam, credẽdum eſſe, ergo falſum eſt id quod concluſum eſt in ſuperiori articulo vbi determinatum eſt, motiua fidei, ſigna, & alia huiuſmodi cauſare talem euidentiam.

Deinde nullo proponente, cum primum quis habet vſum rationis aſſentitur primis principiis ſpeculatiuis, vt omne totum eſt maius ſua parte, & practicis, vt quod tibi non vis alteri nõ facies, non ob aliud niſi quia habet lumen intellectus repreſentans illa principia, & faciens illorum euidentiã, ergo ſimiliter, & lumen fidei repręſentat articulos fidei, eoſq; facit euidenter credibiles, cuicũque baptizato ẽt nullo ꝓponẽte, cõſequẽs eſt falsũ, ergo &c.

Subinde multi habentes fidem patiuntur aliquos motus leues infidelitatis, ergo lumen fidei non facit euidentiam credendorum, probatur conſequentia à ſimili, habitus temperantiæ non dubitat aſſentiendum eſſe principiis eius. ſ. abſtinendum eſſe à cibo immoderato, quia facit euidentiam eorum, vt ait D. Thomas vbi ſupra ad tertium, ergo ſi fides cauſaret euidentiam credendorum non compateretur ſecum aliquos motus leues infidelitatis: ſed eos compatitur. ergo &c.

Lumen fidei triplicem habet proprietatem.

Pro reſolutione huius difficultatis. obſer. eſt primo qđ lumen fidei triplicem habet proprietatem, prima eſt inclinare potentiam, & reddere illam facilem ad præſtandum aſſenſum articulis fidei iuxta illud Ioan. 1. can. 2. Vos vnctionem habetis ab Spiritu ſancto. i. fidẽ infuſam à Deo, & noſtis omnia. i. per quam fidem eſtis faciles ad præſtandum aſſenſum omnibus articulis fidei: ſecunda proprietas eſt facere euidentiam credendum eſſe articulis fidei, ſicut idem faciunt miracula & cætera teſtimonia ſupra poſita, hoc tamen non facit fides cum omnibus, ſed cum perfectis, & exercitatis in confeſſione fidei, vt dicit Caiet. vbi ſupra. Probatur ex illo Iſaiæ. 7. Niſi credideritis. ideſt niſi habueritis fidem infuſam internam, non intelligetis. i. non habebitis euidentiam, credendum eſſe articulis fidei, nec intelligetis ſcripturam in vero ſenſu: quæ eſt enim cauſa quare propoſito hoc loco ſcripturæ Deus reddet vnicuique ſecundum opera ſua Catholicus intelligit opera eſſe meritoria, vel demeritoria; Lutheranus vero hoc negans, illum apertiſſimum locum non intelligit, quamuis periſſimus ſit linguarum, niſi quia ille credit; iſte vero non. Tertia proprietas, ꝙ fides cõcurrit ſimul cũ intellectu ad aſſenſum fidei, & non ad contrarium, ſicut ſpecies intelligibilis ad productionem notitiæ, & ſicut alius habitus concurrit ad ſubſtantiam ſuorum actuum.

Habitus infuſus nõ inclinat ad actum niſi ſubiectum fuerit exercitatum.

Secundo obſeruandum eſt, quod habitus infuſus non inclinat ad actum, niſi ſubiectum fuerit exercitatum, v.g. charitas infuſa non inclinat nec facilitat potentiam: niſi quãdo homo fuerit exercitatus in charitate, aliter haberemus euidentiam habituum infuſorum, quod eſt impoſſibile, & confirmatur, ponamus aliquem vitioſum baptizari, iſte non ſentit in ſe maiorem facilitatẽ ad actus ſtudioſos, quam ante baptiſmum, & tamen in illo recipit omnes habitus virtutum infuſos, ergo experientia conſtat habitus infuſos non facilitare potentiam niſi in ſubiecto exercitato. Ratio autem quare habitus infuſus nõ inclinat niſi mediante acquiſito, acquiſitus vero ſic; eſt quia acquiſitus præſupponit ſpecies rerum, infuſus vero, non ſed acquirit eas mediante acquiſito; Nullus enim habitus ſcientificus repręſentat obiectum, ſed ſolum inclinat potentiam, vt faciliter producat ſuum actum, repręſentatur autem obiectum per ſpecies intelligibiles. Vnde ſequitur, quòd ſi Deus infunderet alicui Phyloſophiam naturalem, & non ſpecies intelligibiles eius, ille non ſciret veritates phyſicas donec ab aliquo doceretur, & reciperet ſpecies. ſecundo ſequitur aliud eſſe recipere fidem infuſã tantum, & aliud ſimul recipere reuelationẽ, cui enim fit reuelatio, vt facta fuit Prophetis, ẽt infunduntur ſpecies eius, ꝙ reuelatur; cui autem infunditur ſola fides non ita.

Tertio obſeru. eſt. quod prophetia triplici reuelatione habetur, vt habetur Numeri. 12. ex illis verbis quibus locutus eſt Dominus ad Moyſem, & Aron dicens. Si fuerit inter vos Propheta Domini in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad eum, & poſtea, ſequitur de Moyſe; ore ad os loquar ei palam, & non per enigmata & figuras. ex quibus verbis habetur triplex genus Prophetiæ, primum genus: Fit per viſionem ſignorum ſenſibilium exteriorum. vt Ieremie. 1. Quid vides Ieremia? ollam ſuccenſam ego video. Video virgam vigilantem, &c. & hinc colligitur Prophetiam clariorem eſſe fide; quia fides eſt enigmatica; Prophetia vero eſt clariſſima. Vnde. 1. Reg. 9. dicitur, quod qui nunc Propheta dicitur, tunc videns, appellabatur: non quod viſio illorum ſignorum exteriorũ redderet intellectum Prophetæ certum de futuris contingentibus ſignis illis ſtatim viſis; ſed Deus illis ſignis præmiſſis irradiabat intellectum eius ad cognoſcendum illa obiecta per eiuſmodi ſigna importata Nam de viſione virgæ dixit Dominus. Bene vides: quia oportet me regere populum iſtum in virga ferrea.

Prophetia triplici reuelatione habetur.

Gen. 41.

Secundum Genus fit per ſomnia imagines, & phantaſmata, vt patet de Pharaone, & Nabucdonoſor, quorũ alter vidit in ſomnio vaccas pingues, & fœdas macieque cõfectas, ex quibus ductus eſt Ioſeph ad interpretationẽ alterioris rei futuræ; & alter vidit ſtatuam illam grandem, & multiformem ex qua conſimiliter ductus Daniel fuit ad interpretationẽ rei futuræ, &c. Tertiũ Genus fit per reuelationẽ interiorẽ, & intellectuale notitiã: quando. ſ. Deus imprimit immediate in intellectu prophetæ notitiam alicuius rei, ſine huiuſmodi ſignis ſicut Moyſi loco ſupra citato, & Dauid. 2. Reg. 17. & D. Paulo. 2. ad Corint. 13. Vnde Gloſſa dicit, quòd Paulus fuit raptus vſque ad tertiũ cœlum. i. vſque ad tertium genus Prophetiæ, ſemper tamen in huiuſmodi Prophetica reuelatione infunduntur ſpecies eius, quod reuelatur, quod non cõtingit cui infunditur ſola fides.

Dan. 2.

Gloſſa.

Reſpõſio ad quęſtionem.

His obſeruatis. In hac re dicendum cenſeo, quòd ſi conſideremus hominem antequam credat, tunc ſufficienter habet homo euidẽtiam credibilium ex teſtimonijs externis, & miraculis, patet quia antequam quis credat, & habeat habitum fidei, habet euidentiam, quòd illa, quæ eſt crediturus ſunt euidenter credibilia, & ſic intelligitur ſecunda ſententia. Poſtquam autem quis credit, & eſt fidelis habẽs habitus fidei ipſe habitus fidei infuſus facit quodammodo euidentiam credibilium, & hoc docent Caiet. & S. Th. vbi ſupra; & patet quia fides dicitur in ſcriptura lumẽ. Sic enim ait Chriſtus Dominus, dum lucẽ habetis credite in lucẽ, vt filij lucis ſitis. & ex hoc põt formari rõ ſic, omne quod agit, agit vt eſt actuale, ſed ſi lumen illuminat ea ratione, qua lumẽ eſt, & habitus fidei eſt quoddam lumen ſupernaturale mentis, ergo licet ſit lumẽ exiguum illuminat, ſed nõ illuminat res creditas, vt ſunt veræ in ſeipſis, ergo illuminat faciendo eſſe credibiles.

Ad rationes Caiet. prout ſunt contra ſecundam ſententiam. Reſpondetur, & ad primã dico, quòd aliqua forma poteſt ita eminenter ſe habere, vt ſupleat vicem habitus multiplicis, ſiue plurium formarum poſitiuarum, non autem vt ſupleat vicem habitus, & priuationis, vt lucis atq; tenebrarum: quia hoc non poteſt eſſe & ita fides nequit inclinate, ad clarum, & ad obſcurum.

Ad ſecundã dico, ꝙ aliquis habitus imperfectus reduci põt ad perfectũ duobus modis, vno in rõne principii, altero in rõne fundamenti, primo modo nunq̃ habitus pſectior põt reduci ad imperfectũ, neque ſupernaturalis ad naturalẽ, ſed ecõtra. & ita fides noſtra ad Spiritũ Propheticũ, quẽ habuerunt Apoſtoli, & Prophetæ: ſcdo mõ, habitus perfectus reducitur ad imperfectiorẽ: quia imperfectior eſt quaſi materialis, & fundamentũ perfectioris, & quẽ præſupponit perfectior, ſicut actus præſupponit potentiam, atq; ita fides præſupponit in nobis euidentiã credibilitatis, & experimẽtalem cognitionẽ miraculorũ. Ad confirmationem dico ꝙ concludit de habitibus intellectualibus acquiſitis, ſed non de infuſis, & maxime de fide niſi præſuppoſita notitia experimentali per miracula, & alia teſtimonia ſupra relata. Ad argumenta contra opinionem. D. Th. rñdetur & ad primũ nego conſequentiã: quia clarum lumen, & obſcurũ in aliqua imagine clare oſtẽdit ea; q̃ ſunt magna; parua vero obſcurè. Itẽ lumẽ fidei, qđ eſt paruũ reſpectu luminis gloriæ clare oſtẽdit id,

quod eſt commune in articulis fidei.ſ.credibilitatem, at vero id, quod eſt peculiare ſcilicet veritatem, oſtendit obſcure, atque ita fides eſt lumen obſcurum ratione veri, clarum vero ratione credibilis.

Ad Secundum negatur conſequentia, ex dictis enim patet concluſionem eſſe intelligendã in perfectis, & exercitatis in frequenti confeſſione fidei: quia habitus infuſus non inclinat niſi ſubiectum exercitatum.

Ad Tertium negatur ſequela, ad probationem reſpondetur, quòd tam à ſignis exterioribus, quam à lumine interno fidei cauſatur euidẽtia credibilitatis articulorum fidei, & quando diximus ſupra, quòd nullus crederet niſi videret ea eſſe credenda propter euidentiam ſignorum, vel aliquid huiuſmodi, locuti ſumus regulariter, vel in illis, qui in principio Eccleſiæ credebant propter ſigna.

Ad Quartũ nego conſequentiã: quia fides infuſa nõ inclinat ſine acquiſita per auditum mediante prædicatore, articulos fidei proponente, & explicante. ſunt enim veritates excedentes noſtram potentiam, vt dictum eſt. notabili ſecundo, habitus autem intellectus repræſentat prima principia, quæ ſunt veritates naturales.

Ad vltimum nego conſequentiam: quia ſententia D. Thomæ intelligi debet, vt dictum eſt de homine fideli; & exercitato in frequenti confeſſione fidei: Ad probationem reſpondetur negando conſequentiam: quia habitus infuſus non inclinat niſi in ſubiecto exercitato.

ARTICVLVS XII.

Vtrum fides Chriſtiana poſſit probari rationibus conuincentibus.

PRo ſolutione huius quæſtionis ſunt aliqua obſeruanda. primo obſeru. eſt, quod in fide noſtra ſunt quædam principia ad fidei articulos vt Deum eſſe, & eſſe vnum, infinitum, ſapientem, & bonum &c. & iſtis nulli dubium eſt, quin probari poſſint per rationes naturales. Nam Magiſter ſent. D. Thom. D. Bonauent. & Scotus probant rationibus euidentibus Deum eſſe, &c. Sed ſunt alia myſteria noſtræ fidei prorſus abſcondita à lumine naturali, vt quod Deus ſit Trinus & Vnus; quod ſit homo, &c. & de iſtis eſt quæſtio, an Saltim poſſint probari, quod ſint euidenter credibilia, vel poſſibilia.

Secundo obſer. eſt quòd aliud eſt probare aliquid eſſe verum euidenter, vel eſſe credibile. Ad primum enim requiritur cognitio clara ipſius veritatis. Ad ſecundum vero ſatis eſt fidele teſtimonium alicuius; ſicut illi, qui non vidit. Romam eſt euidenter credibile, quod Roma ſit, licet non ſit illi euidenter verum: quia nunquam vidit illam. Eodem modo aliud eſt probare myſteria noſtræ fidei euidenter vera, & aliud eſſe euidẽter credibilia: quia ad primum requiritur habere euidentiam myſteriorum fidei, quam nullus viator habet; Ad ſecundum vero ſufficiunt certiſſima, & fideliſſima teſtimonia eorum.

D. Thom.
D. Bonau.

Tertio obſer. eſt vt docent D. Thom. 1. part. quæſt. 1. articul. 8. ad ſecundum & D. Bonauent. in prologo. primi Sent. quæſt. 2. quòd tria ſunt loca ex quibus poſſumus deſumere argumenta contra hæreticos, & aduerſarios noſtræ fidei, & quibus confirmentur infirmi in fide, & delectentur perfecti. primus eſt ex Scriptura ſacra; ſecundus ex authoritate Theologorum, & Doctorum Eccleſię; tertius eſt ex humana ratione, Argumentum deſumptum ex ſcriptura, eſt argumentum proprium, & neceſſariũ Theologiæ. Argumentum vero deſumptum ex authoritate doctorum, eſt quidem ex propriis, tamen probabile. Sed argumentum ſumptum ex ratione humana, & authoritate Phyloſophorum, eſt argumentum deſumptum, ex extraneis, & alienis, & probabiliter. Sed alii Theologi inter quos eſt Magiſter Canus decem loca Theologica aſſignant, ex quibus licet Theologo deſumere argumenta. primus eſt authoritas Sacræ ſcripturæ; ſecũdus Traditio Apoſtolica. tertius Authoritas Eccleſiæ. quartus authoritas Concilij Generalis. quintus authoritas ſummi Pontificis, & Eccleſiæ Romanæ. ſextus authoritas ſanctorum Patrũ, & Eccleſiæ. Doctorũ, ſeptimus authoritas Theologorum Scholaſticorum, quibus adiungitur authoritas Doctorũ Iuris Canonici, octauus authoritas Phyloſophorum naturalium, & authoritas Doctorum Iuris Ciuilis. nonus ratio naturalis, quæ in omnibus diſciplinis inuenitur decimus, & vltimus eſt authoritas humanæ hiſtoriæ quæ ſcripta eſt per authores fide dignos.

Canus.

Decẽ ſunt loca Theologica.

Omnia loca reducũtur ad tria

Cæterum ad illa tria poſſunt reliqua decem numerata reduci. Nam ad authoritatem ſcripturæ reducitur authoritas Eccleſiæ vniuerſalis, & Pontificis Romani, & Conciliorum, ac traditionum Apoſtolicarum, omnium enim iſtorum authoritas in authoritate diuinæ ſcripturæ fundatur. ſecundo ad authoritatem Doctorum Eccleſiæ reducitur, authoritas Scholaſticorum, & Phyloſophorum, quorum authoritas minor eſt, quam Sanctorum Patrũ. Authoritas etiam hiſtoriæ humanæ reduci poteſt, vel ad hoc ſecundum membrum, vel ad rationem naturalem, & humanam. exacta iſtorum locorum explicatio videatur apud Canũ in ſuo nunquam ſatis laudato libro de locis Theologicis, & apud Bannes in primam partem. Sanctũ Thom. quæſt. 1. articul. 8. dub. 8. & Trigoſum. in Tom. 1. ſummæ, Diuũ Bonauent. quæſtio. 1. articul. 3. dub. 3.

Canus.
Bannes.
Trigoſus.
Alexa. de Ales.

Quarto obſeru. eſt vt docet Alex. de Ales. 1. par. quæſt. 2. m. 3. articul. 4. ad ſecundum & quartum quod aliter ſe habet ratio in logicis, & aliter in Theologicis: nam in logicis ratio creat fidem, vnde argumentum eſt ratio rei dubiæ faciens fidem; in Theologicis vero eſt è conuerſo: quia fides creat rationem. Vnde fides eſt argumentum faciens rationem. Fides enim qua creditur eſt lumen animarum, quo quanto quis magis illuſtratur tanto magis eſt perſpicas ad inueniendas rationes, quibus probantur credenda; quæ tamen credenda à priori & per cauſam probari non poſſunt in hac vita, bene tamen à poſteriori probantur. Hæc Alexand.

Intellect' humanus biſariã cõſiderari poteſt.

Quarto obſer. eſt quod intellectus noſter biſariam cõſiderari poteſt, vno modo nudus ſine aliquo dono ſupernaturali, & tunc ea, quæ ſunt fidei ſunt ſupra rationẽ eius: quia ratione naturali non poſſunt haberi, cum ſint ſupernaturalia, & ordinis ſuper naturalis, non tamen ſunt contra rationem: quia non repugnãt rationi, ſed ſunt ſupra: quia excedunt rationem naturalem; atque adeo quantum uis intellectus noſter ſit informatus, & plenus omnibus ſcientiis naturalibus, nunquam tamen poterit pertingere ad cognitionem rerum ſupernaturalium, quæ ſpectant ad fidem. Alio modo conſiderari poteſt intellectus noſter informatus fide, & eleuatus per fidem; nã fides eleuat intellectum ad credendum myſteria ſuper naturalia, imo vt dictum eſt ex Alexandro fides ipſa excogitat rationes ad probandum ea, quæ ſunt fidei, cum ſit lumen ipſius animæ: atq; adeo ſuppoſita fide credibilia non ſunt ſupra rationem: quia iam intellectus eſt eleuatus per fidẽ & rationes quas adducit Theologia in intellectu fideli non ſunt ſupra rationem eius, ſed per eas iuuatur ad intelligendum myſteria fidei.

Quinto obſer. eſt: quòd rationes quæ adduci poſſunt ad probandum ea, quæ ſunt fidei, ſunt in duplici differentia: aut enim ſunt immediate, & neceſſario deductę ex articulis fidei, & ex ipſa ſcriptura ſicut iſta, Chriſtus habet animã rationalem, quæ deducitur neceſſario ex iſta, Chriſtus eſt homo, & iſta, Chriſtus habet duas volũtates, quæ neceſſario deducitur ex iſta, Chriſtus eſt ſuppoſitũ ſubſiſtens in duabus naturis, vel Chriſtus eſt Deus, & homo, & tales cõcluſiones, & rationes dicuntur credibiles, & reuelatæ mediate, & virtualiter, & pertinent ad fidem, & ſunt eiuſdem certitudinis ac ipſæ præmiſſæ, ex quibus inferuntur. Aliæ ſunt rationes probabiles, & naturales, quæ adducuntur ad probandum, & declarãdum ea, quæ ſunt fidei, & tales certum eſt quod non ſunt eiuſdem certitudinis, ac ipſa ſcriptura Sacra.

D. Damaſ.

Sexto obſer. eſt ex D. Damaſ. lib. 4. de fide. ca. 11. fidẽ eſſe duplicem alteram ex auditu, cuius meminit. D. Paulus ad Roman. 11. altera fides eſt, quam ipſe Paulus docet. Epheſ. 2. nõ ex nobis eſſe, ſed donum Dei; prior dicitur acquiſita, quia paritur ex noſtro actu credendi; poſterior vero dicitur infuſa: quia diuinitus nobis datur, vt patet in paruulis renatis, in quibus ſine priori eſt hæc poſterior fides infuſa. His obſeruatis reſpondeo ad quæſtionẽ.

1. Concluſio.

Prima Concluſio. Nulla fides ſiue acquiſita, ſiue infuſa poteſt

ſa poteſt

Digitized by Google

ſa, poteſt probari demonſtrationibus, ſeu rationibus con-
uenientibus: probaturq; cognitio ex demonſtratione ſciē
tia eſt, & non fides; talis enim cognitio eſt ex euidētia rei,
non ſic aūt fides, ergo &c. ſecundo probatur ex ſcriptura.
Iſaia. 64. Nec oculus vidit, nec auris audiuit, Deus abſq;
te &c. & Ioan. 1. Deum nemo vidit vnquam. Matth. 11.
Nemo vidit filiū niſi Pater &c. 1. Corint. 2. quæ ſunt Dei
nemo nouit, niſi Spiritus Dei, qui in ipſo eſt; nobis autem
reuelauit per Spiritum ſuum: ex his cōſtat quod ſine Dei
particulari auxilio myſteria fidei ſupernaturalia, non poſ
ſunt intelligi, nec per rationem humanam euidenter pro
bari, quia cum ſuperent rationem humanam vt dictū eſt
notabili quarto, non poteſt rō humana illa demonſtrare.

Secunda Concluſio, Non poteſt per rationes naturales
euidenter probari: quod myſteria noſtræ fidei ſint euidē
ter poſſibilia, vel impoſſibilia. hæc concluſio habet duas
partes. prima eſt quòd rationes naturales non poſſunt ꝓ-
bare myſteria noſtræ fidei eſſe euidenter poſſibilia. Proba
tur primo quia omnes demonſtrationes naturales proce-
dunt ex lumine naturali, & ex principiis naturæ, tā quan
tum ad exiſtentiam: quam quoad poſſibilitatem; ſed my-
ſteria noſtræ fidei tranſcendunt totam facultatem natu-
ræ, tam quantum ad exiſtentiam, quam quo ad poſsibili-
tatem, ergo poſsibilitas illorum non poteſt euidenter col
ligi ex principiis naturæ: probatur minor: quia rationes
naturales, non poſſunt vlterius ſe extendere, quam ad il-
la, quæ ſunt, vel poſſunt eſſe per principia naturæ: cum au
tem res fidei ſint ſupra totam poſsibilitatem naturæ, ergo
non poteſt per rationes naturæ probari eſſe poſsibiles.
Secunda Concluſio, quæ per demōſtrationem colligitur
ex principiis naturæ, continetur in illis tanquam in cau-
ſa; ſed myſteria noſtræ fidei non poſſunt habere cauſas na
turales ſui eſſe: ergo concluſio catholica non poteſt euidē
ter colligi ex principijs naturę. tertio quia ſequerentur
duo contradictoria: nam ex principijs naturę colligitur.
v.g. quod reſurrectio eſt impoſſibilis: quia à priuatione ad
habitum impoſſibilis eſt regreſſus; ergo ſi ex altera parte
poſſet rō naturalis probare, qđ reſurrectio eſſet poſſibilis,
iam demonſtraret duo contradictoria, nempe quod reſur
rectio eſſet poſſibilis, & impoſſibilis. quarto quia alias ſe-
queretur, quòd ratio naturalis poſſet demonſtrare eſſe
poſſibile quòd Deus eſt Trinus, & Vnus, & ex cōſequēti
quod ſit verum. Probatur ſequela: quia in æternis idem
eſt eſſe, & poſſe de facto: nam ſi ad intra poteſt Deus eſſe
Trinus: ergo eſt: quia quod poteſt ad intra Deo conueni-
re, neceſſario illi conuenit, & per conſequens habet illud.
Sed poteſt probari, quod eſt poſſibile eſſe Trinū, ergo &
quod ſit verum. quod eſt falſum.

Secunda pars concluſionis. ſ. quod nec poteſt probari
per rationes naturales myſteria fidei eſſe euidenter impoſ
ſibilia. probatur primo, demonſtratio non poteſt probare
quod eſt falſum, ſed falſiſſimū eſt quod myſteria noſtræ
fidei ſint impoſſibilia: quia fides docet contrarium, ergo
ratio naturalis non poteſt illud euidēter demonſtrare. Se
cundo ex ſententia omnium. Verum vero conſonat, ſed ꝙ
lumen naturale docet eſt verum, & quod fides docet eſt
verum, ergo lumen naturale nō poteſt demonſtare illud,
quod eſt contra lumen ſupernaturale. Tertio Ratio natu
ralis non poteſt demonſtrare impoſſibilitatem niſi indu-
cendo aliquam implicationem contradictionis, ſed hanc
non poteſt inferre ratio naturalis; quia vt dicemus, ſequē
ti concluſione omnia argumēta, quæ deducuntur ex prin
cipiis naturæ contra noſtram fidem poſſunt euidenter
ſolui à Theologo, ergo ratio naturalis non poteſt euiden-
ter demonſtrare ꝙ myſteria noſtræ fidei ſint impoſſibilia.

Tertia Concluſio Theologus euidenter poteſt diſſol-
3. Concluſio. uere omnia argumenta aduerſariorum, quæ afferunt cō-
tra noſtram fidem: hæc concluſio eſt contra Durandum,
Durand. quæſt. 1. Prologi articul. 2. eam tamen docet D. Thomas.
D. Thom. in 1. part. quæſt. 1. articul. 8. & 1. contra Gentes. capit. 7. &
Frāciſcus. Mayro. eam ſubtiliter probat Franciſcus Mayronus. qu. 1. quol.
Nam aliud eſt euidens probatio alicuius propoſitionis,
aliud eſt euidens ſolutio vel vt dicit Franciſcus quæſt. 2.
quol. Aliud eſt poſſe defendere, aliud eſt poſſe demōſtra-
re credita; licet enim veritates ſupernaturales non poſſint
probari euidenter, poſſunt tamen euidēter ſolui rationes
contrariæ fidei: nam euidēs probatio debet procedere ex
euidentibus principiis: & quia articuli fidei ſunt ineui-
dentes, non poſſunt euidenter probari. at vero euidens ſo-
lutio argumenti non requirit iſtam, euidentiam, ſed ſatis
eſt, quod ſolutio non procedat ex manifeſte falſis, vel im-
poſſibilibus quando enim reſpondens, vel defendens ali-
quam concluſionem deducitur, ad cōcedendum aliquod
manifeſte falſum, vel impoſſibile, tunc argumentum con
cludit, & ſolutio eſt nulla. Sed tamen peritus Theologus
nunquam ad hoc deueniet. Nam ſi Paganus dicat, quòd
Virgo non poteſt parere. Theologus euidenter reſponde
bit, naturaliter verū eſt, ſuper naturaliter nego. Et ſi Me-
thaphyſicus dicat vbi eſt diſtinctio ſuppoſitorum eſt di-
ſtinctio naturarum, in diuinis eſt diſtinctio ſuppoſito-
rum, ergo & naturarum. Theologus euidenter ſoluet di-
cendo ad maiorem, quòd in natura finita vera eſt, non
tamen in natura infinita, qualis eſt diuina. & ſic de aliis.

Quarta Concluſio. Diuina Theologia, & Sacra doctri
na continet plura argumenta, quæ oſtēdunt myſteria no- 4. Concluſio.
ſtræ fidei eſſe euidenter credibilia. probatur authoritate
Pſalmi. 92. Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis, ex
quo deſcemo argumentum. Illud eſt euidenter credibile,
quod poteſt probari teſtimonijs fide dignis, & omni exce
ptione maioribus, ſed talis eſt noſtra fides, ergo illa eſt eui
denter credibilis. Maior de ſe patet, & minor poteſt proba
ri omnibus illis teſtimonijs, quę ſupra adduximus ex Sco
to. articul. 8. ex quibus euidenter conſtat fidem noſtram
eſſe euidenter credibilem, etiam ſi non poſſit probari eſſe
euidenter veram.

Quinta Concluſio. Et ſi fides infuſa, ſeu actus creden-
di ex fide infuſa non innititur rationibus topicis, rationes 5. Concluſio.
tamen topicas non excludit, imo rationes topicæ actum
fidei adiuuant, & ſunt velut diſpoſitiones quædam ad fi-
dei infuſionem, & introductionem, prima pars probatur:
quia rationes topicæ non generant ex ſua efficacia aſſen-
ſum certiſſimum, qualis eſt aſſenſus fidei, imo potius ge-
nerant tantummodo aſſenſum opinatiuum, ergo ipſis nō
innititur fides infuſa; probatur ſecūda pars, rationes topi-
cæ faciunt veritatem probabilem, & credibilem; fides au-
tem poteſt oſtendi probabilis, & credibilis, ergo fides non
excludit rationes topicas, obſerua tamen, quod dicuntur
rationes topicæ reſpectu veritatis, quæ creditur, ſunt ta-
men demonſtrationes credulitatis. tertia pars patet exem
plo: Si enim Gentilis audiens multa in fauorem fidei ſu-
bijcitur Euangelio, quāuis huiuſmodi res emolliant men
tem, vt obediat Euangelio, & credat, nō tamen illis inniti
tur fides Euangelij, ſed habent ſe huiuſmodi rationes, vt
Samaritana, quæ induxit Ciues ſuos ad fidē Chriſti: cui
tamen illi dixere iam non credimus propter tuam loque
lam. Et hoc eſt quod docet Seraphicus Doctor. quæſt. 2.
Prologi Sentent. dicens, quod ſicut Deus fouet per tēpo-
ralia beneficia infirmorum charitatem, ſic fouet fidem in *D. Bonau.*
firmorum per rationes probabiles, & topicas. Si enim in-
firmi viderent rationes deficere ad fidei probabilitatem,
& ad oppoſitum abundare; non perſiſterent in fide: Vn-
de apparet quam ſint vtiles rationes topicæ ad fidem li-
cet principaliter illis non innitatur. Vnde etiam apparet
ſenſus D. Petri. 1. ca. 3. Vbi monet nos eſſe paratos ad red-
dēdam rationem de ea, quæ in nobis eſt fides; debet enim
intelligi, non quod Theologi poſſint euidenter per ratio
nes oſtendere fidei veritatem, ſed quod poſſunt eſſe credi
bilia, & non fabuloſa: atque ita D. Auguſtinus dicit. 1. de
Trinit. Quod munus ſcientiæ Theologicæ eſt fidem ge- *D. Auguſ.*
nerare, nutrire, augere, & optimis rationibus roborare.

ARTICVLVS XIII.

Vtrum fidei poßit ſubeſſe falſum.

SEnſus tituli eſt, an articuli fidei contineant, aut
continere poſſint aliquid falſi, aut mendacij. &
poteſt intelligi, & ex parte habitus, & ex parte,
actus; & ex parte obiecti. Pro cuius explica-
tione obſeru. eſt. diſcrimen eſſe inter has propoſitiones,
ſub vero falſum eſt, & ſub vero eſt cognitio falſi, ſenſus

prioris eſt Veritatem eſſe rationem præciſam falſitatis, quod eſt impoſſibile, poſterioris autem veritatem eſſe rationem cognoſcendi falſitatem, quod ſepe accidit. cognita, enim affirmatiua vera, ſcilicet Deus eſt, cognoſcitur falſitas negatiuæ, ſcilicet Deus non eſt.

Secundo obſer. eſt differentiam eſſe inter habitus ſtudioſos intellectus, & habitus ſtudioſos voluntatis, nam primus impoſſibile eſt eſſe niſi circa verum; alioquin non eſſent virtutes ſed vitia, ſecundus autem poſſibile eſt præſupponere falſitatem in intellectu, vt ſi propter iuſtitiam ſoluas alicui centum exiſtimans verum creditorem, cum non ſit vere creditor.

Tertio obſer. eſt, quòd ſpei & charitati non poteſt ſub eſſe falſum: quia ſperare gloriam eſt habere fiduciam obtinendi illam, dummodo adſit perſeuerantia in gratia, quod ſemper eſt veriſſimũ, ſi vero alio modo ſperemus, potius eſt præſumptio, quam ſpes. Item obiectum formale charitatis eſt bonitas diuina, & nõ bonitas extimata proximi, diligimus enim proximum per charitatem propter bonitatem Dei, & non propter bonitatem proximi.

Tertio obſer. eſt ex Scoto in ſequenti. diſtin. 35. quæſt. 1. ſub. Littera. G. §. vltimo videndum eſt. quòd fides antiquorum, & noſtra eſt de eiſdem credibilibus ex parte rei non autem ex parte complexorum: nos enim & illi credimus Chriſti natiuitatem, & paſſionem a parte rei, non tamen ſub eiſdem propoſitionibus complexis: quoniam illis proponebantur futura, nobis autem præterita.

Quarto obſer. eſt, quòd tempore quo Chriſtus vixit, antequam prædicaret poterat eſſe ſub opinione apud Hæbreos fideles veniſſet ne Chriſtus. probatur primo. Nã Iudæi miſerunt ad Ioannem Sacerdotes, & Leuitas, vt interrogarent eum tu quis es &c. ergo aduẽtus Chriſti fuit ſub opinione antequam ipſe prædicaret. Item poſt miraculum quinque panum, & duorum piſcium, multi dicebant, hic eſt Propheta qui venturus eſt in mundum; & tamen loquebantur ſub opinione; quia ex illo miraculo ſolum faciebant coniecturam aduentus Chriſti, ergo &c.
Alexa. de Alex. Vnde vt notat Alex. de Ales. 3. part. quæſt. 68. m. 7. artic. 1. ad quartum tria tempora diſtinguenda ſunt. ſ. tempus ante incarnationem, tempus poſt incarnationem, & tempus incarnationis. In tempore ante incarnationem diſtante, ſimpliciter oportebat credere Chriſtum incarnandum Pro tempore vero poſt incarnationem diſtante, prædicatione Apoſtolorum diuulgata, & ſermone confirmato à Deo per ſequentia ſigna, oportebat ſimpliciter credere ipſum incarnatum. Sed tempore medio ſpirituales viri, quorum erat ſignare tempora ſecundum dicta Prophetarum nõ credebant ſimpliciter ipſum eſſe incarnandũ; ſed ſiue erat incarnatus, ita quòd erat ſub opinione apud hebreos fideles veniſſet ne Chriſtus. Vnde arguuntur Iudæi Ieremiæ 8. qui non conſiderarunt tẽpus à Domino dicente. Miluus in cœlo cognouit tempus ſuum, &c. populus autem meus non cognouit Iudicium domini.

Quinto obſer. eſt, quòd poſt Natiuitatem Chriſti, & Euangelij ſufficientem promulgationem omnes Chriſtũ inuincibiliter ignorantes, habebant fidem articulorum Chriſti ex parte rei, non autem complexorum, quorum ſolum habebant opinionem ex ignorãtia inuincibili, probatur prima pars. fides antiquorum & noſtra eſt de eiſdẽ credibilibus ex parte rei vt dictum eſt, ſed nos habemus fidem natiuitatis Chriſti, & eius mortis à parte rei; ergo & illis. ſecunda pars probatur de iſtis complexis Chriſtus eſt natus, Chriſtus venit &c. erat tunc opinio apud maiores ſynagogæ orta ex coniecturis, ergo de illis non habebant fidem, probatur conſequentia, quia fides, & opinio non ſe compatiuntur de eodem complexo.

Alexa. de Ales. Sexto obſer. eſt. ex Alex. de Ales. loco ſupra citato art. 4. quod aliud Iudicium eſt de hoc, Chriſtum eſſe incarnandum; ſecundum quod accipitur pro hoc. ordinatum eſt quod Chriſtus incarnabitur, & aliud ſecundum quòd accipitur pro hoc, Chriſtus incarnabitur: nam primum eſt neceſſarium, ſecundum autem eſt contingens ſecundum quid, & neceſſarium ſecundum quid, atque ita fides ſemper eſt de neceſſario vel ſecundum quid, vel de neceſſario ſimpliciter: non enim fides reſpicit illud ex parte contingentiæ, quam habet, pro cuius explicatione nota; quod neceſſarium opponitur impoſſibili, & diuerſificatur ſecundum quod diuerſificatur impoſſibile. Impoſſibile reſpicit potentiam. Potentia autem dicitur vel potentia ordinata. Quocumque autem modo accipiatur potentia, neceſſarium eſt Chriſtum eſſe incarnandum, ſecundum quod accipitur pro hoc. ordinatum eſt quòd Chriſtus incarnabitur ſed ſi accipiatur pro hoc, Chriſtus incarnabitur diſtinguendum eſt, vel per comparationem ad rem, & ſecundum hoc habet contingentiam, vel per comparationem ad potentiam ordinatam, & ſecundum hoc habet neceſſitatem; & non valet illa argumentatio, cuius oppoſitum eſt poſſibile Deo ergo ipſum eſt cõtingens, quia hoc non ſufficit; debet enim addi, & non habet contingentiã in ſubiecto ſiue materia, vel non eſt contrarium potẽtiæ ordinatæ. habet cõtingentiam in materia, vel in ſubiecto ponitur propter illud, Ezechiam eſſe moriturum, nam licet eius oppoſitum eſſet poſſibile Deo, vt patuit: tamen ipſum non fuit contingens: quia hoc habebat neceſſitatem in ſubiecto vel in materia, quantum ad curſum naturæ. quod non ſit contrarium potẽtiæ ordinatæ dico, propter illud. Chriſtum non eſſe incarnandum, ſiue Chriſtus incarnabitur. His obſeruatis reſpondetur ad quæſtionem vnica concluſione.

Fidei religionis Chriſtianæ nequit ſubeſſe falſum, hæc *Concluſio.*
cõcluſio eſt communis omnium Theologorum. Alex. de *Alexa. de*
Ales. 3. part. q. 68. m. 7. art. 1. Alberti in. 3. diſtinct. 25. art. 3. *Ales.*
D. Thom. 2. 2. quæſt. 1. art. 3. D. Bonauent. in 3. diſtinc. 24. *Albertus,*
articul. 1. quæſt. 1. Ricar. eadem. diſtinct. art. 1. qu. 3. Scoti *D. Thom.*
hic, & præcedenti. diſtinct. & quæſt. 14. quol. Durand. di- *D. Bonau.*
ſtinct. 24. quæſt. 8. & aliorum. Probatur concluſio. Nihil *Ricardus.*
pertinet ad aliquam potentiam, vel habitum niſi ſub ra- *Scotus.*
tione formali illius potentiæ, vel habitus; ſed obiectum *Durandus*
formale fidei eſt veritas prima, ergo nihil pertinet ad habitum fidei religionis Chriſtianæ niſi ſub ratione primæ veritatis, ſicut nihil pertinet ad viſum, niſi ſub ratione luminis, vel coloris. Tunc vltra veritas prima non poteſt eſſe ratio cognoſcendi falſum, ergò nullum falſum põt ſub eſſe fidei noſtræ. probatur antecedens. quia obiectum alicuius potentiæ, vel habitus, ſolum eſt principium cognoſcendi illa, quæ continentur ſub veritate ſua, ſicut lumen ſolum eſt principium cognoſcendi, vel videndi illa in quibus virtus luminis poteſt recipi; ſed veritas prima non cõtinet ſub ſua virtute aliquod falſum: quemadmodũ enim ens ſuæ vniuerſalitate prædicationis, non continet ſub ſe aliquod non ens, & ſicut bonum non continet ſub ſe aliquod malum, ita veritas prima vniuerſalitate ſuæ virtutis, non continet ſub ſe aliquod falſum, ergo veritas prima non poteſt inclinare directe ad aſſenſum alicuius falſi. Et confirmatur: quia fides infuſa eſt ſpeciale inſtrumentum a Spiritu ſancto diffuſum in cordibus hominum ad aſſentiendum inclinans, atque ita ſi inclinaret ad falſum, Deus ſpecialiter moueret ad aſſentiendum falſo quod eſt inconueniens.

Contra cõcluſionem Contra hanc concluſionem arguitur; & primo probatur, quòd fidei poſſit ſub eſſe falſum ex parte habitus. Charitati, & ſpei, atque prudentiæ infuſæ poteſt ſub eſſe falſum, ergo & fidei; probatur antecedens: nam poteſt quis ſperare beatitudinem, quã non eſt cõſecuturus. & D. Paulus voluit ex charitate ire in Hiſpaniam, & tamen non iuit, & antequam quis adoret hanc numero hoſtiam, prudentia infuſa illi dictat hanc eſſe adorandam, quæ tamen põt non eſſe conſecrata, ignorãtia, vel malitia Sacerdotis.

Secundo arguitur ex parte actus. Tam mediate q̃ immediate fidei põt ſub eſſe falſum, ergo &c. immediate quidem. Tum quia poteſt actus veræ virtutis eſſe de obiecto falſo, vt ſi quis ex ignorantia inuincibili putaret licere dare eleemoſinam de alieno, ergo etiam actus fidei, tum quia qui adorat hanc hoſtiam ideo illam adorat, quia credit vere eſſe conſecratam, vt poteſt non eſſe cõſecratam. Mediate vero: quia ex vna propoſitione de fide, & altera falſa, colligitur concluſio falſa, ergo ſaltem mediate poteſt falſum cadere ſub fidem: nam cognitio concluſionis, eſt effectus cognitionis præmiſſarum.

Tertio arguitur ex parte obiecti. nam contingens poteſt eſſe falſum, vt obiectum fidei poteſt eſſe contingens, vt paſſio Chriſti, quæ fuit voluntaria tam ex parte Chriſti; quam ex parte iudeorum, & Confirmatur: Nam ante Chriſti incarnationem Abraham credidit Chriſtum incarnandum

incarnandum

Digitized by Google

carnandum,& poterat Chriſtus poſt talem actum non incarnari,ergo ex parte obiecti poteſt ſubeſſe falſum.

Demum ante Chriſtum natum credere illum naſciturum eſt credere verum,at illud idem . credere Chriſto iã nato eſt credere falſum:ergo ex parte obiecti poteſt fidei ſubeſſe falſum. Poſito,enim aliquem fidelem media hora ante Chriſti natiuitatem habuiſſe hũc aſſenſum,Chriſtus eſt naſciturus,quem continuet per horam , ita vt in poſtera media hora,iam Chriſtus eſſet natus; Tunc ſic arguitur,iſte aſſenſus fuit elicitus ab habitu fidei infuſę, & poſt Chriſtum natum in illa media hora erat falſus,ergo fides infuſa inclinat ad illum aſſenſum falſum,& per conſequens poteſt fidei ſubeſſe falſum.

Alex. de Ales. Ad primum negatur antecedens,& ad illud de ſpe,reſpondet Alex.quòd motu ſpei non ſperat aliquis ſe habiturum vitam æternam,niſi ſecundum exigentiam meritorum,& perſeuerantiam ; & ita ſpei virtuti nunquam ſubeſt falſum : qui, enim aliter ſperat ſe habiturum vitã æternam,præſumit,& non ſperat ſpe virtute. Ad aliud de charitate inquit,quod non eſt ſimile de fide & charitate: quia charitas non reſpicit rationem veri,vel falſi;ſed boni,vel mali,& poteſt eſſe charitas circa bonum quod nõ eſt,volendo illud,charitas, enim ſemper vult quod Deo placitum eſt, Vnde ſiquis poſtea comperiat non eſſe Deo placitum,quod prius placitum eſſe putabat,fallitur extimano,non charitas,Cum,enim dicitur bonum eſt Apoſtolum ire ad Hiſpanos:non ſequitur;quia ſi bonum,eſt, & verum eſt : quia hoc verbum , eſt , non eſt ibi copula præſentialitatis,ſed tantum enunciationis, hoc eſt dicere non copulat actu et ſimpliciter,ſed habitu & conditionaliter. Et ſi dicas actus charitatis preſupponit actum fidei, dico quod verum eſt,quod præſupponit actum fidei , vt regulantis, & dirigentis eius actum , ſed non oportet , ꝙ præſupponat actum fidei,vt cõcurrentis,ſuper illud obiectum: omne,enim quod charitas appetit fides dictat appetendum eſſe,& ita dirigit eius actum;non tamen omne quod charitas appetit fides credit:quia de pluribus cõtingit dicere quod ſunt bona,falſum tamen eſt dicere, ꝙ ſint vera:bonum,enim dicit aptitudinem,& ordinationẽ habitualem,ſed verum dicit inherentiam, & exigentiam actualem. Vnde bonum erat Apoſtolum ire ad Hiſpanos quam vis non eſſet verum,& ita erat appetibile , quã vis non eſſet credibile. Quamuis ,enim falſitas poſſit ſtare cũ obiecto charitatis,quòd aliquid poteſt eſſe falſum & bonum;non tamen poteſt ſtare cum obiecto fidei: quia nõ poteſt idem ſimul eſſe falſum & verum.

Ad aliud de prudentia infuſa reſpondetur : quod non poteſt ei ſubeſſe falſum practicę: nam prudentia perficit intellectum in ordine ad particularia per agibilia conformiter ad rectam rationem ; Vnde prudentiæ dictamen ſemper eſt inclinans ad verum,etiam ſi verſetur circa aliquid ſpeculatiue falſum,vt patet in argumento:nam prudentia dictat , ſecundum rationem adorandam eſſe hoſtiam,quando inuincibiliter ignoratur,quòd non eſt conſecrata.

Ad ſecundum de actu.ad priorem partem reſpondeo, actum virtutis exiſtentis in voluntate,poſſe eſſe de obiecto ſpeculatiue falſo : quia verum eſt obiectum intellectus,non voluntatis,actus tamen virtutis intellectualis, qualis eſt fides,cũ innitatur primæ veritati, excludit omnino falſum; Vnde ſi contingat propoſitioni aliquod falſum,ita vt poſſit homo prudenter illi credere , excuſabitur quidem à peccato ſi credat , aſſenſus autem ille cum ſit falſus non erit elicitus à fide infuſa , atque adeo à virtute intellectuali.

Alex. de Ales. D. Thom. D. Bonau. Ricardus. Ad illud de hoſtia. Reſpondeo cum Alex. D. Thom. D. Bonau. Et Ricar. locis citatis fidem non eſſe de hac hoſtia niſi rite conſecrata;ſed quod hæc hoſtia ſit rite conſecrata eſt humanæ æſtimationis;& ideo ratione illius poteſt accidere error in actu latriæ.non tamen in actu fidei diuinę;ſed de hoc amplius dicemus infras.

Ad poſteriorem autem partem obiectionis,cõcedo cognitionem præmiſſarum eſſe cauſam efficientem cognitionis concluſionis,non tamen per realẽ , & phyſicum influxũ;cũ cognitio maioris nõ ſit ſimul cũ cognitione cõcluſionis, ſed per modum principij ad q̃d ſequitur aliud; quomodo ignis ſecus calor eſt cauſa raritatis. Sed hoc cõceſſo reſpondeo aſſenſum maioris de fide concurrere ad aſſenſum concluſionis tantum materialiter,vt aſſẽſus eſt, & vt habet veritatis conditionatæ,q̃ fundatur in bonitate conſequentiæ,non autem vt eſt aſſenſus falſus,quomodo etiam concurrit Deus, ad actum peccati ; & potentia motiua ad claudicationem.

Ad tertium de obiecto,dico cõtingens non cadere ſub fidem,niſi vt ſubſtat præſcientiæ & ordinationi diuinæ, à qua habet neceſſitatem conſequentiæ , vnde ſicut præſcientia falli non poteſt , nec ordinatio mutari ita nec fides. Vnde ad primam confirmationem reſpondeo : quod licet poſtquam credidit Abraham Chriſtum incarnandũ potuiſſet Deus per abſolutam potentiam non incarnari, ſi hoc quod eſt Chriſtum eſſe incarnandum , accipiatur pro hoc Chriſtus incarnabitur;ſi autem ſumatur pro hoc ordinatum eſt,quod Chriſtus incarnabitur , neceſſarium erat Chriſtum eſſe incarnandum,& per nullam potentiã oppoſitum potuit poni in eſſe,cum implicet diuinam ordinationem quæ eſt immutabilis,& qua ſtante erat ſimpliciter neceſſarium Chriſtum eſſe incarnandum; ſi autẽ eſſe Chriſtum incarnandum ſumatur , vt dixi , pro hoc Chriſtus incarnabitur:quatenus in ſubiecto non implicatur diuina ordinatio ; potuit Chriſtus non incarnari per potentiam abſolutam;non tamen per potentiam ordinariam:nam Deus non poteſt facere,vt non fiat , quod ipſe ordinauit & præſciuit futurum,fides autem Abrahę erat de Incarnatione Chriſti,vt ſubſtabat diuinæ præſcientię.

Addit Alex.adhuc fidei Abrahę non ſubfuiſſe falſum licet Chriſtus non eſſet incarnatus:nam ſicut non ſequitur. Chriſtus eſt incarnandus,ergo incarnabitur , ita poteſt ſtare fides illius ,i. Chriſtus eſt incarnandus. cum oppoſito huius ſcilicet Chriſtus incarnabitur : & ratio eſt, quia p primũ ſignificatur ordinatio exitus,& per ſecundum exitus ordinationis,quæ duo non habent neceſſariam connexionem,& dependentiam , vt colligere eſt ex Ariſt.2.de Gen. capitul. 64.cum ait deambulaturus non deambulabit . Verum : quia non ſolum Abraham credidit Chriſtum incarnandum , ſed etiam quòd incarnaretur,ideo aſſerit Alex. hoc ipſum fuiſſe creditum ab Abraham,cum hoc tamen addit ſecundum quod prophetæ prædicunt ; qui cum in ea prædictione locuti ſint ex inſtinctu Spiritus ſancti , non poterat tale obiectum à Deo mutari. *Alex. de Ales.*

Ad ſecundam confirmationem. Maior in.3.d.23.q.10. ad argumentum contra ſecundam Concluſionem in caſu huius argumenti affirmat,fidem infuſam inclinare ad falſum aſſenſum , qui quando fuit elicitus à fide infuſa, fuit verus,verum in tempore decurſo factus fuit falſus, & ſic pro tempore , quo eſt falſus non eſt elicitus à fide, ſed ſolum quando fuit verus . hęc tamen reſponſio falſa eſt;ſicut,.n.fides infuſa non elicit aſſenſum,falſum,ita neque inclinat ad illum. Ad argumentũ ergo negatur cõſequentia quia firmitas illius aſſenſus Chriſtus eſt naſciturus,non eſt à fide infuſa cum ſit falſus poſt Chriſti natiuitatem,ſed eſt ab intellectu natiuitatem Chriſti inuincibiliter ignoranti. *Maior.*

Contra ille aſſenſus poſt natiuitatem erat firmiſſimus ergo erat à fide,nego conſequentiam quia etiam hęreticus carens fide catholica firmiſſime confitetur aliquem articulum fidei per ſuum intellectum tantum, & nõ per fidem infuſam, quam ſe inſcio perdidit. Rurſus replicatur ſaltim ſequitur eumdem aſſenſum numero eſſe è fide,& ab opinione,quod eſt impoſſibile.probatur ſequela:quia in caſu dicti argumenti,aſſenſus huius, Chriſtus eſt naſciturus,eſt idem numero ante & poſt natiuitatem Chriſti cum ſit continuus, ſed ante natiuitatem Chriſti eſt à fide,& poſtea per te eſt ab opinione,ergo &c. Reſpõdetur negando ſequelam,ad probationem nego maiorẽ, duo,enim ſunt illi aſſenſus numero diſtincti: quia ex ſecundo de anima actus diſtinguntur per obiecta,& illius aſſenſus ante Chriſti natiuitatem,obiectum erat verum & poſt natiuitatem falſum,& ideo ſunt duo obiecta numero diſtincta,& per conſequens ſunt duo actus numero etiam diſtincti.

ARTICVLVS XIV.

Vtrum Deus poſſit fallere aliquem vel mentiri.

Caſtro.

DE hac re eſt hęreſis Armenorum, quam refert Caſtro libro. 5. aduerſus hęreſes titulo Deus hæreſi tertia qui dicunt non ſolū Deum poſſe mentiri, & fallere, ſed etiam quod actu mentitus eſt, & fefellit, Quorum ſententia habet robur in ſcriptura, ex quibuſdam locis male intellectis; dicitur, enim 3. Reg. 22. quod quærit Deus aliquem qui decipiat Aeab, & tandem miſſit ad eum ſathanam, vt deciperet eū. Ita, enim ibi legitur dixit Deus quis decipiet Achab Regem Iſrael &c. Egreſſus eſt autem ſpiritus, & ſtetit coram Domino, et ait, ego decipiam illum. Cui dixit Dominus decipies, & prętualebis egredere, & fac ita. Item filij Iſrael Exod. 12. fecerunt vt præcepit illis Deus per Moyſen & quod præcepit fuit vt deciperent Aegiptios in mutatione vaſorum, & veſtium; Item Gen. 27. Iacob decepit Patrem ſuum Iſaac. dixit, enim illi Ego ſum primogenitus tuus Eſau & inferius dum interrogaretur à Patre an eſſet filius eius Eſau. dixit. Ego. ſum, & hoc dixit inſtinctu ſpiritus ſancti vt ait D. Aug. lib. 53. 9. q. 24. & Ambroſius lib. de Iacob, & vita Beata, & Magiſter ſent. in hoc. 3. diſtinct. 38. & ibidem S. Thomas. quæſt. 6. & 2. 2. quæſt. 115. & Alex. de Ales. 2. part. quæſt. 139. m. 6. & Innocent. 3. in cap. gaudemus de diuortijs; ex quibus omnibus patet, quod Deus ſaltem per alios decipere poteſt.

D. Auguſ. D. Ambr. Magiſt. ſentent. D. Thom. Alexa. de Ales. Innocent.

Præterea Iob. 12. Legitur. Qui immutat cor principū populi terre, & decipit eos, vt fruſtra incedant per inuiū, palpabunt quaſi in tenebris & non in luce, & errare eos fecit quaſi ebrios. & Paulus ad Theſ. 2. Ideo mittit illis Deus operationē erroris, vt credant mēdacio, & ad Roman. 1. tradidit illos Deus in reprobum ſenſum. & Ita conqueritur. Iſaias. 63. Quare errare nos feciſti domine de vijs tuis, &c. Item Gen. 22. Abraham dixit pueris ſuis. Expectate hic cum Aſino, ego & Puer illuc uſque properantes reuertemur ad vos, & ibat ad immolandum filiū, & ſic non arbitrabatur ſe rediturum cum eo, & hoc totū fuit, & dixit ex diuina inſpiratione, vt dicit D. Ambroſius. lib. 1. de Abraham. cap. 8. & habetur. 22. quæſt. 2. ca. Quelibet. vbi ait quòd Abraham loquebatur captioſè, & quod Deus loquebatur per os Abrahæ.

D. Ambr.

Præterea omnis Prophetia eſt ex diuina reuelatione, ſed Prophetia poteſt eſſe falſa, ergo &c. Maior eſt D. Petri. 2. Epiſtola. cap. 1. dicentis. omnis Prophetia ſcripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines. Probatur minor ex illo. Ezechielis 14. Et Propheta cum errauerit, & locutus fuerit verbum. Ego dominus decepi Prophetam illum & patet exemplo. 4. Reg. 20. Vbi Iſaias dixit Regi Ezechiæ egrotanti: Cras morieris, & tamē fuit mortuus. & Ionas. 3. Niniuitis ex parte Dei. Adhuc quadraginta dies &c. & non fuit ſubuerſa Niniue. Item Iacob moriēs dixit Prophetice Gen. 49. Non auferetur ſceptum de Iuda &c. & tamen multo ante aduentum Chriſti fuit tranſlatum ſeptrum in Maccabeos, vt coſtat ex eorum libris, qui non erant ex Tribu Iuda. Confirmatur ex D. Aug. in lib. 83. quæſt. dicente Deus per ſe, vel per aliquem Angelum bonum mentiri nequit, verumtamen per Angelum malum.

D. Auguſ.

Item ſi Deus non poſſit fallere, aut mentiri eſſet: quia mendacium eſt intrinſece malum; ſed hęc ratio aſſumit falſum. ergo Deus poteſt fallere, aut mentiri. Maior, patet probatur minor, ex illo Micheæ. 2. Vtinam non eſſem vir habens ſpiritum & mendacium potius loquerer. Et Ioſeph. Gen. 42. dixit fratribus ſuis Per ſalutem Pharonis exploratores eſtis vos, ergo ſi mendacium eſſet intrinſece malum, nec propheta Micheas optaret illud, nec vir Sanctus illud dixiſſet.

Petrus de Aliaco. Adamus Olchot. Gabriel.

Alij doctores ſcholaſtici, inter quos eſt Petrus de Aliaco in. 1. d. 12. & Adamus in. 3. d. 5. & Olchot lib. 2. d. 2. q. 2. & Gabriel. in. 3. d. 32. q. 2. art. 3. dub. 1. hi omnes tenent, quod Deus de potentia abſoluta poteſt mentiri, & fallere, & reuelare falſum, quamquā, de facto nunquam mentitus ſit. Probatur hæc ſententia, quia non implicat, quòd Deus mentiatur; ergo poteſt fieri a Deo; ſecundo ſi Deus poteſt mentiri per cauſam ſecundam, ergo & ſe ſolo, probatur conſequentia: quia axioma eſt Theologorum, quicquid poteſt Deus facere, per cauſam ſecundam, ſe ſolo poteſt facere; tertio Deus poteſt producere in mēte mea aſſenſum falſum rei, vel habitum inclinantem ad aſſenſum falſum ergo poteſt mentiri, patet conſequentia, quia idem pollet vtrumq;. probatur antecedēs, nam cum ego aſſentior rei falſę Deus concurrit ad omnē aſſensū producendū, & habitus qui generatur in me, ex frequenti aſſenſu rei falſę etiā ille habitus producitur à Deo; ergo pōt ſe ſolo id efficere; quarto probat Deus ſpeciali auxilio immediate cōcurrit ad aſſenſum rei falſę, ergo poteſt mentiri, patet conſequentia, & probatur antecedens: nam aſſenſus falſus; poteſt eſſe meritorius, Deus autem concurrit ſpeciali auxilio, ad opus meritorium; quam autem poſſit eſſe meritorius aſſenſus falſus probatur; in caſu, quo ego de homine nunquam iudico bene propter Deum, ille actus eſt meritorius, & aſſenſus falſus. v. g. ſi iudicat quæ hypochritam ſanctum, vel ſi qui credat ſub ſpeciebus non conſecratis malitia ſacerdotis; vel alio modo eſſe corpus Chriſti, vel etiam poſt aduentum Chriſti ante promulgationem Euāgelij aliquis crederet Chriſtum naſciturum; qui omnes ſunt actus meritorij. Vltimo arguitur, hyronia eſt mēdacium, & tamen in ſcriptura diuina ſunt multæ hyroniæ ergo multa mendacia Maior patet ex Phy. 4. Ethy. diuidente mendacium in Iactantiam, & hyroniam. probatur minor ex Gen. 3. Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt; & Propheta Micheas dicebat Regi Achab. 3. Reg. 22. Aſcende proſpere; cum eſſet moriturus.

Circa hoc dubium propoſitum. Legendus eſt Greg. de Arimino in. part. diſtinct. 42. quæſt. 2. & Marſilius. in 3. quæſt. 14. artic. 2. & Ioannes Celius lib. de predeſtinatione centuria. 5. dub. 22. & D. Auguſt. lib. contra mendaciū à cap. 7. vſque ad. quæſt. & S. Thomas. 2. 2. quæſt. 100. articul. 3. & reliqui doctores Scholaſtici, in hoc. 3. diſt. 38. & Cano. lib. 2. de locis. ca. 3. & Recentiores expoſitores. D. Thom. 1. 2. quæſt. 1. art. 3.

Gregor. de Arim. Marſilius. Ethicos. D. Auguſ. D. Thom. Cano.

Pro ſolutione huius quæſtionis obſer. eſt primo, ex D. Thoma 1. parte qu. 25. art. 5. ad primo. & ex Scoto. in. 1. diſtinct. 44. quod ꝗ potentia Dei vnica ſit, in ordine autem ad nos eſt duplex, ordinata. ſ. & abſoluta, nam ſunt quædam res ſic ordinatæ à Deo, quod ſic erunt ſemper ſecundum legem communem, vt ſolem oriri, peccatorē penitentē gratiam adipiſci; potentia ergo Dei quæ fertur in huiuſmodi res vocatur ordinata; Notanter dixi ſecundum legem communem; & non ſecundum particularem reuelationem: quia Antichriſtus ſecundum legem communem, & potentiam Dei ordinariam poteſt ſaluari, non tamen ſecundum reuelationem particularē. Quādo vero eadem potentia Dei fertur in res non ſecundum legem communem appellatur potentia abſoluta; i. non limitata per legem communem, & ſic ſe extendit ad omnia, quæ non implicant contradictionem.

D. Thom. Scotus.

Secundo obſer. eſt, quòd quando in ſcriptura verba ſonant Deum decipere aliquem, vel præcipere decipiendo non debet intelligi, quòd Deus ſit cauſa deceptionis, ſed quod illam permittit, ea enim quæ fiunt, vel fiunt à Deo permittente, vel ab eodem præcipiente. ita colligitur in Enchiridio, ex. D. Auguſt. c. 95. dicente non fit aliquid niſi omnipotens fieri velit, vel ipſe faciendo, vel ſinendo vt fiat. & ſic D. Thom. 1. 2. quæſt. 92. art. 2. Permittere, & pcipere ponit duos actus legis, & Idem D. Thomas. 1. 2. q. 93. art. 3. ad tertium inquit quod lex humana aliqua permittens, non eſt quaſi approbans, ſed quaſi dirigere non potens. Eodem modo quia Deus non tenetur facere omnes homines bene viuere, ſed ipſe omnes mouet ad bonū præſuppoſita tamen natura liberi arbitrij, cum quo concurrit, & quādo homines nolunt bene viuere, ſed male: quia ſeruato libero arbitrio Deus non poteſt illos dirigere, ideo permittit, vt male viuant: & quia ſi Deus nollet eos male viuere; non poſſent malum facere; ideo dicitur facit, & vult illud, nō faciendo, ſed ſinēdo vt fiat. Quare omnia teſtimonia ſcripturæ, quæ ſonant Deū facere ali-

D. Auguſ. D. Thom.

quod

Digitized by Google

quod malum, ſunt exponenda per verbum permittere, vt quando Deus dixit Balaam Prophetæ. Num. 22. Si vocare te venerint homines iſti ſurge, & vade cum eis, quod permiſſiue debet intelligi quia ſtatim dixit illi Angelus. Ego veni vt aduerſarer tibi, quia peruerſa eſt via tua, mihique contraria. Quod autem Deus peragit non eſt peruerſum, & ſibi contrarium, ſed bene quod permittit.

Item quãdo. Dauid dixit Abyſai. 2. Reg. & ſociis eius volẽtib⁹ occidere Semei. Quid mihi & vobis filij Saruię? Dimittite eum vt maledicat Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid, præcepit. ideſt permiſit vt maledicat. Item quando Chriſtus dixit Iudæ Quod facis, fac citius intelligendus eſt permiſſiue. Et illud quod quotidie dicimus, & ne nos inducas in tentationem, i. non permittas nos incidere in tentationem; & illud Chriſti ad Pilatum Non haberes poteſtatem aduerſus me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper. i. permiſſiuè; eodem modo in noſtro propoſito, ſi Deus dicitur decipere, vel illud præcipere, intelligendum eſt permittendo.

Tertio obſer. eſt quòd homo poteſt vti peccato, & malitia alterius Licite in bonum finẽ; ſicut ſi quis habet neceſſitatem, bene poteſt ab Vſurario parato accipere pecunias ſub vſum, & tunc ille non eſt cauſa peccati illius: qa alter paratus erat. ita docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 78. art. 8. & communiter Theologi: Sic Deus facit: bonum enim

D. Thom.

eſt quod puniat malos, & quod bonis det occaſionem merendi: & ad hoc vtitur malitia malorum. Sic vſus eſt malitia Semei in ordine ad Dauid: & malitia Iudæ & Iudæorum ad ſuam paſſionem. Ita in noſtro propoſito pœna iuſtiſſima eſt illorum, qui nolunt recipere veritatẽ, vt decipiantur. ita D. Paulus. 2. Theſ. 2. ait. Eo quòd charitatis non receperunt, vt ſalui fient, Ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio; idque patet exemplo Achab. 3. Reg. 22. qui noluit credere Micheæ vera Prophetanti, ideo miſit illi Deus Prophetas falſos, qui illum deciperent mendacio, ad quod vſus eſt Deus miniſtris peſſimis paratiſſimis ad decipiendum, abſque eo qđ ſit cauſa deceptionis, & mendacij: atque ita D Augu. lib. 83. qu eſt. q. 83. dicit quòd Deus vtitur malis miniſtris ad decipiendum ſicut Rex tortoribus ad puniendum.

D. Aug.

Quarto obſer. eſt, quòd mala quę fiunt directè à reprobis, & à Deo permiſſiue poſſunt iudicari mala & bona ſecundum diuerſos reſpectus: ſicut actio, & paſſio ſunt idẽ motus ex phi. 2. phyſicorum. c. 3. differunt tamen per diuerſus reſpectus: ſic pœna quecunque vel conſideratur quatenus homo per illam meretur, vel punitur & ſatis facit, & ſic eſt bona, & à Deo volita, vel conſideratur in quãtum peccatum, & ſic eſt mala, & directè à prauo, à Deo autem permiſſiue. Hoc intellexit Iob, qui à Demone tentabatur, & puniebatur permittente Deo, & intelligens illa mala, quę patiebatur eſſe quoddam bonum dicebat. Dominus dedit &c. & Item ſi bona ſuſcepimus de manu Dei &c. Conſiderando autem eadem mala, vt procedebant à peccato maledicebat diem in quo natus eſt. Ita in noſtro propoſito, ſi conſideratur mendacium in quantum eſt pœna eſt bonum, & à Deo, ſi inquantum eſt malum eſt ab homine impio.

Quinto obſer. eſt. ex D. Auguſt. lib. de mendacio. c. 3. & lib. contra mendacium. ca. 2. & habetur in. c. Beatus. 22.

D. Augu.

quæſtio. 2. quòd Mendacium eſt dicere falſum intentione fallendi vnde dicens falſum exiſtimans dicere verum, non mentitur, dicens autem verum exiſtimans dicere falſum mentitur.

Sexto obſer. eſt. Aliquid dici intrinſece malum dupliciter uno modo contrarie videlicet quando poſitiue, & contra ordinem rationis eſt malum, vt colere plures Deos; altero modo priuatiue nempe quando optatur tamquam finis, quod ſolum eſt aptum appeti propter finem, & hoc modo occidere: eſt per ſe malum, & vetitum quinto præcepto decalogi, ita quod ſi quis velit occidere hominem ſiſtendo in occiſione, peccatum eſt per ſe malum; poteſt tamen eſſe bonum & obiectum voluntatis, propter ordinem ad aliquem finem, qui ſit præſtantior in bonitate, quam bonitas, qua priuat illa occiſio.

Septimo obſer. eſt quòd inter hęc duo, quę ſunt intrinſece mala, hęc eſt differentia, quod illud quod eſt intrinſece malum contrarie, vt furari, neque materialiter, neque formaliter acceptum poteſt fieri bonum quocunque appoſito fine, itaque actus quicunque qui ſimiſl comprehenſus eſt ſub pręcepto in quo prohibetur furtum, nunquam neq; formaliter fier bonus. ex quo intelligitur, quod quando filij Iſrael iuſſu Dei acceperunt vaſa argentea ab Aegyptijs non reddituri; ille actus nunquam fuit comprehenſus ſub pręcepto ꝓhibitionis furti: accepere, enim illa vaſa tamquam ſua: quoniam Deus, qui eſt omnium Dominus tradidit eis illarum rerum dominium; at vero illud quod eſt per ſe malum priuatiue; quamuis formaliter nequeat fieri bonum; tamen materialiter poteſt fieri bonum, atque ita actus ſemel comprehenſus præcepto prohibitionis idem materialiter poteſt fieri bonus, in quãtum aliam induit rationem formalem; ſic ergo occidere hominem, eſt per ſe malum, & prohibitum quinto pręcepto decalogi, tamen actus illo pręcepto vetitus, nõ idem formaliter, idem tamẽ materialiter poteſt fieri bonus appoſito fine debito.

Octauo obſer. eſt quòd mendacium eſt intrinſece malum, & mentiri eſſentialiter, & intrinſece eſt illicitum, & hoc concedunt omnes doctores ſupra relati, reſtat modo explicare an ſit intrinſece malum contrarie, an tantum priuatiue, ſi, enim ſit intrinſece malum contrarie propter nullum prorſus finem poteſt fieri bonum, atque ita Deus de potentia abſoluta nequit mentiri: ſi vero ſit tantum priuatiue malum propter aliquem finem debitum poterit fieri.

Mendaciũ eſt rintrinſece malum.

Poſtremo obſer. eſt, quòd Mendacium duo dicit, alterum tamquam eſſentiam, & alterum tamquam effectum ſicut graue duo dicit, potentiam ad motum deorſum, & ipſum moueri deorſum. Mendacium ergo primo eſſentialiter conſiſtit in hoc, quod quis habeat aliud in mente, & aliud oſtendat ſignis, & hoc quidem de ſe malum eſt: quia eſt innaturale, & indebitum, & eſt abuſus cõtrarius naturæ, (vt ait Durandus) quod verba nõ reſpondeant cõceptibus, & hoc etiam oſtendi poteſt ratione: quia illud eſt per ſe malum, cuius obiectum includit aliquid contra rationem; & hoc eſt per ſe malum contrarie & poſitiue; ſed habere aliud in mente, & aliud ſignificare vocibus, vel quibuſcumque ſignis eſt obiectum poſſitiue includẽs ordinem contrarium rationi, ergo eſt per ſe malum contrarie; & hæc eſt ſententia. D. Auguſtini. lib. de mendacio & libro contra mendacium; & Scoti: diſtin. 38. huius tertij videlicet, quod illud mendacium eſt illicitum: quia illicitum eſt ſignificare aliquid cum conſcientia oppoſiti. Alterum quod reperitur in mendacio eſt effectus eius, videlicet, quod mendacium generat errorem in audiente, & qui mentitur habet voluntatem deprauatam generandi errorem in audiente, & ex hac parte mendacium eſt per ſe malum contrarie, quia ſicut velle errare eſt intrinſece malum, ſic etiam velle generare in alio errorem eſt intrinſece malum. Mendacium ergo ex vtroq; qđ habet eſt intrinſece malũ contrarie. His explicatis ſit.

Mendaciũ duo dicit.

D. Auguſ. Scotus.

Prima Concluſio. Deus poteſt dicere, & ſæpe dixit in ſcriptura aliqua, ex quibus audiẽtes decepti ſunt, & Deus præuidebat id futurum, tamen Deus nec decepit, nec falſum dixit. hæc concluſio patet, quia non eſt idem Deum docere aliquid, ex quo homines propter ignorãtiam, aut rei difficultatẽ decipiantur, & Deum docere falſum: Tũc enim per ſcripturam paſſim Deus docuiſſet falſum, ſiquidem conſtat multos ſcriptura abuti ad errorem; Docere namque falſum eſt ex propria intentione, & efficaciter velle ab intellectu hominis elici aſſenſum, quo homini ſignificetur, ſeu repreſentetur falſum, oppoſitum ipſi vero, quod ab ipſo Deo intelligitur, quod Deus nec vnquam fecit, nec efficere poteſt.

1. Concluſio.

Secunda Concluſio. Hereticum eſt dicere, quod Deus de facto vel in ſacris litteris, vel in aliqua alia re falſum protulerit. probatur concluſio: quia quòd Deus aliquando fuerit mentitus eſt aperte cõtra ſcripturam: nam Exodi 34. legitur. Dominator domine Deus miſericors & clemens, patiens ac multæ miſerationis, & verax. & Numeri. 23. non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur. & Ioan. 3. qui accepit eius teſtimonium, ſignauit: quia Deus verax eſt. & Ioan. 8. Qui me miſſit verax eſt. Ad Rom. 3. Eſt autem Deus verax omnis autẽ homo mendax. & ad Ti. 3. In ſpem vitæ æternæ, q̃ promiſit, q nõ mentitur Deus.

Tertia

3.Concluſio. Tertia Concluſio. Hæreticum eſt dicere, quod Deus p naturam aſſumptam, hoc eſt per humanitatem aliquando fuerit mẽtitus. patet Ioan. 7. Ego ſum inquit Chriſtus veritas, & vita; Item Apoc. 19. Ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur fidelis, & verax. quæ viſio, vt docent ſancti erat imago Chriſti.

4.Concluſio. Quarta Concluſio. Hæreticum eſt dicere, quòd Deus aliquando ſit mentitus per aliquem alium à ſe; probatur: quia eamdem vim habet, quod aliquis mentiatur per ſe, vel imperet alij vt mentiatur. Item quia ſi Deus mẽtitus fuiſſet, vel p Prophetas, vel p Apoſtolos, vel per aliquos alios homines, merito dubitaremus de veritate ſacrarũ literarum, hoc aũt ſalua fide fieri nequit, ergo &c. obſerua tamen quòd Canus lib. 2. de locis. cap. 3. Non audet, Hæreticum ſimpliciter pronuntiare illum, qui aſſerit Deum poſſe docere falſum per alterum. Bannes. tamen 2.2. qu. 1. articul. 3. & Valentia. Thom. 3. diſp. 1. quæſt. 1. puncto. 3. exiſtimant noſtram concluſionem veriſſimam, & certe teſtimonia ex ſcriptura ad probandam primam concluſionem allata eamdem vim habere videntur ad probãdum hanc quartam Concluſionem. Nam ſcriptura in illis locis ſimpliciter aſſerit Deum vera loqui ſemper, ſed ex eadem ſcriptura patet Deum eſſe eum, qui ſimpliciter loquitur, etiam ſi ille per homines loquatur: atque adeo æque certum eſſe debet, Deum loqui verum, quando per alterum loquitur, atque quando per ſe ipſum immediate: nã Exodi. 3. dicitur Deus locutus Moyſi de medio Rubo, & tamen non eſt tunc Moyſi locutus niſi per Angelum, vt patet ex oratione D. Stephani Actorum. 7. Hinc ille modus loquendi Prophetarum; quando ſententiam Domini proponunt. Hæc dicit Dominus, &c. Quia. ſ. ipſe dominus, eſt qui loquitur: quãdo per alium loquitur. Et huc illud pertinet. Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Matth. 10. Et Qui vos audit me audit. Lucæ. 10. Et illud Zachariæ. Sicut locutus eſt per os ſanctorum qui a ſeculo ſunt, Prophetarum eius. Lucæ. 1. Si ergo Deus poſſet fallere per alium, poſſet quis iure dubitare eſſet ne mentitus per Prophetas, per Euangeliſtas, & per alios Apoſtolos diuinarum litterarum ſcriptores: atque adeo rueret noſtra fides; ſecus autem ſi nobis tã cõſtat ex reuelatione Deum per alios non poſſe mentiri. Et ſi dicas, quòd Deus vtique per alium mentiri poteſt at nunquã per alium mentitur, & quòd non mentiatur per alium, conſtat nobis ex reuelatione, atque ita non ruit noſtra fides. Contra: quia etiam poſſemus dubitare, (ſi per aliud poſſet mentiri) an quando reuelauit ſe non fuiſſe mentitum, eſſet ne mentitus. & hæ tres Concluſiones intelliguntur de facto, & per potentiam ordinariam.

5.Concluſio. Quinta Concluſio. Deus de potentia abſoluta non poteſt mentiri. probatur primo ex illo Deuteronomij. 32. Deus fidelis eſt, & abſque vlla iniquitate. & Pſal. 144. fidelis dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis, vbi conſtat, quod ſicut Deus eſt fidelis, & verax; ita Sanctus, & bonus; ex quo ſic argumentor. eodem modo ſe habet falſitas ad veritatem, quo malum ad bonum, ſed Deus per nullã potentiam poteſt eſſe malus, cum ſit ſumma bonitas, ergo nec fallax, nec mendax cum ſit ſumma veritas, & per conſequens nec fallere, nec mentiri. ſecundo probatur ex illo ad Roman. 3. omnis homo mendax, Deus autem verax: vbi non loquitur de facto: quia aliqui homines ſanctiſſimi numquam fuerunt mentiti, vt de Io. Baptiſta eſt concors ſententia, ſed loquitur ex natura qua homo eſt mendax, Deus autem verax: & ratio eſt quia mendacij duplex eſt cauſa; mens falſa, ideſt ignorantia; & voluntas praua, ideſt malitia; & in hoc eſt mens falſa: quia eius cogitatio incipit à ſenſu, & à rebus recipitur ex. 3. de anima. tex. 39. & quia ſenſus poteſt decipi vel quia organum eſt læſum, vel ratione medij: quia baculus cuius medietas eſt in aqua apparet fractus, cum ſit integer, quia ſpecies eius viſibiles franguntur in medio. In Deo autem non poteſt eſſe mens falſa: quia eius cognitio non eſt à rebus, imo vero ſcientia Dei eſt cauſa rerum vt probat D. Thomas. 1. par. quæſt. 14. articul. 8. Voluntas etiam hominis poteſt eſſe praua: quia a regula poteſt deuiare, Dei autem voluntas minime cum ipſa ſit prima regula: atque adeo ſecũdum naturam homo eſt mendax. Deus autem verax. tertio Per nullam potentiam poteſt Deus facere, quod eſt de ſe illicitum, & intrinſece malum ſed mendacium, eſt per ſe illicitum, & malum contrarie, ergo Deus de potentia abſoluta mentiri non poteſt. conſequentia eſt bona, & maior de ſe patet, minor autẽ eſt manifeſta ex notabilibus, & ita D. Auguſtinus lib. 1. de Symbolo ad Cathecumenos. cap. 1. inquit. Deus omnipotens eſt, & cum ſit omnipotens mori nõ poteſt, falli nõ põt, mẽtiri nõ põt, q̃d ait Apoſt. Negare ſe ipſum nõ poteſt. Et D. Ambr. lib. 6. Epiſtol. epiſt. 37. ad Chromatiũ, de eo quod legitur. Num. 23. Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur Non inquit mentitur Deus, quia impoſſibile eſt mentiri Deum. Ad Hebræos. 6. Impoſſibile quoque iſtud nunquid in firmitatis eſt? non vtique; Nam quomodo omnia poteſt, ſi aliquid efficere non poteſt? Quid ergo ei impoſſibile? Non quod virtuti arduum ſed quod naturæ eius cõtrarium. Impoſſibile inquit eſt ei mentiri; Impoſſibile illud nõ infirmitatis ſed virtutis, & maieſtatis eſt. Quia veritas non recipit mendacium, nec Dei virtus leuitatis errorem. Sit itaque omnis homo mendax. Deus aũt verax. — *D. Augu.* — *D. Ambr.*

Quarto probatur. Si Deus poſſet mentiri, non eſſet credendum illi tamquam regulæ infallibili, ſed ſolum fide humana, & fallibili, ſed Deo credendum eſt tamquam regulæ infallibili, ergo &c. probatur maior ex ſententia D. Auguſtini lib. de mendacio. cap. 4. Stultum eſt credere illi, qui exiſtimat licere ſibi mentiri. minor autem probatur ex illo. Roma. 3. Quid ergo ſi quidam illorum non crediderunt, nunquid incredulitas illorum, fidem Dei euacuauit? abſit. eſt enim Deus verax, omnis autem homo mendax quaſi dicat infallibile eſt quidquid Deus dixit. & nũquam homo remittit credere Deo rationabiliter, ſed quoneſcumque non credit Deo; ipſe decipitur. Vnde ſi Deus aliquando mentiri poſſet, etiam homo aliquando poſſet non decipi non credendo Deo; ſed ſic eſt quòd ſemper homo decipitur non crerendo Deo, ergo neceſſarium eſt Deum mentiri non poſſe. — *D. Augu.*

6.Concluſio. Sexta Concluſio. Hereticum eſt affirmare, quod Deus etiam de potentia abſoluta poſſit mẽtiri; probatur hęc cõcluſio ex Regula quam habet Sanctus Thomas. 1. par. q. 22. art. 4. Vbi ait quòd illa propoſitio eſt heretica indirecte: quę quam vis non ſit reuelata ſecundum ſe: tamen illa poſita tollitur veritas diuinę reuelationis, ſed poſita hac propoſitione Deus poteſt mentiri de potentia abſoluta, ſequitur manifeſte: non eſſe credendum Deo infallibiliter, quod eſt auferre veritatem diuinę reuelationis, ergo illa propoſitio eſt heretica indirecte; Minor declaratur: quia ſi Deus de potentia abſoluta poſſet mentiri euidenter ſequitur, quod quando dicitur ſe de potentia ordinaria non mentiri, poſſemus credere illi cum formidine: hoc autem eſt tollere veritatẽ diuinę reuelationis, quia vt ait. D. Auguſt. 8. de Trinit. c. 4. ea quæ ſunt fidei non ſunt credenda cum formidine. Preterea ſi Deus de potentia abſoluta poſſet mentiri, non deberemus, nec poſſemus abſque omni formidine, eſſe penitus certi de veritate ſcripturarum, & aliarum propoſitionum fidei; ſed id poſſumus, & debemus vt patet ex D. Auguſt. loco proxime citato, ergo Deus de potentia abſoluta non poteſt mentiri Maior probatur Nam ſi Deus poſſet de potentia abſoluta docere falſum, nullam haberemus viam vt nobis perſuaderemus propoſitiones fidei aliquo vero, ac infallibili fundamento inniti. ac proinde cum natura noſtri intellectus ſit, vt niſi perſuadeamus nobis aliquid niti, certo, & infallibili fundamento, de eo non poſſumus eſſe penitus certi, non poſſemus tũc eſſe penitus certi; de veritate ſcripturarum, & aliarum propoſitionum fidei, atq; adeo affirmantes Deum poſſe de potentia abſoluta mentiri tollunt omnem diuinæ reuelationis veritatem. Aſſumptum probatur: quia certum eſt nõ poſſe nobis perſuaderi, eiuſmodi propoſitiones niti infallibili fundamento demonſtrationis vt patet, nec rurſus poſſemus nobis perſuadere illas niti fundamẽto certæ & infallibilis reuelationis: Nã ſi Deus natura ſua docere falſum poſſit, vnde perſuadebimus nobis reuelationem diuinam eiuſmodi propoſitionum veram, & certam eſſe? Non certe ex natura Dei, ſiquidem is ponitur natura ſua abſolute poſſe mentiri: nec rurſus ex lege ordinaria. i. ex promiſſione Dei, qua ipſe ſtatuerit ſe ſemper verum reuelaturum: cum enim hanc legem ſiue promiſſionem non poſſumus cognoſcere niſi ex — *D. Augu.*

reuelatione

reuelatione diuina: quia ille nimirum dixerit ſe promiſiſſe ac ſtatuiſſe id ipſum, ſi Deus natura ſua dicere falſum poteſt, de hac etiam reuelatione poſſemus merito dubitare: nam videlicet tunc Deus mentiendi poteſtate vſus ſit quando dixit nobis nunquam ſe mentiturum. Itaque nõ haberemus viam ad hoc, vt ex lege ordinaria cognoſcamus Deum veracem ſemper eſſe: quia via ad hoc cognoſcendum debet eſſe reuelatio per quam lex ordinaria innoteſcit, de hac autẽ reuelatione dubitaremus, ſi Deus natura ſua poſſet reuelare falſum; atque adeo periret infallibilitas certitudo, & veritas diuinæ reuelationis; atque ita his argumentis oppoſita ſententia, ne dum temeritatis, atque erroris, vt quibuſdam videtur, ſed etiam hæreſis ſaltem indirecte conuincitur. Et eo maxime quia contra illam ſententiam maximam vim habent duo ſcripturæ teſtimonia.

Primum eſt ad Hebreos. 6. Vbi Apoſtolus cum diſſeret de firmitate promiſſionis; qua Deus Abrahã & ſemini eius benedictionem per gratiam pollicitus eſt, ſic inq̃t. In quo Deus abundantius volens oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilij ſui, interpoſuit iuſiurandum vt per duas res immobiles (.ſ. promiſſionem, & iuramentum) quibus impoſſibile eſt mentiri Deum fortiſſimum ſolatium haberemus. Hic ſane cum D. Paulus negat potuiſſe Deum mentiri, aut in promiſſione aſſerendo .ſ. ſe facturum, quod non habebat in animo, aut in iuramento fingendo ſe iurare, quod animo non iurabat, vel non adimplẽdo poſtea quod iurauit, procul dubio de potentia Dei abſoluta loquitur: nam ſi ſolum negat potuiſſe Deum mentiri de lege ordinaria, minime tunc (quod Apoſtolus affirmat) fortiſſimum ſolatiũ habere poſſemus, vereremur enim ne in illa reuelatione, qua eiuſmodi legem ordinariam cognoſceremus fuiſſet Deus mentitus, vt proxime diximus.

Aliud teſtimonium eſt 2. ad Timot. 2. vbi cum idem Apoſtolus homines certiſſimos reddere conaretur de Dei promiſſione, qua æternum præmium pijs operibus decreuit ita inquit. Ille (videlicet Deus) fidelis permanet, negare ſe ipſum non poteſt. videlicet aut negando ſe promiſiſſe præmium, aut non adimplendo, quod promiſit. Hoc etiã loco ſine dubio negat Paulus Deum vlla ratione mentiri poſſe, atque adeo ſentit cum nec de potentia abſoluta poſſe mentiri, alioqui ſi ſolum loquatur de lege ordinaria, certe penitus de diuina promiſſione, vt vult Apoſtolus eſſe non poſſemus.

Ex hoc ſequitur, quòd quemadmodum Deus mentiri non poteſt per ſe ipſum, quomodocunq; accipiatur mẽdacium, ita etiam nequit mentiri per alium. Vnde neque in tradendis q̃ ſunt fidei Eccleſia, neque ſcriptura in nullo verbo poteſt nos decipere, aut cõtinere errorem: quia impoſſibile eſt creaturam deficere in his, quæ operatur tanquam ſubiecta ordini diuinæ prouidentiæ, Eccleſia autem & ſcriptura eſt ſubiecta ordini diuinæ prouidentiæ ſupernaturalis in omnibus quæ ſunt de fide, ergo impoſſibile eſt Eccleſiam, aut ſcripturam poſſe errare in aliquo eorum, quæ docet eſſe de fide. Maior habetur in Concilio Arauſic. 2. Can. 9. & 20. Minor probatur quantum ad Eccleſiam ex illo. 1. Ioan. 2. Vnctio eius docet nos de omnibus, & verũ eſt, & non eſt mendaciũ. i. Spiritus ſanctus qui aſſiſtit Eccleſię, vt errare nequeat in rebus fidei, & ſic quæcunq; nos docet Eccleſia, docet & Spiritus Sanctus. De ſcriptura aũt probatur minor ex illo. 2. Petri 1. Nõ.n. voluntate humana allata eſt aliq̃n Prophetia ſed Spiritus ſancto in ſpũ ãte locuti ſunt Sancti Dei homines. ſicut ergo ipſi Deo, vt mentiri non poſſit rõ eſt ſua Deitas, ſic etiã eadem Deitas cauſa eſt Eccleſię, & ſcripturæ, vt errare nõ poſſit, neque decipere in tradendis his, quæ ſunt fidei, cũ adhoc Spiritus ſanctus indeſinenter aſſiſtat Eccleſię & ſcripturę. Ad argumenta ergo quibus ſe tuebatur hęretica ſententia antequam reſpondeamus ſunt obſeruãdæ q̃dã regulę. Prima eſt ex D. Aug. 1. de Trint. c. 12. videlicet q̃ nũquam ſcriptura vtitur aliquo locutionis genere, q̃d à communi hominum loquendi vſu ſit penitus alienum. ſecunda regula eſt. ex D. Thoma. 1. par. q. 1. art. 9. ad ſecundum. & Scoti in prologo. q. 3. quòd quicquid ſcriptura dicit in vno loco verbis improprijs ſiue methaphorice acceptis, in alio loco dicit verbis in propria ſignificatione ſũptis. tertia regula ex. D. Damaſceno lib. 4. de fide. cap. 14. Quotieſcunque ſcriptura tribuit Deo peccatum, vel aliquod illicitum, quale eſt mendacium, quam vis verba ſonent quaſi poſitiue accepta, ſenſus tamen accipiendus eſt tantummodo ſecundum permiſſionem, & nullo modo ſecundum actionem. Ex his tribus regulis colligemus methodum, quam tenere debemus vniuerſaliter in explicando quocunque loco ſcripturę, quo Deo attribuatur vel peccatum, vel mendacium, vel decipere aliquem, nempe vt primum omnium defendamus firmiter eum locum ſolum eſſe intelligendum de diuina permiſſione, quantum pertinet ad Deum. ſecundo elaborandum eſt, vt per aliũ locum ſcripturę oſtendamus in propoſitis verbis, de quibus eſt ſermo ſolum fuiſſe ſermonem de diuina permiſſione quantum ad ea, quę pertinent ad Deum. tertio In hoc intendere debemus vt doceamus Phraſes, & modos loquendi, quibus vtitur pagina ſacra, etiam ad communem hominum locutionem accomodari poſſe. Hoc poſito.

Tres Regulę notabiles.

D. Aug.

D. Thom.
Scotus.

D. Damaſcenus.

Reſpondetur ad illum locum. 3. Reg. 22. de Achab, q̃ debet intelligi permiſſiue, permiſit, enim Deus quòd deciperetur Achab, propter eius peccata, & vſus fuit ad hoc mendacio falſorum ꝓphetarum: quia noluit credere vero prophetę Michęę, & hoc colligimus ex ſubſequentibus verbis: quia cum Micheas propheta Sanctus dixiſſet ad Regem, Dominus immiſit ſpiritũ erroris in omnes prophetas tuos, deinde Sedechias propheta falſus percuſſiſſet Micheam in maxilla, ſic ait; mene dereliq̃t Dominus, & tibi locutus eſt. Vnde ſatis intelligebat Sedechias, quòd Deum immittere ſpiritum erroris & mendacij in aliquẽ Prophetam, nihil aliud eſt, quam Deum derelinquere ipſum, & hęc eſt Phraſis accomodata communi vſui loquẽdi hominum, & ſic ait Chriſtus Ioan. 2. loquens de ſola permiſſione, ſoluite templum hoc &c. alibi plura loca huiuſmodi reperiuntur, quę ſic ſunt intelligenda.

Ad illud de filijs Iſrael Reſpondetur, quòd Deus non pręcepit, vt Ægyptios deciperent, ſed ſolum vt peterent ab eis veſtes, & vaſa, quæ poſtea non pręcepit vt redderẽt propter duas rationes, de quibus ſapientię. 10. vbi dicitur Reddit Iuſtis mercedem laborum ſuorum, & ſubdit ſtatim. Tulerunt iuſti ſpolia impiorum, prima ratio fuit in mercedem laborum: filij, enim Iſrael ſeruierũt Ægyptijs, in palea, luto, & latere abſque vlla mercede, vt patet Exodi. 1. pro qua mercede optime potuerunt retinere ipſorũ vaſa & veſtes. ſecunda ratio eſt quia erant ſpolia impiorum: Certum, enim eſt, quod quando bellum eſt iuſtum, quale erat ex parte filiorum Iſrael. potuerunt licite accipere ſpolia inimicorum, illoſque expoliare. ita docet D. Thom. 2. 2. q. 66. art. 8. ad primum. Et Soto lib. 5. de Iuſt. & Iur. q. 3. art. 5. ad. 1. & lib. 2. q. 3. art. 8. ad tertium dicit, q̃ Deus in illo facto habebat ſe tamquam Iudex: ex quo patet filios Iſrael non fuiſſe mentitos, nec decepiſſe Ægyptios. & eo maxime quia nihil ſciebant de futuro.

D. Thom.
Sotus.

Ad illud de Iacob. Scotus diſt. 38. Gabriel, & Caiet. in Gen. dicunt Iacob mentitum fuiſſe, ſed non feciſſe iuſſu Dei, ſed admonitione matris ſuę; dicunt autem illud mẽdacium fuiſſe officioſum, & non perniciosum: quia mentitus eſt ſine alterius iniuria. propter ſuam rem acquirendam. Cęterum fere omnes doctores & Sancti aiunt Iacob inſtinctu Spiritus Sancti feciſſe. Quo ſuppoſito reſpondetur. Non fuiſſe Iacob mentitum quando dixit ſe eſſe primo genitum Eſau: quia quam vis natura non eſſet primo genitus, neque Eſau; in iure tamen erat primo genitus: Nam Gen. 26. dictum fuerat à Domino, maior ſeruiet minori, & propter ea ipſe Iacob emerat ab Eſau ius primo genitarę: atque iſta ratio loquendi, ſcilicet vt aliquis appelletur nomine illius, cuius perſonam gerit, eſt vſitatiſſima in ſcriptura: Nam Matth. 11. & Marci. 9. Ioan. Baptiſta appellatur Elias: quam vis natura non eſſet Elias quia moribus. & officio repreſentabat illius perſonam; & ita Paulus: Rom. 8. Gentiles ad fidem conuerſos, Iſraelitas, & filios Abrahę appellat: non quia naturaliter genus ducerent. ab Arahamo, ſed quia fidem, & pietatem imitarentur. Item Angelus, qui dedit legem Moyſi, & populo Iudaico, in ſacris litteris multis in locis dicitur Deus, cum tamen non eſſet Deus natura ſed officio. Eodem modo dicendum eſt potuiſſe Iacob ſine mendacio dicere, Ego ſum Eſau primogenitus tuus.

Scotus.
Gabriel.
Caietanus.

Ad illa

Digitized by Google

Ad illa teſtimonia,in quibus Deus dicitur decipere, &
fallere homines,reſpondetur quod intelligenda ſunt per-
miſſiue,ſcilicet quod cum poſſit Deus homines ab errore
reuocare,interdum non reuocat,& ſinit eos inuolui igno
rantia,& tenebris propter cauſas iuſtiſſimas,nobiſque oc
cultiſſimas.

Ad illud autem de Abraham,quod habet peculiarem
difficultatem. Reſpondetur,quòd Abraham dicit verum
& hoc ex diuina inſpiratione. ſed contra,dicens verum ſe
reputans dicere falſum intentione fallendi,mentitur, ſed
Abraham quamuis dicebat verum ex diuina inſpiratione
putabat ſe dicere falſum,& intēdebat fallere ſuos pueros,
ergo mentitus fuit;probatur minor:quia ibat ad occiden-
D. Ambr. dum filium. Diuus Ambroſius in libro de Abraham.c.8
dicit. Quod vere Abraham fuit mentitus,bona tamen in-
tentione, ne impediretur ab immolatione filij, ad quod
mendacium Deus non concurrit. In hanc ſententiam de-
clinat Cano.lib.2. de locis Theologicis.c.4. in principio.
Canus. Contrariam tamen ſententiam tenet D.Auguſt.ſer.71.de
D. Auguſ. tempore,& Origenes hom.8.ſuper Gen.5. Abraham non
Origenes. fuiſſe mentitum. Quorum ſententia magis placet. Non,
enim eſt credendum quod vir ſanctiſſimus in facto tam
heroico mentiretur: Non,enim ſunt facienda mala, vt
inde veniant bona. Vnde ad argumentum negatur minor
ad probationem reſpondetur, quod Abraham adhibuit
tantam fidem promiſſioni Dei de multiplicatione ſui ge-
neris. In Iſaac,quod credebat mortuo filio,hoc eſſe facien
dum; putabat, enim ad hoc reſuſcitandum eſſe à Deo,
quod certiſſime credens dixit pueris ſuis ſe,ſuumque fi-
lium reuerſurū, atq; ita non fuit mentitus. Quę explica-
tio confirmatur ex illo Pauli ad Hebręos.11. fide obtulit
Abraham Iſaac cum tentaretur,& vnigenitum offerebat,
in quo ſuſcepit repromiſſiones,ad quem dictum eſt:quia
in Iſaac vocabitur tibi ſemen, arbitrans quod & à morte
ſuſcitare potuiſſet Deus.

Ad tertium nego minorem;& ad probationem ex Eze
chiele reſpondetur, quòd intelligendus eſt ille locus per
miſſiue,& ad alias duas probationes,ex illo Cras morieris
& ex illo. Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuerte-
tur,reſpondetur quòd illę prophetię ſunt comminatoriæ
quę de facto non ſemper implentur. Pro cuius explicatio
Deus duobus modis cognoſcit res. ne obſer.eſt quòd Deus dupliciter cognoſcit res.1. in ſe ip-
ſas.i.quatenus illas videt, vt quando cognoſcit pluuiam
magnam venturam. ſecundo in ſuis cauſis.i.vt dicunt or-
dinationem ad ſuas cauſas.v.g. cognoſcit pluuiam ex eo
quod ſunt maximę humiditates,& vapores,ex quibus de
bet ſequi illa pluuia, & quomodocunque res cognoſcat
certo ſcit quod eſt futurum; tamen q̄n hoc Deus reuelat
nō reuelat eodem modo, quo ipſe cognoſcit;aliq̄n,enim
reuelat id quod in veritate eſt futurum,& hęc appellatur
Prophetia eſt duplex prophetia pręſcientię,ſiue pręedeſtinationis;aliquādo ve-
ro reuelat res ipſas ſolum vt continentur in ſuis cauſis, &
hęc appellatur Prophetia comminationis, vel promiſſio-
nis. Prima prophetia ſemper de facto impletur; quia à
nullo dependet,ſed à ſe ipſa,ſecunda vero non:quia dicit
ordinem ad cauſam,& hoc eſt proprium, & naturale effe
ctui dependenti à ſua cauſa, vt mutata cauſa ipſe etiam
mutetur,atque ita illa Prophetia poteſt mutari. Probatur
ex Ieremia.18.dicente. Repente loquar aduerſus gentem
& aduerſus Regnum,vt eradicem,& deſtruam,& diſper
dam illud.ſi pęnitētiam egerit gens illa à malo ſuo, quod
locutus ſum aduerſus eam,agam,& ego pœnitentiam ſu
per malo,quod cogitaui, vt facerem ei,& ſubito loquar
de gente,& de regno,vt edificem,& plantem illud. Quaſi
dicat.ſi populus hic egerit pœnitentiam à peccatis, quæ
ſunt cauſa punitionis,ego etiam ad modum eorum, qui
agunt pœnitentiam mutabo malum, quod comminatus
ſum ei;Et in his prophetijs eſt veritas:quia enunciatio ſē-
per intelligitur,& dicit natura ipſius effectus,qui dicit or
dinem ad ſuam cauſam. Et ſic verum eſt quod propheta-
uit Iſaias Regi Ezechię de ſua morte:quia pręſuppoſita
grauitate infirmitatis, q̄ erat cauſa mortis, vere erat cras
moriturus,& etiam verum erat quod Prophetauit Ionas
Niniuitis;ſuppoſitis,enim eorum peccatis adhuc quadra
ginta dies Niniue erat ſubuertenda;tamen mutata infir-
mitate,& mutatis peccatis uixit Rex et Niniuitę non fue
D. Thom. runt ſubuerſi,de quo vide,S.Thom.2.2.q.171.art.6.

Si quis dicat. Quare ergo Deus reuelat prophetis id,
quod non habet effectum? hoc,enim videtur eſſe contra
authoritatem,& veritatem prophetię; reſpondetur quòd
hoc facit Deus in noſtrā vtilitatem,vt, ſcilicet ſequamur
bonum,& deteſtemur malum.ſi, enim boni ſcirent bona
illis promiſſa non poſſe mutari, fierent ſegnes in virtute;
ſi etiam mali ſcirent, mala de quibus Deus illos minatur
infallibiliter euentura,vel deſperarent, vel fierent peio-
res;ideo voluit Deus,vt iſta penderent à ſuis cauſis vt bo
ni proficerent in virtute,& mali mutarent vitam per pę-
nitentiam;& hac ratione Prophetæ quando enunciāt iſta
mala,ſemper etiam perſuadent populo vt pœniteant. Ita
Ioel.c.2. Poſtquam pręedixit multa mala dixit populo, vt
conuerterentur ad Dominum,& addit: Quia qui ſcit ſi
conuertatur,& ignoſcat Deus,& relinquat poſt ſe benedi
ctionem:an vero ſit comminationis nec ne, cognoſcitur
vel ex contextu litterę,vel ex euentu, vel ex explicatio-
ne Sanctorum.

Ad tertiam probationem ex illo, Nō auferetur ſceptrū
&c.reſpondetur,quòd triplex eſt ſolutio. prima.eſt, quòd
ſceptrum Iudęorum nunquam fuit apud Machabeos, q̄
uis illi adminiſtrarent Rempub. ſed penes ſeptuaginta vi
ros electos ex Tribu Iuda. pro quo nota in ſinagoga fuiſ-
ſe tres ordines Iudicum. Primus conſtabat tribus iudici-
bus conſtitutis ad minores cauſas dirimendas. Secundus
conſtabat viginti tribus, iudicantibus de criminalibus
cauſis; Tertius conſtabat ſeptuaginta, quorum munus
erat condere,& abrogare leges,rebus publicis, & vtilitati
communi ſtudere,& ſummum eligere ſacerdotem, quos
vocabant ſcribas,& doctores legum,& iſti erant ex tribu
Iuda,ſicque ſemper permanſit ſceptrum Iudęorum ante
aduentum Chriſti penes Tribum Iuda. Hęc tamen ſolu-
tio nō placet: Non,enim eſt credibile omnes ſeptuaginta
eſſe ex vna Tribu;nam Moyſes,qui primus hunc ſenatū
ſeptuaginta virorum inſtituit Nu.11.eos elegit ex omni-
bus Tribubus.

Ideo alij reſpōdent ſceptrum Iudęorum nūquam fuiſ
ſe tranſlatum ad Machabęos, nec ablatum ex Tribu Iu-
da, ſed fuit illis à ſinagoga commiſſum iure depoſitario,
vt res bellicas gererent,ne Reſpub.detrimentum patere-
tur,donec aliquis naſceretur,qui ſinagogam regeret. Cui
expoſitioni ſuffragatur illud.1.Macha.14. Iudęi,& Sacer
dotes conſenſerunt eum eſſe Ducem ſuum donec ſurgat
Propheta fidelis

Probabilior tamē expoſitio eſt Imperium fuiſſe penes
Machabęos,maternam originem ex Tribu Iuda trahen-
tes,paternam vero ex Tribu.Leui. cui ſolutioni ſuffraga-
tur,quia permiſſum erat his duobus Tribubus, vt ſe con
nubio permiſcerent. Zacharias,enim ſacerdos, & ex Tri-
bu Leui. cōiunctus erat matrimonio Beatæ Eliſabeth, q̄
cum eſſet cognata Virginis ex Tribu erat Iuda. Ad Con-
firmationem ex D.Auguſt. reſpondetur, quòd loquitur
permiſſiue, vel vult ſignificare quod Deus vtitur malis
miniſtris paratis ad decipiendum malos ſecundum ea,
quæ ſupra diximus.

Ad Quartū nego minorem,Iam,enim dictum eſt men
dacium eſſe intrinſece malum. Ad probationem ex Mi-
chęa reſpondetur. Ipſum locutum fuiſſe,vt nos communi
ter loquimur,quando dicimus vtinam hoc non eſſet verū
ſed potius mentiremur,quibus verbis ſolum damus intel-
ligere noſtrum deſiderium,quo nollemus aliquid eueni-
re. Ad aliud de Ioſeph,reſpondetur,quòd illa verba expli
cantur hoc modo exploratores eſtis vos.i. reputabimini
exploratores, & habebimini tamquam tales, ſicut illud
Eliæ.3.Reg.18. Qui exaudierit per ignē, ipſe ſit Deus.i.
reputetur Deus;ita in noſtro propoſito &c.& hoc dat in-
telligere textus dicens alioquin exploratores eſtis. ita ex-
plicat D.Auguſtinus in quæſtionibus ſuper Gen. q. 189. *D. Auguſ.*
Secunda explicatio eſt,quod Ioſeph locutus eſt inter-
rogatiue,ſicut Iudices loqui ſolent, in quibus interroga- *D. Bonau.*
tionibus,nec eſt veritas,neque falſitas. ita explicat. D. Bo-
nauent.in 3.d.38.quæſt.1.art.2.ad ſextum.

Ad Rationes Adami,Gabrielis,& aliorum de alia ſen-
tentia. Reſpondetur ad primam,& negatur,quòd non im
plicet contradictionem Deum poſſe mentiri,quia impli-
cat,quòd ſit prima veritas,& mentiatur. Ad ſecundam re
ſpondetur quòd illa maxima:habet plures inſtantias; nā

Deus

Deus per cauſam ſecundam poteſt facere actum meritorium, & exercere actiones virtutis, quas ſe ſolo facere nequit, ſed illa maxima eſt intelligenda de cauſa ſecunda q̃ eſt pure cauſa efficiens, ſine vlla admixtione cauſæ formalis, vel materialis: atque ita non poteſt mentiri: quia ille mentitur cuius intellectus, & voluntas deficere poſſunt.

Ad tertium reſpondetur, quòd Deus concurrit vt cauſa efficiens ad realitatem mendacij, non autem ad defectum culpæ. Ad quartum negatur conſequentia: quia variatur appellatio. Pro cuius explicatione obſer. eſt primo quòd bene poteſt eſſe aliquis actus bonus, qui non ſit verus ſuppoſita ignorantia inuincibili, vt ſi aliquis innocẽs per ſufficientes teſtes conuincatur homicida, Iudex habet iuſtum aſſenſum, & bonum. ſ. hic eſt homicida, & tamen eſt actus falſus. Secundo obſer. eſt differentia inter bonum & verum: verũ. n. eſt obiectum intellectus, & per conſequens virtutum ad intellectum pertinentium, bonum vero eſt obiectum voluntatis, & per conſequens virtutum ad ipſam pertinentium. Tertio obſer. eſt, quòd ratio meriti eſt à charitate, vt late probat Sco. in 1. diſtinct. 17. & alibi, & D. Thomas. 1. 2. quæſt. 14. art. 4. Modo dico quod in actibus meritorijs Deus concurrit in quantum ſunt boni, non autem in quantum ſunt veri, vel falſi. probatur concurrit ad illos, in quantum ſunt meritorij, ſed ſunt meritorij in quãtum ſunt à charitate, ſed charitas eſt virtus voluntatis, cuius obiectum eſt bonũ, & non verum, ergo de primo ad vltimum, Deus concurrit in his actibus, in quantum ſunt boni, & non in quantũ ſunt veri, atque ita ex eo, quod Deus concurrit ad actus meritorios falſos non concurrit ad falſum.

Scotus.
D. Thom.

Poſſet etiam dici; quòd non eſt opus concurſu Dei particulari ad quemcumque actũ bonum meritorium; nam concurſu generali, qui habet gratiam poteſt multa opera meritoria efficere, quamuis perſeuerare & opera multa ardua efficere non poſſit etiam exiſtens in gratia, ſine auxilio Dei ſpeciali adiutus: atque ita habere bonum Iudicium de homine malo licet ſit actus meritorius, non tamen procedit ab auxilio ſpeciali Dei, & etiam quia eſt actus imperatus à voluntate, & non elicitus; actus autem imperatus à voluntate meritorius non indiget ſpeciali auxilio Dei.

Ad vltimum diſtinguo de hyronia, quædam enim eſt diſſimulatio veritatis, & hæc eſt mendacium de quo loquitur Ariſt. quod apparet ex eo, quòd loco hyroniæ Argiropolus transfert diſſimulationem. Alia autem eſt hyronia, quæ eſt figura quædam apud latinos, & Rethores, quando. ſ. habet contrarium ſenſum illius, quem verba ſonant, ex modo tamen proferendi datur intelligi ille ſenſus contrarius, quem intendo, quæ hyronia eſt frequenter in diuinis litteris, ſub qua nullum eſt mendacium.

Argiropolus.

ARTICVLVS XV.

Vtrum quando Sacramentum Euchariſtiæ nobis proponitur adorandum, teneamur illud abſolute adorare, vel ſub conditione.

DVplex poteſt eſſe huius quæſtionis ſenſus, prior erit, ſi abſolutam adorationem a reſpectiua diſtinguamus, quæ diſtinctio conſideratur ex parte obiecti, prout ſecundum ſe adoratione dignum eſt, vt latius expoſuimus in prima parte huius tertij de adoratione tractantes. Poſterior ſenſus erit, ſi abſolutam adorationem ſumamus, prout diſtinguitur à conditionata; quæ diſtinctio conſideratur ex parte adorantis ſeu ex modo quo res ei adorãda proponitur, ſeu ſub ipſo cognoſcitur, & in hoc ſcdo ſenſu mouetur præſens q̃ſtio.

Eſt namque difficultas, an cum Euchariſtiæ Sacramentum nobis adorandum proponitur, neceſſe ſit mente concipere conditionem aliquam, ſcilicet ſi rite eſt conſecratum: an vero poſſimus abſolute, & ſine cõditione adorare. Et ratio dubitandi eſt, quia licet ſit ex fide certum ſub ſpeciebus conſecratis adeſſe Chriſtum; tamen nõ eſt certum has ſpecies eſſe rite conſecratas, ergo non eſt certum adeſſe Chriſtum, ergo hoc quod proponitur adorandum non eſt abſolute adorandum, ſed ſub conditione, ne fortaſſe contingat ſubſtantiam panis, vt Deum adorari, quod periculum nõ eſt in ſola ſpeculatione, ſed videtur eſſe morale. quia multæ ſunt cauſæ propter quas hoc poteſt accidere. vt ſi ſacerdos non ſit baptizatus, vel non ſit rite ordinatus, quod pendet ex multis alijs cauſis, vel non habuerit intentionem; & ex parte materiæ ſæpe accidit defectus præſertim in calice aquam loco vini ſumendo, vel acetum pro vino.

Pro huius difficultatis ſolutione obſer. eſt primo diſcrimen eſſe inter ſcientiã, & fidem Theologicam, licet enim vterque habitus ſit virtus pertinens ad intellectum; tamẽ diuerſimode habent rationem virtutis: ſcientia enim dicitur virtus inquantum ſubeſt voluntati libertatis extrinſece tantum, & antecedenter: non enim alio modo habitus ſcientiæ eſt liber; niſi inquantum eſt in libertate voluntatis applicare intellectum ad intelligendum demonſtrationem, vel non applicare, tamen ſi voluntas ſemel applicauerit intellectum ad intellectionem demonſtrationis neceſſario generabit ſcientiam, & per ſcientiam intellectus neceſſario aſſentietur concluſioni. At vero fides requirit conſilium, & libertatem voluntatis non tantum extrinſece, vt intellectus applicetur ad conſiderandum ea, quæ ſunt fidei, ſed etiam intrinſece, vt poſtquam intellectus apprehendit res fidei aſſentiatur illis.

Sciẽtia & fides differunt.

Secundo obſer. eſt, quod ex natura huius conſilij, & primæ, inſtitutionis, qua inſtituitur mens noſtra à Spiritu ſancto in fide, ipſo Spiritu ſancto docente, atque regente & mente noſtra obediente, efficitur, vt quotieſcunque applicamus habitum fidei ad hoſtiam ſingularem nobis ſolemniter oſtenſam præſupponatur ibi implicite conditio, ſcilicet ſi realiter, & vere eſt conſecrata, adhoc vt adoremus ipſam; cęterum eo ipſo, quòd ſpiritus Sanctus voluit fidem Theologicam inclinare ad infallibiliter aſſentiendum, voluit vt in hoc caſu non aſſentiremur niſi præſuppoſita hac conditione; & nos non alio modo vtimur fide, quam eo, quo vult Spiritus ſanctus nos ea vti, hæc autem implicita cõditio nõ tollit q̃n actus adorãdi ſit abſolutus.

His obſeruatis de hac re eſt duplex modus dicendi. Primus diſtinguit de conditione, dicens, quòd triplex eſt conditio, quædam actualis, & eſt quãdo actu exprimitur, vt ſi quis adoret hoſtiam exprimendo hanc conditionem, ſi ſit conſecrata; alia eſt virtualis, & eſt cum ante actum adorandi præceſſit quidam actus, ex cuius virtute adoratus hoſtia. v. g. ſi aliquando diceret expreſſe aliquis quoties in poſterum adorabo hoſtiam, adorabo illam ſi eſt cõſecrata. Tertia conditio eſt habitualis, quæ eſt per modum habitus, quando. ſ. ſummus parati animo non adorandi hoſtiam quando non eſt conſecrata, & adorandi, quando eſt conſecrata; & hunc animum habemus ex eo quòd habemus habitum religionis, & pietatis circa Deũ.

Conditio eſt triplex.

Hoc poſito Reſpondet hic modus dicendi, quòd quando nobis à ſacerdote hæc vel illa hoſtia conſecrata proponitur debemus credere ibi eſſe corpus Chriſti, illudque adorare ſine conditione actuali, vel virtuali, nunquam tamen ſine habituali: quia conditio habitualis ſemper debet eſſe eadem, in adorando hanc, vel illam hoſtiã. Et hęc ſine dubio eſt ſententia Alex. de Ales. 3. part. quæſt. 68. m. 7. art. 1. ad quintum. vbi dicit, quòd nõ debet quis ſimpliciter credere ſub illa hoſtia eſſe corpus Chriſti. ſed conditione. ſ. ſi facta ſunt ea, quæ exiguntur ſecundum formã traditam à Chriſto, & ab Eccleſia. Idem docet D. Bonau. in. 3. diſtinct. 24. articul. 1. quęſt. 1. ad vltimum. vbi inquit omnis fidelis recte adorans hoſtiam cõſecratam, adorat ſub ea conditione, ſi perfecta ſunt circa ipſam ea, quæ ad Conſecrationem ſunt neceſſaria, ſecundum diuinam inſtitutionem, & ſic nunquam decipitur nec errat. Idem docet Gabriel. Lect. 50. in Cano. vbi explicat Alenſẽ, & Bonauenturam, quod ſolum loquantur de habituali intentione. Idem ſentit D. Thomas. in. 3. diſtinct. 9. quæſt. 1. art. 2. quæſt. 6. ad ſecundum vbi ſolum dicit non requiri conditionem explicitã, ſed ſatis eſſe quod habitu retineatur, habitu autem illam retinere nihil aliud eſſe videtur vt diximus, niſi mente, & animo habere intentionem, adorãdi verum Chriſtum, & non exhibendi adorationem niſi cum hac prudenti exiſtimatione. Idem tenet Adrianus. quol. 4.

Alex. de Ales.
D. Bonau.
Gabriel.
D. Thom.
Adrian.

Digitized by Google

quol.4. inquiens, quòd in adoratione Euchariſtię ſemper eſt tacita conditio ſi conſecratio ritè ſit celebrata pro vt decretum fuit in Concilio Cõſtantienſi &c. Ita Marſilius in.4.q.8.art.2.dub.5. & Communiter Summiſtę. verbo adoratio. In eamdem ſententiam eſt apertè Ricardus in 3.d.24.art.1.q.3.ad ſecundum vbi inquit per fidem creditur corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus in altari; ſi peracta ſunt omnia, quę concurrunt ad eſſentiam Sacramenti, & hoc ſemper eſt verum; non oportet tamen, quod fidelis, quando adorat, ſemper habeat iſtam conditionem in cogitatione actuali. Vnde neſcio quid ſibi velit Caiet. 2.2.q. 1.ar. 3. ad quartum impugnãs hanc ſententiam, niſi fortè intendat impugnare actualem, & explicitam conditionẽ, vel intelligat adorationem debere eſſe abſolutam, & non conditionatam, id eſt cum dubitatione actuali cõditionis.

Marſilius. *Ricardus.* *Caietan.*

Secundus modus dicẽdi notat primo, quod inter actiones humanas quędam ſunt preſupponentes conditionem ex aliqua cauſa extrinſeca, & tales actiones non ſunt abſolutè, niſi preſupponatur conditio ab illa cauſa extrinſeca v.g. ſi quis promittat fęminę ſe ducturum illam in vxorẽ ſi eius Pater conſenſerit, & dederit dotem, hæc promiſſio eſt conditionalis. Aliæ autem ſunt actiones humanę, quę ex natura ſua preſupponunt conditionem poſitam, & adimpletam. v.g. ſi quis mutuo det triticum; hic contractus ex natura ſua preſupponit conditionem adimpletam, vt mutuatarius maneat obligatus ad reddendum triticum ita bonum ſicut accepit; ex quo ſequitur, quædam regula generalis: quod nullus contractus efficitur conditionalis ex conditione, quam ſuaptè natura præintelligit, & præſupponit. Ad eumdem ergo modum dicendum eſt in re de qua agimus, quòd actus adorationis reſpectu hoſtiæ conſecratę non eſt conditionalis, ſed abſolutus, & ſi aliquando contingat oſtendi nobis ſolemniter hoſtiam non conſecratam, actus adorationis eſt implicitè conditionalis, quod ſufficit, vt excuſetur adoratio, vt non ſit idolatria. obſer. eſt tamen, quod quamuis hæc conditio ſit implicita, non debet exprimi explicitè ab homine: quia quãuis ad veritatem ſpeculatiuam idem ſit conditionem poni implicitè, & explicitè, in hoc tamen caſu eſſet contra veritatem practicam fidei, exprimere conditionem: quia quotieſcunque conditio aliqua preſupponitur ex natura actus implicitè, illam exprimere explicitè otioſum eſſet, & hoc fortè intellexit Caietanus. Vterque tamen modus dicendi probabilis eſt. Quod intelligas per ſe loquendo, & ſecluſis ſpecialibus circunſtantijs: quia ſi ex accidenti occurrat aliqua ſpecialis ratio dubitãdi de veritate Sacramenti, vel ex parte materię, vel ex parte miniſtri, quę talis ſit vt prudenter conſiderata ſufficiat ad formandum vehemens dubium vel ſuſpendẽdum aſſenſum, tunc non eſt adorandum Sacramentum ſine explicita conditione, propter rationem ſuperius factam, vt ſcilicet excludatur omne periculum, adorandi purum panem, aut vinum, ſicut quando alicui apparet, vel apparere videtur Chriſtus, in reuelatione aliqua, quam diu res eſt dubia non eſt abſolute adoratio exhibenda, donec de veritate reuelationis moralis certitudo habeatur. Item quia operatio humana, vt prudens ſit debet excludere morale dubium, & niti morali certitudini, quoad fieri poſſit; in prædicto autem caſu non poteſt haberi moralis certitudo ad exhibendam abſolutam adorationem, poſita autem conditione practice tollitur omne periculum, & omne dubium, ergo in eo caſu adhibenda eſt.

Actiones humanæ ſunt duplices. *Regula generalis.*

Et ſi aliquis quęrat ſi contingat, quando aliquis prudenter, adorat hoſtiam re vera non conſecratam, an ille actus ſit vera latria, vereque procedat à virtute religionis Nam videtur non eſſe, quia ille actus in re ipſa non terminatur ad Chriſtum, nec ad Deum, ergo non eſt vera latria, neque actus religionis; Item quia repugnat fidei ſubeſſe falſum, ergo & religioni infuſę quæ à fide mouetur ad Euchariſtiam adorandam. Reſpondet Gabriel vbi ſupra, quòd exiſtente habituali, & tacita conditione adorãs ſine actuali conditione, vt puta de ea non cogitans, adorando non peccat, etiam ſi hoſtia non fuerit conſecrata; quia non adorat puram creaturam, ſed Chriſtum ſecundum intentionem ſuam quamuis Sacerdos non conſecrãs aut voluntarie aliquid ad conſecrationem requiſitũ omittens, quantum in ſe eſt facit populum idolatrare: quia offert puram creaturam ad adorãdum, Nihilominus actus adorantis, eſſet moraliter bonus, & honeſtus: quia procederet ex honeſto motiuo, & per prudentiam regularetur vt ſuppono, atque adeo eſſet latria, & actus religionis: quia non eſt alia virtus, ad quam pertineat & quia prouenitet ex motiuo, & honeſtate religionis: atque eadem ratione eſſe poteſt à virtute infuſa; ſi procedat ex motiuo ſupernaturali, ſeu conformitate ad ſupernaturalem regulam, ſicut, quando quis dat eleemoſinam homini petenti nomine Chriſti, ex miſericordia infuſa operatur, ſi prudenter exiſtimat illum eſſe pauperem, quamuis ſpeculatiue decipi contingat. In quo eſt magna differentia inter fidem & virtutem moralem: quia fidei veritas eſt ſpeculatiua & conſiſtit in cõformitate intellectus ad rem, virtus autem moralis immediate regulatur per prudentiam, cuius veritas eſt practica, & verſatur circa iudicium de re facienda ſecundum præſentes circunſtantias, quod iudicium practice poteſt eſſe verum, quamuis aliqua falſitas ſpeculatiua in materiali perſona, ſeu obiecto naſceatur.

Gabriel.

ARTICVLVS XVI.

Vtrum ſit de fide has, vel illas ſpecies particulares eſſe conſecratas.

SEnſus tituli eſt an teneamur credere per fidẽ Theologicam, quando ſacramentum Euchariſtiæ nobis proponitur, quod ſub illis ſingularibus ſpeciebus, q̃ nobis proponũtur eſt corpus & ſanguis Chriſti.

De hac re duplex eſt ſententia prior tenet non eſſe de fide aliquam particularem hoſtiam eſſe cõſecratam cuius ratio eſt: quia fidei non poteſt ſubeſſe falſum: ſed huic propoſitioni hæc particularis hoſtia eſt conſecrata poteſt ſubeſſe falſum: nam poteſt eſſe illam hoſtiam non eſſe conſecratam, vt ſi ſacerdos non habuit intentionem conſecrandi, vel Epiſcopus illum ordinãdi, vel ſi non eſt baptizatus. addit tamen hæc ſententia, ſingulas hoſtias in particulari, quę proponuntur fidelibus adorandæ, eſſe cõſecratas; certum eſſe moraliter: quia de hoc nulla eſt ſufficiens ratio dubitandi. Hanc ſententiam docet Alex. Peſantius in. 2.2. D. Thom. q.1. artic. 3. diſput. 2. ad ſecundam obiectionem.

Alex Peſantius.

Secunda ſententia docet, Teneri fideles per fidem credere, quando eis proponitur Euchariſtiæ Sacramentum, ſub illis ſingularibus ſpeciebus, quæ proponuntur, eſſe corpus & ſanguis Chriſti, quæ ſententia mihi longe probabilior videtur pro cuius explicatione.

Obſer. eſt primo, quod contingere poteſt Idem obiectum fidei ſecundum eamdem rationem formalem rei, pertinere poſſe ad diuerſos habitus, nempe ad habitum fidei, & ad coniecturam humanã & hoc propter diuerſa lumina; ita vt ſecundum vnum habitum ſit certum certitudine fidei diuinæ & ſecundum alterum habitum ſolum ſit certum certitudine humanæ fidei. v.g. Poſtquam conſecrata eſt rite, & recte hæc numero hoſtia; hæc propoſitio. ſub hac hoſtia conſecrata continetur corpus Chriſti, habet certitudinem fidei; ſecundum illam rationem vniuerſalem. omnis hoſtia rite, & recte conſecrata continet corpus Chriſti, ſecundum quam rationem pertinet ad fidem Theologicam. Sicut hæc propoſitio Petrus eſt riſibilis pertinet ad habitum ſcientiæ, qua ſcimus omnem hominem eſſe riſibilem: nam ad habitum ſcientiæ pertinet ſecundũ rationem vniuerſalem, quæ reperitur in ſingulari; at vero ſicut illa propoſitio Petrus eſt riſibilis ſecundum rationes particulares pertinet ad habitum experientiæ: quia quod Petrus ſit riſibilis, non ſolum poſſumus ſcire per ſcientiã vniuerſalem, ſed etiam per experientiam videntes Petrũ ridere. ita etiã eſt dubium, an illa eadem propoſitio hæc hoſtia conſecrata continet corpus Chriſti pertineat ad fidem Theologicã, an vero ad fidem, ſeu coniecturam humanam ſicut hæc propoſitio. Deus non denegat gratiam iſti, qui fecit, quod in ſe eſt; quæ propoſitio licet habeat certitudinem fidei, ſecundum illam rationem vniuerſalem, facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam, tamen ſecundum rationes particulares non pertinet ad

fidem

Digitized by Google

fidem Theologicam,ſed ad fidem moralem ſeu ad coniecturas humanas.

Secundo obſer. eſt diſcrimen eſſe inter ſcientiam,& fidem Theologicam: ſi enim ſub ſcientia rei vniuerſalis ſubſumatur experientia ſingularis debite, concluditur ſcientia de ſingulari ſine deceptione: tñ ſi talis ſingularis ſubſumatur indebitè poterit eſſe deceptio in ſcientia ſingularis ſpeculatiuè, & etiam practicè. v. g. Medicus ſcit hanc vniuerſalem. Omne reubarbarum eſt purgatiuum choleræ, & Pharmacopola oſtendat pro reubarbaro aliã herbam habentem contrariam virtutem decipietur Medicus circa ſingulare, ſpeculatiue, & practice, & fiet operatio erronea. Secus eſt in fide: quia ſi fidelis credens hanc vniuerſalem, ſub qualibet hoſtia rite, & rectè conſecrata continetur corpus Chriſti, ſubſumat hanc ſingularem indebitè ſcilicet hęc hoſtia eſt cõſecrata, quæ modo ſibi oſtẽditur pro conſecrata, & non eſt verè conſecrata, adhuc non decipitur ſpeculatiue, neque practice, neque eſt error in credendo, quod ibi eſt corpus Chriſti. Vnde quamuis in cap. De homine de celebratione miſſarum dicitur, ꝙ Sacerdos, qui oſtendit non conſecratam pro conſecrata decipit populum D. Bonauentura ſapiẽter interpretatur, *D. Bonent.* non, quod populus fidelis re ipſa decipiatur, & idolatret; ſed quod Sacerdos ille, quantum eſt in ſe idolatret, & faciat idolatrare. Et ratio eſt: quia fides ipſa a Spiritu Sancto nobis infuſa, ſic nos inclinat ad credẽdum, & nos per ipſam credimus, vt eo ipſo, quòd hoſtia verè conſecrata eſt credamus abſolute, & eo ipſo, quo hoſtia non eſt verè conſecrata omnino non credamus, propter implicitam illam, & ſub intellectam conditionem, quam artic. præcedenti diximus in hoc caſu interuenire.

Conclu. His explicatis ſit Concluſio. Quicunque fidelis ſumpturus, vel adoraturus hanc hoſtiam ſingularem conſecratam tenetur credere ex fide diuina, cum ſibi oſtenditur, quod in hac hoſtia ſingulari, eſt verè, & ſingulariter corpus Chriſti, idque non conditionaliter, ſed verè, & abſolute; probatur prima pars. Nullus tenetur adorare Deũ adoratione latriæ, niſi cognoſcat ipſum Deum in ſingulari, vel per claram viſionem facie ad faciem; vel per prophetiam, vel per fidem Theologicam; ſed ſic eſt, ꝙ quilibet fidelis tenetur adorare hanc hoſtiam in ſingulari ſibi oſtenſam ſolemniter per ſacerdotem, ergo debet neceſſario cognoſcere Deum eſſe in illa ſingulari hoſtia; quem cum non cognoſcat per viſionem claram, neque per prophetiam debet cognoſcere per fidem Theologicam; conſequẽtia eſt bona, & minor eſt de fide, & habetur in Cõ- *Conc. Tri.* cilio Trid. ſeſſ. 13. c. 5. & can. 6. probatur maior: quia ſumere Sacramentum Euchariſtiæ, vel illud adorare, & credere, eſt actio humana: omnis autem actio humana verſatur circa ſingularia, & præſupponit notitiam rei ſingularis.

Præterea ex vna præmiſſa de fide, & altera moraliter certa ſequitur concluſio de fide; ſed hæc propoſitio, iſtæ ſpecies ſunt verè conſecratæ, ſequitur ex vna præmiſſa de fide, & altera moraliter certa, ergo eſt de fide. Maior probatur à ſimili, omne concilium legitimè congregatum eſt infallibilis veritatis; hoc Concilium v. g. Tridentinum eſt legitimè congregatum, ergo eſt infallibilis veritatis. Concluſio eſt de fide, & maior ſimiliter: minor autem eſt tantum nota moraliter, poteſt enim contingere Papã cõcilium congregantem non eſſe baptizatum, & per conſequens non eſſe verè Papam; probatur minor: quia hæc propoſitio, iſtæ ſpecies ſunt conſecratæ ſequitur ex his pręmiſſis, ſub ſpeciebus conſecratis eſt verũ corpus Chriſti, ſed iſtæ ſpecies ſunt rite cõſecratæ, ergo ſub iſtis ſpeciebus eſt verè corpus Chriſti: maior eſt de fide, minor autem eſt tantum certa moraliter. Et confirmatur: fides eſt cauſa aſſentiendi maiori in dicto ſyllogiſmo facto, & cauſa aſſentiendi concluſioni eſt maior: quia præmiſſę cõcurrunt ad aſſenſum concluſionis, ergo cauſa aſſentiendi concluſioni eſt fides; probatur conſequentia. Quia quod eſt cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati.

Item ſi quis pertinaciter negaret, ſine ſufficienti ratione ſub hoſtia, quæ reſeruatur in hac cuſtodia eſſe corpus Chriſti, puniretur, vt hæreticus, ergo eſt de fide eam eſſe conſecratam.

Secunda pars concluſionis probatur, videlicet, ꝙ ſine cõditione debemus credere: quia, vt ſupra diximus quotieſcũque aliqua conditio præſupponitur implicitè, otioſum, & ſuperuacaneũ eſt illam exprimere, ſed actus fidei reſpectu hoſtiæ ſolemniter oſtenſæ à ſacerdote, eſt huiuſmodi ergo &c. & ſic ſi aliquando contingat, ꝙ oſtẽdatur nobis hoſtia non conſecrata pro conſecrata, tunc actus credendi eſt implicitè conditionalis, quod ſat eſt, vt excuſetur fidelis ab idolatria, & fides à falſo.

Ex hoc ſequitur, quod quamuis fides catholica, in hac materia Sacramenti Euchariſtiæ inclinet directè ad obiectũ vniuerſale, vt ad hoſtiã conſecratam, & indirectè ad obiectum ſingulare, vt ad hanc hoſtiã conſecratã: quia illud fuit neceſſariũ ita inſtitui, vt hoc ſacramentũ adoraretur, ſumeretur, & fieret ſacrificiũ; non aũt ſic eſt intelligẽdũ in alijs multis, quod. ſ. quotieſcũq; fides inclinat ad aliquod obiectũ vniuerſale directè, inclinet ẽt indirectè ad quodcumq; ſingulare illius vniuerſalis. v. g. quamuis credamus ex fide, ꝙ facienti, qđ in ſe eſt, Deus non denegat gratiã, tñ non tenemur, neq; inclinamur ex fide Theologica ad credendum, ꝙ hic, vel ille, qui re ipſa fecit, qđ in ſe eſt, & habet gratiã; ſit in tali ſtatu; & rõ eſt: quia hoc ſcire in particulari non eſt neceſſariũ ad finẽ ſalutis. atq; ita, qđ talis ille homo ſit in gr̃a relinquitur coniecturæ humanę: tñ aſſenſus circa hanc hoſtiã conſecratã debet eſſe ex fide: quotieſcunque. n. inclinamur ad credendum eſſe corpus Chriſti in hac hoſtia ſingulari vtimur fide infuſa ſine aliquo periculo falſitatis: quia ibi includitur prædicta conditio, & taliter ſic credere eſt neceſſariũ ad finem ſalutis.

ARTICVLVS XVII.

Vtrum vltima noſtra fidei reſolutio fiat in Eccleſiam aut in primam veritatem.

SEnſus quæſtionis eſt, quæ nam ſit vltima cauſa credendi in qua retrocedendo, ſeu reſolutoriè procedẽdo ſiſtendũ ſit, & quo pacto ſe habeat Eccleſia cum prima veritate in fidei reſolutione: quia ſi credimus Deũ eſſe Trinũ, & vnum, quia veritas prima dixit; hoc rurſus roganti; quare credimus hoc dixiſſe primã veritatem nulla alia rõ vr̃ eſſe niſi: quia Eccleſia hoc dicit dictum eſſe à Deo. Reſoluere namq; rem aliquam eſt eamdẽ in ſuas vltimas cauſas, aut rationes reducere, vt concluſionem in prima principia: & hominem in prima naturæ elementa.

De hac dubitatione variæ ſunt ſententiæ. Primo autẽ cauenda eſt hęreſis Lutheranorum aſſerentium vltimam credendi reſolutionem fieri ad proprium vniuſcuiuſque iudicium, deſumptum ex ſacris litteris, & probant: quia Chriſtus Dominus dixit ſcrutamini ſcripturas, & 1. Io. 4. Probate Spiritus ſi ex Deo ſint; ergo ad iudicandum de rebus fidei, proprium vniuſcuiuſque iudicium ex ſacris litteris formatum debet eſſe regula fidei vnicuique credenti. Vnde ſi Rogares Lutherum. Quare credis Deum eſſe Trinum, & vnum, reſponderet: quia Matth. vltimo lego Baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti, & ſi ab illo rurſus quæras, vnde tibi conſtat, quod ibi nominantur tres perſonæ diuinæ diſtinctæ? reſpondebit: quia ſic iudico ex illis litteris ſacris, alijſque ſibi adiunctis. Hæc ſententia eſt hæretica, & inſana: Nam ſi fides, ex cuiuſque cerebro eſſet expectanda, cum hominum ſenſus, & cogitationes tam variæ ſint, varia eſſet cuiuſque fides, & proinde non fides, ſed perfidia eſſet.

Sunt inter catholicos etiam multæ ſententiæ. Prima *Durãdus.* eſt Durandi hac d. q. 1. dicentis vltimam fidei noſtræ reſolutionem fieri in Eccleſiam, eſt enim Eccleſia columna, & firmamentum veritatis. Probatur hæc ſententia, multæ ſunt traditiones, quas fide diuina credimus, & non ob aliud teſtimonium: niſi quia Eccleſia eas prædicat credendas. Quorum eſt, paruulorum baptiſmus. Perpetua Virginitas Marię &c. ergo in Eccleſiam reſoluitur noſtra fides. Secundo non ob aliud Catholici diſtinguuntur ab hæreticis: niſi quia Chatolici in credendo nituntur authoritati Eccleſiæ: hæretici autem authorita-

Digitized by Google

tem Eccleſiæ reſpuunt, ſed id, quod eſt ratio diſtinguendi vnum ab alio, eſt ratio conſtituendi illud tale, ergo authoritas eccleſię eſt in quam reſoluitur noſtra fides. Tertio, ſola authoritas eccleſiæ eſt, quæ definit hunc, vel illum librum eſſe canonicum, & hunc, vel illum eſſe ſenſum Catholicum ſcripturæ, ergo &c. & cōfirmatur: quia Rom. 10. dicitur. Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt, quomodo credent ſi non audiuntur, quomodo audient ſine prædicante; & ſubdit, ergo fides ex auditu, q.d. ergo fides fit in nobis ex prædicatione miniſtrorum eccleſiæ. Confirmatur ſecundo ex D. Auguſtino contra Epiſtolam Manichei c.5. Euangelio non crederem niſi eccleſia mihi proponeret: ergo &c.

Ita quod ſecundum opinionem Durandi, primus articulus in quem fides immediate inclinat eſt, eccleſia regitur à Spiritu Sancto. Vnde ſi quæratur à Durando. Quare credis Deum eſſe Trinum, & vnum? reſpondebit; quia eccleſia dicit credendum eſſe Euangelio, & ſi inſtes, quare credis eccleſiæ, reſpondebit, quia eccleſia regitur a Spiritu Sancto, & in hoc ſiſtendum eſt, atque ita ſiet vltima fidei reſolutio in eccleſiam prout regitur à Spiritu Sancto; & ſi tandem vltra quæratur à Durando. Quare credis eccleſiam regi à Spiritu Sancto? reſpondebit, vt colligitur ex d.25.q.3. quia hoc creditur fide acquiſita, propter hiſtoriam, & propter conſentiens teſtimonium multorũ hominum affirmantium, quod Spiritus Sanctus illuſtrauit eccleſiam, & quod edita ſunt multa miracula à Doctoribus huius doctrinæ, multiq; pro iſta confeſſione mortem obiere &c.

Hæc ſententia Durandi à quibuſdam reputatur falſa, & periculoſa: quia ex illa ſequeretur, q̃d vltima fidei reſo-
Durãdi à multis reijcitur. lutio fieret in authoritatem, & teſtimonium humanum, quod poteſt fallere, & falli, & per conſequens, quod noſtræ fidei poſſet ſubeſſe falſum, patet ſequela: nam ſm̃ iſtã ſententiam; omnis noſtra fides, & omnis aſſenſus articulorum reſoluitur in iſtum articulum. Eccleſia regitur ab Spiritu Sancto, & huic propoſitioni aſſentimur per fidẽ acquiſitam, & propter teſtimonium humanũ, & pp miracula. Secũdo ſi prima origo vnde dimanat noſtra fides, eſt teſtimonium hominum, cui aſſentimur per fidem acquiſitam; ſequitur, q̃ eiſdem hominibus, poſtea contraria dicentibus eſſet nobis mutanda fides, hoc autem minimè audiendum eſt. Dicit enim Apoſtolus ad Gal. 1. licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis anathema ſit, ergo aſſenſus noſtræ fidei, non reſoluitur in teſtimonium hominum.

Caietanus 2.2.q.1.art.1. arbitratur quòd fides reſolui-
Caietanus. tur in duo principia, videlicet in primam veritatem, & in eccleſiæ teſtimonium; ita quod teſtimonium eccleſiæ, & authoritas eſt prima regula in proponẽdo; prima aũt veritas eſt formalis ratio aſſentiendi. Ratio huius opinionis eſt: quia ſicut in ſcientijs vltima reſolutio omnium concluſionum fit in rationem formalem obiecti; ita in credibilibus, & articulis fidei vltima reſolutio debet fieri in primam veritatem reuelantem, ſeu dicentem; non tamẽ ſufficit, vt fiat reſolutio in primam veritatem: quia hoc eſſet ſolum teſtimonium internum, & nihil certi haberemus in fide, & ideo hæc opinio dicit reſoluẽdam eſſe noſtram fidem etiam in eccleſiæ authoritatem; quæ ſola ſine prima veritate reuelante, non ſufficeret, ad faciendum aſſenſum fidei, & adhoc, vt credamus, iuxta illud ad Rom. 10. Quam ſpecioſi ſunt pedes euangelizantium pacem &c. Neceſſaria ergo eſt authoritas eccleſiæ ad credendum, & hæc motiua externa. ſ. prædicatio, & miracula in primitiua eccleſia, ſed hæc non ſufficiebant ad faciendum, vt homines crederent. Multi. n. audierunt prædicationes Apoſtolorum, & viderunt miracula, & tñ non crediderunt, ergo præter motiua externa, & authoritatem eccleſię neceſſe eſt aliquid aliud ad credendum, ſm̃ illud Io. 5. Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum; atq; ita neceſſaria eſt authoritas primæ veritatis. Vnde ſi quis q̃rat quare credimus Deum eſſe Trinum, & vnũ. Dicendũ eſt ſm̃ hanc opinionẽ: quia prima veritas reuelauit. Et ſi rurſus interroget vnde ſcimus, Deum reuelaſſe? reſpõdendũ eſt: quia eccleſia, quæ regitur à Spiritu Sancto, hoc p̃dicat, & docet, ſi rurſus q̃rat vnde ſcimus eccleſiã, q̃ hoc dicat regi ab Spiritu Sãcto? reſpondendũ eſt, quia prima veritas hoc dicit, & reuelauit, & ſi quis ex hoc inferat ꝓ inconuenienti: quia tunc datetur circulus in cauſis reuelationis fidei. Reſpondetur, quod in diuerſo genere cauſandi non eſt vitium dari circulũ, ſicut gloria eſt cauſa finalis meritorũ, & merita ſunt cauſæ diſpoſitiuæ gloriæ, quæ reducitur ad efficientẽ, & ſimiliter prima veritas eſt cauſa vltima ad q̃ oẽs articuli fidei noſtræ, ſm̃ ſe ſunt reſoluendi, ẽt hic articulus, Eccleſia regitur à Spiritu ſãcto: authoritas verò Eccleſiæ, quæ regitur à Spiritu Sancto eſt cauſa vltima fidei noſtræ, ad q̃ reſoluitur, vt ad proponentem etiam hic articulus fidei, prima veritas dixit, & reuelauit articulos fidei, atque ita licet detur huiuſmodi circulus, nullum inde ſequitur inconueniens.

Hæc opinio quamuis multis placeat; alijs vero ẽt Tho- Reijcitur
miſtis diſplicet: militãt n. contra illam hæc rõ. Hoc quod Caiet. ſen-
eſt Eccleſiam in proponendo eſſe ſummam regulam, quę tentia.
neq; fallere, neq; falli põt, quæro qua rõne creditur: aut enim creditur, quia ipſa Eccleſia de ſe teſtimoniũ perhibet, qđ neq; fallere, neq; falli põt, aut creditur pp miracula, quæ in Eccleſia fuiſſe facta audiuimus, vel pp aliquid aliud, quod Caietanus non explicat: Non primum: quia ſolũ teſtimoniũ diuinum eſt infallibile, Eccleſia aũt de ſe non eſt infallibilis, atq; ita non eſſet verũ teſtimonium, ſi Eccleſia de ſe teſtificaret non poſſe fallere, neque falli in proponendo res fidei. Nec ſecundum: quia miracula ſolũ ſcimus eſſe facta teſtimonio hominum, & ſic fides diuina reſolueretur in fidẽ humanam, & ipſa miracula ſunt tantum motiua quædam, vt credamus; ergo Eccleſia non eſt vltima regula in proponendo res fidei.

Tertio opinio quæ a multis tribuitur Scoto, & ſequun- 3. Opinio.
tur illã aliqui Thomiſtæ, dicit, q̃ quãuis nullus credat ordinarie articulis fidei aſſenſu fidei infuſæ, niſi præceſſerit aliquis actus fidei acquiſitæ; tñ aſſenſus ille fidei infuſæ, non reſoluitur ad fidẽ acquiſitã, ſed ad Deũ, & ad lumen fidei infuſum intellectui ab ipſo Deo; itaq; q̃uis ad habẽdum aſſenſum huius articuli Deus eſt Trinus, & vnus p̃ceſſerit vox prædicatoris; ſi tñ quis te interroget, quare credis Deum eſſe Trinum, & vnum? nõ eſt reſpondendũ te ita credere: qm̃ ſic tibi fuit propoſitũ a prędicatore: ſed quia Deus per lumen infuſum inclinat intellectum tuũ ad aſſentiendum illi articulo, atque adeo iuxta hanc ſententiam reſolutio fidei facienda eſt ad fidem infuſam.

Hæc ſententia ſic intellecta iudicatur à multis pericu- Repellitur
loſa: quia vſ incidere in eadem met incommoda, in quæ 3. Opinio.
incidit error Lutheranorum ſupra citatus: nã ſi fides nr̃a eſt reſoluenda ad ſolum teſtimonium internum; rogatus quilibet hæreticus quare habet hæreſim ſuam reſpondebitur: quia habet fidem internam inclinantem ad eius aſſenſum: atque ita nihil certum conſtaret nobis de fide, ſed potius ludum fidium faceremus de fide.

Pro huius prægrandis difficultatis explicatione obſer. eſt primo, quod vt ſuperius diximus nemo poteſt aſſentiri omnibus reuelatis a Deo ſicut oportet, & aſſenſu omnimode certo, & abſque formidine, ſine lumine ſuper naturali, ſiue illud tale lumen ſit habitus infuſus, ſiue aliquod aliud auxilium peculiare. Quod lumen internum quamuis, ex natura ſua habeat vim, atque efficaciam ad inducendum intellectum noſtrum in aſſenſum rerum fidei, tamen retardatur, & impeditur ex parte ſubiecti propter quædam impedimenta, videlicet: quia intellectus noſter naturaliter aſſentitur difficulter rebus quas non videt. Deinde noſtra voluntas, ſicut eſt prona ad decipiendum alios, ita eſt dura ad fidem adhibendam alijs; quæ impedimenta neceſſe eſt, vt remoueantur adhoc, vt lumẽ illud internum fidei poſſit actu inducere intellectum noſtrum in obſequiũ, & aſſenſum fidei; Remouentur autẽ illa impedimenta, cũ articuli proponuntur, & explicantur, & adhibitis rationibus probabilibus ſuadentur; & ita proprium officium prædicatoris eſt, non quidem adiungere aliquam veritatem articulo fidei; ſed ſua perſuaſione, & ratione remouere difficultatem intellectus in credendo, & emollire duritiem voluntatis noſtræ. Hoc lumen internum fidei, ſe habet erga articulos fidei, ſicut lumen naturale intellectus erga prima principia ſcientiarũ nã lumẽ naturale ipſum per ſe ſolũ; nõ facit nobis nota, & manifeſta illa principia, vt diximus ẽt ſupra, ſed poſtquã

à Docto-

Digitized by Google

à Doctore propoſita ſunt, & explicata ratione terminorũ aſſentimur illis ſine Doctore, ſolo lumine intellectus.

Fides non poteſt reſolui in authoritatẽ fallibilem.

Secundo obſer. eſt, quòd fides noſtra nõ poteſt reſolui in aliquam authoritatem, quæ ſit fallibilis, & mutabilis ſub ea ratione qua fallibilis, & mutabilis eſt, quia alioqui fides diuina eſſet fallibilis, & mutabilis, cum non poſſit, eſſe certior ſuo principio, & cauſa. Et ex hoc ſequitur, ꝙ falſo imponitur Scoto, Durando, & Gabrieli, quod doceant fidem diuinam reſolui in fidem acquiſitam: quia hoc non docent, ſed ſolum, quod aſſenſus fidei diuinæ, non fit in nobis niſi præuia fide naturali, & acquiſita; hanc autem fidem acquiſitam docent interuenire, vel tamquam conditionem ſine qua non crederemus diuinitus, vel ſaltim, quod intercedat tamquam cauſa partialis mouens nos ad credendum; quia remouet difficultatem intellectus, & duritiem voluntatis.

Poteſtas eccleſiaſtica eſt duplex.

Tertio obſer. eſt duplicem eſſe Eccleſiaſticam poteſtatem, aſſertiuam vnam, & qua in tradendis fidei dogmatibus vtitur, legiſlatiuam alteram, quæ illi ad populos euãgelica diſciplina formandos deſeruit, prior eſt prorſus diuina, alioqui poſſet in fide decernenda, quemadmodum, & reliquæ quæcumque etiam ampliores Reſpub. labi, quod eſt prorſus nefarium; eſt inquam diuina immediate, quod videlicet Deus ipſe per eccleſiaſticos, quemadmodum olim per Apoſtolos, veritatem decernat: non enim Concilium aut Eccleſia eſt, quæ loquitur, ſed Spiritus patris eccleſiæ poſt Chriſti aſcenſionem inſeparabili nexu donatus, eſt qui loquitur in eccleſiaſticis viris immediatè, & qui fidei dogmata conſultus decernit. Poſterior verò poteſtas, ideſt ea, qua per leges, & præcepta, & vitia amputantur, & virtutes coluntur, quãuis ſit diuina repreſentatione, eo qđ ipſi in eccleſiaſticis Præpoſitis, & Epiſcopis obedientia præſteuir, non tamen eſt diuina immediatè, vt illa prior, ita, vt diuinitus imperatum, aut prohibitum putetur, quicquid Præpoſitorum imperium aut vetat, aut iubet, alioqui nullum eſſet humanum præceptum, ſed omnia eſſent diuina, vtque adeo, qui immediatè fert leges ſiue de Pontifice ſummo, ſiue de vniuerſali Concilio ſit ſermo, non Deus, ſed homo eſt, quamuis in eo Deus ipſe repreſentetur. Ita qui immediatè, ſiue in Pontifice ſummo ſiue in generali Concilio dogmata fidei decernit non homo, ſed Deus ipſe eſt.

Quarto obſer. eſt, quod eccleſiæ authoritas duo habet, primum, quod eſt humana, & ſecundum hanc rationem fallibilis, & mutabilis eſt, ſecundum quod eſt diuina, ea ſcilicet ratione qua ſingulariter adeſt aſſiſtentia Spiritus Sancti, & Dei gratia in proponẽdis, & declarandis rebus fidei, & decernendis, & vt ſic eius authoritas eſt infallibilis, & prorſus immutabilis; quod igitur habet authoritas Dei ex ſe, habet authoritas. Eccleſię virtute Dei; ex hoc ſequitur, ꝙ opinio Durandi non eſt ita falſa, vt aliqui exiſtimant, quia reſoluit fidem in authoritatem eccleſiæ inquantum regitur à Spiritu Sancto: quia vt ſic infallibilis, & immutabilis eſt, virtute inquam Dei, & Spiritus Sãcti.

Quinto obſer. eſt, ꝙ in decernenda fide eccleſiæ Iudicium non eſt humanum, ſed prorſus diuinum, non caro, & ſanguis, ſed Spiritus, & vita: Nam inquit Chriſtus his, qui euãgelicum paſtum, cum poteſtate miniſtrant. Quis vos audit me audit, & in Apoſtolo Paulo Eccleſiarum Magiſtro, non caro, & ſanguis, ſed Chriſtus loquebatur. An experimentum (ait 2. ad Corint. 13.) quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus? & Chriſtus ipſe cœlos aſcenſurus Paraclitum ſe miſſurum promiſit, qui omnem poſtenora eccleſiæ ſæcula veritatem doceret Io. 16. & de eodẽ Spiritu Sancto eccleſiæ rectore, & qui eidem eccleſiæ in dogmatibus fidei decernendis à catholicis viris non dubitatur aſſiſtere, Chriſtus ipſe pronunciat. Cum venerit Paraclytus, quem ego mittam vobis à patre, docebit vos omnia, quæcumque dixero vobis, & ipſe Spiritus Sanctus eſt, qui arguet mundum de iudicio de iuſtitia, & de peccato nimirum infidelitatis non tantum priuatiuæ, ſed poſitiuę, ad quã & hæreſis reducitur. Et demum eccleſiaſticum illud primum Concilium, vt quis præceptorum eccleſiaſticorum fidem potiſſimum concernentium author exiſteret poſterioribus ſæculis oſtenderet, fidenter pronunciat. Viſum eſt nobis, & Spiritui Sancto. &c. Eſt igitur eccleſiæ in fide decernenda, non humanum, ſed prorſus diuinum teſtimonium. Qui igitur eccleſiæ fidem decernenti credit, non homini credit, ſed Deo ipſi per eccleſiam, ſicut olim per Apoſtolos loquenti.

Quomodo Deus ꝓcedat in generatione, & conſeruatione fidei.

Seſto obſer. eſt, vt hoc melius intelligatur, ꝙ diuinum teſtimonium ſeu diuina ipſa reuelatio, alio modo communicatur nobis in generatione fidei, & alio modo in eius conſeruatione; In generatione fidei, quia ea, quæ à Deo ſunt ordinata ſunt: Deus non procedit ab extremo ad extremum niſi per medium, inter ſcientiam autem quam habet Deus de ſe ipſo, & alijs myſterijs diuinis, & noſtrã fidem mediat cognitio prophetica, & propterea Deus ordinauit, vt reuelatio diuinę ſcientiæ nõ perueniret, ad fidẽ eccleſiæ niſi media prophetia iuxta illud Amos 3. Non faciet Dñs verbum niſi prius reuelauerit myſterium ad prophetas ſeruos ſuos. Eſt aũt fides generata populo fideli triplici generatione, & triplici gradus reuelatione, traditione, & prædicatione. Prima operatio in generatione fidei fuit reuelatio facta a Deo ipſis prophetis, & ipſa diuina ſciẽtia virtute quadam manet in reuelatione prophetica, & deinde Prophetæ cũ annunciant ea, quæ prophetice cognouerunt in virtute Dei prophetant, iuxta illud 2. Petri 2. Non. n. voluntate humana allata eſt aliquãdo prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirante locuti ſunt ſancti Dei homines; ſecũda operatio in fidei generatione eſt traditio, per hanc operationẽ prophetæ communicãt eccleſiæ, & eccleſia per hanc operationem ſuſcipit traditionem à Prophetis, hæc autem traditio duobus modis facta eſt, ſcripto. ſ. & verbo, & quando traditio à prophetis deriuata per ſcripturam facta eſt, dicitur ſcriptura; cum aũt fit verbo dicitur traditio, tertia operatio eſt prædicatio eccleſiæ per quam tandem generatur fides in vnoquoque fidelium priuatorum; atque ita cognitionem, quam accepit eccleſia ex traditione Apoſtolorum, & prophetarum per fidem, communicat tamquam Mater, & Magiſtra priuatis hominibus.

Altero modo communicatur nobis diuinum teſtimonium, ſiue diuina reuelatio, quantum ad conſeruationem fidei noſtræ ꝑꝑ aſiſtentiam Spiritus Sancti; quia Spiritus Sãctus aſſiſtit eccleſiæ, vt eccleſia ipſa in rebus fidei, neq; fallere, neque falli poſſit, quod declaratur exemplo. Architectus, & Artifex qui manibus operatur, ambo, & ſimul ſunt cauſa vnius, atq; eiuſdẽ effectus, & idẽ effectus reducitur in Artificem tamquam in operantem manibus ex directione Architecti, & in Architectũ tãq̃ in dirigenta ipſũ Artificẽ. Ad eũdẽ modũ in populo Dei actus quo quilibet priuatus credit, reducitur in fidẽ eccleſiæ tãquã in cauſam proponẽtem ex aſſiſtentia, & directione Spiritus Sancti, iuxta illud Lucæ. 10. Qui vos audit me audit. Ita quilibet priuatus homo, eo ipſo, ꝙ credendo ſe ſe incorporat eccleſiæ innititur regulæ infallibilis veritatis, iuxta illud Lucæ 22. Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliqñ conuerſus &c. ſic ergo in generatione fidei fides vniuſcuiuſque priuati hominis reducitur, & reſoluitur ad fidẽ eccleſiæ immediatè, ſecundo reſoluitur in prophetiã immediatius, tertio, & vltimo atq; principaliter reſoluitur in ipſã ſcientiã, q̃ Deus habet de ſe ipſo, & de oĩbus myſterijs diuinis. Ita ẽt in cõſeruatione fidei, actus quo quilibet fidelis credit reſoluitur, & innititur in ipſã aſſiſtentiã, qua Spiritus ſãctus, ac proinde tota Trinitas aſſiſtit eccleſię dirigẽdo illã, & dando virtutẽ, ac demũ ſpeciali auxilio præueniendo oĩa, & in oĩbus, ne eccleſia fallat, aut fallatur. Iuxta illud Io. 14. Ego rogabo patrẽ, & aliũ Paraclytũ dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, & Matth. vlt. Ego vobiſcum ſum vſq; ad cõſumationẽ ſęculi; Itaq; quemadmodũ in ſtatu innocentiæ Deus ſpeciali auxilio aſſiſtebat homini, ſm conditionem illius ſtatus ne incideret in aliquẽ errorẽ mentis, vel in aliquã læſionem corporis, ita multo melius, atq; diuinius Trinitas ipſa, quæ vnus eſt Deus, aſſiſtit eccleſiæ, vt in docendis Chriſtianis habeat infallibilem veritatem.

Settimo obſer. eſt. Nõ idem eſſe Iudicium faciendũ de his, quibus immediatè facta eſt reuelatio, & de his qui poſterioribus ſęculis eiſdem quaſi in paterna fidei hæreditate ſucceſſimus: nã inter illos priores. ſ. Prophetas, Apoſtolos, & Euangeliſtas, & ſi qui ſunt alij canonicorum librorum Authores, & nos, qui nunq̃ eorundem myſteriorũ immediatè à Deo reuelationẽ ꝑcepimus, in reſoluẽ-

Digitized by Google

da,& in vltimas metas reducenda fide ingens eſſe diſcrimen. Nã cũ Moſe loquebatur Deus facie ad faciẽ,ſicut ſolet homo loqui ad amicum ſuum. Exodi. 33. Deo ſecũ loquenti,Samuel reſpondebat,loquere domine, quia audit ſeruus tuus. 1. Reg. 3. Dauidi incerta,& occulta ſapientiæ ſuæ manifeſtauit. Pſal. 50. Iſaias vidit dominum ſedẽtem ſuper ſolium excelſum,& eleuatum Iſaiæ. 6. Ieremias adhuc ex utero Matris in Prophetam fuit à Deo electus, & dum ſuam infantiam & loquẽdi imperitiam,quo minus, muntis Prophetę,obeat cauſatur,meretur audire. Noli dicere:q a Puer ergo ſum: quia ad omnia,quæ mittãte ibis, & vniuerſa,quæ mandauero tibi loqueris ad eos, & ecce dedi verba mea in ore tuo &c. Ieremiæ. 1. Ezechiel aperto oculo videt viſiones,& librum, quo cœleſtis ſapientia continebatur aperto ore deglutire præcipitur. Ezech. 1. & 2. Paulus ad tertium cœlum raptus audiuit archana,q̃ non licet homini loqui. Denique ne vniuerſos dicamus. Ioannes pro ſe ipſo,& cæteris noui teſtamẽn ſcriptoribus plane pronunciat. Quod fuit ab initio,quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt,de verbo vitæ, & vidimus, & teſtamur,& annunciamus vobis atque idem de cæteris authoribus Chriſtianæ fidei exiſtimare oportet. Quãuis enim vnus alium,vel ſanctitate,vel rerum,quæ ſcribebat maieſtate ſuperaret;nemo tamen intelligẽtiæ eorum, quæ ſibi diuinitus reuelabantur fuit expers, alioqui Prophetæ non fuiſſent,cum in Prophetica viſione opus ſit intelligentia,vt dicitur Danielis. 10. & olim qui nunc Prophetæ vocantur,vocarentur videntes. 1. Reg. 9. Et alioq Pharao,cum celebres illos vaccarum ſeptennatios vidit, Balthaſar cum articulos manus ſcribentis in pariete conſpexit,Cayphas cum ne tota gens periret occidẽdum Dominũ decreuit, & demum Aſina Balaham cum ad eum loquitur Prophetæ appellari potuiſſent. Non modo igitur Sancti Prophetæ, prophetica mẽte afflati futura,aut alterius generis cœleſtia myſteria prædicabant, verum ea,quæ dicebant apertiſſime intelligebant.

Nos autem,è contra,eadem cœleſtia myſteria ſola fide quam Eccleſiaſticæ traditioni,quaſi filij præſtamus & nõ diuina reuelatione immediate percepimus. eorum itaque fides in ipſum Deum reuelantem,in Spiritum ſanctũ interius docentem,in fidem infuſam,non in Eccleſiaſticam quam ſimul cum ipſo myſterio ſuſceperunt,authoritatẽ, quam in hac parte magiſtram non habuerunt immediate reſoluunt. Nos vero in Eccleſiam, quam in credendo ſolam habuimus magiſtram fidem noſtram reſoluimus. Credant illi:quia à Deo Doctore immediate audiuerũt; Credamus nos quia ſic credidit, & credit noſtra Mater, & Magiſtra Eccleſia,quæ eſt columna, & firmamentum veritatis fundata ſupra firma petra aduerſus quam portæ infernum,ideſt hæreticæ ac falſæ doctrinæ præualere non poſſunt.

1. Concluſio. His obſeruatis ſit prima Concluſio. Ad hoc vt aſſentiamur articulis fidei neceſſe eſt vt nobis proponantur regulariter loquendo,& rationibus, & explicationibus inductis explicentur,hæc concluſio patet; quia,vt diximus in primo notabili,habitus fidei non poteſt exire in actum,niſi auferatur pertinacia noſtri intellectus, & voluntas pie afficiatur,id autem efficitur perſuaſione,prædicatione & miraculis,ergo talis propoſitio eſt neceſſaria; & Confirmatur ex D. Paulo ad Rom. 10. Quomodo credent ſi nõ audierunt? quomodo audient ſine prædicante? &c. & Marci vltimo. Prædicate Euãgelium omni creaturæ &c. illi prædicauerunt vbique domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis; patet etiam exẽplo Nathanael,& Samaritanæ Ioan. 4. Qui non prius crediderunt in Chriſtum, quam Chriſtus aperuit illis ſecreta cordis illorum atque ita illos induxit ad fidem ſuam.

2. Concluſio. Secunda Concluſio. Cum aſſentimur articulis fidei ſatis ſufficienter propoſitis,& expoſitis;illa exterior expoſitio,& explicatio inquantum eſt humana gratia, non eſt cauſa efficax aſſenſuum,ſed eſt cauſa motiua, & ſine qua non;hæc etiam ex ſupra dictis liquet;Sicut enim quando Magiſter explicat diſcipulis aliqua principia alicuius ſciẽtiæ.v.g. Geometriæ;cauſa efficiens aſſenſuum in diſcipulis non ſunt rationes,ſeu perſuaſiones,quæ à Magiſtro adhibentur,quamuis ſint neceſſariæ ad determinandum intellectum diſcipuli;ſed cauſa, quæ efficit aſſenſum in diſcipulo eſt lumen naturale intellectus ſui, eodem modo in fide,quicquid exterius fit per prædicationem, id tantum valet ad determinandum intellectum noſtrum,& ad bene afficiendum voluntatem,cauſa autem, quæ efficit aſſenſum fidei,eſt lumen internum infuſum.

Tertia Concluſio. Fides noſtra diuina,natura ſua reſoluitur in authoritatem Dei,hæc cõcluſio iudicio meo omnium eſt Theologorum,& probatur. Fides noſtra eiuſdẽ eſt ſpeciei,cum fide Prophetarum,Apoſtolorum, Euangeliſtarum,& aliorum, qui immediate à Deo reuelationem habuere,ſed illorum fides natura ſua immediate reſoluitur in authoritatem Dei, vt explicatum eſt notabili vltimo,ergo ſimiliter fides noſtra natura ſua, & quãtum eſt ex ſe in Dei authoritatem reſoluitur. 3. Concluſio.

Quarta Cõcluſio. Fides noſtra ex euidenti,quòd habet quatenus eſt in nobis,qui neq; immediate à Deo reuelationes accepimus, neq; in Euangelicæ fidei propoſitione miracula vidimus ſed tantũ Eccleſiaſtico imperio parẽtes fidẽ ebibimus reſoluitur in authoritatẽ Eccleſiæ; ꝓbatur Vnum quodque in id vltimo reſoluitur,per quod primo accepit initium,ſed fides ex Eccleſiaſtica authoritate gignitur,ergo fides in eamdem Eccleſię authoritatem vltimate reſoluitur: Maior eſt axioma omnium Phyloſophorum,& poſſet experientia ipſa comprobari. minor eſt D. Pauli ad Rom. 10. Quomodo ergo inuocabunt(inquit)in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? &c. & ſubinde. Ergo fides ex auditu, auditus autẽ per verbum Dei;quibus verbis manifeſte Apoſtolus fidem noſtram non in aliud quam in Euangelicorũ & Eccleſiaſticorum miniſtrorum prędicationem refundit. Et confirmatur,ſicut in rationali proceſſu, vbi prius eſt cauſa poſterioris,poſterius virtute continetur in priori tamquam effectus in cauſa, & ex illo recta conſecutione deducitur:ita etiam in fidei proceſſu,vna authoritas, ac proinde vna fides virtute continetur in alia fides, enim ab authoritate dependet,& quemadmodum compoſitiuo proceſſu,vna authoritas ex alia ſuperiori recta conſecutione;deriuatur ita vna fides ex alia, & rurſus ſicut in proceſſu reſolutiuo,concluſio quaſi effectus in prẹmiſſas reſoluitur:ita in fidei proceſſu authoritas illa,quæ ex maiori authoritate,quaſi ex principijs deducta fuerat in eãdem maiorem authoritatem vltimate reſoluitur.v.g. Petrus Pontificis nuncius mihi pontificijs litteris commendatur,vt illi credam in omnibus,refert mihi ſubinde Pontificem,hoc aut illud mihi imperare, aſſentior continuo; quoniam videlicet maior authoritas,minorem authoritatem,atque adeo fides,quę ex illa maiori generatur, fidem quæ ex minori progignitur,quaſi cauſa effectum compoſitiuo proceſſu in me ipſo producit. Contra reſolutio. Petri maior authoritas,ac proinde fides,quæ ex illa deriuatur in pontificiam illa epiſtolam,ideſt in Pontificiam authoritatem,& fidem quam illi ex ſigillo,&c. adhibui vltimate refertur; ſicut ergo compoſitiuo proceſſu authoritas Pontificis facit vt Petro credam;ita reſolutiuo non aliter Petro credo;niſi quia pontifici credo. Ita per omnem modum,Quemadmodum Eccleſię authoritas, qua in rebus fidei decernẹndis nulla maior, Euangelici Prędicatoris, aut Canonici libri authoritatem facit compoſitiuo proceſſu:ita Euangelico prædicatori, aut Canonico libro non aliter creditur, q̃ propter eamdem Eccleſię authoritatẽ. 4. Concluſio.

Et profecto ſi à quouis catholico quis petat, quam ob cauſam huic articulo. Deus eſt trinus & vnus fidem adhibeat,aut alteri ſimili,ſane reſpondebit: quia ita Deus per Sanctam ſcripturam nos doceat. Quod ſi rurſus interroges. Quare credat id per ſanctam ſcripturam doceri. præſertim cum Arius,Macedonius,Eunomius,Sabellius, & plures alij non ſine ſanctarum ſcripturarum apparenti ſuffragio contrarium docuerunt? reſpondebit tandem, quia credit Deum. ita reuelaſſe, & ſanctam ſcripturam ita docere:quoniam ita docet Eccleſia Catholica; atque adeo vltima fidei reſolutio in Eccleſię authoritatem tandem reducitur. Neque,enim huic articulo adhęres, quia Deus immediate id tibi oſtenderit, aut Spiritus Sanctus tibi immediate ſuggeſſerit,aut demum quia ita fides infuſa, quam prorſus in actum explicitum ex ſe prodire eſt impoſſibile tibi dictet, ſed quod ita ſine ulla variatione

Eccleſiæ

Digitized by Google

Eccleſiæ authoritate, & traditione ſuſceperis.

Præterea omne reuelatum a Deo eſt verum, hic articulus Deus eſt Trinus & vnus eſt à Deo reuelatus, ergo eſt verus; perfectus eſt ſyllogiſmus. In ſyllogiſmo vero perfecto, concluſio ex ipſa ratiocinãdi natura debiliorem partem inſequitur, ſequitur ergo hæc concluſio. Deum eſſe trinũ & vnũ eſt articulus verus, ſubſumptionẽ vero illã. Hic articulus. Deus eſt trinus & vnus eſt reuelatus à Deo (quoniam maior propoſitio, omne reuelatũ à Deo eſt verum, certiſſima eſt, & perſuaſione non indigens) ſed illam minorẽ propoſitionẽ inq̃ Eccleſiaſtica traditione ſuſcepi, credo igitur concluſionem illam, Deum eſſe Trinum, & vnum eſt articulus verus, vltimo tandem virtute Eccleſiaſticæ traditionis: quia in Eccleſiæ authoritatem tandem inquiſitio conquieſcit.

Amplius fides noſtra diſtinguitur à fide Prophetarum & Apoſtolorum, quatenus noſtra ſit media authoritate Eccleſiæ, illa vero proxime & immediate ab authoritate Dei, ergo &c.

Et demum quo pacto quæſo hæretico homini catholicus reſiſtere poterit, qui dicat, aut ita ſe credere, quod hoc pacto, aut illo ſibi interius, fides infuſa, aut Spiritus ſanctus credendum inſinuet? ſi vltima tãdem reſolutio nõ ſit in Eccleſiam? Quid prohibet vt ſuam hæreticam ſententiam Deo interius docenti, Spiritui ſancto, aut fidei infuſæ, quo nunquam poſſit efficaciter reuinci impingat? Nam ſi in quodpiam iſtorum fides quaſi in primam originem vltimate reſoluitur id erit vnica, ac certiſſima regula, cui potius quam illæ Eccleſiaſticæ traditioni in eiuſdẽ fidei iudicio & examine ſtare oportebit; atque adeo nihil aduerſus illum, Eccleſiaſtica traditio aut cenſura proderit, vtpote in quæ vltima tandem, ac certiſſima reſolutio non fiat. Probare autem quod id Deus interius non doceat, aut fides infuſa, difficile erit, imo vero impoſſibile; quare nunquã hæreticus reuinci poterit, aut coargui.

Scotus. Huius Concluſionis ſententiam apertiſſime docet, aut velut certam ſaltem præſupponit Doc. noſter ſub. in hoc. 3. diſtinct. 23. art. 1. Nam quod fide acquiſita ſine infuſa articulis fidei poſſimus credere, hoc ratiocinio ſuadet. Articulis fidei non ob aliud credimus, quam quod ita tradat, & doceat Eccleſia; ſed Eccleſiæ credimus fide acquiſita, ergo & articulis fidei; maiorem ſuadet authoritate Auguſtini dicentis ſe non crediturum Euangelio niſi crederet Eccleſiæ. Minorem probat; quod non minorem fidem mereantur canonici libri, quam prophanorum authores, quibus tamen acquiſita fide credimus, quæ nunquam vidimus, Vnum hic obiter obſerua quod non dicit Scotus nos credere Eccleſiæ fide acquiſita præciſe, nam ei credimus etiam per fidem infuſam, dicimus, enim in Symbolo. Credo Sanctam Eccleſiam catholicam &c. Sed dicit quòd fides infuſa non poteſt exire in actum ſine fide acquiſita, ſed fides acquiſita ſine infuſa poteſt, nihil enim ibi aliud ſuadere intendit, quam quod ex ſimplici credulitate articulorum fidei. vt illis aſſenſũ præſtemus non colligitur fidei infuſæ neceſſitas, quoniã illis ſolã fide acquiſita conſentire poſſumus. Ex qua Scoti ratione patet, ipſum ſententiam huius concluſionis, non quaſi dubiam, ſed quaſi certiſſimam præſupponere; alioqui pro ſua conſuetudine nunquam ſolo Auguſtini dicto in quæſtione grauiſſima ſibi ſatisfeciſſet, ſed quod in rebus leuioribus facere ſolet, aduerſas recitaſſet ſententias rationes, & argumenta cumulaſſet.

Scotus. Sed præſtat, vt res ſit apertior, eius verba proferre, eiuſ loco ſupra citato ſub littera a. §. De primo certum eſt &c. habentur. Certum eſt (inquit) quod in nobis eſt fides reuelatorum credibilium acquiſita, quod patet per Auguſtinum in epiſtola contra fundamentum Manichei, qui dicit quod non crede. et Euangelio niſi crederet Eccleſiæ Catholicæ: patet igitur per eum quod libris canonis ſacri non eſt credendum: niſi quia primo credendum eſt Eccleſiæ approbanti, & authorizanti libros iſtos, & contenta in eis; quam vis aliqui libri authoritatem habeant ex authoribus ſuis, nõ tamen adhereremus eis firmiter: niſi q a creditur Eccleſie approbanti, & teſtificanti veraces eſſe eorum authores. Vnde dicit Auguſtinus ibidem, quòd Euãgelium Nazareorum non admittam, quia non admittitur ab Eccleſia, ſicut igitur ſi nulla fides infuſa eſſet in me crederem firmiter hiſtorijs librorum Canonis propter authoritatem. Eccleſiæ, ſicut fide acquiſita credo alijs hiſtorijs, à quibuſdam famoſis viris ſcriptis & narratis. Credo igitur fide acquiſita Euangelio: quia Eccleſia tenet ſcriptores veraces, quod ego audiens acquiro mihi habitum credendi dictis illorum. Hactenus Scotus. Quibus verbis & ſi ex profeſſo non intendat probare vltimam fidei reſolutionem fieri in Eccleſiam, ſed quod vt articulis reuelatis credamus non opus ſit infuſo habitu fidei, illud tamen non quaſi rem controuerſam, ſed quaſi omnino certiſſimum, & ex Auguſtini aduerſus famoſum hæreticum dicto celeberrimum, ſuæ argumẽtationi velut axioma præſtatuit, & velut certiſſimum præſupponit. Idem etiam tãquam certum ſupponunt Durandus, Gabriel, & Almay, qui in hac parte Scotum ſequuntur; & iuxta hanc ſententiam intelligi etiam poteſt opinio Caietani. Hanc ſententiam velut totius Eccleſiaſticæ armaturę fundamentum, & certiſſimam baſim, ſine qua nihil ſolidum aduerſus hęreticas fraudes poſſet ſterni, omnibus rectę fidei et religionis cultoribus neceſſario confitendam eſſe cenſeo, & his potiſſimum ſæculis, quibus in re omnium maxime ſeria minus quam vnquã ludere liceat; nec prorſus ſcio quomodo contrarium, cum tanta Eccleſiaſticæ authoritatis factura docere permittatur. Nã ſi Chriſti Eccleſiæ in decernendis fidei myſterijs ſacroſancta poteſtas humanum teſtimonium impune vocatur; Cur eidem Eccleſiæ cogimur credere? An caro & ſanguis regnũ Dei poſſidebunt? an captiuandus erit intellectus in obſequium carnis, & ſanguinis? Quid iam quæſo Eccleſiaſticis definitionibus vrgemus Lutherum, Zuinglium, Bucerum, Caluinum, & cæteros Eccleſiæ hoſtes, ſi Eccleſiæ teſtimonium non amplius aliquid quam humanum, quam carnis, & ſanguinis eſt teſtimonium?

Sed ad rem, & producamus in medium argumenta quibus aliqui hanc noſtram concluſionem conuellere conantur, vt ex eorum ſolutione eius certiſſima veritas magis elucеſcat. Chriſtus Dominus Petro dicẽti; Tu es Chriſtus filius Dei viui reſpondit. Beatus es Symon Bariona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus q. in cœlis eſt, vbi carnem, & ſanguinem omne humanum quantumuis graue teſtimonium intelligit; at ſi fides noſtra à teſtimonio pendet Eccleſiæ; fides noſtra erit humana tantum, & hiſtorica, ſicut hanc credo eſſe Titi Liuij hiſtoriam propter teſtimonium totius orbis.

Præterea fides cum ſit res certiſſima, & quæ prorſus omnem ſcrupulum, & dubitationem excludat in aliud q̃ in certiſſimum teſtimonium reſolui non debet; id autẽ ſolum eſt diuinum illud, cui fallere prorſus, aut falli repugnat: nam de vniuerſis mortalibus in exceſſu conſtitutus iam olim Sanctus Propheta generaliter clamat: omnis homo mendax. quaſi nullum quantumuis veracis quantumuis ſancti certum ſit teſtimonium.

Deinde tam ſolida eſt Chriſtianæ fidei, & religionis veritas, quod ſi contrarium eius, quod ſemel Euangelica p̃dicatione ſuſceptũ eſt, aut Apoſtolus, aut Angelus de cœlo Euangelizauerit prorſus futurus ſit anathema, vt docet D. Paulus ad Gal. 1. Sed tanta firmitas in fide ſemel ſuſcepta ab humano teſtimonio deriuari non poteſt, ergo fides noſtra non ab humano ſed à Diuino teſtimonio pendet. Si enim eorum, quæ ſemel ſuſcepimus Euangelicorum dogmatum contraria docerent, ſiue Petrus, ſiue Paulus, aut B. Virgo, nequaquam illis aſſentiremus. Quare? quia noſtra fides non ab humano, ſed prorſus à diuino teſtimonio dependeat. ſubinde. Conſenſus ille qui à nobis diuinum de credendo Præceptum expoſtulat, non diuinus, ſed humanus eſſet, cum a fide humana, ideſt quæ ab humano teſtimonio deriuatur, deſcendat, quod eſt alienum à fide.

Item vna quæque actio in ſuam rationem formalem, vltimate reſoluitur, ſed prima veritas reuelans eſt fidei obiectum formale, ergo in Deum ipſum ſub ratione primæ veritatis ſit vltima fidei reſolutio.

Amplius fides acquiſita in fidem infuſam habet reſolui, eſt namque fides infuſa habitus altioris ordinis, vtpotè qui non humana opera, ſed prorſus diuina animæ contigerit. ergo in eum quaſi in primum principium fidem acquiſitam oportet reſoluere.

Demum vniuerſa noſtra fides in Spiritum ſanctũ habet reſoluendi, ergo non in Eccleſiaſticam authoritatem, ſequela patet, & antecedens probatur: quia Spiritus ſanctus eſt fidei immediatus author, ſicut ſpei, & charitatis ergo &c.

Ad primum fateor, quòd Chriſtus ipſe dixit, non carnem, & ſanguinem, ſed patrem Petro Apoſtolo diuinitatis Chriſti reuelaſſe myſterium. Quid tum poſtea, ergo nos, qui modo viuimus, qui nec Apoſtoli ſumus, ſed Eccleſiaſtico tãtum lacte nutrimur, humano teſtimonio credimus? nego conſequentiam: quoniam Eccleſia in fide docenda, non eſt caro, & ſanguis, neque eius authoritas in hac parte eſt humana ſed prorſus diuina, non modo mediate, & repræſentatiue, vt legiſlatiua illa, ſed immediate & propriiſſime tam proprie enim dico; Deo reuelãte ſcire, filium cum patre eſſe conſubſtantialem, quod in Nicæna Synodo declarauit Eccleſia, imo Spiritus ſanctus per Eccleſiam, quã quod in Trinitate diuina ſit filius, quod Deo ipſo immediate reuelante ſuſcepimus, atque ita de ſingulis, quæ cum ex ſancta ſcriptura plene non apparerent, diuerſis temporibus declarauit Eccleſia.

Per idem ad ſecundum. Concedo fidem reuer eſſe certiſſimam, ac proinde ex natura ſua in aliud, quã in teſtimonium certiſſimum reſolui non poſſit, concedo etiam tale teſtimonium eſſe ſolum diuinum, ſed nego Eccleſiæ teſtimonium in fide decernenda eſſe humanũ, cum Eccleſiaſticum teſtimonium diuinum ſit teſtimonium. Concedo ſecundo. Fidem eſſe certiſſimam, & cum ſubſumitur, ergo tantũ in diuinum teſtimonium refertur, diſtinguo vel in ſe ipſa, ſiue in illis primis fidei præceptoribus, & ſic cõcedo, aut in nobis atque ita nego; nec tamen ſequitur fidem noſtram, non eſſe æqualis firmitatis, & certitudinis cum illa priori: quoniam & ſi concedamus, (quod tamen eſt falſum) poteſtatem in decernenda fide non eſſe diuinã ſed humanam tantum, habet tamen infallibilitatem ex diuina promiſſione, quæ non poteſt fallere.

Ad tertium dico Verum eſſe, quod ad Galatas olim dicebat Apoſtolus, at quod ſubſumitur id fieri non poſſe, ſi fides ab Eccleſiaſtico teſtimonio pẽderet; falſum eſt omnino, nam & Eccleſiæ nõ humanum ſed diuinum eſt teſtimonium, & a diuina prorſus authoritate; Eccleſiæ ex diuina promiſſione in fidei rebus decernendis aſſiſtente, profectum.

Ad quartũ dico, quod licet Deus ſub ratione primæ veritatis ſit obiectum fidei incomplexum, non eſt tamen obiectum complexum in quo fieri reſolutionem oportet fides enim noſtra, quæ reſolui debet non eſt quæcumque cognitio de Deo ſed complexa: de Deo enim hoc, aut illud creditur, quemadmodum de homine hoc aut illud ſcitur. Imo obiectum, quod incomplexum vocamus, nõ proprie obiectum ſed ſubiectum attributionis ab authoribus dicitur. Præterquam quod, fides quæ reſoluitur, non eſt fides in ſe ipſa, ſed fides in nobis, at fidem in nobis eſſe complexam, & habere obiectum complexum docet. S. *D.Thom.* Thom. 2. 2. quæſt. 1. articul. 2. Ergo quemadmodum fides in ſe ipſa in obiectum in ſe ipſum reducitur, ita fides in nobis ideſt complexa, in obiectum in nobis, ideſt complexum reſoluitur. Et demum reſolutionem ad cognitiones *Ariſt.* complexas, non autem incomplexas pertinere libri Ariſt. de priori, & poſteriori reſolutione abunde oſtẽdunt. Nõ ergo in Deum, ſed in aliquod complexum fides noſtra re*Durandus* ſoluitur, hoc autem aliud eſſe non poteſt, quam quod dicebat Durandus credere Sanctam Eccleſiam Spiritu ſancto gubernari, & dirigi, ac à rectà fide deuiare non poſſe.

Ad Quintum dico quod argumentum ſupponit duo, quæ iudicio meo falſa ſunt, primum quod Eccleſiæ tantum fide acquiſita credamus, alterum, quòd idem ſit fidem infusã in credendu firmitatem tribuere, & in illam articulum fidei reſolui, primum eſſe falſum ex eo conuincitur: quoniam falluntur, qui putant efficaciter colligere ita ratiocinando. Fides infuſa habet Deum obiectũ, cum ſit virtus Theologica, ergo illa non inclinat ad credẽdum Eccleſiæ, ſed Deo, falluntur inquam dũ putant credere Eccleſiæ in rebus, quæ ad fidem pertinent eſſe alteri, q̃ Deo credere. Profecto in hac parte credere Eccleſiæ eſt credere Deo, aut Spiritui ſancto ad Eccleſiam loquenti & eidem inſeparabili vinculo aſſiſtenti. ſecundum etiam falſum eſſe ex eo patet, quia fidem reſolui, nõ aliter ſumimus, quam Ariſt. cum de concluſionum in ſuas præmiſſas, & ſyllogiſticas cauſas Analyt. ſic ſcribit. Fidem inquã reſolui eſt eius vltimam rationem quærentibus reddere, quemadmodum concluſionem reſolui, eſt eãdem in ſuas vltimas præmiſſas & poſtrema enunciata reducere, non autem adiuuare potentiam. Fateor ergo fidem infuſam eſſe altioris ordinis, nec tamen abſurdum video fidem infuſam in actionibus eliciendis ab acquiſita pendere, vt maxima cum ratione doctiſſimi Theologi Scotus, & Duran- *Scotus.* dus demonſtrant. Etſi, cum hoc quòd fides infuſa ſit altio- *Durandus* ris ordinis quo ad eſſe naturæ non impedit, quin ab acquiſita fide in agendo dependeat, Cur tantum nefas putatur, ſi totam infuſam, a tota acquiſita, ſicut actionem ab actione dependere dicamus, reſolutio vero nõ eſt habitus, ſed habitus actio; fateor etiam robur credulitatis potiſſimum intẽſionẽ etiam actionis ab habitu fidei infuſo deſcendere, idq; non tantum reſpectu eorum, quibus immediate animus fertur in Deum, ſed etiã reſpectu omniũ, ad quæ fides mediate, vel immediate tradenda nos adigit, non tamen fides noſtra, ideſt noſtræ religionis confeſſio in illam reſoluitur: quia fidei infuſæ præter illud, qui eſt acquiſitæ nullus eſt actus; ac proinde nulla diſtincta certitudo in quam actus acquiſitæ reſoluantur. Reſolutio autem in hac parte non eſt aliud, quàm vnius cognitionis complexæ in aliam cognitionem complexam prioris certitudinis cauſalis, reductio. Reſoluitur ergo vnus, et idem actus ab infuſa fide, & acquiſita productus, non in habitum: quoniam reſolutio non eſt habitus in habitum, nec actus in habitum, ſed actus complexi in cognitionem animæ complexam; quod ſi in actum alterum, fides; ideſt actus fidei reſoluitur, ergo tandem deueniendum eſt ad eam fidei cognitionem complexam, quæ ſit vltima omnium; hic autem actus nullus alius eſſe poteſt, quàm hic, cuius virtute Eccleſiæ docenti aſſenſum preſtamus, ſcilicet Eccleſia in rebus fidei non poteſt errare. Qui, enim Eccleſiam errare non poſſe ſibi iam perſuaſit, credit per inde eidem in omnibus, quæcunque illi credenda præſcribit.

Ad vltimum dico, ſi de nobis qui modo viuimus intelligat fidem noſtram in Spiritum ſanctum immediate reſolui, preter quam quod periculoſam ſententiam profert, & hereticis huius temporis valde familiarem, prorſus eſt ineptiſſima, nam quæ in argumento adducuntur tãtum ſuadẽt fidem in Spiritum ſanctum tamquàm in authorẽ reduci, quod nullus inficiabit. Verum non de hac reſolutione hic loquimur, ſed de ea, quæ cauſalis eſt, non effectiue phyſice, ſed effectiue logice ideſt per rationalem diſcurſum. Cauſatur quidem fides in anima ab Spiritu ſancto quemadmodum, et cetera omnia ſpiritualia charisma ta, efficienter, non quacunque ratione ſed phyſice; ideſt non moraliter. Fidei ergo reſolutio, de qua loquimur, nõ eſt fidei in ſuã cauſam effectiuã phyſicam reductio. Hac enim ratione vniuerſa reducuntur in Deum, & fides, ſpes, & charitas; ſed eſt vnius notitiæ complexæ fidei, in alteram etiam complexam fidei, quaſi in cauſam effectiuam rationalem reductio: Maior, enim & minor præmiſſa ſimul cum intellectu, ſiue in exacto, & ſcientifico, ſiue in fidei diſcurſu concluſionis ſunt cauſa. Neque eſt diſcrimẽ niſi quod in ſcientifico diſcurſu, ex natura rei cõcluſio eſt in præmiſſis: In fidei vero diſcurſu vna authoritas in alia cõtinetur: nam quemadmodum hominem eſſe riſibilem in hoc quod eſt eſſe animal rationale virtute clauditur, ita librorum Canonicorum authoritas apud nos quidem in Eccleſiaſtica authoritate concluditur, ac perinde ſicut eius concluſionis cognitio in præmiſſarum notitiam; quaſi in cauſam effectiuam rationalem vltimate reducitur, ita fides huius articuli, qui a fide Sanctæ ſcripturæ immediate deſcendit, à fide, quam quod errare non poſſit Eccleſiæ authoritati tribuimus, vltimate depẽdet. Loquuntur itaque Apoſtolici loci de reſolutione fidei in Spiritum Sãctum, quaſi in cauſam efficientem phyſicam, non autem rationalem, quæ cognoſcere faciat. Aut ſi de hoc ſecundo genere reſolutionis loquuntur de illis populi Chriſtiani primis Paſtoribus & Magiſtris, quibus immediate per eũdem Spiritum ſanctum fuit noſtrorum myſteriorum cognitio impartita, fuit accipiendi, vt antea dicebamus, illis nunquam non ſolum Spiritus ſanctus cauſa erat in credendo

dando

dendo effectiua phyſica, ſed effectiua rationalis. Faciebat, enim omnes fidei articulos, ſine Eccleſiaſtica authoritate, aut vlla in illam reſolutione cognoſcere. Et ſicut, qui nũc in Eccleſiæ gremio continemur, dicimus hoc, aut illud eſſe verum, quoniam ita doceat Eccleſia, ita illi non minus fidẽter, quàm vere dicebant. Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, Itaque ſicut illorum fides in Spiritum ſanctum, ita noſtra in Eccleſiaſticam authoritatem vltimate reſoluitur. Sed in re apertiſſima fortàn prolixiores, quã oportebat fuimus.

Vltima Concluſio fidei noſtræ reſolutio fit etiam in lumen internum, & in motionem Spiritus ſancti intus in animo noſtro operantis; hæc ẽt concluſio videtur eſſe Scoti præcedenti diſt. in ſecundo modo ponendi fidem infuſam; quæ ita poteſt probari. Fides reſoluẽda eſt in id, q̃d primo, & principaliter efficit aſſenſum fidei; id autem eſt interius lumen, ergo ad illud reſoluenda eſt fides noſtra; Cõfirmatur Exodi 14. vbi dicitur, quòd credidit populus Domino, & Moyſi ſeruo eius, vbi adnotauerunt ſancti, quod non dicit credidit populus Moyſi, ſed credidit Deo & eam ob cauſam Moyſi. Item Ioan. 12. Qui credit in me credit in eum, qui miſit me, ergo Deus interius mouens, eſt prima cauſa noſtræ fidei, & ex conſequenti in illum reſoluenda eſt; & Ioan. 4. ſi teſtimonium hominum accipitis, teſtimonium Dei maius eſt: q. d. ſi fidem ad fidem adhibetis hominibus, adhibere potius Deo reuelanti res fidei. Quod ſi quis interroget Ioannem vnde ſit hoc diuinũ teſtimonium, cui à nobis eſt fides adhibenda. Reſpondit, qui credit in filium Dei habet teſtimonium Dei in ſe, hoc ergo teſtimonium, & hæc illuminatio interior, eſt ad quã fides reſoluenda eſt.

Hæc concluſio non eſt contra præcedentem ſi bene intelligatur: nam Eccleſiam eſſe regulam infallibilẽ proponendi & explicandi veritatem fidei, non poteſt reduci ad authoritatẽ ipſius Eccleſię. Hoc enim eſſet idem per idẽ confirmare, ſed neceſſe eſt reducere hunc aſſenſum ad teſtimonium Spiritus ſancti inclinantis per lumen fidei ad hoc credibile, Eccleſia non poteſt errare, ita enim legitur Actorũ. 16. de Lydia purpuraria, cuius Deus mouit cor, vt attenderet ijs quæ à Paulo dicebantur. & 1. Ioan. 4. legitur. Qui nouit Deum audit nos, qui non eſt ex Deo nõ audit nos, in hoc cognoſcimus Spiritum veritatis, & ſpiritum erroris. Vbi D. Ioannes quaſi à poſteriori, ſed neceſſario colligit, habere fidem a Deo infuſam, qui Eccleſiæ doctrinam recipit, ſed prius eſt ſimpliciter habere fidem a Deo infuſam, quam credere Eccleſiam eſſe infallibilem regulam. Idem quaſi à priori patet Ezechielis. 3. vbi dicit Dominus ad Prophetam. Domus Iſrael nolunt audire te; quia nolunt audire me. Item. 2. Corint. quarto. Quod ſi opertum eſt Euangelium in ijs, qui pereunt, opertum eſt in quibus Deus huius ſeculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio gloriæ Chriſti Vbi ab Apoſtolo deſignatur, vt ratio non credendi Euangelio carentia illuminationis, ergo ratio credendi eſt illuminatio Spiritus ſancti; hæc tamẽ reſolutio non eſt rationalis, ſed phyſica vt explicatum eſt ſupra. Eſt ergo fides reſoluenda in rationem formalem obiecti, atque ita reſoluitur in primam veritatem; & in Eccleſiam, vt in proponentem nobis res fidei inquantum habet authoritatem Dei, & regitur à Spiritu ſancto; Et in lumen interius, tamquã in proximam cauſam phyſicam aſſenſus. Ita quod credo Deum eſſe Trinũ & Vnum, quia Eccleſia, quæ regitur à Spiritu ſancto ita prædicat, atque ita immediate reſoluitur hęc fides mea in Eccleſiam, & ſimul in aſſiſtentiam Spiritus ſancti, qui actualiter, & indiſſolubili vinculo; Eccleſiæ aſſiſtit, et ita reſoluitur, in diuinam veritatem, tamquã in principium mediatum, vltimum, ac principale; & quia per fidem internam ſum Eccleſiæ membrum incorporatum, ideo illud lumen interius me mouens ad credẽdum res fidei, me mouet virtute Spiritus ſãcti, cuius eſt lumẽ; Vnde neque poſſum certiſſime, infallibiliterque credere, & vt oportet ſine tali lumine; & credendo ex huius luminis motione non poſſum non credere Eccleſiæ, quæ etiã illuminatur eodem lumine. Quemadmodum enim certitudo fidei eſt à Deo reuelante, qui eſt veritas prima, ita omnes aliæ cauſæ credendi habent certitudinem in quãtum ſunt illuſtratæ ſuperno lumine, Eccleſia autem recipit hoc diuinum lumen, vt proponat myſteria fidei, & doceat filios ſuos. Filijs autem Eccleſiæ dat Spiritus ſanctus lumen ſufficiens, vt credant rebus propoſitis ab Eccleſia edocta ab Spiritu ſancto.

Ex his ſequitur primo, quod actus, quo aliquis fidelis credit, reſolutione Logica reſoluitur in Eccleſiæ authoritatem tamquam in principium immediatum; & reſolutione Phyſica in diuinam reuelationem, quæ conſiſtit in actuali aſſiſtentia Spiritus ſancti, tamquam in principiũ mediatum vltimum atque principale; ſecundo ſequitur diuinam reuelationem bifariam intellectui noſtro applicari, vt credamus, actualiter, & virtualiter; applicatur actualiter diuina reuelatio cuilibet fideli, quamdiu credit, ſicut cauſa actualiter influens & dirigens dicitur eſſe in illo, cui imprimit ſuum effectum actualiter; ita Spiritus ſanctus aſſiſtens Eccleſię indefectibiliter; aſſiſtit etiã cuilibet membro incorporato Eccleſiæ quamdiu tale membrum non ſe ſubtrahit per deprauatam volũtatem ab hac incorporatione. Applicatur virtualiter ſi conſideretur actus noſter credendi, ſecundum viam generationis: hoc enim modo ſcientia diuina, & teſtimonium diuinum, & res ipſæ, quas Deus ſcit virtualiter ſunt in reuelatione Prophetica, & reuelatio Prophetica tradita à Deo eſt in Eccleſia, vſque ad finem mundi; & traditio facta Eccleſiæ virtualiter eſt in nobis atque ipſa diuina reuelatio ex hac parte virtualiter eſt in nobis, atque ita D. Paulos. 1. Corint. 13. Chriſtus in vobis eſt, niſi forte reprobi ſitis.

Tertio ſequitur quòd authoritas qua Eccleſia proponit nobis ſupernaturalia: quamuis ſubiectiuè ſit authoritas humana: tamen in ſe ipſa formaliter, & intrinſece eſt diuina per participationem, ita quòd inquantum decernit, & proponit res fidei, vtitur authoritate diuina. ita. D. Paulus. 1. Theſal. 2. ait: Accepiſtis verbum auditus fidei à nobis non vt verbum hominũ, ſed vt eſt verè verbũ Dei.

Quarto ſequitur; quod etiam fides reſoluitur in lumẽ internum, tamquam in cauſam proximam efficientem aſſenſum fidei, quia tale lumen inclinat ad credendum articulis ab Eccleſia propoſitis, & ſibi a Deo reuelatis; & ſicut Eccleſia per aſſiſtentiam Spiritus ſancti, credit articulis à Deo reuelatis, & illos ſuis fidelibus proponit: ita quiſque fidelis habens tale lumen, incorporatur Eccleſiæ, & ejus membrum efficitur, atque ita credit Eccleſiæ illuſtratæ à Spiritu ſancto. Non ergo dicimus id, quod Lutherani, nempe quod non ſit credendum Eccleſiæ, ſed tantum lumini interno, ſed dicimus, quod ipſum lumen internum inclinat ad credendum Eccleſiæ, cui primo reſpectu noſtri Deus ſupernaturalia reuelauit, & ſic tali lumine illuſtrati inclinamur ad aſſentiendum Eccleſiæ in omnibus, quæ nobis proponit tamquam reuelatis à Deo; ita quod ſicut lumen intellectus proprio lumine ſine alio medio aſſentit principijs, ſic etiam habens fidem, per ipſam aſſentitur omnibus credibilibus; & ſicut petẽti à me quare credis primo principio, dico quod habeo interius lumen intellectus me docens; ita ſi petis. Cur credã iſti, vel illi articulo, reſpondebo: quia habeo interius lumen, & teſtimonium in me, hoc eſt, habeo Deum per illam attractionem intus me trahentem, de qua Ioan. 6. Nemo poteſt venire ad me niſi pater meus traxerit eum; quæ attractio eſt illuminatio, & auxilium Dei ſpeciale, quo concurrente intellectus cum habitu fidei, videt credendos eſſe articulos ſibi propoſitos, poſt quos ſemel creditos etiam ſi ille met, q. nobis Euangelizauit contrarium prædicet, quamuis ſit Angelus de cœlo non ei credemus, vt ait D. Paulus ad Galatas 1. Fides enim infuſam in falſum inclinare neq; quia inclinat virtute luminis diuini cuius eſt participatio vt docet Scotus in quol. q. 14. art. 1. atque ita non inclinat niſi in illud, quod eſt conforme tali diuino lumini, hoc ipſum videtur docere S. Thomas. 2. 2. quæſt. 2. art. 9. ad tertium dicens. Qui credit habet ſufficiens inductiuũ ad credendum, inducitur enim authoritate diuinę doctrinæ miraculis confirmatæ, & quod plus eſt inſtinctu Dei inuitãtis ad credendum. Ex quibus. D. Thomæ verbis colligit Caietanus tria eſſe Chriſtianæ fidei teſtimonia. Primũ diuina doctrina reuelata. Secũdum miracula, quibus diuina doctrina reuelata confirmata eſt. Tertium inſtinctus Spiritus ſancti interius mouentis ad credendum; & hoc tertium principalius dicit eſſe S. Thomas: quia ſolus Dei

eſt cor

Scotus. D. Thom. Caietanus

Scotus.

eſt cor hominis mouere. Reſolutorie ergo dico, quòd aſſenſus fidei pendet à tribus cauſis, ſcilicet à prima veritate ab Eccleſię authoritate, & ab intellectu credentis illuſtrato lumine fidei, & vt ſic ad credendum inclinato, & ad hoc moto à voluntate pie affecta; v.g. à prima veritate vt à reuelante & à prima ratione formali credendi, ab Eccleſia, vt à proponente, & docente ea que ſunt credenda; ab intellectu affecto lumine fidei & à voluntate: quia credere eſt actus intellectus illuſtrati lumine fidei, et moti à voluntate; atque ita pendet fides à Deo interius mouente, vt à cauſa efficiente.

DISTINCTIO XXV.

PRAEDICTIS adiiciendum eſt de ſufficientia fidei ad ſalutem &c. *In hac diſt. agit Magiſter de neceſſitate, & ſufficientia fidei primo omni ætate ea autem quæ de hac materia docet ſequentibus concluſionibus explicantur.*

1. Concluſio. *Prima Concluſio Magiſtri Primo omni tempore, & ſtatu neceſſaria fuit fides ſupernaturalis. probatur ex illo ad Hebr. 11. Accedentem ad Deum oportet credere: quia eſt, & quod remunerator eſt ſperantium in ſe. Item ibidem ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.*

2. Concluſio. *Secunda Concluſio. Sine fide Mediatoris nulli vnquã hominum poſt lapſum, ſiue ante, ſiue poſt legem patuit aditus ad ſalutem. probatur Actorum 4. Non eſt aliud nomen ſub cælo datum: in quo nos oporteat ſaluos fieri. probatur etiam teſtimonijs Sanctorum & primo ex D. Auguſt. Epiſt.* D. Aug. *157 ad Optatum. Illa fides ſana eſt, qua credimus nullum hominem ſiue maioris, ſiue minoris ætatis liberari à contagione mortis & obligatione peccati quod prima natiuitate contraxit, niſi per vnum mediatorem Dei, & hominum Ieſum Chriſtum &c. & lib. de Corr. & Gratia c. 7. Nemo liberatur à damnatione, quæ per Adam facta eſt niſi per fidem Ieſu Chriſti & lib. 2. de Nuptijs & Concupis. cap. 12. Eadem fides Mediatoris, quæ nos ſaluat, ſaluos iuſtos faciebat antiquos pu*- D. Gregor. *ſillos cũ magnis &c. Secundo authoritate D. Gregor. hom. 17 ſuper Ezech. paulo poſt principium. Et qui præibant, & qui ſequebantur clamabant dicentes Oſanna Fili Dauid: quia omnes electi, qui in Iuda eſſe potuerunt, ſiue qui nunc in Eccleſia ſunt in Mediatorem Dei, & hominum crediderunt, & credunt.*

3. Concluſio. *Tertia Concluſio. Fides Mediatoris nõ omnibus ſub eodem gradu cognitionis neceſſaria fuit ad ſalutem Nam maioribus fuit explicita, & diſtincta. Sicut Abrahe, Moyſi, Dauidi, & alijs maioribus, quibus diſtincta reuelatio incarnationis filij Dei facta eſt; minoribus vero, & ſimplicibus hæc eadem fides fuit implicita, & indiſtincta: quia eis ſufficiebat credere ea quæ maiores docebant, & hoc patet ex illo Iob. 1. Boues arabant, & Aſinæ paſcebantur iuxta eos: vbi ſimplices & minores dicuntur Aſinæ, quæ paſcuntur iuxta Boues qui ſunt maiores: eo quòd in humilitate maioribus adhærendo credebant quæ maiores docebant.*

4. Concluſio. *Quarta Concluſio. Antiquis & his qui aduentum Chriſti præceſſerunt ſufficiens fuit credere, de Mediatore quod eſſet naſciturus, moriturus, reſurrecturus, atque ad iudicandum venturus. et hoc ſecundum aliquorum ſententiam fundatam in authoritate D. Auguſtini in Epiſtola ſupra citata ad Optatum. dicentis eadem fides Mediatoris, quæ nos ſaluat ſaluos iuſtos faciebat antiquos puſillos cum magnis, quia ſicut credimus Chriſtũ in carne veniſſe ita illi venturũ & ſicut nos mortuum, ita illi moriturum, & ſicut nos reſurrexiſſe ita illi reſurrecturum, & nos & illos ad iudiciũ viuorum & mortuorum venturum. Alij tamen dicunt; quòd cum fide Trinitatis duo tantum credere eis ſuffeciſſet nempe quòd Chriſtus eſſet naſciturus, & iudicaturus homines, ſumentes ſuæ opinionis originem, quòd Ioan. Baptiſta de Chriſti morte & eius ab inferis deſcenſu dubitaſſe videtur iuxta D. Greg. exponentem illud. Matth. 11.* D. Greg. *Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Quamuis alij dicant illam quæſtionem Ioan. minime ex ignorantia Ioannis dubitatione proceſſiſſe. ſed ſolum ex pietatis affectu, ac ſi obſcurum diſcipulorum vtilitatem ad modum dubitantis ſe haberet.*

5. Concluſio. *Quinta Concluſio. Poſt aduentum Chriſti neceſſe eſt credere vniuerſa quæ cõtinentur in ſymbolis, ita ſcilicet quod ſimplices, & minus capaces qui modo ſunt in Eccleſia, non valẽtes, diſtinguere, & aſſignare articulos, ſatis eſt credere omnia quæ in articulis continentur fidem ſuam maioribus quaſi committentes.*

6. Concluſio. *Sexta Concluſio. Sicut fidem vnitatis in Trinitate, & Trinitatis in vnitate ſic & incarnationis diuina reuelatione Cornelius Centurio habuit, ſed iam eſſe incarnatum Dei filium ignorauit, & ideo miſſus eſt ad eum Petrus, vt illi annunciaret iam natum Filium Dei, & Baptiſmi Sacramentum conferret, & ita credens implicite Chriſtum Iuſtificatus eſt.*

7. Concluſio. *Septima Concluſio. Fides, ſpes, & charitas ſibi mutuo correſpondent. ſuntque æquales in hac vita; ſimiliter & opus earum, vt ſcilicet quantum quiſque credit, tantum ſperet, & amet, & quantũ credit, amat, & ſperat tantum operetur, & è contra Hac concluſio quæ habet fundamẽtum in dictis D. Greg. ſuper Ezechielem. hom. vltima dicen*- D. Greg. *tis quantum credis, tantum ſperas, & quantum ſperas tantum amas, & quantum amas tantum operaris debet ſane intelligi: quia exiſtens in peccato, non amat quantum credit, atque ita S. Bonauen-*

naucn-

uent. dicit debere intelligi de fide formata, ita quòd in eodem homine actus fides ſpei, & charitatis ſunt eiuſdem meriti. Circa hanc diſt. mouet Scotus tres quæſtiones.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum ante Chriſti aduentum fuerit fides neceſſaria de his, quæ modo credimus.

Neceſſaria ad ſalutē ſunt in duplici differentia.

CIrca titulum huius quæſtionis obſeruandū eſt diſputationem eſſe de neceſſitate fidei in ordine ad finem nempe ad ſalutem, ea autem quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem ſunt in triplici differentia: quædam enim ſunt neceſſaria tantum vt media, ſine quibus homo non poteſt conſequi ſalutem, non tamen eſt preceptum de illis, vt habitus virtutum, & gratiæ, & auxilium Dei actuale, quo nos mouet ad ſalutem, de quibus non eſt præceptum, quamuis ſint media neceſſaria ad ſalutem. Quædam vero ſunt neceſſaria ad ſalutem, quia præcepta ſunt, ſiue naturalia, ſiue poſitiua, vt dixit Dominus Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata; Alia vero ſunt neceſſaria ad ſalutem, vt media, & vt præcepta, ſicut eſt actus charitatis, ſine quo nemo poteſt conſequi ſalutem.

Diſcrimē inter ea q̄ ſunt neceſſaria neceſſitate medij & neceſſitate præcepti.

Secundo obſer. eſt, differentiam eſſe inter ea, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij, & ea, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate precepti tantum, quod illa quę ſunt neceſſaria tātum neceſſitate pręcepti, ſufficit vt homo in preparatione animi, & in vniuerſali ſit paratus adimplere, quando fuerit opus, vt dare eleemoſinam, ieiunare &c. Illa vero quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem neceſſitate medij, & ſimul neceſſitate pręcepti neceſſe eſt vt homo explicite velit illa, vt ſalutem conſequatur; ſicut baptizari eſt medium neceſſarium, & præceptum etiam eſt, vnde nemo poterit ſalutem conſequi, niſi ſaltem fuerit in voto baptizatus, ſcilicet explicato, quod quidem intelligimus de homine cui Euangelium pręedicatum eſt: Nam verſatur in opinione Theologorum, an aliquis qui non habet notitiam Euangelij poſſit ſalutem æternam conſequi. Dubitatio eſt ergo an ſit de neceſſitate pręcepti, & medij neceſſarius actus fidei explicitus ante Chriſti aduentum de his, quę modo credimus. Et quantum ad propoſitam quæſtionem ſpectat ſenſus tituli eſt. An patres qui fuerūt ante Chriſti aduentum, ſcilicet Abraham Moſes, Dauid &c. neceſſe fuerit neceſſitate ſuppoſitionis, vt ſalutem, ſcilicet conſequerentur, credere omnia quæ nos modo credimus. De hac re agunt Doctores Scholaſtici hac diſt. D. Bonauent. art. 1. q. 2. & 3. Ricar. artic. 3. q. 1. & 2. & artic. 4. per totum. Et Alex. de Ales 3. par. q. 69. m. 3. & 4. per totum, & S. Tho. 2. 2. q. 2. art. 7. & deinceps. Diuidit Scotus ſuam quæſt. in tres articulos. Nos autem more ſolito ipſos Scoti articulos in vndecim alios articulos reſoluemus.

Bonauent.
Ricardus.
Alex. de Ales.
D. Thom.

Art. 1. Vtrum fides fuerit neceſſaria viatori pro omni ſtatu.
Art. 2. Vtrum Articuli fidei ſint duodicim.
Art. 3. Vtrum in ſymbolo Apoſtolorum contineantur ſufficienter omnia, quæ credere neceſſarium eſt ad ſalutem.
Art. 4. Vtrum ſit neceſſarium habere actum fidei circa omnia quæ continentur in ſymbolo.
Art. 5. Vtrum pro omni ſtatu fuerit neceſſarius homini viatori, ad conſecutionis iuſtificationis, & gloriæ actus fidei ſupernaturalis.
Art. 6. Vtrum ſit neceſſarium ad ſalutem explicite credere myſterium Trinitatis.
Art. 7. Vtrum ſit neceſſarium ad ſalutem credere myſterium incarnationis.
Art. 8. Vtrum poſt Chriſti aduentum fuerit neceſſaria explicita fides Domini noſtri Ieſu Chriſti ad ſalutē.
Art. 9. Vtrum omnes explicite, & æqualiter credere teneantur.
Art. 10. Vtrum fides antiquorum & noſtra ſint de eodem credibili.
Art. 11. Vtrum Patribus antiquis ante Chriſti aduentum neceſſarium fuit credere, quæ nos modo credimus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum fides fuerit neceſſaria viatori pro omni ſtatu.

TItulus huius quęſtionis poteſt intelligi vel de fide habituali, vel de fide actuali, atque etiam de infuſa, vel acquiſita. Pro cuius explicatione obſer. eſt vt ſupra annotauimus dupliciter aliquid dici neceſſariū, nimirum neceſſitate medij, & neceſſitate præcepti; Neceſſarium neceſſitate medij appellant Theologi, quod ex lege ordinaria Dei; ſic ad ſalutem neceſſariū eſt, vt quicumque etiam ob ignorantiam inuincibilem, vel quacūque alia de cauſa id non fuerit aſſecutus; is nequeat etiā conſequi ſalutem. Neceſſarium vero neceſſitate præcepti tantum, vocant illud, quod quidem neceſſario exequendum eſt, vbi facultas ſuppetit, & occaſio, non tamē ita, vt ob ignorantiæ, vel ob defectum occaſionis prætermiſſum impediat ſalutis conſecutionem; Et ſunt quędam vtroque modo neceſſaria, vt penitentia poſt peccatum, & votum baptiſmi, alia alterutro modo tantum, vt prædeſtinatio, & auxiliū Dei, quæ ſunt neceſſaria dumtaxat neceſſitate medij.

Aliquid dicitur neceſſarium dupliciter

Secundo obſeruandum eſt, quòd præcepta dantur nō de habitibus, ſed de actibus virtutum tam moraliū, quā theologicarum, dantur enim præcepta de actibus laudabilibus, & cōſonis rectę rationi, quales ſolum ſunt actus virtutum. In obiecto autem materiali cuiuſuis virtutis duo conſiderari poſſunt .ſ. aliquid per ſe, & aliquid per accidens, vt in tēperantia cibus nō prohibitus, eſt materia per ſe, ꝙ autē iſte cibus ſint carnes, vel piſces per accidens eſt. Similiter ſubire mortem pro honeſta cauſa eſt materia per ſe fortitudinis, quod autem hæc mors ſit per ignem, vel per aquam, vel per enſem per accidens eſt, primum in omni actu virtutis reperitur, & eſt de eius quidditate; quāuis enim quis parce comedat carnes in die vetito non eſt actus temperantiæ; & ſubire mortē pro Cōcubina non eſt actus fortitudinis: quia deficit materia neceſſaria virtutis. Secundum autem non eſt de ratione virtutis.

Præcepta dantur de actibus virtutum nō de habitibus.

Tertio obſeruandum eſt, quòd quando dixi præcepta dari de actibus virtutum intelligo de materia per ſe virtutum, & non de materia per accidens v.g. eſt præceptū per ſe fortitudinis de ſubeunda morte pro honeſta cauſa, non vero de ſubeunda morte per ignem, vel aquam, vel enſem: hæc enim accidentalia non cadunt ſub præcepto niſi pro loco, & tempore, quando videlicet talis modus moriendi offertur.

Quarto obſeruandum eſt, quod materia per ſe virtutis fidei, ſunt tantum illi articuli, quorum viſione in patria perfruendum eſt, quales ſunt ſeptem expectantes ad diuinitatem, & ſeptem ad humanitatem Chriſti. In quo ſolo conſiſtit beatitudo iuxta illud Ioan. 17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Materia autem per accidens fidei ſunt cetera omnia: quæ in ſcriptura continentur: quæ in patria non erunt obiectum beatitudinis, vt quod Abraham habuit duos filios &c.

Quid ſit materia per ſe virtutis fidei.

Quinto obſeruandum eſt, quod ad cognoſcendū quis actus ſit in præcepto optima regula eſt, quādo talis actus eſt via ad ſalutem: quia actus neceſſarius ad ſummū bonum naturale, eſt in præcepto iuris naturalis, ergo actus neceſſarius ad ſummum bonum ſupernaturale erit etiā in præcepto diuino: quia ratio naturalis dictat, vt media neceſſaria ad finem præcipiantur; peſſima enim eſſet prouidentia legiſlatoris neglectis neceſſarijs præcipere non neceſſaria. Ex quo ſequitur quòd obiectum materiale fidei in via non eſt ſolus Deus videndus in patria, ſed etiā omnia illa, quæ ſunt via, cauſa, & medium neceſſarium

Quō cognoſcitur qđ actus cadat ſub pręcepto.

ad

ad beatitudinem, qualia ſunt omnia myſteria Chriſti explicite credenda, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 1. art. 6. & q. 2. art. 7. vbi inquit quòd ad fidem per ſe pertinent illa, quæ directè nos ordinant ad beatitudinē, cuiuſmodi ſunt incarnatio Chriſti & alia eius myſteria, atque adeo dixit Chriſtus. Ego ſum via, veritas, & vita. Via ad beatitudinem inquantum homo, quia nemo venit ad Patrem, niſi per me; Veritas inquantum Deus, & Vita, quia ſum prꝙmium. Cętera quæ credimus, quæ nec beatificant, nec ſunt via, cauſa, & medium ad beatitudinem per accidens ſe habent ad fidem.

D. Thom.

Credere poteſt qs tribus modis.

D. Aug.

Magiſter ſentent.

Sexto obſeruandum eſt, ꝙ tribus modis credere contingit, poteſt enim quis credere Deo, credere Deum, & credere in Deum, vt docet D. Auguſtinus ſer. 181. de tēpore, & 61. de verbis Domini; & tract. 29. in Ioan. & etiam Magiſter Sent. in hoc 3. diſt. 23. actus enim cuiuſcumque potentiæ, vel habitus diſtinguuntur per diſtinctionem obiecti eiuſdē habitus, vel potentiæ, ideſt actus conſiderantur multipliciter, per multiplicem conſiderationem obiecti, fidei autem obiectum tripliciter conſiderari poteſt, primo, & ſecundo modo prout mouet intellectum, ſcilicet prout eſt formale, vel materiale obiectum fidei; tertio ex parte voluntatis mouentis intellectum ad credendum; ad actum enim fidei ſemper requiritur imperium voluntatis. Actus autem fidei reſpicit ſuum obiectum ſecundum hanc triplicem habitudinem. Nam credere Deo reſpicit obiectum formale, ideſt diuinā veritatem reuelantem, eſt enim credere Deo, tāquam veritati infallibili, quæ mentiri nequit, & vt dicit D. Auguſt. Credere Deo, & credere vera eſſe, quæ loquitur. Credere Deum reſpicit obiectum materiale; eſt enim credere omnia credibilia propoſita de Deo. Nam cum dicimus credere Deum, ſignificamus habitudinē actus fidei ad materiale obiectum ſuum præcipuum, quod eſt Deus, & illa, quæ habent ordinem ad Deum, vel vt dicit D. Auguſt. Credere Deum eſt credere, quia ipſe eſt Deus. Credere autem in Deum eſt per fidem, & dilectionē tendere in ipſum tamquam in finem vltimum.

1. Concluſio.

His explicatis ſit prima Concluſio. Fides infuſa fuit pro omni ſtatu neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem probatur, in nullo ſtatu fuit anima Deo accepta niſi fuiſſet ornata, & perfecta per charitatē, quo ad voluntatem; ergo neque etiam fuit accepta, niſi proficeretur, quoad intellectum per habitū fidei, probatur ſequela, charitas ponitur in voluntate vt voluntas poſſit amare Deum ſupernaturaliter, ſed voluntas ita ſe habet cum intellectu, quod intelligere pręcedit velle, ergo ſicut ad velle naturale præcedit intelligere naturale, ita ad amare ſupernaturale præcedit intelligere ſupernaturale; ergo intellectus debebat præhabere cognitionem Dei ſupernaturalē adhoc, quod voluntas illum amaret ſupernaturaliter, ſed non poſſet intellectus habere talem cognitionem ſine habitu ſupernaturali, ergo neceſſarium fuit, quod haberet tale habitum ſupernaturalem, & cum non habeatur in hac vita cognitio clara de ſupernaturalibus, erit obſcura, atque ita fides, & ſic patet quomodo ſemper fuit neceſſaria fides qua aſſentirent homines vero ſupernaturali. Aduertit tamē Scot. quòd hæc perfectio ſupernaturalis, qua intellectus perficitur non pręcedit tempore perfectionē voluntatis, ideſt fides non prius tempore infunditur quā charitas, ſed ſimul vel prius natura. Et confirmatur concluſio, quia licet non ſit contradictio quod charitas ſit ſine fide, & fides ſine charitate: nam in ſtatu vię peccatores catholici habent fidem ſine charitate, & Beati in patria habent charitatem ſine fide, tamen iuxta legem ordinariam, quando Deus perficit animam, nunquam charitate perficit voluntatem, niſi fide perficiat intellectum, ex vno igitur credito: quia ſcilicet credimus fidem infuſam eſſe in nobis, qua aſſentimur ſimpliciter vero ſupernaturali concludimus fidem fuiſſe in patribus ante Chriſti aduentum.

2. Concluſio.

Secunda Concluſio. In omni ſtatu & lege tā ante peccatum, quam poſt fuit omnibus adultis neceſſarium, neceſſitate medij, & pręcepti ad ſalutem explicite credere aliquid ſupernaturale, hęc concluſio, ſic pręcedens eſt Scoti in hac quæſt. ſub litt. a. & b. & eſt communis omnium ſcholaſticorum. Dixi in adultis: quia duobus modis poteſt quis ad ſalutem peruenire, vel alieno merito, ſicut pueri, & ſtulti baptizati, quibus ſuffragatur Chriſti meritum, cuius facti ſunt participes in ſuſceptione Sacramenti: nam proprium meritum habere non poſſunt, cum careant vſu liberi arbitrij, qui ad meritum exigitur, vel proprio adiuncto meritis Chriſti, vt qui ſunt adulti, & ſanę mentis; at meritum conſiſtit in actu virtutis, ergo ad ſalutem adultorum, qui proprium meritum addere tenentur Chriſti merito, requiruntur actus & habitus virtutum; at actus virtutum depēdet ab actu fidei, quę intentionem dirigit, ergo in homine habente arbitrium, exigitur ad ſalutem actus fidei, at hic non poteſt eſſe niſi aliquid explicitè & determinate cognoſcatur, quod ad fidem pertineat, quod non poteſt eſſe tantum naturale, ſed neceſſario debet eſſe ſupernaturale, ergo &c.

Et confirmatur. Actus virtutum moralium, vt Iuſtitiæ, Tēperantiæ, Prudentiæ, & Fortitudinis, fuit in quouis ſtatu neceſſarius ad ſalutem, ergo & actus fidei. Probatur conſequentia: quia actus virtutum moralium ordinantur in debitum finē per virtutes Theologicas; nēpe per fidem & charitatem; antecedens probatur: quia pręcepta affirmatiua obligant ſemper, licet non pro ſemper, ſed pro aliquando: quando ſcilicet concurrunt debitæ circumſtantiæ nempe, quando, propter quid, ſicut oportet, quomodo, &c. atque adeo ſicut quilibet tenetur diligere Deum pro omni ſtatu, ſi habuerit vſum rationis, & hoc pro aliquando, quando ſcilicet circumſtantiæ debitæ diligendi Deum concurrunt ita eodem modo dicendū eſt de actu fidei, quod habens vſum rationis credere tenetur pro omni ſtatu in vnum Deum factorem cœli, & terræ, & hoc pro aliquando.

3. Concluſio.

Tertia Concluſio. Quilibet adultus pro quocumque ſtatu tenetur explicitè credere illa, vel ſaltem aliqua, quę per ſe ad fidem pertinent, probatur, habemus præceptū de actu fidei, vt patet ex D. Paulo ad Hebræos 11. vbi fidei neceſſitatem oſtendit commemorandis ijs per ordinem, qui olim iuſti fuerunt ex fide. Quo loco illud maxime aduertendum eſt, quòd etſi ſcriptura nuſquam expreſsè Enoch à fide commendet, tamen illa præditū fuiſſe Apoſtolus certiſſimè concludit ex eo, quod ſcriptura teſtatur Enoch placuiſſe Deo. Nam (inquit) impoſſibile eſt ſine fide placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, &c. Quæ ſanè Apoſtoli argumentatio infirma eſſet niſi eſſet à Deo lata communis lex, vt nemo niſi per fidem conſequi poſſet ſalutem, etenim ſi eiuſmodi lex non exiſtat, facile Apoſtolo reſponderi poſſet. Enoch fuiſſe vnum ex illis, qui abſque fide potuerunt placere Deo. Huc etiam illud pertinet Sapient. 9. Per ſapientiam placuerunt tibi Domine omnes, quicumque ab initio placuerunt. Intelligitur enim apud Salomonem ſapientia interdum etiam eſſe fides, vnde & Ambroſius in illud. 1. Thim. 3. Qui vult omnes homines ſaluos fieri; non nulla teſtimonia de ſapientia ad fidem refert, denique manifeſtè probatur aſſumptum teſtimonio ipſius Chriſti Domini Ioan. 3. Qui non credit iam iudicatus eſt; & Marci vltimo. Qui non crediderit condemnabitur; præcepta autem dantur de actibus virtutū circa materiam per ſe ex primo, & tertio notabili, ergo &c. Confirmatur cōſequentia: quia actus ſunt de rebus particularibus.

D. Ambr.

4. Concluſio.

Quarta Concluſio. Quę per accidens pertinent ad obiectum fidei, nullus tenetur explicitè credere: niſi cū conſtiterit illud contineri in doctrina fidei: probatur: quia pręcepta de actibus virtutum, nō dantur circa materiam per accidens virtutum.

Dubium.

Sed hic eſt dubium. Vtrum ad hoc, quod aliquis verè credat in Deum neceſſario debeat per charitatem referre fidei actum in Deum, an vero ſatis ſit referre per motū alium imperfectum voluntatis, hoc eſt dicere, an credere in Deum ſit actus ab habitu charitatis ſemper procedēs. Pars affirmatiua videtur eſſe D. Auguſt. de Verbis Domini ſer. 62. & ſer. 181. de tēpore, & tract. 29. ſuper Ioan. ſuper illa verba Ioan. 6. Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem miſit ille, vbi dicit. Credimus Petro, & Paulo, verum in Petrum, & Paulum non credimus. Quid ergo eſt credere in eum? credendo amare, credendo diligere, & credendo in eum ite. & in Pſal. 77. In illis verbis,

D. Aug.

bis,

bis, generatio quæ non direxit cor ſuum, & non eſt creditus cum eo ſpiritus eius, dicit, plus eſt credere in Deũ, quam Deo; nam homini credimus, non tamen in hominem, credere in Deum eſt adhærere credendo. Et D. Cyprianus in expoſitione Symboli, ob id nõ admittit, vt credamus in ſanctam Eccleſiam, quia Eccleſia non eſt finis fidei noſtræ. Idem videtur ſentire, Alex. de Ales. p.3.q. 69.m.5.art.1 & D. Thom. 2.2.q.1.art.9.ad tertium, vbi dicit quod confeſſio fidei in Symbolo traditur, ſecundum quod conuenit fidei formatæ; ſecundum quam ſententiã ſequitur Chriſtianum peccatorem non credere in Deũ, (quamuis habeat veram fidem,) quia caret charitate.

D. Cypr.

Alex. de Ales.

D. Thom.

Oppoſita ſententia eſt Laurẽtij Vallæ in Annotationib. ſuper Ioannem, ſcilicet ꝙ credere Deo, & credere in Deum in ſcriptura confunduntur, quia apud Ioan. c. 6. dicitur, hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem miſſit ille, & reſponderunt Iudæi. Quod ergo tu facis ſignum vt credamus tibi, & ad Roma. 4. Credidit Abraham Deo, & ſumitur pro credere in Deum, & ſecundum hanc ſententiã peccator fidelis credit in Deum, ad hoc enim non eſt neceſſe tendere in Deum per amorem elicitum à charitate, ſed ſufficit vt intellectus moueatur ad credendum à voluntate piè effecta in ipſum Deum. Probatur. Actus fidei formatæ, & informis ſunt eiuſdem ſpeciei: quia eliciuntur ab eodem habitu, ergo vterque dicit reſpectum ad voluntatem, & per conſequens vterque eſt credere in Deum.

Laurẽtius Valla.

Et confirmatur, quia peccator credit Deum eſſe ſuum vltimum finem, & hunc actum elicit imperio voluntatis ſupernaturaliter motæ, ſcilicet ex auxilio Dei ſpeciali, licet imperfecte, ergo credit in Deum.

Præterea peccator habet ſpem, ergo tendit per voluntatem actu ſupernaturali in Deum ſuum vltimum finẽ, & per conſequens credit in Deum. Item Ioan. 12. dicitur ex Principibus multi crediderunt in eo, ſed propter Phariſeos non confitebantur, vt ex ſynagoga nõ eijcerentur; dilexerunt enim magis gloriam hominum, quã gloriam Dei, ergo &c.

Ad hanc difficultatem reſpondeo, controuerſiam eſſe de ſolo nomine. Nam ſi credere in Deum ſignificet actũ fidei relatum perfectè, & meritoriè in vltimum finẽ, conſtat neminem credere in Deum, niſi iuſtus ſit, & præditus charitate. Atque hoc modo intelligendus eſt D. Auguſt. atque D. Thomas. Si autem credere in Deum tantùmodo ſignificet actum fidei relatum ad vltimum finẽ, quocumque motu voluntatis, ſic extra cõtrouerſiam eſt, peccatores etiã fideles abſq; charitate verè credere in Deũ; Nam hi quoque per ſpem verè tendunt in Deũ, vt in vltimum finem, adeoque excitãt ſe ad credendum propter illum, quem vtique ſperant ſe adepturos gratia Dei, & meritis aliquãdo proprijs futuris, quamuis practice quidem illum iam non habeant pro vltimo fine, quem ceteris anteponant. Iuxta hoc procedit quòd Auguſtinus lib. de Fide, & oper. cap. 14. & vltimo, concedit fideles omnes etiam peccatores credere in Deum. & D. Bernard. ſer. 24. in Cant. Et ſane fideles ſinguli etiam peccatores cum ſymbolum recitãt, verba illa Credo in Deum, non ſolum in perſona eccleſiæ, ſed etiam propria dicere videntur, nec tamen mentiuntur propterea, quod careant Charitate. Loquuntur ergo Sancti, de credere in Deum, quod dicit reſpectum ad voluntatem perfectam tendentem efficaciter in Deum. Vel loquuntur de credere in Deum, quod eſt actus virtutis, quod credere non eſt in peccatore, cuius fides licet ſit vera fides, nõ eſt tamen propriè virtus Theologicè loquẽdo, Dæmon vero nõ credit in Deũ; quia coactè, & non voluntariè credit, atque ita eius credere non eſt à fide infuſa.

Solutio dubij.

D. Aug.

D. Bern.

ARTICVLVS II.

Vtrum articuli fidei ſint duodecim.

PRo explicatione huius quæſt. obſ. eſt ex Alexand. de Ales 3. par. quæſt. 69. m. 1. quod deriuatio huius termini articulus, venit à verbo Græco Arthrõ, quod Latine ſignificat coaptare; eſt enim articulus quædã coaptatio partium diſtinctarum; melius tamen dicitur articulum eſſe diminutiuum ab hoc nomine artus, quod ſignificat iuncturam ſiue nodum, quo membrum mẽbro ligatur; Inuenitur autem intentio articuli, in quadruplici facultate; in Grammatica ad diſtinctionem dictionis, & ſuppoſitorum; Articulus enim à Grammaticis dicitur particula, quæ in declinandis nominibus diſcernendi generis cauſa proponitur; In Rethorica articulus membrũ eſt periodi, quod etiam à Græcis colõ appellatur, de quo Cicero ad Her. lib. 4. aliquantulum ante medium. Articulus habetur cum ſingula verba interuallis diſtinguuntur ceſa oratione, hoc modo Acrimonia, voce, vultu aduerſarios terruiſti, &c. In Phyſica, articuli dicuntur diſtinctiones digitorum. Et in vna quaque facultate, articulus dicitur minimum in ſuo genere, & habet rationẽ diſtinctionis, ſiue in dictione, vt in grammatica, ſiue in oratione, vt in Rethorica, ſiue in membro vt in Phyſica. Demum ſumitur articulus in Theologia ſecundum aliquam ſimilitudinẽ cum articulis aliarum Facultatum, ſumitur namque in Theologia articulus ſecundũ rationem ſimplicitatis prout dicimus articulos ſimpliciter res ipſas credendas, ſecũdum rationem diſtinctionis, prout dicimus articulos ſecundum quid eſſe ipſa enunciabilia, in quæ ipſum Symbolum, velut quoddam totum in ſuas partes diſtinguitur.

Cicero.

Secundo obſer. quòd articulus Theologicè ſumptus, tribus modis ſumi poteſt, ſcilicet præſſe, proprie, & fuſe præſſe accipitur articulus, ſecũdum quod artatur ad partes Symboli Apoſtolorum, & in hac ſignificatione accepit Hugo, cum dixit Articulum eſſe naturã cum gratia; nam in ſingulis articulis illius Symboli, confeſſioni naturæ diuinæ, vel humanæ adiungitur effectus gratiæ, v. g. Cum dico Credo in Deum Patrem &c. ſignifico naturã, cum adiungo creatorem cæli, & terræ adiungo gratiam; ex gratia enim non ex debito fuit, quod cõmunicare voluit ſuam bonitatem in creatione rerum: Similiter cum dico. Et in Ieſum Chriſtum &c. confiteor naturam; cũ addo, Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto adiungo gratiam. Accipitur autem hic natura pro ipſa natura, quæ diuina eſt, vel quæ aſſumpta eſt à Deo, ſcilicet humanitate. Propriè accipitur articulus ſecundum perfectam rationem, vt eſt obiectum fidei formatæ, & hoc modo accipitur in altera definitione Hugonis. Articulus eſt perceptio veritatis diuinæ in ipſam tendens; vt per hoc quod dicitur perceptio veritatis diuinæ ſignificetur, intẽtio cõmunis fidei formatæ, & informis; per hoc vero, quod dicitur in ipſam tendens determinetur, & approprietur fidei formatæ; & ſignificetur duplex perfectio articuli, perfectio intellectus in hoc, quod dicitur, perceptio veritatis diuinæ; & perfectio affectus in hoc quod dicitur, in ipſam tendens; Articulus enim formatus non ſolũ illuſtrat intellectum per perceptionem veritatis; ſed etiam mouet affectum ad deſiderium veritatis. Fuſe ſumitur articulus, ſecundum quod eſt obiectum fidei formatæ, & informis; & ad hanc intentionem reſpiciens Ricardus Victorinus dicit, quod articulus eſt indiuiſibilis veritas de Deo arctans nos ad credendum per hoc quod dicit indiuiſibilis veritas de Deo, tangit eſſentiam articuli: dicitur enim articulus indiuiſibilis veritas de Deo: quia eſt veritas, quæ non diuiditur in alias veritates, quarũ quælibet habeat rationem obiecti fidei, imò ad articulos ſtat reſolutio ipſius credibilis, per hoc vero quod dicit arctãs nos ad credendum tangit effectum articuli inquantũ articulus eſt, & ex hoc inſinuat nominis rationem; eo enim quod arctat rationem ad aſſentiendum articulus dicitur. ex eo enim articulus dicitur: quia determinat noſtrum intellectum ad diſtinctum credendi actum, non tamẽ eo modo, quo determinatur ad hoc per habitum, ſed eo modo, quo actus intellectus diſtinguitur per diſtinctum obiectum.

Articulus tribus modis ſumi poteſt.

Hugo.

Ricardus.

Tertio obſer. eſt. Articulum quomodocunque deriuetur ſecundum nominis ſignificationem, ſiue ab aptando, quia neceſſitate finis cogit hominem ad credendum, ſiue à nomine Græco, quod ſignificat coaptationem quãdam partium diſtinctarum, ſiue à nomine Latino artus, quod ſignificat nodus quibus colligãtur partes corporis ita de-

Diſtinctio articuli.

ſiniri

finiri poſſe. Articulus eſt veritas fidei principalis, præcipuam, & diſtinctam continens difficultatem omnibus fidelibus ad credendum propoſita. Dicitur veritas fidei principalis: quia non omnia, quæ ſunt in ſcriptura, & quæ à nobis ſunt credenda ſunt articuli fidei, ſed tantum prima, & præcipua fidei capita, puta illa, quorũ viſio nos beatos facit, nẽpe diuinitas, & per quæ ad vitam æternam ducimur, vt Chriſti incarnatio, & myſteria ad Chriſti humanitatem ſpectantia; Dicitur difficultatem continens, quia vt dicit Ricar. hac d. art. 1. q. 1. ad primũ,

Ricardus.

quando aliqua proponuntur credenda, in quibus eſt eadem difficultas, ita, vt vno conceſſo, non ſit difficile alia concedere, illa omnia ad vnum articulum pertinent, vt paſſio, mors, & ſepultura Chriſti; quando vero eſt ſpecialis difficultas, tunc conſtituitur particularis, & diſtinctus articulus, vt alia difficultas eſt q̃ Chriſtus ſit paſſus, alia quod reſurrexit, dicitur poſtremo omnibus fidelibus ad credendum propoſita; quia non omnium reuelatorum cognitio eſt neceſſaria omnibus fidelibus ad ſalutẽ, eſt tamen neceſſaria cognitio articulorum fidei, quippe qui ſunt nodi, & nerui, totius fidei catholicæ, ea autem, quæ nobis proponuntur credenda ex diuina Scriptura, quædam per ſe pertinent ad fidem, vt ſunt illa, quæ ſperamus videre in patria, qualia ſunt, quæ pertinent ad diuinitatem, & humanitatem Chriſti in 14. vel 12. articulos diuiſa; quædam vero non per ſe ſpectant ad fidem: quia non ſunt in patria videnda, ſed ſolũ pertinent ad fidem in ordine ad priora; vt Genealogia Chriſti ad explicandam incarnationem; miracula Chriſti ad explicandam eius diuinitatem, & plurima alia, quæ narrantur in ſacris litteris; & hæc non diuiduntur per articulos: quia non per ſe ſpectant ad fidem; eſt autem fides ſubſtantia ſperandarum rerum, hæc autem non ſperamus videre.

Concluſ.

His explicatis ſit hæc concluſio. Articuli fidei ſunt 12. ſi numerentur, & diſtinguantur penes numerum eorum, qui primo articulos diſtinxerunt, ſi verò quantum ad ipſa credita, ſic ſunt quatuordecim. Hæc concluſio (quæ eſt Scoti in hac quæſt. ſub litt. C. & omnium Theologorum) habet duas partes, prima pars eſt, quòd articuli, iuxta numerum 12. Apoſtolorum, qui primo articulos diſtinxerunt ſunt 12. Secunda q̃ quantum ad credita ſunt 14. pro explicatione primæ partis obſ. eſt, quòd Hæretici Lutherani contendunt ſymbolum non fuiſſe conditum ab Apoſtolis, contra quos eſt ſanctus Clemens epiſtola 1.

D. Clem.

ad Iacobum fratrẽ Domini, vbi expreſſe dicit Symbolũ, fuiſſe compoſitum ab Apoſtolis poſt miſſionem Spiritus Sancti, & hæc ſunt verba eius. Chriſto itaque reſurgente, & aſcendente in Cœlum miſſo Spiritu Sancto, collata Apoſtolis ſcientia linguarum adhuc in vno poſiti ſymbolum, quod fidelis nunc tenet Eccleſia, vnuſquiſq; quod ſenſit dicendo, condiderunt, vt deſcedentes ab inuicem hanc regulam per omnes gentes prædicarent, Cy-

D. Cypr.

prianus in expoſitione ſymboli, vbi ita ſcribit. Omnes Apoſtoli in vno poſiti, & Spiritu Sancto repleti, breue iſtud futuræ ſibi, vt diximus, prædicationis indicium conferendo in vnum, quod ſentiebat vnuſquiſque componunt, atque hanc credentibus dandam eſſe regulam

Tertul. *D. Amb.* *Rufinus.* *D. Hiero.* *D. Chriſt.* *D. Aug.* *D. Leo.*

ſtatuunt, Tertullianus de præſcriptionibus Hæreticorum, Ambroſius epiſt. 81. ad Seruicium, Rufinus in expoſitione ſymboli, Hierony. in Epiſtola ad Pamachium de erroribus Ioan. Hieroſolymitani, Chriſoſt. hom. 1. & 2. in ſymbolum, Auguſt. Ser. 115. & 180. de tempore, Leo Ser. 11. de paſſione Domini, & epiſtola 13. ad Pulcheriã, atq; ẽt D. Aug. in illo Ser. 115. affirmat ſingulos Apoſtolos ſingulas ſñias, ſeu articulos ſymboli cõfeciſſe, & nominatim vnicuique illorum vnum aſſignat. Idemque indicant Clemens, & Leo in citatis epiſtolis, & Cyprianus, quamuis hoc non eſt æque certum, atque compoſitum fuiſſe ab Apoſtolis illud ſymbolum, quocunque tandem modo id fecerint. Vnde non immerito arguuntur temeritatis Eraſmus, & Lauretius Valla, qui id negauerint. Hoc ſuppoſito tamquam certo.

Explicatur Concluſio. Cum enim Apoſtoli, qui ſymbolum condiderunt ſint duodecim, & vnuſquiſque, quid ſenſit, vt dicit Clemens, appoſuit, patet iuxta numerum Apoſtolorum 12. eſſe articulos fidei. D. n. Petrus tres in vnum complexus eſt articulos dicens. Credo in vnum Deum, patrem omnipotentem, Creatorem cœli, & terræ: nam dicens in vnum Deum, complexus eſt vnitatem eſſentiæ; patrem omnipotentem, omnipotentiam patris, Creatorem cœli, & terræ opus creationis D. Ioannes appoſuit articulum de perſona Filij, dicens. Et in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum Dñm noſtrum, Iacobus Zebedei articulos de Natiuitate, & conceptione coniunxit, dicens. Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, Natus ex Maria Virgine, Andreas poſuit articulum de paſſione morte, & ſepultura dicens. Paſſus ſub Pontio Pilato, Crucefixus, mortuus, & ſepultus. Philippus articulum appoſuit de deſcenſu ad Inferos, dicens. Deſcendit ad Inferos. Reſurrectionem addidit Thomas. Tertia die reſurrexit à mortuis. Bartolomeus Aſcenſionem. Aſcendit ad Cœlos. Aduentum ad Iudicium Matthæus. Inde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos. Iacobus Alphei appoſuit articulum de perſona Spiritus Sancti. Credo in Spiritum Sanctum. Opus gratiæ dixerunt duo Apoſtoli: Nam Simon poſuit effectum gratiæ quo ad collationem boni. ſ. Sancta Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem. Iudas Iacobi, quo ad mali remotionem. ſ. Remiſſionem peccatorum, Poſtremo effectũ gloriæ appoſuit Matthias, vel ſecundum aliquos Thomas ſcilicet Carnis reſurrectionem, & vitam æternam.

Secunda Pars ita explicatur. Nam articulus eſt veritas de Deo indiuiſibilis in plures veritates cõplexas, ita, vt quælibet importet ſpecialem difficultatem adhoc, vt credatur, propter aliquam ſpecialem rationem non vidẽdi eam; fides enim eſt reſpectu veritatis non viſæ, tales enim veritates de Deo ſunt 14. & non plures. Omnis enim talis veritas, aut eſt de Deo tantum, aut de Deo ratione naturæ humanæ aſſumptæ, ſi primo modo, hoc contingit tripliciter; quia aut de Deo ratione naturæ, vel eſſentiæ; atque ita habetur hic articulus. Credo in vnum Deum, cuius ſenſus eſt, ſi ex hoc formetur explicita enũciatio, credo, quod Deus ſit vnus, aut ratione perſonarum, & cum ſint tres diuinæ perſonæ ſunt tres articuli, primus reſpicit perſonam Patris, & ſic eſt articulus. Credo in patrem omnipotentem, & ſi ex hoc formetur enunciatio erit. Credo quod Deus ſit Pater omnipotens. Aut reſpicit perſonam filij, & ſic eſt iſte articulus. Credo in Ieſum Chriſtum filium eius Dominum noſtrum. Aut reſpicit perſonam Spiritus Sancti, atque ita eſt iſte articulus. Credo in Spiritum Sanctum. Aut articuli ſunt de Deo ratione effectus ipſius Dei, & ſic ſunt tres articuli, quia aut reſpicit operationem Dei per quam res produxit in eſſe naturæ, & ſic eſt iſte articulus. Credo in Creatorem Cœli, & terræ. Aut operationem per quam Deus dat nobis eſſe gratiæ, & ita habetur iſte articulus. Sanctam eccleſiam Catholicam, ſanctorum, cõmunionem, remiſſionem peccatorum; cuius ſenſus eſt. Credo quod Deus ſanctificat Eccleſiam Catholicam in qua eſt communio ſanctorum, & remiſſio peccatorum aut reſpicit operationem Dei per quam dabit nobis eſſe gloriæ, & ita eſt iſte articulus. Carnis reſurrectionem, & vitam æternam. Amen. Ex quo poteſt formari hæc enunciatio. Credo quod Deus reſuſcitabit carnem noſtram, & dabit nobis vitam ęternam, atque ita habentur ſeptem articuli de Deo ratione Dei tantum. Aliqui tamen includunt opus creationis in primo articulo, quod pertinet ad vnitatem eſſentiæ, & vltimum opus diuidunt in duos articulos. ſ. Carnis reſurrectionem, dicentes vnum articulum & vitam ęternam; alium ſicut facit Albertus Magnus in hoc 3. diſt. 14. art. 6. Sed prima diſtinctio eſt melior, & eſt Alex. Ales 3. p. q. 69. m. 5. art. 1. D. Tho. 2. 2. q. 1. art. 8. D. Bonauentura hac d. art. 1. q. 1. & Ricar. eadem diſtinct. art. 1. q. 2. & etiam patet ex Apoſt. ad Hebræos 11. vbi ponit vnum articulum de Creatione per ſe dicens. Fide intelligimus aptata eſſe ſęcula verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent.

Albert. *Alex. de Ales.* *D. Thom.* *D. Bonau.* *Ricardus.*

Si autem illa veritas, quæ eſt articulus ſit de Deo ratione humanæ naturæ ſibi vnitæ, ſic ſunt articuli 7. Quorũ primus, pertinet ad Incarnationem ſeu Conceptionem. Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto. Secundus ad Natiuitatem ex Virgine, Natus ex Maria Virgine. Tertius ad paſſionem. Paſſus ſub Pontio Pilato, Crucifixus mortuus, & ſepultus. Quartus ad deſcenſum ad inferos. ſ.

Deſcen.

Deſcendit ad Inferos. Quintus ad Reſurrectionem. Tertia die reſurrexit à mortuis. Sextus ad Aſcenſionem. Aſcendit ad cęlos ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Septimus ad Chriſti aduentum ad Iudicium. Qui vẽturus eſt iudicare viuos & mortuos Et ſic patet, quod omnes articuli ſunt in vniuerſo 14. & non plures, qui omnes in Symbolo Apoſtolorum continentur, ſeptẽ de Deo abſolute, non ratione humanæ naturæ, & ſeptem de ipſo ratione humanæ naturæ ſibi vnitæ.

ARTICVLVS III.

Vtrum in Symbolo Apoſtolorum contineantur ſufficienter omnia, quæ credere neceſſarium eſt ad ſalutem.

Gloſſa.

SEnſus Quæſtionis eſt, vtrum articuli fidei ſecundũ ſucceſſionem temporum creuerint, pro cuius tituli explicatione obſeru. eſt, quòd Gloſſa in titulum de Summa Trinit. & fide Cathol. ait Symbolum dici à Syn, quod eſt ſimul & bolus, quod eſt inquit, morſellus, qua ſinguli Apoſtoli ſuam partem poſuerunt, ſed hoc ineptũ videri poteſt, Quare Symboli nomen, vt notant Clemẽs Romanus Epiſtola 1. ad Iacobum, & Rufinus in expoſitione Symboli, & D. Auguſt. in Serm. 150. de Tempore duo ſignificat, videlicet Indicium ſiue notam, qua alij ab alijs dignoſci poſſunt, & collationem plurium in vnum. Quod per belle explicat Cyprianus in expoſitione Symboli his verbis. Symbolum Græcè indicium dici poteſt, & collatio, hoc eſt, quod plures in vnum conferunt, Id enim fecerunt Apoſtoli in his ſermonibus in vnum conferendo vnuſquiſque quod ſenſit. Indicium autem, vel ſignum idcirco dicitur; quia illo tempore ſicut, & Paulus Apoſtolus dicit, & in actibus Apoſtolorum refertur, multi ex circunciſis Iudæis ſimulabant ſe eſſe Apoſtolos Chriſti, & lucri alicuius ventris gratia ad prædicandum proficiſcebantur, nominantes quidem Chriſtum; ſed non integris traditionum lineis nunciantes. Idcirco ergo iſtud indicium poſuere, per quod agnoſceretur is, qui Chriſtum verè ſecundum Apoſtolicas regulas prædicaret. Denique & in bellis ciuilibus hoc obſeruari ferunt: quoniam & armorum habitus par, & ſonus vocis idem, & mos vnus eſt, atque eadem inſtituta bellandi; ne qua doli ſubreptio fiat, ſymbola diſcreta vnuſquiſque Dux ſuis militibus tradit, quæ Latinè vel ſigna, vel indicia nominantur, vt ſi fortè occurreret quis de quo dubitetur, interrogatus ſymbolum prodat ſi ſit hoſtis, an ſocius. Hactenus. Cyprianus, ſecundum ergo vtramque ſignificationem rectè hoc vocabulum accommodatur, ad ſignificandam ſummam articulorum credendorum à fidelibus. Hoc enim Symbolo fideles ab infidelibus diſcernuntur, & propterea Symbolum à multis eſt collectum, vt vidimus præcedenti articulo.

Clemens Romanus. Rufinus. D. Aug. D. Cypr.

Triplex eſt in Eccleſia Symbolum.

Secundo obſeru. eſt, quod triplex eſt in Eccleſia fidei Symbolum. Primum eſt communiſſimum Symbolum Apoſtolicum, ita nominatum: quia ab ipſis Apoſtolis compoſitum eſt ad fidelium inſtitutionem in fide ſanctiſſimæ Trinitatis; atque adeo ſecundum appropriata Trinitatis diſtinguitur, vt pars prima ſit de appropriatis Patri. Credo in Deum Patrem &c. Secundo de appropriatis Filio, ſcilicet, & in Ieſum Chriſtum filiũ eius &c.

Tertio de appropriatis Spiritui ſancto. Credo in Spiritum ſanctum &c. Hoc Symbolum ſubmiſſa voce, & ſub ſilentio dicitur, vt ſtatus primitiuæ Eccleſiæ repreſentetur: quando Apoſtoli, & fideles non audebant fidem Chriſti in manifeſto confiteri: Diciturque in prima, & completorio, vt ſignificetur quòd ſine fide impoſſibile eſt dirigi, & placere Deo in bonis iuxta illud ad Hebręos 11. Sine fide impoſſibile eſt placere Deo, Ideo dicitur in prima antequã procedatur ad opera in die. Item vt ſignificetur, ꝙ ſine fide impoſſibile eſt reſiſtere malis, iuxta illud 1. Petri vltimo. Cui reſiſtite fortes in fide. Ideo dicitur in Completorio in munimentũ cõtra tentationes nocturnas. Lege D. Aug. de Symbolo ad Cathecumenos.

D. Aug.

Secũdum Symbolũ.

Secundum Symbolum eſt Nicęnum, quod fuit à Patribus Concilij Nicæni compoſitum ad explanationem fidei Trinitatis, atque adeo diſtinguitur ſecundũ ea, quæ cõueniunt tribus perſonis, Quamquã non fuit hoc Symbolum quantũ ad omnes eius particulas à patribus Concilij Niceni compoſitum; ſed ita appellatur; quoniã ab illis componi cęptum eſt propter diuinarum perſonarũ ęqualitatem, & maximè circa perſonam Spiritus ſancti, atque ita explicatis pertinentibus ad perſonam Patris, & Filij; tractans de pertinentibus ad Spiritum ſanctum cũ proteſtatione, & ęqualitatis, dicit. Et in Spiritum ſanctum Dominum, &c. Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, &c. Poſtea verè, & auctum, & explicatum magis eſt in Concilio tum Cõſtantinopolitano, ſecũdo, tum Toletano octauo, & Florẽtino. Hoc Symbolũ cantatur in Miſſa poſt Euangelium, tũ quia hoc Symbolũ eſt contra declarationes, & garrulationes hæreticorum; tum vt confeſſione fidei, & deuotione præparemur ad ſuſceptionem Sacramenti Dominici Corporis, cuius participes efficimur per fidem, cantatur vero poſt Euãgelium, ad ſignificandũ, quod Symbolum ex verbis Domini loquentis in Euangelio accipitur, vel quia Corde creditur ad Iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, vt ait D. Paulus ad Rom. 10. per Euangelium autem homines inſtituuntur, vt credant corde iuxta illud Marci vltimo. Prędicate Euangelium omni creaturæ &c. & ideo poſtquã Eccleſia ſupponit homines per Euangelium habere fidẽ; vult vt ſequatur eiuſdem fidei confeſſio oris, atque ita vt alta voce cantetur Symbolum. Vnde nulla debet eſſe cauſa quare Symbolũ diebus ſtatutis non cantetur in choro.

Tertium Symbolũ. *D. Aug.*

Tertium Symbolum eſt Athanaſij. Quidquid effutiat modernus quidam hæreticus Gentilis nomine: nam eſſe Athanaſij conuincitur teſtimonio S. Auguſt. qui in Pſal. 120. recitat ex hoc Symbolo ſub nomine Athanaſij verſiculum illum. Filius à Patre ſolo eſt non factus, nec creatus, ſed genitus, & alibi etiam idem Symbolũ citat. nempe in Enchirid. c. 16. & lib. 5. de Trinit. c. 8. & epiſtola 174. ad Paſcentium, & Serm. 195. de Tempore atque etiam teſtimonio S. Greg. Nazian. in oratione de Laudibus S. Athanaſij, vbi ait eum conſcripſiſſe perfectiſſimam fidei confeſſionẽ, quam inquit totus Oriens, & Occidens veneratur. Compoſuit autẽ Athanaſius hoc Symbolum contra hereſes pullulantes, circa fidẽ diuinitatis, & humanitatis. Ideo primo remouet errores circa cõfeſſionẽ vnitatis eſſentiæ diuinæ, & diſtinctionis perſonarũ per rectã cõfeſſionem eſſentialium, & perſonaliũ Deo dignarũ nominationum. Vnde poſt verſiculos prohemiales dicitur. Fides autẽ catholica hęc eſt vt vnũ Deũ in Trinitate &c. Secundo vero remouentur errores circa fidẽ humanitatis cum dicitur. Sed neceſſarium eſt ad æternã ſalutem &c. Nec tñ hoc Symbolum habet infallibilem veritatem, vt compoſitum ab Athanaſio, ſed vt receptũ ab Eccleſia tãquam omnino orthodoxum. Canitur autẽ hoc Symbolũ ad primã propter duo .ſ. propter ſignificationem, vt deſignetur ꝙ fides eſt prima mentis illuminatio, & prima virtutum; & propter vtilitatẽ; armamur .n. Symbolo fidei, iuxta illud ad Epheſ. 6. In omnibus ſumentes ſcutũ fidei; Propterea in hora prima arma Dei ſumimus, vt omnes tentationes inuiſibiles inimicorũ expugnare valeamus.

Greg. Nazian.

Articuli habent ordinem inter ſe.

Tertio obſer. eſt, ꝙ articuli habent ordinẽ inter ſe ſicut prima principia in ſciẽtijs naturalibus: quia ſicut principia minus vniuerſalia in vniuerſalioribus includunt, v.g. In hoc principio vniuerſaliſſimo. De quolibet eſt vera affirmatio, vel negatio, & de nullo ambo ſimul includũtur cętera principia ſecundũ Phyloſ. 4. Meth. omne .n. principium, vel eſt affirmatiuũ, vel negatiuũ; Ita articuli fidei minus vniuerſales includuntur in vniuerſalioribus, v. g. oẽs articuli fides aſpectantes ad diuinitatem includũtur in illo, quem poſuit D. Paulus ad Hebr. 11. Accedentẽ ad Deũ oportet credere quia eſt: qui .n. credit Deũ eſſe, implicite credit eſſe Trinũ in perſonis & oĩa alia quę per locum intrinſecum ſequuntur ex Deitate. Item omnes articuli ſpectantes ad humanitatem Chriſti includuntur in alio, quem ibidem ponit D. Paulus. Deus inquirentiũ ſe remunerator eſt, ideſt, quod habet prouidentiam circa hominum ſalutem: qui enim hoc credit, conſequenter credit implicite Verbi Incarnationem, mortem Chriſti, &c. his enim medijs Deus remunerat inquirẽtes ſe; & in

illo articulo, qui proponebatur in lege ſcripta, per aliquẽ mediatorem Deus redempturus eſt genus humanum, minus implicite continebatur incarnatio, & paſſio Chriſti.

Fides implicita, & explicita, quid ſit.

Quarto obſer. eſt, quod ly implicite ſignificat aliquod vniuerſale continens ſub ſe particolaria, vt in hac propoſitione omne animal fuit in Archa Noé, implicite includitur, quod Leo, & Vrſus fuerunt in Archa Noé: at vero, hic Leo fuit in Archa Noè, explicite ſignificat Leonem ibi fuiſſe. Ita fides implicita vocatur fides plurimorum articulorum contentorum in aliquo vniuerſali, vt in exemplis poſitis in 3. notabili patet. Fides vero explicita vocatur, quando in particulari aliquid creditur, vt credens Verbum caro factum, credit explicite incarnationem.

Quinto obſer. eſt quod D. Paulus ad Gal. 3. comparat genus humanum homini in progreſſu ſuæ ætatis, hoc autem eſt certum ex Ariſt. 1. Phy. c. 1. quod cognitio hominis incipit à cognitione confuſa, & ideo inquit phyloſophus, pueri prius appellant omnes homines patres, & mulieres matres, poſtea vero cognoſcunt determinate ſuos patres, & ſuas matres. Ita eſt in fide apud genus humanum: quia quamuis fides eadem fuerit ſemper, vt probat D. Greg. hom. 16. & 17. ſuper Ezechielem, tamen genus humanum in ſuo principio, quando erat velut infans res fidei confuſius cognoſcebat, deinde in lege ſcripta, quando erat velut puer habuit expreſſiorem, & clariorem cognitionem rerum fidei; In aduentu autem Chriſti, quando iam erat vir, habuit magis expreſſam, & claram rerum fidei cognitionem in quantum erant credibiles, probatur hæc ex diuerſis cæremonijs, quæ erant in his duabus rationibus. In lege enim naturæ, vbi erat confuſiſſima fidei cognitio, non erant determinatæ cæremoniæ, & in lege ſcripta vbi expreſſior erat fidei cognitio erant iam cæremoniæ determinatæ, quo ad res. Sed in lege gratiæ vbi maxima explicite habetur fides ſunt determinatiſſimæ cæremoniæ, & ſacramenta, non ſolum quantum ad res ipſas & materiam, ſed etiam quantum ad formas verborum. Vnde Eccleſia comparatur in Canticis Auroræ ſurgentis, quæ quanto magis accedit ad ortum ſolis, tanto eſt clarior; ita Eccleſia quanto magis accedit ad ortum Chriſti tanto habet explicatiorem notitiam de rebus fidei.

D. Gregor.

Nõ omne quod credẽ eſt fidei articulus.

Sexto obſer. eſt; quod non omne, quod credẽdum eſt, eſt articulus fidei. Sunt enim quædam antecedentia ad fidem, quædam ſequentia, vel concomitantia; & quædam cum ipſa fide: antecedentia ad fidem ſunt ea, quæ ſunt de iure naturali, & in Decalogo exprimuntur, quæ ſupponit fides, inde eſt, quod eſt credendum tranſgreſſionem cuiuſlibet præcepti eſſe mortale peccatum: quia diſcredere illud, quod fides ſupponit infidelitatis eſt. Sequentia verò ad fidem ſunt, vel quæ inferuntur ex articulis, vt quod Deus eſt vbique, quod ſequitur ex hoc, quod Deus eſt immenſus, vel quæ ad articulos reducuntur, vt ea, quæ determinata ſunt in ſcriptura tenemur credere implicite, vel explicite, ſeu ab Eccleſia tradita, vt ea, quæ pertinent ad ſacramentalia Eccleſiæ, & ea, quæ in ſcriptura determinantur, quantum ad circunſtantias aduentus ad iudicium. Quædam verò ſunt ſimul cum ipſa fide, & hæ ſunt particulæ fidei, quæ in ſymbolis continentur.

1. Concl.

His explicatis ſit prima Concluſio. Articuli fidei quantum ad ſubſtantiam, non creuerunt ſucceſſione temporum: probatur: quia omnia, quæ modo credimus explicite, à lapſu Adæ fuerunt omnibus credita implicite, vt ex tertio notabili patet, & hinc eſt, quod intelligunt Ireneus lib. 4. c. 13. & Auguſ. epiſtola 51. & alij patres dicentes vnam, & eamdem fidem eſſe, & antiquorum patrum, & noſtram nempe nõ ſolum explicite quo ad quędam eius obiecta, ſed etiam implicite, quo ad omnia.

Ireneus
D. Aug.

2. Concl.

Secunda Concluſio. Articuli fidei, quantum ad explicationem creuerunt ſucceſſione temporum; probatur quia in lege ſcripta explicatius proponebantur credenda, quam in lege naturæ; Iuxta illud Exodi 6. Ego Dominus, qui apparui Abraham Iſaac, & Iacob, & nomẽ meũ Adonai non indicaui eis hoc eſt non impartiui illis claram notitiam ſimplicitatis, & vnitatis meę, vt interpretatur D. Thomas 2. 2. q. 174. art. 6. Item Dauid Pſal. 118. Super ſenes intellexi, ideſt plura explicite cognoui, quam antiqui: Idem in lege Euangelica explicatius, quam in lege ſcripta proponuntur credibilia iuxta illud Pauli ad Epheſ. 3. In prioribus generationibus myſterium Chriſti non eſt agnitum ſcilicet explicite, ſicut nunc reuelatum eſt Sanctis Apoſtolis, & prophetis.

D. Thom.

3. Concluſio.

Tertia Concluſio. Ea omnia, quæ principaliter credere debemus ſufficienter continet ſymbolum Apoſtolorum, probatur: quia ſicut in principijs ſufficienter in virtute continetur tota ſcientia; ita in articulis, qui ſunt quaſi principia omnium, quæ oportet credere ſufficienter in virtute continentur omnia credenda; ſed omnes articuli fidei ſufficienter continentur in ſymbolo Apoſtolorum, vt in præcedenti articulo oſtenſum eſt, ergo ex conſequenti in illo ſymbolo ſufficienter continentur in virtute omnia, quæ neceſſarium eſt credere ad ſalutem.

Præterea tota fides verſatur circa Deũ ſicut circa præcipuum obiectum, ſed cognoſcere Deum non contingit niſi quo ad diuinitaté, & humanitatem; ergo cũ vtroque modo in ſymbolo Apoſtolorum traditur notitia de Deo, vt explicatum eſt articulo præcedenti; fides ibi contenta eſt integra, & perfecta. Item non contingit habere notitiam de Deo niſi per aliquam eius operationem, quamdiu ſumus in via; ſed omnis diuina operatio continetur ſub aliqua iſtarum trium, videlicet ſub opere creationis, vel reparationis, vel glorificationis, de quibus explicite agitur in ſymbolo Apoſtolorum; quia oſtenditur ibi Deus eſſe Creator, & Reparator, & glorificator, ergo tota fides ibi ſufficienter continetur.

Contra 3. Concl.

Sed contra hanc tertiam concluſionem arguitur: ſi in ſymbolo Apoſtolorum ſufficienter continentur omnia credenda, ergo alia duo ſymbola ſcilicet Nicænum, & Athanaſij, erunt ſuperflua.

Item credere pœnas æternas neceſſarium eſt ad ſalutem; ſed veritas exprimens malos puniendos pœna æterna in ſymbolo Apoſtolorum non continetur, ergo &c.

Item credere, quod deliberatiua tranſgreſſio minorum præceptorum, ſit peccatum mortale, eſt neceſſarium ad ſalutem, ſed hoc in ſymbolo Apoſtolorum non continetur, ergo &c.

Item extra de ſumma Trinit. & fide Catho. c. firmiter credimus. Inter articulos fidei numerantur articulus de Sacramento Euchariſtiæ, & articulus de Sacramento baptiſmi; Cum ergo in ſymbolo contineantur 14. articuli; & iſti non continentur ibidem, vt videtur, non continet ergo ſymbolum Apoſtolorum ſufficienter omnia credibilia.

Demum ſicut Deus eſt omnipotens ita etiam eſt immenſus, bonus, iuſtus, & ſapiens, & ſicut creauit, ita diſtinxit, ornauit, & conſeruat. Sicut etiam Chriſtus incarnatus eſt, ita etiam inter homines conuerſatus eſt, ſicut etiam, reſurrexit, ita poſt reſurrectionem apparuit. & de omnibus his nihil tangitur in doctrina ſymboli, ergo videtur in ea fides inſufficienter contineri; cum omnia hæc oporteat credi, & omnia hæc ſpecialem habeant difficultatem, & arctemur ad ea credenda, ſicut ad articulos ibi expreſſos.

Ad primum reſpondetur, quod alia duo ſymbola non ſuperfluunt: quia iſtud ſymbolum ad certam veritatis breuem traditionem, & expreſſiorem fuit compoſitum; ſymbolum vero Nicæni Concilij, fuit factum ad iſtius ſymboli explicationem, & ad quarundam hæreſum confutationem, & ad veritatis creditæ propalationem; ſymbolum verò Athanaſij maximé factum fuit, ad confutandum hæreſim Arianam, vnde ſolicitus fuit Athanaſius ibi diligenter exprimere eſſentiæ vnitatem, cum perſonarum diſtinctione, & æqualitate, vt docent Alexand. de Ales par. 3. quæſt. 69. m. 2. D. Bonauent. in hoc 3. d. 25. art. 1. q. 1. ad vltimum, & Ricar. art. 2. q. 1. ad primum.

Alex. de Ales
Ricardus.

Ad ſecundum dico, quód multa ſunt credenda, quæ non ſunt in ſymbolo, velut ſunt antecedentia fidem, atque, etiam conſequentia, vt dictum eſt notabili: ſexto. Malos autem eſſe puniendos æterna pœna conſequitur ad articulum de carnis reſurrectione, & bonorum glorificatione, ex quo enim Deus tamquam iuſtus iudex bonos remunerabit vita ęterna, conſequitur, quod reprobos puniet pœna æterna.

Et

Digitized by Google

Et per idem patet ad tertium: nam credere delibera-tiuam tranſgreſſionem diuinorum præceptorum eſſe lethalem peccatum neceſſarium eſt ad ſalutem, tamquam aliquid, quod eſt de dictamine rationis naturalis in generali, atque ita videtur eſſe de antecedētibus ad fidem; ſed quod Deus hoc, vel illud præceperit deſignatis aliquibus ſingularibus preceptis quę ſacra Scriptura Deum præcepiſſe narrat magis videntur inter illa ponenda, quæ ad articulos conſequuntur: nullum tamen eſt credibile à fide, quod non poſſit reduci ad articulos in Symbolo contentos, ſicut ad principia dirigentia, & ſtabilia fundamenta.

Ad quartum Dico, quòd credere corpus Chriſti in Euchariſtia, non eſt articulus principalis, ſed ſub aliquo articulo continetur, ſicut & alia Sacramenta, Vnde quidam dicunt, quòd reducitur ad articulum de omnipotentia, alij ad articulum de Incarnatione, quatenus Chriſtus per poteſtatem excellentiæ inſtituit hoc Sacramentum, Alij ad articulum de Paſſione: quia eſt memoriale Paſſionis. Sed melius eſt dicere cum D. Thom. 2. 2. quæſt. 1. artic. 8. ad ſextum, & cum D. Bonauent. & Ricard. locis citatis, quòd reducitur ad articulum de vnitate Eccleſiæ & peccatorum remiſſione, ſicut & fides reſpectu aliorum Sacramentorum, eo quòd in Sacramentis communicant fideles, & ſunt inſtrumenta ſanctificandi, & ex conſequenti remittendi peccata. Vnde in Symbolo Niceno additur. Confiteor vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum &c.

D. Thom. *D. Bonau.* *Ricardus.*

Ad vltimum Dico; quòd conditiones reſpicientes diuinam eſſentiam non faciunt nouos articulos diſtinctos ab articulo, qui eſt de vnitate eſſentiæ diuinæ; In hoc enim quod credo ipſum Deum eſſe vnum, credo ipſum eſſe immenſum, ſimplicem, æternum, &c. alioqui ſi vnum de iſtis deeſt non eſſet Deus. Similiter non de omnibus operationibus debent eſſe articuli, ſed de principalibus, maximè de his, quæ ad noſtram reparationem, & ſalutem ordinantur, ad quam dirigit fides noſtra; poſſent tamen omnes operationes Dei reduci ad illas tres: omnis enim operatio, aut reſpicit eſſe naturæ, aut eſſe gratiæ, aut eſſe gloriæ; vnde conſeruatio poteſt reduci ad creationem, ſimiliter diſtinctio, & ornatus; punitio vero poteſt reduci ad iudicium. Similiter operationes Chriſti, vt conuerſationis, & apparitionis, ad illas poſſunt reduci: quia apparitio ordinatur ad manifeſtationem, veritatis Reſurrectionis, & conuerſatio ad manifeſtandam veritatem Incarnationis.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum ſit neceſſarium habere actum fidei circa omnia, quæ continentur in Symbolo.

EXplicatio huius queſtionis, & aliarum quas articulis ſequentibus præterea ponemus de neceſſitate fidei magna ex parte continentur diſtinctione fidei implicitę & explicitę. Itaque in primis oportet diſtinctionem eam bene intelligere. Igitur fidem explicitam de aliqua veritate habere dicimur cum elicimus aſſenſum immediate circa ipſam; Implicitam vero cum aſſenſum alicuius veritatis non habemus ſecundum ſeipſum, ſed habemus illum quaſi implicitum in alio actu noſtro, qui habet aliud immediatum obiectum. Vel ſic fides explicita, eſt actus fidei quo credimus aliquod obiectum ſupernaturale ſecundum ſe ipſum, vt credere quòd Filius Dei factus eſt homo, & natus de Maria Virgine paſſuſque pro noſtra redemptione, & ſic de alijs articulis. Fides autem implicita, eſt actus fidei, quo creditur à nobis, implicite, quod continetur ſufficienter in alio, quod creditur explicite.

Fides implicita, & explicita quid ſit.

Dicitur autē aliquod implicitum dupliciter, vno modo vt actus in potentia, vel in habitu: qui enim potentiam vel habitum habet in his etiam actum implicite habere dicitur; alio modo ſicut particulare in vniuerſali, nam cognito vniuerſali, cognoſcitur etiam in ipſo particulare implicite, vt in animali implicite cognoſcitur homo, Illud autem dicitur contineri in alio ſufficienter quod poteſt deduci ex ipſo per neceſſariam conſequentiam, ſicut quando cognitio effectus deducitur ex cognitione cauſæ, vel è contra. Primo itaque modo quis dicitur credere implicite quando habitum habet, ſed non exit in actum, Vnde dicit Scotus in hac quæſt. ſub litt. D. quòd qui habet habitum infuſum tantum, habet fidem implicitam; quod intelligas in illis: qui nondum habent vſum rationis, vt ipſemet docet. Secundo autem modo quando credit, ſed tantum in vniuerſali non deſcendendo in aliquod creditum, vel in aliquem articulum in ſpeciali; atque ita credere indiſtinctè Deum eſſe hominum iuſtificatorem, cuius gratia peccata hominibus remittuntur, & homines à cœleſti beatitudine alienos non aliter eam adepturos, quam per aliquod diuinæ prouidentiæ remedium, eſt habere fidem implicitam.

Similiter fidem habere explicitam accipitur duobus modis, vno modo quando quis habitum fidei habet, & non ſolum hoc, ſed quando ſecundum habitum in actū credendi exit. Inſuper quando credendo non ſolum in generalibus ſtat terminis, verum etiam deſcendit ad ſpecialia credita, puta quòd Deus eſt Trinus, & vnus, & quod Deus eſt incarnatus &c.

Habere fidē explicitam cōtingit dupliciter.

Vlterius obſeruand. eſt, quòd duplex actus noſter poteſt eſſe, in quo aſſenſus aliquis cenſeatur eſſe implicitus, vnus eſt intellectus, ſcilicet ipſius fidei ſupernaturalis; quo nimirum credimus veritatem aliquam vniuerſaliorem, atque ita prompti, & parati ſumus, ad explicite credendum aliam veritatem, magis particularem, quę in illa vniuerſali, tamquam in potentia contineatur, vel ad eam aliquo modo ſpectet. Alter actus eſt voluntatis, quo videlicet paratus ſit quis ea credere, quæ alij ſapientiores in Eccleſia explicite credunt.

Hæc diſtinctio eſt S. Auguſt. lib. 19. contra Fauſtum cap. 14. Vbi ait fidem myſteriorum, quæ clarè reuelantur in tempore gratiæ fuiſſe occultam, (ideſt implicitam) in fide illorum, qui vixerunt tēmpore legis veteris. Tunc inquit, & occulta erat fides: nam eadem credebant, eademque ſperabant omnes iuſti, & ſancti etiam temporum illorum, & promiſſiua erant illa omnia Sacramenta, omniſque ritus ille ſacrorum. Nunc autem reuelata eſt fides, in quam concluſus erat populus, quando ſub lege cuſtodiebatur.

D. Aug.

Inſinuatur etiam eadem diſtinctio à S. Gregor. lib. 2. Moralium cap. 25. in illud Iob. Boues arabant, & Aſinæ paſcebantur iuxta eos. Boues autē interpretatur eſſe Doctores, qui in explicanda fide laborant. Aſinas autem eſſe ſimpliciores fideles, qui iuxta doctiores paſcuntur doctrina & fide implicitè credentes, quod illi credunt explicitę.

D. Greg.

His explicatis antequam quid tenēdum ſit circa hanc difficultatem per concluſiones explicemus conuellenda eſt quorumdam Neothericorum Theologorum ſententia qui (vt refert Michael Medina lib. 4. de recta in Deū fide cap. 6.) editis libellis, quos doctrinas Chriſtianas inſcribunt, docent quemcumque Chriſtianum poſt diſcretionis annos peccare mortaliter niſi omnes articulos fidei viua memoria conſeruet, atque idem de Chriſtianę religionis Sacramentis, imò de Decalogi mandatis perſuadere conantur. Quæ ſententia præterquam quod omnibus ſcholaſticis Theologis aduerſatur, poteſt eſſe multorum ſcandalorum, atque deſperationis ſeminarium; Nam experientia videmus, non tantum ex plebeis, & extremis, ſed ex medіocri, imò ex ſupremo ciuium ordine plures Apoſtolicum Symbolum, fidei articulos, decalogi præcepta & Eccleſiæ Sacramenta memoria haud retinere, non alia ex ratione: niſi quia parum memoria valeant, quos nefas eſt affirmare lethaliter peccare.

Iſtorum autem ſentētiam facile confutabimus, ſi ſcholaſticorum Theologorum ſentētias de hac re referamus. Sanctus itaque Thomas 3. Sent. diſt. 25. quæſt. 2. artic. 3. Explicare articulos (inquit) contingit dupliciter, vno modo quantum ad ipſorum articulorum ſubſtantiam, ſecundum quod homo ipſos articulos diſtinctè ſcit; alio modo

D. Thom.

Digitized by Google

quantum ad ea, quę in articulis continentur implicite, quod quidem contingit dum homo ſcit ea, quæ ex articulis conſequuntur, & vim veritatis ipſorum articulorum, per quam poſſunt defendi ab omni impugnatione. Ad primam quidem explicationem totalem, tenentur omnes, qui officium habent docendi fidem, ſiue ex gradu dignitatis ſicut Sacerdotes, ſiue ex reuelatione ſicut Prophetæ, ſiue ex miniſterio ſicut Doctores, & Predicatores; non autem alij, quibus non incumbit officium docendi fidem: quia cum ipſi non habeant niſi ſe ipſos regulare, ſufficit illis articulos cognoſcere, per quos poſſint propriam intentionem dirigere in finem vltimum. Ad ſecundam vero explicationem articulorum, non tenetur aliquis totaliter, vt ſciat omnia explicare, quæ in articulis de ſalute continentur: quia hoc non poteſt niſi in Patria, &c. Quibus verbis aperte docet. D. Thom. ad integram explicationem articulorum, quantum ad eorum ſubſtantiam, ideſt vt integrè, & diſtinctè ſciantur, tantum eos de neceſſitate ſalutis compelli, qui munus habent docendi. Neque vero in partibus, vbi plura ex his, quæ antea probauerat ſolet reijcere, huic contrarium docuit.

D. Bonau. Docet id Clarius D. Bonauentura, hac d. quæſt. 3. Si quæratur inquit, an omnes Aduentum Chriſti ſubſecuti teneantur explicite credere vniuerſos articulos fidei? Reſpondendum, quod imò. Quod tamen tripliciter poteſt intelligi; Primo quod teneantur credere omnes articulos fidei implicite, Secundo quod explicite; Tertio quoſdam explicite, quoſdam implicite. Credere omnes implicite eſt fidei diminutæ, nec ſufficit modo alicui vſum rationis habenti; Credere in communi redemptorem & remuneratorem, in tantum enim notitia quorumdam articulorum fidei manifeſta eſt, quod nullus ratione vtens eos ignorat, niſi omnino ſit negligens, & contemnens Dei cultum & ſalutem ſuam. Credere autem quoſdam implicite, & quoſdam explicite ſufficit ad ſalutem: quia ſimplicium fidei hoc poteſt ſufficere, nempe illos tenetur explicite credere, quos ei manifeſtat non ſolum prædicatio, ſed & Eccleſiaſticus vſus, & conſuetudo; ſicut eſt fides de Trinitate, quam poſſumus nos ſcire ex ipſo actu conſignationis; conſignat enim ſe in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſicque eſt de Chriſti Natiuitate, Paſſione, Reſurrectione, & peccatorum remiſſione; quos omnes articulos cognoſcere poſſumus ex ipſis ſolemnitatibus Eccleſię, ideirco ab horum notitia nemo ratione vtens excipitur, neque ignorantia ſe excuſat, cum talis ignorantia eſſe nequeat ſine negligentia, & contemptu. Alios autem articulos non tam manifeſtos, tenetur credere implicite; Credere autem implicite voco, vt in generali credant omne, quod credit ſancta Mater Eccleſia, ita quod in particulari a nullo illorum diſſentiant, neque alicui contradicant, neque aliquem illorum diſcredant. Porrò credere omnes articulos fidei explicite eſt fidei iam prouectę, nec neceſſarium generali fidei neceſſitati, ſed ſi alicui neceſſarium eſt, illis potiſſime, qui in fidei profecerunt notitia, & qui alios habent fide inſtruere, ſeu prædicandi, ac præſidendi ſumunt officium. Multi tamen ſunt ſimplices boni; qui quamuis ſint paruæ cognitionis, attamen ſunt magnæ deuotionis. Hactenus D. Bonauentura.

Albert. Albertus magnus hac d art. 4. non modo explicite, ſed neque implicitè, credet vulgus ad omnes articulos obligari; niſi inquantum à maioribus docentur.

Scotus. Scotus in hac q. enumeratis omnibus fidei articulis, quærit an ſit neceſſarium habere actũ circa omnia hæc, vel aliqua illorum. Cui quæſt. ita reſpondet. Dico, quòd neceſſarium fuit pro omni ſtatu habere actum implicitum de omnibus; tunc enim habetur actus implicite, quando habetur habitus, ſed habere ſolum talem actum non ſufficit, ſed in habẽti vſum rationis requiritur, actus diſtinctior, & explicitus, ſed non requiritur neceſſario in quolibet pro ſtatu iſto, ſcilicet quòd omnes illos articulos explicite, & diſtinctè credat, quia Deus nullum obligat ad impoſſibile, & ideo ſi ſit aliquis rudis qui non poſſit concipere, quid eſt natura, & quid perſona; non eſt neceſſe, quod habeat actum explicite de articulo pertinente ad eſſentiæ vnitatem, & perſonarum Trinitatem, ſicut habent clerici litterati, ſed ſufficit, quòd ſi non poteſt talia intelligere; quia nec nouit terminos; quod credat ſicut Eccleſia credit. Quilibet tamen habens vſum rationis tenetur pro aliquando, ad aliquem actum explicitum, & maxime ad illa, quæ ſunt facillima ad concipiendum, ſicut quod Chriſtus natus eſt, & paſſus, & alia quæ pertinent ad redemptionem. Sic igitur omnes tenentur ad aliquem actum explicitum pro aliquando, & ad alios in generali, vt ſcilicet credat quod Eccleſia credit, ſed ad omnia credenda explicite tenentur maiores in Eccleſijs, qui præficiuntur alijs, & tenentur alios in fide inſtruere, verbo veritatis, & exemplo honeſtatis; & de huiuſmodi loquitur Auguſt. 14. de Trinit. cap. 1. Aliud eſt ſcire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiſcendam vitam beatam, quæ non niſi æterna eſt. Aliud eſt ſcire quemadmodum hoc ipſum & pijs opituletur, & contra impios defendatur, quod eſt maiorum in Eccleſia. Hactenus Doctor ſub.

Ricardus quæſt. 2. ita decernit. Reſpondeo, quod *Ricardus.* qui aduentum Chriſti ſecuti ſunt quidam ſunt, quibus vel ratione officij, vt Doctoribus, vel miniſterij, vt Prędicatoribus, vel ratione gradus dignitatis, vt Prælatis, vel ratione ſpecialis actus illuſtrationis, vt Prophetis incumbit non tantum dare operam, vt ſe ipſos diſponant ad hoc vt perducantur in finem, quamuis hoc principaliter teneantur, ſed etiam incumbit eis dare operam, quantum in eis eſt, vt alij perducantur in finem. Alij ſunt minores, quibus doctrina fidei à maioribus determinata eſt, & ſic videmus fieri, quòd diuinæ illuminationes deriuantur à ſuperioribus ad inferiores. Dico ergo, quòd oportet ſuperiores habere in Eccleſia notitiam pleniorem, quam inferiores; Vnde ſuperiores prædictos credo teneri ad credendum omnes articulos fidei explicite, quamuis non teneatur quilibet eorum credere numerum illorum, aut artificialem diſtinctionem illorum. Minores vero tenentur explicite credere omnes articulos, qui magis ſunt neceſſarij ad dirigendum in finem, & qui in Eccleſia ſolemnizantur communiter, & publice, vt ſunt articuli pertinentes ad perſonas, & articuli pertinentes ad vnitatem eſſentiæ, & Chriſti Natiuitas, Paſſio, Reſurrectio. Aſcenſio, Aduentus ad *Durand.* Iudicium, non tamen tenentur ad credendum omnes *Baſſolus.* articulos fidei explicitè. Hæc Ricardus. Idem docent *Gabriel.* Durandus hac diſtinctio. quæſtio. 1. num. 8. & 9. Baſ- *Gerſon.* ſolus quæſtione vnica artic. 3. Gabriel quæſtione vnica *Almain.* artic. 2. Concluſio. 2. Gerſon in Compendio Theologi- *Orbellus.* cæ veritatis tract. de virtutibus Theologicis. Almainus in tertio diſtinctione 25. queſtione vnica. Nicolaus Orbellus quæſtione prima. Vnde ex iſtorum Theologorum vniformi conſenſu apertè cognoſcitur, quam ſine contradictione fuerit ſemper omnibus ſapientibus perſuaſum, integram iſtam, aut explicitam articulorum notitiam nequaquam eſſe de neceſſitate ſalutis, quod iſti contendunt. Cum vix (vt recte dicit Orbellus) doctiſſimi viri, & qui bonam ætatis partem ſanctorum Scripturarum cognitioni, & Theologicis diſputationibus inſumpſerunt, omnes Chriſtianæ religionis articulos, qui in illis 12. vel 14. implicite continentur memoria contineant.

Contrarium eſt etiam rationi, & prorſus inauditum, Chriſtianos omnes ad numerum Sacramentorum ſciendum de neceſſitate ſalutis eſſe aſtrictos; cum nullus, quæ ad ſe non pertinent ſcire teneatur; vniuerſa autem Sacramenta eidem homini conuenire non poſſunt. Quamuis enim quæ ſingularibus hominibus medendis decernuntur, qualia ſunt Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, & extrema vnctio, vni & eidẽ ſubiecto conueniant, matrimonium tamen, & ordo ſacer ex eccleſiæ conſtitutione, aut vt quidam volunt ex diuino iure, eidem homini conuenire non poſſunt. Quin etiam ex Chriſtianis Sacramentis quædam ſunt de neceſſitate ſalutis ſimpliciter vt Baptiſmus, quędam ex ſuppoſitione, vt Pœnitentia, quædam nullam neceſſitatem niſi ad non contemnendum Chriſtianis inducunt, vt Confirmatio, Euchariſtia, & extrema vnctio, quædam, quæ non ſingularibus hominibus, ſed vniuerſę communitati ſunt neceſſaria; qualia matrimonium & ordo.

Quare

Quare eſt prorſus aduerſum non modo rationi, ſed omni Theologiæ affirmare à quarto decimo ætatis anno, quemuis Chriſtianorum de ſalutis neceſſitate ad eorum numerum memoriæ continendum aſtringi. Atque idem iudicium eſt de decem decalogi præceptis, vt infra in materia de præceptis ſuſius explicabimus.

Ingens eſt ergo eorum audacia, qui ſine vlla ratione, aut fundamento, contra veterum Theologorum placita ſolum ſua authoritate, pronunciant eum mortaliter peccare, qui vel articulos fidei, vel Eccleſiæ ſacramenta, vel decem decalogi præcepta memoria non tenent, ſed maior eſt, & pernicioſior eorum Sacerdorum ſtupiditas, ne dicam ſuperſtitio, qui horum libellorum authoritate, miſeros ruſticos, ſutores, Carpentarios, imo non vulgares ciues abſolutione peccatorum fruſtrantur, quod iſta omnia viua memoria non ſeruent, & coram eis imperturbate pronuncient. Quod ſi ab eis exquireretur forſan non eſſent facturi. Non damno imo ſummis laudibus effero eos Paſtores, qui certis pœnis ad hęc omnia dicenda ſubditos vrgent, præſertim quo magis intelligant vernacula lingua, ſed ita eſſe neceſſariam eorum omnium explicatam memoriam, vt ſine illis, vt iſti contendunt, nemo conſequatur ſalutem, omnino falſum exiſtimo. Et ſi quæ concilia reperiuntur oppoſitum aſſerentia, vt Cabillonenſe, & Remenſe, vel ſunt tantum prouincialia, vel tantum loquuntur cum Paſtoribus, vel tantum exiguunt cognitionem quo ad ſubſtantiam. Hac itaque ſententia exploſa reſpondetur ad quæſtionem ſequentibus Concluſionibus.

Prima Concluſio. Actus implicitus fidei circa articulos fidei fuit omni tempore neceſſarius, patet, quia tunc habetur actus implicitus, quando habetur habitus, ſed habitus ſemper fuit neceſſarius, vt dictum eſt art. 1. concl. 1. ergo &c. hæc concl. eſt Scoti hac q. ſub littera D.

Secunda Couclusio. In habente vſum rationis, non ſatis eſt habere actum implicitum, ſed requiritur actus diſtinctior, & explicitus, probatur, quia propoſitis credibilibus habenti vſum rationis, neceſſe eſt, vt aſſentiatur illis, hæc concl. eſt etiam Scoti vbi ſupra.

Tertia Concluſio. In ſtatu gratiæ non eſt neceſſe cuilibet homini priuato, quod explicite, & diſtincte credat omnes articulos fidei; probatur. Deus neminem ad impoſſibile obligat, ſed poteſt dari aliquis ita rudis, vt non poſſit concipere diſtincte, quid ſit natura, & quid perſona; ergo talis non tenetur credere, explicite, & diſtincte articulum, pertinentem ad vnitatem naturæ, & Trinitatem perſonarum, ſicut credit doctus; ſed tali rudi ſufficiet credere, ſicut Eccleſia credit, hæc concluſio Scoti, ſic eſt intelligenda; Quod re vera, quicumque Chriſtianus etiam rudis tenetur explicite credere articulum Trinitatis ſub ratione ſibi poſſibili, quantumcumque confuſa; ita, vt per actum quem habet ſit ſufficienter diſpoſitus ad reſiſtendum oppoſito huius articuli, ne inducatur, vt exiſtimet plures eſſe Deos, aut Deum non eſſe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, ſed quod quærenti ſibi de Deo reſpondeat, quod eſt Trinus, & vnus. Trinus ſcilicet in perſonis, & vnus in eſſentia. Si vero poſtea rogetur, quid nam ſit natura, & de eius vnitate, & quid perſona, & quo pacto vna natura in tribus ſit perſonis, ad hoc non tenetur niſi, doctus, vt magis infra explicabimus.

Quarta Concluſio quilibet habens vſum rationis, tenetur pro aliquando ad aliquem actum explicitum fidei articulorum maximè ad eos, qui ſunt faciles intellectu, ſicut, quod Chriſtus natus eſt, paſſus ſepultus reſurrexit, & huiuſmodi; hæc concluſio eſt Scoti, vbi ſupra.

Quam ita explico, ommibus neceſſum eſt explicitè credere, quatuor articulos de vnitate, & exiſtentia Dei, & Trinitate perſonarum modo ſuper explicato. i. quód modo ſibi poſſibili tenetur appræhendere, & explicite credere hoc myſterium, ita, quod firmiter aſſerendum eſt, neque circa iſtos articulos, neque circa aliquem aliũ ex 14. ſufficere priuato fideli, vt requiſitus reſpõdeat pręciſe ſe credere id, quod credit Eccleſia, ſicut ſibi reſpondere licebit de alijs fidei ſubtilitatibus, quas explicite credere non pertinet ad ipſum, quod notauit Scotus illa particula diſtincte 20. tenentur omnes credere explicite articulum de creatione vniuerſi de remiſſione peccatorum, & vita æterna: nam neceſſe eſt credere Deum eſſe Creatorem, & Saluatorem, ſeu iuſtificatorem, & glorificatorem: nam etiam hæc requirebantur in lege naturæ.

Tertio ſunt explicite credendi de Chriſto Domino quattuor articuli, Natiuitatis, Paſſionis, Reſurrectionis, & aduentus, implicite verò in Reſurrectione articulus Aſcenſionis, in Natiuitate Conceptionis, in Paſſione deſcenſus ad inferos, quia ſufficit de Chriſto ea explicite credere, quibus nos deuicto Dęmone duxit in fine vltimum, vt docet. S. Thomas in 3. loco ſupra citato, ſed hæc ſunt quatuor illa myſteria: nam ad hoc, quod nos ad talem finem reduceret quatuor requirebantur, primo, vt noſter propugnator inſtrueretur, quod eſt factum in natiuitate. Secundo, vt propugnaret; quod factum eſt in Paſſione. Tertio, vt vinceret, quod in reſurrectione æternitatis aditum deuicta morte reſerauit. Quarto, quod victorijs ſuis omnes participes faceret, quod erit in iudicio. Et in articulo Natiuitatis, eſt probabile præcepto Eccleſiaſtico Apoſtolico, & diuino teneri fideles ad credendum explicite particulam illam ex Maria Virgine, quia videtur res valde neceſſaria, vt fideles veram Dei matris dignitatem, cognoſcerent, tum ob illius cultum, tum ob ipſorum vtilitatem. D. Thom.

Quarto credendus eſt articulus explicite de Eccleſia, nimirum eſſe vnam congregationem fidelium, ſub vno Pontifice Romano Chriſti Vicario, in qua ſunt multi iuſti, & ſacramenta ſanctificãtia: nam neceſſe eſt ſcire quã fidem profiteamur, puta congregationem fidelium per quam diſtinguimur à congregatione infidelium, & quia aliorum articulorum fides explicita quo ad nos reducitur ad authoritatem Eccleſiæ, & Deus per Eccleſiæ ſacramenta condonat peccata, & illos ſanctificat.

Reliquos vero articulos, vel tamquam non pertinentes ita proximè ad fidei ſubſtantiam, ſicut articulus conceptionis de Spiritu Sancto, deſcenſus ad inferos, ſeſſionis ad Dextram Patris, vel tamquam non ita neceſſarios, vt eſt articulus de paſſione ſub Pontio-Pilato, vel tamquam nimis difficiles, vt Sanctorum communio, cum Theologi dubitent, quid intelligatur per illum, cum aliqui talem articulum explicent de Eccleſia triumphante, alij de militante, alij de vtraque, præcepto fidei diuinæ non tenentur omnes fideles explicite credere, tenẽtur tamen præcepto Eccleſiaſtico. Nam ſtatuit Eccleſia neminẽ ex adultis ad baptiſmũ admitti, niſi prius didicerit ſymbolum, vt patet in multis concilijs; nullus tamen neque diuino, neque Eccleſiaſtico præcepto obligatur ſub mortali memoria retinere ipſos articulos, ſecundum ordinem artificialem, quo traduntur in tabella litteraria puerorum, ſed tantum, vt rogati de vno quoque articulo ſciat reſpondere veritatem.

ARTICVLVS V.

Vtrum pro omni ſtatu fuerit neceſſarius homini viatori ad conſecutionem iuſtificationis, & gloria actus fidei ſupernaturalis.

NOn loquimur in hoc articulo de paruulis carentibus vſu rationis: iſti enim nullum actum ſupernaturalem poſſunt habere, ſed loquimur de adultis ratione vtentibus; Actus autem fidei poteſt dici ſuper naturalis tripliciter, primo effectiue tantum, vt quã do obiectum eſt cognoſcibile lumine naturali, non tamẽ de facto ſic cognoſcitur, ſed lumine ſuper naturali fidei, vt cognitio huius Deus eſt vnus in nõ Phyloſophis Chriſtianis. Secundo obiectiue tantum, vt qñ veritas, quæ cognoſcitur non eſt cognoſcibilis ratione naturali, cognoſcitur autem abſq; vllo lumine diuino, vt cognitio huius Deus eſt Trinus, & vnus in hæretico, qui non præſtat aſſenſum illi effectiue ex lumine fidei infuſæ neque ex ſpeciali auxilio Dei: non enim credit propter vtilitatem Eccleſiæ, quam ipſe negat, ſed vel fide acquiſita, vel propter rationes, quas ipſe finxit, atque adeo talis

Actus fidei põt dici ſuper naturalis tripliciter.

Digitized by Google

credulitas non eſt effectiuè actus fidei, ſed opinionis. Tertio obiectiuè, & effectiuè ſimul, vt quãdo obiectum eſt ſupernaturale omnino, & aſſenſus eius generatur ex auxilio Dei ſpeciali, quomodo Chriſtiani credunt myſteria fidei.

Senſus quæſt.

Senſus ergo tituli eſt, an tam ad gratiam conſequendã in hac vita, quam ad beatitudinem in alia ſemper fuerit neceſſarium habere aliquem actum fidei obiectiuè, & effectiuè ſupernaturalem. Pro cuius ampliori explicatione obſeru. eſt, quòd fides ex ſe eſt ſupernaturalis, tã obiectiue, quam effectiue, id eſt, non ſolum obiectum fidei eſt ſupernaturale, & ſupernaturaliter reuelatum, ſed etiam credere illi eſt ſupernaturale.

Salus eſt duplex.

Secundo obſeruandum eſt, quòd ſalus eſt duplex, ſcilicet prima, & vltima, primam ſalutem appellant Theologi iuſtificationem; quo pacto ſalus accipitur ad Epheſios. 2. Gratia eſtis ſaluati per fidem &c. & ad Titum 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. Vltimam autem ſalutem dicũt beatitudinem, quo pacto accipitur Marci vltimo. Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit.

Tripliciter dicitur aliquid neceſſarium ad ſalutẽ.

Tertio obſeruãdum eſt, quod aliquid eſt neceſſarium ad ſalutem tripliciter, neceſſitate præcepti tantum, vt reſtituere aliena, confiteri fidem &c. Secundo neceſſitate finis tantum, quia ſcilicet eſt medium neceſſarium ad finem conſequendum, vt gratia ſine qua nequit ſalus conſequi, & tamen non eſt ſub præcepto; quia eſt habitus, & præcepta tantum dantur de actibus. Tertio neceſſitate præcepti & finis ſimul, quando ſine alicuius impletione non poteſt euitari peccatum, nec finis obtineri, ſic eſt votum baptiſmi in adultis, & pœnitentia poſt commiſſum peccatum.

Quæ ſint media ad iuſtificationem.

Quarto obſeruandum eſt, quòd præciſa media ad iuſtificationẽ neceſſaria ſunt quæ reuelantur à Deo in ſcriptura, & præter illa nulla ſunt, probatur ex quidditate iuſtificationis. Eſt enim conuerſio in Deum per amicitiam, quæ fieri non poteſt niſi per media ab ipſo Deo definita; ſicut nullus poteſt contrahere amicitiam cum Rege, vel cum æquale niſi per media ab ipſo præfinita.

Homo quid a Deo accipiat ad operãdum.

Quinto obſeruandum eſt, quòd homo accepit à Deo ad hoc vt operetur principium operandi, & concurſum Dei, ſiue influentiã, ſed ad operandũ opera naturalia, accipit homo principium, & virtutem naturalem, & motũ naturalem, ſiue auxilium naturale, ſeu concurſum naturalem Dei: qui dicitur naturalis: quia ex diuino pacto eſt debitus cuicumque agenti naturali; at vero ad operandũ opera ſupernaturalia indiget principio operandi ſupernaturali & auxilio Dei, ſiue motu, aut cõcurſu ſupernaturali. Principia ſupernaturalia ſunt, quę Deus infundit in homine, vt fides, ſpes, & charitas; motus vero, ſeu cõcurſus dicitur ſupernaturalis auxilium Dei ſpeciale. Vnde cum omnia opera gratiæ ſint ſupra facultatẽ naturæ, ad omnia illa, & ſingula, quandocumque, & quomodocumque præſtanda neceſſarium nobis eſt auxiliũ ſupernaturale, & principium ſupernaturale licet inter auxilia ſit diſcrimen: quia quædam ſunt antecedentia, quædam concomitantia, quędam ſubſequentia; quędã ſunt maiora, quędam minora, quędã magis, quędam minus ſpecialia, & tandem quędam ſufficientia, & quędam efficacia de quibus alias.

Error Manichęorũ.

His explicatis circa propoſitam difficultatem, fuit primo error Manichęorum, qui cõtendebant nihil amplius eſſe credendum, quam quod poſſit euidenti ratione demonſtrari, itaque Catholicos, qui alia crederent irridebant, ſe autem poſſe omnia demonſtrare, quę ad ſalutem pertinent profitebantur, qua ratione D. Aug. lib. de vtilitate credendi cap. 1. narrat ſe per aliquot annos ab illis fuiſſe deceptum; cęterum eodem lib. pręſertim, cap. 10. & 12. eruditiſſime illum errorem, atque ſtultitiam coarguit; Eũdem errorem ſecutus eſt poſte Abylardus, contra quem ſcribit D. Bernardus.

D. Aug.

D. Bern.

Error Pelagij.

Secundo Pelagius circa hac dubium duo aſſerebat; Primum, quod habenti notitiam Euangelij abſque fide non poſſunt ſaluari; Secundum quod ignorantes inuincibiliter Euangelium, poſſunt ſaluari abſque fide, quę nõ requiritur ad cognoſcendũ, ſed ad facilius cognoſcendũ.

Aliqui etiam Catholici, docuerunt ex parte voluntatis neceſſarium eſſe auxilium ſupernaturale, vt homo iuſtificetur; & in hoc differebant à Pelagio, dicebant tamẽ ex parte intellectus ſufficere habitum fidei infuſum ſimul cum charitate ſine actu fidei ſupernaturalis, & hoc omni tempore aiebant ſufficere ad iuſtificationem homini; cui non eſt vel prædicatum Euangelium, vel annunciatum aliquod ſupernaturale; Hanc ſententiam docuerunt Sotus de natura & gratia lib. 2. cap. 11. in impreſſione facta Venetijs; qui poſtea retractauit ſententiã in 4. diſt. 1. q. 2. art. 3. & Vega ſuper Cõcilium Trident. lib. 6. cap. 17. 20. & 22. qui dicit etiam nunc laborantem ignorantia inuincibili viuius Dei poſſe iuſtificari abſque actu fidei ſupernaturali, ſi naturaliter faciat quod in ſe eſt: Nam dicere (inquit ipſe) quòd talem Deus illuminabit, eſt facere homines prophetas: quia illa illuminatio prophetia videtur: & multis rationibus intẽdit probare poſſe dari caſum in quo ſufficiens ſit naturalis cognitio Dei, legisque naturalis obſeruatio ad ſalutem conſequendam.

Sotus.

Vega.

Et primo ſic arguitur pro Vega. Qui habent ignorantiam inuincibilem legis Euangelicę ſaluantur, & tamen carent omnino cognitione ſupernaturali, ergo cognitio naturalis ſufficit ad ſalutem. Probatur maior. Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam iuſtificantem; ſed ſemel iuſtificatus dignus eſt vita æterna; qui enim deceſſerit in gratia, gloriam conſequetur, ergo &c. Confirmatur, quia alias ſi cognitio ſupernaturalis ita eſſet neceſſaria ad ſalutem, vt ſine illa non poſſet homo ſaluari; ſequeretur, quod etiam aliquis faciendo, quod in ſe eſt, pro aliquo tempore eſſet extra gratiã Dei, etſi tunc moreretur damnaretur, quod alienum eſt à Diuina miſericordia, & iuſtitia: quia Deus nunquam deſerit facientẽ, quod in ſe eſt: probatur ſequela, quia Deus non reuelat miraculoſe ſuam fidem inculpabiliter, ſeu inuincibiliter ignorantibus, ſed communi concurſu, nempe, vt ait Paulus ex auditu, ſed homo audire non poteſt ſine prędicante, prædicari autem non poteſt fides niſi mittatur prędicator, & cum hoc requirat longum tempus, ſequitur, vt pro aliquo tempore, quicquid homo facit ſit expers diuinę gratię, & ſi eo tempore moriatur damnetur.

Secundo ſic arguitur. Pro vnoquoque ſtatu generis humani ſufficiebat hominibus ad ſalutẽ ea cognitio, quæ ſecundum legem illius ſtatus regulariter ſine miraculo poterat haberi de Deo; ſed pro ſtatu legis naturæ ſola cognitio naturalis poterat regulariter haberi de Deo; ergo illa ſufficiebat ad ſalutem, ſine alia ſupernaturali cognitione. Probatur maior: quia Deus nunquã reliquit hominem ſine remedio ordinario ſufficienti ad ſalutem ſine miraculo; quia Deus vult omnes homines ſaluos fieri. 1. ad Thim. 2. hoc eſt dat omnibus regulariter omnia ſufficientia ad ſalutem.

Tertio arguitur. Suppoſita opinione D. Thomæ 1. 2. q. 89. art. 6. quòd homo in inſtanti primo vſus rationis poteſt, & tenetur ſe conuertere in Deum, alias peccat mortaliter. Tunc ſic talis homo, non baptizatus in ſolo peccato originali exiſtens iuſtificatur per ſolam conuerſionẽ ſecundum rectam rationem abſque fide ſupernaturali, quam tunc non habet nec poteſt habere naturaliter, (ſupponimus enim eſſe nutritum in ſiluis, vel inter Barbaros, & habere ignorantiam inuincibilem fidei) ergo ad iuſtificationem non eſt neceſſarius actus fidei ſupernaturalis: Probatur antecedens: quia facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam. Et confirmatur ponamus dictum paruulum in illo primo inſtanti habere hunc actum naturalem ſuſcipiendi baptiſmum; ex hoc ſolo, quia videt alios pueros baptizari à Sacerdotibus, tunc baptizatus nõ ponit obicem Sacramento, ergo iuſtificabitur, & tamen non habet ſupernaturalem cognitionem.

D. Thom.

Quarto arguitur. Poſſibile eſt aliquem hominem adultum ſaltim in ſtatu legis naturę habere ignorantiam inuincibilem fidei; & etiam eſt poſſibile ipſum facere totum, quod in ſe eſt ad gratiam conſequendam: quia poteſt obſeruare præcepta naturalia: ergo iuſtificabitur abſque fide ſupernaturali: quia facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam iuſtificantem.

Quinto arguitur. In lege naturæ nullum erat præceptum præter naturale; ideo enim vocabatur lex naturalis, ergo nullum erat præceptum de ſupernaturali

cogni-

Digitized by Google

cognitione habenda,& per conſequens talis cognitio non erat neceſſaria.

Sexto arguitur. Homo ignorãs inuincibiliter fidem poteſt de lege in quocumque inſtanti iuſtificari,non tamen poteſt de lege in quocumque inſtanti habere fidem, ergo ſine illa poteſt iuſtificari: maior eſt nota ex illo Ezechielis 18. & 33. & aliàs. Probatur minor ex D. Paulo ad Rom.10.fides eſt ex auditu,& tamen non poteſt pro quocumque inſtanti habere prædicatorem.

Settimo arguitur. Ex D. Paulo ad Rom.2. Qui poſtquam dixit. Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur,ſed ſubdit. Gentes,quæ legem non habent,naturaliter ea, quæ legis ſunt faciunt, *D. Thom.* vbi D. Thomas,exponit naturaliter, ideſt per cognitionẽ naturalem Dei ex quo ſic ſeruantes legem naturæ ſaluantur, ſed gentes ſolam cognitionem naturalem habentes poterant per liberum arbitrium eleuatum auxilio ſpeciali Dei ſeruare legem naturæ, ergo poterant abſque ſupernaturali cognitione ſaluari.

Octauo arguitur. Ex D. Paulo ad Hebræos 11. Accedentem ad Deum oportet credere:quia eſt,& quia remunerator eſt,vbi ſolum illa, duo neceſſario credenda ad ſalutem conſequendam ponit,ſed hæc poſſunt cognoſci lumine naturali, ergo in ſtatu legis naturæ non requirebatur fides ſupernaturalis: *Caietan.* minor eſt Caiet. in dicto capitulo, vbi adhibet, & probat, quòd multi Phyloſophi naturaliter cognouerunt Deum eſſe; & omnes aſſerentes animam noſtram eſſe immortalem per conſequens cognouerunt eſſe remuneratorem bonorum, de quo vide D. *D. Chriſt.* Chriſoſtomum Hom.4. de fato,& prouidentia:& etiam probatur quia demonſtrabile eſt Deum eſſe iuſtum, ſed ad iuſtitiam ſpectat punitio malorum, & remuneratio bonorum, ergo cognoſcabile etiam eſt lumine naturali *Toſtat.* Deum eſſe remuneratorem. Et confirmatur ex Toſtato Paradoxo.5.c.132. Vbi ait Socratem Platonem, & Ariſt. ſaluatos eſſe ſola lege naturali recte ſeruata. *Sotus.* Quod probabile cenſet Sotus 2.de iuſt.q.1.art.3.& *Cl. Alex.* Clemens 6.ſtromatum vbi ait,quoſdam ante Chriſti aduentum, cum ſola cognitione naturali deſcendiſſe ad limbum, atq; adeo per ſolam cognitionem naturalem eſſe iuſtificatos, ſed poſtea accepta reuelatione à Chriſto Saluatos eſſe. Quod idem aſſerunt multi recentiores, & probant ex 1. Petri 3. vbi dicitur Chriſtum Dominum deſcendiſſe ad inferos, & prædicaſſe iis, qui erant in carcere, qui increduli fuerunt aliquando.

Corduba. Contra hanc ſententiam latiſſimè arguit Corduba lib. *Sotus.* 2.quæſtionarij, Theologici q.5. Quam Sotus in 4. loco *Cano.* ſupra citato,& d.5.q.1.art.2.expreſſe dicit eſſe hæreticam: & Cano in relectione de ſacramentis p.2.q.2.concl.1.cũ formidine tamen ſic eam cenſet. Corduba temerariam, & ſapere hæreſim, eam appellat temerariam quidem: quia eſt contra Doctores communiter oppoſitam ſententiam docentes;ſapere hæreſim verò,tum, quia eſt contra authoritates ſcripturæ, & conciliorum, vt ſtatim videbimus; tum quia valde probabiliter, quamuis non euidenter ex hæreſi ſequatur, ſententia tamen Vegæ abſolute id non aſſerit, neque dicit inuincibilem ignorantiam Dei,aut eius fidei nunc dari poſſe, (negat enim vlli vnquã de facto contigiſſe ſalutem abſque ſupernaturali actu fidei.) Ideo hæretica non eſt,tamen adhuc eſt contra communem ſententiam Doctorum, & temeraria, vel ſapiens hæreſim videtur.

1. Concl. Ideo contra hanc ſententiam ſtatuitur hæc concluſio. Quamuis aliquis olim, vel nunc poſſit habere ignorantiam inuincibilem huius,Deus eſt, tamen manente tali ignorantia impoſſibile eſt ipſum iuſtificari, quantumcumque recte viuat ſecundum naturalem rationem. Probatur. Nullus iuſtificatur niſi per motum liberi arbitrij in Deum ſummè dilectum, ſed laborans tali ignorantia, non poteſt Deum diligere; ergo nec iuſtificari. Maior probatur ex illo Prouer. 8. Ego diligentes me diligo,& Lucæ 7.Remittuntur ei peccata multa,quoniam dilexit multum;& eſt definita in Concl.Trid.ſeſſ.6.can.4.& 9. Probatur minor, quia voluntas non fertur niſi in præcognitum,ex quo ſequitur,q̃ ſi talis moriatur dãnabitur,non pp infidelitatem priuatiuam, à qua excuſatur pp ignorantiã inuincibilẽ,ſed pp alia peccata cõmiſſa,quorũ pænitere non potuit propter Deũ dilectum, quem ignorat,ſi autem ponas hunc nullum commiſiſſe peccatum impoſſibile eſt de lege mori,donec à Deo illuminetur,vel incidat in aliquod peccatum mortale: quia de lege non eſt in alia vita locus,pro adultis decedentibus cum originali, & ſolis venialibus.

Secunda Concluſio, Nunquam à lapſu Adæ fuit ſufficiens ad iuſtificationem naturalis cognitio vnius Dei, ſed *2. Concluſio.* ſemper fuit neceſſaria neceſſitate præcepti,& finis aliqua ſupernaturalis cognitio alicuius articuli fidei. Ideſt non ſufficit, neque fuit aliquando ſufficiens ad ſalutem, ſiuè primam ſiue ſecundam cognitio de Deo ratione naturali acquiſibilis,ſed ſemper fuit neceſſarius homini viatori, ad cõſecutionem iuſtificationis, & gloriæ actus fidei formaliter,& intrinſece ſupernaturalis, tam ex parte principij,quam ex parte obiecti,hæc cõcluſio eſt communis inter Theologos,& probatur primo ex ſcriptura. Nam D. Paulus ad Hebr.11.poſtquam enumerauit multos ſãctos præcedentes Chriſtum,& per eius fidem iuſtificatos, inquit ſancti per fidem vicerunt regna, &c. & iterum fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum etiam,ideſt fundamentum,ſed edificium eſt ſuper naturale, ergo & fundamentum ſimiliter, & in tota epiſtola ad Roman. hoc præcipue contendit,quod ſine fide impoſſibile eſt aliquem iuſtificari. Vnde cap.1.& 2.dicitur quod naturalis Dei cognitio legis ſcientia, & opera,nec iudæis,nec gentibus ſufficiunt ad ſalutem;& c.3. Vnus eſt Deus, qui iuſtificat circumciſionem per fidem, ideſt homines in lege ſcripta, & præputium ex fide.i. homines in lege naturæ, & iterum ex operibus legis non iuſtificatur omnis caro coram illo, iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes,& ſuper omnes qui credunt in eum; & cap.4.docet Abraham eſſe patrem omnium credentium per fidem, & quod nemo promiſſionem hæreditatis conſequitur niſi fuerit filius eius per fidem. denique eadem veritas manifeſte cõuincitur teſtimonio Domini noſtri Ieſu Chriſti. Ioan. 1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his,qui credunt etc.& c.3. Qui non credit iam Iudicatus eſt, & Marci vltimo. Qui non crediderit condemnabitur.

Secundo probatur ex Concilijs. In Concilio n. Mileuitano.c.4.habetur,vtrumque donũ Dei eſſe, & ſcire,quod *Concilium Mileuit.* facere debeamus,& diligere, vt faciamus.ſecundum Pſal. Qui docet hominem ſcientiam. Ad idem eſt Concilium *Concilium Carthag.* Carthaginenſe in epiſtola ad Innocentium,ex illo 2. Corint.8.Non ſumus ſufficientes cogitare etiam, & Cæleſtinus Papa ad omnes Galliarum Epiſcopos.c.9. *Cæleſtinus Papa.* omnis ſancta cogitatio,pium conſilium,omniſque motus bonæ voluntatis ex Deo eſt.& c.12.& 13. idem habetur. Et in Cõcilio Araus. cã.5. *Concilium Araus.* vbi id probatur illo teſtimonio Apoſt. ad Ephel.2. Gratia ſaluati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis donum n. Dei eſt, & ex illo ad Philip.2. vobis datũ eſt vt non ſolum pro Chriſto vt non ſolum in eum credatis &c.Et in Concilio Trident.ſeſſ.6.extant de hac duæ sẽ *Concilium Trident.* tentiæ præclaræ. Altera.c.7.vbi dicitur.Cauſa inſtrumentalis noſtræ iuſtificationis eſt Baptiſmus, quod eſt Sacramentum fidei, ſine qua nulli vnquam contigit iuſtificatio.& altera.c.8.vbi dicitur.Cum vero Apoſtolus dicat iuſtificari hominem per fidem,ea verba in eo ſenſu ſunt accipienda, quæ perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tenuit,expreſſitque, vt .ſ. per fidem iuſtificari dicamur; quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis,ſine qua impoſſibile eſt placere Deo,& ad filiorum eius cõſortium peruenire. Hæc ibi. Nunc autem ſi cognitio naturalis tantum de Deo poſſet eſſe principium iuſtificationis iam ex nobis poſſet eſſe noſtræ iuſtificationis initium,id quod Pelagiani docuerunt quod etiam eſt contra concilia prædicta.

Tertio probatur ex Patribus. Sanctus Hierony. ſuper *D.Hieron.* id ad Gal.2.Scientes quod non iuſtificatur homo ex operibus legis niſi per fidem Chriſti. Admonere,inquit, debemus ſanctos,qui antiquitus fuerunt non niſi ex fide Chriſti iuſtificatos eſſe &c. D.Auguſt.lib.1. contra duas epiſto *D. Aug.* las Pelagianorũ.c.20.& ſuper Ioan.tract.45.& epiſt.157. quæ ſcribitur ad Optatum idem docet, in hoc vltimo loco ſpecialiter dicens.Illa ſit fides ſalua,qua credimus nullum hominem, ſiue maioris, ſiue paruulæ quamlibet, & recentis ætatis liberari à contagione mortis antiquæ,& obli-

Digitized by Google

obligatione peccati; quod prima natiuitate contraxit; niſi per vnum Mediatorem Dei & hominum Chriſtum Ieſum, cuius hominis eiuſdemq; Dei ſaluberrima fide etiã illi iuſti ſalui facti ſunt, qui priuſquam veniret in carne crediderunt eſſe venturum. & Paulo inferius. Proinde cũ omnes iuſti ſiue ante incarnatũ Chriſtum, ſiue poſt, nec vixerint nec viuant niſi ex fide Chriſti: quia Act. 4. Non eſt datum aliud nomen ſub cœlo in quo oporteat nos ſaluos fieri; profecto ex illo tempore valet ad ſalutem generis humani, quo in Adam vitiatum eſt, Hæc ille. Et ad idẽ eſt. lib. 83. qq. 68. & lib. de correct. & gratia. c. 2. & 7. & de natura & gratia, & de libero arbitrio, & de ſpiritu, & litera. c. 29. 30. & 31. & multis alijs in locis. Idem docent D. *Ambroſ.* Ambroſius ſuper. 1. ad Thim. 2. & lib. 1. officiorum. c. 29. *Chriſoſt.* & lib. 3. epiſt. epiſtola 84. Chriſoſt. hom. de fide & lege *Baſilius.* naturæ, & hom. 32. in Ioan. Baſilius Concione in pſal. 115. *Leo.* Leo. ſer. 4. de Natiuitate Domini. & Iræneus lib. 5. c. 20.

Iræneus. Quarto probatur rationibus. Impoſſibile eſt id, quod eſt in potentia peruenire ad actum niſi per motum, quo mouetur in ipſum actum ab agente exiſtente in actu, vt patet. 3. Phy. tex. 17. & 3. de anima. cap. 5. ſed homo eſt in potẽtia ſuapte natura, & non in actu ad iuſtificationem, & glorificationem; ergo non poteſt peruenire ad actum niſi per motum, quo mouetur ab agente. ſ. à Deo, qui ſolus eſt actu iuſtus, & actu beatus iuſtitia, & beatitudine ſupernaturali, & potens iuſtificare, & glorificare. Tunc vltra homo eſt in potentia ad iuſtificationem, vt procedat de potentia ad actum ſecundum ſupremum gradum ipſius, quo homo eſt, ſed ſupremus gradus hominis eſt, q̃ libere moueatur, & agat; ergo quando homo mouetur ad iuſtificationem, mouetur intrinſece actu libero, tunc vltra; Nullus motus liber poteſt eſſe in homine; niſi præcedente cognitione obiecti, ita vt cognitio obiecti ſit eſſentialiter ſubordinata ad ipſum motum liberum; quia nihil volitum quin præcognitum, ergo cognitio intellectus eſt medium neceſſarium ad motum liberum iuſtificationis; ſed hæc cognitio intellectus ordinata ad motum iuſtificationis non poteſt eſſe alia, quam cognitio fidei, ergo cognitio fidei eſt medium formaliter, & intrinſece neceſſarium ad motum iuſtificationis; atque ita Concilium Tridem. ſeſſ. 6. cap. 8. docet fidem eſſe humanæ ſalutis initium radicem, & fundamentum omnis iuſtificationis.

Secundo probatur ſi per ſolam naturalem cognitionẽ poteſt contingere ſalus hominum, ergo & per legẽ Moyſi. Sed D. Paulus docet ad Gal. 2. quod ſi per legẽ eſſet iuſtitia, Chriſtus gratis mortuus eſſet, ergo ſi lex ſcripta eſt inualida ad iuſtificandos homines, & cognitio naturalis, quæ infirmior eſt minus ſufficiet, conſequẽtia patet, quia lex ſcripta multo explicatius diſſerit, quam quæcunque *Concilium Trident.* cognitio naturalis; & confirmatur ex Concilio Trident. ſeſſ. 6. cap. 1. vbi decernit cognitionem naturalem non ſufficere ad iuſtificationem. Præterea extra Eccleſiam nulli patet ſalus, ſed qui non credit non eſt in Eccleſia (Eccleſia. n. eſt congregatio fidelium) ergo &c. Præterea actus ſupernaturalis requiritur in voluntate, vt iuſtificetur homo, ergo etiam in intellectu, probatur conſequentia: nã ſi bonum cognitum eſt mere naturale, non eſſet opus ad illud amandum auxilium ſupernaturale in voluntate. Et ex his ſequitur, quod fuit ſub præcepto credere aliquid ſupernaturale: quia omnis actus neceſſarius ad ſalutẽ fuit ſub præcepto, & confirmatur: quia dilectio ſupernaturalis ſemper fuit ſub præcepto ergo & cognitio ſupernaturalis: quia amor ſupernaturalis prærequirit cognitionem ſupernaturalem; Nec ſufficit dicere, quod ſcriptura, cõcilia, & Sancti loquuntur regulariter; tamen in caſu, quo quis inuincibiliter ignoret ea, quæ ſunt fidei ſufficit cognitio naturalis: quia ſic ſequeretur etiam abſque gratia, & abſque actu charitatis & pœnitentiæ infuſæ poſt lapſum, poſſe aliquem iuſtificari, imò etiam abſque alio dono ſupernaturali per ſolum liberum arbitrium: quia etiam reſpondebo ſcripturæ, & Concilijs, quod loquuntur regulariter, & communiter, ſecus autem quando adeſt ignorãtia inuincibilis, hoc autem falſiſſimum eſt.

Obiectio. Et ſi dicas ad impoſſibile nullus obligatur, ſed iſta cognitio ſuper naturalis eſt impoſſibilis; excedit n. vires naturæ, ergo ad illam nullus obligatur, & confirmatur: quia tempore legis naturæ non erat præceptum de iſta cognitione ſupernaturali; nec homines poterant cognoſcere eam eſſe ad ſalutem neceſſariam; ſi quidem nec cognoſcebant illam.

Reſpondetur, quod obſeruantibus legem naturæ præſto eſt Deus ad communicandum eis iſtam ſupernaturalem cognitionem: multa. n. ſunt præcepta data hominibus, quæ viribus naturæ adimpleri non poſſunt, vt eſt præceptum de diligendo Deum ſuper omnia; & præceptum de pœnitentia, quæ abſque diuina gratia nequeunt adimpleri; Cum autem hæc gratia nulli, facienti quod in ſe eſt negetur, peccamus Deo reſiſtendo; qui nobis ſuam fidem, & gratiam vult impertiri, in qua reſiſtentia peccatum cõſiſtit, & hoc improperauit chriſtus Hieruſalem dicendo Matth. 23. Quoties volui congregare filios tuos &c. & noluiſti? Ad confirmationẽ nego antecedẽs: quia omnia reuelata ad ſalutem neceſſaria, reuelata fuerunt Adæ qui filios ſuos docuit, & illi alios; & ſic ſemper, inter gentiles etiam; Tempore legis ſcriptæ fuerunt inſignes Prophetę qui alios docuerunt, vt Iob. & Sybillæ, & ſi aliquando aliquis homo manſit perpetuo excæcatus, hoc ex eius prouenit malitia, qui noluit ſe ad gratiam preparare iuxta illud Oſeæ 13. Perditio tua ex te Iſrael, tantum modo ex me auxilium tuum. *Solutio.*

Ad rationes oppoſitæ ſententiæ reſpondetur, & ad primã dico, quod illa propoſitio facienti, quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam, intelligenda eſt de facienti, quod in ſe eſt, non viribus naturæ, ſed cum auxilio Dei ſupernaturali, & ex parte tam intellectus, quam voluntatis, & hominem ſic motum à Deo ad faciendum, quod ratio dictat eſſe faciẽdum, Deus ſupernaturaliter illuſtrabit, & erudiet de his ſupernaturalibus, quæ ſunt neceſſaria pro gratia iuſtificante conſequenda. Illuſtrabit autem Deus, vel interna reuelatione, aut externa prouidendo. ſ. illi, de Doctore, qui eum inſtruat in his, quæ ſunt fidei, ſicut prouidit Cornelio mittendo ad eum Petrum; vel illum perducendo ad locum in quo proponi poſſint illi credibilia, atque ita doceatur. *Soluũtur rationes oppoſitæ ſententiæ.*

Vnde hoc tamquam certiſſimum in fide habẽdum eſt, quod cõuerſio hominis in Deum tamquam in cauſam & finem naturalem, non eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam; neque aliqua diſpoſitio, quæ haberi poteſt viribus naturę tam ex parte intellectus, quam voluntatis eſt ſufficiẽs ad gratiã: quia diſpoſitio ad formam ſupernaturalẽ, qualis eſt gratia, debet eſſe ſupernaturalis, atque ita, vt proxime, & ſufficienter homo diſponatur ad recipiendam gratiam iuſtificantem, debet facere quod in ſe eſt adiutus auxilio Dei ſupernaturali; tamen ſi faciat quod in ſe eſt viribus tantum naturæ, tunc licet non diſponatur proxime ad recipiendam gratiam iuſtificantem, diſponitur tamen ad recipiendum, Dei auxilium, quo ſuper naturaliter diſponatur, ad recipiendam gratiam, & ita intelligẽdus eſt D. Paulus ad Rom. 1. Reprehẽdẽs philoſophos, qui cum Deum cognouiſſent cognitione. ſ. naturali, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: quia licet illa cognitio naturalis non eſſet ſufficiens ad ſalutem ſupernaturalem conſequendam, tamen ſi tunc Deum colerent, debitumq; honorem ei tribuerent, Deus non denegaret illis auxiliũ, quo ſe diſponerent ad gratiam conſequendã: quia Deus neminem facientem quod in ſe eſt à ſua miſericordia repellit.

Ad confirmationem nego ſequelam: quia vt modo dicebamus facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat auxilium, ſi facit quod in ſe eſt naturaliter, ſicuti neque denegat gratiam facienti, quod in ſe eſt cum auxilio ſupernaturali & quando hoc impugnatur: quia hæc fieri non poſſent in inſtanti ſine miraculo, eo quod requiritur longum tempus, vt regulariter fiant, atque ita homo in illo tempore maneret extra ſtatum in quo poſſet ſaluari. Reſpondetur, quod talem hominem Deus nunquam à ſe repellet, & ſic ei auxilia opportuna tribuet, ita vt ſi per illius culpam non ſteterit, perueniet ad gratiam Dei. aut enim illuminabitur interius per reuelationem, aut exterius per prædicatorem, ad quem adducetur, vt doceatur, vel, qui ad illum mittetur, vt doceat eum: neque hoc debet cenſeri miraculum: ea enim quæ ad prouidentiam Dei ſpectant licet ſint ſupra vires naturæ, non dicũtur miracula; ſicuti neque homini modo diſpoſito per contritionẽ dare

gratiam

Digitized by Google

gratiam eſt miraculum, ſed ſuauiſſimus ordo diuinæ prouidentiæ & incomparabilis Dei miſericordia, qui ordo, & quæ miſericordia poſtulant, vt bene vtenti libero arbitrio, & accomodanti ſe ad ea, quæ ſunt legis naturæ tribuantur auxilia ſupernaturalia, quibus diſponatur ad iuſtificationem.

Ad ſecundum nego maiorẽ, ſi intelligatur ſecluſa Dei illuſtratione, vel fide, & ſpeciali auxilio Dei; quia hæc quamuis ſupernaturalia ordinarie tamen hominibus omni tempore conferuntur à Deo, & ita ſunt neceſſaria ad ſalutem cum lege, & cognitione naturali, atque adeo miraculoſa non ſunt; ſi autem maior intelligatur cũ illuſtratione, tunc eſt vera, ſed minor eſt falſa; quia non ſolum cognitio Dei naturalis regulariter poterat haberi, ſed etiã prædicta fides, & illuſtratio, idque ſine miraculo, quod.n. Deus ordinarie dat, quando dat, non dicitur miraculoſe tribuere.

Scotus. Ex his ſequitur primo quod in lege naturæ fuit diuinũ præceptum ſupernaturale habendi fidem, eamdemque ſigno aliquo externo teſtãdi, vt docet Sco. in 4. d. 1. q. vl. ad primum & patet quia quæ ſimpliciter neceſſaria ſunt ad ſalutem in præcepto ſunt, talis eſt fides ſupernaturalis, ergo &c. & cum eſſet præceptum ſupernaturale non ab alio, quam à Deo eſſe poterat, hoc etiam docet *Scotus.* Scotus in 4. d. 1. q. 3. & 7. videlicet, quod in lege naturæ fuit Sacramentum à Deo inſtitutum in remedium peccati originalis, ſub certis rebus ſenſibilibus, quo profitebantur ſuam fidem, oſtendebantque ſe eſſe cultores veri Dei, & diſcernebantur ab idolatris. Secundo ſequitur, quod quamuis ante legem datam, nullum fuit diuinum præceptum ſiue naturale, ſiue ſupernaturale ſcriptum, & litteris traditũ, ſed aut diuina inſpiratione interna hominibus impreſſũ, aut diuina reuelatione traditum: ex eo enim dicitur lex naturæ quia non ſit lex litteris prodita, ſed hominum cordibus impreſſa; tamen probabile eſt, & veriſimile diuinũ illud præceptum de fide habenda fuiſſe Adamo diuinitus inſpiratum, & ab ipſo ad omnes poſteros deriuatum.

D. Thom. Ad tertium reſpondetur dupliciter primo negando illam opinionem præſuppoſitam, quæ B. Thomæ aſcribitur 1. 2. q. 89. quia oppoſitum ipſe expreſſius tenet q. 113. art. 4. & q. 112. & 2. 2. q. 10. art. 4. ad 3. & ſuper ad Roma. 10. & ad Hebræos 10. lect. 4. & 11. lect. 2. & Caiet. ſuper *Caietanus* ad Rom. 3. dicit, quod illa opinio D. Thomæ eſt; quidem probabilis, ſed non adeo certa, vt non poſſit facile eneruari.

Secundo reſpondetur ea opinione admiſſa negando talem puerum iuſtificari abſque fide ſupernaturali; quia in tali caſu Deus illum illuminabit, qui nunquã deficit in neceſſariis ad ſalutem facientibus quod in ſe eſt; nec talis illuminatio erit prophetica, quia non videt Deũ loqui, nec miraculoſa, quia eſt de lege debita vt dictum eſt. Ad primam confirmationem nego conſequentiam; quia D. Paulus in antecedenti allegatus; loquitur de fide explicita Chriſti per Apoſtolos prædicanda hominibus, fides autẽ quæ danda eſt ignoranti inuincibiliter ea, quę ſunt fidei, & facienti quod in ſe eſt, eſt immediate à Deo, vel ab angelo per mandatum Dei, quę prędicatore exteriori non indiget, nec tempore; Vel dicendum eſt ſententiam Apoſtoli habere locum regulariter loquendo, & vt plurimum, ita ſ. vt nihil obeſt, quo minus etiam in aliquo particulari caſu. Deus per ſe, aut per Angelum doceat; ita exponit eũ locum D. Hierony. ſuper 3. cap. Epiſt. ad Galatas.

D. Hieron. Ad ſecundã confirmationẽ reſpondeo primo ex Adriano in 4. q. 1. de Baptiſmo ar. 3. Quod in caſu argumẽti ta- *Adrian.* lis puer, non recipiet gratiã, ad quã recipiendã non ſufficit non ponere obicẽ Sacramento, ſed ẽt requiritur diſpoſitio conueniens ad gratiã, qualis eſt fides actualis in adultis. Vnde Actorũ 3. Cũ Eunuchus Reginę Candacis dixiſſet Philippo. Quid prohibet me baptizari, audiuit ab eo, ſi credis ex toto corde nihil; & ita ſecundum hanc opinionem datur acceſſus neuter ad baptiſmũ: nã puer ille nec recipit gratiam, nec peccat mortaliter dum ſic baptizatur.

Secundo reſpondetur, quod talis ſi faciat, quod in ſe eſt illuminabitur à Deo, qui non deficit in neceſſarijs, ſed illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Ad quartum negatur conſequentia: quia in tali caſu ille illuminabitur à Deo, vt dictum eſt de paruulo in primo inſtanti vſus rationis.

Ad quintum nego antecedens, & ad probationem dico, quod non ideo vocatur lex naturalis, ꝙ in ea nullum eſſet pręceptum ſupernaturale, ſed ad differentiam legis ſcriptę: in lege.n. naturali nullum erat pręceptum, ſcriptũ determinans ſacramẽta, & ceremonias exteriores, ſed mouebantur homines ad iſta ſigna proteſtantia fidei inſtinctu Dei, & non per legem ſcriptam; ſicut in lege Moyſi.

Ad ſextum admiſſo caſu nego maiorem: quia durante tali ignorantia fidei, nullo modo poterit ignorans iuſtificari in quocumque inſtanti, donec à Deo illuminetur aliquo medio à diuina prouidentia inſtituto, licet poſſit cauere quodcumque mortale peccatum, & facere, quodcũque opus ſtudioſum in quocunque inſtanti; Secundo reſpondetur negando minorem, ad cuius probationem dico, quod illuminatio diuina, qualem in tali caſu homo faciens, quod in ſe eſt, habebit, non indiget ſpatio temporis, ſed in inſtanti poteſt fieri, vt dictum eſt.

Ad ſeptimum reſpondetur ſecundum Caietanum, ꝙ *Caietanus* Paulus allegatus in argumento non loquitur de lege quãtum ad iudicialia, & ceremonialia, ad quę gentiles non tenebantur, ſed ſolum quantum ad moralia, quę naturali lumine conſtant. vt ſit ſenſus. Gentes ſolo lumine naturali illuſtrati poterunt ſeruare pręcepta moralia, non collectiue, ſed ſingula, & hoc non meritorie, ſed quantum ad ſubſtantiam actus, ex quo non ſequitur, quod iuſtificarẽtur per eorum obſeruantiam abſque fide ſupernaturali, ſed tantum quod poterant cauere aliqua peccata. Secundo reſpondetur ex D. Auguſtino in lib. de ſpiritu, & littera *D. Aug.* c. 26. cum duobus ſequentibus, Naturaliter. i. per naturã gratia ſanatam ſeruant mandata legis naturę, & ſic debet intelligi D. Thomas, vbicunque de hac materia loquitur. adeoque verbo illo, naturaliter, non excluditur ſupernaturalis cognitio & gratia, quam ex gentibus non nulli fuerunt aſſecuti, ſed tantum lex ſcripta Iudæorum; vt enim peccatum dicitur eſſe contra naturam, ſic gratia & ſupernaturale donum fidei poteſt interdum naturale dici, quatenus eſt naturæ conſentaneum. lege D. Thomam. 1. 2. q. *D. Tho.* 109. art. 4. ad primum.

Ad octauum reſpõdetur, quod in illo articulo. Deus eſt remunerator bonorum, continetur implicite incarnatio Verbi, atque adeo lumine naturæ haud cognoſci poteſt, præterea credentes Deum remuneratorem debent ſperare reſurrectionem æternam, quæ naturaliter non conſtat. Vnde quando dicit Paulus ad Hebræos 11. Quod Moyſes reſpiciebat in remuneratorem, non loquitur de naturali remuneratione, ſed de cœleſti, ideo poſtea ſubdit, vt meliorem, ideſt cœleſtem inueniant reſurrectionem. Ille ẽt articulus. Deus eſt, ſupernaturalis eſt ex parte modi, licet non ex parte obiecti, altiori enim modo cognoſcimus illũ per fidem, quã naturali ſola ratione, quæ infirma eſt. Vnde Paulus non dicit accedentẽ ad Deum oportet ſcire, ſed credere. Non agitatque Apoſtolus ibi de cognitione naturali dumtaxat, qualis eſt quod Deus ſit auctor naturæ, & remunerator bonorum operum naturalium; ſed de illa in primis, qua vt cumque cognoſcatur Deus eſſe author ſupernaturalium donorum, & remunerator ſupernaturalium per modum aliquem contemplationis ipſius ſupra naturam.

Magiſter ſent. Secundo reſpondetur ex Magiſtro in hac diſt. ꝙ oportet illa credere, ſed nõ ſufficit ſolũ illa credere, quę ſolutio poteſt confirmari: quia alicui virtuti, vt paupertati, & mũditiæ cordis promittitur beatitudo, quo eſt intelligendũ illam virtutem eſſe neceſſariam ad beatitudinem conſequendam, non tamen ſufficere abſque fide, ſpe, & charitate, ita in propoſito, præſtat tamen prior ſolutio.

Ad confirmationem de Socrate, Platone, & Ariſt. Reſpondeo ſi ſaluati ſunt, non niſi per fidem inſpiratã ſaluati *D. Aug.* ſunt. Ad illud de Chriſti deſcenſu, & prædicatione S. Auguſt. de hæreſibus. c. 79. ait hereſim eſſe affirmare Chriſto deſcendenti ad inferos incredulos credidiſſe, & ſaluatos eſſe. Chriſoſt. hom. 36. in 11. cap. Matth. hanc ſententiã vo- *D. Chriſoſ.* cat fabula, & contra ſcripturã. Pſal. 6. In inferno quis confitebitur tibi? & Iſaiæ 38. Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors &c. Ad locum Sancti Petri, vt pa- *Bellarminus.* tet ex Card. Bellar. lib. 4. de Chriſto c. 13. oẽs expoſitores

con-

Digitized by Google

conueniunt in hoc, non eſſe factam ibi à Chriſto prædicationem, vt damnati, per fidem nouam ſaluarentur, ſed vt increduli confunderentur; vel vt iuſti, qui non habuerunt fidem explicitam de Chriſto agnoſcerent præſentem redemptorem, vel vt impij omnes confunderentur, & iuſti caperent conſolationem &c.

ARTICVLVS VI.

Vtrum ſit neceſſarium ad ſalutem explicite credere myſterium Trinitatis.

HÆc difficultas breuiter reſoluitur duabus concluſionibus. Sed primo obſer. eſt, quod maiores Eccleſiæ tenentur plura myſteria credere explicite, id eſt in particulari, quam minores: nam Eccleſia militans diſpoſita eſt ad ſimilitudinem Eccleſiæ triumphantis; In triumphanti autem Angeli ſuperiores plura myſteria cognoſcunt, quam inferiores: quia docent illos, vt inquit D. Dionyſius de cæleſti hierarchia, ita ergo ſuperiores Eccleſiæ militantis, plura myſteria credere tenentur quam inferiores, quia debent illos docere, hoc ſuppoſito eſt.

D. Dionyſ.

Prima Concluſio. In ſtatu naturæ, & legis maiores Eccleſiæ tenebantur credere explicite myſterium Trinitatis, minores autem implicite in fide maiorum. In ſtatu autem gratiæ omnes tenentur illud credere explicite. Probatur prima pars; quoniam non poteſt myſterium incarnationis explicite credi niſi etiam credatur explicite Trinitas; Conſiſtit enim illud in hoc, quod filius Dei patris ſumpſerit naturam humanam, & per gratiam Spiritus Sancti mundum renouauerit, & ex Spiritu Sancto conceptus fuerit &c. ſed in ſtatu legis, & naturæ maiores tenebantur explicite credere myſterium incarnationis, vt videbimus articulo ſequenti, ergo maiores in ſtatu naturæ, & legis tenebantur explicite credere myſterium Trinitatis, & ex hoc patet ſecunda pars: quia ſicut minores tenebantur credere implicite myſterium incarnationis, ita etiam tenebantur implicite credere myſterium Trinitatis.

Tertia pars probatur ex illo Matth. vlt. Euntes prædicate Euangelium omni creaturæ Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Ex quo arguitur, omnes tenentur inuocare Trinitatem in baptiſmo, ergo, & credere. Quomodo enim inuocabunt in quem non crediderunt. Præterea omnes tenentur amplecti, & explicite credere ſummam Doctrinæ Chriſtianæ, ſed hęc præcipue continetur in articulis illis, qui publico ritu in Eccleſia celebrantur, ergo omnes tenentur articulos illos explicite credere. Maior patet ex illo teſtimonio Chriſti Matth. vlt. Docete omnes gentes &c. & Marci vltimo prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur, quod enim per Euangelicos miniſtros doceri, & prædicari, omnibus hominibus oportet, tamquam creditu neceſſarium ad ſalutem, explicite certe credi neceſſe eſt; ſicut, & ipſa prædicatio explicita, & manifeſta eſſe debet. Sed myſterium Trinitatis ſpectat ad ſummam Doctrinæ Euangelicæ, cum præſertim in eius nomine baptiſmus conferri debeat, ergo &c. Et confirmatur; omnes tenentur explicite credere incarnationem, vt videbimus articulo ſequenti, ergo, & Trinitatem quia illa ſine iſta explicite credi non poteſt.

Secunda Concluſio fides explicita myſterij Trinitatis poſt ſufficientem Euangelij diuulgationem fuit omnibus neceſſaria ad ſalutem, neceſſitate medij, præcedentibus autem temporibus ſufficiebat implicita. Probatur primo: Nam fides huius myſterij pertinet ad fundamentum ſalutis iuxta illud Matth. 28. Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritu Sancti. Secundo, quia ſine hac cognitione non poteſt Chriſtus ſatis cognoſci, cum ſit filius patris, & ſanctificatus Spiritu S. Vnde S. Irenæus lib. 3. c. 20. In Chriſti inquit nomine, ſubauditur, q vnxit, & ipſe q vnctus eſt, & ipſa vnctio. Vnxit quidem Pater, vnctus eſt Filius in Spiritu, qui eſt vnctio, vt ait in Iſaia c. 61. Spiritus Domini vnxit me &c. & ideo etiam S. Cyrillus lib. 11. in Ioan. c. 16. ait Non ſufficere cognitionem Dei, abſque cognitione Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Tertio, quia eſt principale fidei obiectum, expreſſe iam reuelatum Matth. 28.

Irenæus.

Cyrillus.

Eſt ergo myſterium Trinitatis, ſicut etiam alij articuli ad diuinitatem ſpectantes, de neceſſitate tum medij, tum præcepti credendum iam ſingulis fidelibus, ita ſcilicet, vt ſubſtantia eius intelligatur, quæ nimirum conſiſtit in vnitate eiuſdem diuinitatis, & eſſentiæ, & diſtinctione perſonarum, quarum vna non eſt alia; neque tamen, neceſſum eſt hoc admodum diſtincte intelligere, ſed ſufficit aliquem confuſum ſaltem conceptum formare de vnitate eſſentiæ, & Trinitate perſonarum, & remittere ſe ad Eccleſiam, quod attinet ad diſtinctiorem & cognitionem huius myſterij ſicut etiam aliorum.

Ita docet Doct. noſter ſub. in hac quæſt. ſub littera D. §. Sed habere ſolum &c. circa finem, cum dixit rudem aliquem, qui non poſſit concipere, quid ſit natura, & quid perſona, nõ obligari, vt habeat actum explicitum de hoc myſterio diſtincte, & ſicut habent, inquit, Clerici Litterati. Non enim negat hic Scotus debere talem habere actum vllum explicitum, ſed actum explicite diſtinctũ, ſicut docti habent, vnde infra. §. Sed hic occurrunt &c. ſub littera E. affirmat generatim teneri ſimplices ad explicite credendum ea, quæ tamquam certa, & indubitata communiter prædicantur, & proponuntur vbique omnibus in Eccleſia qualia ſunt nimirum omnia, quæ continentur in ſymbolo Apoſtolico.

Scotus.

ARTICVLVS VII.

Vtrum ſit neceſſarium ad ſalutem credere myſterium Incarnationis.

PRo explicatione huius quæſt. obſer. eſt. Primo varium fuiſſe humanæ naturæ ſtatum, alterum integrum alterum vero collapſum. Status integer fuit Adami, & Euæ ſub innocentia; collapſus vero fuit ſtatus ſub peccato, & hic triplex eſt alius ante legem ſcriptam, qui dicitur ſtatus legis naturæ: alius ſub lege Moyſi, poſtremus ſub gratia Domini Noſtri Ieſu Chriſti.

Status hominũ duplex.

Secundo obſeruandum eſt, quod poteſt eſſe ſermo de fide implicita, & explicita de qua ſupra dictum eſt; addimus modo, quod fides implicita non conſiſtit in indiuiſibili, ſed recipit in ſe magis, & minus, vnde poſſumus dicere, quod fides explicita eſt adhuc duplex quædam eſt explicita, & diſtincta, quædam vero explicita, & confuſa, vt fides Chriſti Saluatoris, prout erat in minoribus veteris legis, explicita erat Chriſti, ſed confuſa: quia non diſtinguebant naturam diuinam, & humanam in eodem eſſe ſuppoſito, at vero in lege gratiæ catholicus habet fidem Chriſti explicitam, & diſtinctam. Similiter etiam catholicus ruſticus, qui confitetur expreſſe tres perſonas in vna eſſentia; habet fidem explicitam myſterij Sanctiſſime Trinitatis, ſed confuſam: quia non intelligit, quomodo pater non procedat ab alio, quomodo filius procedat à patre per intellectum, vel memoria fœcundo, & quõ Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio per voluntatem; Theologus vero Catholicus, qui hæc omnia credit, & intelligit habet eiuſdem myſterij fidem explicitam, & diſtinctam. Vnde etiam dicimus, quod in hoc, quod eſt habere fidem diſtinctam inuenitur magis, & minus.

Fides explicita duplex.

His obſeruatis ſit pro deciſione quæſtionis prima Cõcluſio. In quocumque ſtatu aliquo modo oportuit credere myſterium incarnationis Chriſti atque etiam fuit creditum licet non ſub eadem menſura, neque tam explicite in vno tempore, quam in alio, neque ab vnis perſonis, quam ab alijs: probatur prima pars, quia illud eſt neceſſario credendum, quod eſt obiectum per ſe fidei, ſed myſterium incarnationis pro omni ſtatu eſt per ſe obiectum fidei, ergo myſterium incarnationis pro quocumque ſtatu fuit credendum; Maior eſt ex ſe manifeſta, & minor probatur, illud eſt obiectum per ſe fidei, quod eſt via ad beatitudinem conſequendam neceſſariũ, vt ſupra

1. Concl.

diximus

Digitized by Google

diximus; ſed via neceſſaria ad conſequendã beatitudinem eſt incarnatio Chriſti, ergo Incarnatio Chriſti eſt per ſe obiectum fidei vſque adeo fides eius in quocunque ſtatu fuit neceſſaria; maior eſt nota, & probatur minor ex illo Actorum 4. Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat &c. vbi loquitur de veritate meritorum Chriſti, hoc enim ſignificat iſte terminus nomen.

Secunda pars probatur: quia omnia ſacrificia veteris legis, aliaque ante legem in ſtatu naturæ præfigurabant aduentum Chriſti; atque ita in illis implicite credebatur mi ſterium incarnationis.

Tertia pars probatur, quia quanto homines fuerunt tẽpore remotiores à Chriſto, tanto in eis fides mediatoris fuit inuolutior, atque inexplicatior, quanto vero ei fuerunt propinquiores, tanto hæc fides fuit explicatior. Et ꝙ attinet ad perſonas patet: quia multum intereſt inter maiores, & minores modo, & tunc, vt ſapienter docet Scotus in hac quæſt. ſub littera E. & F. Nam maiores, illorum ſacrificiorum, quibus vtebantur ſignificationem intelligebant, & Chriſti myſterium cognoſcebant in illis. Hoc expreſſe docet D. Auguſtinus in expoſitione pſal. 77. ſub his verbis. Erant in illo populo, qui intelligerent habentes fidem, quæ poſtea reuelata eſt; non ad legis litteram, ſed ad ſpiritus gratiam pertinentem; Non enim ſine ipſa fide fuerunt, qui eius in Chriſto præuidere futuram reuelationẽ & pronuntiare potuerunt; cum & illa vetera Sacramenta ſignificatiua fuerint futurorum, & hos dicit fuiſſe Auguſtinus Prophetas, & Patriarchas. Quis enim dicat Iſaiã Prophetam, myſterium incarnationis non diſtincte intellexiſſe cum prophetauit. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, &c. & quis dicat eumdem prophetam paſſionem, & acerbiſſimam Chriſti mortem nõ præcognouiſſe, quãdo dixit. Vidimus eum non habentem ſpeciem neque decorem percuſſum à Deo, & humiliatum.

Scotus.

D. Aug.

Idem poteſt dici de Propheta Dauid, qui in tot pſalmis tot prædixit myſteria de Chriſto domino. Sancto etiam Moyſi, qui legem dedit populo Dei, quomodo Deus non reuelaret myſteria Chriſti in illa lege eiuſque ſacrificijs, & ceremonijs obumbrati? Ante legem etiam Sanctiſſimus Patriarcha Abraham explicite cognouit hæc Chriſti myſteria, teſtante eodem domino Chriſto prima veritate. Abraham pater veſter exultauit vt videret diẽ meũ, vidit & gauiſus eſt. Minores vero hæc omnia myſteria inuolute, & implicite intelligebant, hoc eſt ſub velamine ſacrificiorum; Nam credentes illa eſſe inſtituta de Meſſia venturo, velatam quodammodo habebant Chriſti cognitionem, neque amplius tenebantur credere; Maiores vero explicite tenebantur credere, atque ita à lapſu Adami, vſque ad tempus reuelatæ gratiæ myſterium incarnationis Chriſti fuit creditum generaliter, licet explicite à maioribus, à minoribus autem implicite & ita D. Paulus. ad Roma. 16. dicit. Secundum reuelationem myſterij temporibus æternis taciti, quod nunc. ſ. tempore diuulgatę gratię, patefactum eſt ſecundum ſcripturas prophetarum, ſecundum præceptum æterni Dei; & ad Coloſſenſ. 1. ait. Vt impleam Verbum Dei, quod abſconditum fuit à ſeculis, & generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt Sanctis eius.

2. Concl. Adã in ſtatu innocẽtiæ habuit explicitã fide incarnationis.

Secunda cõcluſio. Ante peccatum in ſtatu innocentiæ Adam habuit explicitam fidem incarnationis Chriſti, nõ vt erat remedium peccati futuri, cuius Adam non fuit cõſcius, ſed prout Chriſtus erat caput Eccleſiæ, in quo eſt gloria conſummata, probatur ex Paulo ad Epheſ. 5. vbi explicans illa verba Gen. 2. Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea &c. dicit Sacramentum hoc magnum eſt, ego dico in Chriſto, & Eccleſia, ac ſi dicat illud matrimonium primorum parentum, fuiſſe figuram incarnationis futuræ, quam quidem non eſt credibile. Adam ignoraſſe, quando protulit illa verba; & confirmatur ex D. Auguſt. lib. de correct. & gratia, & D. Thoma. 2. 2. q. 2. art. 7. vbi ait quod Adam ante peccatum habuit reuelationem myſterij incarnationis, & quod prophetauit dicens. Hoc nunc os, ex oſſibus meis &c. eiuſdem etiam ſententiæ fuit D. Hierony. ſuper cap. 5 epiſtolæ ad Epheſ. ſub his verbis Primus homo, & primus Vates Adam hoc de Chriſto, & Eccleſia prophetauit, quod reliquerit Dominus noſter atque Saluator Patrem ſuum Deum, & matrem ſuam cœleſtem Hieruſalem, & venerit ad terras propter ſuum corpus Eccleſiam, & de ſuo eam latere fabricatus ſit, & propter illa Verbum caro factum ſit. Ita Hieronymus. & probatur etiam ratione. Pro omni ſtatu fuit homini neceſſaria fides: Nullus enim in quocunque ſtatu potuit placere Deo ſine fide, & ſine aſcenſu ad Deum; hic autem aſcenſus ſecundum D. Auguſt. non paſſibus corporis, ſed ſpiritus fieri debet, videlicet actione intellectus per fidem, & voluntatis per charitatem, ergo &c. atque ita illud D. Pauli ad Hebræos. 10. Sine fide impoſſibile eſt placere Deo in quolibet hominis ſtatu debet intelligi; præterea homini eſt neceſſaria cognitio vltimi finis, vt ita ad ipſum finẽ omnes ſuas cogitationes, & actiones tamquam ad ſcopũ dirigere poſſit, ſed talis cognitio non poteſt ſine Dei reuelatione haberi, ergo homini fides neceſſaria eſt in quocũque ſtatu: patet quia homo ad conſequendum vltimum finem diuinitus ordinatus eſt iuxta illud D. Auguſtini. Creaſti nos domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec perueniat ad te: minor patet quia vltimus finis hominis conſiſtit in contemplatione primi entis in ſe; ſola autem diuina reuelatione potuit talis cognitio finis ab homine haberi; quia illa cognitio nõ eſt homini naturaliter congenita, aut inſita ſicut cognitio principiorum, neque per inuentionem poteſt acquiri, vt ſcientia concluſionũ. inter præcipua autem myſteria fidei eſt incarnatio verbi ergo &c.

D. Aug. *D. Thom.* *D. Hieron.* *D. Aug.* *D. Aug.*

3. Concluſio.

Tertia concluſio poſt peccatum ante legem gratiæ non fuit omnibus neceſſarium credere explicite Incarnationis myſterium; ſed in aliquibus, vel aliquo à lapſu primi hominis fuit ſemper explicita fides de vno Mediatore Dei, & hominum Chriſto Ieſu. Probatur prima pars ex D. Auguſtino. lib. 19. contra Fauſtum. c. 14. & eſt communis ſententia omnium ſcholaſticorum in 3. d. 25. hoc ipſo quod omnes concedunt potuiſſe tunc minores ſaluari per fidem implicitam de Chriſto, nec fuiſſe illis neceſſariã explicitam, vt Albertus Magnus in illa diſt. art. 6. D. Bona. art. 1. q. 2. Ricardus. art. 3. q. 1. Doct. noſter ſubtilis in hac quæſt. ſub litt. F. Vbi ita ſcribit. Sicut Creator eſt principium eſſendi in natura condita, ita & Redemptor eſt principium reparationis in natura lapſa, ergo nullus poteſt recreari ſine recreatore, vel redemptore, ſicut nec eſſe ſine creatore, ſicut igitur fides de creatore ſemper fuit neceſſaria ad ſalutem, ita fides redemptoris ſemper fuit neceſſaria ad ſalutem poſt lapſum humani generis. Sed illa fides Mediatoris poteſt eſſe explicita, ſicut quod Dei filius Deus, & homo redimeret genus humanum per hoc quod naſceretur de Virgine, & moreretur in Cruce, ſed ſic explicite credere in Redemptorem non fuit neceſſe pro omni ſtatu, ſed hoc idem potuit credi magis confuſe. ſ. quod Deus ordinaret aliquam viam redẽptionis, ſed quod hoc fieret per filium ſuum incarnatum, vel per angelum, vel hominem purum, non fuit neceſſe credere, ſed ſic generaliter credere fuit neceſſarium omni homini ad ſalutem. Sed habentes legem moſaycam tenebantur credere magis explicite, quam non habentes: quia ipſi habuerunt fidem redemptoris magis explicite traditam in prophetiis, & pſalmis. Hactenus Scotus. Idem docet Durandus. q. 1. & alij. & confirmatur teſtimonio Apoſt. ad Gal. 3. Antequam veniret fides ſub lege cuſtodiebamur concluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat.

D. Aug. *Albertus Magnus.* *D. Bonau.* *Ricardus.* *Scotus.* *Durãdus.*

Secunda pars probatur inductiue. Nã Adam poſt peccatum habuit fidem incarnationis explicitam quatenus ordinabatur in remedium peccati, & hoc abſque noua reuelatione potuit cognoſcere: quia cognouerat iam Chriſtum futurum eſſe cauſam efficacem perducendi homines ad vitam æternam, cognouit etiam ſe peccatorem eſſe, & poſteros eius, ergo per euidentem ſequelam conſequebatur, quod Chriſtus futurus eſſet Medicus, & Redemptor hominum; Item Enoch ante diluuium cognouit Chriſtum iudicaturum eſſe vniuerſum orbem, ſed hãc cognitionem ſine fide explicita Chriſti habere non potuit aſſumptum patet in epiſtola Iudæ, vbi ait. Prophetauit de his ſeptimus ab Adam Enoch dicens, Ecce Dominus veniet in Sanctis millibus ſuis facere iudicium, & arguere omnes &c. Item Iob fuit in lege naturæ & dixit. Credo quod Redemptor meus viuit &c. Item Sybillæ multæ

habuo-

Digitized by Google

habuerunt expreſſam fidem Chriſti, vt docet D. Auguſt. lib.18. de Ciuit. Dei c.23. & in ſerm. 1. in vigilia Natalis. Multi etiam Gentiles hanc fidem nacti ſunt, vt docet idē D. Auguſtinus lib.18. de Ciuit. cap.47. & D. Thom. 2. 2. q.2. art.7. ad 3. Vbi refert, quòd in hyſtorijs Romanorum legitur, ꝙ tempore Conſtantini Auguſti, & Irenę matris eius, inuentum fuit quoddam ſepulchrum, in quo iacebat homo auream laminam habēs in pectore, in qua ſcriptum erat Chriſtus naſcetur, ex Virgine, & ego credo in eum, ò Sol ſub Irenę, & Conſtantini temporibus iterum me videbis, eamdē hiſtoriā refert Franciſcus de Mayronis in ſuo Quadrageſimali. Ser.87. cōſideratione prima concluſione 5. dicitque ſepulchrum illud fuiſſe Platonis.

D. Aug.

D. Thom.

Franc. de May.

Item in lege ſcripta dubium non eſt quin plerique maiorum Chriſtum explicite cognouerint, vt apparet paſſim ex ſcripturis propheticis, quæ multa de Chriſto tradunt, Vnde & ipſe Dominus Lucæ 24. Neceſſe eſt inquit impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & pſalmis de me, & Ioan.5. Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan, & mihi. De me enim ille ſcripſit.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum poſt Chriſti aduentum fuerit neceſſaria explicita fides Domini noſtri Ieſu Chriſti, ad ſalutem.

Tempus poſt Chriſti aduentū eſt duplex.

PRo explicatione quæſtionis obſer. eſt, quod tempus poſt Chriſti aduentum biſariam conſiderari poteſt. Primo antequam Euangelium ſufficienter promulgaretur. Secundo poſt Euangelium ſufficienter promulgatum, & de vnoquoque iſtorum temporum debemus dicere quo pacto fuerit fides Chriſti neceſſaria.

Secundo obſer. eſt, quod nullus catholicus dubitat, nec debet dubitare fidem Chriſti explicitā eſſe omnibus neceſſariam ad ſalutem conſequendam neceſſitate præcepti poſt promulgatum Euangelium, vt videbimus, ſed quod dubitatur eſt an talis fides explicita Chriſti ſit neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij ita, vt nullus excuſetur quantumcumque inuincibiliter ignoret.

Qua propter ſtatuendæ ſunt prius aliquæ concluſiones, in quibus omnes Theologi abſque controuerſia conueniunt, deinde examinanda eſt præſens quæſtio quantum ad id, de quo eſt inter doctores ſcholaſticos controuerſia.

1. Concluſio.

Sit ergo prima Concluſio. Sine fide Chriſti implicita, vel explicita, nemo vnquam iuſtificatus eſt, probatur ex D. Paulo ad Rom.3. dicentem de Chriſto. Quem propoſuit propitiatorem per fidem, videlicet explicitam, vel implicitam, vbi ſignificat Paulus, nemini vnquam in toto mundo, & tempore fuiſſe remiſſa peccata, niſi per fidem Chriſti explicitam, vel implicitam, & hæc concluſio eſt de fide, & ad hoc facit illud actuum quarto. Non eſt aliud nomen datum hominibus &c.

2. Concluſio.

Secunda Concluſio. Illis quibus per Euangelij promulgationē Chriſtus innotuit, neceſſaria eſt eiuſdē Chriſti fides explicita neceſſitate medij, & præcepti, hæc ēt eſt de fide, & probatur Io.5. Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent. ſ. infidelitatis, vt interpretatur D. Aug. atque ita Iudæi, quib. Chriſtus prędicauit, & fuit ꝑdicatus, inexcuſabiles ſunt. Et ſicut Chriſtus Marci 16. dicit, prędicate Euangeliū oī creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit, ita inquit, qui verò nō crediderit condēnabitur, ergo illis quibus prædicatū eſt Euāgeliū neceſſaria eſt fides, Chriſti explicita. Item Io.14. inquit Chriſtus, credite in Deū, & in me credite, præterea, qd prædicabant Apoſtoli, erat præceptū neceſſariū ad ſalutē, ſed potiſſime prædicabant Chriſtū, ergo &c. Probatur minor ex illo ad Rom.10. Hoc eſt verbū fidei, qđ ꝑdicamus: quia ſi confiteris in ore tuo Dñm Chriſtum, & in corde tuo credideris ſaluus eris, & 1. ad Corint.1. Nos ꝑdicamus Chriſtū Crucifixū, &c. & c.2. Non iudicaui me ſcire aliqd inter vos, niſi Ieſū Chriſtū, & hunc Crucifixū. Præterea nullus adultus baptizatur niſi prius explicite credat Chriſtū, nec licet aliter baptizare, ergo credere explicite Chriſtū eſt de præcepto. In iſtis aūt ſcripturę locis nō eo modo dicitur neceſſaria fides ad ſalutē, quo dr̄ neceſſarium quodcumque opus bonum. & obſeruatio præcepti, ſed quia per fidem habetur iuſtitia, & ſeruātur præceptum, & eo modo quo dicitur neceſſaria charitas, & gratia, ſed hæc ſunt neceſſaria neceſſitate medij, ergo & illa; præterea neceſſitas præcepti excuſatur per ignorantiam inuincibilem, at excitatis ſcripturæ locis ignorantia fidei in Chriſtum non excuſat. inquit enim D. Paulus ad Galat. 2. Scientes quod non iuſtificatur homo niſi per fidem Ieſu Chriſti, ergo fides explicita eſt neceſſaria maiori neceſſitate, quam præcepti.

D. Aug.

3. Con.

Tertia Concluſio. Ante promulgatum euangelium ſufficiens fuit ad ſalutem fides Chriſti implicita: hæc concluſio eſt communis conſenſus Theologorum. & probatur ex D. Paulo ad Gal.3. Priuſquam veniret fides. ſ. fides euāgelica; vel id quod credebant per fidem futurum ſub lege, cuſtodiebamur incluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat, i. explicanda in lege gratiæ; & ita etiam ad Roma.2. dicitur Iuſtitia Dei in Euangelio reuelatur ex fide in fidem; id eſt, ex fide implicita, in fidem explicitam. Et in his concluſionibus conueniunt omnes Theologi, id autem, quod controuertitur eſt. An modo poſtquam Euangeliū eſt ſufficienter promulgatum ſit neceſſaria fides Chriſti explicita.

De qua re duplex eſt ſententia. Prima affirmat dari poſſe hoc tempore, facta. ſ. ſufficienti euangelij promulgatione, inuincibilem ignorantiam eiuſdem Euangelij, & conſimiliter affirmat, poſſe hominem iuſtificari cum fide implicita Chriſti Mediatoris, hominumque redemptoris. Doctores tamen hanc ſententiam defendentes inter ſe in aliquo diſſentiunt. Nam quidam dicunt ita fidem implicitam Chriſti ſufficere modo ad ſalutem in caſu inuincibilis ignorantiæ fidei explicitæ, quod cum illa & iuſtificationis gratiam in hoc ſeculo, & beatitudinem in alio cōſequi poterunt & hanc ſententiam tenent Sotus in 4. d.5. q.1. art.2. & lib.2. de natura, & gratia. c.12. Et Vega ſuper Concilium Trident. lib.6. c.19. Victoria in 4. Relectione, quę de Indis eſt prior in 4. titulo ſufficiente ad illos debellandos, & noſter Medina. lib.4. de recta in Deum fide. ca. vlt. Alij vero dicunt quod licet ad primam ſalutem videlicet ad iuſtificationem in via ſufficiat fides implicita non tamen ad conſequendam felicitatem in patria. Credunt enim cum fide implicita Chriſti poſſe hominem iuſtitiā accipere, licet ſine Chriſti explicita, (quam tamen ante mortem accipiet niſi mortaliter peccet) ſaluari nō poſſit, & hæc ſententia eſt Magiſtri Cani in relectione de Sacramentis in genere. p.2. cōcl.3. & Bānes. 2.2. q.2. art.8. Quod hiſce rationibus confirmare nituntur, primo quidem facto Cornelij Actorum 10. Qui iuſtificatus fuit, antequam fidem Chriſti reciperet, dicitur enim de eo fuiſſe virum, religioſum, & timentem Deum, & D. Petrus ibi ſic ait. In veritate comperi, quod non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur iuſtitiam acceptus eſt illi; & tamen tunc non erat promulgatū Euangelium. Idem argumentum fieri poteſt de Eunuco Reginæ Candacis Actorum octauo. & de Lydia Purpuraria. Actorum 16. cæterum opinio Cani & Bānes ab omnibus reiicitur. Nam ex Cani ſententia ſequitur, quod exiſtens in gratia ſine Chriſti fide explicita, vel non morietur, & Deus id non permittet, vel ſi ſine ea fide moriatur in ſtatu gratiæ non ſaluabitur, quod vt inquit Pater Corduba omnino falſum; & horrendum eſt; Nam vt quis de lege ordinaria poſſit beatitudinem conſequi, ſatis eſt ſi habeat ius ad beatitudinem tamquam filius Dei adoptiuus, & cohæres Chriſti, ſicut Apoſtolus ad Rom.8. loquitur; ſed ad hoc ius habendum non eſſet neceſſaria neceſſitate medij fides explicita Chriſti, ſi non eſſet neceſſaria ad iuſtificationem; ergo neque ad beatitudinem conſequendā. Maior probatur: nam eo ipſo debetur alicui beatitudo; nec poteſt fieri, quod quis habeat id ius, & ſimul impedimentum quod eſt peccatum mortale; Minor probatur nam ius illud ex lege ordinaria coniunctum eſt cum gratia, & iuſtificatione, ſicut patet ex Apoſt. ad Roma.8. & in materia de gratia fuſe explicatur, ergo ſi ad gratiam, & iuſtificationem, vt Canus concedit non eſt fides explicita Chriſti neceſſaria neceſſitate medij; non eſſet etiam ad illud ius neceſſaria. Præterea ex eo tamquam vanum reijcitur Pelagianorum dogma requirentium baptiſmum, vt

Canus.

Bannes.

Corduba

Paruuli

Digitized by Google

Paruuli ingrediantur in regnum cęlorum, non vero vt iuſtificentur,& liberentur à peccato: quoniam vt contra illos arguit D. Thomas lib.4.contra gentes,cap.50.abſurdum,& contra Eccleſiaſticam traditionē eſt,aliquid amplius requirere, vt aliquis ingrediatur in regnum cœlorum,quam vt habeat gratiam Dei,& ſit immunis à mortali peccato, quod ſolum impedit, quo minus quis aſſequatur ſalutem. Incurrit ergo Canus in idem abſurdum, cum fidem explicitam Chriſti ad gratiā non requirit, & eā tamen requirit ad beatitudinē. Accedit quod(vt recte Sotus notauit in 4.d.5.q.vnica art.2.)antiqui Patres quantum ad neceſſitatē fidei attinet nūquā diſtinxerint inter primam, & vltimam ſalutē, reiecta ergo Cani opinione.

D. Tho.

Prima ſententia probabilis circa propoſitam quæſt.eſt illa Soti,Medinæ & Andreę à Vega nimirum,quod ſicut abſq; fide Chriſti explicita poteſt quis iuſtificari per implicitam,ſi ignoret inuincibiliter Chriſtum,ita & ſaluari, & probatur hęc ſententia primo, quia Sanctus Thomas 3.par.quæſt.67.artic.2.ait, quod ſi aliquis deſiderans baptiſmum morte præueniatur, ſalutem conſequetur, ſed ille poteſt non dum habuiſſe fidem explicitam,ergo cum ſola fide implicita poteſt aliquis iuſtificari, & ſaluari; ſecundo ſic probatur; ante Euāgelij promulgationem, potuerunt homines cum ſola fide implicita iuſtificari, ergo & modo poſt Euangelium promulgatum,antecedens eſt omnium Theologorum, & patet in Cornelio, qui fuit iuſtificatus cum fide implicita, atque etiam de Eunucho Reginæ Candacis, & Lydia purpuraria, &c. probatur conſequētia, quia alioqui promulgatio feciſſet aut legem Chriſti duriorem, aut iuſtificationem noſtram difficiliorem,quod non eſt dicendum.

D. Thom.

Tertio probatur derogat Dei ſuauiſſimæ prouidentiæ circa ſalutem hominū,& miſericordiæ, & ſummis Chriſti meritis, vt non poſſit homo in lege diuina iuſtificationis gratiam conſequi citra miraculum,imo, & repugnat rationi viæ; ſed ſi homo non poſſet iuſtificari cū fide implicita nō poſſet ſine miraculo iuſtificari;ergo &c. Minor patet de eo,qui in Sylicis nutritus eſt,& habet inuincibilē Chriſti ignorātiā; quia iſte talis ſine interna illuſtratione, aut externa aliquo mediāte prędicatore nequit habere fidem Chriſti explicitā, atque eius explicitā cognitionem, ſed hoc etiam non poteſt fieri ſine miraculo, ergo &c.

Præterea Apoſt.ad Hebræos.11. inquit. Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & quia remunerator eſt,quibus verbis ſolum poſtulat, vt quis ad Deum accedat,quod credat quia Deus eſt;& quòd remunerator eſt, ergo ſimpliciter ſatis eſt ad vtramq; ſalutem neceſſitate quidem medij hæc duo credere,illo aſſenſu ſupernaturali, quem aſſeruimus artic.5. Præterea multi ſunt, aut eſſe poſſunt etiam nunc poſt ſufficientem Euangelij euulgationem; qui nihil prorſus audierint de Chriſto, quibus tamen ſalus non eſt impoſſibilis, vt veriſimile eſt Indos occidentales hac fere noſtra tempeſtate repertos inuincibilem ignorantiam de Chriſto habuiſſe: cū nulla apud eos inuenta fuerint apparentia veſtigia, vt fidem faciant illuc ante hæc tempora perueniſſe Euangelium, & ſiue peruenerit ſiue non, perinde profecto eſt de illis ſentiendum, ac ſi nunquam eo perueniſſet, nam apud eos nunc nulla prorſus opinio Chriſti erat, non maior ſane, quam ſi nunquam fuiſſet ibi prædicatus, atq; adeo ſicut in primitiua Eccleſia ſtatuto iam,& firmato, imo etiam ex parte euulgato præcepto credendi,iuſtificari homines potuerunt, & iuſtificati ſunt, & ſalui facti permulti abſq; fide Chriſti explicita,vt de Cornelio, Eunucho, atque Lydia purpuraria patet:maxime rationi conſentaneum eſt, vt quam indulgentiā conceſſit huic orbi noſtro, vt ſine illius fide explicita iuſtificari, & ſaluari poſſent homines ante promulgationem Euangelij;eadē,& orbi nūc reperto concedat,& neminē à ſua gratia,& beatitudine repellat,quia careat fide Chriſti ſi per eū non ſteterit,quo minus illā habuerit. Nō enim vt diximus Euāgelij promulgatio duriorē facit legē Chriſti, aut difficiliorē noſtrā iuſtificationē.

His itaq; rationibus moti præcitati Doctores dicunt, quòd fidei Chriſti explicitæ, & baptiſmi ſtante lege, dari poteſt (licet de facto non detur) etiam nunc ignorātia inuincibilis toto tempore vitæ perſeuerās,quodq; ſine fide explicita Chriſti eam inuincibiliter ignorans, cū implicita fide Chriſti poteſt vita æternam,ſicut & vitā gratiæ habere,quamuis de facto,ſine illa nullus nunc ſaluetur iam promulgato Euangelio: nā vt inquit Vega loco ſupra citato cap.22.tam clara,& tam illuſtris prædicatio Euangelij, per totum hūc noſtrum orbem facta eſt, vt nullos qui nomen Chriſti audierint probabile ſit fidem Chriſti inuincibiliter ignorare, veriſimillimum eſt damnari, damnatoſq; fuiſſe omnes; qui mortui ſunt ſine illa, & multo magis,qui cum illius diſſenſu.

Secunda ſententia.

Secunda ſententia affirmat poſt Euangelium ſufficienter promulgatum,vt in hoc tempore, & ætate neminem poſſe iuſtificari,& ſaluari,ſine fide explicita Chriſti, atq; adeo poſt Euangelium ſufficienter euulgatum fidē Chriſti explicitam neceſſariā eſſe neceſſitate medij ad primā, & vltimam ſalutem, ideſt ad obtinendam iuſtificationē, & beatitudinem. Hanc ſententiā docent Alex.de Ales.3. p.q.69.in 3.art.1.D.Bona.in hoc 3.d.25.art.1.q. 2. Et Scotus,q.1.Durandus eadem diſt.q.1.Gab.q.1.art.2.concl.3. & in 2.d.22.q.2.dub.1.& diſt.27.q.1.art.2. concl. & dub. 4.Marſil.q.14.art.3.q.concl.4.Gerſon.lect.2. de vita ſpirituali, & Caſtro de lege penali lib.2.cap.14. Probatur hęc ſentētia. Fides explicita de myſterio incarnationis,eſt neceſſaria neceſſitate præcepti omnibus hominibus, niſi aliquis excuſetur propter ignorantiam, ſed in hoc tempore promulgato Euangelio,neq; maiores neq; minores excuſari poſſunt à fide Chriſti explicite habenda propter ignorantiam, ergo in ſtatu gratiæ promulgato Euangelio neceſſaria eſt fides explicita Chriſti,tam maioribus,quā minoribus,conſequentia eſt bona,& maior eſt omniū Theologorū; probatur minor: quia hoc tēpus eſt, de quo dicit Iſaias ca.54. Et ponam omnes filios eius doctos à Deo & Ieremiæ. 31. omnes cognoſcent me à minori ad maximū, & Marci.16. Prædicate Euangelium omni creaturæ, &c. ſed Euangelium nihil aliud eſt, quā prædicatio de Chriſto explicita; quia prędicatio implicita in veteri lege cōtinebatur. Et ad hūc ſenſum Athanaſius in ſymbolo docet, quod qui vult ſaluus fieri neceſſe eſt vt incarnationē Domini Ieſu Chriſti fideliter credat. Et confirmatur: quia ſi poſt Euangelij promulgationē ſufficeret fides Chriſti implicita,ſequeretur,quòd ſi modo Iudæus haberet ignorātiam inuincibilem Euangelij per ſolam fidem implicitam poſſet iuſtificari credendo venturum Meſſiam cum præparatione animi,quod crederet veniſſe ſi aduentus Chriſti ſufficienter ſibi promulgaretur,hoc autem non admittunt Doctores Scholaſtici: in hoc tempore ergo neceſſaria eſt fides Chriſti explicita.

Alex. de Ales. D. Bonau. Scotus. Durand. Gabriel. Marſil. Gerſon. Caſtro.

Athanaſ.

Secundo probatur. Quia in Concilio Trident.ſeſſ.6.c. 4.dicitur. Translationē impij à ſtatu peccati ad ſtatū Iuſtitiæ fieri non poſſe poſt Euangeliū promulgatū,ſine lauacro regenerationis,aut eius voto. Ex hoc ſic arguitur. Prima iuſtificatio fieri non poteſt,ſine baptiſmo in re, vel in voto,poſt Euangelium promulgatū; ſed baptiſmus in re, vel in voto poſt Euangeliū promulgatū haberi nō poteſt ſine fide Chriſti explicita,ergo nō poteſt homo iuſtificari poſt Euangelium promulgatū ſine fide Chriſti explicita, conſequentia eſt bona, & maior eſt definitio Concilij, probatur minor, & primo de baptiſmo in re manifeſtum eſt,quod non poteſt haberi ſine fide Chriſti explicita; ſed quod etiā de baptiſmo in voto idem ſit iudiciū probatur: quia ſi baptiſmus in voto poſſet haberi, ſecundum fidem implicitam ita vt ſufficeret nunc ad iuſtificationem, ſatis eſſet baptiſmus contentus in fide,ſicut continebatur in fide antiquorum;non enim dubiū eſt, quin baptiſmus noſter contineretur in fide antiquorum,& eorū geſtis tamquam in figuris dicente Paulo,ideſt ad Corinth.10. Omnes in Moſe baptizati ſumus, &c.

Concilium Trident.

Et ſi dicas cū Ricardo de Mediauilla hac d.art.4. q. 1. q̄ ſicut Baptiſmus cōtinebatur implicite in fide antiquorum,quę erat tātum fides implicita Chriſti, ſic etiam votum baptiſmi contineatur implicite in his duobus principijs fidei Deus eſt,& remunerator eſt;ita vt in neceſſitate alicuius caſus ſufficiat modo habere fidem horū duorum vniuerſalium principiorum,quæ eſt fides Chriſti implicita tantū;& per conſequens, quòd ſufficiat baptiſmus pro vt contentus implicite in illis duobus principijs.

Ricardus.

Contra,quia ex verbis Concilij apparet,quod hęc ſententia falſa eſt;dicet enim quod poſt promulgatū Euāgelium

lium neceſſarius eſt baptiſmus in re, vel in voto; ſed baptiſmus in ſe ſine fide chriſti explicita haberi non poteſt; & baptiſmus in voto explicito, etiam ſine fide chriſti explicita haberi non poteſt: baptiſmus autem tantum in voto implicito, tantum habetur in illis duobus principijs tanquam in fide implicita chriſti, ſicut erat ante promulgationem Euangelij. apparet autem, quod concilium expoſtulat maiorē cognitionē chriſti, & baptiſmi, quam eam, quæ continebatur implicite in illa fide antiquorū: hoc in quā apparet; quia ſi concilium peteret dūtaxat cognitionē baptiſmi prout in illa fide implicita chriſti continebatur, non addidiſſet illam particulā poſt Euangelium promulgatū, ergo concilium requirit fidē factā ex Euangelij promulgatione, ſed omnis fides ex Euangelij promulgatione proueniens eſt fides explicita, ergo concilium requirit ad iuſtificationē fidē chriſti explicitā, & requirit baptiſmum ſecundū quod continetur in fide chriſti explicita; id eſt in fide Euangelij promulgati, & per conſequens neceſſe eſt ad iuſtificationem, modo facta Euangelij promulgatione, credere Chriſtum iam veniſſe, quæ eſt fides explicita Chriſti.

Conciliū Trident. Et confirmatur ex eodem concilio Triden. eadem. ſeſſ. c.8. vbi explicans quemadmodū aſcribatur iuſtificatio fidei in chriſtū, de qua Apoſt. ad Roma. 3. per eam, & gratis hominē iuſtificari, affirmat ſine hac fide impoſſibile eſſe placere Deo, cum inquit Apoſtolus, dicit, iuſtificari hominem per fidem, & gratis, ea verba in eo ſenſu intelligēda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ catholicæ ſenſus tenuit & expreſſit, vt, ſ. per fidem ideo iuſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis, ſinē qua impoſſibile eſt placere Deo & ad filiorum eius conſortium peruenire.

Præterea arguitur ex illo Marci vltimo. Prędicate Euāgelium omni creaturæ &c. qui non crediderit condēnabitur, ergo ſine fide Euangelij nullus poteſt ſaluus fieri; Euāgeliū aūt eſt explicita chriſti prædicatio, ergo ſine fide chriſti explicita nullus ſaluabitur, & hoc videtur definitū in extrauaganti. Vnā ſanctam, de Maioritate, & Obedientia, vbi dicitur. Vnam ſanctam Eccleſiam catholicam & ipſam Apoſtolicā vrgente fide credere cogimur, & tenere. Noſq; hāc firmiter credimus, & ſimpliciter cōfitemur, extra quam nec ſalus eſt, nec remiſſio peccatorū; ſed carēs fide chriſti explicita eſt extra Eccleſiā, ergo illi non patebit ſalus, probatur minor; quia non eſt baptizatus, per quod conſtituitur membrum Eccleſiæ.

D. Aug. Præterea Angelus apparuit Cornelio iam iuſtificato, & dixit ei mitte, & accerſe Symonē, & ille docebit te, quid te oporteat facere, quæ verba explicans. D. Auguſtinus de prædeſtinatione Sanctorū c.7. inquit. Non ſine fide orabat Cornelius nam quomodo inuocabat in quē non crediderat, ſed ſi poſſet ſine fide chriſti eſſe ſaluus, nō ad eum ędificandum mitteretur Architectus Petrus: qui illi diceret, quæ oporteret audire, & facere, ergo &c. Ad idem faciunt exempla Eunuchi Reginæ Candacis. Actorum 8. & Macedonū. Acto. 16. & B. Barbaræ, Catharinæ, & aliorum ſanctorum diuinitus de explicita fide Chriſti edoctorum, dum Doctor humanus & ordinaria ad id illis deſiut induſtria.

D. Tho. Poſtremo arguitur authoritate D. Tho. qui in quæſt. de veritate, q. 14. art. 11. Poſtquā docuit tēpore reuelatæ gratiæ oēs tam maiores, quam minores teneri habere fidē explicitā de Trinitate, & Redēptore, arguit cōtra ſic; Si fides explicita eſſet mediū neceſſariū ad ſalutē, ſequeretur, quod aliquis homo neceſſario damnaretur, ille ſ. qui nutritus in ſyluis, nūquam audiuit neq; audire potuit de Chriſto; conſequens eſt magnū incomodū, ergo non videtur neceſſaria fides explicita chriſto; & reſpondet Sanctus Doctor, ad hanc obiectionē dicens, diuinam prouidentiā huic homini prouiſuram eſſe de medijs neceſſarijs ad ſalutē: nam ſi talis homo ſequatur rationē in fuga mali; & proſecutione boni, certiſſime tenendum eſt, quod Deus ei per internam reuelationem reuelabit, quæ ſunt creditu neceſſaria pro iuſtificationis gratia conſequenda, vel aliquem prædicatorem ad eum mittet, ſicut miſſit Petrum ad Corneliū; vbi aperte Sanctus Thomas tenet noſtram concluſionem, & eandem ſententiam tenet in expoſitione epiſtolę ad Roma. c.10. lect. 10. licet alij de oppoſita ſententia illum pro ſe adducant. & idem etiam docet. 2.2. q. 2. art. 7.

Hanc ſententiam communem & ſolemnem opinionē appellat Pater Corduba. lib. 2. Quæſtionarij Theologici. q. 4. propoſitione 3. quam tamen ſic limitat dicens, quod licet per aliquod tempus modo Euangelio promulgato poſſit dari ignorantia inuincibilis fidei explicitæ Chriſti, non tamen pōt dari apud aliquē pro toto tēpore vitæ ſuę perſeuerans. ſed quod ſi faciat quod in ſe eſt, Deus illum illuminabit medio conuenienti de eiuſmodi fide explicita Chriſti, & quia non ſtatim illuminat, ſed aliquando citius aliquando tardius. interim illo tempore intermedio talis ignorantia erit inuincibilis, & tunc illo tempore talis ignorantiæ inuincibilis poterit iuſtificari ſi faciat quod in ſe eſt, cum auxilio Dei ſpeciali, eo quod, gratia iuſtificans eſt neceſſaria ad ſalutem in ſtatu viæ; Alia tamen dona ad ſalutem non neceſſaria pro ſtatu viæ non dat Deus ſtatim, ſed opportune quando ſibi placet, vt magis deſiderentur, extimentur, & cuſtodiantur; Et huiuſmodi eſt donum illuſtrationis fidei explicitæ Chriſti: quia gratia poteſt eſſe cum fide implicita per ignorantiam inuincibilem fidei explicitæ; ſed dabit Deus (inquit) ante mortem quando ſibi placuerit: quia ad ſalutem æternam ſine illa (ſtante lege) homo peruenire non poteſt, & ideo non permittet Deus illum decedere è vita, anteq̄ ſit de fide Chriſti explicita ſufficienter inſtructus, vt in illo ſciat ſuam ſpem ponere, cuius eſt mēbrū, & cuius ēt meritis, & gratia ſaluatur. Et ſi contra arguatur, in quolibet inſtanti viæ poteſt homo iuſtificari, ſed non pro quolibet inſtanti poteſt habere fidē explicitam, de incarnatione Chriſti, ergo fides explicita Chriſti non eſt ſimpliciter neceſſaria ad iuſtificationem, in quolibet caſu, ēt poſt promulgatum Euangelium; conſequentia patet cū maiori, ex illo Ezechielis 18. In quacūq; hora ingemuerit peccator &c. Minor probatur: quia perueniens ad vſū rōnis, in primo inſtanti vſus rōnis, non pōt habere fidē explicitam de Chriſto: quia ad illam habendam eſt neceſſaria prædicatio, quæ fit in tempore. Item ſi quis Barbarus, conſtitutus inter infideles, vel ſolitari poſitus in ſylua, faciat totum quod in ſe eſt, iuſtificabitur à Deo, & tñ talis non poterit habere fidē explicitam Chriſti cum non habeat prædicatorem ergo &c.

Corduba videtur ad hanc obiectionem reſpondiſſe cū illa ſua limitatione; poſſet etiam reſponderi, vt S. Thomas reſpondit ad illam obiectionem modo relatam. Tamē vt plenius huic ſatisfaciamus difficultati, obſer. eſt; quod in principio vſus rationis tres articuli ſunt conſiderandi. primus eſt inſtans, in quo per primum ſui non eſſe terminatur alteratio, qua tollitur impedimentum phantaſiæ, & in quo manet homo ſecundum rationem liber, quantum ad habitum, aut per modum habitus in potentia proxima, & in hoc inſtanti repreſentatur ſibi, homo ipſe tanq̄ deliberandus, & repreſentantur illi duo fines alter eſt viuere ſecundum rationem, alter eſt viuere ſecundū inclinationē ſenſualitatis, qui finis repugnat priori; & eſt in nobis veluti radix omnis peccati: ſed in hoc primo articulo ratio deliberare non poteſt, quia procedit de potentia ad actum realiter, itaque in hoc primo inſtanti ſolum eſt repreſentatio illius duplicis finis, & ratio deliberatiua ſe habet in habitu tantum.

Corduba.

In principio vſus rationis tres ſunt articuli.

Secundus articulus eſt tempus, quod immediate ſequitur poſt prædictum inſtans, & in hoc ſecundo articulo poteſt voluntas peruenientis ad vſum rationis habere ſe bene, vel male; habebit ſe male, ſi in hoc articulo ſecundo ex libertate ſua, & malitia moueat intellectum ad conſiderationem finis ſenſualitatis, atque ita peccat, & de merito ſuo eſt cauſa, vt Deus non reuelet ſibi fidem neceſſariam ad ſuam iuſtificationem, atque adeo permanet in ſua infidelitate; At vero ſi in hoc ſecundo articulo voluntas non diuertat intellectum, ſed permāneat per modum habitus libera, quaſi reſidens in trono Iudicij; ipſe intellectus, qui natura potentior eſt quam ſenſus, quam diu nō diſtrahitur per voluntatem, naturaliter mouetur ad ratiocinandum, & concludendum, quod homo deliberare debeat de ſe ipſo propter bonum rationis Igitur ſtatim, ac voluntas hoc modo ſe habet in ſecundo articulo, dum intellectus fungitur naturali ſuo munere Spiritus ſanctus pro bonitate ſua, & gratia reuelat interiori

reue-

Digitized by Google

reuelatione fidem neceſſariam, vel immediate per ſe ipſū infundendo habitum fidei, & creando ſpecies rerū ſupernaturalium; ſi non adſint phantaſmata, ex quibus ſpeciebus rerū ſupernaturalium poſſint effluere, ſicut non adſunt in filijs infidelium; neque adeſſent in illo, qui educatus eſſet ſolitarie in ſyluis. Aliquādo vero Spiritus ſanctus in illo ſecūdo articulo infundit habitum fidei ipſe per ſe, & immediate; & per miniſterium Angelorū excitat, & ordinat phantaſmata acquiſita in infantia, ex quibus poſſint effluere ſpecies intelligibiles ad repreſentandum res ſuper naturales, quod contingit in pueris, qui educati fuerint inter infideles, ſi fortaſſe non fuerint vere baptizati, & ſi fuerint vere baptizati Spiritus ſanctus per ſe, & immediate nō habet opus vt habitum fidei infundat, ſed ſolum opus, vt per auxilium ſpeciale excitet habitum fidei, qui fuerat infuſus in baptiſmo, & reducat de actu primo ad ſecundum; quantum eſt ex ſe, reuelabit ergo iam nunc Spiritus ſanctus poſt promulgatum Euangelium, fidem Chriſti explicitam ſiue maiorem, ſiue minorem prout capax fuerit ille, qui peruenit ad vſum rationis. Verbigratia ſi erit educatus ſolitarie in ſyluis, & nullum inſtaret periculum mortis, ſatis eſſe videtur, ſi reueletur ei, vt quærat chriſtianos, & proponat ſe tunc facturum, quod illi docuerint; ſi vero ſit educatus inter infideles, & propter contrarietatem, quam habent parentes contra chriſtianos, aliqua acceperit phantaſmata chriſtianitatis, ſatis erit ſi fiat illi reuelatio, quod veritas ſalutis cœleſtis eſt apud chriſtianos; quod ſi educatus fuerit inter fideles, amplior poterit illi fieri reuelatio explicite fidei.

Et his peractis in ſecundo articulo, ſi voluntas deliberat ſequi bonum reuelatum, & bonū rationis propter ipſū bonum reuelatū, iuſtificabitur per gratiā Dei, & ſuſcipiet oēs habitus, & diliget Deū ſicut oportet, ſimiliterq; credet ſicut oportet; Si vero in hoc tertio articulo, quod eſt inſtans deliberationis, voluntas illa nō deliberet pp bonum reuelatum, ſed pp bonum ſenſibile, manebit ille homo infidelis priuatiue, & in peccato mortali: Vel dicendum quod in illo ſecundo articulo, quando homo ſic diſcernit per intellectum, quod deliberandum eſt, pp bonū rationis, & non ſenſualitatis; tunc Spiritus ſanctus adiuuans gratia adiuuante illuminat eum, vel infundendo ſpecies rerū ſupernaturaliū ſi non adſint phantaſmata; vt in nutrito in ſyluis, vel filio infideliū, ſi vero aliquis nō vere ſit baptizatus, educatus tñ inter fideles excitat Spiritus ſāctus, & ordinat phantaſmata acquiſita in infantia per Angelorum miniſterium, & ſi vere baptizatus ſit adiuuat illum vt reducat habitum fidei infuſum de potentia ad actum credendo ea, quæ à chriſtianis audiuit.

Soluūtur rōnes primæ ſentētiæ.

Ad rationes oppoſitæ ſententiæ reſpōdetur, & ad primam rationē adductā ex D. Tho. Dico quod D. Thomas loquebatur de eo, qui habet fidem explicitam baptiſmi, illumque ſuſcipere deſiderat, interim tamen ante quam ſuſcipiat moritur, ille ſiquidem baptizatus baptiſmate flaminis ſaluabitur.

Ad ſecundum nego conſequentiā: quia mutato tempore, & ſtatu mutata eſt ēt lex. neq; promulgatio legis Euāgelicæ fecit noſtrā iuſtificationē difficiliorē: quia facienti quod in ſe eſt, Deus ſuū præſtabit auxiliū; & ad id, quod adducitur de Cornelio dico, quod aliqui tenent nō fuiſſe iuſtificatū ante quā D. Petrus fidem explicitā illū docuit, & ita ſentit D. Chriſoſt. in lib. de lege naturæ dicens. Vide q opera ſine fide non viuificant; habuit. n. Cornelius de pcibus, & eleemoſinis bonū teſtimoniū, & tñ quia fidē nō habebat, eius opera mortua erāt. Alex. de Ales 3. par. q. 69. m. 4. ar. 2. dicit q̄ duplex eſt fides. ſ. diſticta, & indiſtincta: fidē indiſtinctā habebat Cornelius, qn̄ miſſus fuit ad eum Petrus: quoniā ante illā miſſionē dictū eſt ei. Accepte ſūt eleemoſinæ tuæ &c. ſed nō poterant eſſe acceptæ niſi per fidē, atq; ita cōſtat, q habebat fidē, ſed indiſtinctā, quoniā credebat filiū Dei eſſe incarnādū indiſtincte, nec adhuc diſtincte credebat, q facta eſſet incarnatio; nōdū. n. per fidē ſuſceperat q dicitur Ioan. 1. Verbū caro factū eſt. q iā inceperat prædicari per mūdū, & ideo nō poterat iā Cornelius diu eſſe iuſtus ſine fide diſtincta, & vt eā haberet miſſus fuit ad eum Petrus; & hoc eſt q dicit Gloſſa ſuper Act. 10. Si ſine fide poſſet eſſe ſalus non fuiſſet ad eum miſſus Eccleſiæ Architectus, hoc eſt ſi poſſet eſſe ſalus ſine fide diſtincta, quæ tunc temporis ceperat declarari; atque adeo per opera venit Cornelius ad fidem diſtinctā, cum prius haberet fidem indiſtinctam. Idē dicit D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 4. Quatenus de Cornelio duo dicit: primū q fuit fidelis: quia alias eius opera Deo non placuiſſent: q a ſine fide nemo placet Deo, ſecundum quod habuit fidem implicitā Chriſti, ex quibus verbis videtur, q cū fide implicita, vel cum fide indiſtincta vt dicit Alex. fuit iuſtificatus, tamen quia non erat tunc Euangeliū ſufficienter promulgatum ſufficiebat, ſed non potuiſſet diu eſſe iuſtus, vt inquit Alex. ſine fide diſtincta & explicita, quæ iam ceperat promulgari &c.

D. Chriſoſ.

Alex. de Ales.

Gloſſa.

D. Tho.

Ad tertium dico illā iuſtificationē nō eſſe miraculo tribuendā, ſed ſuauiſſimo ordini diuinæ prouidētiæ, & Dei miſericordiæ, qui ordo, & quæ miſericordia poſtulant vt bene vtenti libero arbitrio tribuat Deus regulariter auxilia ſupernaturalia, iuxta illud commune Theologorum axioma. facienti quod in ſe eſt &c.

Ad quartū reſpondeo cū Marſilio in 3. q. 14. art. 3. in reſponſione ad rōnē primā prioris dubij Apoſtolū ibi memorare quidē ea quæ ſunt creditu neceſſaria, ſed non quę ſufficiat credere; vel dici pōt cū Alberto in 3. d. 25. art. 2. ad primū Apoſtolū ibi loqui de eſſe Dei nō quomodocūq̄ ſed determinate, put eſt reuelatū in quibuſdā articulis.

Marſilius.

Albertus.

Ad quintū reſpondeo cū Durando vbi ſupra talibus ſi ab aliquali gratia Dei preueniente, quæ nemini deeſt faciant, quod poſſunt Deum aut per ſe, aut per aliquem hominem, vel angelum reuelaturum fidem Chriſti, vt proxime dictum eſt in hoc articulo, ac ēt ſupra art. 5. nec illud fore miraculum vt hic, & ibi explicatum eſt, nec promulgatio Euangelij facit legem Chriſti grauiorem, nec noſtram iuſtificationem difficiliorem, vt proxime diximus, & patet etiam quid dicendum ſit ad exempla de Cornelio Eunucho, & Lydia purpuraria.

Durand.

Soluitur argumentum Cani.

Sed oportet reſpondere ad præcipuum argumentum Mechioris Cani. Nam Cornelius iuſtus erat per fidē chriſti implicitam, & tamen ad Petrum miſſus eſt, vt ab eo ꝑterea fidem explicitam doceretur, ex quo apparet illā neceſſariā eſſe non ad primam, ſed ad vltimam ſalutem neceſſitate medij. Confirmatur ex D. Auguſt. lib. de prædeſtinatione Sanctorum. c. 7. qui dicit. Si Cornelius poſſet conſequi ſalutē abſq; fide chriſti, futurū nō fuiſſet, vt ad Petrū, tāquā ad fidei Architectū mitteretur. Reſpōdeo ex his non colligi fidē chriſti explicitā fuiſſe tunc neceſſariā ad vltimā tantū ſalutē, ſed magis tunc ad neutrā ſalutem fuiſſe illi neceſſariā neceſſitate medij, eoquod tūc nō erat Euangeliū ſufficienter promulgatū. tamē neceſſitate pręcepti neceſſariā ei fuiſſe ad vtrāq; ſalutē cū iā in Paleſtina eſſet Euangeliū promulgatū, & propterea fuiſſe miſſū ad Petru, ne ſi accideret ipſum vincibiliter ignorare Chriſtū, ſalutem conſequi non poſſet. Itē quia iam non multo poſt erat etiam futura ea fides illi neceſſaria neceſſitate etiam medij poſt Euangelium ſufficienter diuulgatū, vt elicitur ex his q̄ docet Alex. Alenſis loco ſupra proxime citato.

D. Aug.

Defenditur opinio Soti, & Vegæ.

Cœterum quia opinio Soti, & Vegæ eſt etiam probabilis, vt rationes ſecundæ ſententiæ ſoluantur obſer. eſt. Quod illa maxima facienti quod in ſe eſt Deus non denegat illuſtrationem fidei; cui innititur ſecunda opinio; non eſt ita certa etiam de lege, quod ſi Deus aliter faciat non illuminando facientem quod in ſe eſt repugnantiā faciat legi poſitæ, atque ita neq; eſt de fide, & per conſequēs nō eſt contra fidem oppoſitum dicere, quod patet, quia multi Doctores hoc tenent, quorum ſententia non eſt damnata per Eccleſiam, & ſic talis maxima ſecundū hanc ſententiam eſt ſic intelligenda, quod facientem quod in ſe eſt Deus illuminabit, vel ſi nō illuminet excuſabitur p ignorantiam inuincibilē, quam ille non tenebatur vincere, neque Deus ēt de lege per illuminationē internam, aut externam. ita docent Gerſon de vita ſpirituali lect. 2. corrollario quinto, & Caſtro de lege penali lib. 2. c. 14.

Gerſon.

Caſtro.

Secūdo obſer. eſt, q hoc dictū faciēti q in ſe eſt iuribus nature, & cū ſola influētia Dei generali Deus nō denegat illuſtrationē fidei, nō eſt verū; quia ſic facere quod in ſe eſt, non eſt medium per ſe, & diuina inſtitutione ordinatum ad vincendā ignorantiam fidei; Tunc. n. videretur q initium noſtræ ſalutis eſſet ex nobis, quod ſapit Pelagianum errorem, & eſt contra D. Paulum ad Philip. 1. Qui

incipit in nobis opus bonũ, ipſe perficiet. Ex quod ſequere
tur incipere ex nobis initium noſtræ ſalutis, patet: cum à fi-
des eſt à qua incipit ſalus, ſi ergo ex nobis incipit diſpoſi-
tio neceſſaria ad fidẽ, ex nobis incipit noſtra ſalus, ꝙ eſt
pluſquã falſũ; eſt tamen talis ſic diſpoſitio meritũ de con-
gruo nitens in miſericordia Dei, ad quã pertinet ſic facië-
ti, quod in ſe eſt præbere auxiliũ ſpeciale; quo ſe ille talis
diſponat, & credo intellexiſſe Vegã loco ſupracitato, quã-
do dixit, ꝙ faciens quod in ſe eſt & ſi non ſit ſupernatura-
liter, & extraordinarie adiutus, ſed per naturæ vires fide il
luſtreiur ſi cũ auxilio ordinario faciat ꝙ in ſe eſt, credo
inquã ꝙ intelligat de diſpoſitione remota & de cõgruo:
alias pluſquã falſũ affirmaret. Si tamen quis faciat quod
in ſe eſt cum adiutorio Dei ſpeciali. i. Deo ſpecialiter ad id
mouente & impellente tunc eſt mediũ per ſe ordinatũ ad
ignorantiã fidei vincendã, ita docet Sanctus Thomas ſup
epiſtolã ad Roma. c. 10. Vbi poſt quã docuit quod facien
ti quod in ſe eſt, Deus non denegat illuſtrationẽ ſuper na
turalem, ſubdit, ſed tamen hoc ipſum, quod aliqui faciunt
quod in ſe eſt ex Deo eſt mouente corda ipſorũ ad bonũ:

Vnde hoc eſt certũ apud oẽs, quod facienti, quod in ſe
eſt per Dei auxiliũ ſpeciale, vt diſtinguitur contra genera
le, quod auxiliũ ſpeciale neceſſariũ, & ſufficiens ſemper
Deus tribuit cuicũq; : quia vult oẽs homines ſaluos fieri
.1. ad Thim. 2. eſt in quã certũ apud oẽs, quod tali ſic faciẽ
ti quod in ſe eſt, Deus non denegabit gratiã, (& hoc exiſti
mo eſſe de fide contra Caietanũ quol. de contritione. q. 1.
Caietan. *Durand.* & Durandum in 4. d. 4. q. 7. de illuſtratione fidei) & ſuper
nam illuſtrationem ſufficientem; illuſtrationem tamẽ ex-
plicitam fidei Chriſti Domini; quia ſine illa poteſt eſſe iu
Sotus. ſtificatio, non eſt de fide, quod ſtatim illam tribuat Deus
taliter ſic diſpoſito. Vide Sotũ de Natura, & Gratia lib. 2.
c. 16. & lib. 3. cap. vlt. & in 4. Sent. d. 5. q. 1. art. 2. & latius d.
Medina. 17. q. 2. art. 5. & Medinam de recta in Deũ fide lib. 4. c. 7.

Soluuntur rationes ſecũdę ſententię. His poſitis tenendo hanc opinionem reſpondeo ad pri-
mam rationem negando min. ſ. quod promulgato Euan-
gelio non poſſit dari ignorantia inuincibilis legis euange
licæ, & quando probatur authoritatibus illorũ Propheta
rũ; dico ꝙ intelligũtur vbi ſufficienter eſt promulgata lex
euangelica, ſicut modo in Eccleſia; non tamen vbi nõ eſt
promulgata. ſi forte daretur aliqua pars mundi in qua ad
huc non peruenerit chriſti fides, & prædicatio.

Vega. Ad confirmationem. Dico, quod caſus forte non eſt da
bilis: quia ſicut ait Pater Vega tã clara & illuſtris prædi-
catio Euangelij per totum hũc noſtrum orbem facta eſt,
vt probabiliſſimum ſit, nullum genus hominum in eo iã
Sotus. inuincibiliter ignorare Chriſti fidem; quod etiam dicit So
to ſuper Epiſtolam ad Roma. 10. Quanto magis hoc dicẽ
dum eſt de Iudæis, quibus chriſtus prædicauit, qui maio
rem notitiam de Chriſti aduentu quam alia quæcũq; na
tio habere poterant, ſi eorũ malitia eos non excæcaret, de
quibus Chriſtus Dominus dixit. Si non veniſſem, & locu
tus eis non fuiſſem peccatum non haberent, nunc autem
excuſationem non habent, atque ita peccatũ infidelitatis
eorũ inexcuſabile eſt. Cęterũ ſi per poſſibile, vel impoſſi-
bile aliquis Iudæus daretur inuincibiliter ignorans fidẽ
Chriſti explicitam, ſufficeret illi faciendo quod in ſe eſt fi
des implicita ſi Deus illum non illuminaret de fide expli-
cita, quia haberet in animo præparationem credẽdi Chri
ſtum veniſſe ſi ſibi ſufficienter promulgaretur, & ſic talis
excuſaretur per inuincibilem ignorantiam, quam vincere
non poteſt, neque Deus tenetur, vt diximus, illum illuſtra
re de fide explicita, licet faciat, quod in ſe eſt.

Ad ſecundum dico quod concilium ab illis, quibus ſuf
ficienter prædicatum eſt Euangelium petit explicitam fi-
dem baptiſmi, & ipſum baptiſmum in re, vel in voto, ta-
men quibus non eſt ſufficienter promulgatum non impo
nit impoſſibile, eſſet autem impoſſibile ignoranti inuinci-
biliter, atque adeo propter huiuſmodi impoſſibilitatem,
& inuincibilem ignorantiam, excuſantur, neq; eſt neceſſa
riũ, quod ſi faciat quod in ſe eſt illuminetur de fide expli-
cita: poteſt. n. Deus adhuc illum non illuminare de tali fi-
de explicita: quia de hoc nulla eſt lex. Imo dico (quod ma
xime notandum eſt,) quod ſi aliquis non faciat quod in
ſe eſt, ſeruando iura naturæ, aut talem ſe præbendo, quod
mereatur illuminari à Deo, non ignorat culpa ſua; Ille. n.
tantum culpabiliter ignorat, ea quæ ſunt fidei, qui audi-
uit, & credere noluit, aut qui habens vnde diſceret nul'ã
adhibuit diligentiam ad diſcendum; Ille tamen qui in ſyl
uis nutritus eſt, neque aliquid de Chriſto vnquam audi-
uit, neque oblatam fidem ſuſcipere recuſauit, ſiue faciat,
quod in ſe eſt, ſiue non, tenetur peccato infidelitatis poſi-
tiuæ; quia laborat ignorantia inuincibili, quæ in toto ex-
cuſat à peccato.

Ad tertium dico, quod ex illo loco Marci habetur, ꝙ
baptiſmus & explicita Chriſti fides poſt euulgatum Euã
gelium ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti, à quo excuſã
tur inuincibiliter ignorantes, non autem neceſſitate me-
dij: Ad confirmationem extrauagantis. Vnam ſanctam.
Reſpondetur negando minorem, tales. n. ſunt de Eccleſia
merito, quamuis nõ numero propter defectum baptiſmi,
& confirmatur quia etiam in dicta extrauaganti dicitur,
quod nec extra Eccleſiam eſt peccatorũ remiſſio, ſed poſ-
ſunt remitti peccata per ſolam fidem Chriſti implicitam,
quando adeſt ignorantia inuincibilis, ergo etiam in eodẽ
caſu poteſt patere ſalus.

Ad quartum reſpondetur, quod ibi ſolum vult D. Au *D. Aug.*
guſtinus, quod Cornelius ſine fide Chriſti explicita non
poterat ſaluari, quia erat præceptum diuinum de ea ha-
benda; à quo tamen ipſe Cornelius non excuſabatur per
ignorantiam inuincibilem, ſed fuit dignus ſuis meritis, vt
ad maiorem perfectionẽ traheretur edoctus de fide Chri
ſti explicita: quia quamuis ab illa excuſaretur per ignorã-
tiam ſuam inuincibilem, & ſaluari poſſet cum ſola impli
cita, tamen ex fragilitate humana poſſet fieri ſua ignoran-
tia culpabilis, & venialis, & ſic non excuſaretur à peccato
nec ſaluaretur, atq; adeo iuſte fuit miſſus Petrus ad Cor-
nelium vt illum inſtrueret.

Ad vltimum ex D. Thoma, dico quod ipſe, & alij qui
negant poſſe homines ſaluari ſine fide Chriſti explicita
hoc ideo dicunt: quia veriſimile eſt nunquam id contin-
gere, non quia legi alicui id obuiaret ſi fieret.

ARTICVLVS IX.

Vtrum omnes explicite, & æqualiter credere teneantur.

PRo huius difficultatis explicatione obſer. eſt, quod In Eccleſia Dei diuerſi ſunt hominum gradus.
in Eccleſia Dei diuerſi ſunt hominum gradus, qui-
dam ſunt maiores, quidam vero minores; Maiores
ſunt Summus Pontifex, Epiſcopi, Doctores, & Prædicato
res, Minorũ & Eccleſiarum Rectores videlicet Parrochi.
Minores vero ſunt, qui neque diſpenſandi verbi Dei, ne-
que animarum regendarum curam aliquo modo habent,
quantumuis nobiles ſint, & generis claritate illuſtres, aut
opibus, ſeu diuitijs affluentes, de quibus omnibus dicen-
dum eſt, quid explicite credere teneantur.

Secundo obſer. eſt quod aliud eſt loqui de maioribus
primitiuæ Eccleſiæ, quales fuerunt Apoſtoli, & diſcipuli
chriſti, aliud vero de minorib. quales fuerũt alij credẽtes.

Tertio obſer. eſt, quod quamuis multa ſint nobis reue-
lata circa fidẽ, quæ patribus antiquis non fuerũt cognita
explicite, tñ Apoſtoli habuerũt reuelationẽ oĩum eorum,
quæ modo ſunt reuelata circa fidẽ, patet ex illo Ioan. 14.
Spiritus paraclitus, quẽ mittet pater in nomine meo, ille
vos docebit oĩa, & ſuggeret vobis oĩa, quæcũq; dixero vo
bis, & iterũ Ioan. 15. Vos aũt dixi amicos qa oĩa quęcũq;
audiui à patre meo nota feci vobis; & iterũ Ioã. 16. Cũ ve
nerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnẽ veritatẽ. &
D. Paulus ad Roma. 8. Nos. ſ. Apoſtoli primitias ſpiritus
habẽtes, vbi gloſſa inquit in doctrina ſpirituum, & donis
comparari aliquis ex Sanctis cum Apoſtolis; & Lucę 24.
dicitur aperuit illis ſenſus, vt intelligerent ſcripturas. Deni
que Paulus, ad Epheſ. 1. dicit. Secundum diuitias gratiæ
eius, quæ ſuperabundauit in nobis. ſ. Apoſtolis in omni
ſapientia, & prudentia, vt notum faceret nobis Sacramen
tum voluntatis ſuæ; Nec ſufficit dicere, quod fuerunt il-
lis reuelata omnia implicite, nam verbum (ſuggeret) &
alia ſimilia ſupra poſita explicationem denotant.

His obſeruatis ſit prima concluſio. Maiores Primitiuæ 1. Concl.
Eccleſiæ explicite nouerunt omnia, quæ poſtea per Con-
cilia fuerunt definita de fide. probatur. Eccleſiæ non fit
de nouo reuelatio, ſed definit ex iã reuelatis, ſed Apoſtoli,

&

Digitized by Google

& maiores primitiuæ Eccleſiæ habuerunt explicitam notitiam, omnium reuelatorum, vt dictum eſt tertio notabili, & latius probat D. Thomas ad Rom. 8. lect. 5. & ad Epheſ. 1. lectione 3. Pendebant enim ex ore Chriſti, atq; ita hęc omnia illis reuelauit, maximè cum loquebatur eis de regno Dei idest de Eccleſia, obſeruata tamen, quod non erat neceſſe, vt omnia ſimul intelligerent, quia vt conſtat Actorum 9. D. Petrus exiſtimauit gentes non eſſe admittendas ad Euangeliũ, donec fuit illi de eo facta reuelatio. *D. Tho.*

2. Concl. Secunda Concluſio Minores Eccleſiæ, quæ modo eſt, plura credunt explicite, quã minores primitiuæ Eccleſię, probatur; quia multa ſunt definita in Concilijs de fide, quæ non fuerunt explicite cognita illis temporibus, vt quod Spiritus Sanctus procedat ab vtroque, quod filius ſit conſubſtantialis patri, & quod baptizatus ab hæretico non erat rebaptizandus.

3. Concluſio. Tertia Concluſio. Non omnes in Eccleſia ad ęqualem fidem explicitam tenẽtur, probatur, plura tenẽtur credere explicite maiores, quam minores, ergo non omnes tenentur ad habendam æqualiter fidem explicitam, conſequentia patet, probatur antecedens. Doctrina fidei, & explicatio credendorum per maiores, & ſuperiores peruenit ad minores, ſicut diuinę reuelationes per ſuperiores angelos ad inferiores tranſmittuntur, atque adeo ſuperiores Angeli, qui inferiores illuminant, habent pleniorem diuinarum rerum ſcientiam, quam inferiores; ſimiliter, quia maioribus incumbit in Eccleſia minores docere, & inſtruere in his, quę ſunt fidei, oportet, vt habeant pleniorem, & explicatiorem notitiam credendorum, quam minores.

4. Concl. Quarta Concluſio. Summus Pontifex, & Epiſcopi tenentur explicite credere articulos fidei, & non ſolum illos omnes particulariter cognoſcendo, & ordine quodã diſtinguendo, verum ẽt oẽs illorum difficultates, & ſubtilitates percipiendo; ita. ſ. vt ſciant illorum rationes explicare, fidelibus perſuadere, & eoſdem ab hæreticorum calumnijs defendere; breuiter ex officio tenentur explicite credere omnia contenta in tribus ſymbolis, & ne dum explicite, ſed etiam diſtincte: hæc concl. eſt. S. Thomæ 2. 2. q. 2. art. 7. & Scoti in hac q. ſub littera D. §. ſed ad omnia credenda, & eſt communis conſenſus omnium Theologorum. Probatur Concluſio, tenentur ex officio paſcere greggem fide, & doctrina ſana, ergo &c. probatur antecedens Ion. 21. Paſce oues meas, & ad Epheſ. 4. Alios dedit paſtores, & doctores, & 1. ad Thim. 3. oportet epiſcopum eſſe Doctorem, & ad Titum primo, oportet Epiſcopum eſſe amplectentem eum, qui ſecundũ doctrinam eſt fidelem ſermonem, vt potens ſit exortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere. Quo loco D. Paulus duo Epiſcopi munera explicat primum exortari in doctrina ſana, & hoc competit in ordine ad fideles, quos docent, alterum eſt contradicentem arguere, & hoc competit Epiſcopis in ordine ad hæreticos, quos debent oppugnãdo redarguere, & ab eorum calumnijs catholicam fidem defendere, atq; adeo qñ Epiſcopi ordinãtur, quæritur ab eis an ſciant nouum, & vetus teſtamentum, etſi reſpõdent, ſcio. Vade (dicitur illis,) & prædica populo tibi commiſſo. Probatur ratione ſumpta ex officio à Chriſto Domino Epiſcopis commendato, videlicet commiſſum ſibi greggẽ paſcere, illis verbis Ioan. vltimo; quando dixit Petro paſce oues meas, ex hoc ſic, Chriſtus Dominus commiſit curam paſcendi oues ſua. ſ. fideles epiſcopis, ſed oues Chriſti paſcuntur cæleſtis doctrinæ pabulo, & ſacramentorum adminiſtratione; ergo &c. & cõfirmatur; Epiſcopi Apoſtolis ſucceſſerunt, ſed Apoſtolis præcepit Chriſtus, vt Euangelium prædicarent, & docerent omnes gentes, ergo hoc etiam præceptum habent Epiſcopi, ſed hoc præſtare non poſſunt niſi ſciant articulos fidei non ſolum in particulari, ſed etiam ipſorum rationes, difficultates, & ſubtilitates explicare, ergo ad hoc tenentur Epiſcopi. Et confirmatur iterum D. Paulus ad Epheſ. 4. vt ſupra dictum eſt, dicit poſuit, quoſdam Apoſtolos, alios prophetas alios Euangeliſtas, alios Paſtores, & Doctores, quos ſimul coniungit, quia Paſtor debet eſſe Doctor. Ex hoc tamen non ſequitur eos debere eſſe Theologos, ſed ſatis eſt ſcire doctrinam communem Eccleſiæ, & confutare hæreſes communes, & conſulere ſanctos Doctores, & ſcripturas per ſe, & non, per alios. *D. Thom.* *Scotus.*

5. Concl. Quinta Concluſio, parrochi, & minorum Eccleſiarum rectores, & prædicatores tenentur credere, & ſcire, tria dicta ſymbola explicite, atq; diſtincte, hoc eſt in particulari, & in ſe ipſis, & articulos in eis contentos particulariter, & diſtincte credendos proponere, & oĩa, quæ pertinẽt ad erudiendum populum circa fidẽ, & mores explicare; hæc concluſio eſt S. Thomæ in additione ad 3. par. q. 36. art. 2. ad primum, & Scoti in hac q. ſub littera F. §. ad tertium dico, & eſt cõmunis Sãctorum, & Scholaſticorum, probatur, ex eorum officio aſſumuntur in partem ſolicitudinis Apoſtolorum, ergo tenentur ſcire omnia, quę debent docere, & prædicare, quia licet non ſint perfecte, & proprie paſtores, atq; adeo non teneantur omnia ſcire, q̃ tenentur epiſcopi, ſunt tñ. paſtorũ. ſ. epiſcoporũ coadiutores, atque ita tenentur multa ſcire, vt ſunt ſupra dicta. *D. Thom.* *Scotus.*

Præterea tenentur miniſtrare ſacramenta, ergo, & ſcire, quæ ad eorum rectam adminiſtrationem pertinent. ſ. quomodo debeant conferre, & populus recipere illa; & conſequenter tenentur inſtruere populum in fide, & moribus, vt digne ſacramenta recipiant. Item ex officio eſt confeſſarius, ergo tenetur ſcire, quæ pertinent ad vitia, & virtutes, vide ſummiſtas verbo confeſſor.

Sed contra 4. & 5. Concluſionem arguitur. De neceſſitate ſalutis nõ tenetur vnus plus, q̃ alius, niſi plus obligetur; ſed non obligatur aliter ad credendum maior, quam minor, ergo non magis tenentur explicite credere maiores, quam minores, maior eſt manifeſta, & minor probatur: quia fideles obligantur ad credendum in baptiſmo, ſed in baptiſmo omnes æqualiter ad credendum obligãtur, ergo non magis explicite tenetur credere vnus, quam alius, hæc ratio eſt Scoti in hac q. ſub littera D. §. Præterea videtur, cui reſpondet ſub littera E. §. ad tertium dico, & reſponſio eſt talis, quod maiores tenentur ad credendum magis explicite, & ad veritatem ſcripturæ magis intelligendam quam ſimplices, ſed non ex hoc, quod obligauerunt ſe in baptiſmo, vt procedit argumentum, ſed in hoc, quod curam animarum ſuſcipiunt; ex quo. n. ſunt in ſtatu altiori, quã ſimplices, ideo obligant ſe ad illuminandum alios, & per conſequens ad veritatem ſcripturæ capiendam, & explicite credendam. *Scotus.*

Sexta Concluſio maiores in lege Moyſi plura explicite credere tenebantur, quam minores eiuſdem legis non tamen plura, quam maiores legis gratiæ; minores etiam legis gratiæ plura tenentur explicite credere quam illi qui erant in lege veteri, hæc concluſio, quæ eſt Scoti in hac quæſt. ſub. littera G. & in reſponſione ad primum principale, habet tres partes. Prima, quod maiores in lege Moyſi plura explicite tenebantur credere, quam minores. Secunda, quòd maiores veteris legis non tenebantur plura credere explicite, quam maiores nouæ legis. Tertio, quod nos in lege gratiæ plura explicite credere tenemur, quam illi qui erant in lege veteri. Prima pars probatur ex illo Exo. 3. Ego Deus Abraham Deus Iſaac, Deus Iacob, nomen meum Adonai non indicaui eis; Moyſi igitur aliquid oſtendit Deus, quod non oſtendit alijs, ergo alij non tenebantur ad habendam fidem de omnibus, de quibus Moſes habebat fidem; & cõfirmatur, actus credendi pẽdet ex duobus. ſ. ex habitu inclinante, & ex præſentia credibilis, quod non eſt præſens in habitu, & per cõſequens ſine doctore, & reuelante nõ eſt præſens tamq̃ credibile, atq; adeo ſine doctore, & reuelante non tenebantur ſimplices, quibus non erant tot credibilia propoſita, tot explicite credere, quot maiores. ſ. Moyſes, & Prophetę, quibus explicatior de credibilibus facta fuit reuelatio, probatur. Secundo ex differẽtia inter habitũ fidei, & habitũ ſcientiæ: Nam habitus ſcientiæ generatur ex obiecto partialiter, vt habitus huius concluſionis, triangulus habet tres angulos &c. generatur ex notitia præmiſſarum, & ex obiecto, & intellectu, habitus autem fidei non cauſatur ab obiecto, ſed immediate à Deo infunditur; atque adeo habens habitum ſcientiæ habet obiectum ſufficienter præſens, quamuis non ex vi habitus, ſed per ſpecies, quæ manent quamdiu manet ſcientia, ideo poteſt conſiderare quando vult, & in poteſtate eius eſt poſt habitum ſcientię, quodcumq; contẽtorũ in habitu conſiderare. Cęterũ nõ ſic eſt de habitu fidei *Scotus.* *Nota differẽtiã inter habitũ fidei & ſciẽtiæ.*

non enim ſufficit quicumque occurſus credibilium ad intellectum ad hoc, quod habitus inclinet ad credendum: credibilia namque dupliciter poſſunt eſſe præſentia intellectui, priori modo præciſe per ſpecies extremorum; altero modo non ſolum per ſpecies extremorum, ſed etiam p Prædicatorem; prior occurſus ſeu præſentia credibilium non ſufficit ad actum credendi; patet, quia puer baptizatus poſtquam peruenit ad ætatem adultam, ſine inſtructione eorum quæ ſunt fidei, & ſi occurrant ei phãtaſmata iſtorum terminorum mortui reſurgent, non credet niſi prius ſibi conſtiterit, per aliquem quod ille ſit articulus fidei; eſt ergo neceſſarius ſecundus occurſus, vel præſentia credibilium ad actum credendi, nimirum per prædicatorem, vel aliquo alio modo; At maioribus in veteri lege, fuerunt plura credibilia propoſita vel à Deo immediate, vel quouis alio modo, quam minoribus, ergo plura explicite credere tenebantur, quam minores; Et per hoc etiam patet ſecũda pars. &c. nẽpe ꝙ Moſes & maiores veteris legis nõ tenebãtur tot explicite credere, ſicut tenẽtur modo maiores ĩ Eccleſia: q̃a tot credibilia nõ erãt ſibi reuelata.

Tertia Pars probatur: quia ad actum credendi requiritur primo habitus fidei inclinans ad aſſentiendum ſecundo præſentia credibilium, non quocũque modo, ſed vt credibilia, cum autem credibilia non ſint præſentia in habitu, vt credibilia; Ideo requiritur Doctor, qui aliquo modo ipſa explicet. ſ. Deus, vel aliquis alius, tertio requiritur actus voluntatis imperantis ad credendum: quia cætera poteſt homo nolens, credere autem non niſi volens, vt inquit D. Auguſtinus ſuper Ioan. hom. 26. ex his probatur propoſitum. Ille tenetur plura credere, cui ſunt plura credibilia explicata per Doctores; at nobis plura ſunt explicata credibilia per Apoſtolos, & per alios, quam Iudæis in lege veteri, ergo plura tenemur nos explicite credere, quam Iudei: Minor patet: quia antiqui credebant Deum eſſe in cõfuſo, Nos autẽ credimus Deũ eſſe Trinũ & vnũ; Illi credebant in aliquem, qui eſſet reparaturus Genus humanũ, Nos autem credimus diſtincte Chriſtũ Deum & hominem reparaſſe genus humanum. Cum ergo nullus in veteri lege habuit tot credibilia ſibi explicita, quot habemus nos in lege noua; ſequitur quod nullus tenebatur ad tot explicite credenda, ad quot nos ſub lege gratiæ tenemur. Et ſi aliquis (inquit Scotus) ĩ lege veteri habuit tot reuelata, quot ſunt modo reuelata nobis, vt forte fuit Abrahã, vel Moyſes, tenebat illa credere explicite ſicut nos, & alijs credẽda explicare ꝓ captu mẽtis ſuæ ꝓ ſtatu illo.

D. Aug.

Scotus.

Septima Concluſio. Minores. i. ſimplices non tenentur de neceſſitate omnia credibilia explicite, & diſtincte credere; ſed in credendis fidei Maiorũ cohærere debent, hæc concluſio eſt Scoti locis citatis & ex ſuperius dictis eſt ſufficienter probata, contra q̃. Doct. ſub. dupliciter arguit ſub littera d. § Sed hic occurrunt alia dubia. & primo ſic; ſi ſimplices non tenerentur explicite credere omnia credibilia; non tenerentur cauere omnem errorẽ contrarium; conſequens eſt falſum ergo; & antecedẽs, conſequentia probatur; non. n. tenetur quis oppoſitũ illius cauere, cuius oppoſitũ non tenetur cognoſcere, atq; ita licite, vel inculpabiliter poſſet quis cadere in errorem repugnantẽ alicui articulo fidei, quod eſt falſum, ergo ſimplices tenentur explicite credere oĩa credibilia. Præterea ſi ſufficiat ſimplicibus habere fidem explicitam de aliquibus, & de alijs implicitam, ſequeretur, quod ſi ille cui incumbit inſtruere ſimplices prędicaret aliquod oppoſitum fidei; poſſet ſimplex licite adhærere doctrinæ eius credendo tãquam verum illud falſum; & tunc eſſet ſimul fidelis & infidelis; fidelis quidem; quia non tenetur actum explicitum habere de articulo contrario; Infidelis quia crederet aliquid eſſe verum, quod repugnant fidei.

7. Concl.

Ad primum reſpondens Doctor, negat primam conſequentiam: nam quilibet ſimplex tenetur cauere non ſolũ omnem errorem contrarium articulis fidei in ſymbolo cõtentis; ſed etiam omnem errorem contrarium veritati ſcripturæ. ſ. canonis Bibliæ, quia non poſſet aliquis adhærere pertinaciter contrario alicuius veritatis in Biblia, quin iudicaretur hæreticus; atque adeo ſi eſſet aliquis ſimplex, qui pertinaciter adhæreret oppoſito alicuius veritatis Theologicæ eſſet hæreticus & comburendus.

Et ad probationem conſequentiæ cum dicitur non tenetur cauere errorem ſi ſi teneatur credere explicite eius oppoſitum. Dico quod hæc conſequentia non valet: non enim ſequitur, ego non teneor ſcire hunc articulum, ergo non teneor cauere pertinaciter ab eius oppoſito, non teneor tamen ſimpliciter cauere ab eius oppoſito quo ad errorẽ ſpeculatiuum; nam ſi eſſet quædã ſimplex vetula, cui ab aliquo pſeudo propheta prædicaretur aliquod falſũ dogma. ſ. ſubſtantiam panis manere ſimul cum corpore Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ, & ipſa credat; peccabit ne ꝓ hoc? minime. Quia nimis durum eſſet dicere hoc, & valde crudele, peccaret tamen peccato ſpeculatiuo, quia erraret. Duplex eſt. n. error, alter practicus, & eſt quando quis ita pertinaciter adhęret alicui propoſitioni, quod & ſi Eccleſia, vel Euangelium oppoſitũ diceret, nihilominus non eſt paratus obedire, & conceptũ errorem dimittere; alter eſt ſpeculatiuus, & eſt credulitas quædã alicuius rei oppoſitæ veritati fidei, cui & ſi credens adhæreat, tamen non pertinaciter; errans priori modo, peccat practice, & eſt ſimpliciter hæreticus; errans vero poſteriori modo, nõ peccat niſi ſpeculatiue, & non eſt imputabile peccatum; imo ſi ex pietate hoc faceret, exiſtimans. ſ. Eccleſiã ita credere forte mereretur; non. n. omnis credens ſecundũ conſciẽtiam erroneã peccat, ſi ſit error inuincibilis, qualis eſt ſi faceret quod in ſe eſt, & nullo modo aliter ſcire poteſt. Sed contra volo, quod curatus, vel eius Epiſcopus ſibi dicat Tene, & credas hoc ita certe; quod ſi Angelus de Cœlo, vel Apoſtolus oppoſitum tibi prędicaret, ſit tibi anathema; quia hoc quod tibi prædico eſt veritas à Chriſto Domino propoſita, & prædicata, & ipſa adhæreat firmiter; Quid? peccabit tunc practice? Dico quod ſic, ſi hoc fuit ex culpa ſua, quod eueniret, ſi magis crederet dictis Epiſcopi prædicantis, quã Eccleſiæ ſi oppoſitũ doceret. Sed ſi non poteſt ſcire Eccleſiã contrariũ credere, & ipſa credat Eccleſiam ſic docere, ſicut prædicauit Epiſcopus, non peccaret practice; & ſi eſſet proba & ſtudioſa, & faceret ꝙ in ſe eſt, Deus nunquam permitteret illã firmiter & pertinaciter adhærere, & maxime ſi haberet in habitu velle credere, quicquid Eccleſia credit. Cœterũ non. eſt ita de errore ſpeculatiuo; Quia non omni facienti, quod in ſe eſt præcauet Deus errorẽ ſpeculatiuũ, quia hic poteſt eſſe cũ animæ ſalute. Et ex hoc ſequitur, quod opinio gloſãtium hic Doc. ſub quod in hoc euentu teneretur Vetula ſuſpendere actum ſuæ credulitatis, eſt nimis dura; quia neſciret illa Vetula quando teneretur ſuſpendere actum ſuum. & hæc mea ſententia confirmari poteſt ex verbis Scoti, qui paulo ſuper dixit; Quilibet ſimplex tenetur cauere omnẽ errorẽ. ſ. pertinaciter adhærendo, ne erret. ſ. practice. Non valet ergo hęc conſequentia, egõ non teneor ſcire hunc articulum, ergo non teneor cauere pertinaciter ab eius oppoſito, patet in moralibus, Non teneor ſcire, in quo gradu ſuperbia ſit peccatũ mortale, ergo non teneor vitare ſuperbiam; negatur ſequela, nam quilibet cauere tenetur omne peccatum, & tamen non tenetur ſcire, & cognoſcere explicite, & diſtincte in quo gradu ſuperbia ſit peccatum mortale, vel Gula, & ſic de alijs: de quibus multi docti dubitant. & altercantur in quo gradu ſint peccatũ mortale.

Nota casum.

Error est duplex.

Ad ſecundum reſpondetur, quod aliqua ſunt, quæ communiter prædicantur in Eccleſia, & talia neceſſaria ſunt ſimplici ad credendũ explicite. ſ. Quod Chriſtus natus eſt de Maria Virgine, quod fuit crucifixus pro redẽptione generis humani; Quod iudicaturus eſt viuos, & mortuos, &c. aliqua vero ſunt, quę nõ ſolent cõiter prædicari in Eccleſia, ſed ſpecialiter prædicantur in aliquo loco de nouo. Verbigratia quod ieiunium Quadrageſimale non eſt de iure diuino; Quod Virgo Maria fuit concepta in peccato originali, &c. & huiuſmodi credibilia dicit Scotus, ꝙ nõ eſt neceſſariũ ſimplici credere illis adherendo firmiter tãquam veris: imo magis neceſſarium eſt illis non adhęrere, quouſq; ſciat illa credi ab Eccleſia tamquam vera; & cum hoc ſibi conſtiterit tenetur illis firmiter adhærere. ſicut in moralibus, quando ſunt altercationes de aliquo peccato, quãdo primo eſt mortale, vt ſi vnus peritus i ſciẽtia dicat, quod non licet ſic mercari, & alius dicat, quod licet, tutius eſt non procedere ſic nec ſic, ſed expectare, quouſque veritas pateat aliunde. Si enim ita eſſet quod vnus Doctor diceret aliquẽ peccare mortaliter, niſi ſic faceret, & alius quod peccaret ſi ſic faceret, tunc ſimplex foret perplexus

plexus

Digitized by Google

plexus, ideo bene videndum eſt in moralibus antequam aliquid aſſeratur, vel non aſſeratur eſſe peccatum mortale. Hactenus Scotus.

Sed hic ſunt aliqua dubia. Nam Iudex maximè ſupremus ſecundum Scotum debet Iudicare, non ſecundũ allegata & probata, ſed ſecundum quod veritas rei ſibi conſtat, ſecundum vero D. Thomam, (& eſt opinio communior) debet Iudicare ſecundum allegata, & probata. Vnda ſi contingat, quod ſibi proponatur innocens tanquam reus mortis, & habeat teſtes cõtra illum omni exceptione maiores, & ex altera parte ſit euidentia facti, quod ſit innogens & non reus, quid faciet? nam ſi iudicat iuxta ſententiam D. Thomæ; habet contrarium Scotum; ſi iuxta ſententiam Scoti contrariatur D. Thomæ; & nõ poteſt facere, quin alteram partem eligat, ergo erit perplexa via ſalutis.

Item filius Regis Monachus niſi recedat à Clauſtro periclitatur Regnum, aliqui dicunt, quod tenetur exire Clauſtrum, aliqui vero affirmant contrariũ, quid faciet? oportet enim alteràm partem eligere.

Item mulier per ſeptennium credens bona fide virum ſuum in bello eſſe mortuum, iuncta alteri viro, audit à fide dignis maritum priorem, qui ab hinc ad ſeptimũ, vel circa annum, ad militiam perrexit viuere, aliqui dicunt quod debeat priorem habere, & ſecundum dimittere; alij vero quod ſecundum teneat, & non primum, Quid faciet? Nam ſi ſecundum dimittat, poteſt facere illi iniuſtitiam; ſi autem primum, exponit ſe periculo fornicationis. Pro ſolutione iſtarum difficultatum obſeruand. eſt. Quod in agendo quando ſunt opiniones, ſemper tutior pars eſt eligenda, alioqui ſe obijceret citis peccati periculo, quia opinio ſemper habet dubitationem admixtam, & in dubijs id, quod tutius eſt ſemper eſt amplectẽdum iuxta iuris regulam: ita docent Alexand. de Ales, par. 2. quæſt. 112. de ignorantia m. 8. caſu vltimo, D. Thom. quol. 8. q. 13. & Almainus tract. 3. Moral. c. 18. & tract. 1. cap. 14. & Adrianus quol. 2. art. 1.

Alex. de Ales. D. Thom. Almain. Adrian.

Secundo obſeruandum eſt, quod opinio debet accipi propriè & ſtrictè, vt eſt cum formidine & dubitatione partis oppoſitæ, qualis plerumque ſolet eſſe opinio. Si tamen quis ita opinetur, vt nullam dubitationem habeat, qualis ſolet eſſe certitudo moralis, veluti cum opinamur Hieruſalem eſſe in rerum natura, nihil prorſus ea de re dubitantes, tunc in agendo poteſt opinionẽ etiam minus tutam ſequi, quia ei certo, & citra vllam dubitationem adhæret, & hoc æque accidit uiris peritis, ac etiam imperitis. Periti quidem examinatis opinionum rationibus cognoſcentes earum pondera, & momenta firmioribusque ac melioribus rationibus moti, & innixi, certo abſq; vlla ambiguitate vni opinioni ſolent accedere, & ita in agendo poſſunt eã eligere. Rudes vero & imperiti conſultis viris bonis, & doctis ſolent in agendo eorum conſilio duci, & certo, & abſque vlla dubitatione in hoc ſe bene factitare. Quare ad bene agendum ſatis eſt ſi certum aſſenſum omnem dubitationem remouentem habeamus, quamuis res euidenter nobis perſpecta non ſit.

Corduba. Medina. Maior.

Tertio obſeruand. eſt Cordubam de conſcientia q. 9. Medinam 1. 2. q. 19. art. 6. & Maiorem in 4. c. 2. in prologo Concl. 3. affirmare tuto nos licere in agendo opinionem minus tutam eligere, quando eſt probabilior, quãdo vero ſunt opiniones æque probabiles tutiorem nos ſequi oportere; ſi vero opiniones eſſent æque tutę, vt contingit in caſu de iudice, videndum eſt quęnam illarum ſit probabilior, probabilior autem vel certior dicitur ea, quæ meliori, & fortiori ratione fulcitur.

Quæ ſit opinio tutior.

Quarto obſeru. eſt tutiorem opinionem dici eam, quæ cenſet id, de quo quæſtio eſt, eſſe peccatum; minus tutã dici eam, quæ ait non eſſe peccatum, v. g. eſt controuerſia an peccatum ſit eligere minus dignum ad beneficia, vel publicas adminiſtrationes digniori neglecto, tutior opinio dicitur ea eſſe, quæ dicit eſſe peccatum: quia digniorem eligentes peccatum vitamus. Minus tuta dicitur eſſe, quæ exiſtimat non eſſe peccatum: quia ſi eam ſecuti, prætermiſſo digniori, minus dignum eligamus, peccati periculo nos ipſos obijcimus. Tutior igitur eſt opinio, quæ omne periculum declinat, vel in qua tenenda nullum peccatum admittitur.

Quinto obſeru. eſt. Dubium eſſe duplex vnum leue, quod vocatur ſcrupulus, & facere contra hoc dubium, ſi ſint aliqui Doctores pro vtraque parte dubij non eſt peccatum, niſi conſcientia dictet illud eſſe peccatum, & nihilominus operetur. Aliud eſt dubium graue, quod poteſt eſſe duplex, vnum ad cuius alteram partem neceſſe eſt in operando declinare; & de hoc dubio non loquitur hic Scotus; & dubitans eiuſmodi dubio debet in operando tutiorem ſequi opinionem, vel etiam minus tutam ſi ſit probabilior, & certior, & ſi opiniones ſint ęque tutę atque probabiles, poterit operans eligere, quam partem ſibi placuerit, nec peccabit propter ignorantiam inuincibilem, ſicut eſt de Iudice ſupremo in caſu propoſito; Qđ intelligas, quando eligendo hanc, vel illam partẽ neſcit peccare mortaliter: quia ſi ſciret lethaliter deficere neutrum debet eligere; atque ita filius Regis Monacus, atq; mulier in cuẽtis propoſitis faciant quod eis Eccleſia præcipit. Alterum dubium eſt ad cuius partem alteram non eſt neceſſe declinare; velut ſunt actus contractuum, & de his loquitur hic Scotus: nam ſi quis dubitat de aliquo contractu. Vtrum ſit ſimonia, an non; eo quod quidam Doctores dicunt eſſe ſimoniam, & quidam alij negant. Quid ergo eſt facturus cum ignoret. Reſpondet Alex. de Ales loco citato, ei eſſe abſtinendũ ab huiuſmodi contractu, ne ſe cõmittat diſcrimini, Melius enim eſt vt incidat in damnum temporale, quam ſpiritualẽ; Nã ſi opiniones pro vtraque parte ſunt æque probabiles, & in omnibus æquilibres tutior pars eſt eligenda, ſcilicet non facere ſic, nec ſic, quo vſque aliunde appareat veritas vt etiam dicit hic Doct. ſub. Hoc tamen non intelligas de contractu montis Pietatis; quia etſi opiniones pro vtraque parte eſſent in omnibus ęquilibres, tamen quia Eccleſia ratificat ipſum Montem, eſto quod Prædicatores oppugnent contra Minores; non eſt propterea relinquendus propter dubium: quia dignior pars eſt pro Monte ſcilicet Papa, & Eccleſia.

Dubiũ eſt duplex.

Alex. de Ales.

Scotus.

Octaua Concluſio. Omni tempore, & ſtatu, ſiue integræ, ſiue lapſæ naturæ neceſſe fuit omnibus habere fidẽ explicitam de illis duobus, quæ D. Paulus Hebræorũ 11. commemorat, nempe, quod Deus eſt; & quod ſit inquirentium ſe remunerator. Quorum prius pertinet ad intellectum, poſterius ad voluntatem. Probatur: quia his verbis oſtendit Paulus Deum eſſe inquirendum non ſolum fide, ſed etiam affectu. id quod pro omni tempore & ſtatu fuit neceſſariũ, & ita Roma. 1. dicitur, Iuſtus ex fide viuit, ideſt credendo vnicum Deum, vnum principium, finemque naturæ, Gubernatorem, & Premiatorem omnium hominum, non ſolum naturalem, ſed ſupernaturalem, & beatificum, quæ fides dicitur eſſe explicita. 8. Concluſio.

Nona Concluſio. Pro omni tempore & ſtatu fuit neceſſarium ad ſalutem animæ credere explicite articulum Creationis, hæc ſequitur ex illa pauli ſententia modo citata, ex qua colligitur Deum eſſe inquirendum, & colendum; ſed ſi non habetur fides, quod Deus ſit hominũ, omniumque rerum Creator; non poteſt cultus Deo debitus exhiberi, ergo &c. Minor patet. Quia ex hoc quod Deus eſt vniuerſorum conditor, eſt omnium Dominus & ex hoc quod eſt omnium Dominus debetur illi decus & honor; ergo ſi non crederent homines, quòd eſt omnium Conditor, cui ratione creationis, & dominij vniuerſalis cultus, & honor eſt ab omnibus exhibendus; illum colendum, & venerandum non exiſtimarent, ergo neceſſaria eſt fides huius articuli, quod ſcilicet Deus eſt omnium Creator, ſicut neceſſe eſt credere quod colentes ſe remunerat. 9. Concluſio.

Decima Concluſio. Pro omni tempore & ſtatu fuit neceſſarium credere explicite, animam eſſe immortalẽ; & hęc concluſio deducitur etiam ex eadem pauli ſententia; patet, nam ſi omni tempore oportuit credere Deum eſſe remuneratorem, ſe inquirentium, atque colentium, ergo & quod anima ſit immortalis. Probatur conſequentia: quia quo pacto fieri poterat, vt fidem haberet rerũ ſperandarum is, qui crederet ſe omnino defecturum, & animam eius cum corpore interituram? 10. Cõcluſio.

Vndecima Concluſio. Poſt lapſum hominis præter illa duo enumerata à Diuo Paulo vt ſupra, fuit etiã credituri neceſſarium Deum eſſe placabilem ijs qui illum of- 11. Cõcluſio.

fendunt

Digitized by Google

ſendunt patet, quia alioqui, quomodo poſſent homines ad Deum per pœnitentiam conuerti, & eidem ſatisfaceret? Neſciret enim homo iuſtitiam quærere, ſi ignoraret à quo illa eſſet expetenda; ergo articulus remiſſionis peccatorum fuit pro omni tempore à lapſu hominis creditu neceſſarius, & ſimiliter fuit etiam neceſſarium homines credere à lapſu hominis, homines omnes peccato obnoxios eſſe. Et confirmatur, quia articulus de pœnitentia, & peccatorum remiſſione, eſt maximè neceſſarius propter peccata quotidiana; & ab illo Ioan. Baptiſta, & Chriſtus inceperunt prædicationem ſuam. Vnde dictum eſt Lucæ 24. oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes. Sicq; Petrus Actorum 2. & Paulus, Actorum 4. inceſſanter prædicauerunt. Ex quo ſequitur, quod ſemper fuit neceſſarium credere Deum eſſe iuſtificatorem, & prouiſorem ſalutis humanæ, & habere prouidentiam quomodo per aliquem modum, vel per aliquem mediatorem remedia ſalutis præſtarentur.

12. Concl. 12. Concluſio. A lapſu primi hominis pro omni tempore, id eſt tam in ſtatu legis naturæ, quam in ſtatu legis ſcriptæ fuit creditu neceſſarium ſalutem hominum per mediatorem à Deo deſtinatum fuiſſe comparandam, hoc patet per axioma illud commune Theologorum à lapſu Adæ ſine fide mediatoris Chriſti, nullus vnquam aſſecutus eſt animæ ſalutẽ, eſt enim hoc axioma deſumptum ex illis verbis. Actorum 4. Non eſt aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.

13. Concl. 13. Concluſio. Omnis Chriſtianus cuiuſcumque ſtatus, & conditionis, tenetur explicite credere præcipuos articulos diuinitatis, & humanitatis Chriſti, maxime illos, quorum Eccleſia dies ſolemnes celebrat; ita D. Thomas 2. 2. quæſt. 2. artic. 7. & Scotus in hac quæſt. & eſt communis Theologorum ſententia, de articulo incarnationis iam ſupra probauimus, de articulo mortis, ſepulturæ, & reſurrectionis probatur ex illo 1. ad Corint. 15. tradidi vobis in primis, quod & accepi, quod Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum ſcripturas, & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit. Et ad Rom. 10. Si credideris, q. Deus ſuſcitauit Chriſtũ à mortuis ſaluus eris. De articulo deſcẽſus ad inferos, dicit Caſtro de hereſibus verbo, infernus hæreſi. Tertia, quod ſolum conſtat ex traditione Eccleſiæ: quia non expreſsè continetur in Scriptura: tenemur autem illum credere: quia per eum docemur, quod patres antiqui per fidem Chriſti ſalui facti ſunt, & detinebantur in limbo: quia non dum Chriſtus ſoluerat pretium. De articulo Aſcenſionis probatur ex illo ad Epheſ. 4. Aſcendens Chriſtum in altum captiuam duxit captiuitatem. De articulo Trinitatis probatum eſt ſupra. Quare pueri, & etiam rudis paſtor docentur quomodo debeant ſe ſignare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti atque ita tenentur credere, quod ſit vnus Deus in eſſentia, & Trinus in perſonis, & quod vna perſona non eſt alia, non autem tenentur diſtincte credere an procedat vna ex alia per intellectum, nec an conſtituantur per relationes, nec an proceſſio Spiritus Sancti ſit generatio, & alia id genus.

D. Thom. Scotus. Caſtro.

Probatur etiam Concluſio ex vſu vniuerſalis Eccleſiæ, quæ cathecumenos cathetizat in fide priuſquam baptizet, lege D. Auguſt. in ſer. Dominicæ in Ramis, & Sabbati Sancti, & Dominicæ in albis, & Pentechoſtes, vbi docet, quid opus ſit credere ante baptiſmum, & libro de fide, & operibus cap. 5. 6. & 9. vbi dicit, quod ſi non ſit tempus ad diſcendendum ſaltim debent interrogari de articulis fidei, & ad ſingulos reſpondere, vide etiam eumdem in lib. de cathetizandis rudibus. Præterea probatur Concluſio ratione, quilibet tenetur credere explicite, quod profitetur explicite, ſed in baptiſmo quilibet profitetur explicite articulos fidei, vt patet. ergo &c. Vltimo abſurdum eſt Chriſtianum ignorare ſolemnitates, quas publice, & ſolemniter celebrat Eccleſia, ſed de præcipuis articulis diuinitatis, & humanitatis feſta publicè, & ſolemniter celebrantur, ab Eccleſia ergo &c.

D. Aug.

14. Concl. 14. Concluſio. Omnes Chriſtiani tenentur explicite credere Sacramentum baptiſmi, pœnitentiæ, & Euchariſtiæ; per hæc enim præcipue fit peccatorum remiſſio. Item quilibet tenetur confiteri peccata, ergo & credere explicite, quod remittuntur per confeſſionem, rurſus quilibet tenetur ſumere Euchariſtiam, ergo & credere explicite, quod ſumit ibi Criſtum Deum, & hominem. Vltimo tenentur diebus feſtiuis audire miſſam, ergo & credere ſacramentum Euchariſtiæ, quod ibi proponitur adorandum.

15. Concluſio. Quilibet tenetur credere explicite Sacramentum, quod recipit, vt qui ordinatur, tenetur credere Sacramentum ordinis. Ex quibus omnibus infertur. Vnumquemque teneri ad credendum omnia, quæ continentur in ſymbolo Apoſtolorum. A principio enim naſcentis Eccleſiæ illa omnia ſunt propoſita omnibus ab Apoſtolis tamquam neceſſario credenda, imò & articulus de perpetua Virginitate Mariæ ob honorem Matris, & Filij. Item quod Chriſtus ſedet ad dexteram Patris; nã agit de pmio Chriſti pp mortẽ, & paſſionẽ iuxta illud ad Philip. 2. Chriſtus factus eſt obediens vſque ad mortem &c. Item articulus de aduentu ad Iudicium, illud enim etiam prædicauit Enoch multo ante aduentum Chriſti, & Actorum 10. dicitur præceptum eſſe Apoſtolis prædicari popolo, & teſtificari; quia Chriſtus eſt cõſtitutus à Deo Iudex viuorũ, & mortuorũ. Præterea articulus de ſanctorum cõmunione eſt potiſſimus, quia docet, quod ſicut omnia membra corporis naturalis inuicem communicant, ita omnia membra miſtica in Eccleſia. Item tenetur credere vnam S. Eccleſiã Catholicã Romanam, quæ errare non poteſt: quia regitur à Deo; & licet forte olim non tenebantur diſtincte credere atque explicite eſſe Romanam, hodie tamen maxime curandum eſt, vt hoc explicite credant &c. 15. Concl.

ARTCVLVS X.

Vtrum fides atiquorum, & noſtra ſint de eodem credibili.

HÆc quæſtio mouetur ſolum de credibilibus, quorum vnum eſt de futuro, & aliud de præterito, vt Chriſtus incarnabitur, Chriſtus morietur, Chriſtus incarnatus eſt, Chriſtus mortuus eſt. Pro cuius explicatione obſer. eſt, quod fides poteſt accipi, vel pro his, quæ creduntur, vt apud D. Athanaſium in ſymbolo, fides autem catholica hæc eſt, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur &c. vel pro habitu, de quo ſatis dictum eſt ſupra, vel pro actu credendi. Senſus q̃ſtionis.

Secundo obſer. eſt, quod fides pro habitu ſumitur bifariam, vno modo pro fide infuſa, alio modo pro fide acquiſita, de quibus etiam ſatis ſupra dictum eſt.

Tertio obſer. eſt, quod articulus fidei duobus modis ſumi poteſt priori modo pro veritate reuelata; eſt enim articulus fidei veritas reuelata in ſe, vel in ſuo antecedente pertinens ad Religionem, vt inquit Gabriel d. 24. q. vnica art. 3. dub. 3. alio modo ſumitur pro materia de qua formantur diuerſæ propoſitiones, ſiue de futuro, ſiue de præterito. Articulus fidei bifariam ſumitur. Gabriel.

Quarto obſer. eſt quòd articulus primo modo acceptus poteſt dupliciter conſiderari, vno modo, vt ſignificatum complexionis abſtrahat a modo ſignificandi, ſiue a conſignificatione temporis; ita vt concipiatur ſignificatum nominaliter, non verbaliter, quemadmodum curſus, quando concipitur ſine tempore conſignificatio per verbum præteriti temporis, & futuri, ita vt abſtrahatur complexio ab omni modo ſignificandi cũ tempore, ſicut contingit in propoſitionibus neceſſarijs, in quibus eadem eſt propoſitio de præſenti de preterito, & de futuro: quia extrema ſunt eadem, atq; adeo non eſt differẽtia niſi in modo ſignificandi, & per caſum abſtrahunt à modo ſignificandi cum tempore, & ab omni connotatione temporis, cum de ſubſtantia eorum non ſit tempus, & hoc maxime verum eſt ſecundum ſententiam eorum, qui ponunt articulos eſſe aliquid, quod maneat, quãuis articuli ſint enunciabilia, vnde ſicut 4. Phyſico. dicitur, nihil eſſe manens in tempore niſi nunc, nec in motu niſi mutatum eſſe, ita iſti

conſi-

Digitized by Google

conſiderauerunt quid in enunciabilibus eſſet manens, & illud ponunt articulum, circa quod ſit variatio præteritionis, futuritionis, & preſentialitatis, atq; ita dicit incarnationem filij Dei, & paſſionē, vt huiuſmodi eſſe articulos.

Et ſi dicatur quod non ſufficit credere ſine determinatione temporis; dicunt quòd quandoq; ſufficit, quandoq; non: quia iſtud pendet ex prædicatione. Si enim non eſſet apud aliquos determinatū tempus incarnationis filij Dei ſufficeret credere incarnationem filij Dei abſq; conſignificatione temporis; ſed hęc determinatio variatur ſecundum diuerſa tempora; & ſecundum hoc inferunt, quod conſignificare tempus non eſt de ſubſtātia crediti, ſed accidit, imo plus ſe tenet ex parte credentis cui ſit determinatio per prædicationem, quam ex parte crediti: non ſufficit ergo credere articulum ſimpliciter niſi credatur eo modo, quo debet eſſe. Et hunc modum dicendi tangit Scotus in hac quęſt. ſub littera. H. ibi Poteſt tamē dici eadem complexio materialiter, & eadē vnio extremorum ſi abſtrahitur ſignificatum, &c. Alio modo poteſt intelligi complexio pro aliquo inſtanti determinata, & abſtrahatur illud inſtans à reſpectibus ad tēpus præteritum, & futurum, quia huiuſmodi reſpectus non includuntur in rationem inſtantis: nam de ratione inſtantis non eſt quod ſit præſens vel præteritum vel futurum.

Articuli fidei ſecūdum aliquos ſunt enuncibilia.

Quinto obſeruan. eſt, quod aliqui dixerunt, articulos fidei eſſe enunciabilia, atque adeo mutabilia, cum enim de eſſentia articulorum ſit conſignificatio temporis, & aliud ſit tempus præteritum, atque futurum iuxta temporis variationem, & mutationem mutantur, atque variantur articuli; ſed diſtinguunt duplicem mutationem ſcilicet mutationem ſecundum eſſentiam, atque ita ſunt mutati articuli, aliud enim ſecundum eſſentiam eſt enunciabile de futuro, & aliud de præterito; & mutationem ſecundum virtutem, & vtilitatem, & ſic mutati non ſunt: quia æque prodeſt ad ſalutem credere Chriſtum eſſe incarnatum, ſicut Chriſtum eſſe incarnandum.

Articulus fidei, ſeu obiectum fidei ē duplex.
Alex. de Ales.

Sexto obſeruan. eſt, quod obiectum fidei, ſiue articulus fidei duplex eſt, vt dicit Alex. de Ales 3. par. q. 68. m. 7. art. 5. nimirum ſimpliciter, & ſecundum, quid; primo modo res ipſa, vt eſt Diuinitas, Incarnatio, Natiuitas, Paſſio, & huiuſmodi, quæ abſtrahunt à tempore, & nō mutantur, dicuntur obiecta fidei, & articuli ſimpliciter; Secundo modo enunciabilia, & complexiones, quæ concernunt variationem ſecundum mutationem temporis dicuntur articuli; & primo modo ſunt articuli per ſe, & ſemper. Secundo modo articuli contingentes, & non ſemper, Articuli per ſe ſemper manent articuli, vt incarnatio, paſſio, articuli vero contingentes ſiunt non articuli, vt patet in his articulis Chriſtum Naſciturum Paſſurum, qui fuerunt articuli antequam Chriſtus naſceretur, & pateretur; modo non ſunt.

His obſeruatis ſit prima Concluſio. Si ſumatur fides
1. Concl. pro his, quæ creduntur, & articulus ſimpliciter, eadem fides ſecundum numerum fuit fidelium, qui aduentum Chriſti præceſſerunt, & qui ſecuti ſunt, quia eamdem veritatem numero, quam illi implicite, vel explicite crediderunt, iſti explicite credunt. Nam ſicut ipſi credebant Incarnationem, Natiuitatem, Paſſionem, & Mortē Chriſti; ita, & nos Incarnationem, Natiuitatem, Paſſionem, & Mortem eiuſdem Chriſti credimus, & in hoc ſenſu intelligitur id, quod dicit D. Auguſtinus, ſuper illud 2. ad Corint. 4. Habentes ſpiritum fidei &c. Tempora variata ſunt, ſed fides variata non eſt.

Secunda Concluſio. Fides Antiquorum, & Neotericorum poſt Chriſtum natorum, fuit eadem reſpectu omnium neceſſariorum credibilium, hæc patet, quoniam
2. Concl. quatuor vera neceſſaria de Deo credenda, ad intra in art. 2. explicata. ſ. Vnitas Dei, perſona patris ingeniti, perſona filij, & perſona Spiritus Sancti, ſunt inuariabilia, quia neceſſaria, vniformiter enim ſemper fuit verum Deum eſſe vnum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum quæ ſunt quatuor credibilia neceſſaria à nobis, & etiam ab illis, quibus reuelata fuerunt neceſſaria confitenda ergo &c.

Tertia Concluſio. Omnia credibilia contingentia,
3. Concl. ſeu extrinſeca, omnibus diuinis perſonis communia, qualia ſunt illa tria, ſecundo articulo explicata, videlicet productio creatorum, remiſſio peccatorum, & glorificatio beatorum fuerunt eadem fidei antiquorum; & modernorum, hæc apparet, quia ſicut tunc ita nunc creatorum productio erat præterita, videlicet creatio cœli, & terræ, & Deum eſſe remuneratorem electorum, & remiſſorem peccatorum, tunc ſicut, & nunc conſimiliter erat verum, quare &c.

Quarta Concluſio. Omnia ſex prima credibilia aſſumptum hominem reſpicientia, non fuerunt eadem, ſed alia fidei antiquorum, & fidei modernorum, ſeptimum 4. Concl.
autem, & vltimum credibile, quod eſt Chriſti futurus aduentus ad iudicium fuit. Idem; & hoc accipiendo articulum, ſeu obiectum fidei, ſecundum quid, non ſimpliciter; probatur concluſio quo ad primam partem: quoniā vnum, & idem non poteſt eſſe verum, & falſum neceſſarium, & contingens eſſe articulum, & nō eſſe articulum, ſed ſex prima de Chriſto nunc credita, tunc ſcilicet tempore antiquorum, qui Chriſtum præceſſerunt fuerunt falſa, & è conuerſo, ſex tunc ab eis credita erant vera, nūc ſunt falſa, illorum etiam iſta ſex credibilia erant tunc cōtingentia, fieri, vel non fieri poſſibilia, quia futura; à nobis autem credita ſunt præterita, & per conſequens ſunt neceſſaria: quia non poſſunt non eſſe facta, & demum illa ſex credita ante Chriſti aduentum erant articuli, ſeu obiecta fidei, pro hoc tempore autem minime, ergo &c. Maior apparet: quia credita à nobis de Chriſto ſunt, quod fuit conceptus, natus, paſſus, deſcendit, Reſurrexit, & qd poſtea aſcendit, conſtat autem iſta ſex omnia ante Chriſtum fuiſſe falſa, nec per conſequens credita à ſanctis patribus ante Chriſtum natis; ſed ipſi credebant, quod Filius Dei erat concipiendus, naſciturus, & cætera ſex omnia in futuro facturus, quæ omnia tunc vera, & credita, nunc ſunt falſa, nec à nobis credita, ergo &c. Secūda pars videlicet, quod vltimum creditum nimirum aduentus futurus ad iudicium, ſit idem fidei antiquorum, & modernorum patet, quia ſicut nunc eſt verum, & contingens de futuro, Chriſtus venturus eſt ad iudicium, ita, & nunc, & in his concluſionibus abſque controuerſia omnes Theologi conueniunt.

Quinta Concluſio fides acquiſita antiquorum patrum ſcilicet eorum, qui Chriſti aduentum præceſſerunt; & eorum qui nati ſunt poſt Chriſti aduentum, non eſt eiuſdem ſpeciei; probatur: quia omnes habitus acquiſiti 5. Concl.
habentes obiecta diſtincta ſpecie, diſtinguuntur ſpecie, ſed habitus fidei acquiſitæ in his, qui Chriſti aduentum ſunt ſecuti habent alia obiecta diſtincta ſpecie, ab illis, quæ habuerunt antiqui patres, qui Chriſti aduentum præceſſerunt, ergo erant ſpecie diſtincti; maior patet, quia obiecta diſtincta ſpecie arguunt habitus diſtinctos ſpecie; minor etiam patet: quia antiqui credebant Chriſtum venturum, & nos credimus, ipſum iam veniſſe; ſed hæc obiecta differunt ſpecie, imò interdum contradicūt, v.g. Chriſtus veniet, & Chriſtus non veniet, ſed iam venit. Et confirmatur, quia ad diſtinctionem ſpecificam actuum ſemper ſequitur diſtinctio ſpecifica habituum, ſed eſt diſtinctio actuum ſpecifica, vt probabimus in 7. concluſione; ergo eſt diſtinctio ſpecifica habituum.

Sexta Concluſio. Eadem fuit ſecundum ſpeciem fides infuſa antiquorum patrum, qui Chriſti aduentum præceſſerunt, & noſtra, qui eiuſdem Chriſti aduentum ſecuti ſumus, hæc concluſio intelligitur de habitu non de 6. Concl.
actu, quia actus non infunditur, ſed tantum habitus, habet tamen hæc concluſio aliquam difficultatem: nam ſi teneatur, quod fides infuſa inclinet immediate ad omnes articulos; Tunc cum reſpiciat obiecta immediata ſpecie diſtincta ab illis, quæ habebant antiqui patres, videtur, quod diſtinguatur ſpecie ſicut acquiſita nam idem habitus, & eiuſdem rationis non poteſt eſſe obiectorum diſtinctorum ſpecie, atque adeo tenendo hanc opinionem eſſet multum difficile ſaluare, qđ fides infuſa antiquorū patrum eſſet eiuſdem ſpeciei, cum noſtra; & propter hanc rationem Rubion in 3. d. 25. q. 2. tenet fidem infuſam non inclinare aliquem ad actum. Cęterum vera eſt Concluſio tenendo etiam quod fides infuſa inclinat *Rubion.*
in quodlibet credibile, qđ puto verum, & ad aures Doct. noſtri ſub in hic diſtinct. de fide, & quæſt. 14. quol. Non enim fides infuſa variatur propter variationem obiectorum

rum

Digitized by Google

rum mediatorum, & minus principalium, neq; habitus inclinans mediate ad aliquem actum variatur ad variationem illorum actuũ, atq; adeo conceſſo quod alij fuerint articuli particulares apud nos, & illos, non propter hoc mutatus eſt habitus fidei infuſæ, cuius ſemper manet vnum obiectum immediatum & principale, ſcilicet omne reuelatum à Deo eſt verum, ſi loquamur de obiecto complexo, mediante cuius actu, qui vnus eſt ſpecie apud illos, & nos, inclinat ad omnes actus credendi articulos ſpeciales, vel ſi loquamur de obiecto incõplexo, quod alij appellat obiectũ de quo, ſiue materiale, & in illis atq; in nobis inclinat fides infuſa ad credendum in eumdem Deum, & ſub eadem ratione credendi, nempe ex Deo reuelante. Ex vnitate ergo obiecti immediate, ſequitur vnitas ſpecifica fidei noſtræ, & antiquorum; atq; ita explicata concluſio probatur primo auth. D. Pauli ad Epheſ. 4. Vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma ſecundo, probatur authoritate

D. Augu. D. Auguſt. quarto, de Trin. cap. 2. dicentis. Quod factum nobis annunciatur, hoc futurum oſtendebatur iuſtis antiquis, vt per eamdem fidem etiam ipſi humanitati, & infirmitati; perficerẽtur. Et in Epiſtola ad optatum parum poſt principium loquens de antiquis dicit, quod eadẽ fides eſt noſtra & illorum: Quoniam illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum; Non loquitur in his authoritatibus de identitate numerali, quoniam accidens numero non poteſt eſſe in diuerſis ſubiectis, atq; adeo in varijs ſubiectis ſunt variæ fides ſaltem numero differentes, loquitur ergo de identitate ſpecifica, & non poteſt loqui de identitate ſpecifica fidei acquiſitæ, vt patet ex quinta Concluſione; loquitur ergo de fide infuſa.

Septima Cõcluſio. Septima Concluſio: Alius eſt actus credendi, & ſpecie diſtinctus articulorum, quos crediderunt antiqui, ab articulis quos Neoterici credunt; & hæc concluſio intelligitur de articulis ſolum, quorum vnus eſt de futuro, & alius de præterito, eſtq; hæc Concluſio Scoti, in hac q. ſub littera G. & H. §. Vltimo videndum eſt. Eſt autẽ hæc

Guliel. Antiſiod. concluſio contra Gulielmum Antiſiodorenſem, & Can-

Guliel. Pariſieſis. cellarium Pariſienſem in 3. par. Summæ. Qui affirmant, quòd idem eſt verum de præterito, de præſenti, & de futuro, atq; adeo cum actus fidei antiquorum fuerit de eodẽ credibili, de quo modo eſt noſter, actus fidei, antiquorum, & noſter eſt eiuſdem ſpeciei; probant ſuam ſententiam, quia eadem fuerunt, & ſunt, credita ſimplicia, ergo eadem fuit, & eſt extremorum vnio, atq; adeo idem credibile fuit quod antiqui crediderunt futurum, & quod nos credimus præteritum, Nam ipſi redemptorem crediderunt futurum, Nos autem credimus iam veniſſe. Præterea propoſitiones, quæ habent extrema ſynonima ſunt ſynonimæ; at credibilia, quæ credebant antiqui, & credibilia, quæ nos credimus habent extrema ſynonima, ergo ſunt propoſitiones ſynonimæ. Minor probatur, nam hæc propoſitio. Virgo concipiet in mente Iſaiæ, eſt ſynonima cũ iſta, Virgo concepit in mente mea, & ſimile iudicium eſt de iſta Chriſtus eſt incarnandus, vel naſciturus eſt, atque de iſta Chriſtus eſt incarnatus, & natus, atq; ita de alijs patet: quia eſt in illis idem ſubiectum, & idem prædicatum; & ſi dicatur, quòd non eſt eadem copula; dicũt quòd licet non ſit eadem per connotationem accidentalem, quia vna connotat tempus futurum, & altera præteritum, eſt tamen eadem ſecundum ſubſtantiam; nõ enim copula determinata eſt de eſſentia propoſitionis ſecũdum iſtos, ſed copula vaga. Iſta enim copula, fuit, erit, ſemper importat idẽ inſtans conceptionis, ſcilicet Virgo fuit concipiens, Virgo erit concipiens, ſub ratione tamen præteriti, vel futuri: cæterum iſta non variant rationem copulæ; quia licet verbum ſignificet cum tempore, non tamen determinate cum præterito, vel futuro, ſed iſta accidunt verbo, vt dicunt grammatici.

Addunt inſuper, quòd complexio illa quam habebant antiqui potuit abſtrahi à modo ſignificandi cum tempore, ideſt à conſignificatione temporis, & vt ſic eſt eadem cum noſtra, quam habemus de eodem credibili, ſed differunt præciſe penes modum ſignificãdi cum tempore futuro, vel præterito, à quo modo ſignificandi abſtrahi poteſt, & per conſequens ab omni connotatione temporis; & eſto, quòd complexio ſumatur pro aliquo inſtanti determinato, poteſt tamen illud inſtans abſtrahi à reſpectibus ad tempus præteritum & futurum: quia huiuſmodi reſpectus non includuntur in ratione inſtantis; Nõ enim de ratione eius eſt, quod ſit præteritum, vel futurum, & quomodocumq; dicatur eamdem complexionem potuerunt ipſi concipere, vel abſtractam ab omni modo ſignificãdi cum tempore, vel pro eodem inſtanti à reſpectibus concernentibus tempus præteritum, vel futurum abſoluto, quã nos credimus, verbi gratia de Chriſto Redemptore, & per conſequens idem in ſpecie eſt actus credẽdi antiquorum, & noſter.

Cæterũ hæc ſententia reijcitur a Scoto, & inſimul probatur noſtra concluſio. Diuerſarum veritatum, ſeu propoſitionum ſpecie diſtinctarum, ideſt non ſynonimarum diuerſi ſunt actus aſſentiendi ſeu credendi ſpecie, nam ex diuerſitate obiectorum immediatorum ſpecifica arguitur diuerſitas ſpecifica actuum, ſed propoſitiones creditæ à patribus ſpecie diſtinguuntur à creditis a nobis, ergo &c. maior patet; & minor probatur: Nã illa propoſitio Chriſtus eſt venturus, paſſurus, reſurrecturus &c. quam illi crediderunt; & iſtæ propoſitiones Chriſtus venit, paſſus eſt, & reſurrexit, quas nos credimus diſtinguuntur ſpecie: quia ſunt non ſynonimæ propter diuerſam temporis ſignificationem ſeu connotationem, ergo &c. & Confirmatur, homo eſt animal, & homo eſt riſibilis ſpecie differunt, quia prædicata ſpecie differunt, ſimiliter homo eſt animal, & Equus eſt animal, quia ſubiecta ſpecie differunt, ergo per idem diſtinctio ſpecifica copularum facit diſtinctionem ſpecificam propoſitionum, ſed copula de futuro, & de præterito ſpecie differunt, ergo &c.

Præterea à ſynonimo ad ſynonimum eſt bona conſequentia, & formalis; ſed ab vna propoſitione de præterito ad vnam de futuro conſequentia eſt nulla, nec e conuerſo; ergo non ſunt propoſitiones ſynonimæ, & per conſequens non ſunt eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ. Præterea propoſitiones, quarũ vna eſt vera, altera falſa, vna neceſſaria, & altera contingens non ſunt eiuſdem ſpeciei; ſed huius modi propoſitiones. Chriſtus eſt naſciturus, & Chriſtus natus eſt ſic ſe habent, quòd vna eſt modo falſa nempe iſta Chriſtus eſt naſciturus, & altera vera, vt iſta Chriſtus natus eſt, vna eſt neceſſaria, nimirũ iſta, Chriſtus natus, eſt; altera contingens videlicet iſta, Chriſtus eſt naſciturus, ergo non ſunt eiuſdẽ ſpeciei; atq; adeo actus aſſentiendi illis diſtinguuntur ſpecie.

Et ſi dicas Chriſtus eſt paſſurus, & Chriſtus eſt paſſus, ſunt idem articulus, ergo eadem fides; antecedens probatur, quia eſt eadem materia, ſcilicet eadem paſſio Chriſti, quæ exprimitur per ambas propoſitiones, licet cũ diuerſis temporum differentijs, atq; ita idem articulus. Reſpondeo, quòd ſi articulus ſumatur pro veritate reuelata, nego antecedens; & ad probationem concedo, quod eſt eadem paſſio Chriſti credita ab illis, & à nobis, atq; adeo idẽ articulus ſimpliciter; ab illis tamen fuit credita vt futura, à nobis vero vt præterita, atq; ita non eſt idem articulus ſecũdum quod; nam de eadem materia poſſunt haberi diuerſi articuli, imo tot, quot de ea poſſunt formari propoſitiones veræ non ſynonimæ. Si vero articulus accipiatur pro materia de qua formãtur diuerſæ propoſitiones, quarum vna pro vno tẽpore eſt vera; & alia pro alio tempore, tunc dictæ propoſitiones de præterito, & de futuro ſunt vnus articulus, vel non diuerſi articuli, & tunc admiſſo antecedente, negatur conſequẽtia; quia fides acquiſita, & actus fidei non diuerſificantur tantum, ſecundum diuerſitatem obiecti remoti, quale eſt materia ſignificata per propoſitiones; ſed penes obiecta immediata, ſcilicet veritates ipſas, quæ ſunt enunciabilia, ſeu complexa propoſitionalia. Complexiones autem non ſunt formaliter eædem; niſi concipiatur ſignificatum cum eodem modo ſignificandi; modus autem ſignificandi ratione verborum eſt ſignificare cum tempore.

Ad id verò, quòd dicebatur, quòd ſignificatio complexionis poteſt abſtrahi à conſignificatione temporis, dico quod eſt falſum, quia propoſitio contingens neceſſario connotat determinatum tempus vnionis prædicati cum ſubiecto, nec verum eſt, quòd verbum ſumatur nominaliter, nunquam enim ponitur verbum pro nomine, ſeu nominaliter, & licet interdum apud grammaticos, participium

Digitized by Google

ɛipium ponatur nominaliter, vt quando dicitur, Ego ſum amans tui, ad differentiam, quando ſtat verbaliter, vt quando dicitur ſum amans te, nunquam tamen verbum ponitur nominaliter ſignificare. Et quando dicitur, quod verbo accidit tempus, & per con ſequens poteſt verbum abſtrahi à tempore; Dico quod, verum eſt grammaticaliter, ſed falſum eſt Phyſice, & realiter eo ſcilicet modo quo albedo accidit parieti, vel caliditas aquæ ita, quod poſſit eſſe verbum ſine cõſignificatione temporis quemadmodum paries poteſt eſſe ſine albedine, vel aqua ſine caliditate, quia alias verbum ſingulare eſſet ſynonimum plurali, & idem eſſet dicere amo ſicut amamus, & homo ſicut homines: patet quia pluralitas, & ſingularitas ita accidunt verbo, ſicut perſe, differentia temporis. Præterquam quod grammatici, ſumunt accidit prout idem eſt, quod contenit.

ARTICVLVS XI.

Vtrum patribus antiquis ante Chriſti aduentum neceßarium fuit credere, quæ nos modo credimus.

HÆc quæſtio licet ex ſuperioribus articulis ſufficienter explicata ſit tamen vt argumenta Doctoris, quæ ſunt contra prædeterminata ſoluantur iterum duxi hic examinandam eſſe, & primo videtur quòd ſic, quia pro quolibet ſtatu fuit neceſſarium homini diligere omnia diligibilia ex charitate, ergo pro quolibet ſtatu fuit neceſſarium habere fidem omnium credibilium, antecedens patet: quia fuit neceſſarium cuilibet habere charitatem, & charitas in quocumque gradu ad omnia diligibilia ſe extendit, conſequentia probatur quia charitas non perficit ſine fide, nec vnquam prodeſt ſine fide, iuxta illud D. Pauli ad Hebræos 11. Sine fide impoſſibile eſt placere Deo, ergo &c.

In oppoſitum vero arguitur. Illi qui erant in lege Moyſi non tenebantur credere omnia explicite, quæ Moſes tenebatur credere, ergo illi, qui erant in lege Moyſi non tenebantur credere omnia, quæ nos modo credimus, patet conſequentia, quia illi, & Moſes erant ſub eadem lege, ſi ergo alij non tenebantur ad habendam fidem de omnibus, de quibus Moyſes habuit fidem, multo minus tenebantur habere fidem de his, de quibus nos habemus fidem; antecedens probatur: quia dixit Dominus ad Moyſem Exodi 3. Ego Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, nomen meum Adonai non indicaui eis; ergo aliquid reuelauit Deus Moyſi, quod non reuelauit alijs, atque adeo alij non tenebantur ea omnia credere, quæ oportebat Moyſem credere.

Præterea ante Chriſti aduentum non fuit neceſſariũ homini credere, quod Angeli ignorauerunt, ſed Angeli ante Chriſti aduentum, & Eccleſiæ prædicationem non cognouerunt incarnationem Chriſti, quam nos modo credimus, ergo ante Chriſti aduentum non tenebantur homines credere ea, quæ nos credimus: Maior patet, quia intellectus Angeli excedit intellectum hominis: Minor probatur per illud Apoſt. ad Epheſ. 3. vbi dicit, quod Sacramentum incarnationis Chriſti fuit abſconditum principatibus, & poteſtatibus in cœleſtibus, & quod eis innotuit per Eccleſiam; & Iſaiæ 63. Quærebant Angeli. Quis eſt iſte, qui venit de Edom. tinctis veſtibus de Boſra. ergo &c.

Item ad perfectam obedientiam ſufficit implere, quæ præcipiuntur cum promptitudine adimplendi alia ſi præcipiantur, igitur ad perfectam fidem ſufficit credere, quod explicatur, vel proponitur credendum; cum voluntate credendi alia ſi proponantur, & explicentur, ſed ante Chriſti aduentum non fuerunt tot credibilia, propoſita, & explicita, quot ſunt modo à nobis credita; non enim fuerunt tunc ſacramenta nouæ legis inſtituta, nec pro tunc fuerunt multa reuelata contenta in nouo teſtamento, quæ non continebantur in veteri teſtamento, ergo non tenebantur, qui fuerunt ante Chriſti aduentum credere omnia, quæ nos modo credimus. Non erat tunc eis reuelatum Sacramentum Euchariſtię, quod nos modo credimus, ergo &c.

Ad hanc quæſtionem reſpondeo, & dico, quòd pro quocumque ſtatu (cum fuerit neceſſaria cuilibet ſaluando fides infuſa, quæ eſt eadẽ, & eiuſdẽ rationis in oĩbus) fuit oĩbus neceſſarium credere habitualiter ſaltem, oĩa ad quæ ſicut ad per ſe obiecta, & per ſe deducibilia ex ipſis, fides chatolica, ſeu infuſa ſe extendit, at loquẽdo de actu fidei, vel de fide acquiſita, dico quod adultis fuit neceſſarium ſemper & eſt, credere aliquid, imo omnia breuiter, quæ tenet fides ſicut per ſe obiecta, & deducibilia ex illis, ſed non eodem modo pro quocumq; ſtatu.

Nam ſecundum diuerſitatem ſtatuum hominum ſaluandorum ſucceſſiue, & paulatim fuit explicata fides ſecundum maiorem, ſtatuum perfectionem; Vnde magis fuit explicata ſub lege ſcripta, quam ſub lege naturæ, & maxime, & perfectiſſime eſt explicata tempore legis gratiæ, ſicut, & ſtatus eiuſdem legis eſt perfectiſſimus, atque adeo in ſtatu legis naturæ non tenebantur adulti credere omnia explicite, quæ tradit modo fides, ſed bene aliqua, iuxta diſpenſationem reuelationis diuinæ, quæ fiebat maioribus, & prouectioribus perſonis pro illo ſtatu, & illi tenebantur ea credere, & alijs minoribus pro loco, & tempore publicare. In lege vero ſcripta adhuc magis explicite, & diſtincte tenebantur adulti credere, ſecundum quod plenius myſteria fidei ſub illa lege fuerunt reuelata ſuperioribus, & prouectioribus perſonis, ſicut Moyſi, & prophetis, qui tenebantur explicite credere omnia ſibi reuelata, & alijs etiam pro loco, & tempore, cum expediret proponere, & explicare, quæ alij poſtquam erant eis propoſita tenebantur credere, abſolute tamen loquendo ſimplices, & populares, non tenebantur omnia explicite credere, quæ tenebantur credere Paſtores Synagogæ, & Doctores.

In lege vero gratiæ, & ſub ipſa dico, quod omnes adulti tenentur explicite credere plura, quam tenerentur credere illi, qui fuerunt ſub lege Moyſi, & qui aduentum Chriſti Domini præceſſerunt. Ex his ſequitur primo eamdem fuiſſe ſub omni tempore fidem maiorum, & minorum quo ad ſubſtantiam, licet in maioribus fuerit explicatior, in minoribus inuolutior. Secundo ſequitur eamdem fuiſſe veterum fidem, & noſtram quo ad ſubſtantiam: nam in eumdem Deum, eumdemque Mediatorem, in quem nos credimus, & illi crediderunt, & ſub eadem ratione credendi, nempe ex Deo reuelãte, & propter eumdem finem ſcilicet propter ſalutem ſempiternã conſequendam hoc ſolo excepto, quod non omnia explicite, & diſtincte ipſi credebant, quæ nos modo credimus & quia illi à longe ideſt per vmbras, & figuras aſpiciebant, venturum, nos vero iam veniſſe credimus, & myſterium reparationis, & redemptionis expleuiſſe; quod ait D. Auguſtinus ſuper Pſal. 36. Omnes qui ab initio ſęculi iuſti fuerunt, & caput Chriſtũ habent, illum venturum eſſe crediderunt, quem nos veniſſe iam credimus, & in eius fide, & ipſi ſanati ſunt, & in cuius & nos. Et in Symbolum huius veritatis ait D. Gregorius Hom. 17. in Ezechielem. Turbas, quæ præcedebant, & ſequebantur Chriſtum in Sanctam Ciuitatem acclamaſſe ſimul Oſanna Filio Dauid in Excelſis; quia vna fuit fides præcedentium, ſequentiumque populorum.

D. Aug.

D. Greg.

Ad argumenta reſpondetur, & ad illud pro parte affirmatiua nego antecedens: Quia Saluator dixit Matth. 5. Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, diliges amicum tuũ, & odio habebis inimicum tuum, ergo videtur, quòd non tenebantur diligere inimicum ſicut Iudæi arguebant à contrario, ſic nempe. Diligendus eſt amicus, ergo odiſſe debemus inimicum, ſed falſe arguebant, vt videbimus infra d. 30. Ideo Scotus aliter reſpondet, dicens, quòd & ſi tenerentur diligere inimicum, non tenebantur tamen omnes, & amicos, & inimicos explicite diligere, ſed tantum implicite: quia non omnia diligibilia erant ſibi præſentia, atque adeo ſicut non tenebantur omnes diligibilia omnia explicite cognoſcere; ita non tenebantur omnes credibilia omnia explicite credere. Sicut ergo antiqui patres omnia diligibilia tenebantur ex charitate diligere: non quidem explicite, ſed implicite: quia non om-

omnia diligibilia erant eis præſentia; Ita tenebantur omnia credibilia credere non quidem explicite; ſed implicite: quia non oia credibilia erant eis propoſita, & explicita.

Secundo poteſt dici, quod non eſt ſimile, quia fides eſt in intellectu ſubiectiue, charitas autem in voluntate, atque adeo non ſequitur, quòd & ſi tenebantur omnia diligibilia amare, etiam explicite, quod tenerentur etiam omnia credibilia credere, & ſi obijciatur, quod fides non eſt ſubiectiue in intellectu; quia ſequeretur, quod aliquis poſſet credere nolens, probatur ſequela, quia quæ ſunt in intellectu præcedunt velle; nam ſicut potentia præcedit potentiam; ita operatio operationem. Nego conſequentiam, & ratio eſt: quia actus credendi dependet à duobus; imo à tribus, ſcilicet ab habitu inclinante, à credibili propoſito; & à voluntate: quia dicit D. Auguſt. D. Aug. cætera poteſt homo nolens &c. dependet autem actus credendi à credibili præſentato non quomodocunq; hoc eſt per ſpecies intelligibiles extremorum, ſed præſentato tamquam credibili, & ſic communiter non præſentatur niſi per doctrinam; Et ſi ita fuerit propoſitum, tamen non neceſſario adhuc intellectus credit, quatenus credere præcedit velle, quia proponens credibile intellectui non demonſtrat, ita vt cogat intellectum ad aſſentiendum, atque adeo non credidit niſi volens. Et quamuis voluntas habeat imperium ſuper actum credendi, non habet tamen imperium ſuper oppoſitum actum ſtante fide, ita vt intellectus diſſentiat credibili per volũtatis imperium, quia impoſſibile eſt intellectum habere ſimul duos actus oppoſitos de eodem obiecto, ſed ſolum impedire poteſt intellectum, ne exeat in actum ſuum credendi elicitum circa credibilia propoſita.

Ad argumenta ad oppoſitum, Dico ad primum, quod ſicut ſimplices, & populares in lege Moyſi non tenebantur explicite credere, niſi quæ erant ſibi explicite propoſita, atq; adeo non tot, quot Proceres & Paſtores Synagogæ, ita omnes qui ſub ea lege, ac etiam ſub lege naturæ erant non tenebantur niſi ea credere, quæ ſibi reuelata, ac propoſita fuerunt, & cum non tot fuerint eis propoſita, quot modo ſunt nobis reuelata, non tenebantur ea omnia credere, quæ nos modo credimus. Cum ergo arguitur, illi, qui erant in lege Moyſi non tenebantur tot credere ſicut Moyſes, ergo ante Chriſti aduentum non fuit neceſſaria fides de eiſdem credibilibus, quæ nos modo credimus, diſtinguo, vel de aliquibus, & ſic nego, vel de omnibus, & ſic concedo.

Ad ſecundum dico, quòd licet communiter prius illuminentur Angeli, quam homines de fiendis, hoc tamen non eſt ſimpliciter, & abſolute neceſſarium, quia poteſt Deus hunc præterire ordinem, & prius reuelare aliquid hominibus per fidei infuſionem, & credendorum reuelationẽ, quam angelis, atq; adeo non valet conſequentia. Angeli non cognouerunt myſterium Incarnationis ante Chriſti aduentum; igitur nec homines eam crediderunt; Et cum dicis, quòd Angelus eſt perſpicacioris intellectus; dico quòd non eſt ad propoſitum, quia procedit de cognitis naturaliter: nam cognita naturaliter angeli melius intelligunt, quam homines, at non concludit de cognitis ſupernaturaliter aut reuelatis: quia poteſt Deus reuelare homini, & non Angelo. Contra Gabriel dixit Mariæ. Ecce concipies in vtero &c. ergo cognouit incarnationis myſterium. Præterea Angeli, qui cantauerunt in Natiuitate Chriſti Gloria in Excelſis Deo &c. dixerunt etiam ad Paſtores Euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis hodie Saluator mundi. Pro huius dubij ſolutione obſer. eſt, quod eſt controuerſia inter D. Hieronymum, & D. Auguſt. ſuper illud Iſaiæ 63. D. Aug. D. Hiero. Angeli nouerunt incarnationem Filij Dei D. Hieronymus dicit, quod hoc ignorauerunt, atque adeo quærebãt Quis eſt iſte, qui venit de Edom &c. At D. Auguſtinus oppoſitum docet: quia omnes Angeli in verbo omnia futura cognouerunt; maxime quia dicitur ad Roman. 1. Et cum introduxit primogenitum in orbem terræ dixit adorẽt eum omnes angeli, D. aũt Hieronymus habet ꝓ ſe illud ad Eph. 3. vt innoteſcat principatib. & poteſtatibus ꝑ Eccleſiam; Vnde pro concordia iſtorum præcipuorum Eccleſiæ luminum, dico ꝙ D. Auguſtinus intelligit de cognitione abſtractiua; quod non negat D. Hieronymus loquens de cognitione intuitiua, ſtat enim quod omnes angeli venerint ad Chriſtum adorandum in Præſepio, & cognouerint, quod verbum æternum hominem aſſumpſit, & quod tamen ignorauerint hominem illum aſſumptum, cum tanta maieſtate, & cum tanto Diaboli, & mũdi triumpho, aſcenſurum in cœlum; atque adeo in eius Aſcenſione potuerunt congrue admirari, & dicere. Quis eſt iſte qui venit de Edom &c.

Vel dici poteſt, quòd Angeli cognouerunt per cognitionem in Verbo Incarnationis myſterium; cognitione matutina; ſed poſtea cognitione veſpertina, & experimẽtali Chriſtum cognouerunt in eius operibus, atque ita intelligitur D. Auguſtinus, & quod Angeli in Chriſti Aſcenſione dixerint. Quis eſt iſte qui venit de Edom &c. non fuit per ignorantiã, ſed per adorationem, & congratulationem, vt mentes noſtræ magis eleuentur. Vel dicatur, quòd Incarnationis myſterium eſt adeo reconditum, & tantæ ſubtilitatis, ꝙ licet angeli illud cognouerint, ex aliqua parte tamen remanſit eis occultum, atque non plene cognitum v. g. Quomodo totus Chriſtus exiſteret in patre, & tamen clauderetur in vtero Virginis. Vel dicatur iterum, quod Angelorum quidam ſunt ſuperiores atque illi non ignorauerunt Incarnationis myſterium, atque ita Gabriel, & qui annunciauerunt paſtoribus erant de ſuperioribus, Quidam vero ſunt inferiores, & illis ignotum erat Incarnationis myſterium, de primis intellexit D. Auguſtinus, de poſterioribus D. Hieronymus.

Ad tertiam concluſionem modo ſuperius explicato; hoc eſt, homines veteris legis non tenebantur tot explicite credere, quot modo nos credere tenemur, & addit Scotus. Scotus. Credo tamen quod non ſunt aliqua in nouo teſtamento, quæ non poſſint extrahi ex veteri in aliquo ſenſu, allegorico, vel tropologico, vel annagogico. Exemplum poteſt eſſe de Sacramento Euchariſtiæ, quod licet contentum, & explicatum ſit litteraliter in Euangelio, tamen in veteri lege continebatur ſecundum ſenſum allegoricum in manna, & in oblatione Melchiſedech, quando obtulit panem, & vinum: omnia enim in figura contingebant illis; nihilominus non omnia concipiebatur in ſenſu hyſtoriæ, & litteræ in veteri teſtamento, vt patet in Canticis Canticorum.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum ad hoc, quod fides ſit in intellectu neceſſe ſit aliquem habitum infuſum eſſe in voluntate.

PRo tituli huius quæſtionis intelligentia obſeruandum eſt, quod ad actum fidei non ſolum concurrit intellectus eliciendo ipſum actum fidei, ſed etiam concurrit voluntas, imperando intellectui; & ratio eſt, quia obiectum fidei, cum non ſit euidens, ſed obſcurum, & abſens; non eſt ſufficiens motiuum intellectus ad hoc, vt eliciat actum credendi, & ideo voluntas ipſa mouet intellectum imperando ei, vt eliciat actum fidei, cum ergo voluntas concurrat hoc modo ad actum fidei, quærit Scotus an ſit neceſſarius aliquis habitus in voluntate ad actum fidei, quemadmodum ad ipſum actum fidei neceſſarius eſt habitus infuſus fidei in intellectu.

Secundo obſer. eſt, quod quæſtio poteſt etiam eſſe an ad actum fidei neceſſario requiratur motio voluntatis adeo quod voluntate actu non mouente intellectum ad credendum, poſſit intellectus credibili præſentato, elicere actum fidei, & in vtroque ſenſu hæc quæſtio à nobis examinanda eſt. Et quia omnis actus elicitus ex motione voluntatis charitate informatæ eſt meritorius, videndũ eſt etiam an actus fidei ſit meritorius, & an rationes, quæ adducuntur ad fidem confirmandam, minuant fidei meritum, poſtremo, per quid fides corrumpatur, & an confeſſio fidei ſit de neceſſitate ſalutis, quæ omnia ſingulis articulis examinanda ſunt.

Art.

Art. 1. Vtrum requiratur imperium voluntatis adhoc, quod intellectus credat.
Art. 2. Vtrum adhoc, quod actus fidei ſit perfectus, requiratur voluntas illum imperans perfecta Charitate.
Art. 3. Vtrum actus fidei ſit meritorius.
Art. 4. Vtrũ ratio inducta ad ea, quæ ſunt fidei minuat meritum fidei.
Art. 5 Vtrũ per quamlibet hæreſim fides corrumpatur.
Art. 6. Vtrum confeſſio fidei ſit actus fidei, & cadat ſemper ſub præcepto.

ARTICVLVS I.

Vtrum requiratur imperium voluntatis ad hoc, quod intellectus credat.

Fides eſt ſub præcepto.

PRo parte negatiua arguitur. Ad credendum fide humana non eſt neceſſarium imperium voluntatis, imo vero intellectus cogitur ad credendum: ergo idem à fortiori eſt in fide diuina; probatur antecedens experientia; nõ enim eſt in mea poteſtate non credere Mediolanum eſſe, quamuis illud non viderim id omnibus affirmantibus, & nullo contradicente, probatur conſequentia, quia teſtimonia fidei diuinæ infallibiliora ſunt humanis, vt patet ex illo Io. 5. Teſtimonium hominum accipimus, ſed teſtimonium Dei maius eſt.

Ad credendum neceſſaria sũt teſtimonia fide digna.

Præterea euidens eſt articulos fidei eſſe credibiles, ergo non eſt in noſtra poteſtate illis non aſſentiri, antecedens probatum eſt præcedenti diſt. art. 8. probatur conſequentia, quia ſubeſt imperio voluntatis non aſſentiri viſis. Item nihil eſt volitum, quam præcognitum, ergo ante imperium voluntatis intellectus cognoſcit veritatem, & illi aſſentitur.

Demum Dæmones credunt, & contremiſcunt ſecundum D. Iacobum c. 2. Sed hoc faciunt inuiti, ergo fides non dependet ab imperio voluntatis, probatur minor, Dæmones cruciantur fide, & vellent illos cruciatus releuare, ergo nollent credere.

Pro ſolutione obſeru. eſt, quod fides eſt ſub præcepto. Probatur ex illo Marci vltimo. Qui non crediderit condemnabitur, ſed nullus condemnatur niſi pro tranſgreſſione alicuius præcepti, ergo &c. Confirmatur: quia ſi fides non eſſet ſub præcepto, nec hæretici, nec ethnici, vel infideles negantes Euangelium peccarent, quod eſt abſurdiſſimum, probatur ſequela ex D. Paulo ad Rom. 4. quia vbi non eſt lex non eſt præuaricatio.

Secundo obſer. eſt, quod ad credendum, & opinandũ neceſſaria ſunt teſtimonia fide digna, & argumenta, & rationes; Nam qui cito credit leuis eſt corde. Eccleſiaſt. 49. Item Chriſtus Ioan. 15. dicit ſi non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, & opera non feciſſem in eis, quæ nullus alius fecit, peccatum (ſcilicet infidelitatis) non haberent: quia non haberent rationes ad credendum. Item ad opinãdum requiritur medium probabile; per illud enim generatur opinio, & eſt communis phyloſophi ſententia, qđ imaginari poſſumus cum volumus, non tñ opinari: quia non ſemper habemus medium probabile ad opinãdum.

Cõcluſio.

His obſeruatis ſit hæc concluſio. Ad fidem neceſſarius eſt actus voluntatis imperantis, intellectum, vt credat intellige in principio fidei, & regulariter loquendo: quia poſtquam aliquis habet fidem bene poteſt credere abſque actu voluntatis. Sunt enim ſigna quibus fides aſtruitur adeo accidentia, vt ſit mirandum quomodo homines non credant, & non conuincantur ad credendum, quod procedit à malitia, & peccatis, quibus excecatur intellectus iuxta illud Ioan. 12. Ideo non poterant credere: quia Iſaias dicit, excecauit oculos eorum, & indurauit cor eorum &c. & Ioan. 7. Si quis voluntatem eius fecerit, cognoſcet de doctrina, vtrum ex Deo ſit. Diximus etiam regulariter loquendo: quia ſicut inquit Phyloſ. 7. Ethy. c. 3. Aliqui ita firmiter aſſentiuntur, & adhærent, ſuis opinionibus; vt alij ſcientijs, & ratio eſt: quia media probabilia ſunt eis adeo efficacia, vt conuincantur. Eodẽ modo põt eſſe in fide, vt ſigna eam confirmantia ita ſint euidentia, & efficacia, vt intellectus humanus conuincatur ad credendum, hoc tamen non venit in cõſiderationẽ moralem; quia raro contingit. Hæc concluſio eſt Scoti in hac qõne ſub littera A. §. Dico, quod credibilia, vt ſunt pſentia in ſe, vbi inquit qđ voluntas mouet pro quanto mouebat ad acquirendũ fidẽ acquiſitam, & in calce ſuperioris quæſtionis. §. & ſi obijcitur, vbi dicit, qđ præſentato credibili intellectus non neceſſario credit, quia proponẽs credibile non demonſtrat, ita vt cogat intellectum ad aſſentiendum, & iõ non credit niſi volens, & ſubdit, quod voluntas hẽt imperium ſuper actũ credendi; ex quo patet q̄ falſo Alex. Peſantius in 2. 2. D. Tho. q 4. art. 2. diſpu. 1. imponat Scoto, quod neget ad actũ credendi neceſſario requiri actum poſitiuum voluntatis, ſed ad oẽs actus fidei tantum ſufficere non repugnantiã voluntatis. Hæc ẽt concluſio eſt D. Thom. 2. 2. q. 1. art. 4. vbi intendit aſſignare diſcrimen inter ſcientiam ex vna parte, & opinionem, & fidẽ ex altera; ſcientia. n. eſt per medium neceſſarium, quod conuincit intellectũ, fides vero eſt ex authoritate dicentium, & opinio per medium probabile, quæ omnia de ſe intellectum non conuincunt ad aſſentiendũ, & ideo eſt neceſſariũ, quod voluntas moueat intellectũ, vt magis vni parti, q̄ alteri adhæreat. Eadem Concluſio eſt D. Auguſt. hom. 26. ſuper Ioan. dicentis intrare poteſt quis ad Eccleſiã nolens credere autem non niſi volens. Ita definitum eſt in Concilio Toletano 4. c. 56. & habetur in c. de Iudæis diſt. 45. Vbi dicit Iudæos non eſſe compellendos ad fidem, quia fides eſt voluntaria.

Scotus.

Alexand. Peſantius.

D. Tho.

D. Augu. Cõcilio Tolet. 4.

Probatur concluſio ex illo ad Rom. 10. Corde creditur ad iuſtitiam. i. voluntate, ſæpe. n. in ſcriptura cor ſumitur pro volũtate, vt prouer. 23. fili præbe mihi cor tuũ, ideſt voluntatem, & Matth. 5. Beati Mundo corde ideſt habentes voluntatem omni praua affectione purgatam, & Matth. 22. Diliges Dñs Deum tuum, ex toto corde tuo &c. ideſt voluntate, & mente, ideſt, intellectu; Quæ explicatio fit conuenientiſſima ratione; quia ſm Ariſt. lib. 1. de partibus animaliũ. c. 1. Cor eſt principium totius motus, & ſecundum eumdem lib. 2. de generatione animalium c. 2. & 4. & lib. 3. de partibus animalium c. 4. primum, quod in homine generatur eſt cor. Ita principium omnium actionum humanarum, & vnde habent, quod ſint humanæ eſt voluntas; atque ita nomine cordis intelligitur conuenienter voluntas.

Ariſt.

Item probatur concluſio ex illo Iſaiæ 50. Dñs Deus aperuit mihi aurẽ, & ego non contradico, ergo erat in poteſtate Prophetæ contradicere non credendo; Et ſi quis dicat, hęc oĩa intelligi, quãtum ad applicationem mediorum ad credendum, põt. n. homo hæc media applicare, vel non applicare, qũo ſolum fides eſt voluntaria, at verò applicatis iam medijs non põt non credere. Reſpondetur miracula ſunt ſufficientiſſima media ad credendum, & tñ eis viſis manebant Iudæi in ſua perfidia, vt conſtat ex Euangelijs, & geſtis ſanctorum. Sed dices forte putabant miracula Chriſti, & ſanctorũ eſſe facta Dęmonis virtute, iuxta illud Lucę 11. In Belzebub, Principe Dęmoniorũ &c. ſed iterũ arguitur: quia ipſi confeſſi ſunt miracula Chriſti eſſe vera; dicebant. n. Io. 11. Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit; & de natura ſignorũ eſt, qđ præter illud, qđ ingerunt ſenſui, aliquid aliud facit in cognitionẽ venire. ſ. veritatem ſuę doctrinæ. Sed adhuc reſpondebis fatebantur ſigna, ſed non vera. Contra imo cõfitebantur vera ſigna: quia Io. 11. Cogitauerunt Lazarũ interficere, ergo fatebantur vera ſigna: quia antea cognouerunt mortuum, ergo videbant ſigna Chriſti vera; Idẽ eſt de cæco nato Io. 9. & de illo claudo, quem D. Petrus ſanauit à claudicatione Actorum 3. & 4. quare, ergo non credebant: quia vt ait D. Paulus ad Rom. 10. Non omnes obediunt Euangelio, ſed tantum illi, qui volunt, & per conſequens fides eſt voluntaria.

Secundo probatur ratione. Præcepta non dantur de actibus neceſſarijs, & naturalibus, ſed de voluntarijs, & liberis, ſed de fide eſt præceptum, vt dictum eſt, ergo fides eſt voluntaria, & libera.

Tertio probatur. Actus fidei eſt meritorius, ſed omnis actus meritorius eſt voluntarius, & liber, ergo ad fidem neceſſaria eſt voluntas. Maior probatur ad Rom. 4. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam: minor etiam patet ex illo ad Corint. 9. Volens ego mercedem habeo.

eſſe neceſſarium ad credendum, ſed ad credendum ſicut opportet, non eſſet adhuc contra Concilium concluſio Scoti, qui ſolum aſſerit ad ſimpliciter credendum, & habendum actum fidei, non eſſe neceſſarium habitum in voluntate, hæc autem non repugnant inter ſe vt patet.

Ad argumenta pro ſnia D. Thomæ reſpondetur, & ad primum reſpondens Scotus ponit aliqua dicta. Primum eſt, ꝙ quamuis actus credendi dependeat effectiue ab obiecto credibili, tamen non dependet ſic effectiue à voluntate, ſed tantum ab ea dependet motiue, quatenus intellectui imperat, vt credat, ꝙ autem actus credendi non ſit elicitiue à volũtate patet: quia alias ſi intellectui proponerentur aſtra eſſe paria, nulla facta perſuaſione; poſſet voluntas imperare intellectui credere determinate aſtra eſſe paria, atq; ita non coagente obiecto intellectus aſſentiret aſtra eſſe paria, quia eiuſmodi aſſenſus produceretur effectiue ab intellectu, & voluntate, quod eſt abſurdum, quia obiectũ effectiue concurrit ad actũ; ex cognoſcente enim, & cognito paritur notitia, vt docet D. Augu- *D. Aug.* ſtinus efficaciſſime probat Scotus in 1. d. 4. q. 7. *Scotus.*

Secundum dictum Doct. eſt, ꝙ quamuis voluntas moueat imperatiue intellectum ad actum credendi, tamen non mouet niſi prius obiectum moueat, & ex hoc ſequitur, quod credibilia, vt ſunt præſentia in ſe, ſiue in fide acquiſita, vel infuſa, licet hoc vltimo modo non ſufficiant ad mouendum intellectum ad actum, ſed voluntas, vt dicis ſimul mouet, & verum eſt pro quantum mouebat ad acquirendum fidem acquiſitam hæc littera Scoti eſt ſatis obſcura, videtur enim his verbis aſſerere credibilia per habitum fidei infuſę, vel acquiſitæ eſſe præſentia, cuius oppoſitum dixit ſupra. d. 23. Vnde poſſet primo dici hanc litteram eſſe corruptam, atque ita eam legi oportere. Dico quod credibilia, vt ſunt præſentia in ſe ſiue in fide acquiſita, vel infuſa (licet hoc modo non ſint præſentia) non ſufficiunt ad mouendum intellectum ad actum, ſed voluntas, vt dicis ſimul mouet, & tunc clarus eſt ſenſus, & vult dicere Scotus, quod credibilia, vt ſunt præſentia in ſe. ſ. per prædicatorem, ſeu reuelantem, vel in fide infuſa, (licet hoc modo non ſint præſentia) non ſufficiunt ad mouendum intellectum, ſed voluntas ſimul mouet pro quanto mouebat ad acquirendum fidem acquiſitam ſcilicet ad aſſentiendum reuelanti, ſeu prædicanti.

Si vero volumus ſaluare litteram ſicut iacet; quia in omnibus contextibus ita legitur. Dicendum eſt, quod Scotus non vult dicere obiectum fidei eſſe præſens in fide infuſa, quemadmodum obiectum dicitur eſſe preſens in ſpecie intelligibili, hoc. n. negatum eſt ſupra. d. 23. Sed vult dicere, quod fides infuſa continet credibilia virtualiter, quatenus inclinat ad aſſentiendum illis, dummodo proponãtur, vt credibilia, atq; adeo poſita fide acquiſita, & credibili propoſito poteſt intellectus per habitum infuſum, dummodo voluntas non contra moueat aſſentiri credibili, nec plus requiritur, & ſenſus litteræ eſſet talis, dico ꝙ credibilia, vt ſunt præſentia, in ſe. i. per auditum, & per prædicatorem illa proponentem; vel virtualiter in fide infuſa, vel acquiſita, licet præſentia hoc modo. ſ. tantum virtualiter, modo præ expoſito non ſufficiant &c. His poſitis reſpondet Doct. ad argumentum dupliciter.

Et primo dicit, quod credibilia poſſunt eſſe præſentia intellectu dupliciter, vno modo virtualiter, pro quanto intellectus iformatus habitu fidei infuſę; ab eodẽ habitu inclinat ad aſſentiẽdũ credibilib. & hoc modo credibilia præſentia intellectui nõ ſufficiũt ad cauſandũ aſſenſũ in intellectu, ſed requiritur motus, & imperium volũtatis, quo intellectus acquirat fidem acquiſitã. Secundo modo poſſunt credibilia eſſe præſentia in ſe per auditum. i. per reuelantem, vel prædicantem, & hoc modo intellectus informatus fide infuſa poteſt aſſentiri credibili ſine actu poſitiuo voluntatis, ſed ſatis eſt, quod voluntas non contra moueat, & hoc modo intelligitur dictum D. Auguſtini. Cætera poteſt homo nolens &c. Nam per volens intelligit D. Aug. non nolens: quia ſi voluntas nollet: nunquam intellectus crederet.

Secundo reſpondet, ꝙ licet ad credendum requiratur actualis motio voluntatis. i. quod voluntas actualiter imperet intellectui, vt aſſentiat, non requiritur tamen vt voluntas ad hoc, quod imperet ſit informata aliquo habitu ſupernaturali, quia eiuſmodi motio põt eſſe à voluntate in puris naturalibus: nam eſto quod aliquis habeat fidem infuſam, & acquiſitam & proponatur ſibi hoc credibile Deus eſt Trinus, & vnus, & voluntas in puris naturalib. exiſtens. i. non informata habitu ſupernaturali, imperet intellectui, vt aſſentiat; Quare non poterit aſſentire? non videtur ratio; Cum ergo arguitur intellectus non ſufficit &c. nego minorem iuxta hanc ſecundam reſponſionem, & ad probationem dico ꝙ agere præſupponit eſſe, & ſupernaturaliter agere eſſe ſupernaturale principij à quo elicitur actus ſupernaturalis, modo actus fidei nõ elicitur à voluntate, ſed ab intellectu, atque adeo requiritur habitus ſupernaturalis in intellectu, non autem in voluntate; cum voluntas in puris naturalibus, hoc eſt ſine habitu charitatis poſſit intellectui imperare, vt credat, ſicuti patet in Chriſtiano peccatore. At ſecundum primam reſponſionem negatur maior, non enim requiritur (ſuppoſita fide acquiſita) ad actum credendi actualis motio, ſeu actuale imperium voluntatis, ſed ſatis eſt, quod voluntas non contra moueat, ideſt quod non habeat actum nolendi, vt dictum eſt.

Ad ſecundum. Reſpondetur, quod ſicut in inſtrumento artis, ſufficit acuties adhoc, quod virtus motiua moueat ipſum ad ſcindendum, & non requiritur ſimilis diſpoſitio in principali mouente, vel diſpoſitio illi proportionata in virtute motiua; Nam & ſi in gladio requiratur acuties ad hoc, quod ſindat aliquod corpus durum, conſimilis tamen acuties non requiritur in manu adhoc quod moueat gladium ad ſcindendum. Ita in propoſito adhoc, quod voluntas moueat intellectum ad aſſentiendum credibili ſufficit diſpoſitio intellectus, per habitum ſupernaturalem fidei infuſę, & non eſt neceſſe proportionalem ſupernaturalem diſpoſitionem poni in voluntate, nec adhoc, quod difformiter operetur per inſtrumentum requiritur alia, & alia diſpoſitio in inſtrumento, & talis, vel proportionalis diſpoſitio in principali agẽte; ita ad hoc, quod intellectu difformiter aſſentiat ideſt intenſe, vel remiſſe credat non requiritur alia, & alia diſpoſitio in intellectu; ideſt alius, vel alius habitus, & talis, vel proportionalis in voluntate; ſed ſufficit proportionalis diſpoſitio in intellectu differens ſecundum, quod gradus differentes in perfectione ſunt in actibus, ideſt ſi habitus intellectus eſt intenſus, & perfectus, & actus elicitus erit intenſus, & perfectus, ſi vero habitus erit remiſſus, & imperfectus actus erit remiſſus, & imperfectus.

ARTICVLVS III.

Vtrum actus fidei ſit meritorius.

ACtum fidei poſſe eſſe meritorium, ſi eliciatur ab exiſtente in charitate, ita certum eſt ex fide atque certum eſt bona iuſtorum opera eſſe meritoria, ita quod oppoſitum eſt error in fide, & potius hæreſis; & probatur primo, & potiſſime teſtimonio Apoſt. ad Hebræos. 11. Sancti per fidem vicerunt regna &c. adepti ſunt repromiſſionem; ergo per fidem meruerunt promiſſa æterna; Item primo Petri. c. 1. dicitur. Reportantes finem fidei veſtræ ſalutem animarum veſtrarum; ergo ſalus animæ pręmium eſt noſtræ fidei, eſt namque actus liberi arbitrij moti à gratia. Solent etiam afferri alia teſtimonia, vt eſt illud Ioan. 17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum, & quẽ miſiſti Ieſum Chriſtum. i. in hoc conſiſtit vita æterna, tamquam in merito. ſ. in credendo in te, & c. 20. Beati, qui non viderunt, & crediderunt. i. beatitudinem meruerunt per fidẽ; Gen. 15. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiã. Itẽ ad Rom. 10. Corde creditur ad iuſtitiã. Sed tñ hęc teſtimonia videntur probare, qđ homo per fidẽ iuſtificetur, nõ tñ quod mereatur per ipſam fidem. Cęterum ſi quis bene conſideret, ſequitur ex illis, qđ homo mereatur vitam æternam credendo ſi credit ex charitate Dei. Vnde potiſſimũ argumentũ eſt, qđ ad hoc probandum adducit D. Th. 2. 2. q. 2. art 9. qđ eſt tale, omnis act⁹ ꝓcedẽs à libero arbitrio moto à Deo p gr̃am põt *D. Thom.*

eſſe meritorius, ſed credere poteſt eſſe huiuſmodi actus, ergo credere poteſt eſſe actus meritorius; maior eſt manifeſta, & minor probatur, quando credere eſt actus intellectus imperatus à voluntate, vt diximus articulo primo huius quæſt. quæ ad id moueri poteſt à Deo per gratiam.

Conciliũ Trident. Et confirmatur: Quia catholicum eſt, vt patet in Cōcilio Trident. ſeſſ. 6. c. 16. quod homo meretur vitam æternam per bona opera facta ex charitate; ſed qui credit facit bonum opus ex charitate ergo meretur vitam æternam. Videatur D. Auguſt. tract. 74. ſuper Ioannem. *D. Aug.* Certum eſt ergo actum fidei poſſe eſſe meritorium.

Dubium. Eſt tamen dubium an primus actus fidei, quẽ quis elicit, cum primum ſibi proponitur Chriſtus, ſit meritorius, & pro parte negatiua arguitur primo. In tali caſu vel volitio credendi præſupponit cognitionem naturalem, vel ſupernaturalem, ſi primum ille actus non eſt meritorius; quia actus meritorius refertur per charitatem in finem ſupernaturalem, & actus charitatis ſupponit cognitionẽ ſupernaturalem. Si ſecũdum ſequitur quod ille actus credendi non eſt primus; iam.n. ſupponit aliam cognitionem ſupernaturalem, quæ cum ſit aſſenſus firmus & ineuidẽs circa obiectum ſupernaturale, debet eſſe actus fidei.

Præterea ille primus actus fidei non eſt elicitus nec imperatus à charitate, ergo non poteſt eſſe meritorius, conſequentia patet ex materia de merito, probatur antecedẽs; non eſt elicitus à charitate; quia eſt actus alterius potentiæ à voluntate, nec imperatus, quia in illo primo actu voluntas nondum cognoſcit Deum ſuper omnia diligendũ, hoc.n. ſolo actu fidei cognoſcitur; ergo non poteſt imperare intellectui, vt credat propter Deum ſumme dilectum.

Item fides eſt principium iuſtitiæ, & charitatis, ergo ante primum actũ fidei non poteſt eſſe actus dilectionis, & charitatis, & per conſequens nec meritum, antecedens patet ex D. Paulo ad Hebreos. 11. dicente, quod ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.

Quomodo Deus p̃cognoſcatur amandus. Pro ſolutione obſer. eſt primo quod Deus præcognoſcitur amandus non ſolum per actũ fidei ſed ẽt per ſtudium rationis præuium ad actũ fidei. v.g. pono aliquẽ cathecumenum iuſtificandum habere hunc actũ intellectus; Credendũ eſt Euangelio: quoniã Deus illud reuelauit, & miraculis, quæ non niſi ab ipſo fieri poſſunt confirmauit; nihilominus ipſum ſimul habere hoc iudiciũ. Hic Deus qui mentiri nequit, eſt ſuper omnia diligendus; ſicut.n. ante actum fidei iudicatur Deum eſſe primam veritatem, & ideo ei eſſe credendum; ita poteſt iudicari eſſe ſummum bonum, atque adeo eſſe ſuper omnia diligendum.

Ordo credendi in Cathecumenis. Secundo obſer. eſt ordinem credendi in Cathecumenis quoniã intellectus non credit niſi per imperium voluntatis, vt ſupra diximus, voluntas autem non mouetur niſi per iudicium intellectus: Vnde propoſito Euangelio intellectus iudicat ei eſſe credendum: quia Deus illud reuelauit, qui eſt ſũma, & prima veritas. & ſumme bonus, atq; adeo nec falli, neque fallere poteſt, deinde voluntas imperat intellectui, vt credat propter has rationes, & poſtremo intellectus credit.

Concluſio. His poſitis ſit concluſio. Primus actus fidei poteſt eſſe meritorius. probatur. Poteſt volũtas præuio iudicio intellectus iudicantis, quod Deus eſt credendus, & amandus moueri propter Deum & imperare intellectui, vt credat, ergo talis actus erit meritorius; eſt.n. à libero arbitrio excitato a Deo per gratiam.

Ad primum argumentum reſpondetur, quod illa volitio prima credendi præſupponit cognitionẽ ſupernaturalẽ. f. illud iudiciũ euidens; Credẽdũ eſt Deo ſumme vero, & ſumme bono, talis.n. iudiciũ eſt actus fidei infuſæ: nam vt ſupra diximus diſt. 24. lumẽ fidei euidenter oſtendit credendũ eſſe articulis fidei. Reſpectu.n. diuerſorũ, habitus fidei elicit actũ euidẽtẽ, & obſcurũ. & qñ arguis, ſequitur, quod ille actus meritorius non eſt primus actus fidei: quia illud iudicium euidens per te eſt à fide. Reſpondetur diſtinguẽdo cõſequẽs, nõ eſt primus elicitus à fide cõcedo; nõ eſt primus, qui ſit fides nego: quia illud iudiciũ euidẽs licet eliciatur à fide, non eſt tamen fides, quia eſt euidens.

Ad ſecundum nego antecedens; eſt.n. actus imperatus à charitate; Ad probationẽ nego antecedens: quia per illud iudicium intellectus iudicantis Deum non ſolum eſſe credendum; ſed ſuper omnia diligendum, voluntas cognoſcit Deum eſſe amandum, vt dictum eſt.

Ad tertium nota, quod fides, ſola prioritate naturæ præcedit charitatẽ in iuſtificatione impij. In eodẽ.n. inſtãti tẽporis homo credit, & diligit, vt dicitur in materia de iuſtificatione, & in eodẽ inſtanti tẽporis infunditur gratia, & charitas habitualis, per quã ille actus fidei eſt meritorius, ſimile eſt, primus actus pœnitẽtiæ eſt meritorius per charitatẽ ſuperuenientẽ, non tamẽ elicitur à charitate habituali; quia non præſupponit illã, quãuis ſit actus dilectionis. Vnde ad argumentũ nego conſequentiã quamuis.n. prioritate naturæ actus primus fidei præſupponatur ad charitatem habitualẽ, non tamen eſt prior quam charitas actualis, .i. quã dilectio Dei: quia illa volitio, qua volũtas imperat intellectui vt credat propter Deũ: quia verax eſt, & bonus; eſt actus charitatis meritorius, & ſimul tempore infunditur charitas habitualis, quæ dicitur ſuperueniſ re non poſterioritate temporis ſed naturæ.

ARTICVLVS IV.

Vtrum ratio inducta ad ea, quæ ſunt fidei minuat meritum fidei.

Myſteria fidei dupliciter probari poſſunt. PRo intelligentia tituli obſer. eſt dupliciter poſſe probari myſteria fidei primo ratione ſupernaturali; ſ. miraculis, & diuina ſcriptura, de quibus rationibus non eſt hic dubium; qui.n. crederet abſque illis leuis eſſet corde iuxta illud Eccleſiaſt. 19. quia vt ſupradiximus præcedenti diſt. non tenetur quis credere, niſi videat eſſe credendum. Secundo rationibus naturalibus, quales poſtulabat Thomas Apoſtolus dicens Ioan. 20. Niſi videro in manibus eius &c. non credam; & iſtæ rationes adducuntur etiam à Theologis ad confirmandam fidẽ, de quibus eſt difficultas an minuant meritum fidei.

Secundo obſer. eſt; quod rationes, quæ adducuntur à Theologis in confirmationem fidei non ſunt demonſtrationes, ſed probabiles, & præſuppoſita fide, atq; ita ſolum faciunt articulos fidei credibiliores, & non apparentes, & per conſequens non minuunt rationem fidei, nec meritũ eius; aliquæ etiam rationes inductæ ad fidem probãt myſteria fidei non implicare contradictionem, & remouent impedimenta ad credendum, ad quod etiam poſſunt induci demonſtrationes naturales, contra alias ſectas, & falſas religiones, quæ impediunt aſſenſum fidei; & quamuis concedamus, quod rationes naturales inductæ ad fidem faciunt articulos fidei minus non apparentes; non tamen eſt cõcedendum minuere meritum fidei: quia proueniũt ex nimia in Deum charitate, quæ eſt fundamentum meriti, ſemperq; credens habet voluntatem credendi etiam omnibus rationibus ceſſantibus, & quamuis tollatur difficultas credendi, & propter hoc aliquo modo minuatur meritum fidei, ex alia parte compenſatur cum vſuris, quia augetur inclinatio, & voluntas ad credendum, quæ intenſio maxime facit ad meritum.

Tertio obſeruandum eſt Myſterium Trinitatis & operationes ad intra non poſſe probari poſſibilia infidelibus ratione naturali; quia omnes rationes, quæ ad id, adducuntur à Theologis, vel ſunt ex præmiſſis de fide, vel ſupponentibus fidem. Si enim poſſemus probare infidelibus eſſe poſſibile hoc myſterium, conſequenter probaremus ita eſſe: quia in diuinis perfectionibus non differunt poſſe, & eſſe, Deus enim quicquid poteſt eſſe eſt, quod quidem verum eſt etiam in lumine naturali.

Dupliciter poteſt quis rationibus moueri ad credendum. Quarto obſeruandum eſt quod aliquis poteſt dupliciter moueri ad credendum rationibus, vno modo ita vt propter rationes immediate aſſentiatur propoſitæ veritati fidei, & non tantum propter diuinam authoritatem, ſed partim etiam propter rationes, & non aliter. Altero modo ita vt propter rationes non niſi mediate quis aſſentiatur veritati fidei, quia ſcilicet rationes eò ſolum refert, vt per alium quendam aſſenſum, ſcilicet prudentiæ ſibi perſuadere poſſit veritatem talem eſſe à Deo reuelatam, & vt talem eam credit per fidei aſſenſum propter ſolam diuinam authoritatem.

Quinto obſeru. eſt, quod rationes humanæ aut præcedunt

Rationes humanæ, vel præcedunt, vel ſequuntur fidem.

cedunt fidem, ideſt ſunt rationes præciſę credendi, quæ ſcilicet inquiruntur ex quadam cordis duritia, ac pertinacia, quia ſic aliquis comparatus ſit, vt etiam poſtquam ipſi ſufficienter probatum fuerit veritates fidei niti diuina reuelatione, nolit tamen ijs aſſentiri propter ſolam authoritatem diuinam, ſed partim propter illam, & partim propter rationem humanam; ita vt niſi etiam actu de ratione humana cogitet non eliciat fidei aſſenſum, aut ſequuntur fidem iam genitam, ideſt quæ mouent ad credendum, at non pendet ex eis principaliter fides, ſed eo referuntur, vt in primis quis prudenter ſibi perſuadeat, veritates fidei eſſe diuinitus reuelatas, & tunc demum propter ſolam diuinam authoritatem eis per fidem aſſentiatur; quæ rationes reuera poſſunt etiam, imo debent vt vitetur leuitas, antecedere credendi voluntatem.

1. Concl. His obſeruatis ſit prima Concluſio. Ratio præcedens fidem minuit meritum eius; imo ſi ſit præciſa tollit omnino meritum, probatur à ſimili. Inclinatio naturalis ad virtutem extenuat laudem virtutis, vt ieiunium naturaliter temperati minoris laudis eſt, quam ieiunium naturaliter intemperati: quia eſt minus difficile, ergo ſimiliter ratio naturalis inducta ad credendum minuit rationem fidei, & per conſequens eius meritum. Et confirmatur: quia cum ita quis eſt animo diuiſus, vt ad aſſenſum ipſum fidei non moueatur authoritate diuina, ſed etiam ſimul ratione humana fieri nequit, quin aſſenſus ipſe fidei remiſſior ſit, ſi quidem aliquid humanum admiſcetur, quod non poteſt mentem ita firmare velut ſi pura authoritate diuina aliquis niteretur cogitatis prius ſufficienter rationibus, & motiuis fidei. Hinc à fidei merito maiore laudantur Samaritani, qui reſponderunt mulieri. Iam non propter tuam loquelam credimus, ſed quia ipſi vidimus Ioan. 4. Mulierem enim illam teſtificatem Chriſtum. Quidã non interpretantur eſſe humanã rationem propter analogiam fęmineæ imbecillitatis.

Secundo probatur. Fides nititur rationibus ſupernaturalibus; ergo quando generatur ex naturalibus, iam formaliter non erit fides, quia ratio naturalis tollit rationem formalem fidei, ſcilicet, quod ſit de obiecto obſcuro, atque reuelato: probatur ſequela à ſimili; ſicut actus virtutis genitus ex compaſſione naturali; & non ex ratione formali non erit actus virtutis, ſed compaſſionis naturalis, vt ſi quis ſubueniat pauperi nullo præuio iudicio rationis, ſed quia naturaliter compatitur eius.

Secundo Concluſio. Ratio humana ſequens fidem non minuit meritum credendi, ſed potius videtur augere, vt ſi quis poſtquam credidit excogitat rationes naturales, ad confirmationem fidei, quemadmodum faciũt Theologi, probatur prima pars: quia ſpeciale præmium promittitur Doctoribus, qui dant operam explicandis rebus fidei iuxta illud. Qui elucidant me vitam æternam habebunt Eccleſia. 24. Et confirmatur; quia Doctores per rationes, & demonſtrationes tollunt impedimenta fidei, quod maxime pium, & meritorium eſt: ergo &c. probatur ſecunda pars. Sicut facilitas ad actum virtutis, quæ generatur ex cõſuetudine actuum non minuit meritum eius, ſed auget; ita ratio ſequens fidem non minuit, ſed auget fidei meritum. Præterea, quęlibet res, quæ in ſe habet bonitatem, quanto magis cognoſcitur, quod ſit bona, tanto magis allicit animos ad ſui amorem; Ego Deus cognitus per euidentiam humanæ rationis cæteris paribus magis allicit animum fidelis, quam ſine tali ratione. Et confirmatur, quia ſi talis rõ minueret meritũ fidei, maxime, eſſet quia fides neceſſaria eſſet ad meritum; ſed hoc non eſt neceſſarium; quia Chriſtus Dominus maxime meruit, & non habuit fidem, ergo ratio humana non tollit meritum.

Et ſi dicas, quòd licet non minuat meritum ſimpliciter, minuit tamen fidei meritum: Contra; fidelis, qui eſt phyloſophus poſtquam habet naturalem rationem adhuc eſt ita diſpoſitus in animo, vt ſi omnes naturales rationes deficeret, ille crederet Deum eſſe, at meritum fidei poſitum eſt in hac animi promptitudine, ergo neq; tollitur neq; minuitur meritum; & confirmatur: nam ille fidelis firmius aſſentitur, & certius ijs, quæ per naturã cognoſci poſſunt, & re vera cognoſcit, vt Deum eſſe, & vnum eſſe, & quam gentilis phyloſophus, qui per ſolam demonſtrationem cognoſcit, ſed hæc maior certitudo, quam habet fidelis Phyloſophus oritur à fide, ergo habet meritum fidei in hoc. Præterea homo pauper poteſt habere, apud Deum meritum magnificentiæ etiam ſi careat virtute magnificentiæ acquiſitæ, quia non habet diuitias, propterea quod pauper in deliberatione animi proponit magnifica facere ſi poſſet, ſed fidelis phyloſophus habet talem animi præparationem credendi, ſcilicet etiam ſi deſit demonſtratio; ergo habet meritum fidei. Item omnes huius modi rationes ſequuntur voluntatem iam determinatam ad obiectum, ergo non poſſunt diminuere meritum fidei.

Contra primam Concluſionem arguitur. Credere ſine ratione præcedente fidem non eſt meritum; ergo concluſio falſa; probatur antecedens; quia tale credere non eſſet actus bonus, ſed leuitatis, & exponeret ſe periculo errandi, & credendi nouitatibus, vt aliquis enim prudenter credat, neceſſe eſt, vt proponatur ſibi aliqua ratio ſcilicet inductiuum, quo oſtendatur obiectum fidei eſſe euidenter credibile, vt diximus ſupra d. 14. artic. 10. Et confirmatur: quia nolle credere niſi prius intelligantur rationes, atque motiua noſtræ fidei eſt prudentiæ, & contra velle credere abſque præcedenti ratione eſt leuitatis, ergo ratio antecedens fidem, non minuit meritum fidei, ſed potius conſequens.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens, de ratione faciente articulos credibiles concedo, talis enim ratio ſequitur ad prudenter credendum, & de hac ratione non loquimur in prima concluſione, ſed de ratione probante rem creditam, ita vt nolint quis credere: quia Deus dixit, & Eccleſia proponit; ſed propter rationes, & argumenta nego, & de his rationibus loquitur concluſio prima; Vnde qui petit rationes ſolum, quia vult perſuaderi Deũ dixiſſe, non perdit meritum fidei; Nam ratio, quæ neceſſaria eſt ad prudenter credendum non antecedit voluntatem, neque etiam ſequitur, ſed potius concomitatur voluntatem credentis, quoniam credere antequam prudentia dictet eſſe credendum, non eſt actus fidei, ſed potius eſt ex leuitate cordis; atque adeo talis ratio, quæ neceſſaria eſt ad prudenter credendum non antecedit voluntatem credentis: Ea autem ratio antecedere dicitur voluntatem credentis, vt ſupra diximus notabili quinto quæ exigitur ex duritia cordis ad credendum, quando iam homo ſecundum prudentiam potuiſſet credere, & ob hanc rationem Dominus reprehendit ſuos diſcipulos Marci vltimo illis verbis. Exprobrauit incredulitatem illorum, & duritiam cordis: quia ijs, qui viderant eum reſurrexiſſe non crediderunt, & Ioan. 4. dicitur. Niſi ſigna, & prodigia videritis non creditis. Illa vero ratio proprie dicitur ſubſequi credentis voluntatem quæ poſt habitam iam fidem excogitatur ad elucidandam veritatem fidei, & omnia contraria euincẽda, quod certe pium eſt valde, & ex bono affectu proficiſcens.

Secundo arguitur contra ſecundam Concluſionem. Rationes ſequentes, vel etiam concomitantes credentis tollunt difficultatem credendi, ergo minuunt meritũ fidei, probatur conſequentia, quia virtus verſatur circa difficile. Pro ſolutione huius argumenti obſer. eſt, ꝙ in actibus moralibus. duplex eſt difficultas, prima ex obiecto, vt difficilius eſt credere Deum Trinum, q̃ Deũ vnũ. Secũda ex parte ſubiecti, videlicet, quia homini, quodlibet opus bonum eſt difficile; & hæc iterum eſt duplex quædam innata homini, vt collerico difficilius eſt ieiunium, quam flegmatico, quædam vero ex habitu, & mala conſuetudine, vt intẽperato difficillimũ eſt ieiunare. Modo reſpondetur diſtinguendo antecedens, ex parte obiecti concedo, & hoc nullũ eſt inconueniens, tales. n. exiguntur ad omne opus moraliter bonũ, atq; ita rationes adductæ ad perſuadendũ, qd eſt bonũ dare eleemoſinam, vel ieiunare non dicuntur propriè tollere difficultatem eleemoſinæ, vel ieiunij, & huiuſmodi ſunt rationes, & argumenta, quæ faciunt veriſimile, qd credendum eſt; Sed ex parte ſubiecti nego, ſẽper. n. manet eadẽ difficultas. Quãdo autem dicitur virtus verſatur circa difficile, dico hoc non eſſe intelligendum, quod difficultas ſit ratio formalis actus virtutis; quin potius tanto maior eſt virtus & perfectio quanto promptius, & facilius operatur, ſed

In actibus moralibus duplex eſt difficultas.

Digitized by Google

difficultas conſideratur, vt conditio obiecti, comparati ad humanam infirmitatem vt difficile eſt abſtinere à delectationibus venereis, at iam facile eſt habenti virtutem caſtitatis, quia pertinet ad virtutem vincere illã difficultatem.

ARTICVLVS V.

Vtrum per quamlibet hæreſim fides corrumpatur.

VT plenius & exactius hæc quæſtio intelligatur explicandum eſt breuiter quomodo Theologicæ propoſitiones ſint qualificandæ, ideo obſer. eſt ꝙ aliqua propoſitio eſt de fide catholica, ſeu veritas catholica, & eſt propoſitio ſeu veritas reuelata immediate, vel mediate ad Religionem pertinens. Vnde ſi non ſit veritas diuinitus, vel ſupernaturaliter reuelata, ſed naturali tantum ratione, ſeu lumine adinuenta, non dicitur nec eſt veritas Theologica, ſeu catholica, neque de fide vllo modo, quo fit, vt omnia principia moralia, in decalogo contenta, & in Sacra Scriptura, licet ſint naturali lumine cognita; quia tamen ſunt etiam ſupernaturaliter reuelata, & vt talia creduntur, ſicut & Deum vnicum eſſe, & omnipotentem, ſaltem omnipotentia phyſica, ſint veritates fidei catholicæ de qua loquimur, Ea etiam omnia quæ ad fidẽ, & ad mores quomodocunque pertinent, videlicet directe, vel indirecte, ſeu reductiue, qualia ſunt ea quæ ad credenda, ſperanda, amanda, agenda, & vitanda quo quomodo ordinantur, cum ad Religionem ſpectẽt, ſub obiecto materiali catholicæ fidei cadunt.

Propoſitio catholica, vel de fide

Secundo obſer. eſt, quod propoſitio aliqua eſt ſapiens fidem, & hoc dupliciter; primo quando non eſt aperte de fide, vel veritas catholica, ſed ſecundum communem ſenſum ſententiamque Doctorum, cenſetur eſſe de fide, vel ad eam pertinere, vt eſt veritas de aſſumptione B. Virginis; Secundo modo & melius. Illa propoſitio ſapit fidem, quæ ex vna de fide ſimul, & ex vna alia, quæ licet non ſit de fide tamen rationabiliter negari non poteſt in bona cõſequentia neceſſaria poteſt inferri, vel ex qua ſimul, & ex vna alia, quæ rationabiliter negari non poteſt, in conſequentia neceſſaria poteſt inferri vna de fide; vel quę in cõſequentia entimematica probabili, quæ rationabiliter negari non poteſt, ſequitur ex vna vel pluribus de fide, aut ex ea, vel ex eis io eadem conſequentia infertur vna de fide, exemplum primi. Iſta propoſitio in Hoſtia Altaris eſt Chriſtus; vel Hoſtia Altaris, quæ à Sacerdote celebrante eleuatur eſt adoranda ſapit fidem; Nam ſi diceretur, ꝙ in Hoſtia rite conſecrata eſt Chriſtus, aut quod illa eſt adoranda, vtique eſt de fide; ſed dicere ſolũ quod in Hoſtia, quæ eleuatur à Sacerdote eſt Chriſtus, aut quod illa eſt adoranda ſapit fidem. Quia bene ſequitur. In omni Hoſtia rite conſecrata eſt Chriſtus & illa eſt adoranda; ſed Hoſtia Altaris, vel quæ à Sacerdote celebrante eleuatur eſt rite conſecrata, ergo io illa eſt Chriſtus, & adoranda eſt; ecce quomodo in conſequentia neceſſaria ex maiori de fide & ex minori, quæ rationabiliter ſine magna temeritate negari non poteſt, quamuis de fide non ſit ſequitur illa concluſio, quæ ideo ſapit fidem.

Propoſitio ſapiens fidem.

Exemplum ſecundi ſic. In Hoſtia Altaris eſt Chriſtus, & adoranda illa eſt, quæ à Sacerdote celebrãte eleuatur, ſed non eſſet ibi Chriſtus, neque illa Hoſtia eſſet adoranda, niſi eſſet rite conſecrata, ergo io omni Hoſtia rite conſecrata eſt Chriſtus, & illa adoranda eſt.

Exemplum tertij. In omni Hoſtia rite conſecrata eſt Chriſtus, & illa eſt adoranda, ergo in hoſtia altaris eſt Chriſtus & illa, & ea, quæ à Sacerdote celebrante eleuatur adoranda eſt, vel è conuerſo ſic. In hoſtia altaris, vel quæ à Sacerdote celebrante eleuatur, eſt Chriſtus, & illa eſt adoranda; ergo in hoſtia rite conſecrata eſt Chriſtus & adoranda eſt; patet vtraq; conſequentia entimematica, quia rationabiliter negari nõ poteſt, quod hoſtia altaris, aut quæ à Sacerdote celebrante eleuatur rite conſecrata ſit.

Hæc autem propoſitio, confeſſio vocalis ſacramentalis eſt neceſſaria de iure diuino, eſt de fide, & eius oppoſita hæretica eſt; quia ſic definitum eſt in Concilio Trident. ſeſſ. 4 ſub Iulio. 3. c. 5. Quamuis Medina de confeſſione. q. 4. dixerit ſapere fidem, & oppoſitum ſapere hæreſim duntaxat. Et hæc propoſitio ſapiens fidem appellatur etiam accedens, vel pertinens ad fidem.

Conciliũ Trident. Medina.

Tertio obſer. eſt, quod aliqua propoſitio eſt de probabilitate fidei; & eſt quæ ex definitis per Papam, vel Eccleſiam, vel per omnes Doctores ſacros, vel ſcholaſticos in rebus fidei, & morum, ſequitur ſolum probabiliter, vel in conſequentia non quidem neceſſaria, & euidenti; ſed topica, vel probabili; vel quæ tenetur ab aliquibus Doctoribus ſanctis, & approbatis, vel à pluribus alijs ſcholaſticis ſine aliorum plurium contradictione. Quæ propoſitio ſi ſimul fouet pietatem, ſeu deuotionem, dicitur etiam de pietate fidei; velut ſunt multæ propoſitiones communiter à Doctoribus aſſertæ in materia fidei, vel morum prædicto modo deductæ. Talia etiam ſunt multa opera ſanctorum per Papam, vel Eccleſiam approbata; quia ſ. in prædicta materia ſunt pro maiori parte vera, & per totum fere probabilia, & de hæreſi non ſuſpecta; ſed vtilia ad bene viuendum; ita quod niſi oppoſitum quo ad aliquid eorum ſufficienter probetur, debent pro veris haberi, & talium authoritas ſufficientem facit probationem.

Propoſitio de probabilitate fidei.

Propoſitio de pietate fidei.

Dicitur etiam interdum eadem propoſitio pia, ſeu de pia credulitate tantum, & eſt propoſitio probabilis, quæ fouet pietatem, vel deuotionem; etiam ſi ex definitis per Eccleſiam non ſequatur, vt ꝙ B. Virgo in hac vita vidit clare eſſentiam diuinam; quod Angelus Cuſtos, & alij Sancti, quibus homo ſpecialiter fuit deuotus in vita, faueant ei ſpecialiter in morte, & quod ipſi cum alijs ſimul exeunt obuiam illius animæ in Cœlum intranti ipſam honorifice comitantes ad Tribunal Chriſti, ſeu ad coronam percipiendam, & quod talis, vel talis ſanctus habeat in Cœlo hanc, vel aliam prærogatiuam ſpecialem ad hoc, vel illud bonum ſiue remedium hominum, & huiuſmodi. Sæpe tamen propoſitio pia, & de pietate, aut probabilitate fidei pro eodem accipiuntur. Eſt etiam propoſitio impertinens ad fidem & eſt, quæ cum ſit in materia fidei, vel Theologiæ vel moralis, nõ tamẽ ſequitur neque repugnat fidei vllo modo; vt dicere quod tot homines ſaluabuntur, quot angeli ceciderunt. Quod actus vel peccatũ ex ignorantia inuincibili eſt, vel non eſt alterius ſpeciei moralis, ac ſi fieret ſcienter; Quod actus exterior habeat, vel non habeat diſtinctam malitiam ab interiori, & alia huiuſmodi; & pro his omnibus vide Gabriel. in 4. d. 13. q. 2. Abolenſem in defenſorio. par. 2. c. 81. & 82. Gerſonem Alphabeto. 14. e. f. l. & Caſtrum de iuſta hæreticorum punitione lib. 1. cap. 3. & deinceps vſque ad 10. & Canum de locis Theologicis lib. 12. c. 51.

Propoſitio pia.

Propoſitio impertinens ad fidem.

Gabriel, Toſtatus. Gerſon. Caſtrus. Canus.

Quarto obſer. eſt, quod hæreſis eſt error pertinax in fide. vnde ad hæreſim proprie, & formaliter ſumptam dico, requiruntur. primum, quod ſit error in materia fidei, vel morum. Nam ſicut fides principaliter in corde, vel in intellectu, vt mouetur à voluntate, & ſecundario in verbis conſiſtit. ad Roma. 10. Corde creditur ad iuſtitiã, &c. ita hæreſis ei oppoſita principaliter, & eſſentialiter conſiſtit in intellectu, ideo dicitur error, & ſecundario, & denominatiue eſt in verbis, vel in ſcriptura; Et dicitur error in fide quando eſt contra aliquam propoſitionem reuelatam aliquo modo de ſupradictis in primo notabili. & ex hoc ſequitur, quod in operibus hæreſis proprie, & vere non eſt; ſed ſignum, aut ſuſpitio, aut præſumptio de hæreſi attentis circunſtantijs inde haberi poteſt; & maxime ſi opera ipſa ex ſua natura, ſeu inſtitutione diuina, vel humana ſint hæreſis ſignificatiua qualia ſunt ſacrarum imaginum ignominioſa combuſtio, vel conſtactio, aut baptizatio, & ceremoniæ ſeu ritus Iudaici, ſeu Mahometici, aut aliorum infidelium.

Hæreſis quid ſit, & quę ad illam requirantur.

Secundum requiſitum ad hæreſim criminalem, & proprie dictam, & formaliter facientem, & denominantem aliquem hæreticum eſt pertinacia; quæ tunc eſt, quando homo ſciens tale quid eſſe contra determinationem Eccleſiæ de fide, aut contra id, quod ipſa tamquam de fide credit, & tenet, ipſe voluntariè, ſeu deliberate id credit, & tenet, vel dubitat, vel ſic credens profert exterius; & hoc eſt verum vndecunque, & quomodocunque ad id deliberate tenendum inductus ſit. Vel ſi ignorat id eſſe contra

de-

Digitized by Google

determinationem Eccleſiæ, & contra fidem, non tamen eſt paratus corrigi, & acquieſcere Eccleſiæ, ſed refugit id ſcire, aut veritatem edoceri deliberate in ſuo errore permanens, ſiue conſentiens. Vel ſi deliberate dubitat de eo, quod ſit tamquam de fide teneri ab Eccleſia refugiens edoceri, vt dictum eſt in cap. dubius de hæreticis. Ad huiuſmodi autem pertinaciam non requiritur, quod homo die aut multis diebus in ſua deliberatione erronea, aut in ſuo dubio deliberato de fide obſtinate perſeueret, ſed ſufficit, quod ſemel ſuo errori aut dubio in fide ſcienter, & deliberate conſentiat, vt docet Caietanus. 22. queſt. 11. articulo ſecundo, ex B. Thoma ibidem, & lect. 4. ſuper. 1. ad Corinth. 11. Contra Syluestrum tit. hæreſis. 1. quæſt. 2. requirentem perſeuerantiam multorum dierum, ſed vt dixi ad pertinaciam ſufficit deliberatio contra id, quod ſcit teneri per Eccleſiam, Perſeuerantia autem multorũ dierum facit obſtinationem, ſeu etiam incorrigibilitatẽ poſt ſufficientes monitiones, vt docet Gerſon Alphab. 14. o. p.

Quid requiritur ad pertinaciam. — *Caietanus.* — *Sylueſter.* — *Gerſon.*

Dubium.

Eſt tamen dubium an prædicta pertinacia ſit ſolũ requiſita, vt quis ab hæreſi ſit, & denominetur hæreticus, an etiam ſit de intrinſeca ratione ipſius, ita quòd nullus error in fide ſit vere & eſſentialiter hęreſis niſi habeat pertinaciam adiunctam tamquam formam, aut differentiam ſpecificam conſtituentem eſſentiam hæreſis in ſuo eſſe ſpecifico, diſtincto ab alijs ſpeciebus infidelitatis. Caietanus loco ſupra citato, quem ſequuntur omnes Thomiſtæ inquit pertinaciam requiri ad vtrumq; itaque non denominabitur quiſpiam hæreticus niſi erret cum pertinacia contra fidem, neq; propoſitio erronea dici poteſt hæretica niſi dicat reſpectum ad pertinaciam. Quare hoc ipſo quod propoſitio eſt contra fidem, ſi a reſpectu ad proferentem abſtrahamus erronea quidem dici poterit non hæretica.

Caietanus.

Ocham. vero prima parte dialogorum lib. 2. cap. 11. & Turrecremata in ſumma de Eccleſia lib. 4. par. 2. capit. 3. Adrianus de Confeſſione quæſt. 1. & Caſtro lib. 1. de punit. hæret. ca. 1. & communiter Doctores tenent, quod dicta pertinacia requiritur ſolum, vt quis vere ſit, & denominetur hæreticus, ſine qua error in fide vere & eſſentialiter eſt, & dicitur hæreſis, & hæretica propoſitio, & non ſolum erronea, & contraria fidei: nam veritas Catholica ſemper fuit talis, & ſimiliter hæreſis ſemper fuit hęreſis.

Ocham. — *Turrecremata* — *Adrian.* — *Caſtro.*

Solutio dubij.

Cæterũ inter iſtas duas opiniones mediando dici poſſet, quod error in fide ſine pertinacia, eſt quidẽ materialiter ſeu quod ad eius materiam, vel eſſentiam vere & realiter hæreſis, vt dicit ſecunda opinio, non autem formaliter, & perfecte, ſeu quo ad connotationem: quia videlicet non eſt crimen hæreſis, quamuis ibi eſſe poſſit peccatum aliud ignorantiæ culpabilis, & ideo non ſufficit hæreticum efficere, vel denominare, vt dicit prima opinio; & quamuis propter hoc non ſit vera & perfecta hæreſis, at vero abſolute, & ſimpliciter hæreſis, & hæretica propoſitio, vere eſt, & appellatur, etiam ſi nullus hæreticus pertinax, aut nullus homo in mundo ſit; Termini namque in definitionibus non dicũt actum ſed aptitudinem, & in communi vſu fidelium tales propoſitiones quo ad materiam veræ hæreſes, & hęretice ſimpliciter appellari, & condemnari ſolent in Concilijs.

Propoſitio ſapiens hæreſim.

Quinto obſeruan. eſt, quòd propoſitio ſapiens hæreſim eſt illa, ex qua ſimul & ex vna alia, quę cum non ſit de fide non poteſt rationabiliter negari, ſequitur propria hæreſis. Vt B. Gregorius non fuit Papa; vel in hoſtia altaris, vel quæ a ſacerdote celebrante eleuatur non eſt Chriſtus, nec eſt adoranda, conſiderãdo ipſas propoſitiones ex parte ipſarum abſolute, vel ex parte obiecti. Opera etiam illa ſapiunt hæreſim, quæ natura ſua præſeferut aliquam hæreſim, vt baptizare imagines, rebaptizare puerum, orare aut ſacrificare ad aras Idolorũ, &c. Et breuiter ſicut omnis propoſitio oppoſita poſitiue, vel priuatiuè ꝓpoſitioni de fide, vel Catholicæ veritati, eſt hæretica, ita & ea, quæ opponitur ſapienti fidem, ſapiẽs hæreſim eſt; Et hęc apud Eccleſiam ſi ſit cum pertinacia ita facit hæreticum, atque punitur ſicut hæreſis eadem, vel alia pœna, vt elicitur ex multis condemnationibus Concilij Conſtantienſis. ſeſſ. 8. & 15. & alibi.

Operaque ſapiunt hęreſim. — *Concilium Conſtan.*

Propoſitio erronea.

Sexto obſer. eſt, quòd propoſitio erronea multiplex eſt, vel multipliciter accipitur vt dicit Canus de locis Theologicis lib. 12. cap. 6. & latius, cap. 11. primo pro omni propoſitione hęretica materialiter tantũ, id eſt ſine pertinacia proferentis; quia falſitas, vel error in materia fidei à ſolo intellectu eſt; hæreſis autem proprie, & formaliter etiam eſt à voluntatis pertinacia contra determinationem Eccleſiæ.

Canus.

Secundo modo propoſitio erronea in fide eſt illa, quæ ſic opponitur Catholicæ veritati, quam tenet Eccleſia, quòd tamen non ipſi fidei, nec ipſam fidem tollit, ſed eam obſcurat, & infirmat, & iſti errores ſunt hæreſi proximi; quia ſunt contra ea, quæ ſunt appendicia, vel connexa fidei; non autem contra ea, quæ ſunt proprie de fide, vt eſt dicere, quod orationes ſpeciales applicatæ per Prælatos vni perſonæ non proſunt illi magis quam generales; Item quod ſacerdos in memento non debet aliquid ſpecialiter petere à Deo. Item quod Religioſi tenentur labore corporali victum quærere, neque eis liceat mendicare vti Martinus, ſcilicet in Concilio Conſtant. hoc de Religioſis condemnauit, vt erroneum in fide. Quamuis id etiam forte hæreticum eſſet, quia contra expreſſam definitionem Eccleſiæ in cap. Exijt de Verborum ſignif. in 6.

Concilium Conſtan.

Tertio modo propoſitio erronea in fide eſt illa, quę eſt contra aliquam veritatem, quæ ſecundum vehementem omnium fere ſapientum opinionem eſt, vel cenſetur veritas fidei, non tamen plane ab Eccleſia definita, nec certa probatione demonſtrata eſt.

Quarto modo propoſitio erronea in fide eſt illa, quæ certę, & manifeſtę veritati fidei aduerſatur; non tamen aperte ſed ſecundum omnium fere ſapientũ valde probabilem, ac ferme neceſſariam ſententiã, & opinionem. Nã grauiter errat qui pertinaciter defendit, quod omnes viri docti ſentiunt eſſe periculum, & diſcrimen fidei Ita Canus.

Sed Corduba lib. 1. quæſt. Theologici. quæſt. 17. §. 9. dicit quòd erronea in fide primo modo eſt ex ſua natura hæretica propoſitio, quamuis materialiter tantum, erronea vero alijs tribus modis, eſt potius ſapiens hæreſim, temeraria, atque adeo dicit erroneam propoſitionem in fide, proprie eſſe illam, quę in materia fidei, & morum, eſt contra rectam rationem, aut cõtra aliquam Catholicam veritatem non aperte, ſed ſecundum communem ſenſum Doctorum.

Corduba.

Septimo obſer. eſt, quòd propoſitio falſa, & erronea ſimpliciter, & erronea in fide, & hæretica differunt valde inter ſe Nã propoſitio falſa eſt, quę aliter ſignificat, quam à parte rei eſt, & cõuenit cuicumq; facultati in quacumque materia, & eſt nomen generaliſſimum. Erronea autem abſolute eſt propoſitio falſa ſimul & contra rectam rationem, vel ſenſum communem ſapientum, in quacumque facultate, & materia. Erronea vero in fide eſt, quæ proxime in hoc vltimo, vel quinto modo definita eſt à Patre Corduba. Hæc autem propoſitio erronea in duobus differt a propoſitione hæretica, primo quia erronea in fide eſt nomen generale comprehendẽs hæreſim cum pertinacia, & ſine ea, & perfidiam, & infidelitatẽ quamcumque poſitiuam circa fidem; ſecundo, quòd erronea in fide dicitur illa, quæ eſt contra credibilia fidei, quæ aut quatenus ſola ratione naturali probari poſſunt, quamuis expreſſe non ſit contra ſacram ſcripturam, aut contra determinationem Eccleſiæ, ſed contra eam ſecundum communem ſapientum ſiue Doctorum ſenſum, vel intellectũ. Hæreſis autẽ eſt, & dicitur, quæ & quatenus eſt contra credibilia, quæ ſola ratione naturali probari non poſſunt, ſed ſunt diuinitus reuelata immediate aut mediate. Et ſi aliquod credibile fidei ſit, quod præter rationẽ naturalem, poſſit etiam per ſacram ſcripturam, vel Eccleſiæ definitionem, aut per Apoſtolicam traditionem, vel per concordem omnium Doctorum ſententiam probari, tũc contraria propoſitio erit erronea, ſimul & hæretica, aut hæreſim ſapiens, vt quòd non eſt Deus, quod non eſt vnicus, quod non eſt omnipotens, quod non habet omnium ſcientiam, & prouidentiam, & huiuſmodi. Si vero de aliqua propoſitione in materia fidei non conſtat, quod ſit contra rectam rationem, vel contra reuelata ſecundum communem ſenſum Doctorum: quia hinc inde ſunt variæ Doctorum ſententiæ tunc non dicitur erronea in fide, ſed opinio; vt quod in ſacramẽtis nouæ legis eſt, vel non eſt aliqua virtus, vel qualitas gratiã inſtrumentaliter effi-

Propoſitio falſa erronea ſimpliciter, erronea in fide, & heretica differunt.

Propoſitio erronea quomodo differat ab heretica.

efficiens, quod beatitudo conſiſtat præcipue in viſione quam in fruitione, vel è contra. Proferens etiam propoſitionem erroneam in fide, & moribus aliquando peccat & eſt dignus punitione, aliquando non, ſecundum qualitatem, & obligationem perſonarum de quo videatur Corduba loco citato. §. 7.

Differt etiam erronea in fide à propoſitione hæreſim ſapiente in hoc, quod illa eſt in materia fidei, vel morum contra rationem manifeſtum, vel contra reuelata non quidem expreſſè, ſed ſecundum communem, & certum Doctorum ſiue ſapientum ſenſum, vel intellectum. Sapiens vero hæreſim ſolum eſt contra reuelata, ſecundum probabilem ſequelam, vel rationem, aut ſententiam probabilem ipſorum, vt ex ſupradictis facile conſtat. Quæ autem exemplariter ſint propoſitiones erroneæ, & non hæreticę, docet Pater Corduba loco citato §. 9.

Propoſitio ſuſpecta de hæreſi, & impia.

Octauo obſer. eſt, quòd propoſitio ſuſpecta de hæreſi dicitur illa, quę etiam propriè impia eſt ſcilicet ea, quę ſi non ſit hæreſis, manifeſta tamen eius ſuſpicionem generat apud viros bonos atque ſapientes, atque ita impium, & de hæreſi ſuſpectum eſt dicere, quod non eſt curandum de hiſtorijs, vitiſque ſanctorum, quas Eccleſia legit & admittit in officio diuino, neque de vitis Patrum, reuelationibus, & miraculis ſanctorum per Eccleſiam tamquam pie etiam probabiliterq; credendis, & approbatis, quodque non eſt eis vlla fides adhibenda. Item dicere, q̃ non eſt curandum de cæremonijs exterioribus, quia vergunt ad Iudaiſmum, vt cenſura Pariſienſis inter alia in titulo 18. Optime notauit contra Eraſmum, ſuſpecta etiã de hæreſi, vt ait Scotus in 2. d. 2. q. 6. eſt illa propoſitio, quæ in aliqua vniuerſitate inſigni ſolemniter eſt condemnata.

Scotus.

Propoſitio impia poſitiue.

Nono obſer. eſt, quod propoſitio impia poſitiue eſt illa, quæ non eſt probabilis, & ſimul notabiliter detrahit pietati fidei, & deuotioni fidelium, ſępe etiam dicitur illa quæ infidelis, vel blaſphema, vel etiam hæretica eſt. Illa autem propoſitio, quæ cum ſit probabilis contrariatur piæ credulitati, vel illam negat, non tamen probabiliter derogat pietati fidei, aut deuotioni non dicitur impia poſitiue, ſed non pia priuatiue. Rigoroſa vero, vel dura propoſitio eſt illa, quæ ad nimis difficile aſſerit nos obligare ſine motiuo ſufficiente, aut non ſatis probabiliter, vt quod pueri ſine baptiſmo decedentes pœna ſenſus torqueri debeant. Item quod omnis motus primo primus ſit peccatum; Quam etiam Auguſt. dicit erroneam, item quod diebus feſtis tenemur nos in gratia reponere. Item ſecundum multos Doctores opinio dura videtur, quòd ſatisfactio facta in peccato mortali non valet coram Deo ad reuelationem pœnarum debitarum pro peccatis, iam quo ad culpam remiſſis, & multæ aliæ ſunt eiuſmodi duræ, vel rigoroſæ Doctorum opiniones, quæ tamen non ab omnibus reprobantur.

Propoſitio rigoroſa, & dura.

Propoſitio temeraria.

Decimo obſeruan. eſt, quòd propoſitio temeraria, quæ non de errore, nec de hæreſis ſuſpicione, ſed de temeritate, & impudentia notatur ea eſt, quæ in doctrina fidei, vel morum inſolenter, & nimis audacter ſine ſufficienti motiuo, vel probatione profertur. Quæ duplex eſt, prima quæ aſſerit pro certo id, quod nulla ratione, vel authoritate probari poteſt, etiã ſi id poſſit eſſe verum: quia ad ſic aſſerendum nulla ratio probabilis, vel authoritas ſufficiens habetur, vt dicere, quod hinc ad tot annos mundus finietur, item quod iſte, vel ille eſt præſcitus, vel prædeſtinatus, & cætera huiuſmodi. Secundo modo temeraria propoſitio eſt, quæ ſine ſufficiente ratione, vel authoritate manifeſta eſt contra aliquos Doctores ſanctos per Eccleſiam approbatos, vel contra communem doctrinam Sanctorum, vel Doctorum approbatorum, aut cõtra decretum, vel cenſurã communem, atque ſolemnem alicuius vniuerſitatis celebris, & hæc dicitur à Scoto, quod eſt etiam de hæreſi ſuſpecta, & ſępe erronea in fide; Et à fortiori erit propoſitio temeraria, quæ eſt contra Doctorum omnium Scholaſtichorum communem, firmamque ſententiam in fide, & moribus, & vix hæc ab hæreſi, vel errore erit immunis.

Propoſitio male ſonãs & piarum aurium offenſiua.

11. Obſeruan. eſt, quòd propoſitio male ſonans, & offenſiua piarum aurium eſt, quæ cum bonum, & malum ſenſum habere poſſit, & cum expreſſa modificatione eſt vera, & bene ſonans; tamen ſic abſolute prolata communiter accipitur in malo ſenſu quem ſonat, ideo eſt piarũ aurium offenſiua ſimul, & male ſonans, quia abſurdum & peregrinum ſenſum ſonat, & refert auribus religioſorum, ſapientumque virorum communiter, & à ſincero, & ſano Eccleſiæ ſermone, atque doctrina diſcrepare videtur, quamuis bonum, ac verum ſenſum habere poſſit. Illæ autem dicuntur aures piæ, quæ recte callent ſenſum propoſitionis auditæ, ſimul & rectè de fide ſentiunt. Quo fit vt ſi talibus auribus propoſitio male ſonat, piarum aurium offenſiua ſit, & male ſonans. Iſtæ propoſitiones abſolute prolatæ ſunt male ſonantes, Deus creat, aut facit malum, Deus non facit malum. Vtraque enim contradictoria, quamuis contineatur in Sacra Scriptura condemnatur à B. Auguſtino de hæreſibus, cap. 65. & 67. & ab Iſidoro, 24. quæſt. 3. cap. vltimo. Quædam autem; quæ tamen cum limitatione expreſſa ſunt veræ; puta. Quod Deus facit malum pœnę, non autem malum culpæ, nec naturam eſſe noaliter malam. Item male ſonat dicere abſolute, quod in diuinis Pater eſt maior filio, & quod Chriſtus eſt Creatura, & quod orat pro nobis, quæ tamen propoſitiones cum ſuis limitationibus expreſſis ſunt veræ, & bene ſonantes, puta quod pater eſt maior filio homine, ſeu vt homo eſt, quod Chriſtus, vt homo eſt creatura, & orat pro nobis. Idem iudicium eſt de hac propoſitione Chriſtus continue peccat, quæ in Concilio Baſilienſi, ſeſſ. 22. dicitur etiam errona in fide, & tamen cum limitatione debita bene ſonat, vt ſi dicatur Chriſtus miſticus, qui eſt Eccleſia, vel corpus Chriſti miſticum, continue peccat in aliquo membro, vel perſona eius, hæc autem propoſitio male ſonans non eſt abſolute hæretica, ſed cum addito ſcilicet in malo ſenſu quem ſonat, abſolute autem prolata eſt tantum male ſonans.

D. Augu.
Iſidorus.
Cõc. Baſil.

Propoſitio blaſphema.

12. Obſeruan. eſt, quòd propoſitio blaſphema eſt, quę conuitium, aut vituperium, iniuriam, & irriſionem, aut derogationem, ſeu diminutionem honoris, vel excellentiæ diuinæ, vel alicuius ad Deum, quoquomodo pertinentis infert in ſe, vel in modo dicendi. Quare vituperia in ſanctos, in legem diuinam, in Eccleſiam, in Sacramenta, in cultũ diuinũ, & huiuſmodi, quæ ad Chriſtum referuntur blaſphema ſunt, vnde blaſphemũ eſt dicere ſanctos non eſſe colendos, nec orãdos, nec poſſe iuuare deuotos ſuos, &c. huiuſmodi. Blaſphema ẽt ſunt quædam ſpurchorum hominum ſordida ſimul, & falſa dicta, quæ ſpurcitias de Chriſto, & ſanctis etiam iocoſe continent, aut ſonant, vt ſunt ſcomata ſede, quæ ſpurci homines iocoſe dicunt; Omnes ſupra dictæ etiam hæreticæ ſunt, ſtat tamen aliquem proferentem blaſphemiam hæreticam, vel hæreticalem, & non eſſe hæreticum: quia ſine errore intellectus, & ſine pertinacia eſt, ſed blaſphemum dumtaxat, vt ait Caſtro de punitione hæreticorum lib. 1. c. 12. nec proprie erit hæreſis, vel hæretica propoſitio niſi ſolum materialiter, ſed proprie, & ſolum erit blaſphemia, & homo blaſphemus, quando ille non ita ſentit in intellectu, vt loquitur blaſphemans.

Caſtro.

Nota alias qualitates propoſitionum.

Sunt multæ aliæ qualitates propoſitionum: Nã quædam dicitur infidelis, vt quæ paganorum infidelitatẽ ſonat, quædã perfida quæ proprie ad Iudæos ſpectat: quædã inſana, & ſtulta: quia omnino irrationabilis eſt, quædam crudelis, quæ horrorem generat apud audientes, vt quòd Imago B. Virginis, & Crux ita licite comburi poteſt, vt aliud lignum, quædã ſcandaloſa, quæ ſcandalum, & occaſionem ruinæ præſtat auditoribus, & maxime ſimplicibus, & infirmis, vt enarratio incommodorũ confeſſionis, quam fecit Eraſmus, quædam periculoſa, quæ abſolute, & ſimpliciter dicit licitum eſſe, & fieri poſſe id, quod non niſi vix ab aliquibus, & cum multis circunſtantijs, fieri poteſt, vt dicere, quod ſolus cum ſola in lecto manere diu, & nimis familiariter diu conuerſare cum mulieribus licite homo poteſt. Quædam ſeditioſa, quæ viam parat ſeditionibus, & factionibus, vt dicere, quod quilibet Tyrannus licite occidi poteſt, per quemcumque ſubditum ſuum. Quædam ſciſmatica; quæ aperit viam ſubditorum à ſe inuicem, vel à Prælatis ſuis maxime à Papa in pertinentibus ad poteſtatem, & ſubiectionem Eccleſiaſticam; vt dicere, quòd Papa non ſit canonice electus,

quod

quod ſi vendat diſpenſationes, & beneficia Eccleſiaſtica non eſt ei obediendum. Quædam iniurioſa, & contumelioſa, vel irriſoria, quæ in aliquem aſſerta irrogat ei iniuriam irriſionem, ſeu cõtumeliam, aut eius detrahit honori, maxime ſi ſit perſona notabilis, ſtatus, dignitas, Congregatio, aut conditio fidelium. Quædam præſumptuoſa, vel arrogans eſt. Quædam fantaſtica, quædam ſuperſtitioſa; quædam vana, quædam ſcrupuloſa, quædam irreuerētes aut honoris, & dignitatis derogatoria. Huiuſmodi autem propoſitionum diuerſæ qualificationes ſumuntur ex Concilijs, & vniuerſitatibus Doctorum ſcholaſticorum, & proceſſibus Inquiſitorum hæreticæ prauitatis, & maxime ex directorio Inquiſitorum prædicto modo eas qualificantibus.

1. Concl. His obſeruatis pro ſolutione quæſtionis ſit prima Cõcluſio. Habitus fidei acquiſitus pditur per hereſim actualem ei oppoſitam, probatur habitus acquiſitus, naturaliter corrumpitur, & non ab habitu oppoſito, quia nõ ſtant ſimul, ergo ab actu oppoſito corrumpitur; & ſi dicas opinio actus corrumpitur, ab actu ſcientiæ ſuperueniente, & tñ ſcientia, & opinio non ſe compatiūtur. Dico quod effectiue corrūpitur, opinio actus à cauſa productiua ſciētiæ, quæ non põt ſuum effectū producere, quin corrūpat oppoſitum, ſic forma quę corrumpit calorem; nimirum frigiditas; non enim forma frigiditatis calorē corrūpit, quia quãdo caliditas eſt, frigiditas non eſt, & quod nõ eſt non põt aliquid corrumpere, nec ab aliquo corrūpi, ſed actus frigiditatis caliditatē corrumpit: Ita habitus erroris acquiſitus non corrumpit habitum fidei acquiſitum; quia non corrumpitur per habitum qui non eſt: quia quod non eſt non agit, nec corrumpit aliquid; neque corrumpitur per habitum contrarium quando eſt; quia quando habitus contrarius eſt iam corruptus eſt habitus acquiſitus fidei, ergo actus effectiue corrumpit habitum, licet habitus formaliter poteſt dici corrumpere habitum propter incompoſſibilitatem eius ſecum; quod nota contra Gabrielem in 3. diſt. 23. quæſt. 2. articulo 3. dub. 2. vbi dicit habitũ fidei acquiſitæ corrumpi per habitũ contrarium.

Gabriel.

2. Concl. Secunda Concluſio. Habitus infuſus ſecum compatitur habitum infidelitatis acquiſitum, probatur, quia ſi valde habituatus in infidelitate (vt Mahomettanus vel Hebræus) ad fidem conuertatur, infunditur ei fides infuſa in baptiſmo, ſi non ponat obicem, & tamen non adhuc corrumpetur habitus eius infidelitatis: quoniam non elicit adhuc actus oppoſitos. Quia intemperatus in habitu, propter vnum actum oppoſitum temperantiæ nõ amittit totum habitum iam diu acquiſitum, ita de infidelitate, & actu fidei dicatur.

3. Concl. Tertia Concluſio. Fides infuſa nõ perditur per quodlibet mortale peccatum: probatur quia tunc quotieſcumque homo eſſet in peccato mortali poſt fidem ſuſceptam, eſſet hæreticus vel infidelis, quod non eſt dicendum.

4. Concl. Quarta Concluſio. Nulla creatura corrumpit fidem infuſam, probatur, fides infuſa à ſolo Deo creatur, ergo à nulla creatura poteſt corrumpi; conſequentia patet in omnibus, quæ à ſolo Deo creantur; Item fides infuſa à ſolo Deo eſt creabilis, ergo à ſolo Deo eſt annihilabilis, tenet conſequentia in rebus à ſolo Deo creabilibus. Preterea Charitas infuſa à ſolo Deo annihilatur ſecũdum omnes, ergo ita eſt de fide infuſa.

5. Concl. Quinta Concluſio. Fides infuſa demeritorie perditur per hæreſim iuncta pertinacia, atque etiam diſſenſu articuli abſque hereſi poteſt perdi fides infuſa; vt ſi quis nolit credere huic Deus eſt, nec alicui propoſitioni niſi, & demonſtretur, & ſi hæc demonſtretur ei ipſe aſſentit illi, & non obſtante hoc quod aſſentiat ipſe perdit fidem infuſam; probatur concluſio, fides infuſa perditur, & non corrumpitur à creatura per concluſionem præcedentem, ergo ſolum tollitur ratione demeriti, & ſi aliquod demeritum fidem infuſam tollit; potiſſimum eſt hæreſis iuncta pertinacia, ſecunda pars probatur: quia ſicut ſi adduceretur mihi demonſtratio ad vnum articulum fidei credendum, non perderem fidei meritum, ſi cum hoc remaneret in me voluntas, per quã ſum paratus aſſentire, quamuis non adduceretur demonſtratio, Ita parimodo, ſi Petrus qui credit firmiſſime alicui propoſitioni de fide, ſed per demõſtrationem, habeat propoſitũ, quod nunquam vellet aſſentire tali propoſitioni quãuis oſtenderetur per ſcripturam, vel per Eccleſiæ determinationem, niſi cogeretur per demonſtrationem, eſſet in eo demeritum hereſis, quia remanet actus voluntatis, quæ eſt in heretico, cuius actus voluntatis eſt omne demeritũ; ergo ſtat quod aſſentiat articulis, & tum amittat fidem infuſam.

6. Concl. Sexta Concluſio. Fides infuſa non perditur per quamlibet hereſim deliberatam, vel indeliberatã, probatur primo de hæreſi indeliberata, ſtat enim talem non eſſe peccatum, vel ſolum veniale: modo fides infuſa non perditur per veniale, ſecundo probatur etiam de hereſi deliberata eadem ratione, quia poteſt quis habere hæreſim deliberatam ſine mortali, aſſentiendo implicite, & diſſentiendo explicite articulo, quem non tenetur explicite credere; fides autem infuſa non corrumpitur per veniale peccatum; quia bene ſequitur corrumpitur fides in ſtatu vię, & de lege, ergo & charitas, quòd patet quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, vt caritas non tollitur per veniale peccatum, ergo neque fides. Aſſumptum patet, quia ſtat vetulam incidere in hereſim ſine peccato, ſi aſſentiat hæreſi predicatæ à ſuo Prælato, vel Epiſcopo, vt diximus ſupra, nam cuilibet propoſitioni pręedicatæ à Prælato exiſtimato viro ſapienti, & bono (cuius oppoſito non tenetur explicite credere) poteſt vetula ipſa aſſentire ſine peccato. Et ſi dicas incidens in hæreſim eſt hereticus: nã quęlibet hęreſis ſufficit denominare hominem hæreticum; at omnis hereticus caret fide infuſa ergo, &c. Reſpõdeo, quòd non poteſt aliquis eſſe hereticus ſine peccato, ſed bene poteſt admittere hæreſim ſine peccato, ideo nego illam vetulam eſſe hereticam, & cum dicis, quòd quælibet hæreſis ſufficit denominare hominem hæreticum, dico hoc eſſe falſum, ſicut non quælibet albedo ſufficit denominare ſubiectum ſuũ album. Requiritur enim quod ſit diſſenſus propoſitionis, quam quis tenetur explicite credere, vel diſſenſus cum pertinacia quod idem eſt; Eſt autē quis pertinax, quando tenetur relinquere iudicium ſuum hæreticũ, & non facit; Vnde ſi vetula aſſentiat oppoſito propoſitionis fidei, quam non tenetur explicite credere pro à tempore; ſi ipſa à prudētibus ſit edocta, quod aſſenſus eius ſit erroneus in fide, ſi ipſa perſeueret aſſentiendo, ipſa eſt pertinax, & peccat, atque ita eſſet hæretica, & fidem infuſam perderet.

7. Concl. Septima Concluſio. Non per quemlibet actum infidelitatis mortaliter, deperditur habitus fidei infuſus, probatur, quia infidelis non pertinax, cum nõ ſit hæreticus (caret enim pertinacia) non perdit fidem infuſam; ſed aliquis ſine pertinacia poteſt peccare mortaliter peccato infidelitatis (& accipio hic infidelitatē ſuſe, prout diſtinguitur contra hæreſim, quę eſt error cum pertinacia) ergo non quicumque eſt infidelis circa obiectum fidei deliberate perdit fidem infuſam; probatur minor, Quicumque aſſentit, quod non quidquid continet, vel credit Eccleſia eſt verum, vel non quicquid eſt reuelatum à Deo eſt verum, talis eſt hæreticus, quia nullo modo poteſt corrigi per illum modum; ſed ſi aliquis qui non eſt infidelis circa obiectum primarium, credat quod omne reuelatum à Deo eſt verum, & quod continetur in ſacris litteris eſt verum, & quod docet Eccleſia eſt verum; tamen eſt infidelis circa aliquod particulare reuelatum. Verbi gratia credit deliberate huic Dies iudicij non erit, vel reſurrectio mortuorum non erit; vel Antichriſtus non veniet; quia credit (vincibiliter tamen) quod non ſit reuelatum, & credit, quod non eſt peccatum mortale, peccat, quia ignorantia vincibilis non excuſat, & tamen ille non perdit fidem, quia non eſt hereticus, cum propoſitum non ſit pertinax ergo non quodlibet mortale peccatum infidelitatis eſt demeritorium corruptionis habitus fidei infuſæ.

8. Concl. Octaua Concluſio. Fides infuſa per dubitationē perditur, probatur extra de hæreſis cap. dubius. Vbi dicitur, dubius in fide infidelis eſt; ex hoc ſequitur quod poteſt perdi fides infuſa ſine quocumque aſſenſu propoſitionis oppoſitæ propoſitioni de fide, vel ſine quocumque diſſenſu propoſitionis de fide; Nam vt dicit Ocham hæreticus eſt pertinaciter dubitans, vel errans, probatur: quia certum eſt quod Petrus non poteſt cogi ad credendum quod Deus ſit Trinus & vnus, ſed quando credit hoc,

libere

Digitized by Google

libere credit, poteſt ergo ſuſpendere actum quo credit Deum eſſe Trinum, & vnum, atque eſſe poteſt quod non credat oppoſitum, atque adeo neque credat neque diſſentiat, vel diſcredat, & vt ſic dicitur dubius, ſed illi dubitationi poteſt adiungi pertinacia quemadmodum errori, ita vt habeat propoſitum non credendi, ſed ſemper dubitandi, quamuis ei oſtenderetur reuelatum: illud dubium eſt ita hæreſis, ſicut aſſenſus contradictorij; quia eſt dubitans cum pertinacia. ergo ſine quocunque errore, qui ſit diſſenſus propoſitionis de fide, vel aſſenſus contrarij, vel cõtradictorij per dubiũ iuncta cõtumacia perditur fides.

Contra hanc cõclusionem arguitur, Homo habet ſcrupulum circa materiam fidei, vt circa reſurrectionem mortuorum, & de mundi perpetuitate, & talis eſt dubius, cũ eſt ſcrupuloſus, at ſi homo illa via amittit fidem, facile fides amitteretur, imo facilius, quam charitas, quod non videtur verum; Reſpondetur quod non eſt in poteſtate viri, quod apprehendat interdum oppoſitum alicuius articuli; nec (quod magis eſt) quia occurrat ei motiuum circa articulum, quod motiuum nullum cauſabit diſſenſum articuli, vel aſſenſum oppoſiti alicuius articuli; omnia iſta naturaliter viro eueniunt præter eius intentionem, atque ita nullo modo ei imputantur. Habere ſcrupulum nihil aliud eſt, quam habere motiuum, & habere ſcrupulum conſcientiæ, nihil aliud eſt, quam habere motiuum contra conſcientiam. Stat tamen iudicium intellectus; quod eſt conſcientia; ergo ſcrupulus non ponit iudicium oppoſitum, ſed motiuum, quod nihil generat; atque adeo ſcrupulus contra fidem nullo modo tollit fidem infuſam, ſed eſt materia virtutis ſi ei reſiſtatur. Et adhuc ſi homo habeat hæreſim ſurreptitiam, & indeliberatam, circa illud quod tenetur explicite credere, non amittit fidem infuſam, & ratio eſt quia illa hæreſis non eſt mortalis, & nunquam homo perdit fidem infuſam, ſine peccato mortali, vt diximus ſupra.

Secundo arguitur. Quis apprehendit Deum eſſe Trinum, & vnum, & non aſſentit illi, talis dubitat, & nõ amittit fidem non aſſentiendo, cum non ſemper teneatur illi aſſentire, & capiatur tempus, in quo non tenetur aſſentire. Certum eſt enim quod non teneor pro quolibet tempore credere, quod Deus eſt Trinus, & vnus. Si ergo pro tempore a aduertam Deum eſſe Trinum, & vnum, & non aſſentiam, neque diſſentiam, ſum dubius; atque adeo non quælibet dubitatio propoſitionis de fide eſt peccatũ; Quod non peccem nec aſſentiendo, nec diſſentiendo patet; quia credere eſt præceptum affirmatiuum, ergo ſi non credam pro tempore, quo non teneor, non pecco; Reſpondetur, quod omnis aduertens, & non aſſentiens dicitur dubius, & cum dicitur non tenetur credere pro quolibet tempore. Concedo ſimpliciter; ſed pro omni tẽpore, pro quo aduertit tenetur credere; quia cum addo quod aduertat, non ſtat, quod ſit tempus in quo non teneatur credere ſicut dicit D. Bonauentura. Et ſi dicas ergo pro omni tempore, quo aduerto circa Deum teneor illum diligere, & quo aduerſo peccatum teneor deteſtari; quod videtur durum, & valde rigoroſũ. poteſt dici quod non omnis dubietas eſt peccatum, niſi pro tempore, quo teneor credere, teneor autem credere quando aduerto, & iudico eſſe credendum, atque ita in alijs.

D. Bonau.

Sed pro complemento ſolutionis, & intelligentiæ decretalis primæ de hæreticis, dico quod illa decretalis intelligenda eſt, vt diximus, de dubitatione cum pertinacia, tunc autem dubitat homo cum pertinacia quando tenetur dubitationem deſerere, quod vt clarius intelligatur, ita explico. Petrus propter ſophiſmata occurrentia incipit fluctuare de reſurrectione futura, ita quod ſecundum rei veritatem fluctuat de veritate illius: & illud eſt proprie dubitare. Apprehendere enim propoſitionem, & illi non aſſentire, nec diſſentire; non eſt dubitare, nec ita bene definitur ab aliquibus dubitare; Sed ſic. Dubitare eſt apprehendere propoſitionem, & fluctuare, & vaccillare de eius veritate. ita .ſ. quod ſi quæreretur ab eo an eſſet vera neſciret in quam partem ſe flecteret, & talis eſt infidelis ſi deliberate fluctuet & ſi ſit pleno iudicio habito dubius, & pertinaciter. hæreſis ergo cum pertinacia, vel dubitatio cum pertinacia ſimul fidem infuſam tollit demeritorie.

Quid ſit dubitare.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Confeßio fidei ſit actus fidei, & cadat ſemper ſub præceptum.

PRo ſolutione huius difficultatis obſeruandum eſt, quod omne opus bonum eſt proteſtatio fidei remote tamen, quod patet ex illo Iacubi c. 2. Oſtende mihi fidem tuam ſine operibus, & ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam, inter omnia autem opera externa opus Religionis propinquius proteſtatur fidem, immediate autem & propinquiſſime exterior confeſſio eorum, quæ ad fidem pertinent. Hinc ſequitur non eſſe abſurdum ſi concedamus hanc ipſam confeſſionem fidei, conſideratam alia ratione poſſe etiam ad alias virtutes ptinere vltra fidem; Nam dupliciter poteſt actus aliquis cenſeri eſſe alicuius virtutis, vno modo phyſice; quia ſcilicet ꝑducitur ab ipſo habitu virtutis, & iſto modo actus internus fidei, & actus ſolius virtutis fidei, quia a ſolo habitu fidei phyſice producitur, & in ſolo intellectu recipitur in quo eſt habitus fidei. Altero modo dicitur actus aliquis eſſe alicuius virtutis, non phyſice ſed moraliter tãtum, quia ſcilicet habet laudem ex obiecto formali virtutis, & in illo tamquam in finem ordinatur, & iſto modo confeſſio quoque exterior fidei, eſt actus virtutis fidei: nam moraliter actus aliquis ad eam virtutem pertinet, ad cuius obiectum vt ad finem ordinatur. Confeſſio autem fidei exterior ordinatur, vt ad finem in obiectum virtutis fidei, exterior enim locutio ad interiorem mentis notitiã ordinatur, atque adeo veritatem quam per virtutem fidei actu interiori credimus eamdem exteriori confeſſione ſignificamus iuxta illud Apoſt. 2. ad Corint. 4. Habentes eũdem ſpiritum fidei credimus propter quod & loquimur. cum ergo fidei confeſſionem poſſumus ſub diuerſis reſpectibus conſiderare, poſſumus etiam dicere hanc ipſam cõfeſſionem fidei ad aliquam aliam virtutem pertinere; nimirum ad virtutem religionis, quatenus parit honorẽ Deo, & ad virtutem fortitudinis, quatenus interdum ob imminet inde periculum, eſt ardua, atque difficilis. Cæterum quoniam actus moralis ſemper eſt in ea ſpecie primario, ad quam ex natura & conditione ſua eſt accomodatior. Confeſſio fidei: quoniam in primis eſt oratio quædam ſignificatiua veritatis à Deo reuelatæ primario ſpectat ſub hac ratione ad virtutem fidei.

Omne opus bonum eſt ꝓteſtatio fidei.

Dupliciter poteſt actus dici alicuius virtutis.

Secundo obſeruandum eſt, quod omnis actus neceſſarius ad ſalutem cadit ſub præcepto legis diuinæ. probatur, nihil prohibet ingreſſum ad ſalutem niſi peccatum, ergo ille actus per cuius omiſſionem prohibetur ingreſſus ad ſalutem eſt ſub præcepto legis diuinæ.

Omnis actus neceſſarius ad ſalutem cadit ſub pręcepto.

Tertio obſeruandum eſt, quod præceptum confeſſionis fidei eſt affirmatiuum; eſt enim de actu poſitiuo, vnde quamuis obliget ſemper in preparatione animi, tamen quantum ad actum ſolum obligat loco, & tempore debito, ſicut alia præcepta affirmatiua. His obſeruatis ſit.

Prima concluſio. Velle confiteri fidem non eſt actus fidei. probatur. Quilibet actus fidei, eſt actus intellectus, volitio confitendi fidem in publico, vel in ore, eſt actus voluntatis, ergo volitio confitendi fidem non eſt actus virtutis fidei.

1. Concl.

Secunda concluſio. Confeſſio exterior fidei eſt actus fidei virtutis. probatur. Quando actus interior, & exterior habent eũdem finem eiuſdem virtutis, vterque eſt actus illius virtutis cuius finem habent, actus enim exterior ordinatur ad ſignificandum, quod eſt intra; vt ieiunare, & velle ieiunare, ſunt actus temperantiæ; quia finis vtriuſque eſt compeſcere carnem, qui eſt finis temperantiæ; ſed confiteri fidem exterius habet eumdem finem, quem habet aſſenſus fidei interior, ſcilicet creatam mentem coniũgi veritati diuinæ, ergo confiteri fidem exterius eſt actus fidei; ſicut interior fidei conceptus.

2. C.

Et ſi dicatur velle confiteri fidem, & confiteri fidem ſpectant ad eamdem virtutem, ſicut velle ieiunare, & ieiunare ſed velle confiteri fidem non eſt actus fidei, vt patet ex prima concluſione, ergo nec confiteri fidem; Reſpondeo

deo quod ſicut confeſſio fidei non dicitur actus fidei phyſice vt diximus in primo notabili,ſed moraliter,quatenus ſcilicet habet laudem ex obiecto formali fidei, & quia in ipſum tamquam in finem ordinatur; ita velle confiteri fidei licèt phyſice,& naturaliter,non ſit actus fidei,quia eſt actus voluntatis,moraliter tamen poteſt dici actus fidei, quia ab obiecto fidei habet laudem, & in ipſum tamquā in finem ordinatur. Contra fides eſt habitus ſpeculatiuus: quia eius finis eſt contemplari res diuinas,ergo actus eius ſolum eſt actus interior intellectus,& non exterior: quia iſte actus eſt practicus vel praxis.Nego antecedens,eſt .n. habitus fidei practicus non ſpeculatiuus, quia eſt directiuus vel formaliter,vel ſaltem virtualiter in praxim.ſ.in dilectionem Dei. Contra confeſſio fidei ſit ex electione, electio autem eſt actus voluntatis, ergo confeſſio fidei pertinet ad virtutem voluntatis,& non ad fidem,quæ eſt virtus intellectus. Reſpondeo negando conſequentiam, quia licet confeſſio fidei fiat ex electione, vel imperio voluntatis,regulatur tamen à fide,& ideo eſt actus eius modo ſupra explicato in primo notabili,eodem enim argumento probaremus quod depingere non eſſet actus artis: quia fit ex electione voluntatis;ars vero eſt in intellectu; ſicut ergo dipingere eſt per ſe actus artis; licet ſupponat voluntatem;ita confiteri fidem,eſt opus fidei,licet ſupponat voluntatem.

Cōtra. Adhuc per confeſſionem fidei talem,quis ſe gerit exterius;qualis eſt interius; ergo confeſſio fidei pertinet ad veracitatem,probatur ſequela;quia per veracitatē homo ſe gerit exterius,qualis eſt interius. Deinde negare fidem non eſt actus infidelitatis, ergo confiteri fidem non eſt actus fidei,conſequentia patet: quia contrariorū eadem eſt diſciplina.Probatur antecedens,quia negans fidem exterius poteſt habere fidem intra, ſicut de B. Petro ego exiſtimo;& de Papa Marcellino probabiliter opinatur. Ad primum nego conſequentiam: quia idem actus ex diuerſo fine factus poteſt ad diuerſas virtutes pertinere;vt recitare ſymbolum in Completorio eſt opus religionis;quia recitatur ad colendum Deum; dicere autem illud,vt talem ſe quiſque gerat exterius, qualis eſt interius eſt opus veracitatis.recitare autem ſymbolum, vt quis fidem proteſtetur eſt actus fidei.

Idē actus poteſt ad diuerſas virtutes ſpectare.

Ad aliud nego antecedens. Verba enim externa per ſe exprimunt interiorem conceptum, ad probationem reſpondetur,quod illud eſt per accidens; ſicut e contra hæreticus poteſt confiteri fidem,quam non habet intra, negare ergo fidem reductiue eſt infidelitatis actus.

3.Concl. Tertia concluſio. Confeſſio exterior fidei non eſt ſemp de neceſſitate ſalutis; ita quod non ſemper & in quolibet loco tenetur homo confiteri fidem; probatur primo ſic. Confiteri fidem eſt præceptum affirmatiuum, ergo non obligat pro quolibet tempore quo ad actum. conſequentia patet ex tertio notabili;ſecundo ſic;ſtat quod confiteri fidem in publico nihil boni acquirat Reipub. fidelium, ſed potius irriſionem, & deſtructionem vnius boni membri Eccleſiæ;ſed in tali caſu non eſt patiēdum iuxta illud Matth.7. Nolite ſanctum dare canibus, nec margaritas proiciatis ante porcos; tertio probatur idem ex facto D. Pauli,qui aufugit per ſportam è Damaſco Acto. 9. & 2. Corint.11.

Et ſi dicas ergo licebit eunti Hieroſolymam, & per medium infidelium Mahometicæ ſectæ tranſeunti, nomen Ieſu ore negare,vel non confiteri; quod abſurdiſſimum videtur; nam deberet citius mortem pati, quam nomen Ieſu negare,licèt videat ſuam mortem non prodeſſe Reipub.Chriſtianæ, citius enim debet pati mortem, quam turpe perpetrare. Nego conſequentiam,& concedo,quod aſſumptum eſt. Non enim poteſt quiſquā nomen Ieſu negare ſine peccato,licet interius conſentiat, hoc ſiquidem eſt contrauenire præcepto negatiuo,quod ſemper,& pro ſemper obligat .ſ. Non negare nomē Ieſu;iuxta illud Saluatoris,ſi quis negauerit me coram hominibus, negabo eum coram patre meo,qui in Cœlis eſt; Aliud eſt ſilenter pertranſire,nihilque loquendo,de hoc;Non enim cuilibet interrogato reſpondendum eſt affirmatiue, vel negatiue;ſed affirmatiue reſpondendum eſt quando locus, & tempus ſe offerunt. Non enim vt falſo inquit Caiet. 2.2. q.3. tenetur fidelis confiteri fidem quotieſcumque de illa interrogatur:nam ex eo quod aliquis interrogatus taceat, ſolum quandoque ſequetur vt interrogans decipiatur, quam proximi deceptionem in multis caſibus, cum bona cauſa ſubeſt,licet negligere.

Caietanus.

Quarta concluſio. Confeſſio exterior fidei, eſt de neceſ- 4.Concl.
ſitate ſalutis neceſſitate præcepti,& non finis,probatur defectus talis confeſſionis excludit à ſalute æterna, ergo talis confeſſio eſt ſub præcepto,conſequentia patet ex ſecundo notabili,probatur,antecedens,ex illo. Matth.10. Omnis qui me confeſſus fuerit coram hominibus confitebor, & ego eum coram patre meo,qui in Cœlis eſt. Qui autē negauerit me coram hominibus negabo, & ego eum coram patre meo. Et Lucæ 9. qui voluerit animam ſuam ſaluam facere perdet eam, & qui perdiderit animam ſuam propter me ſaluam faciet illam, & paucis interiectis ſubiecit. Nam qui me erubuerit coram hominibus, hunc filius hominis erubeſcet,cum venerit in maieſtate ſua. & D.Paulus ad Roman.10. Si confitearis in ore tuo Dominum Ieſum Chriſtum,& corde credideris quia Deus ſuſcitauit illum à mortuis ſaluus erit. Corde enim creditur ad Iuſtitiam,ore autem confeſſio fit ad ſalutem.

Quinta concluſio. In duobus euentis eſt locus,& tem- 5.Concl.
pus debitum confitendi fidem exterius,ita vt ſine tali confeſſione non caueatur mortale peccatum;ita quod non ſufficit ad ſalutem credere interius, ſed requiritur quod homo conſtanter fidem verbo & opere ad mortem incluſiue tueatur. Primus eſt quando non confitendo ſubtrahitur honor Deo debitus,non tantum negatiue,ſed etiam contrarie vel priuatiue vt ſi rogatus ab infidelibus in contumeliam Eccleſiæ,an eſſet Chriſtianus taceret,eſſet peccatum mortale;quia eſſet Deum affici ignominia, vel negligi aliquem magnum honorem Dei,qui ex fidei confeſſione potuiſſet ad eum peruenire. Secundus caſus eſt, quādo ex eius taciturnitate daretur occaſio ruinæ alijs fidelibus,vt ſi quis rogatus an eſſet Chriſtianus, non in contumeliam Eccleſiæ,taceret ex quo infirmiores fideles ſcandalizzarētur peccaret mortaliter: aut etiam ſi proximum priuaret,aut magno commodo ſpirituali,quia per eius cōfeſſionem infideles facile traherentur ad fidem, & non poſſet illis alio modo opportune prouidere; aut quia ſuo exemplo alij peruerterentur, niſi ſua confeſſione, fidem illorum tueatur,atque confirmet, quando autem hoc accidat in his duobus euentis iudicio prudentium eſt iudicandum. atque ita explicata concluſio hac ratione probatur. Deus eſt diligendus ſuper omnia; ergo honor Dei & defenſio fidei eſt præponenda vitæ corporali: nam dato oppoſito peruertitur ordo charitatis,quod fieri non debet exemplo martyrum,& Matth.5. Beati qui perſecutionē patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnū Cœlorum. Et Ioan.15. Maiorem dilectionem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Pati ergo mortem eſt de præcepto pro confeſſione fidei, quando ſubtrahitur honor Deo.vel vtilitas ſpiritualis proximo,quam homo illis exhibere tenetur. Propterea Nicodemus,Gamaliel,& multi Principes Sinagogæ peccabāt qui non ſunt confeſſi Chriſtum Meſſiam in lege promiſſum,cum illum cognouerunt ex prophetarum oraculis; & illic agebatur de honore Dei,& magis curabant de ſuo proprio honore,ne de dignitatibus ſuis eijcerentur, iuxta illud Ioan.12. Veruntamen multi ex Principibus crediderunt in eum, ſed propter Phariſeos non confitebantur, vt e Synagoga non eijcerentur,& poſtea ſubdit Euangeliſta cauſam proximam peccati eorum dicens. Dilexerunt enim gloriam hominum,magis quam gloriam Dei. Vbi Gloſſa interlinearis. Hic improbat credentes: etiam tene- *Gloſſa.*
bantur illuminare ſimplices in veritate: licet iſti erant poſtea boni,tamen in hoc peccabant, ſicut Petrus in negatione. Si enim illi publice veritatem dixiſſent magnam vtilitatem fidei,& populo induxiſſent. propterea tunc nō cōfiteri erat peccatum affirmatiuum,quod omiſerunt.

Sed contra Matthei.10.inquit Dominus. Si vos perſecuti fuerint in vna Ciuitate fugite in aliam, quod exemplo D.Pauli confirmari poteſt nuperrime relato in probatione 3.Concluſionis,qui aufugit cum eum perſecuti sūt. nam in fine tormentorum,quæ paſſus eſt Damaſci.inquit 2.ad Corint.11. Præpoſitus gentis Arethæ Regis cuſtodiebat Ciuitatem Damaſcenorum,vt me comprehenderet,&

Perſecutio duplex eſt.

ret, & per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum per mu u n, & ſic aufugi manus eius. Reſpondetur, q; duplex eſt perſecutio, vna perſonalis, vt quando quæritur Prælatus, vel aliquis homo ſingularis, non quia fidelis eſt, ſed quatenus talis perſona eſt, & tunc licet aufugere, & eo maxime quando ad maiora ſeruatur, ſicut erat de Paulo, de quo dixerat Chriſtus Ego oſtendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Actorum 9. & hoc modo etiā Elias Teſbites fugit à Iezabelle Regina illa peſſima. 3. Regul. 19. Quia perſecutio erat perſonalis, patet quia quærebant Paulum alijs Chriſtianis relictis. Altera eſt perſecutio fidei primo, & conſequenter eſt perſecutio indifferenter in hanc, vel in illam perſonam, tūc nullo pacto eſt fugiendum ſi extent illi duo caſus in cōcluſione poſiti; & ſi eius mors plus proderit politię fidelium, quam oberit: exemplum eſt de milite in bello, ſi iudicet quod ſua ſuga eſt alijs in ruinam, & ei turpis non eſt ei fugiendum ſed expectandum: at ſi videat, quòd ſua fuga haud quaquam ſit ſuæ politiæ nocitura, imo quam plurimum pro futura ſi ad huc ſeruetur; debet aufugere; fuga enim eſt actus fortitudinis pro loco, & tempore.

Dubium primum.

His conſtitutis dubia quædam circa hanc materiam breuiter explicanda ſunt. Primum eſt an extra prædictos caſus quibus inſtat præceptum confitendi liceat fidē propriam cęlare vſurpando ſimulate verba vel facta contrariam religionem ſignificantia? In hac dubitatione Adrianus in 4. ſenten. q. 1. de baptiſmo in reſponſione ad quintum argumentum ſentire videtur licitum eſſe extra caſus etiam illos ſuptadictos quacunque ratione fidē propriam cælare etiam per ſimulationem quamdam falſæ Religionis; quin etiam aſſerit licitum eſſe extrinſecus ſimulare idolatriam in caſu, quo ſcandalum abſit nec inſtet præceptum confitendi fidem: quæ opinio procedit cum abeſt omne ſcandalum infirmorum, nec mendacium vllum ſed dumtaxat ſimulationem defendit, quam & authoritatibus, & rationibus confirmat. Cæterum contraria ſentētia mihi videtur non modo tutior, ſed etiam longe probabilior, videlicet quamuis extra prædictos caſus neceſſitatis liceat celare, ſeu non confiteri verbo, vel facto veram fidem, tamen nunquam omnino licitum eſſe ſimulare ſerio falſam fidem, & religionē vllo verbo, aut facto, quod vel lege, vel conſuetudine ſit proprie inſtitutum ad ſignificandam, aut profitendam ipſam fidem, & religionē falſam. Ita ſentit Alex. de Ales. 2. par. quæſt. 168. m. 3. vbi ait ſemper id eſſe peccatum mortale, nec licere pro tuenda vita. Et S. Antoninus. 2. par. Theologiæ. Tomo 12. capit. 6. Summa Angelica verbo infidelitas, num. 9. Armilla verbo fides, num. 9. Syluest. verbo fides, quæſt. 5. Caiet. 2. 2. q. 3. artic. 2. Nauar. in Manu. cap. 11. num. 15. & Banneſ. 2. 2. quæſt. 3. artic. 2.

Adrian.

Nunquā licet ſerio ſimulare falſam fidem.

Alex. de Ales.
S. Anton.
Angelus.
Armilla.
Sylueſter.
Caietan.
Nauar.
Bannes.

Dixi autem nunquā licere falſam religionem ſimulare ſerio: quia ſi ſolum repræſentationis cauſā id fiat, vt in Comedijs extra controuerſiam eſt, id non eſſe illicitum. Dixi etiam per factum proprie inſtitutum ad ſignificandam fidem, & religionem falſam, nam ſi habitus aliquis proprie non eſſet ſignum religionis falſæ, ſed tantū eſſet proprius alicuius gentis, licet alioqui à vera religione alienæ, non eſſet illicitum talem habitum aliquando vſurpare citra ſcandalum, vt notat Syluest. & Bannes, & alij ſi tamen habitus aliquis ſit proprius aliquorum non vt pertinent ad hanc vel illam prouinciam, aut Rempub. Politicam, ſed pro vt complectuntur hanc, vel illam Religionem, (ſicut Color flauus Romæ in pileis Iudæorum) is habitus etiam ſignificat religionem ſaltem mediate ratione perſonarum, vt recte attigit Caieta. vbi ſupra, & de eo etiam intelligitur hæc ſententia, quam ſequimur, & loquimur de ea ſimulatione, quæ fit per talia verba, aut facta; quæ tantummodo ſoleant vſurpari ad ſignificandam ſeu proteſtandam fidem, vel religionem falſam: nam ſi eſſent communia, & indifferentia tum ad eum finem, tum ad aliquem alium, non erunt proprie, & per ſe ſignificatiua fidei falſæ, atque ita nec per ſe erunt prohibita per negatiuum præceptum, ſed ſolum quatenus actu, & ex intentione determinabuntur ad ſignificandam potius fidem falſam, non autem ſi determinentur ad finem alium, cuius gratia etiam vſurpari ſolent.

Et per hoc videtur excuſari poſſe ij Catholici, qui in locis vbi Catholici, & hæretici promiſcue verſantur (vt in multis Germaniæ Ciuitatibus) non nunquā hæreticas conciones audiunt non vt hæreticam fidem eo actu profiteantur, ſed vt notent errores hæreticorum concionatorum. Hos dico excuſari ſi in talibus Ciuitatibus ſoleant etiam quandoque à multis audiri conciones hæreticæ ad eum finem, & nō tantūmodo, vt fiat profeſſio falſæ fidei.

Dubium ſecundū.

Dubitatur ſecundo. An liceat Chriſtianis inter infideles degentibus, aut per illorū terras prætereuntibus omittere ſignum ab eis per legem infidelium deferēdum, quo ab alij diſtinguantur, & vt occultent ſe Chriſtianos eſſe. Pro ſolutione obſer. eſt primo ex Caieta. vbi ſupra, quod ſigna, quæ infideles proponunt deferēda Chriſtianis, aut ſunt in proteſtatione fidei Chriſtianæ, quia odio habent Chriſtianos, vt ſi Rex infidelis faciat hanc legem, omnes Chriſtiani deferant in capite Crucem, & ſimul permittat infidelibus, vt eos impune occidant; Aut ſolum in bonum politicum, & non in odium Chriſtianorum ninirum, vt homines diuerſæ Religionis cognoſcantur, ad cauendam eorum communicationem ſicut Romæ, & in multis alijs noſtræ Italiæ Ciuitatibus præcipitur Iudæis, vt deferant ſignum flauum.

Caietan.

Secundo obſer. eſt, quòd quando inter infideles præcipitur Chriſtianis deferre ſignū, vel in proteſtationē fidei, vel in bonum politicum tacite interrogātur, an ſint Chriſtiani diuerſo tamen modo; quia in primo caſu non abſolute, ſed in odium Chriſti, in ſecundo vero non in odium Chriſti, ſed in publicam Reipub. vtilitatē, vt ſcilicet Ciues intelligant, cum quibus negociandum, vel non negociandum ſit.

Tertio obſer. eſt, quòd quando quis interrogatur, an ſit Chriſtianus ſaltem in odium Chriſti tenetur illud confiteri ſub præcepto: nā ibi interuenit honor Deo debitus, vt patet in facto D. Petri, qui interrogatus, an eſſet diſcipulus Chriſti blaſphemauit negando. His obſeruatis.

Dico primo, quòd quando eſt lex, vel conſuetudo in viridi obſeruantia, vt fideles deferant tale ſignum in proteſtationem fidei, qui occultat, vel non defert peccat mortaliter, probatur; fidelis interrogatus in odium Chriſti an ſit Chriſtianus peccat mortaliter non confitendo Chriſtū ex tertio notabili, ſed quando eſt dicta lex, vel conſuetudo, tūc te interrogatur Chriſtianus an ſit Chriſtianus in odium Chriſti ex ſecundo notabili, ergo in tali caſu fidelis non deferens, vel occultans ſignum Chriſtianorū peccat mortaliter. Et ſi arguas licitum eſt fidelibus fugere ab vna ciuitate in aliam, quando imminet perſecutio ad vitandum periculum, vt inquit Chriſtus Matth. 10. ergo etiam licebit in dicto caſu occultare, vel non deferre præfatum ſignum ſub metu mortis. Nego conſequentiam, & ratio differentiæ eſt aperta; qui enim fugit perſecutionem non negat Chriſtum, imo fugiendo confitetur. In noſtro autem caſu occultans, vel non deferens ſignum Chriſtianorum tacite Chriſtum negat, eiq; debitum honorem aufert, vt probatum eſt. Quod vtique verum eſt ſi ea lex ſtatuta ſit præciſe in odiū Chriſti, & vt Chriſtiani ab infidelibus dignoſcantur, vt ipſi & Chriſtus cæteris infidelibus ludibrio ſint, & perſequantur. 1. Concl.

Dico ſecundo, quòd fideles tranſeuntes per terras hæreticorum occultantes ſignum fidei Romanæ ne occidātur non negant Chriſtum, nec peccant, vt ſi Monacus tranſiens per Germaniam, vel Angliam induat veſtem laicalem depoſita monacali, ne agnitus occidatur à lutheranis non peccat, probatur non fit eis talis interrogatio de ſua fide, ſed relinquitur ſuo arbitrio, vt confiteatur fidem, vel occultet veritatem, ergo non peccat occultando eam, conſequentia patet, probatur antecedens; quia nō eſt Eccleſiaſtica, aut ciuilis lex apud hæreticos de huiuſmodi ſignis deferendis. 2. Concl.

Dico tertio. Quando eſt lex, vel conſuetudo etiam in viridi obſeruantia, vt fideles deferant peculiare ſignum, non in proteſtationem fidei, nec in odium Chriſti, ſed ſolum in rectam gubernationem Reipub. Tunc Chriſtiani occultantes, vel non deferentes tale ſignum obſeruādam vitam, non abnegant Chriſtum, nec peccant, vt ſi latrones infideles expectent Chriſtianos ad eos expoliādos, & occidendos ſolo animo auaritiæ: quia non occidunt alios Chriſtianos pauperes, tunc licitū eſt omittere, & non de- 3. Concl.

ferre

ferre ſignum Chriſtianorum, probatur quia in tali caſu, non fit interrogatio expreſſa, vel tacita fidei in odiũ Chriſti, ergo non tenetur ſe manifeſtare, & confirmatur. In tali manifeſtatione non exaltatur Chriſtus, ergo nõ tenetur manifeſtare ſe eſſe Chriſtianum, conſequentia patet, probatur antecedẽs: quia non occidũtur diſcipuli Chriſti in eius contumeliam. An aũt interrogati verbis teneantur in dicto caſu fidem confiteri ſtatim dicetur dubio quarto.

Dubium tertium. Caietan. Sylueſter. Dubitatur tertio. An liceat Chriſtianis inter infideles deferre ſigna infidelium. Caiet. 2. 2. q. 3. art. 2. abſolute tenet partem negatiuam, & eum videtur ſequi Sylueſter in ſumma verbo fides, vnde pro ſolutione obſer. eſt primo quòd aliud eſt negare fidem, & aliud fidem cælare, ſicut aliud eſt mentiri, & aliud veritatem occultare; Tunc quis negat fidem; quando mentitur ſe eſſe Chriſtianum, cælat autem quando aliquo ſigno æquiuoco nec profitetur, nec fidem negat; vt Circuncíſio ex natura rei eſt ſignum æquiuocum, ex ſola enim intentione ſe circuncidentis multa ſignificat, vt ſi quis ſe circunciderет ad profitendam legem Iudæorum, eſſet ſignum infidelitatis, ſi vero in ſalutis remedium, vel vt ſynagoga cum honore ſepeliatur, vt fecit D. Paulus circuncidens Timotheum, minime.

Secundo obſer. eſt, quòd quamuis res, & verba idem ſignificent ex impoſitione ad placitũ, eſt tamen latiſſimum diſcrimen inter hæc quantum ad eorum vſum: quoniam verbis vniuocis non poſſumus vti æquiuoce abſq; mendacio, bene autem ſignis ad cælandam veritatem. Verbi gratia hoc verbum prandere ſignificat comedere hora prandij; appoſitio autem menſæ hora meridiana cũ mappis, & reliquis neceſſarijs ad prandium idem ex conſuetudine ſignificat. Si quis vero diceret ſe velle prandere ſine animo prandendi mẽtiretur, ſi autem apponeret menſam cum mappis, &c. ſine intentione prandendi, ſed animo fallendi alios non mentiretur: quia appoſitione menſæ ex natura rei poſſumus Equiuoce vti, animo ſcilicet prandẽdi, & animo cælandi veritatem. Confirmatur quia Chriſtus apropinquans Caſtello Emaus cum illis duobus diſcipulis finxit ſe longius ire, motu ſcilicet corporis, & tamen non habebat animũ recedendi, nec fuit mẽtitus, & procul dubio fuiſſet mentitus ſi verbis dixiſſet ſe longius velle ire abſque tali animo. Vnde ſi quis rogaretur, an druplex eſſet Monachus, & reſponderet non mentiretur, ſi autem tollat habitum laicalem non mentitur, quamuis habitus talis ſignificet eum non eſſe monachum.

Quadruplex eſt ſignum infidelium: Tertio obſer. eſt, quod quadruplex poteſt eſſe ſignum proprium infidelium, primum ex conſuetudine patriæ, ſecundum ex lege prouinciæ vel regni, tertium ex inſtituto ob cauſam religionis cognoſcendæ, ſcilicet vt Iudæus ferat tale ſignum, Chriſtianus tale, ſaracenus tale, vt ſectæ diſtinguantur, & cognoſcantur, quartum in honorem falſi Dei, vel Mahometti. His explicatis.

3. Concl. Dico primo bene licet fidelibus ad occultandam fidem vti ſigno infidelium tribus primis modis ſumpto, de duobus primis probatur: Nam ſi illa prouincia ad fidem conuerteretur, non mutaret ſignũ, nec teneretur mutare, ergo illud ſignum non eſt proteſtatiuum ſectæ infideliũ, de tertio probatur, nam veſtis, vel ſignũ ſignificat, vt res; rebus autem poſſumus vti æquiuoce abſq; mendacio, vt probatum eſt notabili ſecundo ergo, &c. Præterea habitus ſignificat Monachum ſicut ſignum illud ſignificat paganum, ſed ſi quis ſumeret habitum Monachi ad euadendum aliquod periculum non peccat, ergo etiam non peccat vtens ſigno infidelium in caſu propoſito, non enim mentitur ſe eſſe Chriſtianum, ſed cælat veritatem. Inſtitutum enim illud nihil interrogat in proteſtationem infidelitatis, ſed ſolum eſt vtile ad bonam Reipub. gubernationem; ſicut quòd Clericus vtatur veſte Clericali, & Monachus monachali, & laicus laichali, aut quilibet cognoſcatur cuius ſit ſtatus, & ſicut vti in caſu neceſſitatis habitu alieno ad cælandam veritatem, non eſt peccatum ſaltẽ mortale, ita nec veſte pagana, vel ſigno infidelium. Et ſi dicatur non licet verbo ſe profiteri infidelem, ergo nec facto, probatur conſequentia; quia verba, & res idem ſignificãt; Idem enim ſignificant hæc verba ego ſum mulier, & deferre habitum mulieris. Nego conſequentiam, & ad probationem Dico, quòd ſignis, quæ ſunt res, poſſumus vti æquiuoce ad cælandam veritatem, vt probatum eſt notabili ſecundo. Et ſi iterũ dicatur. Poſt Euangeliũ promulgatum non licet circuncidi, quia per Circuncíſionẽ ſignificatur Chriſtus venturus; ergo ſimiliter non licet fidelibus vti ſignis ſolis infidelibus deferendis: quia illo facto ſignificatur eos eſſe infideles. Diſtinguo antecedens. Si circuncíſio fiat animo proteſtandi legem Iudæorum concedo, & ſimiliter, eſt verum conſequens, quando ſignum infidelium defertur in honorẽ falſi Dei, vel Mahometti, vt dicemus. Si aũtẽ fiat ſanitatis cauſa, vel vt ſynagoga cũ honore ſepeliatur, nego & ſimiliter eſt falſum conſequẽs qñ quis vtitur ſigno infidelium ad cælandam ſuam fidem.

Secundo Dico, quod non licet Chriſtianis abſque peccato mortali vti ſigno infidelium, quarto modo ſumpto. 2. Concl. Probatur, quia in tali caſu fidelis exhibet cultũ Idolo, vel Mahometo, & approbat falſam religionẽ, quod non licet abſque peccato mortali, vnde non licet vti veſte habente imaginem Mahometti, vel Idoli, vel ſignum ſemi lunę in honorem Mahometti ſerio loquendo: nam in Theatro liceret vti dictis veſtibus, & ſignis: quia omnes ſciunt ibi perſonas fingere, liceret etiã cæremonijs vti in templo Idoli coram ipſo, vel coram Archa Mahometti ad vitandam mortem, dummodo id non fiat in honorem idoli, vel conſentiendo in opus infidelitatis, vel cum ſcãdalo, vt ſi quis ſeruus Regis turcarum manu ſuſtineret ipſum, & ingreſſus vna cum illo in templum Mahometti aperiret caput coram Archa Mahometti, & Regio Imperatore flectente genua, flecteret & ipſe; non peccaret ſic faciendo dummodo conſtaret ſpectantibus illum habere aliam fidem, nec vnquam ingredi illud templum, & has actiones ibi extraere, niſi cum ſuo Rege: nam tunc populus merito cenſere poſſet illum non facere has cæremonias niſi ob reuerentiam ſui Principis.

Dubitatur quarto. An liceat Chriſtianis abſque pecca- Dubium quartum.
to mortali negare ſe eſſe Chriſtianos, quando infideles illos perſecuntur non in odium Chriſti, ſed ob eorũ flagitia. Verbi gratia ſunt Chriſtiani infidelibus exoſi nõ ratione Religionis; ſed quia in eos plurima flagitia cõmittũt, ideoq; eos perſequuntur; in hoc caſu quærimus. An quis interrogatus ſit ne Chriſtianus poſſit abſq; peccato mortali id negare. Pro ſolutione obſeruandum eſt, quòd qui perſequuntur Chriſtianos, propter eorũ ſcelera, odio habent Deum ipſorum, & Chriſtum, probatur ex Paulo ad Roman. 2. dicente Nomen Dei per vos blaſphematur inter gentes. Gentes enim videntes flagitia fidelium inproperabant Deo, ac ſi eſſet iniuſtus; ſi quidem eorum ſcelera impunita permittebat. Quandocunq; autem blaſphematur Chriſtus, tenetur fidelis ſe eſſe Chriſtianum confiteri Alias enim ſubtrahit Deo debitum honorẽ, quo caſu obligat præceptum confitendi fidem exterius.

Quapropter dico, quòd in caſu dubij qui negat ſe eſſe Cõcluſio.
Chriſtianum peccat mortaliter, probatur. Qui negat ſe eſſe diſcipulum Chriſti, negat Chriſtũ eſſe Deum, quod fieri nequit ſine peccato mortali, ſed qui negat ſe eſſe Chriſtianum negat ſe eſſe diſcipulum Chriſti, ergo negat Chriſtum eſſe Deum, ſecundo probatur, Chriſtiani, qui occiduntur ob eorum flagitia, ſimul occidũtur in odium Chriſti, vt patet ex notabili; ſed quando adeſt occaſio moriendi propter Chriſtum, tenetur quis ipſum confiteri, ergo in dicto caſu, qui interrogatur an ſit Chriſtianus tenetur confiteri veritatem, alias Chriſto ſubtrahit debitum honorem. Confirmatur quoniam fideles in primitiua Eccleſia odio habebantur: quia extimabantur incantatores, & nouorum demoniorum nunciatores, & tñ tenebantur Chriſtũ confiteri, ergo ſimiliter in noſtro caſu. Et ſi dicas in dicto caſu nomen Chriſtianus non ſignificat diſcipulũ Chriſti, ſed flagitioſiſſimũ, & ſceleratũ hominẽ, ergo qui in tali caſu negat ſe eſſe Chriſtianũ, non negat Chriſtum, & conſequenter non peccat mortaliter, conſequentia patet; probatur antecedens: quia ex mente interrogantis idẽ eſt, Es ne tu Chriſtianus? quod, es ne tu flagitioſus? Reſpõdetur negando antecedens, ad probationem dico, quòd etiam ex mente interrogantis odio habetur Chriſtus, & Deus Chriſtianorum, vt patet ex notabili.

Dubitatur quinto. An liceat fidelibus migrare ad infi- Dubium
deles, vt Euangelium prædicent, vel martyrium patiãtur, quintum.
quando nulla ſperatur vtilitas præter propriũ ſuplicium, & Chriſtianorum. Reſpondetur &c.

1. Concl. **Dico primo**, quòd licet confiteri fidem ex opere Conſilij, ex cuius conſeſſione iudicat confitens quod occidetur, probatur. Conſilia ſunt de meliori bono, ergo licet ſeruare vitam in illo caſu ſit bonum, cõſtanter fidẽ tueri eſt magis bonum, ergo eſt licitum; Itẽ multę ſanctę Virgines poterãt latitare, ſine peccato manentes fideles, & tamẽ zelo Dei ductæ prodierunt in publicum, & nomen Chriſti confeſſæ ſunt, & noluerunt habere viros, quod erat licitũ ſed manere in ſancta Virginitate, vt patet de Beata Chaterina, Chriſtina, & multis alijs, quæ tamẽ in hoc laudantur. Item in principio naſcẽtis Religionis noſtræ Seraphicæ ſub Miramolino in occidentali heſperia ſemel quinq; fratres, & iterum apud Cæptam ſaracenorum ſeptẽ idem fecerunt, quibus non erat præceptum adeundi Agarenos, pluſquã alijs hoc onus non accipientibus, qui tamẽ vt ſancti Martyres ab Eccleſia venerãtur. Et ſi dicas quod conſilium non poteſt derogare præceptum, ſed præceptũ eſt ſeruare vitam, conſilium autem pati mortẽ in dicto caſu, ergo, &c. & confirmatur: quia quãdocunque ſunt duo præcepta maius, & minus, præceptum minus, maiori cedit, & deſinit eſſe præceptum, ergo à fortiori quãdo concurrunt præceptum ex vna parte, & conſilium ex altera, conſilium cedet præcepto: quia implicat, quod realiter conſiliũ ſit de a. & pręceptum de oppoſito. a. Dico quòd argumentum imaginatur falſum nimirum, quòd præceptum, & conſilium pugnent, Cõſilium enim eſt de meliori bono, & ad præceptum homo tenetur: modo nunquã præcepti oppoſitum eſt bonum, ſed propter circunſtantiã ſuperuenientem deſinit eſſe præceptum, quod alioqui pręceptum foret, & per idem patet ad Confirmationem.

2. Concl. Dico ſecundo. Temerarium eſt prædicare fidẽ infidelibus, quando ex tali prædicatione non ſperatur cõfirmatio fidelium in fide, nec cõuerſio alicuius infidelis ad fidem, ſed ſolum timetur periculũ Eccleſiæ, & probatur ex communi Phyloſophorum moralium prouerbio. Fruſtra niti & nihil aliud labrando quam odiũ quærere extremæ dementiæ eſt, ſecũdo, probatur exẽplo B. Sebaſtiani, qui diu occultauit fidem, nam conuerſus ad fidẽ non ſtatim exuit veſtem infidelium, & militarem clamidem: qm nullã ex eius confeſſione ſperabat vtilitatẽ, tertio, probatur ex Paulo ad Roman. 10. Ore fit confeſſio ad ſalutẽ, ergo quando nulla ſperatur ſalus ex fidei confeſſione ſacta ore, debet quis cælare fidẽ. Cõfirmatur ex Chriſto Domino Matth. 7. dicẽte. Nolite dare ſanctum canibus; nec mittatis Margaritas veſtras ante porcos, ne forte cõculcent eas pedibus ſuis, & canes conuerſi durumpant vos. Talis autẽ temeritas purgatur ſequenti martyrio, quia non eſt peccatũ mortale. Et ſi dicas fideles habent ius prædicãdi Euangelium in vniuerſo mundo, vt patet Matth. & Marci vltimo ergo illis licet vti hoc iure. Præterea multos ſanctos ad infideles migraſſe legimus ſolo animo patiendi martyriũ, quos laudant hyſtoriæ eorũ, quæ mors accepta fuit Deo, quoniam in morte, & poſt mortem miraculis claruerũt, ergo Idem licebit nobis. Reſpõdetur ad primum quod illo iure debent homines vti comite prudẽtia, cum ſcilicet pertinent ad dilectionem Dei, & proximi, & Charitatis fructus ſperatur. Ad ſecundum dico ſanctos illos maximo fidei, C& haritatis zelo ad infideles migraſſe, & inſuper non ſua authoritate, ſed obedientia Prælatorum, qui teguntur a Deo, & præterea multa legimus ſanctos feciſſe laude digniſſima, quæ nobis immitari non licet.

Dubium ſextum. D. Aug. Dubitatur ſexto. An liceat fidelibus fugere tempore perſecutionis. D. Auguſt. in Epiſtola ad Bonifacium dicit, quòd quando Tyrannus perſequitur hominẽ priuatum, etiam odio Religionis, bene licet illi fugere; ſic Chriſtus fugit in Egyptum tempore perſecutionis herodianæ, ſi autem eſt perſecutio Chriſtianorum in communi non licet fugere. Sed hoc videtur nimis durũ. Ideo obſer. eſt Chriſtianos omnes ad tria genera reduci, ad Paſtores, ad Clerum, & ad laicos; Quod attinet ad Epiſcopos reſpondet D. Aug. Epiſt. 180. in duobus euentis eſſe licitum illi fugere tempore perſecutionis, primo quoniã nõ manet plebs, vel populus, ſed omnes vel occiſi ſunt, vel diſperſi; quia tunc ceſſat ratio obligans ad moriendum, ſecũdo quando perſecutio non eſt communis paſtori, & plebi; ſed tãtum eſt contra paſtorem, & illo recedẽte ſunt alij, qui poſſunt prouidere plebi, & præſertim ſi adſint hæ duæ conſiderationes, ſcilicet vt vita illius ſit valde vtilis vniuerſali Eccleſiæ; & ſi fugiat non propria ſponte, ſed rogatu, & conſilio aliorum: nam hæ duæ conditiones reddunt fugam magis rationabilẽ, & magis neceſſariam, & faciunt paſtorem magis tutum in conſcientia, quia facile poteſt ex amore proprio decipi.

(D. Aug. — in margin beside "D. Aug. Epiſt. 180.")

Ex his colligitur, quod ſi perſecutio ſit cõmunis Paſtori, & greggi, non licere Patri fugere, etiam ſi adeſſent alij, qui neceſſaria poſſent miniſtrare Plebi, quia tenetur paſtor ex proprio officio prouidere ſaluti Plebis, ad quod non tenentur, qui non ſunt Paſtores; Quod vtiq; verum eſt, niſi Epiſcopus ſit vir adeo inſignis, & vtilis, & neceſſarius vniuerſali Eccleſiæ, & ẽ cõtra optime ſit pro illo tempore prouiſum illi Plebi, & ſit exigua vtilitas manendi, nam in hoc caſu poterit Paſtor fugere, extra quem & prędictos dicos caſus non licet fugere iuxta illud Ioa. 10. Bonus Paſtor animam ſuæ dat pro ouibus ſuis Mercenarius autem, & qui non eſt Paſtor, cuius non ſunt oues proprię vidit lupum venientẽ, & dimittit oues, & fugit, quia Mercenarius eſt, & non pertinet ad eũ de ouibus. Et 1. Ioan. 3. Sicut Chriſtus poſuit animã ſuã, &c. Quæres vtrũ liceat Paſtori, fugere qñ non eſt perſecutio fidei ab infidelibus facta, ſed qñ eſt perſecutio Plebis contra Paſtorẽ Reſpondent Gloſſa. 3. q. 1. c. Accuſantes, & Abulenſ. q. 111. in cap. 1. Matth. *Gloſſa.* *Abulenſ.* Quod ſi non oẽs ſubditi ſunt mali, & perſequantur Paſtorẽ debet manere, propter vtilitatẽ aliorũ, quod ſi oẽs ſint mali, & ex præſentia Paſtoris ſperatur correctio debet etiam manere, ſecus vero ſi nõ ſperatur correctio.

D. Aug. Quo ad Clerum reſpondet D. Aug. locis citatis. Si perſecutio fit in totum Clerum, ſiue ſit communis etiã Plebi, ſiue non, tunc partem cleri debere, manere, & alterã fugere, vt ſic nõ peccat totus Clerus, & ſufficienter prouidetur ſaluti plebis, quod ſi nõ poſſit facile iudicari, qui debet fugere, & qui manere, id ait Auguſt. forte decidendum eſt.

Quo ad laicos dico primo in omnibus caſibus in quibus licet Paſtoribus, & Clericis fugere, multo magis ipſis licere. Dico ſecundo cõiter in perſecutionibus laicis omnibus licere fugere: quia non tenẽtur cõiter animas ſuas ponere pro alijs, dixi cõiter: nam ex aliqua cauſa ad id tenentur. Verbi gratia ſi obligentur ex Charitate. Cęterum hac cauſa excepta omnibus licitũ eſt fugere, ſiue antequã cõprehendantur, ſiue poſtquam cõprehenſi ſunt, quia non videntur habere maiorẽ obligationẽ manendi poſt comprehenſionem, quã antea, quicquid dicat Abulenſis loco citato; quod patet exemplo D. Petri, qui miraculoſẽ liberatus ab Angelo fugit, poſtquã miſſus fuit in carcerem, tertio dico quando laicis licet fugere, aliquãdo melius faciunt fugiendo, interdũ non fugiendo: nã interdũ poſſunt manere ſine periculo ſaltẽ probabili proprię ſalutis ſpiritualis, & cum magna ædificatione, & vtilitate aliorum, ẽ contra vero non fugiẽdo probabiliter ſe exponũt periculo propriæ ſalutis, & temere faciunt; maxime ſi diffidunt de propria cõſtantia, & nihil, aut parũ ſępe iuuãt proximos.

Ex his ſequitur Catholicos exiſtentes in Anglia, ſi habent firmum propoſitum, quod ope diuina nunquã negabunt fidem, ſed illam confitebũtur, qñ fuerit neceſſe, non teneri patriã deſerere; ſi vero carẽt pręducto propoſito, & animi conſtantia, vel experientia comperiunt ob tormenta, & pericula, quæ illis inferuntur verſari in maximo periculo peccandi contra confeſſionem fidei, imo ſe peccaturos in tali occaſione cõtra fidei cõfeſſionẽ, teneri potius recedere à patria, & bonorũ temporaliũ detrimentũ pati, quã ſpiritualiũ. Lege pro hac materia D. Athan. in Apologia pro ſua fuga. Cyprian. lib. 3. Epiſt. 5, & 10, & in ſer. de lapſis. Nazian. in orat. in laudẽ Baſilij, & D. Bern. Epiſt. 1.

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum fides ſit vna, & quo pacto.

Haec queſtio eſt breuis, & verſatis in doctrina Doct. ſub ſatis facilis; pro eius tñ clariori intelligentia obſer. eſt quòd Scotus in hac quæſt. explicat primo à quo habitus intellectualis nimirum ſcientia habeat ſuam vnitatem, ſecundo oſtendit ex dictis quomodo fides dicatur vna.

Vnitas habitus eſt duplex. Quo ad primum obſeruandum eſt, quod vnitas habitus eſt duplex, altera intrinſeca, & altera extrinſeca, vni-

tatem

Digitized by Google

tatem intrinſecam ſumit habitus à ſua differentia formali, ab eadem enim reſumit habitus ſuam vnitatem, à qua ſumit ſuam entitatem; at intrinſece à ſua differentia formali habet habitus ſuam quidditatem & entitatem, ergo ab eadem differentia formali, habet intrinſece vnitatẽ; ſi autem fiat ſermo a quo habitus extrinſece, & effectiue habeat ſuam vnitatem, dicendũ eſt quo ad ſpecificationem habere illam ab obiecto; nam licet effectiue producatur etiã ab intellectu, ſpecificatur tamen habitus ab obiecto.

Dicit ergo Sotus, quòd quilibet habitus intellectualis habet vnitatem, ex vnitate ſui primi obiecti, in quo habitus virtualiter continetur, ſicut in ſua cauſa partiali; dicit notanter habitus intellectualis, quia duplex eſt habitus vnus intellectualis, qui eſt ſubiectiue in intellectu, & alter appetitiuus, qui informat volũtatẽ, quæ dicitur appetitiuus; habitus ergo intellectualis habet vnitatẽ ex vnitate ſui primi obiecti; id eſt principalis hoc eſt attributionis, vel adequati; & iuxta obiecti vnitatem habitus dicitur vnus. Verbi gratia ſi obiectũ habet vnitatẽ ſpecificã habitus eſt vnus vnitate ſpecifica, ſi genericam habitus ſimiliter genericam vnitatem habet, & ratio eſt quia obiectum virtualiter continet habitum, nam vna cum intellectu effectiue habitum producit. Sicut Geometria dicitur vnus habitus ex vnitate lineæ, in qua linea omnia alia, quæ deducũtur in ſcientia illa virtualiter continẽtur mediatius, vel immediatius ſecundum quod ſe habent ad illam. Nã ſupponamus, quod linea ſit vna ſpecies ſpecialiſſima continet mediate concluſiones geometricas, & immediate principia; quemadmodum in ſciẽtia de homine, ſi de eo eſſet aliqua ſpecialis ſcientia, homò immediate contineret, principia illius ſcientiæ, & mediate concluſiones, vt ſi de homine habeatur ſcientia quod ſit diſciplinæ capax, homo immediate continet hæc principia omne animal rationale eſt diſciplinæ capax, omnis homo eſt animal rationale; & his mediantibus continet hanc concluſionem, omnis homo eſt diſciplinæ capax.

Vnde obſer. eſt quòd propoſitiones in ſcientia ſunt in duplici genere; quædam ſunt notæ ex terminis, vt omnes propoſitiones per ſe notæ, & quędam ſunt notæ præciſe, propter propoſitiones per ſe notas, primæ dicuntur contineri in ſubiecto non præciſe virtualiter, verum etiã eſſentialiter: Nam ſubiectum continet formaliter, & eſſentialiter definitionem, & virtualiter propriam paſſionem; atq; adeo quia ſubiectum eſſentialiter continet definitionem, continet hanc propoſitionem immediatam omnis homo eſt animal rationale; & quia definitio eſt adæquata, & immediata cauſa propriæ paſſionis de ſubiecto demonſtrandæ, quæ vt dixi in ipſomet ſubiecto virtualiter continetur, Ideo continet etiam hanc immediatam; omne animal rationale eſt diſciplinæ capax: atque ita ſubiectum vt comparatur ad definitionem, continet immediate, formaliter, & eſſentialiter hanc propoſitionẽ immediatam, omnis homo eſt animal rationale, ratione alterius extremi nempe diffinitionis, quam formaliter, & eſſentialiter continet; pro vt vero comparatur ad paſſionem, quã continet virtualiter immediate continet alteram propoſitionem immediatam, ſcilicet iſtam omne, animal rationale eſt diſciplinæ capax, & hoc virtuali continentia ratione alterius extremi, nempe paſſionis, quam virtualiter continet.

Aliæ ſunt concluſiones demonſtratæ, quæ virtualiter, & immediate continentur in præmiſſis per ſe notis: quia ex illis immediate inſeruntur, remote vero, & mediate continentur virtualiter in ſubiecto demonſtrationis, dicitur ergo habitus ſcientificus virtualiter contineri in obiecto; quia ſubiectum includit eſſentialiter cauſam præciſam, & immediatam paſſionis demonſtrabilis, atque adeo virtualiter continet, licet remote ſcientiam concluſionis demonſtratæ, & omnium concluſionum, quæ per eamdem rationem formalem de ſubiecto demonſtrantur. Et ſubdit Scotus, quod ſi alia explicita in ſcientia conſiderentur ſub proprijs rationibus in ſe, non autem vt continentur in aliquo vno primo ſubiecto, forte tot ſunt habitus, quot concluſiones diſtinctæ ſpecie ſunt demonſtratæ. His verbis tacite innuit doctor diſtinctionem concluſionum, quæ in ſcientia demonſtrantur, poſſunt enim omnes concluſiones quæ demonſtrantur, in aliqua ſcientia biſariam conſiderari, vno modo ſecundum earum proprias rationes formales, altero modo quatenus in ſubiecto de quo demonſtrantur virtualiter modo ſuperius explicato continẽtur, ſi priori modo conſiderentur tot ſunt habitus, ſeu ſcientiæ formales, quot ſunt concluſiones demonſtratæ termino, vel terminis differentes: dixi termino, vel terminis differẽtes; quia tripliciter poſſunt cõcluſiones differre inter ſe, aut ex parte ſubiecti tantum, vt cœlum eſt mobile, ignis eſt mobilis aut ex parte prædicati tantum, vt cœlum eſt mobile, cœlum eſt incorruptibile, aut ex parte ſubiecti, & prædicati ſimul, vt cęlum eſt mobile, ignis eſt generabilis, & corruptibilis, & cum concluſiones iſtæ ſint inter ſe differentes, ſunt de eis habitus ſiue ſcientiæ formaliter differentes. Si vero concluſiones conſiderentur poſteriori modo, vt ſcilicet virtualiter continẽtur in vno ſubiecto primo, ſic omnium concluſionum eſt vnus habitus, qui dicitur vnus ab vnitate, & ratione formali obiecti, atque ita omnes concluſiones, quæ demonſtrantur de corpore naturali ſunt vnus habitus, & phyſica vna ſcientia appellatur ab vnitate corporis naturalis, quod eſt eius ſubiectum, & ab vnitate rationis formalis corporis naturalis, per quam omnes concluſiones phyſicæ de corpore naturali demõſtrantur.

Quo ad ſecundum applicando ad propoſitum de fide, inquit Doctor. Non poteſt dici quod fides infuſa habeat vnitatem ab obiecto primo, ſcilicet Deo: quia Deus non mouet in ratione obiecti ad cognitionem omnium credibilium, nec in Deo, vt in obiecto concipiuntur omnia credibilia, vt ex illo deduci poſſunt, quia licet Deus cõtineat virtualiter omnia credibilia neceſſaria; & Deus volẽs omnia credibilia contingentia: quia tamen Deus nõ videtur à nobis intuitiue, & in particulari pro ſtatu iſto, qui eſt ſtatus fidei: ideo nec credibilia concipiũtur in Deo, vt in obiecto primo in particulari; licet contineat omnia, vt cauſa effectiua omnium. Ideo oportet dicere, quòd habitus fidei habeat vnitatem, vel ab vnitate reuelantis credibilia: quia omnia reſpiciuntur à fide, vt reuelata à Deo, & reuelatio vt diximus ſupra eſt ratio obiecti fidei ſub qua, quæ eſt vna in omnibus, ſecundum opinionẽ D. Thomæ à qua non recedit Doct. ſub. vt ſupra explicauimus, vel quod habeat vnitatẽ in ſe formaliter ex ſe ipſa, quamuis illam effectiue habeat à Deo, & non habeat vnitatem ex aliquo vt obiecto, ſicut habent ſciẽtiæ cauſatæ ab obiecto, in ratione obiecti, Et hic modus dicendi poteſt reſolui per tres Concluſiones. Fides infuſa à quo habet ſuã vnitatem.

Prima Cenclusio Habitus fidei infuſæ ſumit ſuam vnitatem intrinſecam à propria ratione formali. 1. Concl.

Secunda Concluſio. Fides infuſa non habet ſuam vnitatem à Deo in ratione obiecti: quia non cauſatur à Deo immediate tamquam ab obiecto. 2. Concl.

Tertia Concluſio. Fides infuſa ſumit ſua vnitatem extrinſece a Deo efficiente, & producente illam: quia ab eodem habet vnitatem extrinſece à quo habet entitatẽ; ſed fides extrinſece habet ſuam entitatem à Deo illam creante, vel producente, ergo ab eadem habet, & vnitatẽ. Habet ergo fides infuſa vnitatem à Deo efficiente, nõ autem à Deo dante ipſi euidentiam; Sed quomodcunque ſit. Fides eſt vna; probatur ex D. Paulo ad Epheſ. 4. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma Non eſt autem vna vnitate obiecti materialis, circa quod, quia obiecta materialia fidei de hoc modo ſunt multa, ſed dicitur vna vnitate obiecti de quo, & propter vnam rationem formalẽ obiecti, ſub qua; omnia enim quæ creduntur de Deo ſub hac ratione formali creduntur: quia ſunt reuelata à Deo. Et hæc ſunt quæ habet Scotus circa materiam de fide. Circa quam pro ampliori eius notitia occurrit examinãdus grauiſſimus tractatus de authoritate Eccleſiæ, Papæ, & Conciliorum. Qui hoc noſtro tempore maxime eſt neceſſarius contra lutheranos dictas authoritates labefactantes. Et quia Doct. ſub. de hac materia neque hic, neque alibi ex profeſſo tractat, vt pote quia tempore ſuo non erat inter Catholicos, & hæreticos controuerſia ſicut modo in noſtris infælicisſimis temporibus; Ideo vt ſcotiſta de ea breuem, atque reſolutam notitiam habeat eam duxi in hoc loco examinandam. 3. Concl.

TRACTATVS DE ECCLESIA, Papa, & Concilijs.

TOta Eccleſia eſt veluti Corpus, cuius caput eſt Papa, Concilia vero vniuerſalia ſunt præcipua mēbra eius; quare triplex erit principalis quæſtio, diuidenda in diuerſos articulos. Prima erit de Eccleſia, ſecunda de Papa ſecundum ſe, & comparato ad ipſam Eccleſiam, tertia de Concilijs.

QVAESTIO PRIMA de Eccleſia.

DE Eccleſia ſcripſerunt B. Auguſtinus lib. de vnitate Eccleſiæ. B. Cyprianus lib. eiuſdem tituli, Optatus libris ſex contra Parmenianum. Thomas Valdenſis tom. 1. lib. 2. Doctr. fidei à cap. 8. & deinceps. Turrecremata in ſumma de Eccleſia. Ioan. Driedo lib. 4. de dogmatibus Eccleſiaſt. cap. 2. Albertus Pygius controuerſia. 3. Card. Oſſius in Confeſſ. in explicatione ſymboli, & lib. 5. contra Prentium. Nicolaus Sanderus de Monarchia Eccleſiaſtica. Petrus à Soto prima parte defenſionis ſuæ contra Prentium. Ioannes Cochleus philippica. 4. & in lib. de ſcripturæ, & Eccleſiæ authoritate. Ioannes Echyus initio ſui Enchiridij. Alphonſus à Caſtro lib. 6. contra hęreſes. Canus lib. 4. de locis. Franciſc. Turrianus in libris. 12. de Eccleſia, & eius miniſtris. Stapletonius in relectione ſcholaſtica principiorum fidei doctrinalium cōtrouerſia. 1. & 2. Card. Bellar. tom. 1. lib. 3. quartæ Cōtrouerſiæ generalis. Diuiditur autem hęc prima quæſtio in 12. articulos.

Art. 1. Vtrum Eccleſia ex ſolis conſtet electis.
Art. 2. Vtrum Eccleſia, quam in ſymbolo credimus, ſit viſibilis, ſenſibilis, & corporea.
Art. 3. Vtrum Eccleſia ſit vna vel plures.
Art. 4. Vtrum Eccleſia ſit ſancta.
Art. 5. Vtrum Eccleſia ſit Catholica, ideſt vniuerſalis.
Art. 6. Vtrum Eccleſia ab exordio mundi inceperit, & vſque ad finem mundi ſit duratura.
Art. 7. Vtrum Eccleſia ſit Apoſtolica, & quare.
Art. 8. Vtrū Eccleſia Romana ſit vera Chriſti Eccleſia.
Art. 9. Vtrum tota Eccleſia poſſit errare circa fidem.
Art. 10. Vtrum Eccleſia habeat certas regulas, quibus vtitur ne poſſit errare, & quæ ſint.
Art. 11. Vtrum Eccleſia ſit tanta, vel maioris authoritatis, quam diuina ſcriptura, & traditio Apoſtolica.
Art. 12. Vtrum in Eccleſia ſit poteſtas proponendi ea, quæ ſunt credenda, & iudicandi de rebus fidei.

ARTICVLVS I.

Vtrum Eccleſia ex ſolis conſtet electis.

DE hac re fuerunt quā plurimæ hęreſes, quæ tñ ad tres reduci poſſe videntur. Prima eſt lutheranorū affirmantium Eccle am eſſe congregationē animorum credentium in vnum Chriſtum, ex quo inferunt Eccleſiam eſſe inuiſibilem, ſicut & ipſi animi, atque ideo etiam reijciunt ſacramenta exteriora, & omnem exteriorem cultum diuinum, dicunt enim Eccleſiā inuiſibilem internis obſequijs Deum debere colere, & non externis; de hac hęreſi agemus infra art. 6.

Secunda hęreſis eſt donati aſſerentis Eccleſiā conſtare ex ſolis iuſtis, & bonis, quales ſecundū ipſum erant ſoli donatiſtæ. Refert hunc errorē D. Aug. de hęreſibus. c. 69. & ſuper pſal. 36. conc. 2. prope finē & Caſtro aduerſus hęreſes verbo Eccleſia hęreſi. 1. Ad quā reducitur error Pellagianorū qui dicebant eſſe multitudinē hominū perfectorū nullū peccatū habētiū, atq; etiā lutheranorū negantiū aliquid eſſe veniale peccatū, & peccata mortalia iuſtis nō imputari, ſi adſit fides, & proinde eū qui habet fidē ſimul eſſe iuſtiſſimū, & in omni tēpore peccare. Quod explicat magis Caluinus docens Eccleſiā cōſtare ex ſolis iuſtis prędeſtinatis hūc errorē confirmāt auth. D. Pauli ad Epheſ. 1. 4. & 5. quibus in locis Eccleſiā eſſe dicit corpus Chriſti, at non pōt Chriſti habere mēbra dānata, vt ait D. Aug. contra Creſconiū lib. 2. c. 21. ergo &c. Itē, c. 5. inquit Chriſtus dilexit eccleſiā, & ſe ipſū tradidit pro ea, vt eā ſanctificaret mundans eā lauachro aquę in verbo vitę, vt exhiberēt ipſe ſibi glorioſam eccleſiā non habentem maculā, aut rugā aut aliquid huiuſmodi. ſed vt ſit ſācta & immaculata; ſed peccatores Deus nō diligit, nec sūt glorioſi, nec ſancti, nec immaculati, ſed habent maculas, & rugas, ergo &c. Et cōfirmatur primo. Eccleſia appellatur ſancta, ergo eſt collectio ſanctorū tantū; Secūdo cōfirmatur ex illo cantic. 4. tota pulchra es amica mea, & macula nō eſt ī te ergo &c.

D. Aug.
Caſtro.
D. Aug.

Tertia hæreſis ſuit Ioan. Vuicleph. & Ioan. Hus. aſſerētium eccleſiam conſtare ex ſolis prædeſtinatis, ſiue ſint fideles, ſiue infideles, ex vinculo. n. prædeſtinationis colligātur Chriſto. Iſte error fuit damnatus in Concilio Conſtātienſi ſeſſ. 15. errore. 4. & 5. & 20. & 21. Et probatur iſte error primo ex illo Ioan. 10. oues meę vocem meam audiūt &c. & non peribunt in æternū, & nemo rapiet eas de manu mea; tales autem ſunt ſoli electi; & confirmatur auth. D. Aug. qui tract. 45. in Ioan. hunc locum exponens docet ſolos prædeſtinatos eſſe oues Chriſti.

Conciliū Conſtan.
D. Aug.

Secūdo probatur ex illo. 1. Ioan. 2. Ex nobis prodierūt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis permāſiſſent vtique nobiſcum, vbi inſinuatur reprobos etiam fideles non eſſe membra eccleſiæ.

Tertio probatur. In Archa Noe ſolum fuerunt qui ſalui facti ſunt, Archa autem Noe ſignificabat eccleſiam, ergo ſolum qui ſaluantur ſunt membra eccleſiæ. Et confirmatur authoritate Patrum: Nam Clemens Alex. lib. 7. ſtrom. in fine vocat eccleſiam cętum electorum in quem colliguntur fideles, & iuſti, quos Deus ante conditum orbem prædeſtinauit. Ambroſ. in cap. 3. ad epheſ. definiens eccleſiam inquit, eam eſſe populum, quem adoptare ſibi dignatus eſt Deus. D. Greg. in Iob. lib. 18. c. 9. affirmat omnes electos intra menſuras eius contineri, extra eam eſſe omnes reprobos. D. Bernardus ſer. 78. in cant. dicit eccleſiam eſſe cętum omnium electorum ante mundi conſtitutionem. D. Auguſt. tum locis citatis, tum etiam de chatech. rudibus. c. 20. ait omnes homines ſanctificatos qui ſunt, qui fuerunt, qui futuri ſunt eſſe ciues huius cœleſtis Hieruſalem. ergo &c.

Clemens Alex.
Ambroſ.
Gregor.
Bernard.
Auguſt.

Pro ſolutione obſer. eſt primo, quod eccleſiæ nomē eſt dictio gręca, quæ à verbo eccaleo, quod eſt euoco deriuatur, & ſocietatem ſignificat in vnum vocatam, idque ab alio, & authoritate alterius. Veteris populi ſocietas, aliquādo eccleſia vocatur, vt Num. 22. & 1. Paralip. 20. ſed ſæpius Synagoga, quo etiam ſolo nomine in Euangelio nuncupatur. Primum vocabulum ſolum retinuerunt Apoſtoli, tum vt à Iudæis diſtinguerentur, tum præcipue: quia ſignificatior eſt eccleſiæ vox, magiſq; propria populo Chriſtiano, quam Sinagoga, vt notat D. Auguſt. in enarratione pſal. 81. in illud Deus ſtetit in Synagoga deorum. Nā & ſi eadem ſit eccleſia veteris teſtamenti, & noui, quo ad eſſentiam, tamen quia ſtatus eccleſiæ noui teſtamenti eſt longe excellentior, ideo ſignificatiori nomine, atq; excellentiori appellatur; Nam Synagoga dicitur congregatio, eccleſia vero vt diximus euocatio, at non ſolum homines ſed etiam bruta, & res inanimes congregantur, ſed nō euocantur niſi homines; atq; adeo ſancti nunquam eccleſiā vocauerunt Synagogam. eccleſia etiam dicitur de bona, & de mala, adeoq; nomen eccleſiæ cum aliquo adiuncto in bonam atque in malam partem accipi poteſt; Iuxta illud laus eius in eccleſia ſanctorum pſal. 149. & iterū odiui eccleſiam malignantium. pſal. 25. Tribuitur hæc vox eccleſia particularibus fideliū conuentibus in ſcripturis; vt eccleſia Dei quę eſt Corinthi. 1. Corint. 1. & domeſtica Aquilę eccleſia. 1. Corint. 16. & ſimilia per multa interdū etiam ſumitur pro eccleſię paſtoribus, vt Matth. 18. Dic eccleſiæ vel pro ipſis ouibus, & ſubditis, vt Act. 20. Regere eccleſiam Dei. tamen in præſenti materia vox eccleſiæ nihil aliud quam vniuerſam fidelium multitudinem toto orbe diffuſam ſignificat. Hæc etiam eccleſia habet tres præcipuas partes triumphantem, quæ eſt in Cœlis, militātem, quæ eſt in terris, & purgantem in Purgatorio, Nos tantum de militanti eccleſia loquimur. templum appellatur eccleſia translatiue ſumendo continens pro contento, illic enim conueniunt & conuocantur Chriſtiani.

D. Aug.
Tho. Vual.

Secundo obſer. eſt ex Thoma Vualdenſi lib. 2. doctrin. fidei. c. 28. Membra corporis Chriſti myſtici, quędam eſſe coniuncta ipſi Chriſto, quædā coniunctiora, quædā cōiunctiſſi.

Membra eccleſiæ ſunt triplicia.

iunctiſſima. Coniuncta ſunt omnia, quæ Chriſtum induerunt per fidem, aut per baptiſmum ſacramentũ fidei, & applicatum ſibi, Chriſtum habent per communionem ſacramentorum. Vnde Paulus ad Galat. 3. Omnes filij Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto. Quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis Chriſtũ induiſtis. Coniunctiora membra ſunt, quæ non ſolum per fidem, & ſacramentorum vſum, ſed etiam per Charitatem Chriſto adhærēt, & vnus cum eo ſpiritus ſiunt. Ad talem coniunctionē hortatur ſcriptura ipſos iam baptizatos, vt certius Chriſtũ comprehendant. 1. Corint. 9. Sic currite, vt comprehendatis, & 2. Petri. 1. Satagite, vt per bona opera certam veſtra vocationem, & electionem faciatis. Coniunctiſſima membra ſunt, quæ non ſola fide, & Charitate, ſed etiam ſpe nō fruſtrabili, & finali, perſeuerantiæ connexa Chriſto coniunguntur; hoc enim proprium eſt electis. Itaq; primi ſunt membra per fidē, ſecūdi chara mēbra per charitatē, tertij chariſſima mēbra propter electionē Rurſus primi, vt credentes, ſunt aliquãta membra, ſecundi vt amantes magna tertij, vt perſeuerãtes præcipua, omnes denique tales ſunt membra Eccleſiæ licet diuerſo loco, honore, & gradu.

Eccleſia Chriſti multis nominibus apellatur.

Tertio obſer. eſt, Eccleſiã Chriſti propter hęc tria ſuorum membrorum genera varias in ſcriptura nuncupationes accipere, propter primum genus vocatur Domus magna, in qua ſunt vaſa in honorem, & vaſa in cõtumeliam 2. Tim. 2. Item Ciuitas ſupra montem poſita Matth. 5. in qua ſunt Ciues qui ambulant iuxta formã Apoſtolicam ad Phylip. 3. & digne Deo. 1. Theſſal. 2. & ſunt alij ambulantes inordinate 2. Theſſal. 3. Item ager in quo creſcit triticum cum Zizania Matth. 13. Area, quæ continet triticum cum palea Matth. 3. Sagena miſſa in mare: quia prædicatio Eccleſiæ congregat piſces bonos, & malos. Matth. 13. deniq; regnum cęlorum in quo ſunt Virgines prudentes, & fatuæ, quæ non habent oleum in lampadibus ſuis, ideſt bona opera cum fide; lege D. Auguſt. hæc loca tractantem contra Pitilianum lib. 3. cap. 2. 9. 12. 28. & de vnitate Eccleſiæ. cap. 13. 15. 16. & Cyprianum lib. 4. Epiſt. 2. Propter ſecundum genus, vocatur Eccleſia corpus Chriſti ad Epheſ. 1. Cuius membra ſunt templum Dei, & ſpiritus ſancti. 1. Corint. 3. & 6. & habent ſpiritum Chriſtum, quo aguntur. Rom. 8. Item ſponſa Chriſti, quam diligit ad Epheſ. 5. deniq; domus ſpiritualis, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis 1. Petri. 2. Propter tertium genus vocatur Eccleſia hortus concluſus, fons ſignatus, Vnica columba, vna perfecta mea, amica mea tota pulchra Cant. 4. Comparatur Arcæ Noē. 1. Petri. 3. In qua non omnes, ſed pauci ſaluantur. Denique Vxor agni Apoc. 19. Hæc enim omnia ſolis electis, & finaliter perſeuerantibus, ideoq; arctiſſime coniunctis competunt.

D. Aug.

D. Cypria.

Differētia eorū qui ſunt in Eccleſia.

Quarto obſer. eſt Quoſdam eſſe in eccleſia numero, & vocatione tantum; qualis erat Iudas inter duodecim Apoſtolos, cui Chriſtus dixit Ioannis. 6. Vnus ex vobis diabolus eſt, vocatione, erat vnus ex Apoſtolis, ſed opere diabolus, vnus erat ſpecie, non virtute. Alij ſunt in Eccleſia, & numero, & merito propter virtutē ipſam pietatis, quam retinent, Alij deniq; numero, & merito, & electione propter perſeuerantiam in bono, de quibus Apoſt. ad Rom. 8. Quis accuſabit aduerſus electos Dei?

Quinto obſer. eſt. Quoſdam eſſe in Eccleſia, vt ſeruos in Domo. Seruus autē non manet in Domo in æternum Ioan. 8. Alij ſunt in Domo Dei, vt filij Dei; ſicut ciues, amici, & domeſtici eius. Vos amici mei eſtis ſi feceritis omnia, quæ ego præcepi vobis. Ioan. 15. Iam non eſtis hoſpites, & Aduenæ, &c. ad Epheſ. 2. Alij deniq; ſunt in eadem domo vt hæredes; Quamuis enim dixit Apoſt. ad Roma. 8. Si filij ergo, & hæredes, adiecit tamen conditionem, ſi tamen cõpatimur, vt glorificemur, ſatis docens eſſe quoſdam ad tempus filios, qui non glorificantur, vt hæredes: quia non compatiuntur ſuſtinentes vſq; in finē. Qui autem ſuſtinuerit vſq; in finem ſaluus erit. Matth. 13.

Separatio ab Eccleſia eſt duplex.

Sexto obſer. eſt quòd ſeparatio ab Eccleſia eſt duplex, vt ad propoſitum ſpectat, vna interna, altera externa interna quoq; eſt multiplex quemadmodum, & vnio interna multiplex eſt; ſed vt minimũ fidei, & ſanæ doctrinę vnitas eſt neceſſaria; externa vnitas in ſacramentorum, & externi cultus communione conſiſtit, poteſt autem aliquis internam retinere amiſſa externa, vt fidē, & Charitatem retinere, qui propter peccatum aliquod excommunicatur, externam autem plurimi retinent abſque interna, vt impij, & hypochritæ occulti.

Hereticus duplex.

Septimo obſer. eſt. Hæreticum dupliciter intelligi poſſe, vel qui occultus adhuc eſt, & ſuo tantũ iudicio cōdemnatus ad Titum. 3. vel etiam per Eccleſiæ ſententiã declaratus, & præciſus. Primus habet adhuc externam ſocietatem cum Eccleſia abſq; interna, ſecundus neutrã habet, ſed eſt ſarmentum præciſum à vite; vt loquitur. D. Aug. lib. de paſtoribus, cap. 8. & purgamentũ Eccleſię vt idem loquitur lib. de vera religione capite quinto.

D. Aug.

Poſtremo obſer. eſt poſſe aliquem Eccleſiæ membrum eſſe ſecundũ quid, qui tamen ſimpliciter nō eſt, vt Aethiopes poteſt dici albus, propter dentes, ſic propter characterem baptiſmalem quadamtenus ad militatem Eccleſiam pertinet, ſicut transfuga ad Ducis ſui exercitum; non quidem, vt vel de numero militũ ſit, vel vt vllam prorſus ſocietatem, aut coniunctionem cũ vero Duce ſuo, & exercitu eius retineat, ſed tantum, vt propter veterē characterem captus quidem non redimatur vt victus hoſtis, ſed occidatur, vt transfuga; reconciliatus autem non de nouo initietur vt prorſus alienus, ſed reparatione aliqua facta ad militiã ſine nouo ſacramento recipiatur. Sic enim hæreticus recedens à fide, non dimittitur vt Paganus, ſed propter baptiſmi characterem ponitur vt transfuga, & excommunicationis gladio ſpiritualiter occiditur, reconciliatus vero, non vt infidelis baptizatur, ſed vt Chriſtianus per impoſitionem manuum in corpus Eccleſiæ rede integratur lege D. Auguſt. de baptiſmo paruulorum lib. 3. cap. 16. & contra Parm. lib. 2. cap. 13.

D. Aug.

Concluſio prima.

His obſeruatis ſit prima Concluſio. Peccatores fideles ſunt vera membra Eccleſiæ, quamuis ſint præſciti. Probatur ex illo Matth. 3. Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & cõgregabit triticum in horreum ſuum paleas autē ſubijciet igni inextinguibili. Item Matth. 13. Simile eſt regnum cęlorum, ideſt Eccleſia, ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti, &c. Iterum Matth. 25. Simile eſt regnum cœlorum decem virginibus, &c. ex his authoritatibus colligitur quod Eccleſia conſtat ex electis, & reprobis, ex iuſtis & peccatoribus, qd confirmat D. Paulus. 1. Tim. 3. vbi poſtq̃ dixit Eccleſiam eſſe Columnam, & firmamētum veritatis eam appellat domũ Dei viuentis, & de eadem loquēs. 2. Timot. 3. dicit In magna domo, ſunt vaſa in honorem, & quædam in cõtumeliam, ij ſunt electi, & reprobi, probatur: quia Roman. 9. Vaſa in honorem vocantur vaſa miſericordiæ, & vaſa in contumeliam vocantur vaſa iræ apta in interitum.

Præterea Eccleſia Chriſti proprie illa eſt, cōtra quam portæ inferi non præualebunt. Matth. 16. ſed in illa ſunt quibus, & ſoluenda, & liganda erunt peccata ibidem. Soluuntur autem electorum peccata (nam de ijs, qui foris ſunt Eccleſia non iudicat 1. Corint. 5.) ligantur reproborum, qui pęnitentiam non agunt; ergo Eccleſia ex electis, & reprobis conſtat.

Itē Eccleſia Chriſti proprie illa eſt, in qua ſpiritus ſanctus docet omnē veritatem. Ioa. 14. ſed ille ſpiritus docet interdum per miniſterium reproborum. Hoc enim Paulus metuens dixit. Caſtigo corpus meum, ne cũ alijs prædicauero ipſe reprobus efficiar. 1. Corinth. 9. & ad Philip. 1. docet Quoſdam Chriſtum prædicare, per inuidiam, & contentionem: lege D. Aug. lib. 2. cap. 11. contra Parmen. & ſermone 44. de verbis Domini.

D. Aug.

Deinde de membris Eccleſiæ dixit Diuus Ioan. exierunt ex nobis, ſed non erant ex nobis; 1. Ioan. 2. & Diuus Paulus Act. 20. Attendit vobis, & vniuerſo gregi, in quo poſuit vos ſpiritus ſanctus regere Eccleſiã Dei, & parum infra ex vobis ipſis exurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe, tales ſunt hæretici, ergo iuxta ſententiam D. Ioan. fuerunt de Eccleſia reprobi, alioqui exijſſe dici non poterant, & iuxta ſententiã D. Pauli quidam illius Eccleſiæ tunc erant membra, qui poſtea ab ea defecturi erant, atq; adeo reprobi. Hoc etiam docet D. Petrus alloquens Eccleſiam fidelium. In vobis erant Magiſtri mendaces. 2. Petri. 2.

Sub inde ſi ex ſolis electis conſtat Eccleſia, vel quatenus ſunt electi tantum, vel quatenus vocati, & electi.

Digitized by Google

Si prius ergo etiam ante vocationem erunt membra Eccleſiæ. Hoc autem contradicit Chriſto dicenti Ioan. 10. Alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili; & illas oportet me adducere. Dicit ſuas oues per electionem nondum eſſe de ouili ſuo, ideſt de Eccleſia ſua, ſed adducendas in Eccleſiam per vocationem. Si poſterius, ergo non ex electibus quatenus talibus, ſed ex vocatis quatenus huiuſmodi conſiſtit Eccleſia. Et confirmatur quia nomen Eccleſiæ à vocatione dictum eſt, vt oſtendimus notabili primo, & confirmatur concluſio ex traditione Eccleſiæ, & ex communi ſenſu omnium ſanctorum & fidelium; Tum etiã quia ſi peccatores, & reprobi non eſſent membra Eccleſiæ merito dubitaremus, quis conſecraret, & quis abſolueret, quod eſt maxime abſurdum.

2. Concl. Secunda concluſio excommunicati fideles ſunt vera membra Eccleſiæ, probatur primo. Vnio membrorum Chriſti fit per fidem, hanc habent excommunicati, ergo, &c. vocantur autem præciſi ſecundum quid, ſcilicet quo ad externam communicationem, & conuerſationem fidelium, & etiam quo ad internam communicationem meritorum Eccleſiæ, quibus omnibus priuantur. lege D. Auguſt. contra Donatiſtas. c. 20.

3. Concl. Tertia concluſio. Hæretici occulti antequam publica ſententia Eccleſiæ præſcindantur, ſunt partes Eccleſiæ. probatur, quia ſunt vniti Eccleſiæ; ergo ſunt Eccleſiæ partes. probatur antecedens. Quia nullus Theologorum recte ſentiens aſſerit Papam priuari authoritate, & poteſtate ob hæreſim occultam, nec Epiſcopos, & Prælatos alios. atque adeo hæreticus occultus excommunicat propter externam adhuc vnionem cum Eccleſia, vbi cætera non deſunt. Vere etiam conſecrat, propter characterem ordinis, qui eſt Chriſti poteſtas, ratione cuius ſecundum quid ad Eccleſiam pertinet, vt dictum eſt. vide hac de re Petrum Damianum epiſt. 15. c. 20. & 30.

4. Concl. Quarta concluſio. Hæretici iam damnati per Eccleſiã ſententia publica; non ſunt membra Eccleſiæ, & de his intelligendi ſunt Doctores, & Concilia aſſerẽtia hæreticos non eſſe membra Eccleſiæ. probatur. quia nihil influit caput Chriſtus in illis, nec motum internum fidei, ſpei, & charitatis, nec externum abſoluendi, excommunicandi, &c. Aliquo tamen modo pertinent ad Eccleſiam, nempe vt transfuga habens notam militarem, ſed non vt Ciuis, & domeſticus. Iudicat autem Eccleſia de hæretico nondum præciſo, vt abſcindatur, quia donec per ſententiam non abſcindatur, habet ſaltem externam vnionem cũ Eccleſia; Quare qui dixit hæreticum ſuo iudicio eſſe condẽnatum propter internam vnitatem penitus diſruptam, ad tit. 3. ibidem tamen dixit, Illum poſt vnam, aut alteram correptionem eſſe deuitandum; ideſt à communione fidelium præſcindendum. & alibi. Vtinam abſcindantur, qui vos conturbant, Gal. 5. Quia manebat adhuc externa vnitas in faciem Eccleſiæ; quam ob cauſam hæreticum excommunicat Eccleſia vt conſtet eum iam foris eſſe, ſed de excommunicato non amplius iudicat. tradens eum ſęculari brachio, a quo vt transfuga, non vt verus miles; vt malus Ciuis non vt Eccleſiæ filius iudicatur, & punitur. ex his omnibus infertur triplex eſſe membrum Eccleſię, quoddam perfectũ, vt ſunt iuſti, qui perfecte viuũt in ſuo capite Chriſto. Aliud imperfectum, vt ſunt peccatores fideles, in quod caput Chriſtus influit, motum vitale. ſ. fidei, & ſpei; & aliud imperfectiſſimum; vt ſunt hæretici nondum excluſi ab Eccleſia per publicam ſententiã; in quod Chriſtus influit motum externum. ſ. abſoluendi, & excommunicandi; ſunt enim arida membra nondum exciſa; atque ita continuantur corpori, velut manus arida hæretici autem damnati nullo pacto ſunt membra Eccleſiæ, quæ eſt corpus Chriſti.

5. Concl. Quinta concluſio. Electi nõdum baptizati in Chriſto, non ſunt membra Eccleſiæ. probatur; quia electio ſeu prædeſtinatio nihil ponit in prædeſtinato, ſed eſt tantum ratio in mente diuina, alioqui, quæ ab æterno prædeſtinantur vt ſint, etiam ab æterno exiſterent. Item ſi electio faceret membrum Eccleſiæ, ſuperflua eſſet vocatio, at quos elegit ab æterno, hos vocauit in tempore. Roman. 9. ergo &c. Item ex præſenti vocatione, & coniunctione cẽſetur aliquis membrum Eccleſiæ, non ex prædeſtinatione, ergo &c. probatur antecedens ex illis Petri verbis, vbi Gentilibus baptizatis dicit. Vos aliquando non populus Dei nunc autem Populus Dei. 1. Petri. 2. Ruſus ex Pauli verbis ad Epheſ. 2. Eratis in illo tempore alienati à conuerſatione Iſrael, &c. iam autem non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis Ciues ſanctorum, & domeſtici Dei. & c. 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Electi igitur ante vocationem ſunt non populus Dei, aduenæ, hoſpites, & tenebræ, poſtea populus Dei, Ciues, & domeſtici ſanctorum, ac demum lux. ergo &c.

Sexta concluſio. Cathecumini, & quicumque non baptizati non ſunt membra Eccleſiæ, probatur: quia baptiſmo tribuit ſcriptura vt ſimus vnum corpus cum Chriſto, ideſt de membris Eccleſiæ eius. In vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus. 1. Corint. 12. Quicũque in Chriſto baptizati eſtis Chriſtum induiſtis ad Gal. 3. ſaluari quidem poteſt Cathecumenus, ſolo voto baptiſmi ſi moriens illo neceſſario careat, Eccleſiæ tamen membrũ ſolo voto non fit; & probatur: quia nullam in tales Eccleſia habet iuriſdictionem; nullis etiam Eccleſiæ Sacramẽtis communicant. Tum quia Eccleſia viſibilis, non conſicitur ex his, qui tãtum habent fidem, ſed ex iis, qui profitentur fidem, quam habent, non profitetur autem fides niſi ſigno ſenſibili, quod eſt baptiſmus, qui etiam Sacramentum fidei dicitur. Concilium quoque Florentinum aperte definiuit per baptiſmum hominem effici de corpore Eccleſiæ, in decreto Eugenij Papæ IIII. in hæc verba primũ omnium Sacramentorum locum tenet ſanctũ baptiſma, quod vitæ ſpiritualis ianua eſt; per ipſum enim membra Chriſti, ac de corpore efficimur Eccleſiæ. Idem docet D. Auguſt. de Baptiſmo contra Donatiſtas lib. 1. c. 26. Vnde quod Ioan. de Turre Cremata docet in ſummã de Eccleſia lib. 1. c. 8. ad 8. argum. & poſt eum Bannes. 2. 2. queſt. 1. art. 10. Cathecumenos non numero, ſed merito eſſe de Eccleſia, verum eſſe poteſt vt Eccleſia corpus Chriſti myſticum ſignificat; ſed vt Eccleſia domum magnam, & vocatorum collectam multitudinem ſignificat, (quæ eſt viſibilis Eccleſiæ & ſymbolicæ propria ſignificatio) verum non eſt. Sicut enim qui electione ad Eccleſiam pertinent adhuc non ſunt de illa niſi vocati ſint, & fiãt de numero, ſic qui merito ad illam pertinet, non eſt de illa niſi ſit de numero, & incorporatus per baptiſmum.

Septima concluſio. Schiſmatici non ſunt membra Eccleſiæ. Hæc concluſio eſt contra Alphonſum à Caſtro libro 2. de iuſta hæreticorum punitione. c. 24. vbi docet nedum ſchiſmaticos, ſed etiam hæreticos eſſe membra, & partes Eccleſiæ etiam ſi palam falſam doctrinam profiteantur, quæ ſententia vt eſt aperte falſa, ita faciliime refutari poteſt, & quantum ad hæreticos improbatum eſt ſupra concluſione quarta. Quod autem ſchiſmatici ad Eccleſiam non pertineant, probatur, primo quia Eccleſia catholica vna eſt. Nam ſcriptura vocat Eccleſiam vnum ouile Ioan. 10. Vnum corpus. Roman. 12. Vnam ſponsã, vnam amicam, vnam columbam. Cant. 6. Et ab eius vnitate omnes ſchiſmatici, receſſerunt. Item D. Auguſtinus de vnitate Eccleſiæ. c. 4. inquit ſchiſmaticos, (quia vnitati Eccleſiæ non communicant) ideo non eſſe in Eccleſia, & præterea à Chriſti teſtificatione recedere. Cyprianus etiã libro de vnitate Eccleſiæ dicit. Eccleſiam ſignificari per veſtem Chriſti inconſutilem, quæ ſciſſa non fuit, vt intelligeremus Eccleſiam ſcindi poſſe, ſed non eo modo, quo ſcinduntur veſtes, ita vt omnes partes æque maneant partes veſtis, ſed quomodo ſcinditur ramus ab arbore, qui ſtatim moritur arbore viuente, & riuus à fonte, qui maraneſcit fonte fluente, & radius à Sole, qui continuo deſerit Sole vt erat, continuo permanente. Vel ſi contendas partẽ ſciſſam ab Eccleſia, eſſe etiam Eccleſiam, quandam, multas Eccleſias faciẽs, quod eſt contra ſcripturas paulo ante notatas. Demum Pelagius Papa. 24. quæſt. 1. can. Pudenda, & can. ſchiſma, ex profeſſo probat ſchiſmaticos nõ eſſe de Eccleſia. & confirmatur ex conſuetudine Eccleſię quę in Paraſceue orat pro hæreticis, & ſchiſmaticis, vt eos Deus ad Eccleſiam Catholicam reuocare dignetur, quod certe non faceret, ſi eos in Eccleſia eſſe crederet.

Ad primum ſecundi erroris reſpondetur ex ſecundo notabili verum illud eſſe de membris coniunctioribus, & Deo charis, ſed veram Eccleſiam latius patere, & habere membra ſola fide coniuncta, moribus ſeparata. vt

6. Concl.

Concilium Florent.

D. Aug.

Turre Cremata.

Bannes.

7. Concl.

Alphõſus

D. Aug.

Cyprian.

Pelagius Papa.

æ, vt patet in prima parte tertia notabilis.

Ad ſecundum patet per idem, & addo, quòd Christus diligit reprobos non quidem finaliter, ſed temporaliter quatenus ad tempus boni ſunt, & per charitatem Deo chari. Deinde Chriſtus diligit Eccleſiam, in qua ſunt reprobi propter electos, qui in ea ſunt. Sic propter decem iuſtos Deus parſurus erat Sodomis Geneſ. 18. & propter Dauid ſeruum ſuum non patitur Hieruſalem à Senecherib vaſtari Iſaiæ 37. & Paulus omnia ſuſtinet propter electos, 2. Tim. 2. Ad auth. D. Pauli dico quòd Paulus ibi loquitur de Eccleſia Triumphante, & non de militanti in qua nullus eſt à peccato prorſus alienus, vt exponit D. Thomas, 3. par. q. 8. art. 3. ad ſecundum. Vel dicitur, quod Paulus loquitur de Eccleſia militanti, quæ per baptiſmũ mundatur ab omni macula, & ruga; baptiſmus enim renouat hominem, & regenerat, quod patet ex illis verbis mundans eam lauacro aquæ in verbo vitę, dicitur autem glorioſa, quia traditur Chriſto ſponſo glorioſo. Ad primam confirmationem reſpondetur, quòd Eccleſia appellatur ſancta, non quia tantum conſtet ex iuſtis: ſed quia infallibilis eſt in ſuis definitionibus, & quia habet Sacramenta ſancta, & legem ſanctam. Secundo reſpondetur, quòd Eccleſia, quando appellatur ſancta ſumit denominationem à digniori parte. Tertio reſpondetur, quod etiam peccatores ſunt ſancti; ſancti enim dicuntur Deo oblati, & dicati quales ſunt omnes baptizati, præterquam quod D. Thomas loco citato refert hæc verba ad conſummationem ſeculi. Quando Chriſtus aſſignabit regnum Deo, & Patri: Quòd iam, quamdiu in procinctu ſtat, & in acie, non ſit Eccleſia ſine macula, & ruga. Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, ſicut ad primã. Cæterum: quia ea authoritate vtitur D. Auguſtinus cõtra Donatiſtas, ad probandum veram Chriſti Eccleſiam lib. 5. cap. 17. de Baptiſmo contra Donatiſtas, obſerua, q D. Auguſtinus dupliciter loquitur de Eccleſia contra Donatiſtas, propter duplicem diſputandi cauſam ex duplici Donatiſtarum errore. Vnus eorum error erat toto orbe Eccleſiam defeciſſe, & in ſola Affrica remanſiſſe. Contra hunc errorem vrget, catholicam Eccleſiam, & docet illam per omnes gentes diffundi, nec poſſe in vnum locũ, aut pauca loca coarctari, in lib. de vnitate Eccleſiæ, & in varijs epiſtolis, & in hac diſputatione non niſi externã Eccleſię vnitatem reſpicit. Alter error, erat Sacramentum Baptiſmi eſſe nullum, & repetendum, quod extra Eccleſiam daretur; Contra hunc errorem vrget, Eccleſiam non Catholicam, ſed perfectam, nec Eccleſiæ externam vnitatem, ſed ſanctitatem, & intimam perfectionẽ, oſtendens ab Eccleſia in ſuis perfectiſſimis membris cõſiderata, & ſecundum vnitatem cum Chriſto coniunctiſſimam, & non ſecus ſeparari, & extra illam eſſe impios, quam aperte per hęreſim præciſos, hoc ſæpiſſime facit in libro de baptiſmo contra Donatiſtas.

D. Aug.

Duplex Donatiſtarum error.

Ad primum pro confirmatione tertij erroris. Dico Chriſtum ibi loqui de ouili ſuo iuxta membra eius cõiunctiſſima, chariſſima, & præcipua, vt habes in ſecundo notabili; id eſt de amicis ſuis, & cohæredibus iiſque, qui non in numero tñ, & merito; ſed ẽt electione ſui ſunt, ouile tamen, & greggem eius latius patere, vt oſtẽdimus.

Ad ſecundum dico, quod D. Ioan. loquitur ibi de hæreticis præciſis per publicam Eccleſiæ ſententiam, qui nõ ſunt membra Eccleſiæ, cuius antea fuerunt. Vel dicas ex D. Auguſt. lib. de correctione, & gratia c. 9. Quod intelligitur, non erant ex nobis finaliter, licet fuiſſent quandoque ſecundum præſentem iuſtitiam, quod videtur ſtatim explicari cum ſubditur. Nam ſi fuiſſent ex nobis permanſiſſent vtique nobiſcum; vel tertio dicas ex eodem D. Auguſtino de bono perſeuerantiæ c. 8. quod ex nobis non ſignificat fideles, ſed prædeſtinatos, atque adeo non eſt ſenſus. Non erant ex Eccleſia, ſed illi non erant ex prædeſtinatis, ita etiam exponit Gloſſa interlinearis. Vel dicas, quod D. Ioan. loquitur, de quibuſdam, qui ſecundum ſimulatam fidem ingreſſi fuerant in Eccleſiam, qui cum non eſſent verè fideles iure dicitur de eis. Ex nobis non erant.

D. Hyero. Ad tertium dico cum D. Hieronymo contra Luciferianos retorquendo argumentum cõtra hæreticos, quod Archa Noè eſt figura Eccleſiæ; non in eo, quod omnes in illa exiſtentes ſalui facti ſunt, ſed in hòc, quod extra illam, nullus ſaluus factus eſt.

Ad confirmationem dico Patres citatos docere quidẽ electos eſſe membra Eccleſiæ, ſed non docere ſolos electos eſſe talia membra; quæ fuit hæreſis Ioan. Hus damnata; & ideo Eccleſia ab electis, qui in ea ſunt, vel deſcribere interdum, vel definire non quia ſoli tales ad illam pertinent; ſed quia maximè, & potiſſimum, nempe efficaciter, & finaliter ſoli tales ad illam pertinent.

ARTICVLVS II.

Vtrum Eccleſia, quam in Symbolo credimus ſit viſibilis, ſenſibilis, & corporea.

COmmunis eſt omnium hereticorum noſtri temporis error Eccleſiam, quã in Symbolo credimus inuiſibilẽ eſſe, & ſi aliqui veritate ipſa coacti doceant eam eſſe viſibilem, ſic tamen, vt nomine viſibilis, reuera inuiſibilis ſit, vt quis videre poteſt apud Patrem Franciſcum Orantium lib. 6. de locis Catholicis cap. 3. & Stapletonium in relectione ſcholaſtica principiorum fidei doctrinalium, controuerſia 1. q. 3. artic. 11 & Card. Bellar. tom. 1. lib. 3. de Eccleſia c. 11. & alios. Itaque ſumma eſt, omnium hæreticorum calculo, hodie veram Eccleſiam, quæ errare nõ poteſt, & quam in Symbolo profitemur inuiſibilem eſſe; Hunc errorem primus omnium aperte docuit Lutherus in libro de ſeruo arbitrio, & in libro de abrogãda miſſa priuata parte 1. atq; adeo omnes Lutherani reijciũt cultum diuinum exteriorem, templa, & ſacrificia externa, orationes vocales, cantus, & cæremonias exteriores, reijciunt etiam leges poſitiuas, & Prælatos, & conſequenter aſſerunt, Eccleſiam viſibilem non eſſe regulam infallibilem fidei, ſed teſtimonia interna vniuſcuiuſque.

Orantius. Stapleton. Card. Bell.

Probatur iſte error ab eis multipliciter, & primo ſic. Vetus Synagoga latuit clamante Elia. 3. Reg. 19. Dereliquerunt pactum Domini Filij Iſrael, & relictus ſum ego ſolus, ac reſpondente Domino. Derelinquam in Iſrael. 7000. virorum, qui non curuauerũt genua ſua ante Baal: ergo & Eccleſia Chriſti latere poteſt in occultis fidelibus ſoli Deo cognitis, vtcunque nomen Eccleſiæ retineat hypochritarum multitudo.

Item Arrianorum tempore vix quinq; toto orbe Epiſcopi Catholici remanſerunt, & illi ipſi in exilio agebant, quod patet ex hyſtoria Eccleſiaſtica apud Socr. lib. 2. c. 29. apud Sozomenum lib. 4. ca. 8. apud Nicephorum lib. 9. cap. 33. & confirmatur; quia de hoc tempore inquit D. Hieronymus totus orbis ingemuit, & ſe Arrianum eſſe miratus eſt. In dialogo aduerſus Luciferianos, Hylarius quoque lib. contra Auxentium. Male vos parietum amor cępit, male Eccleſiam Dei in tectis ædificijs, quæ veneramini &c. Montes, mihi, & Syluæ, & Lacus, & carceres, & voragines ſunt tutiores, vera ergo tunc Eccleſia viſibilis non erat, ſed plane occulta, & extra populorum conſpectum; non ergo ſemper eſt viſibilis vera Eccleſia, ſed poteſt aliquando ab hæreticis, & falſa Eccleſia ſic opprimi, vt penitus abſcondatur.

Præterea Apoſtolus, 2. Theſal. 2. prædicit, quod Antichriſtus in templo Dei ſedebit, ergo viſibilem Eccleſiam ille aliquando occupabit, & confirmatur authoritate Hylarij, qui loco citato de eo monuit Mediolanenſes. Anne (inquit) ambiguum eſt in Eccleſijs Antichriſtum eſſe ſeſſurum? Item Eccleſia habet legem ſpiritualem, & inuiſibilem; ergo ſpiritualis, & inuiſibilis eſt, probatur conſequentia: quia lex, & Reſpub. cui imponitur lex debent eſſe eiuſdem naturæ; non enim Eccleſia viſibilis gubernari poteſt lege inuiſibili; probatur antecedens, lex Euangelica eſt ſcripta in cordibus, & in viſceribus, iuxta illud Ieremiæ 31. loquentis de lege noua. Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in cordibus eorum ſcribam eam, ergo eſt ſpiritualis.

Deinde Lucę 7. legitur. Regnum Dei non veniet cum obſeruatione; neque dicent ecce hic, aut illic, id eſt non veniet viſibiliter; ecce enim Regnum Dei intra vos eſt, at

ſecundum

ſecundum communem explicationem. Regnum Dei ſignificat eccleſiam ergo &c.

Subinde adoratio eccleſiæ eſt inuiſibilis; ergo & eccleſia, quæ adorat: eccleſia enim viſibilis non poteſt inuiſibiliter adorare. probatur antecedens ex illo Ioan. 4. Venit hora, & nunc eſt quando veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu, & veritate, nam & patres tales quærit, qui adorent eum. & confirmatur. Templum, Sacerdotium, & Hoſtia ſunt inuiſibilia, ergo & eccleſia ſacrificans, & vtẽs templo, & Sacerdotio. probatur antecedens ex illo 1. Petri 2. Et ipſi tamquam lapides viui ſuperedificamini domus ſpiritualis, Sacerdotium ſanctum, offerentes ſpirituales Hoſtias.

Præterea membra eccleſiæ copulantur fide, ſpe, & charitate, hæc autem ſũt omnino ſpiritualia & inuiſibilia, ergo & eccleſia; probatur conſequentia, quia res viſibiles, & corporeæ non poſſunt copulari nexibus ſpiritualibus. Demum eccleſiam eſſe, eſt articulus fidei, ergo non videtur eccleſia, ſed creditur. de hoc errore vide Caſtrũ. lib. 1. aduerſus hæreſes. c. 6.

Caſtro.

Pro ſolutione obſer. eſt primo, eccleſiam ſemper quidẽ eſſe viſibilem, ſed habere aliquando ſtatum Florentem, aut certe pacatum, aliquando afflictum, & perturbatum. In priori ſtatu eſſe viſibilem per ſe patet. poſterior ſtatus, & conditio, aut propter ethnicas perſecutiones, aut propter hæreſes inducitur, ſi prius adeo propterea non obſcuratur, vt magis floreat, ratio eſt quam Saluator in Euangelio attulit. Niſi granum frumenti cadẽs in terram mortuum fuerit ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit multum fructum affert. Ioan. 12. Quare ſicut Chriſtus exaltatus in Cruce traxit ad ſe omnia. Ioan. 8. Sic corpus eius eccleſia poſita ſub Cruce trahit ad ſe multos, & nouo fœtu multiplicat. Hoc expertus ſuo tempore Tertullianus ſcripſit. Sanguis martyrum ſemen eſt Chriſtianorum in lib. ad Scapulam. lege D. Ambroſ. lib. 9. c. 10. ſuper Lucam. Clemen. Alex. lib. 6. ſtrom. in fine. D. Chriſoſt. in demonſtrat. quod Chriſtus eſt Deus. Origenem. lib. 1. contra Celſum. Greg. lib. 9. moralium. c. 7.

Tertullia.
Ambroſ.
Clemens Alex.
Chriſoſt.
Origenes,
Gregorius

Si per hæreſes perturbatur eccleſia, nec ſic viſibilis eſſe deſinit. quia vt inquit ſaluat. Matth. 16. Portæ inferi aduerſus eam non præualebunt. i. hæreſes nunquam illam extinguent: imo ex hæreticorum pugna fit illuſtrior. Tum ex glorioſa victoria, quam eccleſia de hæreſibus ſemper obtinet. Tum quia ſemper ex pugna doctior euadit. Primum veterum hæreſum extinctio hactenus docuit. & hoc eſſe eccleſiæ proprium, vt tunc vincat, cum læditur, & tunc intelligat cum arguitur, tunc obtineat cum deſeritur, egregie ſcripſit Hilarius de Trinitate lib. 7. & poſt eum annotauit Ambroſ. lib. 9. c. 10. in Lucam, comparans eccleſiam vineæ, quæ ligata erigitur, & reciſa augetur, poſterius obſeruauit D. Auguſt. de Ciuit. Dei. lib. 16. c. 2. & enarratione in pſal. 54.

Hilarius.
Ambroſ.
Auguſt.

Secundo obſer. eſt, in eccleſia eſſe firmos & infirmos, grana turgida, & arida, vel potius triticum, & paleam, vt cuique autem, & quomodocumque affligatur, in ſuis firmis, & turgidis granis perpetuo viſibilem & conſpicuam eſſe. Hoc de hæreſibus notauit Apoſt. oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt in vobis manifeſti fiant. 1. Corint. 11. Idem docet D. Auguſt. epiſt. 48. eleganter diſtinguens inter ſtellas Cœli, & arenam maris, ſecundum quæ multiplicatur eccleſia. Eccleſia (inquit) aliquãdo obſcuratur, & tamquam obumbratur multitudine ſcandalorum, ſed etiam tunc in ſuis firmiſſimis apparet, qui ſunt quaſi ſtellæ Cœli in ſemine Abrahæ; ac multitudo illa infirmorum, atque carnalium fidelium, quæ quaſi arena maris eſt aliquando tranquillitate temporis libera, & quieta apparet, aliquando autem tribulationum, & tentationũ fluctibus operitur, atque turbatur. Hæc ille. Idem docet Cyprianus in lib. de vnitate eccleſiæ. Nemo (inquit) æſtimet bonos poſſe de eccleſia decedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem ſolida radice fundatam procella ſubuertit; inanes paleæ tempeſtate iactantur, inualidæ arbores turbinis incurſione euertuntur. Ita Hilarius. Perſtat ergo eccleſia in ſuis firmis, in tritico, in turgidis granis ſuis conſpicua, & viſibilis, vtcumque deficientibus interdũ alijs & (vt ait D. Aug. loco citato) eccleſia, quæ per oẽs gentes creſcit, in frumentis Domini conſeruatur.

Auguſt.
Cyprianus
Auguſt.

Tertio obſeruandum eſt. poſſe ad tempus Eccleſiam obſcurari in maxima hæreticorum perſecutione, quod tamen perpetuo eius ſplendori, nihil præiudicabit, nõ magis certè, quam vel propter nubium aliquam repentinam denſitatem, vel propter Solis eclypſim pleniorem, dies tunc nullus orbi illuxiſſe vere dici poſſit. Sed quemadmodum nulla vnquam dies tam nubiloſa, aut obſcura erat, quin ſatis diſtingueretur à nocte; ita nunquam poſt Chriſti gloriam in orbe manifeſtatam, ſic obumbrata Eccleſia fuit, vt à gentium cæcitate, aut hæreticorum peruerſitate diſtingui non potuerit. Quod adeo verum eſt, vt in ipſo tempore Antichriſti viſibilem tamen, & conſpicuam fore Eccleſiam doceat Auguſtinus de Ciuitate Dei lib. 20. c. 8. Quare ſimpliciter Eccleſia eſt viſibilis, licet ſecundum quid obſcura interdum.

Eccleſia ad tempus obſcurari poteſt.
D. Aug.

His obſeruatis ponitur hæc concluſio. De fide eſt Eccleſiam eſſe viſibilem, audibilem, & tractabilem, & per conſequens corpoream, atque ſenſibilem. Probatur primo ſic. In ſymbolo iubemur credere Eccleſiam ſanctam Catholicam, ergo certitudine fidei debemus eam cognoſcere, probatur conſequentia, quia ſic omnes alij articuli fidei certitudine tenentur.

Concluſio.

Præterea vera Chriſto Eccleſia ſunt gentes in eo benedicendæ. Gen. 12. & ſpirituale ſemen Abrahæ ad Galat. 3. de hoc autem ſemine dicitur. Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas Cœli, & velut arenam maris. Gen. 22. & rurſus Gen. 28. Dilataberis ad oriẽtem, & occidentem, & meridiem, & ſeptentrionem, hæc autem multiplicatio, & dilatatio fuit facta per prædicationem nominis Chriſti. Lucæ 24. oportet impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege &c. de me, & prædicari in nomine meo pœnitentiam per omnes gentes, iſta autẽ prædicatio fuit viſibilis. Quomodo enim prædicabunt niſi mittantur? ad Roman. 10. Et in omnem terram exiuit ſonus eorum &c. Pſal. 18. lege D. Auguſtinum de vnitate Eccleſiæ. c. 6. ergo &c.

D. Aug.

Præterea Chriſtus Dominus veram ſuam Eccleſiam in Magiſtris eius allocutus eſt Matth. 5. dicens. Vos eſtis lux mundi. Non poteſt Ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt. Ergo Magiſtri, & Doctores eccleſiæ abſcondi non poſſunt, aut poni ſub modio, ſed ſemper lucent omnibus eccleſiæ membris, quæ ſunt in domo; Quod ſi Magiſtri, & diſcipuli, & ſi Paſtores, & oues, ſi capita & inferiora membra, idem corpus eamdemque ſocietatem conſtituunt; eſt ergo tota vera eccleſia viſibilis.

Item vera Chriſti eccleſia eſt, quam qui non audit habetur pro ethnico, & publicano Matth. 18. falſa enim audiri omnino non debet, veræ enim oues Chriſti, non nouerunt voces alienorum. Ioan. 10. Sed de illa dixit Chriſtus. Dic eccleſiæ. Matth. 18. ergo eſt viſibilis. Apud incognitam enim, & inuiſibilem eccleſiam incorrigibilis frater accuſari non poteſt.

Deinde non debemus aliam eccleſiam credere, quam eam cuius communionem tenemus, quam audimus, colimus, & obſeruamus, hæc omnia ſoli veræ eccleſiæ debẽtur, falſæ eccleſiæ communionem tenere non oportet: quia non oportet iugum ducere cum infidelibus; & quæ participatio Chriſti ad Belial? falſam eccleſiam audire non debemus, quia oues Chriſti alienum non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo. Ioan. 10. multo minus illam colere, & obſeruare debemus. dicente Paulo declinate ab illis. Roman. 16. & dicente Ioan. Nec aue ei dixeritis epiſt. 2. & hæc ſatis confutant commentum Caluini, quo docuit eccleſiam, quam credimus inuiſibilem eſſe, quam autem audire, & colere, cuiuſque communionem obſeruare debemus eſſe viſibilem; ſed communionem eccleſiæ incognitæ tenere; audire, colere, obſeruare incognitam nõ poſſumus. Hoc enim adeo verum eſt, vt propterea hoc reſpectu viſibilem eccleſiam ſtatueret Melancthon, & agnoſceret, cæterique hæretici hodie negare tandem auſi nõ fuerint. ergo eccleſia, quam credere oportet debet eſſe neceſſario viſibilis.

Subinde caput eccleſiæ Chriſtus eſt viſibilis, ergo & corpus eius quod eſt eccleſia. probatur conſequentia, quia monſtrum eſſet caput viſibile, & corpus inuiſibile probatur antecedens ex 1. Ioan. 1. Vbi de Chriſto dici-

tur

Digitized by Google

tur. Quod audiuimus, quod vidimus, quod manus noſtræ contrectauerunt de Verbo vitæ, hoc annunciamus vobis. Item Sacramenta, quæ ſunt columnę eccleſię ſũt viſibilia; ſimiliter, & Ianua, qui eſt baptiſmus, ergo & Domus, quæ his nititur fundamentis, & habet talem Ianuam eſt viſibilis.

Iterum Eccleſiæ fundamentum eſt viſibile; ergo & eccleſia, probatur antecedens, ex illo Matth. 16. Et ſuper hanc Petram. i. Petram viſibilem, ſecundum vnum ſenſum, vel ſecundum alium ſuper hanc fidei confeſſionem externam edificabo eccleſiam meam, & ex illo D. Pauli ad Epheſ. 2. Iam non eſtis hoſpites, & aduenę, ſed eſtis ciues ſanctorum &c. ſuperedificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, & prophetarum &c.

Item eccleſia vocatur grex ouium. 1. Petri. 5. ergo in ea ſunt Paſtores, qui debent paſcere gregem: iuxta præceptum Chriſti Ioan. 21. Sed paſtus Prælatorum conſtat Verbo, & exemplo. i. doctrina bona, & vita ſancta; ergo oues ſunt viſibiles, & ſenſibiles, probatur conſequentia: quia alias non poſſent paſci verbo, quod intrat per aures, nec exemplo vitæ, quod oculis conſpicitur.

Tandem prædicit Chriſtus falſam eccleſiam fore in deſerto, & in penetrabilibus, hoc eſt obſcuram, & incognitam, & prohibet ne exeamus ad illã Matth. 24. Ergo vera Chriſti eccleſia viſibilis eſt atque ſenſibilis. Ad argumenta hæreticorum reſpondetur, & ad primum dico, quod Elias non loquitur de Synagoga, quæ in Iudæa erat, ſed de Samaria, quæ ſchiſmate, & idolatria polluta erat Ieroboam authore, vt patet 3. Reg. 12. & 2. Paralip. 11. Deinde, & ſi ipſa Synagoga prorſus defecta fuiſſet, quod poſtea accidit in captiuitate Babylonica; ſimile tamen non eſt de eccleſia noui teſtamenti, quod melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt Ieremiæ 31. & hæbræorum. 8. qualis illa eſt Matth. 16. Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, & Ioan. 14. Alium Paraclitũ dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum ſpiritum veritatis &c. & Matth. vltimo Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſęculi; talis firmitas Synagogę non eſt promiſſa.

Athanaſius. *Theodoretus.* *Hilarius.*

Ad ſecundum dico primo. Arianam hæreſim occidentalem Eccleſiam non infeciſſe; teſtis eſt Athanaſius in epiſtola ad Afros apud Theodoretum Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 23. & & Hilarius in lib. de ſynodis aduerſus Arianos. Secũdo dico. In Concilio Ariminẽſi deceptos quidẽ ad tempus fuiſſe occidentales Epiſcopos; ſed & cito ſe ipſos corrigiſſe, & ante correctionem non in hęreſim, ſed in fraudulentam fidei formulam obreptitio conſenſu incidiſſe, vt narrat Hieronymus in Dialogo aduerſus Luciferianos, & notat Ambroſius de fide ad Gratianum lib. 1. c. 9. & lib. 3. c. 7. Auguſtinus quoque epiſt. 48. Tertio dico, quòd in ſuis finnis eminebat tunc Eccleſia, vt reſpondet Auguſtinus, Vicẽtio Donatiſtę hoc ipſum obijcienti, epiſt. 48. De infirmis autem, & ſeductis verum eſt, quod dixit Hieronymus. Totus orbis ingemuit &c. Quarto dico, quòd breuis, & momentanea erat hæc obſcuratio vix trium annorum à tempore videlicet Ariminenſis Concilij anno Domini 362. vel 359. vſque ad Cõſtantij mortem anno 365. vel 362. Tunc enim (vt ſcribit Hieronymus loco citato) Beſtia moritur, tranquillitas redijt; Epiſcopi, & presbyteri ad Eccleſias redeunt. De hoc ſolo triennio loquitur Hilarius, cum monet ne parietum amore caperentur, vt & Aug. reſpondet dicta epiſt. 48. lege Baronium, tom. 3. annalium ſub anno Chriſti 359. fol. 695.

Hieronymus. *Ambroſius.* *Auguſtinus.* *Baronius.*

Ad tertium dico. Primum, quod ille locus Apoſtoli, cum ſit obſcuriſſimus, & maxime, quo ad illam particulam, ita vt in templo Dei, ſedeat &c. (vt veteres patres profitentur maxime Auguſtinus de Ciuit. Dei lib. 20. c. 19. Ambroſius. Chriſt. Teodoret. Sedulius, Theophilact. in Comment. ibidem) non habet eo ſenſu exponi, vt alijs apertiſſimis ſcripturarum locis repugnet. Sed contra ex apertis, & manifeſtis locis debent obſcura exponi; vt docet D. Auguſt. de doctrina chriſtiana lib. 2. c. 6. & enarrat in Pſal. 140. Scripturæ autem de viſibili ſemper Eccleſia, ita ſunt apertæ, vt nullo egeant interpetre, vt ait Auguſt. de vnitate Eccleſiæ capit. 9. 10. & 16. Secundo dico illum ſenſum hæreticorum manifeſte excludunt Patres, omnes enim exponunt de vno Antichriſto in fine mundi exorituro de ſecta, aut ſucceſſione aliqua falſæ Eccleſiæ; ſic faciunt Patres citati locis citatis, & præterea Hierony. ad Algaſiam q. 11. Irenęus lib. 5. Hipolytus in libello de conſummatione mũdi. Theodoretus in epitome diuinorum decretorum, Greg. lib. 14. moralium. cap. 11. Cyrillus Hieroſol. Cathecheſi myſtagogica. 15 Tertio exponunt in templo Dei ſeſſurum Antichriſtum, non qđ totam Eccleſiam ſit occupaturus, ſed quod multi de Eccleſia eum recipient, alijs etiã multis fortiter in fide perſiſtentibus; ita Auguſt. loco citato, & Ambroſ. lib. 20. cap. 21. in Lucam. Quarto exponunt hoc multi Patres de templo Hieroſolymitano, quod quidem tunc templum Dei erat cum Apoſtolus ſcriberet, à Iudæis iterum reędificãdũ, ſic Irenęus lib. 5. Hypolitus; Cyrillus, Chriſoſtomus, & Auguſtinus locis citatis, Hilarius quoque can. 25. in Matth. Quare verba Hilarij in argumento intelligi debent extenſiue dicta de Antichriſti perſecutoribus hæreticis, quos etiam Antichriſtos vocat.

Auguſtinus. *Ambroſius.* *Chriſoſtomus.* *Theodoretus.* *Sedulius.* *Theophilactus.*

Hieronymus. *Ireneus.* *Hipolytus* *Theodoretus.* *Gregorius.* *Cyrillus Hieroſol.* *Auguſtinus.* *Ambroſ.* *Ireneus.* *Hilarius.*

Ad quartum nego antecedens, ad probationem dico legem nouam appellari ſcriptam in viſceribus, & corde, non quod ſit omnio ſpiritualis: ſed quia potiſſime differt à lege veteri; quia eius ſacramenta conferunt gratiam ad recte operandum, & ſanctificant corda noſtra, quod non faciebat lex vetus; qua ratione lex noua appellatur lex libertatis: quia dat gratiam ad bene operandum: ſemper enim bene agere eſt libertas. Contra etiam in lege veteri dabatur gratia ad ſeruanda pręcepta; ergo illa ẽi erat lex libertatis: Nego antecedens de gratia perfecta; de imperfecta concedo; in lege autem noua datur gratia perfecta. Deinde falſum eſt antecedens abſolute: quia tantum lex vetus ſignificabat gratiam, noua vero dat illam. Si enim in veteri lege dabatur gratia erat ex meritis paſſionis Chriſti futuræ, qui eſt Author legis nouæ; atque ita iuſti veteris legis, quantum ad gratiam pertinebant ad legem nouam.

Secundo reſpondetur iterum negando antecedens, & ad probatione dico. Ideo Ieremiam legem nouam appellare legem ſcriptam in corde quia principaliter conſiſtit in internis ſcilicet fide, ſpe, charitate, Pœnitentia, & alijs actibus ſpiritualibus; nihilominus tamen neceſſaria ſunt externa, vt melius ſeruentur interna, atque ita habemus leges externas diuinas poſitiuas ſcilicet Sacramentorum, & humanas ſcilicet ieiuniorum &c. Vnum eſt tamen, quod Chriſtus ſolum tulit leges fidei, ſpei, charitatis, & ſacramentorum, cæterę omnes externæ leges vel ſunt leges naturæ, vel humanę poſitiuę, hac etiam ratione lex noua appellatur lex libertatis in comparationẽ ad legem veterem, in qua erant innumera pręcepta etiã de minimis cæremonijs, Chriſtus vero ſolum præcepit neceſſaria ad ſalutem.

Regnum Dei ſumitur multiplicter.

Ad quintum ex his patet reſponſio. Secundo nego quod ibi ſumatur regnum pro eccleſia. Regnum enim Dei multipliciter ſumitur in ſcriptura, primo pro eccleſia militãti Matth. 13. Mittet filius hominis Angelos ſuos & colligent de regno eius omnia ſcandala. In eccleſia enim Triumphanti nullum eſt ſcandalum, quod colligatur, vt inquit D. Gregorius. Secundo ſumitur regnum cœlorum pro eccleſia Triumphanti, vt Matth. 11. A diebus Ioan. Bap. vſque nunc regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Tertio accipitur pro diuina ſcriptura, & miſterio ſacramentorum Matth. 21. Auferetur à vobis regnum Dei ideſt diuina ſcriptura, & pdicatio veritatis, quæ olim fuit ſolum apud hebræos, ſecundum D. Paulum ad Roman. 14. Quarto accipitur pro virtutibus Théologicis exiſtentibus in anima ad Roman. 14. Regnum Dei non eſt eſca, & potus; ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. Et forte aduentum huius regni petimus cum dicimus adueniat regnum tuũ, i. veniat in nobis tua iuſtitia, & gratia, per q̃ tu regnas in nobis, & dominaris animabus noſtris atque ita ſumi poteſt in loco allegato in argumento. Vltimo accipitur pro aduentu Meſſiæ ſiue in carne mortali, ſiue ad iudicium, vt verius ſumitur in loco allegato in argumento. Interrogatus enim Chriſtus à Phariſæis, quando veniet regnum Dei; reſpondit, non veniet cum obſeruatione &c. ſed regnum Dei intra vos eſt. Vtrobique

D. Grego.

regnum

Item in ecclesia Apoſtolica fuerunt concertationes, & diſſidia. Reprendit Petrum Paulus ad Gal. 2. A Paulo diſcedit Barnabas, Act. 15. Graue exoritur Antiochiæ certamen inter Chriſtianos ex gentibus, & alijs ex iudæis conuerſos circa obſeruationem legalium, Act. 15. Non deſtitit tamen illa ecclesia vere eſſe vna: ita Heluitica confeſſio c. 17. eodem Stapletonio teſte.

Præterea Sancti Patres de rebus grauibus diſſenſerunt, Cyprianus cum ſuis, à Romana ecclesia, & à Stephano Pontifice circa hæreticorum baptiſmum, & quidem ita, vt diſerte aſſerat. Habere omnem Epiſcopum pro licentia libertatis ſuæ arbitrium proprium tamquam iudicari ab alio non poſſit, in epiſtola ad Iubaianum, Auguſtinus, & Hieronymus circa reprehenſionem Petri, & vterque pro ſe Patres allegauit, ab ecclesiæ tamen vnitatē non erant propterea diuulſi.

Deinde differunt, & altercantur de doctrina fidei diuerſa docentes Thomiſtæ; & Scotiſtæ; quin, & hodie Caietanus, & Catharinus de multis articulis grauiter concertarunt: ergo nec Proteſtantium hodie diſſidia violant ecclesiæ vnitatem.

Subinde ordinum diuerſitas ſecundum quos religioſi dicuntur ipſius religionis diuerſitatem arguit, imo manifeſte ſectæ Franciſcanorum, & Dominicanorum greges; ſic enim alius dicit ego ſum Cephæ, ego Pauli ego Apollo. 1. Corint. 1. non eſt ergo vnitas fidei, & Religionis ad ecclesiæ vnitatem præciſe neceſſaria. Poſtremo placet Deo diſſidijs ecclesiaſticis vti ad gloriam nominis ſui, & ad illuſtrandam veritatem, & denique ad ipſorum membrorum ecclesiæ manifeſtationem iuxta illud. Vt qui probati ſunt in vobis manifeſti fiant. 1. Cor. 11. ſic Heluetici vbi ſupra.

Multis modis ecclesia dicitur vna.

Pro huius quæſtionis explicatione obſeruan. eſt, quod multis modis, vel multis rationibus in ſenſu catholicæ, ecclesia dicitur vna, primo ecclesia eſt vna ratione principij vitalis; quale cor eſt in homine: quia ab vno ſpiritu animatur. Hac ratione ecclesia eſt corpus membrorum diuerſitate compactum, & colligatum, iuxta illud Apoſtol. ad Epheſ. 4. Vnum corpus, & vnus Spiritus, & 1. Corint. 12. Omnes in vno ſpiritu vocati ſumus. Hoc ſenſu Vniuerſa ecclesia ab orbe condito vna eſt. Vnde Apoſto. 2. Corint. 4. Habentes eumdem ſpiritum fidei, & Epheſ. 2. per ipſum habemus acceſſum ambo in vno ſpiritu.

Secundo ratione ordinis omnium membrorum ad vnum caput: quia ſub vno capite Chriſto eſt ad Eph. 1. Ipſum dedit caput ſuper omnem ecclesiam, & c. 4. Creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus; quomodo autem Chriſtus dicatur ecclesiæ caput explicauimus in prima par. huius tertij.

Tertio ratione connexionis omnium membrorū adinuicem, quo ad mutuas, & in commune bonum, & in vnum finem conſpirantes licet in ſe diuerſas operationes, iuxta illud Apoſt. ad Rom. 12. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent; ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto; ſinguli autem alter alterius membra, & idem eleganter docet, & explicat. 1. ad Cor. 12. & hæc eſt propriſſime vnitas, ex qua pax, & concordia, ipſaque ſalus, & functio legitima vniuſcuiuſque membri oritur, & conſeruatur.

Quarto per connexionem membrorum in charitatē, quo ad coniunctionem bonorum, & malorum. Eſt enim Charitas vna radix pacis, & vnitatis ecclesiæ conſeruandæ; iuxta illud Apoſt. ad Epheſ. 2. Cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia ſupportantes inuicē in charitate, ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, & ad Gal. 6. Alter alterius onera portate &c.

Quinto ecclesia eſt vna propter connexionem membrorum in charitate, quo ad firmos, & infirmos in fide, vt docet D. Paulus ad Philip. 2. Si qua conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium Charitatis &c. Idem ſapiatis eamdem Charitatem habentes vnanimes id ipſum ſentientes, nihil per contentionem &c. & c. 3. Si quid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus reuelabit. Veruntamen ad quod peruenimus, vt idem ſapiamus in eadem permaneamus regula.

Sexto per connexionem membrorum in fide. Hāc vnitatem expreſſit Apoſt. cum ad vnitatem ſpiritus adhortans dixit. Vnus Dominus, vna fides, & hæc eſt maxima ratio vnitatis ſine qua cætera omnia vincula nulla ſunt. Propter hanc vnitatem datum eſt vnum Symbolū, quod omnes profitemur, vt docet D. Ambroſius ſermone 38. eſtque vna quædam certa regula, & forma doctrinæ, quam qui non tenet ecclesiæ membrum non eſt. *Ambroſ.*

Septimo per connexionem membrorum externam, hoc eſt per externam ſacramentorum communionem, & vniuerſum religionis vſum in cultu, & ſacramentis conſtitutum. Hanc vnitatem docuit Apoſt. in ſacramēto venerabilis Euchariſtiæ. 1. Corint. 10. Omnes vnum corpus ſumus, qui de vno pane participamus. Item in Sacramento Baptiſmi. Quum enim dixiſſet quicumq; in Chriſto baptizati eſtis Chriſtum induiſtis, adiecit paulo poſt. Omnes vos vnum eſtis in Chriſto ad Gal. 3. & iterum. In vno ſpiritu omnes nos in vnum baptizati ſumus. 1. Cor. 12. Idem de alijs ſacramentis ſtatuendum eſt.

Octauo eſt vna ecclesia per connexionem membrorū externam, quo ad inferiora membra, & immediate in vna, & firma obediētia Paſtoribus, & Prælatis ecclesiarū à ſingulis omnibus præſtita. Hāc vnitatem docuit Apoſt. Cum ideo Paſtores, & Doctores in ecclesia datos à Chriſto fuiſſe dicit, omnes in vnitatem fidei occurramus, & non circumferamur omni vento doctrinæ ad Epheſ. 4. Ad hanc vnitatem hortatur Rom. 16. obſeruate eos, qui diſſenſiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis faciunt, & declinate ab illis, & ad Gal. 1. Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accipiſtis ideſt à magiſtris fidei didiciſtis; Anathema ſit, & hic obſerua hanc duplicem connexionem externam, tantum eſſe vnitatis vinculum, vt ab hac ſola primo ecclesiā indiuiduari, & hanc ſolam eſſe veſtem nuptialem, qua carens à nuptijs Domini foras proijciebatur Matth. 22. lege Thomam Valdenſem Doctr. fidei lib. 2. cap. 16. *Tho. Val.*

Nono ecclesia eſt firmiſſime vna per cōnexionem omnium membrorum tam ſuperiorum, & Paſtorum ipſorum immediate, quam aliorum omniū mediate ſub vno primario capite Petri ſucceſſore, & Chriſti Vicario. Hāc vnitatē deſignauit Chriſtus dicēs Petro Lucæ 22. Cōfirma fratres tuos, i. coapoſtolos, & coepiſcopos. Atq; his omnibus modis ecclesia eſt vna, vel in ordine ad vnum principium vitale, & caput, vel ratione connexionis membrorum ad inuicem.

10. Eccleſia in ſe ipſa conſiderata, vt totum quiddam, eſt vna vt corpus perfectum: quia Chriſti corpus myſticum eſt, ad Epheſ. 4. Creſcamus in illo, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, &c. & 1. Coloſſen. 2. Non tenens caput ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones, &c. & 1. Corint. 12. Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de mēbro, & ad Eph. 1. Quæ eſt corpus eius, & plenitudo ipſius. Ad hanc vnitatem tantū pertinens membra viua, iuſti, & Sancti, vt palmites fructiferi in vite Io. 15. Nam Chriſtus cum ecclesia eſt vna perſona myſtica, & ideo ecclesia eſt plenitudo eius Eph. 1. Quia ad vnius Chriſti complementum accedit. Ideo totum corpus vocatur Chriſtus Roman. 12.

11. Eccleſia eſt vna vt totum quoddam continuum in eſſe, & re permanente propter indiuiſam omnium partium vnitatem, & propter vniuerſalitatem locorum, quam ſemper tenet, reſpectu hæreticorum, qui ſunt partes, hoc ſenſu comparauit Cyprianus ecclesiam ſolari lumini: quia Domini luce perfuſa per orbem terrarum radios ſuos ſpargit; vnum tamen lumen eſt, quod vbique diffunditur. Item Arbori, quæ ramos ſuos in vniuerſam terram copia vbertatis extendit, vna tamen radice fulcitur, vno robore fidei ſuſtentatur. Hæc ille in libro de vnitate ecclesiæ. *Cyprian.*

12. Eccleſia eſt vna, vt totum quoddam fluens, & ſucceſſiuum, propter perpetuitatem quam habet, propter hanc vnitatē Cyprianus loco citato comparat ecclesiam flumini, ſeu potius fonti, ex quo plurimi riui defluunt, vnitas tamen eius ſeruatur in origine. Propter hanc vnitatem, qui filum ſucceſſionis abrumpunt ab ecclesia excidunt. Eſt autem ecclesia propter hanc variam vni- *Cyprian.*

tatis

Digitized by Google

Item eccleſia habet vnicum caput, ergo eſt vnica. Implicat enim duo eſſe corpora, & vnum caput, probatur antecedens ex D. Paulo ad Epheſ. 1. de Chriſto dicente. Ipſum dedit caput ſuper Eccleſiam quæ eſt corpus ipſius. Præterea exercitus centum mille hominum eſt vnus ab vnitate Ducis, ſed tota eccleſia habet vnicum Ducem. ſ. ſummum Pontificem; qui fuit D. Petrus, cui dictum eſt ſoli Paſce oues meas; & modo eſt eius ſucceſſor, ergo eccleſia, eſt vnica.

D. Aug. Præterea omnes habemus eamdem fidem, & vtimur eiſdem Sacramentis, ergo omnes pertinemus ad eamdem Eccleſiam. conſequentia patet, ex vulgari ſententia D. Auguſtini dicentis in nullum nomen religionis, ſiue veræ, ſiue falſæ coadunari homines, quin Sacramentorum viſibilium ſigno aliquo colligantur, probatur antecedens ex D. Paulo ad Epheſ. 4. Vnum corpus, & vnus ſpiritus ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptiſma. Item Eccleſia eſt vna vnitate finis vltimi, omnes enim chriſtiani tendimus ad eumdẽ finem, quæ eſt viſio beatifica, vnde ſequitur eccleſiam eſſe vnam vnitate principij, medij, & finis.

Deinde probatur concluſio ex analogia corporis naturalis. de qua D. Paulus ad Roman. 12. & 1. ad Corint. 12. Corpus naturale eſt vnicum quãuis habeat diuerſiſſima membra, diuerſum actum habentia: quia habet vnicam animam; ergo omnes fideles ſumus vnum corpus myſticum, & vna eccleſia ratione vnius Spiritus ſancti, quo regimur, quamuis inter nos ſint diuerſa officia: alij. n. ſunt Prælati, alij ſubditi, &c.

2. Concl. Secunda concluſio. Quamuis ratione vnius fidei ab initio mundi ſemper fuerit vna eccleſia, ſucceſſione, & ordine, ſicut vnus fluuius, tamen poſt Chriſti Natiuitatem, & mortem: congregatio fidelium magis vocatur vna eccleſia, quam antea. Probatur. olim non erat idem Prælatus, neque eedem leges, neque eadem Sacramenta. Pontifex enim, & leges, & Sacramenta hebræorum, non obligabant gentiles; modo autem poſt Chriſti mortem omnes habemus eumdem Pontificem, eaſdem leges, & eadem Sacramenta. iuxta illud Ioan. 10. Ego ſum Oſtiũ ouium; per me, ſi quis introierit ſaluabitur; & iterum Ioan. 11. Prophetauit quod moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, ideſt non tantum vt repararet genus humanum, ſed vt filios, ideſt prædeſtinatos, qui erãt diſperſi. ideſt, qui viuebant ſub diuerſis legibus naturæ. ſ. & ſcriptæ, congregaret in vnum. ideſt congregaret ad ſeruandam vnam legem euangelicam, ergo Eccleſia, quę modo eſt, eſt magis vna.

Soluuntur argumẽta hæreticorum cõſtituentium duas eccleſias.

Ad argumenta hæreticorum duas conſtituentium Eccleſias. Reſpondetur. & ad primum dico, Nec Chriſto credentes ante paſſionem, conſtituebant Eccleſiam, vt oſtendemus infra artic. 5. Nec phariſaica fermenta ad chatedram Moyſi pertinebant, ſuper quam ijdem Phariſei ſedebant. Matth. 23. non quatenus ſuas traditiones obtrudebant, ſed quatenus iuxta legis præſcripta (cuius litteram prætergredi non licebat) ordinabantur.

Ad ſecundum dico, quod omnia illa loca non duas Eccleſias, ſed duo membrorum Eccleſiæ genera, alia perfecta, alia imperfecta in eadem Eccleſia manifeſte docent. Vnus enim ager eſt, qui habet zizania cum tritico, vna Domus, imo vna menſa eſt, in qua erant duplices conuiuæ, & vnum Regnum Cęlorum in quo erant Virgines fatuę, & prudentes. lege D. Auguſtinus contra Donatiſt. poſt collect. capit. 6. & D. Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum. Eſt autem impium dicere, quod vel ager Dominicus, vel Domus Chriſti, vel Regnum Cęlorum ſit vnquam falſa aliqua Eccleſia.

D. Aug.
D. Hieron.

Ad tertium dico, quod Petri loca non duas Eccleſias ſed partim membra imperfecta vnius Eccleſiæ, partim hoſtes, & alienos ab eccleſia deſignant. vt in quarto notabili dictum eſt.

Ad quartum dico, quod illa teſtimonia, vel ſectas, & hęreſes deſcribunt, quæ eccleſiæ non ſunt iuxta quartum notabile, niſi forte ęquiuoce, quod perinde eſt, ac non eſſe iuxta ſecundum notabile; vel impios in eccleſia notant, Antichriſti eccleſia nulla eſſe poteſt, vt infra videbimus art. 6.

Ad quintum dico quod D. Paulus deſcribit hæreticos, qui exibant, & diſcedent, ab Eccleſia, non qui in ea ſunt, aut permaneant.

Ad ſextum dico, & ad primum quantum ad primam partem argumenti. In alijs locis in quibus Apoſtoli venerunt inuenerunt ſępe aduerſarios, vel Iudeos, vel Gentes, ſed aliam Eccleſiam aduerſantem non inuenerunt. Sed hoc nouum commentum de duplici eccleſia adinuenerunt hodie hæretici, vt Romanam, & vere catholicam eccleſiam: quia omnino eſſe eccleſiam negare non poterãt, vtpote in qua ſola tot ſæculis Chriſti fides celebrata, conſeruata, & propagata fuit, ſaltem falſam quandam eſſe eccleſiam, his exemplis, & ſcripturis imperito populo perſuaderent.

Soluuntur argumẽta contra vnitatẽ fidei.

Ad argumenta contra vnitatem fidei reſpondetur. & ad primum patet ex 6. notabili. In rebus difficillibus, & abſtruſis, nec dum liquido ab eccleſia declaratis licere aliter ſapere, & tollerari priuatos errores Doctorum hominum; ſed publica eccleſiæ fides non debet hoc prætextu violari, aut erroris redargui; quaſi ea violata conſiſtere valeat vnitas. Nec ſancti Patres in aliquo ad fidem ſpectãte inter ſe, & ab eccleſia diſſentiebant, nec ſuper eccleſiæ fundamentum, ſtipulas errorum contra fidem ędificarunt, imo illorum conſentiens doctrina eſt conſenſus eccleſiæ, & conſequenter pars fundamenti iuxta 10. notabile.

Tertull.

Ad ſecundum dico, quod impia eſt accuſatio. Reprehenſio. n. Petri erat fraterna non contentioſa, & cum ſeparatione coniũcta. Quarum hodie ſectarum hæreticarum eſt; qui inuicem non communicant; qui inuicem ſcriptis libris accuſant, refutant, lacerant, ſe ſeq; mutuo condemnant. Rurſum erat circa conuerſationis vitium, non doctrinæ, vt docet Tertull. in præſcript. & locus Apoſt. maniſeſte oſtendit ad Gal. 2. Non. n. errorem, ſed ſimulationem Petri arguit, nec non credidiſſe, ſed non ambulaſſe. i. non conuerſatum fuiſſe ſecundum veritatem ſcribit. Diſceſſio facta in Paulum, & Barnabam nõ fuit in materia doctrinæ; ſed circa factũ communis vitæ. Chriſtiani Anthiochiæ de re nondum definita diſceptabant, quod non ſoluit vnitatem, vt notabili 8. dictum eſt. Sed & paucorũ illud factum erat ab eccleſiæ Præpoſitis grauiſſime reprehenſum his verbis. Quidam ex nobis exeuntes turbauerunt vos verbis, euertentes animas veſtras, quibus non mandauimus. Act. 15. & 14.

D. Aug.

Ad tertium dico, quod ſancti Patres de rebus nondum definitis diſceptarunt, non aliter. & Cyprianus hæreticorum baptiſmum negans, neque ab eccleſia Romana, neq; à Stephano Pontifice diſſenſit, & catholicus erat: quia ſuã ſententiam ſic tenebat, vt tamen ſaniorem ſententiam docenti ceſſurus eſſet, vt oſtendit D. Auguſtinus de bapt. cõtra Donatiſt. lib. 2. c. 4. & 5. Idem vero negantes Donatiſtę hæretici erant: quia pertinaciter id aſſerebant, & definitionem eccleſiæ in plenario Concilio factã contemnebãt. Vide egregiam de hac re Auguſt. ſententiam epiſt. 162. in principio. Quare ad Cypriani verba allegata reſpondet Auguſt. opinor vtique in his quęſtionibus habet Epiſcopus libertatis ſuæ arbitrium in iudicando, quæ non dum eliquatiſſima perfectione diſcuſſa ſunt. lib. 3. c. 3. de bapt. contra Donatiſt. & lib. 2. c. 4. dixerat propter vniuerſæ eccleſiæ concordiſſimam authoritatem, cui & ipſe Cyprianus ceſſurus erat, dogma catholicum contra Cyprianum aſſerere.

D. Aug.

Ad quartum dico, quod ea de quibus Scholaſtici diuerſa ſentiunt ſunt in 2. genere dogmatum iuxta 6. notabile. Deinde ſua pertinaciter non defendunt, ſed tantum probabiliter aſſerunt, quod non ſoluit vnitatem fidei iuxta 7. notabile.

Ad quintum dico, quod Religioſorum ordinum diuerſitas regulam fidei non multiplicat, ſed regulam vitæ, & morum, quod vnitati fidei non repugnat, vt 9. notabili docuimus. Quare tam Scholaſtici, quam Religioſi omnes non ſolum cum eccleſia catholica, ſed inter ſe inuicem in toto cultu externo, & Sacramentis fraterne communicant, non ſic hæreticorum hodie ſectæ. Deinde illud Pauli. 1. Corint. 1. ſcribitur de illis, qui in dogmate fidei diſſentiebant, vt ipſa loci circunſtantia docet, & late explicat D. Auguſt. tract. 5. in Ioan. nempe circa baptiſmi valo-

D. Aug.

rem, quem ex Miniſtri dignitate pendere opinabantur, Religioſi vero ſuorum Patrum nomina referunt, non propter diſtinctum dogma, ſed propter diſtinctam imitationem iuxta illud Apoſt. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. 1. Corint. 11.

Ad vltimum dico, quod non de diſſidijs eccleſiaſticis, ſed de contentionibus hæreticis loquit, D. Paulus 1. Corint. 11. Dicit.n. oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt in vobis; manifeſti fiant. quod ſi talia eſſe ſua diſſidia hæretici Caluiniſtæ volunt, concedimus conſequens, & conſequentiam.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Eccleſia ſit ſancta.

DE hac re nulla eſt proprie hodie inter catholicos atque hæreticos controuerſia; Niſi quod in ſenſu præpoſtero hanc eccleſiæ ſanctitatem hæretici hodie intellexerunt, affirmantes eccleſiam, ideo eſſe ſanctam: quia ex iuſtis & omni peccato carentibus conſtat, vt art. 1. vidimus. Quare hunc articulum breuiter per certas concluſiones explicabimus tantũ in ſenſu catholico.

1. Conclu. Prima concluſio. Eccleſia dicitur ſancta; non quod nulla habeat membra niſi actu ſanctos ſanctitate vitæ, & morum; patet iſta concluſio ex determinatis in primo articulo.

2. Concl. Secunda concluſio. Eccleſia nec eo ſenſu eſt ſancta, vt qui vere in ea ſancti ſunt perfecta ſanctitate in hac vita neceſſario imbuantur: patet quia vetus hæc hæreſis fuit olim à Patribus confutata. Nam hæc fuit hæreſis D. Ambr. primo Nouatianorum, vt docet D. Ambroſius 2. Tim. 2. in Commentario. Deinde Pelagianorum vt teſtatur D. Aug. D. Auguſtinus in libro de hæreſibus hæreſi. 88. & ab eodem ſans ſuperque confutata in libro contra eoſdem, maxime in libro de Natura, & Gratia contra duas epiſtolas Pelagianorum, & libro tertio de perfectione Iuſtitiæ. D. Hieronymus. à D. quoque Hieronymo in tribus libris contra Pelagianos. Fuit etiam, & Iouiniani, vt videre eſt apud Hieronymum toto libro ſecundo contra eundem. Eccleſia ergo dicitur ſancta non quod in ea ſoli iuſti ſint, Varia eccleſię nomina. & ſancti, Cum enim eccleſia, à vocatione nomen induxat, vt diximus articulo primo, & etiam à D. Auguſtino legimus annotatum; multique ſunt vocati, pauci vero electi Matth. 22. certum eſt plures in ea peccatores quam iuſtos, plures eſſe malos, quam bonos. Quare deſignatur in ſcripturis nomine areę; in qua ſicut eſt triticum, ita ſunt & paleæ, vocatur ager in quo cum tritico creſcunt & zizania: vocatur ſagena in qua congregantur boni Piſces & mali; vocatur Vinea, in qua ſunt palmites proferentes vuas, ſicut etiam qui labruſcas producant; ſunt qui aliquem tamen, ſunt qui nullum fructum ferunt; confertur gregi in quo ſunt, & hœdi, & oues, ſunt & Arietes, & hirci; confertur domui, in qua ſunt vaſa aurea, & argentea, ſunt etiam lignea, & fictilia, quædam in honorem, quædam vero in contumeliam, Aſſimulatur theſauro in quo ſunt vaſa iræ, & vaſa miſericordiæ. Comparatur decem Virginibus, quarum quinque ſunt fatuæ, & quinque prudentes.

Quamobrem permixti ſunt mali bonis in hac eccleſia, In eccleſia militãti permixti ſunt mali cum bonis. quæ militans dicitur; Nam ſoli boni ſunt in Cœlo, quę eſt eccleſia triumphantium, idem nobiſcum corpus; ſoli mali ſunt in inferno; qui ad corpus hoc noſtrum, quod idem Chriſti corpus eſt non pertinent. Hæc autem noſtra eccleſia, quæ eſt ſuper terram; in qua perpetua quędam eſt militia habet per Dei gratiam electos, quos Cęlo Deus dignatur: habet alios etiam, vocatos quidem Dei miſericordia, ſed ſua poſtea culpa reiectos, quos iure ſuo ſibi vendicat infernus. Nec ideo dicitur eccleſia ſancta, vt qui in ea ſecundum præſentem iuſtitiam iuſti interdum, & ſancti ſunt, non ſint finaliter reiecti, & reprobi, velut putrida quędam huius corporis membra, ſed quòd quicumque ſancti ſunt, non niſi in hac eccleſia ſancti ſunt, extra quam ſpecies ſanctitatis eſſe non poteſt, vera ſanctitas eſſe non poteſt.

Tertia concluſio. Eccleſia in eo ſenſu ſancta eſt, vt ad perfectam ſanctitatem in altera vita futuram tendat, 3. Concl. ſic Chriſtus tradidit ſe ipſum pro Eccleſia ſua, vt illam ſanctificaret, & exhiberet glorioſam ſine macula & ruga ad Ephes. 5. hunc ſenſum docet diligenter D. Auguſt. D. Aug. libro ſecundo. Retract. capit. 18. libro tertio de Doctrin. Chriſtiana capit. 34. & de perfectione Iuſtitiæ.

Quarta concluſio. Eccleſia dicitur ſancta à meliore 4. Concluſio. ſui parte, quia plurimos in ſe habet iuſtos & ſanctos, itaque per ſynecdochen Eccleſia ſancta dicitur propter iuſtos. Quemadmodum nationem aliquam fortem dicere ſolemus, non quod omnes eius nationis homines, fortes ſint, ſed quoniam aliquos gignit fortes. Sic D. Paulus, primo ad Corint. primo denominat illorum Eccleſiam, ſanctificatos in Chriſto, imo & in omnibus diuites in Chriſto in omni verbo, & in omni ſcientia, & tamen eadem epiſt. cap. 3. & 5. carnales illos & inflatos vocat, ſic Galatas vocat inſenſatos, & inobedientes veritati. capit. 3. eoſdem tamen capit. 6. vocat fratres, & ſpirituales. Sic Eccleſia Regnum Cœlorum ſepe vocatur à Chriſto: quia non niſi intra ipſius ſepta continentur, quibus potiri datum eſt Regnum Cęlorum. Quod etiam indicat Chriſoſt. homil. prima. operis imperfecti Chriſoſt. in Matth. cum ait. Quomodo tunc in regno Iudæ quidam Reges extiterunt peccatores, quidam autem mediocriter peccatores; in regno autem Iſrael nemo Regum inuentus eſt iuſtus. Sic in Eccleſia Chriſti inueniuntur quidam Epiſcopi boni, & peccatores; in hæreſibus autem nemo inuenitur omnino rectus, ſed omnes peruerſi. Quia in auro quidem inuenitur ſcoria, & ſordes, in ſordibus autem non inuenitur aurum, atque adéo à meliore ſui parte dicitur Eccleſia ſancta.

Neque vero obſtat quod in Canticis de Eccleſia dicitur, Tota pulcha es amica mea, & macula non eſt in te. Cantic. 4. Senſus enim non eſt omnes, ac ſingulos fideles in Eccleſia carere ea prorſus macula peccati mortalis, ſed aliquos ea ita carere prorſus, vt ſint toti mundi, ideſt vt neque ſecundum intellectum, neque ſecundum affectum ſint aliquo peccato mortali inquinati, quam interpretationem docte explicat, & diligenter Ioan. Turrecremata in ſua ſumma de Eccleſia. Turrecremata. Quamquam dici etiam poteſt ſententiam illam, non ad Eccleſiam qualis in hac vita eſt, ſed qualis in patria cęleſte eſt futura referri debere, Cum exhibebit Chriſtus ſibi Eccleſiam glorioſam non habentem maculam, neque rugam ad Epheſ. 5. Vera enim eſſe oratio illa D. Augu- D. Aug. ſtini videtur libro contra Donatiſt. poſt collat. capit. 7. Quæcũque inquit teſtimonia diuinarum ſcripturarum commemorari potuerint, quibus ab omni malorum hominum per mixtione pura prænunciatur Eccleſia: non qualis nunc illis teſtimonijs prænunciatur, ſed qualis poſt iſtam mortalitatem in vita æterna futura eſt. His adde poſſe etiam in hac vita totam pulchram dici propter chriſtianam profeſſionem, quæ tota pura eſt vt mox dicemus.

Quinta concluſio. Eccleſia ſancta dicitur: quia tota 5. Concluſio. diuino cultui conſecrata eſt, præceptis, Sacramentis inſtitutis ſanctis continetur, prorſus vt in eam rectiſſime conueniat illud Pſal. 18. lex Dei immaculata &c. hac ratione Eccleſia tota ſancta dici poteſt. Conſtat enim in hoc ſenſu ſanctam dici eccleſiam: quia profeſſio eius eſt ſancta, nihil continẽs falſum, quo ad fidei doctrinam, nihil iniuſtum quo ad doctrinam morum, atque adeo appellatur lex Domini immaculata, teſtimonium fidele, præceptum Domini lucidum: quia licet non omnes fideles colant vitæ ſanctimoniam; omnes tamen certe illam profitentur quemadmodum religioſos aut artifices propter vitæ inſtitutum, & profeſſionem eos etiam ſolemus dicere, qui Religionis, aut artis præcepta tranſgrediuntur, vt ad hoc propoſitum recte notatum eſt in Cathechiſmo Romano. Hac etiam ratione ſancta dici poteſt propter ſanctiſſima eademque varia, ac multiplicia diuinæ gratiæ chariſmata, quibus ornata eſt; atque etiam ob vniuerſalia, efficaciſſimaque remedia ſanctitatis, quibus affatim diuino beneficio abundat.

Sexta

Digitized by Google

6. Concl. Sexta concluſio. Eccleſia maxime proprie in ſymbolo vocatur ſancta; propter fideles Chriſti nomen profitentes, & Chriſti Sacramento, baptiſmo, ſcilicet initiatos, & ſanctificatos. Chriſtus enim eam lauit à peccatis ſuis in ſanguine ſuo, qui ſic eam dilexit, vt ſe ipſum traderet pro illa, vt eam ſanctificaret atque ab omnibus operibus mortuis emundaret in ſanguine ſuo. Hac ratione ſicut

D. Aug. etiam D. Auguſt. teſtis eſt, fideles omnes olim ſancti vocabantur enarrat. in Pſalm. 85. fideles enim in primitiua Eccleſia vocabantur proprie ſancti, vt hodie Chriſtiani; Quod nomen non in Iudæa & Samaria; vbi primum Apoſtoli prædicarunt, ſed Anthiochiæ inter gentes cœpit. Actor. 11. In litteris autem Apoſtolicis hoc nomen ſemper retinetur, vt eo à Iudæis diſtinguerentur. Actor. 9. Quanta mala fecit ſanctis tuis, & iterum. Cum vocaſſet ſanctos, & viduas. Actor. 26. Multos ſanctorum carceribus incluſi. Ad Roman. 12. Neceſſitatibus ſanctorum communicantes; & iterum. Salutate ſanctos: ſic autem vocabantur: quia per baptiſmum ſanctificabantur ad Epheſ. 5. Sanctificauit eos mundans lauachro aquæ &c. & Deo conſecrabantur fideles. quam ob cauſam baptizati, & conſecrati pro eadem accipit

D. Aug. D. Auguſtinus de vnico baptiſmo; capit. 9. contra Donatiſt. de baptiſmo lib. 4. capit. 22. & epiſt. 23. Quia ergo in baptiſmo profitentur fideles ſanctitatem, propterea eorum ſocietas vocatur Eccleſia ſancta, & ſi omnes ſan-

Optatus. ctitatem non aſſequantur. Hac etiam ratione ab Optato dictum eſt libr. 2. contra Parmenianum. Eccleſia vna eſt, cuius ſanctitas de Sacramentis colligitur, non de ſuperbia perſonarum ponderatur, Ioan. quoque Chri-

Chriſoſt. ſoſt. hom. 10. in epiſt. ad Hebræos. Omnis fidelis, inquit, ſanctus eſt, ſecundum quod fidelis eſt; ſanctificationem enim fides facit. Ac paucis interiectis, alios dicit eſſe ſanctos vita, & fide, alios autem fide tantum.

7. Concl. Septima concluſio. Eccleſia dicitur ſancta à ſua firmitate: nam apud eos qui latine ſcripſerunt ſanctum dici legimus, quod firmum eſt, & munitum vt violari facile non poſſit, neque debeat, ſic muros leges vocant ſanctos, ſic Tribunos ſanctos, ſic ærarium quoque ſanctum appellatum legimus. Vnde Vlpianus de verborum ſignificatione. ſanctum dicitur, quod neque ſacrum eſt, neque profanum, ſed ſanctione aliqua firmatum; & Martianus de rerum diuiſione; ſanctum inquit dicitur, quod ab iniuria hominum defenſum, atque munitum eſt. Hac ratione quoque vocatur Eccleſia ſancta; quia nihil firmius, nihil eſt fortius, vel quia Chriſto dicata eſt, cui quod dedit Pater, nemo poteſt eripere Ioan. 17. vel quia ſuper petram ædificata eſt, ita vt neque pluuiæ neque flumina, neque venti irruentes eam ſubuertere poſſint, atque nec portas quidem inferorum aduerſus eam præualituras dixit Chriſtus. Matth. 16. habet enim firmum & ſtabile firmamentum de quo dicit Apoſt. 1. Corint. 3. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Huic fundamento cum innitatur, nulla eſt, neque fuit, neque erit vis vnquam tanta, qua ſuperare poſſit. Ideo

Chriſoſt. Chriſoſtomus fortiorem eam terra, imo fortiorem eſſe dicit ipſo Cœlo, vbi radices eam fixas habere affirmat, non in terra, Solem vt extingui ſit facilius, quam Eccleſiam obſcurari. hom. de expulſione ſanct. in tertio tomo.

Hæc eſt illa terra quam fundauit Deus in ſæcula, de qua dicit idem propheta. fundaſti eam ſuper ſtabilitatem ſuam non inclinabitur in ſæculum ſæculi. Pſal. 77. Hoc eſt illud Regnum de quo ſcriptum eſt. Regnum ipſius omnibus dominabitur. Pſal. 120. & de quo Iſaias cap. 60. dicit. Gens & regnum quod non ſeruierit tibi peribit: quod ita factum videmus de ijs omnibus gentibus, & regnis, quæ ab Eccleſia deſciuerunt. Hæc eſt illa quã ſponſus in Cant. terribilem eſſe dicit vt caſtrorum aciem ordinatam. Cant. 6.

Caſtra Dei ſunt, ſancti Dei charitate ordinati, quibus tamquam Chriſti militibus, & fidei propugnatoribus munitur protegitur, & defenditur Eccleſia Dei. De quibus apud Zachariam dicit Dominus. Circumdabo domum meam. i. Eccleſiam, ijs qui militant mihi, ſunt autem qui militant Doctores, Antiſtites, & Principes Eccleſiæ, qualis fuit Thimotheus, cui dicit Apoſtolus labora ſicut bonus miles Ieſu Chriſti 1. Thim. 2. Quales fuerunt innumeri martyres, qui vſque ad ſanguinem, quin ad mortem vſque reſiſtentes vitam quoque ſuam pro fide Chriſti certando profuderunt.

Hanc aciem perrumpere conati ſunt Pagani omni ſuppliciorum genere de pijs ſumendo, conati ſunt Tyranni libertatem eripiendo, conati ſunt falſi fratres charitatem exterminando, conati ſunt Iudæi fidem impugnando, conati ſunt ſchiſmatici obedientiam tollendo, & eius vnitatem ſcindendo, conati ſunt hæretici ſcripturas adulterando, veritatem earum obſcurando, prauęq; eas interpretãdo. Sed fuit hæc acies terribilis omnibus, vicit, fudit, fugauit omnes. Vicit paganos pro Chriſti fide vita cum ſanguine profundendo tanto animi robore, tanta cõſtantia, tanta allacritate vt gauderent etiam cum digni eſſent habiti, qui pro Chriſti nomine contumeliam paterentur. Vicit Tyrannos in Deo ſpem, ac fiduciam omnem collocando, ac pro perſequentibus illum deprecando. Vicit falſos fratres tollerando, vicit ſchiſmaticos ordinem retinendo, & vnius ductum ſequendo, vt de illa quoque dici recte poſſet. Egreſſi ſunt omnes filij Iſrael, & pariter congregati quaſi vir vnus. 1. Reg. 11. Erat namque multitudo credentium cor vnum, & anima vna. Act. 4. Vicit Iudæos, & hæreticos verum ſcripturarum ſenſum ab illis non intellectum, ab ijs praue detortum aperiendo. Nam Eccleſiæ ſuæ dixit Chriſtus. *Lucæ* 21. Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri; neque dixit magis, quam præſtitit. Quoties enim fuit Eccleſiæ cum Iudæis, & hæreticis de ſcripturis concertatio, dedit ei hoc os, dedit hanc ſapiẽtiam; cui nequaquam reſiſtere, & contradicere potuerũt. Omnibus autem his, à quibus oppugnabatur, vſa eſt ad profectus ſuos, & ad correctionem cum euigilare voluerit. Gentibus vtitur ad materiam operationis ſuæ, hæreticis ad probationem doctrinę ſuæ, ſchiſmaticis ad documentum ſtabilitatis ſuę. Iudæis ad comparationem pulchritudinis ſuæ.

Eſt ergo vere ſancta inuicta, & inexpugnabilis eccleſia, quæ tot tantiſque grauiſſimorum hoſtium oppugnationibus non modo fracta non eſt, & debilitata, verum confirmata magis, & corroborata. recte vt verus Iſrael noſter verba illa Prophetę vſurpare ſibi queat. Sępe expugnauerũt me à iuuẽtute mea. etenim nõ potuerũt mihi.

ARTICVLVS V.

Vtrum Eccleſia ſit Catholica. i. vniuerſalis.

VEra Chriſti Eccleſia vniuerſalis eſt quo ad loca, & quo ad tempora, quia per omnes gentes toto orbe diffunditur. & omnia tempora cõplectitur, ex hac duplici vniuerſalitate principaliter catholica appellatur de temporum vniuerſalitate in ſequenti art. diſſeremus. In hoc autem de locorum vniuerſalitate potiſſimum verba faciemus.

De qua re hæreticorum hodie prorſus vnanimis ſentẽtia eſt, communionem omnium gentium, vel vniuerſalitatem credentium ad veram Chriſti Eccleſiam neceſſario non pertinere, ſed contra poſſe veram Eccleſiam; imo, & ſolere quam plurimum in paucis conſiſtere, adeoq; multitudinem eſſe potius falſæ Eccleſiæ notam quam veræ. Hunc autem ſuum errorem his fulciunt rationibus.

Primo ſcriptura indicat plerũque exiguum eſſe cœtũ, qui ad veram Eccleſiam pertinent Matth. 7. Anguſta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci inueniunt eã. Matth. 13. quarta pars tantummodo boni ſeminis cadit in terram bonam, & fructificat. ideſt pauci accipiunt verbũ prædicationis iuxta illud Iſaiæ. c. 53. Domine quis credidit auditui noſtro? ergo prædicatio euangelica ſonat quidem per omnes gentes, ſed non omnes obediunt Euangelio ad Roma. 10. pauci credunt &c.

Secundo Chriſto viuo pauci eum ſecuti ſunt, & illi ex infima turba, quales erant Apoſtoli, & reliqui diſcipuli. Pontifices, Scribę, ſeniores populi faſtidiunt Chriſtum, &

tamen vera illa erat eccleſia, quę Chriſto tunc adhęrebat.

Tertio, Paucorum eſt veritas, ſtultorum autem numerus eſt infinitus. eccleſiaſt. 1. & confirmatur quia vniuerſus mundus perijt, ſola familia Noë in Archa ſeruata eſt. & Iſaias clamat. c. 8. Ait Dominus ad me ne irem in viam populi huius.

Quarto, Vniuerſitatis nota ſi totum mundum complectitur ad chriſtianam fidem non pertinet; illa .n. totum mundum non complectitur, nec vbique, aut omnium eſt, ideoque hoc ſenſu eccleſia nihil minus eſt quam catholica.

Quinto, Multitudo maxima in veteri eccleſia Paganorum ſemper fuit in recentiori Eccleſia, Mahometiſtarum eſt, Græcorum quoque chriſtianorum, (quos tamen extra eccleſiam ponimus) longe lateque multitudo diffuſa eſt. Vniuerſitas ergo locorum non eſt aliqua certa qualitas Eccleſiæ veræ, ſed cum falſis eccleſijs communis.

Eccleſia quomodo eſt omniũ gentium.

Pro explicatione huius veritatis & argumentorum cõtra eam ſolutionẽ obſeruandum eſt primo. quod eccleſia Chriſti ſecundum ſcripturas eſt eccleſia omnium gentiũ: non quia ſimul & ſemper omnes gentes occupat (hoc .n. ne tempore Apoſtolorum quidem factum eſt præciſe loquendo) ſed quia ſucceſſiue, & per partes per omnes gẽtes diffuſa eſt. Sic veteres prophetias diſerte exponit D. Hieronymus in Comment. ad cap. 45. Iſaiæ ſic D. Auguſtinus aſſerit ſuo tempore per omnes gentes diffuſam fuiſſe eccleſiam tract. 1. in epiſt. Ioan. tametſi alibi fateatur aliquas adhuc gentes ſuperfuiſſe in quibus Euangelium non eſſet prædicatum contra Creſcon. lib. 3. c. 65. de natura, & gratia. c. 2. & de vnitate Eccleſiæ. c. 14. Nimirũ quia in fieri, & ſucceſſione perpetua occupat omnes gentes, nõ in eſſe permanenti, lege Driedonem lib. 4. c. 2. part. 2. de eccleſiaſt. dogmat. Ex quo idſequitur, quod ſi ſola vna Prouincia retineret veram fidem adhuc vere; & propriè diceretur Eccleſia catholica dummodo clare oſtenderetur eam vnam, & eamdem eſſe cum illa, quæ fuit aliquo tempore, vel diuerſis in toto mundo, quemadmodum nunc quælibet Diocęſis dicitur catholica: quia eſt coniuncta cum alijs, quæ faciunt vnam eccleſiam catholicam.

D. Hieron.
D. Aug.
Driedo.

Secundo obſer. eſt. ex D. Auguſt. lib. de vnitate eccleſię c. 6. & Beda in cap. 6. cant. vt Eccleſia ſit catholica in primis requiri, vt non excludat vlla tempora, loca, vel hominum genera, in quo diſtinguitur à Synagoga; quæ erat Eccleſia particularis non catholica, quia erat alligata vni tempori, ideſt vſque ad aduentum Meſſiæ, item vni loco. i. templo Salomonis extra quod non poterant ſacrificare, & vni familiæ, ideſt filijs Iacob. propterea conſideranda eſt Eccleſia ſecũdũ quod, ſe habet in omnibus gentibus, & non ſecundum id, quod ſe habet in hac, vel illa parte, ideoque ad eius naturam, & qualitatem cognoſcendam vniuerſalis quædam ſocietas in multitudine poſita, non pars aliqua paucitate comprehenſa, quærenda, & reſpicienda eſt. Hac de cauſa vera Chriſti Eccleſia non ſolum ſucceſſiue, & in communione maiorum, ſed etiam in eſſe permanenti, & ſecundum præſentem ſemper ſtatum ſuum numeroſior, & amplior multitudo fuit, ideſt per plures gentes diffuſa & cognita, quam vlla hæreſis. obſeruauit hoc diligentiſſime D. Auguſt. de vtilitate credendi. c. 7. Cum omnes (inquit) hæretici velint ſe catholicos videri, vna tamen eſt Eccleſia vt omnes concedunt, ſi totum orbem conſideret refertior multitudine; Nempe reſpectu totius orbis, quem reſpectum ſcriptura eccleſiæ Chriſti attribuit, magis illuſtris eſt catholicorum multitudo, quam quorumcunque hæreticorum ſegregata turba. Quare & hodie, & vnaquaque ætate ſola vera eccleſia reſpectu totius orbis (licet non ſemper reſpectu vnius regionis, vt hodie in Germania, & Anglia) numeroſior multitudo eſt quam vlla hæreſis, & hoc modo eccleſia ſemper habet rationem totius, vnaquęq; autem hæreſis habet rationem partis.

D. Aug.
Beda.
D. Aug.

D. Aug.

Tertio obſeruan. eſt ex D. Auguſt. epiſt. 80. ad Heſychicum vt ſit Eccleſia catholica non requiri, vt ſit in omnibus hominibus totius mundi, ſed tantum vt innoteſcat omnibus prouincijs, & in omnibus fructificet, ita vt in omnibus prouincijs aliqui ſint de Eccleſia: donec enim hoc fiat non veniet dies Domini, vt patet Matth. 24. Eſt itaque ſic Eccleſia omnium gentium, & locorum, vt vbicumque Chriſti nomen prædicatur, per omnia huiuſmodi loca colligatur eccleſia. Non ſic autem vlla hæreſis; ſed aliæ hæreſes per hæc loca, aliæ per illa graſſentur, nullæ vero in omnibus locis. Hoc exacte tractat D. Auguſtin. de vnitate Eccleſiæ. cap. 4. idque ex hoc fundamento: quia ſcripturarum teſtimonijs non in hac, aut illa, ſed in omnibus gentibus deſignata eſt, & ait, ſingulæ hæreſes in multis gentibus, vbi eccleſia eſt non inueniuntur; eccleſia autem quæ vbique eſt, etiam vbi illæ ſunt inuenitur. hæc ille. Idem latius proſequitur. lib. de Paſtoribus. cap. 8. Theodoretus quoque hęreticorum fabularum lib. 3. in fine. Quare reſpectu hæreticorum eccleſia ſemper per omnes gentes diffuſa dici poteſt, ideſt per valde multas, & plures, quam vlla hæreſis diffundatur.

D. Aug.
Theodor.

Eccleſia reſpectu quorũ dicatur vniuerſalis.

Quarto obſeruandum eſt. Eccleſiam Chriſti non eſſe quidem multitudinem vniuerſalem reſpectu paganorũ, aut prorſus infidelium, quales hodie ſunt Mahomettani, ſed reſpectu vel Iudęorum, quorum Synagoga in vna Paleſtina erat; vel hæreticorum. (nam à Paganis omnibus & infidelibus per ipſam profeſſionem nominis Chriſti ſatis diſtinguitur Eccleſia) tamen eſſe multitudinem vniuerſalem, & omnium gentium, quatenus eſt vniuerſaliter, & omnibus gentibus nota (vt diximus) Hoc enim etiam ſenſu ſcripturæ deſcribunt Eccleſiam Chriſti eſſe omnium gentium, ſcilicet reſpectu notitiæ, & non ſolum ſucceſſionis ratione, & exiſtentiæ. Vnde D. Auguſt. Eccleſia (inquit) certum ſignum hoc habet, quod abſcondi non poteſt. Nota eſt ergo omnibus gentibus. Pars autẽ Donati ignota eſt pluribus gentibus, non eſt ergo ipſa. Hæc ille contra Petil. lib. 2. cap. 104. hac etiam de cauſa ſcripſit contra Parmen. lib. 3. cap. 5. Neceſſe eſt omnibus terrarum partibus nota ſit. Eſt ergo eccleſia Chriſti omnium gentium Eccleſia: quia per omnes gentes diffamata eſt eod. fine, vt aditus ad fidem ſemper pateat, quod declarat D. Aug. de vtilitate credendi. c. 14. & contra Fauſtum lib. 13. c. 13.

D. Aug.

1. Concl.

His obſeruatis ſit prima concluſio. Eccleſia Chriſti eſt vniuerſalis quo ad omnia loca, quia per vniuerſum eſt orbem diffuſa; quam rationem appellationis D. Auguſtinus ſuper pſal. 81. & 121. diligenter expoſuit, ex eaque ſæpe probat hęreticorum conuenticula Eccleſiam Chriſti non eſſe: quoniam ſuis quibuſdam tantum contineantur Prouincijs. probatur ex promiſſione Patris æterni ad Filium pſal. 2. Dabo tibi gentes hęreditatem tuam, poſſeſſionem tuam terminos terræ, ac item illud Pſal. 18. In omnem terram exiuit ſonus eorum &c. & Pſal. 21. Conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terrę; & Pſal. 71. Dominabitur à mari vſque ad mare, &c. ſic Iſaias. cap. 2. fluent ad eum omnes gentes, quod poſtea multis in locis repetit. capit. 11. 26. & 27. maxime vero cap. 49. & 60. ſic Daniel. cap. 2. In viſione montis magni, qui impleuit omnem terram. de quo lege D. Auguſt. tract. 1. in epiſt. Ioan. Iterum Dan 7. omnes populi, & Tribu, & linguæ ſeruient ipſi. ſic Zacharias. capit. 9. ecce venit Rex tuus tibi manſuetus &c. Poteſtas eius a mari, vſque ad mare, & à fluminibus vſque ad fines terrę. Prætera Chriſtus in Euangelio ſuam Eccleſiam deſcribit fore ſocietatem vniuerſalem per omnes gentes diſperſam Lucę 24. Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta sũt de me in lege, pſalmis, & Prophetis, & prędicari in nomine meo per omnes gentes incipientibus à Hieruſalem. lege D. Auguſtin. de vnitate Eccleſię. cap. 9. Sic Eccleſię fines legans, quos ad eam colligendam emiſſit deſcripturus, ait eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in tota Iudęa, & in Samaria, & vſque ad vltimum terrę Actor. 1.

D. Aug.
D. Aug.

Pręterea Regnum Chriſti temporale eſt Eccleſia militans in nomine eius collecta, de quo Apoſt. 1. Corint. 15. Oportet illum regnare donec ponat inimicos ſuos ſub pedibus eius, & iterum ad Epheſ. 1. Omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſuper omnem eccleſiã; de quo etiam Propheta pſal. 109. Virgã virtutis tuę emittet Dominus ex Syõ; ideſt poteſtas Regni tui exordietur in Syon: quia de Syon exibit lex, Iſaię 3. Incipientibus à Hieruſalem. Lucę 24. Dominare in medio inimi-

corum

corum tuorum &c. Sed hoc Chriſti regnum eſt omnium populorum perpetua ſubiectio in fide nominis eius. Daniel.7. Datus eſt ei Principatus, & honor, & Regnum; & omnes populi ſeruient ei. Regnum eius Regnum ſempiternum. Sic Luce 2. Regnabit in Domo Iacob in æternum, & Pſal.71. Laus mea in eccleſia magna propter quas ſcripturas. Anathema di-
D. Aug. cit Auguſt. quis quis annunciat eccleſiam præter communionem omnium gentium. epiſt.48.

3.Concl. Secunda concluſio. Eccleſia eſt vniuerſalis, quo ad omnia hominũ genera, & vniuerſas nationes colligit. n. Chriſti eccleſia, homines cuiuſcunque ſtatus, conditionis, ætatis, ſexus, gentis, etiam fuerint teſtis eſt D.Paulus. Roma.10. Coloſſ.3. & Galat.3. Non eſt in ea diſtinctio Iudæi & Græci; non eſt in ea Circuncifio, & præputium, non Barbarus, & Scitha, non ſeruus, & liber, non maſculus neque fęmina; ſed omnia in omnibus Chriſtus idem Dominus omnium, qui inuocãt eum. Omnis. n. qui inuocauerit nomẽ Domini ſaluus erit. Ioel.2. Quod pertineat ad vniuerſas nationes indicat ille locus ex Apoc.5. Redemiſti nos Deus in ſanguine tuo, ex omni tribu, lingua, populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum, quodq; dicit Petrus Act.10. In veritate comperi quod nõ eſt acceptor perſonarum Deus, ſed in omni gente, qui timet eum, & qui operatur iuſtitiam acceptus eſt illi.

Præterea vniuerſalitas credentium eſt propria merces Chriſti Incarnationi, & paſſioni retributa, ergo eius eccleſia neceſſario eſſe debet omnium gentium, atque nationũ ſocietas; Non. n. tantum pro vna natione, populo, vel gente, Chriſtus natus, & mortuus eſt, ſed prorſus pro vniuerſo genere humano. antecedens patet ex ſcripturis. Pſal.2. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuã. Iſaiæ 53. Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia, pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam &c. ad Philip.2. Humiliauit ſemetipſum factus obediens, vſque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum &c. vt omnis lingua confiteatur: quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris. propter hanc propriam Chriſti mercedẽ vocatur Chriſtus in ſcriptura Prophetica Deus Catholicæ Eccleſiæ Iſaiæ.c.54. Redemptor tuus ſanctus Iſrael, Deus omni terræ vocabitur, quare hanc propriam Chriſti hæreditatem, & dotem vrgent contra hæreticos ſancti Patres verbis ampliſſimis. Contra Donatiſtas Au-
Auguſt. guſt. de vnitate eccleſiæ. c.7. & tract.3. in epiſt. Ioan. & an-
Optatus. te eum Optatus lib.2. contra Parmen. cõtra Luciferianos
Hierony. D.Hieronymus in dialogo aduerſus eoſdem, contra Eu-
Baſilius. nomianos Baſilius. epiſt.72.

3.Concl. Tertia concluſio. Eccleſia dicitur Catholica ab vniuerſitate eius doctrinæ, quam profitetur, tum quia continet materiam vbertimam de Deo, & de creaturis. Tum quia per vniuerſum orbem prædicata eſt. Euntes prædicate Euangelium omni creaturæ Marci vltimo. & ſic Apoſtoli prædicauerunt vbique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Nam in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum; atque adeo quod ab omnibus tempore, & loco docetur, dogma catholicum appellatur; ſicut catholicus eſt (vt
Vincent. inquit Vincentius Lirinenſis in ſuo Commonitorio) qui tenet id, quod ſemper, quod vbique, quod ab omnibus creditum eſt. Et ſi dicas, quod modo eccleſia non erit vniuerſalis; quia non vbique creditur quod Eccleſia Romana docet, vt patet de Germania, Anglia, &c. Nego conſequẽtiam, ad hoc. n. vt eccleſia ſit catholica ſatis eſt ſemel fuiſſe diffuſam per totum orbem, quia ſucceſſio, & ordine eadem eccleſia eſt modo, quæ erat tempore Apoſtolorum, & eãdem fidem tenet, quam Apoſtoli in toto orbe diuulgauerunt. Quare ſi eccleſia modo eſſet tantum in vna ꝓuincia, & natione, eſſet catholica: quia eamdem fidem tenet quam vniuerſaliter tenuit eccleſia, imo eadem ratione, quælibet eccleſia particularis vocatur catholica, vt diximus in primo notabili.

Ad argumenta hæreticorum reſpondetur & ad primũ dico, quod illa teſtimonia non de ſtatu eccleſiæ in ſe, ſed de ſtatu ſaluandorum in eccleſia loquuntur. Teſtimoniũ Iſaiæ.3. & Apoſt. ad Roma.10. diſerte de pertinacia, & incredulitate Iudæorum non gentium loquitur.

Ad ſecundum dico, quod turba illa credentium Chriſto dum in terris verſaretur non conſtituebant eccleſiam Chriſti proprie dictam, idque propter duas cauſas, primum quia adhuc perſtitit Synagoga in vigore ſuo. Idcirco. n. qui in Chriſtum credebant, ceremonias tamen legales obſeruabant, & Synagogam venerabantur, templũque frequentabant, & adhuc ſuper cathedra Moyſi ſedebant Scribæ & Phariſei Matth.23. Deinde cępit eccleſia Chriſti poſt glorificatum Chriſtum, dato Spiritu ſancto, qui eſſet anima eccleſiæ in die Penthecoſtes. Tũc de Syõ exiuit lex, & Verbum Domini de Hieruſalem Iſaię.2. tũc cepitum eſt prædicari in nomine Chriſti incipientibus à Hieruſalem. Lucæ 24. Tunc deſijt Synagoga rupto tẽpli velo Ioan.19. Ante paſſionem Chriſtus fundamenta cęleſtis doctrinæ poſuit colligendę ſuę eccleſię. Sed non niſi poſt paſſionem ad illam colligẽdam miniſtros delegauit. Matth 28. Euntes docete omnes gentes &c.

Ad tertiũ dico; quod hęc fuit obiectio Manichei apud *D. Aug.*
Auguſt. de vtilit. creden. c.7. cui reſpondetur ibidem Pauci quidem ſunt, qui veritatem accurate norunt, & ſecundum eã religioſe viuunt, ſed hi pauci authoritate ſua multitudinem tenent, vnde ſe in illa ſecreta expedire, & quaſi eliquare paucitas poſſit; & paulo poſt. Pauci ſummã eloqtentiam conſequuntur, cũ tamẽ per totum orbem Rhetorum ſcholæ perſtrepant. Tale quiddã eſt Religio, quã innumeri profitentur pauci in ea perfecti ſunt. hęc Aug. Ad confirmationem reſpõdetur, ſicut promiſſit Deus nõ futurum amplius diluuium totius orbis, quantumcũque homines peccarent Gen.8. Sic diſerte promittit hoc etiam de Noë adducta ſimilitudine Iſaiæ.54. quod eccleſia Gẽtium non peribit. Fœdus inquit pacis meę non mouebitur. Idem quoque obiecerant Donatiſtæ. Quibus reſpon- *D. Aug.*
det Auguſt. de vnit. eccleſ. c.12. locus alter Iſaiæ 8. taxat populi illius impuriſſimos mores, fidem, aut Religionẽ, nec illius populi culpat, & multo minus vllius populi, quatenus communiter receptam culpandam docet. Imo ipſa paucitas eſt ſectarum propria, vt poſtea latius.

Ad quartum dico ex primo notabili fidem chriſtianã eſſe totius mundi, & omnium gentium fidem, quia conformis eſt maiorum fidei, qui omnes gentes occupabant. *D. Aug.*
Vincentius Donatiſta, idem obiecit Auguſtino epiſt.48. cui ille reſpondit per multam gentem tunc fidem propagatam fuiſſe, & per reliquas propagandum credi oportere. iuxta ea, quæ diximus in primo notabili.

Ad quintum dico, quod vniuerſalitas locorum eſt certa eccleſiæ qualitas non ſimpliciter, & abſolute, ſed reſpectu hæreticorum & Iudæorum, vt dictum eſt in 3. & 4. notab. Quare vniuerſitas non quęuis, ſed fidem Chriſti profitentium, eſt certa qualitas verę eccleſię non comparata cum infidelibus, ſed reſpectu ipſorum fidelium inuicem; fidelium inquam largiſſime acceptorum, ideſt fidem Chriſti, vel vnius Dei profitentium. Rurſum vniuerſitas locorum ſucceſſiue accepta; & non in eſſe permanenti, nõ eſt minor ex parte eccleſię Chriſti, quam paganiſmi. Eccleſia. n. omnes gentes ſucceſſiue occupauit, non ſecus quã paganiſmus, & multo amplius, quam Mahometiſmus; atque idem de Gręcis ſchiſmaticis dici debet. Illorum enim multitudo eſt quidem ampla, ſed non tantę ſucceſſionis, & durationis, quantę eſt catholica multitudo.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Eccleſia ab exordio mundi inceperit, & vſque ad finem mundi ſit duratura.

Eccleſia dicitur catholica & vniuerſalis, ne dum quia pertinent ad vniuerſa loca, ad vniuerſa hominum genera, & ad nationes vniuerſas; ſed quia pertinet etiam ad vniuerſa tempora, atque adeo eccleſia catholica dicitur non ſolum quia ſemper fuit, ſed etiam quia ſẽper erit. Ideo de antiquitate, & perpetuitate Eccleſiæ in hoc art. breuiter diſſerendum eſt.

Et quo ad eius antiquitatem circa eius initium triplex eſt opinio. prima opinio eſt eccleſiam incepiſſe ante mundi conſtitutionem in Angelorum creatione. Probatur. Eccleſia eſt collectio fideliũ; ſed Angeli viatores erãt

fideles, ergo congregatio illorum erat Eccleſia. & confirmauit ex D. Bernardo ſerm. 28. ſuper Cant. dicente cum haberet ſibi ſponſam coherentem, ideſt eccleſiam angelorum, placuit ſibi ex hominibus eccleſiam congregare.

Bernard.

Secunda opinio eſt eccleſiam incepiſſe ab Adam in ſtatu innocentiæ. Ita docet Hoſſius in confeſſione Polloiuca capit. 15. & 22. quod confirmat ex Epiphanio aduerſus hæreſes lib. 1. vbi ſcribit, quod Adam non erat Idolatra, & nouit Patrem Deum, Filium, & Spiritum ſanctum, Propheta.n. erat Adam, & nouit, quod Pater dixit Filio faciamus hominẽ. Quid igitur erat? Non circuncificionem habens, neq; ſimulachra colens, ſed chriſtianiſmi formã oſtẽdens, ſic et de Abel, de Seth, de Enoch, de Melchiſedech, de Noe & Heber vſq; ad Habrahã accipiendũ eſt; Ab Adam igitur incepit exordiũ in Chriſtum credentiũ eccleſia, & probatur eadẽ ratione, qua primo probata eſt prima opinio, & confirmatur, quia in illo ſtatu, etiam Adã habuit fidem incarnationis Chriſti; vt patet ex D. Paulo ad Epheſ. 5. explicante illud hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Sacramentum hoc (inquit Paulus) magnum eſt, ergo autem dico in Chriſto, & in eccleſia.

Hoſſius.
Epiphan.

Tertia opinio eſt, quod non fuit eccleſia ante aduentũ Chriſti, ſed quod ab ipſo cepit, probatur ex Matth. 16. Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam, ergo ante ipſum non erat. & confirmatur ex D. Auguſt. in tract. ſuper epiſt. Ioan. dicente inchoata eſt eccleſia; cum venit Spiritus ſanctus,

D. Aug.

De eccleſiæ perpetuitate error.

Quo ad eccleſiæ perpetuitatem licet hæretici hodie verbo tenus omnes fateantur eccleſiam eſſe perpetuam; re vera tamen diſerte docent viſibilem eccleſiam, quæ videlicet ex paſtoribus, & ouiũ multitudine publice Chriſtum profitentium conſiſtit, non eſſe in ſana fide perpetuam, ſed à vera fide poſſe deficere adeoq; ſæpiſſime defeciſſe, atque ante finem vel prope finem mundi eſſe defecturam. Quod ita probant & primo ſic; Synagoga vetus habuit promiſſiones multas perpetuitatis, & firmitatis, defecit tamen, & errauit ſæpius; ergo & eccleſia Chriſti vtcumque habeat ſimiles promiſſiones, errare tamen poterit, & deficere. probatur antecedens. pſal. 104. Statuit teſtamentum ſuum Iacob in Perpetuum, & Iſrael in teſtamẽtum æternum. & Iſaiæ. 49. Si poteſt Mater obliuiſci infantem vteri ſui, ego tamen non obliuiſcar tui. probatur ſecunda pars antecedentis ex Ieremiæ 18. Vbi Sacerdotes hoc ſibi priuilegium vendicantes defecerunt à lege; & ſecuta eſt captiuitas Babylonica; denique & tota Synagoga in pleno Concilio. Chriſtum damnauit Ioan. 11. In deſerto quoque Aaron cum toto populo vitulum adorauit Exod. 32.

Item promiſſit Deus Dauidi perpetuitatẽ regni in ſtirpe eius, etiam nõ obſtantibus peccatis filiorũ eius. 2. Reg. 7. & tamen abducti in Babylonem filij eius defecit ad tẽpus, ac demum totum ſublatum eſt per Herodem. Idem patet de Sacerdotio Hely. 1. Reg. 2. ergo & propter peccata chriſtianorum deficere poteſt eccleſia Chriſti, non obſtantibus promiſſionibus factis.

Item Daniel prædicit defectionem eccleſiæ. c. 9. Deficiet ſacrificium & Hoſtia; & Chriſtus confirmat Matth. 24. futuram abominationem deſolationis in templo.

Præterea non ſemper erit fides, ergo non erit ſemper Eccleſia, conſequentia eſt nota; quia fide vniuntur membra eccleſiæ. antecedens probatur ex illo Lucæ 18. Putas ne cum venerit filius hominis inueniet fidem in terra? ergo ante finem ſæculi deficiet eccleſia. & confirmatur ex D. Paulo 2. ad Theſſal. 2. vbi diſerte pronunciat. Niſi venerit diſceſſio primum, non venturum diem Domini. Confirmatur ſecundo, libere credimus, ergo poſſumus nõ credere, & per conſequens non erit fides ſemper. ergo &c.

Deinde probatur eccleſiam aliquando defeciſſe. Nam in triduo mortis Chriſti, ſola virgo habuit fidem, ergo nõ erat eccleſia. probatur antecedens: quia Apoſtoli omnes in Chriſti paſſione ſcandalum paſſi ſunt, vbi ergo fuit tũc eccleſia? nam eccleſia eſt congregatio fidelium, qualis tũc non erat ſola Virgo.

Præterea antiquiſſimæ, & primæ eccleſiæ errauerunt in fide Apoſtolica, ipſa nimis diu hærendo in obſeruatione legalium. Romana & Affricana Auguſtini tẽpore circa Euchariſtiam infantibus baptizatis, neceſſario dandã, imo in primis ſeculis poſt Chriſtum recepti fuere in eccleſia varij errores; errare ergo poteſt tota viſibilis eccleſia in fide.

Pro reſolutione obſer. eſt primo. Tutiſſimã eſſe D. Auguſtini ſententiam ſuperius relatam. ſcilicet in nullum religionis nomen coadunari homines poſſunt, quin Sacramentorum viſibilium ſigno aliquo colligantur; eſt.n. de ratione religionis peculiaria habere ſigna exteriora cõſtitutiua eius, & diſtinctiua euſdem ab alijs religionibus.

D. Aug.

Secundo obſer. eſt, quod eccleſia ſumitur tripliciter, primo pro collectione habentium fidem nullis ſignis viſibilibus profeſſam. Secundo pro congregatione habentium fidem, cum Sacramẽtis exterioribus profeſſam. tertio pro collectione fidelium, cum Sacramentis externis, & fide explicita Chriſti iam nati, & paſſi.

Eccleſia tripliciter ſumitur.

Tertio obſer. eſt, quod ſtatus Synagogæ, & ſtatus eccleſiæ, vt in multis alijs valde diuerſus eſt, in Sacramentis, in ſacrificijs, in regimine toto; ita infirmitate, & permanentia eſt maxime diuerſus. Synagogæ ſtatus; quia figuratiuus erat, & imperfectus, mobilis, & mutabilis erat, non ſolum ex parte finis: quia deſinere debuit, & alteri ſtatui cedere, ſed etiam in ſe ipſa infirmum ſtatum habebat, & facile corruptibilem. Quare Apoſtolus non ſolum vocat ſtatum illius populi, euacuandum, noſtrum autem permanentem. 2. Corint. 3. Si quod euacuatur in gloria eſt &c. ſed etiam vocat illum paruuli ſtatum, noſtrum autem viri ſtatum. 1. Corint. 13. Cum eſſẽ paruulus loquebar vt paruulus &c. quando autem factus ſum vir, euacuaui, quæ erant paruuli. Hunc Synagogæ ſtatum futurum Moiſes ipſe primus eius moderator prædixit Deut. 31. Noui quod poſt mortem meam inique agetis &c. Idem repetit Ioſue c. 24. Cauſa etiam eſt: quia ſtatus ipſe ſeruilis erat. in ſeruitutem generans Gal. 4. & ſpiritum ſeruitutis accepit in timore. Rom. 8. ideoq; diu in officio pietatis contineri nõ potuit. Nihil.n. violentum perpetuum. Status autem eccleſiæ eſt ſtatus libertatis non ſolum propter ceremoniarum iugum ſublatum, ſed maxime proprie propter charitatis donum abunde diffuſum propter quod ſumus filij adoptionis. Talis ſocietas ſpiritu Dei acta, firma, & ſolida perſiſtit. Quare & firmiſſimas hæc habet promiſſiones, quales Synagoga non habet, de ſpiritu veritatis in æternum permanente in ea.

Diſcrimẽ in ſtatum Synagogę & eccleſię.

Quarto obſer. eſt. Veterem ſtatum Synagogę habere perpetuitatis, & æternitatis promiſſiones varias, quamuis perpetuus eſſe non debuerit propter duas cauſas. Primum: quia re vera ſtatus ille non tam perijt, aut ſublatus eſt, quam in melius mutatus per ſtatum noui teſtamenti, ſicuti figura cum apparet veritas cõpletur potius, quam abolетur; & puer factus adultus perficitur non deſtruitur, & denique imperfecta adumbratio cum in viuam imaginem expreſſa eſt adimpletur potius, quam deletur. Sic.n. vmbrã habuit lex futurorum non autem ipſam imaginem rerũ. Hebr. 10. Hac de cauſa æternitas promiſſa eſt veteri Synagogæ, & domus Iacob: quia & illa quodammodo permãſit in æternum. Eccleſia.n. Chriſti eſt vera domus Iacob, verum ſemen Abrahæ, & verus Iſrael. Rurſum veteri Sacerdotio, & veteri Synagogæ æternitas promiſſa eſt: quia vmbra illius erat, quod æternum eſt. ex quibus colligo duo. primum quod ipſa veteris Synagogæ defectio, eccleſiæ chriſtianæ perpetuitatem confirmet, ſicuti terra promiſſionis amiſſa, beatitudinis cœleſtis æternitatem corroborat. Secundum quod habere potuit promiſſionem perpetuitatis cum non eſſet futura perpetua. eccleſia autem tali ſenſu habere non potuit: quia tales cauſę in eccleſia locum non habebant.

Synagoga habuit varias perpetuitatis promiſſiones.

Quinto obſer. eſt. Eccleſiæ defectionem, ſeu caſum extenſiue acceptum duplici ſenſu accipi poſſe, vel quo ad partes ipſius, vel quo ad corpus totum. primus ſenſus verus eſt, quia multæ particulares eccleſiæ defecerunt potiſſimum per hæreſes, ſed eo ſenſu articulus nõ intelligitur, ſecundus ſenſus falſus eſt, vt videbimus ſtatim, nec poteſt ex primo ſenſu ſecundus conſequi: quemadmodum.n. ſpecies mundi non interibunt ſtante mundo propter Verbũ Dei. Creſcite & multiplicamini &c. Gẽ. 1. & ſi indiuidua ſingula quotidie intereant: ita omnino corpus Eccleſiæ nunquam interibit, & ſi quælibet eius pars interire poſſit,

Defectio eccleſię extẽſiue duobus modis ſumi põt.

vt multæ

Digitized by Google

vt multæ nobiliſſimæ eius partes interierunt, idque propter verbum Christi. Et ſuper hanc Petram ædificabo eccleſiam meam &c. Matth. 16. vt pulchræ, & prolixæ de-

D. Chriſoſ. clarat D. Chriſoſtomus in demonſtratione, quod Chriſtus eſt Deus.

Eccleſiæ defectio ſecundum ſe & intenſiue bifariā ſumi poteſt.

Sexto obſer. eſt defectionem eccleſiæ, quoad ſtatum ſuum in ſe, & intenſiue acceptam dupliciter quoq; accipi poſſe vel quo ad eſſe ſimpliciter, vel quoad bene eſſe, vel perfecte eſſe; quo ad eſſe ſimpliciter idest quoad veræ fidei profeſſionem, quæ anima eccleſiæ eſt (vt ſupra diximus) nunquam poterit deficere. Quoad bene eſſe, idest

D. Aug. quoad eiuſdem veræ fidei, vel confeſſionem oris externā, quæ ad ſalutem eſt neceſſaria Roman. 10. perfectionem

Diſcrimen inter errorem & peccatum in eccleſia.

cordis internam, quæ per dilectionem operatur. Galat. 5. deficere poteſt, & deficit ſæpiſſime non quidem omnino, & quo ad omnes ſuas partes, ſed quo ad pleraſque quatenus eſt mixta firmis & infirmis, bonis & malis, vt ſupra oſtenſum eſt art. 1. Ipſa tamen eccleſia ſic propter zizania non deſinit eſſe ager dominicus, imo illa creſcentia tollerare iubemur. Matth. 13. ſic nec propter carnales, quos vel viuentes, vel ſentientes carnaliter tanquā

D. Aug. palea tollerat eccleſia; ait D. Auguſt. de vera relig. c. 7. aut

D. Hieron. errat, aut peccat; atq; adeo nec eſſe vera eccleſia deſinit. Quamquam etiam erroris, & peccati in eccleſia magnū eſt diſcrimen. errorem enim nullum vel minimum pertinaciter tollerat, vel admittit eccleſia. Contra vero peccata & maxima, & creberrima tollerat eccleſia, quando emendare non poteſt. lege D. Auguſt. de vera Religione. c. 5. lib. de fide, & oper. c. 5. & contra Fauſtum lib. 20. c. 21. & D. Hierony. apologia. 3. contra Ruffinum. Ratio diſcriminis eſt, quod doctrinæ ſanæ ſtabilitas, & veræ fidei perpetua firmitas, vt principium vitæ ſpiritualis, radixq; ſalutis, eccleſiæ diſerte promiſſa eſt. Spiritus ſanctus docebit vos omnem veritatem. Ioan. 17. Eccleſia columna eſt, & firmamentū veritatis. 1. Tim. 3. Vt nō deficiat fides tua capiti eccleſiæ dictum eſt Lucæ 22. deniq; Qui vos audit me audit. Lucæ 10. At vero vitæ integritas adeo non promittitur perpetua, vt diſerte præmonet Saluator. Quæ faciunt, nolite facere. Matth. 23. Perpetua ergo firma, & ſtabilis eſt eccleſia ſimpliciter quo ad eſſe, ſecundum quid vero quoad bene eſſe.

1. Concluſ. His obſeruatis ſit prima concluſio. Eccleſia primo modo incepit à creatione Angelorum ita probāt argumenta primæ & ſecundæ opinionis.

2. Conclu. Secunda concluſio. Eccleſiam ſecundo modo ſumptā de fide & fuiſſe ante Chriſti Aduentum probatur. Synagoga erat congregatio fidelium habentium ſacramenta exteriora, quibus proteſtabatur fides vnius Dei, & Chriſti venturi, vt teſtatur teſtamentum vetus, ergo ante Chriſtum fuit eccleſia ſecundo modo ſumpta.

3. Conclu. Tertia Concluſio. hæc Eccleſia ſecundo modo dicta incepit ab Abel iuſto, & vſq; nunc perſeuerat. probatur ab Abel (qui primo ſcribitur ſacrificium Deo obtuliſſe) huc vſq; nunquam defuerunt fideles proteſtātes fidem vnius Dei ſacrificijs externis, ergo ab ipſo Abel vſque nunc non defuit eccleſia ſecundo modo ſumpta; antecedens patet ex Gen. & ex alijs libris ſcripturæ diuinæ. De origine ec-

D. Aug. cleſiæ & proceſſu eius agit D. Auguſtinus. lib. 15. de Ciuit. Dei. ſub nomine Hieruſalem, & in libro de Cathechizandis rudibus. c. 19. vſque ad finem.

4. Conclu. Quarta Concluſio de fide eſt eccleſiā tertio modo ſumptam incepiſſe à Chriſti morte & duraturam eſſe vſq; ad finem mundi, prima pars patet ex argumentis tertiæ opinionis. Secunda vero pars probatur multipliciter. & primo vaticinijs prophetarum, qui in figura loquentes de Regno Dauid, vel de Synagoga, in veritate de Regno, & eccleſia Chriſti loquebantur. Vnde Pſal. 88. Inquit Deus de Dauid Regno. Si dereliquerint filij eius legem meā, &c. viſitabo in verga iniquitates eorum &c. miſericordiā autem meam non diſpergam ab eo, neq; nocebo in veritate mea, neque profanabo teſtamentum meum &c. ſemel iuraui in ſancto meo ſi Dauid mentiat, ſemen eius in

D. Aug. æternum manebit lege D. Auguſt. enarrat. ibidem.

Eandem fœderis perpetuitatem prædixit Iſaias. cap. 59. Cum venerit Syon Redemptor &c. Hoc fœdus meum cū eis dicit Dominus ſpiritus meus qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui dicit Dominus amodo, & vſque in ſempiternum. Idem confirmat Ieremias. cap. 31. Ecce dies venient dicit Dominus, & conſumabo ſuper domum Iuda teſtamentum nouum &c. Dabo leges meas in viſceribus eorum &c. hæc dicit Dominus ſi defecerint leges iſtæ coram me, tunc & ſemen Iſrael vt non ſit gens coram me cunctis diebus. Sic videlicet in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt hoc nouum teſtamentum ait Apoſt. ad Hebræos 8. quia ſynagoga cadente permanet eccleſia. eandem perpetuitatem, & durationem eccleſiæ Chriſtianorum confirmat Ezechiel. c. 37. Percutiam cum illis fœdus pacis, pactum ſempiternum erit cum eis, & fundabo eos, & multiplicabo, & dabo ſanctificationem meam in medio eorum in perpetuum, & ſcient gentes: quia ego Dominus ſanctificator Iſrael. Hæc vaticinia Prophetarum Chriſtus Dominus confirmauit viua voce.

Et primo Iſaiæ verba ratificauit dicens. Docete omnes gentes &c. Ecce ego vobiſcum ſum, ſcilicet docentibus, & baptizantibus &c. omnibus diebus vſque ad conſumationem ſeculi Matth. 28. nempe per ſpiritum ſuum, & per verba, quæ poſuit in ore eorum. Ieremiæ verba confirmat dicens. Ego rogabo patrem & alium paraclytum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum ſpiritū veritatis. Ioan. 14. ſic enim leges Dei ſcriptæ in cordibus fidelium ſpiritu Dei viui. 2. Corint. 3. non deficiunt. Ezechielis verba confirmat dicens. Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Matth. 16. Hoc eſt enim quod ille dixit. Fundabo eos, & multiplicabo. Rurſum orat Chriſtus ſanctifica eos in veritate. ſermo tuus veritas eſt, vt cognoſcat mundus, & credat. quia tu me miſiſti. Ioan. 17. & hoc eſt quod Ezechiel dixerat. Dabo ſanctificationem meā, &c. & ſcient gentes quia ego Dominus &c.

Secundo probatur teſtimonijs nouis teſtamenti, & primo Chriſtus comparat eccleſiam ſuam agro, in quo creſcunt zizania cum tritico vſque ad meſſem, idest vt ipſe exponit vſque ad conſumationem ſeculi. Matth. 13. Nam quamuis agrum exponat Chriſtus eſſe mundum, tamen mundi nomine ſuam eccleſiam intelligit: quia per totum mundum propaganda præfigurabatur eccleſia, vt expo-

nit D. Auguſt. contra Donatiſtas poſt collat. c. 6. Quo etiā *D. Aug.* ſenſu dictum eſt Ioan. 3. Non venit filius hominis, vt iudicet mundum, ſed vt Saluetur mundus per ipſum; Chriſtus autem non eſt Saluator niſi corporis ſui, quod eſt eccleſia, & iterum dixit Paulus. 2. Corinth. 5. Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, qui vtiq; non reconciliat ſibi niſi eccleſiam, ait ibidem Auguſt. ergo eccleſia *D. Aug.* Chriſti vſque ad finem eccleſiæ durat.

Idem patet ex parabola ſagenæ miſſæ in mare Matth. 13. Sic erit in conſumatione ſeculi exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis &c. ergo boni, & mali eſſe debent in Eccleſia vſque ad finem mundi, atq; adeo eccleſia vſq; ad finē mundi eſt duratura.

Item probatur ex illo Lucæ 1. Dabit ei Dominus Deus ſedem Dauid Patris ſui, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis; quod & ab Iſaia prædictum erat, ſuper ſolium inquit Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet, & corroboret in iuſtitia, & iudicio à modo, & vſque in ſempiternum Iſaiæ 9.

Præterea Chriſtus Dominus Matth. 16. dixit loquens de eccleſia. Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eā. idest non poterunt eam omnino deſtruere, nec funditus euertere: non enim magnæ hæreſes exortæ, nec acerrimi Tiranni eccleſiam perſequentes, & martyres interimentes potuerunt eccleſiam Chriſti extinguere, ac ſubinde durabit vſque in finem.

Deinde Lucæ 22. dixit Chriſtus ego rogabo pro te Petre vt non deficiat fides tua. quæ promiſſio Pontificatui facta eſt, & non tantum perſonæ Petri vt infra explicabimus. Rurſus Chriſtus dixit Matth. 28. Ego vobiſcum ſum vſque ad conſumationem ſæculi. & ex hac eccleſiæ perpetuitate intelligitur etiam fidē illius fore perpetuā vt luculentiſſime D. Auguſt. in Pſal. 801. conc. 2. & lib. de ec- *D. Aug.* cleſiæ vnitate. c. 13. oſtendit. Non deſponſabo (inquit Dominus eccleſiæ per Oſeam) te mihi in fide Oſeæ 2. Huic

autem

Digitized by Google

autem perpetuitati eccleſiæ conſuluit Deus proſpiciendo Eccleſiæ de Paſtoribus, & Doctoribus, qui fidem Chriſtianam, ac religionem tutarentur. Quos ideo Paſtores, & Doctores Eccleſiæ datos dicit Apoſtol. ad Epheſ. 4. Ad conſumationem ſanctorum, donec occurramus omnes in vnitatẽ fidei & agnitionis filij Dei in virũ perfectũ &c.

Item D. Paulus 1. ad Corint. 11. quotieſcunq; manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat. ſ. ad iudicium: ergo non deficit Euchariſtia, nec per cõſequens Eccleſia Chriſti ſacramentum conficiens, & quoniam Eccleſia non eſt ſine fide, ſicut non viuit corpus ſine anima, ſequitur, quòd ſemper fuit, & erit fides, & quoniã Eccleſia eſt pulchra eſt ſancta, ſequitur quod ſemper fuit, & erit gratia, & quia gratia & ſanctitas non facile ſeruantur ſine ſacramentis; ſequitur quod ſemper fuerunt, & erunt ſacramenta; & quia ſacramenta nequeunt durare ſine catholica doctrina, ſequitur quod ſemper fuerunt, & erunt catholici Doctores, & quia omnia ſupradicta nequeunt conſiſtere ſine Eccleſiaſtica Hierarchia, ideſt, ſine ordine, & prælatura, ſequitur, quod ſemper fuerunt, & erunt prælati in Eccleſia quia alias eſſet maxima confuſio.

Ex his omnibus facile perſpici poteſt (cum demonſtratum ſit ab Adam cępiſſe Eccleſiam, atq; ad nos vſque perueniſſe, ita vt cum ortu, tum diuturnitate par ipſi mundo ſit, & æqualis, neq; vt reliqui conuentus hominum murorum ambitu quodam circumſcribatur, ac ne regionis quidem alicuius finibus terminetur, ſed ab ortu ſolis, vſque ad occaſum ſit laudabile nomen Domini.) Cum inquam Eccleſia ſumpſerit initium cum orbe condito, & duratura ſit vſq; ad finem orbis eiuſdem. Perſpici in quã poteſt eccleſiã Chriſti catholicam, ſeu vniuerſalem eſſe, quo ad vniuerſa tempora. Si ergo per omnia loca, per omnia tempora per omnium hominum ſtatus, & conditiones per omnes gentes, & nationes diſperſa eſt, & diffuſa Eccleſia. vbi ſunt, qui triginta his annis nati, cum donatiſtis, de ſua paucitate gloriantur? Chriſti Regis noſtri, dignitati, ſicuti Auguſt. queritur lib. 1. c. vlt. & lib 2. c. 19. cõtra donatiſtas lib. 2. & contra Epiſt. Parmen. c. 191. & lib. 2. cõtra litteras Betiliani. c. 84. ea re detrahẽtes. cũ ſcriptũ ſit. In multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis. Prouer. 14. Habet & ſemper habebit integram Chriſtus hæreditatem ſuam, & poſſeſſionem ſuam terminos terræ. Eſt ergo, Chriſti Eccleſia catholica. pertinet enim ad vniuerſa loca, pertinet ad vniuerſa hominum genera, pertinet ad nationes vniuerſas, vt præcedenti articulo oſtendimus; atque etiam quia pertinet ad vniuerſa tempora, vt in hoc articulo demonſtratum eſt. *D. Aug.*

Ad argumenta primæ, & ſecundæ opinionis dicitur, quod probant primam concluſionem. Ad arg. 3. opinionis reſpondetur, quod probant primam partem quartæ concluſionis.

Ad argumenta de perpetuitate eccleſiæ reſpondetur, & ad primum nego conſequentiam, Synagoga ſæpe defecit, ergo & Eccleſia poteſt deficere, idque propterea quæ dicta ſunt in 3. & 4. notabili.

Et per idem patet reſponſio ad ſecundum, & inſuper dico, ꝙ non proprie propter peccata veteris populi ſtatus illo ſublatus eſt. diſerte enim dicit Apoſt. Nunquid enim ſic offenderunt, vt caderent, abſit; ſed illorum delicto ſalus eſt gentibus, vt illo emulentur. Roman. 11. ſublata eſt igitur Synagoga, vt plenitudo gentium intraret, non quia propter populi peccata promiſſiones Dei fruſtratę eſſent. Multo minus Eccleſia propter Chriſtianorum peccata peribit. Donatiſtarum hæc erat cauillatio. Noluerunt (inquiebant) homines perſeuerare, & propterea defecit ex omnibus gẽtibus Chriſtiana religio excepta parte Donati. Quibus reſpondet Auguſtinus. Quaſi vero neſciret Spiritus ſanctus futuras hominum voluntates, quas tamen præſcius prædixit nihilominus perpetuo duraturam Eccleſiam Chriſti. hæc ille de vnitate Eccleſię. c. 12. *Auguſt.*

Ad tertium dico ꝙ prædictio Danielis ad literã de Synagogæ defectione loquitur, vt et Chriſtus ipſe & poſuit Matth. 24. deſcribens deſtructionem Hieruſalem dicens. tunc qui in Iudæa ſunt fugiant ad montes &c. ſed quia illa deſtructio figura eſt vltimi iudicij (quam ob cauſam de vtraque permixtim ibi loquitur Chriſtus; & loquitur Propheta Ioel. c. 2.) propterea de vna loquens Daniel, alterum inſinuat. Ideoq; tempus Antichriſti in fine ſeculi, non defectionem Eccleſiæ multis antea ſæculis illa profetia docet.

Ad quartum dico ꝙ Saluator loquitur illa verba non de apoſtaſia orbis terrarum, & defectione Eccleſiæ, ſed vel de ipſa perfectione fidei, quæ in ipſis etiam ſanctis difficulter inuenitur, vel de impiorum abundantia, & bonorum paucitate, iuxta illud Pſal. 13. omnes declinauerunt, ideſt fere omnes. ſic reſpondet D. Auguſtinus Donatiſtis eundem locum obijcientibus; de vnitate Eccleſiæ. cap. 13. eundem ſenſum ſequitur D. Hierony. in dialogo contra Lucif. loquitur ergo de fide non publica, & vocatorum: ſed viua & electorum. Sed & aliter reſpondet D. Auguſtinus. lib. 83. q. q. 61. Ille qui dixit; putaſne veniens filius hominis inueniet fidem in terra ſignificauit quidem in extremo conuiuio relinqui poſſe, & deſeri eſcas ſuas. ſed quia idem ipſe dixit. Qui perſeuerauerit vſq; in finem hic ſaluus erit, ſignificauit non defuturam prorſus Eccleſiam. Ad confirmationem ex D. Paulo, dico ꝙ diſceſſio illa eſt hæreticorum defectio, quam hodie videmus, quæ venturo Antichriſto vel proxima eſt, vel certe viam paratiſſimam ſternit. *D. Aug.* *D. Hieron.* *D. Aug.*

Ad quintum. Nonnulli ſentiunt Chriſti paſſionis tempore in ſola B. Virgine manſiſſe fidem. Id verum non eſt. Primum quia ſi maxime omnes tunc Apoſtoli fidem abiecilſent non inde conſequitur in nullo prẹter quam in B. Virgine fidem permanſiſſe; potuerunt enim alij perſeuerare fideles, & ſi de illis quidem tacetur. Deinde nego amiſiſſe fidẽ omnes omnino Apoſtolos, imo retinuerũt eã aliqui, vt erudite oſtendit Melchior Canus lib. 4. de locis. cap. 5. & certe id defendit de B. Petro D. Hilarius. Promiſit enim illi Chriſtus ſe oraturum pro illo, ne deficeret fides eius, peccauit tamen non confitendo fidem tempore quo obligabat eius confeſſio, quia fregit, præceptum de confitenda fide. *Canus.* *Hilarius.*

Neque vero aliud ex ſcriptura colligi poteſt. quã quod omnes Apoſtoli ſcãdalum paſſi ſunt in illa nocte Matth. 26. quod attinet quidem ad externam fidei confeſſionem, id autem fieri potuit licet illorum aliqui fidem ipſam animo retinuerint. fuit itaque & tunc aliquis fidelium numerus, ex eorum congregatione tametſi exigua conſtaret Eccleſia.

Quod autem multi dicunt in ſola Virgine fidem manſiſſe, ſi verum eſt, debet intelligi de fide viua, cæteri autem habuerunt fidem mortuam. Quod nec verum credo: quia Ioſeph ab Arimathia, & Nicodemus forte habebãt fidem viuam. Item extra Hieruſalem erant multi Iudęi fideles, & in gratia, qui nihil audierant de Chriſto, nec conſenſerunt eius morti, & etiam paruuli Iudeorum erãt in gratia.

Ad vltimum dico, ꝙ nec ipſa prima Eccleſia, non Apoſtoli, non ſeniores, non populus tunc totus Chriſtianus dubitauit aliquando de legaliũ obſeruatione; ſed pauci iudaizantes, quibus Apoſtoli nihil tale mandarunt, illam quæſtionem mouerunt turbantes alios his verbis. Quare coacta Synodo Act. 15. celeriter illa dubitatio ſublata eſt. Deinde non quia de aliquibus nondum definitis dubitat aliquando ipſa Eccleſia pp ea errat in fide. Nec vero poſt illam Synodum hæſit eccleſia in legalium obſeruatione propter illud decretum vt abſtinerent à ſuffocato, & ſanguine Act. 15. ſed in eius rei permiſſione, nec tã in vſu, quam in quadã veneratione, idque partim propter infirmos iudæos ad fidem conuerſos; partim ne illa vmbratica diuinitus inſtituta, tanquã idolatrica, & gentilitia deteſtari viderentur; partim denique honorifice ſepeliretur Synagoga. De qua re lege D. Auguſt. epiſt. 19. ad Hieronymum. *D. Aug.*

Romana, & Africana Eccleſia tempore Auguſt. Euchariſtiam infantibus dabat, vt apparet ex Cypriano ſermone 5. de lapſis, & ex Dionyſio Areopagita Eccleſiaſt. Hierarch. par. 3. c. 7. in fine, ſed fiebat illud ex conſuetudine non ex lege, vt religioſum, non vt neceſſarium ſaltem neceſſitate abſoluta, aut finis ideſt ſalutis, licet forte neceſſitate præcepti prout illi Patres intellexerunt. propter illud Ioan. 6. Niſi manducaueritis carnẽ filij hominis &c. *Cyprianus* *Dionyſius.*

Errores

Digitized by Google

Errores porrò quos impij hæretici Eccleſiæ ad ſcribunt, vel ſunt ſanæ doctrinæ capita, quæ illi vocant errores, vel ſunt quorundam Petrum propriæ quędam ſententiæ problematicæ, vel nondum ab Eccleſia reprobatæ, vel ad fidei ſubſtantiam non pertinentes, vel denique probabiliter tantum ſuſceptæ, non pertinaciter defenſæ.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Eccleſia ſit Apoſtolica, & quare.

CVm Eccleſiam dicimus Apoſtolicam non excludimus Patriarchas, & Prophetas, Neq; enim ab Apoſtolis quemadmodum antea dictum eſt, verum ab ipſo Adam, vel filio eius Abel exordium ſumpſit Eccleſia, quæ ædificata eſt ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum: nam quod Apoſtoli factum eſſe prædicauerunt id Prophetæ futurum prædixerunt. *Origenes.* Quia de te ſit ſcripſit Origenes hom. 2. In Cantica Canticorum. Non ex Aduentu Saluatoris in carne ſponſam dici, aut Eccleſiam putes, ſed ab initio humani generis, & ab ipſa conſtitutione mundi; ac paucis interiectis. Prima fundamenta congregationis Eccleſiæ ſtatim ab initio ſunt poſita; vnde & Apoſtolus dicit ædificari Eccleſiam non ſolum ſuper Apoſtolorum fundamentum, ſed etiam Prophetarum, inter Prophetas autem numeratur & Adam: quia magnum myſterium prophetauit in Chriſto & in Eccleſiam dicens propter hoc relinquet homo Patrem ſuum. *Cyrillus.* Ob hanc etiam cauſam vocatur ab Iſaia filia Syon Iſaiæ 22. quod ſicut annotauit Cyrillus ibidem primi ex ſanguine Iſraelis oriundi crediderunt, & gentium Eccleſia velut filia quædam dicta eſt eius, quæ ab initio ab illis conſtituta eſt, nec diſſimiliter D. Hieronymus hunc locum Iſaiæ interpretatur. *D. Hieronymus.*

1. Concluſio. Non dicitur ergo Eccleſia Apoſtolica quoniam in Apoſtolis habuit initium niſi ſumatur Eccleſia in 8. ſignificatione ex explicatis in ſuperiori articulo 5. pro congregatione fidelium cum ſacramentis externis, & fide explicita Chriſti iam nati & paſſi. In qua ſignificatione loquitur de Eccleſia D. Paulus ad Roman. 8. dicens. Nos autē primitias ſpiritus habentes, & Gloſſa eo tempore, inquit, prius & cæteris abundantius. *Gloſſa.*

2. Concluſio. Nec proprie vocatur Eccleſia Apoſtolica, propter doctrinam Apoſtolicam in litteris Apoſtolicis comprehenſam, probatur: quia ſic excluderentur propheticæ & Euangelicæ ſcripturæ; quæ non minus Eccleſiæ doctrinam cōplectuntur, quam Apoſtolicæ. Deinde hoc ſenſu vocari deberet Eccleſia Prophetica, vel certe Euangelica magis proprie, quam apoſtolica. 3. doctrina apoſtolica non tantum literas eorum ſcriptas ſed vniuerſam prædicationem Apoſtolicam ſignificat, nobis per manus ſucceſſorū traditam, & hoc ſenſu doctrinam apoſtolicam vrget Tertullianus de præſcriptionibus hæreticorum; vt Eccleſia cēſeatur Apoſtolica, idemq; facit Irenæus lib. 4. c. 43. *Tertull. Irenaus.*

3. Conclu. Dicitur itaq; primo Eccleſia Apoſtolica: quoniam antiquam fidem, doctrinam, auctoritatem apoſtolorū perpetuo ſequitur; quod non modo facit, quando ſcriptis Apoſtolicis expreſſam doctrinam retinet, verum etiam cū aliquid ipſa per orbem vniuerſum obſeruat, neque id tamen ſcriptum eſt in Apoſtolicis libris. eſt namq; doctrina Apoſtolorum non ſcripta tantum, verum & traditione conſtat. quos, quæ ad conſtituendam Eccleſiam, quę ad fidem, quæ ad religionem, quæ ad ritus & ceremonias pertinent multa docuiſſe dubium non eſt, quæ nuſquam ſcripta reperiuntur. Scribens ad Theſſal. Apoſt. 2. Theſſal. 3. dicit. ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram, quibus verbis palam indicat præter ea, quæ ſcripſerat ſe non minus præclara, quin & præclariora ſolo ſermone docuiſſe, cum ſermonem prius, quam epiſtolam nominat, id quod vel inde magis etiam liquet, quod qua ratione cenę Dominicæ memoria celebrari debeat verbo tradidiſſe videtur. Ita enim dicit ſcribens ad Corintios. Cætera (nimirum de ſacramento Euchariſtię) cum venero diſponam. 1. Corint. 11. ex quo loco Epiſt. 118. ad Ianuarium. ca. 6. colligit D. Auguſt. totum illum ordinem agēdi, quem vniuerſa per orbem Eccleſia tenet à Paulo inſtitutum eſſe, quòd nulla morum diuerſitate varietur. Et in eodemmet loco inquit Paulus. Laudo vos fratres, quod per omnia mei memores eſtis; & ſicut tradidit vobis præcepta mea teneatis. Rurſus Thim. ſcribens. Quæ audiſtis inquit à me per multos teſtes, hæc commendate fidelibus hominibus, qui idònei erunt, & alijs docere. 2. Thim. 2. Quibus ex verbis illud intelligere licet, quod etiam ab Ireneo ſcriptum eſt de multis rebus, quæ literis mandatæ non erant eductā ab Apoſtolis recentem illam Eccleſiam fuiſſe, que ſucceſſores Apoſtolorum Epiſcopi ſibi per manus ab illis tradita ſuis viciſſim ſucceſſoribus, Eccleſiæque tradiderunt. *Irenæus.* Et hæc vniuerſalis Eccleſie obſeruantia argumēto certo eſt, manaſſe eam ex apoſtolica traditione, vt clariſſimè & veriſſime affirmat D. Auguſt. lib. 4. de baptiſ. contra Donatiſt. c. 24. & epiſt. 86. & epiſt. 116. *D. Aug.* Huc pertinet quod Ideo in lib. Apoc. 21. atque etiam à D. Paulo ad Ephes. 2. Apoſtoli vocantur fundamenta eccleſiæ tametſi illi quidem non niſi fundamenta ſecundaria quippe cum & ipſi nitentur fundamento primo, quod eſt Chriſtus Ieſus. 1. Corint. 3. quo etiam ſpectat illud Dauidis de Eccleſia. Pſal. 86. Fundamenta eius in montibus ſanctis .i. Apoſtolis vt D. Auguſtinus in illum pſalmum interpretatur. *D. Aug.*

4. Concluſio. Secundo Eccleſia proprie Apoſtolica dicitur; quia ab Apoſtolis cœpta per omnes terras propagata eſt. *Tertull.* Hunc ſenſum accurate explicat Tertullianus loco citato. Apoſtoli, inquit, apud vnamquamque Ciuitatem Eccleſias condiderunt. (vel per ſe. ſ. vt Paulus, & Barnabas, Act. 14. vel p alios ab illis miſſos, vt Paulus Crete per Titū ad Titū 1.) ab his autē ciuitatibus, ſiue ab eccleſijs ab Apoſtolis cōſtitutis traducem fidei, & ſemina doctrinæ ceteræ exinde eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidie mutuantur, vt eccleſiæ fiant, ac per hoc & ipſę Apoſtolicę deputabuntur vt ſoboles Apoſtolicarum eccleſiarum; Hæc ille.

5. Concluſio. Tertio vnaqueq; particularis eccleſia eſt Apoſtolica, quatenus communicat eccleſijs apoſtolico labore per vniuerſum orbem fundatis. ex hoc ſenſu Petilianum Donatiſtam ſchiſmaticum eſſe conuincit. D. Auguſt. lib. 2. c. 16. contra eundem, & totam ſectam Donatiſtarum in lib. de vnitate eccleſiæ. c. 10. *D. Aug.* Vos inquit Donatiſtæ ſolas Apoſtoli epiſtolas ad Romanos, ad Epheſ. &c. in lectione retinetis; nos autem, & epiſtolas illas in lectione, & fide & eccleſias ipſas communione retinemus, eodem modo Optatus lib. 6. probat Donatiſtas eſſe extra eccleſiam. *Optatus.*

6. Concl. Quarto vnaqueq; eccleſia, vt vera ſit eccleſia Chriſti, eſt origine, & ſucceſſione apoſtolica; nam hac ſucceſſione omnes veteres tamquam argumēto euidentiſſimo vſi ſunt ad Chriſti Eccleſiam oſtendendam. Irenęus lib. 3. ca. 3. enumerat Epiſcopos Romanos a Petro vſque ad Eleutherium, qui ſuo tempore ſedebat. *Irenæus.* ac dicit per hanc ſucceſſionem confundi omnes hęreticos. & lib. 4. cap. 63. inquit. Agnitio vera & Apoſtolorum doctrina, & antiquus eccleſiæ ſtatus in vniuerſo mundo ſecundum ſucceſſiones Epiſcoporum, quibus illi eam, quæ in vnoquoque loco eſt eccleſiam tradiderunt, quę peruenit vſque ad nos cuſtodita. & c. 43. tantum epiſcopis obedire iubet, qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, qui cum ſucceſſione epiſcopatus chariſma veritatis certum acceperunt; reliquos vero qui abſiſtunt à principali ſucceſſione quocunque loco colligūtur ſuſpectos hȧberi vult.

Tertull. Tertullianus de præſcrip. hæretico loquens Cupio. inquit oſtendant mihi ex qua authoritate prodierint. edant origines eccleſiarum ſuarum, euoluant ordinem epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, vt primus ille epiſcopus, aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerit habuerit authorem, & anteceſſorem. Hoc. n. modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt ſicut Eccleſia ſmyrnæorum Policarpum a Ioan. collocatum refert. ſicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum ædit, proinde vtique, & cæteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in epiſcopatu conſtitutos Apoſtolici ſeminis traduces habent. Confingant tale quid hæretici. Hactenus Tertull. *Origenes.* Origenes in proęmio lib. 2. Periarchon. Inquit Multi ſunt qui ſe putēt ſentire, que Chriſto ſunt, & nōnulli eorum diuerſa a prioribus ſentiāt, ſeruetur vero eccleſiaſtica prædicatio per ſucceſſionis ordinem ab Apoſtolis tradita. & vſq; ad præ-

ſens

Digitized by Google

ſens in Eccleſia permanens, illa ſola credenda eſt veritas, quæ in nullo ab eccleſiaſtica diſcordat traditione.

Epiphan. Epiphanus hæreſi 27. quæ eſt Carpocratis enumerat ordine Pontifices Romanos & ſubiungit, & ne quis, inquit miretur quod tam exacte ſingula recenſemus; per hæc enim ſemper claritas oſtenditur. conſimilem enumerationem fecit, qui eum præceſſit Itæneus, quam tranſcripſit in ſua eccleſiaſtica hiſt. Euſebius lib. 5. cap. 6. *Euſebius.*

Cyprian. Cyprianus lib. 4. epiſt. 9. tãtum huic ſucceſſioni tribuit, vt eccleſiam eſſe dicat Plebem ſacerdoti ſuo adunatam, & Paſtori ſuo gregem adhærentẽ; adducens verba illa Petri Domine ad quem ibimus verba vitæ æternæ habes. & lib. 1. epiſt. 6. ad Magnum ſcribens. eccleſia inquit vna eſt quæ vna intus eſſe, & foris non poteſt. ſi enim apud Nouatianum eſt, apud Cornelium non eſt, ſi vero apud Cornelium fuit, qui Epiſcopo Fabiano legitima ordinatione ſucceſſit Nouatienſis in Eccleſia non eſt. Ibi indicauit eccleſiã eſſe Cyprianus vbi fuiſſet Papa Cornelius. & lib. 4. epiſt. ſecunda. Cum Cornelio eſſe, idem eſſe ſcribit, quod cum catholica eccleſia communicare.

D. Hieron. Sanctus Hieronymus ſcribens ad Damaſum. Faceſſat. inquit inuidia Romani culminis, recedat ambitio cũ ſucceſſore piſcatoris, & diſcipulo crucis loquor. ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuę. i. cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam petram ędificatam eccleſiam ſcio; Quicumque extra hanc domum agnum comederit profanus eſt. Siquis in Archa Noe non fuerit peribit regnante diluuio, ac paulo poſt. Non noui inquit Vitalem, Melitrum reſpuo, ignoro Paulinum, quicumque tecum non colligit, ſpargit; qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. ſic ille vir ſanctiſſimus iuxta ac doctiſſimus, quicunq; cum ſucceſſore Piſcatoris Damaſo Papa non colligerent Sathaniſtas, & Antichriſtos eos haberi voluit itaq; nihil habere commune cum illis volebat. Quod apertius in ſequenti ſcribit epiſtola. In tres, inquit, partes ſciſſa Eccleſia ad ſe rapere ne feſtinat. Ego interim clamito. Si quis cathedræ Petri iungitur meus eſt, Meletius; Vitalis, atq; Paulinus tibi hærere ſe dicunt. Poſſem credere, ſi hoc vnus aſſereret, nunc autem duo mentiuntur, aut omnes.

D. Auguſ. D. Auguſtinus in pluribus locis hãc Epiſcoporum ſucceſſionem agnoſcit. ſed potiſſime in pſalmo contra partẽ Donati. Numerate inquit ſacerdotes, vel ab ipſa ſede Petri, & in ordine illo Petrum, quis cui ſucceſſerit videte ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ. Idem repetit in epiſt. 165. ad Generoſum; vbi Romanos epiſcopos ſibi inuicem ſuccedentes enumerat à Petro vſque ad Anaſtaſiũ, qui tunc ſedebat. Quibus enumeratis. In hoc ordine, inquit, ſucceſſionis nullus Donatiſta epiſcopus inuenitur. Et contra Fauſtũ ſcribens. Vide inquit, quid in hac re eccleſiæ catholicæ valeat authoritas, quæ ab ipſis fundatiſſimis ſedibus Apoſtolorũ vſq, ad hodiernum diẽ ſuccedentium ſibi epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſione firmatur. & paulo poſt, quæ Apoſtolorum confirmata temporibus per ſucceſſiones Epiſcoporum, & propagationes eccleſiarum tanquã in ſede quadam ſublimiter conſtituta eſt, cui ſeruiat omnis fidelis, & prius intellectus. & lib. contra epiſt. fundamenti. cap. 4. Tenet me inquit in Eccleſia ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas Dominus commendauit vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio ſacerdotum.

Optatus. Optatus contra Parmen. ſcribens lib. 2. enumerat omnes Romanos Pontifices à Petro vſque ad Siricium qui tunc ſedebat, vt oſtendat non eſſe Eccleſiam apud Donatiſtas, qui per ſimilem ſucceſſionem ad Apoſtolos aſcendere non poterant; & ſubdit. Vos inquit veſtre cathedrę originem oſtendite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vendicare. Hoc igitur triplici ſenſu, & tota Eccleſia, & vnaqueq; pars eius, etiam hodie eſt Apoſtolica, vt merito hunc titulum Symbolo ſuo addiderit Patres Conſtantinopolitani in Concilio Generali 2. Qui vult plura de hac re videre legat Turrecrematam præſertim libro primo de Eccleſia. c. 18. & 19. & Vualdenſem lib. 2. doctrin. fidei antiquæ. c. 16.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum Eccleſia Romana ſit vera Chriſti Eccleſia.

SEnſus quæſtionis eſt. An ſicut non ſolum credimus Chriſtum veniſſe, natum, & mortuum fuiſſe, ſed etiam eſſe hunc filium. S. Mariæ, natum in Bethelecm, & mortuum in Hieruſalem &c. Ita etiam nõ ſolum teneamur credere, quod Chriſtus reliquit corpus myſticum, quod eſt Eccleſia, ſed etiam quod hoc corpus ſit iſta congregatio viſibilis fidelium, quæ eſt ſub obediẽtia Romani Pontificis, cum his prelatis, Sacramentis &c. vt eſt communis ſenſus omnium fidelium; quæ quæſtio eſt fundamentum omnium controuerſiarum inter nos, & hæreticos. quia quo ad terminationem noſtri intellectus vltima reſolutio fidei eſt ad Eccleſiam, vt diximus ſupra d. 24. art. 17. ergo ſi ſemel ſtatuo, & credo hanc eſſe veram Eccleſiam, credam etiam omnia, quæ proponit credenda: credere. n. eccleſiam, eſt credere non poſſe errare. Si vero non credo hanc veram eſſe eccleſiam dubitabo de omnibus, quæ proponit

vnde pro huius quæſtionis reſolutione obſer. eſt, quod Lutherani dicunt eccleſiam non eſſe limitatam ad certũ locum, quod nos etiam fatemur, eſt. n. catholica, vt diximus art. 5. Item dicunt quod non eſt limitata ad certam familiam, & gentem; quod etiam nos dicimus, ſi loquantur de genere, populo, & natione: quia ſecundum D. Paulum ad Rom. 10. apud Deum non eſt diſtinctio Iudei, & Græci; ſed latet anguis in herba, quia Lutherani ex hoc inferunt, quod non artatur eccleſia ad aliquam gentem habentẽ tales leges, & tale caput, quod dicunt contra eccleſiam Romanam; & aſſerunt quod eccleſia vera cognoſcitur in hoc, quod in ea ſincere prædicatur Euangelium, & rite, & recte adminiſtrantur Sacramẽta, quod ſciri põt per ſcripturam, & non per rationes; pro quo adducũt D. Chriſoſt. hom. 49. ſuper Matth. in opere imperfecto dicẽtẽ. In hoc tempore. ſ. hæreſum, ad ſcripturarum montes cõfugiendum eſt, ergo qui vult noſſe, quæ ſit eccleſia vera, per ſcripturam cognoſcit. & D. Auguſt. epiſt. 166. dicit in ſcripturis didicimus Chriſtum, & eccleſiam, & lib. de vnitate eccleſiæ. c. 2. dicit. Quæſtio eſt inter nos, & donatiſtas vbi ſit eccleſia. Quid faciemus? quæremus eam in verbis noſtris, an in verbis capitis ſui? Puto quod in verbis illius, qui eſt veritas, & optime nouit corpus ſuum; Et ideo inquiunt lutherani. Valeant traditiones eccleſiæ, & definitiones Conciliorum; & ſi ab illis interroges, quomodo intelligemus locum ſcripturæ obſcurum? Reſpondẽt, quod ſcriptura per ſe ipſam eſt interpretanda, & non per hominum expoſitionem, Si rurſus quæras, quomodo ſciã quod non erro? Neſciunt quid reſpondeant, aut quo fugiant, niſi ad proprium ſenſum, & cerebrum vnius cuiuſque. Ex quibus inferunt noſtrã Romanam Eccleſiã non eſſe veram; quia in ea non ſincere prædicatur Euangeliũ, nec conſuluntur ſcripturæ ad intelligentiam eius; nec adminiſtrantur Sacramenta iuxta Chriſti inſtitutum; Chriſtus. n. iuſſit dari Sacramentum eucharistiæ ſub vtraque ſpecie, eccleſia autem Romana iubet dari ſub vna ſpecie tantum. Item Baptiſmus ſecundum Chriſtum tantum debet habere aquam, & verbum; eccleſia autem Romana (dicunt iſti) cõſpurcant illum vnctionibus, & exorciſmis, tandem Eccleſia debet eſſe ſancta, eccleſia vero Romana eſt plena malis miniſtris. *Chriſoſt.* *Auguſt.*

Secundo obſer. eſt, quid proprie ſit eccleſia, ex vera. n. definitione eccleſiæ facile erit cognoſcere Chriſti veram eccleſiam, duę autem circũferuntur eccleſiæ definitiones quarum vna eſt talis. Eccleſia eſt ſocietas Chriſti nomen profitentium, in vnitate fidei, & Sacramentorũ collecta, atque legitime ordinata; Hæc definitio intrinſeca & eſſentialis eccleſiæ definitio eſſẽ videtur: nam excludit primo omnes infideles; qui Chriſti nomen non profitentur. Secũdo excludit hæreticos, qui in fide diſſentiũt, vel Sacramẽtis. Tertio excludit cathecumenos, qui Sacramentorũ nõdum ſunt participes. Quarto excludit ſchiſmaticos qui *Eccleſiæ definitiones.*

ſeorſum

ſeorſum colligentes, ordinem Eccleſiæ perturbant, ſincludit vero omnes baptizatos catholicos, ſiue bonos, ſiue malos, ſiue electos ſiue reprobos. Illi enim omnes, & ſoli in vnitate fidei & ſacramentis communicant illi ſoli colligũtur, qui vocati ſunt, & legitime ordinantur, quia in communi obedientia ſub Eccleſiæ Magiſtris agunt. & hæc definitio ſingulis particularibus eccleſijs competit. Quare breuius illam Cyprianus definiuit dicens, illi ſunt eccleſia plebs ſacerdoti adunata, & paſtori ſuo grex adhærens. lib. 4. epiſt. 9. Et hæc definitio eſt fere eadem cum ea, quam refert Card. Bell. tom. 1 lib. 3. de Eccleſia militanti. ca. 2. vbi ita Eccleſiam definit. Eccleſia eſt cætus hominum eiuſdẽ Chriſtianæ fidei profeſſione & eorundem ſacramentorũ communione colligatus, ſub regimine legitimorum paſtorum, ac præcipue vnius Chriſti in terris Vicarij Romani Pontificis. In qua definitione tres ſunt partes, profeſſio veræ fidei, ſacramentorum communio, & ſubiectio ad legitimum Paſtorem Romanum Pontificem. atq; adeo ratione primę partis excluduntur ab eccleſia, omnes infideles, tam qui nunquam fuerunt in Eccleſia, vt Iudæi, Turcæ, Pagani, quam qui fuerunt, & receſſerunt, vt hæretici, & Apoſtatę. ratione ſecundæ excluduntur cathecumeni, & vt ipſe dicit excommunicati, quoniã illi nõ ſunt admiſſi ad ſacramentorum communionem, iſti ſunt dimiſſi, ſed de excommunicatis nos ſupra oppoſitum docuimus. art. 5. concl. 2. ratione tertiæ excluduntur ſchiſmatici, qui habent fidem, & ſacramenta, ſed non ſubduntur legitimo paſtori, & ideo foris profitentur fidem, & ſacramenta percipiunt. Includuntur autem omnes alij, etiam ſi reprobi, ſceleſti, & impij ſint.

Cyprian.

Card. Bellar.

Altera Eccleſiæ definitio, ſeu potius deſcriptio plena in qua videlicet tota huius corporis dimenſio comprehenditur, & omnes eius proprietates, & qualitates exprimuntur, quibus ab omnibus hæreticorum conuenticulis clare ac dilucide dignoſcitur, & qualem hæc diſputatio magis deſiderat talis eſt. Eccleſia Chriſti ſecundum ſtatum noui teſtamenti eſt multitudo collecta Chriſti nomen profitentium incipiens à Hieruſalem, indeq; per vniuerſum mundum diſperſa, creſcens per omnes gentes, ſemper illuſtris, & manifeſta, mixta bonis, & malis, electis, & reprobis, fide, ſacramentis & firmitate ſancta, origine, & ſucceſſione Apoſtolica, amplitudine catholica, connexione, & ordine membrorum vna. duratione perpetua. Primum hæ ſingulæ partes ex premiſſis articulis manifeſte conſtant. Deinde iuxta has partes & proprietates verã Chriſti Eccleſiam à falſa manifeſte diſtingui ſtatim videbimus. Tertio iuxta has qualitates, & proprietates in Symbolo nobis deſcribitur vbi profitemur credere vnam, ſanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Quarto iuxta has qualitates & proprietates in ſacris ſcripturis nobis deſcribitur in lege pſalmis, & Prophetis promiſſa. in Euangelio à Chriſto declarata, vt in ſuperioribus oſtenſum eſt. Quod n. D. Auguſt. Donatiſtis dixit de vnitate Eccleſiæ. ca. 16. Non propterea credi volumus apud nos Eccleſiam eſſe: quia hanc quam tenemus, Optatus, Ambroſius, vel alij innumerabiles noſtræ Communionis tenent Epiſcopi, aut quia per totum orbem noſtra frequentet communio. ideſt ſic de facto ſe res habet. ſed quia talem Eccleſiam, qualem nos tenemus, & deſcripſimus commendant ſcripturæ diuinæ in lege, pſalmis, Prophetis, & Euangelio; Hoc totum iſto loco hæreticis noſtri temporis, dicere debemus nos, eo modo quo diximus deſcribere Eccleſiam: Non quia Paulus V. Romanus Pontifex & tot alij innumerabiles eius communionis Epiſcopi talem tenent, aut quia hactenus de facto talis fuit ſola Romana eccleſia, ſed quia talem fore ſuam Eccleſiam Spiritus ſanctus in ſcripturis ſanctis prædixit, & docuit. Quinto iſtæ qualitates, & proprietates conueniunt Eccleſię quatenus tali, ideſt quatenus eſt corpus collectum omnium fidelium, ideoq; per illas eam deſcribi oportuit.

D. Auguſtinus.

Tertio obſer. eſt in omni inſigni mutatione Religionis ſemper iſta ſex demonſtrati poſſunt. primo author eius. Secundo dogma aliquod nouum. Tertio tempus; quo cępit. Quarto locus vbi cępta. Quinto quis eam oppugnauit. Sexto exiguus aliquis cętus vnde paulatim alijs accedentibus cęperit. omnia autem hæc inuenimus in ipſa Chriſti Eccleſia; quæ tamen non fuit noua Eccleſia, ſed ſolum mutatio quædam ſtatus Eccleſiæ ſecundum Prophetarũ prędictiones. Primo enim ſcimus authorem fuiſſe Chriſtum. Vnde Chriſtiani dicuntur; Secundo cæpiſſe tũc explicite credi nouum dogma Trinitatis, & Incarnationis. Tertio cæpiſſe iſta prędicari anno 15. Imperij Tiberij Cęſaris. Quarto cæpiſſe in Iudęa. Quinto mox oppugnatam fuiſſe hanc religionem, à Scribis, & Phariſeis, deinde à Gẽtilibus ſumma vi. Sexto ſcimus initio fuiſſe multo pauciores Chriſtianos, quam eſſent iudæi, cum ſeparatio facta eſt. & à fundatione Eccleſiæ ab ipſo Chriſto nulla eſt facta in Eccleſia Chriſti mutatio ſed eadem & ſub eadem fide inuiolata permanſit vſq; ad noſtra tempora, & vſq; ad finem ſeculi perſeuerauit, & non niſi in cetu & congregatione, quę ſub obedientia Romani Põtificis veri, & indubitati Chriſti Vicarij colligitur vt proxime oſtẽdemus, ſed interim oſtendant heretici, quis nam fuerit noſtræ Romanæ congregationis Author? Nunquam hæretici obiecerũt nobis authorem noſtræ ſectæ, nec ab vllo particulari homine nos appellauerunt, quod certe libentiſſime facerent ſi poſſent. Nam quamuis hæretici nos papiſtas vocitent, hoc tamen nomine ab alijs non appellamur, quam ab huius temporis hæreticis nouis; aliorum temporum hęretici nunquam hoc nomine maiores noſtros, cum quibus in fide communicamus vocauerunt. At ne Gręci quidem, qui hodie à Romana Eccleſia ſeiunguntur hoc nomine nos vocant ſed Azimitas, quia in azimo pane cõſecramus.

In mutatione religionis quę requirantur.

Adde hoc ipſum nomen Papiſta non eſſe nomen partis, ſed plane generalitatis cuiuſdam nomen. ſignificat enim Papiſta hominem Pape adhærentem, Papa autem non hominis alicuius, ſed officij nomen eſt, Pontificis videlicet, ſeu Epiſcopi: nam olim Papę vocabantur communiter omnes Epiſcopi, vt apud Caſſianum Papa Caſtor; in præfatione apud Ruffinum in expoſitione Symboli. Papa Laurentius; apud Hieronymum. Papa Auguſt. in epiſt. 11. & 14. Quare aliquando Pontificios nos vocant, vt omnes fere Germani, & Lutherani ſcriptores, ſicuti ſi rebelles vocarent bonos ſubditos, regios; aut ducales, quia Regi, vel Ducibus ab eo miſſis obediunt. Rurſum quia Papã intelligunt Romanum tantummodo Põtificem, qui ſolus nunc venerabilem illum titulum retinet, adhuc maiorem generalitatem Papiſtæ vocabulum ſonat. Planè enim ſignificat hominem catholicum, ideſt ſupremo, & generali Chriſtianorum Patri ſubditum, & illi eccleſię (Romanę videlicet) communicãtem, cui omnes fideles adhærent, & ad quem omnes, qui ſunt vndique fideles conuenire neceſſe eſt (ait ſanctus Irenęus lib. 3. cap. 3.) propter potentiorem principalitatẽ deniq; ſignificat ouem illius Paſtoris, Petri videlicet, cui Chriſtus totum ſuum ouile commiſſit Ioan. 21. Paſce oues meas &c. Nihil ergo hoc nomen nobis præiudicat (niſi forte in bonum) vel hæreticos excuſat.

Nomen Papiſta nõ eſt nomen partis.

Irenæus.

Secundo nunquam oſtenderunt primam originem vllius dogmatis noſtri, imo centuriatores in ſingulis centurijs. c. 4. circa finem annotant, qui authores defenderint noſtra dogmata, quæ nunc ipſi opugnant, nec originẽ inueniunt niſi tempore Apoſtolorum. nam etiam Iuſtinũ, & Irenęum numerant inter noſtros fautores, quos conſtat proxime inſecutos apoſtolorum tempora.

Tertio nunquam deſignare potuerunt tempus certũ noſtrę defectionis ab eccleſia, dicunt quidem poſt primos quingentos annos cępiſſe valde inualeſcere hanc ſectã, tamen quando cęperit abſolute nunquam dixerunt.

Quarto nunquam oſtenderunt quo loco cęperit: nam poſt primos quingẽtos annos floruit Gregorius cum quo totum orbem terrarum communicare, ex epiſtolis eius, quas ad omnes prouincias mittit cognoſci poteſt. Itẽ poſt Gregorij obitum celebratum eſt Concilium ſextum generale ex quo manifeſte colligitur totum Orientẽ, & Occidentem eo tempore, cum Romano Pontifice, vt membra cum ſuo capite coniuncta fuiſſe.

Quinto nunquã oſtenderunt quis eã oppugnauerit tanquã nuper ortã, & q̃ Concilia contra eã celebrata fuerint.

Sexto non poteſt vllo modo oſtendi, vt nunquam noſtra eccleſia ſeparauerit ſe ab aliqua maiore, ita vt qui adherebãt Romanæ ſedi eſſent pauciſſimi, reliqui Chriſtiani multo plures: nam ex epiſtolis B. Gregorij, quas ſcribit ad Epiſcopos Orientis. Africæ, Hiſpanię Galliæ, Italiæ

conſtat

Digitized by Google

conſtat omnes fere Chriſtianos cum eo communicaſſe.

Hæretici veram eccleſiã ſibi arrogant.

Quarto obſer. eſt, quod ſicut ſcripturas & eorum verum intellectum ſibi falſo arrogant hæretici, ita & eccleſiæ nomẽ cuius authoritate ſe primi vident, ſibi temere, & impudenter vſurpant. Neque hoc nouum eſt, quod qui hoſtes Eccleſiæ ſunt ipſi dici & videri volunt Eccleſia; Nam & Irenæi, & Tertulliani temporibus factum hoc legimus. ſic enim de ſui temporis hæreticis ſcribit Tertullianus lib. 5. contra Marcionem faciunt fauos & veſpę, faciunt Eccleſias & Marcionitæ. Lactantius quoq; ſcribit, quod ſinguli quoq; cœtus hæreticorum, ſe potiſſimum Chriſtianos, & ſuam eſſe catholicam eccleſiam putant lib. 4. diuinarum inſtitutionum. c. 30. & ante eum Cyprianus in lil. ad Lubaianum, memoriæ prodidit de Nouatiano, quod more ſimiarum quæ cum homines non ſint homines imitantur, cum ipſe in Eccleſia non eſſet imo adhuc inſuper contra Eccleſiã rebellis extitiſſet, hoc ſibi vendicabat, vt apud ſe Eccleſiam eſſe diceret, ac nos hereticos faceret; & D. Hilarius narrat de Antichriſti ſynagoga, quod ſe Chriſti eſſe Eccleſiam mentiebatur. Idem faciebant Auguſtini temporibus Donatiſtæ. ſuo quoque ſeculo fuiſſe ſcribit Bernardus quoſdam, qui ſe vocabant Apoſtolicos qui ſe eccleſiam eſſe dicebant, ſed contradicebant ei, qui dixit. Non poteſt abſcõdi Ciuitas ſupra montẽ poſitã. de paſtoribus. c. 14. Quorum temeritatem imitati ſunt proximis ſuperioribus ſeculis pauperes de Lugduno, ſiue Piccardi Vicleſiſtæ, & alij id genus hæretici; qui & ipſi ſibi ſicut, & ſanam doctrinam, ita eccleſię authoritate impudenter arrogant; ita noſtris temporibus Lutherani, & Caluiniſtæ faciunt. Sed vna eſt eccleſia Chriſti, & hæc eſt Romana eccleſia.

Tertull. *Lactant.* *Cyprianus* *Hilarius.* *Bernard.*

Conclus. Eccleſia Romana eſt vera Eccleſia Chriſti.

Quare his obſeruatis ſit hæc Concluſio. Eccleſia Chriſti vnica extra quam non eſt ſalus eſt hæc eccleſia ſingularis, quæ militat ſub obedientia Romani Pontificis. & hic eſt articulus fidei; ita quod non ſufficit credere in vniuerſali eccleſiam eſſe in mundo, ſed tenentur credere in particulari quod iſta eccleſia Romana viſibilis & audibilis eſt vera eccleſia Chriſti, & omnis alia ſynagoga ſathanæ probatur. primo ad hominem. Demus lutheranis eccleſiã cognoſci per ſcripturas, ergo noſtra eſt vera eccleſia probatur conſequentia, quia Eccleſia Romana dedit omnibus ſcripturas. Vnde nec ipſi Lutherani poſſunt negare ſe ab Eccleſia Romana ſcripturas accepiſſe; Nam doceant quomodo ſciant ſcripturas eſſe canonicas; quare pro ſcriptura canonica Euangelicum Lucæ, & non Euangelium Bartholomæi, vel Nicodemi recipiant. profecto ab Eccleſia Romana hoc acceperunt. Ita ſentiebat D. Auguſtinus contra Fauſtum lib. 18. dicens. Euangelio non crederem &c.

D. Auguſ.

Secundo probatur, ex conſenſu omnium Chriſtianorum. Hoc. n. ſentit noſtra eccleſia, quæ decreuit, & docuit neminem poſſe ſaluari extra ipſam. & hoc etiam eſt definitum in Concilijs & alijs definitionibus ſummorum Pontificum; maxime in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. art. 41. Dicebat Vviclef. Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias. Dicit Concilium error eſt, ſi per Romanam Eccleſiam intelligat vniuerſalem Eccleſiam, aut concilium generale, aut pro quanto negaret primatum ſummi Põtificis ſuper alias eccleſias particulares. Hoc argumentum Chriſtianis eſt firmiſſimum quia fides noſtra inclinat nos ad hoc credendum, ſicut ad credendum Deum eſſe Trinum. & vnũ. Nec valet dicere quod ipſamet Eccleſia de ſe ipſa teſtimoniũ perhibet, & ideo teſtimonium eius non eſt verum: quia hoc eſt argumentum quod Phariſei Ioan. 8. Propoſuerũt Chriſto dicenti: Ego ſum lux mundi, quibus Chriſtus reſpondit, ſi ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum verum eſt: quia ſolus nõ ſum, ſed ego & qui miſit me pater. Ita poteſt dicere Eccleſia Romana. Ego teſtimonium perhibeo de me ipſa, & teſtimonium meum verum eſt: quia non ſum ego ſola; ſed ego, Pater filius & Spiritus ſanctus per fidem internam, & quia ſemper habeo mecum ſpiritum veritatis, qui teſtimonium perhibet de me.

Concilium Conſtantienſi.

Tertio probatur ex notis legitimis veræ eccleſiæ hoc modo. Illa hominum congregatio ſola eſt eccleſia Chriſti quæ eadem eſt & vna, & ſancta, & Catholica, & Apoſtolica. ſed ſola ea congregatio, quæ Romano Pontifici pro tẽpore exiſtenti paret, & nulla alia eſt talis; igitur ipſa ſola eſt eccleſia Chriſti. Maior patet ex explicatis in ſuperioribus articulis. & minor probatur per ſingulas partes. & primo probatur quod ſit vna. Eſt autem eccleſia vna potiſſime propter doctrinę fidei vnanimẽ conſenſum. ſed doctrinæ fidei conſenſio in hac ſola congregatione, quæ Romano Pontifici paret reperitur, ergo hæc ſola congregatio eſt vera Eccleſia Chriſti, Maior patet ex ſuperius determinatis. Eccleſia namque tota eſt vnius labij, vnus in ea Chriſtus adoratur, vnaque regula veritatis obſeruatur. Minor patet quia ea ſola rationem habet accomodatam ad retinendam in doctrina concordiam in qua propriè vnitas fidei conſiſtit. Ipſa. n. ſola vnum paſtorem rectiſſime vt infra probabimus agnoſcit cuius iudicio in Fidei controuerſijs acquieſcit, velut ſupra diximus ex D. Cypriano lib. 4. epiſt. 9. Ipſa eſt plebs ſacerdoti adunata & paſtori ſuo grex adhærens. Itaque quam facile eſt in Eccleſia cognoſcere, quid ſummus Pontifex de fidei quæſtionibus, cum authoritate ideſt vniuerſam Eccleſiam obligando decernat. tam eſt Eccleſiæ facile retinere in doctrina fidei conſenſum. Vnde ſapienter Beda in a. epiſt. Ioan. dixit. Re vera omnes per orbem catholici vnam veritatis regulam ſequuntur, non autem omnes hæretici, & infideles vnanimo errori conſentiunt. Verum non minus ſemet alterutrum, quam ipſam veritatis viam impugnant, Et certe mirabilis eſt in Romana eccleſia hæc doctrinæ fidei conſenſio. Cum. n. ex multis conſtet eccleſijs; quæ tamen omnes vna ſunt Eccleſia; cum per orbem vniuerſum longe, lateque ſit diffuſa, linguarumque & morum in ea ſit magna diuerſitas, eoſdem tamen ritus eaſdemq; vbiq; ſeruat ceremonias, quin, & lingua non niſi vna, & eadem nimirũ latina ſacrificia peragit. laudeſque Deo decantat, ea præſertim, quæ eſt occidentis, & ſeptentrionis Eccleſia, vt ſi quis etiam ab extremo orbe veniat denuo Chriſtianus, eſſe ibi cor vnum, animam vnam, ſpiritum vnum intelligat. Contra vero hæreticorum omnium conuenticula, qui nomen Euangelij prætendentes vt erroris in eo ſui latebras conſtituant, ſe ab vna hac ſancta catholica eccleſia ſegregauerunt, quot homines, tot eſſe prope de dogmatibus fidei ſententias, neque nobiſcum magis quam ipſos inter ſe digladiari, & diſſidere videbis; vt nullum adſerri certius erroris eorum argumentũ poſſit. In vna domo duos aliquando reperire vix licet, qui ſibi inuicem in omni parte conſentiant, quodque maiori, quoque dignum eſt admiratione, aliud eos iiſdem de rebus hodie, cras aliud ſentire videas. Vnde Chriſtianus atque Catholicus quondam Saxoniæ Princeps Georgius vt refert Card. Oſius dicere ſolitus erat. ſe neſcire quod hoc anno crederent vicini ſui. Vvittembergenſes, quid vero proxime in ſequenti anno credituri eſſent ſe neſcire, quod ſubinde dogmata ſua variarent. Conati ſunt illi alta ſapiendo & humilibus non conſentiendo, turrim Babel extruere; ecce autem quomodo depreſſit Deus eorum arrogantiam. Quæ fuit aliquando terra vnius labij tantam in ea nunc linguarum confuſionem factam eſſe cernimus vt non modo mutuo ſe, verum etiam ipſi ſe non intelligant, circunferuntur enim omniuento doctrinæ ita vt optime dixerit ſapiens Prouerb. 11. Impius facit opus inſtabile; & ſecundo Petri vltimo hæretici inſtabiles appellantur.

Sola Romana Eccleſia eſt vna.

D. Cyprian. *Beda.*

Probatur ſecunda pars. Eccleſia Chriſti debet eſſe ſancta, ideſt firma, atque conſtans; contra quam nec portæ inferi præualebunt, vt ſupérius à nobis in hac proprietatis explicatione demonſtratum eſt: ſed hoc modo ſolam cõgregationem, quæ Romano Pontifici paret ſanctam eſſe planiſſimum eſt, nempe quæ nullis vnquam aut perſecutionibus, aut erroribus opprimi potuit, ſed illis eſt potius illuſtrior multo facta, improbatio enim hæreticorum inquit ad Dominum. D. Auguſtinus lib. 7. confeſſionum. cap. 19. Facit eminere, quid Eccleſia tua ſentiat, & quid habeat ſana doctrina. At hæreticorum conuenticula nulla fuerunt diuturna vnquam. eorum namque dogmata firmitatem non habuerunt, neque ſunt habitura; cum & ea, quæ nunc è tenebris eruuntur, & ſub Euangelij ſpecioſo titulo populis vendicantur, iam inde à mille & amplius annis cõfutata abolita, antiquata, calcata ſint.

Sola Romana Eccleſia eſt ſancta.

D. Aug.

Etenim

Irenæus. Auguſt. Damaſc. Nicepho. Epiphan.

Etenim fidem ſolam ſatis eſſe ad ſalutē volunt cū Simone Mago, vt patet ex Iren. lib. c. 20. & cū Eunomio, vt patet ex Aug. hæreſi. 54. cū Arianis ſacrificium, & orationes pro defunctis improbāt, vt patet ex Damaſ. lib. de hæreſib. Nicephoro lib. 16. c. 6. & Epiph. lib. 3. to. 1. hęreſi. 75.

D. Hieron. Synodus 2. Nicæna.

Sanctorū atq; imaginum cultum cum Vigilantio reijciunt, vt patet ex Hieronymo contra Vigilantium, & cum Iconoclaſtis, vt patet ex ſecunda Synodo Nicæna.

D. Hiero. Epiphan. D. Aug. D. Hieron. D. Aug.

Matrimoniū Virginitati anteponunt, ex ſententia dānati Vigilantij, vt patet ex D. Hieronymo Epiſcopos ſuperiores presbyteris non agnoſcunt, quæ fuit hæreſis Æreij, vt patet ex Epiphanio. Originis peccatum tegi tantum non tolli batiſmatis gratia docent cum Meſſalianis, vt patet ex D. Auguſt. hæreſi 53.

Execrantur Euangelicam paupertatem cum Vigilantio, vt patet ex Hieronymo contra eumdem. Eccleſiam errare poſſe putant, vt ante illos Donatiſtæ, & alij hæretici opinati ſunt, vt patet ex D. Auguſtino paſſim contra Donatiſtas.

D. Baſil. Cardin. Oſſius.

Traditiones non ſcriptas repudiant, ſoliſque ſcripturis niti volunt, quod illis eſt commune cum Arianis, & Eunomianis, & quotquot vnquam extiterunt hæretici, vt patet ex Baſilio lib. de Spiritu S. c. 27. & ne omnia enumerem, quicquid fere aduerſus eccleſiam Catholicam pernicioſa animoſitate, vt Auguſt. verbis lib. 1. contra Maxim. Arian. vtar defendunt; non niſi ex veterum ſęce hæreticorum auferunt, vt & Card. Oſſius, & Card. Bellar. præclare oſtendunt. Quod cum ita ſit omnino ſperandū eſt, non multo poſt fore, vt quorum errores iſti imitantur, eorum quoque habeant exitum, deficientes quemad modum fumus deficiant. Pſal. 36.

Præterea vocatur eccleſia Sancta exteriori ſanctitate iuxta illud Matth. 7. ex fructibus eorum, cognoſcetis eos, non autem ſola interiori ſanctitate, quam ſolus Deus nouit atque illa erit vera eccleſia in qua ſunt externa opera ſancta, quæ in triplici ſunt differentia; nimirū, quædam reſpectu Dei, quædam reſpectu proximi; & quædam reſpectu noſtri iuxta illud D. Pauli ad Titum 2. Apparuit benignitas, & humanitas &c. vt ſobrie, iuſte, & pie viuamus in hoc ſæculo, ſobrie, quo ad nos, iuſte quo ad proximum, & pie quo ad Deum. Sed huiuſmodi ſanctitas conuenit ſolum Romanæ eccleſię, minime aūt hęreticorum ſectis ergo &c. probatur minor, quia eccleſia Romana pie viuit, eſt. n. Cultrix. Dei, habet honorifica templa, altaria, ſacrificia, & veſtes, orat ſepties in die, media nocte ſurgit ad confitendum nomini Dñi, vtitur ritibus, & cæremonijs, à primitiua eccleſia inſtitutis. At Lutheranorum conuenticula templa non habent, neq; ornatū, neque altare, carent ſacrificio, non habent cantum, horas canonicas, & cæremonias, atque ritus ad colendum Deū non retinent atque adeo pie viuere dico non poſſunt. Præterea Eccleſia Romana ſobrie viuit, vt patet ex multis Ieiunijs, vigilijs, & abſtinentijs diuerſarum Religionum, viuentium in obedientia paupertate, & caſtitate; At lutherani omnes ſunt ebrioſi, & luxurioſi, incontinētes; atq; adeo odio habent religiones. Item Eccleſia Romana iuſte viuit circa proximū, vt patet in multis hoſpitalibus, & eleemoſinis quibus carent lutherani.

Fateor quidem inter nos aliquos eſſe malos moribus, at non doctrina. Lutherani vero vtroque modo ſunt peſſimi. Nec debet quis pp malos exiſtentes in eccleſia Chriſti, de ipſamet eccleſia ſcandalizari, iuxta illud Matth. 11. Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me, qđ de Chriſto, & de eius corpore, quod eſt eccleſia poteſt intelligi, de Chriſto ſic. Credere me eſſe Meſſiā, quando facio miracula non mirum, credere vero id, cum me crederint crucifixum, beatum eſt. De eccleſia vero ſic, credere eccleſiæ, quando in ea erant tot martyres, tot confeſſores, non mirum, credere autem illi, quando in illa non fuerint tot viri ſancti, & perfecti, optimum, & beatum eſt, & ſic beatus, qui non fuerit ſcandalizatus in me.

Card. Bel. Sola Eccleſia Romana eſt catholica.

Probatur tertia pars. *Dicitur* Eccleſia Catholica, quia pertinet ad omnia loca, ad omnia tempora, ad omnia hominum genera, & ad omnes nationes, vt explicauimus ſupra; ſed ſola congregatio, quæ Romano Pontifici pro tempore exiſtenti patet pertinet ad omnia loca, ad omnia tempora, ad omnia hominum genera, & ad omnes nationes, ergo ea ſola eſt Catholica atque adeo vera Chriſti Eccleſia. Minor probatur, Eccleſia lutheranorum limitata eſt ad certum locum: nam hæreſes lutheranorum nunquam tranſierunt mare, nec Aſiam, aut Africa, Ægiptum, aut Græciam viderunt, imo rara eſt ciuitas, quæ ab vna aliqua ſectæ hæretica tota poſſideatur; & quamuis videantur hæretici hoc tempore magnam partem ſeptentrionis obtinere, tamen non tenentur omnia illa loca ab vna ſecta, ſed à plurimis, quæ inter ſe non minus pugnant, quam nobiſcum. Itaque pulchre D. Auguſt. in lib. de Paſtor. c. 8. docet eccleſiam eſſe vbique, & hæreſim vbique, ſed eccleſiam eſſe vnam, & eamdem vbique; hæreſes autem non eaſdem ſed diuerſiſſimas, quæ ſe inuicem non nouerunt, & proinde nullam illarum eſſe catholicam. Neque ſperare poſſunt hæretici ſectam ſuam aliquando occupaturam totum orbem: quoniam ſi D. Auguſt. abſurdiſſimum cēſuit, quod hæreſis Donatiſtarum poſt annum Domini. 300. ex Carthagine eſſet propaganda in omnem terram lib. de vnitate eccleſiæ c. 14. & 15. Quanto magis abſurdum erit nunc poſt annum 1610. ſi credatur è Vvitemberga, vel Geneua in omnem terram eſſe diffendendam?

D. Auguſ. D. Aug.

At Romana Eccleſia per totum orbem terrarum eſt diffuſa. Nam tempore Apoſtolorum in toto mundo fructificare cæpit; vt Paulus dicit Coloſ. 1. Item tempore Irenæi erat ſparſa per totum orbem ideſt per omnes prouincias tunc cognitas lib. 1. c. 3. Idem refert Tertullianus de ſuo tempore lib. 1. contra Iudæos. c. 3. Item poſtea Cyprianus lib. de vnitate eccleſiæ. Idem poſtea Athanaſius lib. de humanitate verbi. Idem poſtea Chriſoſt. & Hiero. in c. Matth. 24. & Auguſt. in epiſt. 78. & 80. ad Heſychiū, nec non Theodoretus in lib. de legibus, & Leo Magnus ſer. 1. de ſanctis Petro, & Paulo. Idem etiam patet de poſterioribus temporibus; nam tempore B. Greg. eccleſiam noſtram fuiſſe in toto orbe terrarum planum eſt, vt ſupra etiam adnotauimus ex epiſt. ipſius Gregorij ad epiſcopos Orientis Africæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Angliæ, Siciliæ. Item ex Beda in c. 6. Cant. nec non ex Bernardo, qui diſputans coram Rege Sciciliæ Rogerio, aſſerebat Romano Pontifici ſuo tempore, paruiſſe Orientem, & Occidentem totum, Item Franciam, Germaniam, Angliam, Iberos, & plurimas barbaras nationes, vide in vita Sancta Bernardi lib. 2. cap. 7.

Irenæus. Tertull. Cyprian. Athana. Chriſoſt. Hieronij. Auguſt. Theodor. Leo Mag. Gregor. Beda. Bernard.

Denique noſtro tempore, eccleſiam Romanam præter Italiam, & Hiſpaniam totam, pręter Galliam, Germaniam Angliam, Polloniam Boemiam, Vngariā, Græciā, Syriam, Ætiopiam, Ægyptum in quibus multi inueniuntur Catholici, in ipſo nouo orbe habet eccleſias ſine admixtione hæreticorū in omnibus quatuor partibus mūdi ad Orientem in Indijs, ad Occidentem in Americam, ad Septentrionē in Iaponiā, ad miridiem in Borſiliam, & exteriore parte Africæ; at ſectæ hæreticæ, nunq̄ totū orbem, aut certe dimidiam eius partem occuparunt.

Item Eccleſia Romana pertinet ad omnia tēpora. Nā ab Adā incepit duratura vſq; ad finē orbis; fundauit. n. eā Deus in æternū, qui dixit ego vobiſcū ſum vſq; ad conſumationē ſæculi, & ſi de Chriſtiana eccleſia loquimur, ab ipſo chriſto, & ab eius Apoſtolis ſumpſit initiū, nunq̄ perijt, nec deficiet in æternū, Iuxta dictū Gamalielis Act. 5. Si eſt ex hominib. conſiliū hoc diſſoluetur, ſi vero à Deo eſt non poteritis diſſoluere, quod experimur quotidie in conſeruatione Romanæ eccleſiæ, quæ multis hæreticorum, & infidelium concuſſa bellis non eſt deſtructa.

At hęreticorū eccleſia heri cępit, cito defectura iuxta dictū Saluatoris Matth. 15. Omnis plantatio, q̄ non plantauit Pater meus cęleſtis eradicabitur, qđ effectū habuiſſe cernitur in oībus hæreſib. Nam vt refert Theod. lib. de hęreticis fabulis ſeptuaginta ſex diuerſas hęreſes vſq; ad ſua tempora exortas, & lib. 3. eiuſdē operis teſtatur, omnes illas extinctas fuiſſe pauciſſimis exceptis D. Aug. in lib. de hęreſibus numerat. 88. hæreſes, ex quib. plurimas perijſſe teſtatur in expoſitione Pſal. 57. Bell. docet vſque ad noſtra tempora. 200. diuerſiſſimas fuiſſe hæreticorum familias, & quod ex his non ſuperſunt niſi reliquiæ quædam Neſtorianorum, & Euthichianorum in Oriente, & Huſſitarum in Boemia, reliquas omnes funditus interijſſe. Et mirabilis eſt valde (inquit ipſe)

Theodo. D. Aug. Bellar.

Digitized by Google

ipſe) in hac re prouidẽtia diuina, q̄ fuerint hactenus vſq; ad Lutheri tempora vt minimũ C.C. hæreſiarchæ, quorum multi habuerũt multos epiſcopos, multas eccleſias, multos potentiſſimos patronos, & Imperatores, & Reges, & ſcripſerunt libros innumerabiles, vt viderentur nũquam poſſe deficere, & tñ ita defecerunt, vt iam non ſuperſint, nec ipſi, nec libri eorũ, nec dogmata nec nomina, aut veſtigia vlla niſi in libris catholicorũ, itaq; ſi Catholici non ſcripſiſſent eorum nomina in ſuis libris neſciremus quidẽ eos fuiſſe vnq̃ in mundo. Non eſt ergo ſecta hæreticorum catholica, ſed tantũ congregatio illa, quæ Romano Pontifici pro tempore exiſtenti paret atq; adeo ipſa ſola eſt vera Chriſti eccleſia. Quod autem Romana eccleſia ſpectet ad omnium hominum genera, atque ad omnes nationes, hæreticorum autem Conuenticula minime; eſt ex ſe manifeſtum.

At noſtri temporis hæretici cum donatiſtis de ſua paucitate gloriantur, affirmantque multitudinem eſſe potius Falſæ eccleſiæ notã quã veræ, quod Eunomius ẽt dicebat, ſed eum redarguit Baſilius lib. 1. contra Eunomium, Manichei ẽt de paucitate ſuorum gloriabantur, vt refert D. Auguſtinus in libris, quos ſcripſit contra Aduerſariũ legis, & prophetarũ. Paucitatem inquit hominum in ſuo errore commendat: quia videlicet paucorum eſt ſapientia, quod omnibus hæreticis aduerſarijs eccleſiæ Catholicæ, quæ per oẽs terras copioſa fertilitate diffunditur, in ſua cuiuſq; propria vanitate cõmune eſt; oẽs enim de paucitate gloriantur, & ſeducere ſi poſſent multitudinẽ quærunt. Iulianus quoque Pelagij diſcipulus cum pluraque dixiſſet de Inuidia, quam ſuos ſuſtinere pro veritate iactaret, & de paucitate velut prudentium, quibus eos placare gauderet, obiter illi reſpondens Auguſt. lib. 8. contra Creſcon. c. 66. Hæc inquit, & veterum, & nouorum omnium vox eſt hæreticorum ipſa conſuetudine tam ſordidata, atq; protrita; Idem Donatiſtæ quoq; fecerunt, quẽadmodum apud Optatum videre licet. lib. 2. ca. 8. contra Parmen. de quibus D. Auguſtinus loco citato ita ſcribit. Nec eos audiamus, qui Sanctam eccleſiam, quæ vna Catholica eſt, negant per orbem eſſe diffuſam, ſed in ſola Africa ideſt in parte Donati pollere arbitrantur, ita furdi aduerſus prophetam dicentem. Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Creſconius quoq; dicebat. In paucis frequenter eſt veritas, errare multorum eſt, perijſſe de cætero mundo dicebant eccleſiam, & in parte Donati in ſola Africa remanſiſſe, quod ẽt exemplis probabant, Enoch vnum inter oẽs homines placuiſſe Deo; Noè cum coniuge, & nuribus, & filijs ſolos in Archa ſeruatos. Loth ſolum cum filiabus de Sodomis liberatum, & alia eiuſmodi. quæ recenſet Auguſtinus in lib. de vnitate eccleſiæ c. 7. Quos ſic alloquitur D. Auguſt. lib. de Agone Chriſtiano. c. 29. Quid eſt hæretici, quod de paucitate gloriamini, ſi propter ea Dominus Noſter Ieſus Chriſtus traditus eſt ad mortem, vt hereditate multos poſſideret? Nec diſſimilibus verbis vſus fuit ante Aug. Hiero. qui cum Luciferiani dicerent vniuerſum mundum eſſe Diaboli, & factum de eccleſia Lupanar, non ſine cauſa Chriſtũ fuiſſe mortuum dicit, nec ob ſardarũ tantum maſtrucam Dei filiũ deſcendiſſe, ac aliquot carthis interiectis. Si eccleſiam non habet (inquit) Chriſtus, aut ſi in Sardinia tantum habet pauper factus eſt. En ſi Britannias, Gallias, Orientem, Indorum populos, & totũ ſemel mundũ poſſidet Sathanas, quo ad anguſtum vniuerſæ terre Crucis trophea collocata ſunt? Quare nihil eſt, quod de paucitate ſua glorientur hæretici. Nam eccleſia Catholica ibi eſt, vbi eſt fides Catholica; fides aũt catholica ea eſt, quæ per orbẽ vniuerſum iuxta Chriſti præceptum eadem ſemper annunciatur, nec vel tempore, vel locis vnquam variatur, à qua ſi quis diſſentiat is catholicus non eſt, quod ſingularem quamdam opinionem non vnam communem omnium fidem amplectí videtur.

Baſilius.
D. Aug.
Hæretici perperã de paucitate gloriãtur.
D. Aug.
Optatus.
Hierony.

Probatur quarta pars, nempe eccleſiam Romanam eſſe Apoſtolicam, quia antiquam fidem & doctrinã Apoſtolorum perpetuo ſequitur, quia ab Apoſtolis cœpta per omnes terras propagata eſt; quia cũ omnibus particularibus eccleſijs Apoſtolico labore fundatis cõicat, & q̃a eſt origine, & ſucceſſione Apoſtolica, vt art. 7. de eccleſia demonſtratum eſt probatur primum: nam ſicut aliquis tũc optime probat ſe patrimonium aliquod, aut nobilitatem antiquam a maioribus ſuis, qui multo ante vixerunt acce piſſe, cum oſtendit, id ſe accepiſſe a parente, & hunc rurſus à patre ſuo, & illum item à ſuo, ſicq; deinceps donec ad familiæ caput perueniatur, ita nos recte probamus doctrinam, quã hodie tenemus à maioribus noſtris Apoſtolis, atq; adeo ab ipſo Chriſto tamquam hæreditatem accepiſſe, cum defendimus hanc ipſam doctrinam fuiſſe eorũ, qui nos proximo ſæculo antecellerunt, & rurſus illos à maioribus ſuis, qui ſimiliter illos proxime præceſſerunt eandem ipſam accepiſſe, & ita deinceps. Donec ſucceſſionis ſeries continua ad Apoſtolos, ipſos perducatur, qui eccleſiam Chriſti plantauerunt; Hoc. n. argumentandi modo vſus eſt Irenæus. lib. 3. ca. 3. Traditionem inquit ab Apoſtolis, & annunciatam hominibus fidem, per ſucceſſionem epiſcoporum peruenientem vſque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquomodo, vel per ſuam placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam præter quam oportet, intelligunt, atq; eodem argumentandi genere, & nos vti poſſumus; Nam quotieſcumq; in eccleſia aliqui ab Apoſtolica doctrina diſceſſerunt, conſtat eos tandem a catholica eccleſia iuxta diuinas promiſſiones quas habet Iſaiæ 59. Matth. 16. Ioan. 14. & 17. &c. notatos primum, deinde repreſſos, & proſcriptos eſſe, idque cum perſonarum ac temporum notatione, vt varijs hiſtorijs eſt proditum præſertim in Authorum Orthodoxorum Chronicis. Quo autem tempore, vel à quibus eccleſijs primum poſt Apoſtolarum tempora doctrina ea, quam nunc eccleſia Romana tenet contra doctrinam Apoſtolicam introducta fuerit, doceri non põt, multoque minus conſtat, illi vnq̃ reclamatum, & repugnatum eſſe ab eccleſijs catholicis, ab eccleſijs catholicis inquam, non ab vno, vel altero, vel paucis hæreticis, qui & ipſi communi eccleſiarum ſententia damnati fuerunt, vt Hus. Vviclephus, & ſimiles. Cum ergo hæretici, qui eccleſiam accuſandi partes ſcelerate ſibi ſumpſerunt id non oſtendant vere optime poſſeſſionem huius doctrinæ Apoſtolicæ tamquam hæreditatis à noſtris maioribus acceptæ nobis vendicamus.

Irenæus.

Nam quod quidã ex hæreticis dicunt, (vt Muſculus in locis communibus c. 12. de eccleſia) ab hinc annis circiter quadringentis doctrinam Apoſtolicam in eccleſia palam corrumptam eſſe; Alij (vt Lutherus in ſuppu. annorũ mũdi) ab hinc fere ſexcẽtis, alij ab hinc fere mille, vt Illiricus in cathalogo teſtiũ, & alij paſſim circa tẽpora videlicet D. Gregorij; Non ne ſatis hac varietate opinionũ declarant habere ſe nihil ea de re cõpertũ? Et certe vaniſſimum figmentũ eſt (vt præclare docet Card. Bell. locis ſupra citatis) quod de Gregorij tẽporibus dicunt. Nã fuit tẽporibus Gregorij cõis in orbe terrarũ ea fides, q̃ depẽdit Greg. vt qui cũ omnibus Eccleſijs, earumq; epiſcopis cõmunionẽ habuit, vt apparet ſatis ex epiſtolis eius. Eamdẽ aũt fidem Greg. poſt Greg. tempora vſq; ad nos in orbe cõmunem, atq; catholicã fuiſſe fidẽ, conſtat de oĩbus hodie doctrinæ capitibus controuerſis. Quomodo igitur aut Greg. temporibus, aut poſt Gregorij tempora doctrina illa, quæ ſola erat vbiq; terrarum eadem, corruptela doctrinæ Apoſtolicæ fuit? Quod. n. apud multos, & multo magis, quod apud omnes vnum inuenitur non eſt erratum, ſed traditum, inquit veriſſime Tertullianus lib. de præſcript. poſt medium, & impoſſibile eſt, vt in orbe tot contra legitimam Chriſti eccleſiam portæ inferorum præualeant. Matth. 16. corruptela Apoſtolicæ fidei vbique obtineat, ſicut obtinuit a tempore Gregorij, atque adeo Apoſtolorum vſque ad nos.

Card. Bell.
Tertullia.

Quare cum doctrinæ Apoſtolicæ defectionem in Romana eccleſia nullo pacto hæretici oſtendere poſſint nos autem è contrario ex qua hæreſum fæce doctrina Lutheri, aliorumve hæreticorum noſtri temporis (antiquæ enim hæreſes conſopitæ, imo extinctæ, & penitus, funditusque euerſæ ſunt) ſit aucta, & clare, & diſtincte poſſimus cõmonſtrare. Alterũ fatendũ eſt, vel doctrinam quam hodie tenet, & docet Eccleſia Romana plane eſſe eam, quam ab Apoſtolis inuio ſine controuerſia accepit, vel ſi corruptela potius illius doctrinæ eſt, Spiritum Sanctum Eccleſiam ſuam deſeruiſſe, qui de ea inqui-

Sola eccleſia Romana eſt Apoſtolica.

natione

natione doctrinæ nullis ſeculis præteritis ante Lutherũ ipſam admonuerit, atque ẽt orbem vniuerſum perpetuo quaſi Lethargo laboraſſe, qui non animaduertit, neq; litteratũ monumentis prodiderit, tantã in Religione Chriſtiana mutationem; ſed hoc incredibile eſt; ergo illud alterum eſt verum nempe doctrinam eccleſiæ Romanæ eſſe incorruptam, planeque Apoſtolicam.

Tertullia. Hac rõne, quæ iudicio meo efficaciſſima eſt, & in hac materia demonſtratio vſus eſt Tertul. lib. de Preſcrip. ſub num. 10. vbi poſt q̃ redarguit eos, qui dicebãt Apoſtolos non omnia ſciſſe. Videamus inquit ne Apoſtoli quidem ſimpliciter, & plane eccleſiæ aut ſuo vitio aliter acceperint, quam Apoſtoli proferebant. Omnia iſta ſcrupuloſitatis incitamenta inuenies prætendi ab hæreticis, & ſubiungit ſtatim huiuſmodi calũniæ refutationẽ. Age nunc, inquit, oẽs errauerint, deceptus ſit, & Apoſtolus de teſtimonio reddendo quibuſdã. Nullã reſpexerit Spiritus ſanctus vti eã in veritatẽ deduceret ad hoc miſſus à Chriſto, adhoc poſtulatus de Patre, vt eſſet doctor veritatis, neglexerit officium Dei villicus Chriſti Vicarius, ſẽtiens eccleſias aliter interim intelligere, aliter credere, quã ipſe per Apoſtolos prædicabat. Ecquid veriſimile eſt, vt tot tantęque eccleſiæ in vnã fidem errauerint? nullus inter multos euentus eſt, vnus exitus: variaſſe debuerat error doctrinę eccleſiarum, cæterum quod apud multos vnũ inuenitur, non eſt erratum, ſed traditũ. Hactenus ille, & rectiſſime.

Tertullia. Sed liceat nobis de Lutheranis, & Caluiniſtis dicere id, qd ipſe Tertullianus ſtatim ſubiungit de Marcionitis, & Valentinianis, Audeat ergo aliquis dicere, illos erraſſe, qui tradiderunt? Quoquomodo ſit erratum, tamdiu vtiq regnauit error, quãdiu hæreſes nõ erant, Aliquos Lutheranos, & Caluiniſtas liberanda veritas expectabat. Interea perperam Euangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperàm tincta, tot opera fidei perperam adminiſtrata, tot virtutes, tot chariſmata perperam operata, tot ſacerdotia, tot miniſteria perperã functa, tot deniq; martyria perperam coronata. Aut ſi nec perperam nec in vacuum, quale eſt vt ante res Dei currerent, quã cuius Dei notum eſſet? Ante Chriſtiani, quã Chriſtus inuentus, ante hæreſes, quam vera doctrina? Sed. n. in omnibus veritas imaginẽ antecedit, poſtremo ſimilitudo ſuccedit. Cæterum ſatis ineptũ, vt prior in doctrina hæreſis habeatur: vel quoniã ipſa eſt, quæ futuras hæreſes, & cauendas prænunciauit. Ad eius doctrinæ eccleſiam ſcriptum eſt, imo ipſa doctrina ad eccleſiam ſuã ſcribit. Et ſi Angelus de cœlo aliter Euangelizauerit citra quam nos anathema ſit. Vbi tunc Lutherus vbi Caluinus vbi Melancton, &c. nam conſtat illos neque adeo olim fuiſſe, qui ſub Pontificatu Leonis X. & ſub Imperio Caroli V. extiterunt, & ſub ijſdem temporibus fuerunt ab Eccleſia eiecti.

Tertullia. Et ſi Lutherani Apoſtolicam doctrinam ſe iactant habere; nos cum Tertulliano eodem lib. ſub num. 11. dicere poſſumus Ædant ergo origines eccleſiarum ſuarũ, euoluant ordinem epiſcoporum ſuorum ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, vt primus ille epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis uiris, qui tñ cum Apoſtolis pſeuerauerit habuerit authorẽ, & anteceſſorẽ. Hoc. n. modo eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt. Sicut Smyrneorũ eccleſia habẽs Policarpũ ab Ioãne collocatũ refert ſicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit, proinde vtique, & cæteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in epiſcopatum conſtitutos Apoſtolici ſeminis traduces habeant. Confingant tale quid hæretici. Quid enim illis poſt blaſphemiam inclitum eſt? ſed & ſi confinxerint nihil promouebunt. Ipſa enim doctrina eorum, cum Apoſtolica comparata, ex diuerſitate, & cõtrarietate ſua pronunciabit, neque Apoſtoli alicuius authoris eſſe, neque Apoſtolici: quia ſicut Apoſtoli non diuerſa inter ſe docuiſſent, ita nec Apoſtolici non cõtraria Apoſtolis ædidiſſent: niſi illi qui ab Apoſtolis deſciuerũt, & aliter prædicauerunt. Hactenus Tertullianus, ex his autem quæ dicta ſunt cætera probanda patent nempe, quod Romana Eccleſia ab Apoſtolis cepta ſit per omnes terras propagata, quod cum omnibus particularibus Apoſtolicis Eccleſijs communicet, quodque, & origine, & ſucceſſione Apoſtolica, atque adeo, quod vera ſit Chriſti Eccleſia.

Quod ſanè de hæreticorum conuenticulis dici nõ poteſt.

Nam illud in cõfeſſo eſt, nõ modo nullã eſſe apud illos ſacerdotum, & Epiſcoporum ſucceſſionem, verum etiam eorum eccleſias nunc quoque ſacerdotibus, & Epiſcopis legitime ordinatis, præter quam ſi qui à Catholica defecerunt prorſus carere. Quamobrem apud eos templa videre licet, ſicut ſacrificio, ita ſacerdotio deſtituta, in horrea non nulla, pleraque inſtabula, vel in caulas conuerſa. Egregia vero eccleſia; in qua nullus Epiſcopus, nullus ſacerdos, nullum eſt ſacrificiũ, in qua cuiuis de fæce vulgi prorſus illotis, quod aiunt manibus, & ad ſacramentorum, & ad verbi miniſterium, citra vocationem vllam legitimam, accedere licet. Quare cum ipſi in Eccleſia non ſint, illud omni ope contendunt, & elaborant, vt ne vlla ſit Eccleſia. Cum enim niſi vna ſit, vlla eſſe non poſſit; vna autem eſſe nequeat, niſi ex vno pendeat, qui præſit omnibus; ad vnum hunc expugnandum, ſuas omnes machinas conuertunt, quod quid per membra ſua fecit Sathanas ſicut à Cypriano ſcriptum eſt lib. 1. epiſt. 3. Ideo præpoſitum eccleſiæ ſua infeſtatione perſequitur, ſed de hoc alias in ſequentibus cum de ſummo Pontifice erit ſermo. *Cyprian.*

Vltimo probatur Concluſio teſtimonijs ſupernaturalibus. Miracula ſunt teſtimonia ſupernaturalia, quæ à ſolo Deo fieri poſſunt in teſtimonium veritatis tantum; ſed per ſolum miniſterium eccleſiæ Romanæ facit Deus illa, & in teſtimonium, quod ſit vera eccleſia ergo &c. maior eſt nota: quia Deus non poteſt eſſe teſtis falſus: probatur minor: quia à ſæculo non eſt auditum hæreticum hominem feciſſe miraculum. Iam vt dicit Tertullianus loco citato hæretici in peruerſum Apoſtolos emulantur, illi enim de mortuis viuos faciebant, iſti de viuis mortuos faciunt, ſicut cuidam miniſtro lutherano euenisſe refert Lindanus in Dubitãtio, & Alanus Copus lib. 6. dialogorum atque etiam ipſi Caluino, vt in eius vita à Hieron. Boleſco conſcripta refertur. Ad vero in eccleſia Romana à tempore Apoſtolorum vſque ad hæc noſtra tempora ſemper fuerunt, & ſunt, qui miracula ędiderũt, & faciunt, Celebre eſt illud Regum Galliæ à tempore D. Ludouici, qui habent virtutem ſanandi morbum, vulgo dictum le ſcroſole, quam credo eos non habituros ſi ab eccleſia Romana diſcederent. Merito igitur D. Auguſtinus in libro de vtilitate credendi. c. 17. & lib. contra Epiſtolam fundamenti. c. 4. dicit ſe teneri in eccleſia vinculis miraculorum, & Ricardus de Sancto Victore, lib. 1. de Trinit. c. 2. audet dicere. Domine ſi error eſt, quod credimus à te decepti ſumus: iſta enim in nobis ijs ſignis, & prodigijs confirmara ſunt, quæ non niſi à te fieri potuerunt. *Tertullia.* *Lindanus.* *Alanus Copus.* *Hier. Bole.* *D. Aug.* *Ric. Vict.*

Supradicta omnia argumenta faciunt euidenter credibile Eccleſiam Romanam eſſe veram Eccleſiam Chriſti ſicut teſtimonia, quę ſupra poſuimus. d. 24. ar. 8. faciũt euidenter credibiles articulos fidei. Vnde D. Auguſtinus contra epiſtolam fundamenti. c. 4. dicit. Tenet me in hac Eccleſia Romana omnium gentium conſenſus, atque populorum: tenet me authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, & antiquitate firmata; Tenet me ab ipſa ſede Apoſtoli Petri vſq; ad præſentem diem epiſcoporum ſucceſſio, tenet me hoc nomẽ catholicum, ex quo ſequitur, quod ſicut fides infuſa inclinat ad credendum Deum eſſe Trinum, & Vnum; ita ad credendum Eccleſiam Romanam eſſe veram Eccleſiam Chriſti. *D. Aug.*

Ad argumenta lutheranorũ in primo notabili poſita. Reſpondetur quo ad ſecundũ, vt ſincere prædicetur Euãgeliũ non ſolũ eſt recurrendũ ad ſcripturã, ſed ẽt ad traditionẽ, & communem ſenſum patrũ. Non. n. omnia verba, & facta Chriſti, & Apoſtolorũ ſunt ſcripta, vt patet ex illo Ioan. 21. Multa alia ſigna fecit Ieſus &c. & 2. & 3. Io. dicitur. Plura habeo vobis dicere, nolui per cartã, & atramentum; ſpero. n. me futurũ apud vos, & os ad os loqui. Paulus ẽt. 1. ad Corint. 11. dicit. Cætera cũ venero diſponam, & 2. ad Theſ. 2. Itaq; fratres ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Vnde verus ſenſus ſcripturæ non ſolum ex alia ſcriptura colligitur, ſed etiam petendus eſt ab Eccleſia, & non à conſenſu, & arbitrio vniuſcuiuſque, vt impie dicunt lutherani.

Digitized by Google

Ad verba Chriſoſt. reſpondetur, quod ille locus ſuſpectus eſt de hæreſi Ariana, quare vel author eſt Arianus, vel ſi opus illud eſt Chriſoſtomi, deprauatus eſt locus ille ab Arianis.

D. Aug.

Secundo reſpondetur, quod quando dicit eccleſiam veram cognoſci per ſcripturam, intelligendum eſt expoſitam ſecundum traditionem eccleſiæ, & cõmunẽ ſenſũ Patrum, & idem vult B. Auguſt. non enim excludit communem ſenſum eccleſiæ, & traditiones, vt patet ex multis locis eiuſdem, vnde noſtra eccleſia ſincere prædicat Euangelium, quia prædicat illud ſecundum expoſitionem eccleſiæ, & ſanctorum Patrum. Et in ea rite, & recte adminiſtrantur ſacramẽta iuxta traditionem Apoſtolorum, à quibus modus adminiſtrandi ſacramenta venit ad nos per manus. Negamus etiam Chriſtum præcepiſſe communionem ſub vtraque ſpecie, nec conſuetudo communicandi ſub vtraque ſpecie ſemper fuit in eccleſia, imo fuerunt diuerſæ conſuetudines, vt in materia de Euchariſtia diffuſe explicauimus.

ARTICVLVS IX.

Vtrum tota Eccleſia poſſit errare circa fidem.

COmmunis omnium Catholicorum ſententia eſt eccleſiam in credendo errare non poſſe. Quidam tamen catholici perpetuam eccleſiæ fidem ſic interpretantur, vt intelligant Deum eccleſiæ eſſe præſentẽ vſque ad ſæculi conſumationem, ne vna illi fides, & charitas deſit, poſſe tamen eccleſiam probabiliter ignorare rem vnam quamlibet, qua ſcilicet ignorata non proinde eccleſia fidem amitteret, v. g. ponamus non eſſe à Deo reuelatum. D. Virginem ab originali peccato immunem extitiſſe, quamuis eccleſia crederet Sãctam Virginẽ fuiſſe ſine peccato conceptam, idemq; definiret ab omnibus eſſe credendum, non tñ in eo fidei iacturam facere exiſtimaretur: Nã licet falleretur, at error probabilis & inculpatus fidem eccleſiæ non excluderet. Huius ſniæ videntur eſſe Gloſſa interlinearis in illud portæ inferi nõ præualebunt ad verſus eam, & D. Tho. in 4. d. 6. q. 1. art. 3. ad ternum Card. Turrectem. lib. ſummæ eccleſiæ 2. c. 91. & Alphonſus à Caſt. de iuſt. hæret. punit. lib. 1. c. 5.

Gl. interl. D. Thom. Card. Tur. Alphonſ. Caſt.

Hæretici aũt eccleſiæ determinationem incertam eſſe volunt, & quæ facile errare poſſit, atq; ẽt frequẽter grauiſſime errauerit; quæ ſententia, vt omniũ hæreſum fundamentum eſt, ſic omnem veræ religionis, & fidei certitudinem labefactat, atq; adeo hæc quæſtio diligenter tractanda eſt, & primo fundamenta, & motiua potiora hæreticorum referenda ſunt, ſecundo veritas catholica explicabitur, tertio fundamenta hæreticorum euertemus.

Quo ad primum. Si eccleſiæ doctrina eſt infallibilis, hanc infallibilitatẽ, aut ſtudio, & induſtria conſequitur, diligenter ſcripturas ipſas, & alia docendi media conſulẽdo, vel abſq; vllo ſtudio, & labore, ex ſola perpetua Spiritus Sancti aſſiſtentia precibus inuocata infallibiliter iudicat, ſi priori modo magna quæſtio eſt, quõ conſtabit de hoc labore ab eccleſia ſuſcepto, aut de legitimis medijs adhibitis, aut ſi de hoc nobis cõſtare non poteſt, profecto nec de illa infallibilitate docendi certo vnquã conſtabit. Si poſteriori modo plura adhuc inconuenientia ſequuntur, ſic. n. fruſtra, & Synodi conuocarentur, & rerum ſacrarum ſtudia ſuſciperentur, Paſtores quoq; non vigilantes, ſed in vtramq; aurem dormientes, (quaſi ſolis afflatibus, & reuelationibus freti) hac ratione conſtituerentur, ſed & præterea falſum videtur. Hic enim docendi modus ad immediatam reuelationem pertinet ſolis prophetis, & Apoſtolis propriam. Neutro ergo modo poteſt eccleſiæ doctrina eſſe certa, & infallibilis.

Secundo. Hæc infallibilitas docendi, aut eſt circa tam concluſiones, q̃ media, aut circa concluſiones tantum, & non media, aut deniq; circa media, & nõ ipſas fidei concluſiones. Non primo modo, quia facile oſtendi poſſet argumentis, & medijs parũ firmis, atq; adeo incertis, & vix interdũ probabilib. tũ in ſuis reſponſis Romanos Pontifices, tũ in Concilijs Epõs, tum deniq; in ſuis diſputationib. ſanctos Patres vſos fuiſſe & ſi concluſionẽ catholicã fecerint. Porrò difficillimum eſſet ſuſtinere oĩa eccleſiæ argumenta eſſe ſemper firma, & cogentia, atq; adeo infallibilia. Secundo modo fieri poſſe non videtur: quia naturam medij ſequitur concluſio, imo deteriorẽ partẽ argumentationis ſequitur concluſio iuxta dialecticos; nõ põt igitur ex medijs infirmis, & incertis deduci concluſio certa, & infallibilis. Tertius modus impoſſibilis eſt; quia ex veris non niſi vera ſequuntur; & præterea deſtruit propoſitum, ſic. n. eccleſia erraret in concluſione fidei. Non videtur, ergo hæc infallibilitas docendi conſtare poſſe.

Tertio. Hæc infallibilitas aut eſt circa omnem doctrinam de fide tam in appendice, q̃ in ſubſtantia tam in leuiſſimo quoq; dubio, & indifferenti, q̃ in re graui, & neceſſaria, deniq; tam ad priuatam quamlibet inſtructionem, quam ad publicum dogma: aut è contrario in ſola fidei ſubſtantia in rebus ad ſalutẽ neceſſarijs, deniq; in publico dogmate definiendo hæc infallibilitas ponitur.

Si prius facile exempla adferri poſſent, in quibus, & vnanimis Patrum conſenſus ad tempus errauerit, & ipſa concilia peccauerint; & difficile eſſet tam omnimodam infallibilitatem in eccleſia ſuſtinere. Si poſterius: ergo Apoſtolorum ſucceſſores non eandem habent infallibilitatem, quam Apoſtoli habebant. Certum enim eſt, Apoſtolos omnis generis infallibilitate donatos, nec vel in minima doctrinæ parte errare potuiſſe. Hinc autem conſequetur promiſſiones illas infallibilis aſſiſtentiæ Spiritus Sancti Apoſtolis fuiſſe proprias, nec ad ſuccedentem eccleſiam applicari poſſe.

Trib. modis põt aliquis habere ignorãtiam fidei.

Pro huius quæſtionis ſolutione obſeru. eſt tripliciter poſſe aliquem habere ignorantiam fidei primo cum pertinacia defendẽdo errorem poſitiuum vt hæretici, & infideles poſitiui. Secundo habendo ignorantiam inuincibilem poſitiuam alicuius veritatis fidei, vt tẽpore D. Cypriani affirmabatur baptizatos ab hæreticis eſſe rebaptizandos; Tertio habendo ignorantiam inuincibilem poſitiuam, vt in primitiua eccleſia multi ex diſcipulis putabant ſolos hebræos admittẽdos eſſe ad Euangelium, quare Iudæi conuerſi Act. 11. increpabant D. Petrum, quia ad Cornelium gentilem introiſſet.

Veritates fidei ſunt in duplici differẽtia.

Secundo obſ. eſt, ꝙ veritates fidei, quæ ſunt neceſſariæ ad ſalutem conſequendam vt articuli fidei, quædam vero non ſemper fuerunt neceſſaria ad ſalutẽ, vt quod Spiritus ſanctus procederet ab vtroque quod multi ſancti ex Græcis inuincibiliter ignorauerunt, contrarium opinantes ante Concilium Conſtantinopolitanum.

Eccleſia bifariam ſumitur.

Terno obſ. eſt eccleſiã accipi, & ꝓ tota collectione fideliũ baptizatorũ, quæ per baptiſmũ Chriſto, & nomen dedit, & peculiaris, nouaq; Reſp ub. conſecrata eſt, & pro paſtorib. doctoribuſq; eius, qui cũ ſint præcipua eius mẽbra eccleſia vocãtur, & in quib. Reipub. huius authoritas potiſſimũ reſidet, ſicut, & optimates plebis Ciuitas eſt iuxta ſñiã Ariſt. 9. Ethy. c. 9. dicẽtis ciuitatẽ id maxime eſſe, qđ eſt in ea principale, inde. n. q̃ principes, & gubernatores Ciuitatis faciũt, & ſentiũt, ea Ciuitas facere, ſentireq; dicitur. Cuius rei. 3. Reg. 8. illud exemplum eſt. Congregati ſunt oẽs maiores natu Iſrael, cum principibus Tribuum, & duces familiarum in Hieruſalem, & inferius. Conuertitque Rex faciem ſuam, & benedixit omni eccleſiæ Iſrael: omnis enim eccleſia Iſrael ſtabat.

Eccleſia non expectat doceri à Deo immediate.

Quarto obſer. eſt, ꝙ eccleſia nõ expectat doceri à Deo immediate ſolis reuelationibus, & nouis afflatibus freta, ſed vtitur certis medijs ad dubij dogmatis determinationẽ: probatur q̃a docetur nũc nõ p Apoſtolos aut prophetas, aut per Angelos, quib. immediata reuelatio frequẽs erat, ſed per paſtores, & doctores, vt ad Eph. 4. diſtinguit Apoſtolus, atq; ideo multis medijs, (de quibus art. ſequẽti,) & magna conquiſitione vtitur, qua etiam ſeniores, ſeu presbyteri vſi ſunt Act. 15. vt vna cum Apoſtolis decernerent dubium Dogma ibi controuerſum.

Eccleſia in ſingulis medijs nõ hẽt infallibilem veritatem.

Quinto obſ. eſt, ꝙ eccleſia in ſingulis medijs non habet infallibilem, & peculiarem Spiritus Sancti directionem, ſed poteſt in illis adhibendis probabili interdum non ſemper neceſſaria collectione vti; Ratio eſt, quia eccleſiarum Magiſtri non habent ſcientiæ diuinæ plenitudinem, ſed vt de ſe ipſo dixit Auguſt.

In ſcri-

D. Aug. *Irenæus.* In ſcripturis ſanctis multo interdum plura neſciunt, quam ſciunt epiſt. 119. cap. 11. Quod & Irenæus contra ſuperbos hæreticos docet lib. 2. capit. 49. Apoſtoli autem nulla rerum ſacrarum ignorantia laboraſſe merito creduntur.

Mediorũ certitudo Apoſtolis neceſſaria fuit: ſed nõ ſuccedenti eccleſię. Sexto obſer. eſt. Talem mediorum certitudinem Apoſtolis neceſſariam fuiſſe; ſuccedenti eccleſiæ neceſſariam non eſſe. Apoſtolis neceſſarium hoc erat, vel quia erant Spiritus Sancti amanuenſes, ideſt ſcribæ, vel quia primi erant Magiſtri fidei Euangelicæ; ideoque omnia de nouo, & abſque duce præcedentis eccleſiæ docere debebãt. Vnde factum eſt, vt illis ſolis conceſſum fuerit nouos fidei articulos in Symbolo videre, noua ſacramenta promulgare, ſcripturam canonicam ſcribere. Succedenti eccleſiæ hoc neceſſarium non eſt: quia nihil horum facit, ſed maiorum ſuorum veſtigijs inſiſtens, & traditę doctrinæ inhærens partim ſua authoritate credentibus pro tempore, & reſpectiue doctrinam fidei confirmat partim dubia emergentia aperit, & explicat; Atque ita teſtem potius agens, quam authorem, nec fundamenta ponens, vt Paulus, ſed ſuperædificans. 1. Corint. 3. Nec plantans, ſed rigans ab Apoſtolis plantata; Nec denique ſeminans primum ſemen, ſed potius metens, & in aliorum labores ſubintrans. Ioan. 4. certitudine mediorum non indiget. Fundare enim aliquid, plantare ſeminare, & prima principia rebus dare maxima certitudine, & peritia indiget; non ſic alia ſubſequentia. Conſeruare enim tradita, rigare, quod plantatum eſt ſouere quod iam in lucem editum eſt, ſuperædificare fundamento iacto, metere quæ alij ſeminauerunt, exacta, & omnimoda infallibilitate non indiget, ſed ſatis eſt ſemel acceptis diligenter inſiſtere; neque tanta certitudine opus eſt aperire, & explicare, quod virtute in ſemine fidei latet, aliudq; ex alio deducere, quam de nouo rem penitus ignoratam explorare, & docere, facile eſt inuentis addere, difficile eſt glaciem perfringere.

Septimo obſer. eſt. Quod eccleſia nihilominus in conecleſia in concluſione fidei ſemper eſt certiſſima, & infallibilis. cluſione fidei ſemper eſt certiſſima, & infallibilis: quia eius doctrina nec ſimpliciter eſt prophetica, aut ex reuelationibus immediatis dependens, vt iam dictum eſt, nec ſimpliciter diſcurſiua, & ſolis, vel rationum momentis, vel humanis documentis vtitur: quia ex Deo loquitur, & Spiritus Sancti aſſiſtentia munitur, ſed eius doctrina eſt in medijs diſcurſiua propter ea, quę modo diximus in 6. notabili, in ipſa autem cõcluſione eſt prophetica, & diuina, vt infra explicabimus, eſt igitur in ipſa doctrina infallibilis, & ſi in forma, & ratione docendi non ita.

Eccleſia non docet ex arte ſed ex authoritate. Octauo obſer. eſt, huius diſcriminis cauſam illam eſſe, quod eccleſia non docet ex arte, ſed ex authoritate, nec de rebus fidei tamquam ex ſcientia Theologica concludit, ſed tamquam ex poteſtate diuinitus accepta decernit. Neque. n. ſciẽtiæ, ſed fidei ſcholam Chriſtus aperuit, nec ad probandum, ſed ad prædicandum Euangelium eccleſiæ Magiſtros miſit, deniq; vt teſtificarentur veritatẽ iuſſit, non vt diſputationẽ argumentis probarent. Quare eccleſia proponit credenda ſimpliciter, non deducit probando, vt Theologus. Hinc in Cõcilijs omnib. concluſiones, & decreta videmus, probationes, & argumenta non videmus. Non quia ſine argumentis concluſum erat, ſed quia nõ ex firmitate argumentorũ, ſed ex ſuggeſtione Spiritus ſancti concluſerunt, vt Act. 15. Apoſtoli; Denique *D. Tho.* (ꝙ obſeruatione dignũ eſt) ſcientia Theologica eſt quidẽ argumentatiua, vt docet S. Tho. 1. par. q. 1. art. 8. ſed eccleſiæ doctrina nõ ſic, illa. n. docet, hæc decernit; illa fidẽ defendit, hæc conſtituit, illa argumẽtis docet nõ eſſe improbabilem, hæc authoritate prædicat eſſe infallibilẽ; illa eſt circa concluſiones deductas, hæc circa articulos fidei reuelatos, vt docet Caiet. ſuper eandem quæſt. art. 2. ad 4.

Caietan. Nono obſer. eſt. Neceſſariũ, & expediens fuiſſe, vt mediorum certitudinẽ, quibus eccleſiæ magiſtri vocantur cæteri fideles ignorarent, & de concluſionum certitudine ſecuri, & certi redderentur. Neceſſarium erat, quia talem mediorũ certitudinem rudes, & infirmi fideles capere, & intelligere non poſſunt, atq; ita nunq̃ eſſent de fide ſecuri, ſi à mediorũ certitudine non intellecta fides penderet. Periti aũt, & docti fideles ẽt ſi intelligerent, tñ ſi ex pertinacia, aut proteruia aliqua, non vellent agnoſcere, quod cognoſcunt nullus eſſet altercãdi finis. Semper enim rixarentur eccleſiam ex infirmis medijs male concluſiſſe. Porro expediens hoc ipſum eſt propter obedientiam fidei. Alioqui. n. non Deo per eccleſiam loquenti crederetur, ſed Deo per eccleſiam probanti auſcultaretur, & ſic non fides, ſed ſcientia eſſet omnis noſtra religio.

Decimo obſer. eſt, quod ad eccleſiæ infallibilitatem in docẽdo ſatis eſt, vt ſit infallibilis in ſubſtantia fidei, & publico dogmate, & rebus ad ſalutem neceſſarijs, patet quia hic eſt finis datæ infallibilitatis videlicet ad conſumationem ſanctorum, & ad ædificationem corporis Chriſti, ideſt, ad publicam ſalutem fidelium: Deus autem & natura, vt non deficit in neceſſarijs; ita nec ſuperabundat in ſuperfluis, nec ad quæuis particularia Dei prouidentia ſpecialis deducenda eſt, quæ vt multos particulares defectus in gubernatione vniuerſi permittit ad decorem ipſius vniuerſi, vt notat D. Auguſt. lib. 11. de Ciuit. Dei ca. 18. ſic multos priuatos in eccleſia errores, & multarum rerum non neceſſariarum ignorantiam, etiam in doctiſſimis permittit, non ſolum ad decorem contrariorum, ſed etiam ad ſalutem Doctorum, quibus expedit multa neſcire, vt etiam hac in parte virtus in infirmitate perficiatur, ideſt ab elatione reprimatur. 1. Corint. 12. Quid requiratur ad eccleſiæ infallibilitatem. *D. Auguſt.*

His obſeruatis ſit prima Concluſio loquendo de credibilibus, quorũ veritas non eſt neceſſaria ad ſalutem, eccleſia habuit interdum ignorantiam inuincibilem; patet ex primo notabili; vbi in primitiua eccleſia ignorabatur an gentes eſſent admittendæ ad Euangelium, & ex ſecundo notabili vbi ante Conciliũ Nicenum ſecũdum ignorabatur an Spiritus Sanctus procederet ab vtroque, & modo etiam ignoratur an Sanctiſſima Virgo fuit concepta abſque peccato originali. 1. Concl.

Secunda Concluſio. Quamuis eccleſia poſſit habere dictam ignorantiam circa credibilia non neceſſaria ad ſalutem, tamen non poteſt errare in eis definiendis, v. g. Ponamus B. V. vere conceptam fuiſſe abſque peccato originali, nõ poteſt eccleſia oppoſitum definire, probatur cõcluſio, ex illo Ioan. 17. Ego rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum Spiritum veritatis, & iterum. c. 15. Vos dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à patre meo nota feci vobis; & rurſus cap. 16. Cum venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Probatur ratione, eccleſia non poteſt errare determinando, qui libri ſint Canonici, ſed eadem eſt ratio de vna propoſitione, & de vno libro, ergo &c. probatur minor, quia vtrumque aduerſatur veritati, at ſi ſemel fuerit admiſſum mendacium in Sacra Scriptura ruit vniuerſa eius authoritas. Ita ſi eccleſia poteſt decipi in vna propoſitione, poſſet etiam decipi in omnibus: quia non maior ratio de vna; quam de alia. Item ſi eccleſia poteſt decipi in vna propoſitione de fide, etiam non neceſſaria ad ſalutem, ſequitur quod non eſt columna, & firmamentum veritatis, quod eſt contra D. Paulum ad Tit. 3. 2. Concl

Tertia Concluſio. De fide eſt nullo vnque tempore poſſe eccleſiam habere ignorantiam circa neceſſaria ad ſalutem, vt ſunt veritates articulorum fidei, & præcepta naturalia, probatur ex locis allegatis in ſecunda concluſione, quæ à fortiori probant iſtam, & etiam ratione. Si Chriſtus non reuelaſſet eccleſiæ omnia neceſſaria ad ſalutem, culpabilis ignorantia redundaret in Chriſtum, qui eſt caput eccleſiæ, munus enim capitis eſt illuſtrare membra, ponere autem in Chriſto culpam blaſphemum eſt ergo &c. 3. Concl.

Quarta Concluſio. Eccleſia eſt infallibilis veritatis, ita vt in credendo, & ea quæ ſunt fidei proponendo errare non poteſt. Probatur: quia infirmitati, & ignorantiæ humanæ in his, quæ ad fidem neceſſario pertinent non ſuccurritur niſi per ſapientiam eccleſiæ docentis; Debet ergo eccleſia ſic eſſe ſapiens in his, quæ fidei ſunt, vt nec falli, nec fallere poſſit, antecedens patet: quia Deus externã eccleſiæ vocem, & magiſterium medium perpetuum, & ordinarium eſſe voluit inducendi homines ad fidem, propter ipſam naturæ humanæ infirmitatẽ, quæ medio indiget, de conſequentia dubitari nõ pôt, niſi qui Dei ſapientiã, & prouidentiã in dubiũ reuocare voluerit; alioqui. n. ignorantię noſtræ non ſuccurritur, ſed imponitur. 4. Conclu.

Item voluit Deus eccleſiæ vocem extrinſecus teſtificari, & manifeſtare omnem veritatem, ſicut ipſe intrinſecus teſtificatur, & reuelat. Debet ergo eccleſiæ vox nō ſecus eſſe infallibilis, & certa, quod Dei vox, non quidem ex ſe, & virtute propria, quia teſtis eſt miniſtralis; tamen quo ad nos, & certitudinem fidei noſtræ, quia eius vocē ſuam vocem eſſe, ac perinde vt ſuam audiri Deus voluit, antecedens patet, quia ad actum fidei generandum vt diximus ſupra duo neceſſario requiruntur, vnum vt proponantur ea, quæ ſunt credenda, alterum vt rebus propoſitis aſſenſus præbeatur, & licet vtrumque fieri poſſit à ſolo Deo; vt patet in illis, qui ex ſola Dei reuelatione proxima, & immediata aliquid crediderunt, vt prophetæ veteres, Petrus Paulus Ioan. alijque Apoſtoli valde multa, tamen quæ ſunt credenda proponuntur communiter, ordinarie per alios, quos Deus adhoc miſſit, & hodie per eccleſiæ præpoſitos.

Præterea eccleſia eſt perpetua, nec à fide vnquam ab errare poterit, vt ſupra oſtenſum eſt, eſt autem perpetua, & firma in fide non ratione totius, aut ſingularum partium, ſed certarum, Præpoſitorum ſcilicet quorum eſt firmare alios in fide: ergo determinatio præpoſitorum eccleſiæ eſt infallibilis.

Deinde eccleſia docet ex principio infallibili, ergo eius doctrina eſt quoque infallibis, patet conſequentia, quia ſicut in argumentatione concluſio ſequitur naturam medij; ſic in doctrina, & indeterminatione dubij, quale docendi principiū eſt, & cauſa mouens, talis eſt doctrina, & reſolutio. Antecedēs patet: quia Spiritus Sāctus Magiſter veritatis infallibilis docet eccleſiam circa fidei determinationem, quod ex multis ſcripturis patet. Dicit Chriſtus Apoſtolis ſuis, quos eccleſiæ magiſtros conſtituerat. Paraclitus manebit vobiſcum in æternum, ſpiritus veritatis ille vos docebit omnia Ioan. 14. Hoc autem idem Chriſtus poſtea in eodem ſermone repetit, & deindū patrem orat pro iſta infallibilitate perdocendi veritatem in eccleſiæ ſuæ magiſtris perpetua manſuram. Ego inquit, dedi eis ſermonem tuum, ſanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas eſt, ſicut tu me miſiſti in mundū, & ego miſi eos in mundum Ioan. 17. Hæc autem ſanctificatio eſt participatio Spiritus Sancti, (ait Cyrillus Alex. lib. 11. cap. 25. in Ioan.) ad intelligendas recte ſcripturas, & omnia eccleſiæ dogmata.

Cyri. Ale. Iterum Eccleſia propter doctrinæ infallibilitatem in perpetuis magiſtris ſuis multos habet in ſcripturis certitudinis, & infallibilitatis titulos, ergo de illa dubitare eſt ſcripturis apertis contradicere, probatur antecedens. Vocantur eccleſię magiſtri lux mundi, & ſal terrę Matth. 5. Vocatur ipſa eccleſia propter talia luminaria ab Iſaia ca. 26. voluntas Dei in ea, ab Oſſea c. 2. Deſponſata Deo in fide, nec in æternum derelinquenda. Ab Apoſtolo Paulo Corpus Chriſti, & plenitudo eius, & ſponſa eius, ad Eph. 1. 4. & 5. denique columna, & firmamentum veritatis. 1. Tim. 3. Quæ verba quantum valeant hoc loco explicandum eſt. Eccleſia eſt veritatis omnis reuelatæ (ordinarie loquendo) quo ad fideles columna, quo ad fidem ipſam firmamentum; fideles enim eccleſiæ magiſterio tamquā immobili columnæ innituntur, ſic præcipuos Apoſtolos vocat Paulus columnas ad Gal. 2. fides autem ab ipſa eccleſia tamquam teſte veriſſima, quo ad acceptionē noſtram firmatur, ideſt à nobis firmiſſime creditur. Hinc D. Auguſt. eccleſiæ fidem fundatiſſimam vocat. epiſt. 89. *D. Aug.* conſuetudinem eccleſiæ fundatiſſimam appellat. ſer. 14. 5. Concl. de verbis Apoſtoli, & morem fundatiſſimum epiſt. 28.

Quinta Concluſio. Non ſolum eccleſia antiqua in fide errare non potuit, ſed ne eccleſia quidem quæ nunc eſt, quæve futura eſt vſque ad conſummationē ſeculi errare in fide, aut pōt, aut poterit. Hæc cōcluſio ponitur pp Lutheranos hæreticos: Nam quod eccleſia non poſſit errare in fide, & moribus hæretici abſolute concedunt, tum quia ſancta ſine macula, & ruga, & quia eſt columna, & firmamentum veritatis; & Chriſtus id promiſit Matth. & 28. & Lucæ, 22. & Io. 14. vt in ſuperiobus dictum eſt. Tum etiam quia ſi poſſet errare ipſa, quæ eſt magiſtra, columna, & firmamentum veritatis; iam recurrentibus ad eam non eſſet ſalus, nec infallibilis regula veritatis circa dubia fidei, & morum. Verum dicunt hoc tantum verificari de primitiua eccleſia Apoſtolorum, & euangeliſtarum, & per aliquot ſubſequētia tempora, ſed à trecentum annis dicunt eccleſiam Catholicam abſconditam occultāmq; manſiſſe cum eius vera fide apud quoſdam dumtaxat, quam nunc euā dicunt per ipſos de tenebris reductā in lucē atq; adeo eccleſia, quæ nūc eſt videlicet Romana ne dū poſſe, verū de facto in multis errare.

Sed certe hic eorum error ex alio errore ipſorum naſcitur, vel illi connexus eſt, quo dicunt eccleſiā Catholicam eſſe inuiſibilem, & in ſolis iuſtis, & prędeſtinatis ſoli Deo notis eſſe. Quod ſupra falſiſſimum eſſe probauimus. Sed nunc alio modo cōtra eumdā argumētor errorē: nā ex eo euidentiſſime ſequitur contra Chriſti Dñi promiſſionē, quod portę inferi præualuiſſent aliqñ contra eccleſiam, & eius fidem. Nam quæro ab eis quō tanto tempore eccleſia Catholica, & eius fides latere potuit? certe non niſi altero ex duobus modis. Primo quod oēs fideles ex obliuione veræ doctrinæ euangelicæ, aut ex timore, ignorantia, vel alia quacunq; cauſa in errorem inducti ſunt; aut. Secundo propter aliquam cauſam de prædictis fideles omnes tacuerunt, neque ſuam veram fidem manifeſte confiteri; neque falſæ doctrinæ reſiſtere auſi ſunt, aut potuerunt, atq; ita latuerunt. Si primo modo factum eſt: iā tota eccleſia Catholica cum vera eius fide pro illo tempore omnino perijſſet, quod eſt contra Chriſti ſponſionē. Et portæ inferi &c. ſi ſecundo modo factum eſſe dicatur, iā confeſſio fidei ēt perijſſet: quæ tñ ad Rom. 11. neceſſaria eſt ad ſalutem, & conſequēter portæ inferi præualuiſſent contra eccleſiam Catholicam, & fidem eius, dum falſa doctrina, aut perſecutio, aut alia peccata adeo præualuerunt, vt veram fidem totam eccleſia Catholica manifeſte non confiteretur. Igitur eadem lege promiſſionis Chriſti qua portæ inferi non præualebunt contra eccleſiam, & veram eius fidem, fit vt tota ipſa eccleſia Catholica eiuſque fides, & confeſſio vbique occulta, vel abſcondita vllo vnquam tempore in mundo eſſe non poſſit.

Maxime quia ſic Chriſtus edocuit: dum Matth. 5. ait non poteſt Ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. Et nemo accendit lucernā, & in abſcōdito ponit. Et vos eſtis lux mundi, & Matth. 10. Quod in aure auditis prędicate ſuper tecta, & Lucæ 9. Qui erubuerit me, & ſermones meos &c. Quæ omnia in Apoſtolis, & pontificibus, & Doctoribus eccleſiæ in munere docendi fidem illis ſuccedentibus ſpecialiter dicuntur. Sed reuertamur vnde digreſſi ſumus nempe ad probandum concluſionem noſtram, quæ intelligitur de eccleſia Catholica pro omni tempore, & de illa etiam quæ eſt in Chriſtianis temporis huius, & ſemper erit; ab illa primitiua, quæ fuit tempore Apoſtolorum per ſucceſſiones epiſcoporum, & propagationes eccleſiarum particularium diffuſa per totum orbem, & deriuata, & cum illa communicans in eadem fide, & lege, & ſacramentis capite principali Chriſto, & ſpiritu Dei inuiſibiliter. Papa autem Vicario illius viſibiliter eam regente eadem penitus eccleſia catholica eſt, nunquā enim eccleſia Catholica deſijt, aut deſinet eſſe ſancta, & in vera fidem firmata, & permanens omni tempore.

Probatur aūt concluſio ſic. Pollicitationes Chriſti de pręſentia ſua; de ſpiritu veritatis, de regno ipſius ſempiterno, de corpore cuius ipſe erat futurus caput, non ad eccleſiā modo, quæ fuit tempore Apoſtolorum, verum etiam ad eccleſiā Catholicā, quæ futura erat in ſæculi finē pertinere neceſſe eſt, probatur: nam ꝙ promiſſiones illę non modo ad Apoſtolos, ſed ad ſucceſſores ēt referri oporteat, ex ipſiſmet Chriſti Domini verbis manifeſtum eſt. Qui maneat vobiſcū in æternū, quod illi ſimile eſt. Ecce ego vobiſcū ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſæculi. Rurſum ex eo quoq; patet ſanctifica eos in veritate, ſermo tuus veritas eſt. Pro eis ego ſanctificabo me ipſum, vt ſint, & ipſi ſanctificati in veritate. Non pro eis aūt rogo tantum, ſed pro eis, qui credituri ſunt per verbū eorum in me. Huius autem promiſſionis videtur Iſaias non modo vates illuſtris, ſed interpres. Spiritus meus inquit, qui eſt in te non recedet de ore tuo, & ore ſeminis tui à modo, & vſque in ſempiternum. Iſa. 59. Quem igitur ſpiritum veritatis Chriſtus promiſit Apoſtolis, eccleſiæ, ne poſt eos futuræ promiſit, niſi velimus eccleſiam defunctis Apo-

ctis Apo-

Digitized by Google

ctis Apoſtolis fuiſſe à Domino deſtitutam: imo vero ad ea nec conſilia nec præcepta euangelij pertinere, ſi quidem quæ Dominus Apoſtolis loquebatur, hæc ad illos duntaxat non ad futuros in eccleſia poſt eos ſpectare dicuntur. Quo quid ſtultius dici poteſt?

Præterea verba Chriſti ad Apoſtolos dicta nõ poſſunt ad illos ſolos pertinere ſed ad eorum ſucceſſores neceſſario extendi debent, ergo, &c. probatur antecedens quia illa verba pertinent ad poteſtatem illorum Paſtoralẽ, & ordinariam, nempe ad poteſtatem prædicandi verbum Dei, ad quod pertinet determinatio dubiorum in fide, & adminiſtrandi ſacramenta à Chriſto inſtituta; & hoc ſenſu præter Apoſtolatus dignitatem erant etiam Paſtores, & Doctores Eccleſiarum illarum, in quibus ſedes fixerũt. Sic Iacobus Apoſtolus Hieroſolymorum Epiſcopus ſeu Paſtor ab Apoſtolis creatus eſt, vt refert Euſebius lib. 2. c. 23. & Hieronymus in cathalogo virorum illuſtrium,

Euſebius. Hieronym. Chriſoſt. vel potius ab ipſo Petro, vt Chriſoſt. affirmat homil. 87. in Ioan. Sic Petrus Romæ ſedit teſte Hieronymo ibidem, & Ioan. Epheſi teſte Euſebio lib. 4. cap. 6. & Hieronymus in Cathalogo, & D. Paulus hoc ſenſu vocat ſe miniſtrũ Chriſti, & diſpenſatorem myſteriorum Dei 2. Corinth. 5. Sed hæc poteſtas docendi, & paſcendi ordinaria tranſit ad ſucceſſores, ergo &c. Probatur minor ex ſcripturis ad Epheſ. 4. Chriſtus dedit Eccleſiæ Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Paſtores & Doctores ad conſumationẽ ſanctorum, in opus miniſterij ad ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus in vnitatem fidei, &c. Conſumatio ſanctorum eſt confirmatio, & corroboratio ipſorum iam fidelium, de qua principaliter Petro dictum eſt lucæ, 22. Confirma fratres tuos, ſcilicet in fide, & doctrina eius. Opus miniſterij eſt prædicatio verbi, & diſpenſatio myſteriorum Dei; Aedificatio corporis Chriſti eſt collectio ad fidem per prædicationem: at in his tota conſiſtit poteſtas docendi, & paſcendi oues Chriſti, & quæ in Apoſtolis fuit ordinaria.

Sed expreſſit hoc diſertiſſime Paulus ad Timoth. ſcribens. Quæ audiſti à me per multos teſtes, (ideſt quæ te audiente publice in Eccleſia docui) hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere. 2. Tim. 2. Tranſijt ergo ad Epiſcopos (talis enim erat Timotheus per impoſitionem manuum Pauli. 2. Timoth. 1.) quæ in Apoſtolis erat docendi poteſtas, cum poteſtate etiam eadem ad alios deriuandi.

Deinde finis dati in Eccleſia myniſterij non ſecus ſpiritus ſancti aſſiſtentiam requirit in ſucceſſoribus Apoſtolorum, quam in ipſis vt patet ex eadem D. Pauli authoritate ad Epheſ. 4. Nam huiuſmodi myſterij Eccleſiaſtici finis in perpetuo decurſu Eccleſiæ eſt, ſic paſcere, & docere ouile Chriſti, vt ab omni errore conſeruetur, propter hoc enim dedit Deus Eccleſiæ Paſtores, & Doctores, &c. donec occurramus omnes in vnitatem fidei, hoc eſt vſq; dum fiat vnum ouile, & vnus Paſtor, & vt non circumferamur omni vento Doctrinæ in nequitia hominũ, in aſtutia, & circumuentione erroris, atq; adeo Eccleſiæ doctrina debet eſſe infallibilis: nam omne agens agit propter finem. Præterea & potiſſimum, quia Chriſti promiſſiones diſerte ad perpetuitatem deſtinãtur. Manebit vobiſcum in æternum. Ioan. 16. omnibus diebus vſq; ad conſumationem ſeculi Matth. vltimo, donec occurramus omnes in vnitatem fidei Epheſ. 4. ergo promiſſiones Chriſti Apoſtolis factæ ad ſucceſſores neceſſario extenduntur. Cuius rei luculentus teſtis eſt antiquiſſimus Irenæus lib. 3. cap.

Irenæus. 3. ſcribens ab Apoſtolis cõſtitutos eſſe in Eccleſijs Epiſcopos, quos & ſucceſſores relinquebant, ſuum ipſorum locum magiſterij illis tradentes, Ideoque omnia fidei myſteria illis patefaciẽtes, vt in omnibus perfecti, & irreprehenſibiles eſſent; atque hoc reſpectu ideſt propter Epiſcopos, & Presbyteros ab Apoſtolis conſtitutos vocat Iræneus Eccleſiam amplum quoddam, & diues depoſitorium in quam pleniſſime omnia, quæ ſunt veritatis Apoſtoli contulerant lib. 3. cap. 4. & lib. 5.

6. Concl. Sexta Concluſio. Non ſolum vniuerſalis Eccleſia ideſt omnium fidelium collectio hunc ſpiritum veritatis ſempiternum habet, ſed eumdem habet etiam Eccleſiæ Principes, ac Paſtores; diximus enim notabili tertio, Eccleſiæ vocem, & pro populo fideli, & pro Eccleſiæ Paſtoribus vſurpari, primum probatum eſt ſuperioribus concluſionibus, ideſt quicquid Eccleſia ideſt omnium fidelium coetus tenet verum eſſe. Hæc autem concluſio illud affirmat Paſtores, & Doctores Eccleſiæ in fide errare nõ poſſe, ſed quicquid fidelem populum docent, quod ad fidem Chriſti attinet, eſſe veriſſimum; Eſt vero ſenſus concluſionis, Paſtores omnes ac Doctores à fide nunquam poſſe aberrare: Nam Paſtoris vnius, & alterius, error, Paſtorum omnium fidei non derogat; ſicut nec paucorum ſane fidelium error, fidei derogat populi Chriſtiani, & in hoc ſenſu intellecta concluſio euidenter probatur teſtimonio Apoſt. ad Epheſ. 4. Et ipſe dedit quoſdã Apoſtolos, quoſdam autẽ Prophetas, alios vero euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſumationem ſanctorũ, &c. ſanè ſi Paſtores, & Doctores huc, atque illuc errarent, à rectoq; fidei tramite diſcederent, oues profecto etiam ipſæ errarent, nec aliter ſine Paſtore diſperſæ vagarentur. Cũ Paſtor enim per abrupta graditur, neceſſe eſt, (vt Greg. ait) vt per præcipitium grex ſequatur, ergo ſi omnes Paſtores errarent, atque Doctores, & oues omnes errarent; Nam Paſtores, & Doctores dati ſunt eccleſiæ à Chriſto Domino, vt ipſi eam docerẽt, & ab erroribus rudem populum eriperent, vt non circumferantur omni vento Doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris; ſi autem omnes Paſtores, & Doctores eccleſiæ errarent, non poſſent eccleſiam ab hæreticorum erroribus eripere. *D. Gregor.*

Præterea eccleſia non poteſt errare, ergo neque omnes Paſtores, & Doctores ſimul; probatur conſequentia: quia quælibet Reſp. eſt illud, quod in ea eſt principale, vt diximus tertio, notabili ex Ariſt. 9. Ethy. cap. 9. Quod enim ſeniores Reipub. faciunt & ſentiunt; hoc ipſum dicitur ciuitas facere, & ſentire, ergo ſi Paſtores, & Doctores omnes eccleſiæ errarent, eccleſia diceretur errare.

Præterea error omnium Paſtorum, & Doctorum ſtatim in vniuerſalem eccleſiam refunderetur, etiã tota eccleſia erraret. Probatur: quia ſi Paſtores omnes in errore aliquo verſarentur, ijdem omnino populum, aut de ſtatu ſuo, & ſede mouerent, aut certè mutare facerẽt, fluctuare, & vaccillare, atque ita eccleſia Chriſti non eſſet columna, & firmamentum veritatis. Nam faciamus ſimul omnes epiſcopos in eamdem ſententiam conuenire, hancque populo rudi credendam proponere; Tunc quæro an populus hos ſequi debeat an non? & certum eſt quod ſic: quia Matth. 23. dicitur Super cathedra Moyſi ſederunt ſcribæ, & Phariſæi, omnia quæcunque dixerint vobis ſeruate, & facite &c. ergo errantibus ſacerdotibus, & epiſcopis plebs quoque erret neceſſe eſt, atq; adeo tota eccleſia.

Ad argumenta pro ſententia hereticorum reſpõdetur; & ad primum dico hanc infallibilitatem docentis eccleſiæ non ſine ſtudio, & induſtria comparari iuxta quartum notabile, & ad inconueniens, quod adducitur dico, illud nullum eſſe: quia Deus qui diſponit omnia ſuauiter dans ipſum finem, dat etiam media ad finem neceſſaria, & conſeruat à medijs, quæ finis conſecutionem impediunt. Sic prædeſtinationis effectus non ſolum eſt vita æterna, ſed etiam media, quę ad illam perducunt, vt vocatio ad fidem, gratia, perſeuerantia ſunt eiuſdem effectus. Quare quemadmodum ſi cui diuinitus reuelaretur vel ſua, vel alterius ſaluatio æterna, is Deo hoc reuelanti ſimpliciter credere debet, etiam ſi media ad ſalutem explorata non habeat: quia tamẽ ſine debitis medijs ſe conſequi non poſſe certo cognoſcit, Impius autem foret ſi credere recuſaret, quia media adhuc ignorat, ſicut Zacharias grauiter peccauit, qui Angelo ſimpliciter non credidit, ſed medijs percontatus aiebat. Vnde hoc ſciam? Lucæ, primò Sic omnino poſtquam nobis in ſcriptura reuelatum eſt, quod eccleſia per aſſiſtentiam ſpiritus ſancti in omnem veritatem inducetur (quod eſt infallibiliter docere) de hoc amplius dubitare non debemus, & ſi media, quibus in docendo eccleſia vti debet, vt infallibiliter doceat explorata non habemus; ſed eccleſię docenti ſimpliciter credere, & acquieſcere, atque in Chriſti manifeſtis promiſſionibus conquieſcere oportet. Et hic obiter obſerua hereticos hodie, qui veri nominis fidem nullam aliam eſſe volunt, quam quę promiſſionibus Chriſti nititur, hoc tamen in loco Chriſti promiſſiones de eccleſię ſuę firmitate *Nota, contra heręticos.*

per

per ſide negligere,& nullo planè loco habere, atq; ita vel proprium fidei obiectum in ſenſu ipſorum impie reijcere, vel pro ſuo libito fidei obiectum modo ad ſolas Chriſti promiſſiones reſtringere modo etiam ab ipſis promiſſionibus excludere.

Ad ſecundum dico Eccleſiæ infallibilitatem, ſecundo modo fieri, nempe circa concluſiones tantum; & nō ſēper circa media, & ad improbationem dico nullam eſſe conſequentiam: quia procedit de argumentatione ſcientifica, & in materia naturali. Sed doctrina fidei, quia non ſcientiam, ſed fidem generat, & materiam habet ſupernaturalem, propterea concluditur per Eccleſiam ex principio ſupernaturali, & infallibili; vt ſupra probauimus; nec naturam mediorum ſequitur concluſio, ſed ſpiritus ſancti ſuggeſtionem. Cauſa eſt quia eſt concluſio fidei, non ſcientiæ, & credenda proponitur, non probatur ſcienda; nec ex demonſtratione ad videndum, ſed ex reuelatione ad credendum profertur, non ratione, ſed authoritate nititur, nec argumentis, ſed teſtimonio comprobatur. Quare ſi alicui concluſioni in materia fidei, propter media tantum, & argumenta quibus probatur aſſentiret, aſſenſus ille meus non fidei aſſenſus, ſed ſcientiæ habitus eſſet, cauſæ etiam aliæ ſunt, vt in notab. 7. & 8. oſtendimus.

Ad tertium patet reſponſio ex decimo notabili, & ad inconueniens illatum, ex ſexto.

ARTICVLVS X.

Vtrum Eccleſia habeat certas regulas quibus vtitur ne poſsit errare, & quæ ſint.

Medium ad aliquid determinādū tribus modis conſiderari poteſt.

PRo ſolutione huius difficultatis obſeruandum eſt, regulam atque mediū pro eodem ſumi in hac quæſtione. Medium autem ad aliquid determinādum, & concludendum tribus modis intelligi poteſt. Vno modo pro efficiente cauſa ſeu principali, ſeu inſtrumētali talis determinationis; quales ſunt ſpiritus ſanctus Eccleſiæ promiſſus, qui ipſam Eccleſiam docet intus in corde operans, & ipſi Eccleſiarum Magiſtri qui alios docent; per illos enim, & illorum operatione mediante fit determinatio, ſed hoc ſenſu media hoc loco non accipimus: cauſam enim potius, quam medium determinandi illa ſignificāt. Alio modo pro medio argumenti vnde aliquid formaliter, & ſyllogiſtice cōcludatur, & ſic ſcriptura ſacra, vel doctrina aliqua nō ſcripta, ſed ab Apoſtolis tradita, eſt proprium, & neceſſarium argumentandi medium in ſcientia Theologica, vt docet S. Thom. 1. par. quæſt. 1. artic. 8. Sed nec hoc ſenſu media hoc loco proprie accipimus: quia non ipſa fidei noſtræ fundamenta hic quærimus (quæ in genere in ipſa Eccleſiæ authoritate conſiſtunt, in ſpecie vero vnum quodque dogma in verbo Dei ſcripto vel non ſcripto habet) ſed media quibus hæc ipſa fundamenta ad notitiam noſtram perueniant, tertio modo media demonſtrandi fidem ſignificant viam, & rationem, ſeu modum, quem Eccleſia ſeruat, & ſequitur, cum aliquid de fide iuxta fundamēta prædicta ſcripturas, & traditiones Apoſtolicas definite vult. Quia videlicet quicquid Eccleſia determinat, ſiue ipſam ſcripturam contra negantes eam; ſiue ſenſum ſcripturæ contra deprauantes eam; ſiue aliud aliquod de fide dubium dogma, certa quadam via, & ratione certo modo, & per certa media hoc totum facit, illa autem media hic inueſtigamus.

D. Thom.

Quid ſit regula fidei.

Secundo obſer. eſt, quod Regula cuiuſcunque rei tam in ſcientijs, quam in artificialibus normam quamdam, & certum atque præſcriptū modum ſignificat: iuxta quem ea, quæ illius ſcientiæ, aut artis ſunt diriguntur, & limitantur. Tales ſunt in ſcientijs regulæ grammaticales, Dialecticæ, Geometricę; Phyloſophicæ ſiue Ethycæ, ſeu Phyſicæ. In artibus fabrorum architecturæ, & Nauticæ artis regulæ. Sic & Religio ac fides habet doctrinæ regulam, limites certos, atque præſcriptos, quos neque tranſilire licet, neque nō attingere, de hac Apoſt. dicit Verumtamen ad quod peruenimus, vt idem ſapiamus in eadem permaneamus regula ad Philip. 3. Hanc etiam vocat doctrinæ ſuæ formam. Obſeruate eos, qui ita ambulāt ſicut habetis formam noſtram ibidem. Hanc formam, & regulā Apoſtolicam. Patres traditionem Apoſtolicam vocant. Si Apoſtoli non reliquiſſent nobis ſcripturas (ait Irenæus) non ne oportebat ordinem ſequi traditionis, quam tradiderunt his, quibus committebant eccleſias: hęc ille lib. 3. capit. 4. Sic Origenes. Cum multi ſint inquit, qui ſe putent ea ſentire, quæ Chriſti ſunt, & nonnulli eorum diuerſa à patribus ſentiāt, ſeruetur vero eccleſiaſtica prędicatio per ſucceſſionis ordinē ab Apoſtolis tradita, & vſque ad præſens in eccleſijs permanens illa ſola credenda eſt veritas, quæ in nullo ab eccleſiaſtica traditione diſcordat, hęc ille in proemio libri de Principijs.

Irenæus.

Origenes.

Tertio obſer. eſt quod hęc fidei regula, & forma, ſeu traditio tribus modis conſiderari poteſt, primum vt regula ſummaria, atque contracta, quę ipſum tātum totius fidei caput, & fundamentum, qualique radicem tectam comprehendit: Hanc regulam Chriſtus tradidit, vocans eam vitam ęternam: quia ſemen eius eſt. Hęc eſt inquit vita eterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quē miſiſti Ieſum Chriſtum Ioa. 17. Hanc Paulus vocat verbum Dei, quod prędicamus, confiteri orē Chriſtum Ieſum, & corde credere: quia Deus illum ſuſcitauit a mortuis. Roman. 10. Hoc eſt Verbum abbreuiatum, & regula breuiſſima fidei noſtrę. Alio modo regula fidei conſideratur, vt in certos articulos diſtincta, capitales tamen, & generales, quique multorum aliorum articulorum ſemina, & principia ſunt, vt alibi dictum eſt. Et hęc regula principia complectitur fidei Chriſtianę. Hęc regula ſymbolum Apoſtolicum eſt, tertio modo Regula fidei conſiderari poteſt, vt ipſas fidei concluſiones omnes (non principia tantum) & notas determinationes ab eccleſia factas, vel in eccleſia Catholica vniuerſaliter receptas, & creditas complectitur, & hęc eſt regula fidei explicata, qualia concilia generalia poſtea ediderunt, nouis ſemper incrementis, quo ad explicationem aucta.

Regula fidei tribus modis ſumitur.

Ex dictis ſequitur, quòd eccleſia quatuor habet Regulas, ad non errandum circa determinationem eorum, quę ſunt fidei, ſcilicet ſcripturam diuinam; traditiones Apoſtolicas communem ſenſum eccleſię, & definitionem Pontificum, & Cōciliorum; de hac vltima, ſcilicet de Papa, & concilijs infra latius agemus, modo de alijs diſſerendum eſt.

Eccleſia quatuor habet regulas ad non errandum.

Et primo de ſcriptura diuina; quę eſt communis regula hæreticis, & nobis, & in illa eſt diuina veritas infallibilis: quia continet immediatam Dei reuelationem de qua veritate teſtimonium perhibet ipſamet ſcriptura, cuius teſtimonium verum eſt: ſicut enim Verbū diuinum incarnatum de ſe teſtimonium perhibet Ioa. 8. & eius teſtimonium verum eſt; Ita verbum diuinum ſcriptum teſtimonium perhibet de ſe, & teſtimoniū eius eſt verum. Preterea ſpiritus ſanctus per fidem infuſam teſtimonium perhibet in noſtro corde de veritate ſcripturæ diuinæ; & ipſamet eccleſia, & conſonantia inter omnes ſcripturæ diuinæ partes, & inter ipſam ſcripturam, & rationem naturalem; illa etiam omnia, quæ faciunt articulos fidei euidenter credibiles, faciunt etiam euidenter credibilem veritatem infallibilem diuinæ ſcripturę.

Prima Regula.

Item in ſcriptura ſunt illa, quæ ponit ſapiens Eccleſiaſtici 24. hæc omnia liber vitæ, & teſtamentum altiſſimi, & agnitio veritatis, liber vitæ ideſt medicina vitalis, teſtamentum altiſſimi, quia eſt teſtamentum Dei; & agnitio veritatis: quia repugnat in ea eſſe mendacium. Vnde D. Paulus 2. ad Timoth. 3. dicit. Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ſcilicet veritates; ad arguendum, ſcilicet falſitates, & ad corripiendū, ſcilicet vitia. Et D. Petrus. 2. epiſt. cap. 1. inquit, & hanc vocem nos audiuimus de cœlo allatam cum eſſemus cum illo in monte ſancto, & habemus firmiorem propheticū ſermonem, ideſt diuinam ſcripturā, & Paulo poſt hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia ſcripturæ propria interpretatione non fit, ſed ſpiritu ſancto inſpirante, ideſt ſpiritu ſancto dictante, locuti ſunt ſancti Dei homines, ideſt Prophetæ. Ideo autem quidam elegantiores, & eloquentiores ſunt alijs, quia ſpiritus ſanctus conformat ſe inſtrumentis, quibus vtitur, ſicut vnico calamo multi diuerſę ſcribunt.

Ex quo ſequitur, quanta reuerentia tractanda ſit ſcri-

ptura

ptura diuina. Eſt enim opus diuinum factum ſpiritu ſancto dictante verba, & ſuggerente, iuxta illud. Lingua mea calamo ſcribe velociter ſcribentis. Pſalm. 44. & 2. Regu. 3. Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam; & Ieremiæ 36. interrogatus Baruch. Indica nobis quomodo ſcripſiſti omnes ſermones iſtos ex ore eius ideſt Ieremiæ Reſpōdit ex ore ſuo loquebatur quaſi legens ad me omnes ſermones iſtos, &c.

Scriptura diuina plures cōtinet libros canonicos, et plures ſenſus.

Iſta ſcriptura diuina plures continet libros, qui appellantur Canonici, & regulares; quia ſunt regula fidei, & diuinæ veritatis, & iſti ſunt, qui approbantur ab Eccleſia in Concilio Tridentino ſeſſ. 4. & debemus credere eſſe iſtos, quos habemus in Biblia, & videmus eſſe ſcripturā, & credimus eſſe diuinam, & reuelatam à Deo; & Cum hæc ſcriptura habeat plures ſenſus, ſcilicet Annagogicū, allegoricum, tropologicum, & litteralem, litteralis non poteſt intelligi proprio ſpiritu, vt perperam dicunt hæretici; ſed ſenſus litteralis eſt, quem ecclesia approbat, & ſancti. Nam & ſi verum ſit Interpretationem, & declarationem ſcripturæ, & verbi Dei non niſi ſpiritu diuino fieri debere, & hunc ſpiritum his aut illis perſonis haud eſſe alligatum; quia ſingulis diuidit pro vt vult 1. Corint. 12. Cæterum cum non ſit Deus diſſenſionis, ſed pacis, & vnitatis, fit vt nulla reuelatio vera credenda ſit, niſi doctrinæ & traditionibus ecclesiæ, & Patrum eius ſit conſona; imo dum de illa dubium, aut incertum eſt Cum 1. Ioan. 4. ſpiritus probandi ſint, & ordo ſimul, & magiſteriū certum doctrinarum, & reuelationum ſit in ecclesia, fit certe, vt nulli circa hæc credēdum ſit, quouſque per certum Iudicium Eccleſiæ, puta maiorum eius, examinatus approbetur, imo neque in publicum ea priuata doctrinæ reuelatio vulganda, neque diuina iudicanda eſt, niſi viſibilibus ſignis eius miſſio, & reuelatio prædicta apud Prælatos ecclesiæ ſufficienter oſtendatur, vt in cap. ex iniuncto de hæreticis iam decreuerit ecclesia.

Senſus litteralis ſcripturæ non poteſt intelligi proprio ſenſu.

Adde, quòd ſcriptura Iudex eſt mortuus, qui nec litigantium vnquàm rationes audire, nec ſeptentiā ipſe eloqui valet. Accedit quòd ſi in humana aliqua Repub. talis iudiciorum eſſet forma præſcripta, vt nulli eſſent iudices viui, ſed ſolis exaratis litteris pro cuiuſcunque capitu controuerſia quæcunque de illius Reipub ſcripturis ex orta finiretur, Præter quam quod forma iudicandi ſtultiſſima eſſet, nullus etiam eſſet litigandi finis. Ei enim qui negat inſtrumentum, nulla vis inferri queat, ſi viui iudices nulli habeantur. Ita Deuteronom. 17. non ad ſcripturam diſſidentes homines referuntur, ſed ad viuorum examen, & iudicium, & Malachiæ, capitulo ſecundo, labia inquit ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent de ore eius; de ore eius ait non de lege ipſa, & Actor. 15. Non ad ſcripturam appellauerunt Antiocheni, vt intelligerent an verba Pauli diuina eſſent, ſed ad Apoſtolos & ſeniores, qui erant in Hieruſalem, quæ omnia euidenter oſtendūt legitimum litteralem ſcripturæ diuinæ ſenſum non ex proprio capite; ſed ex ecclesiæ, atque ſanctorum Patrum explicatione accipiendum eſſe.

Sexto Synodus.

Propter quod in ſexto ſynodo generali ſeſſ. 13. damnati ſunt Origeniſtæ, quod expoſitiones nouas contra maiorum traditionem conati fuerint introducere. Multa alia (ait Sophronius) extra Apoſtolicam, & paternam traditionem aſſeuerarunt, Paradiſi plantationem proijcientes, in carne Adam formatum fuiſſe nolentes, ex eo euam formatam fuiſſe vituperantes, ſerpentis ſonitum reſutantes. Hactenus ille. Eſt autem probata hęc ſophronij epiſtola ſynodica act. 13. eiuſdem, ſexti Concilij Generalis.

Sophron.

Concilium Trullanū.

Deinde Canon. 19. ſynodi Trullanæ ſic habet. Oportet eos qui præſunt Eccleſijs, Clerum, & Populum docere, ex diuina ſcriptura colligentes intelligentias, & iudicia veritatis, & non tranſgrediētes iam poſitos terminos, vel diuinorum Patrum traditionem, ſed & ſi ad ſcripturam pertinens controuerſia excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quam quomodo Eccleſiæ luminaria, & Doctores ſuis ſcriptis expoſuerunt, & maiorem ex his laudem aſſequantur, quam ſi ea, quæ à ſe dicuntur componant; Ne dum quandoque ad id heſitant, ab eo, quod conuenit excidant. Hactenus Concilium Trullanum.

Concilium Vien.

Ad hæc cum de intelligentia illius teſtimonij Ioan. Euang. Ad Ieſum autem cum veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, &c. inter fideles quæſtio eſſet exorta, eaq; ad Viennen. Conciliū referretur. Clemens Concilio præſidens ita loquitur. Nos ad ſanctorum patrum, & doctorum communem ſententiam Apoſtolicæ conſiderationis aciem conuertentes ſacro approbante Concilio declaramus, &c. ſedes ergo Apoſtolica, & Viennenſe Concilium, cum de fide, & ſacrarum litterarum intelligentia pronunciant, ſanctorum communem ſenſum, tamque Theſei filium tenent, eoſque quaſi duces intelligentiæ ſequuntur.

Concilium latera.

Concilium quoque lateranenſe ſub leone decimo act. 11. Præcipit omnibus, qui euangelicam veritatem docturi ſunt, vt ſanctam ſcripturam iuxta interpretationē Doctorum, quos ecclesia, vel vſus diuinus approbauit, explanent, nec quicquam eis proprio ſenſu contrarium, aut diſſonum adijciant; ſed illis ſemper inſiſtant, quæ à præſatorum doctorum interpretationibus non diſcordant.

Concilium Trid.

Eſt preterea Idem definitum apertius in ſynodo Trid. ſeſſ. 4. in hæc verba. Decreuit ſancta ſynodus ad coercēda petulantia ingenia, vt nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium ſacram ſcripturam ad ſuos ſenſus contorqueat, aut contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta Mater ecclesia, aut etiam contra vnanimen conſenſum patrum ipſam ſcripturam ſacram interpretari audeat. Hactenus Concilium Triden.

Ex his omnibus patet, quod ſenſus litteralis ſacrę ſcripturæ nō debet intelligi proprio ſpiritu, ſed legitimus ſenſus litteralis eſt, quem ecclesia approbat, & ſancti; & nota, quòd ſolus ſenſus letteralis probat aliquid eſſe de fide; non autem miſticus, niſi in alio loco ſcripturæ ſit canonizzatus, ſicut illud Deut. 25. Non alligabis os boui trituranti allegorice intelligitur de prædicatoribus & Magiſtris, quos tenentur populus, & diſcipuli alere, eiſque dare victum, & veſtitum, ex dicto tamen loco nō probaretur talem ſenſum eſſe de fide, niſi Paulus 1. ad Corinth. 9. id aſſeruiſſet. Item duo filij Abrahę alter de ancilla, & alter de libera allegorice ſignificant duo teſtamenta, qui ſenſus eſt de fide, quia aſſeritur à D. Paulo ad Galatas quarto.

Secunda Regula.

Secunda Regula, qua vtitur ecclesia ad nō errandum eſt traditio ecclesiaſtica, & Apoſtolica, qui ſecuti ſunt antiqui Patres in rebus fidei definiendis, vt patet ex Concilio Niceno, ſecundo act. ſecūda, vbi approbatur vſus imaginum ex traditione ecclesiæ. Non enim habetur in ſcriptura, & ideo negabatur ab hęreticis, & dicitur occaſione ſumpta ex particulari caſu, ſi quis traditiones Eccleſię ſiue ſcripto, ſiue conſuetudine non curauerit anathema ſit. Idem habetur in Concilio Trident. ſeſſ. 4. Quæ traditiones aliquando ſunt in Concilijs, & decretis Pontificū, aliquando in ſanctis Patribus, aliquando vero in corde Eccleſiæ, & in hyſtorijs Eccleſiaſticis. Vnde Traditio, eſt Catholica doctrina ecclesiæ authoritate roborata de ore ipſos, vſque ad nos accepta; vel vt ex Concilio Trident. loco allegato elici poteſt, eſt doctrina Catholica tū ad fidem, tum ad mores pertinens, vel ore tenus à Chriſto, vel à ſpiritu ſancto dictata, & continua ſucceſſione in ecclesia Catholica conſeruata, atque quaſi per manus tradita, & vſque ad nos perueniens, eiuſdemque Eccleſiæ authoritate roborata. Vnde ſcriptura diuina, & Eccleſiaſtica traditio reducuntur ad vnam regulam, ſcilicet Doctrinā Apoſtolicam, & euangelicam, quæ partim eſt ſcripta, partim vero venit de manu in manum vſque ad nos, & quod ad vnam reducantur regulam patet ex eodem met Concilio loco citato, quod ſacram ſcripturam, & traditiones pari pietatis affectu, ac reuerentia ſuſcipit, & veneratur.

Concilium Nicenum, ſecundum.

Concilium Trident.

Traditio quid ſit.

Traditionū duplex eſt genus.

Duplex eſt autem genus traditionum Apoſtolicarum in ecclesia generaliter receptarum. Primum eſt earum de quibus nullum vnquam dubium fuit in ecclesia, nec initium earum reperitur, ſed perpetuo à tempore Apoſtolorum in ecclesia vniuerſali obſeruatæ ſunt; & has conſtat ab ipſis Apoſt. verbo, & opere traditas eſſe ſecundū Aug. lib. 4. contra Donatiſtas, cap. 24. & huiuſmodi ſunt multa, quæ Baſilius refert lib. de ſpiritu ſancto, cap. 27. vt ſignatio crucis in fronte, & alibi abiuratio ſathanæ à baptizandis, inunctio illorum, baptiſmus infantium, ſacrificium Miſſæ, oratio pro defunctis, vota monaſtica religionis, & multa alia. Secundum genus eſt earum, de quibus aliquando dubitatum eſt, & variæ fuerūt ſententię Catholicorum,

D. Aug. Baſilius.

Digitized by Google

licorum,& eccleſiarum etiam Apoſtolicarum: quia vel ab ipſis Apoſtolis non fuerunt tam clare omnibus traditæ, vel vbique prædicatæ; vel quia non fuerunt ab omnibus fidelibus illius temporis eodem modo, nec tam clare, & plenæ intellectæ,& obſeruatæ: atque ita temporis decurſu magis variatæ, aut dubitatæ ſunt; tamen poſtea vt eſſet omnium in his concordia fidelium in Concilijs generalibus totius orbis definitæ ſunt,& ab omnibus approbatæ, vt eſt celebratio Paſchæ die Dominica, & de alijs quibuſdam feſtis Domini noſtri,& de die Dominica celebranda, & de recipiendo baptiſmo hæreticorum ſecundum Auguſt.lib.2.contra Donatiſtas, cap.7.& ſecundum ipſum lib.2.de doctrina Chriſtiana cap. 8. talis fuit canonizatio aliquorum librorum ſacræ ſcripturæ, vt Thobiæ Judith; Heſter, Macchabeorum. Sapientiæ, eccleſiaſtici, & aliquarum Epiſtolarum Apoſtolorũ, & Apocalipſis, & ſecundum Ambroſium, & Chriſoſt. ieiunium quattrageſimæ, & eiuſmodi alia multa.

D. Aug. *Ambroſ.* *Chriſoſt.*

Traditiones quomodo ſunt recipiẽdæ.

Omnes autem ſupradictæ traditiones primi, & ſecundi generis, quæ generaliter tenentur in eccleſia licet in ſacra ſcriptura non ſint, obſeruandæ ſunt à fidelibus, ſicut ea quę ſcripta ſunt,& valent ad declarationem ipſarum ſcripturarum.: quia ex quo iam hæc in Concilijs ab omnibus definita ſunt,& ab eccleſia generaliter recepta; quę in fide,& moribus errare nõ poteſt, non eſt ſuper his amplius dubitandum, vt ait Auguſtinus.118.Epiſtol. ad Ianuarium, & habetur diſtinct.12.cap.illa, & cap. eccleſiarum dicens. Ea quæ per totum orbem ſeruat eccleſia,& ſcripta non ſunt, certiſſimum eſt ab Apoſt. tradita, vel in Concilijs totius orbis eſſe definita; neque de his omnibus magis dubitandum eſt, quam de ipſa ſcriptura ſacra,& illis contradicere manifeſta inſania eſt, Hæc ille in ſententia obſeruandum eſt tamen, quòd prædictæ traditiones eo modo recipiendæ ſunt, quo traditæ, & per eccleſiam receptæ ſunt, & non aliter. Nam aliquę earum traditæ ſunt tanquam neceſſariæ ad veritatem ſacramentorum, ita quod ſi aliter fiant non erunt ſacramenta, neque ſuum habebunt effectum. Aliquæ ſolum ſub pręcepto, ita quòd ſine eis erit quidem ſacramẽtum,& eius effectus, ſed peccabit mortaliter, aut venialiter aliter faciens, Aliquę ſunt ſolum de conſilio, aut de decentia. Aliquæ ſunt generales pro omnibus,& omni tempore. Aliquæ non niſi ſpeciales pro aliquibus, aut pro aliquo tantum tempore, vel ex cauſa, qua ceſſante ceſſant,& ipſę; vt fuit præceptũ Apoſtolorum de cauẽdo, a ſuffocato,& ſanguine, & Idolothythis. Act. 15. & quod mulier oret in eccleſia velato capite, 1. Corinth. 11. & hæc poſſunt per eccleſiam pro tempore ex cauſa mutari, vt communicare laicos ſub vtraque ſpecie, vel ſub altera tantum,& alia eiuſmodi, quæ ad gubernationem eccleſiæ ſpectant.

Auguſt.

Traditio quomodo cognoſcitur an ſit Apoſtolica.

De quibus omnibus, quando fuerit dubium an ſit traditio Apoſtolica;& quomodo debeat intelligi,& obſeruari regula eſt quam tradit D. Aug. lib.2. de Doctrina Chriſtiana cap.8.& habetur, diſt.19.cap.in Canonicis; Quod illæ traditiones, quę ab omnibus eccleſijs ſine vllo dubio receptæ ſunt, eodem modo ſunt ab omnibus obſeruãdæ; quando vero non ab omnibus, vel non eodem modo recipiuntur, ſequenda eſt authoritas plurium, & grauiorum eccleſiarum, quod ſi Eccleſiæ numero ſint æquales, tunc illę quæ maioris ſunt authoritatis ſequendæ ſunt; hæc ille. Vnde tandem liquet, quod in his non niſi vſus,& obſeruantia eccleſiæ tenenda eſt, & pręcipue Eccleſię Romanæ, quę omnibus prẹſtat, & errare non poteſt diſtin. 11.& 12.

D. Aug.

Quando cenſetur eccleſia aliquas traditiones tenere.

Dicitur autem, & cenſetur eccleſiam talẽ doctrinam, ſenſum,& traditionem tenere, quando Paſtores, atque Doctores eius vniuerſaliter ſine vlla illius contradictione impunita ita tenent, atque conſentiunt. Neque enim in hoc curandum eſt de iudicio vulgi, aut priuatorum hominum: quia in hoc nullum ius habent, ſicut neque in decretis,& geſtis cuiuslibet alterius Reipub. bene ordinatę. Quod etiam inde patet. Quia cum vna eademq; omnium fidelium ſit fides, eiuſque confeſſio, & nec ſuum quiſque ſenſum ſequatur;& vt cõfuſio babilonica caueatur, oporteat ordinem eſſe,& publicum magiſterium, cæteroſque miniſtros miniſteriorũ Dei, & præcipue ad tradendum doctrinam fidei, iuxta id 1. Corinth. 14. omnia honeſte,& ſecundum ordinem fiant in vobis. Hi autẽ miniſtri verbi Dei, ſunt ſolum Paſtores, atque Doctores eccleſiæ, qui Apoſtolis, & Euang. ſucceſſerunt in munere docendi fidem,& euangelium,& ſacram ſcripturã cum dono interpretationum ſermonũ eius ſecundũ id ephes. 4. Dedit quoſdam Paſtores, &c. atque ita in his tantũ accomode, & non promiſcue in tota multitudine Chriſtus dedit eccleſiæ claues regni cœlorum, & poteſtatẽ, & alia munera,& dona illuſtrationis ad eius gubernationem illi promiſſæ. Horum igitur tantum Iudicium, conſenſus,& doctrina ſiue traditio, quam ſequitur eccleſia ab illis edocta; ipſius cenſetur eccleſiæ. Inter quos ad ſummum Pontificem id pertinet,& ea, quæ inter alios dubia ſunt finaliter definire authoritate, cui nulli liceat repugnare, nempe vt ſit ordo per quem in vna Eccleſia ad vnitatem omnia reducantur.

Traditiones omnes ad quinq; capita reducuntur.

Poſſunt autem omnes Apoſtolicæ, & eccleſiaſticę traditiones ad quinque capita reduci. Primum eſt de ſacramentis, & ſacramentalibus, de quibus plurimæ exortæ ſunt hęreſes, contra quas definiuit multa Concilium Conſtantienſe contra Vuicleph, & Hus, & eorum ſequaces; ad quas traditiones reducuntur vnctiones, & exorciſmi; quę fiunt in baptiſmo, ordine,& extrema vnctione.

Secundum caput eſt cultus diuinus exterior, de quo ſunt plurimę traditiones circa locum, tempus,& modum vt quo loco, tempore, & modo ſint ſoluendę horę Canonicę; ad hoc caput reducuntur feſta ſanctorum, & materia de reliquijs, & veneratione ſanctorum, de inuocatione eorumdem, & vſus imaginum, & earum adoratio, & quod Crux eſt adoranda adoratione latrię,& quòd Mater Chriſti Domini ſemper Virgo permanſerit, & quod nunquam actualiter peccauerit, vt habetur in Concilio Trident. ſeſſ.6. Canone 23.

Tertium caput eſt vita monaſtica, cęlibatus clericorũ, de quibus multę ſunt traditiones, inter quas eſt illa illuſtriſſima, quod per votum ſolemne religionis dirimitur matrimonium ratum non conſumatum, non autem per votum Clericorum, ita definitur in extrauagãti antiqua Ioan.22. contra quas traditiones ſunt hęreſes multę damnate in dicto Concilio Conſtan. ſeſſ.8. & 15.

Quartum caput eſt delectus ciborum, abſtinentia à carnibus in Quatrageſima quatuor temporibus, ſextis ferijs,& vigilijs ſanctorum,& quod ieiunemus, de quibus habentur multę extrauagantes, & decreta contra hęreticos hęc deridentes.

Quintum caput eſt Poteſtas eccleſiaſtica, & Iuriſdictio; quę licet fundetur in euangelio, multę tamen ſunt de ea traditiones non ſcriptę. Ad hoc caput reducitur poteſtas legislatiua Pręlatorum obligãs etiam ad peccatum mortale,& poteſtas excommunicandi, & diplomata in quibus conceduntur indulgentię pro vitiis,& defunctis, ex quo ſequitur eſſe Purgatorium,& Poteſtas congregandi Concilium generale, & definiendi de fide ſine errore, & traditio de libris canonicis, & quod non ſint corrupti ab hęreticis, vel Iudęis;& quod Moyſes fuit, primus ſcriptor canonicus, & quod ſcripſit quinque libros, & tradiderit Populo Iſraelitę,& quod Apoſtoli acceperunt à Iudęis vetus teſtamentum,& quod ipſi ſcripſerunt nouum, quod habemus ex traditione eccleſię.

His omnibus expreſſe concordant Ireneus lib. 3. cap. 3.& 4. cap. 43. 44.& 45. Hierony.& Auguſt. Pſal. 86. Dominus narrabit in ſcripturis populorum, &c.& Pſal.44. Pro patribus noſtris nati ſunt tibi filij, &c. Tertull. contra Marcione lib.4.& de corona militis, & Clarius D. Tho. 2.2. quęſt.1. artic.9.& 10. & alij Doct. ſcholaſt. in hoc 3. ſent. diſt.25. Thomas Vuald. in Doct. fidei lib.2. art.2. cap. 20.& 22. Caſtro lib.1. de hęreſibus, capit.4.6. vſque ad 8. Albertus Pighius in ſua Hierarchia lib.1. cap.2. & lib. 2. cap.7.& lib.6. cap.3. Oſius lib.2.3. & 4. contra Brentium. Couar. in reſolut. lib.4. cap.14.& 16. & noſter Medina de recta in Deum fidem per totum lib. ſextum, & 7. atque etiam noſter Horannius de locis Catholicis lib.2. cap. 13. & tandem Canus lib.3. de locis per totum.

Irenæus. *Hierony.* *Auguſt.* *Tertull.* *D. Thom.* *Thomas.* *Vualden.* *Caſtro.* *Albertus.* *Pighius.* *Oſius.* *Medina.* *Couar.* *Horrãtius* *Canus.*

Contra hanc doctrinam traditionum arguunt hęretici, ex illo Deuter.4. Non addetis ad verbum quod loquor vobis nec auferetis ex eo, cuſtodite mandata Domini Dei veſtri, quę ego pręcipio vobis, & c.12. in fine Quod pręcipio

cipio

Digitized by Google

cipio tibi hoc tantũ facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas, & Apoc. 22. Si quis appoſuerit ad hæc apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto, ergo nihil eſt addendum ad ſcripturam. Item Matth. 15. inquit Chriſtus Irritum feciſtis mandatum Dei, propter traditiones veſtras, & Matth. 7. in vanum colunt me docentes Doctrinas, & præcepta hominum ergo, &c.

Præter omnia neceſſaria ad ſalutem, ſunt iam ſcripta per Apoſtolos, & euangeliſtas, non ergo oportet alias traditiones Apoſtolorũ, Eccleſiæ doctrinas vel reuelationes auſcultare ſeu recipere: maxime quia periculũ eſt incerta pro certis recipiendi, vt de B. Cypriano ait D. Auguſt. *D. Aug.* contra Donatiſtas in hoc illum eſſe deceptum, dum putauit eſſe traditionem, & reuelationem eccleſiæ de rebaptizandis hæreticis, quæ non erat, & Antecedens patet per Chriſ. ſuper ad Titum hom. 1. ibi manifeſtauit verbum *D. Chriſ.* ſuum in prædicatione, quæ data eſt mihi, hæc eſt prædicatio, &c. vbi ait. Euangelium continet omnia, & prædicationis verbo omnia concluſit. Item D. Auguſt. ſuper Ioan. *D. Aug.* 11. tract. 49. ait. Non omnia ſcripta ſunt, delecta autem ſunt quæ ſcriberentur, quæ ſaluti credentium ſufficere videbantur. Idem dicit Cyrillus lib. 12. cap. vltimo in Ioa. *Cyrillus.* Non omnia inquit, quæ Dominus fecit ſcripta ſunt, ſed quæ ſcribentes tam ad mores, quam ad dogmata putauit ſufficere, ergo nullum dogma neceſſarium eſt extra ſcripturas.

Præterea ab his quæ in diuina ſcriptura continentur nec Angelo quidem recedere fas eſt, ad Galat. 1. Si quis aliud euangelizauerit præter, quam à nobis accepiſtis, anathema ſit.

Item regula fidei eſt verbũ Dei cuius reuelationi tantum innititur fides eccleſiæ. Pſalm. 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & 2. Petri. 2. Habemus firmiorem Propheticum ſermonem.

Deinde Origenes hom. 1. in Ieremiam ait. Neceſſe eſt *Origenes.* nobis ſcripturas ſanctas in teſtimonium vocare: quia ſine his ſenſus noſtri non habent fidem, & Hierony. in Matth. *Hieron.* 23. Quod ſine authoritate ſcripturæ dicitur, eadem facilitate contemnitur, qua dicitur, & ſuper ad tit. 1. ait. Sine authoritate ſcripturarum garrulitas nõ habet fidem. Item Chriſoſt. in imperfecto ſuper Matth. 24. hom. 49. ait. Hoc *Chriſoſt.* tempore (quo ſcilicet hæreſes vagantur in eccleſia) nulla probatio poteſt eſſe vera Chriſtianitatis, neq; refugium eſt ad veram fidem, eccleſiamque Chriſti cognoſcendam niſi per ſcripturas. Item Auguſt. epiſt. 166. ait. In ſcriptu- *Auguſt.* ris didicimus Chriſtum, & eccleſiam eius, & idem docet tom. 11. contra Epiſt. Petiliani, cap. 2. 3. & 4.

Poſtremo traditiones in eccleſia periculoſæ ſunt fidelibus, ſub fuco enim, & prætextu earum, fabuloſa prædicantur, & docentur, ſicut in Talmudicis Iudæorum traditionibus fieri videmus; ſed & veteres hæretici, traditionibus non ſcriptis nitebantur, vt patet apud Irenæum libro *Irenæus.* 3. cap. 2. apud Tertull. de præſcriptionibus, & apud Aug. *Tertull.* tract. 97. in Ioan. ergo non ſunt admittendæ. *Auguſt.*

Sed antequam hæc argumenta ſoluamus, obiter obſer. eſt, quòd hæretici negantes atque reſpuentes Apoſtolicas & eccleſiaſticas traditiones interdum eas recipiunt atq; adeo & reijciunt, & recipiunt eas pro libito. Nam vt refert noſter Caſtro de hęreſibus, lib. 1. cap. 4. vſq; ad 8. Lu- *Caſtro.* therani contra Anabaptiſtas quaſdã ſcripturas retorquentes, vt eos conuincerent, tandem ad communem ſenſum, & traditionem eccleſiæ appellauerunt, & Oſius in libel- *Oſius.* lo de varietate hæreſum huius temporis folio 18. 23. 28. & in altero lib. 2. contra Brentium folio 10. & 14. & lib. 3. fol. 167. hoc idem ab ipſis lutheranis contra illos, & contra Zuinglianos, & ſacramentarios, & ab alijs contra alios hæreticos inuicem eſſe factum oſtendit. Vnde eorum inconſtantia, ſimul atque perfidia appertiſſime dignoſcitur.

Ad primum dico cũ Caietano, quod addere ibi, idem *Caietan.* eſt quod dicere, præceptum, id quod nõ eſt præceptũ per quod non tolluntur leges, & præcepta habita per traditiones, ſecundo dico, quòd ille locus iubet nihil addi ad doctrinam Moyſis tamquam eius doctrinam; & ſtante illo ſtatu veteri, non pertinent illa verba ad ſtatum noui teſtamenti. Verba Ioan. in Apoc. de illo libro loquuntur, non de tota ſcriptura, & doctrina fidei.

Ad ſecundũ dico primo, quòd Chriſtus arguit ibi traditiones humanas contra legem Dei, traditio autẽ noſtra nunquam, eſt contra legem Dei dico ſecũdo, quòd ibi reprehenduntur traditiones hominũ propria authoritate, traditiones autem noſtræ, ſunt traditiones habitæ authoritate diuina, & naturali, quas Chriſtus non ibi reijcit, ſed increpat relinquentes præcepta Dei propter traditiones ſuas, ait enim hęc oportet facere, & illa non ommittere.

Ad tertium nego antecedens, & ad eius probationẽ. ex Chriſoſtomo dico ipſum ibi loqui de Euãgelio eiuſq; prædicatione in quibus includuntur nõ ſolũ, quæ ſcripta, ſed etiam, quæ verbo tradita ſunt eccleſiæ ſiue fidelibus tenenda, Plus igitur includit euangelium, & eius prædicatio, quam ipſius ſcriptura ſacra. Ad D. Auguſt. dico ipſum ibi loqui de geſtis, & myſterijs Chriſti, quãdo ſcilicet conceptus natus, conuerſatus, & paſſus eſt, ſurrexit, & aſcendit in cœlum, & alijs eiuſmodi; ex quibus dicit delecta eſſe, quæ ſcriberentur, quæ ſufficiunt ad fidẽ de eo habendam, & ad ſalutem; ſunt tamen multa alia, quæ dixit, & fecit ipſe, & Apoſtoli ad fidem, & mores pertinentia, & ſcitu neceſſaria, quæ ſpecialiter non ſcripto, ſed ſolo verbo, & opere tradita ſunt eccleſiæ vti ſuperius probatum eſt, de quibus non loquitur Auguſt. alioqui ſibi ipſi, & alijs Doctoribus, & Eccleſiæ (quod abſit) aperte contradiceret, dico ſecundo, quòd D. Aug. loquitur de ſcripturis ſicut Paulus 1. ad Galat. 1. (ad cuius verba alludit in libro 3. contra Pitilianum, cap. 6.) de ſua prædicatione, illa autem non excludit alia, aut plura quam prędicauit, ſed diuerſa, & contraria ipſo interprete Auguſtino. Tract. 98. in Ioa. vbi ſic exponit. Non ait Apoſtolus pluſquã accepiſtis; ſed præter quam quod accepiſtis. Plus Euangelizare quam ſcriptum eſt, eſt addere ad ædificium, pręter id quod ſcriptum eſt euangelizare eſt relinquere fundamentũ. Vel dicas, quòd doctrina fidei dicitur neceſſaria quatuor modis, vno modo vt cauſa, & principium vniuerſale credendi ſignificat tale ſcilicet, quod ad oĩa, quę credere oportet ſufficienter inducat, & ſi ſingula credenda non exponat, ſicut Chriſtus eſt cauſa, & principium vniuerſale omnis gratię, & ſi aliæ ſint etiam cauſæ gratiæ ſubordinatæ, quę ex virtute generalis cauſę operantur. Sic ſcriptura docens clare; & expreſſe, quę ſit vera eccleſia, & eius authoritas, aliaque principia fidei doctrinalia, docet tamquã in radice, & principio omnia ad ſalutem neceſſaria: quia per eccleſiam cętera diſcuntur, quę ſcriptura tacet, & hoc ſenſu ſcripſit D. Auguſt. lib. 1. contra Creſconium capitulo 33. Quamuis huius rei de ſcripturis Canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen ſcripturarum etiã hęc iure à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod vniuerſæ iam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum ſcripturarum commendat authoritas: vt quoniam ſcilicet ſcriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit huius obſcuritate quæſtionis, eamdem Eccleſiam de illa conſulat, quã ſine vlla ambiguitate ſancta ſcriptura demonſtrat. Hęc ille. Et in hoc ſenſu vere dici poteſt, quod ſola ſcriptura ad fidem tenendam ſufficit.

Doctrina fidei tripliciter dicitur neceſſaria.

D. Aug.

Alio modo doctrina fidei conſiderari põt, vt ſingulare principium, & radix particularis multorũ dogmatũ, quæ ab illa deduci poſſunt. Tale principiũ particulare eſt filiũ Dei incarnatum eſſe, quod aperte ſcriptura docet, itẽ peccatum originale eſſe, in quo oẽs peccauerunt. Deum eſſe vnum in ſubſtantia, bonum, iuſtũ, &c. ſeruanda eſſe mandata; & alia huiuſmodi aperte in ſcripturis poſita, quę pluſ timorum aliorum articulorũ principia, fontes & ſeminaria ſunt, vt de duabus naturis, & vna perſona in Chriſto; de neceſſitate baptizandi paruulos, de vnitate diuinæ naturę in perſonarum diſtinctione, & de alijs multis dogmatibus non aperte ſcriptis, inde tamẽ firmiter deductis. Et hoc etiam ſenſu omnia ad fidem neceſſaria in ſcripturis comprehendi verum eſt, & patres docent.

Tertio modo doctrina fidei intelligi poteſt eſſe neceſſaria de omni particulari dogmate aperte definito, quod qui negat hęreticus cenſetur. Huiuſmodi omnia in ſcripturis manifeſtę explicari falſum eſt.

Quarto modo doctrina fidei intelligi põt, vel ab omnibus, & ſingulis explicite credenda; vel à maioribus tantũ explicite, & à minoribus implicite, atq; in fide maiorum; quę videlicet altiora myſteria fidei ſunt, & ſolidus cibus, quem ſapientiam Apoſtolus vocat, & ſolis perfectis aperiendam.

riendam. Atque hanc poſteriorem doctrinæ partẽ, vt non omnibus Apoſtoli prædicauerunt, ſic neque omnẽ in ſcriptum reliquerunt, quod diligenter annotarunt ſancti Patres. Lege Dionyſium Areop. de Eccleſiaſt. Hierar. cap. 1. Euſebium lib. 1. de Demonſt. Euang. c. 8. Baſilium de ſpiritu ſancto cap. 27. priore doctrinæ parte vt omnibus Apoſtoli prædicauerunt, ita omnem, aut fere omnem ſcripto commendauerunt. Ita Euſebius loco citato. Origenes in proœmio librorum de principijs.

Dionyſi. Euſebius. Baſilius. Euſebius. Origenes.

Ex his dico, quòd Chriſ. & Cyrillus loquũtur de neceſſarijs ad fidẽ primo, & ſecundo modo dictis, nõ autem tertio modo dictis, quod patet: quia alibi Chriſ. plane aſſerit Apoſtolos non omnia ſcripſiſſe, vt ex eo citatũ eſt, nempe non omnia, quæ tertio, & quarto modo ad fidẽ pertinent.

Ad quartum dico, quòd Eccleſia non poteſt aliã fidem, nec alia tradere credibilia, quam nobis per Chriſtum, & Apoſtolos prædicata, & tradita ſunt, cũ quo ſtat, quod poteſt ea omnia declarando tradere atq; etiã explicite multa quæ in illis implicite continentur, aut ſequuntur ex illis. Neq; ſic Euangelizatur præter quod ab Apoſtolis Euãgelizatum eſt, vti hoc etiam ſupra ſatis probatũ eſt, quod eſt verum etiam ſi alijs verbis clarius nõ tamen contra ſacrã ſcripturam tradantur, vt ait D. Auguſt. lib. 7. de Trinit. c. 4. & Greg. Nazan. & Cyrill. & Athanaſius, vt Oſius etiã contra Brentium lib. 2. & 3. & lib. 4. latius refert.

Auguſt. Gregor. Nazian. Cyrillus. Athanaſ. Oſius.

Ad quintum dico, quòd regula fidei eſt quidẽ verbum Dei, ſed non ſolum ſcripto, ſed etiam verbo, aut prædicatione traditum, aut inſpiratione occulta, vel manifeſta quomodolibet reuelatum; de qua traditione, & reuelatione Verbi Dei, & non de ſola eius ſcriptura præcipue intelliguntur, & loquuntur Pſal. 118. & 2. Petri 2. & aliæ ſimiles authoritates, quæ adduci poſſunt.

Ad authoritatem Origenis, quæ videtur replica cõtra hoc, dico quòd intelligitur, ſicut & loquitur contra eos, qui priuatis ratiocinationibus, & argutijs tantum humanis, fidem tractant, quales multi tunc erant hæretici, & hoc docet Origenes eſſe relinquendum, & in ſacra ſcriptura fidem eſſe quęrendam, non quidem quomodolibet intellecta, ſed vt ab Eccleſia, & Patribus explicatur, & traditur, vt ſupra probatum eſt. Imo Origenes (tãtum abeſt vt traditiones neget) in explanat. 1. ca. Epiſt. ad Titum (vt refert Pamphilus martyr in Apologia Origenis) etiã ſi quis Chriſto ſe credere profiteatur, ſi tamen aliud de veritate fidei Chriſtianæ credat, quam habet definitio traditionis Eccleſiaſticæ, eum hæreticum pronunciare non dubitat.

Pamphil. Martyr.

Ad Hieronymum ſimiliter reſpondeo, & inſuper dico non eſſe garrulitatem ſenſus, & traditiones Doctorum, & Eccleſiæ, ex quo traditionibus Apoſtolorum, & diuinis illuſtrationibus, aut recte rationi per fidem illuminatæ nituntur, licet in ſacra ſcriptura non contineantur expreſſe. Solum igitur garrulitas vana eſt, quæ priuatim ſine ſufficienti ratione, aut vera Eccleſiæ traditione profertur, de qua Hieronymus loquitur. Chriſoſtomus etiam ſimiliter vt Origenes intelligitur; quamvis etiam poſſet refutari opus illud, vt pote falſatum ab hæreticis, ideo namque in eodem libro aliqui errores per hæreticos admixti deprehenduntur. Auguſtinus autem ſolum dicit, quod ex ſcriptura probatur origo, vnitas, antiquitas, vniuerſalitas, veritas, & authoritas Eccleſiæ Chriſti, cũ quo ſtat quod eius traditiones atque doctrina; ſicut & alia de fide in ſacra ſcriptura contenta, vt iam diximus accipienda ſint.

Ad vltimum dico, quòd propter fucatas, & fictas traditiones Talmud iſtarum, veræ & Apoſtolicæ traditiones Chriſtianorum reijciendæ non ſunt; alioqui, & ſcripturæ Canonicæ, propter tot apochriphas, & baptiſmus ipſe cęterique cultus Chriſtianorum multi reijciẽdi eſſent: quia gentiles ſimilia affectarũt. Tradictiones quas, veteres hæretici proferebant duplici vitio laborabant, primo erant occulta dogmata in nullis Catholicorum Eccleſijs cognita, quæ fingebant ſe orſim paucis Apoſtolos explicaſſe: Quare reſpõdet Irenæus loco citato, Apoſtolos illa recondita myſteria, ijs maxime tradidiſſe, quibus ipſas Eccleſias committebant. Iuxta id quod ſcribit D. Baſil. in libro de ſpiritu ſancto, cap. 27. Qui ab initio, inquit, res Eccleſiaſticas ſanciuerunt Apoſtoli, & patres, in occulto, & ſilentio myſterijs authoritatẽ conſeruarunt. Neque enim omnino myſterium eſt, quod ad populares, & vulgares aures effertur. Hæc eſt ratio cur quędam citra ſcriptum tradita ſunt, ne dogmatum cognitio, propter aſſuetudinem vulgo veniret in contemptum. & propter hanc cauſam non omnibus promiſcue, ſed ijs maxime hęc myſteria committebant, vt inquit Irenæus, quos Eccleſiæ magiſtros atque prępoſitos conſtituebant. Secundo, erant prophanę nouitates, & veritati ſcripturarum contrariæ, vt docent Tertull. & Aug. locis citatis in argumento. Non ea fuiſſe credendum eſt (ait Tertull.) quæ aliam fidei regulam ſuper inducerent, diuęrſam, & contrariam illi, quam Catholici in medium proferebant, imo docet Auguſt. ſecretiorem illam Apoſtolorum doctrinam fuiſſe tantum ſolidum illum cibum, & explicatiorem ſenſum myſteriorum fidei quem paruuli in Chriſto, & vulgus fidelium capere non poterant, iuxta illud primæ ad Corinth. 3. Tamquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam, nondum enim poteratis; ſed nec nũc, quidem poteſtis; adhuc enim carnales eſtis, & ad Hebræos, cap. 5. Etenim cũ deberetis magiſtri eſſe propter tẽpus, rurſus indigetis vt vos doceamini quæ ſint elemẽta exordij ſermonum Dei, & facti eſtis, quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo. Omnis enim qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ: paruulus enim eſt. Perfectorum autem eſt ſolidus cibus, &c. Noſtra autem dogmata non ſcripta ſunt per totam Eccleſiam, & in fide, & in vultu notiſſima; nec quicquam habent ſanctis ſcripturis aduerſum.

Irenæus. Baſilius. Tertull. Auguſt.

Tertia Regula, qua vtitur Eccleſia, ne erret eſt ſenſus communis totius Eccleſiæ. Hic iudicat de ſcripturis, & de vero illarum ſenſu, de traditionibus, & de vero ſenſu illarum: non enim ſufficit ſcriptura, nec traditio, nec ambæ ſimul: non enim viuunt, nec habent os, & linguã, vt poſſint ad interrogata reſpondere; atque adeo neceſſarius eſt ad hoc viuus Iudex, qui determinet, & definiat, & hic eſt ſenſus cõis totius Eccleſiæ. Verbi gratia dicit Lutherus ſola fides iuſtificat, dicit Catholicus, id nega, probat Lutherus ex Paulo ad Rom. 4. Credidit Abrahã Deo, & reputatũ eſt illi ad Iuſtitiã; ſi tũc ſcriptura reſpõderet Luthero, mentiris: quia nõ ſic intelligor, ſed hoc modo; nõ eſſet neceſſarius alius iudex: ſed quia hoc non põt reſpondere, requiritur viuus Iudex, qui hanc litẽ dirimat; & explicet verum ſenſum, in quo loquitur ſcriptura qualis eſt ſenſus cõis totius Eccleſię. Per totã Eccleſiã non intelligas Eccleſiã cum omnibus ſuis membris; abſurdũ enim eſſet in grauiſſimis quæſtionibus fidei ſutores eſſe Iudices, & agricolas, atque mulierculas, ſed recurrendum eſt ad Paſtores, & doctores Eccleſiæ; ad caput, quod eſt pręcipuum membrum, & ad Concilium Generale, de quibus infra late diſputabitur.

Hanc fidei regulam nimis hęretici audire refugiunt, nolentes audire teſtes omni exceptione maiores, neq; doctorum ſenſui, & ſententiæ ſtare circa hęc; ſed ad ſuum ſenſum prædicta omnia interpręatari volentes, ita vt non poſſint de ſuis erroribus conuinci, ſolam ſacram ſcripturam iudicem veritatis audientes: vt eam ad ſuum ſenſum erroneum ſine ſanctorum expoſitionibus, ſine alijs teſtibus, atque iudicibus pertrahant, atq; peruertant, atq; ipſi in ſua cauſa, volunt eſſe Iudices, vel arbitratores ſimul, & teſtes, ita vt omnes aliorũ doctorũ ſenſus & interpretationes contemnentes, vix poſſint à ſuis erroribus emendari, & propriam perfidiam huiuſmodi contengunt rationibus.

Primo ſancti Patres homines fuerunt, & tamquã homines falli, & fallere potuerunt. Cauſa autem fidei non niſi ex medio infallibili, (quale ſolius Dei verbum eſt) determinari poteſt. Vnde Tertull. in Præſcription: Aliunde ſcilicet loqui, & ſuadere non poſſet de rebus fidei, niſi ex litteris fidei. Et confirmatur quia ſcriptura ſacra non proprio hominis ſpiritu interpretanda, ſed diuino, quo ſcripta eſt 2. Petri. Et Hilarius ait. Verus eius interpres, ſenſum ipſius ex ea, vel ex alijs locis eius potius referat, quã afferat. Et Clemens lib. 10. Recognitionum, & habetur in cap. relatum diſt. 38. idem affirmat ergo non eſt ſtandum expoſitionibus hominum, & doctorum quorumcunque ſed ipſis tantum ſcripturis ſacris.

Tertull. Hilarius. Clemens.

Secundo in multis dogmatibus fidei varie errauerunt, quos pro patribus habemus. Origenes multis ſcate[illegible] ribus, etiam damnatis. Tertullianus Mõtani hęretici ſectator fuit. Cyprian. rebaptizat ab hęreticis baptizatos, Hieronymus ſecundas nuptias damnauit. Auguſt. au[illegible]ari

ſt. [illegible]

ſtiam paruulis neceſſariam iudicauit. Irenæus negauit animas beatorum videre Deum ante diem Iudicij: Clemens Alexan. de peccato originali tenet quod ſit tantum mortis neceſſitas lib. 3. ſtromatum. quem & Chriſoſt. ſequitur hom. 24. in epiſt. ad Epheſ. Hunc etiam ſequitur Theodoretus in Comment. ad Roma. 5. ſimiliter in alijs patribus plane omnibus aliquid erroneum notari poteſt. ergo illorum teſtimonia non faciunt firmum medium.

Auguſt. *Cyrillus.* Tertio Patres non aliter ſuis ſcriptis fidem haberi poſtulant, quam quatenus vel ex ſcriptura ſacra, vel ex euidenti ratione, ſententiam ſuam confirmant. ſic Augu. in proœmio. 3. lib. de Trinit. In omnibus inquit litteris meis, non ſolum pium lectorem, ſed etiam liberum correctorem deſidero. Ita Cyrillus Hieroſolymitanus ſcribit Catecheſi. 4. Neque mihi hæc dicenti ſimpliciter credas, niſi demõſtrationem annunciatorum ex ſacris litteris accipias. Salus. n. ipſa fidei noſtræ non ex commentitia diſputatione; ſed ex demonſtratione ſcripturarum eſt. ergo temere plus illis tribuimus, quam ſibi ipſis tribuendum iudicarunt. Et confirmatur ex D. Auguſt. lib. 11. contra Fauſtum. c. 5. vbi de toto genere Doctorum eccleſiaſticorum loquens ita ſcribit. *D. Aug.* Hoc genus litterarum non cum credendi neceſſitate, ſed cum iudicandi libertate legendum eſſe, ideoque cuncta huiuſmodi, niſi vel ex certa ratione, vel ex canonica authoritate defendantur, ſi cui diſplicuerint, aut credere noluerit non reprehenditur; eandem ſententiam conſtanter repetit. epiſt. 48. ad Vincentium. epiſt. 9. ad Hierony. epiſt. 111. ad Fortunatum de baptiſmo contra Donatiſtas lib. 2. c. 3. Patrũ ergo teſtimonia ex ſe ipſis nullam fidẽ faciũt.

Quarto Patres diuerſas de rebus eiſdẽ ſententias tenent. Notæ enim ſunt Auguſtini, & Hieronymi concertationes circa ſenſum Apoſt. 2. ad Gal. de reprehenſione Petri, vtroq; pro ſe patrum teſtimonia proferente. ſic de animarum origine, de ſtatu beatorum ante diem iudicij, de ordine creationis rerum, varias ſententias varij Patres tenuerunt. Nihil ergo in hoc genere authoritatis certum, aut firmum haberi poteſt. Et confirmatur. quia ſententias patrum, atq; doctorum ſibi inuicem contrarias per ſolam ſacram ſcripturam iudicamus, quæ illarum verior ſit, ergo ipſa ſcriptura ſola eſt certior, verior, facilior, & clarior omnium Iudex: primumq; omnium principiorum cognoſcendi veritatem. Confirmatur ſecundo quia ſæpe doctores ſancti in ſuis expoſitionibus cõtradicunt, vel torquent ſcripturas ergo non eſt illis ſtandum neq; ſicure confidimus illis, ſicut nec regulæ fallaci. ergo &c.

De patrũ teſtimonijs & eorũ authoritare quadrupliciter loqui contingit.

Pro explicatione huius difficultatis, & ſolutione iſtarũ rationum obſer. eſt primo. Quod de patrum authoritate & teſtimonijs poſſumus loqui quadrupliciter. Primum de ipſis teſtimonijs in ſe. Secundo de materia ipſorum. Tertio de authoritate quam habent. & Quarto de modo ſcribendi patrum. Quo ad primum teſtimonia patrum in ſe ipſis conſiderari poſſunt tribus modis. Primo quando dicta doctorum ſingularia ſunt ab vno videlicet Doctore ſingulariter aſſerta, contra aut omnium, aut plurium Patrum ſententias talia authoritatem non habent, ſed potius errori humano deputanda ſunt. Secundo modo quando vnus forte, aut alter tantum ex patribus aliquid affirmat, quod cęteri patres tacuerunt. neque enim omnes omnia dicere potuerunt. Talia argumentum faciunt probabile quidem, ſed non firmum ius pro ratione materiæ ſubiectæ, vt mox dicetur. Tertio modo quando aut omnes, aut plures aliquid vnanimiter docent. Talia pro ratione materiæ firmum, & indubitatum argumentum faciunt.

Quoad ſecundam conſiderationem, patrum teſtimonia materiam habent tripliciter quoque differentem aliquando enim ea tractant, quę magis ad philoſophiam, quam ad Theologiam pertinent, vt erant in omnibus diſciplinis verſatiſſimi. In tali materia teſtimonia eorum ſi proferantur, parum aut nihil authoritatis habent niſi in quantum vera ratione probent quod dicunt; ſecundo modo tractant patres ea, quæ ad ſententiam Theologicã magis, quam ad publicam fidem attinent, vt quando de his diſputant, de quibus ſalua fide in vtramlibet partem diſputari poteſt. In tali materia vt aberrare patres poſſunt, ita ab eorum teſtimonijs nulla firma argumenta trahuntur; niſi quatenus canonica authoritate ſententiam ſuam confirment. Tertio modo tractant Patres ea, quæ ad publicã fidem, & ad notiſſimas Chriſtianæ religionis regulas pertinẽt, in tali materia eorũ teſtimonia valida, & firma ſunt, maxime qñ plurium vnanimis conſenſus concurrit. Notauit hoc diligenter Vincentius Lyrinenſis dicens. *Vincent.* Antiquam ſanctorum Patrum ſententiam non in omnibus diuinæ legis quæſtiunculis, ſed ſolum, aut certe præcipue in fidei regulam inueſtigandam eſſe. in libello contra prophanas hæreſum nouitates. c. 39.

Quoad tertiam conſiderationem. Patrum teſtimonia authoritatem habent, vel probabilem, quam nec mordicus tenere. quia Auguſtinus ſic dicit, nec tamen impudenter reijcere licet, vt in materia ſecundo modo dicta; vel certam, & firmam, vt in materia tertij generis. Quo in loco duo extrema cauenda ſunt. Vnum eſt, patres ita citare, quaſi omnia quæ dicant in quacunq; materia tenenda eſſent vſq; ad vltimum iota, ſic loquitur Gloſſa ad verba Auguſtini diſt. 9. c. Noli meis. *Gloſſa.* hoc enim ſolis ſcripturis canonicis debetur. Alterum extremum eſt etiam, omnem vnanimem conſenſum, in materia fidei reijcere, quod hæretici faciunt. Vnde diſtinguenda ſunt, quæ patres obiter interdum ſcribunt. & aliud agentes, ab illis, quæ ex propoſito, & principaliter tractant; hæc enim magnam fidẽ faciunt, illa perexiguam. Rurſum illa quæ ſemel, ab illis quæ conſtanter, & ſæpe affirmant, ac repetunt. Sed maxime diſtinguenda ſunt ea, quę dogmatice; & aſſertiue, in tractatu poſitiuo docent, ab illis, quæ contentioſe, & in certamine contra aduerſarium diſputando etiam in materia fidei pronunciant; ab hoc enim poſteriori genere dictorum nulla teſtimonia ſumenda ſunt, quia facile contingit in talibus modum excedere, & veritatis lineam tranſgredi, vt de Origene notat Athanaſius in libello de decretis Nicenę Synodi & de Gregorio notauit Baſilius epiſt. 64. vbi & hanc diſtinctionem tradit. *Athanaſ.* *Baſilius.*

Hoc ſuppoſito & explicato confirmatur regula ex antiquo vſu Eccleſiæ. Nam Eccleſia ex teſtimonijs & iudicio veterum Patrum atq; doctorum canonicas ſcripturas admiſit; probatur varijs exemplis. Athanaſius in Synopſi diuinæ ſcripturæ ait. *Athanaſ.* Apocalypſin inter libros canonicos recipiendam, quia à priſcis ſanctis, & ſpiritu Dei imbutis patribus, veluti, quæ illius ſit accepta, & approbata eſt. ſic Hieronymus de Apocalypſi & de epiſt. ad Hebræos. *Hierony.* Nos inquit vtrumq; recipimus, veterum authoritatem ſequentes in epiſt. ad Dardanum. tom. 3. *Auguſt.* Sic Auguſtinus librum ſapientiæ Diuinum probat: quia inquit proximi Apoſtolorum egregij tractatores eum teſtem adhibuerunt nihil ſe niſi diuinum teſtimonium adhibere credentes de Prædeſt. ſanct. c. 14.

Item Eccleſia ex teſtimonijs & iudicio veterũ patrum apocryphas ſcripturas reijcit. ſic Euſebius Pamphili Hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 19. *Euſebius.* apocryphas quaſdam ſcripturas eſſe pronunciat. Quia inquit nemo ex ſcriptoribus Eccleſiaſticis, qui continuata temporum ſucceſſione ab Apoſtolis hucuſque vixerunt vſquam in ſuis ſcriptis in memoriam ea redigere dignatus eſt. Sic Petri, & Apionis diſputationes reijcit. Quia inquit, apud veteres nulla omnino eius fit mentio. lib. 3. cap. 32. Eadem ex cauſa Petri acta, & Euangelium reiecta fuiſſe docet lib. eodem cap. 3. ſic Auguſtinus apocryphas ſcripturas reiectas oſtendit: *Auguſtin.* quia inquit, ſancti & docti homines, qui tunc in hac vita erant, & examinare talia poterant, eas in authoritatem recipere noluerunt Fauſtus lib. 22. c. 79.

Item ſanctorum Patrum atq; doctorum Eccleſię conſentiens interpretatio tanquam certum, & indubitatum medium ad ſcripturas intelligendas ab Eccleſia catholica vſurpari ſolita ſemper fuit. probatur ex perpetua Conciliorum generalium Praxi. Porro in Concilio Conſtantinop. in Trullo habito can. 19. ſic decernunt Patres. *Concilium Conſt.* ſe ad ſcripturam pertinens aliqua controuerſia exorta fuerit, ne eam aliter interpretentur Eccleſię pręſides: quam quomodo Eccleſiæ luminaria, & doctores ſuis ſcriptis expoſuerunt. Sic in Concilio Generali 6. Act. 13. *6. Synodus* Origeniſtæ in epiſt. Synodica Sophronij iõ dãnantur: qa extra apoſtolicam atq; paternã traditionem nouos ſcripturę ſenſus affixerunt. *Clemens.* Clemens Petri diſcipulus ſic ad oẽs fideles hac de re ſcribit epiſt. 5. oportet ab eo diſcere intelligentiam ſcripturarum, qui eam à maioribus ſecundum veritatem ſibi traditã ſeruauit. ſic *Dionyſius.* Dionyſius Areopagita lib. 1. Cęleſtis

Hierat.c.1. Ad ſanctiſſimarum, inquit ſcripturarum intelligentias pro vt illas a patribus accepimus contuendas pro viribus pergamus. Idem preceptum ſecuti Baſilius, & Greg. Nazian. duo orientis lumina. ſcripturarum intelli- *Ruffinus.* gentiam (ait Ruffinus) non ex propria preſumptione, ſed ex maiorum ſcriptis, & authoritate hauriebant, eorum ſané, quos ex Apoſtolica ſucceſſione intelligendi regulam ſuſcepiſſe conſtabat hæc ille. Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 9. Idem de Pamphilo martyre ſcribit Euſebius vt refert Hierony. *Euſebius. Hierony. Irenæus, Tertull. Auguſt. Epiphanius. Caſſiodorus.* in Apolog. 1. aduerſus Ruffinum. Poſtremo idem faciendum docent Irenæus lib. 4. cap. 45. & 63. Tertull. de præſcript. cap. 16. S. Hierony. epiſt. ad Paulinum. D. Auguſt. lib. de vera religione. cap. 1. & lib. de vtilitate credendi. cap. 5. Epiphanius hæreſi. 61. & Caſſiodorus in Proæmio libri diuinarum inſtitutionum. Poſtremo Concilia Generalia non alio fere medio ad hæreticos conuincendos vſa ſunt, quam præcedentium Patrum fide, & authoritate. In concilio Niceno 1. Epiſcopi (ait Athanaſius) *Concilium Nicenũ. Euſebius.* non ſibimet ipſis adinuenientes verba, ſed habentes ea a Patribus teſtimonia conſcripſerunt. in epiſt. ad Afros. Hac etiam de cauſa. Concil. Nicæno ſe ſe ſubſcripſiſſe teſtatur Euſebius Pamphili. Quia inquit Priſcos Epiſcopos aliquos conſcriptores eloquentes & nobiles nomine conſubſtantialis olim vſos fuiſſe agnouimus. Hiſt. Tripar. libr. 2. capit. 11. In Concil. Epheſ. Generali. 3. in e- *Concil. Epheſ.* piſt. Alexandrinæ Synodi ad Neſtorium ſic loquuntur Patres. In tali ſenſu ſanctos Patres fuiſſe comperimus ideoque &cæt. ipſam quoque fidei definitionem eadem ſynodus hac forma conſcribit: ſequentes itaque ſanctorũ Patrum, confeſſiones, & intentioni eorum æquis veſti- *Concil. Chalce.* gijs inſiſtentes profitemur &c. ſic in ſynodo Calcedon. generali. 4. ſequentes igitur Sanctos Patres docemus &c. act. *6. Synodus.* 4. Rurſum act. 5. acclamatur. Hæc eſt fides Patrum. Similiter in Concil. generali. 6. act. 4. & 10. contra Macarium *Concil. Nica. 2.* hereticum ex ſanctorum Patrum teſtimonijs definitur. In generali. 7. Niceno. 2. Adrianus Papa in litteris ad ſynodũ Patrum teſtimonijs Iconomacos conuincit act. 2. In Concil. Florentino, tota concertatio inter Latinos, & Græcos *Concil. Floren.* ex ſanctorum Patrum teſtimonijs definita & tranſacta fuit. eſt ergo firmum argumenti genus, quo ipſa Cõcilia tam ſtudioſe ſemper vſa fuerunt. Adde quod hæretici ipſi in mutuis ſuis concertationibus, vt Lutherani contra Caluiniſtas, & vtrique contra Anabaptiſtas, & alios patrum authoritate aduerſarios premunt. ergo & à Catholicis eadem authoritate premi poſſunt & debent.

Ex his omnibus quæ in hoc articulo explicata ſunt colligimus quinque eſſe teſtimonia ordinaria, ſiue Iudices infallibilis veritatis fidei, ad quos nunc poſt quam ſacra ſcriptura edita, & vt Canonica in Eccleſia Chriſti recepta eſt, regulariter recurrendum eſt in dubijs fidei occurentibus ad veritatem inde cognoſcẽdam, primo ſacra ſcriptura, ſecundo traditiones apoſtolicæ in Eccleſia generaliter conſeruatæ, tertio conſenſus omnium Doctorum, & Patrum, qui dicitur conſenſus totius Eccleſiæ, quarto definitio legitimi Concilij generalis, quinto definitio Papę. de trib. prioribus iam dictum eſt. de duobus poſtremis dicemus in ſequentibus. Interim obſerua, ꝙ inter hæc ſuus ordo, & gradus certitudinis, authoritatis, & claritatis eſt.

Nã primus videlicet ſacra ſcriptura eſt potiſſimus omniũ Iudex, vel teſtis veritatis, authoritate, & certitudine non aũt claritate. Nihil. n. verius, & certius eſt in Eccleſia; ꝗ ſacra ſcriptura Canonica, & hoc ſolum admittũt hæretici ſecũdus gradus. i. Traditiones Apoſtolicæ eiuſdem ẽt eſt authoritatis diuinæ cum ſcriptura, eiuſdem & certitudinis de veritate in ſe, non tamen quo ad nos: quia, nobis nõ ita conſtat, quæ & quales ſint iſtæ traditiones omnes ſicuti conſtat de ſacra ſcriptura canonica, eſt tamẽ iſte gradus explicatior, & quodammodo planior, & clarior, quam primus: quia per has traditiones iam receptas in Eccleſia, explicantur ipſæ ſcripturæ, & multa dubia ipſarum: multa etiam, quæ ſcripta non ſunt per eas nobis traduntur.

Tertius gradus ideſt conſenſus Patrum: qui eſt etiam ipſius Eccleſiæ non formaliter, ſed obiectiue non eſt tantæ authoritatis, vt præcedentes: quia non formaliter, eſt ipſa reuelatio, aut veritas diuina ſed eſt humana induſtria, & teſtificatio de veritate diuina. Itaque eſt quidem authoritas, & certitudo humana, quamuis diuinitus directa, & illuſtrata; quatenus eſt Doctorum & ſanctorum Patrum teſtificatio, induſtria, inquiſitio, & de veritate diuina, & de conſenſu totius eccleſię; diuina autem; certitudo, & authoritas ibi eſt, quatenus eſt conſenſus totius Eccleſiæ de veritate fidei: quia diuinitus certi ſumus, quòd errare non poteſt vt ait Thomas Vuald. in doctrin. fidei lib. 2. art. 2. c. *Thomas Vald.* 18. Tum quia Patres, & Doctores iam Eccleſiæ catholicæ Iudicio, non ſolum tacito per tot ætatum conſenſu, ſed etiam expreſſo per tot Conciliorum praxim & Romana Pontif. decreta, maxime Gelaſij. 1. (quod in decretis extat. d. 15. c. ſancta Romana.) pro legitimis patribus, pro doctoribus orthodoxis. pro Eccleſiæ luminaribus, declarati; & iudicati ſunt; atque adeo illorum teſtimonia tamquam Eccleſiæ totius teſtimonia recipienda ſunt. Eſt tamen in hoc tertio gradu teſtimonium clarius, nobiſque notius de veritate diuina & eius ſenſu exiſtente in duobus gradibus præcedentibus. Nam per ſcripta Doctorum, & per conſenſum eorum, & Sanctorum omnium patrum, qui eſt idem, qui & conſenſus, & vſus Eccleſiæ catholicæ explicatur verus ſenſus ſacræ ſcripturæ & traditionum apoſtolicarum, quas ipſa tenet Eccleſia, neque inde ſequitur, quod iudex aut declarator cauſæ, aut legum, aut ſcripturarum ſecundum leges agens ſuperior ipſis eſt vt male heretici argumentantur.

Quartus gradus ideſt definitio Concilij eſt adhuc clarius teſtimonium, & iudex de veritate fidei, quam præcedentes: quia per tales definitiones Conciliorum declarantur ſenſus ſcripturæ & traditionum apoſtolicarum, & conſenſus, & vſus ipſius Eccleſiæ catholicæ; in quo tandem ſtandum eſt. Sed non eſt tantæ authoritatis, & certitudinis, vt ſunt tres illi gradus præcedentes, quod inde cõſtat, quia ex illis vt pote authoritatem diuinam ſuo gradu & ordine habentibus, vt dictum eſt, procedit Concilium ad ſuas definitiones faciendum, & deficere poteſt à faciẽdo, quod in ſe eſt vt infra explicabimus.

De quinto gradu. i. de definitione Papæ idem omnino quod de definitione Concilij dicendum eſt, quodque per accidens adhuc minoris authoritatis, & certitudinis eſt quo ad hoc: quia videlicet minus certum nobis eſt ipſum quam Concilium facere quod in ſe eſt, vt latius infra videbimus. Hi autem omnes quinque gradus mutuo ſe iuuãt probant atque confirmant, nec ulla contradictio in eis eſſe poteſt: maxime dum Concilium & Papa faciunt quod in ſe eſt. Nam & ſcriptura ſacra omnibus illis, & econuerſo ſibi inuicem perhibent teſtimonium veritatis. lege Thomam Vuald. in doct. fidei lib. 2. art. 2. c. 26. & 27. & Petrus *Thomas Vuald.* a Soto in defenſ. Confeſſionis Catholicæ parte. 2. per totũ. *Petrus à Soto.*

Ad argumenta hæreticorum reſpondetur, & ad primũ dico, quod Sancti Patres in materia primi, & ſecundi generis item quando ſingulariter aliquid dicunt, vt homines errare poſſunt falli; & fallere, ſed in materia tertij generis & vnanimiter ſentientes errare non poſſunt vt dictũ eſt. Verba Tertulliani, de ipſis hæreticis, & de more hæreticorum, dicta ſunt, quibus ipſe ſtatim reſpondet ſcripturas obtundunt, & hac ſua audacia quoſdã mouent. Hunc igitur potiſſimum gradum illis obſtruimus non admittentes eos ad vllam de ſcripturis definitionem. & paulo poſt. cap. 19. Ergo non ad ſcripturam prouocandum; ſed illud prius proponendum eſt, quibus competat fides ipſa, cuius ſunt ſcripturæ, à quo, & per quos, & quando, & quibus ſit tradita diſciplina, qua fiunt Chriſtiani; vbi. n. apparuerit eſſe veritatem diſciplinæ & fidei Chriſtianæ, illic erit veritas ſcripturarum & expoſitionum. Moxque ad eccleſiarum traditionem hæreticos reuocat. quam niſi ab eccleſiarũ magiſtris quales iſti Patres, & Doctores ſunt cognoſcere non poſſumus.

Ad confirmationem nego conſequentiam. Nam Doctores Sancti Spiritum Dei habuerunt melius quam heretici; ſecundum quem illi ſcripturas expoſuerunt, & hũc Spiritum eorum ſcriptis loquentem nos quærimus, & ſequimur, qui a Deo illuminati: & multis miraculis illuſtrati Spiritũ Dei habuiſſe certiſſime comprobantur. Hæretici autem falſiſſime, & ſine vlla apparentia Spiritum Dei ſibi ſolis arrogantes ipſos audientes, illiſque credentes vtique de ſtultis inſanos faciunt.

Ad ſecundum dico: quod illi omnes errores qui recenſentur (etſi qđ de Sancto Hieronymo dicitur calũnia eſt)

fuerunt

Digitized by Google

fuerunt circa materiam ſecundi generis, & non de aliquo dogmate, quod ad fidei fundamenta, aut regulam noſtram pertineret. deinde erant ab illis ſingulariter aſſerta, non vnanimiter defenſa. poſtremo quædam ab illis opinatiue, & obiter, non aſſertiue, & ex propoſito ſcripta, aut defenſa fuerunt. In hoc autem vario ſenſu, eorum authoritas non aſtruitur. vt dictum eſt. Neque vero hoc eorum authoritati in reliquis quicquam derogat. Qui. n. perfecti & ſpirituales ſunt apud Apoſt. ad Philip. 3. Aliter ſapiunt

D. Aug. donec Deus illis reuelabit. Quæ verba tractans D. Augu. lib. 2. de Baptiſmo cōtra Donatiſt. c. 3. docet. doctioribus minus aliquid reuelari, vt eorum patiens, & humilis charitas comprobetur. Vnde aliquid aliter ſapere, quam res ſe habet humana tentatio eſt. In nullo aliter ſapere quā res habet angelica perfectio eſt. Nimis amando ſententiam ſuam ad ſchiſmatis, vel hæreſis deuenire ſacrilegium diabolica præſumptio eſt. Hæretici ergo hodie, dum Patres volunt eſſe Angelos non homines, fiunt ipſi diaboli. ideſt dum nolunt eſſe diſcipuli veritatis, fiunt magiſtri erroris,

Fulbertus. vt de hæreticis elegāter ſcripſit Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis in epiſt. ad Adeodatum.

Ad tertium dico ꝙ Patres de ſuis ſcriptis, ita locuti ſunt modeſtiæ cauſa, quod ſi aliter feciſſent, & ſibi credi poſtulaſſent non fuiſſent fide digni. Nunc autem illis creditur, non quia hoc ipſi poſtulant, ſed quia talem authoritatem Eccleſia Catholica illis tribuit vt dictum eſt. Præterea liberum correctorem Auguſt. admittit, non quales hæretici ſunt, qui ex priuata præſumptione, & ex contentione, Patres reijciunt, ſed quales eruditi catholici ſunt, qui certa ratione diſtinguens, quid, & quando, & quatenus in

D. Aug. patrum dictis corrigi poſſit. Quare Auguſt. per verba citata adſit. Verum tamen ſicut lectorem meum nolo mihi eſſe deditum, ita correctorem nolo ſibi; Ille me non amet amplius quam catholicam fidem; iſte ſe nō amet amplius quam catholicam veritatem, ſicut illi dico. Noli meis litteris quaſi canonicis inſeruire, ita iſti dico, Noli meas litteras ex tua opinione, vel contentione, ſed ex Diuina lectione, vel inconcuſſa ratione corrigere. Hæc ille in proœmio 3. lib. de Trinit. In tali caſu liberos lectores, & liberos correctores admittunt Patres, nō autem in ſenſu hæreticorū, vt in quauis materia, & cum quouis conſenſu, & quauis libertate abſq; iuſta, & graui cauſa reijciantur.

Ad confirmationem dico, ꝙ omnia illa D. Auguſt. teſtimonia id agunt ne patrum verba canonicis ſcripturis adæquentur, ſed non id agunt, vt ab omni authoritate, & fide repellantur. Præterea illa Auguſt. loca nō loquuntur de teſtimonijs Patrum in publica & notiſſima fide: ſed tantum in diſputationibus rerum difficiliū, quę ad materiam ſecundi generis pertinent. ſic loco ad Fauſtum citato ait. Tractatores catholicos habere aliquid non conſonum fortaſſe occultiori, & ad dignoſcendum difficiliori veritati. oſtendens ſe nō loqui niſi de tali materia; locus in epiſt. ad Hierony. loquitur de reprehenſione Petri à Paulo facta, quæ fuerit ne vera, an ſimulata ad fidei regulam nihil attinet. Locus de Baptiſmo contra Donatiſt. & epiſt. 48. de Cypriani errore loquitur re, nondum ipſius tempore in eccleſia definita. locus epiſt. 112. id tantum dicit aliquid in Patribus, & etiam doctiſſimis deſiderari interdum poſſe vt ſupra ad ſecundum dictum eſt. Attamen in eadē epiſt. Patrum teſtimonia Athanaſij, Nazianzeni, Ambroſij, & Hieronymi diligenter colligit: quia cauſam fidei tractabat, videlicet ꝙ Deus non eſſet corpus. Deniq; idem Auguſtinus, vt in difficili materia, & extra fidei regulam non vult doctorum teſtimonijs aſtringi, niſi inquantum vel ex ſcriptura, vel certa ratione id probent, quod dicunt; ſic in cauſa fidei confidenter, & reuerenter, & magna cū authoritate illos profert vt ſuper oſtendimus. Vbi etiam diſerte oſtendit quare id faciat, cum tamen à canonica authoritate tam ſæpe eos alibi diſtinguat. Hæc ideo (inquit) ex Hieronymo commemoraui, non quod diſputatorum quorumlibet ſententijs tāquam canonica authoritate nitamur, ſed vt appareat, quod fides de peccato originali antiqua eſt &c. lib. 3. de peccat. mor. & remiſ. cap. 7. Rurſus lib. 4. contra 2. epiſt. Pelag. cap. 8. de ſanctorum (inquit) litteris aliqua documenta proferā non quo canonicis libris à nobis vllius diſputatoris æquetur authoritas, ſed vt ſciāt omnes catholicam fidem à nobis defendi. Vtraq; ergo veritas ex Auguſt. notanda eſt; vna, ꝙ à ſcripturis diſtinguēda eſt Patrum authoritas in rebus difficillibus. altera ꝙ in cauſa fidei illorum firma, & valida ſunt teſtimonia.

Ad quartum dico ꝙ illę concertationes, & diuerſę ſententiæ Patrum non erant de regula fidei, ſed tantum de arduis quęſtionibus extra fidem, nec per eccleſiam adhuc determinatis, vt exempla ipſa in argumento citata loquūtur. Ad primam cōfirmationem nego antecedens, & cōſequentiam, antecedens quidem ratione illius excluſionis ſolum. Nam non ſolum per ſcripturas, ſed etiam per Concilia, & conſuetudinem, & traditionem generalem eccleſiæ poteſt illa veritas de fide, aut de credibilibus determinari; quia 1. Thim. 3. eccleſia eſt columna, & firmamentū veritatis. quoad naturalia vero, atq; moralia poteſt etiam per rationes naturales efficaces per ipſorum doctorū maiorem, & ſaniorem partem, vel authoritatem vt omnia iura, & communis hominum ſenſus docet veritas illa decerni. Conſequentia etiam ratione illius excluſionis, ſolam, negatur, ratione etiam illius comparationis, primumque principium; Nam ſacra ſcriptura licet in ſe, & nobis veriſſima ſit, atque certiſſima, quia continet diuinam veritatē de qua, & nobis per fidem certiſſimam conſtat. At vero bis nec eſt omnino clara, nec manifeſta, neq; facilior, quo ad ſenſum, quem facit in omnibus eius locis; ſunt. n. in ea multa difficillia intellectu. 2. Petri 3. Neq; omnia de quibus loquitur quę ſolum per fidem à nobis creduntur clare videntur, atq; ita non eſt clarior, neq; facilior omnium iudex; ſed Eccleſia, & Concilium generale, & concors Doctorum expoſitio, vt dictum eſt.

Ad ſecundam confirmationem, nego conſequentiam. Non. n. nos dicimus eos omnes in omnibus eſſe ſequēdos, ſed in eam tantum ſententiam, quam circa fidem & mores omnes illi ſimul, aut etiam maior, & ſanior eorū pars tulerit, vti ſuperius declaratum eſt. Pugnā autem illorū in multis alijs eſt euidens ſignum veritatis pro illis, in quibus ipſi concorditer cōſenſerunt. Nam in diuerſis temporibus, & locis viri doctiſſimi, & ſancti miraculis clari, qui libere in alijs dixerunt ſententiam ſuam, certe dum in rebus fidei, & morum tanti ponderis cum tanto libramine loquentes omnes conſenſerunt, videntur ipſa veritate coacti, vel diuino ſpiritu ducti ſic ſcripſiſſe. Adde ꝙ ſi Lutherani expellunt ſanctos doctores: quia ſibi aliquando cōtradixerunt, à fortiori ipſi hæretici ſunt magis explodendi: quia alijs doctoribus & ſibi ipſi inuicē etiam in rebus fidei, & morum ſæpius contradicunt, vt ipſa experientia conſtat.

ARTICVLVS XI.

Vtrum Eccleſia ſit tantæ, vel maioris authoritatis quam Diuina ſcriptura, & traditio Apoſtolica.

SI hęreticorum importunitas nos haud cogeret hāc examinare quæſtionem, vt omnis comparatio odioſa eſt, ſic & iſta parum grata fuiſſet, at quia vt quæſtio iſta à catholicis tractetur eorum improbitas nos compellit; (eccleſiæ. n. authoritatē omnibus modis deprimere, & ſcripturę authoritatē improbo conſilio omnibus vijs extollere nituntur,) non grauabimur hanc difficultatem exacte explicare, quippe quę ad eccleſiæ authoritatem clarius intelligendam non parum vtilis etiam ſit. Circa quam varij ſunt modi dicendi inter catholicos.

Prima opinio tenet eccleſiam ſimpliciter eſſe maioris authoritatis, quam ſit ſacra ſcriptura, idq; propter verbū Dei vel Euangelium mentale in corde eius inſpiratum, & propter quaſdam alias rationes, quam opinionem tenent *Abulenſ.* Abulenſis in prologo ſuper Matth. quæſt. 19. Albertus Pighius in ſua Hierarchia, Oſius, & Echius in confutatione reſponſionis Lutheranorum ad librum oblatum Imperatori art. 1. fol. 74. *Albertus Pighius. Oſius. Echius.*

Secunda opinio eſt Driedonis de dogmatibus eccleſiaſticis lib. 2. cap. 4. propoſitione. 2. vbi diſtinguit de multiplici Euangelio mentali, vocali, & ſcripto; & de multiplici Eccleſia primitiua, & præſenti, & hac vel ſimul ſum- *Driedon.*

pta, vel continuata cum illa primitiua; & ſecundum has diſtinctiones dicit. Eccleſiam nunc maiorem, nunc æqualem, nunc minorem authoritatem & certitudinem habere, quam ſacra ſcriptura, & quam ipſa Catholica Eccleſia habet. Dicit enim eccleſiam noſtri temporis tantum minorem authoritatem & certitudinem habere, quã ſcripturam ſacram & quam eccleſiam primitiuam tempore Apoſtolorum. Vbi & latius hæc omnia proſequitur, ſed non omnibus perſuadet.

Axiomata 10. Tertia opinio eſt libri dicti Axiomata Chriſtiana. lib. 4. diſp. 2. c. 1. vſque ad c. 11. vbi has duas opiniones refert, breuiterque reſoluit, ſed nulla illarum ei prorſus placet, & quandam aliam tertiam opinionem illas fere conciliantem ponit.

Petrus Soto. Quarta opinio eſt fratris Petri Soto in ſuo libro contra Brentium hæreticum non ſatis laudato, vbi nullam prædictarum opinionum referens, ſuam quoque non multum diſtantẽ tertia præcedente opinione ſtatuit.

Michael Medina. *Caietanus* Quinta opinio eſt, ꝙ ſacra ſcriptura ſimpliciter, & omnino maioris authoritatis quam Eccleſia catholica ſit, id quod noſter Medina de recta in Deum Fide. lib. 7. ca. 18. pulchre, & optime probat. eandem ſententiam tenet Caiet. opuſculo de authoritate Papæ, & Concilijs. c. 4. Probatur hæc ſententia, quælibet lex habet maiorem authoritatem, quam Nuncius qui promulgat illam; ſed ſcriptura ſe habet ad Eccleſiam ſicut lex ad Nũcium: quia hoc eſt munus Eccleſiæ declarare nobis quæ ſit ſcriptura, & quæ præcepta contineantur in illa, ergo ſcriptura maiorem habet authoritatem, quam Eccleſia.

Secundo quiſquis tenetur alteri obedire, minoris authoritatis eſt quam ille; cui tenetur obedire; ſed ſcriptura imponit præcepta, quibus Eccleſia tenetur obedire, neq; poteſt vnum iota præterire, vt dicitur Matth. 5. ergo &c. tertio ſcriptura habet authoritatem diuinam, ſed ſupra authoritatem diuinam nulla alia maior excogitari poteſt, ergo ſaltem Eccleſia non habet maiorem authoritatem.

Quarto Scriptura Sacra Spiritum Sanctum authorem habet, ergo Eccleſia eſt illi ſubiecta. probatur conſequẽtia quia ſponſa debet ſpõſo obedire, quinto Eccleſia ordinata eſt ad teſtificandum de ſcripturis ergo eſt inferior illis. probatur conſequentia: quia finis eſt præſtantior medijs, & opus actione, ſexto.

Si Eccleſia aliqua ratione eſſet maior ſcriptura, vel ſcripturis præferẽda ex hoc maxime: quia ad illarũ notitiam nos perducit, eas conſignando, & approbando, ſed hæc ratio non cogit, quia Philippus qui Nathanaelem, et mulier Samaritana, quæ ſuos, ad Chriſti notitiam perduxit, non fuit Chriſto excellentior.

Septimo Verba cuncta ſcripturæ ſunt verba veritatis. Verba quædam eccleſiæ verba ſunt erroris, ad maior eſt authoritas veracis perpetuæ, quam mendacis aliquando, ergo maior eſt authoritas ſanctæ ſcripturæ; quam Eccleſiæ.

D. Aug. maior patet ex D. Aug. lib. 2. de Bapt. contra Donatiſtas. c. 3. vbi ait: de ſcriptura dubitari non poſſe, vtrum verum, aut rectum ſit, quicquid in ea ſcriptum eſſe cõſtiterit; Epiſcoporum vero litteras, & per aliorum Epiſcoporum authoritatem grauiorem, & per Concilia licere reprehendi; ipſa quoque concilia, quæ per prouincias fiunt plenariorum Conciliorum authoritati cedere, denique ipſa plenaria ſæpe priora poſterioribus emendari. Hæc ille. Ergo errare Eccleſia in ſuis magiſtris poteſt, ſcriptura non poteſt.

Propterus Octauo Propter Verbum Ioan. creditum eſt Chriſto, nec tamen Ioan. præferendus eſt Chriſto. ergo nec eccleſia præferenda eſt ſcripturis, quia per verbum Eccleſiæ credimus ſcripturis: Nono, vox ſcripturæ eſt vox Dei, vox Eccleſiæ eſt vox hominum, maior ergo authoritas eſt ſcripturæ quam Eccleſiæ, ſicut Dei, quam hominum.

Decimo Eccleſia & ſcripſit, & taxauit ſcripturas, ſed vt inſtrumentum Dei non virtute aliqua ſua. ſunt autem inſtrumenta effectibus ſuis viliora, vt patet in artificialibus, ergo & eccleſia inferior eſt ſcriptura. Poſtremo quod de altero iudicat non eſt ſemper re iudicata nobilius: nam & homines iudicabunt angelos. 1. Corint. 6. cum angelica natura excellentior ſit humana; & Magiſtratus inferior de lege ſui Principis iudicat inquantum eam populo promulgat. ergo non erit Eccleſia ſcriptura præſtantior aut excellentior, etſi de illa iudiciũ ferat, & populo fideli conſignet.

Authoritas ſumitur dupliciter. Pro explicatione huius difficultatis obſer. eſt primo ꝙ authoritas ſumitur dupliciter, primo pro dignitate & ſic dicitur Archiepiſcopum eſſe maioris authoritatis, quã epiſcopus, 2. pro veracitate, & ſic dicitur in materia teſtiũ, Vir eſt maioris authoritatis, quam fœmina, quamuis ambo verum deponant.

Eccleſiæ authoritas quadrupliciter cum ſcripturæ authoritate comparati poteſt. Secundo obſer. eſt, ꝙ Eccleſiæ authoritas cum ſcripturæ authoritate quatuor modis comparari poteſt. Primum ꝙ Eccleſia ſic ſcripturæ præferatur, vt poſſit ſua authoritate aliquid docere contra, & aliter quam ſcriptura docent, tãquam ea ſimpliciter maior, ſicut in hoc ſenſu eſt omnibus humanis ſcripturis, ſeu Ethnicorum, ſeu etiam Fidelium priuatis litteris ſuperior, ſed hic ſenſus falſus eſt, & a catholicis nunquam intentus, ſed ab hæreticis malediceе fictus. Alio modo intelligi poteſt authoritas Eccleſiæ maior eſſe, quam ſcripturæ; quia nõ ei ſimpliciter ſubijcitur, aut aſtringitur, ſed poteſt ſua authoritate aliquid, quod ſit fidei docere, & decernere, quod ſcriptura nec determinauit nec docuit, & hic ſenſus verus quidem eſt, vt poſtea dicetur, ſed ad hanc quæſtionem non pertinent. Iſte. n. ſenſus potius ad amplitudinem authoritatis eccleſiaſticæ, quam ad præeminentiam propriè refertur.

Concilium Triden. Tertio modo intelligi poteſt Eccleſiæ authoritas eſſe vel maior, vel minor, vel æqualis authoritatis ſcripturæ reſpectu eorum, quæ vtraque docet, & hoc dupliciter. Primum quo ad obligationem in ſe in qua æqualitas aſſeritur: quia ea, quæ Eccleſia docet, æque fideles obligant, atque ea, quæ ſcriptura docet, & vt Concilium Triden. ſeſſ. 4. loquitur, pari pietatis affectu, & reuerentia ſuſcipiũtur. Deinde quo ad euidentiam quo ad nos, in qua maioritas ponitur: quia eccleſiæ authoritas quo ad nos ipſa ſacra ſcriptura, adeoque quo vis credibili in quantum tale eſt maior eſt, quatenus ipſam ſcripturam & quoduis aliud credibile, vt a nobis acceptetur eccleſiæ authoritas facit. & hic eſt proprius huius quæſtionis ſenſus, quatenus hæc quæſtio cum hæreticis controuertitur.

Aiunt. n. hæretici audiendas eſſe ſcripturas, & quidem ſolas, non ſolum quaſi per ſe ad omnia ſufficientes, (quod ad ſecundum ſenſum pertinet) ſed etiam quia illæ ſolæ diuinam, & irreſragabilem authoritatem habent, quam eccleſia non habet. Aiunt contra catholici audiendam eſſe Eccleſiam, vel certius quam ſcripturas: quia nobis manifeſtior, & euidentior eſt eius doctrina, quam ſcripturarum; vel certe æque ac ſcripturas, quia etiam illa non minus irreſragabilem, & infallibilem authoritatem habet, quam ſcriptura, ideoque non minus obligat.

Quarto modo intelligi adhuc hæc quæſtio põt an eccleſiæ authoritas maior ſit, quam ſcripturæ reſpectu ad ſe inuicem: an videlicet eccleſia, ſit quiddã in ſe ipſa nobilius, & excellentius, atque adeo ad fidem faciendam præſtantius quam eſt ſcriptura in ſe ipſa conſiderata, quæ quæſtio ad eccleſiæ authoritatem clarius intelligendum facit & in hoc ſenſu agitatur inter catholicos.

Quid ad Eccleſiæ eſſentiã pertinet. Tertio obſer. eſt. ꝙ aliquid pertinet ſic eſſentialiter ad eccleſiam, quod ſine ipſo vnitas eccleſiæ ſtare non poteſt, nempe vnanimis confeſſio eiuſdem fidei catholicæ iuxta illud ad Epheſ. 4. Vna fides &c. & aſſiſtentia Spiritus ſancti iuxta illud Matth. 28. Ecce ego vobiſcum ſum &c. Aliud vero pertinet ad eccleſiam non eſſentialiter, ſed pro loco, & tempore, vt facere miracula, vt Marci. 16. In nomine meo dæmonia eijcient. &c. & donum linguarũ Act. 2. & donum propheriæ ad Epheſ. 4. Quoſdam dedit prophetas &c. & quod hæc non pertineant eſſentialiter ad vnitatem eccleſiæ inde probatur, ꝙ eadem numero eccleſia extitit ſub tempore apoſtolorum quã habebat iſta dona, & eadẽ modo regitur ſub Paulo. V. iuxta illud ſymboli. Vnã ſanctam eccleſiam catholicam &c. modo autem nõ habemus iſta dona. quod autem huiuſmodi dona fuerint neceſſaria pro loco, & tempore probatur: quia quando incipiebat ꝑdicatio Euangelica, neceſſaria erant pro confirmatione doctrinæ, ita tenet oẽs doctores ſcholaſtici & ſancti.

Spiritus ſanctus nõ ſemper vniformiter illuminauit eccleſiam. Quarto obſer. eſt, quòd licet ſemper in eccleſia fuerit eiuſdem Spiritus ſancti eadem aſſiſtentia dirigens & illuminans eccleſiam ipſe tamen Spiritus ſanctus non ſemper vniformiter manifeſtauit myſteria diuina, & ideo ſecundum diuerſam manifeſtationem myſteriorum ſumuntur diuerſi gradus in eccleſia, & maior, & minor, au-

thori-

Eccleſia & ſcriptura continent infallibilẽ veritatẽ. thoritas. In primitiua ergo Eccleſia maior fuit manifeſtatio myſteriorum diuinorum, quam in temporibus, quæ immediate, & poſtea ſucceſſerunt: quia in primitiua eccleſia fuit prophetia donum linguarum & alia, quæ enumerat Paulus. 1. ad Corint. 2.

Quinto obſer. eſt. ꝙ ſicut eccleſia errare nõ pōt propter continuam aſſiſtentiam Spiritus Sancti, ſic ſcriptura continet infallibilem veritatem: quia ſcriptores omnia ſcripſerunt dictante Spiritu Sancto. Vnde ſcriptura & eccleſia mutuis officijs ſe iuuant: quia ergo eccleſia in rebus fidei errare non poteſt iõ teſtificando aliquã ſcripturam eſſe diuinam dat illi authoritatem, & ſcriptura, vt pote, quæ infallibilem veritatem continet dat ſuo modo authoritatem eccleſię teſtificando, ꝙ in rebus fidei non poteſt errare iuxta illud. 1. ad Timo. 3. eccleſia eſt columna, & firmamentũ veritatis, & Epheſ. 5. eccleſia eſt ſine macula & ruga; haberet autem maculam ſi in rebus fidei poſſet errare.

Sexto obſer. eſt ꝙ dum comparamus eccleſiam ſcripturæ non ſumitur eccleſia materialiter prout conſtat omnibus partibus ſuis, ſed prout ſolummodo conſtat membris loquentibus. Scriptura .n. quamuis in rigore loquendo nõ ſit membrũ eccleſię: quia non eſt homo fidelis, tamen pertinet ad eccleſiam tamquam bonum maximum ipſius, nẽpe tamquam donum Spiritus Sancti, eſt tamen donum mutum. modo ergo vertimus in dubium, vtrum eccleſia prout conſtat membris loquentibus ſit maioris authoritatis quam ſcriptura, quæ dictata eſt à Spiritu Sancto.

His obſeruatis ſit prima Cõcluſio. Si loquamur de pri-
1. Conclu. mitiua eccleſia, prout cõtinebat in ſe Sanctos Apoſtolos, & Dominum Ieſum Chriſtum, illa erat maioris authoritatis quam ſcriptura, hæc concluſio eſt omnium Theologorum Medina excepto, eſtque ita vera, vt eius oppoſitũ ſit temerarium; probatur. Maioris authoritatis eſt inſtrumentum viuum, quam mortuum, ſed Chriſtus Dominus inquantum homo ſiue eius humanitas erat inſtrumentũ viuum, & coniunctiſſimum diuinitati ad Coloſ. 2. In quo in habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & Matt. 28. Data eſt mihi omnis poteſtas; & Io. 3. ſciens quia omnia dedit ei Pater in manus; & Matth. 17. Ipſum audite. & ſimiliter Apoſtoli tradebant hominibus viua voce doctrinam, quam immediate a Deo acceperunt, & eam ſignis mirabilibus confirmabant, ergo illa eccleſia maioris authoritatis erat, quam ſcriptura, quæ eſt inſtrumentum diuinitatis mortuum, neque poteſt confirmare neq; diſponere ſe ipſam.

2. Concl. Secunda Concluſio. Eccleſia, vt includit doctores & veritatis Magiſtros eſt quid in ſe nobilius & excellentius quam ſit ipſa ſcriptura in ſe ipſa conſiderata, atq; adeo ad fidem faciendam, eſt præſtantioris authoritatis. Probatur eccleſia in hac concluſione non homines ſignificat, aut etia quoſuis fideles homines & Deo gratos, ſed Magiſtros eccleſiarum diuina poteſtate præditos, & Spiritu Dei donatos ad hunc finem, vt omnẽ veritatẽ doceant. Scriptura vero quatenus talis non ipſum Dei verbum ſignificat (eſt .n. & Dei verbum extra ſcripturas) ſed verbum Dei ſcriptum, quatenus ab eccleſia ſcriptũ & in canonicos libros ab eccleſia redactum ſignificat. Non eſt autem dubium, quin ſubiectum nobilius ſit, per quod Spiritus Sanctus agit, quam illud ipſum quod agitur, vt ſane omnis cauſa etiam inſtrumentalis ſuo effectu inquantum talis, omnis teſtis ſuo teſtimonio quatenus talis, omnis legislator ſua lege quatenus talis, omnis iudex re iudicata quatenus talis, omnis artifex ſua regula, quatenus talis pręſtantior eſt. ſic enim eccleſiarum primi magiſtri, ſcripturam tamquã Dei calamicontexerunt, & quatenus talem produxerunt; porro & illi & eorum ſucceſſiones ſcriptura quatenus talem ſuo teſtimonio conſignarunt, ſuo iudicio acceptarũt, ſua authoritate promulgarunt, ſua denique arte, ſed Deo dictante, ac dirigente applicarunt. Ipſa autem ſcriptura eſt liber eccleſiæ, teſtimonium veritatis, quod eccleſia teſtificatur, lex Dei, quam eccleſia promulgauit, regula fidei, quam eccleſia tradidit. Nec obſtat quod in his omnibus eccleſia nihil per propriam formã facit, vt ſolent in alijs rebus iudices, legiſlatores, teſtes, & artifices facere: quia tanto excellentius hæc omnia facit eccleſia, quanto minus per ſe, ſed totum Deus per illam facit.

3. Concl. Tertia Concluſio. Eccleſia præſens tantæ eſt authoritatis ad definiẽdum res fidei, vt primitiua eccleſia, quæ comprehendebat Apoſtolos & Euangeliſtas. hæc concluſio eſt contra Durand. in 3. diſtin. 24. quæſt. 1. num. 9. probatur Durand. Concluſio: quia quamuis illa primitiua eccleſia in perſonis temporis illius ſcilicet in Apoſtolis & Euangeliſtis, alijſque Chriſti diſcipulis habuerit copioſiorem authoritatem ad miracula, ad loquendum varijs linguis, & ad prophetandum, & ad ſacram ſcripturam ſcribendum, & alia huiuſmodi dona. Attamen eccleſia, quæ nunc eſt, (non quidem diſtincta ab illa primitiua in fide, lege ex ſacramentis & ſucceſſione Epiſcoporum: nam hæc vel nulla, vel ſchiſmatica eſſet. ſed Eccleſia quæ nunc eſt ab illa diſtincta in perſonis, deriuata autem ab illa per ſucceſſiones epiſcoporum, & cum illa communicans in eadem fide lege, & ſacramentis, & ſacra ſcriptura) æqualem cum illa authoritatem habet, quo ad poteſtatem ordinis, & iuriſdictionis, & ad rectam fidem conſeruandam, & prędicandum, & ſacram ſcripturam exponendum, & interpretandum, & dubia quæcunque in fide, & moribus definiendum: quia eodem ſpiritu veritatis à ſponſo ſuo Chriſto ſibi promiſſo ad prædicta omnia claues, & poteſtatem habens dicitur, & gubernatur, vſque ad finem mundi. atque adeo quia eadem eſt Eccleſia ſucceſſione, & vtraque ab Spiritu ſancto regitur, ſi primitiua Eccleſia conueniſſet ad definiendum aliquid de fide, atque etiam Eccleſia præſens ad idem vel conſimile definiendum conueniret, eiuſdem omnino eſſent authoritatis, quamuis non eiuſdem ſanctitatis, & gratiæ vt patet.

Quarta Concluſio. Eccleſia, quæ ſucceſſit Primitiuæ, & per legitimam ſucceſſionem ad tempora vſq; Pau- 4. Concl.
li V. peruenit, & eſt permanſura vſque in finem mundi quo ad nos maioris authoritatis eſt, quam ſcriptura. hæc concluſio licet non ſit ita certa ſicut prima eſt tamen probabilior, quam oppoſita, quam tenet Cano lib. 2. de lo- Cano.
cis, & idem videtur tenere Caſtro lib. 1. de hæreſibus. ca. Caſtro.
2. & lib. 1. de iuſta hæreticorum punitione cap. 5. & probatur primo. Eccleſia primitiua erat maioris authoritatis, vt probatum eſt, quam ſcriptura; ſed Eccleſia, quæ modo exiſtit eſt eadem eſſentialiter cum primitiua, in ea ſiquidem eſt omne id, quod ad vnitatem Eccleſiæ eſſentialiter pertinet, videlicet confeſſio eiuſdem fidei, & eadem aſſiſtentia Spiritus ſancti, ergo Eccleſia, quæ modo eſt maiorem habet authoritatem quam ſcriptura.

Secundo probatur. Iudicium vltimum in rebus fidei ſumitur ab Eccleſia & non ex ſcriptura, vt docet expreſſe D. Auguſtinus. lib. contra epiſt. fundamenti capit. 5. Euangelio non crederem niſi authoritas Eccleſiæ me commoneret, ergo Eccleſia maioris authoritatis eſt, quam ſcriptura. probatur ſequela: quia in ſcientijs naturalibus illud principium eſt dignius, à quo vltimate pendet veritas concluſionis, quam illud à quo non dependet vltimate, & in iudicijs exterioribus illa poteſtas cenſetur maioris authoritatis, à qua bis definienda eſt vltimate, vt eius iudicio neceſſario ſit ſtandum ſine alio recurſu.

Tertio probatur. Eccleſiæ authoritas non dependet ab authoritate ſcripturæ: quoniã ſi per impoſſibile tota ſcriptura periret adhuc Eccleſia traderet ſuis fidelibus integram doctrinam Diuinam neceſſariam ad ſalutem, quia eam memoria retinet; imo ipſam ſcripturam iterum cõſcriberet; ſicut quando in captiuitate Babiloniæ vetus teſtamentum fuit combuſtum, & poſtea per Eſdram ſacerdotem reſtitutum Diuino ſpiritu afflatum, qui memoria retinebat myſteria Diuina, vt placet Irenæo, Tertulliano, & Hieronymo. ſed authoritas ſcripturæ pendet eſſentialiter ab authoritate Eccleſiæ; ergo authoritas Eccleſię eſt maior authoritate ſcripturæ. probatur minor; quia ſi Eccleſia non eſſet, vel non teſtificaretur de ſcriptura, quod ſit ſacra, non haberet aliam authoritatem, quam alia ſcriptura humana; & etiam patet hæc minor: quia ſcriptores Canonici ſunt pars Eccleſiæ, vt Prophetæ, Apoſtoli, & Euangeliſtæ, & per conſequens authoritas Eccleſiæ eſt tãquam authoritas principij reſpectu ſcripturę, atq; adeo authoritas ſcripturę pendet ab authoritate Eccleſię; probatur etiam eadem minor: quia ſcriptura eſt pp Eccleſiam; nã vt Eccleſia non turbaretur de veritate rerũ

à Deo; & à Chriſto Domino geſtarum ideo Canonici ſcriptores illam conſcripſerunt ergo, &c. ad hoc etiam facit quod Eccleſia antiquior eſt, quam ſcriptura ſiue aduertas vetus, ſiue nouum teſtamentum. Nā antequam Moſes inciperet ſcribere libros, erat vera Eccleſia fidem Dei continens, eiuſque mandata obſeruans, & idem de Eccleſia poſt Chriſtum, & nouo teſtamento, ergo eccleſia eſt maioris authoritatis quam ſcriptura, probatur conſequentia; quia id quod nouum eſt ſemper ſumit authoritatem à re antiquiori.

5. Conclu. Quinta Concluſio, quoad dicendam veritatem Eccleſia, & ſcriptura in ſe ſunt æqualis authoritatis, itaque Eccleſia non minus irrefragabilem, & infallibilem authoritatem habet quam ſcriptura, & èconuerſo, hæc concluſio eſt de fide, vt patet ex illo D. Pauli. 2. ad Theſſal. 2. Tenete traditiones, quas accepiſtis, ſiue per ſermonem ſiue per epiſtolam, vbi iubet æque teneri doctrinam traditā, quā, ſcriptā; ſed tradita doctrina propriè ex Eccleſiæ authoritate venit, ergo æqualis eſt in veritate dicenda eccleſiæ & ſcripturæ authoritas; & confirmatur. Scriptura eſt verbum Dei, & Eccleſia eſt vox Dei loquentis, tam illud Dei verbum ſcriptum quam aliud quodcunq; verbū Dei non ſcriptum; eſt autem Deus non ſolum verax vera dicendo in ſcripturas, ſed etiam verus verè, & non ſimulatè loquendo per Eccleſiam.

6. Concluſio. Concilio Triden. Sexta Concluſio idem philoſophandum eſt, de traditionibus Apoſtolicis, & Eccleſiaſticis, quod de ſcriptura Diuina philoſophauimus, probatur ex Concilio Triden. Seſſ. 4. vbi pari veneratione recipiuntur traditiones & ſcriptura. Quia Euangelium Ioan. in memoria, & in ſcripto eiuſdem eſt authoritatis; ergo traditio apoſtolica in corde, & in memoria eccleſiæ, tantæ eſt authoritatis, ac ſi eſſet ſcripta; patet antecedens, in forma conſecrationis Calicis, vbi verba illa, myſterium fidei, nullibi reperiũtur ſcripta in Euangelio, & tamen tantæ ſunt authoritatis, ac ſi eſſent ſcripta, & dicuntur eſſe à Chriſto, ſicut alia verba formæ, & pari veneratione proferuntur à ſacerdotibus.

Nota. Obſerua tamen quod ſunt aliquæ traditiones acceptę ab Apoſtolis etiam quantum ad verba, vt forma confirmationis, & extremæ vnctionis, aliæ ſunt in quibus neſcimus verba; quibus Apoſtoli explicauerunt diuinam reuelationem, vt eſt traditio de vſu imaginum, quæ quo ad verba non ſunt tantæ authoritatis quantæ priores: quia non habemus verba, quibus eas dictauit Spiritus ſanctus; tamen quantum ad doctrinam, & veritatem pares ſunt omnes traditiones, & ſcriptura: probatur quia eccleſia definit vſum imaginum tanquam de fide ex illa traditione, ac ſi definiret ex Euangelio.

Lex diuina tripliciter accipitur. Ad argumenta pro quinta opinione reſpondetur, & ad primum dico ꝙ lex Diuina accipitur tripliciter, vel pro vt eſt in mente Diuina, & vt ſic eſt ipſe Deus; vel pro vt eſt manifeſtata, in ſcriptura; vel prout eſt in voce miniſtri manifeſtantis ipſam; dico ergo quod ſcriptura & eccleſia ſunt ſicut miniſtri Dei manifeſtantes legem Diuinam pro vt eſt in mente Dei & ſunt minoris authoritatis, quam ipſa lex diuina vt ſic. Comparando autem eccleſiam ſcripturæ maioris authoritatis eſt eccleſia; Quia eccleſia eſt miniſter viuens in ſe, ac legem ſibi creditam poteſt exponere, & confirmare. ſcriptura vero eſt miniſter mortuus, & non poteſt ſe exponere neq; confirmare. Sicut ſi Rex leges conderet, & aliquos promulgaret voce legati, aliā vero tantum per ſcripturam, non eſt dubium quin illa ſit ſolemnior prædicatio quæ fit per vocem, quam ea, quæ fit per ſcripturam.

Ad ſecundum nego conſequentiam: quia licet ſcriptura condat leges, quas non poteſt eccleſia mutare, ille tamē leges non habent authoritatem, neq; vim obligandi eccleſiam niſi confirmentur iudicio eiuſdem Eccleſiæ.

Ad tertium concedo antecedēs, & nego conſequentiā; quia ſicut ſcriptura habet authoritatem Diuinam, ita etiā eccleſia, imo & authoritas ſcripturæ ſubordinata eſt authoritati eccleſiæ & per conſequens authoritas eccleſiæ eſt maior ſicut ſi Rex conſtitueret duos iudices; ita tamē quod vnus alteri ſubordinaretur, vterq; quidem diceretur habere regiam poteſtatem, ille tamen qui alteri præeſſet haberet maiorem authoritatem; quia tota authoritas alterius eſſet ſibi ſubordinata.

Ad quartum dico quod eccleſia ſubijcitur ſcripturæ in quantum nihil docere poteſt ei contrarium, vt in 2. notabili dictum eſt; ſed hoc non impedit quin in alio ſenſu illi præferatur, vel quo ad euidentiam reſpectu noſtri vel vt ſubiectum nobilius in ſe, ſimile eſt de magiſtris omnium diſciplinarum qui artis ſuæ principijs in primo ſenſu ſubijciuntur. Bonus tamen diſcipulus plus magiſtro, quam principijs ab illo poſitis credit.

Ad quintum dico ꝙ finis vltimus, & gratia cuius, eſt præſtantior medijs, & de tali fine intelligitur illa regula. ſed in finibus medijs illa regula non eſt vera. Alioquin angeli eſſent inferiores hominibus miſſi in miniſterium propter eos Hebræorum. 1. Teſtificatio autem ſcripturarum per Eccleſiam non eſt vltimus eccleſiæ teſtificantis finis, ſed cultus & honor Dei ille finis eſt, vt in angelorum quoque miniſterio res ſe habet.

Ad ſextum dico quòd Philippus Nathanaelē, & Samaritana mulier ſuos ad Chriſtum inducens erat media ad fidem inducentia plane accidentaria & probabilia tãtum, mereque humana; at eccleſiæ vox medium eſt neceſſariũ, infallibile, diuinum, vt dictum eſt; vnde non eſt ſimile.

Ad ſeptimum Dico quòd nulla verba eccleſiæ ſunt verba erroris, eo ſenſu quo Eccleſia ſcripturæ comparatur. 1. quatenus eccleſiæ vox obligat & euidentiam inducit, vt in 2. notabili in. 3. ſenſu dictum eſt, ſic n. eſt prorſus infallibilis in materia fidei, vt ſupra dictum eſt art. 9. D. Auguſtinus non loquitur de publico decreto fidei, ſed partim de priuatis litteris & ſcriptis Epiſcoporum, partim de Cõciliorum decretis quo ad mores, quod patet per verba ſequentia. Cum aliquo experimento rerum agentur, quod ita vſum erat, & cognoſcitur quod latebat. Hæc. n. res facti ſunt, & morum; quæ experimentis cognoſcũtur, in quibus eccleſiæ decreta non ſunt ſemper infallibilia, ſed propter naturam obiecti non vitio aliquo ſuo; videlicet materiæ circa quam verſatur lex, quæ cum ſit de rebus agẽdis mutabilis eſt ex circunſtantia agendi; vel ipſorum hominum quibus feruntur leges, quibus non ſemper idem eſt vtile, & ſalutare, atq; adeo mutari poſſunt, & mutãtur pro ratione temporum & locorum, vt, quæ lex ſemel, & alicubi vtilis ad ſalutem fuit, eadem alias & alibi, vt inutilis abroganda ſit.

Ad octauũ dico, ꝙ Ioannes ꝑdicans Chriſtum, nõ erat præferendus Chriſto formaliter accepto, ſed vt Chriſtus erat prædicationis eius obiectum materiale, ſic non eſt abſurdum Chriſtum vt materiale obiectũ fidei inferius fuiſſe prædicatione Ioannis, non quo ad eſſe Chriſti in ſe, ſed quo ad notitiam Chriſti populo: quia per Ioan. manifeſtatus eſt Chriſtus, vt per Eccleſiam manifeſtãtur ſcripturæ; & omnia alia, quæ creduntur; ſic eccleſia in. 3. ſenſu poteſt dici maior ſcripturis, quo ad euidentiam reſpectu noſtri, etiam ſi maior ſcripturis in ſe non eſſet, quod tamē iuxta 4. ſenſum non eſſe abſurdum oſtendimus. Quare & ſi Ioannes Chriſto quem prædicauit nullo modo præferendus eſt; nec Eccleſia verbo Dei præponẽda eſt; tamē Eccleſia ſcripturis, quas prædicat præferri poteſt: quia ſcripturas, ſeu ſcriptum hoc Dei verbum, non ſolú prædicat, ſed etiam hoc verbum Dei ſcripſit ipſa, taxauit quoq; & conſignauit ipſa pro ſcripto Dei verbo.

Ad nonum dico, ꝙ vox eccleſiæ non eſt vox hominũ, ſed planè vox Dei, vt in ſuperioribus oſtenſum eſt, ſed inter ſcripturam, & eccleſiam hoc diſcrimē eſt, quod illa eſt quidem vox Dei, ſed non ſimpliciter, nec ſemper, Nam & Diabolus, & impoſtor hereticus per ſcripturā loquitur voce ſua non Dei. Eſt autem ſcriptura vox Dei, quando Eccleſia per illā loquitur per quam Deus loquitur: Vox aũt Eccleſiæ eſt ſimpliciter & ſemper vox Dei; quia nũquam niſi ex Deo loquitur, quando de fide loquitur. & nunquam vel fallit, vel fallitur. Scriptura & ſi ipſa neminem fallit, tamen per illam multos fallunt hæretici, & falluntur ipſi. Diſcrimen inter ſcripturam & eccleſiam.

Ad decimum dico, ꝙ inſtrumenta ſunt effectib. ſuis viliora, quæ per propriam formam agunt, & ſi mota ab artifice, vt artificialia. Sed vox Eccleſiæ inſtrumẽtum Dei eſt, quod per propriam formam nihil agit, ſed Deus totũ per illam, vt dictum eſt. Quare taxando ſcripturas ſicut & aliud quoduis credibile definiẽdo eſt res definita, quatenus definita nobilior, quia non ipſa, ſed Deus per illã definit.

Ad

Digitized by Google

Ad vltimum dico, quod ecclesia iudicium ferens de ſcriptura, & promulgans illam fidei populo non eſt ipſa ſcriptura ſimpliciter præſtantior, ſed quatenus ab ea iudicatur, & promulgatur, & quaſi canonizatur. Ad hanc enim canonizationem, ſeu conſignationem authenticam ſcripturæ concurrens Eccleſia, ſuperiorem quamdam authoritatem exercet, non ſolum reſpectu illorum, quibus eam pronunciat, & canonicam facit, ſed etiam reſpectu ſcripturæ ipſius, quatenus canonicæ. Sic Salomon per iudicium reddens infantem matri ſuæ. 3. Reg. 3. excellentius concurrebat per iudicium illud regale, quam Mater, non quidem ad eſſe filij, ſed ad tale eſſe, id eſt ad publicam, & certam notitiam, matris, & filij. Rurſum cum lex, aut regula, vel menſura non aliter obligat, aut imponitur, quam ex eo quod applicatur his, quæ per eā, regulanda, aut menſuranda ſunt, vt docet. S. Thomas. 1. 2. q. 90. art. 4. Scriptura autem eſt lex quædam relicta nobis per modum regulę & menſuræ eorum, quæ credenda, & facienda ſunt, profecto Eccleſia, quæ hanc ſcripturæ regulam nobis applicat, eam promulgans, & ſi author non ſit, tamen notificationis, & acceptionis cauſa eſt, ideoque eo reſpectu ſuperior ipſa, ſicut legiſlator ſua lege in quantum lata, & promulgata. Scriptura autem ideo fideles obligat, & apud eos fidem obtinet, quia canonica eſt, & approbata pro Verbo Dei. Habet ergo maiorem apud nos fidem ipſa eccleſia, quæ hanc ſcripturarum fidem nobis facit, hāc inquam non vt eſſet Verbum Dei, ſed vt eſſet Verbum Dei ſcriptum, atque canonicum, & ab omnibus fidelibus publica fide receptum.

ARTICVLVS XII.

Vtrum in Eccleſia ſit Poteſtas proponendi ea, quæ ſunt credenda, & iudicandi de rebus fidei.

VSque modo diſſeruimus de eccleſia in ſe, quid nomen ſignificet, ex quibus partibus conſtet, qualis ſocietas eſt, quibus notis cognoſcitur, quæ ſit eius natura & definitio, penes quos illa hodie ſit, quomodo nō poſſit in rebus fidei definiendis errare, quibus vtatur medijs ne erret, & quomodo ſit ipſa ſcriptura præſtantior. Modo in hoc articulo de eius poteſtate, tam ex parte ſubiecti, quam obiecti agendum eſt, id eſt in quibus eccleſię poteſtas, tanquam in ſubiecto reſideat, & circa quæ, velut circa materiale obiectum ſe extendat. Pro cuius explicatione obſeruandum eſt primo.

Aliud eſt non poſſe errare in fide, et aliud iudicare de rebus fidei.

Quod aliud eſt non poſſe errare in fide, ſeu firmum, & ſtabilem eſſe in fide; aliud eſt habere poteſtatem iudicādi de fide, & alijs, vel ſe ipſum confirmandi in fide. pōt enim vel omnis communitas, vel pars eius quælibet eſſe indefectibilis circa fidem in cauſa religionis, licet hanc indefectibilitatem non à ſe ipſo habeat, ſed in cauſa religionis vel à Deo, vel à miniſtris eius. Quare non ſequitur totum eccleſię corpus eſt indefectibile, ergo in toto corpore eſt poteſtas iudicandi de fide, & ſe ipſum ab errore conſeruandi.

Firmitas in fide toti eccleſiæ promittitur.

Secundo obſeruandum eſt, quod toti eccleſiæ firmitas promittitur: quia firmitas & infallibilitas in fide maxime, & primo propter totum corpus vel potius toti corpori datur, ſecundario autem ſingulis membris, & non nisi propter bonum totius. Nam Spiritus ſanctus eſt perfectio totius eccleſiæ, & ad totam eccleſiam infallibiliter in fide conſeruandam primario datur, ſecundario tamen ſingulis fidelibus impertitur in ordine ad totum corpus pro bono, & conſeruatione totius. quemadmodum anima eſt perfectio corporis, & actus totius corporis organici maxime & primo; ſecundario tamen ſingulorum membrorum; nam propter totū corpus ſingulis membris vires ſubminiſtrat.

Totū corpus eccleſię quū habeat aſſiſtentiam Spirit. Sā.

Tertio obſeruandum eſt. Totum eccleſiæ corpus habere aſſiſtentiam Spiritus ſancti, & eſſe infallibile in fide iuxta ordinem totius corporis, & ſeruata proportione ſingulorum membrorum, Vnde ſequitur huius firmitatis gradus, & modos non eſſe in toto corpore indifferenter, ſed per ſingula membra varie diſpertitos. Quemadmodum igitur in corpore naturali, totus quidem homo videt, audit, intelligit, vult, ſed analogice, ſeu proportionaliter non ſubiectiue, quia per aliquas ſuas partes, & organa, illas functiones exercet, non autem in qualibet ſui parte, aut in omnibus ſimul, & quemadmodum in corpore politico tota Reſpub. dicitur fortis, prudens, iuſta, & opulenta non ſubiectiue, & ſecundum omnes ſuas partes, ſed ratione quadam præcipuarum partium, ſic in corpore myſtico eccleſiæ, tota eccleſia eſt ſtabilis firma & inuicta in fide non ſubiectiue, ſed analogice ſeruato ſingulorum membrorum ordine & modo. Docet hoc diſerte Apoſtolus ad Roman. 12. ſicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent &c. idem repetit. 1. Corint. 12. & ad Epheſ. 4.

Poteſtas eccleſiaſtica nō eodē modo eſt in eccleſia ſicut eſt firmitas, & infallibilitas fidei.

Quarto obſeruandum eſt, quod non eſt idem de firmitate & infallibilitate fidei; atque de poteſtate ipſa eccleſiaſtica: nam firmitas & infallibilitas fidei (vt diximus) datur primo & principaliter toti eccleſiæ, ſecundario autem ſingulis membris, poteſtas vero eccleſiaſtica primo, & principaliter per ſe, & immediate conuenit particularibus perſonis; & per illas toti eccleſiæ. Ratio eſt quia poteſtas eccleſiaſtica: cum ſit poteſtas ſpiritualis, & ſupernaturalis, & purum Dei donum, ſequitur ordinem datoris Dei; non autem naturæ ordinem. Deus autem hanc certis perſonis dedit non toti eccleſię, atque adeo licet poteſtas, & facultas naturalis quę naturę ordinem ſequitur, prius communitati, vel toti ſpeciei conuenit (omne enim naturale commune eſt) ſecundario autem partibus, vel indiuiduis. Homo enim potius videt quam oculus, & poteſtas videndi potius eſt hominis, quam oculi. tamen in corpore miſtico eccleſię non ita ſe res habet, vt poteſtas iudicandi de fide, conſtituendi leges morum, aut aliqua alia poteſtas eccleſiaſtica ſit potius ipſius eccleſię, quam aliquarum partium eius: quia videlicet hæc poteſtas eſt ſupernaturalis, non naturalis, vt altera.

Iudicium de doctrina fidei eſt triplex.

Quinto obſeruandum eſt iudicium de doctrina fidei triplex eſſe poſſe, Vnum quo ad ſimplicem aſſenſum, ſed firmum qualis fidei eſt; qui enim firmiter aliquid credit, hoc ipſum quod credit indubitate verum eſſe iudicat. ſic omnes fide inſtructi de fide iudicant, & diſcernunt ea, quæ ſunt fidei. Hoc ſenſu ſcripſit D. Auguſt. de agone chriſtiano cap. 4. Qui fidem catholicam bene didicit, & vera pietate munitus eſt, quamuis hæreſes neſciat, hæreticis tamen reſpondet. Nec enim decipi poteſt, qui iam cognouit, quid pertineat ad chriſtianam fidem, quæ catholica dicitur; atque hoc ſenſu Apoſt. Corinthijs fidelibus dixit. Vt prudentibus loquor, Vos ipſi iudicate quod dico. Calix benedictionis &c. 1. Corint. 10. Alterium iudicium de doctrina fidei eſt diſcretiuum, quo ad intellectum eorum, quæ creduntur. fides enim præcedit intellectum, vt ſit intellectus fidei pręmium, ait Auguſt. de Verbis Domini ſer. 5. Non tamen omnes, qui credunt, mox quod credunt intelligunt, ſed illi tantum, qui vt ait Apoſt. pro ipſa conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni, & mali. ad Hebręos. 5. Iſti autem perfecti dicuntur reſpectu paruulorum in fide; atque iſti ſūt ſolidi cibi capaces, alij vero lactis tantum participes, vt eodem loco Apoſt. docet. Non autem aliud eſt lac, aliud cibus ſolidus, ſed idem fidei articulus vni lac eſt, quia creditur tantum ſimpliciter, alij ſolidus cibus eſt; quia intelligit etiam ſpiritualiter, rurſum alij vel ſcandalum, vel ſtultitia eſt, quia nec credit, nec intelligit, vt de Verbo Crucis Apoſt. dixit 1. Corin. 5. Chriſtus enim Crucifixus. v. g. Gentibus ſtultitia, Iudeis ſcandalum, credentibus Dei virtus, & Dei ſapientia erat. Sed, (ait Auguſt. tract. 98. in Ioan.) carnalibus paruulis, id eſt tantum credendo tenentibus, ſpiritualibus autem capacioribus, id etiam intelligendo cernentibus, illis tamquam lacteus potus, his tamquam ſolidus cibus; illis redemptionem tantum factam conſiderantibus. Dei virtus, his vero intelligentibus, quod factus eſt nobis ſapientia à Deo propter magnum myſterium incarnati, & paſſi filij Dei; item iuſtitia; quia in ſanguine eius iuſtificati ſumus, & præterea ſanctificatio; quia ſanguis eius emundat conſcientias noſtras ab omni peccato. 1. Ioan. 1. & ab operibus mortuis ad ſer-

D. Aug.

D. Aug.

D. Aug.

Digitized by Google

conſtituerunt illis per ſingulas eccleſias Preſbiteros, Idē Paulus diſcedens Epheſo Act. 20. alloquitur Epiſcopos locorum illorum, quos poſuerat Spiritus ſanctus regere eccleſiam Dei; Idem reliquit Crete Titum, vt conſtitueret per Ciuitates Preſbiteros ad Titum. 1. Ioan. Apoſt. rediens ab exilio per varia gentium loca conſtituit Epiſcopos, Teſte Euſebio lib. 3. c. 23. *Euſebius. Irenaus.* Irenęus ſcribit. Apoſtolos eam, quæ vno quoque loco eſt, eccleſiam Epiſcopis regēdam tradidiſſe. lib. 4. c. 63. Quod quomodo ſolus Petrus per plurimas gentes fecerit commemorat ſigillatim Simō Metaphraſtes in commentarijs, & rebus geſtis Petri, & Pauli, & Dorotheus in ſynopſi, quæ extat apud Surium in vitis Patrum ad diem Apoſtolorum Petri, & Pauli. *Metaphr. Doroth.*

Quod vero ad eoſdem tranſijt poteſtas docendi, & paſcendi, quæ in Apoſtolis erat ordinaria, patet ex illo teſtimonio D. Pauli ad Epheſ. 4. Chriſtus dedit eccleſiæ Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas; Paſtores, & Doctores ad conſumationem ſanctorum, in opus miniſterij ad ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus in vnitatē fidei, &c. quod teſtimonium fuitā nobis ſupra per ſingulas particulas explicatum. Et confirmatur: quia niſi eadem docendi, ac de rebus religionis decernendi authoritas ad Apoſtolorum ſucceſſores tranſiret, ipſa quoq; Sacramenta diſpenſandi poteſtas ab eorum ſucceſſoribus auferenda erit. Quis dubitat ad paſtorale, & Epiſcopale officium, non ſecus neceſſarium eſſe, vt de doctrina fidei rectiſſime iudicent Epiſcopi, quam vt Sacramenta Religionis legitime adminiſtrent?

Ex hoc ſequitur quod propter hanc docendi poteſtatē acceptam Epiſcopi, & Presbiteri veri ſunt Apoſtolorum ſucceſſores? Secundo ſequitur non niſi in hac ſucceſſione Apoſtolica, tamquam in primario ſubiecto, quærendo poſſe veritatem fidei orthodoxæ. patet ex Irenęo. lib. 3. cap. 3. & 4. & lib. 4 cap. 43. Cypriano lib. 4. epiſt. 9. & lib. 1. epiſt. 6. Auguſt. epiſt 166. & Hieronymo in epiſt. ad Euganum. *Ireneus. Cyprian. Auguſt. Hierony.* obſerua tamen quod in ſcriptura hæc nomina, Paſtor, Epiſcopus, Præsbiter, Præpoſitus Doctor, confunduntur: vel quia officia ipſa in illis adhuc primordijs, necdum conſtitutis per orbem eccleſijs confundebantur, vt cenſet Ambroſius in Comment. ad 4. cap. epiſt. ad Epheſ. & Hieronym. in epiſt. ad Eugarium. *Ambroſ. Hierony.* vel certe (quod verius eſt): quia cum officia eſſent vere diſtincta, vocabula tamen vnicuique propria nondum erant in vſum aſſūpta, quaſique artis propria facta, idque eo minus; quia re vera Epiſcopus hæc omnia docendi, & paſciendi officia continet, eſtque Paſtor, Doctor, Pręsbiter, Prępoſitus, vt eiſdem in locis Ambroſ. & Hierony. diſerte docent, nō autem contra omnis Doctor, vel Pręsbiter eſt Epiſcopus; Quando ergo diximus, ad Epiſcopos, & Preſbiteros, paſtores, & Doctores hanc poteſtatem tranſijſſe, hoc enim ideo diximus, non quod parem Pręsbiteri, Paſtoris, & Doctoris cū Epiſcopo in hac parte poteſtatem ponimus; ſed quia hæc vocabula promiſcue vſurpat ſcriptura, & ipſa quoque antiquitas pro eodem ſæpe numero accipit Epiſcopum Præsbiterum, & Doctorem. Proceſſu vero temporis, & in maiori libertate Euangelij, veterique Iudeorum Sacerdotio penitus ceſſante, magis adhuc diſtincta erant horum officiorum nomina, ideoque vt nomen Præsbiteri in Sacerdotem abijt (vt apud Cyprianum, & Hierony. locis citatis) ſic Epiſcopi nomen in Pontificem, vt apud Dionyſium Areopagitam, & in Antiſtitem tranſijt. vt apud Iuſtinum martyrem Apol. 2. *Dionyſius. Iuſt. Mar.* Ex his patet in quo ſubiecto ſit Apoſtolica eccleſiæ poteſtas. nimirum in Summo Pontifice, & Epiſcopis. D. Petri, & Apoſtolorum ſucceſſoribus. Quod erat primum explicandum in hoc art. Quod vt plenius adhuc explicetur pono aliquas concluſiones.

Prima concluſio. Hæc poteſtas ſuperius explicata non eſt apud Reges, vel ſæculares Magiſtratus. probatur; quia Princeps omnis ſecularis, ſeu magiſtratus eſt de numero ouium, non paſtorum in eccleſia, ergo poteſtatem, aut iuriſdictionem eccleſiaſticam nullam habet: patet antecedens; quia omnis Paſtor per legitimam vocationem, electionem, & ordinationem talis fit, illa autem vniuerſa caret Princeps laicus, ſeu Magiſtratus. & confirmatur: quia ſic ſemper in eccleſia habiti ſunt. *Greg. Na.* Gregorius Nazian. Imperatorem etiam iraſcentem ſic alloquitur. Scio te eſſe ouem mei gregis &c. in orat. ad ſubditos timore perculſos, & Imperatorem iraſcentem. *Ambroſ.* Ambroſius ad Imperatorem Valentinianum ſic ſcribit. Quid honorificentius, quam vt Imperator eccleſiæ filius eſſe dicatur? Imperator enim bonus intra eccleſiam non ſuper eccleſiam eſt. Hæc ille epiſt. 32. ſic Auguſt. epiſt. 26. 159. 169. & 182. *Auguſt.* Ad Tribunos Comites, ac Iudices populi ſcribēs ſemper eos filios vocat, quin & ipſi Imperatores non niſi pro huiuſmodi ſe agnoſcunt. Conſtantinus Magnus ſic Epiſcopos alloquitur. Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis iudicandi; apud Ruffinum lib. 1. cap. 2. Hiſt. eccleſ. *Ruffinus.* Valentinianus Imperator, monens Epiſcopos, vt idoneum Epiſcopum Mediolanēſi eccleſiæ præficiant talem, inquit, eligite, cui & nos, qui gubernamus Imperium ſincere capita noſtra ſubmittamus. Hæc ille apud Paulum Diaconum. lib. 12. *Paulus Diaconus.* Patet conſequentia ex notabili nono. & iuxta hanc conſequētiam reſponſum eſt Præfecto Imperatoris Valentis vrgēti populum Ciuitatis Edeſſę, vt cum Imperatore communicarent. ideſt fidem Imperatoris ſequerentur. Nunquid cum Imperio eſt etiam ſacerdotij dignitatem conſequutus. Nos vero Paſtores habemus, cuius nutum ſequamur, Hæc illi apud Theodoretum lib. 4. c. 16. *Theodor.* Sed audiamus quid de hoc ſentiāt Patres. Hoſius ſanctiſſimus Epiſcopus. *Hoſſius Mart.* Qui Concilio Niceno. 1. Interfuit flagitante Conſtantio Imperatore, vt Athanaſius deponeretur ab Epiſcopatu, ſic ei per litteras reſpondit. Ne te miſceas Imperator rebus Eccleſiaſticis; neque nobis in hoc genere præcipe, ſed potius ea à nobis diſce. Tibi Deus imperium commiſit, nobis, quæ ſunt eccleſiæ concredidit. Hæc ille apud Athanaſium in epiſt. ad vitam ſolitariam agētes. eodemmodo in ſimili cauſa reſpondit Leontius Tripolitanus Epiſcopus eidem Imperatori, apud Suidam in verbo Leōtius. *Leontius.* Miror (inquit) quomodo ad alia vocatus alijs te ipſe immiſceas, militaribus enim, & politicis rebus præfectus, in his, quæ ad ſolos Epiſcopos pertinent præeſſe vis.

Hilarius. Hilarius ad Conſtantinum ita ſcribit. Prouideat clementia tua, vt ad omnes vbique iudices prouinciarum, ad quos ſola cura publicorum negociorum pertinere debet, ſcribatur, ne poſt hac præſumant, atque vſurpent cognoſcere cauſas clericorum. hæc ille in lib. imperfecto ad eundem. *Athanaſ.* Athanaſius in citata epiſt. Quid hic (ait) quod Antichriſti ſit omitit? ſi quidem iam denuo in locum eccleſiaſticæ cognitionis ſuum palatium Tribunal earum cauſarum conſtituit, ſeque earum litium ſummum Principem, & authorem facit. *Ambr.* D. Ambroſ. epiſt. 33. Valentiniano Imperatori eccleſiam flagitanti pro Arianis reſpōdit. Noli te grauare Imperator, vt putes te in ea, quæ diuina ſunt Imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere; ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem eccleſiæ. & in epiſt. 32. Valentiniano iuniore Imperatore vocatus S. Ambroſius, vt cum Auxentio hæretico coram ipſo tractaret, reſpondit. Si conferendum eſt de fide; Sacerdotum debet eſſe iſta collatio, ſicut factum eſt ſub Cōſtantino, qui nullas leges ante præmiſit, ſed liberum dedit iudicium Sacerdotibus. ſ. in Concilio Niceno. 1. & iterum ibidem. Si vel ſcripturarum ſeriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis eſt qui abnuat in cauſa fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis iudicare? Idem fere dicit in præcitata epiſt. *Athanaſ.* Athanaſius. Si iudicium (inquit) eſt Epiſcoporum, Quid commune habet cum eo Imperator? ſin contra iſta minis Ceſaris conflantur, quid opus eſt hominibus titulo Epiſcopis? Quando à condito æuo auditum eſt, iudicium eccleſiæ ab Imperatore authoritatem ſuam accepiſſe? aut quando vnquam hoc pro iudicio agnitum eſt? plurimæ ante hac ſynodi fuerunt, multa iudicia eccleſiæ habita ſunt, ſed neque Paſtores illiuſmodi res Principi perſuadere conati ſunt, nec Princeps ſe in rebus eccleſiaſticis curioſum præbuit. Hæc ille. Quare in Concilio Aquileienſi laudat Gratianum Imperatorem Ambroſius; quod noluit iniuriam facere Sacerdotibus, ſed ipſos interpretes conſtituit Epiſcopos. Nec aliter Theodoſius. 2. ad Concilium Epheſinum loquitur, vt eſt apud Cyrillum tom. 4. epiſt. 17. & apud Gratianum d. 96. cap. ſatis euidenter; *Gratian.* ait enim. Illicitum eſt eum qui

non

Digitized by Google

eiuſdem naturæ ſicut fontis, & riuuli, vt docet Thomas Vuald. Doctrin. fidei. lib. 2. c. 24. Tertio poteſtatem docēdi, vel tradendi omnem fidem exercere aliquis poteſt, non ſolum cum ſolemniter aliquid definit, ſed etiam cū, quod per miniſtros ſuos doceri, & à ſubditis teneri audit, tacite approbat, (quæ dicitur definitio, & voluntas Principis interpretatiua) vel non contradicit, aut redarguit. Sic multas hæreſes ſola æccleſiæ recepta fides abſq; noua definitione iugulauit. Vnde Auguſtinus enumeratis multis hęreſibus ſic concludit. Quid contra iſta ſentiat catholica æccleſia ſuperflue quæritur, cum propter hoc ſcire ſufficiat eam contra iſta ſentire, nec aliquid horum in fidem quemquam recipere debere. Hæc ille in fine libelli de hæreſibus ad quod vult Deum.

Tho. Vual.

D. Aug.

Hoc ſuppoſito probatur concluſio ſic. In veteri lege, & ſynagoga fuit hæc poteſtas, ergo & modo eſt in æccleſia, conſequentia inde patet, quia æccleſia modo multis nominibus præſtat Synagogæ, & maiori luce à Diuino ſpiritu illuminatur, antecedens probatur: quia Exod. 33. Iuſſit Deus ædificari tabernaculum ad quod debebant ire, quando ſuboriebatur aliqua queſtio, non ſolum de re domeſtica, aut ciuili, ſed etiam de lege, de ceremonijs, de moribus, & fide. Idem dicitur Leuit. 16. & expreſſe Deut. 17. dicitur ſi difficile, & ambiguum apud te iudicium perſpexeris venies ad Sacerdotes &c. vbi iubet Deus ſtare Iſraelitas determinationi ſummi Sacerdotis, & non declinare ad dexteram, aut ſiniſtram.

Et probatur ratione. In æccleſia futurę erant hęreſes. 1. Corint. 11. ergo ſi Chriſtus non prouidiſſet æccleſię ad definiendum res fidei non ſufficienter prouidiſſet æccleſię; ergo in æccleſia eſt poteſtas proponendi, & iudicādi res fidei. Secundo probatur. Chriſtus ſuam instituit æccleſiam ſufficienter, & perfectam in his omnibus, quę neceſſaria ſunt ad fidei doctrinam, & ſalutem noſtram ſupernaturalem, ſed non potuit ſufficienter prouideri æccleſię alio modo, quam largiendo ſibi aſſiſtentiam Spiritus ſancti in continua gubernatione, vt res fidei proponere, iudicareque valeat; ergo ita ordinatum eſt à Chriſto Domino, vt aſſiſtentia Spiritus ſancti nunquam æccleſię deeſſet, quo ad prædicata, conſequentia eſt bona, & maior inde patet: quia æccleſia, eſt quædam Reſpub. at vero non eſſet Reipub. nomine digna, niſi eſſet per ſe ſufficiens ad finem ſuum. propter hoc enim, ait Paulus ad Epheſ. 5. Chriſtus dilexit æccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ſibi glorioſam ſponſam, non habentem maculam, aut rugam; & probatur minor: quia non prouideretur ſufficienter æccleſiæ ſi relinqueretur viribus ſuis; eſt enim omnis homo ex ſe ipſo mendax; neque etiam prouideretur ſufficienter per ſolam ſcripturam, quia pro varijs hominum ingenijs, & conditionibus, tam multa ſunt neceſſaria ad fidei inſtructionem, & ſalutem ſpiritualem, vt nullo modo potuerint in ſcriptura omnia contineri, niſi illa eſſet longiſſima, & nobis intollerabilis, quia neceſſum eſt pro diuerſitate temporis tanta conſcribi, vt pene fierent infinita, ſecundum infinitas occaſiones, quæ quotidie inſurgunt tractandi de rebus fidei, ergo conueniens fuit tantummodo in ſcriptura tradi nobis documenta generalia, & ſumma rerum capita; ex quibus æccleſia poſſet munita authoritate Spiritus ſancti, in quacumque occaſione deducere ex principijs vniuerſalibus fidei lumen, prout particularis occaſio, quæ ſe offert poſtularet.

2. Concl. Secunda concluſio æccleſia, quæ nunc eſt condendi nouos articulos fidei poteſtatem non habet. ſolis enim Apoſtolis & primis æccleſię magiſtris data fuit hęc poteſtas, nec tamen ex hoc ſequitur poteſtatis diuerſitas; non enim hoc à defectu poteſtatis, ſed ex natura rerum oritur. Sicut Deus non poteſt facere, vel potius à Deo non poſſunt fieri contradictoria vera, non propter impotentiam in ſe, ſed propter impoſſibilitatem naturę rei. Tum quia præſens, vel ſuccedens æccleſia vna, & eadem eſt, atque homogenea, cum Eccleſia Apoſtolica, propterea in illa Apoſtolica hoc idem fecit, eamdemque poteſtatem exercuit, & ſicuti in ſenibus vegetatiua vis animę adeſt quidem, (non enim illa potentia carent) ſed nutrimento ſoli non amplius augumento, vel generationi intendit, & ſicut Deus nouas rerum naturas creandi poteſtatem habet, & ſi non creet, ſed conſeruat creatas; ſic æccleſiæ eſt eadem quaſi vegetatiua poteſtas, quæ olim fuit, ſed nutrimento ſoli, & conſeruationi veteris fidei intendit, non augumento, vel generationi.

Pro ampliori tamen huius concluſionis intelligentia obſeruandum eſt, quod noua fidei dogmata, vel noui articuli fidei dupliciter accipi poſſunt, Vno modo, quia nunquam antea hominibus tradita doctrina, iam primum à Deo per æccleſiam reuelatur, alio modo: quia olim quidem tradita eſt, vel in ſemine, & virtute: quia obſcurius in ſe, vel paucis, quia nondum manifeſte quo ad omnes. Primi generis primam doctrinam, vt primi patres in lege naturæ quo ad Dei omnipotentiam, alij vero in lege ſcripta, quo ad Dei ſimplicitatem & vnitatem; ſic in lege gratię quo ad myſterium Trinitatis Apoſtoli acceperunt, vt docet D. Thomas. 2. 2. quæſt. 174. artic. 6. Item quo ad Incarnationem Chriſti variæ reuelationes nouæ huius generis fuerunt pro ſtatus diuerſitate; Sed ſoli Apoſtoli primi nouæ æccleſiæ Magiſtri, has nouas reuelationes acceperunt, & tradiderunt; iuxta illud Pauli ad Epheſ. 3. Quod alijs gentibus non eſt agnitum filijs hominum; ſicuti nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis eius &c. Secundi generis noua doctrina ab Eccleſia traditur, quatenus propter inſurgentes hæreſes aliquid explicatius definitur; vt notauit. S. Thomas. 2. 2. quæſt. 1. artic. 10. ad primum, & ſecundum argumentum, atque adeo quod Eccleſia definiuit contra hæreticos erant quidem antea de fide, ideſt in ſubſtantia veteris fidei implicite continebantur, ſed non erant explicati fidei articuli, à quouis explicite tenendi. Hanc explicationem propter inſurgentes hæreticos facit æccleſia. Sic Patres Niceeni definientes contra Arium, non aliquid nouum definiuerunt, nec (vt in negocio Paſchatis) dixerunt Viſum eſt nobis, ſed dixerunt, ſic credit Catholica æccleſia, vt accurate notat Athanaſius in epiſt. de ſynodis Arimini, & Seleuciæ, veterem videlicet catholicæ Eccleſiæ fidem explicantes; Sic fit in omnibus Concilijs in materia fidei.

Nouus articulus dupliciter cō ſiderari poteſt.

D. Tho.

D. Tho.

D. Atha.

Rurſum noui articuli fidei intelligi poſſunt, vel quo ad ſubſtantiam ipſius fidei (& ſic nulla ætate creuerunt) quia in fide primorum parentum omnia continebantur implicite, quæ poſtea explicite à minoribus ſunt credita; vt docet S. Thomas 2. 2. queſt. 1. articul. 7. vel quo ad explicationem fidei propter inſurgentes hęreſes, & ſic creſcit numerus articulorum fidei, vt ibidem docet. S. Thomas. Explicando tamen æccleſia fidei articulos, qui in Apoſtolorum ſymbolo continentur, (vt factum legimus in Concilio Niceno, vbi explicatum eſt filium eſſe conſubſtantialem Patri, & in Concilio Conſtantinopol. in quo declaratum eſt Spiritum ſanctum à Patre, filioque procedere, vel ſaltem à Patre procedere, vt Greci volunt) nullam adiectionem facit ſymbolo, ſed in poſterioribus plenius explicat quod in prioribus ſymbolis continebatur implicite, vt reſpondet D. Thomas. 2. 2. queſt. 1. artic. 9. ad ſecundum, & artic. 10. ad ſecundū, & vt doctiſſime diſputat Andreas Colaſſenſis Epiſcopus contra Grecos in Concilio Florentino ſeſſ. 3. Ferrariæ habita. Quare æccleſia in ſuis ſymbolis nullos nouos fidei articulos condidit, ſed veteres plenius, & explicatius credendos tradidit, vt proſequitur Vincentius Lyrenenſis in Commentario aduerſus hęreſes. Quodcumque (inquit) in hac æccleſia Dei agricultura fide patrum ſatum eſt, hoc idem filiorum induſtria decet excolatur, & obſeruetur, hoc idem proficiat & perficiatur. fas eſt enim vt priſca illa cęleſtis phyloſophię dogmata proceſſu temporis excurentur, limentur, poliantur; ſed nefas eſt, vt commutentur, nefas vt detruncentur, vt mutilentur. Accipiant licet euidentiam, lucem, diſtinctionem, ſed retineant neceſſe eſt plenitudinem, integritatem, proprietatem. Hęc ille non minus ſapienter, quam eleganter. cap. 30.

D. Tho.

Concilium Nicanum

Concilium Conſtant

Eccleſia nullā adiectionem ſymbolis facit.

D. Tho.

Concilium Florent.

Vinc. Lyr.

Tertia concluſio. Eccleſia libros ſcripturarum canonicos ſua authoritate certo approbare, & conſignare poteſt. probatur concluſio: quia æccleſia omnem fidem docet, & tradit, vt dictum eſt in prima concluſione, ergo & ſcripturam tradit, quę ad fidem pertinet. 3. Concl.

Prę-

Præterea veteres Patres contra omnes hęreticos aliquam ſcripturam negantes, Eccleſiæ authoritatem protulerunt, vt probarent eſſe ſcripturas ſacras, quæ negarentur, ita Auguſtinus contra Fauſtum Manichæum. libro 13.capit.4.& lib.28 cap.2. & 4. Tertullian.lib.4. contra Marcionem. Athanaſius in Synopſi diuinæ ſcripturæ. Ireneus libro quarto cap.63. Theodoretus in argu. epiſt. ad Hebræos. & denique D. Auguſtinus lib.2.de doctrin. chriſtiana.c.8.lib.11.c.5.contra Fauſtum.& Euſebius.lib. 3.Hiſt.eccleſ.c.19.

Auguſt. Tertullia. Athanaſ. Ireneus. Theodor. Auguſt. Euſebius.

Sacra ſcriptura tripliciter approbari, & confirmari poteſt.

Obſeruandum eſt tamen, quod Scriptura ſacra approbari, & aliquo iudicio confirmari tripliciter poteſt. Vno modo ſic, vt ipſa in ſe approbetur, & fiat ſacra, atque diuina ſcriptura. Hanc approbationem accipit à ſolo Spiritu ſancto, qui author eius eſt. Vt enim ſit ſacra; & non humana illa ſcriptura à Deo authore habet; non aliunde ſic Hiſtoria Titi Liuij ab authore habet, vt ſit eius, non alterius. Alio modo ſic, vt & ſi conſtet de authore, tamen quatenus pro vera, & fide digna habetur poſſit, aut debeat Eccleſia iudicare: Sicuti Titi Liuij Hiſt. eſſe veram Romanā Rempub. iudicauit, aut ſicut de libro aliquo Theologico edendo iudicat profeſſor Theologicus. Sed nec ita de ſcriptura iudicat; nec illam ita approbat Eccleſia; quia diuina veritas eſt, quam ſcripturæ continent, quæ per ſe indubitata vera eſt, nec vlla approbatione fit vera. Quamuis de ſanctorum Patrum ſcriptis ſic ſane iudicat eccleſia. Tertio modo ſcriptura ſacra approbari, & aliquo iudicio confirmari poteſt, vt vi probationis talis, & iudicij ab omnibus fidelibus acceptetur pro ſacra & diuina, ideoque infallibiliter vera, & ſic non ſecus, ac omnia alia, quæ ſunt fidei ipſam ſcripturam tradit nobis Eccleſia ſua authoritate, quam à Deo accepit, & propter Eccleſiæ teſtimonium credimus has eſſe ſcripturas canonicas, ſicut & de Chriſto propter illam credimus; vt ratiocinatur Auguſtinus in libro de vtilitate credendi.cap.14. & Tertull. in præſcrip.

D. Aug. Tertullia.

4. Concl.

Quarta concluſio. Eccleſia libros apochriphos certo reijcere poteſt. probatur: quia hæreticis tales apochriphos proferentibus authoritatem Eccleſiæ oppoſuerunt ſancti Patres. Athanaſius in ſynopſi rationem adferens, quare Euangelium Thomæ, Petri, & ſecundum Hebræos non recipiantur ait. Quatuor Euangeliorum libros ſacri, ſcilicet Eccleſiæ Canones nobis ſanxerunt. Præter iſta non eſt vllum aliud. Auguſtinus citantibus Manicheis ex Euangelio Thomæ reſpondet. Huic ſcripturæ licet nobis non credere: quia non eſt in catholico canone de ſer. Domini in monte lib.1.cap.38.item contra Fauſtum.lib.22.cap.79. Has inquit ſcripturas canon eccleſiaſticus reſpuit. Sic de libro Enoch, & aliorum Prophetarum ſcriptis. ea inquit caſtitas canonis non recipit, & iterum. Non inueniuntur in Canone, quem populus Dei recipit. de Ciuit. Dei lib.18.cap.38.ergo ex Eccleſiæ canone,& authoritate tales reiectę ſunt.

Athanaſ. Auguſt.

Eccleſia multipliciter reprobat apocryphos libros.

Obſeruandum eſt tamen, quod Eccleſiæ authoritas vt in recipienpo ſic in reijciendo aliquo quod ad fidem pertinet multipliciter exercetur. Primum quam aliquid ſolemniter reprobat, quod fieri ſolet in Concilijs, quando ita rei grauitas poſtulat. Deinde quando aperte non teſtificatur alicui rei, ſed dubiæ fidei eſſe patitur, ſic Auguſtinus docet libros apocriphos vocari: quia nulla teſtificationis luce declarati ſunt, ſed de neſcio quo ſecreto, quorundam præſumptione proferuntur.lib.11.cap.2.contra Fauſtum. Tertio modo quando per certa media ſuam voluntatem Eccleſia declarat, & inter quæ eccleſiaſticorum virorum ſcripta, & iudicia vnum medium conſtituunt, illorum enim teſtimonijs ſępe contenta Eccleſia, nihil aliud ſibi faciendum putat ad aliquod dogma reprobandum. Quocumque autem horum mediorum aliquid reijciatur per Eccleſię authoritatem reijci cenſendum eſt; quia ex eius authoritate fit, vt vel Doctorum virorum iudicia approbentur, vel aliqua lux teſtificationis rei alioqui obſcuræ & dubiæ afferatur. Ex quo ſequitur quod & ſi tales apocryphos nullo fortaſſe canone reiecit Eccleſia, tamen ſatis eſt quod nulla teſtificatione eos admiſerit. poſito enim certo canone ſcripturarum, quicquid extra illum eſt, damnari cenſetur vt ex Athanaſio dictum eſt.

Auguſt.

Vnde & Auguſtinus. Non ſine cauſa, tum ſaluber vigilantiæ Canon eccleſiaſticus conſtitutus eſt, ad quem certi Prophetarum & Apoſtolorum libri pertineant. Contra Creſco.lib.2.cap.32.& iterum. Multa inquit ſub nomine Prophetarum & Apoſtolorum ab hæreticis prolata ſunt, quæ omnia ſub nomine apocryphorum authoritate canonica diligenti examinatione remota ſunt. de Ciuitate Dei libro 15. cap.23. ideſt extra canonem reiecta ſunt.

Auguſt.

5. Conclu.

Quinta concluſio. Eccleſia dubios ſcripturarum libros ſua authoritate approbauit, & Canonicos fecit. Hæc concluſio patet: quia variæ ſcripturæ ſunt in Canone à multis ſeculis, idque authoritate decernentis eccleſiæ, quæ ab Apoſtolis, & eorum proximis ſucceſſoribus receptæ non erant, vt patet de epiſt. Iacobi de qua cum diu dubitatum eſſet, vt refert Euſebius lib.2.c.22. tamen à Concilio Laodiceno canone vltim.& deinceps ſemper, vt ab Innocentio epiſt.3.c.7. à Concilio Carthag.3.c.47. ab Auguſt. de doctrin. chriſtiana.lib.2.c.8. à Hierony. in catalogo de viris Illuſtribus,& à Gelaſio in Concil.70. Epiſcoporum in canonem recepta eſt. Sic libros Machabeorum Iudith, Tobiæ,& Ioan. Apoc. Cum vſque ad Concilium Nicęnum.1.pro dubijs habiti fuiſſent (nam in Concilio Laodiceno prædicto in canone non numerantur) tamen à Concilio Nicęno in canonem recepti ſunt. vt de libro Iudith commemorat. Hierony. in præfatione in eundem, de Apochalypſi Ioan. Athanaſius in ſynopſi,& poſtea à Concilio Carthag. Auguſtino, Innocentio,& Galaſio locis citatis inter canonicos numerantur. Denique in hunc vſq; diem à catholica eccleſia pro Canonicis ſcripturis, nec alio loco, quam cętere in fidem admiſſæ ſunt. Ergo potuit aliquando dubios ſua authoritate canonicos facere eccleſia.

Euſebius. Conc. Lao. Innocen. Conc. Car. Auguſt. Hierony. Gelaſius. Conc. Nic.

Aliquis ſcripturæ liber tribus modis pōt eſſe in dubio.

Obſeruandum eſt tamen quod aliquis ſcripturæ liber ſicut & aliud quoduis credibile ſub dubio eſſe poteſt triplici reſpectu. primo ita vt tam à doctis quam ab indoctis de eius fide dubitetur, nec vnquā ab aliquo in Eccleſia, vel populo fideli, vel Magiſtro eccleſiaſtico approbatus fuerit. Huius generis erant certo apocryphi, & ſuppoſititij Apoſtolorum libri, de quibus ſupra. ſic Euſebius penitus apocryphas, & nothas ſcripturas illas definit, de quibus nemo vnquam ex ſcriptoribus eccleſiaſticis in ſcriptus ſuis meminit lib.3.capit.19. Quo argumento Petri ..cla, & Euangelium,& Apocalipſyn reijcit. Quia nullus (inquit) ſcriptor eccleſiaſticus, vel ex veteribus, vel hodie teſtimonijs illorum librorum vſus eſt lib. eodem.c.3. Tales libros, quia manifeſte reiectos eccleſia canonicos facere non poteſt.

Euſebius.

Secundo modo ſcripturæ liber dubius eſſe poteſt reſpectu populi fidelis, quia publice non eſt receptus; ſed non reſpectu Doctorum; quia ab illis interdum allegatur, quod etiam duobus modis fit. Aliquando enim allegatur à doctis non quidem vt liber plane diuinus, ſed tamen vt ſanctus & vtilis, & talis liber Hagiographus dici ſolebat, cum nondum in canonem eſſet relatus; ſic diſtinguit Hieronymus in Præfatione in libros Salom. dicens; tales ad ædificationem plebis legi ſolitos à veteri Eccleſia, ſed non ad authoritatem dogmatum confirmandam. Huius generis ſolis cathecumenis legi ſolitos ſcribit Athanaſius in ſynopſi. Sic Canon Apoſtolorum 84.iubet librum ſapiētiæ, qui diu inter huius generis libros habitus eſt, extrinſecus legi,& ab adoleſcentibus perdiſci. Denique & Euſebius hoc modo diſtinxit certos canonicos libros ab huius generis: quia iſti in controuerſia quidem erant poſiti, tamen à pleriſque eccleſiaſticis viris euolui, & pertractari ſoliti erant. Hiſt. eccleſiaſt.lib.3.cap.19. Huius generis libri, cum ab initio viderentur ſemper eſſe ſancti, & boni, tandem etiam pro diuinis, & canonicis declarati ſunt.

Hierony. Athanaſ. Euſebius.

Aliquando rurſum liber reſpectu populi dubius, à doctis tamen, & Eccleſiæ Magiſtris ſic allegatur, vt liber plane diuinus non ſolum ſanctus & eccleſiaſticus. Et hoc proxime mouit Patres ſubſequentes, vt tales in numerum Canonicorum librorum referrent. Sic Sanctus Auguſtinus librum ſapientiæ pro diuina ſcriptura producit. Quia inquit proximi Apoſtolorum egregij tractatores eum teſtem adhibuerunt, nihil ſe adhibere

D. Aug.

niſi

Digitized by Google

niſi diuinum teſtimonium credentes. Hæc ille de prædeſt ſanct.cap.14. Sic Hieronymus de epiſt.ad Hebræos, & Ioannis Apocalypſi ſcribit. Nos inquit vtrumque recepimus, nequaquam huius temporis conſuetudinem, ſed veterum ſcriptorum authoritatem ſequentes, qui plerumq; vtriuſque vtuntur teſtimonijs, non vt interdum de apocryphis facere ſolent, ſed quaſi canonicis, & eccleſiaſticis, Hæc ille in epiſt.ad Dardanũ. Sic Dionyſi.Corint.epiſcopus, Apocal.Ioa.reijcere prorſus non audet, quia à multis coepiſcopis ſuis tam magni eam exiſtimari viderat.

[Hi]eronym. *[Dio]nyſius.* *[Co]rinth.*

Sexta Concluſio. Eccleſia præſens aliquos libros in canonem ſcripturarum referre etiã hodie poteſt, probatur quia Eccleſia Apoſtolis longo poſt tempore ſuccedens, quoſdam declarauit Canonicos ſcripturarum libros, qui tempore Apoſtolorum dubij ſunt habiti, vt ſupra dictum eſt, præſens autem eccleſia ab illa ſuccedente nullo modo differentem habet poteſtatem, ergo & præſentem eccleſiam idem facere poſſe non eſt impoſſibile. Hęc concluſio eſt contra Thomam Vuald.lib.2.Doctrin.fidei cap.20. & 21. vbi tenet, quòd Eccleſia præſens nullo modo poſſit in canonem ſcripturarum aliquos libros referre, qui hactenus relati non ſunt. Tum quia hoc eſſet ſuperaddere ſcripturas ſine fine, & ſemper nouas reuelationes quærere; Tum quia elapſo Apoſtolico tempore non poteſt creſcere ſacrorum librorum numerus; quia illud fuit plenitudo temporis, & ſub illis lex Chriſti attegit ad perfectum. Tum quia Hieronymus exponens illa verba Pſal.86. Dominus narrabit in ſcripturis populorum, & principũ horũ, qui fuerunt in ea, dicit per Principes intelligi Apoſtolos, & euangeliſtas, ideoq; illis exceptis, quodcũque aliud poſtea dicitur abſcindendum eſſe, nec authoritatẽ habere ergo poſt illorum tempora creſcere ſcriptura non potuit.

Concl. *Thomas. Vualdenſ.* *Hieronym.*

Vnde ꝓ explicatione cõcluſionis, & ſolutione argumẽtorum Vualdẽſis obſer. eſt, quòd approbare nouã ſcripturam quadrupliciter intelligi poteſt, vno modo quo ad ſolam approbationem, & declarationem, non autem quoad ipſam ſcriptionem, & ſic olim atque Apoſtolorum tempore ſcriptam, ſed illo adhuc tempore nõ dum in canonem redactam potuit Eccleſia ſuccedens approbare, & in canonem referre, vt dictum eſt. Alio modo quo ad ipſam etiam ſcriptionem, ita vt poſſit Eccleſia nouum aliquem librum ſacrum ſcribere, & in canone diuinarum ſcripturarum referre. Sed hoc modo nec ſuccedens eccleſia, nec præſens poteſt nouam aliquam ſcripturam approbare, tertio modo talem nouam ſcripturã approbare, quę olim reprobata fuit, vt euangelium Thomæ, Petri, & ſimilia, quæ ſemper inter apocrypha numerata ſunt. Talem vero ſcripturam nec ſuccedens aliqua, nec præſens Eccleſia vnquã approbare potuit, ſic enim ſibi ipſi contrarius eſſet ſpiritus ſanctus, quarto modo noua ſcriptura approbari talis poteſt, quã nec reprobauit nec approbauit vetus Eccleſia ſaltem, vt de eius approbatione conſtet, ſed vel nullum prorſus de illa iudicium tulit, eam in medio relinquens, & tollerans, vel ſi approbauit de approbatione certo non conſtat. Aliud enim eſt non probare, aliud reprobare, aliud reijcere, aliud tollerare, deniq; aliud ſententiam ferre, aliud ſuſpendere, & differre. Talis ſcriptura eſt liber Hermæ diſcipuli Pauli; Paſtoris nomine in ſcriptus, qui à multis antiquiſſimis patribus, Clemente, Irenæo, Origene, Athanaſio, Euſebio, Hieronymo citatur diligenter, & egregie commendatur. Tales etiam ſunt conſtitutiones Apoſtolicæ à Clemente editæ. Hos & ſimiles libros in canonẽ ſacræ ſcripturæ ſi præſens Eccleſia referret, nulla ratio obſtat, quin eos, pro canonicis admittere debeamus, æque atq; epiſt.Iacobi, alioſq; libros à ſuccedente Eccleſia in canonem relatos, admittimus, vt dictum eſt ſupra.

Approbare nouam ſcripturã quadrupliciter cõtingit.

Ad argumenta Vualdenſis reſpondeo, & ad primum dico, Hoc non eſſe ſuperaddere ſcripturas ſine fine. Non enim alias poteſt præſens Eccleſia de nouo admittere, niſi quæ Apoſtolorum tempore, & ſcriptæ, & etiam non dum reprobatæ fuerunt vt dictum eſt, quorum ſane certus eſt, & exiguus numerus. Deinde eccleſia ducitur ab ſpiritu ſancto, vt nec numerum excedere in ſuperaddendo, nec errare in addendo poterit.

Ad ſecundum dico, quòd plenitudo temporis non eſt ſolum illud tempus, quo Chriſtus, & Apoſtoli docuerũt, ſed etiam tempus hoc totum vſque ad alterũ aduentum Chriſti. Hoc totum eſt enim vna illa hora nouiſſima prima Ioan.2. vt docet Aug.lib.3.ca.36. de doct. Chriſtiana, & epiſt.80. lex quoque Chriſti attigit ad perfectum tempore Apoſtolorum in virtute, & ſemine totius doctrinæ Euangelicæ, non autem quo ad explicationem ſingulorum. Alioqui etiam poſt Apoſtolorum tempora creuit ſcripturarum Canon, vt etiam ſupra dictum eſt concluſione præcedenti.

Ad tertium dico, quòd Hieronymus loquitur de ſcripturis per ſolos Apoſtolos, aut eorum diſcipulos conſcribendis, & de approbatione ſecundo modo dicta, quæ eccleſiæ non competit vt dictum eſt.

QVAESTIO SECVNDA, de authoritate Papæ.

ECcleſiam Chriſti politiam habere non Democraticam, in qua omnes poteſtatem habẽt, aut totus populus, nec Antiſtocraticam in qua pauci optimates æqualiter gubernant; ſed Monarchicã in qua ſingulis parœcijs vnus paſtor, ſingulis Diœceſibus vnus epiſcopus, ſingulis Prouincijs vnus Archiepiſcopus, multis etiã prouincijs vnus Patriarcha præficitur ex pręcedenti quæſtione ſatis colligi poteſt. Nunc quæritur an Eccleſiæ regimen, ſit ita Monarchicum, vt etiã toti corpori eccleſiæ ipſiſq; multarum Prouinciarum patriarchis vnus aliquis ſupremus Pontifex præeſſe credendus ſit; ad cuius deciſionem ſequentes ſeptem articulos annectimus.

Art.1. Vtrum D. Petrus immediate ſuſceperit à Chriſto primatũ ſuper vniuerſos fideles etiã Apoſtolos, &c.

Art.2. Vtrum defuncto D. Petro ſit in Eccleſia aliquis eius ſucceſſor immediate habens a Chriſto eamdẽ poteſtatem, quam habuit Petrus.

Art.3. Vtrum Romanus Pontifex ſit Petri ſucceſſor, & Apoſtolicus Paſtor, & humano, vel diuino iure.

Art.4. Vtrum Papa ſit regula infallibilis in definitionibus fidei, & morum.

Art.5. Vtrum Papa poſſit errare in canonizatione ſanctorum, & ordinum approbatione.

Art.6. Vtrum Concilium legitime congregatũ, non dum autem confirmatũ, ſit maioris authoritatis, quã Papa ita vt poſſit Papæ leges imponere, quibus teneatur obedire, & nullo modo Papa poſſit decreta eius infirmare.

Art.7. Vtrum Concilium plenarium ſit ſupra Papam in crimine hæreſis, & in notorio crimine ſcandalizante Eccleſiam.

ARTICVLVS I.

IN hac quęſtione agimus de capite militãtis eccleſiæ quis nam ſit & de eius poteſtate: eccleſiã namq; elegãti methaphora D. Paulus corpus appellauit, quod ne ſit acephalum vel mõſtruoſum caput vnũ eſt aſſignandum. Eſſentiale autẽ primũ, ac principale eccleſiæ caput, in quod tendit fides noſtra, quod caput influit mẽbris gratiam, & iuſtitiam, Chriſtus eſt, quem (vt dicit Apoſt. ad Epheſ.1.) dedit Pater caput ſuper omnem eccleſiã, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo eius, qui oĩa in omnibus adimplet, & ad Coloſſ.1. Ipſe eſt caput corporis eccleſię, qui eſt Principium, primogenitus ex mortuis, vt ſi in omnibus ipſe primatum tenens, ſic Chriſtus eſt caput Primarium, in quod tendit fides noſtra, nos quoque membra, & corpus ſumus illius capitis 1.Corinth.12.

Eſt preterea Chriſtus fundamentũ, atq; lapis angularis fidei atq; eccleſiæ cui fundamẽto, & lapidi hæremus per fidẽ ſic dicit Apoſt.1. Corint.3. Fundamentũ nemo aliud ponere poteſt, præter id, quod poſitũ eſt ſcilicet Chriſtus. Nam in nemimẽ credimus niſi in Chriſtum; nemo caput fidei eſſe poteſt vllius hominum, in quẽ credatur, ſoluſq; Chriſtus lapis viuus eſt, ſuper quẽ debemus ædificari, & fundari tãquã lapides viui in domos ſpirituales 1.Petri.2. ſic ad Epheſ.2. Ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu. Solus pręterea Chriſtus caput eſt fidei ideſt caput eccleſię in quod credimus, quod caput influit mẽbris, fidẽ, ſpem, atque charitatẽ. Sic quoq; oẽs intelligimus authoritates ſcripturę, tribuentes ſoli Chriſto quatenus caput eccleſiæ

fidei ſcilicet in quod caput credimus &c. Deinde caput
miniſteriale, & ſecundarium eccleſiæ Petrus, ac ſui ſuc-
ceſſores ſunt, in quod caput non credimus, ſed obedi-
mus, veluti Vicario Chriſti. In hoc autem articulo de
Petri primatu inquirimus, de quo vnum eſt certum, al-
terum de fide. Certum eſt D. Petrum conſtitutum
fuiſſe à Chriſto immediatum caput eccleſiæ. Contro-
uertitur autem an habuerit poteſtatẽ ſuper omnes Apo-
Caietan. ſtolos, Caietanus tom. 1. opuſculorum tract. 1. cap. 2. re-
fert duas opiniones extremas, in tertio autem c. ponit opi
nionem mediam quam ſequitur.

Prima opinio eſt, omnes Apoſtolos eſſe æquales in po-
teſtate; & omnes immediate eſſe conſtitutos à Chriſto
totius orbis paſtores, & accepiſſe poteſtatem ſuper cor-
pus Chriſti verum, & miſticum, & per conſequens Pe-
1. trum non habuiſſe poteſtatem ſuper alios Apoſtolos. Fun
damenta huius opinionis ſunt hæc. Nihil dictum eſt
Petro, quod nõ ſimiliter Apoſtolis reliquis; Claues enim
acceperunt omnes Matth. 18. Quæcumque ligaueritis
ſuper terram, erunt ligata, & in cœlo, & Ioan. 20. Quo-
rum remiſeritis peccata remittuntur eis, peccatorum
2. namque remiſſione aperitur regnum cœlorum. Omnes
D. Hieron. in Apoc. ſunt fundamenta eccleſiæ. Item B. Hierony-
mus aduerſus Iouinianum. At dicis ſuper Petram fun-
datur eccleſia, licet id ipſum in alio loco ſuper omnes
Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni cœlorum accipiant,
& ex æquo ſuper eos eccleſiæ fortitudo ſolidetur, tamen
propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite con-
ſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio. Simile, quid habet
Origenes. Origenes in Mattheum, & eccleſia in antiquiſſima præ-
fatione de Apoſtolis canit. Quos operis tui Vicarios ei-
dem contuliſti præeſſe Paſtores, & confirmatur ex Ana-
cleto Papa in cap. in nouo. tibi. 22. dicente, quod cum Pe-
tro cæteri Apoſtoli honorem, & poteſtatem acceperunt.

3. Item Apoſtoli de primatu, & prælatura contenden-
tes increpantur à Chriſto Matth. 20. Scitis quia princi-
pes gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt po
teſtatem exercent in eos non ſic erit inter vos, ergo Chri
ſtus nemini dedit poteſtatem, & prælaturam; probatur
conſequentia: quia alias aliud doceret, & aliud faceret,
contra illud cœpit Ieſus facere, & docere.

4. Præterea Paulus ad Galatas 2. fatetur ſe in faciem Pe-
tro reſtitiſſe; In faciem (inquit) illi reſtiti, palam ſcilicet
contradixi obiurgando, hoc autem non decet ſubditum.
Non ergo agnouit B. Paulus. Petrum ſuperiorem, ſed
per omnia parem, ſimilique in gradu dignitatis conſti-
D. Hiero. tutum. Vnde D. Hierony. vt habetur in c. Paulus. el.
2. 2. q. 7. dicit Paulus Petrum repræhendit, quod non au-
deret niſi ſe non imparem ſciret.

5. Deinde, Petrus legitur act. 8. Miſſus Samariam ab
alijs Apoſtolis, ergo non fuit ſuperior illis, probatur con-
ſequentia, quia ſuperior non mittitur à ſubditis, ſed è
contra.

6. Subinde D. Paulus ad Gal. 2. aſſerit alios Apoſtolos
(inter quos recenſet Petrum) nihil ſibi dediſſe authori-
tatis, & poteſtatis, ſed eam accepiſſe à Chriſto, ergo Pe-
trus non fuit aliorum Apoſtolorum prælatus, probatur
conſequentia; quia alias ab eo omnes accepiſſent pote-
ſtatem, ſicut prælati inferiores à ſuperioribus.

7. Iterum. Item in electione Matthiæ Act. 1. & in ele-
ctione ſeptem Diaconorum Act. 7. non habuit præe-
minentiam, aut præeminens ſuffragium inter omnes
Apoſtolos, ſed omnes ſimul elegerunt, ergo non erat ſu-
perior illis, probatur conſequentia: quia alias non omnes
eſſent pares in ſuffragio.

8. In ſuper vetuſtiſſimi ſcriptores. Anacletus, Cypria-
Anaclet. nus, Athanaſius, Ambroſius &c. affirmant Apoſtolos
Cyprian. omnes pari conſortio præditos eamdem poteſtatem ac-
Athana. cepiſſe; cum igitur (vt Patres loquuntur) Epiſcopi ſucce-
Ambro. dant Apoſtolis, Par erit omnium Epiſcoporum poteſtas.
9. Item B. Auguſt. varijs locis, nimirum tract. 50. in Io.
D. Augu. & tract. 124. lib. 1. de doct. Chriſtiana c. 15. lib. 2. de Ba-
ptiſ. contra Donatiſt. c. 5. & apertius in enarrat. pſal. 108.
aſſerit Apoſtolum Petrum eccleſiæ nomine, atque in per-
ſona eccleſiæ claues accepiſſe. Quædam inquit dicuntur,
quæ ad Apoſtolum Petrum propriè pertinere videntur,
nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cum refe-
runtur ad eccleſiã, cuius ille agnoſcitur in figura geſtaſſe
perſonam, ſicut illud eſt. Tibi dabo claues & c. igitur Cla
ues non ſunt eius ſed eccleſiæ. Et confirmatur, quia vo-
cantur à Patribus claues eccleſiæ, non claues Petri; De-
mum. Teſtimonium potiſſimum, quod ex ſcripturis aſ- 10.
fertur ad probandum hoc Petri primatum, nihil momen
ti habet, ergo &c. antecedens patet, quia ex hoc maximè
probant Catholici Petri primatum, quod Chriſtus ei di-
xit Ioan. 20. Paſce oues meas; Quod autem hoc propoſi-
tum non concludat patet cum quia paſcere oues Chriſti
eſt docere verbo, & exemplo, vt ibi exponit Gloſſa ordi- *Gloſ. ordi.*
naria, omnibus autem Apoſtolis dictum eſt docete om-
nes gentes. Matth. 28. Tumque Petrus ipſe, ſcribens ad
alios presbyteros ait illis. Paſcite qui in vobis eſt gregem.
1. Petri. 5. Tum quia Chriſtus hoc loco, nullã nouam po-
teſtatem Petro confert, ſed veterem illi reſtituit, Apoſto-
latum ſcilicet quem negando Chriſtum merito amiſerat.
Et ad huius rei argumentum trinam ab eo requirit amo-
ris confeſſionem, quæ triplici negationi reſpõderet, qua-
ſique ſatisfaceret. Sic D. Aug. hunc locum exponẽs tract. *D. Aug.*
123. in Ioan. Redditur negationi trinæ trina confeſſio,
nec minus amori lingua ſeruiat, quam timori; ſit amoris
officium paſcere dominicum gregem, ſi fuit timoris in-
dicium negare paſtorem. Sic etiam Cyrillus Alexand. *Cyrillus*
hæc verba exponit lib. 12. c. 64. in Ioan. item & Hilarius. *Hilarius.*
Et confirmatur, Apoſtoli elegerunt Petrum, vt cæteris
præſideret teſte Anacleto Papa epiſto. 2. & apud Gratia- *Anaclet.*
num 2. d. c. In nouo, & d. 22. cap. ſacro ſanctam, ergo non *Gratian.*
fuit à Chriſto inſtitutus ſupremus paſtor his verbis paſce
oues meas.

Secunda opinio eſt in altero extremo, & conſtat du- *Apoſtoli*
plici propoſitione. Prima eſt omnes Apoſtoli acceperunt *oẽs dupli-*
immediate à Chriſto duas poteſtates ſcilicet conficiendi *cẽ accepe-*
Euchariſtiam, & abſoluendi à peccatis in foro animæ, *rũt à Chri*
primam acceperunt in cœna, quando eis dixit Chriſtus. *ſto imme-*
Hoc facite in meam commemorationem, & iterum, hoc *diate po-*
quotieſcumq; feceritis, &c. vbi Apoſtoli omnes ſunt or- *teſtatem.*
dinati ſacerdotes; Secundam acceperunt poſt reſurre-
ctionem, quando eis dixit Chriſtus. Quorum remiſeri-
tis peccata &c.

Secunda propoſitio. Propter has duas poteſtates, alias *Duas pote*
duas acceperunt cæteri Apoſtoli à D. Petro. ſ. epiſcopa- *ſtates acce*
lem, & iuriſdictionalem, probatur; quia D. Iacobus inſti- *perunt A-*
tutus fuit à Petro epiſcopus Hieroſolymorum, vt aſſerit *poſtoli im*
Anacletus Papa in cap. Porro. 66. diſt. & Paulus, & Bar- *mediate à*
nabas facti ſunt à D. Petro epiſcopi, vt colligitur ex illis *D. Petro.*
verbis actorum 13. Tunc ieiunantes, & orantes impo- *Anaclet.*
nenteſque eis manus dimiſerunt illos, vbi ait Gloſſa ma- *Gloſſa.*
nus eis impoſuiſſe per modum ordinandorum, & idem *Leo. Papa.*
teſtatur Leo Papa in c. Quod die dominico. d. 75. Quod
autem acceperint iuriſdictionem Spiritualem, in foro
exteriori à D. Petro, & non à Chriſto ſolum, probant te-
nentes hanc opinionem, ex ordine promiſſionis factæ
Petro, & alijs; nam Petro facta fuit promiſſio Matth. 16.
Tibi dabo claues &c. alijs autem Matth. 18. Quæcum-
que ligaueritis ſuper terram &c. qui ordo inquiunt inſi-
nuat alios Apoſtolos accepturos claues à D. Petro. Quod
inſinuat Leo Papa in cap. Ita Dominus diſtinct. 19. di- *Leo Papa.*
cens. Ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium
pertinere voluit, vt in beatiſſ. Petro Apoſtolorum om-
nium ſummo principaliter collocaret, vt ab ipſo quaſi
quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunde-
ret, vt exortem ſe eſſe intelligeret diuini miniſterij, qui
auſus fuiſſet à Petri ſoliditate recedere.

Tertia opinio eſt media. Pro cuius explicatione. obſer. *Apoſtoli*
eſt primo quod Apoſtoli Chriſti dupliciter ſunt conſi- *biſariam*
derandi. Primo quatenus Apoſtoli. Secundo quatenus *cõſiderari*
oues Chriſti, & membra eccleſiæ. Munus Apoſtolicum *poſſunt.*
eſt quadruplex, vt optime conſiderauit D. Thomas ſu- *D. Thom.*
per illud Pauli. 1. Corint. 12. Quoſdam poſuit Deus in ec *Munus*
cleſia Apoſtolos &c. primum eſt facultas prædicandi *Apoſtoli-*
Euangelium in vniuerſo orbe ex illo Matth. 28. Euntes *cũ eſt qua*
docete omnes gentes, & Marci, 16. Prædicatẽ Euange- *druplex.*
lium omni creaturę. Secundũ fuit poteſtas faciendi mira
cula in cõfirmationem prædicationis Euangelicæ ex illo
Lucæ 9. Conuocans Ieſus duodecim Apoſtolis, dedit eis
poteſtatẽ ſuper oĩa dęmonia, & vt languores curarent, &
Marci,

Digitized by Google

Marci vltimo. Illi autem prædicauerunt vbique Domino cooperante, &c. tertium fuit poteſtas iuriſdictionis ſpiritualis ſuper omnes fideles totius orbis in vtroque foro ex illo quodcunque ligaueritis, &c. & Ioan. ſecũdo Quorum remiſeritis peccata, &c. quartum fuit facultas ſcribendi libros canonicos, ideſt diuinam ſcripturam ex illo Ioan. 15. Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos: quia omnia quæcunque audiui à patre meo nota feci vobis, atq; ita habuerunt reuelationem à Chriſto omnium, quæ neceſſaria, & vtilia erant Eccleſiæ.

Apoſtoli oẽs immediate ab ipſo Chriſto ordinati fuerunt Epiſcopi, &c.

Secundo obſer. eſt, quòd Apoſtoli omnes diuino iure, & ab ipſomet Chriſto totius orbis Paſtores, Epiſcopi, Doctores, Rectores, Iudices demum ſunt conſtituti: nam ſi à Chriſto ordinati ſunt Apoſtoli omnes, ſane quidem diuina ordinatione omnia hæc, quæ retulimus habebunt, cum Apoſtolatus præſtantia, ſecum trahat non ordinis tantum poteſtatem, ſed etiam iuriſdictionis imperium. Hoc eſt quod Anacletus Papa dixit Apoſtolos videlicet omnes, qui erant pari conſortio, parem accepiſſe poteſtatem; neque puto quidquam potuiſſe D. Petrũ, quod pertineret ad hanc ſpiritualem politiam, quod non etiã præſtaret D. Ioannes ſi contingeret accedere, vbi fuiſſet Petrus. Credo enim pleniſſimam eos omnes à Chriſto poteſtatem in orbẽ vniuerſum accepiſſe. Quod enim legitur Sanctum Iacobum fratrem Domini ordinatum fuiſſe Epiſcopum Hieroſolymorum à D. Petro, & Ioanne; atque Paulum, & Barnabam ab Apoſtolis; non arbitror ſic eſſe intelligendũ, vt tunc denuo Epiſcopi crearentur, ſed quod tunc alicui ſpeciali Eccleſiæ conſecrabantur, aut inſigni cuipiam operi dedicabantur, atque ſimul modum, quo poſtea creandi eſſent, atque ordinandi Epiſcopi ipſorum Apoſtolorum exemplo docebantur.

Anaclet. Papa.

Poteſtates Eccleſiaſticę sũt ſex.

Tertio obſer. eſt ſex Eccleſiaſticas poteſtates immediate à Chriſto fuiſſe traditas, prima eſt ordinis hoc eſt ſacerdotalis poteſtas, & hæc fuit inſtituta, ac Apoſtolis tradita in cœna, quãdo dixit Apoſtolis Hoc facite in meam commemorationem, ideſt accipite poteſtatem hoc faciendi, hoc eſt conſecrandi. Secunda eſt poteſtas adminiſtrandi ſacramenta populo, & præcipue pœnitentiæ ſacramentum, & communiter dicitur, quòd fuit inſtituta, & tradita Apoſtolis, quando inſufflauit in eos dicens. Accipite ſpiritum ſanctum Quorum remiſeritis peccata, &c. & hæc poteſtas eſt ordini annexa, & ad hanc ſpectat poteſtas baptizandi, quoniam & ſi omnes poſſint baptizare in caſu neceſſitatis, ſoli tamẽ ſacerdotes poſſunt ex officio Tertia poteſtas eſt Iuriſdictionis, & eſt in foro exteriori. ideſt poteſtas corrigerendi, & inferendi pœnam in contumaces etiam in viros; & fuit tradita Apoſtolis Matth. 18. in iſtis verbis. Si peccauerit in te frater tuus, &c. & infra ſit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus, & quæcunque ligaueritis, &c. ideſt ligamine excommunicationis.

Quarta eſt poteſtas Apoſtolatus, ſeu prædicationis, quod idem eſt, & hanc cõtulit Apoſtolis Chriſtus Matth. & Marci vltimis capitulis. Ite prædicate Euãgelium omni creaturæ quinta, eſt poteſtas inſtituendi Miniſtros, diſtribuendi beneficia, & dignitates Eccleſiaſticas; & hæc poteſtas fuit collata D. Petro. Ioan. 21. illis verbis paſce oues meas; nam ad officium paſcendi, non ſolum ſpectat, quòd prædicet, audiat confeſſiones, & miniſtret ſacramentum pœnitentiæ, ſed etiam quod poſſit alios inſtituere ſuper determinatas regiones, & populos, ad eos paſcendos, & erudiendos in neceſſarijs ad ſalutem: Ideo Petro fuit data Poteſtas etiam inſtituendi miniſtros ad paſcendum & inſtituendum, & diſtribuendum cæteras dignitates Eccleſiaſticas, ſicut Epiſcopatus curas, &c. Vltima poteſtas Eccleſiaſtica, quæ oritur ex ſupradictis eſt poteſtas accipiendi, & etiam exigendi à ſubditis temporalia pro neceſſitatibus victus, & veſtitus inſtituta à Chriſto, quando dixit dignus eſt operarius mercede ſua.

Duo ſunt officiorũ genera.

Quarto obſer. eſt duo eſſe officiorum, ſiue poteſtatum genera, ordinaria, & delegata, hæc cum perſona, cui demandata fuerunt ceſſant penituſque intereunt, vt legati, Commiſſarij, Nuncij, priora vero eo vita functo, cui primum data fuerunt, ſucceſſorem poſtulant, vt Paſtor, Epiſcopus, Dux. Alex. & quidem quod ad cæteros Apoſtolos attinet, fuerunt illi quidem Paſtores, atq; Epiſcopi, locorum illorum ad quę diuina voluntate miſſi ibi vitã finierunt, quibus etiã in locis ſucceſſerunt homines, qui inde mortuorũ loco ſuffecti, nimirũ Archiepiſcopos, & Epiſcopos Andreas in Achaia; Iacobus Hieroſol. Ioan. in Aſia, &c. Apoſtoli vero ſeu legati à Chriſto miſſi ad vniuerſum terrarum orbem ſumma, & eadem prorſus, qua B. Apoſtolus Petrus authoritate, & poteſtate fuerunt (ſicut recte à B. Anacleto Epiſt. 2. Cypriano de ſimplicitate prælatorum. Athanaſio Epiſtol. ad Liberium. Ambroſi. in 2. ad Corint. cap. 12. dictum eſt) his duobus tantummodo dempt is, altero quod cæteris Apoſtolis collegis ſuis non præeſſent, altero quod orbis non eſſent Epiſcopi, ſeu Paſtores, ſed Apoſtoli, ſeu legati, quorum videlicet in totũ orbem poteſtas non erat ordinaria, ſed demandata, carens ſucceſſore: Petrus vero, & princeps fuit Apoſtolorum, & totius Eccleſiæ ordinarius paſtor. Nam quamuis Apoſtolorum omnium authoritas à Chriſto ipſo ſine medio profluxerit, tamen vniuerſi Petri Principatum agnoſcebant, & vt caput, ac principem ſequi tenebantur, hoc eſt quod Leo Papa dixit ad Epiſcopos Viennenſes Epiſt. 87. & habetur in cap. Ita Dominus diſt. 19. vt ſupra retulimus.

Anaclet. Cyprian. Athanaſ. Ambroſi.

Leo Papa.

Hæc officiorum diſcrimina Chriſtus Dominus non obſcure ſignificauit, quando diuerſis loquendi formulis ad Petrum atque ad reliquos Apoſtolos eſt vſus, de omnibus quidem agens vſurpat nomen Apoſtoli, & miſſionis. Ecce ego mitto vos. Matth. 10. & non eſt Apoſtolus maior eo, qui miſſit eum. Ioan. 13. Vnde à miſſione, ſeu legatione Apoſtolos, ſeu legatos appellauit; meminit quoque functionum docendi omnes gentes, baptizandi, ligandi, ſoluendi, peccata remittendi, & retinendi &c. quæ de commiſſione ſua per vniuerſum orbem, vt Legatos facere voluit. Petro vero loquens plurium curam committit, nempe omnium omnino ouium ſuarum, de quarum numero erant quoque ipſi Apoſtoli, de quibus dixerat Phariſæis. Ioan. 10. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego agnoſco eas, & ſequũtur mẽ, & vocibus vtitur, quæ permanens atque perpetuum officium deſignãt Paſtoris, nomine, atque Rectoris. Paſce oues meas. Rege oues meas. Ioan. 21. Tibi dabo claues, quod à Principibus fit in Repub. & Patribus familias in familia. Tu es lapis, ſeu ſaxum, & ſuper hoc ſaxum ædificabo Eccleſiam meã: fundamentum manet quam diu ſubſiſtit ædificium.

Petrus nõ eſt aliud fundamẽtũ à Chriſto ſed alterum.

Quinto obſeruãdum eſt, quòd D. Petrus non eſt aliud fundamentum, ſpecie videlicet, vel toto genere à Chriſto diſtinctum; quale eſt qui à Chriſto non mittitur, ſed ſe ipſum ingerit, vel qui Chriſto aperte aduerſatur, ſed eſt alterum fundamentum, eiuſdem quidem generis, ſed accidente differens; Cum Chriſtus ſit fundamentum principale, abſolutum, atque vitale. Petrus vero fundamentum ſubordinatum, participatum, & miniſteriale. Deniq; non eſt ἄλλο ſed ἕτερον, Chriſtus (ait Auguſtinus) fundamentum eſt primum, & maximum quo vlterius nihil eſt; ſed vt Chriſtus aperte dicitur ſanctus ſanctorum, ſic figurate dicitur fundamentum fundamẽtorũ. Hæc ille enarrat in Pſal. 86. Quemadmodum ergo principaliter Chriſtus, eſt bonus Paſtor. Ioa. 10. Vnus Magiſter. Matth. 23. Vna lux vera, quæ illuminat omnem hominem Ioan. 1. Et tamen miniſterialiter, & per participationem multos dedit Paſtores, atque Doctores Epheſ. 4. Quibus etiam dixit, vos eſtis lux mũdi Matth. 5. Sic omnino Chriſtus eſt vnicum fundamentum principale, primo Corinth. tertio, ſed per participationem, ſuperædificati ſumus ſuper fundamentum Apoſtolorum, &c. ad Epheſ. 2. & fundamenta domus Dei in montibus ſanctis. Pſal. 86. & licet præparatus ſit mons Domini in vertice montium Iſaiæ ſecundo, ideſt Chriſtus in capite Paſtorum, tamen ait Hieronymus ibidem ſuper vnum montium Chriſtus fundat Eccleſiam, & loquitur ad eum. Tu es Petrus &c. Sed hanc rem totam S. Baſilius præclare exponit in hom. de pœnitentia. licet Petrus Petra erat, non tamen Petra erat vt Chriſtus. Nã Chriſtus vere eſt immobilis Petra, Petrus vero propter Petram. Aziomata ſua Chriſtus largitur alijs, largitur eam non euacuatus, ſed ea nihilominus habens, Petra eſt, & Petram facit. Hæc ille.

D. Aug.

D. Hieron.

D. Baſil.

Quomodo cæteri Apoſtoli à D. Petro dicantur fundamenta.

Sexto obſer. eſt, quòd omnes Apoſtoli erant quædam fundamenta, & quidam Architecti, ad fundandam, inchoandam, vel colligendam, item ad paſcendam, regendam, vel perficiendam Eccleſiam. Sed ſolus Petrus erat pri-

Digitized by Google

primarium fu idamẽtũ miniſteriale,& generalis Archi-
rectus: quia ſoli illi dictum eſt ſuper hanc Petram ædifi-
cabo Eccleſiam meam, ideſt vniuerſalem o nnibus Apo-
ſtolis commune hoc erat, vt prædicarent Euangelium, vbi
non erat Chriſtus nominatus, nec ſuper alienum funda-
mentum ædificarent, ſed ipſi primi fundatores eſſent, &
vt ſapientes Architecti fundamenta ponerent, vt Paulus
de ſe ipſo ſcribit ad Roman. 15. & 1. Corinth. 3. Sed inter
ipſos fundatores miniſteriales, vnus erat Petrus, & ordi-
ne, & tempore primus fundator, & robore, ac ſoliditate
cęteris robuſtior, ac magis inuictus, vt Chriſti verba ma-
nifeſtant, & ſuper hanc Petram ędificabo eccleſiã meam,
& Portæ inferi, &c. & res ipſa oſtendit: quia Petri Eccle-
ſia adhuc firma manet, cæterorum omniũ Apoſtolorum
labores, & Eccleſiæ, quam primum a Petri conſortio re-
ceſſerunt, & ab illo firmari deſierunt, vel ad Paganorum
confuſionem redierunt, vel in languore ſchiſmatico con-
tabuerunt; omnes erant fundamenta, ſed nõ omnes erant
Petræ. Soli Petro hoc Chriſtus promiſſit, & poſtea con-
tulit, orans pro fide eius, vt non deficeret Lucæ. 22. omnes
erãt in Apoſtolico hoc, & fundatorum officio fratres; ſed
ſoli Petro dictum eſt confirma fratres tuos: quia ille ſo-
lus erat per participationem petra, vt Patres docent. Erant
itaque omnes Apoſtoli fundamenta, quo ad reliquã ec-
cleſiam, & ſibi ſubditos æqualiter, ſed quo ad ſe inuicem
nõ æqualiter: quia ipſorum Apoſtolorum caput erat Pe-
trus, omnes habebant parem poteſtatem, quo ad amplitu
dinem rerum gerendarum circa ſubiectas ſibi oues, ſed in
ordine gerendi ſupremus erat Petrus, aliter poſita omni-
moda æqualitate ſequeretur ſchiſma.

1. Concl. His obſeruatis ſit prima Cõcluſio. Omnes Apoſtoli fue
runt æquales D. Petro in Apoſtolatu reſpectu totius or-
bis, & hanc authoritatem immediate receperunt à Chri-
ſto, probatur vtraque pars ex locis allegatis in primo no-
tabili, vbi omnes immediate receperũt à Chriſto munus
prædicandi in toto orbe, & confirmatur ex D. Paulo ad
Gal. 1. dicente ſe eſſe Apoſtolum non ab hominibus, ne-
que per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Pa
trem, & iterum cap. 2. Qui videbantur eſſe aliquid, ideſt
alij Apoſtoli nihil mihi contulerunt, ſcilicet authoritatis,
quaſi dicat, ſe à Chriſto authoritatem Apoſtolatus reco-
piſſe, & non ab alijs Apoſtolis, vt aliqui inimici eius
putabant.

2. Concl. Secunda Concluſio. Diuus Petrus fuit immediate in-
ſtitutus à Chriſto Paſtor omnium fideliũ etiam Apoſto-
lorum, probatur primo ex ſcripturis ſacris. Nã poſtquam
Andreas adduxit Petrum ad Ieſum Ioan primo. Intuitus
illum Ieſus dixit. Tu es Simon filius Ioannis, Tu vocabe-
ris Cephas, quod interpretatur Petrus. Hoc autẽ nomen
Cephas, ſignificat non ſolum, quòd nouo nomine appel-
landus eſſet, ſed etiam quòd illud nouum nomẽ aliquod
ſingulare, & excellens in eo protenderet. Sic Gen. 17. Tu
vocaberis Abraham: quia Patrem multarum gentium
conſtitui te; idcirco etiam non ſtatim ei hoc nomen impo
nit, ſed imponendum longe ante prædicit. Sed nomen illi
impoſuit, poſtquam aſcendens in montem, (vt ait Mar-
cus cap. 3.) vocauit ad ſe quos ipſe voluit, & fecit vt eſſent
12. cum illo, & impoſuit Simoni nomen Petrus, eamdem
nominis impoſitionem diligenter quoque commemorat
Lucas, cap. 6. In qua nominis impoſitione obſerua primo
quòd eo primum tempore facta eſt noui nominis impo-
ſitio, quo duodecim Apoſtolos deſignauit Chriſtus, vt
Lucas refert, & eos miſit prædicare, vt ait Marcus, vt eo-
dem momento caput cæterorum Paſtorum inſinuaret,
quo ipſos Paſtores eligeret, & in opus mitteret. Nec prius
quia non eſt vſus capitis ſine corpore, nec poſterius quia
ſine capite vicario non voluit Paſtorum, & ouium cor-
pus eſſe, Non quod tunc completa eſſet ſui corporis my-
ſtici forma, ſed quia formari tunc illud cœpit, quaſique
in vtero Chriſti per primam Apoſtolorum prædicatio-
nem parturiri, donec in Die Pentecoſtes adueniente ſpi-
ritu ſancto tamquam anima eccleſiæ, vltimam ſuam for-
mam acciperet, ſecundo obſerua, quod & ſi tres Euangeli
ſtæ Matth. cap. 10. Marc. cap. 23. Lucas cap. 6. cęteros Apo
ſtolos nullo ſeruato certo ordine in hac vocatione Chri-
ſti enumerauerint, ſed Marcus, Iacobum, Lucas, & Mat-
thæus Andreã ſecundo loco poſuerint, & ſic de alijs, om-
nes tamen vno conſenſu Petrum primo loco tamquã in-
dubie caput cæterorum poſuerunt; tertio obſerua, quod
hæc noui nominis Impoſitio aliquid ſingulare, & excel-
lens in ipſa perſona Petri omnino notare debuerit, quia
ita ſemper in mutatis nominibus. Abrahæ ſaræ, Iſrael, &
aliorum veteris teſtamẽti obſeruatum eſt de qua re lege
Chriſoſt. homil. 18. in Matth. & Cyrillum; Alexan. lib. 2. Chriſoſt.
cap. 12. in Ioan. Cyrillus.

Item Matth. 16. Inquit Chriſtus Petro. Et ego dico tibi
quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo eccle-
ſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus
eam. Quibus verbis docet Chriſtus ideo Petri cognomi-
ne à ſe antea illum donatum fuiſſe; quia ipſe futurus erat
vera eccleſiæ ſuæ Petra, ideſt rupes, & fortitudo inuicta,
nempe ædificandæ eccleſiæ ſuæ fundamentum; primus
Architectus, indefectibilis Magiſter, & ſupremus Paſtor.
Hunc horum verborum ſenſum litteralẽ, atq; germanum
eſſe oſtendunt Chriſoſt. Hilarius, Hieronymus, Theophi
lactus, Euthymius, in hunc locum. Baſilius in hom. de pę Chryſoſt.
nitentia. Ambroſius lib. 6. cap. 2. in Lucam. Leo magnus Hilarius.
Epiſt. 89. & ſer. 2. in natale Petri, & Pauli Proſper. de vo- Hieronym.
catione gentium lib. 2. cap. 28. Tertull. lib. 4. contra Mar- Theophil.
cionem c. 13. Propter enim hæc verba Patres vocant Pe- Euthym.
trum fundamentum Eccleſię. Quare cum dicat Chriſtus Baſilius.
ſuper Petrum ſe ædificaturum eccleſiam ſuã, illis verbis Ambroſ.
eccleſiam meam indefinite prolatis ſignificauit totam ec- Leo Papa.
cleſiam ſuam; & Petrum totius Eccleſiæ fore Paſtorem Tertull.
primarium. Vnde Chriſoſtomus exponens, quod nam ſit Proſper.
proprium filij donum Petro hic datum. Pater inquit ad
Ieremiam dicebat, ſicut columnam ferream, & ſicut mu-
rum æneum poſui te. Sed ipſum quidem genti vni Pater.
Hunc autem vniuerſo orbi Chriſtus præpoſuit. Senſus
ergo verborũ Chriſti hic eſt. Quia tu me Chriſtũ filium
Dei naturalem, & redemptorem mundi confeſſus es. Id-
eo, & ego dico tibi &c. Ideſt, quod ego habeo per naturã
do tibi per gratiam: quia ſcilicet Tu es Petrus, ideſt Pe-
tra fundamentalis, & caput eccleſiæ poſt me, & pro me,
nam ſuper hanc Petram ædificabo eccleſiam meam. In
cuius ſignum, vt Principi Regni Eccleſiæ meæ militan-
tis. Tibi dabo claues regni cœlorum, & quas ego ha-
beo vt Princeps, ſecundum Apocal. tertio, Haber cla-
uem Dauid, qui aperit, &c. Tu vt meus Vicarius ha-
bebis in terra, & quodcunque ligaueris ſuper terram,
&c. ideſt tu aperies, & nemo claudet, tu claudes, & nemo
aperiet.

Item cap. 17. ſoli Petro, vt capiti aliorum dictũ eſt. In-
uenies ſtaterem in ore piſcis da pro me, & pro te Roga-
tus enim Chriſtus vt tamquã pater familias didrachma
ſolueret, iubet Petrum capto piſce aperire os eius, & ſtate
rem, quem ibi reperiret tollere. Illũ aũt ſumens da eis pro
me, & A ſolo patre familias, & Magiſtro domus ſolui de-
bet didrachma, Chriſtus ergo iubens ſolui etiã pro Petro,
manifeſte oſtendit Petrum quoque Magiſtrum domus
ſuæ ideſt eccleſiæ cenſeri debere ſic Chriſoſtomus. Vi- Chriſoſt.
diſti honoris excellentiam, quoniam & Petrus primo-
genitus erat homilia 59. in Matth. ſoluit autem ſtaterem
ideſt duplex didrachma, vt exponit Auguſt. ſermone Auguſt.
ſexto de verbis Apoſtoli pro ſe, & Petro, quaſi in vna fa-
milia duo eſſent capita ſubordinata, ſicut in Repub. Gu-
bernator, & locum tenens. Rurſum ſoluens pro ſe, &
Petro pro omnibus ſoluiſſe cenſetur, quia in Petro poſt
Chriſtum tanquam in capite omnes continentur. Sic
Auguſt. quæſt. ex nouo teſtamento quæſt. 75. Et in hunc
ſenſum hoc Chriſti factum Apoſtolos intellexiſſe appa-
ret; ſtatim enim Matth. 18. In illa hora acceſſerunt diſci-
puli ad Ieſum dicentes. Quis putas maior eſt in regno
cœlorum? Quia inquit Hieronymus videbant pro Pe- Hierony.
tro, & Domino idem tributum redditum, ex æqua-
litate pretij arbitrati ſunt omnibus Apoſtolis Petrum
eſſe Prælatum. Ideo interrogabant &c. Hæc ille in Com.
ibidem.

Et ſi dicatur, quod Hieronymus ſtatim ſubdit, Vi-
dens autem Ieſus cogitationes illorum, & cauſam erroris
intelligens, &c. Dico quòd error diſcipulorum non
erat in materia prælationis Petri. (Vnde Chriſoſtomus
homilia ſexageſimaſexta, in Matth. notat filios Zebedæi Chriſoſt.
agnouiſſe cæteris omnibus præterquam Petro præponi)
ſed

Digitized by Google

ſed in deſiderio gloriæ, vt ipſe Hieronymus ſtatim explicat, & conſequentia textus oſtendit cum Chriſtus aduocans paruulum ſtatuit eum in medio eorum, &c. obſerua tamen pro vt notat Chnſoſto. homilia 59. in Matth. quòd Marcus Petri diſcipulus, quia ingens hic honor Magiſtro deferebatur ipſo forſitan Petro deprecante, ne de eo magnifica diceret, hoc factum in ſuo euangelio prætermiſit, negationem tamen Petri non ſiluit. Et ſanè tacet quoque Marcus, quæ Matth. 16. de Petri dignitate dicuntur, præcedentia tamen, & conſequentia vbi Petrus ſatan à Chriſto vocatur diligenter commemorat. ſic etiam verba illa Lucæ 22. & Ioan. 21. quæ de fide Petri indefectibili, & poteſtate paſcendi loquuntur, factum quoque Matth. 14. ideſt quòd Chriſto annuente Petrus ambulauit ſuper aquas Marcus penitus prætermiſit, cuius Euangelium à Petro lectum, & approbatum, imo vt aliqui exiſtimant dictatum fuit. Hanc enim ob cauſam Petri Interpres vocatur à Tertulliano contra Marcionem lib. 4. ab Irenæo lib. 3. cap. 11. & à Hieronymo in cathalogo virorum illuſtrium.

Item lucæ. 22. Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus cõfirma fratres tuos; circa quæ verba valde obſer. eſt, quòd in communi omnium Apoſtolorum periculo ſolum Petrũ Chriſtus confirmat in fide. Satanas inquit, experiuit vos vt cribraret ſicut triticum. Ego autem rogaui pro te; ex hoc enim manifeſte oſtendit Chriſtus, quod Petri tamquã capitis cæterorum maiorem curam habuit, vt videlicet per illum poſtea alij confirmarentur, vt notant *Leo magn.* Leo Magnus in ſermone anniuerſario aſſumptionis ſuæ, & *Auguſt.* Auguſt. in lib. de quæſt. vet. & nou. teſtam. quæſt. 79. & ſermo. 124. de tempore. Pro fide autem Petri in ſpecie rogauit Chriſtus, vt ille conuerſus confirmaret fratres ſuos, quæ verba plane oſtendunt Petro datam eſſe curam cæterorum omnium, etiam ipſorum Apoſtolorum. Nam fratrum nomine Apoſtolos Chriſtus intelligit, de quibus dixit, quòd ſatanas expetiuerat eos cribrare, &c. deinde confirmare fratres ideſt ipſos coepiſcopos, collegas, & comminiſtros, eſt proprium officium firmæ Petræ cui cæteri omnes innitantur, qualem Petrum futurum Chriſtus Matth. 16. promiſerat. Confirmare autem eſt vacillantes in fide corroborare, aberrantes à fide reducere, pertinaces reprimere, denique totius gregis ſaluti contra luporum rabiem proſpicere. Quare ex hoc loco primatum Petri diligenter annotàrunt Patres. Lege Ambroſium in Pſalm. 43. & Theophilactum lucæ 22.

Demum Ioan. 21. apertis verbis Chriſtus Petrum ſupremum totius eccleſiæ Paſtorem conſtituit. Dicens eiter repetito ſermone, Paſce agnos meos, paſce oues meas. Vnde obſerua, quòd poſt reſurrectionem, poſt datam cæteris Apoſtolis remittendi peccata poteſtatem Ioan. 20. Iam iam ad Patrem aſcenſurus atque adeo aut tunc, aut nunquam Vicarium conſtituturus, hæc verba Petro dixit, vt notauit *Ambroſi.* Ambroſius ſuper Lucam, libro 10. cap. 24. Chriſtus, inquit, eleuandus in cœlum amoris ſui Vicariũ Petrum reliquit, ſecundo obſerua, quòd exigit Chriſtus à Petro dilectionem plus cæteris. Simon Ioannis diligis me plus his? quia diligenti plus cæteris datur poteſtas paſcendi pluſquam cæteris, notauit hoc *Ambroſi.* Ambroſius loco ſupra citato dicens, Quia plus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur; tertio obſerua quòd dicit oues meas indefinite, & generaliter, vt alibi. Animam meam pono pro ouibus meis. Ioan. 10. ideſt pro ſalute totius mundi primo, Ioan. ſecundo, & erit vnum ouile, & vnus Paſtor, principaliter Chriſtus miniſterialiter petrus. Denique hic oues meas, vt Matth. 16. eccleſiam ideſt vniuerſalẽ. Sicut enim Dauidi in figura 2. Regula quinta, Chriſto in promiſſione Ezechiel. 34. & Mich. 5. re autem ipſa Matth. 2. Qui reget populum meum Iſrael, ſic petro præſenti tanquã Vicario Chriſtus, dicit paſce oues meas, ideſt rege eccleſiam meam, & princeps eſto ſuper populum meum. Demum obſerua, quòd propter tantam verborum ſignificationem ex hoc potiſſimum loco patres petri primatum colligũt. Ita Origenes in capit. 16. ad Romanos. ſic Chriſoſt. lib. 2. de ſacerdotio, & alibi; Quemadmodum ſequitur Theophilactus in Com. ad hunc locum, & Greg in Regiſt. lib. 4. epiſt. 2. & cæteri omnes.

Secundo probatur ex vetuſtiſſimis pontificibus petri ſucceſſoribus Anacleto epiſt. 3. Melchiade, Alexandro, pio, pontiano, Anthero, Cornelio fortiſſimis martyribus, & epiſtola prima, & in reſcripto ad Orientales. Iulio; ad D. Athanaſium, & epiſcopos Ægypti, Liberio, epiſtol. 44. Leone; & libro quarto, epiſt. 32. Gregorio, Sanctiſſimis Confeſſoribus, præclariſque eccleſiæ doctoribus petri primatum cognitũ fuit, atque poſteris per manus traditum. Item aliarum eccleſiarum præſules, ipſique Imperatores, cod. de ſumma Trinit. & apud Nicephorum lib. 12. cap. 6. B. *Nicephor* Apoſtolum petrum Apoſtolorum principem decretis publicis nuncuparunt. Chriſoſt. hom. 9. de peni- *Chriſoſt.* tentia homilia ſecunda, in pſalm. 50. homil. 66. & 86. in Matth. in hac re frequens eſt. Cyrillus Hieroſolymitanus, *Cyrillus. Hieroſol.* Cathec. 2. 11. 17. Cyrillus Alexan. lib. 2. in Ioan. Ambroſius, *Cyrillus. Alex.* ſermon. 47. Auguſt. tract. 56. in Ioan. & quotquot fuerunt orthodoxę fidei profeſſores hoc Idem indubitanter docent. *Ambroſi. Auguſt.*

Tertio probatur rationibus. In Iudæorum ſynagoga in qua tanquam primis lineamentis maieſtas eccleſię Catholicæ adumbrata fuit vnus Aaron cum poſteris ſuis præfectus eſt ſacris rebus, quæ ad populi inſtitutionem, & ſpiritualem directionem faciebant, non modo, vt Doctor, vel inſpector, vel cæremoniarum curator, ſed vt verus cum Imperio, & authoritate princeps. Qui (inquit lex Deuteron. 17.) Noluerit obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis moriatur, ergo hoc magis dicendum eſt in eccleſia Chriſti. Nam quæ fuerit mens Chriſti in conſtituenda eccleſiaſtica politia, vel ex ipſa Apoſtolorum ambitione intelligitur. Quoties enim Saluator diſceſſus ſui ex hoc mundo mentionem fecit, ſtatim vel taciti ſecum cogitabant, vel inter ſe diſceptabant. Quis ipſorum eſſet maior lucæ. 9. vel etiam quærebant, Quis maior eſſet in regno cœlorum Marci. 9. & Matth. 18. in eccleſia nempe, quam toties à Chriſto nomine regni cœlorum vocari audierãt. Adeoque primatus iſte eorum animis, & cogitationibus inſidebat, vt nouiſſima cena, cum audita mentione, & mortis inſtantis mętore affici debuiſſent, facta ſit tamen contẽtio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior. Intelligebant enim neceſſarium eſſe paſtorem, qui Chriſto diſcedente vniuerſo gregi præeſſet.

Audierant enim illi quidem alias petro dictum. Tu es petrus, & ſuper hanc petram, &c. Matth. 17. Sciebant quoque ſtaterem datum Chriſti, & petri nomine tributum in Ciuitate Capharnaum. Matth. 7. Vnde videri poterat committendam petro Chriſti familiam. Sed quòd obſcurius Chriſtus ſæpe loqueretur, varijſque parabolis veritatem tegeret, non apertè intelligebãt petrum ad hoc munus obeundum deſignari, donec poſt contentionem in poſtrema cęna his verbis petrum compellaret. Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, &c. lucæ 22. & poſt reſurrectionem à mortuis iterum. Simon Ioannis diligis me plus his, paſce oues meas, paſce agnos meos, Ioan. 21. ex eo enim tempore nulla amplius controuerſia, vel quęſtione mota B. petro omnes primas detulerunt, & D. petrus curam commiſſi greggis agnoſcens, officio ſuo non defuit.

præterea ſi priuatis eccleſijs ſinguli præſint, & nemo ſit, qui ad generale totius Reipubl. Chriſtianę bonum ex officio incumbat, ſequitur dum ſuæ quiſque Eccleſiæ commodis inuigilat, nec extra commiſſum ſibi gregem cogitationem ponit, ſalus Reipub. Chriſtianę communis neglecta intereat, atque adeo nulla erit cura conuerſionis gẽtium, propagationis fidei, reducendorum hęreticorum in alienis terris, vbi vel nulli ſunt paſtores, vel deſides, dum quiſque tantum negotiorum habere ſe putabit domi ſuæ, aliena peregrinaque vt curare non poſſit.

Deinde ſi controuerſia inter paſtores oriatur de rebus fidei, vel negotijs Eccleſiaſticis, quæ ad ſæcularium hominũ cognitionẽ referri nõ debeat, nemo erit ordinarius Iudex, qui litibus diſcernendis partes diſſentientes ad concordiam conſenſumque retuocet.

Tertio frequenter occurrunt negocia, quæ ad vniuerſæ eccleſiæ vtilitatem conſtituenda ſunt, omnibuſque Chriſti fidelibus denuncianda, atque mandanda, quæ niſi ab vno paſtore imperari commode, & ſuſcipi con-

con fructu non poſſunt, quod in multis perlucide demonſtrari poſſet, ſed ſufficiat exemplum de noui Calendarij editione, quæ diſſipatis toto orbe terrarum Chriſtianis niſi à totius orbis Præfecto apte proponi non potuit, atque ita in cæteris.

Quarto ad Generalia Concilia indicenda, & totius orbis Epiſcopos Primates; & Patriarchas conuocandos neceſſaria eſt vnius omnium ſuperioris authoritas, qua conuentus diuerſiſſimis ex orbis oris, ac regionibus conuocetur, qui cum nullus nec per europam quidem, ſit ſecularis (Imperatori enim vix Germaniæ proceres obtemperant, ne dum Hiſpani, Itali, Galli) erit vtique vnus Prælatus eccleſiæ ſacrorum Antiſtes, cuius omnia nutui, & piæ voluntati debeant inniti.

Cyprian. Quinto. Niſi vnus ſit, qui vnitatem contineat perhibit Eccleſiæ vniformitas, quemadmodum B. Cyprianus lib. de ſimplicitate Prælatorum annotauit. Quiſque enim, quod ſibi rectum iudicabit, id in eccleſiam introducet, conſuetudines mutabit, & in errores labetur, quod Græcis, Armenibus, Aethiopibus alijſq; nationibus poſtquam ſe à coniunctione Romanæ Eccleſiæ ſepararunt euenit ſe nonnunus. Hæc omnia inconuenientia, & abſurda agnouerunt Aduerſarij, ideoque non parum laborauerūt pro capite conſtituendo: Cumque non ignorarent lutherani ſecularem aliquem Principem à cæteris germanis in tantum honoris atque poteſtatis locum non admittendum, confugerunt ad Conſtantinopolitanum Patriarcham, cui Principem eccleſiæ ſuæ locum deferre ſtatuerant, ſi Auguſtanam confeſſionem ſuo calculo comprobatā ſtabiliuiſſet. Caluiniſtæ Turcarum Imperatorem ſolicitarunt, vt potentiſſimi Principis authoritate hæreſis tecta conſeruaretur; ſed nec Patriarcha ſuam fidem; nec turca ſuam infidelitatem, cum hæreticorum perfido errore mutare voluerunt.

Poſtremo optimam eſſe Monarchiam ipſi etiã; Philoſophi gentiles docuerunt, Chriſtus ergo qui eccleſiam ſponſam vſq; adeo dilexit, vt pro illa, & ſanguinem profuderit, & animam poſuerit, talem conſtituiſſe in hac ſua ſapientiam, & charitatem tantam decebat, vt tam dilecto populo ad quietem, & ſalutem maxime conueniebat, ergo monarchicam inſtituit politiam, præfecitque vnum, qui iure ſuũ eccleſiam vniuerſam regeret, atque ad ſupremum finem æternæ fælicitatis apposité, & ex ſacrarum litterarum præſcripto dirigeret.

3. Concl. Tertia Concluſio. Petrus hanc ſupremam poteſtatem dum vixit exercuit. Probatur primo ex his, quæ ad Petri ſupremam poteſtatem pertinent, quæ ſunt iſta. Primùm. Petrus pronunciat Iudam proditorem, Apoſtolatu, & epiſcopatu ſuo excidiſſe. Act. 1. vbi authoritatem pontificiam in deponendis epiſcopis primus exercet. Secundo. Ibidem proponit faciendam ſurrogationem noui Apoſtoli oportet ex his viris, &c. teſtem nobiſcum ſieri vnum ex iſtis; ſuper quæ verba Chriſoſtomus hom. 3. in Acta. *Chriſoſt.* Quàm agnoſcit ſibi creditum a Chriſto gregem? quàm in hoc choro Princeps eſt, & vbiq; primus omniũ incipit loqui? &c. Hic ergo Petrus authoritatem confirmandi fratres à Chriſto acceptam exercuit, proponendo noui Apoſtoli electionem, de cuius apoſtaſia merito turbati erant, lege Chriſoſtomum vbi ſupra, & homilia 51. in Matth.

Tertia ſupremæ poteſtatis actio fuit, quod ſtans Petrus cum vndecim, prædicauit primum euangelium Iudæis. Act. 2. Hic enim Eccleſia Chriſti actu incepit, vt notauit Ambroſ. ſer. 47. & poſt eum euthymius in Matth. c. 16. *Ambroſ. Euthym.* Idem primus prædicauit gentibus in domo Cornelij, idque ex reuelatione de cœlis. Actorum 10. Sic idem primus tum Hieroſolymis, vbi prima fuit Chriſtianorum Iudæorum Eccleſia, conſtitues Iacobum eius loci epiſcopum, Tum Anthyochię vbi primum erat Chriſtianorum Gentilium Eccleſia, & primo nominati ſunt Chriſtiani Act. 11. eccleſiam fundauit teſte Ignatio in Epiſt. ad Magneſianos. *Ignatius.*

Quarta ſupremæ poteſtatis actio fuit, Quod primum Archihæreticum Simonem magũ detexit, iudicauit, excommunicauit, ac denique deiecit, detexit dicens donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri; Iudicauit Dicens. In felle amaritudinis, & in obligatione iniquitatis video te eſſe, excommunicauit dicens, Non eſt tibi pars, neq; ſors in ſermone iſto, Act. 8. Romæ publice deiecit, & in cœlum adſcendere conantem in terram deiecit, vt refert Ambroſi. ſerm. 66. ſanctus Maximus homilia quinta, in Natali Apoſtolorum Petri, & Pauli. egeſippus lib. 3. capitulo ſecundo, de excidio Hieroſolymitano, & Hieronymus in Catalogo virorum Illuſt. *Ambroſi. Maximus. Egeſippus. Hieronym.*

Quintum ſupremæ poteſtatis argumentum, eſt quòd ille ſolus morti verbo derelinquentes adiudicauit ad terrorem cæterorum Ananiam, & Saphiram mentientes ſpiritui ſancto verbo occidit, Vnde factus eſt timor magnus in vniuerſa eccleſia. Act. 5. Et vocat hoc Greg. Magnus, maximum argumentum, quanta potentia ſupra cæteros exercuiſſet lib. 1. Epiſt. 24. *Gregor.*

Sextum ſupremæ poteſtatis argumentũ eſt, quòd orta Antiochiæ magna quæſtione circa fidem, quamuis non deeſſent tunc ibi Apoſtoli, & ſeniores, Paulus, Barnabas & alij, vt apparet Act. 13. tamen aſcenderunt Hieroſolymam ad eam decidendã, quia Petrus Hieroſolymis erat, vt ab ipſo afferrent ſolutionem, vt annotauit Theodoretus in epiſt. ad Leonem Magnum commentarijs eius in Paulum præfixa. *Theodor.*

Septimum ſupremæ poteſtatis argumentum eſt, quod in Cõcilio Hieroſolymitano primus ſententiam dixit, & totam litem primus definiuit, poſt cuius ſententiam definitiuam, tacuit omnis multitudo, &c. Act. 15.

Secundo probatur ex ſupremi honoris ſeu dignitatis argumentis. Honore namque, & dignitate Petrum cæteris omnibus iam ab initio præcelluiſſe argumēto ſunt multa. Primùm, quod vt in euangelio abſente Chriſto ad Petrum cæteri Apoſtoli colligi ſolebant (vt Marci 1. Proſecutus eſt eum Simon, & qui cum illo erant, ideſt cæteri Apoſtoli, vel diſcipuli, & Ioan. 21. Erant ſimul Simon Petrus, & Thomas, &c.) ſic poſt Aſcenſionem Chriſti, Apoſtoli omnes aſcenderunt, vbi manebant Petrus, & Ioãnes, ab illo videlicet, vt totius conſortij Duce, & collegij capite nunquam diuulſi.

Secundo quod Primus, & ſolus Iudæis loquitur ſocios defendens à ſuſpicione ebrietatis. Act. 2. primus & ſolus facit miracula facta apud populum, Act. 3.

Tertio quod ipſe primus miracula facit, idq; ſanando claudum pedibus, quod myſterio non carere docet Amb. ſer. 68. qui vt in eccleſia fidei fundamentum Petrus tenet, ita in homine membrorum fundamenta confirmat, atq; hæc quidem omnia in vnum colligens Chriſoſt. Petri primatum egregie ex illis concludit his verbis. Vide vbique Petrum circumcurſare, & primum inueniri. Quando eligendus Apoſtolus hic primus. Quando loquendũ Iudæis non eſſe Apoſtolos ebrios, quando curandus claudus, quando concionandum, hic præ alijs eſt. Quando agendum contra Principes, quando contra Ananiam, quando ab vmbra ſanationes fiebant, hic erat. Et vbi quidem erat periculum hic, & vbi moderatio, adeſt, vbi authoritate opus erat, vbi autē tranquillitate res erant plenæ communiter omnes, ſic non exigit honorem maiorem. Hæc ille hom. 21. in Act. Apoſt. *Ambroſ. Chriſoſt.*

Poſtremo ad ſingularem Petri honorem, & ſupremam dignitatem facit, quod Paulus poſt annos tres prædicationis ſuæ venit Hieroſolymam videre Petrum; ex Græco legitur, diſcendi cauſa inuiſere Petrum vnde ſubiungit, & manſi apud eum diebus 15. Quare hoc ex officio, & iure eiuſdem fidei, & prædicationis feciſſe Paulum ſcribit Tertullianus in Præſcript. ideſt vt oſtenderet ſe eamdem cum Petro fidem prædicare. *Tertull.* Dignum enim erat (ait Ambroſius in Com. ad hunc locum) vt cuperet videre Petrum, cui delegauerat Saluator curam eccleſiarum. *Ambroſ.* Quare hoc honoris cauſa factum fuiſſe diſerte Patres docent Principi Apoſtolorum (ait Theodoretus in Com. ibidem) cui par erat honorem tribui. *Theodore.* Idem ait Hieronymus in Com. ibidem, & epiſtola vndecima, ad Auguſtinũ. *Hierony.* Tantæ inquit authoritatis Petrus fuit, vt Paulus ſcripſerit. Deinde poſt annos tres, &c. Chriſoſt. homil. 87. in Ioan. *Chriſoſt.* Quia, inquit os Apoſtolorum Petrus erat, Princeps, & vertex ipſius coetus, propterea Paulus aſcendit eum videre præ alijs.

Quarta Concluſio inter D. Petrũ & alios Apoſtolos, quantum adiunctionem reſpectu aliorum fidelium aliquæ 4. Concl.

tua-

fuerunt differentiæ. Prima eſt, quòd Petrus habuit iuriſdictionem ordinariam, cæteri vero Apoſtoli delegatã, probatur, quoniam iuriſdictio ordinaria tranſit ad ſucceſſores, delegata autem minime, ſed ſola iuriſdictio Petri tranſit ad ſucceſſores Romanos Pontifices, ergo iſta iuriſdictio Petri ſuper totum orbem fuit ordinaria; aliorum autem Apoſtolorum fuit delegata; probatur minor: quia omnes Epiſcopi preter Papam ſunt ſucceſſores aliorum Apoſtolorum, quorum nullus habet iuriſdictionẽ ſuper vniuerſum orbem, ſed tantum ſuper certas diœceſes particulares reſpectu quorum Apoſtoli habebant ordinariam iuriſdictionem.

Secunda differentia eſt, quòd D. Petrus, & Romani Pontifices eius ſucceſſores, ſunt Prælati cæterorum omnium Apoſtolorum, & Epiſcoporum, alij autem Apoſtoli non fuerunt inuicem ſubiecti; probatur quia ſoli Petro ſine diſtinctione fuerunt commiſſæ omnes oues Chriſti, inter quas recenſentur etiam Apoſtoli, & Epiſcopi; alijs autem Apoſtolis non ſic. Ex quo ſequitur D. Ioannem Euangeliſtam, qui uixit poſt Petri mortem, cui ſucceſſit Clemens. (Linus enim Pontificatum tenuit viuente Petro) fuiſſe ſubiectum Clementi, Quamuis Euangeliſta eſſet ſuperior Clemente, quantum ad Apoſtolatum, immediate à Chriſto receptum; non tamen quantum ad Iuriſdictionem. Lege Caietanum vbi ſupra, qui alias differentias ponit. *Caietanus.*

Ad Argumenta ad primum, & ſecundum diſtinguo antecedens, de poteſtate Commiſſaria, & delegata concedo, de ordinaria autem nego, vt dictum eſt concl. quarta. Nam quo ad poſteriorem iuriſdictionem, & poteſtatẽ, non eadem ſunt dicta cæteris. Alius enim nullus audiuit paſce oues meas, hoc eſt Paſtor eſto totius Eccleſiæ, etiam Paſtorum, atque Apoſtolorum, qui non ſunt excludendi à nomine ouium. Neque eodem modo omnia dicta ſunt omnibus, alijs enim per verba, quæ functionẽ ſignificant, vt ſunt docere, baptizare, peccata remittere, & retinere; ligare, & ſoluere. Petro vero per verba officij ordinarij. Tibi dabo claues regni, Tu es Petra, ſeu Saxũ, ſuper te ædificabo Eccleſiam meam. Nomen Clauium ſicut nomen ſceptri proprietatem officij deſignat: Omnibus Apoſtolis data eſt functio in totam Eccleſiam non autem claues, hoc eſt conſtans officium, vocãtur illi quidem Paſtores Eccleſiæ, cum ab hac functione, quomodo Commiſſarij, Legati, Viſitatores nomen habent Superioris, curamque animarum, ad quas mittuntur. Tum quia veri Paſtoris, & Epiſcopi erant illarum Eccleſiarum, quas ſibi adiunxerunt. Nomen quoque Petræ plus aliquid includit, quam fundamentum: fundamenta quippe ædificium ſuſtinent. Petra autem ſeu rupes etiam ipſa fundamenta; dicuntur itaque Apoſtoli fundamenta Eccleſiæ; In qua ſinguli ſuos populos tanquam muros, & partis otius ædificij ſuſtentant quomodo B. Iulius Primus Epiſcopos omnes appellat columnas Eccleſiæ, quam proprijs humeris geſtant; neque quiſquam in hoc ædificio habendus eſt, qui non his fundamentis innitatur, id eſt, qui non alicui Epiſcopo catholico pareat. Petrus vero, vt rupes ſoliditſima (ſiquidem Chriſtus ſapientiſſimus architectus ædificauit domum ſuam ſupera firmam petram) etiam fundamenta ipſa continet, & ne in errores, & vitia labantur retinet authoritate paſtorali, vſque adeo, vt qui in hac rupe non eſt; neque ſuſtinet ædificiũ, neque ad verum Eccleſiæ ædificium pertineat. Qui enim cum Apoſtolica B. Petri ſede communionem in fide, & obedientia non habet; neque verus eſt Paſtor Eccleſiæ, ſed lupus; neque in Eccleſia niſi vt lupus in ouium grege verſatur. *Iulius Primus.*

Dico ergo primo ex ſcripturis non haberi, quod cæteri Apoſtoli claues acceperint, imo neque claues acceperunt eo modo, quo Petrus accepit, nempe quo ad ſupremum aliquod regimen, & cum poteſtate deriuandi vim in alios omnes, etiam ipſos reliquos Apoſtolos: hoc enim vnidatum eſt ad ſchiſma tollendum, vt dicit Hieronymus. Secundo dico, quod Hieronymus ea verba agoniſticè dicit, & in certamine contra aduerſariam Iouinianum hæreticum, non autem dogmatice, aut poſitiue, hęc autem diſtinctio quantum valeat, & quam ſit interdum neceſſaria vide Baſilium epiſt. 64. & Athan. in libello de decretis Nicænæ ſynodi Dico tertio, quod Patres cum dicunt cæteros Apoſtolos accepiſſe Claues, hinc exponunt quo ad poteſtatem ligandi, atque ſoluẽdi, quod fatemur, non autem illud exponunt quo ad plenam, & adæquatam poteſtatem clauium. *Baſilius. Athana.*

Item omnes Apoſtoli ſunt fundamenta, quo ad propriam Eccleſiam, & ſibi ſubditos æqualiter, ſed quo ad ſe inuicem non æqualiter, quia ipſorum Apoſtolorum caput erat Petrus; omnes habebant parem poteſtatem quo ad amplitudinem rerum gerendarum circa ſubiectas ſibi oues, ſed in ordine gerendi ſupremus erat Petrus, ne poſita æqualitate ſequeretur ſchiſma, vt dictũ eſt ſupra.

Ad confirmationem. Ex Anacleto Papa, reſpondetur, quod inſinuat omnes Apóſtolos fuiſſe æquales in iuriſdictione reſpectu totius orbis, & eam immediate a Chriſto ſuſcepiſſe, quod conceſſimus concluſione prima, non tamen iuriſdictio Petri, & aliorum fuit eiuſdem rationis, vt probatum eſt.

Ad tertium dico Chriſtum nemini dediſſe primatum diſpoſitiuum, quem interdixit Apoſtolis in illis verbis; ponit enim exemplum in gentibus tyranice dominantibus, dedit autem primatum Politicum Petro, quando ei dixit Paſce oues meas, quem Chriſtus non interdixit. Ait enim Paulus ad Rom. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, & 1. Petri. 2. Fratres ſubiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum. Siue Regi, quaſi præcellenti, ſiue ducibus tamquam ab eo miſſis, &c. vide etiam totum caput. 6. ſapientiæ. Vnde nota, quod primatus eſt duplex ſcilicet deſpoticus, quando aliquis dominatur alijs tamquam ſeruis tiranice, qualis eſt apud regem Turcarũ. Secundus eſt policitus, quãdo aliquis dominatur alijs ſecundum rectam rationem, & vtilitatẽ communẽ, vide ea, quæ ſcripſimus in Commentarijs noſtris ſuper Gen. in illa verba cap. 3. ſub viri poteſtate eris.

Ad quartum. Dico quòd ſi Petrus vere peccauit, & reprehenſibilis fuit, vt D. Auguſt. contendit in epiſt. 19. ad Hieronymum Potuiſſe Paulum Petrum reprehendere: non quia Petrus maior non eſſet: ſed quia maior cum eſſet voluit tamen fieri ſicut minor, iuxta Domini præceptum Lucæ 22. ideſt paſſus eſt modeſtiſſime ſe à minori fratre redargui. In vitio enim conuerſationis publico, & ſcandaloſo quale hoc erat fas eſt minori, maiorem arguere citra tamen contumeliam, & contemptum, ſicut paulus fecit; & eo maxime ſi inferior in aliqua re ſit ſuperiori Par, qualis res erat, functio Apoſtolica, & conuerſio gentium, In qua dum Paulus à B. Petro errorem, & quidem grauem committi cerneret, pro officio, quo ſibi ſciebat non à Petro, ſed à Chriſto creditam gentium conuerſionem putauit neceſſario monẽdum Petrum coram alijs, cum graui, ſed modeſta, ac reuerenti reprehenſione. Alij autem Patres, vt Chriſ. vt & Hieronymus in Com. ad hunc locum exiſtimant hanc reprehenſionem Pauli, & volente, & ſuadente Petro ex compoſito factam fuiſſe. Nemo tamen antiquorum Patrum primatui Petri per hanc reprehenſionem, quicquam detractum docuit. *D. Aug.* *Chriſoſt. Hieron.*

Ad quintum. Dico, quod mitti ab alio non probat minorem eſſe, qui mittitur, niſi qui mittit, vel ex imperio, vt maior, vel conſilio, vt ſapientior, mittat, vt diſtinguit D. Thomas. 1. par. q. 43. art. 1. ad primum. In quo ſenſu negatur aſſumptum. Nam potuit D. Petrus ab Apoſtolis mitti, non quia mandato illorum parebat, ſed quia volũtati, & deſiderio eorum acquieſcebat, qui hoc ex bono Eccleſiæ iudicabant, vt illi Principes Apoſtolorum in Samariam irent, quemadmodum Ioſue c. 22. filij Iſrael miſerunt Phinees ſummum Sacerdotem, & decem principes cum eo de ſingulis tribubus ad filios Ruben, & Gad &c. & ſicut Paulus, & Barnabas. Act. 15 Mittuntur ab Eccleſia Antiochena Hieroſolymam ad Apoſtolos ſuper quæſt. de Legalium obſeruatione, idque ex decreto Eccleſiæ illius, dicit enim Lucas ſtatuerunt, vt aſcenderent, Paulus, & Barnabas, & quidam alij &c. & ſicut Decanus, vel etiam Epiſcopus ſæpe mittitur à ſuo collegio, & Princeps Senatus à toto ſenatu. Præterea Petrus quidem erat caput Apoſtolorum, & totius collegij vertex; tamen membrum quoque collegij Apoſtolici, ideoque à toto collegio, quod in capite, & membris collectum maius eſt *D. Thom.*

ius eſt

ius eſt ſolo capite, mitti potuit, & ſi caput eſſet. Vel potius non rogatus, vel mandatum expectans, pro ſingulari zelo, quem habebat mitti ſua ſponte cũ Ioanne voluit.

Ad ſextum nego conſequentiam, & ad probationem dico, quod habet verum de iuriſdictione ordinaria non autem delegata, vel dicas, quòd Petrus nihil paulo contulit in illa ſecunda eius profectione ad Hieruſalem poſt annos 14. de qua loquitur Gal. 2. ſed in prima profectione poſt annos tres, de qua loquitur Gal. cap. 1. Quando aſcendit videre Petrum, idque diſcendi cauſa, vt vox græca ſignificat potius ei aliquid contuliſſe Petrus. Quanquam Primatus Petri ſupra reliquos non tam in docendo, quam in diſponendo, & moderando ipſos doctores ad veritatem conſeruandam conſiſtebat.

Ad ſeptimum nego conſequentiam: quoniam ſicut modo Papa, nõ ſolus, ſed ſimul cum Cardinalibus creat Epiſcopos, & Cardinales cauſa pacis, & concordię; quãuis in rigore ſolus poſſet illud facere; ita D. Petrus, quamuis ſolus potuiſſet eligere Matthiam, & illos Diaconos, noluit tamen id facere ſine aliorum conſenſu; vt docet

Chriſoſt. D. Chriſoſtomus, hom. 3. in Acta. vbi poſt verba ſuperius relata concl. 3. laudat Petrum, quod agat adhuc omnia ex communi diſcipulorum ſententia. Nihil, inquit, authoritate ſola, nihil cum imperio; potuiſſe eum tamen, vel ſolum Apoſtolum ſurrogare, aperte aſſerit. Quid? inquit, An non licebat ipſi eligere? licebat, & quidem maxime, verũ id nõ facit ne cui videatur gratificari. Hęc ille.

Ad octauum nego conſequentiam. Superius quippe dictum eſt in Apoſtolis duo fuiſſe, alterum, quod Apoſtoli Chriſti, hoc eſt legati erant; alterum, quod Epiſcopi, ſeu Paſtores. Hoc continet ordinariam poteſtatem, atque in ſucceſſores tranſijt; illud autem cum ſit perſonalis commiſſio moritur cum perſona legati. Succedunt ergo epiſcopi Apoſtolis, vt Paſtorib. in Eccleſijs, vbi ex hac vita migrarũt, quarũ fuerunt ordinarij Paſtores; nõ autem vt legatis, quibus in orbem vniuerſum data fuit

Apoſtoli vt fuerint pares. authoritas. Deinde, quod dicant Patres parem fuiſſem Apoſtolorum omnium poteſtatem, hoc de illa intelligendum eſt poteſtate, qua in alios omnes vtebantur, non autem de illa, qua in reliquos Apoſtolos, in quos ſolus Petrus authoritatem acceperat, atque in Eccleſiam vniuerſam officium Paſtoris ordinarium.

Ad nonum dico claues quidem Eccleſiæ datas eſſe in perſona Petri, intelligendo ſemper per claues poteſtatem

Auguſt. ligandi, & ſoluendi, vt ſemper intelligit Aug. idque quia figuram gerebat Eccleſiæ, vt Auguſt. dicit, ſed addendum ex Auguſtino, quod hæretici detruncarunt, propter primatum, quẽ in diſcipulis habuit loco citato in Pſal. 108. & rurſum propter Apoſtolatus ſui primatum totius Eccleſiæ gerebat figurata generalitate perſonam loco citato, ex tract. 124. in Ioan. Accepit ergo Eccleſia ideſt tota communitas prælatorum Eccleſiæ in perſona Petri, tamquam in perſona capitis, vt Reſpub. in perſona principis, vel magiſtratus ſupremi, aut vt Senatus ciuicus in perſona primi conſulis. Talis acceptio, non excludit perſonam Petri, aut Principis in Repub. vel primi Conſulis in Senatu, ſed maxime, & potiſſimum includit. Ille enim non ſolum cum cæteris accipit, ſed etiam præ cæteris inquantum caput eſt cæterorum. Sic Rex in perſona regni propter primatum, quem gerit, accipit à Deo gladium, quem portat. Accipiunt quoque eundem gladium alij Iudices, & prætores etiam ex ordinatione Dei, ſed per manũ Regis, & immediatam eius poteſtatem. Ita Petrus accepit claues in perſona omnium Apoſtolorum, propter primatum, aut Auguſtinus, quas poſtea Apoſtoli quoque cæteri acceperunt, & quidem à Chriſto, ſed per Petrum. Quod ſi nominè Eccleſiæ totum corpus fidelium intelligis, datę ſunt quidem, & illi, ſed ratione finis, non formaliter, quia propter fideles non propter Petrum datæ ſunt, vere tamen, & formaliter ipſi Petro; & hoc ſenſu vocantur à Patribus claues Eccleſiæ, non claues Petri. Porro ſenſus ille Auguſtini illuſtris, & intellectus, & myſticus, vt & ille quoque, quòd Iudas gerit perſonam inimicorum Chriſti, quem etiam ibidem in pſal. 108. Auguſtin. tractat, litteralis tamẽ, & proprius intellectus eſt de perſona Petri, hoc loco, & de perſona Iudę illo loco Epiſcopatum eius accipiat alter.

Ad argumentum ergo Negatur conſequentia, quia & Petro ſunt datæ claues, & Eccleſiæ, Petro quidem formaliter, quia aiebat Chriſtus, dabo tibi claues regni cœlorũ, tibi inquam Simoni filio Ionæ, non alteri alicui. Eccleſiæ vero, quia non Petro ſunt datæ, vt ab Eccleſia cogitatur ſeparatus, ſed vt Eccleſiæ capiti, & primario membro: Sicut enim toti homini datur galerus, quo tamen non vtitur niſi caput, & toti regno ſceptrum, quod eſt penes vnũ Regem: ita toti Eccleſiæ datæ ſunt claues, quarum cuſtodia, & diſpenſandi poteſtas eſſet penes D. Petrum. Vult ergo D. Auguſt. nõ ita in Petro eſſe clauium poteſtatem, vt eo moriente ille pereat, ſicut Apoſtolica poteſtas cum Apoſtolis reliquis ceſſauit, ſed quod ad ſucceſſorem tranſeat, ſicut ſceptrum ad alium Regem, qui in demortui locum aſſumitur.

Ad vltimum, nego antecedens, ad primam probationem dico, quod Gloſſa ordinaria corrupte adducitur nõ enim habet illam aduerſatiuam particulam. Non preeſſe toti mundo, ſed hanc, Non corporali cibo, aut pabulo. Docet ergo per verbum, paſce, doctrinam ſpiritualem intelligi, non pabulum corporale. Et hoc ſenſu omnes Apoſtolos, atque etiam Epiſcopos, vt confirmatio probat paſcendi mandatum accepiſſe à Chriſto verum eſt; ſed omnimoda, & æqualis poteſtas paſcẽdi, qualis Petro, nulli alij data eſt. Talem enim poteſtatem non ex ſolo verbo paſce, ſed ex multis alijs circunſtantijs prędictis colligimus, quæ non niſi in Petro locum habent.

Ad ſecũdam probat. dico. Quòd Petrus vocat alios Paſtores, & iubet paſcere, non propter totam poteſtatem communicatam, ſed propter partem ſollicitudinis in eos deriuatam. Sic poteſtas gladij eſt etiam in Ducibus, prætoribus, & magiſtratibus Regijs, non tamen cum tanta plenitudine, vt in ipſo Rege.

Ad tertiam dico, quòd Patres quidem docent hanc triplicem confeſſionem Petri reſpondere triplici negationi eius, ſed ille ſenſus huius loci moralis, & myſticus eſt, nõ litteralis; verus autem ſenſus litteralis huius loci eſt quem diximus concl. 2. vt aliorum Patrum ad litteram exponentium probat authoritas.

Ad confirmationem, dico quòd Verba Anacleti, quæ dicunt quòd Apoſtoli Petrum principem eorum eſſe voluerunt, non ita hoc dicunt: quia ex ipſa voluntate, conſenſione, aut electione Apoſtolorum, & non aliter, princeps illorum fuerit, ſed quia ad Chriſti ordinationem, & inſtitutum Apoſtolorum voluntas, & conſenſus obedienter acceſſit, quod probatur ex ipſo Anacleto, qui ibidem ait, quod Petro primo Pontificatus in Eccleſia Chriſti datus eſt, Domino dicente ad eum. Tu es Petrus &c. & tibi dabo claues &c. Vide quod fundat Petri Pontificatum ſuper verba Chriſti? & apertius in epiſt 3. Petro à Domino conceſſum eſt, & ipſi inter ſe voluerunt id ipſum, vt reliquis omnib. præeſſet Apoſtolis. Deinde Anacletus non loquitur de principatu Petri quaſi ex voluntate Apoſtolorum conceſſo, niſi reſpectu ipſorum Apoſtolorum, & ſupra ipſos. Inde autem probari non poſſet, quod etiam ex voluntate Apoſtolorum fuit caput totius reliquæ Eccleſiæ; Nam & ſi poterant ſe ipſos ſubijcere cui vellent, non tamen ita poterant reliquam totam Eccleſiam abſque mandato Chriſti ſubijcere. Atque hinc manifeſte vana apparet, eorum collectio, qui ſic argumentantur, Apoſtoli fecerunt Petrum ſuum principẽ, ergo epiſcopi poſſunt conſtituere Papam, qui ſit caput totius Eccleſiæ quemcumque epiſcopum, ſeu Petri ſucceſſorem, ſeu alium. Non enim idem ius habet aliquis in alium, quod in ſe ipſum. Imo ſic ad huc arguimus, Apoſtoli voluerunt Petrum eſſe principem ipſorum; ergo nõ erant de iure diuino æquales, ſed vnum Petrum cæteris præeſſe debere ex verbis Chriſti intellexerunt, probatur conſequentia; quia ſi Chriſtus voluit eos eſſe omnino æquales, profecto nec ipſi vni Petro principatum deferre ſine violato ordine à Chriſto poſito potuerunt; nec delatum Petrus accipere, ſine ſacrilegio potuit. Quare ex Anacleti verbis illud potius ſequitur, Apoſtoli voluerunt Petrum eſſe principem, ergo prius Chriſtus illud voluerat, atque ordinauerat. Ex quibus omnibus apparet grauis error Nicolai Cuſani, & aliorum, qui propter hæc Anacleti verba, per conſenſum Eccleſiæ, &

non

Digitized by Google

non ex iure diuino, primatum Petri, & ſucceſſorum eius introductum fuiſſe po!uerunt.

ARTICVLVS II.

Vtrum defuncto D. Petro ſit in Eccleſia aliquis eius ſucceſſor immediate habens à Chriſto eamdem poteſtatem, quam habuit Petrus.

PRo parte negatiua arguitur. Hoc non colligitur ex ſcriptura diuina, ergo non eſt aſſerendum, antecedens probatur, quia ſi ex aliquo loco colligeretur, maxime ex illis. Tibi dabo claues regni cœlorum; Paſce oues meas; & ego rogaui pro te Petre &c. ſed ex iſtis non colligitur, ergo ex nullo; probatur minor, Nam cætera verba, quæ in dictis locis ponuntur. ſ. Beatus es Simon Bar-Iona, & Simon diligis me plus his, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos, intelliguntur dicta perſonæ Petri, & non de officio, vt patet, ergo nec ſupra dicta; Confirmatur, dicitur tibi dabo, paſce oues, Rogaui pro te; & quod vni promittitur non poteſt ad plures pertinere, & confirmatur iterum; quia Paulus viuam eccleſiæ imaginem aliquoties nobis depingit, vt ad Epheſ. 4. vbi Apoſtolos, Prophetas Euangeliſtas, Paſtores, & Doctores enumerat, de vno autem capite non loquitur, cum id tamen locus iſte poſtularet, nec vllo modo debuit omitti ſi verum eſſet. Rurſum ibidem in illa comendatione vnitatis poſtquam dixerat vnum corpus, vnus ſpiritus, vna ſpes vocationis, vnus Deus vna fides, vnum baptiſma, cur non addit vnus ſummus Pontifex? nihil enim aptius dici poterat. Deniq; eodem capite ait Apoſtolus. Chriſtus caput eſt, ex quo totum corpus compactum, & connexum, per omnem iuncturam ſubminiſtrationis ſecundum operationem in menſura cuiuſque membri, augmentum corporis facit, vides vt omnes mortales ſine exceptione in corpore collocat, honorem & nomen capitis relinquat vni Chriſto. Fit ergo Chriſto iniuria, cum aliud caput ponitur. Nec ſufficit dicere hoc aliud caput eſſe miniſteriale, aut Vicarium caput, tale enim ſcriptura nuſquam exprimit, non debet ergo contra apertam ſcripturam illud admitti, quod ſcriptura tacet.

Secundo arguitur, Chriſtus non dixit Petro accipe tu claues, & tui ſucceſſores, ergo non extenditur promiſſio ad ſucceſſores, antecedens eſt notum, probatur conſequentia: quia ſi eſſet neceſſarium credere Petrum habere ſucceſſorem, id Chriſtus explicuiſſet, qui non deficit in neceſſarijs iuxta illud Iſaiæ. 5. Quid eſt, quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci? Confirmatur: quia Chriſtus inſinuans alios Apoſtolos, habituros ſucceſſores dixit eis Matth. 18. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſumationem ſęculi: ergo Petrus non habuit ſucceſſorem.

Tertio arguitur. Alij Apoſtoli tantum habent ſucceſſores in Epiſcopatu, ergo etiam Petrus tantum habet ſucceſſorem in Epiſcopatu Romano, & non in Epiſcopatu ſuper vniuerſum orbem, antecedens eſt notum ex dictis, & conſequentia patet à ſimili; ex quo iterum ſequitur Eccleſiam Romanam non eſſe magis Apoſtolicam, quam Arietinam.

Quarto arguitur. Si Petrus habet ſucceſſorem in Apoſtolatu ſuper vniuerſum orbem ſequitur quod etiam alij Apoſtoli ſimiles habent ſucceſſores, probatur conſequentia, quia vt dictum eſt, omnes Apoſtoli habuerunt ſpiritualem iuriſdictionem in vtroque foro à Chriſto immediate acceptam ſuper omnes fideles, ex quo rurſus ſequitur, quòd omnes Epiſcopi ſucceſſores Apoſtolorum ſunt Apoſtolici, & non ſolus Romanus ſucceſſor Petri.

Vltimò arguitur ex cap. 9. diſtinct. 93. & ex cap. olim. 95. diſtin. vbi dicitur Presbyteros, & Epiſcopos in primitiua Eccleſia non fuiſſe diſtinctos: quia magis conſuetudine, quam dominicæ diſpenſationis veritate Epiſcopi Presbyteri ſunt maiores, & ſunt verba D. Hieronymi ad primum caput epiſto. ad Titum, ad ea verba, conſtituas: ergo omnes Epiſcopi ſunt æquales cum Epiſcopo Romano iure antiquo, & per conſequens Petrus non habet ſucceſſorem in Apoſtolatu. Vide Caiet. 1. Tom. opuſculorum tract. 3.

D. Hiero.

Caietanus

Pro huius difficultatis explicatione obſeruan. eſt. Primo, quod verba quæ Chriſtus dixit Petro, quædam ſunt illi perſonaliter dicta, quæ non ſpectant ad vtilitatem Eccleſiæ, & per conſequens non pertinent ad officium paſtorale, vt illa Beatus es Simon Bar-Iona, & Simon diligis me plus his, & cętera huiuſmodi, quædam vero ſunt ei dicta ratione officij paſtoralis: quia ſunt in vtilitatem Eccleſiæ ſibi commiſſæ, vt illud ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum. Paſce oues meas, & rogaui pro te Petre; nam his verbis ſoli Petro nominatim tota cura paſcendi ſimul, & ſemel commiſſa eſt, atque ei in perſona claues regni cœlorum traditæ ſunt, atque adeo eius perſonæ ſucceſſio, & continuatio neceſſaria eſt non ſolum poteſtati illi traditæ. Aliorum autem Apoſtolorum ſucceſſio, nec quo ad loca, nec quo ad perſonas certas perpetua fuit (nam & de facto iam penitus abrupta eſt) quia nulli illorum nominatim, ſed in genere tantum, nulli illorum tota paſcendi poteſtas ſimul, & ſemel à Chriſto collata fuit, ſed certæ regiminis partes, vt Ioan. 20. Matth. 18. & vltimo. Atque ita in veteri Synagoga: quia cum Tribu Leui, & nominatim cum Aarone, & filijs eius pactum Deus inierat Num. 18. propterea non niſi in tota Leuitica Tribu ſacerdotalis ſucceſſio, & non niſi in Filis Aaronis ſupremi ſacerdotij ſucceſſio perpetuo conſeruata eſt.

Verba q̃ Chriſt⁹ dixit Petro ſunt in duplici differentia.

Secundo obſeruan. eſt. Quod oues Chriſti numero & merito ſunt omnes prædeſtinati, qui diuerſis temporibus vſque ad finem mundi fuerunt, ſunt, & erunt in Eccleſia. Probatur ex illo Ioan. 10. oues meæ vocem meam audiunt, ideſt ego voco eas, & ego cognoſco eas particulari approbatione, & electione, & ſequuntur me per exēplum bonæ vitæ, & ego vitam æternam do eis: quæ omnia de ſolis prædeſtinatis verificari poſſunt, atque adeo cum Petrus à Chriſto ſupremus Paſtor ouium ſuarum conſtitutus ſit Ioan. 21. vt probatum eſt in ſuperiori art. & paſtor ſignificet ordinarium Rectorem Eccleſię, & perpetuum, quia Eccleſia ſemper eſt ouile Io. 10. Erit vnum ouile, & vnus paſtor, ſequitur quòd ad ſucceſſores tranſijt. Quæ enim ſunt ordinaria, per ſucceſſionem perpetua ſunt, ſaltem manente poteſtatis obiecto. Hoc patet quia omnia alia officiorum nomina à Chriſto in Eccleſia poſita, & ab Apoſt. enumerata ad Epheſ. 4. artic. 1. Corint. 12. extraordinaria erāt, & temporanea; Apoſtoli videlicet, Euangeliſtæ, & Prophetæ. Soli paſtores, & doctores, quod idem officium faciunt, perpetui ſunt in Eccleſia, atq; adeo Petrus in officio paſtorali omnibus alijs prælatus, habet neceſſario huius ſupremi paſtoratus ſucceſſorem, ſicuti alij paſtores: quia certa eſt corū vocatio & poteſtas, ideo ſemper certos habent ſucceſſores, vt docet D. Chriſ. lib. 2. de Sacerdotio, his verbis, Chriſtus ouium ſuarum curam tum Petro, tum Petri ſucceſſoribus commiſſit.

Petrus, vt eccleſię paſtor requirit ſucceſſorem.

D. Chriſo.

Tertio obſeruan. eſt. Quod de ratione Eccleſiæ eſt habere vnicum Rectorem, & caput cui omnes fideles teneantur obedire, Eccleſia enim eſt vnum corpus, vt ſupra late diximus, & per conſequens debet habere vnicum caput, quia de ratione corporis, ſiue naturalis, ſiue metaphorici eſt habere vnicum caput. Cum ergo Eccleſia ſit corpus perfecte ordinatum Cant. 6. Terribilis, vt caſtrorum acies ordinata; & ab Apoſtolo propter ordinem perfectum ſingularum partium comparetur corpori naturali. 1. Corint. 12. & ad Rom. 12. habebit præter cætera membra etiam caput ſui generis, dico ſui generis, vt cætera membra ſunt, oculi, brachia, manus; nempe corporis militantis vnum ſupremum caput militans, (vt oculos habet, & manus militantes Epiſcopos, & ſacerdotes inferiores,) quod immediate, & proxime cætera membra regat, idque præter ſupremum, & mediatum regimen Chriſti Capitis. Alioqui non habebit Eccleſia illam à Deo perfectionem, quam cæteræ

De rōne eccleſiæ ē habere vnnicū caput.

Digitized by Google

teræ res omnes à natura habent. In omni enim rerum natura omnis multitudo, ſeu omnia genera rerum, accipiunt influxum a primo agēte, ſed mediante aliquo vno. Orbes cæleſtes mouentur à prima cauſa, mediante primo mobili. Lucida omnia illuminantur à prima cauſa, mediante ſole; Calida omnia ab eodem calefiunt, mediante igne. Senſus & potentiæ omnes in corpore naturali à prima cauſa operationem accipiunt, mediante vna anima, quæ hoc ſenſu caput hominis ab Auguſt. vocatur lib. 6. cap. 9. & lib. 12. cap. 7. de Trinit. Sic plane multitudo fidelium, vt ſit corpus ordinatum, & perfectum, à Chriſto capite, tanquam prima cauſa, mediante vno ſupremo paſtore, & altero Petro, influxum, (non gratiæ internæ, ſed dispoſitionis, & regiminis externi accipit, Chriſtus enim primarium, & vitale caput Eccleſiæ, vt ſingulas eccleſias, quaſi ſingula ſui corporis myſtici membra, per ſingulares paſtores regit, & paſcit; ſic vniuerſam Eccleſiam, vt totum corpus ſuum myſticum, quod vnū, ideoque vnicum eſſe debet, per vnum caput Vicarium, & ſupremum paſtorem regit, ſic enim vnitatis origo ab vno Petro incipit, vt vna Eccleſia monſtretur, dixit notanter Cyprianus lib. de vnitate eccleſiæ.

D. Aug.

Cyprian.

Quarto obſeruan. eſt. Eccleſiam eſſe vnam atque perfectiſſimè vnam, vt ſupra oſtendimus. Vna autem perfectiſſimè eſſe non poteſt, cum ſit collecta multitudo, niſi ab vno gubernetur. Corpus enim omne collectum, quo maius, vel minus eſt, eo magis, vel minus vnitatem Rectoris requirit. Ciuitas mediocriter magna poteſt à tota communitate regi; vt quæ dicuntur hodie liberæ Ciuitates, & Pagi Heluetici. Ciuitas maior non niſi à paucis optimatibus, vt Roma exactis regibus aliquot ſeculis floruit. Ciuitas maxima non niſi ab vno Rege gubernari poteſt, vt eiuſdem vrbis imperiū toto orbe propagatum ad monarchiam neceſſario deductum fuit. Sic etiam eccleſia; quia eſt Ciuitas maxima per omnes gentes diffuſa non niſi ab vno ſupremo Pontifice rite gubernari poteſt.

Eccleſia ē perfectiſſime vna, atque adeo vnū debet habere paſtorem.

Quinto obſeruan. eſt, quòd vnitas cum ſit duplex vna per ſe proprie, altera reductiue, & impropriè, vt quando plures in vnum conſentiunt, abſque dubio vnitas per ſe melior, & perfectior eſt, quam vnitas reductiue, & impropriè. Hæ enim ſunt vnum, illa eſt, hæc magno labore, & non ſine contentione, vt in collegijs, & optimatum regimine accidit, illa neminem habet contradicentem. Deinde in propoſito res caret omni periculo. Nam in monarchico regimine vnicum illud periculum eſt, ne in tyrannidem vergat. Hic vero in vnius Petri primatu, primum quo ad fidei vnitatem, quod eſt fundamentum religionis nunquam poteſt in tyrannidem verti, quia fides eius eſt indefectibilis, & errare non poteſt, vt poſtea magis oſtendetur. Deinde in legibus morum condendis habet aſſiſtentiam Spiritus Sancti clauibus promiſſam. Eccleſia ergo cum ſit perfectiſſime vna debet per ſe, & ſimpliciter non ſolum reductiue, & imperfecte eſſe vna, atque adeo vnum debet habere caput, rectorem, atque Paſtorem. Quam autem neceſſaria ſit & excellens in Repub. copioſa, & bene ordinata vnius ſupremi principis poteſtas. Lege apud Chriſoſto. hom. 6. ad populum Antiochenum, & hom. 34. in epiſt. ad Hebr. apud Hieron. in epiſt. ad Ruſticum monachum, apud Cyprianum in tract. quodam, quod Idola dij non ſunt, & apud Athanaſium in lib. contra Gentiles, & in ſignem locum Tapezuntij Græci, apud Franciſcum Turrian. pro epiſt. Pontif. lib. 2. c. 7.

Vnitas duplex eſt.

Concluſ. His obſeruatis ſit hæc concluſio. Primatus, & ſuprema poteſtas Petri, quam Chriſtus illi contulit, & quam ille poſtea exercuit in eius perſona non deſijt, ſed ad eius ſucceſſores tranſijt. Hæc concluſio eſt de fide, & probatur primo ſic. Eccleſia Catholica eſt inuiſibilis in terra vſque ad finem mundi duratura, ergo debuit ſuum caput habere viſibile Chriſti Vicarium etiam vſque ad finem mundi ad eius debitam gubernationem; alioqui non eſſet ſatis prouiſum Eccleſiæ, iuxta illud Prouerb. 11. Vbi non eſt gubernator populus corruet, Neque valet dicere, quod Chriſtus ſolus de cœlo gubernat eam ſpiritualiter: nam licet Deus omnes inuiſibiliter, & ſpecialiter Eccleſias gubernet ſpeciales, ſeu particulares, non ideo reliquit eas ſine ſuis Paſtoribus, & Epiſcopis particularibus, viſibiliter eas gubernantibus, vt in eis ſuus ordo Hierarchicus ſeruaretur, & omnia inferiora per ſuas cauſas medias creatas, ſuperioreſque gubernat. Quare ergo ſuam catholicam Eccleſiam ſine ſuo capite, vel paſtore generali viſibili eam gubernante reliqueret?

Secundo probatur: quia cum in eccleſia debeat eſſe regimen, vel principatus Monarchicus, ſiue Regalis, ex quo ſecundum Ariſtot. 8. Ethy. & 3. Polit. præſtat Democratico, & Ariſtocratico, qui in eccleſia Catholica nunquam fuerunt: ille ergo Principatus Petri ordinarius debuit ſemper in eccleſia permanere in ſucceſſoribus eius: Nam officium ordinarium non finitur cum morte prælati, neque pro illo tantum tempore B. Petri, & Apoſtolorum Chriſtus conſtituit hunc Petri principatum ſuper omnes: cum magis in poſterum eſſet neceſſarius.

Ariſt.

Tertio probatur idem: Quia ſi Deus Synagogæ prouidit de ſummo Pontifice pro toto tempore ipſius, ergo & Eccleſiæ ſuæ pro toto tempore ſuo vſque ad finem mundi duraturæ, de ſuo paſtore vniuerſali, qui dicitur Papa à fortiori prouidit: nam Eccleſia in omnibus Synagogam illam excedit Hebr. 8. & 9. & 1. Corint. 3. vide hoc argumentum late deductum à Cano in locis Theologicis lib. 6. cap. 3. & ab Alberto Pighio Hierarch. Eccl. lib. 2. cap. 3.

Canus.
Albertus Pighius.

Quarto probatur. Quia eccleſia militans eſt ad exemplar triumphantis, vt patet Exod. 25. & 26. Fac ſecundum exemplar ubi monſtratum in monte. Illud autem tabernaculum ad imaginem cœleſtis extructum figura erat Eccleſiæ, vt Apoſt. ad Hebræos. 9. deducit. Rurſum Apoc. 21. Vidi Ciuitatem Sanctam Hieruſalem nouam deſcendentem de cœlo &c. atque hinc Hierarchiam Eccleſiaſticam ad formam cœleſtis Hierarchiæ deducit Dionyſius Areopag. cap. 6. Eccleſ. Hierarch. ſed in triumphante illa omnibus Angelorum ordinibus vnus Deus præſidet, ergo & in Eccleſia ſimiliter; eſt deductio D. Bernardi, lib. 3. de conſiderat. ad Eugenium. Non vilem reputent formam hanc in terris, quæ ſimilem formam habet in cœlis, quæ Deum habet authorem, quæ de cœlo ducit originem. Hæc ille, & hac de cauſa Cant. 6. Eccleſia dicitur decora, vt Hieruſalem, & terribilis, vt Caſtrorum acies ordinata; dicitur etiam Regnum cœlorum Matth. 13. & alibi ſæpius: quia ibi vnus Rex, & Princeps ſcilicet Principalis Chriſtus inuiſibiliter, & Vicarius eius Papa viſibiliter eſt omnia, regens, & hoc etiam ait Hieronymus contra Iouinianum lib. 1. & Auguſt. in Pſal. 49.

Dion. Ar.
D. Bernā.
Hierony.
Auguſt.

Quinto arguitur. Chriſtus promiſſit Petro officium paſtorale ſuper Eccleſiam ab ipſo ædificandam, & nunquam perituram, vt ſupra probauimus, ſed tale officium non poterat Petrus per ſe ipſum ſemper exercere; perijt enim, ergo ipſum erat exercitaturus per alios ſucceſſores. Sexto probatur certum eſt Chriſtum inſtituiſſe Petrum Paſtorem ſuæ Eccleſiæ illis verbis, Paſce oues meas, non Mercenarium; hunc enim deteſtatur Chriſtus Ioan. 10. ergo ordinarium, ſed de ratione paſtoris ordinarij eſt habere ſucceſſores, vt diximus, ergo Petrus habet ſucceſſorem in Apoſtolatu. Et ſi dicas Chriſtum inſtituiſſe Petrum Paſtorem delegatum, de cuius ratione non eſt habere ſucceſſorem. Contra Petrus fuit à Chriſto inſtitutus omnium ſuarum ouium Paſtor per quas intelliguntur omnes prædeſtinati, vt dictum eſt notabili tertio, ergo fuit paſtor ordinarius, probatur conſequentia, quia eſt gubernaturus Eccleſiam vſque ad finem mundi per ſe, & per ſuos ſucceſſores: Nam vſque tunc erunt prædeſtinati, & oues Chriſti. Confirmatur primo, quia abſurdum eſſet dicere Chriſtum conſuluiſſe ſolis præſentibus, cum etiam futuros redemerit, & omnes paſtore indigeant. Confirmatur ſecundo ex Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. Art. 9. & 37.

Conc. Conſt.

Vltimo probatur; quia ſi vt aperte mentiuntur hæretici non authoritate diuina ſed ui, atque tirrannide Papa eam poteſtatem ſupra totam Eccleſiam Prælatos, & Principes eius vſurpaſſet, certe oporteret id eos oſtendere ex hyſtorijs fide dignis, quomodo, & quando, quibuſue ſuffragijs, & armis id effecerit contra omnium ap-

petitum

perituum, & libertatem, Neque eſt credibile tot Reges, Prælatos, & Regna tantam illi poteſtatem ab initio naſcentis ecclesiæ ſupra ſe ſponte dediſſe, niſi ſe ad id obnoxios iure diuino recognoſcerent. Eſt igitur Papa caput totius militantis ecclesiæ, membrum quidem ipſius, ſimul, & caput eius viſibile ſubordinatum Christo capiti primo, & principali, qui non eſt membrum, ſed Dominus, & Redemptor, & caput primum ecclesiæ totius, à quo ipſe Papa, & Eccleſia habet influxum inuiſibilem gratiarum, donorum, & inſpirationum, à Papa vero Eccleſia habet viſibilem gubernationem, & miniſtrationem Sacramentorum, & inſtitutionem miniſtrorum, & alia ad conſeruationem, ædificationemque fidelium in vera fide, & religione Christiana mediate, vel immediate pertinentia. Qui quidem Papa eſt Vicarius Christo ſicut B. Petrus, ſucceſſor autem, non Vicarius Petri proprie loquendo.

Ad argumenta in oppoſitum. Ad primum nego antecedens, ad probationem reſpondetur ex primo notabili, quod verba dicta à Christo D. Petro intelliguntur etiam dicta ſucceſſoribus, quando pertinent ad officium paſtorale, ſecus alias, vt eſt illud participium. Conuerſus &c. huiuſmodi. Ad confirmationem dico, quod Paulus ad Epheſ. 4. Non recenſet omnes gradus ecclesiaſticos, tacet enim de Diaconis, quos alibi exprimit, & hæretici agnoſcunt, tacet etiam de ſenioribus, quos à paſtoribus, & doctoribus diſtinctos eſſe volunt Caluiniſtę, & Puritani. Agnoſcimus autem paſtoris nomine non Epiſcopum tantum, ſed & presbyterum, & Archyepiſcopum, & patriarcham, imo, & papam contineri, omnes enim iſti paſtores ſunt, & differunt tantum, quo ad magis, & minus ratione iuriſdictionis externæ magis, vel minus extenſæ. Ad ſecundam partem confirmationis nego conſequentiam. Tum quia alibi hoc explicatum eſt, vt in Euangelio in perſona Petri. Tum quia etiam ſi explicatum alibi non fuiſſet, tamen iuxta regulam D. Auguſt. lib. de fide, & operibus c. 9. Solet ſcriptura breuitatis cauſa, multa tacere, quæ ex ſerie traditionis ſunt intelligenda. Tum quia D Cyprianus in vnitate ab Apoſtolico commendata vnum ecclesiæ caput ex ſerie traditionis intellexit, quam ob cauſam cum dixiſſet lib. 1. epiſtol. 8. Deus vnus eſt, & Christus vnus, & vna ecclesia addit, & cathedra vna ſuper Petram Domini voce fundata; Rurſus lib. 3. epiſt. 11. refert quondam Schiſmaticorum abiurationem in hanc formam. Nec ignoramus vnum Deum eſſe, & vnum Christum Dominum, & vnũ Spiritum Sanctum, & vnum Epiſcopum in catholica ecclesia eſſe debere, denique in lib. de vnitate ecclesiæ. Cathedræ Petri, ſuper quam fundatur Eccleſia vnitatem probaturus ait, quando & Apoſtolus hoc doceat, & Sacramentum vnitatis oſtendat, dicens vnum corpus, & vnus Spiritus, & vna ſpes vocationis noſtræ vnus Dominus, vna fides. Moxque oſtendit ecclesiæ corpus eſſe vnũ in Epiſcopatu vno, cuius ſingulari in ſolidũ pars tenetur, & vnitatem ſeruari in origine; quia vnum eſt caput, & origo vna, in Petri videlicet perſona, & cathedra, vt ibidem in præcedentibus oſtenderat. Cyprianus ergo in eo quod Apoſtolus dixerat, vnum corpus eſſe ecclesiam, vnitate capitis neceſſario intellexit, non Christi tantum, ſed & Petri, ac cathedræ eius. Ad tertiam partem confirmationis, dico omnes mortales eſſe in corpore Christi, atque adeo, & Petrum ipſum, eiuſque ſucceſſorem, vt cumque ſit caput; eſſe tamen membrum vniuerſalis ecclesiæ, ſed primum membrum quale caput eſt. Et certe non eſſet ecclesia ſub Christo capite totum corpus, quale Apoſtolus eam vocat, niſi præter caput Christum haberet in ſuo corpore caput cæteris membris connaturale, & ſimile. Totum enim corpus nullum eſt abſque omnibus membris, quorum præcipuum eſt caput. Nec Christo fit iniuria: quia caput vicarium ſucceſſor Petri ponitur; & hoc Vicarium caput ſcriptura non tacuit. Nam Petro, & ſucceſſoribus eius dixit Christus paſce oues meas, & iterum ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meum, at Christus per Vicarium caput paſcit oues ſuas, & per vicarium caput ædificat Eccleſiam ſuam.

D. Aug. *D. Cypria.*

Ad ſecundum. Nego conſequentiam: quia eo verbo, quo Christus inſtituit Petrum paſtorem ordinarium, inſtituit etiam officium paſtorale in ſucceſſores transferendum, per quod etiam reſpondetur ad confirmationem.

Ad tertium, & quartum negatur conſequentia: quia Petrus fuit prelatus ordiarius totius orbis, atq; adeo eius ſucceſſor non ſolum vocatur epiſcopus Romanus, ſed ẽt Apoſtolicus. Alij autem Apoſtoli fuerunt prælati delegati in vniuerſo orbe, quorum officium non tranſit ad ſucceſſores, & ideo alij epiſcopi non appellantur Apoſtolici. Aduerte tamen quod nec Papa eſt ſucceſſor Petri in omnibus: non enim poteſt condere libros canonicos, nec facere miracula, vt D Petrus, ſed eſt eius ſucceſſor quantum ad iuriſdictionem ordinariam ſuper omnes fideles, & quantum ad prædicandum euangelium in vniuerſo orbe etiam in terris infidelium.

Ad quartum quicquid ſit de antecedenti negatur conſequentia; ſemper enim fuit in ecclesia vnus Archipaſtor ſcilicet Petrus, & eius ſucceſſor, vt tradunt omnes hyſtoriæ.

ARTICVLVS III.

Vtrum Romanus Pontifex ſit Petri ſucceſſor, & Apoſtolicus Paſtor, & humano, vel diuino iure.

HÆc quæſtio duo poſtulat, primum, an Romanus Pontifex Petro in primatu totius ecclesiæ ſucceſſerit. Secundum an contingat ex inſtitutione humana, an diuina, quod epiſcopus Romanus ſuccedat Petro. Potius quam Arretinus, circa primum eſt quæſtio cũ hæreticis, qui accerrime, & totis caſtris hanc ſucceſſionem Romani pontificis impugnant, circa ſecundum eſt inter Catholicos controuerſia.

Quo ad primum Nilus, quidam Teſſalonicenſis epiſcopus in libro aduerſus primatũ papæ, vt refert Bellar. lib. 2. de Romano Pontifice c. 12. Licet haud neget Petrũ totius ecclesiæ fuiſſe paſtorem, & Romæ Epiſcopatum geſſiſſe vſque ad mortem; negat tamen Romanum pontificem ſuccedere D. Petro in præfectura totius Eccleſiæ; ſed tantum in Romano epiſcopatu. Addit tamen habuiſſe poſtea Romanum pontificem ex Conciliorum decretis primatum quemdam, vt videlicet primus epiſcoporum eſſet, primus ſederet, primus ſententiam diceret, non tamen cæteris omnibus imperaret. *Bellarmi.*

Fundamenta Nili hæc fuerunt. Romanus pontifex primatum habuit à patribus, eo quod ea Ciuitas toti orbi terræ Imperaret, vt legimus in Concilio Chalcedonenſi Act. 16. Non ideo id habuit ex petri ſucceſſione.

Item Romanus papa non eſt Apoſtolus, ſed Epiſcopus tantum non enim Apoſtoli Apoſtolos ordinarunt, ſed paſtores, & Doctores, igitur Papa Romanus non ſuccedit petro in Apoſtolica poteſtate, quæ in omnem eccleſiam erat, ſed ſolum in Romano particulari Epiſcopatu.

Præterea petrus paſtor, & doctor fuit totius orbis terrarum, at papa, & eſt, & vocatur ſolum Romanæ vrbis apiſcopus, ergo &c.

Deinde petrus Anthiochiæ, & Alexandriæ epiſcopos ordinauit, at id papę Romano non permittitur. Rurſum. Quicquid petrus dixit aut ſcripſit oraculum eſt Spiritus Sancti, at id Papæ non conuenit, non igitur papa habet omnes prærogatiuas petri.

Demum petro ſine conditione dictum eſt, quicquid ligaueris erit ligatum &c. at papæ Romano petrus præſcripſit, vt id ſolum liget, aut ſoluat, quod merito ligandum, aut ſoluendum eſt.

Caluinus lib. 4. Inſt. cap. 6. §. 8. vt referunt pater Horantius de locis lib. 6 cap. 12. Stapletonius, Controuerſia 3. quæſt, 2. art. 2. & Bellar. loco citato, ita contra primatum Romani pontificis argumentatur. Non ſequitur ſi petrus duodecim Apoſtolis initio præfuit. Nunc toti orbi aliquem præeſſe: Nã pauci facile, & vtiliter ab *Horãtius* *Stapleto.* *Bellarm.*

vno

vno reguntur; multa vero millia non niſi à multis gubernari poſſunt.

Item ſi ideo Romæ eſt ſedes ſummi Pontificatus, quia Petrus Apoſtolus Romæ pontificatum gerens defunctus eſt, ergo pontificatus Iudaici ſedes debuit ſemper eſſe in deſerto; quia ibidem Moyſes, & Aaron Pontificatum gerentes mortui ſunt. Imo Chriſtus ipſe nonne Hieroſolymis functus eſt epiſcopatu, dum vixit, & moriendo ſacerdotij munus impleuit? ergo pontificalis Chriſtianorum ſedes, Hieroſolymis eſſe deberet, quia ibi Chriſtus ſummus pontifex obijt, alioqui princeps paſtorum, ſummus Epiſcopus, caput Eccleſiæ non potuiſſet honorem, loco acquirere: Petrus longe ipſo inferior potuit.

Præterea Petrus Antiochiæ ſedit, ergo Antiochena Eccleſia primatum ſibi vendicare debet. Nec ſufficit dicere translatum poſtea fuiſſe Romam iubente Domino, vt Marcellus Papa in epiſtola decretali affirmat; quo enim oraculo habuit bonus ille vir Dominum hoc iuſſiſſe? deinde ſaltem ſecundum locum habere poſt Romanum debuit. Nunc autem Alexandrina illum ſemper tenuit non Antiochena. Deinde hoc Petri priuilegium de primatu totius Eccleſiæ, aut perſonale fuit, aut reale, aut mixtum, ſi perſonale nihil ad locum vbi, vel ſedit, vel defunctus eſt, atque adeo nihil iuris habet Roma in pontificatu magis, quam alia Ciuitas; ſi reale, vel locale, ergo vbi ſemel datum eſt, loco non admittitur propter perſonæ mortem, vel diſceſſum, atque adeo cum ſemel fuerit conceſſum Antiochiæ, non poteſt ab ea tolli, etiam ſi inde Petrus receſſerit, & alibi mortuus ſit. Si mixtum non erit ſimplex loci conſideratio niſi perſona ſimul reſpondeat, atque ita non ſufficit eſſe Romanum epiſcopum ad hoc, vt aliquis habeat primatum, nam ſi eſt priuilegium partim locale, partim perſonale, non datur loco niſi pro tempore, quo in eo eſt talis perſona ideſt Petrus, atque ita iuxta primum non habebit Roma primatum, iuxta ſecundum habet Anthiochia, iuxta tertium neutra.

Subinde Petrus Romæ non ſedit: ergo Romanus epiſcopus ei non ſuccedit. Probatur antecedens ex hiſtoria ſacra. Paulus ad Galat. 1. & 2. Teſtatur Petrum Hieroſolymis fuiſſe, & habitaſſe viginti annis poſt Chriſti mortem; ait enim cap. 1. poſt annos tres, & cap. 2. poſt annos 14. ſe Petrum Hieroſolymis conueniſſe, qui ſunt ferè viginti anni, at à Chriſti morte ad finem imperij Neronis ſub quo Petrus paſſus eſt numerantur, 37. anni, reſtant ergo tantum 17. anni, ex quibus cum Antiochiæ longo tempore vixerit, vt hiſtoriæ peribent, pauci anni ſuperſunt ex quibus potuit Romæ ſedere. Falſum ergo eſt, quòd Hieronymus ait Petrum 25. annis Romæ ſediſſe.

Et confirmatur: quia Paulus Romanis epiſto. ſuam ſcripſit ex itinere, cum Hieroſolymam poſtremo proficiſceretur, vbi captus, & Romam miſſus erat; mea epiſtola, quæ ad ſummum quadriennio antequam Romam veniret ſcribebatur cum multos pios ſalutet cap. 16. nulla Petri fit mentio, quem tamen ante alios omnes ſalutaſſet haud dubio ſi ibi fuiſſet. Sic Romam adductus Paulus excipitur à fratribus, vt narrat Lucas Act. vltimo: de Petro nihil. Deinde 2. ad Timoth. 4. Scribit Paulus ſe in prima ſua Romæ defenſione ab omnibus derelictum fuiſſe. Vbi tunc igitur Petrus? An deſertor fuit Euangelij? Ex ipſa vrbe Roma quaſdam Paulus ſcribit Epiſtolas, in quibus ſemper de Petro tacet cum de alijs fratribus non taceat. Item Paulus alios eius congreſſus cum Petro commemorat Hieroſolymis, & Anthiochiæ habitos ad Gal. cap. primo, & ſecundo. Nuſquam autem ſcribit ſe Romæ Petrum vidiſſe: ergo nunquam ibi ſimul fuerunt.

Demum contra primatum Romani Pontificis apertiſſime pugnant Can. 6. Nicæni Concilij. In quo aſſignatur Romano Pontifici certa regio gubernanda, eaque per exigua declaraturque vnus ex Patriarchis, non autem caput aliorum, ergo &c.

Pro explicatione huius difficultatis obſeruan. eſt. Primo, quòd Deus affectu in genus humanum vere paterno Petri Apoſtoli primatum voluit eſſe perpetuum, non quidem ad Petri commodum, vel gloriam, ſed ad ouium ſuarum, dilectæque Eccleſiæ vtilitatem. Eccleſia ſane futura erat ſtabilis, & diuturna, vſque ad conſummationem ſæculi, etantque multæ aliæ oues non dum in hoc ouili compræhenſe, quas adduci oportebat, quibus paſtore non minus fecit opus, atque primis illis Chriſtianis, atque adeo inſtituit, vt ad finem vſque huius militiæ Chriſtianæ B. Petro Apoſtolo paſtores Eccleſiæ ſummique pontifices ſuccederent: qui ſicut ille princeps fuit Apoſtolorum. Ita hi principes ſint, atque ſupremi Patres omnium pontificum atque epiſcoporum.

Secundo obſeruan. eſt. Quod Petri ſucceſſor ex vera ſucceſſionis ratione dignoſcitur, quæ talis eſſe conſueuit, vt is ſuccedere dicatur, qui in demortui locum ſufficitur. Certum eſt autem B. Petrum Apoſtolum Romam Antiochiam migraſſe, & quidem diuino iuſſu, ibique obijſſe, vt refert non ſolum Marcellus pontifex, & Martyr epiſto. 1. qui Petri ſedem Domino iubente Romam translatam eſſe ſcribit, ſed etiam Egeſippus Apoſtolis vicinus lib. tertio de excidio Hieroſolymæ cap. ſecundo, & D. Ambroſius in orat. contra Auxentium, quæ habetur lib. quinto epiſto. & Origenes lib. tertio in Geneſ. vt refert Euſebius lib. tertio Hiſt. cap. ſecundo. Qui hiſtoriam nobis reliquerunt Chriſti occurrentis Petro, cum Neronis perſecutionem Chriſtianorum rogatu declinaret rogantique Domine quo vadis reſpondet is; Romam iterum crucifigi, quibus verbis intellexit Apoſtolus ſibi Romæ crucem parari, quam de voluntate ſui Domini eſſet conſequuturus. Vnde, (quantumuis pertinaciter omnes omnium temporum hiſtorias inficientur hæretici) ſcriptores tum hiſtorici, tum Eccleſiæ Doctores, qui B. Petrum Romæ, & ſediſſe. & martyrio cum B. Paulo coronatum fuiſſe diſerte affirmant, & teſtantur eorum ſacri cineres, qui non alibi, quam Romæ aſſeruantur, ea loca paſſionum B. Pauli ad tres fontes, & B. Petri in Vaticano, oſtendunt perſpicuè Petri ſucceſſorem Romanum eſſe pontificem, ſeu veteris Romę non Conſtantinopoleos, ſeu nouæ Romæ, vbi Petrus nunquam ſedit, & quæ trecentis annis poſt Chriſti mortem, in Archiepiſcopatum eſt erecta, temporibuſque Bonifacij. III. pontificis, & Phocæ Imperatoris ſub annum Domini. 605. primum locum poſt Romanam ſedem adepta; quod ſub Leone primo in Chalcedonenſi Synodo magna contentione Græci ambiuerant. Non item Alexandriæ, vbi non Petrus, ſed Marcus, Petri diſcipulus à Petro miſſus in pontificatu diem ſuum obijt. Non Antiochiæ, vbi migrante Romam Petro, nemo vnquam Epiſcoporum primatum orbis ſibi arrogauit; tertio loco poſt Romanum Patriarcham, contentus. Non denique Hieroſolymorum, qui primum habuerunt à B. Petro (inquit Chriſoſtomus, hom. 87. in Ioan.) totius orbis magiſtro præpoſitum Epiſcopum Iacobum fratrem Domini B. Petro ipſi ſubiectum, etiam dum Antiochię præeſſet, vnde & in hodiernum diem Hieroſolymitanus Patriarcha Antiocheno paret.

Petrus Romæ ſedit, & obijt.

Marc. Papa.

Egeſippus.

Ambro.

Origenes.

Chriſoſt.

Tertio obſeruan. eſt. Quod quemadmodum in ciuilibus aliud eſt proprie Ioan. verbi gratia eſſe ſucceſſorem Petri, & aliud Ioannem legitime poſſidere patrimonium à Petro relictum, (nam ex illo probari hoc ſolet) ita impropoſito aliud proprie eſt aliquem eſſe D. Petri ſucceſſorem, & aliud eum à Chriſto habere illam poteſtatem, quam habuit D. Petrus. Aliquem ergo eſſe D. Petri ſucceſſorem proprie loquendo nihil eſt aliud, quam eum ab Eccleſia in locum D. Petri legitimo modo recipi, ac veluti Chriſto offerri; vt is illi conferat ſupremam authoritatem, quam Petrus habuit; ideſt vt certa lege ſtatuat peculiari quadam aſſiſtentia cum eo concurrere ad ea in doctrina, & moribus conſtituenda, quæ ad bonum Eccleſiæ, ſtatum pertineant. Hoc enim eſt aliquem habere ſupremam illam in Eccleſia poteſtatem, & principatum, quem Petrus habuit. Porrò modus legitimus recipiendi aliquem in locum Petri omnino is eſt, quem Eccleſia ipſa præſcribit, & adhibet, pro ratione cuiuſque temporis, & aliorum omnium circunſtantiarum. Quod apertiſſime conſtabit, ſi uis illarum promiſſionum Chriſti, Ego

Succeſſor quomodo cognoſcatur.

Modus recipiẽdi aliquẽ in D. Petri locũ.

ſti. Ego vobiſcũ ſum vſq; ad cõſumationẽ ſæculi. Matth. vltimo, & vt maneat vobiſcum in æternum, &c. Ioan. 14. expendatur. ex illis enim & ſimilibus intelligitur curam, & charitatem Chriſti erga ſponſam ſuam Eccleſiam perpetuo eam eſſe, quæ ad Eccleſiæ ſtatum ſuauiter, & conuenienter hominum naturæ conſeruandum accomodatiſſima ſit. Dubitati autem minime poteſt, quin hominũ natura, atque conditione conſiderata expediat, vt qui eccleſiam vniuerſam, accepta à Chriſto authoritate gubernaturus ſit, is ab eadem Eccleſia ad id muneris recipiatur, & approbetur, atque adeo volens Chriſtus Dominus in eccleſia perpetuo eſſe Petri ſucceſſores, vt in præced. art. probatum eſt, quibus ille attribueret ſupremam in terris authoritatem, quam Petro contulerat, neceſſe fuit eccleſiæ ſuę hoc dare, vt eum ipſa deligeret in talem paſtorem, quem pro ratione temporis, & circunſtantiarum iudicaret eſſe ad id muneris aptiſſimum. Quod confirmatur ex perpetua eccleſiæ conſuetudine circa ſucceſſionem in ſede, tum Petri, tum aliorum Epiſcoporum. Is n. ſemper habitus eſt Epiſcopi alicuius ſucceſſor legitimus, quem in eius locum eccleſia recipit, ea forma, & modo, qui pro ratione circunſtantiarum in vno quoque loco maxime cõuenire exiſtimatus eſt.

Iam cum hoc ita ſit facile eſt intelligere, qua ratione probari oporteat Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem D. Petri ſucceſſorem eſſe. Nempe ex teſtimonijs omnium ætatum, quibus plane conſtet Pontifices Romanos continua ſerie ſucceſſionis in D. Petri locum abſq; vlla poteſtatis reſtrictione fuiſſe ab eccleſia receptos; atque ad eos tamquam ad Petri in eadem poteſtate ſucceſſores per omnes eccleſiæ ætates fuiſſe relatas, maiores Eccleſiæ cauſas, vt perſequitur diligenter, *Turrecremata.* Turrecremata lib. 2. de Eccleſia. c. 36. 37. & 38. *Caietanus.* Caietanus de inſtitutione Romani Pontificis. c. 13. & *Canus.* Canus lib. 6. de locis Theologicis. c. 4. 5. & 6. & admodum copioſe, & luculenter *Sanderus.* Nicolaus Sanderus in ſuo opere de viſibili Eccleſiæ Monarchia. lib. 7. vt recentiores omittam.

1. Concl. His obſeruatis ſit prima concluſio. Primatum Petro in ſcripturis datum ad ſucceſſores eius in Romana Eccleſia perueniſſe, ex eiſdem ſcripturis tradiderunt Patres. Probatur per inductionem. Illud Matth. 16. Super hanc petram &c. ad Romanam ſedem applicat Auguſt. *Auguſtin.* Numerate, inquit vel ab ipſa Petri ſede, & in illo patrum ordine, quis cui ſucceſſit, videte ipſa eſt petra, quem ſuperbæ non vincunt inferorum portæ. Hæc ille in pſal. contra partem Donati. Per Petri autem ſedem Romanam illum intelligere certo conſtat cum alibi Petri ſucceſſores enumerans Romanos Pontifices commemoret. epiſt. 166. ſic *Hieronym.* Hieronymus ad Damaſum Papam ſcribens. Beatitudini tuæ, ideſt Cathedræ Petri communione conſocior. Super *Cyprian.* illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Sic Cyprianus Romanam ſedem vocat cathedram Petri ſuper quam fundata eſt Eccleſia. in libro de vnitate Eccleſię. Idem *Theodor.* facit Theodoretus Studites in epiſt. ad Paſcalem.

Item illud Lucę 22. Ne deficiat fides tua. ad Romanum *Cyprianus* Pontificem, & Petri ſuccęſſorem applicat Cyprianus lib. 1. epiſt. 3. dicens ad Romanam fidem perfidiam acceſſum habere non poſſe. Quare ad illius ſedis fidem tamquam indefectibilem veteres patres, recurrebant, & *Baſilius.* recurrere ſuadebant. ſic Baſilius Magnus epiſto. 53. ſic *Hieron.* Hieronymus in Apolog. 3. aduerſus Ruffinum. ſic Epiſcopi Terraconenſes in epiſt. ad Hilarium Papam, quę *Eulalius.* extat inter decreta eiuſdem tom. 2. Concil. Sic Eulalius *Ruffinus.* Carthag. in litteris ad Bonifacium Papam tomo eodem. *Leo Papa.* Ruffinus in expoſit. Symboli, & Leo. 9. in epiſt. Synodica *Auguſt.* ad Petrum Antiochenum.

Tertio illud Ioan. 21. Paſce oues meas. ad Romanos Epiſcopos ſuccedentes applicat Auguſt. contra epiſt. fundamenti. cap. 4. Tenet me in Eccleſia ab ipſa ſede Apoſtoli Petri, cui Dominus paſcendas ſuas oues commendauit, vſque ad pręſentem Epiſcopatum Sacerdotum ſucceſſio, vide etiam inſignem locum ex Leone Imperatore apud *Frãc. Tur.* Franciſcum Turrian. pro epiſt. Pontificijs lib. 2. capit. 6. patres ergo iſtas ſcripturas quę primatum loquuntur in Romanis pontificibus Petri ſucceſſoribus locum habere agnouerunt.

2. Concl. Secunda concluſio. Sanctus Petrus in Vrbe Romę Epiſcopatum tenuit, & in eadem ſucceſſores reliquit. probatur. Quia pontificis Romani ſedes, vocatur Petri ſedes, cathedra Petri; ſedes Apoſtolica. conſequentia patet, quia ſedes, & cathedra Epiſcopalis dignitatis vocabula ſunt, iuxta Eccleſię vſum ex ſcriptura acceptum, vocante Chriſto pontificalem Synagogę dignitatem cathedram Moyſi. Matth. 23. probatur antecedens per inductionem. Damaſi Papæ ſedem vocat Hieronymus *Hierony.* cathedram Petri in epiſt. ad eumdem. Romanam Eccleſiam Petri vocat Arnobius in pſal. 106. *Arnobius* Cornelij Papæ ſedem vocat Cyprianus cathedram Petri, & Eccleſiam *Cyprianus* principalem. lib. 4. epiſt. 2. Optatus ſic ſcribit. lib. 2. *Optatus.* Negare non potes ſcire te in Vrbe Roma Petro primò cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederet omnium Apoſtolorum caput Petrus. Hanc etiam ob cauſam Romanæ Eccleſiæ ſucceſſionem ab ipſo Petro primo eius eccleſiæ Epiſcopo veteres omnes deducunt, quotquot illam ſucceſſionem deſcribunt, vt Irenęus lib. 3. capit. 3. *Irenæus.* Tertullian. in præſcript. *Tertullia.* Auguſtin. epiſt. 166. *Auguſt.* Optatus libro 2. *Optatus.* Epiphanius hæreſi 27. contra Carpocratianos *Epiphan.* denique Euſebius lib. 3. capit. 4. & *Euſebius.* cæteri omnes eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptores à Petro ordiuntur Romani Pontificis ſucceſſionem. Hippolytus apud Prudentium *Hipolytus.* vocat Romanam Eccleſiam cathedram Petri. Proſperus *Proſperus* in libro de ingratis. Sedes Roma Petri quicquid non poſſidet armis religione tenet. Denique Hieronymus *Hierony.* D. Petrum in Vrbe Roma. 25. annis ſediſſe ſcribit in catalogo virorum illuſtrium. Poſtremo Petrum Romæ Simonem Magum deuiciſſe, ex multis Authoribus oſtendit Stapletonius. *Stapleton.* Controuerſia. 3. quæſtione prima articulo tertio.

Concluſio tertia. Sanctus Petrus ſucceſſorem ſibi in Romana eccleſia ordinauit. 3. Concl. Vnde manifeſtum fit illius loci Epiſcopos Petri eſſe ſucceſſores. Probatur ex epiſt. Clementis ad Iacobum fratrem Domini in qua ſcribit *Clemens Papa.* Clemens, quod Petrus illum in conuentu Fratrum Epiſcopum ordinauerit, ſuæq; prædicationis & doctrinæ cathedram tradiderit; Hoc etiam atteſtatur antiquiſſimus Tertullianus, qui in libro de præſcript. ait Clementem à *Tertullia.* Petro Romanæ eccleſiæ ordinatum fuiſſe. Idem affirmat Damaſus in pontificali vita Clementis; *Damaſus.* porro illa Clementis epiſt. à Ruffino ante annos 1200. tranſlata, & ab Anacleto, & Alexandro Pontificibus, alijsque antiquiſſimis ſcriptoribus honorifice citata, quam vera, & genuina ſit lege Franciſcum Turrianum libro *Frãc. Tur.* primo pro Canonicis epiſt. pontificijs contra Magdeburgenſes.

Quarta concluſio. Vniuerſam poteſtatem eccleſiaſticam, quæ ad hunc primatum pertinet Romani pontifices 4. Concl. per omnes ætates ad hæc vſque tempora exercuerunt, atque adeo illi ſoli D. Petri ſucceſſores, ſemper habiti fuerunt, & habendi ſunt, hæc concluſio probatur ex Concilijs, quæ hunc primatum pontifici Romano tribuerunt, ex ſanctiſſimis ſummis Pontificibus, qui eundem primatum ſibi arrogauerunt & contra illum perturbantes defenderunt. & ex Patriarchis qui hunc Romani Pontificis primatum agnouerunt, & honorauerunt.

Et primo probatur ex Concilijs. In Concilio Nicęno. *Concilium Nicæn. 1.* Iulius primus epiſt. 1. & 3. teſtatur decretum fuiſſe ne *Iulius 1.* Concilia præter ſententiam Romani pontificis celebrarentur, Idemq; ad eum licere Epiſcopis alijs ex toto orbe appellare, confirmatq; ſolemni iuramento eos canones in ſacro ſedis Apoſtolicæ ſcrinio aſſeruatos fuiſſe. Quod itidem in eo Nicæno Concilio fuiſſe ſic ſtatutum, teſtantur *Athanaſ.* D. Athanaſius & alij Epiſcopi Thebaidæ, & Libiæ, qui Concilio Nicęno interfuerunt in epiſtola ad Felicem ſecundum pontificem, qui pontifex in reſcripto ad eoſdem Epiſcopos conqueritur fuiſſe plurima decreta Concilij Nicęni ab hereticis ſuppreſſa. extant hę epiſtolæ tom. 1. Concil. inter decreta Felicis. 11. Fuerunt autem huius Iulij epiſtolæ receptæ in Concilio Epheſino, vt Vincentius *Vincẽtius Lyrinen.* Lyrinenſis in lib. aduerſus hęreſum nouitates ſub finem ante annos mille teſtatus eſt.

Item Conciliũ ſecundũ generale, quod eſt primũ Conſtantinopolitanum c. 5. poſt Romanũ pontificẽ primatus *Concilium Conſtan. 1.* honorẽ tribuit Patriarchæ Conſtantinopolitano. atque etiam eius Concilij Patres in epiſt. ad Damaſum, quæ

extat apud Theodoretum libro quinto hiſtoriæ. capit. 6. teſtantur ſe Damaſi pontificis litteris monitos conueniſſe Conſtantinopoli, & ibidem fatentur eccleſiam Romanam eſſe caput ſe autem membra; & viciſſim Damaſus apud eundem Theodoretum eodem lib. cap. 10. reuerentiam ab illis in ea re exhibitam ſedi Apoſtolicæ collaudat.

Concilium Epheſ. Item in Cõcilio Generali tertio, quod eſt Epheſinum, Cyrillus (teſte Eugario lib. 1. hiſt. cap. 4. locum Cœleſtini Romani pontificis tenens) dicit ſe vnà cum alijs patribus ex mandato litterarum Cęleſtini papæ Romani Neſtorium deponere, atque damnare. Itemque patres eiuſdem Concilij ad eundem Cœleſtinum ſe cauſam Ioannis patriarchę Antiocheni, quæ magis dubia erat quam cauſa Neſtorij non fuiſſe auſos iudicare, ſed reſeruaſſe iudicio eiuſdem Cęleſtini, atque ita ad eum in hunc modum ſcribunt. Ioannis Antiocheni temeritatem (quod Cyrillum depoſuerat) reſeruauimus tuæ pietatis iudicio.

Concilium Chalced. Item in Concilio Chalcedonenſi generali quarto act. 16. approbat iudicium illud ſynodi Conſtantinopolitanę quod Conſtantinopolitano patriarchę ſecundę concedatur poſt Romanum pontificem, & rurſus ibidem act. 1. Marciano Imperatore pręſente ſine vlla controuerſia caput omnium eccleſiarum Romana eccleſia appellata eſt; atque etiam ipſe Imperator Marcianus ibidem Leonem, tum pontificem Romanum Apoſtolicum Thronum gubernare dicit. Itemque Concilij patres eundem pontificem his modis compellant. act. 3. in fine in relatione facta eidem pontifici ab ipſa Synodo. Tu ſicut caput membris pręeras. Dioſcorus contra te, cui vineę cuſtodia à Saluatore commiſſa eſt extendit inſaniam, ideſt contra tuam quoque Apoſtolicam ſanctitatem, & in fine. Tuis decretis noſtrum honora iudicium, & ſicut nos capiti in bonis adiecimus cõſonantiã, ſic, & ſummitas tua filijs (quod decet) adimpleat. Item in eodem Concilio paſchaſinus legatus Concilij pro Leone papa in omnibus ſubſcriptionibus ita ſe ſubſcribit. Paſchaſinus Epiſcopus eccleſiæ Sibibætanæ vice beatiſſimi, atq; Apoſtolici vniuerſalis eccleſiæ Papę Vrbis Romæ ſanctę Synodo pręſidens in Dioſcori damnatione conſenſu vniuerſalis Concilij ſubſcripſi.

5. Synodus Item in Concilio ſecundo Conſtantinopolitano, Generali 5. actione 4. in cauſa Anthymi congregatum per Mennam patriarcham Concilij pręſidem, ita loquitur. Nos inquit, Apoſtolicam ſedem ſequimur & obedimus, & ipſius communicatores, communicatores habemus, & condemnatos ab ipſa, & nos condemnamus. Vnde in ſentẽtia ſynodi contra Anthymum confitentur patres, ſe per omnia ſequi velle ſententiam pontificis Agapiti in cauſa Anthymi hęretici, quem idem Agapitus à ſede Conſtantinopolitana, & à communione fidelium eiecerat, vt patet ex loco citato. Si ergo totum Concilium Apoſtolicę ſedi obedire ſe profitetur, certe Apoſtolica ſedes toti eccleſię cum authoritate preeſt.

6. Synodus In in Cõſtantinopolitano tertio generali 6. act. 18. ſub finem dicitur, per Agatonem Romanum Pontificem locutus eſt princeps Apoſtolorum petrus, cuius nimirum ille imitator fuiſſet, & ſucceſſor.

8. Synodus Item in Conſtantinopolitano 4. generali 8. canone 21. Patriarchas omnes honorandos præcipue vero ſanctiſſimum papam ſenioris Romæ, decernitur.

7. Synodus Item in Nicęno ſecundo quæ fuit ſeptima Synodus. recipit Concilium, & probat epiſtolam Adriani ad Thaраſium, in qua hæc habentur, cuius. inquit, ſedes per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, omniũq; Eccleſiarum Dei caput exiſtit. Vnde & ipſe B. petrus Apoſtolus Dei iuſſu Eccleſiam paſcens, nihil omnino prætermiſit, ſed vbique principatum obtinuit, &c.

Concilium Lateran. Lateranenſe Concilium ſub Innocentio. 3. In quo Gręci, & latini interfuerunt. cap. 5. Romana inquit eccleſia diſponente Domino ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum, vtpote mater vniuerſorum Chriſti fidelium, & magiſtra.

Concilium Lugdun. Concilium Lugdunenſe generale ſub Gregorio X. vt habetur in 6. tit. de electione. capit. vbi periculum, vocat Romanum Epiſcopum Vicarium Chriſti, ſucceſſorem petri, & Rectorem vniuerſalis eccleſiæ, & in hoc etiam Concilio Græci, & latini interfuerunt.

Concilium Florent. Denique Concilium Florentinum Græcis, & latinis cõſentientibus ita ſtatuit. Definimus ſanctam Apoſtolicam ſedem, & Romanum pontificem in vniuerſum orbem tenere primatum, & ipſum Romanum pontificem ſucceſſorem eſſe B. petri principis Apoſtolorum, & verum Vicarium Ieſu Chriſti, totiuſq; eccleſiæ caput, & omnẽ chriſtianorum patrem, & doctorem exiſtere, & ipſi in B. petro paſcendi, & gubernandi vniuerſalem eccleſiam a Domino Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum, & in geſtis Oecumenicorum, & in ſacris canonibus continetur; vide Roſenſem contra lutherum artic. 25.

Concilium Lateran. *Concilium Trident.* Similia habentur in Concilio lateranenſi ſub Alexandro iij. tit. 2. c. 3. & 4. lateranenſi ſub Iulio 2. & Leone 10. ſeſſ. 2. & 3. & Triden. ſeſſ. 14. c. 3. Quibus addi poſſunt prouincialia. Arelatenſe. com. 1. Aurelianẽſe V. can. 1. Toletan. 1. in aſſertione fidei in fine. Affricanum. c. 35. Mileuitanum apud Auguſt. epiſt. 92. & 93.

Secundo probatur ex antiquiſſimorum, & ſanctiſſimorum Romanorum põtificum epiſtolis atq; decretis, quos conſtat hanc authoritatem in omnes orbis vniuerſi Epiſcopos vſos fuiſſe, præſules confirmaſſe, patriarchas ipſos communione priuaſſe, de ſedibus ſuis deieciſſe, excluſos reſtituiſſe, cauſas ab alijs diiudicatas ad ſe reuocaſſe, bonorum epiſcoporum, qui calumniam patiebantur patrociniũ ſuſcepiſſe, eaq; omnia ſemper egiſſe, ad quæ ſoli illi incumbendũ eſt, cui rerum ſumma ſupremaq; adminiſtrãdæ eccleſiæ poteſtas eſt permiſſa; idque perſpicue ex ijs litteris videre eſt, quas ad varias orbis partes, etiã primis illis temporibus multo ante Conſtantinum ſcripſerunt. Anacletus Euariſtus. Alexander, Sixtus 1. Higinius. pius primus. Eleutherius. Zepherinus, Caliſtus. Fabianus, Melchiades, ſãctiſſimi Epiſcopi & Martires; Hi ſane qui vitam cum ſanguine pro Chriſto profuderunt, nihil ſibi arrogaſſent alienum, nihilq; præter Chriſti Domini mentem vſurpaſſent, niſi hoc ſibi officij à Chriſto delatum, cõmendatumq; eſſe probe nouiſſent. lege Bellar. loco ſupra citato. c. 14.

Tertio probatur ex patriarchis. Nã Atanaſius patriarca Alexandrinus. ad Iulium primum Romanum pontificem in ſua cauſa contra Arianos appellauit, vt patet ex Sozomeno lib. 3. c. 7. & ex ipſo Athanaſio in Apolog. ad Cõſtan. & in epiſt. ad Felicem ſecundum papam ab Athanaſio, & alijs miſſa ex Synodo Alexandrina, ita Athanaſius *Athanaſ.* cum illis Epiſcopis Felicem alloquitur. Vos preceſſoreſq; veſtros, Apoſtolicos videlicet præſules in ſummitatis arce Deus conſtituit, omniumq; eccleſiarum curam habere præcepit. Et in epiſtola ad Liberium papam Athanaſius ipſe ita ſcribit Beatiſſime pater, quia ſemper anteceſſores noſtri, & nos, à veſtra Apoſtolica ſancta ſede auxiliũ hauſimus, & noſtri vos curam habere agnouimus, præfatam Apoſtolicam, & ſummam appetimus iuxta Canonũ decreta ſedem, vt inde auxilium capiamus, vnde prædeceſſores noſtri ordinationes, & dogmata, atq; ſubleuationes cęperunt. Ad eam quoq; quaſi ad matrem recurrimus, vt eius vberibus nutriamur: quoniam non poteſt mater obliuiſci infantem ſuum, ſic & vos nolite obliuiſci nos vobis commiſſos; & poſt nonnulla. Tu prophanorum hæreſiũ, & imperitorum, atq; omnium infeſtantium depoſitor, & princeps, & Doctor, caput omnium orthodoxæ doctrinę & immaculatę fidei exiſtis. Quibus verbis apparet primo Romanam ſedem ante 1300. annos hoc nomen matris omnium fidelium agnouiſſe, & vſurpaſſe. Secundo à patribus, vt matrem agnitam, & ſumma veneratione inuocatam. Tertio ab ea ordinationes & dogmata etiã primis patriarchis dari conſueuiſſe. Quarto Romano pontifici omnes eſſe commiſſos. Quinto eam eſſe principem, & Doctricem, & caput orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei. quam D. Ambroſius lib. 3. de ſacra. c. 1. profitetur *D. Ambr.* ſe in omnibus velle ſequi.

D. Cyrillus Itẽ D. Cyrillus & ipſe Alexandrinus Patriarcha ad Celeſtinum Romanum Pontificem in cauſa Neſtorij ſcribens epiſt. 18. ſimiliter quoque loquitur epiſt. 10. & 11. Ab illius inquit communione cum fiducia nos non eximimus, donec iſta pietati tuæ communicaremus, quapropter quid videatur, exprimere dignare, an aliquando illi communicare debeamus.

Item

Liberatus. Item Calandius Antiochenus Patriarcha teſte Liberato in Breuiario.c.18.Ioanni Taliæ Patriarchæ Alexandrino ſuaſit vt contra Petrum Moggum, quem Acatius intruſerat ad ſimplicium Romanum Pontificem appellaret. *Theodor.* item Flauianus vt videre eſt apud Theodoretum lib.5.hiſt.c.23.eiuſdem ſedis Patriarcha à Romano Pontifice, vt cauſam diceret euocatur, pro eoque apud Damaſum teſte Sozomeno lib.8.hiſt.c.3.& Socrate lib.5.capit.15.intercedunt Chriſoſtomus Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Theophilus Patriarcha Alexandrinus. *Sozomen.* *Socrates.*

Item Petrus Patriarcha Hieroſolymitanus in Synodo, 5.act.4.in ſententia eiuſdem Petri Hieroſolimitani affirmat Agapetum Papam diuinitus feciſſe, quod Anthymum Conſtantinopolitanum aliquando Patriarcham de ſede deieciſſet.

D.Chriſoſ. Denique D.Chriſoſtomus Conſtantinopolitanus Patriarcha in epiſt.ad Innocentium tomo 5. ad Romanum Pontificem appellauit. Macedonius item eiuſdem ſedis patriarcha, vt refert Theodorus lector lib.2. Collectaneorum circa medium, qui libri extant poſt hiſt. Sozomeni Anaſtaſio Imperatori vehementer vrgenti, & mandanti, vt Epiſcopos ſibi ſubiectos ad Synodum conuocaret, nihil omnino ſe ea in re facturum reſpondit abſq; vniuerſali Synodo, cui magnæ Romæ Epiſcopus præſideret. Item Menas in quinta Synodo act. 1. Seuero, petro, & Zoarę vitio vertit, quod contempſerint eccleſiã Romanam, quę Apoſtolis inquit ſuccedens contra ipſos ſententiam promulit. *Theodorus Lector*

His reſpondent hæretici, quod Concilia, & patres veteres, quorum authoritate vtimur, non de huius temporis pontificibus loquuntur, cum affirmant illos eſſe petri ſucceſſores legitimos, ac proinde in Eccleſia tenere primatum, ſed de illis, qui priſcis temporibus Eccleſiæ Romanæ prefuerunt: atque adeo nihil eorum patrum authoritas pontifici Romano præſenti, & alijs pro tempore futuris ſuffragare videtur. Sed nulla eſt hæc reſponſio: Nam ratio ob quam patres illi, ſuorum temporum pontifices Romanos petri ſucceſſores eſſe agnoſcebant, alia proprie non erat, niſi quia illi legitimo modo ab Eccleſia Catholica in locum Petri recipiebantur, in qua re vt ſupra diximus conſiſtit hæc ratio ſucceſſionis, ſed hic etiam pontifex qui nunc eſt legitime ab Eccleſia in locum petri receptus eſt, & alij quoque qui ſuccedent ſimiliter, (vt pono) recipientur, ergo huic item pontifici, & futuris veteres illi patres teſtimonium ſucceſſionis legitimę perhibuerunt. Hactenus de primo.

Quo ad ſecundum nimirum an diuino, vel eccleſiaſtico iure ille idem ſit petri ſucceſſor qui eſt Epiſcopus Romanus eſt inter catholicos, vt dixi, controuerſia *Canus.* Nam Canus libro ſexto de locis Theologicis, cap.quarto, quinto, & ſexto *Driedo.* Driedo libro quarto de varijs dogmatibus, capit.quarto, parte tertia ſub finem. *Turrecremata.* Turrecremata libro de eccleſia, capit.40. *Aluarus Pelagius.* Aluarus pelagius de planctu Eccleſiæ libro primo capit.31. & 32. *Iacobatius* Iacobatius libro octauo de Concilijs articulo ſexto, & ſeptimo, vbi de hoc latius agit. *Petrus à Soto.* petrus à Soto in defenſione confeſſionis catholicæ, parte prima capit.97. & 98. *Gregorius de Valent.* Gregorius de Valentia. 2.2. diſput. prima, quæſt. prima. §.37. *Coſterus.* Coſterus in Apologia.2.& alij communiter ſine dubitatione, & abſolute affirmant ex Chriſti Domini inſtitutione Romanum Epiſcopum fuiſſe, & futurum eſſe ſemper D.Petri ſucceſſorem in cura vniuerſalis Eccleſiæ. Fundamentum ipſorum præcipuum eſt in modo loquendi patrum; & Conciliorum, cum paſſim aſſeuerant Romanum Pontificem ab ipſo Chriſto Domino poteſtatem obtinere. Item Romanam ſedem à Chriſto Domino priuilegium habere, vt ſit peculiariter Apoſtolica à qua fides recta nequeat deficere. Denique ex Romana ſede definitionem certam in controuerſijs fidei petendãm eſſe, atque illos catholicos eſſe, qui illius ſequuntur doctrinã; illos contra hęreticos, qui reijciunt; ex quibus & id genus alijs eccleſiæ Romanæ elogijs, colligi videtur inſtitutionem Chriſti eſſe, vt qui ſucceſſor Petri futurus eſt ſit Romanus Epiſcopus.

D. Ambr. *Egeſippus.* Accedit quod D. Ambroſius in orat. ad Auxentium, quæ extat libro quinto epiſtolarum poſt epiſt.32. & Egeſippus lib.3. excidij Hieroſol. cap.2. referunt Chriſtum Dominum Petro ex Vrbe decedenti occurriſſe, & interroganti quo pergeret reſpondiſſe eo Romam iterum crucifigi. ex qua hiſtoria conijci poteſt petrum ex voluntate, atque præcepto Chriſti Romam reuerſum eſſe. ibiq; morientem reliquiſſe Romanum Epiſcopum ſucceſſorem.

Sotus. *Corduba.* *Valdenſis.* Alia ſententia eſt Dominici de Soto lib.4. ſent. diſt.24. q.2.artic.5. (citatur etiam pro hac opinione à patre Corduba lib. 4. q. Theolog.q. 1. propoſit. 8. Thomas Vualdenſis lib.2.Doctrin.fidei, artic. in quit.ipſe 2. cap.41. ſed caput illud 41. eſt in artic.3. & quidem non recte. nam art.2.cap.18.& art.3.cap.33.& 41. oppoſitum appertiſſime docet, vt lector videre poterit) qui exiſtimat Apoſtolicam ſedem, hoc eſt dictæ ſucceſſionis rationem iure Eccleſiaſtico tantum annexam eſſe epiſcopatui Romano, ac proinde fieri poſſe authoritate eccleſiæ, vt Petri ſucceſſor non ſit Romanus Epiſcopus; ſed vel Epiſcopus alterius Diœceſis, vel nullus determinate, ſed dumtaxat paſtor vniuerſalis. Tum quia non eſt ſufficiens illa hiſtoria tripartita ad rem de iure diuino comprobandum. neque vt ſcriptura canonica, neque per eccleſiam decreta refertur ad ſupradicta, & in cap. per venerabilem. Tum ſecundo quia etiam ſi eſſet canonica, non inde ſequeretur niſi quod voluntas Chriſti fuit, quod Beatus petrus Romam ſuo ſanguine decoraret, non tamen vt ſuam ſedem, ita locaret in perpetuum, ne alibi vlla de cauſa, aut etiam nullibi poſſet cõſtitui, ſicut antequam eſſet Romæ aliquo tempore nuſquam fuit. Tum tertio quod Chriſtus Dominus inſtituens Petrum vniuerſalem paſtorem, nulli eum eccleſiæ particulari addixit, neq; aliunde inſtitutio Chriſti circa hoc ſatis conſtat. Nullus enim locus Euangelij ad id conuincit.

Caietani. Eſt tertia ſententia media, quæ videtur eſſe Caietani in Apologia de primatu Papæ, & eccleſiæ, cap.13. qui tenet q. Epiſcopus Romanus ſit eodem iure diuino Romæ & totius eccleſiæ Pontifex non quidem abſolute, ſed ex proſuppoſitione, ideſt præſuppoſito, quod iam petrus in eccleſia Romana ſuam ſedem finaliter conſtituit, eamq; pro ſua ſede pontificali totius eccleſiæ tandem elegerit, & appropriauerit.

Refert autem non parum hanc difficultatem diſcutere: nam ſi ſolum ex iure humano eccleſiaſtico ratio hæc ſucceſſionis cum Romanæ eccleſiæ Epiſcopatu coniuncta eſt, poſſet fieri, eiuſdem eccleſiæ, atque adeo eiuſdem pontificis authoritate, vt aliquando is, qui vniuerſalis eccleſiæ paſtor eſt; nõ idem ſit Romanę diœceſis epiſcopus, ſed vel alterius Diœceſis, vt quando petrus Antiochiæ ſedebat, erat Epiſcopus non Romanus, ſed Antiochenus; vel etiam nullius particularis determinatæ, ſicut eo tempore, quo nondum D. petrus Antiochiæ ſedebat, cum tamen nihilominus eſſet tunc paſtor vniuerſalis eccleſiæ à Chriſto conſtitutus. Sin autem diuino iure conſtitutum eſt, vt non alius quam Romanus Pontifex ſit petri ſucceſſor non erit in eccleſię poteſtate id inſtitutum mutare. Item etiam ex hac quæſtione pendet, quomodo illud eccleſiæ Romanæ priuilegium intelligendum ſit, cum dici ſolet recta, atque Apoſtolica fides non poſſe à Romana eccleſia deficere, ſicut iam defecit exempli cauſa ab eccleſia Conſtantinopolitana.

Vnde pro explicatione huius difficultatis obſeruãdũ eſt. primo aliud eſſe ſucceſſionem, aliud rationem ſucceſſionis: Nam ſucceſſio Romani pontificis in pontificatum petri ex inſtituto Chriſti eſt, ratio autem ſucceſſionis, qua Romanus pontifex potius quam Antiochenus, vel aliquis alius ſuccedat ex facto petri initium habuit. ſucceſſio in qua ipſa ex Chriſti inſtituto, & iure diuino eſt: quia Chriſtus inſtituit in petro pontificatum duraturum vſque ad finem mundi, & proinde quicumque petro ſuccedit à Chriſto accipit pontificatum. At vero quod Epiſcopus Romanus: quia Epiſcopus Romanus eſt, ſit petri ſucceſſor, ex facto petri ortum habuit, non ex prima Chriſti inſtitutione. Nam potuiſſet petrus nullam ſedem particularem ſibi vnquam eligere, ſic fecit primis quinque annis, & tunc moriente petro non Epiſcopus Romanus, vel Antiochenus ſucceſſiſſet. ſed his quem eccleſia ſibi elegiſſet. potuiſſet quoque ſemper manere Antiochiæ, & tunc Antiochenus ſine *Diſcrimen inter ſucceſſionẽ, et rationem ſucceſſionis.*

Digitized by Google

dubio ſucceſſiſſet, quia vero Romæ ſedem fixit, & tenuit, vſque ad mortem, inde factum eſt, vt Romanus pontifex ei ſuccedat.

Secundo obſeruandum eſt, tametſi forte non ſit de iure diuino Romanum pontificem, quia Romanus pontifex eſt petro ſuccedere in præfecturam totius eccleſiæ.

Marcellus. Nam etſi vt ſcribit ſanctus Marcellus papa petrus Domino iubente Romam venit, atque adeo non ſit improbabile Dominum etiam aperte iuſſiſſe, vt ſedem ſuam petrus, ita figeret Romæ, vt Romanus Epiſcopus ei abſolute ſuccederet, iſta tamen ſucceſſionis ratio non eſt ex prima inſtitutione pontificatus, quæ in Euangelio legitur. tamen ſi quis abſolute petat, an iure diuino Romanus pontifex paſtor ſit & caput totius eccleſiæ, omnino eſſe id aſſerendum. Nam ad hoc nihil aliud requiritur, quã vt ipſa ſucceſſio ſit de iure diuino, hoc eſt, vt ordinarium officium eccleſiam vniuerſam cum ſumma poteſtate gubernandi, non ſit ab hominibus, ſed à Deo immediate inſtitutum, id autem ita eſſe ſupra demonſtrauimus.

De fide eſt Romanũ Pontificẽ eſſe orbis Epiſcopũ. Tertio obſeruandum eſt, licet forte non ſit de iure diuino Romanum pontificem, vt romanum pontificem petro ſuccedere, tamen id ad fidem catholicam pertinere; non enim eſt idem aliquid eſſe de fide, & eſſe de iure diuino, non enim de iure diuino fuit, vt paulus haberet penulam, id eſt genus quoddam indumenti; eſt tamen hoc ipſum de fide, paulum habuiſſe penulam. Etſi autẽ Romanum pontificem ſuccedere petro non habeatur expreſſe in ſcripturis; illum autem eſſe Romanum pontificem habetur ex traditione Apoſtolica petri, quam traditionem Concilia generalia, pontificum decreta, & patrum conſenſus declarauit.

Epiſcopus Vrbis & orbis eſt vnus, & idem Epiſcopus. Obſeruandum eſt poſtremo. romanum Epiſcopatum & Eccleſiæ vniuerſæ præfecturam non eſſe duos Epiſcopatus, neque duas ſedes, niſi in potentia. Nam petrus pontifex totius Eccleſiæ a Chriſto inſtitutus, non adiunxit ſibi Epiſcopatum Vrbis romæ, quomodo Epiſcopus alicuius loci adiungit ſibi alium Epiſcopatum, vel Canonicatum, vel Abbatiam, ſed Romanæ Vrbis Epiſcopatum euexit ad ſummum orbis terræ. pontificatum, quemadmodum cum Epiſcopatus ſimplex erigitur in Archiepiſcopatum, vel patriarchatum; Non enim Archiepiſcopus, vel patriarcha eſt bis, aut ter Epiſcopus, ſed ſemel tãtum, & in huius rei ſignum non datur pontifici ſummo, niſi vnum pallium, etiam ſi epiſcopus, Archiepiſcopus, patriarcha, & ſummus pontifex ſit. Hæc enim omnia ſunt vnũ actum, & tantum in potentia multa. ex quo ſequitur, vt qui eligitur Romanus Epiſcopus eo ipſo ſit pontifex ſummus Eccleſiæ totius, ẽt ſi forte id nõ exprimant electores.

1. Conclu. His obſeruatis, quid circa hanc difficultatem ipſe ſentiam breuiter explicabo, Dico primo opinionem Soti in re tam graui eſſe nimium ſingularem, arbitror enim cum patres tot modis aſſeuerant Romanam ſedem à Chriſto obtinere primatum authoritatis in eccleſia, non aliam inſtitutionem, niſi ipſius Chriſti a quo totum id priuilegium ſedis Romanæ pendeat cogitauiſſe. Quod patet

Leo Papa. primo ex D. Leone. epiſt. 84. dicente. Romanæ eccleſiæ ex diuina inſtitutione curam incumbere aliarum omniũ

Anaclet. eccleſiarum. & clariſſime ſanctus Anacletus. epiſtol. 3. ſicut Sixtus Secundus epiſt. 1. Hæc inquit ſacroſancta & Apoſtolica eccleſia non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino Saluatore noſtro primatum obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper vniuerſas eccleſias, ac totum chriſtiani populi gregem aſſecuta eſt, ſicut ipſe Beato petro Apoſtolo dixit, Tu es petrus &c. & infra. Hęc vero Apoſtolica ſedes caput & cardo, (vt factum eſt a Domino, & non ab alio) eſt conſtituta, & ſicut cardine oſtium regitur ſic huius ſanctæ ſedis authoritate omnes eccleſiæ Domino diſponẽte reguntur, ex quibus verbis patet romanam ſedem vendicare ſibi ab antiquo rationem capitis ſuper omnes locales eccleſias, non quidem ab ipſis Apoſtolis, ſed ſicut a Domino inſtituta.

Alexã. 1. Alexander primus qui ſedit anno Domini 122. Ad huius ſanctę & Apoſtolicę ſedis apicem, cui ſummarum diſpenſationes cauſarum, & omnia negocia eccleſiarum ab ipſo Domino tradita ſunt, quaſi ad caput ipſo quoque dicente principi Apoſtolorum petro. Tu es petrus, & ſuper hanc petram &c. Hæc ille. Iam bene commemorat Alex. antiquã prærogatiuã ſitæ eccleſiæ ſibi diſpẽſatã à Chriſto.

Sixtus 1. Sixtus papa ſucceſſor eius epiſt. 1. c. 2. Si quis veſtrum, inquit, pulſatus fuerit in aliqua aduerſitate, licenter hanc ſanctam, & Apoſtolicam appellet ſedem, & ad eam quaſi ad caput habeat ſuffugium, & parum infra. Ab hac. n. ſancta ſede ab Apoſtolis tueri, defendi, & liberari Epiſcopi iuſſi ſunt, vt ſicut eorum diſpoſitione ordinante Domino ſunt primitus conſtituti, ſic huius ſanctæ ſedis &c.

Victor. Victor Pontifex anno Domini 197. ita ſcribit in ſuo decreto. c. 3. Culpãtur inquit (vt ſcriptum eſt) fratres qui aliter contra Epiſcopos iudicare præſumunt, quàm Apoſtolicę ſedi fieri placuit, & quis eſt qui iudicet eum, quem Dominus ſibi; & huic ſanctæ ſedi reſeruari voluit iudicandum.

Iulius. Iulius Primus, qui ſedit anno Domini 342. in epiſtola ad Orientales Epiſcopos poſt ſeueram obiurgationem. Quoniam inquit huic ſanctæ ſedi propter prauorum hominum inſidias ipſo Domino inſtituente, & ſanctis Apoſtolis eorumq; ſucceſſoribus &c. & parum ſupra. Ipſa nãque omnibus maior & prelata eſt eccleſijs, quę non ſolũ modo Canonum, & ſanctorum Patrum decretis, ſed Domini Saluatoris noſtri voce ſingularem obtinuit principatum Tu es inquit Petrus &c. & in epiſt. ad Epiſcopos cõgregatos Antiochiæ ſanctam inquit Romanam eccleſiã, Ipſe Dominus allocutus eſt inquiẽs. Tu es Petrus &c. Idẽ

Damaſus. inſinuat Damaſus epiſt. 3. ad Epiſcopos Africanos, atq; vt alia antiquitatis teſtimonia prætercam in magno certe

Concilium Latheran. Lateranenſi Concilio de ſumma Trinit. cap. Damnamus ex certiſſima Eccleſiæ ſentẽtia diſertis verbis eccleſia Romana dicitur. Deo ipſo diſponẽte Mater eſſe, & magiſtra

Concilium Florent. omnium eccleſiarum. Et idem videtur definiſſe Conciliũ Florentinum in decreto Eugenij. ſuperius relato, illis verbis, & ipſi. ſ. Summo Pontifici in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi, vniuerſalem eccleſiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe.

Vnde vetus patrum traditio indicare videtur Chriſti inſtitutionem eſſe vt qui petro ſucceſſurus eſt; atq; ideo qui eſt à Chriſto accepturus primatum, alius non ſit, niſi Epiſcopus Romanus, vt copioſe, ac diligẽter diſputat Ioã. Driedo loco ſupracitato, ex quo neceſſario ſequitur non poſſe a fide recta deficere, qui fidem ſequuntur eius, qui legitime erit, atq; permanebit eccleſiæ Romanæ Epiſcopus, ſiue is in illius diœceſis loco morabitur, ſiue alibi. Nã idem ex inſtitutione Chriſti erit ſucceſſor Petri in cura eccleſiæ vniuerſalis, ac proinde errare minime poterit (vt ſequenti artic videbimus, in doctrina fidei proponenda.

2. Concl. Dico ſecundo quod Romanus Epiſcopus potius quã Arretinus ſi non eſt ſucceſſor Petri ex Euangelica inſtitutione; eſt ſaltem Petri ſucceſſor ex facto Petri appropriãtis ſibi ſedem Romanam, quæ appropriatio fuit poſtea firmata per Chriſti reuelationem, & Petri mortem in Roma. ita Caietanus vbi ſupra. & probatur. Chriſtus inſti-

Caietanus tuit Petrum, & eius ſucceſſores Paſtores vniuerſales, quãdo Petro dixit Paſce oues meas, vt probatum eſt ſupra; ſed tunc Petrus non appropriauit ſibi particularem ſedẽ, ergo ex hac Euangelica Chriſti inſtitutione, non potius Romanus Epiſcopus, quã Arretinus, eſt Petri ſucceſſor, & confirmatur. quia ſi B. Petrus nullam ſedem ſibi appropriaſſet, eo mortuo eſſet vnus Epiſcopus vniuerſalis nullã habẽns ſedem appropriatam: nam eo mortuo Eccleſia eligiſſet ſibi ſucceſſorem Pontificem totius Eccleſiæ; ſic nũc ſunt Generales ordinum Mendicantiũ. ergo ſi modo ſucceſſor Petri habeat ſedem Romanam; non eſt ex primaria Chriſti inſtitutione, ſed ex facto Petri. Deinde probatur, ſi D. Petrus perſeueraſſet in Epiſcopatu Antiocheno vſq; ad mortem vbi primo ſedit; eius ſucceſſor eſſet Epiſcopus Antiochenus non Romanus. ſimiliter ſi B. Petrus deceſſiſſet a Roma non tantum loco, ſed etiam ſede finaliter eam ante mortem alibi collocando, ſicut de Antiochia ſe tranſtulit in ipſam Romam, tunc certe non ſuccederet ille pontifex Romanus, ſicut nec modo ſuccedit Antiochenus. ergo ſi modo ſuccedit Romanus, non eſt ex primaria Chriſti inſtitutione, ſed ex facto petri figentis ſuam ſedem Romæ.

Quod autem talis appropriatio ſedis Romanæ ſit rata, & firma per Chriſti reuelationem, & petri mortem patet: quia multæ hiſtoriæ fide dignæ referunt, quod

petro

petro exeunti e Roma apparuit Chriſtus &c. vt dictum eſt ſupra. & ex Chriſti reſponſo intellexit petrus. Chriſtum ratum habuiſſe eius factum. quod .ſ.Romæ locauerit ſedem. Inſinuauit enim Chriſtus illis verbis ipſum in petro, iterum Romæ crucifigendum, & ſic petrus reuerſus eſt Romam vbi fuit propter Chriſtum crucifixus.

3.Concl. Dico tertio. Ex inſtitutione Chriſti eſt quod Romanus Epiſcopus habeat in terris vices Chriſti probatur, Chriſtus commiſit petro officium paſtorale ordinarium, ergo etiam commiſit illum ſuis ſucceſſoribus: quia quidditas officij ordinarij eſt tranſire ad ſucceſſores, ſed ſolus Romanus Epiſcopus eſt legitimus ſucceſſor petri, vt probatum eſt in prima parte huius articuli, ergo habet ex inſtitutione Chriſti vices petri. Minor probatur ex traditione Eccleſiæ. ex communi ſenſu ſanctorum, & ex definitionibus Conciliorum, de quibus dictum eſt ſupra. Ex his ſequitur, quod papa vnicus eſt in Eccleſia Catholica de iure diuino, & quod a tempore Beati petri manet eius ſancta ſedes Apoſtolica in Eccleſia Romana, & ipſa eccleſia Romana habet primatum à Chriſto ſuper omnes Eccleſias particulares. Et hoc tenet vt de fide omnes Doctores ſancti, atque catholici, & totius Eccleſiæ doctrina & conſuetudo, vt conſtat ex epiſtolis omnium fere ſanctorum Pontificum à tempore Apoſtolorum, vt ait etiam Irenæus libro tertio, capit., tertio, & nos ſupra probauimus.

In Apoſtolatu tria cōtinētur. Ad argumenta contra primam partem artic. reſpondetur, & ad primum argumentum. Nili dico decretum illud legitimum fuiſſe; quod reclamantibus ijs, qui Concilio preſidebant factum ſit.

Ad ſecundum reſpondeo in Apoſtolatu tria contineri. Primum, vt qui Apoſtolus eſt ſit immediatus verbi miniſter, ita vt ab ipſo Deo doctus ſit, & ſacros libros ſcribere poſſit; & hoc fatemur non conuenire in Romanum pontificem: Non enim neceſſe eſt vt quotidie nouæ reuelationes habeantur, & noui libri ſacri ſcribantur. Secundo vt qui Apoſtolus eſt Eccleſias conſtituat, & fidem propaget in ijs locis, vbi numquam fuit; & hoc ad Romanum pontificem pertinere, & ratio & experientia ipſa nos docet: nam ab Apoſtolicis temporibus, qui Eccleſias fundauerunt in varijs partibus orbis terræ. & adhuc hodie fundant, ſic in nouo orbe, Romani pontifices fuerunt. Tertio vt qui Apoſtolus eſt ſummam habeat in omnem Eccleſiam poteſtatem; atque id quoque ad Romanum pontificem pertinere contendimus ea ratione; quia petro ſuccedit, in quo hæc poteſtas ordinaria eſt, non delegata vt in Apoſtolis ceteris: falſum etiam ſupponit Nili argumentum: Non enim Romanum pontificem totius Eccleſiæ pontificem, ſiue Apoſtolicum pontificem Apoſtoli creare debuerunt, cum id ipſe Chriſtus fecerit. Quare ab omnibus patribus ſemper Romani pontificis ſedes Apoſtolica, ſedes appellata

Concilium Chalced. eſt; & in ipſo Concilio Chalcedonenſi, quod Nilus citat act.1.vocatur Apoſtolatus, dignitas papæ Romani, & act.16.vocatur ſedes eius Apoſtolica.

Ad tertium nego minorem. Nam falſum eſt, quod papa ſit, & vocetur ſolum Romanæ Vrbis Epiſcopus, vt ex ipſo Concilio Chalcedonenſi, omiſſis cœteris, cognoſci poteſt; nam act.3. leguntur tres epiſtolæ Orientalium ad Leonem, & in omnibus vocatur Leo vniuerſalis Eccleſiæ Papa, quod idē nomen habetur etiā act. 16.

Ad quartum dico, quod & ſi tempore Græcorum pertinacia id non permittit, tamen olim id Romano pontifici licuiſſe. Nam in Concilio Chalcedonenſi act.7. legimus Maximum Epiſcopum Antiochenum, ideo receptum à Concilio; quia à Sancto Leone in Epiſcopatu

Liberatus. confirmatus fuerat. & Liberatus in Breuiario capit.21.

Ioa. Zona. ac Ioannes Zonara in Iuſtiniano ſcribunt ab Agapito Romano pontifice Anthymum depoſitum fuiſſe ab Epiſcopatu Conſtantinopolitano, & in eius locum ab eodem pontifice Menan ordinatum. lege epiſtolam Iulij

Iulius. primi ad Orientales Epiſcopos. quæ habetur in primo tomo Concil. inter decreta eiuſdem Iulij.

Ad quintum concedo totum id quod dicitur; nam neque nos affirmamus papam omnes D. petri prerogatiuas habere,

Ad ſextum dico eo argumēto nil aliud probari: quam Nilum iſtum vere fuiſſe, grecum vt inquit Bellar. ideſt leuem, & garrulum. Quis enim vnquam audiuit licuiſſe Petro ligare id, quod merito ligandum non eſſet? & vbi habetur illa præſcriptio Petri ad papam, quam Nilus profert? *Bellarmin.*

Ad argumentum ex Caluino. ad primum dico in primis D. petrum non tantum 12. Apoſtolis præfuiſſe, ſed etiam multis millibus chriſtianorum: nam Ioan. vltimo non tantum 12. Apoſtolos, ſed omnes oues ſuas Chriſtus petro commiſit; legimus autem Act.2. creuiſſe oues petri ad tria millia, & Act.4. ad quinque millia in ſola Hieroſolima. Deinde quo ſunt homines plures, eo magis indigent vno rectore à quo in vnitate contineantur, vt diximus ſupra.

Ad ſecundum dico primo quod Moſes non fuit ſummus Sacerdos, ſed ſummus Doctor, & prophetarum princeps. Vniuerſa autem illa, quæ in deſerto tradita ſunt Iſraelitico populo promiſſionis terram ſpectabant, vbi ſacrificia, oblationes, ceremoniæ, templum denique ipſum erigendum erat. Cumque introduxerit te Dominus, (ait ipſe per Moſem) in terram Cananei, Nethei, &c. quam iurauit patribus tuis vt daret tibi, terram fluentem lacte, & melle, celebrabitis hunc morem ſacrorum menſe iſto; atque adeo non habebat, tunc Iſraeliticum Sacerdotium firmam ſedem. Imo quod ad hoc Eccleſia conformis eſt Synagogæ. Nam vt ibi vbicumque reſidebat ſummus Sacerdos cum tabernaculo fœderis, & arca; ibi erat Cathedra Moſis, vt primum in deſerto, ſed deambulatorie in tabernaculo, & tentorio. 2.Reg.7. Poſtea in Sylo. Iudicum 18. ac poſtremo in Hieruſalem. ſic vbicumque petrus primus Apoſtolorum ſedem fixit, vt primum in Iudęa, ſed ambulatorie, poſtea in Antiochia, & poſtremo Romæ in loco quem elegit Dominus; ibi eſt cathedra petri, & Eccleſia principalis. Dico ſecundo non ideo Romę eſſe ſedem: quia Petrus Romæ obijt: ſed quia Romanus Epiſcopus fuit, nec ſedem è Roma vnquā aliò tranſtulit. Moſes autem & Aaron non fixerunt in deſerto ſedem, ſed ibi in itinere cum eſſent mortui ſunt.

Ad id quod additur de Chriſto Domino. Dico quod potuit, & maxime potuit princeps paſtorum, ſummus epiſcopus, caput eccleſiæ honorem loco dare, nedum acquirere; ſed ſucceſſorem ſibi petrus elegit, ac conſtituit; quem ſummo ſuo iudicio noluit Hieroſolymis, tamdiu manere; ne ea ſedes ſua morte ſimili priuilegio inſigniretur; & merito quidem; ſumme profectò decebat, non minus ſedem ipſam, quam Sacerdotium tranſlata lege aliò transferri. Auferetur dixerat Dominus Hieroſolymitanis à vobis regnum; non (mea quidem ſententia) terrenum illud, ſęculareque Sacerdotium, ſed Sacerdotij primatus, ne amplius gens durę ceruicis iactaret. Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt. Noluit igitur ſummus Sacerdos noſter loco eam præſtantiam contuliſſe, non quia non potuit, ſed quia omnino noluit, quod & maxime vt diximus diuinam ſuam ſapientiam decebat. Vel dicas, quod Hieroſolimis caput eccleſiæ eſſe non debuit, tum quia breui poſt Chriſtum exterminanda erat, vt lapis ſuper lapidem nō ſtaret Matth.24. Tum quia hoc fouiſſet errorem Iudęorum, qui putabant in Hieroſolymis Meſſiam regnaturum.

Ad tertium dico, quod petrus ad tempus Antiochiæ ſedit, vt tabernaculum fęderis in Sylo, ſed Dei voluntate Romam migrauit, ibique paſſus ſedem fixit. Hoc Dominum diſerte iuſſiſſe ſcribit Beatus Marcellus Martyr, & Papa in epiſt. decretali, & poſt eum Innocentius in epiſt. ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum. Petit Caluinus oraculum, vt Iudęi ſigna. Matth. 12. Sed ſignum non dabitur ei, niſi quod tota antiquitas, & præſens adhuc Romæ monimentum oſtendit, ſcilicet locus qui appellatur Domine quo vadis, vſque in hodiernam diem. Alexandria autem non Antiochia ſecundum locum obtinuit, propter honorem petri, nempe propter Marcum petri diſcipulum, & totius prædicationis interpretem. *Marcellus Papa.* *Innocen.*

Ad quartū dico ex prima Chriſti inſtitutione dignitatē pontificalē fuiſſe pſonalē, ordinariā tamē & publicā, vt

poſſet in ſucceſſores tranſire, tamen ex facto Petri factam eſſe poſtea localem, ſeu potius mixtam, neque id ſine diui no nutu; dico fuiſſe initio perſonalem, quia à Chriſto nō fuit alligata vlli certo loco, ſed in perſonā Petri abſolute collata. Quia tamen poſtea Romæ Petrus ſedem fixit factum eſt hoc priuilegium etiam locale, ac proinde mixtum. Nam eſt alligatum Romæ ibi donec ſucceſſores Petri Romæ ſedem retinent. Nam ſi diuino iuſſu ſedes alio transferretur, non eſſent amplius Romani Epiſcopi, totius eccleſiæ Epiſcopi, ſi transferretur inquam ipſa ſedes, ita vt qui nunc ſunt Romani Pontifices, alicuius alterius loci Epiſcopi dicerentur. Non enim ſola abſentia *Aluarus.* Pontificum ab Vrbe ſedem transferre dicitur, vt Aluarus *Iacobatius* Pelagius, & Iacobatius locis ſupracitatis clariſſime docēt.

Ad quintum dico, quod & ſi Petrus anno poſt Chriſti paſſionem. 20. Hieroſolymis fuit, non tamen repugnat eū Romæ 25. annis ſediſſe, vt Hieronymus in Catalogo diſerte ſcribit: Nam & Romæ ſedit, & ſi ſępe alibi adfuerit, & Hieroſolymis fuit, & ſi ibi non ſemper heſerit, aut ſedem Epiſcopalem fixerit. Petrus dicitur ab hiſtoricis Romæ, non alibi ſediſſe, quia ibi non alibi ſedem Epiſcopalem fixit, ſucceſſoremque deſtinauit, & denique paſſus eſt, aliud eſt. 20. poſt Chriſtum annis Hieroſolymis Petrū habitaſſe, quod Caluinus fingit, aliud Petrum anno fere 20. ibi fuiſſe, quod Paulus ad Gal. ſcribit.

Deinde tempus quo Antiochiæ ſedit, potuit pars temporis illius fuiſſe, quo Hieroſolymis heſiſſe dicitur primis *Euſebius.* 14. annis poſt Chriſtum. Certe Euſebius in Cronicis, & *Hierony.* Hieronymus in Catalogo, & Oroſius lib. 7. Hiſtoriarum *Oroſius.* & Irenæus lib. 3. cap. 1 teſtantur Petrum ſub principio *Irenæus,* Imperij Claudij anno 2. imperij eius. Romam profectū fuiſſe contra Simonem Magum, qui fuit poſt Chriſtum annus vndecimus, vel duodecimus. Anno 9. Imperij Claudij Petrus exiuit propter edictum quod omnes Iudæi è Roma diſcederent Act. 18. ideſt cum iam quinque annis Romæ egiſſet. Sic ergo Hieroſolymam reuerſus (Vnde propter Herodis perſecutionem fugerat) Concilium te- *Baronius.* nuit Apoſtolicum. Vide Baronium annalium tom. 1. ſub Chriſti anno 51. Petri 7. & Claudij 9.

Ad confirmationem dico, primo nihil concludi ex argumento ab authoritate negatiue. Nam iuxta hoc argumentum qui vellet reijcere Acta Apoſtolorum, quod fecerunt Manichei vti poſſet hoc argumento. Paulus Hieroſolymis bis Petrum conuenit, & ſemel Antiochiæ reprehendit, vt cap. 1. & 2. ad Gal. refert. at Lucas in Actis, nihil horum refert, ergo aut epiſt. illa ad Galat. aut liber Actorum falſa narrat. Nam æque bene potuit, ſeu Paulus in epiſt. ſeu Lucas in Actis tacere de Petro Romæ exiſtente, quam potuit Lucas omnem Pauli perigrinationē ſcribens ex propoſito, illa tamen omnia tacere, quæ Paulus, tam Hieroſolymis, quam Antiochiæ cum Petro egit. Ad id quod adducitur ex 2. ad Timot. 4. dico quod Paulus non loquitur niſi de ijs, qui eum iuuare apud Cęſarem potuiſſent; nam ibidem dicit tunc apud ſe fuiſſe Lucam, & tamen generaliter ait. Homo aſtitit mihi, ſed omnes me dereliquerunt; Certum eſt Petrum non potuiſſe eum iuuare, cum ipſe non minus Cœſari inuiſus eſſet; quam Paulus. Itaque loquitur de quibuſdam nobilibus Romanis, qui potuiſſent pro ſe adire Cœſarem, ſed metu Tiranni id non fecerunt. Congreſſum autem Petri cum Paulo in Vrbe Roma inſignem valde, & indu *Dionyſius.* bitatum habemus apud Dionyſium Areopagitam in Epiſtola ad Timotheū, & mutuam ſalutationē cū Paulo ante mortem habitam: & notatur hodie Romæ locus ipſe, quo inuicem vltimum vale dixerunt. Secundo reſponderi poſſet eo tempore, quo Paulus Romam peruenit, & quo ſcripſit eas epiſtolas Petrum non fuiſſe Romæ. Nam & ſi Rōmæ ſedem ſuam fixerat, tamen ſępiſſime aberat; cum oporteret eum in varijs locis eccleſias *Epiphanius.* conſtituere, vt Epiphanius annotauit hæreſi 27. Nam propterea Petrus aſſumpſit ſibi in coadiutores Linum, & Cletum, qui in abſentia ſua Romæ Epiſcopalia munera obirent.

Ad vltimum dico verum, & legitimum ſenſum illius Canonis Nicęnę Synodi eſſe; Alexandrinum Patriarcham debere gubernare illas prouincias: quia Romanus Epiſcopus ita conſueuit. ideſt, quia Romanus Epiſcopus ante omnem Conciliorum definitionem conſueuit permittere Epiſcopo Alexandrino regimen Ægypti Lybiæ & Pentapolis; ſiue conſueuit per Alexandrinum Epiſcopum illas prouincias gubernare. ſic intellexit hunc Canonem Nicolaus primo in epiſtola ad Michaelem; *Nicol. 1.* nec apparet vlla alia probabilis expoſitio. vide Bel- *Bellar.* larminum vbi ſupra quinto libro 2. de Romano Pontifice capit. 13.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Papa ſit Regula infallibilis in definitionibus fidei, & morum.

PRo intelligentia tituli quæſtionis obſeruandum eſt *Papa quatuor modis conſiderari poteſt.* Pontificem quatuor modis poſſe cōſiderari, vno modo, vt eſt perſona quædam particularis, ſiue doctor particularis. Secundo modo, vt Pontifex, ſed ſolus. Tertio modo vt Pontifex, ſed adiuncto cetu ſolito Conſiliariorum. Quarto modo Pontifex, ſed vna cum Concilio generali.

Secundo obſeruandum eſt Romanum Pontificem errare in fide dupliciter intelligi poſſe, primum quod vt per- *Papā duobus modis intelligi pōt poſſe errare in fide.* ſona particularis, poſſit male ſentire de fide, & eſſe hæreticus; altero modo quod erroneam, atque hæreticam doctrinam poſſit publice ſuſtinere, & Eccleſiæ decernendo tradere, ſicut aliarum eccleſiarum plurimi Epiſcopi fecerunt.

Tertio obſeruandum eſt ſententias & decreta Pontificum interdum verſari in rebus vniuerſalibus, quæ toti Eccleſię proponuntur, qualia ſunt decreta de fide, & præcepta morum generalia, interdum in rebus particularibus, quæ ad paucos pertinent, quales fere ſunt omnes controuerſiæ facti, vt an talis ſit promouendus ad Epiſcopatum, an iure fuerit promotus, an videatur deponendus.

Quarto obſeruandum eſt, quod omnes catholici, & hęretici circa hanc quæſtionem in duobus conueniunt. primo poſſe Pontificem, etiam vt Pontificem, & cum ſuo cętu conſiliariorum, vel cum generali Concilio errare in controuerſijs factis particularibus, quæ ex informatione teſtimonijſque hominum præcipue pendent. Secundo poſſe Pontificem vt priuatum doctorem errare etiam in quæſtionibus iuris vniuerſalibus, tam fidei, quam morū, idque ex ignorantia, vt alijs Doctoribus interdum accidit.

Quinto obſeruādum eſt, quod omnes catholici in alijs duobus conueniunt, non quidem cum hæreticis; ſed ſolū inter ſe. primo Pontificem cum generali Concilio nō poſſe errare in condendis fidei decretis, vel generalibus præceptis morum. Secundo Pontificem ſolum, vel cum ſuo particulari Concilio aliquid in re dubia ſtatuentem, ſiue errare poſſit, ſiue non eſſe ab omnibus fidelibus obedienter audiendum.

Sexto obſeruandum eſt, quod quatuor ſunt circa propoſitam quæſtionem diuerſæ opiniones. prima eſt Pontificem etiam vt Pontificem, etiam ſi cum generali Concilio definiret aliquid, poſſe eſſe hæreticum in ſe, & docere alios hæreſim, & de facto aliquando ita accidiſſe. Hæc eſt hereticorum omnium huius temporis, & pręcipue lutheranorum. Secunda opinio eſt Pontificem etiam vt Pontificem, poſſe eſſe hereticum, & docere hęreſim ſi abſque generali Concilio definiat, & de facto aliquando accidiſſe. Hanc opinionem docuit Gerſon *Gerſon.* in tract. de poteſtate eccleſiaſtica. Ocham in dialogis. *Ocham.* Almayn in tractatu de Comparatione papę & Concilij. *Almayn.* capit. 16. & fere omnes pariſienſes, & alij omnes, qui Concilium ſupra papam eſſe aſſeruerunt. nec non Al- phonſus de Caſtro aduerſus hereſes. c. 2. 4. & 8. quatenus *Alphon. à Caſtro.* infallibilitatem fidei tribuit Concilio generali, & non papę; quamuis alias aliter dixit, vt infra dicemus. & Adrianus ſextus, papa antequam eſſet papa in 4. in queſt. de *Adria. 6.* confirmatione. Qui dicunt, quod poteſtas vicaria Chriſti immediate reſidet in eccleſia, & in Concilio vniuerſali eā repræſentanti, & inde per Eccleſiā deriuatur in Papā; ſicut in Repub. ciuili immediate eſt poteſtas regendi, & guber-

gubernandi, & iudicandi, & per electionem deriuatur in Regem; manet tamen ipſa Reſpub. ſuperior, & poteſt Regem punire, & priuare, ſi ſit nequam & tyrannus. Huiuſce etiam opinionis fuiſſe videtur Durandus in 4. d. 7. q. 4. vbi authoritatem Gregorij Papę leuiſſime reijcit.

Durand. Albertus Pighius.

Tertia opinio eſt in alio extremo Pontificem non poſſe vllo modo eſſe hæreticum in propria perſona, nec docere publice hæreſim, etiamſi ſolus rem aliquam definiat. Hoc extremum ſuſtinet Albertus Pighius. lib. 4. c. 8. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ.

D. Thom. Vualdenſ. Turrecremata. Driedon. Caietanus. Hoſius. Echius. Petrus à Soto. Canus. Pighius. Roffenſis. Corduba.

Quarta opinio eſt quodam modo in medio, quæ eſt nunc apud catholicos certa, & recepta, & ſi non de fide. nempe Pontificem ſiue hæreticum eſſe poſſit, ſiue non; nõ poſſe vllo modo definire aliquod hæreticum, a tota Eccleſia credendum. Hęc eſt communiſſima opinio fere omnium catholicorũ vt S. Thomæ. 2. 2. q. 1. art. 10. Vualden. lib. 2. doctrin. fidei. c. 47. & 48. Ioan. de Turrecre. in ſumma de Eccleſ. lib. 2. c. 107. vſq; ad 112. Ioan. Driedonis. lib. 4. de Eccleſiaſt. dog. cap. 3. p. 3. Caiet. in Opuſcul. de poteſt. Papę & Concilij. ca. 9. Hoſij lib. 2. contra Brentium, qui eſt de legitimis iudicibus. Echij lib. 1. de primatu Pontificis. cap. 18. Petri à Soto in Apologia ſua. p. 5. cap. 83. 84. & 85. Melchioris Cani. de locis Theologicis lib. 6. Pighij lib. 4. cap. 2. Roffenſis. art. 26. contra Lutherum & Cordubæ, lib. 4. quæſt. Theologici. q. 5. Arma fidei. propoſi. 10. & q. 3.

Corduba. Caietanus. Canus. Bellarm.

Settimo obſer. eſt. quod hi authores videntur inter ſe aliquo modo diſſentire. Nam quidam eorum dicunt Põtificem non poſſe errare ſi mature procedat, hoc eſt ſi faciat quod in ſe eſt, & conſilium audiat aliorum paſtorum, atque doctorum, vt latiſſime, & doctiſſime docet Pater Corduba locis citatis, & potiſſime quæſt. 6. ad ſextum argumentum. Alij dicunt Pontificem etiam ſolum nullo modo errare poſſe, vt Caiet. & Canus vbi ſupra ſed re vera vt docet Bellarm. lib. 4. de ſummo Pontifice. cap. 2. non diſſident inter ſe. Nã poſteriores non volunt negare, quin teneatur Pontifex mature procedere, & conſulere viros doctos; ſed ſolum dicere volunt ipſam infallibilitatem non eſſe in cętu conſiliariorum, vel in concilio epiſcoporum, ſed in ſolo Pontifice, ſicut e contrario priores non volunt ponere infallibilitatem in conſiliarijs, ſed in ſolo Pontifice, verum explicare volunt Pontificem debere facere, quod in ſe eſt conſulendo viros doctores, & peritos rei de qua agitur.

Stapletonius. Bellarm.

Ex his quatuor opinionibus prima eſt heretica; ſecunda non eſt propriè hæretica ſaltem quo ad poſſibile propter multos catholicos qui eam ſuſtinent, & adhuc videmus ab Eccleſia tollerari, qui illam ſententiam ſequuntur, eam tamen Stapletonius temerariam dicit controuerſia. 3. q. 4. Bellar. vero erroneam atque hæreſi proximam. loco citato, tertia probabilis eſt; non tamen certa. quarta certiſſima eſt & aſſerenda.

Contra quam tamen ſic hæretici arguunt. Multi papæ de facto errauerunt, ergo &c. Antecedens probatur quia Ioan. 22. publice docuit animas ſanctorum, non videre Deum vſq; ad diem Iudicij. & cõſtituit nullum Pariſijs graduũ Theologię ſuſcipere, poſſe donec in hanc ſententiã iuraſſet. Quod eſt contra fidẽ, ait. n. Chriſtus latroni Lucæ 23. Hodie mecum eris in Paradiſo; & Paulus ad Philippenſes 1. dicit cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. & 2. ad Corint. 5. ſcimus quoniam ſi terrena domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus. domum non manu factam æternam in Cęlis item Cæleſtinus III. vt habetur. c. 4. de diuortijs tenuit ꝙ quando vnus coniugum ſit hęreticus, vel infidelis, alter poteſt cum alia contrahere. itaq; definiuit matrimonium diſſolui, etiam quo ad vinculum quando alter coniugum labitur in hæreſim, quod decretum olim fuit in volumine

Hoſtienſis. Caſtro.

decretalium vt affirmat Hoſtienſis. in c. quando. de diuortijs, & Pater Caſtro lib. 1. aduerſus hæreſes dicit ſe vidiſſe hanc decretalem hoc autem eſt hæreticum: quia Chriſtus dicit. Matth. 19. Quod Deus coniunxit homo non ſeparet. & Paulus ad Roman. 7. Mulier, quæ ſub viro eſt viuente viro alligata eſt legi.

Tertio Alexander III. in c. licet de ſponſa duorum, affirmat quoſdam prædeceſſores ſuos Romanos Pontifices, aliquando iudicaſſe matrimonium ratum, non conſummatum diſſolui per ſubſequens matrimonium conſummatum alterius coniugis, hoc autem aduerſatur Euang. & D. Paulo vbi ſup. ergo &c.

Quarto Idem Alexander. III. in c. cum eſſes de teſtamẽtis affirmat alienum eſſe à Diuina lege, & à ſanctorum Patrum inſtitutis teſtamentum non valere niſi 7. vel 5. teſtibus ſignetur, tamen leges ciuiles quas Chriſtiani ſine peccato ſeruant contrarium definiunt ergo vel vniuerſalis Eccleſia errat vel ille Papa errauit.

Quinto Innocentius I. in epiſt. 2. cap. 12. pręcipit ſacrã Virginem iam velatam quæ nupſerit, aut fornicata ſit nõ recipi ad pęnitentiam, donec viuit ille cum quo ipſa peccauit, hoc autem iniquum videtur mulierem pęnitentẽ non debere abſolui niſi primo moriatur, qui eam ſeduxit. Item epiſt. 18. ad Alexandrum Antiochenum ſcripſit ratum quidem eſſe Arianorum baptiſmum, ſed non conferri per eos Spiritum ſanctum. quia ſe ab Eccleſia ſeparauerunt, vbi videtur velle efficaciam ſacri baptiſmi pendere à bonitate miniſtri, quod eſt contra Eccleſiæ communem doctrinam. Item in epiſt. 22. cap. 1. docuit. ſacerdotem nõ poſſe eſſe eum, qui viduam vxorem acceperit, cum Moſes in Leuitico præceperit, vt ſacerdos Virginem in vxorem accipiat, quaſi Chriſtiani teneantur adhuc legibus iudicialibus veteris teſtamenti.

Sexto Innocentius III. in c. per Venerabilem in medio. Qui filij ſint legitimi, dicit leges Deutheronomij modo obligare. hoc autem eſt contra Concilium Apoſtolorum, Act. 15. vbi definitum eſt legalia, & ceremonialia iam ceſſaſſe.

Settimo Nicolaus I. in cà quodam Iudæo de Conſecrat. diſt. 4. an Baptiſmum collatum In nomine Chriſti valere. at Pelagius Papa. ibidem. c. multi, & c. re uera damnat hoc, aſſerens, debere fieri nomine totius Trinitatis, ergo rurſum alter errauit.

Octauo Stephanus VII. damnat Formoſum Papam, & omnes actus eius, & decreta, & tamen Io. IX. in Concilio Rauennæ congregato damnat Stephanum, & probauit actus, & decreta Formoſi Papæ. ergo iterum alter male, decreuerat in cauſa fidei.

Nono D. Hieronymus in Chronicis refert de Liberio Papa, quòd tædio exilij, in hæreticam prauitatem eſt cõuerſus ergo ille fuit Arianus.

Decimo Honorius Papa. in Sexta Synodo generali. Act. 13. inter hæreticos annumeratur, & pro hęretico condemnatur. & præterea in epiſt. Leonis. II. quam ſtatim poſt Concilium Imperatori ſcripſit idem damnatur, & dicit Leo, quod ſedem Apoſtolicam doctrina non Apoſtolica contaminauit. Hãc etiam damnationem teſtatur Settima Synodus Act. vlt. & Adrianus Papa Act. 5. Synodi 8. generalis. damnatur autem propter ſcripta quædam de dogmate tunc controuerſo, in quibus hæreticam ſententiam approbauit.

Vndecimo Nicolaus III. in cap. exijt qui ſeminat ſeminare de verborum ſignificatione in 6. affirmat Chriſtum ſuo exemplo docuiſſe non habere proprium in particulari, vt omnes Religiones profitentur, & aliquando nec in communi, vt profitentur religio Minorum. at vero Ioan. XXII. in Extrauaganti inter nonnullos, iudicat hoc vltimum eſſe falſum ergo alter errat.

Duodecimo Gratianus in cap. propoſuiſti. 32. q. 7. citat Gregorium definiuiſſe matrimonium ſolui vxore propter infirmitatem non valente debitum reddere, hoc autẽ aduerſatur Euangelio, & Paulu vbi ſup.

Decimotertio Gelaſius Papa definiuit in Euchariſtia ſubſtantiam panis remanere, quod eſt hæreticum ergo.

Secundo arguitur. Papa poteſt eſſe hæreticus quo ad perſonam ſuam, ergo poteſt errare in fide, probatur conſequentia: quia ſi talis definiat certo ſuam hæreſim, alias eſſet miraculum, quod in actionibus Eccleſiæ, de quarum numero eſt definitio de fide non eſt ponendum, probatur antecedens. quia Anaſtaſius, vt refertur in ca. Anaſtaſius. diſt. 19. communicauit cum Photino conſentienti hæreſi Acatij. Honorius etiam primus fuit hæreticus ponens in Chriſto vnam tantum voluntatem, & ideo fuit condemnatus in Concilio Conſtantinopolitano. 3. Act. 4. & act. 13. & 18. Alios etiam Papas referunt hiſtoriæ fuiſſe Hæreticos.

Probatur

Digitized by Google

Probatur ſecundo conſequentia. quia in decretalibus habetur diſt. 40. cap. ſi Papa, ꝙ Papa non poteſt redargui niſi deuiet à fide, & Anacletus epiſt. 3. maiores Epiſcopos poſſe iudicari à minoribus ait ſi exorbitant à fide. Alia etiam decreta idem ſonant apud Burchardum lib. 1. cap. 138. & 139. ergo poteſt errare in his quæ determinat.

Tertio vel Papa habet infallibilitatem ex habitu fidei, vel ex aſſiſtentia Spiritus ſancti, vel ex vtroq; non primũ: quia alias qui ſemel haberet fidem non poſſet errare, nec ſecundum quia Spiritus ſanctus maxime aſſiſtit per charitatem, Papa autem cum determinat poteſt eſſe in peccato mortali; nec tertium eadem ratione: quia Papa poteſt eſſe inimicus Deo, & in maleuolam animam non introibit Sapientia.

Quarto ſi Papa non poſſet errare in decreto fidei ſiuſtra congregarentur Concilia generalia; quia ſolus ille poſſet omnia determinare. conſequens autem eſt contra conſuetudinem Eccleſiæ, in qua ſemper fuit Concilium generale tanquam res ſanctiſſima & grauiſſima, ergo papa non eſt regula infallibilis.

Quinto ſola ſuprema regula eſt infallibilis: ſed Papa non eſt ſuprema regula, ergo non eſt infallibilis, probo minorem; quia Concilium eſt ſupra papam, vt definitur in Concilio Conſtantienſi. Seſſ. 5. & Baſilienſi Seſſ. 2.

D. Petro quomodo data ſit infallibilitas circa fidẽ. Pro iſtorum argumentorum ſolutione, & quæſt. ampliori explicatione obſer. eſt. ꝙ D. petro data eſt infallibilitas circa fidem in vtilitatem Eccleſiæ iuxta illud Lucæ 22. Ego rogaui pro te Petre vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus &c. id eſt poſtquam pœnituerit te negationis confirma fratres tuos in fide dubitantes, quod non tantum propter Petrum, ſed propter commodum eccleſiæ conceſſum fuit, ex quo ſequitur hanc infallibilitatẽ transferri ad ſucceſſores petri, quia eius officium erat ordinarium.

Vbi ſcriptura nihil de fide dicit, quid agendum. D. Aug. Gratianus. Secundo obſer. eſt, qđ vbi ſcriptura nihil de fide dicit ſtandum eſt conſuetudini eccleſiæ vniuerſali; & maiorũ inſtitutis, ita D. Auguſt. relatus à Gratiano in cap. in his. 11. diſt. in his, inquit, rebus de quibus nihil certo ſtatuit D. ſcriptura mos populi Dei, & inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt, & ſicut præuaricatores diuinarum legũ, ita contemptores eccleſiaſticarum conſuetudinum coercendi ſunt.

Tertio obſer. eſt, quod Papa vel loquitur opinatiue vt Doctor, aut authoritate vt Papa proponendo toti eccleſiæ decreta, vt ab omnibus recipiantur.

Poteſtas eſt duplex. Quarto obſer. eſt, ꝙ duplex eſt poteſtas; prima iuriſdictionis vt poteſtas excommunicandi, iudicandi & puniẽdi; ſecunda eſt definiendi in materia fidei, quæ eſt poteſtas ſpecialiſſima & de hac quærimus an ſit in papa.

Papa nec Conciliũ poſſunt cõdere nouũ articulum. Quinto obſer. eſt, quod nec Papa, nec Concilium poſſunt condere nouum articulum fidei. ſic nec noua ſacramenta, nec nouam ſcripturam: Hæc enim omnia ſunt immobilia fundamenta Eccleſiæ, papa autem & Conciliũ quando definiunt de fide ſolum declarãt iuridice aliquid pertinere ad fidem, & doctrinam olim reuelatam Apoſtolis, & Euangeliſtis; ſicut philoſophus non facit nouas veritates phiſicas, ſed ſolum declarat illas quæ erant ignotę. nobis hæretici imponunt, papę, & Concilio ꝙ faciant nouam fidem, cum re vera nobis declarent magis antiquam. Sed contra. Etiam Doctor Theologus poteſt declarare aliquid pertinere ad fidẽ; reſpondetur ꝙ hoc non facit authoritatiue obligando alios, papa autem, & Conciliũ ligant, & obligant omnes ad parendum ſuis definitionibus.

Papa eſt immediatus Vicarius Criſti. Sexto obſer. eſt. ꝙ vt colligitur ex dictis, papa eſt immediatus Vicarius Chriſti. immediate enim ab ipſo recipit poteſtatem. & non ab Eccleſia. Cardinales autem quando eligeret illum ſolum funguntur officio patroni, Chriſtus vero dat poteſtatem; ſicut in beneficijs patronus nominat, Epiſcopus vero dat poteſtatem; ſic in propoſito Cardinales eligentes nominãt, Chriſtus autem dat authoritatẽ papalem, quod licet non ſit de fide. oppoſitum tamen perniciosum eſt, & veneno plenum principiumq; ſchiſmatũ, & ex eo prouenit ſæpe in Concilijs, ꝙ non tractentur res ſincere, & ſancte; noſtra vero ſententia, eſt pacis, & pietatis plena.

Credere ſicut oportet eſt de neceſſitate ſalutis. Septimo obſer. eſt, ꝙ credere ſicut oportet eſt de neceſſitate ſalutis; ſine fide enim impoſſibile eſt placere Deo, & qui non crediderit condemnabitur, nec ſatis eſt credere, ſed etiam requiruntur opera; fides enim ſine operibus mortua eſt, & ideo materia circa quam verſatur definitio papæ, & Conciliorum non ſolum eſt res fidei, ſed etiam morum.

1. Concl. His obſeruatis ſit prima concluſio quando papa loquitur vt doctor poteſt errare in fide; probatur exemplo. Ioan. XXII. & Honorij primi, & Liberij prout referunt eorum hiſtoriæ; nihil tamen ſuorum errorum, propoſuerunt Eccleſiæ ad credendum. & confirmatur; quia Papæ non ſunt confirmati in fide, nec in gratia ſicut D. Petrus, vt teſtantur deprauati mores multorum Pontificum. vide Platinam de vitis Pontificum, nec hominem qui alias in fide errare potuit, dignitas pontificia efficit à fide indeuiabilem.

2. Concl. Secunda concluſio. In rebus fidei Papa non poteſt errare ſi præuia inquiſitione, & faciendo quod in ſe eſt, definiat, & hoc exiſtimo eſſe de fide. Probatur, prima pars. Põtifex Synagogæ erat infallibilis in rebus fidei; ergo & Põtifex, noſtrę Eccleſię, probatur antecedens. in Caypha qui prophetauit cũ eſſet põtifex cuius prophetiæ cauſa præcipua aſſignatur põtificatus. Conſequentia aũt probatur à minori ad maius. & cõfirmatur. quia ſi in lege veteri ad ſummũ ſacerdotẽ erat recurſus in dubijs legis Diuinę, qui per Ephod, & per quædam alia diuinitus illuſtratus populũ docebat. Exod. 17. Leuit. 6. & 1. Reg. 23. & 30. à cuius doctrina, & ſententia ſub pęna mortis non licebat deuiare. Deuter. 17. ergo etiam in lege gratiæ Papa maiorem habet illuſtrationem à Deo, ut errare non poſſit, nec ab eius definitione diſcedere liceat, patet hæc cõſequentia ex maiori dignitate ſacerdotij noſtri in lege gratiæ, vbi, hoc expreſſe habetur in cap. per venerabile, qui filij ſint legitimi.

D. Aug. Secundo probatur ex illo. Tu es Petrus & ſuper hãc petram &c. id eſt ſuper te qui es petra ædificabo Eccleſiam meam, ergo errare nequit in rebus fidei, probatur conſequentia, quia fundamentum Eccleſiæ eſt fides, quæ ſolida, & firma promittitur Chriſti Vicario. Confirmatur ex D. Auguſt. prędicta verba ſic exponente. Rogat Chriſtus quem dicunt homines eſſe filium hominis: reſpondent falſo, ſicut modo reſpondent Pagani, & Iudei: nam caro & ſanguis facile errat in fide, dicit Chriſtus, ſed vos quẽ me eſſe dicitis? Petrus futurus caput reſpondet definiendo veritatem. Tu es Chriſtus filius Dei viui; cui Chriſtus ſignificans, quod futurum erat dixit; & ego dico tibi; non alijs, ſed tibi, qui es ſolida petra habens de mę fidem integram, quod ſuper te, vt confitentem me ędificabo Eccleſiam meam; ergo in fidei definitione Petrus non poteſt errare; alias enim rueret fundamentum Eccleſiæ. atque ita eſt, mirabile dictu ꝙ nulla eſt Eccleſia, quæ non ſit perpeſſa naufragium in fide, præter Romanam, ex quo in illa Petrus locauit ſummum Pontificatum.

Tertio probatur ex illo. Rogabo pro te Petrę, in quantum es caput, vt non deficiat fides tua, in ordine. ſ. ad Eccleſiam, & ideo tu conuerſus. ſ. à peccato negationis confirma fratres tuos definiendo. ſ. dubia in fide; & non ſolũ vocat fratres Apoſtolos. nam illi ab Spiritu ſancto ſunt cõfirmati in die Pentecoſtes; ſed omnes; quare illa promiſſio etiam ſucceſſoribus Petri facta eſt, ergo Papa eſt infallibilis in rebus fidei definiendis.

Quarto probatur ex illo, paſce oues meas. paſtus ouiũ Chriſti eſt doctrina ſana in fide, ergo quando eſt diſſenſio de hoc paſtu. paſtor, qui eſt ſummus pontifex debet de hoc definire; quia debet paſcere gregem. Et confirmatur primo oriuntur ſæpe in Eccleſia quæſtiones de fide, quæ ad Concilium generale, vel nunquam referuntur, vel referri, aut non poſſunt, aut opus non habent, ſed abſque eo definiuntur. Tales erant Manicheorum, Macionitarum, Sabellianorum, Nouatianorum, Donatiſtarum, pelagianorum, Luciferianorum, Iouinian, Vigilantij, Heluidij, & multæ aliorum hæreſes, & ad iſtas definiendas nulla eſt vltima regula, niſi Romani põtificis authoritas. Quia Concilia prouincialia à tota Eccleſia non recipiuntur niſi à Romano pontifice, cõfirmentur, vt poſtea ſuo loco oſtẽdetur. ergo in tali caſu ad Rom. pont. recurrendum eſt. errare ergo in decreto fidei Rom. pont. extra Concilium generale non poterit, niſi pariter errare poſſe Eccleſiam, nec vllum errori remedium ponamus. Secundo confirmatur.

Digitized by Google

tur, in Concilio Generali quando partes inter ſe equaliter diſcordant, debet Concilij præſes ad alteram partem accedere, & accedendo controuerſiam terminare. Ille autem præſes ſemper fuit Papa, vt poſtea oſtendetur. ergo errare in decreto ſuo non poterit niſi vt prius.

Quinto probatur. Ponamus aliquem labi in nouam hęreſim, tunc aut iudicium Papæ erit infallibile, aut non ſi primum, habetur intentum. ſi ſecundum ſequitur Deũ defeciſſe in neceſſarijs ad ſalutem, quæ enim ad fidem ſpectant neceſſaria ſunt ad ſalutem, vt dictum eſt notabili vltimo. Si dicas quod iudicium infallibile in cauſis fidei pertinet ad Concilium generale. contra hoc facit quod dictũ eſt in prima & ſecunda confirmatione præcedentis rationis, & præterea ſequitur nullam hæreſim per Concilia damnatam eſſe infallibiliter hæreſim; probatur ſequela. quia Concilia damnantia hereſes, non recipiuntur, nec debent recipi tanquam infallibilia, donec confirmentur per Papam. vt ſequenti quæſt. dicetur. ſed per te Papa poteſt errare in tali confirmatione; ergo hæreſes in Cõcilijs damnatę non ſunt infallibiliter hæreſes, quod eſt erroneum.

Sexto Papa eſt primarius Paſtor inquantum Petri ſucceſſor, cui omnes oues obedire debent in cauſa fidei, ad vitandum ſchiſma, & ſeruãdam vnitatem, vt patet ex pręcedentibus; ergo ſi in doctrina fidei errare poſſet, tota quoque Eccleſia in errorem abduceretur & nulla eſſet vnitatis fidei certitudo, eſt argumentum D. Thom. loco ſupra citato.

Secunda pars probatur. ſ. ad non errandum requiri inquiſitionem debitam: quia negocium fidei non definitur à papa per nouam reuelationem ſibi factam, ſed ex iam reuelatis, vt dictum eſt notabili quinto, hoc autem requirit ſtudium, & diligentiam, ergo neceſſaria eſt ad non errandum debita inquiſitio. Confirmatur, quia in Concilio Apoſtolorum vbi definitum fuit legalia ceſſaſſe, magna fuit facta inquiſitio, vt dicitur Act. 15. Quando ergo Papa vtitur in definiendo membrorum ſuorum auxilio, & illorum maxime, quos nouit doctiores, & ſanctiores, & ad id ſufficientes adeſſe; & ſimul inquiſitione diligenti, ſine notabili negligentia ipſe cum eis, aut per eos ſcrutatur ſacram ſcripturam, & Doctorum libros, conciliorum decreta, & Eccleſiæ conſuetudinem, & traditiones ſine priuatis affectibus ad temporalia, ſed cum affectu veritatis, ipſorum pręcijs orationibus, & aliorum fidelium, cum matura deliberatione, ſecundum exigentiam cauſę ad definiendum procedit, tunc dicitur feciſſe quod in ſe eſt, atq; adeo definiendo quid circa fidem, & mores in tota Eccleſia generaliter tenendum eſt, errare non poteſt, obſerua tamen quod ipſo facto, quod papa aliquid definit de fide, vt à tota Eccleſia credatur, cenſetur facta ſufficiens inquiſitio: quia Spiritus ſanctus aſſiſtens ei aliud non permittet, erit enim intollerabilis error.

Tertia pars probatur. ſ. papam non poſſe errare, eſſe de fide: quia alioqui ſequeretur, quod nihil haberemus certũ in quæſtionibus fidei. Definitiones enim Conciliorum non ſunt habendæ tanquam de fide niſi prius confirmentur a papa, ergo ſi papa poteſt errare in ſuis definitionibus, ſequitur definitiones Conciliorum etiam confirmatorum non eſſe de fide, conſequens eſt hæreticum. ergo & antecedens.

3. Concl.

Tertia concluſio. Papa non poteſt errare in definiendo circa mores, v. g. determinat talem contractum eſſe, vel nõ eſſe vſurarium, vel ſymoniacum, aliquid licere, vel non licere, & proponit toti Eccleſiæ; tunc non poteſt errare, probatur, non poteſt errare in fide ergo nec in moribus probatur conſequentia, quia ratio quare non errat in fide eſt, quia Paſtor daret ouibus paſtum noxium, ſed idem ſequeretur ſi erraret in moribus, ergo &c.

Præterea ſicut recta fides neceſſaria eſt ad ſalutem; ita recti mores, ſed non poteſt errare in fide, ergo nec in moribus, probatur conſequentia: quia alias vtrobique Deus deficeret in neceſſarijs. Item ſi ſunt dubia in moribus; & non poteſt commode congregare concilium, ſi papa poſſet errare non haberemus certum Iudicem & definitorũ, quod eſt abſurdũ; ergo papa nõ poteſt errare in moribus.

Item materia morum etiam eſt materia fidei; non enim eſt ſolum contra fidem dicere Chriſtum non eſſe Deum ſed etiam dicere quod vſura, vel ſymonia, eſt licita. ergo papa non poteſt errare in his definiendis.

Contra hanc concluſionem arguitur. Papa plura beneficia incompatibilia, & Epiſcopis ne reſideant, vt diſpenſat in votis, & iuramentis, ſine rationabili cauſa; & diſpẽſat in voto ſolemni & in matrimonio rato, & non cõſumato in quibus errat ſecundum ſaniorem ſententiam, & veriorem ergo &c. Reſpondetur ꝙ forte dicta omnia imponuntur Papæ, vel ſi ea concedit illi fuit facta falſa relatio. quicquid tamẽ ſit errat faciendo, vel nõ definiendo: quia ſequitur opiniones aliorum, quæ non ſunt probabiles, atque adeo diſpenſati non ſunt tuti in conſcientia. Sed contra vere diſpenſauit cum militibus de Alcantara, vt vxores ducant, & tamen illi faciunt votum ſolemne.

Reſpondetur, ꝙ aliqui negant minorem, & dicunt tale votum eſſe ſimplex, ſed potius videtur eſſe ſolemne; quia licet viuant vt ſeculares, eſt tamen arcta Religio imponẽdo vitam pro fide. Quod ſi verum eſt, dico quod diſpenſauit in futuro cum his, qui profeſſuri erant, atque ita declarauit deinceps eſſe votum ſimplex. ſed de hoc erit ſermo in 4. in materia de voto.

4. Concl.

Quarta concluſio. Papa non poteſt errare ferendo leges vniuerſales, vnde omnis lex pontificia vniuerſalis eſt iuſta. quamuis poſſit eſſe contra prudentiam propter multitudinem, & grauitatem legum, probatur ex cap. Nulli, 25. q. 1. Nulli, inquit, fas ſit ſine ſtatus ſui periculo, vel diuinas conſtitutiones, vel Apoſtolicæ ſedis decreta temerare &c. temerare autem non ſolum eſt non ſeruare ſed dicere aliquid iniuſtum, ergo omnis lex pontificia eſt iuſta. probatur ratione, abſurdum eſſet totam Eccleſiam ſeruare legem iniuſtam, ergo lex vniuerſalis pontificia non poteſt eſſe iniuſta, probatur conſequentia: quia talis debet ſeruari ab vniuerſa Eccleſia: Confirmatur: quia alias de Papa poſſet dici. Vhe qui condunt leges iniquas. Iſaiæ. 10. Si autem vnus Papa derogat leges alterius hoc non eſt errare; ſed ſapere; conformat enim ſe tempori.

5. Concl.

Quinta Concluſio. At ſummũ Pontificem canonice electum pertinet ordinare ea quæ ſunt fidei catholicę, vt ab omnibus de fide teneantur. Hæc concluſio habetur in ca. Maiores extra de Baptiſmo & probatur. Diuina veritas eſt ratio formalis fidei, inquantum ſenſibiliter prædicatur in Eccleſia, ſed ordinarius prædicator fidei in Eccleſia eſt ſummus Pontifex, ergo ad illum pertinet ordinarie determinare ea quæ ſunt fidei catholicæ. Maior probatur. Rom. 10. Quomodo credent ſine prædicante minor probatur ex D. Matth. cap. 18. vbi Chriſtus dixit Petro. Tu es Petrus &c. Hæc verba dicta ſunt Petro, & ſucceſſoribus eius Romanis Pontificibus vt oſtenſum eſt ſupra; ſed in his verbis ſignificatur, ꝙ perſona Petri ſecundum fidei diſciplinam infallibilem, & quelibet perſona ſucceſſorum eius ſecundum eandem doctrinam fidei infallibilem eſt fundamentum Eccleſiæ firmum firmitate Diuina propter aſſiſtentiam Spiritus ſancti, cui innititur Eccleſia; ergo Petrus & qlibet ſucceſſor eius eſt in eccleſia prędicator fidei infallibilis, ita vt quicquid de fide proponat credendum ab omnibus fidelibus de fide habendum ſit.

6. Concl.

Sexta concluſio. Papa canonice electus dum exercet officium publicum, & commune definiendo ea, quæ ſunt fidei, vt à tota Eccleſia credantur, vel conſtituendo leges, circa ea, quæ pertinent ad bonos mores vt à tota eccleſia ſeruentur, errare non poteſt, probatur concluſio. Chriſtus Dominus fundauit ſuam Eccleſiam ſuper Romanum Põtificem tanquam ſuper fundamentum Diuinæ aſſiſtentię firmitate munitum; ſed ad fundamentum Eccleſiæ requiritur doctrina fidei, & morum; ergo in ſummo Pontifice eſt firmitas fidei, & morum doctrina ex aſſiſtentia diuina, talis autem aſſiſtentia diuina nullum poteſt admittere errorem, ergo ſummus Pontifex docendo ex authoritate, & officio publico ea, quæ ſunt fidei, & tradendo leges pertinentes ad bonos mores errare non poteſt. Dicimus autẽ ex officio, & authoritate publica, quia vt ſic habet illam Spiritus ſancti ſpecialem aſſiſtentiam, ad illa officia publica, quę ſunt neceſſaria toti Eccleſię: atq; ita vt perſona priuata errare poterit (vt diximus in prima concluſione) circa res priuatas, quæ non pertinent ad bonum commune ipſius Eccleſiæ, & etiam in particularibus opinionibus, & & factis ſuis. de qua re lege Canum de locis. lib. 6. à cap. 3. vſque

Canus.
Caietanus

Digitized by Google

Corduba. vſque ad ſeptimum Caiet. tom. 1. opuſcul. opuſculo. 1. cap. 11. opuſculo. 2. p. 2. cap. 13. & 14. & Corduba lib. 4. quæſtionarij Theologici. q. 1. propoſit. 10. & q. 3. vbi multa ad hanc concluſionem probandam dicit.

Ad argumenta. Ad primum negatur antecedens, ad primam probationem de Ioan. XXII. dico primo quod eius ſententia ad huc hæretica non fuit, vt pote nondum per Eccleſiam definita, eâq; tenuerunt (vt dicitur) Irenæus. Chriſoſtomus, Theophilactus, & Bernardus; ſecundo dico quod illum errorem ſuſtinuit vt doctor, nec illam iudicando decreuit, ſed decernere volens morte præuentus eſt, vt refert Benedictus XI. in quadam Etrauaganti; nec Academiæ Pariſienſi; huius ſententiæ definitionem præſcripſit, ſed illam iuramenti legẽ poſtulãtibus Pariſienſibus conceſſit. Benedictus XI.

Ad ſecundum de Cœleſtino. Dico quod Cęleſtinus. III. illud non definiuit ſed vt refert Innocentius III. cap. 7. de diuortijs ita ſenſiſſe videbatur. Quare quod nec ita ſenſerit clarum ponit Pontifex multo minus, quod vnquã hoc definiuerit conſtat. Verba Innocentij ſunt iſta. Nos igitur conſultationi tuę diſtinguentes reſpondimus licet quidam prædeceſſor noſter ſenſiſſe aliter videatur: quæ ponderanda ſunt. ſentire enim doctorum eſt definire vero Põtificum, atq; ita ſi ita ſentit errauit, vt doctor, & quamuis illa ſententia fuerit olim in corpore iuris. de conuer. infidelium, laudabilem. vt dicit Gloſſa, hoc nihil refer., quia multa continentur in decretis Pontificum, quæ pronunciantur tanquam opiniones, vt conſtat ex cap. Maiores. de baptiſmo, & Clement. ad noſtrum, de hæreticis.

Ad tertium dico primo quod verbũ iudicaſſe, de quo in illo c. licet, nõ debet exponi authoritatiue definiſſe ſed ſolũ exiſtimaſſe, vt doctores. ſecundo dico, quod dicitur iudicaſſe, & non definiſſe, atque ita errauerunt vt iudices, & non vt Summi Pontifices.

Ad quartum dico, quod hæc materia præſupponit illã longam diſputationem, an teſtamenta minus ſolemnia obligent in conſcientia. ea autem præmiſſa aduerte decreta illius cap. cum eſſes. ſolum obligare ſubditos in quibus Papa habet tamporalem iuriſdictionem in vtroq; foro, & Epiſcopos, qui tenentur definire cauſas teſtamentorum iuxta canonicum ius; alios autem non obligat, quia non eſt cauſa iudicis.

Sed contra arguitur, ibi dicitur alienum eſſe à Diuina lege, exigere ad robur teſtamenti pluſquam duos vel tres teſtes; quod videtur falſum, quia leges ciuiles contrarium definientes, non aduerſantur legi diuinæ: non enim ſunt iniuſtæ. Reſpondetur, quod decretum obligat ſubditos ratio vero decreti minime: quia plerumque eſt topica. & non demonſtratiua. v. g. in quodam Concilio definitũ eſt Beatiſſimam Virginem fuiſſe perpetuo Virginem; cuius ratio illic poſita eſt illud Ezechielis 44. dixit Dominus ad me. Porta hæc clauſa erit, non aperietur, & vir non tranſiet per eam: quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam, eritq; clauſa Principi decretum eſt de fide; ratio vero decreti minime. ſimiliter in propoſito decretum illius cap. Cum eſſes. obligat ſubditos, ratio vero decreti. ſ. quia eſt contra legem diuinam pluſquam duos, vel tres teſtes requirere, non eſt de fide, neq; obligat: quia in quadam Synodo Romana definitum eſt, quod cauſa criminalis Epiſcoporum non paucioribus, quam 27. teſtibus contra Epiſcopum teſtimonium ferentibus finiatur. eodẽ modo. quoniam teſtamenta mortuo teſtatore plurimas patiũtur calumnias iure ciuili cautum eſt nõ minus, quàm 7. vel 5. teſtibus ſubſcripta robur habeant. Adhuc tamen vrget textus: quia Chriſtus Matth. 18. inquit, quod in ore duorum, vel trium ſtat omne verbum, ergo plures teſtes requirere in aliqua cauſa eſt contra Euangelium. Nego conſequentiam quia illa lex de duobus, vel tribus teſtibus ad cauſas requiſitis legis erat veteris, & iudicialis, quę abrogata fuit per Euangelium, citatur autem à Chriſto non canonizando eam in omnibus caſibus, alioqui Synodus Romana ſupra relata erraſſet. Poteſt etiã dici, quod decretũ illius capituli locũ hẽt in relictis Eccleſię & ad pias cauſas fauore religionis, atq; ita nõ derogatur legibus ciuilib. ita Gloſſa.

Ad quintum dico. quod Innocentius vult dicere, non debere recipi ad penitentiã eas virgines quę nolunt ſeparari ab adultero, niſi poſt mortem eius, & hoc iuſtiſſimũ eſt; neq; enim debent ab Eccleſia abſolui ij, qui in peccato perſeuerare volunt. Ad aliud dico Innocentium loqui eo loco de ijs, qui baptizantur, vel ordinantur ab hæreticis, cum ſint etiam ipſi polluti eadem hæreſi, eiuſmodi enim vere recipiunt ſacramentum baptiſmi, vel ordinis, ſed non recipiũt Spiritus ſancti gratiam, quæ in hæreticis eſſe non poteſt. Et in ordinatione non modo gratiã non recipiunt ab hæreticis ordinati, ſed nec ius legitime ordines exercendi. Id enim ius per hæreſim ordinator perdidit, nec tribuere potuit, quod ipſe nõ habuit. Vide Gloſſ. 1. q. 1. Can. Arianos. Ad tertium dico. Innocentium nõ velle dicere tenerĩ nos legibus Iudaicis, ſed velle argumentari à ſimili vel potius à maiori. hoc modo; Tenebantur ſacerdotes in teſtamento veteri, ex diuino præcepto non ducere vxorem viduã, ergo multo magis conuenit, vt in ſacerdotibus nouæ legis Eccleſia requirat ne viduarum fuerint mariti, propter excellentiam nimirum ſacerdotij Chriſtiani.

Ad ſextum dico leges ceremoniales, & iudiciales veteris teſtamenti modo non obligare niſi de nouo ſanciantur ab Eccleſia; & tunc obligant ſolũ virtute obedientię, quã tenemur præſtare Papę & ſic intelligit Innocentius III.

Ad ſeptimum dico, quod Nicolaus. I. Papa doctiſſimus in illis verbis de baptiſmate Chriſti, in nomine Chriſti dato non reſpondet quæſito, nec iudicat in cauſa fidei, ſed obiter vt doctor ſuam mentem exponit Ambroſium ſecutus, qua in re ſiue recte ſiue non recte ſenſerit, nihil ad cauſam preſentẽ. Quæſtio enim erat de baptiſmo pagani, vel iudęi, an valeret non de forma baptiſmi.

Ad octauum dico, quod Stephanus damnauit decreta Formoſi, & illa rurſum confirmauit. Ioannes IX. Non quia circa fidem, aut mores dubium aliquod continebant, ſed quia de authore dubium erat an eſſet legitimus Papa, & an authoritate legitima illa decreuiſſet.

Ad Nonum dico. Si Liberius tædio victus ſubſcripſit Arianis, vel quo ad perſonam hæreticus fuit, vel [illegible] à fide, ſed à confeſſione fidei, excidit, & defecit, vt Petrus [illegible] ſe, & Marcellinus. Neutrum autem facit contra nos. Tum S. Athanaſius totius huius rei optime cõſcius. (Nam [illegible] Hieronymus in Syria poſitus, & poſt rem geſtam ſcribens [illegible] tuit ex fama errorem accepiſſe) diſertiſſime ſcribit [illegible] Liberium ſubſcripſiſſe. tandem non Arianæ hæreſi, ſed ex authorationi ipſius Athanaſij, quod tametſi perinde videbatur eſſe, ac ſi hæreſi ſubſcripſiſſet, cũ non niſi propter [illegible] dem Athanaſium deponi Ariani ſatagebant, [illegible] multa præter fidei cauſam aduerſus Athanaſium [illegible] bantur potuit Liberius abſq; fidei iniuria Athanaſij [illegible] demnationi ſubſcribere. lege Athanaſium in epiſt. ad ſolitariam vitam agentes, & Theodoretum hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 17. Theodoretus.

Ad decimum Canus lib. 6. de locis. cap. [illegible] Honorium hæreticum fuiſſe, verum etſi [illegible] nato Honorio ſcribuntur maxime [illegible] ſunt tamen origo ipſa, & fons totius [illegible] propter quam damnatus legitur, poſtea [illegible] ſatis iuſtam fuiſſe damnationem [illegible]. [illegible] tũ. n. & caput damnationis eius erat [illegible] ad Sergium ſcripta, in qua docuit vnam [illegible] voluntatẽ nõ duas. Sed hoc Honorius [illegible] Chriſti voluntate in quantum homo erat, [illegible], vt homo non habuit duas voluntates [illegible] vnam carnis, alteram ſpiritus, vt nos habemus, [illegible] naſcimur, non autem dixit de vna voluntate [illegible] Deus, & homo erat. Et ſic eum loqui [illegible] intellexiſſe, tum ipſius verba ſatis [illegible], [illegible] eadem epiſt. dicit. Ideo Chriſtum habere vnam voluntatem, quia à diuinitate aſſumpta eſt noſtra natura, non culpa, tum apertiſſime conſtat ex explicatione [illegible] eius, qui illam epiſtolam ſcripſit, vt refert Maximus in diſputatione cum Pyrrho. Nec abſurdum eſt [illegible] Synodi 6. Nam in re facta hallucinari Concilium poſſe abſurdum non eſt, maxime ſatagentibus hæreticis, & catholicorum Epiſcoporum literas ſæpius falſantibus. Vtcumque eſt Honorius Papa potuit in perſona eſſe hæreticus, ſed decretum hæreticum [illegible] illum nemo vnquam ſcripſit, aut dixit. Quare [illegible] ſcriptores prætereunt Honorium, cum damnatos in illo Concilio 6. recitant, vt Zonaras Græcus hiſt. lib. 3. lege plura de hoc Honorio doctiſſime diſputata apud Iacobum [illegible] Canus. Maximus.

Andra-

Zonaras. Iacobus Payua. Bellarm.

Andradium in defenſione Tridentinæ Synodi aduerſus Kemnitium. lib. 2. & Bellarm. lib. 4. de Roman. Pontit. cap. 11.

Ad vndecimum dico, ꝙ Ioan. XXII. non damnat ſententiam Nicol. III. ſed exponit illam non de toto tempore conuerſationis Chriſti, ſed de aliquo veram eſſe; illo, nempe tempore, quo miſſit diſcipulos ſuos abſque pera & baculo Matth. 10. Alias tamen, & loculos habuit, Io. XII. Quod adeo nõ ignorauit, vel non aduertit Nicol. papa, vt aperte, & elegãter exponat Chriſtũ ea in re infirmorũ perſonã ſuſcepiſſe. Et re vera Chriſti vita ex parte communis erat, commedens, & bibens communi modo, Matth. 11. ne communem vitam damnaſſe videretur; Partim perfecta erat, quando non habuit vbi reclinaret & caput ſuum. Lucæ 9. vt ad perfectum quoque ſuo exẽplo traheret.

Ad duodecimum dico Gratianum erraſſe circa illum textum: nam ibi Papa non loquitur de infirmitate ſuperuenienti poſt matrimonium ratum, ſed de præcedenti; impoſſibilitas enim coeundi præcedens matrimonium irritat ſponſalia de futuro, non autem impotentia ſubſequens.

Canus. Ad decimumtertium dico ex Cano vbi ſupra, quòd ille liber in quo aſſeritur panis ſubſtantiam manere in Eucharitſ a non eſt Gelaſij Papę, quod ipſe probat multis hiſtorijs; & quamuis eſſet Gelaſij, reſpondetur quod aliud eſt componere librum, aliud facere decretum, primum eſt doctoris. ſecundum autem Pontificis.

Ad ſecundum principale. Primo nego conſequentiam, ad probationem dico ꝙ ſi Papa hæreticus definiat definiet verum; quia eſt Pontifex, ſicut Cayphas, & Balaham; neque hoc eſt miraculum, quia eſt ſecundum legẽ, & prouidentiam communem in Eccleſia Chriſti; miraculum autem eſt extra legem. Promiſſio enim charisinatũ, & gratiarum non dantur perſonis propter ſe ipſas, ſed propter bonum Eccleſiæ; propterea non ſequitur quod & ſi in perſonis interdum deficiant, etiam reſpectu Eccleſiæ deficere poſſint. Vt Deus pereuntibus indiuiduis conſeruat per illa rerum ſpecies, ſic Chriſtus errantibus pontificibus conſeruat tamen per illos Eccleſiam, & vt perſiſtat Eccleſia, non patitur errare in decretis fidei, quod concernit Eccleſiam. ſecundo dico quod Anaſtaſius potuit recõciliare Photinum, atq; ita cum eo communicare. An nõ licet ſummo Pontifici ſine conſilio omnium Epiſcoporũ, presbyterorum, & clericorum totius Eccleſiæ abſoluere vnum excommunicatum? vel forte mendacium eſt, quod dicitur de Photino, ſic vt mendacium eſt de reuocatione Acacij. Nam falſiſſimum eſt, qd Anaſtaſius Acacium reuocare voluerit, cum ex Eugario conſtet lib. 2. cap. 23. & ex Nicephoro. lib. 15. & 17. & ex Liberato. ca. 18. Accaciũ obijſſe tempore Felicis Papę, à quo tertius fuit Anaſtaſius. *Eugarius. Nicephorus. Liberatus* Quomodo ergo Anaſtaſius eum tamdudum defunctum, in ſuam ſedem reuocare voluit? ſed dices ſaltem voluiſſe reuocare eius nomen. at hoc etiam eſt falſum, vt conſtat ex epiſt. huius Anaſtaſij Papæ; ad Anaſtaſium Imperatorem, in qua petit vt Imperator iubeat nomen Acacij taceri in Eccleſia, quando quidem iuſtiſſime à Felice Papa prædeceſſore ſuo fuerit condemnatus. De Honorio ſupra dictum eſt.

Papa vnde habet qd errare nõ poteſt. Ad tertium dico, ꝙ Papa habet ne poſſit errare ex aſſiſtentia Spiritus ſancti, & non ex habitu fidei, vel charitatis; ad illud autem in maleuolam animam &c. dico quod ibi eſt ſermo de ſapientia, quæ eſt donum Dei, & Spiritus ſancti, non autem de cognitione ſcripturæ, & traditionum, quæ eſt ſapientia requiſita ad definiendum, hæc n. vere poteſt eſſe in peccatore.

Quare cõgregentur Concilia, cum papa non poſſit errare. Ad quartum dico ꝙ non fruſtra congregatur Concilium, & ſi ſolus Papa poſſit infallibiliter decernere propter multas cauſas; primum qui decernit non prophetice, ſed diſcurſiue, & humano modo, atq; adeo inquiſitione opus habet. ſic in primo Concilio Apoſtolico, etſi ſolus Petrus ſententiam tulit, & eum ſequuti ſunt cęteri omnes, tamen prius conquiſitio magna facta eſt Act. 15. in hac autem inquiſitione vitant plurimorum iudicia, quando rei grauitas ita poſtulat. ſecundo propter infirmitatem fidelium, qui libetius acquieſcunt multorũ patrũ iudicio, quam vnius, tertio quia etiam quo ad mores multa ſunt definienda; qua in re praxes variarum Eccleſiarum inſpiciendæ ſunt. quod ſine congregatis Epiſcopis difficillime fit. quarto vt audiantur, & conuincantur hæretici ipſi, & eorum vel ſaluti conſulatur, vel impietati occurratur. Nõ ſumit ergo Papę definitio robur ex Concilij definitione. Imo circa fidei definitionem, & dubij dogmatis determinationem tanta ſemper fuit Rom. Pont. authoritas, vt vnum quodq; dogma Rom. Pont. prius definiuerit, & vnamquamq; hæreſim prius damnauerit, vel Synodo Romana prius ea de re habita, vel per litteras ſuas ad concilium miſſas ante quam in Concilium Patres cõueniſſent, atq; eius doctrinam & determinationem reliqui Epiſcopi, & Concilij patres ſemper ad amuſſim ſecuti fuerunt. quod patet.

Nam ante Concilium generale ſecundum (nam. 1. Cõcilij generalis acta plena non habemus) Damaſus Papa collecta Romæ Synodo Macedonium, Apolinarem, Photinum, Sabellicum, & Eunomium condemnauit vt patet ex epiſt. eius ad Paulinum Theſſal. Epiſcopum. Ante Cõcilium generale 3. cœptum Neſtorium damnauit Cœleſtinus Papa, decem diebus illi ad deliberandum datis, infra quos niſi ſententiam mutaret excommunicationi, & degradationi ſubiaceret vt patet ex eius epiſt. ad Cyrillũ. inter epiſt. Cyrilli, epiſt. 12. quam ſententiam ſecutus Cyrillus, neceſſario ſe compulſum illa Rom. Pont. epiſt. ſcribit epiſt. 10. ad Flauianum. Quin & totũ Conciliũ Ephyſinum in epiſt. ad Neſtorium, quæ extat in Concil. Chalced. Act. 1. iuxta hanc Rom. Pont. ſententiam præfinitam ad eius condemnationem ſeſe proceſſiſſe profitetur. Ante Concilium generale. 4. Leo Papa Eutychetem damnauerat ſcripta ad illum Concilium epiſt. longe eruditiſſima, quam ad vnguem patres ſecuti ſunt acclamantes Petrum in Leonem locutum fuiſſe vide Concilium Chalced. act. 3. & 10. Antequam Concilium generale. 5. congregaretur. Simplicius Papa, Petrum Antiochenum, & Felix Papa Accacium damnauerat, & hanc ſententiam vniuerſũ Cõcilium ſequutum eſt, vt apparet act. 1. ſic in eodem Concilio. Seuerum, Petrum, & Cyrum damnatos hereticos iam antea damnauerat, Hormiſda Papa, vt ex epiſt. eius patet, ad presbyteros, & Monachos ſecundæ Syriæ. Anthymũ quoq; in eodem Concilio damnatum, prius damnauerat Agapetus papa, eiuſq; ſententiam Iuſtinianus Imperator diſerte ſe ſequi profitetur in Conſt. contra damnatos Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum Cõſtantinopolitanos Epiſcopos. Ante celebratã, aut celebrari cęptam dictam Synodum Theodorus, & Martinus Romani Põtifices collecta Synodo prouinciali damnauerũt vt apparet apud Platinam in vita dictorum Pontif cum. Ad ipſam quoq; Synodũ generalem litteras ſcripſit Agatho Papa contra illam hæreſim, quæ extat act. 4. & hanc Epiſcopi (vno ſolo excepto) omnes tanquam Diuini Petri vocem ſecuti ſunt eiuſdem Concil. act. 1. Ante Nicenam. 2. generalem 7. contra Iconomachos collectã litteras præmiſſit Adrianus Papa ad Taraſium Cõſtantinop. Patriarcham quibus illam hæreſim damnauit, vt patet ex dicti Concil. act. 2. photiũ Nicolaus primus damnauerat, quã in Concilio generali 8. damnaretur, vt patet ex epiſt. inſigni eiuſdem Nicolai ad Michaelem Imperatorẽ. tom. 3. Conciliorum; in iſtis ergo Concilijs omnibus præiudicata Rom. pont. ſẽtẽtia pro norma & regula fidei habita eſt.

Ex his reſpondetur ad quintũ negando minorẽ, ad probationem nego Concilium eſſe ſupra papam, de quo infra late dicemus, & dato Concilium eſſe ſupra papam adhuc requiritur papam eſſe infallibilem in fidei & morum definitionibus propter emergentes hæreſes, & difficultates plurimas congregandi Concilium, ſiue habeat talem poteſtatem immediate à Chriſto, ſiue ab eccleſia; ſicut enim in Repub. temporali licet Rex habeat poteſtatẽ à Regno habet tamen omnem authoritatem interpretandi leges, & ferendi illas præcipiendo, & vetando, quicquid ad bonũ Reipub. neceſſarium eſt, vt patet in l. 1. ff. de Conſtitutio. principum. Ita papa, eſto ꝙ habeat poteſtatem ab Eccleſia habet tamen poteſtatem definiendi infallibiliter. ex quo ſequitur, quod ſi Concilium eſt ſupra papam, & papa habet authoritatem ab eccleſia, (quorum neutrum exiſtimo verum) poteſtas definiendi infallibiliter eſt delegabilis.

Ex

Digitized by Google

Ex prædictis omnibus collige Papam poſſe errare vt eſt particularis perſona, & vt Doctor; quo etiam modo, poteſt opinari, & libros ſcribere, & ſimiliter facere, poteſt etiam errare, vt iudex in ciuilibus, & criminalibus, & beneficialibus, ferendo ſententiam iuxta allegata, & probata, poteſt etiam errare ex ignorantia iuris, & ex falſa præſumptione: imo ex malitia, & paſſione odio, vel amore. At vero vt Papa definiens in materia fidei, & morum errare nequit. Quando autem loquatur, vt Papa non poteſt dari regula certa, cognoſcitur tamen ex materia, & modo reſpondendi, & ex circunſtantijs negotij, vt ſi dicat, qui contrarium dixerit Anathema ſit, nemini liceat contrarium aſſerere, de conſilio fratrum hoc definimus præmiſſa examinatione. Tunc argumentum eſt, quod loquitur, vt Papa; quando autem loquitur modo ſcholaſtico; mihi videtur, vel apparet ex his rationibus, ſignum eſt quod loquitur, vt doctor.

ARTICVLVS V.

Vtrum Papa poßit errare in Canonizatione Sanctorum, & ordinum approbatione.

Canonizatio quid ſit.

PRo explicatione tituli obſer. eſt, ꝙ canonizatio nihil aliud eſt, quam certa & authentica alicuius ſancti per Eccleſiam declaratio, qua eius ſanctitas vniuerſis fidelibus authoritate Eccleſiæ fit quaſi canonica ideſt regulariter obſeruanda, ipſeq; in numero ſanctorum cum Chriſto regnantium referendus, ideoque eo cultu, & honore qui ſanctis debetur, ab omnibus proſequendus.

Quę competant canonisto.

Secundo obſer. eſt, ꝙ qui canonizatur, primum omniũ aſcribitur in catalogo ſanctorum. i. ſtatuitur, ac iubetur vt ab omnibus publice habeatur, & dicatur ſanctus. Secundo inuocatur in publicis Eccleſiæ precibus. Tertio Templa, & arę in eius honorem dicantur Deo. Quarto ſacrificia tam Euchariſtiæ, quam laudũ & precum, quod vulgo officium, ſiue horæ Canonicæ nuncupantur, in honorem eius Deo publice offeruntur, quinto dies feſti in eius memoriam celebrantur. Sexto pingitur eius imago addito certo quodam lumine in ſignum gloriæ quę in cęlis. Septimo eius reliquię præcioſis thecis includuntur, & publice honorantur.

Non eſt ſimpliciter neceſſariũ, ſit ſanctus canonizetur vt pro ſãcto colatur.

Tertio obſer. eſt, ꝙ non eſt ſimpliciter neceſſarium, vt ſemper talis canonizatio fiat: probatur: quia aliquãdo talis ſanctitas per ſe, patet, vt in martyrio pro ipſa fide ſuſcepto. Habet. n. actus ille omnes condictiones, perfectæ ſanctitatis, ac gloriæ. Et primum fidei: quia ore confitetur ad ſalutem. Rom. 10. Secundo charitatis: quia maiorẽ charitatem nemo habet, quam vt animam ſuã ponat quis pro ouibus ſuis Io. 10. Tertio certe ſalutis: q a qui perſeuerauerit vſq; in finem hic ſaluus erit. Matth. 10. Quarto gloriæ apud Chriſtum: quia qui confitetur me corã hominibus, & ego confitebor eum coram patre meo, ibidem. Quinto certitudinis: quia pro fide moritur. Aliud. n. eſt ſi pro quaſuis iuſtitia moreretur. Actus. n. iuſtitiæ habet multas facti circunſtantias, quas opus eſſet Eccleſiæ iudicio, aut diuinis miraculis diſcerni. Hac ex cauſa in veteri Eccleſia abſque ſolemni canonizatione, aut expectatione miraculorũ ſtatim pro ſanctis habiti, & culti ſunt Martyres omnes, vt patet de ſancto Polycarpo apud Euſebium lib. 4. c. 14. apud Cyprianum de ſui temporis martyribus. lib. 3. epiſt. 6. iubet. n. annotari dies quibus paſſi ſunt, vt commemorationes eorum fiant. Item apud Cyrillum Alexandrinum lib. 6. contra Iulianum. ac deniq; ex celebri illa in vrbe Roma notariorum inſtitutione, quorum erat martyrũ natalitios dies notare. vt habes apud Damaſum in vita Anteri, & Fabiani Rom. Pont. Poſtremo tam celebre, & ſolemne hoc fuit in veteri Eccleſia, vt ſcripſerit Aguſt. ſerm. 17. de verbis Domini iniuriam facit martyri, qui orat pro Martire.

Euſebius. *Cyprianus* *Cyrillus.* *Damaſus.* *Auguſt.*

Quare ſit canonizatio ſanctorum.

Quarto obſer. eſt. Quod vtile peneq; neceſſarium fuit progreſſu temporis an ſanctorum celebrationem Eccleſię authoritatem interponi, & fieri canonizationem. Cauſa fuit, populi præpoſtera deuotio, ſeu ſuperſtitio, qui vel ſtatim quos viuos venerabantur, mortuos colebant, vel etiam ad quæuis monimenta mortuorum, memorias ſanctorum peragebant, quod magno errore ſuo tempore factum fuiſſe, & latronem pro ſancto ſolemni cultu habitum fuiſſe notat Sulpitius in vita ſancti Martini.

Sulpitius.

Canonizatio ſolum per Summum Põtificem fieri debet.

Quinto obſer. eſt, ſumma ratione introductũ fuiſſe, vt talis canonizatio per ſolum ſummum Pontificem fiat, patet, quia eius eſt in Eccleſia ſuprema authoritas. Rurſum propter rei magnitudinem, ne quid temere in culto publico innouetur. Tertio ad vitandas priuatas, & promiſcuas ſuperſtitiones, ſi vel vnicuique populo, vel etiam cuilibet vel paſtori, vel Epiſcopo hoc permitteretur, vt publicum cultum, & à tota Eccleſia recipiendum introducat. Hoc enim ſonat canonizatio, vt dictum eſt in primo notabili. Aliud eſt de ſanctis quos certæ prouinciæ, aut etiam certæ tantum Eccleſiæ quaſi proprios ccolunt.

His obſeruatis de propoſita quæſt. Hæreticis ſanctorũ canonizatio nullo fundamento niti videtur. atque adeo ſingularis quædam Antichriſtianæ ſuperbiæ pars, aut potius gentilitiæ ſuperſtitionis, præpoſtera affectatio ab ipſis cenſetur, quod ſanctos toto orbe Chriſtiano colendos Romani Pontifices canonizant Ioannes Vviclef vt refert. Thomas Vvaldenſis tom. 3. de ſacramentalib. tit. 14. cap. 122. dicit non minus poſſe ſanctum canonizare Presbyterum Ioannem Regem Aethiopiæ vel Turcam, aut Sultanum, quam Romanum Pontificem, atq; adeo non minus poſſe Papam in hac re errare, quam prædictos. Eraſmus vt refert Catharinus, lib. de certa ſanctorum gloria. canonizationem. B. Catharinæ Senenſis vellicans obiecit ꝙ in gratiam ordinis Prædicatorum, & Vrbis Senatum canonizata fuit à Pio Papa. ſimiliter, & quoſdam ſanctorum quos Eccleſiæ Dei venerantur, quaſi apochriphos reijcit, & deridet, vt D. Chriſtophorum, Georgium. Eraſmum Rocchum, Barbaram, & ſi quos alios memorat; motus, quod eorum legendæ (vt ita loquamur) ſunt apochriphæ, neſciens, inepte colligi à legendis apocryphis, etiam perſonam de qua ibi fit ſermo apocrypham eſſe, cum perſonas norit Eccleſias non legendas, vt prudẽter docet Gelaſius Papa in decre. diſtin. 15. Idem ſentire cum Vuicleſo Lutheranos, & Caluiniſtas certum eſt.

Thomas Vuald. *Catharinus.* *Gelaſius.*

Inter catholicos etiam eſt duplex opinio prima eſt Caiet. 1. tom. tractatuum. tract. de indulgentijs ad Iuliũ III. c. 8. & Cani lib. 5. de locis. c. 5. prope finem, qui dicunt ſolum pie credendum eſſe Papam non errare in canonizãdis ſanctis, non autem eſſe de fide; qui autẽ contrariũ affirmaret, temerarius eſſet, & hanc dicunt eſſe ſententiã D. Thomæ. quol. 9. art. vlt. fundamenta iſtius opinionis ſunt; quia quod eſt de fide credendũ, innititur authoritati, vel reuelationi diuinæ, & non ſolum humano teſtimonio fallaci; ſed Eccleſia canonizando ſanctos innititur ſolum humano teſtimonio fallaci de vita, & miraculis canonizandi; ergo non eſt certum in his errare non poſſe, conſequentia patet cum maiori, & minor probatur. Tũ primo quia homines teſtificantes de ſanctitate, & miraculis huius, vel illius decipi, & decipere poſſunt, neque enim de ſe, & de alijs poſſunt certitudinem habere infallibilem ſine ſpeciali reuelatione, an ſint ſancti, & in gratia, & verum ex gratia, & amore Dei bene, & perſeueranter vſq; ad mortem operati ſint. Tum etiam. ſecundo quia ſicut Eccleſia condemnando, & abſoluendo hæreticũ accuſatum ſecũdum allegata, & probata falli, & fallere poteſt, ſequendo hominum teſtimonia, & opinionem, vt habetur in cãp. à nobis. el 2. de ſententia excommunicationis, ita & in canonizando ſanctos ſecundum hominum teſtimonia falli, & fallere, & errare poteſt.

Caietanus *Canus.*

Item ſicut non pertinet ad fidẽ, quod hæc hoſtia, vel illa, quę in altari à ſacerdote adoranda eleuatur ſit rite cõſecrata, & adoranda; nec id Eccleſia definit, neq; qđ ibi eſt Chriſtus, ac proinde, neq; eſt hereticũ, neq; ſapit hæreſim, ſed ſolũ eſt temerariũ dicere, quod illa hoſtia nõ eſt adoranda neq; eſt conſecrata, neq; ibi eſt Chriſtus dum non probatur ita eſſe. Sed ſolum eſt de fide dicere, quod

hoſtia

Digitized by Google

hoſtia rite conſecrata eſt adoranda, & ibi eſt Chriſtus, & quod oppoſitum dicere hæreticum eſt. Ita in propoſito non pertinet ad fidem; quod iſte, vel ille canonizatus eſt Sanctus, & in gloria beatus, & venerandus, aut quod eſt in inferno, ſed ſolum eſt de fide, quòd Sancti ſunt in gloria, beati, & venerandi, & oppoſitum hæreticum eſt.

Et ſi dicatur Miracula facta à Sancto canonizando eſſe teſtimonia ſufficientiſſima. Contrà illa miracula poſſunt eſſe falſa; nã multa, & ſtupẽda prodigia poſſunt fieri dæmonum poteſtate permittente Deo; ſic enim de Antichriſto legimus, & illis Pſeudoprophetis, qui venient facientes ſigna, & prodigia, vt in errorem inducantur, ſi fieri poſſet, etiam electi, & quamuis eſſent vera miracula, potuiſſent eſſe facta ab hominibus peſſimis, iuxta illud Matth. 7. Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & Dæmonia eijcimus, & virtutes multas fecimus? tunc confitebor illis, quia nunquam noui eos. Præterquam, quod non omnibus nota ſunt hæc miracula, nec vox, ſiue ſcriptura quælibet atteſtantium talia ſigna, certam nobis reddit horum Sanctitatem, ſunt enim homines de quorum conditione ſcriptum eſt, Omnis homo mendax.

Quocirca ob has rationes Caietanus, in ea fuit opinione, vt diceret Sanctos huiuſmodi quos Eccleſia canonizat, & recipit, non habere certitudinem apud nos ſuæ ſanctitatis niſi humanam, id eſt, fallibilem, & incertam. Quæ opinio in ſuperficie videtur habere colorem; eo, ꝙ eorum canonizatio inde venire videtur, vnde non alia certitudo niſi humana, id eſt, fallibilis, & nonnunquam fallax, accipitur. Nam Eccleſia inſtruitur de Sanctitate horum virorum per atteſtationes hominum, qui illorum vitæ, & moribus, & geſtis, & ſignis reddunt teſtimonia, quæ omnia poſſunt eſſe fallacia, quia & homines ipſi ſunt, & fallere poſſunt mendacia proferentes, & falli etiam dum pro miraculis habent, quæ verè non fuerunt miracula, & pro bonis operibus, quæ de ſe non erãt bona, aut forte ſi ex ſe bona, ex hypocriſi tamen conficta, ac per hoc non verè bona. Adde quod Pontifex aliquis talia decernens poſſet hac in re duci affectu aliquo, ſiue Patriæ, vt obiectauit Eraſmus in Pium. Secundum ſiue ordinis, vt calumnioſus quidam obiecit in Sixtum IV. eius vitam deſcribens, qui D. Bonauenturam eiuſdem ordinis fratrem in Sanctorum catalogum aſcripſit. Vnde patet, quod omni ex parte nulla certitudo hinc accipitur niſi humana, id eſt, præſumptio potius, quàm certitudo, quia pro ſententia iudicium in re dubia ſemper præſumitur donec oppoſitum conſtet quamquam ſæpiſſimè falluntur, & fallunt. Hæc ex Caiet. partim in tract. ſuo de B. Virginis conceptione, partim verò in alio de indulgentijs.

Io. de Nea.

Secunda opinio eſt Ioannis de Neap. in quol. 11. vbi ita diſtinguit. Sententiæ latæ à Papa cum Cardinalibus ſunt in duplici differentia, quia quædam ſunt circa particularia facta particularium hominum, vt promotiones ad dignitates, & beneficia, & iudicia contra aliquos, & pro aliquibus; Quædam verò pertinent ad ſtatum vniuerſalem totius Eccleſiæ, vel quantum ad fidem, vt in determinatione circa ea, quæ ſunt fidei, vel quantum ad mores; vt ſtatuta decreta, & decretales. In primis errare poteſt Papa, vel Eccleſia, quia vtitur medio incerto, ſcilicet atteſtationibus hominum. In ſecundis verò errare poſſunt prędicti, ſi conſiderentur, vt quędam perſonæ abſolutè, ſecus ex ſuppoſitione diuinæ prouidentiæ gubernantis Eccleſiam Spiritu Sancto ne fallatur, iuxta illud Ioann. 14. quòd Spiritus adueniens doceret omnẽ veritatem, ſcilicet, de neceſſarijs ad ſalutemq́, imò credere, quòd in talibus, poſſit errare, iuxta hanc ſententiam hæreticum eſt. Canonizationem autem Sanctorum dicit Ioan. pertinere ad ſecundum genus actionum; quia per eam ponuntur Sancti, vt exemplar fidei, & ſanctæ vitæ; & vt inuocandi ab omnibus in neceſſitatibus. Sed Diuus Thom. quol 9. loco citato talem ponit diſtinctionem, aut Papa definit ea, quæ ſpectant ad finem, & bonos mores, & ſic errare nequit: aut quæ ſpectant ad facti euentum, atque ita errare poteſt, aut quæ ſpectant ad canonizationem Sanctorum; & hoc eſt medium inter duo prædicta; non enim eſt ita verum, vt ei non poſſit ſubeſſe falſum; nec ita dubium, vt Eccleſia erret, quoniam honorare Sãctos quædam profeſſio fidei eſt, ideo credendum eſt piè, quod Eccleſia in hoc nõ errat, quæ verba quem ſenſum faciãt explicabimus infra. Pro deciſione ergo quæſtionis ſit

1. Conclu.

Prima Concluſio. Hæreticum eſt negare eſſe authoritatem in Eccleſia, & Pontifice ad canonizandos Sanctos: Probatur primò ex traditione, & perpetuo vſu Eccleſiæ Catholicæ, & communi conſenſu omnium conciliorum, & Patrum, à principio naſcentis Eccleſiæ; ſemper enim huiuſmodi poteſtas Eccleſiæ, & Pontifici credita eſt, & commiſſa, & confirmatur ex Concilio Florentino in decreto ſuper vnione Armenorum, vbi præcipitur Armenis, vt Beatiſſimum Leonem I. tamquam Sanctum, & Sanctorum catalogo meritò adſcriptum de cætero venerentur. Secundò probatur, Hæreticum eſt negare Sanctos inuocandos eſſe, vt patet ex multis Concilijs, & ex Decretalibus lib. 6. Decretalium, & Clementinis, & extrauagantibus, de Reliquijs, & veneratione Sanctorum, & demum ex Concil. Triden. ſeſſ. 25. in decreto de inuocatione, & adoratione, & reliquijs Sanctorum; ergo authoritas eſt in Eccleſia ad Sanctos canonizandos, patet conſequentia, quia aliàs non eſſet hæreticum negare inuocandos, adorandoſq́; illos eſſe; qui ab Eccleſia canonizati ſunt.

Conc. Flo.

Conc. Trid.

2. Concl.

Secunda Concluſio. De fide eſt Papam non poſſe errare in canonizandis Sanctis. Probatur primo. In his, quæ ad fidem pertinent, aut quæ rem fidei ſecum trahunt, ſummus Pontifex errare non poteſt: ſed Canonizationem fidei habet annexam, vt ſi in hac re Eccleſia, vel Papa deciperet, vel deciperetur, præiudicium fidei generaretur; ergo euidentiſſimum eſt Eccleſiam, vel Papam in canonizatione Sanctorum errare non poſſe. Maior eſt ab omnibus catholicis recepta; Minor probatur, tum quia qui canonizatur, vt Sanctus ab Eccleſia, ex hoc ipſo proponitur etiam ab eadem, aut ipſe colendus, aut Deus in illo, in quo cultu ineſt proteſtatio, ac profeſſio fidei noſtræ, qua credimus Sanctorum gloriam, vt eleganter docet S. Thom. quol. 9. artic. 16. Si ergo coleretur, vt Sanctus, ac propterea vt vnum, & honorabile Chriſti membrum, qui forte non tale eſſet, ſed abiectum, ac mortuum, & denique Diaboli membrum, reperiretur mendacium in noſtro cultu, & falſa noſtræ fidei proteſtatio; imò quoddam idololatriæ genus per ipſam Eccleſiam contra Chriſti verbum, qui promiſit illi in huiuſmodi omnem veritatem, introduceretur. Tum quia Sanctorum fides, & cultus, vt docet D. Hierony. ſuper epiſt. ad Phi. terminatur in Deum, Deus enim ipſe creditur mirabilis, in Sanctis, Deus autem non colitur abſtractè in Sanctis, aut Metaphyſicaliter, verùm in illo certo homine, in illo, inquam, de quo habita eſt cognitio, & tractatus ab Eccleſia an ſit Sanctus, & qui probatus eſt ab ea Sanctus. Ille igitur certus, puta Franciſcus, Dominicus, aut quiuis alius, colitur in diuinis myſterijs, aut Deus in illo, ex quo canonizatus eſt: neque conditionaliter colitur, aut inuocatur; ſed ſimpliciter, & aſſertiuè; quia ſic ſimpliciter, ac firmiter creditur, ſicut ſimpliciter, ac firmiter aſſeritur Sanctus, & beatus. Verba autem exterius abſolutè prolata, ſunt ſigna interioris mẽtis abſolutè credentis, & venerantis; ergo ſi quod profero verbis non ita animo concipiam, mentior coram Deo; quia dico ſanctum, quod non credo ſanctum; ſi autem credo, & fallor, mendacium dico in cultu externo: quia non ita eſt in re, ſicut ego credo, & profiteor, atque ita idololatria eſſet.

D. Thom.

D. Hiero.

Pręterea inuocantur Sancti, & ab eis pro nobis orationes, & beneficia poſcimus; non tolerabit ergo Deus, quod inuocetur eius inimicus, quaſi amicus, & apud ſe intercedat pro nobis, atque id fieri Eccleſiæ ſuæ teſtimonio, hæc argumenta probant Eccleſiam in canonizatione Sanctorum errare non poſſe.

Item de fide eſt Papam non poſſe errare in his, quæ ad mores ſpectant; ergo etiam eſt de fide non poſſe errare in canonizando Sanctos, probatur conſequentia; quia venerare Sanctos canonizatos pertinet ad fidem. Secundò probatur de fide eſt Sanctos eſſe orandos; ergo de fide eſt eos eſſe in gloria. probatur conſequentia, quia ſi de hoc dubitaremus, vel liceret dubitare, non eſſet hære-

ticum aſſerere eos non eſſe orandos, atque colendos; ſi quidem de eorum ſalute dubitamus, & etiam ſi non credimus eos eſſe in gloria, qua fiducia eos inuocabimus? iuxta illud ad Rom. 10. Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? & confirmatur: quia ſi Papa poteſt errare in canonizatione Sanctorum qua ratione fundimus preces ad Sanctos canonizatos, & Miſſas in eorum veneratione celebramus, poſſemus etiam idem facere de Sanctis non canonizatis. probatur ſequela: quia de vtriſque poſſumus habere fidem moralem, quod ſunt in gloria, cui fidei poteſt ſubeſſe falſum; ergo maximum eſt diſcrimen inter Sanctos canonizatos, & nõ canonizatos, quod nnn apparet, niſi quod canonizatos eſſe in gloria eſt de fide, alios verò non.

Tertiò probatur; venerando aliquem Sanctum canonizatum profitemur illum eſſe in gloria, ſed quando Papa canonizat aliquem Sanctum ipſum veneratur, ergo ſi in hoc errat iam profitetur aliquem peccatorem eſſe in gloria, quod aliquo modo eſt contra fidem. Vnde in Concilio Conſtantienſi, ſeſſ. 8. artic. 44. Damnatur tamquam hæreticus Vvicleff affirmans Diuos Auguſtinum, Benedictum, & Bernardum, damnatos fuiſſe, niſi egerunt pœnitentiam de religionibus, quas inſtituerunt. Hanc concluſionem intellige de Sanctis canonizatis, vt ab vniuerſali Eccleſia colantur, & non de alijs.

Sic. Conſt.

Sententiam huius concluſionis docuerunt Turrecremata, & in ſumma de Eccleſia de conſetu. d. 3. num. 22. q. 51. 73. & lib. 2. c. 110. vbi commemorans ea, quæ ſunt fidei, & in quibus Eccleſia errare non poteſt, canonizationem Sanctorum adiecit, quòd qui aliter ſentiunt errant pernicioſiſſimè, fidem, vno etiam fidei fundamenta, eneruant, atque ſubuertunt, & Chriſtianam religionem maculant, denique hunc errorem communem fuiſſe omnium hæreticorum rectè teſtatur, eumdem ſequitur Petrus de Palude, Ioannes de Napoli, Petrus Gras. Epiſcopus Viſell. in lib. contra Apologiam Pici Mirandulani, qui ex D. Thomæ ſententia hæreſim eſſe docet aliter opinari; ſicut, & ipſe Ioan. de Neapoli rectè vidit.

Turrecre.
Petrus de Palude.
Ioan. de Neapoli.
Pet. Gras.

Idem ſentit Catharinus loco ſupra citato. At Pater Corduba lib. 4. quæſt. Theolog. quæſt. 12. dicit, quod & ſi non ſit certè hæreticum aut ſapiens hæreſim, eſt tamen valde probabiliter hæreticum certè impium, & contra probabilitatem, & pietatem fidei, dicere, quod Eccleſia, id eſt, Papa, vel Concilium generale in canonizatione Sanctorum errare poſſit. Idem docet Bannes. 2. 2. q. 1. art. 10. dub. 7. concl. 2. Eſt autem Concluſio contra Gloſſam in cap. 1. de Reliquijs, & vener. Sanct. lib. 6. & Feli. in c. Venerabili de Teſtibus, & Caiet. in quol. de Indulgentijs c. 8.

Catharin.
Corduba.
Bannes.

3. Conclu.

Tertia Concluſio. Dicere aliquem Sanctum ex canonizatis eſſe in inferno temerarium, & impium eſt, imò ſapiens hæreſim, & forte hæreticum eſſe cenſeo. Quod ſit temerarium poſitiuè, & dignum punitione probatur: quia temerariũ eſt, dum ſine rõne probabili quiſpiá tenet contra plurima teſtimonia probabilia virorum valde fide dignorum teſtificantium, de ſanctitate, & miraculis alicuius, ſecundum quæ illum Eccleſia vt Sanctum canonizauit, & in Sanctorum numerum retulit, & contra conſonantem probationem diuturnam totius Eccleſiæ Romanæ ſiue catholicæ.

Quod ſit etiam impium probatur, quia eſt contra pietatem fidei; ſicut tenere, quòd Eccleſia in canonizatione Sanctorum errare non poteſt, eſt de pietate fidei credendum, vt docet D. Thomas, quol. 9. art. vltimo. Quod autem ſapiat hæreſim probatur, omne quod ab Eccleſia Romana, videlicet à Papa, vel à Concilio generali legitimo aſſertiuè definitur, & omnibus fidelibus proponitur, vt Sanctum, & venerandum, & inuocandum, & imitandum, id ab omnibus eſt vt tale, ſub crimine, & pœna hæreſis tenendum, quia hoc aliquo modo pertinet ad fidem, & mores, in quibus Papa, & Concilium errare nõ põt, vt ſupra dictum eſt, modò ea definitio ſit iuris, puta, quid licitum, quid illicitum, modò ſit facti, puta, quod hoc, vel illud ita fuit, eſt, vel erit. Nunc autem quando Papa, vel Concilium Sanctum canonizat, iam aſſertiuè definit, atque proponit omnibus fidelibus eos eſſe verè ſanctos in cœlo beatos, colendos, inuocandos, & in ſua vita ſancta imitandos; ergo ita tenendum eſt, & oppoſitum tenere eſt impium, & hæreſim ſapiens ſi non hæreticum.

D. Thom.

Secundò probatur credere canonizatum eſſe in cœlo eſt de fide, vel ſapiens fidem, ergo eius oppoſitum eſt hæreticum, vel ſapiens hæreſim. antecedens probatur: Id eſt de fide, vel ſapit fidem, quod in bona conſequentia ſequitur ex vna propoſitione de fide, & ex alia, quæ licet non ſit certa de fide; non poteſt tamen, rationabiliter negari; & ita eſt in propoſito, nam bene ſequitur in Darij, vel in Barbara. Omnis verè, & finaliter Sanctus eſt in cœlo beatus, & eſt venerandus, & inuocandus, & in ſua ſanctitate imitandus: ſed iſte, & quilibet canonizatus eſt verè, & finaliter Sanctus; ergo & eſt in cœlo venerandus, inuocandus &c. ecce quomodo in bona conſequentia ex illa maiori de fide, & ex illa minori, quæ non niſi temere, impiè, & irrõnabiliter negari poteſt, vt patet ex ſupra dictis, & quæ etiam (mea ſententia) eſt de fide: nam maior eſt certitudo Eccleſiæ de ſanctitate, & beatitudine D. Franciſci, quam fuerit iudicium Franciſci in hac vita de ſe ipſo, niſi forte ſpeciali reuelatione fuerit certus: quoniam Spiritus Sanctus aſſiſtit Eccleſiæ, ne in huiuſmodi iudicio erret, vt docet S. Thom. vbi ſupra. Sequitur illa concluſio de fide, vel ſapiens fidem, ergo eius oppoſita; quod ſcilicet Sanctus canonizatus eſt in inferno eſt hæretica, vel ſapiens hæreſim.

D. Thom.

Quod iterũ probatur: nam iſta propoſitio bona in cõſequẽtia in Ferio ſequitur ex vna heretica, & altera de fide ſic arguendo. Nullus verè Sanctus eſt in gloria beatus nec venerandus, nec inuocandus: nec imitandus: ſed iſtæ canonizatus eſt verè Sanctus; ergo Sanctus canonizatus nõ eſt in gloria beatus, neque venerãdus, &c. ſed eſt in inferno: nam ſupponitur, quod alibi eſſe non poteſt in æternum, atque ita eſt hæretica, vel ad minus ſapiens hæreſim.

Sed contra hanc concluſionem arguitur, quia ſecundum D. Auguſt. Multa corpora Sanctorum venerantur in terris, quorum animæ cruciantur in inferno. Reſpondetur, quòd nec Auguſt. nec alius Doctor ſanctus id dicit, & ſi alicubi reperiatur, nihil officit: non enim dicit, quòd multa corpora Sanctorum canonizatorum per Eccleſiam, ſed quod multa corpora fraude aliqua ſuppoſita pro corporibus Sanctorum; vel de corporibus Sanctorum, qui in aliquibus locis, & prouincijs particularibus ſine authoritate, & canonizatione Eccleſiæ Romanæ ab hominibus, vt Sãcti habentur, & venerantur, id quod in hiſtoria B. Martini legitur de quodam latrone, vt ſupra diximus, vel denique de martyribus Donatiſtarum, qui honorabantur ab hæreticis, vt Martyres, cum eorum animæ reuera torquerentur in inferno. Sic etiam reſpondent Catharinus, Couar. lib. 1. variarum reſol. cap. 10. ſub num. 13. Corduba, vbi ſupra, & Bellar. c. 9. libri. 1. de Sanctorum beatitudine.

Catharin.
Couaru.
Corduba.
Bellarmi.

Quo ad ſecundam partẽ dubij obſeruan. eſt, quòd aliqui dicunt Religiones eſſe nouum inuentum Eccleſiæ, ſed falſum eſt: quia apud Ethnicos fuerunt monaſteria ad cultum Deorũ, & de Pythagora legitur habuiſſe conuentus: Imò apud Iudæos, Indos, & Saracenos ſunt Monachi; Vnde videtur eſſe quid naturale, ſiquidem apud omnes nationes inuenitur, & particulariter Chriſtus fuit inſtitutor, & inuentor voti ſolemnis.

Religiones non ſunt nouũ inuentum Eccleſiæ.

1. Concl.

Vnde ſit hæc prima Concluſio. Papa non poteſt errare approbando Religiones, in quibus ſolemniter profitetur. Antequam hæc concluſio probetur obſerua, quod cum in omni religione duo inueniantur, nempe eſſentia ipſa Religionis, quæ in tribus votis ſita eſt, & quæ in Euangelio fundamentum habet; & determinatio illius eſſentiæ ad certum modum viuendi: quo ad primum non egent religiones Pontificum approbatione; atque ita Antonius, Auguſtinus, Baſilius, Benedictus, Auctores Religionum fuerunt, nec vllam leguntur à Pontifice approbationem quæſiuiſſe, propterea quod nondum extaret ius Eccleſiaſticum, id præcipiens. At verò quo ad ſecundum: quia modus ille varius, quo tria vota ſuſcipi poſſunt, non ita perſpicuè in Euangelio elucet, & non parum ex prudentia, & dire-

In omni religione duo inueniuntur.

directione humana pendet, Pontificis confirmatione indigere poteſt, & ounc re ipſa propter ius poſitiuum nouas religiones prohibens omnino indigent. In qua tamen approbatione Romanus Pontifex errare non poteſt probatur. Primo Papa eſt Paſtor ouium Chriſti; ſed vnus modus paſcendi oues Chriſti eſt per religiones approbatas, ergo non poteſt errare in eorum approbatione, alioqui paſtor ouium approbaret ordinē luporum in perniciem gregis. Secundo probatur. Papa non poteſt condere legem prauam, ergo nec approbare ordinem prauum; ſic enim plures leges prauas approbaret. Tertio probatur poſt approbationem Religionis. Tota Eccleſia debet reſpicere illam, pro ſtatu perfectionis, ergo ſi Papa errat eam approbando, erraret tota Eccleſia, quod eſt falſum, demum Papa approbando Religionem tradit illam tamquam regulam morum; & bene viuendi; ergo ſi errat, turpiter errat in moribus. Hæc Concluſio eſt contra Canum lib. quinto de locis cap. quinto in fine. *Canus.*

2. Conclu. Secunda Concluſio. Approbando modum viuendi, vbi non vouetur ſolemniter forte Papa poteſt errare; & de his religionibus vera eſſe poteſt opinio Cani dicentis confirmationes Pontificiæ non eſſe certa iudicia, quibus omnes fideles aſtringantur, ſed ſatis eſſe ſi eam habeant authoritatem, quam epiſtolæ decretales, quarum nonnullas conſtat à poſterioribus meliore conſilio refutatas; quoniam non ex firmo decreto, ſed ex pontificum opinione prodierunt. Probatur Concluſio quia ſic faciendo ſolum dat facultatem, vt ſic viuatur; nec eſt approbatio authentica, nec abſolute approbatio; Nec talis modus viuendi traditur in exemplum, & doctrinam populo, atque adeo non eſſet error in graui materia, ſed in leui. Et ſi contra primam Concluſionem dicatur; non omnia ſtatuta ordinum ſunt bona: quia in dies mutantur in capitulis, ergo errat Papa approbando ordinem. Item multitudo Religionum nocet Eccleſiæ quare in multis prouincijs ſummus Pontifex multas religiones abſtulit, vt olim ſublatus eſt ordo templariorum, & nuper per Pium V. ordo Humiliatorum, qui tameo confirmatus, & approbatus fuit ab Innocentio III. ergo Papa errat approbando tales ordines.

Reſpondeo, & quo ad primum nego conſequentiam; Nam Papa approbando religionem non approbat leges particulares illius, ſed tantū inſtitutū, & normā viuendi, quæ ſemper eſt ſancta cuiuſcumque ſit: non enim quia Papa approbauit regulam propterea omnia ſtatuta, quæ poſtea fluunt ab eiuſdem religionis Prælatis, aut capitulis cenſenda ſunt confirmata, & approbata virtualiter à ſummo Pontifice. Quia ſummus Pontifex ſolum confirmat, & approbat ea; quæ ſibi expreſſe propoſita ſunt; & inſuper Prælatis illius Religionis concedit authoritatem gubernandi, non tamen poteſt transferre in illos pontificiam authoritatem, vt non poſſint perniciosè errare in condendis legibus circa mores ſuæ Reipub. Hoc enim priuilegium ſoli pontifici conceſſum eſt à Domino.

Ad ſecundum dico, q̄ approbatio per ordinarium fit in vtilitatem Eccleſiæ, & commodam eius conſeruationem, ſeu gubernationem; quæ variatur ſecundum temporum varietatem; atque ita non mirum quod aliquæ Religiones olim approbatæ poſtea abrogentur, vel quia ſic expedit Eccleſiæ, vel quia profeſſores illarum peſſime viuunt, quamuis Religio ſit optima. Non enim confirmata Religione à Pontifice, confirmantur in gratia aut in fide, qui illam profitentur. Quare non mirum eſt ſi poſtea Pontifex, Religiones ab alijs confirmatas merito diſſoluāt propter malitiam inhabitantium in eis, imo vero hoc pertinet ad officium ſupremi paſtoris Religiones reformare, vel ad minorem numerum reducere; aut certe quaſdam diſſoluere, quoniam illarum profeſſi reformari non poſſunt, aut certe, quia inutilis aliqua religio eſt, Pius vero V. ideo ordinem Humiliatorum deleuit, quia quidam eius ordinis Monachi coniurati in Beati Caroli Borromei Cardinalis, & Archiepiſcopi Mediolanenſis necem, ob nepharium ſcelus condemnati ſunt, & anno 1570. authoritate pontificia extinctus eſt ordo, & tale edidit Pius exemplum neglectæ diſciplinæ vindicandæ, vt cæteri diſcant ſibi diligentius cauere, & ſuſceptæ ac voto promiſſæ vitæ regulam ſtudioſius tenere. Ad argumentum ergo negatur conſequentia; ex hoc enim non concluditur, quod Pontifex errauerit in approbanda mala, aut falſa religione, ſed ſolum concluditur, quòd eius inſtitutor, vel potius inuentor, & eorum ſequaces non ſeruauerint religionis ſtatum ſecundum formam, quam ſummo Pontifici propoſuerunt confirmandam, & quam ipſe ſummus Pontifex confirmauit.

Ad argumenta contra primam partem art. reſpondetur, & ad primum dico minorem eſſe falſam, & ad eius probationes reſpondeo, quòd licet per teſtimonia hominum inquirat Eccleſia de ſanctitate, & miraculis, vt hoc pacto faciat, quod in ſe eſt; non tamen illis tantum innititur, ſed præcipue illuminationi diuinæ interiori, eiuſque aſſiſtentiæ ſpeciali, quæ nunquam in hoc deeſt, neq; deerit Eccleſiæ canonizanti.

Nec mihi obijcias ſi Spiritus Sanctus in his inſpirat, cur ergo humanæ adijciuuntur inquiſitiones, & tractatus, & probationes. Reſpondeo vult Deus non omitti, imo adhiberi ab eis humanam induſtriam, & inquiſitionem, & rei cognitionem in huiuſmodi; ne cogatur ad potentia miracula perpetranda. Ipſe autem occulte inſpirat, & dirigit in veritatem, vt ſalua ſit exercitatio fidei, ob eam cauſam etiam de illo Apoſtolorum tractatu in primo Concilio de quo Lucas, in actis Apoſt. cap. 15. legimus, quòd præceſſit definitionem illam multa inquiſitio. Nam quilibet ſuam afferebat opinionem, antequam concluderetur definitiua ſententia, & nihilominus in ipſa ſententia auſi ſunt adſcribere, viſum ſic eſſe Spiritui Sancto, & ſibi; & hoc ad noſtram doctrinam, vt declararent humanæ illi inquiſitioni ad mixtam fuiſſe ipſius Spiritus Sancti directionem, ac prouidentiam. Quare ſi Papa vellet abſque inquiſitione; quam & humana ratio flagitat, iſta decidere, non id ageret, vt oportet, & tentaret Deum, nec certo dirigeretur in veritatem. Si vero quod in ſe eſt fuerit, illud egerit, tunc quod humana facultas non aſſequitur, id merito, & opportune ſupplet Spiritus ſanctus.

Ad ſecundum nego conſequentiam: quia non eſt ſimile: Eccleſia enim dum canonizat aliquem Sanctum vtique aſſertiue definit, atque proponit illum in particulari eſſe vere ſanctum, & in gloria beatum atque colendū, non ſic definit, atque proponit hanc hoſtiam eſſe rite cōſecratam, & adorandam, ideo hoc de hac hoſtia non pertinet ad fidem, vt canonizatio huius, vel illius ſancti in particulari, vt dictum eſt. Nam Eccleſia de ipſis ſanctis particulariter inquirit, & particulariter iudicat, atque pronunciat, eſſe puta, illum ſanctum, & proponit illum colendum. Non autem proponit Eccleſia quamlibet particularem hoſtiam dicens, & conſtituens ibi eſſe Chriſtum. Nam ſi quæratur ab Eccleſia de particulari quouis ſancto, quem ipſa canonizauit, vtrum ſit vere ſanctus. Reſpondebit. Quid me etiam interrogas? nonne ſuper hoc iam cognoui? nonne cenſui? nonne determinaui ſimpliciter, & abſolute, quod eſt ſanctus? non ne colendum etiam illum particulariter tibi propoſui; non ne etiam ipſamet inuoco illum, & clamo. Sancte Franciſce ora pro nobis, & ſic de ſingulis? Sin autem quæreretur ab illa de quauis hoſtia; quæ vt conſecrata à ſacerdote adoranda proponitur, Nunquid vere ibi ſit Chriſtus; non ne diceret, neſcio an ibi ſit Chriſtus? ſed ſi reſpondere vellet ſub conditione, ſic diceret, ſi rite eſt conſecrata, eſt ibi Chriſtus; quod ſi & hoc rogaretur, Nunquid rite eſt conſecrata? nunquam diceret rite; ſed diceret, neſcio, opinor tamen quod ſic, nec enim ad me attinet, hoc diſcernere de particularibus hoſtijs, ſicut de particularibus ſanctis.

Ad vltimum dico, quòd Papa Iudicat aliquem deceſſiſſe in gratia quando eum canonizat, & hoc ex aſſiſtentia Spiritus Sancti, & eſto quòd miracula eſſent falſa, vel ficta ab homine, Spiritus Sanctus aſſiſtens Papæ canonizanti, non permittet illum canonizari &c.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Concilium legitime congregatum nondum autem confirmatum ſit maioris authoritatis quam Papa ita, vt poßit Papa leges imponere, quibus teneatur obedire, & nullo modo Papa poßit decreta eius confirmare.

HÆc quæſtio grauiſſima atque difficillima eſt propter diuerſitatem opinionum, quarum quælibet habet ſuos defenſores, & patronos, grauiſſimos atque doctiſſimos. Nos autem explicato titulo quæſtionis, breuiter, quot ſint de hac re opiniones explicabimus, & eam quam credimus veriorem rationibus confirmabimus, & poſtremo argumenta contra noſtram ſententiam ſoluemus.

Caietan. Quo ad primum obſer. eſt, quod titulus quæſtionis poteſt multiplicem ſenſum habere, vt ait Caiet. in quolib. de poteſtate Papæ cap. 6. Primo modo poteſt intelligi faciendo comparationem inter caput ſ. Papam ex vna parte, & reliquum corpus eccleſiæ vniuerſalis, vel Concilium generale ſine papa capite, & ſine vlla eius authoritate, ex alia parte.

Secundo modo inter papam ex vna parte, & totam eccleſiam vel concilium generale, ſimul cum ipſo papa ex alia parte.

Tertio modo inter Papam ſolum ex vna parte, & totam Eccleſiam congregatam authoritate papæ ex altera parte, ita quod poſt legitimam congregationem, & authoritatem ipſius concilij, vel Eccleſiæ, quæ ibi repræſentatur, non includatur amplius, ibi papa, nec alia eius authoritas papalis, ad ea, quæ ibi dicenda, vel ſtatuenda, aut facienda ſunt.

In primo ſenſu non eſt magna difficultas. Nam omnes fere catholici conueniunt, quod Papa eſt ſupra Concilium, & totum corpus eccleſiæ catholicæ, ſicut caput, & princeps ſupra ſuum corpus, & ſuam Rempub. poteſtatem, & iuriſdictionem habet; neque enim corpus omnino acephalum vere, & perfecte Eccleſia Catholica, aut Concilium vniuerſale eſſe poteſt. Nec tamen talis acephala Eccleſia per Concilium repreſentatur, quod etiam inferius patebit.

Stapleto. In ſecundo ſenſu, videlicet inter papam ex vna parte, & totam eccleſiam, vel Concilium ſimul cum papa ex altera parte maior eſt difficultas, & varietas opinionũ, licet, vt dicit Stapletonius Contro. 6. q. 3. art. 5. hæc comparatio non eſt ad propoſitum, quia Papa adiuncto Concilio, nullam poteſtatem, vel authoritatem, vel etiam certitudinem in iudicando nouam acquirit, non magis, quam caput adiunctis cæterorum membrorum officijs, magis ſapit, quam abſque illis. Papa enim ſtatim, vt electus eſt habet ipſam papalem poteſtatem immediate à Chriſto, vt expreſſe habetur in c. in nouo, & c. quamuis diſt. 21. c. ſacro ſancta diſt. 22. & alibi.

In tertio autem ſenſu ſcilicet inter papam ex vna parte, & eccleſiam, vel Concilium iam legitime congregatum, ſed ſine alia authoritate Papæ procedens ex altera parte, vel ſi inter ſe diſſideant, vter eorum alterum excedat in hoc eſt præcipua difficultas, & in hoc ſenſu tota quæſtio hæc agitatur.

De qua refert Stapletonius, vbi ſupra in explicatione artic. decem opiniones, nos autem omnes ad tres tantum reducimus.

1. Opinio. Prima opinio eſt, quòd Concilium eſt ſupra Papam indiſtincte, quam tenet Ocham relatus ab Almaino lib. de poteſtate Papæ, quem ſequitur innumerabilis turba doctorum vtriuſque iuris, & vniuerſitas Pariſienſis, & quædam aliæ vniuerſitates complexę ſunt, & Almain loco citato hanc opinionem magis explicat, & Abul. ſuper Matth. in prologo. quæſt. 10. & capit. 18. quæſt. 108. & latius in defenſorio par. ſecunda cap. 69. & Dryedon de dogmatibus eccleſiaſticis lib. quarto cap. 4. Gerſon de poteſtate Eccleſiaſtica, & de auferibilitate Papæ. Idem aſſerunt Cardinalis Cameracenſis, Nicolaus Cuſanus in tractatu de Concordantia Canonica lib. ſecundo capit. vltimo Panormit. in capit. Significaſti extra de electio. & Magiſter eius Cardinalis Florentinus, quæ opinio quatuor dictis explicatur.

Ocham. Alman. Abulen. Dryedon. Gerſon. Camaraci. Nico Cuſ. Panorm. Florent.

Primum dictum eſt, quod poteſtas eccleſiaſtica formaliter veluti quoddam totum integrale diuiditur in ſuas partes integrales ex quibus conſtat, puta, in Papatum, Cardinalatum, Patriarchatum, Archiepiſcopatum, Sacerdotium &c. quodque eccleſia, vel poteſtas Eccleſiaſtica ſic conſtituta, & integratur ex his, quod ſublato non papa, ſed Papatu, non manet Eccleſia vniuerſalis formaliter. i. non manet poteſtas eccleſiaſtica perfecta, & conſequenter dicit Gerſon, quod in eccleſia, & concilio vniuerſali, eam repreſentante ſiue papa ſit ſiue non, vtique clauditur authoritas papalis, quæ eſt ſuprema poteſtas Eccleſiaſtica, & plenitudo eius fontaliter poteſtatiue originaliter, ſeu virtualiter reliquas omnes poteſtates continens.

Secundum dictum eſt, quod licet hæc poteſtas Papalis ſit formaliter, & ſubiectiue in ſola perſona Papæ, qui ab ea ſic formaliter Papa denominatur, ſicut Cardinalitia, eſt in Cardinali, & Epiſcopalis in Epiſcopo duntaxat, cui quidem Papæ in B. Petro, & per ipſum ea poteſtas data, & monarchica inſtituta eſt à Domino Noſtro Ieſu Chriſto, ita quod à ſolo Deo poteſt immutari, at vero tam hæc, quam quælibet alia poteſtas eccleſiaſtica in eccleſia, & Concilio generali eam repreſentante eſt quadrupliciter. Primo ſicut in fine quę ſcilicet data eſt ad eius ædificationem. Secundo ſicut in regulante applicationem eius ad perſonam. Tertio ſicut in regulante vſum, vel executionem eiuſdem poteſtatis exiſtentis in perſona Papæ. Quarto ſuppletiue; quia ſuplendo facere poteſt quicquid Papa ferendo leges, & alia huiuſmodi poteſt.

Poteſtas Papæ eſt i Concilio quadrupliciter.

Tertium dictum eſt, quòd in papa eſt duplex poteſtas, altera quę à Chriſto in B. Petro illi tributa eſt tamquam ſuo Vicario atque Monarchæ tam ordinis, quam iuriſdictionis in vtroque foro, ſuper voluntarium, & inuictum; & hæc eſt ſupernaturalis, & inauferibilis à papa etiam per ipſam Eccleſiam. Altera quæ conuenit Papæ ex iure naturali, & humano; naturali quidem, quia ratio naturalis exigit, vt ſupremus in qualibet politia gaudeat multis priuilegijs, & honoribus ſuper alios poſitiuo vero multiplici, & in propoſito ipſius Eccleſiæ, & Conciliorum; ſicut communitas perfecta ſuo capiti dare poteſt; & hanc dicit eſſe poteſtatem interpretandi, & diſpenſandi in ſtatutis Concilij generalis pro vt occurrens neceſſitas, vel vtilitas euidens poſtulat, vbi pro tunc recurſus ad Concilium generale non patet.

In Papæ ẽ duplex poteſtas.

Quartum dictum, quod & ex prædictis infertur eſt, quod Eccleſia, & Concilium eſt ſupra Papam in ſex primo in amplitudine, & extenſione. Secundo in copioſitate; quia complectitur ſaltem virtualiter omnem poteſtatem, & omne politicum regimen, Papale, Imperiale, Regale, Ariſtocraticum, & Dimocraticum. Tertio in infallibili directione. Quarto in cauſarum fidei difficillium vltimata definitione. Quinto in morum reformatione in capite, & in membris. Sexto in poteſtate coactiua; quia poteſt ipſi etiam papæ legem imponere circa vſum ſuæ poteſtatis, & ſuſpendere ab executione, & ipſum cum culpa, & ſine culpa, quando expediret deponere, atque ita Papa ab ipſo Concilio iudicari poteſt, hæc omnia conatur probare hæc opinio multis rationibus, quas videre potes apud Iacobatium lib. 10. de Concilijs artic. ſeptimo, & Patrem Cordubam lib. 4. quæſt. Theolog. quæſt. 4. ad quos breuitati ſtudentes lectorem remittimus atq; etiam ad Bellar. lib. 2 de Conciliorum auth. capit. 13. in primo tomo operum eius.

Cõcilium eſt ſupra papam in ſex.

Iacobat. Corduba. Bellarm.

Sed certe hæc opinio non videtur vera, neque tuta maxime his temporibus, imo, & à quam plurimis cenſetur erronea in multis. Nam deficit hæc opinio apertiſ-

ſime

Digitized by Google

ſime in omnibus dictis primum quia in Concilio generali ſecluſo Papa non continetur papatus, cum in ſolo Papa ſit formaliter, & ſubiectiue, atque adeo eo abſente à Concilio repreſentari non poteſt. Repreſentatur enim in Concilio omnis poteſtas eorum, qui adſunt, & quæcũque illis inferior poteſtas eſt. In ſuperiori enim continetur inferius, vt in epiſcopo presbyter, & Diaconus, &c. non autem in inferiori continetur ſuperius, non in preſbytero Epiſcopus, nec in Epiſcopo Metropolita, aut Patriarcha, aut Papa. Deinde & ſi plures poteſtates ſint in Concilio, quam poteſtas Papæ ſicut totum parte, & ſicut ſenarius vnitate; poteſtas enim Papæ eſt quædam pars numeralis poteſtatis Eccleſiaſticæ, ſed inter omnes prima eſt, ideoque alijs omnibus, & ſi numero pluribus, poteſtate tamen præeminet, vt Rex in numeris ſubditis varia, & diuerſa poteſtate ſub illo præditis, vt animæ pars rationalis vna cum ſit, alijs tamen partibus, & ſi numero pluribus, ſenſitiuę, vegetatiuæ, motiuæ ad locum, quas omnes eminenter continet ſuperior eſt, denique, vt circulus ſupremus alios incluſos magnitudine ſuperat, & ſi numero ſit vnicus, & poſtremo, vt ſenſus cõmunis alios quinque ſenſus iudicat, & poteſtate ſuperat, & ſi vnus ille ſit, & cæteri plures poteſtates ſenſitiuæ.

Tertio dato, ꝙ in Concilio vniuerſam eccleſiã repræſentante eſſet etiam papalis poteſtas, repreſentata tamen non eſſet Concilium maius Papa, poteſtas enim & infallibilitas papalis eſt poteſtas, & gratia perſonalis perſonæ Petri, & ſucceſſorum eius à Chriſto data. Gratiæ autem perſonales repreſentati non tranſeunt in repreſentantem verbi gratia Legati Papæ in Concilio non habent indefectibilitatem in fide Petro promiſſam, atque adeo ſi limites mandati excedunt errant, vt fecerant Legati Nicolai primi in cauſa Photij. Sic Vicarius epiſcopi, non poteſt conferre ordines niſi ipſe ſit quoque Epiſcopus ſuffraganeus. Item deficit in quarto dicto in omnibus ferè ſex ibi contentis, quæ ex ſupradictis conſequuntur. Itaque opinio hæc videtur diſſonare, & omnino derogare rationi formali poteſtatis papalis, ſiue papatus, qui eſt ſuprema poteſtas Eccleſiaſtica à Chriſto inſtituta, & B. Petro, & ſucceſſoribus eius collata. Diſſonat etiam authoritatibus ſacræ ſcripturæ, & ſanctorum, & definitionibus conciliorum: neque videtur vlla authoritate, aut ratione ſufficienti fundata, vt videre eſt apud ſupra citatos Authores.

Secunda opinio omnino oppoſita abſolute tenet Papã eſſe ſupra Concilium, & totam Eccleſiam, fundamenta eius ſunt ea, quæ infra in tertia opinione ſequenti plene
D. Thom. referuntur, hanc opinionem tenet expreſſe D. Thom. 2. 2.
D. Bonau. q. 1. art. 10. & q. 11. artic. 2. ad 3. & in 4. quol. artic. 13. &
Ricardus. opuſculo. 19. contra Impugnantes religionem c. 3. & opu
Paludan. ſculo. 1. contra errores Græcorum ca. 66. 67. & 69. D. Bo-
D. Anto. nauen. Ricar. Palud. & alij in 4. d. 19. vbi de clauibus agi-
Turrecre. tur tam etſi ex profeſſo ipſi de hac re non diſputarunt.
Alu. Pel. Expreſſe autem hoc docent S. Anton. 3. par. tit. 22. c. 10.
Iacobat. §. 4. ſummæ hiſtorial & 2. par. t. 3. cap. 11. ſummæ Theo-
Caietan. logicæ. Turrecremata in ſumma de Eccleſia lib. 2. cap. 5.
Sylueſter. 27. 36. &c. & c. 70. & 94. lib. 3. ca. 28. 30. &c. & in decreto
Auguſt. in c. ſi Papa d. 40. Aluarus Pelagius de Planctu eccleſiæ
de Ancona. lib. 1. artic. 6. Dominicus Iacobatius lib. 10. de Concilijs
artic. 7. in quo fuſiſſime quæſtionem diſputat, & ſoluit
Alb. Pyg. ſexaginta tria argumenta aduerſariorum. Caiet in tract.
Sanderus. de Comparatione Papæ, & Conciliorum, & in Apologia pro tractatu prædicto Sylueſt. verbo Papa, & verbo Concilium. Auguſt. de Ancona in tract. de poteſtate Eccleſiæ, & Albertus Pighius, in ſua Hierarchia eccleſiaſtica, & Nicolaus Sanderus lib. 7. de viſibili Monarchia, vbi agit de Concilio Conſtantienſi. fol. 540. & quam plurimi alij Doctores vtriuſque iuris quorum non eſt numerus.

3. Opinio. Opinio. Tertia, quæ mihi magis placet, per diſtinctionem videtur prædictas duas opiniones quodammodo licet non quo ad omnia conciliare. Dicit enim quod quo ad certitudinem infallibilitatis indefiniendo, vel tradendo regulam credibilium, in fide, & moribus per ſe loquendo æqualis ſunt authoritatis Papa, & concilium generale legitime congregatum, quamuis per accidens, & regulariter potius ſtandum ſit Concilij, quam Papæ diſinitioni; At vero, quo ad poteſtatem iuriſdictionis, ac proinde ſimpliciter, Papa eſt ſupra totum Concilium, & ſupra totam Eccleſiam.

Pro ampliori huius ſententiæ explicatione obſer. eſt. Primo concilium generale legitimè cõgregatum, & procedens præſidentibus legatis ſummi Pontificis habere ſupremam poteſtatem Eccleſiaſticam definiendi ea, quæ ſunt fidei immediate à Deo; hoc patet ex practica omnium Conciliorum, quæ celebrata ſunt in eccleſia Dei à primo Nicæno, vſque ad Tredent. in quorum celebratione Epiſcopi cõgregati ita ſegeſſerunt, vt exercerent ſupremam poteſtatem eccleſiaſticam definiendo ea, quæ ſunt fidei, non eſt autem credendum, quod eccleſia Dei, & Romani Pontifices, & ſancti doctores tanto tempore permiſiſſent intolletabilem hunc errorem in concilijs generalibus, ſi eſſet error definire ſuprema poteſtate eccleſiaſtica; Et quod huiuſmodi poteſtatem habeat concilium immediate à Deo, eſt contra Caiet. tract. de poteſta- *Caietan.*
te Papæ, & concilij à cap. 7. vſque ad 12. & contra Canũ *Canus.*
lib. 5. de Locis cap 5. q. 2. aſſeritur tamen à Magiſtro So- *Sotus.*
to in 4. d. 20. art. 4. ad 6. & probatur ex illis verbis. Quæcumque ligaueritis ſuper terram &c. copulatis cum verbis ſequentibus, ſcilicet, & iterum dico vobis q. d. & ad idem propoſitum dico vobis, vbicumque duo ex vobis conſenſerint ſuper terram &c. & infra. Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum in medio eorum; ex quibus verbis formetur ſic ratio; In eccleſia Dei illa ſunt de iure diuino, & habent eſſe immediate à Deo, quæ à Chriſto ſunt ordinata ſecundum rationem ſpecificam; ſed concilium legitime congregatum habere ſupremam poteſtatem eccleſiaſticam, eſt ordinatum à Chriſto ſecundum rationem ſpecificam, ergo concilium legitimè congregatum habere ſupremam poteſtatem eccleſiaſticam eſt de iure diuino, & habet eſſe immediate à Deo: Maior patet; quia Chriſtus eſt Deus atque ita quæ immediate ſunt à Chriſto immediate ſunt à Deo minor probatur ex prædictis authoritatibus; in quibus Chriſtus ordinauit, vt vbicumque fieret legitima congregatio eccleſiæ, ipſe eſſet præſens per aſſiſtentiam Spiritus Sancti, & manifeſtum eſt, quod vbi eſt ipſe præſens, eſt etiam præſens ſuprema poteſtas eccleſiaſtica.

Ariſtot. Secundo obſer. eſt ex Ariſt. 8. Ethy. c. 11. quod in dominio Economico vir, & vxor habent ſimul, & communiter imperium Monarchicum ſuper libros, & familiam; ſed cum hoc vxor ſubdita eſt viro, & in hoc imperio viri, & vxoris eſt quodammodo Ariſtocraticum, in qua gubernandi ratione plures habent imperium vt diximus ſupra, ſed ille magis eſt particeps imperij, qui perfectior eſt in prudentia, & gubernandi ratione, qualis eſt vir reſpectu vxoris. Ad eumdem ergo modum dicimus, quod cõncilium generale, & Papa habent Imperium Monarchicum in vniuerſum corpus eccleſiæ reliquum, & in ſingula eius membra; cum hoc tamen ſit, vt concilium generale habeat ſupremam poteſtatem cum neceſſaria dependentia, à ſuprema poteſtate ſummi Pontificis, at vero ipſe ſummus pontifex habet ſupremam poteſtatem Eccleſiaſticam, omnino independentem ſiue à concilio, ſiue à quo uis alio in terris; & propterea ſimpliciter, & abſolute loquendo, ſolus ſummus Pontifex dicitur, & eſt caput eccleſiæ. Concilium vero generale quodammodo. Ita quod ſicut ex naturali conditione contractus matrimonij. Vir, & vxor habent poteſtatem in filios, & familiam, & vir eſt caput mulieris, & familiæ; mulier vero nõ eſt caput viri, quamuis ſit quodammodo caput familiæ. Ita ad eundẽ modũ dicendum eſt, ꝙ ex ipſa Chriſti ordinatione, concilium generale legitimè congregatum procedens per ſe ipſum; & ſummus Pontifex procedens per ſe ipſum, habent ſupremam authoritatem eccleſiaſticam. Sed ſummus Pontifex eſt caput concilij, & totius eccleſiæ. Concilium vero non eſt caput ſummi Pontificis, eſt tamen quodammodo caput totius eccleſiæ. Vnde ſi conſideretur poteſtas eccleſiaſtica in ordine ad totum corpus eccleſiæ æqualis eſt in concilio, & in Papa; ſi vero conſideretur poteſtas concilij in ordine ad poteſtatem Papę eſt quodammodo inferior, & nullo modo ſuperior.

Tertio obſer. eſt, ꝙ vt docet S. Thomas 1. 2. q. 56. artic. 3. dupliciter aliquid dependet ab altero neceſſaria de- *D. Thom.*

Digitized by Google

pendentia, vno modo intrinſece ſicut verbi gratia actus fidei in eodem intellectu dependet intrinſece, & neceſſaria dependentia à voluntate: quia niſi etiam voluntas inſtat in ipſum actum, ab intellectu fieri non poterit. & hoc modo non dependet Concilium generale in exercitio ſuæ poteſtatis à poteſtate papæ dependentia neceſſaria, quia Concilium poteſt per ſe ipſum definire non definiente papa. Alio modo aliquid habet dependentiam neceſſariam ab altero extrinſece, ſicut actus cõſiderationis ſcientiæ pendet neceſſario à voluntate, inquantum voluntas applicat intellectum ad conſiderationem demonſtrationis, & ſcientiæ, & tenet ipſum in eadem conſideratione; ſed hæc dependentia eſt extrinſeca, quamuis ſit neceſſaria. Poſſumus etiam addere tertium modum dependentiæ, quo aliqua cauſa pendet in ſua operatione à conditione ſine qua non, ſicut ignis pendet in calefactione ab applicatione ad paſſum. His duobus modis vltimis intelligere poſſumus authoritatem Concilij generalis dependere à poteſtate Summi Pontificis; dependet enim ab illo primo dependentia neceſſaria, ſed extrinſece in quantum concilium generale non poteſt legitime congregari, neque legitime congregatum teneri, niſi authoritate ſummi Pontificis congregatũ ſit & teneatur; & niſi per legatos ſummi Pontificis proponatur quæſtio circa quam veritas ſit definienda in Concilio. Pendet etiam poteſtas concilij generalis quantum ad obligationem, & confirmationem papæ, ſicut à conditione ſine qua non.

Papa quõ ſit pars eſt filius Eccleſiæ.

Quarto obſeruan. eſt, quòd papa bifariam conſiderari poteſt, vno modo, vt perſona quædam particularis, altero modo vt papa, & Eccleſiæ caput, priori modo papa eſt pars, & filius vniuerſalis Eccleſiæ, quia regeneratus, & nutritus, & inſtructus eſt ab Eccleſia, vt cæteri fideles, poſteriori autem modo ſcilicet papa, vt papa, & vt caput formaliter, vel ſecundum poteſtatem papalem, non eſt pars Eccleſiæ ſicut nec Chriſtus, cuius eſt Vicarius, dicitur, neque eſt pars Eccleſiæ Catholicæ: nam poteſtas vniuerſalis Eccleſiæ non conſtat ex poteſtate papæ, & aliorum, vt totum integrale ex ſuis partibus, ſed potius papæ poteſtas eſt tota poteſtas Eccleſiæ, & aliæ poteſtates ſunt participationes illius datæ in partem ſollicitudinis, neque intenſiue maior poteſtas efficitur ex poteſtate Papæ ſimul, & Eccleſiæ licet poteſtates ſint plures formaliter, & extenſiue, quam poteſtas Papæ ſolius. Sicut cauſa vniuerſalis ſimul cum cauſis particularibus ſunt plures cauſæ, non tamen ex eis reſultat, vna maior cauſa, vel virtus ſiue poteſtas intenſiue, quam ſit in prima cauſa, in qua virtualiter omnes aliæ cauſæ, & poteſtates in cauſando continentur. Et ſi dicas, Papa, vt Papa eſt miniſteriale caput Eccleſiæ ergo, & membrum eius eſt, & per conſequens pars, & filius eius; negatur vtraque conſequentia; Nam licet, vt Chriſtianus regeneratus in Eccleſia ſit filius eius; non tamen ratione dignitatis papalis, vt ait Pius II. in Bulla in minoribus, vbi retractat opinionem, quam ipſe tenuerat priuſquam eſſet Papa, quòd ſcilicet concilium eſſet ſupra papam; atque ita Papa, vt Papa non eſt membrum neque pars, neque filius illius reſidui corporis Eccleſiæ diſtinctæ ab ipſo papa, cuius Pater, & caput, & ſponſus ipſe loco Chriſti eſt. Cum quo ſtat, quòd etiam vt Papa ſit membrum, filius, & pars totius Eccleſiæ integræ, quæ ipſum etiam Chriſtum includit, qui caput, & Pater principalis, & ſponſus totius corporis myſtici, & membrorum Eccleſiæ, & papæ ipſius eſt.

Quinto obſeruan. eſt, quòd duplex eſt totum ſcilicet integrale quantitatiuum numerale, & potentiale; totum integrale quantitatiue, & numerale, eſt ſemper maius ſua parte, vt patet de domo, ac ſenario numero &c. at totum potentiale non eſt maius ſua parte, quod manifeſtatur exemplo, Nam totus homo habet potentiam ad videndum, ſimiliter etiam oculus qui eſt pars hominis, & homo eſt quoddam totum cuius oculus eſt pars, & tamen tota poteſtas hominis ad videndum tantum in oculo eius ſita eſt; neque eſt maior poteſtas ad videndum in toto homine, quam ſit in oculo eius; imo ex hoc potentia ad videndum eſt in homine, quia in eius paulo ſita eſt. Sic in propoſito tota Eccleſia quaſi totus vnus homo accepit claues à Chriſto, poteſtatemque papalem in B. Petro, vel in papa; atque ita poteſt actum iuriſdictionis per papam tamquam per membrum ſuum principale ad id deputatum à Chriſto, exercere; ſicut homo per oculum à natura ad id deputatum videre poteſt. In quo quidem papa eſt tota poteſtas iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, & non in alijs membris, nec in tota ipſius Eccleſiæ communitate, nec eſt maior poteſtas totius Eccleſie, quo ad hoc, quam ſit poteſtas papæ ſolius, vt docet expreſſe Turrecremata, de Eccleſia lib. 2. c. 27. & Caiet. vbi ſupra. *Turrecre.* Itaq; Eccleſia catholica eſt totũ quoddã corpus, Mater, & *Caietan.* Regina omnium, & ſponſa Chriſti; & poteſt quidem illuminare, docere, regere, gubernare, & imperare, ſed non niſi per ſua membra, tamquam per diſtinctas potentias, & partes ſuas: Non enim poteſt prophetare niſi per ſuos prophetas, nec docere niſi per ſuos Doctores, nec miracula facere, niſi per habentes gratiam miraculorum, nec regere niſi per ſuos prælatos, neque tandem ſupremam iuriſdictionem, niſi in papa habet, & non niſi per ipſum illam exercere poteſt; Et ſicut totus homo non poteſt per ſe magis videre, quam per oculos ſuos, nec magis ambulare, quam per pedes &c. Ita vniuerſalis Eccleſia nihil magis per ſe totam poteſt, quam per ſua membra prædicta; neque maiorem poteſtatem iuriſdictionis ipſa tota, quam papa ſupremus in ea prælatus, habet.

His obſeruatis ſit prima Concluſio. Papa, & Conci- *1. Conclu.* lium, quo ad certitudinem infallibilitatis in definiendo, vel tradendo regulam credibilium in fide, & moribus, per ſe loquendo, æqualis ſunt authoritatis, quamuis per accidens, & regulariter potius ſtandum ſit Concilij, quã Papæ definitionis probatur prima pars: quia in vtroque ſcilicet in Papa, & Concilio generali legitime congregato ſi faciat, quod in ſe eſt, certa, & infallibilis eſt aſſiſtentia diuina ſpecialis, vt in fide, & moribus definiendo errare non poſſit, vti ex præcedentibus, & ſequentibus quęſtionibus pręſupponitur, & hoc dicimus per ſe vtrumq; æqualis authoritatis eſſe, ſecunda pars ſcilicet, quod per accidens potius Concilij, quam papæ diffinitioni ſtandum ſit, conſtat, non quidem ex parte ipſius aſſiſtentiæ diuinæ promiſſæ; neque enim certius aut maius lumen Spiritus Sancti Concilio, quam Papæ promiſſum à Deo eſt, ſed ex parte diſpoſitionis vtriuſque id contingit, quæ per accidens eſt, vt ſufficiens, vel inſufficiens in hoc, vel in illo ſit, & probabilius, & certius eſt ipſum concilium, quam papam regulariter facere, quod in ſe eſt, ſine notabili defectu, vt diuinitus illumineur: maxime quando totum ſimul Concilium aliquid definit; vt ait Cano de *Canus.* Locis. lib. 5. c. 5. quæſt. 1. ſecundum D. Auguſt. lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſt. cap. 18. neque enim credibile eſt omnes ſimul in Concilio legitime congregatos, regulariter, & notabiliter in hoc deficere, nam ſi duo, vel tres ſe ad id diſpoſuerint ſufficienter, vtique vel ipſos, vel per ipſos etiam Deus totum Concilium illuminabit, iuxta illud Matth. 18. Vbi duo, vel tres fuerint in nomine meo congregati &c. vt ad hoc propoſitum exponitur à D. Gregorio in Regiſtro lib. 12. ca. 31. & à D. Auguſt. lib. 4. *D. Grego.* contra duas epiſt. Pelagianorum ca. 12. & in c. de quibus *D. Aug.* diſt. 20. & in Concilio Chalced. act. 12. & Conſtantinopol. 3. act. vltima, & à Celeſtino Papa, vt Iſidorus in lib. *Iſidorus.* Conciliorum in geſtis tertiæ Synodi Toletanæ refert. Ideo diximus, quod quamuis per accidens regulariter potius Concilij, quam Papæ ſolius definitioni, ſtandum eſt. Et in hoc expreſſe conſentiũt noſter Caſtro de hæreſibus lib. 1. cap. 2. & 6. de punitione hæreticorum lib. 1. cap. 4. *Caſtro,* Sotus in 4. d. 20. quæſt. 1. art. 4. & d. 22. q. 2. art. 2. vbi dicit, *Sotus.* quod ipſe Papa ſtare tenetur definitioni Concilij gene- *Iacobat.* ralis legitime congregati, & Iacobatius lib. 6. de Conci- *Turrecre.* lijs. art. 2. & lib. 5. art. 15. & 16. Turrecremata in decreto. *Syluest.* diſt. 4. cap. Ideo, art. 1. cum quibuſdam alijs doctoribus, quos refert Syluest. verbo Concilium q. 2. licet ipſe oppoſitum teneat, & male. Ex his tamen non ſequitur, quod Concilium ſit ſupra Papam; ſicut quod Rex iure diuino vel naturali tenetur ſequi conſilium medicorum, doctorum, & Conſiliariorum, aut Concilij regalis in pertinentibus ad ſalutem ſuam corporalem, aut ſpiritualẽ, aut ad bonam regni gubernationem, non ſequitur illos eſſe ſupra Regem, quo ad poteſtatem Iuriſdictionis.

Dixi hoc eſſe verum regulariter; Nam vbi manifeſte

conſtaret

conſtaret Papam ſolum tenentem contra ſententiã concilij moueri melioribus rationibus, & authoritatibus ſacræ ſcripturæ expreſſionibus pro ſua ſentẽtia; aut aliqua legitima deciſione Concilij generalis, aut alterius Papæ prædeceſſoris, iam ſemel facta ſuper ea re; aut Concilium non faceret quod in ſe eſt in tali negocio; tunc ſententia ipſius Papæ ſolius præualeret, & illi potius, quam Concilij contrariæ definitioni ſtandum eſt: quia cum illa legitima Papæ, vel Concilij deciſio præcedens non niſi vera, & Catholica eſſe poſſit, ſi legitime, (vt ſupponitur) facta ſit, vtique ſit vt illa etiam Papæ ſolius, quæ illi nititur, ſententia vera, & tenenda ſit; neque vlla illi contraria à quocunque etiam ab alio Concilio legitima, & vera eſſe poſſit, niſi manifeſte mõſtretur, quòd illa prior Papę vel Concilij deciſio legitime facta non ſit. Pro quo facit 24.quęſt. 1.cap. Achatius, cap. maiores, cum ſequentibus.

Roffenſis.

Obſerua tamen primo, quòd ſicut (vt docet Roffen. contra Lutherum art.29.) ſuſpecta ſemper ſunt Concilia vbi inter illam, & Papã diſſenſio eſt, niſi manifeſtiſſima Papæ culpa ſit. Ita ſuſpecta eſt Papæ definitio, quæ à totius Concilij generalis, & legitime procedentis definitione diſſentit, niſi manifeſta ipſius Concilij culpa interſit, & vix hoc vltimum poſſibile eſt niſi Papa ſit hæreticus manifeſte ſecundo obſerua; quod in caſu quo Papa in rebus alias non deciſis teneretur ſtare definitioni Concilij generalis, vt dictum eſt, & nollet, Tunc licet definitio Concilij deberet præualere, non tamen poteſt ipſum Concilium contra voluntatem Papæ ſuam definitionem in rebus alias non deciſis ſic promulgare, vt ab omnibus teneatur: nam Papa poteſt impedire ne illa definitio etiam manifeſte vera promulgetur, niſi ad fidem, vel mores pertineat; quamuis non poſſit præcipere, vel cogere, vt oppoſitum erroneum teneatur. Atque ita illa definitio Concilij non haberet tunc vim obligandi ſine conſenſu Papæ. Quia talis promulgatio ad poteſtatem pertinet iuriſdictionis in qua Papa excedit ipſum Concilium, vt proxime in ſecunda Concluſione dicemus. Et tunc ſicut in ſchiſmate dubio, qui Papæ, vel Concilij ſententiã ſequeretur exiſtimans probabiliter eſſe veram, & legitimã definitionem eſſet tutus in conſcientia, quouſque finali decreto Papæ, ſimul, & Concilij tandem decretum eſſet, vt ait Turrecremata in ſumma de Eccleſia lib.3.cap.64. & Florent.2.par.ſummæ tit.3.cap.11. In dubijs autem ſemper ſtandum eſt Papæ ſententiæ, & illi obediendum eſt; non autem in his, quæ manifeſte erronea, aut peccata ſunt: quia Act. quinto obedire oportet Deo magis quam hominibus.

Turrecr.
D. Anton.

Sed contra hanc concluſionem arguitur. Concilium authoritatem habet à Papa, non ſolum quo ad congregari, vt ſit legitimum, ſed etiam, vt ea quæ ibi fiunt legitima ſint, & authoritatem habeant Concilij; ergo niſi Papa ibi ſimul adſit definiendo, vel niſi tunc, vel poſt ſuam ſuperaddat authoritatem ibidem definita approbando, vel expreſſe, aut tacite conſentiendo, certe non habent robur legitimæ definitionis, & ex conſequenti nec ſtãdum eſt tali definitioni, plus aut æque, atq; Domini Papæ, conſequentia patet, & antecedens probatur, tum primo ex cap. maiores de baptiſmo, & ex cap. ſignificaſti de electio. Tum ſecundo, quia in cap. ita Dominus diſt.19. habetur, quod à B. Petro, quaſi à quodam capite in totum corpus Eccleſiæ manat authoritas; & D. Thom. opuſcu.19. contra impugnantes religionem cap.4. ait, quòd ſancti Patres in Concilio Congregati nihil ſtatuere poſſunt, ſine Papæ authoritate interueniente, ſine qua nec ipſum Cõcilium poteſt congregari. Tum tertio idem antecedens patet; quia concilia generalia errare poſſunt, & de facto errauerunt, ergo &c.

Caietan.
Albertus.
Pyhius.

Propter hoc Argumentum Caiet. & Albertus Pyghius, & alij quidam tenent quod potius Papæ, quam Concilij legitimi, vel etiam reliqui corporis Eccleſiæ definitioni ſtandum eſt, quodque non eſt maior, nec certior authoritas Eccleſiæ, & Concilij cum Papa, quam ipſius Papæ ſolius; imo quòd ſine Papa pręſente, vel tacite, vel expreſſe conſentiendo approbante, definita in Concilio nõ habent infallibilem certitudinem; imo & quod ipſum Concilium in fide, & moribus definiendo errare poteſt, etiam ſi ipſius Papę legati ibi interſint. Sed certe hęc eorũ opinio falſa eſt, & diſſona rationi Tum ex probatione huius concluſionis tum ex reſponſionibus ad eius inualidum argumentum conſtabit.

Ad argumentũ ergo concedo antecedens, ad hunc ſenſum, quod ſine Papa, vel eius authoritate, & conſenſu definita in Concilio non habent authoritatem, nec vim coactiuam, & obligantem ſub pęnis Eccleſiaſticis omnes fideles Eccleſiæ; & ſimiliter ad hunc ſenſum conceditur, prima conſequentia, ſed ſecunda negatur, quæ aliũ ſenſum ſonat, & expreſſe prætendit. Si autem antecedens illud intelligatur, quod ibi definita ſine Papa, & eius authoritate, vel conſenſu non habent authoritatem, aut vim veritatis, & veræ definitionis, cui omnes fideles etiam ipſe Papa iure diuino ſtare teneantur, tunc vtique negatur, & ea omnia, quæ inde ſequuntur, vt conſtat ex probationibus concluſionis. Et ad primam probationem antecedentis ex cap. maiores, dico quod intelligitur de vltima definitione habente etiam vim coactiuam vt dictum eſt, & ideo B. Thomas. 2.2. quæſt.1. artic. vltimo ait quod iudicio Papæ, vel Eccleſiæ reſeruatur, vt ſcilicet vtroq; modo prædicto intelligatur. Item non excludit Concilium, ſed prælatos inferiores. Et ad cap. ſignificaſti de elect. dico ſimiliter, quòd expreſſe loquitur, ſolum de robore, & authoritate coactiua, & iuriſdictionis, vt conſtat ex ipſa ratione ibi expreſſa, & intentione textus dicentis, quòd ideo Papa non ſubditur legibus Concilij in diſpenſando. Ad ſecundam probationem dico, quòd authoritates illæ de poteſtate ordinis, & iuriſdictionis expreſſe loquuntur. Ad tertiam denique nego vllum Concilium generale legitimum, legitimeque procedens, & faciens quod in ſe eſt in fide, & moribus vnquam erraſſe, aut errare poſſe, vt ſequenti quæſt. diffuſe explicabimus. Nam aſſiſtentia ſpiritus ſancti, æque promiſſa eſt, & æque adeſt dicto Concilio ſine Papa, ſicut & ipſi ſoli Papæ. Matth.16. Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, ſcilicet Eccleſiam ſecundum expoſitionem Doctorum approbatã, ſimul cum alia expoſitione aduerſus eam, ſcilicet petrã ideſt Papam, vel etiam aduerſus eam ſcilicet confeſſionem fidei, quam feciſti, & Matth.18. Dic Eccleſiæ: quia vbi duo, vel tres & vt dictum eſt ſupra in primo notabili.

D. Thom.

Secunda Concluſio. Papa eſt Conſtitutus Iudex etiam Concilij plenarij, ita vt quo ad poteſtatem iuriſdictionis ac proinde ſimpliciter Papa eſt ſupra concilium, & ſupra totam Eccleſiam, ita vt poſſit toti concilio leges ponere, nec eius decretis tenetur parere. Probatur prima pars. Chriſtus cõmiſſit oues ſuas Petro, & eius ſucceſſoribus, vt ex ſupradictis patet; non autẽ oues ſigillatim tantum, ergo etiam collectiue, probatur minor: quia alias Eccleſia orans pro Papa falleretur dicens. Deus omnium fidelium Paſtor, & Rector &c. quem Paſtorem Eccleſiæ, &c. vna cũ grege ſibi credito &c. Eccleſia enim & grex ſignificant totum collectiue conſurgens ex partibus, & non ſingulas partes ſigillatim ſicut Reſpub. non ſignificat ſingulos Ciues, nec Cõuentus ſingulos Monachos, ſed omnes collectiue. 2. Concl.

Secundo probatur. Vnius ouilis vnus eſt Paſtor iuxta illud fiet vnum ouile, & vnus Paſtor ſed Concilium plenarium eſt vnum ouile, ergo habet vnicum Paſtorem, & non ipſum Concilium, ergo Papam, & confirmatur; quia quod de futuro Chriſtus dixit Ioan.10. fiet vnum ouile, &c. non de ſe tantũ, ſed & de Vicario eius B. Petro, eiuſq; futuro ouili indubie loquitur. Concilium autem generale non poteſt eſſe maius toto ouili, ergo &c.

Secunda pars probatur, omne caput abſolute ſupremũ præſtat toti corpori ſuæ communitatis dignitate, & virtute, vel poteſtate; ſed Papa eſt caput abſolute ſupremum totius Eccleſiæ, & non ſolum particulariũ membrorum, ideſt perſonarum, & Eccleſiarum, ſed totius etiam corporis Eccleſiæ, & Concilij generalis eam repræſentantis, ergo præſtat illi dignitate, & poteſtate iuriſdictionis; conſequentia eſt bona, & maior patet intelligendo per caput abſolute ſupremum, ſuperiorem illum alicuius communitatis, qui nec alteri ſubijcitur, ſed ſoli Deo ſubordinatur, ſiue ſubijcitur, nec ab ipſa communitate virtutem ſuam, vel poteſtatem habet. Et per hoc excluditur Rex, vel imperator, qui licet ſit aliquo modo ſupremus, quatenus non habet ſuperiorem; non tamen eſt omnino ſimpliciter,

pliciter, vel abſolute ſupremus ac per inde nec toto ſuo Regno vel Imperio congregato ſuperior: quia deeſt, illa ſecunda conditio, quatenus ſuam recipit poteſtatem à ſuo Regno, cuius vices gerit, ex quo in ipſum ſuam tranſtulit poteſtatem, quam ad ſe regendum hoc, vel illo modo ipſa Reſpub. diuino iure habet, & naturali, & ex hoc patet maior propoſitio. Minor etiam patet ex his quæ diximus ſupra de primatu ſummi Pontificis.

Et cōfirmatur: quia ante congregationē ſinguli Epiſcopi erant ſubditi Roma. Pontifici, ergo & collecti eodem modo ſe habent, probatur conſequentia: quia collectio nullum nouum ius adſert in Eccleſiaſtica communitate, ſicut in Ciuili, eoquod non à communitate, ſed à Deo immediate, prælati Eccleſiæ authoritatem ſuam accipiunt, vt ſupra viſum eſt.

Secundo probatur, omnia Concilia generalia habent robur, & poteſtatem à Papa, non ſolum, vt ſint legitima, & legitime congregentur, ſed etiam vt ibi poſſit definiri, ibique definita ſiue decreta valeant, & habeant vim coactiuam, & obligandi omnes fideles, & Eccleſias particulares, ergo Papa eſt ſupra Concilium. Antecedens probatur in cap. ſignificaſti, de elect. vbi ad hæc duo dicitur authoritas Papæ neceſſaria, ideo enim ibidem dicit Papa, quòd Concilij decretis non ſubditur: quia ab ipſo robur, & poteſtatem habent, Nam vt ſubtiliter dicit Caietan. Si

Caietan. concilium legitime iam congregatum authoritate papali, non penderet adhuc ab ipſius Papæ authoritate ad ſua decreta faciēdum, vtique etiam inuito Papa, & ſupra ipſum leges facere poſſet; cuius tamen oppoſitum ibi Papa decernens dicit, quod ab ipſo papa Concilia habent poteſtatem, ſcilicet vt legitime congregentur, & robur ſcilicet vt legitime, & valide decernere, & ſtatuere poſſint, quamuis id aliqui aliter, & male intelligant. Verba autem ſunt paſchalis papæ ad Archiepiſcopum panormitanum, & ſunt quæ ſequuntur. Aiunt in Concilijs ſtatutum non inueniri. Quaſi Romanæ Eccleſia legem Concilia vlla præfixerint; cum omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ authoritatem, & facta ſint, & robur acceperint, & in eorum ſtatutis Romani Pontificis patenter excipiatur authoritas, & ibi diſpenſat in quibuſdam ſtatutis Conciliorum; inferior enim vel æqualis non poteſt in legibus ſuperioribus, vel æqualibus diſpenſare.

Deinde omnia Concilia generalia per papam confirmantur, & ab eo petunt, ſemperque petierunt ſua decreta ipſius authoritate confirmari, vt conſtat aperte in actis omnium Conciliorum etiam Concilij Conſtan. & Baſilien. quæ ſupra poteſtatem papæ ſe aſſeruiſſe, & ſtatuiſſe prima facie videntur.

Præterea papa eſt ſuprema poteſtas in Eccleſia Dei; ergo eſt ſupra Concilium, probatur conſequentia: quia ſu-

Concilium Conſtanc. prema poteſtas eſt illa ſupra quam non eſt alia; antecedens eſt de fide definitum in Concilio Conſtantienſi. ſeſſ. 15. errore 7. contra Ioan. Hus ſic dicentem. Petrus non fuit, nec eſt caput Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ; & errore 27. ſic dicebat. Non eſt ſcintilla apparentiæ, quod oporteat eſſe vnum caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper in Eccleſia militanti, conuerſetur, & conſeruatur.

Præterea definitum eſt in Concilio Florentino his ver-

Concilium Florent. bis. Definimus ſanctam Apoſtolicam ſedē, & Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere primatum, & ipſum pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, & Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, & regendi vniuerſalem Eccleſiā à Domino noſtro Ieſu Chriſto, plenam poteſtatem datam eſſe. Hęc ibi in litteris vnionis, quibus omnes tam Græci, quam latini Patres, atque etiam Armeni ſubſcripſerunt, ſub hac forma verborum quantum ſpectat ad Græcos, & Armenos.

Nos igitur Oratores nomine noſtro, noſtrique Reus Patriarchæ, & omnium Armenicorum, ſicut & veſtra ſanctitas in ipſo decreto atteſtatur, hoc ſaluberrimum ſynodale decretum, cum omnibus capitulis, declarationibus, definitionibus, traditionibus, præceptis, & ſtatutis, omnemque doctrinam in ipſo deſcriptam, nec non, & quicquid tenet, & docet ſancta ſedes Apoſtolica, & Romana Eccleſia, cum omni deuotione, & obedientia accepiamus ſuſcipimus; & amplectimur. Illos quoque Doctores, & ſanctos Patres, quo Eccleſia Romana approbat reuerenter ſuſcepimus. Quaſcunque vero perſonas, & quicquid ipſa Romana Eccleſia reprobat, ac damnat, vos pro reprobatis, & damnatis habemus, profitentes tāquam veri obedientiæ filij, nomine quo ſupra ipſius ſedis Apoſtolicæ ordinationibus, & iuſſionibus fideliter obtemperare. Hanc concordiam Franciſcus Comes Mirandulanus, vir egregia litteratura teſtatur ſe ſuis oculis inſpexiſſe manu Imperatoris conſignatam, vt refert Roſſenſis *Roſſenſis.*
contra lutherum art. 25.

Poſtremo in Concilio Lateranenſi. 3. ſub Leone 10. *Concilium Lateran.*
ſeſſ. 11. ſic habetur. Cum etiam ſolum Romanum pontificem pro tempore exiſtentem, tamquam authoritatē ſuper omnia Concilia habentem Conciliorum indicendorum transferendorum, ac diſſoluendorum plenum Ius, & poteſtatem habere, ne dum ex ſacræ ſcripturæ teſtimonio, dictis ſanctorum patrum, ac aliorum Roman. Pontiſ. ſacrotuniique canonum decreto, ſed propria etiā eadem Conciliorum confeſſione cōſtet manifeſte Hęc ibi, quæ clariſſime rem probant Bulla incipit Paſtor ęternus. Ad hunc locum nihil poteſt reſponderi, niſi vel non fuiſſe Concilium Generale, vt pariſienſes dicunt Qui propterea appellauerunt ad futurum Conciliū, allegantes, quòd Galli Epiſcopi non interfuerunt illi Concilio propter bellum, quod tunc temporis erat inter Iulium ſecundum, qui concilium congregabat, & Regem Galliæ, vel non fuiſſe ab vniuerſali Eccleſia receptum; vel non definiuiſſe hoc tanquam de fide.

Cęterum non fuiſſe generale vix dici poteſt. Nam & ſi fuerunt Epiſcopi pauciſſimi: nam ad centum non peruenerunt, tamen Concilium omnibus patebat, & omnes vocati fuerunt. & in eo ſummus Pontifex verus, & indubitatus præſidebat. Quod autem non fuerit receptum ſaltem ab omnibus parum refert, nā decreta Conciliorum non indigent approbatione populi; cum ab eo non accipiant authoritatem; & maxime decreta de fide, quæ immutabilia ſunt, nec vllo modo abrogari poſſunt poſteaquam ſemel ſtatuta ſunt, talem autem eſt hoc de quo agimus. Quod autem Concilium hoc, rem iſtam non definierit proprie de fide, dubium eſt, atque adeo non ſunt proprie hæretici, qui contrarium ſentiunt, ſed à temeritate magna excuſari non poſſunt.

Adde quod Pius ſecundus in Bulla ſua incipiente. In *Pius ſecūdus.*
minoribus, directam ad vniuerſitatē Colonienſem retractat, eoque olim, vt Doctor male, & eronee tenuiſſet Concilium eſſe ſupra Papam, quam Bullam ad litteram ponit noſter Florantius de locis Catholicis lib. 6. in fine. *Florant.*

Super eſt modo vt argumenta aduerſariorum ſoluamus, & primo arguitur ſic Papa habet authoritatē ab Eccleſia, ſicut Rex à Repub. ergo Eccleſia eſt ſupra Papam; ſicut Reſpub. ſupra Regem. Probatur conſequentia. In tota Repub. eſt poteſtas regendi, & gubernandi ſe iure naturę, & in nullo ſeorſum niſi ab ea eligatur, vt fuit olim videre in regimine Romanorum; & nunc apud polonos, & Venetos, & Reges qui modo ſunt perpetui à communitate electi ſunt, quæ in eos tranſtulit perpetuo ſuā authoritatem; atque ita philoſophandum eſt de Eccleſia: quia gratia non deſtruit naturam, ſed perficit. Antecedens probatur, quoniam papæ ſuprema dignitas, & ſi in ſcripturis ſundetur à Chriſto data, tamen eſt quoq; ab hominibus collata videlicet primum ex conſenſu Apoſtolorum, vt patet ex epiſt. 2. Anacleti diſt. 22. cap. ſacroſancta. *Anaclet.*
Deinde per Conciliorum canones, & patrum decreta, vt patet ex can. 6. Nicæni Concilij, vbi fit diuiſio quatuor patriarcharum; & Innocentij primi ad Africanos inter *Innoc. 1.*
epiſt. Auguſt. Epiſt. 91. & ex Epiſt. ſynodica Leonis. 9. ad *Leo nonus.*
petrum Antiochenum; Inquantum ergo ab Eccleſię conſenſu, & authoritate promanat manifeſtum eſt maiorem eſſe ipſius Eccleſiæ authoritatem, & conſequenter Concilij generalis illam repræſentantis.

Reſpondeo, quòd Primatus Petri, & ſucceſſorum eius ab Eccleſiæ authoritate non promanat, ſed tantum ex inſtitutione Chriſti, vt ſupra oſtenſum eſt, atque adeo nego antecedens Papalis enim poteſtas eſt ſpiritualis, & ſuper naturalis; atque ita papa eam non habet ab Eccleſia: quia

nec

nec ipſa habet illam, ſed Chriſtus iuxta illud Pſal. 2. Ego autem cõſtitutus ſum rex ab eo ſuper Syon, &c. & iterum Tu es ſacerdos in æternum; & à Chriſto recepit eam Papa immediate, vt conſtat ex illo, Paſce oues meas, & ex illo tibi dabo claues regni cœlorum, &c. & ideo Chriſtus dixit Apoſtolis Ioan. 15. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos; ac ſi dicat, non ſicut Reſpub. ciuilis eligit Regem, ita vos me elegiſtis, ſed è contra. Quod autem dicitur, etiam ex Apoſtolorum, & Eccleſiæ conſenſu eumdẽ primatum conceſſum fuiſſe, id factum eſt, Non quia Apoſtoli, Patres, & Canones hanc ſupremam authoritatem dederunt; ſed quia à Chriſto datam agnouerunt, & inſtitutioni Chriſti acquieuerunt. Nam & ſic de authoritate Epiſcoporum ſupra ſuos ſubditos multi Canones extant: illam tamen authoritatem iuris diuini non Eccleſiaſtici eſſe, manifeſte conſtat.

Secundo arguitur. Chalcedonenſe Concilium cognouit, & iudicauit de primatu Roman. Pontificis poſuitque proximo poſt eum loco Conſtantinopolitanum, non obſtantibus Nicænis decretis, quæ Alexandrinũ ſecundum, & Antiochenum tertiũ loco poſuerunt actione vltima; ergo ipſo Papa ſuperius hac in re fuit Concilium illud.

Reſpondeo, quòd in hoc patet euidens error. Cardin. Cuſani, qui hoc argumentum fecit. Non enim in loco citato de primatu Roman. Pontif. ſed tantum de proximo poſt eum loco Concilium Chalcedonenſe cognouit, & iudicauit. Nec vlla quæſtio ibi de primatu Roman. pontif. ſed tantum de Conſtantinopolitani ſecundo loco mota eſt. De vigore autem decreti Concilij Chalced. circa ſedem Conſtantinopolitanam dico primo Quod cum primum in Concilio Cõſtantinop. primo Generali ſecundo, & poſtea in Concilio Chalced. Generali quarto proximo poſt Romanum Pont. loco Conſtantinopol. Patriarcha poneretur, idque priuilegium patrocinio Imperatorio plurimum ſuſtentaretur, tamen quia Leo Magnus illam Concilij Chalced. partem numquam approbare voluit, vt apparet epiſt. 62. eiuſdem; nec poſt eum cęteri Pontifices, vt apparet apud Gelaſium in tomo de anathematis vinculo, debuit ducentis poſt annis in Concilio Conſtantinop. in Trullo idem priuilegium denuo peti, & nouo decreto approbari, vt apparet Can. 36. dicti Concilij, & apud Gratianum diſt. 22. ca. Renouantes. Secundo dico, Patres Calcedon. in litteris ſuis ad Leonem Papam eius conſenſum humilibus verbijs expetijſſe. Quia (inquiunt) abſque inuidia conſueueritis veſtrorum bonorum participatione ditare domeſticos. Hæc illi in Epiſt. ſynodica, quæ Act. 3. dicti Concilij inſeritur. Præterea malo fundamento Epiſcopi iſti nitebantur; aiunt enim ſedi ſenioris Romæ propter Imperium Ciuitatis illius Patres conſequenter priuilegia tradidiſſe, atque adeo debere nunc Conſtantinopolim, quaſi nouam Romam eiſdem priuilegijs gaudere, & ſecundam poſt illam exiſtere dicti Concil. Act. 16. Et ſi enim quo ad prouinciales primatus facta fuit talis diuiſio, vt iuxta nobilitatem locorum eſſent Epiſcopi, Archiepiſcopi Metropolitæ, & Patriarchæ, tamen vt vnus eſſet ſupremus paſtor, & vnus Petrus cæteris omnibus præficeretur, non propter Imperium Romæ, ſed propter verba Chriſti Petro dicta, omnis antiquitas factum fuiſſe agnouit, quarto ſedes Apoſtolica ita huic decreto contradixit, vt non niſi Imperatoris patrocinio, quodammodo præualeret, vt
Liberatus. ſcribit Liberatus capitulo decimotertio, & poſtea in Concilio generali ſcilicet repetere neceſſe fuerit. Can. 36. tandem in Concilio Florentino in litteris vnionis,
Concilium Florent. quod tot annis ambiuerant Græci, Eugenius Papa conceſſit.

Tertio arguitur. Geſta, & iudicata per Romanum pontifi. inueniuntur fuiſſe ſynodice repetita, & examinata in Concilijs generalibus, vt Iudicium Leonis Papæ contra Dioſcorum in Concilio Chalced. Act. primo, & tertio. Item eiuſdem iudicium pro Theodoreto in eodem Concilio Act. octauo. Iudicium ſynodicum Martini Papæ contra Pyrrhum, & Sergium in Concilio generali ſexto act. quarto, & Iudiciũ Nicolai, & Adriani Romanorum Pontific. contra Photium in Concilio generali octauo, ergo iſta concilia generalia apertè oſtenderunt ſuperius illorum iudicium fuiſſe, quam Romanorum Pontifi. ſuperioris enim Iudicis acta non retractantur, nec examinantur ab inferiori Iudice.

Reſpondeo, quòd illa Romanorum Pontif. geſta, & iudicata in propria Patriarchali ſynodo, fuerunt poſtmodum in Concilijs generalibus lecta, & repetita ex ipſa Romani Pontific. ordinatione. Sic enim Dioſcorus Patriarcha Alexand. depoſitus fuit, eo quod Epiſt. Leonis Papæ decretalem in Concilio Epheſino ſecundo legi non permiſerit. Deinde non fuerunt ſic relata per modum examinis, vt arguit Cuſanus, ſed prorſus per modum ſententiæ iudicialis, cui cæteri Epiſcopi parere, ſuaſque ſententias accomodare debebant. Sic enim Epiſtolæ Leonis decretali oportuit totum Concilium Chalced. ſubſcribere, vt patet Act. quarto, atque adeo eius ſententiam definitioni fidei inſerere, vt patet Acto. quinto, Nec vnquam hactenus in vllo Concilio generali à Roman. Pontificibus geſta, & iudicata; fuerunt retractata, ſed potius ad vnguem obſeruata, relecta tamen ſemper, & expenſa diligenter fuerunt ad maiorem omnium ſatisfactionem, & ad ipſius veritatis euidentiam.

Quarto arguitur exemplo Miltiadis Papæ poſt cuius ſententiam iudicauit eamdem cauſam Epiſcopus Arelatenſis, vt teſtatur D. Auguſt. Epiſt. 162. ad Glorium, & Eleuſium, vbi etiam addit Auguſt. Putemus illos Epiſcopos, quæ Romæ iudicarunt, non bonos iudices fuiſſe, *D. Aug.* reſtabat adhuc Plenarium Eccleſiæ vniuerſæ Cõcilium, vbi etiam cum ipſis iudicibus cauſa poſſet agitari; vt ſi male iudicaſſe conuicti eſſent, eorum ſententiæ ſoluerentur, quibus verbis ſenſit Auguſt. iudicium Romani Pontificis poſſe reformari, & mutari per Iudicium Concilij generalis, & conſequenter inferius fuiſſe.

Reſpondeo, quòd Diuus Auguſt. illud dixit; non quia illud ſimpliciter eſſe putabat, ſed quia ad compeſcendos illos importunos hæreticos, illud medium generalis concilij euidentius, & illuſtrius (vt re vera eſt) exiſtimabat; concilij enim generalis definitio euidentior eſt hæreſis condemnatio, & quæ vulgo hominum magis ſatisfacit, quam vnius ſupremi Paſtoris decretum. Tamen non dubitauit Auguſt. quin ſolius Papæ decretum ſufficeret, & ſufficere illis hæreticis debuerit, ait enim Dedit Imperator poſt Miltiadis Romæ Epiſcopi Iudicium, aliud aliorum Epiſcoporum Iudicium: non quia iam neceſſe erat, ſed eorum peruerſitatibus cedens, & omnimodo cupiens tantum impudentiam cohibere. Hæc ille eadem Epiſtol. ſic Optatus libro *Optatus.* primo contra Parmenianum de eadem re dixit. Miltiadis ſententia clauſum iudicium eſt lege Horantium de *Horant.* locis lib. 6. ſub finem.

Quibus adde, quod poteſt ſine dubio cauſa iudicata à Pontifice in particulari Concilio (vt rectè Bellarm. do- *Bellarm.* cet) iterum ab eodem iudicari in generali concilio præſertim in quæſtione facti, quæ pendet ex informationibus, & in qua errare poteſt Eccleſia, qualis erat quæſtio, de qua tunc agebatur: imo etiam ordinarie in dicto concilio generali olim fiebant concilia prouincialia prius in ſingulis prouincijs, & etiam Romæ, & deinde res definita in illis concilijs particularibus, iterum tractabantur in concilio generali, & tunc dabatur vltima, & definitiua ſententia à Pontifice concilio aſſentiente. In illis itaque verbis Diuus Auguſt. non conferebat Papam ſine concilio, cum Concilio ſine Papa, vt nos modo conferimus; ſed conferebat concilium particulare, cui præeſt Papa; cum cõcilio generali cui etiam præſit Papa.

Quinto arguitur. Chriſtus dixit Petro Matth. 18. Si Eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus, ergo non obediens Eccleſiæ, aut concilio eam repræſentanti, debet eſſe Petro, & eius ſucceſſoribus ſicut Ethnicus, & publicanus idest, damnatum à concilio, pro damnato debet Papa habere, quod eſt concilij ſententiæ obedire, & ſubiacere. Et confirmatur hoc exemplo Gregorii Papæ, qui de Ioan. Patriarchæ *D. Gregor. Papa.* contumacia ſcribens. Quicquid (inquit) humiliter facere debui, feci, ſed quia in ea correptione deſpicior, reſtat vt Eccleſiam debeam adire, Regiſt. lib. quarto, epiſt. 38. fatetur ergo Pontifex Eccleſiæ iudicium eſſe ſuo ſuperius.

Reſpon-

Reſpondeo, quòd Chriſtus illa verba non Petro ſingulariter, ſed illi cum alijs omnibus dixit, Illud autem intelligendum eſt extra caſum iuxtæ appellationis, non ſolum ad ipſum petrum, ſed ad quem vis alium legitimum ſuperiorem faciendæ. Excommunicatus enim ab Eccleſia, ideſt à ſuo ordinario pro tali habendus eſt ab omnibus niſi forte appellatione interpoſita. Quare vt illa verba non ſubijciunt ſuperiorem iudicem inferiori, puta epiſcopum Capitulo, aut Archidiacono, ſic neque ſubijciunt Papam Concilio. Et apertè in Concilio Sardicenſi can 7. decretum eſt licere à quo vis Concilio Epiſcoporum ad ſedem Romanam appellare. Ad con- *Concilium Sardicēſe.* firmationem dico, quòd Diuus Gregorius in illis verbis per Eccleſiam intelligit Tribunal ſuum proprium Pontificale; quod non ſine forma ſynodi in cauſa tam graui, vbi patriarcha iudicandus erat, exerceri ſolebat. Nam coetus cum ſuo capite Eccleſia dicitur: Nam vt Cypria- *Cyprian.* nus ait in Epiſtola ad Florentinum, quæ eſt nono libro quarto, eccleſia eſt plebs ſacerdoti adunata, & paſtori ſuo grex adhærens.

Sexto arguitur. Decretis Conciliorum Papa ligatur, & ſubijcitur, nec ab illis recedere poteſt, ergo Concilia ſunt ſuper illum patet antecedens 25. quæſt. prima capi- *Zoſimus. Papa.* tulo, Contra ſtatuta, vbi Zoſimus papa dicit. Contra ſtatuta patrum aliquid condere, vel mutare, nec huius ſedis poteſt authoritas, Hanc ob cauſam Papam ſolemniter profitetur ſe octo vniuerſalia Concilia modis omnibus ſequi, & prædicare, &c. diſt. 16. cap. ſancta.

Reſpondeo, quod Papa Conciliorum decretis ligatur in cauſa quidem fidei, vel in his quæ ad ius naturale ſpectant ſimpliciter, ſed hæc ſubiectio oritur ex parte rerum ipſarum, non ex parte Conciliorum. In illis autem quæ purè iuris poſitiui ſunt, & in iudicijs legitime decernuntur, tenetur quoque Papa obedire, ſed iudicio diuino, non humano, ideſt coram Deo, non ita vt ab hominibus cogi poſſit, vel (vt aptius loquamur) vinculo morali non legali, ideſt vi directiua legis, non coactiua. Et hoc ſenſu pontifices ipſi agnoſcunt ſe aſtringi decretis Patrum, tamen iuxta vocem illam 300. Epiſcoporum in ſynodo ſinueſſana in cauſa Marcellini Papæ, prima ſedes non iudicatur à quoquam tomo primo, Conciliorum.

Concilium Conſtan. Septimo arguitur. In Concilio Conſtantienſi generali ſub Ioa. 23. ſeſſ. quinta, declarat ſancta ſynodus quod illi ſynodo à Chriſto poteſtatem immediate habenti quilibet, obedire tenetur, cuiuſcunque conditionis, ſtatus, aut dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, in his quæ pertinēt *Concilium Baſileen.* ad fidem, &c. eadem ſententia repetitur per Concilium Baſilienſe ſeſſ. 2. & 18.

Reſpondetur primo, quòd decretum illud Concilij Conſtan. non fuit à legitimo adhuc Concilio promulgatum factum eſt enim tempore ſchiſmatis, & ab vna ſola obedientia, ideſt ab illis ſolis epiſcopis, qui Ioan. 23. obediebant, alijs epiſcopis ſub Gregorij, & Benedicti obe- *Caietan.* dientijs agebant non dum coniunctis. Ita reſpondent *Turrecr.* Caietan. in quol. de papa capitulo octauo, Turrecremata de poteſtate eccleſiæ lib. 3. cap. 99. 100. &c. Stapletonus *Stapleton.* controuer. 6. quæſtione tertia, artic. quinto, ad octauum & multi alij Doctores.

Sed certe hæc reſponſio, quamuis de concilio Baſilienſi habeat aliquem veritatis colorem; de Conſtantien- *Corduba.* ſi vero non ita; vt ſapienter docet Pater Corduba vbi ſupra in reſponſione ad nonum. Tum quia Concilium Conſtantienſe vti legitimum habetur in tota Romana Eccleſia, & ab omnibus vt tale veneratur, quia tempore ſchiſmatis, vbi nullus erat certus Papa, legitime potuit celebrari, atque ita in principio medio, & eius fine legitimum fuit. Tum quia approbatio eius facta per Martinum. V. de toto ipſo Concilio indiſtincte loquens, & de decretis eius non eſt cur ad eius partem reſtringatur, neque per hoc ſchiſma, ſed vnio, & legitima eius Concilij etiam in principio, & medio celebratio facta approbatur.

Ideo eſt alia reſponſio, quòd Concilium Conſtantienſe vtique legitimum fuit, & approbatum, ſed quod non pugnat cum his quæ diximus. Non enim definit abſolute Concilia generalia habere à Chriſto poteſtatem ſupra Pontifices, ſed tamen in caſu, ideſt tempore ſchiſmatis, quando neſcitur quis ſit verus papa: Nam dubius papa habetur pro non Papa; & proinde habere ſuper illum poteſtatem, non eſt habere poteſtatem in papam Ita Reſpondent Iacobatius libro decimo, articulo ſeptimo, *Iacobat.* in reſponſione ad vigeſimumquintum, argumen. & articulo ſexto, & libro quinto, articulo decimoſexto, Turre- *Turrecr.* cremata, Sanderus, Campegius, & corduba locis citatis. *Sanderus.*

Cāpegius. Corduba. Nec obſtat, quòd poſtea Martinus ſcilicet approbauit omnia huius concilij decreta in materijs fidei hoc enim intelligit de quæſtionibus fidei, contra Vuiclephum, & Huſſum, ibidem formaliter definitis, & deciſis non autem de omnibus obiter tractatis, quæ ad fidem pertinent. Nam Martinus ipſe diſſerte dicit ſe confirmare tantum ea decreta de fide, quæ facta erant conciliariter, ideſt more aliorum Conciliorum, re diligenter examinata, conſtat autem hoc decretum ſine vllo examine factum à concilio Conſtantienſi Ad Concilium Baſilienſe, quod attinet, & ſi fuerat legitime congregatum, & ab Eugenio quarto approbatum quo ad inchoationem, & proſecutionem aliqualem, nunquam tamen eius decreta ab illo Pontifice approbata fuerunt, Imo ſtatim poſt in Concilio Florentino, ſub eodem Eugenio quarto, contraria ſententia definita fuit, vt ſupra dictum eſt. Nicolaus vero. V. ſolum confirmauit ea, quæ egerat Baſilienſe Cōcilium, circa beneficia, & cenſuras eccleſiaſticas, quæ autem definiuit Concilium de ſua authoritate ſupra pontificem nullus Pontifex probauit, ſed reprobauit ex profeſſo in primis Eugenius quarto, & dictum eſt & apparet ex Concilio Baſileenſi. ſeſſ. 38. deinde Leo. decimo, in Concilio Lateran. vlt. ſeſſ. 22.

Vltimo arguitur Chriſtus dedit Poteſtatem corripiendi eccleſiæ Matth. 18. Dic eccleſiæ. Ergo in caſu peccati eſt Iudex Papæ, quod ſi in caſu, ergo & abſolute. Quemadmodum enim ad eamdem legis authoritatem ſpectant actus puniendi, imperandi, vetandi, permittēdi, ſic etiam ad Iudicis authoritatem. Iudex enim eſt lex animata; & confirmatur ex facto Marcellini papæ, qui in concilio Sinueſſano ab epiſcopis damnatus, & depoſitus fuit. Tū quia petrus non accepit Claues eccleſiæ, niſi in perſona eccleſiæ, vt docet Auguſt. de Agone chriſtiano, capitulo *D. Aug.* quarto, Quare multo magis ipſa eccleſia illas poſſidet, & Conſequenter concilium generale, quod vniuerſam repræſentat eccleſiam.

Reſpondeo, quod præceptum hoc cum ſit de actu iuſtitiæ iudicialis, debet intelligi tam in factis, quam in perſonis tali iudicio ſubiectis. papa autem non eſt ſimpliciter frater ſubiectus tali correptioni iudiciali, quare illa verba Dic Eccleſiæ intelliguntur de ſubdito eccleſiæ, & quidem illius qui frater peccans ſubijcitur, non autem de capite eccleſiæ, ſiue particularis (vt coram ſuis ſubditis accuſetur) vel vniuerſalis, qualis eſt papa.

Ad confirmationem dico primo Marcellinum fuiſſe accuſatum de actu infidelitatis, in quo caſu poteſt Concilium diſcutere cauſam Pontificis, & ſi inueniat re vera eſſe infidelem, poteſt declarare eum eſſe extra eccleſiam, & ſic damnare: ſecundo dico. epiſcopos quidem damnaſſe Marcellinum, ſed poſtea quam ipſe primus ſe ipſe damnauerat, ideſt abdicauerat ſe Pontificatu, nam antea ſæpe elamauerunt patres. Prima ſedes à nemine iudicabitur, tu reus, tu Iudex, noli à nobis iudicari, &c. vide Nicholaum primum epiſt. ad Michaelem.

Ad ſecundam confirmationem dico, quòd Petrus accepit à Chriſto claues in perſona eccleſiæ, ſed propter primatum quem gerebat eccleſiæ, atque adeo, & ſi eccleſia finaliter illas accepit, tamen formaliter Petrus accepit, vt ſupra latius dictum eſt.

∴

ARTI-

ARTICVLVS VII.

Vtrum Concilium Plenarium ſit ſupra Papam in crimine hæreſis, & in notorio crimine ſcandalizante Eccleſiam.

HÆc quæſtio ſupponit, quod Papa non ſolũ in hæreſim, cadere, ſed propriè hęreticus pertinax eſſe põt, ſaltem vt perſona, & Doctor particularis, & etiam vt Papa in fide, & moribus definiendo, & vt iudex ſtatuendo, ſi non faciat quod in ſe eſt, vt diximus artic. 4. Eſt autem latum diſcrimen inter hæc videlicet hominem labi in hæreſim, & hominem eſſe hæreticum; Non enim omnis qui labitur in hæreſim eo ipſo eſt hæreticus, ſed oportet, vt habeat adiunctam pertinaciam, quæ ſi deſit (vt ſupra in quęſt. de eccleſia docuimus artic...) hęreticus dici non poteſt.

Caſtro. Hoc ſuppoſito circa primam partem huius quæſtionis eſt triplex opinio. Prima eſt Patris de Caſtro libro ſecundo, de iuſta hæreticorum punitione, cap. 23. & 24. Quod Papa hæreticus eſt ipſo facto depoſitus: & hoc loquendo ſecundum ius diuinum quoniam ſecundum ius humanum cum Papa ſit totius Eccleſiæ caput, quod in reliqua omnia membra influit, illis omnibus ſenſum miniſtrans ſicut omnes iudicare poteſt; ita à nemine iudicari valet, vt habetur in cap. ſi Papa diſt. 40. & in cap. Nemo. 9. q. 3. & in cap. omnes 2. quæſt. 7. ex quo concludit Papam non poſſe incidere in alicuius eccleſiaſtici Canonis cenſuram, aut pœnam, vt ſunt excommunicatio, interdictũ, ſuſpenſio, depoſitio, irregularitas: Nã omnes iſtæ cenſuræ cum ſint ſolo iure humano decretæ, non poſſunt Papam ligare, ex quibus omnibus neceſſario ſequitur, vt Papa effectus hæreticus non ſit ipſo iure excommunicatus, ea excommunicationis ſpecie, quæ dicitur cenſura Eccleſiaſtica, atque adeo (ex ſolo iure humano loquendo) Papa hæreticus effectus tamdiu erit Papa, quamdiu fuerit ab eccleſia toleratus. Eccleſia verò haud dubiè illum tolerabit, quouſque ſibi conſtet illum iure diuino eſſe depoſitum, aut merito deponendum. Quoniam Paulus V. qui nunc eſt, licet ab hominũ electione habeat, quod ſit Papa, poſtquam tamen electus eſt, non ab hominibus, ſed à Deo habet plenam ſupra totam eccleſiam poteſtatem; & inde euidentiſſimè colligitur, illum non poſſe ob qualecumque crimen ab eccleſia deponi; niſi conſtet ex eodem iure diuino, Eccleſiam propter tale crimen Papam deponere poſſe.

Cæterum iuxta ius diuinum aliter dicendũ eſt. Nam ad ſimpliciter eſſe Papam duo ſunt neceſſaria, quorum alterum eſt ſolum neceſſarium ad fieri, & non poſt factum eſſe, & hoc eſt voluntas ipſius electi, per quam conſentit electioni de ſe factæ: hæc enim eſt neceſſaria ad hoc, vt quis fiat Papa: quia ipſo inuito non poteſt fieri Papa, poſtquam autem iam ſemel conſentit electioni, & factus eſt Papa, iam illius voluntas non eſt neceſſaria ad eſſe Papam: quia & ſi illum pęniteat voluntatis præteritæ, & nolit eſſe Papa, & renunciet Papatui, nihilominus adhuc eſt Papa, quouſque ab his, quibus competit, ſit eius renunciatio acceptata; vt patet in capitulo primo, de renunciatione libro ſexto.

Alterum eſt neceſſarium ad eſſe Papam in fieri, & in facto eſſe; & hoc eſt fides non quidem formata ſed habitualis à ſpe, & charitate diſtincta, quæ datur in Baptiſmo, & de qua Paulus dicit, quòd ſine illa impoſſibile eſt placere Deo, Hæc, inquit, fides eſt neceſſaria ad eſſe Papam, ita vt ſine illa non poſſit fieri Papa, nec in Papatu conſeruari, atque adeo neceſſaria eſt fides; vt ſi Papa hæreticus fiat, ſit ipſo iure diuino dignitate Papali priuatus. Probatur: Papa hæreticus non eſt membrum Eccleſiæ, ergo non eſt caput: conſequentia valet à negatione ſuperioris ad negationem inferioris: antecedens probatur, Eccleſia eſt congregatio fidelium; fide enim copulantur membra eccleſiæ: ſed Papa hæreticus non eſt fidelis, quia caret fide, ergo nec eſt membrum eccleſiæ. Probatur ſecundò, ex D. Paulo ad Roman. 16. obſeruate eos, qui diſſenſiones, & offendicula, præter doctrinam, quam vos didiciſtis faciunt, & declinate ab illis; & ad Galat. 1. Qui Euangelizauerit præterquam quod accepiſtis, anathema ſit, tales denique vocat Paulus lupos qui abducunt diſcipulos poſt ſe Act. 20.

Hæc autem ſententia, quę intelligitur tam de crimine hæreſis occulto, quam manifeſto, videtur eſſe etiam D. Thom. 2. 2. quęſt. 39. articulo tertio, vbi ita ait; poteſtas iuriſdictionis non immobiliter adhæret, vnde in ſchiſmaticis, & hæreticis non manet, vnde non poſſunt verè abſoluere, neque excommunicare, neque indulgentias facere, aut aliquid huiuſmodi, vbi ſatis apparet D. Thom. non ſolum velle, quod in ſchiſmaticis, & hæreticis, non maneat hæc poteſtas, quantum eſt quidem ex merito illorum, & diſpoſitione iuris, ſicut Caietan. in tractatu de author. Papæ, & Concilij capitulo 22. interpretatur, ſed vult D. Thom. plane de facto non manere in eis hanc poteſtatem, vt patet tum ex eius verbis iam recitatis, tum, ex eo quod eodem modo ibi dicit non manere in illis poteſtatem iuriſdictionis, quo ad eſſentiam, quo ibidem dicit non manere poteſtatem ordinis quo ad vſum legitimum, id quod ſine dubio intelligi vult ipſo facto. *D. Thom.* *Caietan.*

Eamdem ſententiam defendit, & confirmat ex teſtimonio D. Thomæ Turrecremata libro quarto, ſummæ par. ſecunda, capitulo 20. Silueſt. verbo ſchiſmatici, numero tertio, vbi dicit hanc eſſe ſententiam non ſolum D. Thomæ ſed aliorum etiam Doctorum concordem, & verbo Papa, numero quarto, & idẽ aſſerit Paludanus in libro de eccleſiaſtica poteſtate relatus à Sliueſtro, quod attinet ad Papam hæreticum, quia nimirum ſit præciſus ab Eccleſiæ corpore, quæ ratio ſimiliter habet locum in ſchiſmatico, Item Auguſtinus Anconitanus in lib. de eccleſiaſtica poteſtate quæſt. 5. artic. 5. & denique hanc ſententiam ſaltem quo ad hæreticum attinet, fatetur ipſemet Caietanus in dicto tract. cap. 18. eſſe illuſtrium virorum, & videri communem. *Turrecr.* *Silueſter.* *Paludan.* *Augu. de Ancona.*

Secunda opinio. Secunda opinio in altero extremo eſt, neque per hæreſim, neque adeo per ſchiſma, cum minus ſit peccatum, amitti vnquam poteſtatem iuriſdictionis Papalis ipſo facto, ſiue peccata ſint occulta, ſiue manifeſta; ſed amitti primum hanc poteſtatem per depoſitionem, & ſententiam eccleſiæ. Hanc ſententiam docet Caietan. vbi ſuprà cap. 20. 21. & 22. & idem videtur ſentire Sotus in 4. diſtin. 22. quæſt. 2. articulo ſecundo, & Canus libro quarto, de locis capitulo ſecundo, & cap. vltimo ad argumentum 12. ſaltem quando hæreſis non eſt manifeſta. *Caietan.* *Sotus.* *Canus.*

Vnde pro hac ſententia notat primo Caietan. quòd aliud eſt Papatus, aliud homo qui eſt Papa, aliud poteſtas miniſterialis, applicans Papatum huic homini. Papatus eſt poteſtas iuriſdictionis ſuper omnes fideles in vtroque foro à Chriſto Domino immediatè inſtituta, vt ſæpe dictum eſt, Homo qui eſt Papa eſt Verbi gratia Paulus, poteſtas autem miniſterialis applicans Papatum huic homini eſt poteſtas Cardinalium eligentium Papam in Eccleſia. Vnde ſicut in naturalibus aliqua cauſa habet actiuitatem ad infuſionem formæ ſeu ad eius vnionem cum materia, non tamen ſuper ipſam formam, vt homo generans coniungit animam rationalem ad corpus organicum, nulla tamen habet actiuitatem ſuper ipſam animam: quia cum ſit ſpiritualis, & intellectiua à ſolo Deo creatur; ita voluntas Cardinalium eligentium Papam applicat Papatum huic homini, Nõ habet tamen authoritatem ſuper ipſum Papatum: quia eſt poteſtas ſpiritualis ſupernaturalis ab ipſo Chriſto inſtituta: eodem modo philoſophandum eſt de poteſtate conficiendi eucharistiam, quæ à ſolo Chriſto inſtituta eſt. Epiſcopus autem conſecrans aliquem in Sacerdotem applicat illam poteſtatem huic homini; eſt tamen differentia inter ipſas cauſas naturales recipientes, & liberas etiam recipientes, quòd cauſa naturalis recipiens nullam habet virtutem actiuam ad coniungendam ſibi formam; vt corpus reſpectu animæ, cui coniungitur nullam habet efficientiam, ſed habet ſe mere paſſiuè. At verò quando cauſa recipiens eſt libera, habet actiuitatem reſpectu talis vnionis: Non enim Paulus fieret Papa niſi præſtet

aſſen-

aſſenſum; nec adultus fieret Sacerdos, nec baptizaretur niſi præſtet aſſenſum Epiſcopo, & baptizanti.

Secundò notat, quòd omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur per eaſdem diſſoluitur. Nihil enim tam naturale eſt, vt eo genere quoque diſſolui poſſit, quo colligatum eſt. Ex quo infert poſſe Papam renunciare papatũ & ecclesia admittere renunciationem, ſicut fecit Cœleſtinus V. In capitulo primo, de renunciatione in ſexto. Secundò infert in aliquo euentu poſſe aliquem priuari papatu, quem ex conſenſu eccleſiæ acceperat.

Tertiò notat, quòd poteſtas eligendi aliquem in Papam, vel deponendi ipſum eſt minor poteſtate papali. probatur: quia mortuo Papa eſt poteſtas in eccleſia eligendi, & in crimine hæreſis poteſtas deſtituendi Papam, in neutro autem caſu ſecluſo Papa eſt in eccleſia poteſtas papalis, vt ipſemet Caietanus probat, vbi ſupra capitulo vndecimo, & ſequentibus. Ex quo infert poteſtatem eligendi, vel deponendi Papam non eſſe ſupra ipſum papatum, ſed ſuper coniunctionem, vel ſeparationem ipſius ad hunc hominem, quia papatus eſt à ſolo Chriſto, coniunctio autem, & ſeparatio eius cũ aliquo, vel ab aliquo, eſt penes eccleſiam. Ex vltimo infert Caietan. quòd Papa, quantumcumque notoriè hæreticus, non eſt ipſo facto depoſitus, ſed poſſe ac debere deponi ab eccleſia.

Argumenta huius opinionis multa ſunt, ſed præcipua ſunt quatuor, & primum eſt tale. Epiſcopus notoriè hæreticus, non eſt ipſo facto depoſitus, ergo nec Papa probatur antecedens ex cap. Maximum 1. quæſt. 7. vbi dicitur. Si Maximus Donatiſta iam non eſt ab epiſcopali, quam quoquo modo adeptus eſt dignitate non repellimus. Si autem eſſet ipſo facto depoſitus; non diceret Papa; non repellimus, ſed reſtituimus.

Secundò probatur exemplo Marcellini Papæ, de quo in cap. Nunc autem diſtin. 21. qui cum flecteret genua Idolis accuſatur apud Concilium, ipſe autem pœnitens ſe Concilio præſentauit, à quo non eſt depoſitus, ſed audiuit tu te ipſum iudica: quia prima ſedes a nemine iudicatur, ſed ſi fuiſſet ipſo facto depoſitus, quamuis pœniteret iam non eſſet Papa abſque noua electione, quã Concilium, non fecit, ergo Papa notoriè hæreticus, non eſt ipſo facto depoſitus.

Tertiò Papa conſtituitur Pontifex per eccleſiam applicans papatũ huic homini, ergo non eſt repellendus niſi per eccleſiam, deponentem. Probatur conſequentia: Ad eumdem enim ſpectat rei abolitio, ſeu deſtructio, ad quem ſpectat eius inſtitutio, vt patet ex cap. Cum ex iniuncto extra de Hæret. ſed poteſtate iuriſdictionis papalis non acquiritur ab aliquo niſi concurrente voluntate eccleſiæ eligentis vel conferentis; ergo non amittitur niſi eadem concurrente.

Quartò arguitur. Cayphas erat notoriè hæreticus; & non amiſit pontificatum, ſed imò fuit infallibilis in fide, vt patet Ioan. 15. ergo nec Papa notoriè hæreticus amittit papatum. patet conſequentia à minori ad maius: maioris enim authoritatis, & dilectionis eſt noſtra eccleſia apud Deum, quam fuit ſynagoga.

Tertia opinio. Tertia opinio media, & quaſi ex duabus prioribus cõpoſita eſt, Papam notorie hæreticum ipſo facto amittere poteſtatem iuriſdictionis, occultum autem non item, donec vel manifeſtus fiat, (vt ſi apertè oppugnet eccleſiam, &c.) vel per eccleſiæ ſententiam declaretur. Hanc ſententiam amplectuntur quicumque arbitrantur non omnino deſinere eſſe membra eccleſiæ, qui externa ſaltẽ profeſſione fidei, & Sacramentorum communicant cũ alijs fidelibus, vt Thomas Vualdenſis tom. 1. lib. 2. quæſt. 9. & 11. Driedo lib. 4. de eccleſiaſticis dogmatibus, cap. 2. par. 2. ſent. 2. & ſent. 7. & Canus lib. 4. de locis cap. 5. ad 12. & Bellarm. lib. 3. de eccleſia cap. 12. & lib. 2. de Rom. Pont. cap. 30. quam etiam Caſtro vbi ſupra capit. 24. in reſpon. ad primum, & ad ſecundum, licet primam probabiliorem exiſtimet. *Thomas. Vualden. Driedo. Canus. Bellarm. Caſtro.*

Et hæc ſententia mihi videtur cæteris probabilior. Primò: quia facilius vitat confuſionẽ, & pericula, quæ alioqui ſequi poſſent in eccleſia, ſi actiones ſchiſmaticorum, & hæreticorum occultorum eſſent ipſo facto inualidæ. Dixi autem facilius, nam etiam per primam ſententiam poſſunt ea incommoda vitari, ſi dicatur in occultis hæreticis, & ſchiſmaticis, quamdiu titulum officij retinent, & communi fidelium opinione legitimi Miniſtri exiſtimantur, Deum per ſe ſupleturum defectum eorum poteſtatis miniſterialis in ijs actionibus, quæ pertinet ad ſalutem ſubditorum, vt reſpondet Turrecremata vbi ſupra capit. 20. ad quartum, & quidam ex ſententia D. Thomæ in 4. diſt. 24. Idem reſpondemus de eo, qui non rite ordinatus epiſcopus publica crearetur, ita etiam Caſtro vbi ſupra ad Chriſtum, ſed vt dixi non eſt dubium, quin tertia opinio declinet hæc incommoda facilius. *Turrecr. D. Thom. Caſtro.*

Secundò videtur hæc tertia opinio probabilior: quia & ſi vnione interna hæreticus occultus, non ſit veè pars, aut membrum eccleſiæ; tamen eſt verè membrum Eccleſiæ externa vnione, per externam nimirũ profeſſionem fidei, & Sacramentorum cultus, iuxta ea quæ diximus in q. de Eccleſia art. 1. atque adeò poteſt talis aliquo modo intelligi cohærere cum reliquo corpore Eccleſiæ, ſic vt retineat in alios poteſtatẽ iuriſdictioni. Tertiò, quia Patres relati proxime in tertia Concluſione huius art. loqui videntur de hæreticis, & ſchiſmaticis manifeſtis, qui palam repugnant eccleſię quales erãt Nouatiani, aduerſus quos diſputabant Cyprianus, & Ambroſius locis citandis, Itẽque Neſtoriani contra quos agebat Cœleſtinus in illa Epiſt. inferius citanda, ſicut etiam in alia ad Ioan. Antiochenum, vbi eadem dicit: & confirmauit hoc ex eo, quod Cœleſtinus ait eiuſmodi hæreticos caruiſſe poteſtate excommunicandi alios poſtquam talia inquit, prædicare cęperunt, id eſt ſuas hęreſes, quod idem dicitur de quocunque epiſcopo in can. Audiuimus. 24. q. 1. ſcilicet neminem poſſe damnare, ex quo hæreſin à ſe confictam prædicare cæperit.

1. Concl. His explicatis reſpondetur ad primam partem dubij per tres cõcluſiones. Prima concluſio. Papa hæreticus mẽtalis ſiuè occultus non eſt ipſo facto depoſitus. probatur quia iuriſdictio datur quidem Pontifici à Deo, ſed hominum opera concurrente, vt patet; quia ab hominibus habet iſte homo, qui antea non erat Papa, vt incipiat eſſe Papa, igitur non aufertur à Deo niſi per hominem; at hęreticus occultus non poteſt ab homine iudicari; nec ipſe ſpõte eam dignitatẽ vult relinquere, ergo &c. Præterea Epiſcopus hæreticus mentalis, non eſt ipſo facto depoſitus, ergo nec Papa, qui non eſt deterioris conditionis, quã epiſcopus. probatur antecedens ex cap. Audiuimus 24. q. 1. Vbi Alexãder Secundus dicit excommunicatum eſſe, qui in corde ſuo nouam hęreſin confinxerit, ex quo eam prædicare cępit, ergo à contrario ſenſu, anteçuam prædicet hereſin, non eſt excommunicatus, & per antecedens nec depoſitus.

2. Concl. Secunda concluſio. Si Papa in hæreſin nondum damnatam, neq; declaratam per eccleſiam notoriè incidit, & paratus eſt corrigi, & eccleſiæ vel Concilij legitimi definitioni ſtare; non eſt hereticus pertinax, nec depoſitus, nec deponendus eſt, nec puniri poteſt. Similiter etiã ſi de hęreſi iam damnata per eccleſiam accuſatus, antequam ſit de hęreſi conuictus, in Concilio ſe corrigit, & confitetur ſe corrigi paratum eſſe, non debet deponi, ſed ſublata accuſatione ſtatum ſuũ retinere poteſt. Secus ſi poſt duas, aut tres monitiones conuictus eſt, tunc. n. recipietur ad pęnitentiam Papatu priuatus ſecundũ Gloſſam & Doctores in c. excommunicamus de hęreticis, & Ægidium. c. ſi Papa. diſt. 40. vbi de hoc latius agit. Lege Iacobatium lib. 9. art. 1. vbi latiſſimè tractat hanc materiam.

3. Concl. Tertia concluſio. Papa notorie hæreticus eſt iure diuino depoſitus: probatur primò, hęreticus notorius non eſt chriſtianus, ſed non chriſtianus non poteſt vllo modo eſſe Papa, ergo hæreticus manifeſtus eſt ipſo iure diuino depoſitus. Maior eſt D. Cypriani lib. 4. epiſt. 2. Athanaſij ſer. 2. contra Arrianos. Auguſt. lib. de gratia Chriſti. c. 22. & Hieronymi contra Luciferianos. Minor ex eo patet, quia non poteſt eſſe caput id, quod non eſt membrum, & non eſt membrum eccleſiæ is, qui non eſt chriſtianus. *Cyprian. Athanaſ. Auguſt. Hierony.*

Reſpondet Caiet. in Apologia pro tract. de authorit. Papæ, & Concilij c. 25. & in ipſo tract. c. 22. Hæreticum non eſſe chriſtianum ſimpliciter, ſed eſſe ſecundum quid: Nam hæc duo faciant chriſtianum fides, & character hęreticus amiſſa fide adhuc retinet characterem, & ratione illius adhuc adhęret aliquo modo eccleſiæ, & capax eſt *Caietan.*

iuridi-

iuriſdictionis, proinde adhuc eſt Papa, ſed deponendus; quia per hæreſim eſt diſpoſitus diſpoſitione vltima ad non eſſe Papam; qualis eſt homo non quidem mortuus, ſed in extremis conſtitutus.

Sed contra: nam in primis ſi ratione characteris hæreticus manet actu coniunctus cum Eccleſia, nunquam poſſet præcidi, & ſeparari actu ab ea: quia character eſt indelebilis, at omnes fatentur, quoſdam poſſe de facto præcidi ab Eccleſia, igitur character non facit hominē hæreticum eſſe actu in Eccleſia, ſed ſolum eſſe ſignum, quod fuerit in Eccleſia, & quod debebat eſſe in Eccleſia. Quomodo character oui impreſſus, quando illa errat in montibus, non facit eam eſſe in ouili, ſed indicat ex quo ouili fugerit, & quo iterum compelli poſſit. Et ſi quis dicat, ꝙ in c. Veniens de presbytero non baptizato habentur hæc verba: Non ſolū per Sacramentum fidei, ſed per fidē ēt ſacramenti, quis efficitur procul dubio membrum Chriſti. Hæc Innocentius. Atqui etiam baptiſmus in eodem cap. dicitur fundamentum. Fateor quidem in illo loco baptiſmum appellari fundamentum, ſed diligenter reſpiciēdum eſt reſpectu cuius dicatur fundamentum, & inuenietur dici fundamentum reſpectu aliorum ſacramentorum. Nam quæſtio illius capituli erat de presbytero non baptizato an ſuſcepiſſet ordinem ſacerdotij, & vt perſuaderet illum non ſuſcepiſſe ſacerdotium, dicit quod deficiente baptiſmo, qui eſt fundamentum aliorum vtique ſacramentorum nullum aliud ſacramentum ſuperędificari poteſt. Quamquam hæc non definiendo, ſed diſputando Pontifex dixit; vt litteram inſpicienti facile conſtare poteſt. At quod baptiſmus ſit fundamentū Papalis dignitatis Pontifex ibi non dixit, nec de illa erat tunc ſermo. Eſto etiā hoc dixiſſet, non tñ diceret baptiſmū eſſe ſufficiens fundamentū, ita vt fides non eſſet ēt fundamētū neceſſariū, quia hoc eſſet apertè repugnare Chriſto, q̄ dixit ſe ſuper fidei confeſſionē, fundaturū Eccleſiā ſuā.

Caſtro. Prętereа ſecundo arguit Pater Caſtro, vel fides eſt diſpoſitio neceſſaria ſimpliciter; ad hoc vt aliquis ſit Papa, vel tantum ad bene eſſe; ſi primum, ergo iſta diſpoſitione ſublata per contrariam, quæ eſt hæreſis, mox Papa deſinit eſſe, neque enim forma poteſt conſeruari ſine neceſſarijs diſpoſitionibus; ſi ſecundum ergo non poteſt deponi Papa propter hæreſim, nam alioquin deberet deponi ēt propter ignorantiam, & improbitatem, & ſimilia, quę tollunt ſcientiam, & probitatem, & alias diſpoſitiones neceſſarias ad bene eſſe Papæ, quod eſt falſum, & ipſemet Caie- *Caietanus* tanus negat in tractatu prędicto. c. 26.

Reſpondet Caiet. fidem eſſe diſpoſitionem neceſſariam ſimpliciter, ſed partialem non totalem, & proinde fide remota adhuc Papam manere Papam propter aliam partē diſpoſitionis, quæ dicitur character, & adhuc remanet. At contra vel totalis diſpoſitio, quę eſt character, & fides: eſt neceſſaria ſimpliciter: vel non, ſed ſufficit partialis; Si primum, ergo remota fide non amplius remanet diſpoſitio neceſſaria ſimpliciter: quia totalis erat neceſſaria ſimpliciter, etiam amplius non eſt totalis. Si ſecundum, ergo fides non requiritur niſi ad bene eſſe, atque adeo propter eius defectum Papa deponi non poteſt. Deinde, quæ habēt vltimam diſpoſitionem ad interitum paulo poſt deſinunt eſſe ſine vlla vi externa; igitur & Papa hæreticus ſine alia depoſitione, per ſe deſinit eſſe Papa.

Præterea D. Paulus ad Titum. 3. iubet hæreticum poſt duas correptiones. i. poſt quam manifeſtè appatet pertinax vitari, & intelligit ante omnem excommunicationē, & ſententiam iudicis, vt ibidem ſcribit D. Hieronymus, *Hierōym.* vbi dicit, alios peccatores per ſententiam excommunicationis excludi ab Eccleſia; Hæreticos autem per ſe diſcedere, & præcidi a corpore Chriſti: at non poteſt vitari Papa manens Papa. Quomodo enim vitabimus caput noſtrum? quomodo recedemus à membro nobis coniuncto?

Denique ſancti Patres concorditer docent non ſolum *Cyprianus* hæreticos eſſe extra Eccleſiam, ſed etiam ipſo facto carere omni iuriſdictione, & dignitate Eccleſiaſtica. Cyprianus lib. 1. epiſt. 6. ad Magnum. Dicimus, inquit, omnes hæreticos, & ſchiſmaticos nihil habere poteſtatis, ac iuris. & lib. 2. epiſt. 1. docet hæreticos ad Eccleſiam redeuntes ſuſcipiendos, vt laicos, etſi antea in Eccleſia Presbyteri, vel Epiſcopi fuerint. *Ambroſ.* Ambroſius lib. 1. de pœnit. cap. 2. de hæreticis Nouatianis loquens. Eccleſię, inquit, vtrumque licet, (ſcilicet ligare & ſoluere) hæreſi vtrumque non licet. *Optatus.* Optatus lib. 1. contra Parmenianum ait, hæreticos, & ſchiſmaticos non poſſe habere claues regni Cœlorum nec ligare, aut ſoluerre. *D. Aug.* D. Auguſtinus in Enchiridio. cap. 65. loquens de criminibus, ob quæ quis à corpore Eccleſiæ ſeparetur. Rectè, inquit, conſtituuntur ab ijs, qui Eccleſiæ præſunt tempora pœnitentiæ, vt fiat etiam ſatis Eccleſiæ, in qua remittantur ipſa peccata: extra Eccleſiam quippe non remittuntur (per poteſtatem. ſ. iuriſdictionis) *D. Hieron.* Ipſa namque propriè Spiritum Sanctum pignus accepit, ſine quo non remittuntur vlla peccata. Idem docet D. Hieronymus contra Luciferianos. Non quod Epiſcopi, inquit, eſſe poſſint, qui hæretici fuerunt, ſed quod conſtaret eos, qui reciperentur hæreticos non fuiſſe. Idem aſ- *Beda.* firmat Beda ſuper Matth. cap. 18. Quicumque, inquit, ab vnitate fidei, vel ſocietatis Petri Apoſtoli quomodolibet *Cęleſtinus. Papa.* ſe ipſos ſegregant, tales nec à vinculis peccatorum abſoluunt, nec ianuam poſſunt regni cœleſtis ingredi. Cœleſtinus Papa Primus in epiſt. ad Ioan. Antiochenum quæ habetur in Concilio Epheſino tom. 1. cap. 19. Si quis, inquit, ab Epiſcopo Neſtorio, aut ab alijs qui eum ſequuntur; ex quo talia prædicare cœperunt, vel excommunicatus, vel exutus eſt, ſeu Antiſtitis ſeu cleri dignitate, hunc in noſtra communione, & duraſſe, & durare manifeſtum eſt, nec iudicamus eum remotum, quia non poterat quēquam eius remouere ſententia, qui ſe iam præbuerat ipſe remouendum. Et in epiſt. ad Clerum Conſtantinopolitanum. Sedis, inquit, noſtræ ſanxit authoritas, nullum ſiue Epiſcopum, ſiue Clericum, ſeu profeſſione aliqua Chriſtianum, qui à Neſtorio, vel eius ſimilibus ex quo talia prędicare cœperunt, vel loco ſuo, vel cōione deiecti ſunt, vel eiectum, vel excōicatum videri, quia neminē *Nicol. I* deijcere, vel remouere poterat, qui prędicans talia titubauit. Idē repetit, & cōfirmat Nicolaus I. epiſt. ad Michaelē.

Ex hac concluſione ſequitur corollariè ꝙ Papa notoriè hæreticus de damnata hæreſi ſi monitus non curat deſiſtere, non indiget depoſitione, ſed tantum declaratione, *Antonius. Roſellus.* ipſum eſſe à iure priuatum, vt docet Antonius Roſellus *Iacobat.* Aretinus in ſua Monarchia in tract. Concilij, vbi dicit, vt *Aegidius.* refert Iacobatius vbi ſup. quod ita intelligit. ca. Achatius. 24. q. 1. vbi Achatius non diffitebatur errorem ſuum, vel erat ita notorius, quod non erat aliqua defenſio. c. olim. de te iudicat. Vnde tunc declarabitur incurriſſe pœnas cōtra hæreticos. cap. cum ſecundum de hæreticis in 6. Idem docet Aegidius in cap. eiectionem 79. diſt. vbi docet quod talis ſic notorius, & monitus & incorrigibilis, non damnatur per Concilium, ſed ipſo facto fuit damnatus diuinitus per os Apoſt. ad Titum 3. & eſt precīſus ab Eccleſia, vt in dict. cap. Achatius, & deſijt eſſe caput ipſius Eccleſiæ. Vnde dicit ꝙ hunc Concilium generale habet ſuper his inquirere veritatem, & ſi repererit eum hæreticū notorium in emendatum, habet curare, ꝙ tota Eccleſia recedat ab eo tamquā ab Eccleſia reprobato, & eiecto, & *Hugo.* poteſt pręcipere ꝙ nullus participet cum eo, vt dicit Hugo in cap. Anaſtaſius. 19. diſtin. & vltra habet curare ne gregem Domini inficiat, vt perpetuo inuitetur ad pœnitentiam peragendam: vt in ca. excommunicamu. §. ſi qui autem de hæreticis, vel ſi in errore pertinaciter perſeueret forſan finaliter ex ordinatione Concilij debebit degradari, & tradi curię ſeculari, iuxta notata in c. cum non ab homine de iudi. & in c. degradatio de pœnis in 6. Nec propterea ſequitur in iſto caſu, ꝙ Concilium eum eijciat, ſed iam eiectum declaret ex quo deſierat eſſe Papa: quia iam nudatus non exuitur. c. frequens de reſtit. ſpolia. in 6. Poterit itaq; Concilium declarare eum eſſe lapſum in hęreſim, & priuatum papatu, quia poſtquam eſt confeſſus, & incorrigibilis, & de hæreſi conuictus, eſt effectus notorius hæreticus, & deſijt eſſe Papa 24. quæſt. 1. Achatius, & tunc Concilium non dicitur iudicare Papam ſed priuatum papatu, & vt perſonam priuatam eum iudicat, nam quam diu manet Papa non poteſt ab aliquo iudicari: qm̄ non hēt maiorē in mundo ſupra ſe, vt dic. c. Nemo 9. q. 9.

Et ex hoc patet defectus Caietani dicentis poſſe Papam hæreticum ab Eccleſia deponi vere, & ex authoritate. Nam ſi Eccleſia inuitum Papam deponit certè eſt *Caietan.* ſupra Papam, cuius oppoſitum in illo ipſo tractatu. Idem

Digitized by Google

Caietanus defendit. Nec valet reſponſio Caiet. ꝙ Eccleſia Papam deponens non habet authoritatem in Papam ſed ſolum in illam coniunctionem perſonæ cum pontificatu; vt etiam Eccleſia poteſt coniungere pontificatum cum tali perſona, & tamen non dicitur propterea eſſe ſupra Pontificem, ita poteſt ſeparare pontificatum à tali perſona in caſu hęreſis, & tñ non diceretur eſſe ſupra Pontificē. Videtur. n. in ſe tam practica, & grauis nimis tenuis hęc ſpeculatio Caietani. Nã haud dubiè Eccleſia puniret eũ, qui eſt Papa, atque adeo eum qui aliqua ratione. ſ. per poteſtatem papalem eſt Eccleſia ſuperior, licet non vt talis perſona. Cum autem communiter, & verè dicitur parem vel inferiorem non poſſe punire ſuperiorem ſe, non ſolum dicitur, quod non poſſit punire ſuperiorem, quatenus formaliter ſuperior eſt; ſed omnino non poſſe inferiorem punire eum, qui vndecumq; tandem ſuperior eſt. Alioqui non faceret contra hoc axioma Iudex aliquis, & miniſter Principis, ſi ſuum Principem morte puniret v. g. propter homicidium; non. n. illum morte multaret formaliter, vt Principem, ſed vt hominem vita præditum, in qua ratione formali omnes homines ſunt pares.

Neque valet Caiet. exemplum de electoribus, qui habent poteſtatem in Papam: Nam dum res ſit actio exercetur circa materiam rei futuræ, non circa compoſitum, qd nondum eſt, at dum res deſtruitur exercetur circa compoſitum, vt patet in rebus naturalibus. Itaq; Cardinales dum Pontificem creant exercent ſuam authoritatem nõ ſupra Pontificem; quia nondum eſt; ſed circa materiam, id eſt, circa perſonam, quam per electionem quodammodo diſponunt, vt à Deo pontificatus formam recipiat, & ſi Pontificem deponerent neceſſario exercerent authoritatem ſupra compoſitum, id eſt, ſupra perſonam pontificia dignitate præditam, id eſt, ſupra Papam.

Ad argumenta primę ſententiæ.

Ad argumenta primæ ſententiæ. Ad primum dico, fidem interiorem non eſſe neceſſario requiſitam ad dignitatem papalem, ſed ſatis eſſe exteriorem fidei confeſſionē, quam qui habuerit; quamuis fide interiori careat, poterit dignitatem pontificiam, quam habet conſeruare. atque adeo licet hæreticus manifeſtus nullo modo ſit Eccleſiæ membrum, id eſt, neque animo neq; corpore, ſiue neque vnione interna neq; externa, hæretici tñ mẽtales, ſiue occulti ſunt vniti & sũt mẽbra Eccleſiæ ſola externa vnione.

Ad rationem ergo cum dicitur Papa hæreticus non eſt membrũ Eccleſiæ, ergo &c. diſtinguo antecedens, ſi intelligatur de heretico manifeſto cõcedo; ſi de occulto nego; ad probationem dico, ꝙ Eccleſia eſt Congregatio fideliũ, vel interna fide, vel externa fidei confeſſione, atque adeo, & ſi Papa hæreticus occultus non ſit fidelis interna fide, poteſt tamen dici fidelis externa confeſſione fidei, & hoc ſufficit ad hoc, vt ſit membrum Eccleſiæ. Ad ſecundũ dico, ꝙ verba Diui Pauli intelliguntur de hæreticis manifeſtis, vt verba ipſa præſeferunt. atque ita intelligendus eſt D. Thomas.

Ad Argumenta pro ſecunda opinione reſpondetur, & ad primum dico, ꝙ non valet conſequentia. Epiſcopus nõ eſt iure diuino priuatus epiſcopatu ſi ſit hæreticus, ergo nec Papa; & ratio diſcriminis eſſe poteſt, quia fieri potuit, vt Deus de Papa hoc ſtatueret & non de cæteris; quia Papa plus toti Reipub. Chriſtianæ nocere poterat, quã quiuis alius Epiſcopus, ſi vterque illorum eſſet hæreticus, ob quam cauſam rectè potuiſſet Deus Papam hæreticũ priuare, alio quouis Epiſcopo hæretico non priuato. Neque ob hoc cenſenda eſſet papalis dignitas peioris cõditionis, imò multo melioris, quoniam non permitteret ſecum hæreſim ſicut dignitas Epiſcopalis.

Secundo dico, ꝙ falſum eſt antecedens videlicet, ꝙ Epiſcopus hæreticus manifeſtus non ſit iure diuino priuatus dignitate Epiſcopali; qm idem de Epiſcopo cenſeo dicendũ eſſe, quod de Papa; non. n. Epiſcopalē dignitatē, & poteſtatem ex ſola humana, & eccleſiaſtica commiſſione habet Epiſcopus; ſed eã habet a Deo, quoniam & ſi ritus cõſecrationis Epiſcopi ſit ab Eccleſia ſtatutus, poteſtas tamē Epiſcopalis iuriſdictionis, non ab homine, ſed à Deo eſt illis conceſſa; vt doctè & ſapienter demonſtrat Alphonſus de Caſtro contra hæreſes in verbo Epiſcopus, & nos ſupra aliqualiter tetigimus. Oēs. n. ſacri Doctores docēt Epiſcopos ſuccedere Apoſtolis, quod etiã patet ex Concilio Florentino in decreto fidei, vbi Concilium certam fidei regulam Armenis deſcribens, cum de Sacramento Confirmationis diſſerit hæc verba ait: Ordinarius miniſter eſt Epiſcopus: Et cum cæteras vnctiones ſimplex ſacerdos valeat exhibere, hanc non niſi Epiſcopus debet conferre, q̃tia de ſolis Apoſtolis legitur (quorum vicem tenent Epiſcopi) qd per manus impoſitionē Spiritum Sanctũ dabãt. Hæc Cõcilium. Apoſtoli autem, vt apertiſſimum eſt, à Deo, & non ab homine vllo, fuerunt ordinati Apoſtoli, & Epiſcopi, vt ex multis ſacræ ſcripturæ locis conſtat.

Caſtro.

Conciliũ Florent.

Ad probationem, fateor hæreticos epiſcopos, quando ad vnitatem Eccleſiæ redeunt, ſolere recipi ad ſuas ſedes, quamquam hoc male probat Caiet. per illud Cap. Maximum. 1. q. 7. Quoniam Maximus ille, de quo ibi eſt ſermo poſtquam ab hæreſi Donatiſtarum ad eccleſiã redierat, ordinatus fuit epiſcopus, in quo gradu exiſtens non fuit lapſus in hæreſim, ſed quia male, & contra eccleſiaſticos canones, ex laico ſine vllo temporis interuallo in minoribus ordinibus ſeruato ordinatus fuerat epiſcopus, ideo dubium erat an in epiſcopali dignitate manere deberet. Cui quæſtioni Leo Papa reſpondet, quod licèt reprehenſibiliter ordinatus, ab epiſcopali tamen dignitate non repellatur, dummodo libellum ad Papam mittat, quo catholicum ſe eſſe teſtetur; itaque c. illud nullo pacto noſtro ſeruit propoſito, quod facile conſtare poterit legenti epiſt. Leonis 85. ex cuius c. 3. ſumptum eſt illud c. Maximum. & cap. Donatum.

Vnde hoc quod Caiet. probare vult, multo melius probaſſet per c. Conuenientibus. 1. q. 7. quod ex actis 7. Synodi, quæ fuit ſecunda Nicena ſumptum eſt; Illic. n. decretum eſt, vt Epiſcopi, q. à fide catholica defecẽrt reſipiſcentes in ſuis ſedibus tunc reciperentur. Sed hoc non ex neceſſitate iuris, ſed ex quadam miſericordiæ diſpenſatione factum eſt, vt apertiſſimè conſtat per cap. ſiquis hæreticæ. 1. q. 1. Nam etſi epiſcopi hæretici manifeſti ſint iure diuino ſua epiſcopali dignitate priuati, eccleſia tamen ex rationabili cauſa diſpenſat aliqñ, vt reuerſis ad fidem dignitates priſtinæ reſtituantur, & talis reſtitutio pro noua electione, aut noua prouiſione habenda eſt. Quemadmodũ clericus homicida, eo ipſo quod cõmiſit homicidium incurrit irregularitatem, & eſt priuatus beneficio, quod habebat, ſi tamen ex quadam miſericordia per Papam cum illo diſpenſetur, & beneficium illi reſtituatur, talis reſtitutio pro noua collatione æſtimanda eſt.

Ad ſecundum, nego Marcellinum fuiſſe hæreticũ: quia licet in confeſſione fidei aduerſus parata, & iam intentata tormenta ſatis conſtans non fuit: tñ fidem quam mente tenebat non amiſit, at opus exterius non eſt hæreſis ſed ſolus internus aſſenſus, vel diſſenſus quamuis ex ipſo opere vehemens aliquando oriatur hæreſis ſuſpicio, ita vt illum mente ita credidiſſe merito putetur, ſicut ſuum opus exterius demonſtrat, vt docet Caſtro lib. 1. de punit. hęreticorum. c. 1. Verum hę ſuſpiciones hominum ſunt, qui de occultis certam non poſſunt dicere ſententiam.

Quod vero Marcellinus veram non amiſerit fidē, ſatis aperte conſtat per id, quod habetur in ca. Nũc autem diſt. 21. Ibi enim dicitur ꝙ compulſus à Paganis grana thuris ſuper prunas impoſuit; ſi compulſus ergo non ex libera fecit voluntate, ſed vt tormenta vitaret. Tormenta autem ſatis vitabat per ſolum opus exterius, ſiue errore intellectus: quia gentiles, quibus ſolis tunc placere curauit, non interiorem mentis fidem, ſed opus exterius cernere poterant. Deinde ſi gratis demus illum tunc perdidiſſe fidē, tñ non eſt cenſendus hereticus, quoniam defuit illi pertinacia, quę ſummè neceſſaria eſt, vt quis meritò dicatur hæreticus, vt habetur ex cap. dixit Apoſt. 24. q. 3. Marcellinus autem ad cor reuerſus, & ſui delicti acerbiſſime pœnitens in publico Epiſcoporum Concilio ſuam inconſtantiam confeſſus eſt, & libens iudicio ſe ſubdidit ſacerdotum, qui humiliter illius aſpicientes confeſſionem, nullam in illum auſi ſunt ferre ſententiam, ſed ipſemet in ſe tulit ſententiam, & ſeipſum depoſuit dicens. Ego Marcellinus ob ſcelus idololatriæ, quod infelix cõmiſi, iudico me deponendũ, & anathematizo ẽt quicũque tradiderit corpus meũ ſepulturæ, & ſtatim pergẽs ad Diocletianũ vltro cõfeſſus eſt ſe eſſe Chriſtianũ, & capitalē ſuſcipiẽs ſententiã martyrio coronatus eſt, cuius corpus p 30. dies iacuit inhumatũ.

Poſtea

Poſtea autem B. Petrus apparuit Marcello, qui ei in Pontificatu ſucceſſerat, & præcepit ei, vt caput Marcellini ſepeliret iuxta ſe, & ſepeliuit illud ſecus pedes B. Petri.

Secundò dico. Quamuis Marcellinus fidem mente retinuerit, propter exteriorem infidelitatẽ eo ipſo fuiſſe ex iure diuino ſua dignitate priuatum, nã vt ſupra diximus fundamẽtum, ſuper quod eccleſiaſtica poteſtas fundatur, non eſt ſola fides interior, ſed exterior fidei confeſſio, atq; adeò qui exteriori confeſſione fidei caret, eſt ipſo iure priuatus. Cum tñ Marcellinus à toto Concilio, corã quo ſuã culpã confeſſus eſt, toleratus fuit, eo ipſo tacitis ſuffragijs fuit iterum in Pontificem ſummum electus, & Pontifex fuiſſet, niſi ipſe ſeipſum tali dignitate priuaſſet.

Ad tertium nego conſequentiam: qu s.n. homo catholicus eſt, qui hanc non irrideat conſequentiam: Papa eligitur ab homine, ergo nõ poteſt deponi à Deo; & multo magis ridendus erit, qui illam probare pergat per illam regulam iuris. Ad quem pertinet inſtitutio, pertinet deſtitutio, cum illa regula, quæ ad coercendos temerarios hominũ auſus à iure ſtatuta eſt ad diuinam potentiam accommodare velit; quaſi illa aliquid, quod non liceret intenderet, & ob id certis limitibus ab humano iudicio ſtatutis eſſet cohibẽda. Deinde & ſi gratis illis demus regulã eſſe vbiq; veram, non tamen eo ſenſu quo ab illis accipitur. Nam regula illa, vt ex decurſu illius capituli facilè conſtare põt; in hunc ſenſum data eſt, ꝙ nullus inferior poteſt deſtituere illum, qui à ſuperiore inſtitutus eſt. vnde Presbyter ſi malus eſt, non poteſt à plebe deponi, ſed ab Epiſcopo, vt Papa ibi probat, ita Epiſcopus non põt à capitulo ſed à Papa deponi, & ita concederem ego Papam qui à Cardinalibus electus eſt, non poſſe ab alia poteſtate ipſis Cardinalibus inferiore deponi, ſed ex illa regula haud colligitur, vt inſtitutus ab aliquo non poſſit à ſuperiore deſtitui, nã ſacerdos ad curam animarum ab Epiſcopo inſtitutus poteſt per Papam ab eadem cura deponi, imò etiã ab Archiepiſcopo Metropolitano, ſi cauſa propter quam deponendus eſt, ſit ad Archiepiſcopum deuoluta. Cum igitur illa regula concedat inſtitutori alicui poteſtatem deponendi illum, eo ipſo eandem poteſtatem conceſſiſſe videtur cuicumq; habenti ſuper inſtitutorem poteſtatem. Ex inde ſequitur, vt Deus, qui Cardinalibus & tota Eccleſia ſuperior eſt, poſſit voluntate ſua, & iure à ſe edito deſtituere Papam, qui à Cardinalibus fuit electus. Deſtituit autem ille hæreticum à Papatu, qñ firmiſſimo Decreto ſtatuit Eccleſiam ſuam fundari ſupra fidem, aut ſupra apertam fidei confeſſionẽ. Tertio dico, nõ omne id requiri ad deſtructionẽ rei, qđ requiritur ad eius conſtitutionẽ, cum malũ ſit ex quocumq; defectu bonum autem ex integra cauſa.

Ad quartum dico, ꝙ non eſt ſimile de Pontificatu veteris, & nouæ legis, nam licet illud circa ſpiritualia verſaretur: quia tñ non erat illi data fides pro fundamẽto, illa ſecluſa conſiſtere illud valebat, ita vt quamuis hæreticus fieret, non eſſet eo ipſo ſacerdotio priuatus, at longè aliter ſe habet poteſtas Eccleſiaſtica in lege Euangelica: qm̃ hæc fundata eſt ſupra firmam petram, hoc eſt, Catholicã fidẽ, hac igitur euerſa, neceſſe eſt vt tota Eccleſiaſtica poteſtas, quæ illi innitebatur corruat. Secundò probandum eſſet, Caypham fuiſſe notoriè hæreticum, quod arguẽs non facit, fuiſſe aũt Caypham hominem moribus perditum ex Euangelijs vtiq; colligi põt, fuiſſe aũt hæreticũ minimè.

2. pars art. Quoad ſecundam partem dubij, dico, ꝙ ſi crimen Papę eſt ita notorium, & nociuum Eccleſiæ, vt ipſe ſæpè admonitus à proceribus Eccleſiæ manet adhuc ita incorrigibilis, vt inde iam immineat valde probabiliter ruina Eccleſiæ, ſiue fidelium circa fidem; puta quia fideles illũ imitantes credunt ſe licitè agere, quod illicitum eſt, tunc vtique põt accuſari, & denunciari apud Concilium, non vt puniatur, vel deponatur, ſed vt ibidẽ melius, & efficacius corripiatur, & eius abuſionibus, & periculo prædicto obuietur, vel Eccleſiæ catholicę prouideatur, & ad id poteſt Concilium generale congregari etiam eo inuito Et ſi quęratur, qũo tunc tale concilium congregabitur, reſpondet Iacobatius lib. 8. art. 1. & 3. in 3. remedio, & Sylueſt. verbo Concilium. q. 4. & verbo Papa. q. 15. Quod prius Papa reuerenter requirendus eſt à Cardinalibus, & Regibus vt Concilium cogat, quod ſi noluerit tunc ipſi, vel etiam Epiſcopi de diuerſis Prouincijs interueniẽte Imperatoris, vel Regum fauore, & authoritate, etiam Papa inuito, ad effectum tantùm prouidendi periculo Eccleſiæ, & abuſionibus Papæ; quod intelligens etiam quando notorium crimen Papę eſt tantùm in periculum morum Eccleſiæ generaliter, ita vt per eius malum exemplum vaſtentur mores, & leges Eccleſiæ, puta per exorbitantiſſimas, & Simoniacas paſſim legum diſpenſationes, & ad plura beneficia indignis notoriè collata, & quando per alia eiuſmodi vniuerſaliter vaſtatur Eccleſia, idem namque eſt iudiciũ, quando in moribus ſicut quando in fide periclitatur Eccleſia. Nam & fides ad mores, rectumque cultum Dei ordinatur, & ad ſalutem vtrumque neceſſarium eſt.

Obſeruandum eſt tamen, ꝙ tale Concilium generale in caſu prædicto, quamuis legitimum, non tamen integrum, ſiue perfectum eſt, ob defectum authoritatis, & cõſenſus Papæ ipſius; Ideo ſolum poteſt ibidem Papa accuſari, vel potius extraiudicialiter denunciari, & reuerenter reprehendi, atque moneri, vt vel ſic confuſus efficacius emendetur, non poteſt tamen deponi, neque vllo modo à Concilio puniri: quia nullus, nec ipſa vniuerſalis Eccleſia, neque Concilium illam repręſentãs habet poteſtatem ſupra Papam, neque ipſe poteſt ab aliquo iudice in terris iudicari, pro quocumque crimine, vel quacumq; cauſa excepta notoria hæreſi, & ſchiſmate eam annexam habente, vt tradunt omnes Doctores, quos citat Caiet. in quol. de Papa lib. 3. c. 98. & ſequentibus. lege Iacobatium lib. 9. art. 12. & Sylueſt. tit. Papa q. 4. & 15. & tit. Concilium. q. 3. Et Cordubam lib. 4. quæſt. Theolog. q. 5. & 6. Poteſt tamen in eodem Concilio tractari, & proponi qũo prædictis abuſionibus Papæ reſiſtatur, etiam inuocato brachio ſęculari Imperatoris & Principum ad remedium illius. Quod certè abſque Papæ punitione, & coactione, & poteſtatis eius limitatione multipliciter fieri poteſt etiam impediendo. & puniendo participes in ſcelere. atque ita per indirectum erit cauſa correctionis ipſius Papæ, de quo latius tractat Corduba loco citato q. 10. & conſequenter poteſt à Concilio fieri declaratio. quod id eſt peccatum, & diſpẽſatio fieri non poteſt. At quoniam dictum Concilium vt diximus nondum perfectum eſt, ideò in alijs cauſis, ſiue negotijs, niſi in ſupradicto negotio, & pertinentibus ad ipſum ſe intromittere, aut diſponere non poteſt ſine Papæ conſenſu, vel authoritate, quia non eſt niſi vt cõgregatio quædam conſtituens poteſtatem quandam ex ipſis tantũ congregatis cõſtitutam ad defenſionẽ & remediũ Eccleſiæ, ideo, vt dictum eſt, nullam maiorem poteſtatem habet. vide Sylueſt. tit. Papa. q. 4. & Caiet. vbi ſup. c. 16. *Corduba.* *Silueſter. Caietanus*

Secundo obſerua: quod in omnibus his cauendum eſt primò, ꝙ quantum fieri poteſt ſemper ſeruetur illibata authoritas Papæ, & cum debita eius reuerentia omnia fiant. ſecundò maximè cauẽdum eſt ſcandalũ, tam in ipſo Concilio congregando, quàm in modo ibidem procedendi, & poſtea exequendi, ne tunc, vel poſt ſchiſmata fiant, & alia incommoda, quæ ex huiuſmodi Concilijs contra voluntatem Papæ congregatis facile poſſunt ſuboriri. Ideò dum his incommodis ſufficienter prouideri non poſſet melius eſſet Concilium non cogi, ſed alijs remedijs vti; de quibus lege Iacobatium loco ſupra citato. Et Cordubam. q. 10. *Iacobat. Corduba.*

Si autem quæras, quando crimen papæ dicatur notorium, & Eccleſiam ſcandalizans: reſpondet Iacobat. lib. 8. art. 4. quòd tunc eſt, quando poſt aliquot monitiones Cardinalium, vel Principum adhuc ipſe Papa ſua crimina proſequitur, ita ꝙ apud Prælatos, & Proceres Eccleſiæ etiam ſi ſint ſæculares pro maiori eorum parte, qui poſſunt intereſſe Concilio, tale crimen notorium, & ſcandaloſum eſt: quamuis enim non ſcandalizentur omnes fideles Eccleſiæ: quia vel non vident, vel quia ignorant, vel non credunt dicentibus Papam id commiſiſſe: at verò ſi apud ipſos Eccleſiæ magnates notorium, & ſcandaloſum eſt, tunc dicitur totam Eccleſiam ſcandalizare. Quia Eccleſia in ſcripturis capitur pro prælatis eius. Matthę. 18. & multis alijs in locis. Notorium autem facti, de quo agimus, dicitur quod non dubitatur à populo, vel à maiori eius parte ſecundum Doctores vtriuſque iuris, & propriè dicitur in facto permanente vel continuato. Pernicies verò Eccleſiæ tunc dicitur, quando eius leges, & mores paſſim vaſtantur, & violantur per exorbitantes diſpenſationes legum, & indignas beneficiorum prouiſio- Quando crimen Papæ eſt notorium & ſcandalizans Eccleſiam.

nes notoriè & communiter factas, & huiuſmodi de quibus latius agit Corduba, vbi ſup. q. 9. & 10.

QVAESTIO TERTIA.

De Concilijs.

Qui de Concilijs ſcripſerũt.

DE hac materia tractant in primis libri ipſi Cõciliorum. deinde multa extant in decretis Gratiani, Iuonis, Bucaroli, Martini Bracarenſis. Item pauca quædam legi poſſunt apud Hilarium in libro de Synodis. Iſidorum lib. 6. Etymologiarum. c. 16. Bedam lib. de ſex ætatibus in Conſtantino 4.

Et præter hos veteres ſcripſerunt multi recentiores, vt Thomas Vvald. lib. 2. Doctrin. fidei. ca. 26. & 27. Ioan. de Turrecremata. lib. 3. Summæ de Eccleſia. Ioan. Gerſon in tractatibus varijs de poteſtate Eccleſiæ & Conciliorũ. Dominicus Iacobatius in libris 10. de Concilijs. Dionyſius Carthuſianus in libris tribus de Concilijs. Ioannes Eccius in Enchiridio. Iodocus Chilhoueus in defenſione Concilij Senonenſis. & Iodocus Ziletanus in defenſione Concilij Tridentini. Caietanus in opuſculis: Albertus Pyghius lib. 6. Hierarchiæ eccleſiaſticæ. Ioan. Cochleus in libro de Concilijs. Roffenſis contra Lutherum. art. 28. & 29. Cardinalis Hoſius in explanatione Symboli. c. 28. & lib. 2. cõtra prologomena Brentij. Petrus à Soto in defenſione ſuæ confeſſionis contra Brentium. Canus lib. 2. de locis Theologicis. Alphõſus à Caſtro lib. 4. de hæreſibus. Franciſcus Horãtius lib. 2. de locis cõtra Caluinũ. Stapletonius Cõtrouerſ. 6. q. 3. & Bellarm. lib. 1. & 2. de Concilijs & Eccleſia. Diuiditur aũt hæc q. in 9. articulos.

Art. 1. Vtrum ad ſummum Pontificem tantùm ſpectet cõgregare generalia Concilia.
Art. 2. Vtrum ſoli Epiſcopi debeant Concilio intereſſe.
Art. 3. Vtrum ſoli Epiſcopi, & maiores Prælati habeant in Concilijs votum deciſiuum.
Art. 4. Vtrum ſolus Summus Pontifex debeat in Concilio præſidere.
Art. 5. Vtrum Concilium generale legitimè congregatum poſſit errare.
Art. 6. Vtrum Concilium generale legitimè congregatum vbi non adeſt Papa perſonaliter; ſed tantũ eius legati poſſit errare in fide, & morib. ante confirmationem.
Art. 7. Vtrum Concilia prouincialia, & Epiſcopalia poſſint errare in cauſis fidei, & morum.
Art. 8. Vtrum Concilia, quæ ſunt infallibilis veritatis per Papæ præſentiam, vel per eiuſdem confirmationem, ſint inter diuinas litteras computanda.
Art. 9. Vtrum aſſignari poſſint aliquæ certæ regulæ, quibus cognoſcatur quæ decreta Conciliorum, & quæ approbata à Papa ſint de fide, quæ verò non.

ARTICVLVS I.

Vtrum ad Summum Pontificem tantum ſpectet congregare generalia Concilia.

PRo explicatione tituli obſer. eſt primò, ꝙ nomen Concilij, vt inquit Iſidorus Etymologiarũ lib. 6. c. 16. tractũ eſt ex more Romano, tempore. n. quo cauſę agebantur cõueniebant oẽs in vnũ, cõiq; intentione tractabant. Vnde Concilium à cõi intentione dictum eſt, quaſi conſiliũ, & conſilium quaſi conſidiũ d. littera in l. tranſeunte. vel Concilium dicitur à concio cõcionis: quia ibi plures conciuntur. i. cõuocantur, & congregãtur. Albericus in dictionario dicit Conciliũ dictũ à ſocietate multorũ in vnũ; & forte ẽt non ab re dici poſſet Concilium quaſi concinnium, ſicut concinnare, eſt cõuenire, conſentire, & cõponere: quia in Concilio exiſtentes conueniunt, inuicẽ conſentiunt & componunt. Vnde nomine Concilij idẽ ſignificatur in Eccleſia quod nomine Comitiorũ in Regnis. Nam quemadmodũ cũ oritur controuerſia in Repub. conueniunt in vnũ Principes Regni vel Magiſtratus, ac ſtatuunt, quid facto opus ſit, ita in Eccleſia cũ oritur controuerſia aliqua de Religione conueniũt Pręſules Eccleſiarũ, & ſimul collatis ſtatuunt quod bonũ videtur. ita actũ videmus act. 15. vbi primũ cœperunt Cõcilia Chriſtiana celebrari, ac deinceps ſingulis ætatib. Vnde ſequitur Conciliorũ originẽ non eſſe humanã, & naturali ratione excogitatã, vt contendit Albertus Pyghius lib. 6. de cœleſti Hierarchia c. 1. ſed planè diuinã. Apoſtoli. n. qui pleni erant Spiritu Sancto, non, niſi Spiritu Sancto admonẽte, primũ Concilium cõgregaſſent, & ex illis verbis Chriſti Dñi Matth. 18. Vbi fuerint duo vel tres cõgregati in nomine meo &c. Calcedonenſe Concilium in epiſt. ad Leonẽ, & 6. Synodus act. 17. Cęleſtinus Papa in epiſt. ad Conciliũ Epheſinũ. & Conciliũ Toletanũ 3. non procul ab initio docent Concilia eſſe demonſtrata.

Origo Cõciliorum Diuina nõ humana eſt.

Secundo obſer. eſt quinque eſſe Conciliorũ genera ſecundum Inno. in c. graue de pręben. quędã. n. ſunt generalia, quædã nationalia, quędã prouincialia, quędã diœceſana, & quædã regularia. membrorum triũ primorũ meminit ẽt D. Aug. lib. 2. contra Donatiſt. c. 3. vbi dicit Cõcilia Prouinciarũ, vel ẽt maiora, qualia ſunt regionũ, emendari à Concilijs plenarijs. 4. membri meminit Conciliũ Toletanum 4. cap. 25. Quinti verò fit mentio in c. in regulis, & in c. ea quæ de ſtatu Monachorum.

Innocent. Papa. Quinque ſunt Concilia generalia. *D. Aug.*

Generalia dñr ea, quibus intereſſe poſſunt, & debẽt Epi totius orbis, niſi legitime impediantur, & quibus nemo rectè pręſidet niſi Summus Pontifex, aut alius eius nomine inde. n. dñr œcumenica, id eſt, orbis terrę totius Concilia.

Nationalia dñr, in quibus conueniunt Archiepiſcopi & Epi vnius Regni, vel nationis, quibus præeſt aliquis Patriarcha, vel Primas: qualia ſunt multa Cõcilia Romana, Toletana, & Africana. de quibus illud notandum eſt, ea licèt ſint re vera diſtincta à generalibus, & Prouincialib. vtrorũque nominibus interdũ appellari vocãtur. n. Concilia vniuerſalia, quia ſunt generalia in illo Regno, non aũt abſolutè, dicũtur verò prouincialia, quia certis Prouincijs continentur, non autem ad omnes Chriſtianos pertinent, ſicut verè generalia.

Prouincialia dicuntur, in quib. Conueniunt tm̃ Epiſcopi vnius Prouincię, quibus pręeſt Archiepiſcopus, ſeu Metropolitanus, & huius generis ſunt plurima in tomis Conciliorum, & de his videtur loqui 7. Synodus act. 3. cum ait ſe amplecti ẽt deciſiones localiũ Conciliorum, & de hoc & nationali habet. in c. ſicut. de accuſ. & in c. graue. ca. de officijs. legat. & in c. ſi Epiſcopus Metropolit. cum tribus ſequentibus 18. diſt.

Diœceſana, quæ etiam Synodalia appellari ſolent, ſunt in quibus conueniunt tantũ presbyteri vnius epiſcopatus, & ijs Epiſcopus pręeſt, cuius generis pauciſſima exiſtunt, nec immeritò, nam vix dici poſſunt Cõcilia, cum in eis ordinariè nullus ſit, qui iuriſdictionem habeat, pręter vnum Epiſcopum, qui preeſt.

Cõcilia Regularia ſunt capitula religioſorum, de quibus in c. in ſingulis, & in c. ea quę de ſtatu Monachorum. Textus tamen iuncta Gloſſa in cap. Conuenientibus. 1. q. 7. facit tantùm duo genera Conciliorum videlicet vniuerſalia vbi præeſt Papa, vel legatus; alia vero localia, ideo fortè ſic dicta, quia aſtringuntur certo loco.

Tertio obſer. eſt, ꝙ Conciliũ 2. modis dr̃ vniuerſale, vt notat Alexandrinus in c. 1. diſt. 15. priori modo Conciliũ dicitur vniuerſale; quando ex toto orbe congregatur Concilium, & de iſto loquitur textus in d. c. conuenientibus, & hoc D. Aug. loco citato vocat plenarium. ſecũdo modo dicitur Concilium vniuerſale reſpectu authoritatis, puta, quia Papa aliquibus conuocatis de vna prouincia, vel de Curia decernit, qđ vult vniuerſaliter obſeruari; & hoc ſatis põt dici vniuerſale Conciliũ, vel Canon vniuerſalis Concilij. & hoc modo intelliguntur. c. Iſidorus 16. diſt. ca. celebritatem de conſecrat. diſt. 3. & c. Nunc aũt. 21. diſt.

Conciliũ duob. modis dicitur generale.

Quartò obſer. eſt. ꝙ Conciliorum quędã ſunt ab Apoſtolica ſede approbata, atq; ab Eccleſia vniuerſa recepta: quędã oĩno reprobata: quędã partim approbata, partim reprobata: quædam nec approbata, nec reprobata. quod mẽbrum poſtremum in Concilijs particularibus potiſſimum locum habet. Concilia generalia approbata, numerantur hucuſque decem & octo. Primum eſt Nicenum, tempore Conſtantini, & Sylueſtri Papæ, in quo conuenerũt Epiſcopi 318. vt referunt Epiphanius, hæreſi 69. Hilarius in lib. de Synodis. Ambroſius in præfatione librorum de fide. Hieronymus in Chronico, & Theodoretus lib. 1. c. 7.

Cõcilia generalia ꝗ ſint ad Apoſtolica ſede approbata.

Secun-

Digitized by Google

Secunda Synodus eſt Conſtantinopolitana, quę celebrata eſt Theodoſio Seniore Imperatore & Damaſo Papa, conuenerunt Epiſcopi ex diuerſis prouincijs 150. Eſt autem aduertendum in hoc Concilio neminem interfuiſſe ex prouincijs Occidentalibus, ſiquidem Damaſus Papa Romæ coegerat Synodum Occidentalium, atque ad eum locum inuitauerat Epiſcopos, qui Conſtantinopoli conuenerat, vt eo modo Romæ celebraretur Concilium pleniſſimum: ſed quia Patres Orientales iuſtis de cauſis Romam venire non poterunt, accepit Damaſus excuſationem eorum, & animis, & ſententijs duæ illæ Synodi coniunctæ ſunt, ac ſi vna & eadem fuiſſent, atque propter huiuſmodi coniunctionem habita eſt Synodus Conſtantinopolitana vna ex œcumenicis, & legitimis Synodis. lege Theodoretum lib.5.hiſt.c.10.

Tertia Synodus eſt Epheſina prima, quæ coacta eſt Theodoſio Iuniore Imperatore, & Cœleſtino I. ſummo Pontifice, in qua conuenerunt Epiſcopi 200.

Liberatus. Eugarius.

Quarta Synodus eſt Calcedonenſis. ſub Leone I. Pontifice Maximo, & Martiano Auguſto, in qua adfuerunt Epiſcopi 630. vt docent Liberatus in Breuiario. c.11.& ſequentibus, & Eugarius lib.2.hiſt.c. 2.3.& 4.

Pſellus.

Quinta Synodus eſt Conſtãtinopolitana Vigilio ſũmo Põtifice & Iuſtiniano Seniore Imperatore, in qua cõuenerunt Epĩ 165. vt tradit Pſellus. vnde obſer. eſt, ꝙ ea Synodus, quę ſub Agapeto, & Mena celebrata eſt, quęque in 2. tomo Conciliorũ ſub nomine quintæ Synodi quatuor actionibus continetur, non eſt quinta Synodus generalis, ſiquidem illa particularis fuit, & quintam Synodum anteceſſit, vt diſertis verbis docent Ioan. Zonaras in vita Iuſtiniani & Nicephorus lib.17.c.9.

Zonaras. Nicephorus.

Paulus Diaconus. Beda.

Sexta Synodus celebrata eſt apud Conſtantinopolim tempore Conſtantini 4.& Agathonis Papæ, in qua adfuerunt Epiſcopi 289. vt Paulus Diaconus teſtatur, vel 150. vt ſcribit Beda de ſex ætatibus prope finem, ſed cum priori numero concordat 7. Synodus act.3.

Pſellus.

Septima Synodus apud Nicęam congregata eſt tempore Conſtantini, & Irenæ, & Adriani Papæ, in qua conuenerunt Epiſcopi 350. vt Pſellus docet.

Octaua Synodus eſt Concilium quartum Conſtantinopolitanum, quod celebratum eſt Adriano II. ſummo Pontifice, & Baſilio Auguſto, in qua conuenerunt Epiſcopi 383.

Nonum Concilium eſt Lateranenſe primum Epiſcoporum 900.& amplius anno 1123. contra Saracenos pro recuperanda terra ſancta tempore Caliſti II. & Henrici quinti Imperatoris.

Decimum eſt Concilium Lateranenſe ſecundum Epiſcoporum mille. anno 1139. contra Antipapas, & pro iure cleri tempore Innocentij II.& Lotharij Imperatoris.

Vndecimum eſt Lateranenſe tertium Epiſcoporum ferè 300. pro reformatione Eccleſiæ & contra Vvaldenſes anno. 1180. tempore Alexandri III.& Friderici primi Imperatoris.

Duodecimum eſt Lateranenſe. quartum Patrũ 1283. ex quibus erant Epiſcopi 473. anno 1215. contra varias hæreſes & pro terra ſancta; tempore Innocentij III.& Friderici 2. Imperatoris.

Tertiumdecimum eſt Lugdunenſe primũ anno 1245. contra Imperatorem Fridericum, & pro terra Sancta tempore Innocentij IV. & Friderici 2. extant huius Concilij aliqua decreta in 6. decretalium.

Decimumquartum eſt Lugdunenſe ſecundum Patrũ ferè mille, ex quibus erant Epiſcopi 774. contra errorem Gręcorum tempore Gregorij X.& Rodulphi Imperatoris.

Decimumquintum, eſt Viennenſe Epiſcoporum 300. anno 1311. contra varias hæreſes, tempore Clementis V. & Henrici ſeptimi Imperatoris.

Decimumſextum eſt Florentinum (omitto Piſanum, Conſtantienſe, & Baſilienſe, de quibus poſtea) anno 1449. Patrum 141. qui ſubſcripſerunt, & multorum aliorum, qui ante ſubſcriptionem diſceſſerant, vt in fine Concilij annotatur, contra errores Græcorum tempore Eugenij IV.& Alberti Imperatoris,

Decimumſeptimum eſt Lateranenſe. SS. Patrum 114. contra ſchiſmata, & pro varijs negotijs tempore Iulij II. & Leonis X. & Maximiliani Imperatoris cœpit anno 1512. finem habuit 1517.

Gaſparus.

Decimumoctauum eſt Tridentinum anno Domini 1545. inchoatum anno 1563. finitum contra hæreſes Lutheranorum tempore Pauli III. Iulij III. ac Pij IV.& Caroli V.& Ferdinandi Imperatorum. numerus Patrum his verbis deſcribitur à Gaſparo Villapandęo diſputatione. 5. de Concilio Tridentino. Adſunt, inquit, ſex Cardinales quatuor Legati, Patriarchę tres, Archiepiſcopi triginta-duo, epiſcopi ducenti vigintiocto, Abbates quinque, Generales ordinum Mino. ſeptem epiſcoporum procuratores plurimi.

Ex his Concilijs nullum eſt, quod non ſit à Pontifice probatum, & à catholicis recipiatur, nam de primis octo Concilijs patet ex decreto diſt.16. Canon. ſancta octo; de nouem ſequentibus Synodis ex eo patet eſſe probatas, quod in eis præfuerit Summus Pontifex, de vltima patet ex confirmatione Pij IV. At Græci tantùm recipiunt prima ſeptem concilia, vt notum eſt ex Concilio Florentino Seſſ.5.& 6. Lutherani autem tantùm recipiunt prima ſex, vt patet ex Magdeburgenſibus. cent.8.c.9.& cent.9.cap.9. Eutychiani, qui adhuc inueniuntur in Aſia tantùm recipiunt prima tria. Neſtoriani, qui etiam in Oriente reliqui ſunt, tantùm recipiunt prima duo. Trinitarij qui in Hungaria, & Polonia nunc verſantur nullum recipiunt.

Concilia generalia reprobata.

Concilia generalia reprobata ſunt hæc, quę ſequuntur. Primum eſt Concilium Antiochenum, in quo damnatus fuit Athanaſius, & via patefacta ad euerſionem Concilij Nicęni primi.

Secundum eſt Mediolanenſe epiſcoporum pluſquam 300. in quo obliquè fides catholica damnata eſt.

Tertium eſt Ariminenſe Epiſcoporum 600. In quo ſublatum eſt de ſymbolo nomen (conſubſtantialem Patri.)

Quartum eſt Epheſinum ſecundum tempore Theodoſij Iunioris. In quo factione Dioſcori occiſus eſt ſanctus Flauianus epiſcopus Conſtantinopolitanus, & legati Leonis Roman. Pont. fugati, ac demum hæreſis Eutychiana confirmata, reprobata fuit hæc Synodus à Leone in epiſt. ad Clerum & populum Conſtantinopolitanum.

Quintum eſt Concilium Conſtantinopolitanum ſub Leone Iſauro contra ſacras imagines. Sextum eſt Concilium aliud Conſtantinopolitanum ſub Conſtantio Capronymo contra ſacras imagines, reprobatum eſt hoc concilium in ſeptima Synodo actione ſexta ſeptimum eſt cõcilium Piſanum anno 1511. congregatum ab Imperatore, & Rege Galliæ, & aliquot Cardinalibus contra Iulium ſecundum, & reprobatum paulò poſt in Concilio Lateranenſi ſub Iulio II. Seſſ. 2. octauum numerari poteſt Concilium Vrtembergenſe, quod Lutherani generale vocant 300. Paſtorum præſide Luthero anno 1536. vide Cochlæum in actis Lutheri, & Suriũ in Com. rerum in orbe geſtarum anno 1536.

Concilia partim reprobata, & partim confirmata. Hilarius. Socrates. Sozomenus. Theodoretus.

Concilia partim reprobata, & partim confirmata ſunt ſex. Primum eſt Sardienſe Epiſcoporum 376. anno Domini 351. tempore Conſtantij & Iulij I. ex quibus 300. epiſcopi fidem catholicam confirmarunt, quam exponit Hilarius in lib. de Synodis. Reliqui 76. epiſcopi Orientales fidem Arianam ſcripſerunt teſte Socrate. lib.2.cap.16. Sozomeno. lib.3.cap.10.& 11.& Theodoreto. lib.2.cap.7. & 8.

Secundum eſt Concilium Smirmenſe, quod celebratum eſt annis quinque poſt Sardicenſe Liberio Sũmo Pontifice, & Cõſtantio Imperatore. In hoc Concilio duę formulæ fidei diſſentientes inter ſe editę ſunt. Vnam compoſuit Græcè Marcus Arethuſius Martyr, quæ creditur eſſe, eam quam Hilarius in lib. de Synodis prope finem vt catholicam explicat. Alteram alij compoſuerunt Latinè planam aperta blaſphemia, quam Hilarius reprehendit in lib. de Synodis non procul ab initio. In eodem etiam Concilio Photini hæreſis damnata eſt, quam damnationem omnes Eccleſiæ probauerunt.

Tertium eſt Concilium Quini ſextum in quo continẽtur Canones Trullani; appellatur autem hoc Concilium Quini ſextum, quia hæc Synodus non eſt 5. nec 6. ſed Canones addidit quintæ, & ſextæ Synodo. Nam poſt celebratam quintam, & ſextam Synodum Epiſcopi redierunt Conſtantinopolim, & in Palatio, quod dicitur

Trullum 102. Canones ediderunt, qui dicuntur Trullani, vt patet ex 7. Synodo act. 4.

Hi Canones partim reprobati ſunt; quia non interfuit Summus Pontifex nec per ſe, nec per legatos dum iſti Canones ferrent. & aperte Sergius Papa, qui tunc ſedebat reprobauit erraticam iſtam Synodum vt ait Beda in lib. de ſex ætatibus in Iuſtiniano, partim vero approbati fuerunt, quia & ſi Canones illi ex ſe nullam vim habeant, tamen aliqui poſtea probati ſunt, à Pontifice, aut alijs legitimis Concilijs, qualis eſt canon. 82. de pingendis imaginibus, receptus ab Adriano Papa, & 7. Synodo, vt patet ex ipſa 7. Synodo act. 2. & 4. *Beda.*

Quartum eſt Concilium Francofordienſe; quod celebratum eſt ſub Adriano. I. Pont. & Carolo Magno Rego Francorum, quod Concilium ab Adriano confirmatum fuit, quantum ad eam partem in qua definitur Chriſtum non eſſe filium Dei adoptiuum, & ab eodem reprobatur, quantum ad alteram partem, in qua ex errore damnatur. 7. Synodus.

Quintum eſt Concilium Conſtantienſe Patrum fere mille ex quibus Epiſcopi amplius 300. incolatum ſub Io. XXIII. anno 1414. Finitum ſub Martino V. & Sigiſmundo Imperatore. Hoc Concilium quantum ad primas Seſſ. vbi definit Concilium eſſe ſupra Papam, reprobatũ eſt in Concilio Florẽtino, & Lateranenſi vltimo. Quantũ ad vltimas Seſſiones & ea omnia, quæ probauit Martinus V. ab omnibus Catholicis recipitur.

Sextum eſt Concilium Baſilienſe incolatũ anno 1431. & continuatum Baſileæ ac deinde Lauſannæ vſque ad annum. 1449. Quo tempore ceſſit Nicolao V. Pontifici tam Concilium, quam Papa Felix quintus in ſchiſmatæ ab ipſo Concilio creatus. Huius Concilij nihil eſt ratum, & probatum, niſi quædam diſpoſitiones circa beneficia, quę à Concilio factæ fuerant, quas (pacis & vnitatis gratia) Nicolaus prædictus approbauit. Concilium vero ipſum reprobatur in Concilio Lateranenſi vltimo. Seſſ. 11. Concilium generale, nec approbatum, nec reprobatum videtur eſſe Concilium Piſanum. quod anno 1409. depoſuit Gregorium. XII. & Benedictum XIII. & elegit Alexandrum Quintum. Siquidem Sanctus Antoninus 3. part. tit. 22. §. 2. & 3. Summæ Hiſt. aſſerit Conciliabulum illegitimum, non verum Eccleſiæ Concilium fuiſſe, & euentus idem oſtendiſſe videtur, coactum enim Concilium fuit ad ſchiſma tollendũ, ſed tamen illud non ſuſtulit ſed auxit. Si autem ſine dubio fuiſſet reprobatum etiam ſine dubio Alexander Sextus, ſe non ſextum, ſed quintum appellaſſet, Adde quod eſt ferme communis opinio Alexãdrum & qui eum ſucceſſit Ioãnem fuiſſe veros & indubitatos Pontifices, ac certe ex tribus, qui tum ſe pro Põtificibus gerebant iſti maxime vt veri Pontifices celebrantur.

Conciliũ generale, nec approbatũ, nec reprobatũ *D. Antoninus.*

Quarto obſer. eſt q. Concilia ob ſex cauſas celebrari ſolent. prima cauſa eſt hæreſis noua ideſt nunquam antea iudicata propter quamcauſam coacta ſunt prima ſeptem generalia Concilia, vt primum Nicęnum cõtra Arianos. Primum Conſtantinopolitanum contra Macedonianos. Epheſinum contra Neſtorium. Chalcedonenſe cõtra Eutychetem ſecundum Conſtantinopolitanum contra Anthymum, & contra Origeniſtas. Tertium Conſtantinopolitanum contra Monothelitas, qui vna tantum in Chriſto voluntatem ponebant ſecundum Nicenũ contra Iconomacos. quartum Conſtantinopolitanum contra Phocam Patriarcham circa proceſſionem Spiritus ſancti à Patre filioque. Lateranenſe tertium contra Vvaldenſes. Lateranenſe quartum contra errores Abbatis Ioachim. Conſtantienſe contra Vviclefiſtas & Huſſitas. Florentinum contra errores Græcorum, & Tridentinum contra Lutheranos, & Caluiniſtas.

Concilia ob ſex cauſas celebrãtur.

Secunda ſchiſma inter Romanos Pontifices. hac. n. de cauſa celebratum eſt Concilium tempore Cornelij, item aliud tempore Damaſi, & rurſum alia temporibus Symmachi, Innocentij II. & Alexandri III. & Piſanũ, atq; Cõſtantienſe temporibus Gregorij XII. & Benedicti XIII.

Tertia eſt reſiſtentia cõi hoſti totius Eccleſię, hoc modo contra ſunt concilia ſub Vrbano II. Caliſto II. Eugenio III. alijsq; Pontificibus pro bello contra Saracenos. Item ad deponendum Imperatorẽ celebrata ſunt Concilia, à Gregorio III. contra Leonem III. Iconomachum, à Gregorio VII. contra Hericum 4. ab Innocentio VII. contra Federicum ſecundum.

Quarta cauſa eſt ſuſpicio hæreſis in Rom. Pont. ſi forte accideret, vt eſſet Tyrannus incorrigibilis. tũc. n. deberet congregari generale Concilium, vel ad deponendũ Pontificem ſi inueniretur hæreticus, vel certe ad admonendum ſi in moribus videretur incorrigibilis vt dictum eſt ſupra.

Quinta cauſa eſt dubitatio de electione Rom. Pont. ſi enim Cardinales non poſſent, aut non vellent Pontificem creare, aut certe ſimul omnes perirent, aut aliunde fieret vere dubium ad quos pertineret eiuſmodi electio, ad Cõcilium generale ſpectaret decernere de electione futuri, Pontificis, quamquã non eſt veriſimile id aliqñ euẽturũ.

Sexta eſt reformatio generalis abuſuum, & vitiorum, quæ in Eccleſiam irrepunt; tam etſi .n. ſolus Pontifex poteſt leges toti Eccleſiæ præſcribere, tñ longe ſuauius res agitur, cum approbante Concilio Generali Summus Põtifex eiuſmodi leges præſcribit. Hunc videmus omnia ferè generalia concilia canones ediditſe de reformatione. lege Turrecrematam. lib. 3. c. 9. & 10.

His pro titulo quæſtionis explicatis circa propoſitã difficultatem eſt triplex opinio. Nam Heretici huius temporis eam authoritatem Imperatori attribuunt. His moti rationibus. Quia omnia generalia Concilia, Imperatores & Principes Chriſtiani congregaſſe videntur. ſic. n. in omnibus primis generalibus Concilijs factum legimus. Concilium Nicenum primum Conſtãtinus Magnus miſſis per totum orbem litteris Epiſcopos conuocauit Conſtantinopolitanum Theodoſius Magnus. Epheſinum Theodoſius Iunior Chalcedonenſe Martianus Imperatores conuocarunt, vt ex Hiſt. Eccleſ. patet.

Triplex opinio de quęſito. Prima opinio.

Secundo Socrates ſcribit in proęmio lib. 5. Hiſt. Eccle. ex quo tempore Imperatores cęperunt eſſe chriſtiani, qđ maxime concilia de illorũ ſententia, & facta ſunt, & fiũt.

Tertio Epiſcopi ipſimet in Concilio Conſtantinopolitano diſerte fatentur in literis ſuis ad Damaſum Papam, quod authoritatem litterarum Imperatoris ad Romanũ Concilium vocati fuerant.

Quarto ipſe Pontifex Romanus ſupplex fuit Imperatoribus pro congregandis Concilijs Leo Papa. n. ſcribit ad Theodoſium iuniorem. Pietas veſtra ſuggeſtioni, & ſupplicationi noſtræ dignetur annuere, vt intra Italiam habere iubeatis Epiſcopale Concilium. epiſt. 11. Sed hoc impetrare non potuit. Epheſi. n. celebratum fuit, idq; breuiori tẽpore, quam poſtulauerat Papa, vt patet epiſt. 13. eiuſdem Leonis ad Imperatorem data. Similiter cũ à Martiano Imperatore idem Papa petijſſet. vt Synodum differret, vt patet epiſt. 44. ad eundem, & debuit Papa Imperatoris voluntati acquieſcere imo ſcribit Liberatus in Breuiario. c. 12. quod Romanus Pont. cum multis Epiſcoporum genibus prouolutis Valentinianum Imperatorem Romę agẽtem deprecatus eſt, vt Theodoſium Imperatorem hortaretur alia fieri Synodum &c. ergo Congregare concilia Imperatorum proprie erat nõ Romanorum Pontificum. *Liberatus.*

Aliorum ſententiam fuit q. ad Cardinales ſpectet conuocare concilium. Tum quia Cardinales ſunt, qui eligũt Papam, & ſede vacante ſuccedunt in iuriſdictionalibus, in ijs videlicet, quæ ſunt vtilitatis Eccleſiæ, & neceſſitatis, & indigent celeritate; vt patet in multis iuribus & Gloſſis vnde ſi eligunt videtur conſequens quod ad eos ſpectet diſponere, quæ ſunt electo neceſſaria. Tum quia in Concilio iudicatur etiam de factis Papę, & Papa ſi ad eum ſpectaret differet congregare. Tum quia non eſt conueniẽs. vt à poteſtate eius, qui iudicandus eſt, dependeat aut iudicetur. Quid. n. ſi nollet congregare, vel non poſſet, vel ſi oſtenderet ſe velle congregare, & diſpergeret. quia impedimenta occulte interponeret dubitãs de ſe propter ſua demerita. Quis diceret Concilium tunc ab alio cõgregari non poſſe, niſi qui vellet Eccleſiam ponere in manibus vnius, qui fidem Chriſtianam, & ſtatum vniuerſalis Eccleſiæ abſque vllo remedio libere poſſet funditus perdere.

2. Opinio.

Item caſu quo Papa efficeretur hæreticus non dubium quod tunc ad alium ſpectat conuocatio Generalis Concilij, vt patet ex tempore Marcellini Papę, qui cum Idolis thurificaſſet illico cõgregati ſunt Epiſcopi, vt diſcuterẽt

quid

Digitized by Google

quid agendum, vt in c. Nunc autem 21. diſt. Igitur ad quem melius, quam ad Cardinales, qui ſunt pars corporis Papæ 6. q. 1. §. verum. c. Felicis de pœnis. in 6. Simile poteſt poni exemplum de duobus contendentibus de papatu, vt in c. ſi duo 69. diſt. ſimiliter in cedente, in furioſo, in amente, & ſimilibus.

Poſtremo congregatio Concilij fieri conſueuit ex arduis cauſis per quas, vel fides, vel ſtatus vniuerſalis eccleſiæ turbatur. Hoc autem ſi contingat in inferioribus papa, poſſunt omnes per papam puniri, & etiam ſi Cardinalis eſſet deponi, iuxta poſita in c. 2. de cler. non reſid. & in c. 1. de ſchiſ. in 6. Vnde ex quo inferiores poſſunt per Papam puniri, non videtur quo ad eos neceſſariam eſſe Concilij congregationem; ſequitur ergo quod principalius ſit neceſſaria contra papam, vt ſi eſſet hæreticus, vel eccleſiam Dei ſuis deprauatis moribus ſcandalizaret, ergo ſi contra eum; non videtur conueniens, quod ab eo fiat congregatio, alioqui poſſet ſequi, quod ad notorium hæreticum ſpectaret Cōcilij congregatio, vt ſi papa eſſet notorie hæreticus, vel antiqui ſchiſmatis fautor, & incorrigibilis, & hæreſum fomes, & Concilij congregatio ad eum ſpectaret, non tam Concilij eſſet congregatio, quam chriſtianæ religionis diſſipatio.

3. opinio. Tertia, & catholica ſententia eſt, quod ad papam ſpectat conuocare Concilium perfectum, de quo modo loquimur adeo quod in nullo caſu ſine pontificis authoritate poteſt conuocari verum, & perfectum Concilium. probatur primo ex ſacris litteris. Nam Concilium eccleſiæ non eſt legitimum, niſi congregetur in nomine Chriſti, vt dicitur Matth. 18. Congregari autem in nomine Chriſti, nihil aliud eſſe videtur, quam congregari authoritate Chriſti, hoc eſt ab eo, qui à Chriſto habeat congregandi facultatem: nam in ſcripturis illud in nomine, vbique fere accipitur pro eo, quod eſt ex authoritate, vt Marci vltimo. In nomine meo demonia eijcient. Ioan. 5 Ego veni in nomine patris mei. Matth. 7. non ne in nomine tuo prophetauimus? Acto. 4. in qua virtute, aut in quo nomine hoc feciſtis. At Chriſtus eccleſiam ſuam gubernandam in Cœlum aſcendens petro, & ſucceſſoribus eius commiſſit, vt probauimus. q. præcedenti: ergo qui congregantur ab eo, qui petro ſuccedit in nomine chriſti congregantur, atque adeo ad ſolum ſummum pontificem ſpectat congregare Concilia.

Secundo probatur ex vetuſtiſſimo eccleſiæ Canone, qui iubet non oportere abſque Romani pontificis ſententia concilia celebrare. & confirmatur. quia hunc veterē *Iulius Papa.* canonem Iulius papa obiecit Græcis Epiſcopis, abſque eius conſenſit concilium Antiochiæ de fide celebranti- *Socrates.* bus. Refert enim Socrates lib. 2. cap. 13. ſcripſiſſe Iulium contra leges eccleſiæ illos egiſſe, quod illum ad conciliū non vocaſſent. Nam legem eſſe ad Sacerdotij dignitatē ſpectantem, quæ pronunciat acta illa irrita eſſe, quæ preter ſententiam Romani Epiſcopi conſtituuntur. Rurſū confirmatur: quia hic canon in concilio Niceno 1. latus *Iulius Papa.* eſt. Sic enim ſcribit Iulius papa in epiſt. 1. ad Orientales. Canonibus (inquit) in Nicæna Synodo iubentibus non debere preter ſententiam Romani pontificis vllo modo concilia celebrari, eſt autem canon. 20. vt nunc illi cano- *Alphon. Piſan.* nes recenſentur ab Alphonſo Piſano, in libello de actis, & canonibus. Nicę. concilij. Sed & Marcellus papa hoc *Marcellus Papa.* idem ab Apoſtolis conſtitutum fuiſſe in epiſt. decretali affirmat. & recitat Iuo. 4. par. c. 240. porrò in alia euſdē *Iuo.* Iulij epiſt. ad Orientales, quam totam in Apologia ſecun- *Athanaſ.* da Athanaſius complexus eſt idem affirmatur. In epiſt. quoque Athanaſij, & aliorum Epiſcoporum Ægyptiorū ad Felicem papam. Idem ad verbum repetitur. poſtquā à Damaſo papa in epiſt. ad tria concilia Affricana, ac demū *Iuſtinian.* à Iuſtiniano Imperatore. Cōſt. nouella. 131. Nulla inquit vnquam Synodus rata legitur, quę ab Apoſtolica B. petri ſede; non fuerit fulta. ſed & ante eum in concil. chalced. act. 1. Dioſcorus Alexandriæ patriarcha accuſatur, quod Synodus auſus eſt facere ſine authoritate ſedis Apoſtol. quod nunquam rite factum eſt, nec rite facere licuit. & in eodem concil. act. 10. aperte dicitur. Quod legati Apoſtolici ſemper in Synodo prius loqui, & confirmare ſoliti ſunt.

Preterea in concilio Romano 4. ſub Symmaco, in quo cum Rex Theodoricus diceret ſe Synodum conuocaſſe, vt iudicaretur cauſa Symmachi Papæ. Reſponderūt Epiſcopi omnes, à papa non à Rege debuiſſe vocari Synodū, etiam ſi Papa accuſaretur. Rex vero ait ſe ex voluntate, & conſenſu pontificis Synodum conuocaſſe. Epiſcopi vero non prius acquieuerunt, quam Rex litteras pontificis proferret, & pontifex ipſe præſens teſtaretur ita eſſe.

Demum eiuſdem authoritatis eſt Concilia congregare, cuius eſt congregata celebrare, & proſequi. Alioqui, aut fruſtra congregaret Imperator, quod poſtea proſequi & continuare non poſſet, aut fruſtra celebrandi, & tenendi Synodos poteſtatem pontifex haberet, ſi eaſdem conuocare non poſſet.

Pro ſolutione argumentorum obſeruandum eſt, quod Epiſcopi ad Concilia generalia tribus modis conuocantur, vno modo præceptiue, & iuſta authoritate, ita videlicet vt vocanti obedire, & comparere teneantur, cœteri Epiſcopi legitima excuſatione ceſſante. Hoc non conuenit Imperatoribus, aut Regibus, quia nullam habent in Epiſcopos circa cauſam religionis poteſtatem, aut iuriſdictionem. ſed hoc conuenit Roman. pontifici, tamquam omnium eccleſiarum capiti, & ſupremo paſtori. *Epiſcopi tribus modis ad concilium cōuocari poſſunt.* Sic in Concilio Niceno 1. & ſi Conſtantinus Imperator conuocauit Epiſcopos, tamen id fecit ex ſententia Sacerdotum, ait Ruffinus lib. 2. c. 1. Hiſt. eccleſiaſt. *Ruffinus.* Sic Epiſcopi in Concil. Conſtantinop. 1. generali. 2. ſcribentes ad Damaſum Papam aiunt ſe Conſtantinopolim conuocatos fuiſſe per papæ litteras ad Imperatorem datas; apud Theodoretum *Theodor.* libro quinto capit. 9. Ibidem quoque diligenter ſe excuſant, quod ad Romanam Synodum à papa vocati venire non potuerunt.

Sic pro congregando Concilio Chalcedonenſi generali 4. Valentinianus, & Martianus Imperatores ad Leonē papam ſcribunt his verbis. Tuam ſanctitatem principatum in Epiſcopatu fidei poſſidentem inuitamus, atque rogamus ad celebrandam Synodum te authore. inter epiſtolas præambulares ſynodi chalced. tom. 2. Concil. Denique propter hanc præceptiuam authoritatem in ſolo Rom. pont. & ſi ipſe non omnia ſolemniter conuocauerit, ſed hoc Regibus, & principibus interdum reliquerit, qui & ſumptus neceſſarios ferre, & hęc, quæ facti ſunt melius procurare poterant; tamen in hoc eius propria poteſtas manifeſta eſt, quod tum nulla Concilia abſque eius conſenſu congregata vim, ac robur habere potuerūt, & ſi Imperatoris authoritas acceſſiſſet. Tum etiam quędam concilio à ſolo Roma. Pont. congregata abſque Imperatoris conſenſu, robur tamen, & vim habuerunt. Exēpla primi generis ſunt, Epheſinum. 2. concilium à Theodoſio iuniore, Antiochenum, & Ariminenſe à Conſtantio; Conſtantinopolitanum quoddam à Leone Imperatore inter Epheſinum, & Chalcedonenſe Synodus in Trullo à Iuſtiniano Imperatore, falſo ſynodus 6. dicta, & alia Conſtantinopoli à Conſtantio Capronymo conuocata. exemplum poſterioris generis illuſtre eſt Concilium Sardicenſe, quod reluctante Imperatore Conſtantio, Iulius Papa congregauit, teſte Athanaſio in Apo- *Athanaſ.* logia 2.

Secundo modo conuocantur Epiſcopi ad concilia celebranda per viam exhortationis, & admonitionis. Hoc Imperatores chriſtiani, & Pij propter bonum pacis eccleſiaſticę, & pium zelum ſemper fecerunt, ſed quod abſque vlla coactiua, aut præceptiua authoritate id fecerint, eorum verba manifeſtant. Sic enim Valentinianum, & Martianum Imperatores ad Leonem papam ſcripſiſſe, modo dictum eſt. Sic etiam ad cœteros Epiſcopos iidem Imperatores ſcripſerunt, vt in alijs litteris ante concilium Chalced. præambularibus apparet. Quis quis (inquiunt) ad generalem ſynodum venire refutauerit, peccet equidem, & circa diuinitatem, & pietatem noſtram offendat. & in alia epiſt. In Chalcedonenſem ciuitatem venire dignemini. Sic ad ſextam ſynodum generalem vocat Conſtantinus. 6. Imperator. Inuitare (inquit) & rogare poſſumus ad omnem commendationem, & vnitatem omnium chriſtianorum; neceſſitatem vero inferre nullatenus volumus. Hæc ille in epiſt. ad Agathonem papam in principio. 6. Synodi tom. 2. concil.

Tertio modo cōuocantur Epiſcopi ab Imperatoribus, & Re-

Digitized by Google

& Regibus ad Concilia ſeu generalia, ſeu etiam prouincialia per modum authoritatis, & præceptiuè; ſed per viam executionis, & ius facti, quod Principi ſęculari cōpetit, non aliter; id eſt, voluntatem, & deſiderium Roma. Pont. cuius eſt iſta propriè curare, & diſponere, tardantibus, aut etiam reluctantibus forte Epiſcopis piè exequi. Sic Martianus Imperator ad Leonem Papam ſcribit, vt cognita eius voluntate, cęteros Epiſcopos per edictum conuocet. Si, inquit, oneroſum eſt, vt tu ad has partes aduenias, hoc ipſum nobis proprijs litteris tua ſanctitas manifeſtet, quatenus in omnem Orientem, & in ipſam Thraciam, & Illyricum ſacræ noſtræ litteræ dirigantur, vt ad aliquem definitum locum, qui nobis placuerit omnes Epiſcopi conueniant. inter epiſt. præambulares Concilij Calcedonenſis. Sic Conſtantinus & Irenes profitentur ſe Roman. pont. hortatu, & veluti iuſſu Epiſcopos congregaſſe ad Nicenum. ſecundum generale. ſeptimum. act. 1. dicti Concilij. Sic Gregorius papa Theodoticum Francorum Regem adhortatur, vt contra Simoniacos Synodum congregari iubeat. in regiſt. lib. 9. epiſt. 54. Sic nuper ad Concilium Tridentinum Galliæ Epiſcopos Carolus 9. edicto publico proficiſci iuſſit rogante hoc per litteras Pio 4. Romanorum pontifice. *D. Greger.*

Ex his facilis eſt ad argumenta hæreticorum ſolutio. Ad primum dico, quod Imperatores illi Concilia prędicta conuocarunt per modum adhortationis, & pij zeli, quo boni principes flagrare debent, non autem per modum authoritatis, aut præceptiuè, ſed ex pontificum ſententia & conſenſu vt dictum eſt; & per idem patet reſponſio ad ſecundum.

Ad tertium, & quartum dico, quod Romani Pōtifices rogant ſęculares principes conuocare concilia propter executionem, vt dictum eſt. Quod autem Theodoſius iunior Imperator, nec circa locum, nec circa tēpus Papę deſiderio acquieuit, in eo (vt in multis alijs) ille Princeps peccauit grauiter. Erat enim illa Synodus prædatoria dicta: quia contra ordinem, & leges eccleſiæ ibi facta ſunt omnia, vnde non iudicium, ſed latrocinium ibi exercitum fuiſſe ſcribit Leo epiſt. 51. Nam & hæreticum Dioſcorū, & S. Flauiani impiam damnationem, idem Imperator impiè defendebat, vt legere eſt apud Liberatum. c. 12. & apud Leonem epiſt. 43. & 46. Quod autem Martianus pius Imperator papæ etiam deſiderio hac in re nō acquieuit, hoc totum factū eſt Beatiſſimi Petri ſedis iure, atque honore ſeruato, vt diſertis verbis ſcribit Leo papa epiſto: 47. ad Synodum Calced. ſcriptam, ipſoq; etiam Pontifice conſentiente, vt in epiſt. 43. ad eumdem Imperatorem his verbis Leo profitetur: Popoſceram quidem, vt Synodum aliquantiſper differri iuberetis &c. ſed quia pio ſtudio humanis negotijs diuina præponitis &c. Ego etiam veſtris diſpoſitionibus non renitor, optans &c. ex quibus patet pios Imperatores in conuocandis Cōcilijs nulla ſua propria authoritate vſos fuiſſe. ſed hoc iuris Eccleſiaſtici, ac maximè Roman. pont. ſemper fuiſſe lege hac de re Nicolaum Cuſanum Cardinalem de concordia catholica lib. 3. c. 9. & 13. *Leo Papa.* *Liberatus.* *Nic. Cuſ.*

Argumenta pro ſecunda ſententia fuſiſſimè examinat, & ſoluit Iacobatius lib. 3. art. 1. Nos autem breuiter dicimus primò, in nullo caſu ſine pontificis authoritate poſſe conuocari verum & perfectum Concilium, de quali in hoc artic. loquimur. quod videlicet authoritatem habeat definiendi quæſtiones fidei, præcipua enim authoritas eſt in capite, ſiue in Petro, cui imperatum eſt vt confirmet fratres ſuos, & ideo etiam pro eo Dominus orauit ne deficeret fides eius, Lucæ 22. poterit tamen in caſibus, qui in argumentis tanguntur, congregari Concilium imperfectū, quod ſufficiet ad prouidendum Eccleſiæ de capite; Eccleſia enim ſine dubio habet authoritatem prouidendi ſibi de capite, quamuis non poſſit ſine capite ſtatuere de multis, de quibus poteſt cum capite; vt rectè docet Caietanus in opuſcu. de poteſtate papæ. c. 15. & 16. & multo ante Presbyteri Romanæ eccleſiæ epiſt. ad Cyprianum, quæ eſt. 7. lib. 2. in operibus Cypriani. porrò Concilium illud imperfectum fieri poterit, ſi vel indicatur à Collegio Cardinalium, vel ipſi per ſe Epiſcopi in locum vnum conueniant. *Iacobatius* *Caietanus.*

Et ſi contingeret interdum Concilium eſſe neceſſarium eccleſiæ, & tamen papa nolit illud indicere. Dico cū Turrecremata lib. 3. c. 8. vix eſſe poſſibilem eum caſum. Non enim credibile eſt, vllum pōtificem fore tam malum, qui non velit Concilium celebrari, ſi apertè conſtet id eſſe neceſſarium eccleſiæ conſeruationi. Quod ſi etiam ipſe ex ſe talis eſſet, tamen Deus qui eccleſiam conſeruat ſine dubio, vel eius mentem mutaret, vel eum de medio tolleret. Et ſi nihil horum fieret, poſſet eccleſia eum habere tamquam ſuſpectum de hæreſi, non vt dicitur diſtin. 83. canon. error, & alijs ſequentibus, qui errori manifeſto nō reſiſtit cum poſſit, & debeat eum approbare cenſetur, & tunc à Collegio Cardinalium conuocaretur Concilium, vt ſupra dictum eſt. lege omnino Iacobatium loco ſupra allegato. & lib. 4. nu. 12. *Turrecremata.* *Iacobatius*

ARTICVLVS II.

Vtrum ſoli Epiſcopi debeant Concilio intereſſe.

SEnſus huius quæſtionis poteſt eſſe duplex. Nam quæri poteſt. Qui nam poſſint intereſſe, vel admittendi ſint in Concilio generali; vel quærimus qui ſint neceſſario vocandi ad Concilium generale. & iuxta vtrumque ſenſum hic articulus examinandus eſt.

Et quo ad primum, videndum eſt primò qui ſint à Cōcilio repellendi; Sunt autem repellendi primo. Hæretici, vt in cap. cum quibus. 24. q. 3. & Gloſſa in ver. idem Baſilius in c. conuenientibus. 1. q. 7. Niſi, forte eſſent admiſſi, ad ſedandam hæreſim, vt factū legimus in Concilio Conſtantienſi, vbi duo Hæreſiarchæ Ioannes Huſſ, & Hieronymus de Praga combuſti fuerunt. & in Concilio Florentino, vbi interfuit Imperator Grecorum, & Patriarcha Conſtantinopolitanus, cum multis alijs Prælatis Orientalis eccleſiæ. In quo Concilio Pręſidente Eugenio 4. facta fuit vnio inter Gręcos, & Latinos, & ibi reducti ſunt Gręci, Armeni, & Iacobini, vt patet in decretis ſuper hoc editis, & ſedata eſt hereſis eorum, confeſſiq; ſunt Spiritū Sanctum à Patre, & à Filio procedere, & non à Patre tantūm, vt ipſi credebant; Item quod Chriſti corpus in azimo, & triticeo pane conſecrarent, ac Purgatorij locū crederent, & Romanum Pont. verum Chriſti Vicarium, & B. Petri ſucceſſorem legitimum agnoſcerent, vt pote, qui primum in orbe terrarum locum tenere habet, & cui Orientalis, & Occidentalis Eccleſia merito parere debet, quę vnio, & concordia poſtea in partibus Orientalibus non fuit acceptata, vt dicit Card. Turrecremata. *Qui ſint à Concilio repellēdi.* *Turrecremata.*

In Concilio Baſilieſi, vbi reducti ſunt Bohemi, & Moraui, qui communionem ſub vtraque ſpecie toti populo eſſe neceſſariam dicebant. Sed Card. de Turrecremata lib. 3. c. 9. dicit ſe fuiſſe præſētem, & quod data fuit Bohemis licentia diſputandi, & dicendi quicquid vellent in defenſione ſuorum errorum aſſignatis per Synodū quatuor Doctoribus catholicis, qui in publica congregatione illis reſponderent, & factam fuiſſe longiſſimam concertationem, & quod quamuis manifeſtè conuicti eſſent, & fuiſſet in multis condeſcenſum illis gratia lucrifaciendi eos, nihilominus receſſerunt, peccatis eorum promerentibus, ita ſordidi ſicut venerant.

Secundò repellendi ſunt Schiſmatici, vt 24. q. 3. capit. cum quibus, quia cum his non eſt communicandum eadem cauſa, & qu. c. Clericis. & cap. Didicimus, & capit. omnes. & hoc niſi quando correcti quærerent vnitatem. vt in c. maiores.

Tertiò repellendi ſunt infideles, atque etiam notorie excommunicati, & vt tales declarati, cum ſint priuati participatione Sacramentorum, & communione fideliū, vt in cap. à nobis de excep. maximè cum ſunt incorrigibiles iuxta notata in cap. cum non ab homine de Iudi. de quo in cap. ad probandum de re iudi. Idem dico de quibuſdam alijs impedimentis, de quibus in capit. ſuſcitatus de reſcriptis in 6. & in c. licet de elect. vt in impedimentis naturæ.

Quartò repellendæ ſunt mulieres per d. ca. Muliet. 23. diſt. & cap. noua de Pœnit. & remiſ. & ca. in nouo 21. diſt.

Nec

Nec obſtat quod Actorum 1. in Concilio celebrato per Apoſtolos ſuper electione Matthiæ interfuerunt Apoſtoli, & laici, & mulieres. & quod illud eſſet Concilium dicit Gloſſa 22.diſt.in verbo Chriſtianorum, cap. ſacroſancta. Quia ibi non dicitur, quod in Concilio, quando Petrus verba fecit, interfuerint mulieres, ſed quod erat turba hominum fere 120. & eſt ſeparata diſpoſitio à præcedenti, quando dicit quod Apoſtoli erant in oratione vnanimiter perſeuerantes, cum mulieribus, & Maria Matre Ieſu. poſtea enim cum dicit (in diebus illis) deſcribitur alius actus ſeparatus etiam in tempore. Præterea & ſi interfuiſſent ibi mulieres, tunc non fuiſſet abſonum: quia poſt Aſcenſionem Domini omnes fuerunt congregati expectantes Spiritum ſanctum, & perſeuerantes in oratione.

Qui admittendi ſunt in Cõcilium.

Auguſt.

Admitti autem poſſunt in Concilium inferiores Epiſcopis ſecundum neceſſitatem, & occurrentiam rerum: quia interdum reuelatur paruulo, quod ignorat magnus, vt innuitur in cap. eſto. 95. diſt. & D. Auguſtinus dicit. Senex à Iuuene, & Epiſcopus tot annorum à collega necdũ anniculo paratus ſum doceri, vt in cap. ſi habes. 24. q. 3. Vnde ſi contingeret dubium iuris, poſſent etiam admitti inferiores, ſicut patet in cap. cum ad ſedem. 35. q. 5. & plus & minus erit in arbitrio Papæ, & Concilij; vt legimus factum in pluribus Concilijs, vt patet in geſtis 6. Synodi Conſtantinopolitanæ in principio in cap. conuenientes vbi connumeratis pluribus Epiſcopis dicitur. (Theophanio Presbytero, & Abb. venerabilis Monaſterij Sciciliæ, quod dicitur Baias; Gregorio Presbytero & Monacho Monaſterij Renati poſiti in antiqua Roma. Conone, & Stephano Presbyteris & Monachis Monaſterij, quod cognominatur Domus Arſitia poſiti ſimiliter in antiqua Roma. Anaſtaſio Presbytero & Monacho oratoriorum hic ſiti Venerabilis Patriarchij. Stephano Preſbitero & Monacho diſcipulo Macharij venerabilis Archiepiſcopi Theopoleos Antiochiæ) & patet in pluribus alijs de quibus infra.

Ex quibus cauſis principes in cõcilijs admittũtur.

Legimus etiam ſecundum indigentiam, & neceſſitatẽ admiſſos aliquando Principes pro tuitione Eccleſiæ, vt in cap. ſexta 16. diſt. & in cap. futuram. 12. q. 1. Aliquando & ad fidem conſeruandam, vt in cap. Nos ad fidem 96. diſt. interdum potius adulationis cauſa. vt in cap. ſatis euidenter. §. his itaque in fine. diſt. 96. Sępe ratione euitandi ſtrepitus; vt in cap. bene quidem. 96. diſt. vt plurimum ad maiorem iuſtificationem, vt in cap. ad Apoſtolicæ de re iudicata in 6. Vbi Papa offert vocare ad Cõcilium etiam Principes ſęculares. Item ad maiorem ſolemnitatem, vt in cap. in ſynodo. 63. diſt. Interdum ad diſcernendum inter aliquos altercantes in aliqua cauſa, & ſuper aliqua ardua quæſtione. Vnde in Synodo celebrata coram Conſtantino, & Helena, (quando fuit diſputatum vtra lex Iudęorum ne, an chriſtianorum eſſet præferenda) præpoſiti ſunt duo Iudices, Crato Philoſophus, qui nihil terrenum habere volebat: & Zenoſino, qui in conſulatu nũquam munus ab aliquo ſuſceperat.

In his & ſimilibus ſecundum contingentiam rerum, & ſecundum quod viſum fuerit Papæ, & Concilio, laici, & Clerici inferiores reperiuntur admiſſi ad conſulendum, & diſputandum. Poſſunt etiam intereſſe laici cum armis pro tuitione Concilij, vt dicit Bal. in ca. Maſſena de elect. & refert Martinus Lauden. q. 19. in tractatu ſuo de Concilio. Item poſſunt intereſſe laici pro petenda iuſtitia, vt dicit Abb. in diſput. quæ incipit Epiſcopus in 3. dubio principali; & Petrus de monte in ſua Monarchia. & quando laici admittantur, vide poſt Gloſſam in ver. inuitatur in c. Adrianus el. 1. 63. diſt.

Baldus.

Martinus.

Abbas.

Petrus de monte.

2. Pars ar.

Eccleſ. quatuor generibus hominũ continetur.

Quo ad ſecundum. Qui ſunt neceſſariò vocandi ad Cõcilium obſeruãdum eſt primò, Eccleſiam vniuerſam quatuor contineri hominum generibus. ſunt enim aliqui clerici, aliqui laici: & rurſus ex clericis alij Prælati, alij non Prælati. Item ex laicis alij Principes, alij priuati.

Non oẽs eodẽ modo concilijs interſunt.

Secũdò obſeruandum eſt in Concilijs multis de cauſis aliquos intereſſe poſſe, alij enim interſunt vt iudices qui dicuntur habere ſuffragium deciſiuum; alij vt diſputando examinent difficultates, qui dicuntur habere ſuffragium conſultiuum; alij vt miniſtrẽt quales ſunt Notarij, Cuſtodes; & alij vt defendant Concilium, & dent operam, vt intus, & extra omnia ſint pacata vt Principes.

Epiſcopi de iure ſũt de corpore cõcilij.

Tertiò obſeruandum eſt, quod de corpore Concilij de iure ſunt tantum Epiſcopi. i. Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, & Epiſcopi: nam hi omnes nomine Epiſcopi intelliguntur, hoc probat tex. in cap. 1. & 2. diſt. 17. vbi Concilium generale appellatur Synodus Epiſcoporum. ad idem 15 d. cap. 1. & c. ſancta. vbi dicitur quod ante tempora Conſtantini non erat data facultas Concilia cõgregandi, ſiue in vnum conueniendi, & ibi connumerantur quatuor Concilia generalia principalia, quæ ſunt ſequenda ſicut quatuor Euangelia, in quibus tantum fit mentio interueniſſe Epiſcopos ſanctos patres ex vniuerſo orbe, & licet aliquando iura vtantur vocabulo Sacerdotum, vt 17. diſt. cap. Concilia. tamen nomine Sacerdotum intelliguntur Epiſcopi, & ſimiliter cum vtuntur nomine Patrum, vt in d. cap. in verſ. ſub hoc ſancti Patres, & in verſ. Horum prior. intelliguntur Epiſcopi. Ad idem eſt quod legitur in Calced. Concilio, quod Epiſcopi ibidẽ videntes quoſdam Ægyptiacos non Epiſcopos, qui de Alexandria cum Dioſcoro hæretico Calcedonem venerant, tentantes intereſſe Concilio, clamauerunt omnes, quod Concilium Epiſcoporum eſſet, & quod alij expelli deberent. act. 1. & ideo Leo Papa appellat Conciliũ Chalcedonenſe Concilium Epiſcopale.

Cardi. Abbates & ordinũ Generales habẽt votũ deciſiuũ ex priuilegio, & cõſuetudine.

Quarto obſeruãdum eſt, quod Cardinales Abbates, & Generales ordinum, licèt Epiſcopi non ſint ex priuilegio, & conſuetudine habent ius deciſiui ſuffragij; Clerici autem inferiores ordinis & Doctores laici vocantur, vt conſultores non vt iudices, qui nimirum iuuent in diſputando, & in alijs miniſterijs. Principes autem vocantur, tum vt Concilium defendant, tum vt teſtes, & conſcij decretorum Concilij poſtea tranſgreſſores, & contumaces pœnis corporalibus puniant. Denique ex priuatis laicis illi vocantur qui videntur vtiles, & neceſſarij ad aliquod miniſterium Concilij.

Papa duobus modis concilium generale celebrat.

Quintò obſeruandum eſt, quod aliquando Papa celebrat Concilium in ſuo Patriarchio cum clero, & populo Romano, vocatis prælatis aliquarum ciuitatum, vt in ca. Nunc autem 22. diſt. & in cap. in Synodo. diſt. 63. Quo ratione præſentiæ Papæ, & quia tractatur etiam de rebus concernentibus vniuerſalem eccleſiam, dicitur etiã Synodus, ſiue Concilium generale, & in iſto concilio nõ requiritur conuocatio vniuerſi orbis, vt in cap. Guſilarius 23. q. 4. ibi. cum Epiſcopis, quos congregare potui. Ad idem eſt, quod legitur de hæreſi. Nouatiana in concilio per Cornelium Papam damnata, vbi non vniuerſi Epiſcopi interfuerunt. Interdum Papa celebrat conciliũ vniuerſale de toto orbe, quod propter eius difficultatem, & laborem nõ de facili fieri debet, ſed ſolùm pro arduis, & maximis rebus, vt quando exortæ eſſent hęreſes, quæ magnos haberent Authores, & multitudo Epiſcoporum eſſet infecta, ſicut dicitur de hæreſi Arriana, & alijs hæreſibus damnatis, in quatuor principalioribus concilijs, & tunc debent vocari Epiſcopi de vniuerſo orbe, vt in cap. canones. 15. diſt. Hoc autem credo intelligi oportere non ita ſtrictè, quod ſingulariter omnes Epiſcopi ſint vocãdi, quia hoc videtur impoſſibile. Numquam enim legitur fuiſſe tale concilium in quo ne vnus quidem Epiſcopus remanſerit non vocatus. Nec videtur poſſibile omnes conuenire, ſemper enim aliqui erunt negocijs impediti, vel ęgroti; atque adeo intelligo de vniuerſo orbe vocãdos diſtributiuè, accõmoda diſtributione. i. per ſingulas regiones orbis terrarum. Non eſt ergo neceſſe omnes Epiſcopos conuenire, ſed ſatis eſt, quod fiat generalis eorum cõuocatio, vel publico edicto, vel vocando vnumquemque in particulari, quamuis aliqui non veniant propter ſuam malitiam, vel propter impotentiam.

Et hoc intelligas quando concilium celebratur cauſa hæreſis, vel in quo agendum eſt de arduis, & magnis rebus, vel de facto Papæ. Cęterum quando concilium non congregatur propter hæreſim extirpandam, nec in eo agendum eſt de propria perſona Papæ, nec cauſa eſſet grauis, quæ concerneret vniuerſos Chriſtianos; poſſet numerus Epiſcoporũ, cum quibus tenendũ eſt Conciliũ, relinqui arbitrio Papæ, vel habentis p̃tãtẽ congregare Cõciliũ eius authoritate, dummodo per ſingulas regiones ad generale Concilium ſint vocati Epiſcopi generaliter. Nam

illud

Digitized by Google

illud eſt generale Concilium, quod Papæ mandato congregatur ipſo præſente, vel alio eius nomine de ipſius ſpeciali mandato, iuxta notata in §. porro. diſt. 3. & in ca. 1. & 2. 17. diſtin. & in ſumma. Nam etiam Concilium per Papam congregatum, vbi nam omnes de vniuerſo orbe congregati ſunt, repręſentat vniuerſalem Eccleſiam: quia Papæ præſentia, & authoritas cum congregatis Prælatis ad celebrandum generale Concilium repræſentat vniuerſalem Eccleſiam, vt in §. nunc autem. 17. diſt. & in c. licet. de elect. ibi ſacro approbãte Concilio &c. Papa. n. figuratiuè Eccleſiam repręſentat. vt in. ca. quodcumque 24. q. 1. & 3. q. 6. dudum.

Quinto obſer. eſt ꝙ Concilium generale aut congregatur vt in eo tantùm tractetur de rebus, & perſonis eccleſiaſticis, vt de duobus contendentibus de Papatu, vel de Papæ depoſitione, vel de ſimilibus, quæ concernunt ſtatũ Eccleſiæ. Vel congregatur vt in eo non ſolum tractetur de rebus & perſonis Eccleſiaſticis, ſed etiam de ijs, quę cõcernunt laicos: quæ vel ſunt mere Eccleſiaſtica, velut ſunt cauſæ matrimoniales, quemadmodum tempore Gregorij 10. in Concilio Lugdunenſi fuit tractatum de tollẽdo impedimentum publicæ honeſtatis, vt dicit Ioan. And. in c. non habet de conſang. & affin. vel ſunt mere ſpiritualia, quemadmodum ſunt res fidei, quæ non ſolum Clericos, ſed etiam laicos concernunt.

1. Concl. His ſuppoſitis & obſeruatis ſit prima Cõcluſio. Si Cõcilium congregetur vt in eo tractentur res fidei, & ſit ſermo de habentibus votum deliberatiuum, & deciſiuum, omnes Epiſcopi & maiores prelati ſunt neceſſario vocandi. Probatur. illi videtur neceſſario vocãdi, qui cogũtur iurare venire ad Cõciliũ, tales ſunt Epiſcopi, vt in c. Ego ff. de Iure iuran. & quibus venire negligentibus imponitur pœna, vt in c. placuit 18. diſt. huiuſmodi autem ſunt tantum Epiſcopi; ergo ipſi tantum, & non inferiores ſunt vocandi. Vnde dicit Bal. in c. olim de reſcriptis, quod de neceſſitate ad Concilium generale non niſi Epiſcopi ſunt vocandi, & allegat Inno. in c. graue de præben. ſunt ergo vocandi ad Concilium omnes maiores prælati poſt Papam, & cum maioribus Prælatis intelligo etiam Cardinales, quamuiſcumque non ſint Epiſcopi Cardinales propter amplitudinem dignitatis & aſſiſtẽtiæ Papæ in c. Antiqua de priuilegijs, & in c. Apoſtolicę de re iudi. in 6. & in Clẽ. paſtoralis eod. tit. quæ duo iura ſunt ædita in Concilio, & de Concilio fratrum, videlicet Cardinalium, & ſonant ꝙ ipſi ſunt neceſſario vocandi.

Sunt enim Cardinales collaterales Romani Pont. qui eſt eorum Metropolitanus. Sicut ergo Metropolitanus eſt caput Concilij, & Epiſcopi membra, vt in cap. graue de pręben. & in c. Sicut olim de accuſat. ſic & Collegium Cardinalium, eſt ſpeciale membrum Papæ, habent enim iuriſdictionem epiſcopalem in ſuis titulis, vt in c. ijs quæ de maio. & obe. ergo & ipſi videntur neceſſario vocandi.

2. Concl. Secunda concluſio. Quando in Concilio agendum eſt de rebus & perſonis eccleſiaſticis, quo ad votum deciſiuũ de iure tantum Epiſcopi, & alij maiores pręlati sũt neceſſario vocandi; quia ipſi propriè ſunt de Concilio generali, & patet 17. diſt. in §. hinc etiam iuncto ſequenti verſic. Epiſcopi vero, cap. Concilia Sacerdotum, vbi dicitur ꝙ Synodo congregata apud Vrbem, cum diſceptaretur; an deberent audiri accuſatores Symmachi Papæ, remiſſa Concilio deliberatione, Epiſcopi congregati in Synodo reſpõderunt Symmachum immunem fore, & ſic tantum de Epiſcopis ſit mentio. Item ibidem dicitur quod Rex Theodoricus requiſitus reſpondit poteſtati Pontificum remittendum Symmachum in Concilio.

3. Concl. Tertia concluſio Abbates & Pręlati Epiſcopis inferiores non ſunt de iure neceſſario ad Concilium vocandi, vt habeant votum deciſiuum, in his quæ ſpectant ad fidem, & ad res & perſonas eccleſiaſticas. probatur per id quod dicit Inno. in cap. graue de pręben. vbi dicit quod in Concilijs prouincialibus non ſunt neceſſario vocandi Abbates, vt in c. Epiſcopus nõ debet 18. diſt. ergo videtur quod ad generale Cõciliũ non ſunt neceſſario Abbates vocãdi, ſicut nec ad prouinciale. Hoc idẽ probat textus in c. ſatis euidenter 96. diſt. in fine. ibi. Illicitum nãque eſt eũ, qui non ſit in ordine ſanctiſſimorum Epiſcoporum eccleſiaſticis immiſceri tractatibus. Pręterea deliberare, ſtatuere, & reformare aliquid in Concilio, & in collegijs eſt iuriſdictionis, vt in capit. fin. de rebus eccleſ. & in capit. qualiter, & quando de accuſ. ſed hæc iuriſdictio eſt tantum penes Epiſcopos, ideo ij tantum vocandi ſunt, penes quos eſt huiuſmodi iuriſdictio, atque adeo tantum Epiſcopi. Et ſi dicas quod Abbates iurant vocati ire ad Concilium, vt in cap. Ego ff. de iureiuran. dico, ex hoc non ſequi, quod neceſſario ſint vocandi ad Concilium; ſed ſi vocentur, quod teneantur ire, vel quod intelligatur de Concilio eis conuenienti, non de generali.

Hodie tamen inoleuit conſuetudo, quod etiam Abbates, & Generales Minorum ordinum religioſorum, & omnes qui cum promouentur ad dignitatem iurant venire ad Synodum (iuxta dictum capit. Ego ff.) ſunt vocandi ad Generale Concilium, ita legimus factum in Concilio Coſtan. & Baſileenſi, vt refert Cardinalis de Turrecremata in rub. qui ad Concilia generalia ſunt vocãdi, quod legimus etiam obſeruatum in Lateranenſi & Tridentino Concilijs. *Turrecremata.*

4. Concl. Quarta concluſio. Quo ad votum conſultiuum, nedum in rebus, & perſonis eccleſiaſticis, ſed etiam in rebus fidei poſſunt & debent de honeſtate vocari etiam inferiores Clerici, maximè viri doctiſſimi, & prudẽtes, quinimò etiam laici: quia vocantur vt conſulant, non autem vt decidant, quod patet ex forma ſubſcriptionum, quæ fiunt in Concilijs; ex qua conſideratur diuerſitas inter maiores, & minores, ſeu inferiores; Nam ſi eſt Epiſcopus, eius forma eſt. Petrus Epiſcopus Arretinus iudicans ſubſcripſi. Alij presbyteri. Ioannes Presbyter, vel Archimandrita Monaſterij ſancti Marci ſubſcripſi. & Imperatores ſubſcribunt non tamquam definientes, ſed tamquam definita ſuſcipientes, vt patet ex ſubſcriptionibus Imperatorum in 8. Synodo ſub his verbis (Baſilius Conſtantinus, & Leo perpetui Auguſti in Chriſto Domino, fideles Principes Romanorum, & Magni Imperatores ſanctam hanc & vniuerſalem Synodum ſuſcipientes, & omnibus, quæ ab ipſa definita, & ſcripta ſunt concordantes ſubſcribimus manu propria) ex quibus omnibus patet, quod Presbyteri & Imperatores ſubſcribunt non tamquam iudicantes, ſed tamquam definita ſuſcipientes, & approbantes, cum Epiſcopi tantum hoc vtantur vocabulo iudicãs ſubſcripſi &c. vt eſt videre in Concilio Calcedonenſi in prima cognitione, & in ſeptima in condemnatione contra Euthychen presbyterum.

5. Concl. Quinta concluſio. Quando in Cõcilio tractantur ea, quæ concernunt laicos ſiue ſint mere eccleſiaſtica, ſiue mere ſpiritualia; non ſunt laici neceſſario vocandi vt decidant & definiant in Concilio; vt patet in cap. Principes 23. q. 5. vbi dicitur, quod nec laici, nec poteſtas ſęcularis debet ſe intromittere, nec eſt neceſſaria in eccleſia, niſi vt quod non pręualent Sacerdotes efficere per doctrinæ ſermonem, poteſtas hoc imperet per diſciplinæ terrorem: quod intelligo etiam ſi in Concilio tractetur de cauſa, quæ eſſet æque communis laicis, & clericis: quia ſicut in conceſſione priuilegijs, vel reſcripti non eſt neceſſe citare etiam eum, quem cauſa tangit, (vt in l. penul. ibi gloſ. quæ conſueuit allegari ſingularis. ff. ex quibus cau. maio.) Nec in editione ſtatutorum per ſuperiorem, (vt in l. omnes populi ibi Doct. ff. de iuſt. & iur. & in cap. fin. de offic. leg. & in cap. quod ſuper his de maio. & obe.) Ita nec in propoſito: quia laicis tractare de rebus eccleſiaſticis nullo modo permittitur; & confirmatur quia cauſa fidei eſt mere ſpiritualis, & de ea laicus non poteſt ſe intromittere, niſi exequendo ad mandatum Iudicis eccleſiaſtici, vt in cap. inquiſitionis, §. prohibemus de hæreticis in 6. Idem videtur dicendum de cauſa matrimoniali, quæ eſt mere eccleſiaſtica vt in cap. 1. de conſang. & affin. In cauſis tamen mere ſpiritualibus, & in cauſa fidei, nec non in cauſis matrimonialibus, poteſt vocari Imperator, & potiſſime in cauſa fidei, vt audiat, & tractet, & conſulat, & ad fidem confirmandam, non ad poteſtatem oſtendendam. Sic in cauſis matrimonialibus poſſent inuitari laici ad Concilium tantùm, vt audiant, & conſulant, vt habetur in cap. cum ad ſedem 35. q. 5. In alijs autem cauſis mere ſpiritualibus idem eſt dicendum de omnibus laicis per illum tex. in cap. Vbi nam legiſtis 96. diſt. videlicet, quod non ſunt vocandi, niſi vt audiant, & conſulant: niſi age-

retur

Digitized by Google

retur de alicuius intereſſe, & forma iudicij hoc eſt, niſi iudicialiter ageretur contra eos, vel pro petenda, vel defendenda iuſtitia; quia tunc eſſent vocandi, vt in capit. nouit de iudi. vel niſi Papa vellet eos vocari, & habilitare ad dandum ſuffragium etiam deciſiuum, ſiue deliberatiuum. Poteſt enim Papa etiam laicos facere capaces rerum eccleſiaſticarum, ſeu ſpiritualium, maxime vocis dandæ, vt in capit. Adrianus el 2. diſt. 63. & 2. q. 4. Mennam, & diſt. 96. cap. bene quidem. Et iſto modo poſſunt intelligi omnia iura, in quibus apparet laicos interfuiſſe Concilijs, in quibus tractatum fuit de rebus ſpiritualibus: quia interfuerunt tanquam inuitati, non autem tanquam qui iure ſuo neceſſario fuerint vocandi, vt in capit. ad ſedem 35. q. 5. & in d. capit. vbinam 86. diſtinct. cum multis alijs. Et quod dixi de Imperatore credo etiã de Regibus & alijs Principibus intelligendum eſſe, quia virtualiter tractatur de eorum intereſſe.

ARTICVLVS III.

Vtrum ſoli Epiſcopi & Maiores Prælati habeant in Concilijs votum deciſiuum.

HÆretici huius temporis, vt pote lutherani, & caluiniſtæ dicunt ex omni genere hominum debere intereſſe eos, qui eruditi ſunt, & omnes debere eſſe iudices, atque habere ſuffragium deciſiuum, quidquid ſit de alijs muneribus. Quorum fundamenta hæc ſunt.

Ferre ſententiam eſt definitioni fidei ſuffragium dare, & ſubſcribere; hoc autem in quibuſdam Concilijs Imperatores, & Principes laici fecerunt, vt in Concilij generalibus 6. & 8. vbi Imperatores Conſtantinus, & Baſilius cum toto Senatu ſubſcripſerunt: ergo &c.

Secundo. In eiſdem Concilijs Presbyteri, & Monachi ſubſcripſerunt, vt patet etiam ex Concilio Calcedonenſi, ergo & illorum eſt ferre ſententiam in Synodis.

Tertio. Cauſa fidei, eſt cauſa communis, & bonum totius Reipub. chriſtianæ, ergo omnes ſunt audiendi fideles, nec obſtat vndecumque veniat hoc bonum, modo inueniatur.

Quarto. Presbyteri maximè Curati reddent rationem pro animabus ſubditorum, & sũt Paſtores, quos Chriſtus Eccleſiæ ſuæ dedit, ergo debẽt ſententiam dicere in quæſtione fidei.

Quinto. Epiſcopi ſunt partiales, vel quia Romano Põtifici addicti, & obnoxij ſunt, vel quia præiudicatam ſecum adferunt ſententiam contra nouas de fide quæſtiones; volunt enim manere in antiquis; ergo non debent ſoli iudicare, ſed liberum debet eſſe Concilium quibuſcũque loqui, & definire volentibus.

Sexto. In omnibus Concilijs regula, & norma totius iudicij circa quæſtiones de fide erat ipſa ſacra Scriptura; Hanc enim ob cauſam conſedentibus in Concilijs Epiſcopis ſacra Biblia proponebantur in menſa, & monebãt Epiſcopos Imperatores, vt illis inſpectis de dogmatibus iudicarent. Hoc autem id, eſt, iuxta ſcripturam rem dubiam examinare, & determinare non ſolum Epiſcopi, ſed & alij docti Sacerdotes, atque adeo interdum laici poſſunt, idque melius quam Epiſcopi, quorum pleriſque ſtudium ſacrarum literarum ſordet; ergo etiam ad illos pertinet in Concilijs ſententiam dicere, & non ad ſolos Epiſcopos.

Septimo. Habemus exemplum primi Concilij Apoſtolici, in quo ſoli Apoſtoli, & ſeniores conuenerunt videre de verbo hoc. Act. 15. ſeniorum autem nomine presbyteri intelliguntur; & infra tunc placuit Apoſtolis & ſenioribus cum omni eccleſia, vbi videmus non ſolum Apoſtolos, ſed etiam presbyteros, & laicos in primo Cõcilio interfuiſſe.

Octauo. Concilium generale repræſentat vniuerſam Eccleſiam, ergo omnes fideles, vel ſaltem de quolibet ſtatu fidelium aliqui debent eo vocari; ſaltem admitti ſi ſe offerant. Nam ſæpe vnius hominis etiam laici ſententia præpoſita eſt totius Concilij ſententiæ: quia ſcripturæ authoritate magis munita erat, vt docent Gratianus 27. quæſt. 2. can. 34. & Panormitanus in capit. ſignificaſti de elect. ex Ioan. Gerſone parte prima de examine doctrinarum. Quorum ille dicit vnius priuati ſententiam præponendam eſſe ſententiæ Papæ, ſi ille priuatus moueatur melioribus authoritatibus teſtamẽti veteris & noui. Iſte autem docet, quemcumque hominem doctum, poſſe, & debere toti Concilio reſiſtere ſi videat illud ex malitia, vel ignorantia errare. *Gratianus. Panorm. Gerſon.*

Denique quod populus ſit Iudex diſertè habet Ambroſius epiſt. 32. vbi ſic loquitur. Cauſam fidei inquit in eccleſia agendam quis abnuat? Si quis confidit huc veniat. & paulò poſt. Iſte populus iudicat, cuius in corde lex diuina eſt, non humana: lex non atramento ſcripta, ſed Spiritu Dei viui. & infra. Sed Auxentius inquit certus non ignaros vos eſſe fidei veſtrum refugit examen. *Ambroſ.*

Pro explicatione articuli & argumentorum ſolutione obſeruandum eſt primo, duplex eſſe iudicium publicum, & priuatum. Publicum eſt quod profertur à publico iudice cum authoritate, ita vt teneantur cæteri illi iudicio acquieſcere. Priuatum eſt ea ſententia, quam quiſque eligit, vt veram, ſed neminem obligat, quomodo in diſputationibus Theologorum, & Philoſophorum auditores ſunt iudices: audita enim vtraque parte eligunt, quod volunt, ſed neminem cogere poſſunt, vt ſimiliter ſentiant. *Iudicium eſt duplex.*

Secundo obſeruandum eſt. Iudicium publicum in cauſa fidei nunquã eſſe tributum populo, iudicium autem priuatum aliquando eſſe tributum etiam à pijs, & ſanctis hominibus, ſed tunc ſolum cum aliud fieri non potuit. Tenentur enim populi ſequi iudicium paſtorum ſuorum; tamen quando hæretici impunè verſantur cum catholicis, & multos ſeducunt, expedit quandoque publicas diſputationes, cum eis inire; & relinquere iudicium populo, vt ſequatur, quos viderit ſolidioribus rationibus niti, quomodo fecit Helias 3. Reg. capit. 18. Qui cum non poſſet aliter reuocare populum à cultu Baal, inſtituit certamen cum Prophetis Baal præſente populo, & ait. Qui exaudierit per ignem ille ſit Deus. Si Dominus eſt Deus ſequimini illum, ſi Baal eſt Deus ſequimini eum. Sic etiam Petrus & Simon Magus diſputauerunt apud Clementem libro primo, & ſecundo Recognitionum. Archelaus Epiſcopus & Manicheus, apud Epiphanium hæreſi 56. Syluecter Papa, & Iudæi apud Zonaram in vita Conſtantini. Athanaſius, & Arrius apud Vigilium Epiſcopum Tridentinum. Auguſtinus, & Maximinus apud Auguſtinus libro primo capitulo primo contra Maximinum, atque etiam in Niceno Concilio multi laici docti & eloquentes cum Epiſcopis diſputauerunt, extra tamen Concilium ad quod non vocati, ſed per ſe venerunt, vt patet ex Nicephoro libro 8. capit. 14. & ex Ruffino lib. 10. cap. 3. In his autem omnibus diſputationibus datum fuit populo iudicium priuatum non publicum, & hoc, quia non poterat aliter fieri. *Iudicium publicum nõ tributũ in cauſa fidei. Clemens Papa. Epiphan. Zonaras. Vigilius. Auguſt. Nicepho. Ruffinus.*

Tertio obſeruandum eſt, quod Concilia & Synodus in triplici genere habentur. Vnum genus eſt quod Epiſcopale, ſeu Diœceſanum vocatur, in quo ſolus Epiſcopus ſuæ Diœceſis Paſtores, Archidiaconos, & Presbyteros, Abbates etiam, & priores conuocat, circa morum reformationem, aut etiam interdum circa quæſtionem de fide, vt Complutenſis Synodus in Hiſpania contra hæreſin cuiuſdam Oxomenſis vocata eſt, quale fortaſſe aliud exemplum dari non poſſet, ſed de hoc genere non hic agitur. Non enim huius generis iudicia in declaratione alicuius hæretici, aut in cauſa hæreſis plenè certa ſunt, nec quidem in hæreſi manifeſta, aut tali, quæ iudicio Doctorum Theologorum videretur manifeſta; probabilia tamen ſunt & licita, maximè ſi ex commiſſione Papæ fiant, vt illud Complutenſe ex commiſſione Sixti 4. Aliud genus Conciliorum eſt prouinciale, ſeu locale in quo Metropolitanus omnes ſuæ Prouinciæ Epiſcopos conuocat. Sed nec de hoc genere nunc agitur: quia neque iſtorum iudicia in cauſa hæreſis prorſus firma ſunt, niſi à Romano Pontifice confirmata, idque vel expreſſè, vt quædam à Leone 4. diſtinct. 20. *Conciliorũ triplex eſt genus.*

capit.

Digitized by Google

capitulo de libellis, vel ſaltem implicite, vt multa alia.

Tertium genus Conciliorum eſt generale, vel vniuerſale, qualia hactenus decem & octo enumerant Latini, octo Græci. & de hoc genere diſputatur propriè, cum de Conciliorum authoritate agitur.

In Concilijs tria tractari ſolēt.

Quinto obſeruandum eſt, quod in iſtis Concilijs tria tractari ſolent, primum quæſtiones de fide, deinde regulæ morum, & Canones reformationis generales. tertiò priuatæ Epiſcoporum cauſæ, & querelæ.

Ad primi generis tractationem tribus modis intereſſe fideles poſſunt. Primo modo ad ipſam quæſtionis deciſionem. Secundo modo ad deliberationem, & conſultationem. Tertio modo vt teſtes & adiutores honorarij. Iuxta primum modum ſoli Epiſcopi de iure interſunt Concilijs, vt diximus artic. præcedenti; eorum enim tantùm eſt iudicare de fide, & grauiora decidere: Nam illi ſoli ſunt Patres Eccleſiæ, qui ordinando ſibi ſimiles, id eſt, Sacerdotes gignunt. Illi ſoli ſunt propriè Apoſtolorum ſucceſſores; Illi ſoli habent in Eccleſiam iuriſdictionem ſpiritualem, cæteri autem presbyteri ab illis. & denique illis ſolis ex officio incumbit docere verbum, & Euangelium prædicare. Presbyteri vero non niſi authoritate ab Epiſcopis accepta, vt patet ex vtriuſque ordinatione, & ex Concilio Lateranen. ſub Innoc. 3. capit. 3. Iuxta ſecundum modum Presbyteri, Abbates, Doctores, Monachi Concilijs intereſſe poſſunt, & interfuerunt ſæpe, vt patet in omnibus veteribus Concilijs, ac nouiſſimis Lateranen. Conſtantienſi, Florentino, & demum Tridentino. In cauſa enim fidei vel defendenda, vel explicanda plurimum iuuant Doctores Theologi, & eorum operam ſemper ferè in Concilijs vſa eſt Eccleſia.

Iuxta tertium modum etiam laici fideles interſunt iuxta verba illa Nicolai primi in epiſt. ad Michaelem Imperatorem, & refertur diſtinct. 96. capit. vbi. Vbinam legiſtis Imperatores anteceſſores veſtros ſynodalibus interfuiſſe conuentibus, niſi forſan vbi de fide tractatum eſt, quæ omnibus communis eſt, & non ſolum ad clericos, verum etiam ad laicos, & omnes pertinet Chriſtianos. Tandem quoque laici Principes ſubſcripſerunt, vt in Concilio generali octauo, ſed conſentiendo definitis, non definiendo, vt diximus ſupra, vt eſt videre in fine dicti Concilij tomo quarto Conciliorum in principio. In alijs antegreſſis Concilijs nunquam leguntur laici ſubſcripſiſſe.

Circa ſecundi generis tractationem ſoli etiam Epiſcopi definiunt: quia ad illos ſolos pertinet, iuriſdictio & poteſtas leges ferendi. Quare Martianus Imperator in Concilio Calcedonen. act. 7. volens quoſdam Canones reformatorios ferri, quos ipſe cum Senatu ſuo conceperat, noluit tamen vt ſua, ſed vt Synodi authoritate ferrentur. Quædam inquit capitula ſunt, quæ ad honorem videlicet Reipub. vobis ſeruauimus: decorum eſſe iudicantes à vobis hæc regulariter potius formari per Synodum, quam noſtra lege ſanciri.

Circa tertij generis tractationem ſolis etiam Epiſcopis intereſſe licuit, & non laicis vllis. ſic in Concilio Calcedonen. act. 3. poſtulante Dioſcoro laicorum præſentiam, quando de eius criminibus cognoſcendum erat, reſpondetur illi. Quando quædam regularia examinantur, neque iudices, neque aliquos laicos intereſſe oportet. Sic in Concilio Aquileienſi Palladium hæreticum laicorum præſentiam poſtulantem, ſtatim damnauit Ambroſius, & in Concilio generali octauo, Imperator Baſilius ſuos nobiles alloquens. Vobis inquit nullo modo licet de Eccleſiaſticis cauſis ſermonem mouere; in oratione ad Synodum habita. tamen vt teſtes rerum geſtarum idem Imperator cum ſuis ſubſcripſit.

Cōcluſio.

His obſeruatis ſit hæc concluſio. Soli prælati maiores, atque ij omnes, id eſt, Epiſcopi ordinariè, & de iure in Concilijs generalibus ſuffragium deciſiuum habent. Dixi ordinariè & de iure: quia de conſuetudine, & ex priuilegio Abbates, & generales ordinum, licèt non ſint Epiſcopi, votum deciſiuum habent, vt diximus ſupra. Presbyteri autem, & Diaconi Cardinales, de iure (vt credo) habent vocem deciſiuam, licèt aliqui dicant, quod ex conſuetudinē; & ratio quæ me mouet eſt: quia ſunt in dignitate maiores Epiſcopis non Cardinalibus, & iuriſdictionem Epiſcopalem habent in ſuis titulis, vt ſupra dictum eſt, & quod habeant vocem probat tex. in c. ad Apoſtolicæ de re iud. in 6. & in Clem. eodem tit. c. paſtoralis quæ iura facta ſunt in Concilio de conſilio fratrum.

Hæc autem concluſio probatur primò, quia definire in Concilijs ea quæ ſunt credenda, vel agenda proprium eſt munus Paſtorum: id enim propriè eſt paſcere, id eſt, docere, & ita docere vt teneantur alij credere iuxta illud Ieremiæ 3. Dabo vobis paſtores ſecundum cor meum, & paſcent vos in ſcientia & doctrina, & ad Epheſ. 4. Alios autem Paſtores, & Doctores. vbi Hieronymus in hunc locum, & Auguſtinus in epiſt. ad Paulinum 59. notant coniunctum eſſe nomen Paſtoris cum nomine Doctoris: quia proprium eſt Paſtorum docere. At non ſunt Paſtores laici, nec Eccleſiaſtici quicumque, ſed ſolum Epiſcopi, ſic enim legimus Act. 20. Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. & Ioan. vltim. Petro dicitur paſce oues meas.

Hieronym.
Auguſt.

Item perpetua omnium Conciliorum praxis eſt, quæ ſolos Epiſcopos in Concilijs conſediſſe, definiuiſſe, & ſubſcripſiſſe demonſtrat. Quare D. Auguſtinus vocat Synodos Concilia Epiſcoporum libro 2. de Bapt. contra Donatiſtas capit. 7. epiſt. 119. capit. 19. & alibi ſemper, quod idem docet Cyprianus in initio epiſt. ad Iulianum. Hilarius libro de Synodis, Ambroſius epiſt. 32. Hieronymus libro ſecundo Apolog. contra Ruffinum. Euſebius libro quinto hiſt. capit. 23. Ruffinus libro decimo hiſt. capit. primo. Athanaſius in epiſt. ad ſolitariam vitam agentes, alijque Patres qui paſſim aſſerunt Concilia Epiſcoporum eſſe.

Auguſt.
Cyprianus
Hilarius.
Ambroſ.
Hierony.
Euſebius.
Ruffinus.
Athanaſ.

Præterea in Concilio Calcedonen. general. quarto acclamatum eſt. Synodus Epiſcoporum eſt non clericorum ſuperfluos mitte foras. act. prima. Et in Epheſina illa prædatoria Synodo, cum Dioſcorus hæreticus Patriarcha presbyterum quemdam vocaret, vt ſubſcriberet. reſpondit Presbyter. Non eſt meum ſubſcribere, Epiſcoporum tantùm eſt. vt refertur in Concilio Calcedonen. act. 3. & inter epiſtolas præambulares Concilij Calcedonen. in epiſt. Pulcheriæ imperatricis dicitur. Quod clericos, vel Monachos, & laicos nulla ratio ad Cōcilium vocat.

Poſtremo Theodoſius iunior in epiſtola ad Epheſinam Synodum, quæ extat in primo tomo eius Concilij capit. 32. Illicitum eſt, inquit, eum, qui non ſit in ordine ſanctiſſimorum Epiſcoporum, Eccleſiaſticis immiſceri tractatibus.

Dubiū 1.

Sed dubium eſt an Epiſcopus titulari tantùm, & nullatenus vocari debeat ad Concilium. Et videtur quod non: quia dare vocem in Concilio eſt non tantùm ordinis, ſed iuriſdictionis, vt dicit Abbas in diſputat. Epiſcopus; & Alexan. in capit. Epiſcopos 17. diſtinct. & in capit. Canones 15. diſtinct. & habetur in capit. dilectus de offic. ordin. & in capit. Nimis de exceſſ. Prælat. Ipſe autem nullam habet Epiſcopalem iuriſdictionem, vt in capitulo primo de ordinatis ab Epiſc. qui renum Epiſt. Et ſimiliter idem videretur dicendum de Epiſcopis, qui renunciaſſent Epiſcopatui, vt in dicto capitulo primo.

Abbas.
Alexan.

Solutio.

Sed videtur mihi oppoſitum: quia retinet dignitatem Epiſcopalem, vt dicitur in Clem. Quamuis de foro compet. & in Clem. in pleriſque de elect. omnia enim quæ cohærent perſonæ, retinet, eſt enim Epiſcopus generalis, licèt non adminiſtratione, tamen ordine, & honore, ſecundum Hoſtien. & refert Cardin. in capit. inter corporalia de Tranſlat. prælat. & ſic omnia poterit, quæ ſunt ordinis & dignitatis Epiſcopalis, vt dicit. Anton. in capit. de ordinatis ab epiſt. qui renun. Epiſco. At dignitas in Concilio videtur magis attendenda: quia nullus Epiſcoporum poteſt prætendere iuriſdictionem præſtandi ſuffragium in Concilio generali, pluſquam alius Epiſcopus, atque adeo non dicitur eſſe ſpecialis iuriſdictionis iſtius, vel illius Eccleſiæ: ſed in vniuerſali Eccleſia.

Hoſtienſis.
Cardin.
Anton.

Epiſco-

Digitized by Google

Epiſcopus, & in concreto cum alijs Epiſcopis repræſentant Eccleſiam, vt in capitulo primo, decimaquinta diſtinctione, de quorum corpore eſt etiam iſte Epiſcopus, quantumcumque renunciauerit, vel aliter ſit Epiſcopus in vniuerſali Eccleſia. Hoc etiam videtur probari: quia Doctores in capitulo Epiſcopos, decimaſeptima

Alexand.

diſtinctione, maxime Alex. volunt, quod electus in Epiſcopum, confirmatus, quantumcumque nondum conſecratus, debet eſſe in Concilio, quia poteſt adminiſtrare, & exercere ea, quæ ſunt iuriſdictionis, vt in capitulo tranſmiſſam de elect. Facit quod dicit Card. in Clemen.

Cardinal.

Quamuis de Epiſcopo non conſecrato in quæſt. quinta, de foro competenti. Nam à ſimili videtur, quòd iſte ex quo retinet ea, quæ ſunt principaliora in Epiſcopo, vt ſupra dictum eſt, ſimiliter poſſit, & debeat intereſſe Concilio, & vocari, & habere ſuffragium. Quod intelligas de Epiſcopo, qui renunciauit loco tantum, & non ordini, dignitati, & loco, vt in d. capit. primo, & dicto capitulo poſt tranſlationem. Et ratio eſt, quia Epiſcopi exiſtentes in Concilio recipiunt iuriſdictionē omnes in genere à Papa, & non ratione alicuius particularis Eccleſiæ fateor tamen quod iſti poſtponentur Epiſcopis retinentibus locum, & dignitatem, vt in dicto capitulo poſt tranſlationem, & hoc bene probat ille textus in dicto capitulo, inter corporalia, cum parificat electum confirmatum Epiſcopo qui ceſſit oneri, & non honori. Et idem dicerem de Epiſcopis exilijs ſpoliatis Epiſcopatu: quia iſti poſſunt exercere iuriſdictionē contra ſpoliatores etiam in aliena diœceſi, & propterea videntur tanto magis eſſe vocandi, vt in Clem. quamuis de foro competen. & de Epiſcopis quorum Epiſcopatus occupantur ab infidelibus, vt in capitulo primo, de paro, & in cap. 1. de præſcrip.

Dubium ſecũdum.

Secundo dubitatur. Si aliquis Epiſcopus haberet plures Eccleſias Cathedrales inuicem annexas, vt in capitulo primo, ne ſede vacan. vtrum habebit plures voces. Videtur dicendum quod ſic, quia plures Eccleſias repræſentat. de elect. cap. ſcriptum, & capit. penul. §. porro eodem tit. in ſexto, & de re iudi. cum olim, & quę ibi ſcribit Ioan. And. ſuper Gloſſ. prima, in capit. quia in tantum de præben.

Solutio.

Dico quod non: quia ambæ reputantur pro vna, & vnita aſſumit partes illius, cui vnitur, & idem dicitur Epiſcopus vtriuſque, & ſedes Epiſcopalis eſt apud illam cui vnitur, quod maxime verum eſt quando vna vnitate eſſet alteri extinctiuè.

Dubium tertium.

Sed quid ſi duæ eſſent æquè principaliter vnitæ, & vnus Epiſcopus retineret ambas, vel quando vnus Epiſcopus haberet duas Eccleſias Cathedrales vnam in titulum, & aliam in commendam. Dico quòd in Concilio generali non haberet niſi vnum ſuffragium:

Solutio.

quia ſuffragium Prælatorum habetur, non ratione Eccleſiarum, ſed dignitatis Epiſcopalis in perſona, & clarum eſt, quòd vnica tantum eſt in vna perſona, atque adeo pro vnico ſuffragio videtur recipienda; quod patet ex his, quæ diximus proximè de Epiſcopo in vniuerſali Eccleſia, qui non habet, neque titulum neque locum, & tamen habet votum ergo Epiſcopi non habent ſuffragium ratione Eccleſiarum; alioqui quilibet Cardinalis Epiſcopus haberet etiam duo ſuffragia vnum ratione Epiſcopatus, & alterum ratione dignitatis Cardinalatus; & ſi plures haberet Eccleſias Cathedrales, & Monaſteria iuriſdictionem Epiſcopalem habentia, pro ſingulis haberet ſingulas voces, & poſſet accidere, quod vnus haberet quatuor, vel quinque voces. Obſeruandum tamen eſt quòd in omnibus præualet conſuetudo: quæ in hos maxime attendenda eſt, vnde ſi aliter conſuetudo diſponat illa attendi debet, lege de quibus, digeſtis de legibus, cum ſimil.

Reſpondetur ad argumenta.

Ad argumenta reſpondetur, & ad primum dico, quod in Concilio quidem generali octauo Imperator cum ſuo ſenatu ſubſcripſit, non definiendo ſed atteſtando, & ſuſcipiendo vt dictum eſt; in alijs autem Concilijs nullus Imperator aut laicus ſubſcribere legitur.

Contra Iuſtinianus Imperator multas leges Eccleſiaſticas tulit, vt apparet in Cod. libro primo, titulo decimoſeptimo, & in Conſtitutione Nouellis. Nam in Conſtitutione tertia, legem præſcribit Patriarchis de ordinatione Epiſcoporum, & aliorum Clericorum. Conſtitutione quinta, legem fert de conſecratione Eccleſiarum. Conſtitutione ſexta, Rerum Eccleſiaſticarum curã ad Imperatores maxime pertinere ait. Conſtitutione quinquageſimaſeptima, prohibet priuata Oratoria. Cõſt. quinquageſimaoctaua, de reſidentia Epiſcoporum legem promulgat; denique Conſtitutione 133. poſt multa de rebus Eccleſiaſticis edicta, rationem hanc adfert. Quandoquidem nihil non petitum ad inquiſitionem Maieſt. Imperatoriæ exiſtit, quæ communem in omnes homines moderationem, & principatum à Deo percepit: ergo iſte Imperator ſupremam exercuit, & exercendam iudicauit in cauſis Eccleſiaſticis poteſtatem. Et confirmatur; quia idem Imperator damnauit publico decreto Origenem, & eius dogmata, apud Liberatum in Breuiario capitulo vigeſimotertio, & in prima actio. *Liberat.*
Synodi quinti, dicunt Epiſcopi, quod plenitudinem directionis contra hæreticos ſerenitati Imperiali Deus cuſtodiuit, & in eadem Synodo action. quarta, petentibus Epiſcopis à Mena Patriarcha, vt quoſdam hæreticos vellet anathematizare, reſpondet, Nihil eorum, quæ in Eccleſia mouentur conuenit fieri præter Principem, & iuſſum pij Imperatoris, itaque rogamus veſtram Charitatem in præſentiarum quieſcere, vt tempus accipiamus adducere ad pias ſuas aures, quæ à vobis acclamata ſunt. In quibus verbis patet abſque Imperatoris authoritate nec Patriarcham, nec Concilium, aliquid in cauſis Eccleſiaſticis definire voluiſſe.

Item Carolus Magnus hanc poteſtatem euidenter exercuit Epiſcopis approbantibus. In Concilio Arelatanſi in fine Concilij referunt Epiſcopi decreta ad Imperatorem; vt, inquiunt, ſi quid hic minus eſt, eius prudentia ſuppleatur, ſi quid ſecus, quam ſe ratio habet, eius iudicio emendetur, ſi quid rationabiliter taxatum eſt, eius adiutorio perficiatur. Similiter in Concilio Cabilonenſi decernunt Epiſcopi, ad Imperatoris Sacratiſſimum Iudicium omnia referenda, quatenus eius prudenti examine, ea quæ rationabiliter decreuimus, confirmentur, & ſicubi minus egimus, eius ſapientia ſuppleatur. Idem prorſus faciunt Patres Concilij Moguntini ſub eodem Carolo, vbi & eum vocant pium ac deuotum Eccleſiæ rectorem, qui de facie Diaboli multorum animas ſtudet eripere, & Chriſtianum populum indefeſſo labore amplificare.

Item Theodoſius Imperator eius nominis Primus in magna diſſenſione Epiſcoporum circa fidem ad illam tolendam imperat, vt ſingulæ ſectæ fidei, quam quæque tenebat declarationem litteris proderent. Dies ad hanc rem præſtituta fuit, Sectarum Epiſcopi ad Palatium accerſiti veniunt, Imperator capit cuiuſque dogma ſcriptis proditum. Deinde ſe in locum ſeparatum ſolum concludit, precatur obnixe, vt Deus illi ad veritatem eliciendam opem ferre vellet. Poſtremo dogmate cuiuſque perlecto, cætera omnia, vtpote Trinitatis vnitatem dirimentia damnat, lacerat; ſolam autem conſubſtantialem fidem laudat, approbat. Hæc apud Socratem hiſtoriæ Eccleſ. libro 5. *Socrates.*
capitulo decimo. Iſte ergo Imperator abſque vlla controuerſia iudicium de doctrina fidei exercuit, idque Epiſcopis ipſis ſpectantibus, & approbantibus.

Pro ſolutione obſeruandum, aliam eſſe poteſtatem facti, aliam iuris. Poteſtas facti eſt executionis authoritas, qua iubetur, & cogitur id de facto fieri, quod faciendum eſſe ius, & ratio poſtulat: & vocatur coertio. Poteſtas iuris eſt decernere, & præſcribere quid, & quomodo debeat aliquid fieri; & vocatur iuriſdictio. In cauſis ad fidem, & religionem pertinentibus poteſtatem facti habere poteſt poteſtas ſæcularis, poteſtatem iuris habere non poteſt. In cauſis Eccleſiaſticis vtramque habet poteſtas Eccleſiaſtica, ſed in poteſtate facti adiuuatur interdum à poteſtate laica. Poteſtas eſt duplex iuris, & facti.

Secundo obſerua, pios Principes Chriſtianos in cauſi Eccleſiaſticis multa feciſſe ex zelo, & pietate,

item ad pacem Eccleſiarum externam vel conſequendam, vel conſeruandam, non ad ipſas eccleſias quin ad fidem, & religionem diſponendas, vel adminiſtrandas.

Quo ad prius multa in laudem Emanuelis Imperatoris *Nicephor.* ſcribit Nicephorus in præfatione hiſtoriæ eccleſiaſticæ, & in laude Alexij Imperatoris *Euthym.* Euthymius in præfatione ſuæ Panopliæ; quod ad ſtudium religionis propagandæ animum vehementer adiecerunt. Non tamen ait Euthymius de ſuo Alexio, Pontificum ſibi munus arrogauit, ſed exemplo ſuo Pontifices imitauit, ſeque illis ſocium, & adiutorem adiunxit. Hoc *Euſebius.* ſenſu vocat Euſebius Conſtantinum Magnum quaſi communem epiſcopum à Deo conſtitutum libro primo, capitulo trigeſimoſeptimo, de vita Conſtantini. *Socrates.* Hoc ſenſu Socrates in Præfatione libro quinto, hiſtoriæ ſuæ ait. Ex illo tempore, quo Imperatores Chriſtiani eſſe cœperunt, Eccleſiæ negotia ex illorum nutu pendere viſa eſſe; Nempe: quia (vt ſcribit Theodoretus de *Theodor.* Conſtantino) paci Eccleſiarum ſtudebant, & media ad illam proponebant, tanquam filij patrum amantiſſimi, Epiſcopis, & Sacerdotibus velut patribus, hæc ille lib. primo, cap. 7.

Quo ad poſterius idem Conſtantinus, & epiſcoporum Concilia conuocabat ad concordiam inter epiſcopos conſtituendam, vt ſcribit Theodoretus loco iam citato; & eas res, quæ ad diuinam pacem ſpectabant, omnibus viribus procurauit, ait Euſebius loco citato. His obſeruatis reſpondeo, & ad primum?

Dico, quòd Conſtitutiones omnes Iuſtiniani Imperatoris circa cauſas eccleſiaſticas non ſunt leges, aut ſanctiones eccleſiaſticæ aliquid definientes, aut ordinantes, aut præſcribentes circa fidem aut religionem, aut cultum Dei, ſed ſunt meræ executiones præcedentium Canonum, iuxta poteſtatem facti, quam Principes habent in huiuſmodi cauſis, vt dictum eſt, & ſunt conſequationes, & defenſiones Eccleſiaſticæ poteſtatis, iuxta curam religionis, quam Principes Chriſtiani habere debent. Denique finis illarum omnium erat pax eccleſiarum, vt in conſtitutione quadrageſimaſecunda concludit. Hæc, inquit, decreuimus propter Pacem publicam Eccleſiarum. Quod autem ipſe Imperator nihil hic definiuit, ſed Canonum præſcripta ſecutus eſt, patet ex verbis eius Conſtitutione quadrageſimaſecunda, & actione prima quintæ Synodi. Hæc decreuimus Sanctorum Patrum Canones ſequentes, & ritum. Hæc ſententiauimus ſequentes Sanctorum Patrum dogmata. Rurſum Conſtitutione ſexta, Sancimus ſacras per omnia ſequentes regulas, &c. Item Conſt. 133. Sequimur ſacros in hoc Canones, & Sanctos Patres, qui hoc comprehenderunt legibus, moxque ſequitur, quod in argumento obijcitur. Quandoquidem nihil non pertinet ad inquiſitionem Maieſtatis exiſtit Imperatoriæ; nempe quo ad executionem, & conſeruationem religionis, ſanctorumque Canonum. Nullam ergo poteſtatẽ niſi facti exercuit. Quod adhuc expreſſius declarauit in Conſtitutione Quadrageſimaſecunda; Quam, inquit, ſententiam Epiſcoporum de depoſitione Anthymi hæretici, tam & ſi per ſe valentẽ, multo tamen adhuc valentiorem reddit Maieſtas Imperatoria, quæ regia hac vrbe illum expellit, & Nouella 132. Si Eccleſiaſticum ſit negocium nullam communionem habento ciuiles Magiſtratus cum ea diſceptatione, ſed religioſiſſimi Epiſcopi ſecundum Sacros Canones negotio finem imponunto. Quare in eadem quinta Synodo action. prima, Theodorus Iuſtiniani Dux libellos Epiſcopis porrigit. Vt in his, inquit, interpellantes, vos ipſi finem imponatis; & paulo poſt de quodam alio libello oblato. Quæ in ipſo inſita ſunt Canonicè finem accipiant à Sanctiſſimis Romanis Legatis, & tota Synodo. Ad confirmationem dico à Iuſtiniano originem damnatum fuiſſe; non ex ipſius authoritate, ſed ipſo procurante per Patriarchas, & Epiſcopos primatios, vt late narrat Liberatus in Breuiario, capitulo *Liberat.* vigeſimotertio, & videre eſt in Synodo quinta, action. quarta, Plenitudo directionis ab Epiſcopis attributa de ſola executione, & poteſtate facti intelligenda eſt.

Menna Patriarcha recuſauit ad primam Epiſcoporum acclamationem hæreticos damnare; niſi prius re communicata cum Imperatore; non quia neceſſe ſic erat, ſed quia conueniebat, (ſic enim loquitur) tam religioſum Imperatorem non præterire, qui videlicet eorum ſententias tanto libentius exequi poſſet. Nam quo ad rem ipſam attinet, ſubiungit ſtatim Patriarcha Nos Apoſtolicam ſedem ſequimur, & ei obedimus, & condemnatos nos quoque condemnamus. Declarat ergo illos hæreticos iam damnatos eſſe; ſed ad ſolemnem ſententiam ferendam procedere conſultum, & conueniens non duxit, niſi re prius cum Imperatore maximè tam religioſo communicata.

Ad aliud Reſpondeo, quòd Patres illorum Conciliorum tantum tribuunt Carolo Magno, id factum eſt propter ſingularem, & admirabilem eius zelum, & feruorem circa Religionis curam, hic eius zelus multis verbis commendatur in dicto Concilio Arelatenſi, & alijs Concilijs citatis; Item propter eius ſingularem animi prudentiam, & eruditionem, etiam in rebus Sacris, quibus multum ſtudij impendebat ſub Alcuino, quem vt Præceptorem habebat. Vide Alcuinum libro de fide quinto Trinitatis in epiſtol. dedicatoria ad Carolum. *Alcuinus.* Illa iuriſdictionem non probant, vt dictum eſt. Denique tulit & iſte Imperator multas leges de rebus Eccleſiaſticis, quas collegit Anſegiſus Abbas, ſed eo ſenſu, & modo, quo Iuſtinianus.

Ad aliud de Theodoſio dico, quòd Theodoſius nihil de fide in hoc ſuo facto iudicauit aut determinauit, ſed (quod quiuis fidelis Catholicus facere poteſt) iuxta iudicium de fide omnibus fidelibus commune, iudicauit, quid eſſet fidei receptæ conueniens, & concordans, quid non conueniens, amplectens ſolam Catholicam, & cæteras omnes ſectas ab ea diuerſas repudians. Deinde ex zelo, & pietate propter pacem Eccleſijs conciliandam hoc totum fecit, vt hiſtoria narrat, non ex authoritate fidem determinans. Poſtremo ſingulare hoc, & extraordinarium quoddam erat poſt rem precibus Deo commendatam, ſtatim ſine examine, & diſquiſitione, (qua ipſi Apoſtoli vſi ſunt Actorum decimoquinto) ad definitionem procedere, atque adeo communem legem facere, aut commune Imperatorũ ius probari non debere.

Ad ſecundum dico, quòd in Concilio generali ſexto leguntur ſubſcriptiones Monachorum, & Presbyterorum, ſed quæ in Concilijs quibuſdam epiſcopalibus, quæ ibi referuntur, factæ fuerant, non in ipſo Concilio generali, vbi ſoli epiſcopi ſubſcribunt; leguntur tamen ibi docti Monachi diſputaſſe contra Macharium hæreticum act. 8. quod vt diximus in Concilijs licet.

Ad tertium dico, quòd omnes audiuntur fideles, quando eorum Paſtores, & Magiſtri audiuntur, ſicut in ciuilibus tota Communitas auditur, & conſentit, quando capita conſentiunt. Cauſa enim fidei & ſi communis ſit, non tamen eodem modo ad omnes pertinet, nam ad Prælatos pertinet vt Doctores; ad cæteros, vt diſcipulos; ſicut in bello cauſa victoriæ ad totum exercitum pertinet, tamen Ducum eſt præcipere, & ducere exercitum; cæterorum pugnare. Et ſi quis obijciat illa verba Nicolai primi, in Epiſtol. ad *Nicol. 1.* Michaelem Imperatorem, ſupra relata. Vbi nam legiſtis, &c. Dico Nicolaum ex eo, quod fides communis eſt omnibus, rectè collegiſſe; Imperatorem debere intereſſe non quidem, vt Iudicem, ſed vt eum, cui incumbit defendere communem fidem, edictis ac legibus, & ſi oportet etiam gladio. Refert autem multum vnde hoc fidei bonum veniat; quia ordo religionis peruertendus non eſt, vt docet D. Auguſt. de vtilitate *D. Aug.* credendi capitulo decimoſeptimo, iuxta quem ordinem non eſt omnium iudicare de fide, etſi omnium ſit tenere rectam fidem.

Ad quartum dico, quòd inferiores Paſtores ſunt particulares Paſtores, & ſubordinati ſuis epiſcopis. In Concilijs autem generalibus tractantur generalia, & quę vniuerſam concernunt Eccleſiam, vt dictum eſt, quare &

à ma-

à maioribus Prælatis, & præpoſitis Eccleſiæ illa tractanda ſunt.

Ad quintum dico, quòd ſoli hæretici & ſectarij ſunt propriè partiales: quià illi partes tenent à Catholica eccleſia, & fide ſeparati. Quamquam etiam ponendo veritatem Orthodoxam pro parte controuerſa contra hæreſim, in tali ſenſu omnes ſunt partiales tam Catholici epiſcopi, quam hæretici: Vnuſquiſque enim ad id, quod ſibi verum videtur fortiter aſficitur, & præiudicatam ſententiam adfert. Catholicus Orthodoxam ſententiam mordicus tenendo, & ſectarius ſuum nouum dogma pertinaciter aſſerendo. Alioqui ſi ſoli non partiales in Concilijs iudicare debent, Pagani, vel Iudæi iudices erunt controuerſiarum de fide. Denique in omnibus Concilijs contra hæreticos hactenus celebratis, Orthodoxi Epiſcopi præiudicatam ſemper ſententiam contra hæreticos ſecum ad Concilium attulerunt. Nihil enim vnquam in religione nouum ſtatuerunt, ſed veterem fidem contra nouos hæreticos explicauerunt, & confirmarunt. Quare liberum Concilium, quod poſtulant hodie hæretici, eſt vel Atheiſmus nouus, & nihil in fide certum tenere vel talis libertas, quæ omnes veteres damnatos hæreticos iuſtificat, omniaque vetera Concilia penitus damnat. Vnde apparet ne dum error, ſed delirium Lutheri dicentis omnes fideles, etiam fœminas, & agricolas debere ad Concilium vocari. Nulla enim Reſpub. bene inſtituta ad tractandas res graues agricolas vocat, aut fœminas.

Ad ſextum dico, epiſcopos quidem debere eligi quam doctiſſimos, & optimos, tamen eos authoritatem iudicandi habere, non quia docti ſunt, ſed quia ſunt perſonæ publicæ, id eſt, Principes habentes Eccleſiaſticam iuriſdictionem, quemadmodum etiam in Principibus, & Iudicibus ſæcularibus, requiritur quidem iuriſprudentia, & probitas, tamen non propterea licebit priuato homini, & meliori, & doctiori, deturbare Principem, aut Iudicem de ſua ſede, & eam occupare, atque adeo ne dum verum eſt, quòd in Concilijs generalibus Euangelia proponebantur; ſed etiam præcedentium Conciliorũ Confeſſiones de fide, & Canones de moribus, itemque ſcripta ſanctorum probabilium Patrum, vt manifeſtè videre eſt in actis Concilij Epheſ. generalis tertij, pro vt reperitur in Concilio Calcedon. act. 1. 2. & 3. In Concilio Generali quinto, collat. 3. in ſexto Synodo act. 8. & ſequen. & ſimiliter in omnibus Concilijs. Porro & ſi ſecundum ſolas ſcripturas iudicandum eſſet; non tamen niſi epiſcoporum hoc eſſet iudicium: quia ſolius eccleſiæ eſt authenticam ſcripturarum expoſitionem dare, vt ſupra dictum eſt.

Ad ſeptimum dico, quòd Apoſtolorum tempore Presbyteri vocabantur, qui nunc epiſcopi vocantur, tales erant Paulus, Barnabas, Iudas, Silas, Marcus, qui illi Concilio interfuerunt. Apoſtoli namque interfuerunt Concilio tanquam Iudices, Presbyteri ſi diſtinguantur ab Epiſcopis ad conſultandum, & plebs adfuit non quidem vocata, & conſenſit, non definiendo, vel diſputando, ſed tantum audiendo, & non reclamando; quod patet ex ipſo contextu: nam quod Apoſtoli tantum, & Presbyteri vocati ſint; patet ex eo, quod ibi dicitur, conuenerunt Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo hoc, vbi nulla mentio fit plebis: deinde, quod tam Apoſtoli, quam ſeniores locuti ſint, donec diſcutiebatur controuerſia, colligitur ex illis verbis, & cum magna diſquiſitio fieret, quod verò poſt diſputationem in qua Apoſtoli, & ſeniores locuti erant, ſoli Apoſtoli ſententias definitiuas dixerint, patet ex eo, quod ſoli Petrus, Paulus, & Barnabas, & Iacobus introducuntur à Luca loquentes; & quod nulli alij ſententiam dixerint, patet ex continuatione textus: Nam poſt Petri ſententiam mox ſubditur Tacuit autem omnis multitudo, & audiebat Paulum, & Barnabam: deinde ſubditur, & poſtquam tacuerunt nimirum Paulus, & Barnabas, Reſpondit Iacobus dicens, & mox finita Iacobi oratione ſubiungitur Tunc placuit Apoſtolis, &c. Quod autem dicitur Placuit Apoſtolis, & ſenioribus cum omni Eccleſia, intelligitur de conſenſu tacito, qui debet præſtari ab omnibus, qui ſunt in Concilio. Vide Concilium Carthaginenſe in operibus Cypriani: nam etiam in eo Concilio adfuerunt cum Epiſcopis etiam Presbyteri, Diaconi, & laici permulti, & tamen ſoli epiſcopi ſententias dixerunt.

Ad octauum dico, quòd Concilium Generale repræſentat vniuerſam eccleſiam, non exemplariter, ſed poteſtatiuè: quia capita totius eccleſiæ ibi congregantur, atque ideo ex omnibus orbis Chriſtiani prouincijs aliqui Epiſcopi neceſſario adeſſe, vel ſaltem conuocari, & inuitari debent, vt Concilium verè generale ſit, atque ita hactenus ſemper factum fuit. Ad id quod dicitur, quòd vnius hominis ſententia, &c. dico ſententiã vnius priuati poſſe anteponi ſententiæ Concilij generalis, dum cauſa diſcutitur; In diſcuſſione enim eruditio, non authoritas perſonæ primas partes tenet; atque etiam poſt definitionem, quando conſtat Concilium fuiſſe illegitimum; at nullo modo poſt definitionem Concilij legitimi. Gratianus non de Generali, ſed de particulari Concilio loquitur; Nec verba Hieronymi, (ſi eius ſunt, quæ à Gratiano citantur, nam in operibus Hieronymi non reperiuntur) cum Concilio pugnant. Hieronymus enim tantum dicit ſecundum legem veterem licuiſſe raptori ducere in vxorem mulierẽ a ſe raptam ſi pater eius Conſentiat; Concilium autem ſtatuit, vt non obſtante lege illa veteri, quæ iudicialis eſt, & Chriſtianos non obligat, non licet raptori accipere in vxorem eam, quam rapuit, & hoc in odium rapinæ, vt dicit Gloſſa, ſi tamen contrahit, tenet matrimonium. Panormitanus, & Gerſon loquuntur conditionaliter, ſicut Apoſtolus cum ait ad Galat. 1. Si nos, aut Angelus de cœlo euangelizaret, &c. atque adeo ſicut ex conditionali ſententia Apoſtoli non licet colligere, ergo Apoſtoli, & Angeli poterant euangelizare aliquid contrarium euangelio Chriſti, ita quoque ex eo, quòd Panormit & Gerſon dicunt licere vnicuique reſiſtere Concilio, aut Papæ, ſi eos errare videat, non licet colligere, ergo abſolutè Concilia, & Pontifices errare poſſunt, & ideo priuati homines ad Concilium vocandi ſunt. Deinde ipſi loquuntur de reſiſtentia, quæ poteſt fieri Concilio, vel Papæ, tempore diſcuſſionis ante deciſionem, vel etiam poſtea quando Concilium eſt illegitimum.

Ad vltimum dico D. Ambroſium tribuere populo iudicium priuatum non publicum. Cur autem ei tribuat priuatum cauſa erat: quia tunc Mediolani Imperator Arrianis faciebat, nec poterat aliud obtineri.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Solus ſummus Pontifex debeat in Concilio Præſidere.

CVm in eccleſiæ politia vnus ſit ſupremus Gubernator Petri ſucceſſor, vt ſupra viſum eſt, atque in omni bene ordinata multitudine neceſſe ſit aliquem præſidentem eſſe, iuxta illud Prouerb. vndecimo. Vbi non eſt Gubernator corruet populus. Ideo quæritur Quis nam in generalibus Concilijs debeat præſidere?

Et ratio dubitandi eſt: quia noſtri temporis Hæretici docent ordinarium Præſidem Conciliorum debere eſſe Imperatorem, vel aliquem ab eo miſſum, vel ſi nullum ipſe mittat, debere ab ipſa Synodo conſtitui. Et re ipſa dicunt in Concilijs generalibus antiquis non præfuiſſe fere vnquam Romanum Pontificem, ſed vel Imperatorem, aut eius Legatos, vel antiquiorem Patriarcham, aut Epiſcopum eius loci, vbi fiebat Concilium. Ita Magdeburgenſes centuria quarta, capitulo ſeptimo. Caluinus libro quarto, Inſtitut. capitulo ſeptimo, §. primo, & ſecundo. Carolus Molineus in Concilio de Concilio Tridentino non recipiendo, §. quarto. Hoc autem probant primo ex praxi quinque generalium Conciliorum. Nam in Concilio Niceno primo præfuit Conſtantinus Magnus, vt patet ex eius oratione ad Epiſcopos habita, qua eis modum, & formam procedendi deſcribit, & ex acceptis Epiſcoporum libellis ſupplicibus, vt Docet

Sozomen. *Theodor.* Sozomenus libro 11. capitulo 16. & Theodoretus lib. 1. capitulo ſeptimo. Item in Concilio Conſtantinopolitano primo, generali ſecundo, Præfuit Theodoſius Magnus, & omnem action. moderatus eſt teſte Sozomeno libro ſeptimo, cap. 8. In Concilio etiam Epheſino primo generali tertio, Theodoſius iunior per candidiantum Comitem præfuit, qui in Cyrillum, & Mennonem iniuſte depoſitos, tamen contra Concilij voluntatem pro depoſitis haberi pronunciauit. Et Ioannes Antiochenus cum ſuis Epiſcopis, à Concilio, & Roman. Pontif. Legatis euocati comparere noluerunt, niſi mandato prius ab Imperatore accepto, vt patet apud Liberatum in Breuiario, capitulo ſexto. Item in Calcedonenſi generali quarto, Martianus Imperatorum præſes interfuit, & per ſuos nobiles, qui Iudices in Concilio vocantur, omnes Concilij actiones moderatus eſt, vt Acta Concilij declarant Tomo ſecundo Conciliorum. Poſtremo in Concilijs Carthaginenſi ſexto præfuit Aurelius; & in Aquileienſi præſedit Ambroſius; ergo &c.

Secundo probant: quia Legati ſummi Pontificis in Concilijs accuſatorum partes gerebant; ergo non præſidebant, vt Iudices. Patet antecedens ex Concilio Calced. action. prima, vbi inſtante Paſchaliano vno ex legatis, vt Dioſcorus inter reos non inter epiſcopos ſederet, reſponderunt illi Commiſſarij Imperatoris. Si Iudicis obtines perſonam, non vt accuſator debes proſequi. Sic in Concilio generali ſexto, Legatus Roman. Pontif. accuſat Græcos quoſdam clericos de corruptis Actis Synodi quintæ, & de illa accuſatione Iudices laici in Concilio per examen cognoſcunt action. tertia, dicti Concilij.

Præterea multi Epiſcopi Concilijs generalibus præfuerunt præter Roman. Pontif. aut eos Legatos. Nam in Concilio Niceno primo, Euſtachius Patriarcha præſedit, & Legati Roman. Pontif. quarto loco conſederunt. In Concilio generali ſexto, Menna Patriarcha Conſtantinopolitanus præſedit; & in Epheſino generali tertio, Cyrillus Patriarcha Alexandrinus præſidebat, vt apparet ex actis ſingulorum.

Cæterum Catholici omnes id munus proprium eſſe docent ſummi Pontificis, vt per ſe vel per Legatos Synodo præſideat, & tamquam ſupremus; & tamquam ſupremus Iudex omnia moderetur. Prima pars probatur: quia ſicut Chriſtus in omnibus Concilijs ſpiritualibus præſidet iuxta illud promiſſum ſuum, Ibi ego ſum in medio eorum, Matth. decimooctauo, & cum in carne eſſet, omnibus Apoſtolis ſemper præſidebat, quorum ſe Patrē, & Paſtorē appellabat; ipſoſque filios, & oues, iuxta illud Lucę vigeſimoſecūdo, Ego in medio veſtrum ſum ſicut miniſtrās; & Ioan. decimo, Ego ſum Paſtor bonus, &c. Sic etiam Petrus in omni conuentu Apoſtolis præſidebat. Primum in electione noui Apoſtoli. Stans Petrus in medio fratrum dixit, &c. Actor. primo: Deinde in Concilio Apoſtolico Actor. decimoquinto, Surgens Petrus dixit ad eos, &c. Ita etiam Roman. Pontif. cum ſit verus Petri ſucceſſor, vt probatum eſt ſupra, eius eſt in omni Concilio fratrum præſidere. Eſt enim ſummus Pontifex Paſtor, & Pater totius Eccleſiæ, adeo vt etiam Epiſcopi, & Principes omnes reſpectu ſummi Pontificis oues, & filij dicantur, vt notum eſt ex illo Ioan. vltimo, Paſce oues meas.

Probatur ſecunda pars.

Secunda Pars probatur, ex perpetua Eccleſiæ Praxi. In omnibus enim Concilijs generalibus Roman. Pontif. per ſuos Legatos præſedit. Vnde in Concilio Calcedonenſi legimus action. decima, Miſſi Apoſtolici ſemper in Synodis prius loqui, & confirmare ſoliti ſunt. Hoc eſt autem præſidere. Pręterea de facto in Concilio Niceno primo, Hoſius, Vitus, & Vincentius loco Silueſtri Papæ pręſidebant, & primi ſubſcribunt, vt in actis Concilij patet Tomo primo, In Concilio Epheſino Cyrillus Alexandrinus locum Cœleſtini Papæ tenens præſedit, vt manifeſte conſtat ex Proſpero in Chronicis, ex Eugario libro capitulo quarto, & ex Concilio Calcedonenſi action. tertia, & quarta, & ex actis Synodi Epheſinæ. In Calcedonenſi Concilio Paſchaſinus, & Iulianus Epiſcopi cum Bonifacio Presbytero loco Leonis Papæ præſidebant, & ante omnes Patriarchas, & Epiſcopos ſimplex Presbyter tamquam Papę Legatus ſedebat, ſententiam dicebat, & ſubſcribebat, vt patet ex actis Concilij Calcedonenſis, Item ex epiſtola Leonis ad Martianum quadrageſimanona, & quinquageſima: & ad Anatolium epiſtol. quinquageſimatertia, & ad ipſum Concilium epiſtol. quadrageſimaſeptima. In Concilio Conſtantinopolitano ſecundo generali quinto, Menna Patriarcha, cum quatuor Epiſcopis, & duobus Diaconis illi aſſiſtentibus, & conſentientibus pręſidebant, vt patet ibidem actio. prima. Idem in alijs omnibus Concilijs obſeruatum fuiſſe ſingulorum acta demonſtrant, & potiſſimè in Concilijs orientalibus, quibus Roman. Pontif. nunquam inter fuit, vel quia non videbatur conuenire, vt caput ſequeretur membra, cum potius membra ſequi debeant caput: atque ita propterea interfuit Concilijs Romanis, & quibuſdam alijs, quę ipſe conuocauit ad ſe, id eſt, ad locum vbi ipſe erat, non autem voluit, neque debuit ire ad Concilia alibi congregata. Tum quia in Concilijs orientalibus ſemper interfuit Imperator, aut aliquis eius Legatus; & quamuis nec Imperator, nec Legatus eius pręſideret Concilio propriè, vt Iudex; tamen pręſidebat ſaltem quo ad locum materialem, & etiam ſi ſummus Pontifex ibi fuiſſet, adhuc voluiſſet ille, eo modo præſidere, vt patet ex Concilio Florentino in initio, vbi Gręci omnino contendebant, vt in ſummo loco ſederet eorum Imperator, & ſummum Pontificem pręcederet, at quamuis vtcumque tolerabile ſit, vt Principes ſæculares in Concilio ſedeant ante alios Epiſcopos, tamen nullo modo conuenit, vt ante ipſum ſummum Pontificem: Ne ergo vel hoc tolerandum eſſet, vel tumultus excitandus, Pontifex non ibat ad ea Concilia, ſed Legatos tantum mittebat: & fortè hęc eadem eſt cauſa, quare Vigilius Papa Conſtantinopoli exiſtens cum in ea Ciuitate fieret Concilium quintum generale, noluit Concilio intereſſe, ſed per libellum acta Concilij confirmauit, vt ſcribit Photius in libro de ſeptem Synodis. Cæterum, & ſi ipſe ſummus Pontifex perſonaliter illis Concilijs non interfuit, tamen Patres ipſi, & Epiſcopi omnes in Concilijs congregati diſertè profitentur Rom. Pontif. ipſis pręſidere. Sic Patres Concilij Calced. in epiſtola ſua ad Leonem Papam de ſe ipſis ſcribunt. Quibus tu quaſi caput membris pręeras, in his, qui tuum tenebant ordinem, beneuolentiam pręferens dicti Concilij actio. tertia.

Quare Pōtifex Romanus Cōcilijs orientalibus nō interfuit.

Photius.

Si quis autem quęrat ſi Papa non ſit pręſens, quot poterunt pręſidere nomine Papę? Dicendum eſt, quod vt Concilium valeat debet eſſe authoritate Papæ congregatum, vt ſupra dictum eſt, atque adeo erit in arbitrio Papæ, quot velit habere præſidentes: quia in hoc diuerſitas reperitur. Nam in Concilio Meldenſi pręſuit nomine Papæ Petrus Archidiaconus, Petrus Presbyter, & Abbas ſanctæ Sabinę tenentes locum Adriani Papæ, 1. queſt. ſeptima Conuenientibus. Item in Concilio Conſtantinopolitano in quinta action. pro Ioanne Papa octauo, præfuerunt Petrus Cardinalis, & Paulus Anconitanus Epiſcopus, & Eugenius Hoſtien. epiſcopus, vt ſeptima queſtione, primo capitulo. Hoc nequaquam. Item in Sardicenſi Concilio pręſuit Hoſius Corduben. Epiſcopus, & Vincentius Lapuanus Epiſcopus, & Ianuarius Beneuent. & Calepodius Neapolitan. Romanę Eccleſię Legati, vt in capitulo primo annot. §. quartodecimaſexta diſtinct. Item Adrianus Papa in octaua Synodo miſit ad pręſidendum in eadem Donatum Epiſcopum Hoſtienſem, & Stephanum Neopheſinum Chriſtum, & Martinum Diaconum, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, vt ſexageſimatertia diſtinct. capitulo, Adrianus il primo. Item in Carthaginenſi Concilio præfuit Fauſtinus Legatus Romanæ Eccleſiæ. Ex quibus apparet Papam poſſe nuncios præſidentes mittere ad Concilium tenturos eius locum ſi ipſemet nolit intereſſe, & quos, & quot voluerit pro ſuo arbitrio.

Quot præſidētes poſſit mittere pōtifex ad Conciliū.

Pro ſolutione tamen argumentorum obſeruandum eſt, quod præſidere in aliqua multitudine congregata contingit tripliciter; vno modo ad externam tantum collectæ multitudinis pacem, & vt omnia

Pręſidere in aliqua multitudine congregata contingit tripliciter.

ordi-

Digitized by Google

ordine tractētur. Hoc autem fieri poteſt etiam per eum, qui in illam multitudinem authoritatem propriam non habet; vt ſi Senatus aliquis ciuilis, virum aliquem nobilitate, & prudentia præſtantem intereſſe conuentui curaret, qui externam pacem componeret, aut conſeruaret. Sic Imperatores Concilijs generalibus interſuiſſe, & præſediſſe interdum dicuntur. Et in hoc ſenſu Patres Concilij Calced. diſertis verbis diſtinguunt. Cum enim in relatione ad Leonem Papam dixiſſent: Illum tãquam caput membris per legatos ſuos illis præfuiſſe, vt ſupra citatum eſt, ſubiungunt. Imperatores verò ad ordinandum decentiſſimè præſidebant, ſicut Zorobabel, & Ieſus Eccleſiæ Hieruſalem ædificationem renouare circa dogmata annitentes. Hæc ille act. 3. Et in hunc finem deputabant Imperatores Patricios, & primarios viros laicos, qui in Concilijs ea, quæ ad externam actionem pertinēt moderarentur, & vocantur Iudices, ſed neutrales quidem, & quaſi promotores erant. Horum enim officium erat proponere tractanda; lectionem eorum, quæ legenda erant ordine diſponere; lectionis factæ ſummam Concilio repetere, partes litigantes a tumultu compeſcere, ſententiam Concilij inquirere, eam pronunciatam ad Imperatorem referre, vt executioni mandaretur; vt manifeſtum eſt ex actis Concilij Calced. & aliorum.

Alio modo in multitudine congregata præſidere contingit, vt qui præſidet primum locum obtineat, primo loco loquatur; in definiendo tamen cæteris omnibus par ſit, vt primus Scabinus in Senatu Ciuium, vt Rector in Senatu Academico, atque hoc modo aliqui putarunt Romanum Pontificem, vel Legatos eius in Concilijs præſidere, non aliter, quaſi præſidentiam illic habere honorariam tantum, & non cum authoritate aliqua coniunctam; ſed hæc opinio non ſubſiſtit, vt mox videbitur.

Tertio modo contingit præſidere cum authoritate definiendi, vel confirmandi definita, atque ita in omnibus Concilijs generalibus Roman. Pontif. tamquam caput vniuerſalis eccleſiæ præſedit, per legatos ſuos; quo ad confirmationem fuſius patebit inferius articulo ſexto. Quo ad ipſam autem definitionem, & ſententiam ferendam Roman. Pontif. Legati non ſolum primi ſententiam dicere, ſed & dicendo cæteris præſcribere ſolebant, ita vt in eorum ſententiam cæteri omnes epiſcopi neceſſario deſcendere debuerint. Patet manifeſte ex Concilio generali tertio, vbi Cœleſtini Papæ ſententiam circa damnationem Neſtorij, Cyrillus loco Cœleſtini præſidens neceſſario ſe ſequi profitetur, epiſtola duodecima, inter epiſtolas Cyrilli. Sic Anthymus Patriarcha hæreticus à Synodo generali quinto, damnatus eſt iuxta formam, & tenorem ſententiæ prius ab Agapeto Papæ latæ, vt videre eſt actio. quarta, eiuſdem Synodi. Dioſcorus damnatus eſt in Concilio Calced. quia epiſtola Leonis Papæ contra Euthychem in Concilio Epheſ. ſecundo, prædatorio dicto non obtemperabat; vt patet in Concilio Calced. actio. tertia, vbi inter capita damnationis hoc ſecundo loco ponitur. In ipſa quoque ſententia contra Dioſcorum ferenda, Legati Romani Pontif. poſtquam ter, quaterve ad declinandam inuidiam totius Concilij ſententiam expetijſſent ipſi primum contra eum ſententiam ferunt, atque pronunciant, idque rogantibus alijs epiſcopis, quorum vnus ſic eos alloquitur. Nunc veſtra Sanctitas primatum tenet ſanctiſſ. Leonis &c. & paulo poſt. Petimus veſtram Sanctitatem, qui habes, magis autem, qui habetis (tres enim legati erant) locum Sanctiſſ. Papæ Leonis promulgare in eam ſententiam. Quod vbi Legati Papæ definitiuè feciſſent, cæteri omnes epiſcopi in illorum ſententiam diſertè conſentiendo, & hoc ipſum profitendo idem iudicium pronunciant actio. eadem. In eodem Concilio eadem actio. quarta, omnes epiſcopi Leonis Papæ epiſtolæ contra Euthychem ſubſcribunt, & cum quidam ſubſcribere recuſarent, & nihilominus anathema Euthychi pronunciarent acclamatum eſt ab omnibus epiſcopis. Subſcribant epiſtolæ Leonis. Qui non ei ſubſcribit hæreticus eſt. In eodem Concilio actio. quinta, Cum multo maior pars epiſcoporum definitionem fidei concepiſſet, in qua doctrina Leonis Papæ contra nouam Euthychetis hæreſim expreſſa non eſſet propter interlocutionem Legatorum Papæ comminantium fore, vt Romam reuertarentur, ibique Synodum celebrarent, coacti ſunt omnes Epiſcopi verba Leonis definitioni addere, clamantibus tandem epiſcopis orientalibus, & Illyricis. Qui contradicunt Romam ambulent. In eodem Concilio actio. ſexta, delecta definitione fidei coram Imperatore præſente, Paſchaſius primus Papæ Legatus in hanc formam ſubſcribit. Paſchaſius epiſcopus vice Domini mei beatiſſimi, atque Apoſtolici vniuerſalis Eccleſiæ Papæ vrbis Romæ Leonis Synodo præſidens, ſtatui, conſenſi, & ſubſcripſi. Sic etiam in tertio actio. eiuſdem Concilij idem Paſchaſius præfatur. Apoſtolicus, & Catholicus Papa Leo noſtram paruitatem huic ſancto Concilio pro ſe præſidere præcepit: ideoq; neceſſarium eſt, hæc quæ in medium proferuntur per noſtram interlocutionem diſceptari, eadem præſidentiæ authoritas ex alijs omnibus Concilijs maximè ſubiectus demonſtrari facile poſſet.

Nec tamen propter hoc ſequitur, quod cæteri epiſcopi non definiant, aut conſiliarij tantum ſint, & nõ etiam Iudices in Concilijs; quoniam & ſi Roman. Pontif. vel eius Legati, interſint cum authoritate definiendi, & determinandi, atque hac ratione cæteris omnibus epiſcopis præſideant; tamen omnes Epiſcopi, vt eccleſiarum epiſcopi, & animarum Paſtores iudicant, & ſi Petri ſucceſſor primus iudicet, & primus definiat, & cæteri Epiſcopi eius ſententiam ſequantur. Sicuti in Concilio Apoſtolico Actorum decimoquinto, Petrus primus ſententiam dixit, & in eius ſententiam cæteri Apoſtoli tranſierunt. Nec propterea ſolus Papa omnia facit, ſed omnibus epiſcopis pariter iudicantibus, Petri ſucceſſor, & ordine antecedit, & firmitate fidei cæteros omnes præcellit. Denique epiſcopi in Concilijs ſic iudicant, vt tamen ſinguli errare poſſint, imò, & aliquando maior pars errauerit, vt manifeſtum eſt in Concilio Calced. action. quinta, & actio. vltima, ſed & Ariminenſe totum, & maximum concilium in definitione fidei errauit ab Arianis deceptum. Solus autem Petrus, & eius ſucceſſor, ne erraret accepit à Chriſto fidei indefectibilitatem, idque in eum finem, vt fluctuantes fratres, & coepiſcopos confirmaret in fide Lucæ. 22. Eius ergo eſt ſic iudicare cum cęteris, vt tamen aliorum iudicia corrigere valeat, quod eſt circa definitionem fidei verè præſidere.

Ad primum ergo argumentum dicendum, quòd dicti Imperatores præſidebant in dictis Concilijs quo ad externas actiones vt dictum eſt, ſed non quo ad fidei definitionem, aut confirmationem ſicuti Roman. Pontifex. Nam Conſtantinus in primis poſt omnes Epiſcopos ſubſcripſit, vt teſtatur Baſilius Imperator in fine octauæ Synodi, at Præſes primo loco ſubſcripſit. Deinde Conſtantinus non auſus eſt ſedere niſi in ſede humiliori, quam eſſent Epiſcoporum, & annuentibus Epiſcopis, vt colligitur ex Theodoreto lib. 1. cap. 7. & Euſebio lib. 3. de vita Conſtantini. *Theodor.* *Euſebius.*

Præterea Conſtantinus in ipſo Concilio profeſſus eſt ſe debere ab Epiſcopis iudicari, eiſque ſubiectum eſſe non præpoſitum, vt ſcribit Ruffinus libro decimo, capitulo ſecundo. Item de Conſtantino teſtatur Ambroſius epiſtola trigeſimaſecunda, quòd nullas leges ante præmiſit, ſed liberum dedit iudicium ſacerdotibus. Et quo ad libellos ſuplices, quod de illis iudicare recuſauit, id eum feciſſe ait Gregorius magnus, & ex reuerentia impenſa in Regiſtro libro quarto, epiſtola tertia. *Ruffinus.* *Ambroſ.* *D. Greg.*

De Theodoſio primo in Concilio Conſtantinopolitano primo, ſcribit Ambroſius. Noluit iniuriam facere Sacerdotibus. Ipſos interpretes conſtituit Sacerdotes. hæc ille in actis dicti Concilij. Tom. 1. Conciliorum. *Ambroſ.*

Quod ad Theodoſium ſecundum in Concilio Epheſ. attinet, mittit ad Concilium Candidianum Comitem, vt eius loco interſit, ſed cum hac commiſſione. In nullo quidē quæ facienda ſunt de pijs dogmatibus quæſtiones communicare, &c. inter Epiſtolas Cyrilli, epiſt. 17. & in actis dicti Concilij. Quę autē in fauorem Ioannis Antiocheni contra Cyrillum, & Concilium poſtea fecit,

ciam reprimendam, ſicut eſt Concilij generalis authoritas. Quã propter cum hæretici omnes obſtinatè ſuos tueã tur errores, euenit, vt ſi forte eorum aliquis error per Concilium fuerit damnatus, ad hoc eis commune aſylum confugiant, dicentes Concilium in tali definitione erraſſe. Hoc egit Arrius: cum enim damnatus fuiſſet in Concilio Nicæno, ille, & eius ſequaces acquieſcere nolentes definitioni Concilij, dixerunt Concilium erraſſe.

Ad eumdem modum ſe habuit Neſtorius, in Concilio Epheſino damnatus, vt ille, & eius fautores ſuam ſententiam Concilij Epheſini decreto præponerent. Nec aliud fecere Euthyches, & Dioſcorus in Concilio Calcedonenſi damnati. Notiſſima eſt etiam hiſtoria de Ioanne Huſſ Bohemo, qui cum amplexus fuiſſet doctrinam Ioannis VVicleff, & eam vidiſſet in Concilio Conſtantienſi damnari, nec tamen propter hoc deſtuit ſuum mordicus tenere errorem dicens, Concilium Conſtantienſe erraſſe in cõdemnatione Ioannis VVicleff. Poſtremo hæretici huius temporis nullum Concilium eſſe volunt, quod errare non poſſit; ita Lutherus aſſerit art. 28. & 29. & in lib. de Concilijs. Brentius in cõfeſſione VVittembergenſi c. de Concilijs, Caluinus lib. 4. Inſt. c. 9. §. 8. & in minori inſtitutione c. 8. §. 163. & ſequentibus. Imò Lutherus cum à principio prædicationis ſuorum errorũ à Cõcilium appellaſſet, timens poſtea ne forte Concilio congregato ſua venenoſa dogmata damnarẽtur, addidit hoc aliud venenum, dicens Concilium generale quantumlibet probè (vt decet) congregatum, poſſe in fide, & moribus errare, & Concilium Conſtantienſe erraſſe in condemnatione Ioan. Huſſ.

Probant autem ſuam ſententiam ex eo potiſſimum, quòd multa Concilia generalia legitimè etiam authoritate Papæ congregata, vel etiam confirmata, de facto errauerunt, vt conſtat de Concilio Ariminenſi, quod erraſſe fertur, quia Patres ſubſcripſerunt ſententiæ Arrij. Ideo diſt. 15. c. Sancta Romana Eccleſia reprobatur, & tamen fuit generale 880. Epiſcopis, vel patribus authoritate Papæ congregatis.

Secundò Concilium Epheſinum errauit cum hæretico Euthychete, & Dioſcoro ponentibus in Chriſto geminam perſonam; vt habetur in Concilio Calcedonenſi act. 1. & ſequentibus, & tamen authoritate Leonis I. legitimè congregatum eſt, vt conſtat ex Epiſt. ipſius notã, & ex hiſtoria tripartita lib. 5. c. 29.

Tertiò Concilium Conſtantinopolitanum tempore Stephani Papæ errauit damnando vſum imaginum.

Quartò Concilium Nicænum Primum errauit damnando militiam, quàm D. Ioan. Baptiſta, Lucæ 3. approbat præſcribens legem militibus.

Quintò errauit Concilium Conſtantienſe, ſeſſ. 4. definiens Concilium eſſe ſupra Papam, cuius contrarium poſtea fuit definitum in Concilio Florentino, vt ſupra retulimus.

Sextò Concilium Baſileenſe authoritate Papæ Eugenij IV. legitimè congregatum etiam errauit in fide, dum ſeſſ. 2. definiuit, quod neque per Papam poterat diſſolui, aut ad alium locum transferri, vel ad aliud tempus prorogari abſq; eiuſdem Concilij deliberatione, & conſenſu.

D. Augu. Et confirmatur ex D. Auguſt. contra Donatiſtas, c. 3. Sic dicente Concilia plenaria priora, à poſterioribus emẽdari. Item Gregorius Nazian. in Epiſt. ad Procopium, *Gre. Naz.* ita loquitur. Ego ſi vera ſcribere oportet, ita animo affectus ſum, vt omnia Epiſcoporum Concilia fugiam: quoniam nullius Concilij finem lætum fauſtumq; vidi, nec quod depulſionem malorum potius, quàm acceſſionem, & incrementum habuerit. *Iſidorus.* Et Beatus Iſidorus in c. Domino Sancto; verſiculo, in fine autem 50. diſtin. dicit, quòd ſi in Concilijs inueniatur diſcors ſententia, ſtandum eſt illi, cuius potior, grauior, & antiquior fuerit authoritas.

Secundò arguitur. Si Concilium de quo loquimur non poſſet errare, maximè quia ei aſſiſtit Spiritus Sanctus, ſed ei non aſſiſtit; ergo &c. maior, eſt nota, & probatur minor: quia Spiritus Sanctus non aſſiſtit ſuperfluis. Concilium autem ſuperfluum eſt: quia Eccleſia regitur à Spiritu Sancto; ergo &c.

Tertiò arguitur Concilia congregantur, vt definiant de fide, & definita proponant omnibus credenda, ſed nullus tenetur credere definitis ab hoc Concilio v.g. Tridentino; ergo &c. probatur minor; quia non ſunt de fide. quod ita probo: quia quamuis ſit de fide, quod definita à Concilio legitimè congregato, & confirmato per Papam ſint vera, atque adeo de fide tenenda; non eſt tamen de fide, quod hoc Concilium ſcilicet Tridentinum ſit legitimè congregatum, ſed de cognitione, & fide morali: Nam vt Concilium ſit legitimè congregatum, requiruntur, vt Papa congregans illud ſit verè baptizatus, & ſimiliter Epiſcopi, & vt Papa ſit legitimus Papa; quæ omnia ſub opinione ſunt, & de fide morali, & per conſequens definita ab hoc Concilio erunt de opinione, vel de fide morali, non autem de fide diuina: quia concluſio ſequitur debiliorem præmiſſam. Simile eſt. De fide eſt, quod ſub hoſtia rite conſecrata eſt Chriſtus; at non eſt de fide, quod ſit ſub iſta hoſtia; ita in propoſito; quamuis ſit de fide, quod Concilium confirmatum per Papam non poſſit errare; non eſt tamen de fide, quòd hoc Concilium ſcilicet Tridentinum non poſſit errare: quia ſicut non cõſtat ex fide an Sacerdos conſecrans iſtam hoſtiam ſit verè Sacerdos; ita non conſtat, an Papa congregans Concilium ſit verè Papa, & an Epiſcopi congregati ſint verè Epiſcopi, & an poſita ſint ad definiendum omnia requiſita, & omnes circumſtantiæ neceſſariæ ſint ſeruatæ.

Pro ſolutione huius quæſt. obſer. eſt primo, quòd circa hanc difficultatem eſt omnium catholicorum concors ſententia. Concilium celebratum Papa præſente, vel ipſum confirmante non poſſe errare in fide, & moribus, nec in latione legum vniuerſalium. Hæretici autem minuunt authoritatem Conciliorum: quia qui malè agit odit lucem, præſertim Lutherus, cuius artic. 9. eſt, (vt ſupra retulimus) quod Concilium poteſt errare, vt cæteri homines: & probat argumentis poſitis, & adducit Panormitanum in c. Significaſti de elect. dicentem plus credendum eſſe homini docto in ſcriptura, quàm Papæ, & proinde quàm Concilio; *Panorm.* & Gerſon libro de exam. doctri. dicit ſi viderit vir peritus errare Concilium debet illud *Gerſon.* admonere; ex quo iſte hæreticus, & ſequaces colligunt illam ſuam ſententiam ſupra impugnatam, quòd ſola ſcriptura eſt regula fidei.

Concilia vniuerſalia dupliciex cauſa congregantur. Secundò obſeruan. eſt, quòd eſt antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudo cum ipſa Chriſti Eccleſia fere orta celebrandi Concilia plenaria, Apoſtoli enim Act. 15. Fecerunt Concilium ad definiendum legalia ceſſaſſe, cuius cauſa potiſſima eſt: quia cum fides ſit vna omnium, non per prouincialia concilia, ſed per generalia debet explicari; quod enim ad omnes ſpectat ab omnibus debet approbari. Et alia cauſa eſt: quoniam multorum iudicium circa eamdem rem facilius inueniet verum, & optimum iuxta prouer. 11. Salus eſt, vbi multa conſilia; & Eccleſ. 6. In multitudine presbyterorum prudentium ſta, & ſapientiæ illorum ex corde coniungere, vt omnem narrationem Dei poſſis audire, & Sapien. 6. Multitudo ſapientium ſanitas eſt orbis terrarum.

Conciliũ vniuerſale Eccleſiam repræſentat. Tertiò obſer. eſt, quòd Concilium vniuerſale repræſentat totam Eccleſiam Catholicam, & quod ibi definitur, ac ſi à tota Eccleſia definiretur habendum eſt, vt probat latè Pater Caſtro lib. 1. aduerſus hæreſes c. 6. & dicitur in Concilio Conſtantienſi. ſeſſ. 4. & probatur. *Caſtro. Cõc. Conſt.* Congregatio illorum quibus Ciuitatis cura commiſſa eſt dicitur Vniuerſitas, & Reſpub. vt apertè patet. Sed Epiſcopis ſimul cum Papa commiſſa eſt à Chriſto cura totius Eccleſiæ, ergo vbi iſti congregantur ibi dicitur eſſe tota Eccleſia; idem eſt de Capitulis prouincialibus, & generalibus ordinum, in quibus dicitur congregari tota Prouincia, vel Religio: quia illi ad quos cura Religionis ſpectat congregantur.

Et confirmatur ex illo 3. Reg. 8. Vbi congregati ſunt omnes maiores natu Iſrael cum Principibus Tribuum, & Duces familiarum Prouinciarum Iſrael, quorum congregatio vocatur omnis Eccleſia Iſrael. & Act. 15. primum concilium, quod celebrauerunt Apoſtoli appellatur tota Eccleſia.

1. Conclu. Prima Concluſio. Concilium illegitimum, id eſt, ſine Papæ authoritate congregatum poteſt errare in omnibus,

omnibus. probatur, Tale Concilium eſt ſchiſmaticum, ergo longè eſt à Spiritu Sancto, qui eſt Deus Pacis, & non diſſenſionis, atque adeo poteſt errare. probatur antecedens, quia membra diuiduntur à capite, cui tenentur parere. Nam Concilium vniuerſale, quod à Pontifice vniuerſalis Eccleſiæ Paſtore non indicitur, ne Concilij quidem nomine dignum eſt, ſed Conciliabulum potius eſt appellandum, vt ait Pelagius, diſt. 17. c. Multis. Ab omni autem ratione alieniſſimum eſt, vt de ijs rebus, quæ ad vniuerſam Eccleſiam pertinent, cum authoritate agatur, niſi ex eius præſcripto, qui præeſt Eccleſiæ vniuerſæ.

2. Concl. Secunda Concluſio. Concilium plenarium legitimè congregatum etiam Papa præſente, vel ipſum confirmante poteſt errare in iudicialibus, ciuilibus, & criminalibus ferendo ſententiam contra aliquem, vel pro aliquo. Probatur: quia tunc Concilium non ſequitur teſtimonia infallibilia, ſed humana, quæ falli, & fallere poſſunt; ergo &c. Item nec aſſiſtit ei Spiritus Sanctus in illa materia, quæ non eſt de neceſſarijs ad ſalutem, poteſt etiam errare in materia Philoſophiæ, vt errauit Concilium Nicenum ſecundum, dicens angelos eſſe corporeos, cuius oppoſitum dicit Concilium Lateranenſe, vt refertur in c. firmiter, de Summa Trinitate, & fide Catholica; poteſt etiam errare in materia de apicibus iuris: quia in Concilio Viennenſi dicitur, in rebus vſu conſumptibilibus, vſum diſtingui realiter à Dominio, cuius contrarium definiuit Ioannes 22. quem ſequuntur plurimi, ſecundum quorum ſententiam Concilium errauit; nec eſt inconueniens: quia hæc omnia non ſunt neceſſaria ad ſalutem.

3. Concl. Tertia Concluſio. De fide eſt Concilium Plenarium legitimè congregatum, in quo eſt Papa præſens, vel ipſũ confirmans, non poſſe errare in definitionibus fidei, & morum. Probatur: quia alias Papa erraret contra omnia ſupra dicta quæſt. 2. art. 4. & 5. Probatur ſecundo, Spiritus Sanctus aſſiſtit in primitiua Eccleſia, ne erraret in definitionibus fidei: dicitur enim Act. 15. Viſum Spiritui Sancto, & nobis; vbi non eſt ſermo ex reuelatione, ſed ex ſtudio, vt modò fit in Concilis; ergo adeſt modò Spiritus Sanctus in Concilijs plenarijs ad definiendas res fidei, & morum. Probatur conſequentia: quia tunc aſſiſtit, quia veritas fidei erat neceſſaria ad ſalutem; ſed modò etiam veritas fidei, & morum ſunt neceſſariæ ad ſalutem; ergo &c.

D. Greg. Tertiò probatur ex multis decretis pontificum poſitis in d. 15. decreti, vbi citatur ſententia D. Gregorij dicentis, quòd ſicut quatuor Euangelia, ita ſunt recipienda quatuor Concilia generalia; ſed cætera omnia Concilia generalia per Papam confirmata habent eamdem authoritatem, quam illa quatuor; ergo &c. Et cõfirmatur, quia

Conc. Tri. in Concilio Trident ſeſſ. 6. can. vltimo feriuntur anathemate, qui dixerint aliquid eſſe in illa ſeſſ. cõtra fidem; ergo quicquid ibi definitur ad fidem ſpectans, de fide tenendum eſt.

Quartò probatur ratione. Concilium repræſentat vniuerſam Eccleſiam ex 3. notabili; at Eccleſia vniuerſalis eſt infallibilis veritatis in fide, & moribus, vt probatum eſt, quæſt. 1. ergo &c.

Præterea de fide eſt Deum non deficere in neceſſarijs ad ſalutem, ſed certa fides, & recti mores ſunt neceſſarij ad ſalutem; ergo in his Deus non deficiet; Deficeret autem ſi Cõcilium de quo loquimur erraret; nihil enim haberemus certum de fide; ergo &c.

Vltimo probatur, de fide eſt ſcripturam diuinam eſſe canonicã; ergo de fide eſt Concilium non poſſe errare: quia ſcriptura recipitur à Concilio, quod ſi poſſet errare, vniuerſa fides, & eius fundamentum rueret; Hæc etiam concluſio probatur eiſdem rationibus, quibus probatur concluſio prima art. ſequentis.

Ad primũ. Ad primum argumentum nego antecedens, & ad probationem dico, quòd Concilium Ariminenſe non fuit legitimum: Sola enim Imperatoris Conſtantij authoritate fuit congregatum, atque adeo reuocatum fuit. Nam per fraudes Aetij, & Arrianorum, & ſine libero Conſenſu Liberij Papæ renitentis, per Conſtantium Imperatorem coactum eſt, & reclamantibus Papæ Legans, pluribus etiam Patribus ipſius Concilij, decretum ibidem cõtra idem factum eſt, vt latius refert Nicephorus, in ſua hiſtoria Eccleſiaſtica lib. 9. c. 20. 23. 39. 44. Quare Gelaſius Papa in c. Sancta Romana Eccleſia 15. d. vbi recenſitis Concilijs legitimis Ariminenſe Concilium haud numerauit.

Concilium Epheſinum licèt à principio fuerit authoritate Papæ congregatum; tamen neque legitimè proceſſit, neque fecit quod in ſe erat ad rectè definiendũ, dũ cõtradicentibus Papæ legatis, & pluribus PP. Concilij; illi qui malo animo erant ex parte Euthychetis, qui fraudulenter, & malè affecti illud Concilium procurauerunt minis, & terroribus coegerunt plurimos Patres, vt illi eorum hæreticæ definitioni ſubſcriberent, quare tamquam illegitimũ abrogatũ fuit in Concilio Calcedonenſi act. 1. & ſequentibus, & ipſe Leo Papa Epiſt. 11. 12. 17. 21. 25. ſæpe teſtificatur. Vel Conciliũ illud fuit illegitimum, non dum propter defectum libertatis, minis enim, & terroribus Dioſcorus compulit Epiſcopos, vt ſibi ſuffragarentur: ſed etiam quia legati abuſi sũt authoritate. Vel tertiò reſpondetur illud Concilium fuiſſe diſſolutum authoritate Papæ antequam Patres ſubſcriberent Dioſcoro: quia vt conſtat ex ipſo Concilio legati refragati ſunt maiori parti Concilij, vt Dioſcoro ſuperbienti, atque ita viſi ſunt Concilium damnaſſe, & ſuam authoritatem præſtare noluiſſe.

Concilium Conſtantinopolitanum damnans vſum imaginum congregatum fuit ſola Imperatoris Conſtantini authoritate, vt habetur expreſsè in Concilio Niceno 2. quod dicitur 7. Synodus generalis act. 6. tom. 1. & in Concilio alio generali Conſtantinopolitano 4. quod dicitur 8. Synodus act. 7. atque adeo Stephanus Papa congregauit Romæ Concilium in quo præfatum Concilium damnauit, ſicut eadem de cauſa per Adrianum ſecundum: aliud Conciliabulum Conſtantinopolitanum reprobatum fuit.

Ad Concilium Nicenum primum reſpondetur, quòd non damnauit abſolutè militiam, ſed ſub conditione: tempore enim illius Concilij Imperatores Pagani in odium Chriſtianorum iuſſerunt nullum Chriſtianum deferre poſſe militiæ cingulum, quod erat ſignum nobilitatis: quare aliqui Chriſtiani apoſtatabant à fide, vt nobilitatis ſignum deferrent; & diſputatum fuit in illo Concilio, an ſi iſti reuerterentur ad Eccleſiam eſſent recipiendi; de quo ibi ſic definitur. Si qui per gratiam Dei vocantur, primo quidem oſtendant fidem ſuam depoſito cingulo militiæ, poſt hæc autem ſi ad proprium vomitum reuerſi ſunt, & vt pecunias darent, & ambirẽt redire rurſus ad militiam, iſti decem annis ſint inter pœnitentes. Verba autem Canonis ſunt hæc. Quicumque vocati ſunt per gratiam, & primordia demonſtrantes bona depoſuerunt cingulum militiæ, poſtea verò ad proprium vomitum reuoluti ſunt, ita vt aliqui, & pecuniam conferant, & beneficijs militiam repetant, iſti decem annos ſuccumbant poſt triennium auditionis tempus &c. tom. 1. Concil. in lib. 3. Concilij Niceni can. 19.

Concilium Conſtantienſe in illa ſeſſ. 4. iuxta ſententiam Caiet. illegitimum fuit, vt ſupra diximus q. 2. art. 6. *Caiet.*

Cano etiam lib. 5. de locis 1. Finali ad ſextum refert Concilium Trulanum in multis erraſſe. Reſpondet tamen fuiſſe illegitimum: quia nec Papa, nec eius Legati in eo interfuerunt, quod probat ex multis hiſtorijs. Turrecremata etiam lib. 3. ſuæ Summæ c. 58. refert Conciliũ Aquiſgranenſe nullius eſſe valoris, quia authoritate Imperatoris, & non Papæ celebratum fuit. Nos autem quo ad Concilium Conſtantienſe dicimus primo fuiſſe legitimum, & approbatum, ſed non pugnare cum his, quæ diximus, neque cum Florentino Concilio. Non enim definiuit abſolutè Concilia generalia habere à Chriſto poteſtatem ſupra Pontifices, ſed tantum in caſu, id eſt, tempore ſchiſmatis, quando neſcitur quis ſit verus Papa: nam dubius Papa habetur pro non Papa, & proinde habere ſuper illum poteſtatem in Papam. ita Turrecremata, Campegius, Sanderus, & Pater Corduba, locis, vbi ſupra citans. *Cano.* *Turrecre.* *Campeg.* *Sanderus.* *Corduba.*

Secundò reſponderi poteſt, non fuiſſe Concilium Conſtantienſe cum id aſſeruit eiuſmodi, vt quæſtiones de fide definire poſſet; cum tantum adeſſet tertia pars Eccle-

ſiæ,

Digitized by Google

ſiæ, id eſt, ij tantum prælati, qui obediebant Ioanni: Nam qui obediebant Gregorio, & Benedicto repugnabant ijs, quæ a Synodo fiebant. Deinde non aderat tunc certus Papa in Eccleſia, ſine quo dubia de fide definiri non poſſunt. In Concilio autem nullus erat Papa Ioannes enim 23. qui Concilium inchoauerat iam inde receſſerat cum 4. ſeſſio haberetur. Neque Martinus Quintus illud decretum confirmauit; ipſe enim diſertè dixit ſe confirmare tantum ea decreta de fide, quæ facta erant conciliariter, id eſt, more aliorum Cõciliorum re diligenter examinata; conſtat autem illud decretum ſine vllo examine factum à Concilio Conſtantienſi, itaque Martinus cum confirmauit decreta de fide conciliariter concluſa intelligebat tantum de damnatione hæreſum VVicleffi, & Huſſ.

Ad Concilium Baſileenſe dupliciter reſpondetur, primo quod non legitimè proceſſit, volens etiam ſine cauſa ſufficienti deponere Eugenium IV. Vt multi Doctores ſic opinãtur, pro quibus facit Extrauag. Sixti IV. Graue nimis de reliq. & vener. Sanct. acceptata in Concilio Tridentino ſeſſ. 5. in qua habetur, quòd de præſeruatione B. Virginis in ſua conceptione nihil habetur deciſum ab Eccleſia, ex quo videtur, quòd deciſio ipſius Cõcilij Baſileenſis ſeſſ. 36. ſuper hoc non habetur pro deciſione Concilij legitimi, & authentici. Quamuis multi alij oppoſitum teneant dicentes illud eſſe legitimum; ſed cum lis adhuc ſub iudice pendeat, & catholicorum ſuper hoc ſint opiniones: neutrum certum eſt, nec inde ſumptum valet argumentum.

Secundò modò etiam ſi teneamus Concilium illud omnino legitimum, & authenticum eſſe, dico nullam eius definitionem erroneam eſſe; nam ad bonum ſenſum omnia ibidem definita ſaluantur in veritate, vt docet Pa-
Corduba. ter Corduba lib. 4. quæſt Theologici q. 4. ad nonum.

Ad Confirmationem reſpondetur D. Auguſtinum, & Patres loqui de Concilijs plenarijs in materia de facti contingentia, iuxta ſecundam concluſionem; ait enim D. Auguſt. ibi ipſa Concilia priora à poſterioribus emendari, quando aliquorum experimẽto aperitur, quod clauſum erat, & agnoſcitur, quod latebat; in materia autem fidei Concilium non ſequitur experientiam, ſed diuinam reuelationem Secundò dici poteſt D. Auguſt. forte loqui de Concilijs illegitimis, quæ per poſteriora legitima emẽdantur, vt accidit Concilio Epheſino ſecundo quod in Calcedonenſi emendatum eſt: Vel tertio dici poteſt Cõcilia priora emendari per poſteriora, quo ad præcepta morum, non quo ad dogmata fidei, præcepta enim mutantur iuxta temporum, locorum, & perſonarum mutationes, & illę mutationes dicuntur emendationes, non quod res mala eſſet eo tempore, quo eſt inſtituta, ſed quod mala eſſe cœperit mutatis circumſtantijs.

Gregorius autem Nazianzenus non negat legitima Concilia certam fidem habere. Sed queritur ſuo tempore nullum Concilium fieri potuiſſe omni ex parte legitimum id, quod veriſſimum eſt: Nam Gregorij ætas incidit in tempus medium inter Concilium primum, & ſecundum generale, quo tempore plurima facta ſunt Concilia, quæ propter multitudinem Epiſcoporum hæreticis fauentium infauſtum exitum habuerunt, qualia fuerunt Seleucenſe, Tyrenſe, Ariminenſe, Mediolanenſe, Syrmienſe &c.

Ad B. Iſidorum dico, quòd intelligitur de his, quæ ſunt de facto, vide ibi gloſſam.

Ad ſecundum. Ad ſecundum negatur minor, & ad probationem ſimiliter, nego minorem, & probationis nego conſequentiam: quia ſimili argumento probaremus, numquam oportere comedere; Deus enim eſt in quo viuimus, mouemur, & ſumus, at Deus res quas condidit ſic adminiſtrat, vt proprios motus agere ſinat. Ita Eccleſiam ſuam gubernat per ſuos miniſtros Papam, & Epiſcopos; atque ita Spiritus Sanctus aſſiſtit illis in rebus neceſſarijs ad ſalutem, quales ſunt res fidei, & morum. Præcipuum autem munus Papæ, & Epiſcoporum eſt interpretari ſcripturam, & definire res fidei, & morum, ad quod aliquando Papa indiget Concilio.

Ad tertiũ. Ad tertium plurimæ aſſignantur ſolutiones. Reſpondetur autem primo negando minorem, & ad probationem negatur, non eſſe de fide hoc Concilium, verbi gratia, Tridentinum eſſe legitimè congregatum: quia imò eſt de fide, eo enim ipſo, quod Concilium definit aliquid de fide obligans ſub anathemate omnes ad credendum: ẽt credendũ eſt fide diuina, q ſit legitimè congregatum, & vtrumque definitur vnico actu, verbi gratia, definitur in Concilio Tridentino, quod ſola fides non ſufficit ad iuſtificationem, & ſimul definitur eiſdem verbis, quòd Concilium hoc definiens eſt rectè congregatum; & Concilium de ſe ipſo teſtimonium perhibet, & verum eſt teſtimonium eius, vt ſupra diximus de Eccleſia, & de ſcriptura diuina: & probo hoc ita eſſe, hac conſequentia, omne Concilium obligans ad credendum omnem Eccleſiam eſt rite congregatum: ſed hoc Concilium Tridentinum obligat ad credendum totam Eccleſiam; ergo eſt legitimè congregatum. Maior eſt de fide, & minor ſimiliter; quia ſi non eſſet de fide duo ſequerentur contra fidem, primum quod nullum Concilium me obligat ad credendum: quia ſi non Tridentinum; ergo nullum, eadem eſt enim omnium ratio. Secundum quod fruſtra eſſet collata poteſtas congregandi Concilia ad definiendas res fidei, quia non obligant nos, & per conſequens non eſſet talis poteſtas in Eccleſia; nam Deus nihil facit fruſtra; atque ita incideremus in errorem Lutheranorum, quòd quilibet eſſet iudex in rebus fidei: quia iudex, vt ſupponimus, non eſt Concilium, neque Papa: quia loquimur de Concilio includente Papam. Vnde etiam conſequens eſt de fide, quòd ſcilicet Concilium Tridentinum eſt legitimè congregatum; quod aliquando definit his verbis, Sancta Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata, atque etiam potuit dicere. Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, vt dictum fuit in primo Concilio Apoſtolorum Actor. 15. Vnde ſi congregans Concilium non eſſet verus Papa, Deus de lege ordinaria Concilium impediret, & prouideret ne definiat. Ex quo ſequitur, quòd Papa, cuius authoritate Concilium (in quo definiuntur multa de fide) congregatur, eſt baptizatus, & legitimè electus, & hoc eſt de fide: ſequitur enim ex dictis præmiſſis per locum intrinſecum.

Secunda ſolutio eſt, quod illa propoſitio hoc Concilium ſcilicet Tridentinum eſt rite congregatum, ſolum eſt moraliter euidens: nam video fieri omnia requiſita communiter, & omnia, quæ ſolent, & debent, & iubentur fieri, vel ſi non video ita lego in hiſtorijs, & dicunt omnes viri probi, & docti, quod ſufficit ad fidem moralem; & nihilominus concluſio, quæ ſequitur ex illa ſcilicet definita ab hoc Concilio Tridentino ſunt de fide, eſt de fide. Et ſi dicas concluſio ſequitur debiliorem partem; ergo ſi aliqua præmiſſarum eſt moraliter nota, vel opinata; ſimilis erit concluſio; illa autem præmiſſa ſolum eſt certa, & euidens moraliter, ergo ſimiliter erit dicendum de concluſione. Reſponderi poteſt, quod illa certitudo moralis obligat ad credendum. Sufficit enim quod propoſitio definita in Concilio ſufficienter proponatur ad credendum, vt teneamur credere ſub peccato mortali. Simile eſt ſi quis prædicet Inſularis, licèt ipſe de ſe nõ ſit regula infallibilis, ſit tamen poteſt illis prędicare, & proponere ea, quæ ſunt fidei, vita, & doctrina confutando ſectam illorum, & faciendo veriſimile, & probabile, quod prædicat, vt illos obliget ad credendum, & tunc ſi audientes ſunt rebelles mortaliter peccant. Si verò credant, Deus per habitum fidei infuſæ inclinauit ad credendum, & aſſenſus erit certus certitudine fidei Catholicæ. Ita dico de definitionibus fidei factis à Concilio, quæ proponuntur tanta certitudine, & probababilitate, vt obligent ad credendum, ita vt ſi quis nollit credere ſit hæreticus, ſi autem credit Deus per habitum fidei infuſę inclinat eum ad aſſentiendum illis, qui aſſenſus erit certus certitudine fidei Catholicæ.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS VI.

Vtrum Concilium generale legitimè congregatum vbi non adeſt Papa perſonaliter ſed tantum eius legati, poſſit errare in fide, & moribus ante confirmationem.

Concilia generalia à Papa confirmata ſunt.

PRo tituli explicatione obſeruandum eſt, quod generalia Concilia hactenus omnia, & ſingula à Roman. Pontificibus confirmata ſunt, patet per inductionem. In prima Nicena Synodo ſcribunt Epiſcopi ad Silueſtrum in hæc verba. Quicquid conſtituimus in Niceno Concilio precamur veſtri oris conſortio confirmetur 1. tom. Concil. Patres Synodi Conſtantinop. 2. generalis, ad Damaſum Papam in hæc verba ſcribunt. His rebus omnibus tamquam legitimè ſecundum Eccleſiæ Canones conſtitutis, obſecramus veſtram Sanctitatem, vt conſentiat, apud Theodoretum hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 9. De Synodo Epheſina generali tertia ſcribit Cyrillus Alexandrinus, quod Cœleſtinus Papa ſcripſit conſona 5. Synodo, & omnia illius geſta confirmauit epiſt. 29. tom. quarto operum Cyrilli. Patres Concilij Calcedonenſis Gen. 4. action. 3. in epiſtol. ad Leonem Papam miſſa ſic ſcribunt. Rogamus, & tuis decretis noſtrum honora iudicium, & firmitas tua filijs, quod decet, adimpleat; ſed & Imperator Martianus idem à Papa petierat, quibus verbis idem Leo commemorat, quod Imperator ad omnes Epiſcopos Calcedonen. Concil. meo ſcripta dirigere voluit, quibus, quæ illic ſunt de fidei regula definita, humanarum, libenter impleui, ne fallax cuiuſquam ſimulatio meam ſententiam habere vellet incertam. Hæc ille epiſt. 69. Hæc de quatuor primis generalibus, quæ vt quatuor Euangelia ſe reuereri ſcripſit B. Gregorius in Regiſtro lib. 1. epiſt. 10. atque ita de alijs ſequentibus.

Theodore.
Cyrillus.
Leo Papa.
D. Gregor.

Secundò obſeruan. eſt. Concilia generalia, quæ à Romano Pontif. confirmata non fuerunt, omni poſtea authoritate, & fide caruerunt, probatur exemplis multorum Conciliorum, Antiochenum Concilium 90. Epiſcoporum, & cui Imperator ipſe interfuerat, tamen idem reiectum eſt (ait Socrates) quia neque Iulius Roman. Epiſ. aderat neque quemquam, qui eius locum ſuppleret eò miſit Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. quinto. Quare acta illius Concilij hac ipſa de cauſa Iulius Romanus Pontifex abrogauit, vt latè narrat Athanaſius in Apolog. 2. & abdicatos illic Epiſcopos in integrum reſtituit, vt narrat Sozomenus lib. 3. capit. 7. eadem de cauſa Ariminenſe Concilium longè maximum nullius authoritatis habitum eſt, ſic enim in Epiſtol. Synodica Romani Concilij habetur. Numerus Epiſcoporum, qui erant Arimini in vnum congregati præiudicij vim habere non debet, cum formula fidei ibi compoſita ſit non conſentiente Romano Pontif. cuius ſententia præ cæteris omnibus expectanda erat hæc ibi apud Theodoretum Hiſt. Eccleſ. lib. ſecundo capit. 22. & apud Sozomenum lib. ſexto capit. 23. Hanc ob cauſam ſcripſit Sanctus Baſilius ad Athanaſium, vt peteret à Romano Pontif. mitti Legatos ſuos in Orientem cum actis Concilij Arimin. vt ea reſcinderet, ſua hac in re authoritate vſus; ſic enim loquitur epiſt. 52. eamdem ob cauſam Pſeudoſynodus Iconomachorum ſub Conſtantino Capronymo habita pro Oecumenico Concilio haberi non potuit: quia Rom. Pontif. (ait Stephanus iunior martyr) illud ratum non habuit, ſine cuius authoritate nullo modo fieri poteſt, vt res Eccleſiaſticæ ad normam dirigantur: hæc ille; vide vitam dicti Sancti apud Damaſcenum.

Socrates.
Athanaſ.
Sozomen.
Theodor.
Baſilius.
Stephan. Mar.

Poſtremò illuſtre huius rei argumentum eſt, quod cum primum in Concilio Conſtantinopol. 1. gen. 2. poſtea in Concilio Calcedonen. gen. 4. proximo poſt Roman. Pontif. loco Conſtantinopol. Patriarcha poneretur, idque priuilegium patrocinio Imperatorio plurimum ſuſtentaretur, tamen quia Leo Magnus illam Conc. Calcedon. partem numquam approbare voluit, vt apparet epiſt. 62. eiuſdem; nec poſt eum cæteri Pontifices, vt apparet apud Gelaſium in tomo de anathematis vinculo, debuit ducentis poſt annis in Concilio Conſtantinop. in Trullo idem priuilegium denuo peti, & nouo decreto approbari, vt apparet can. 36. dicti Concilij; & apud Gratianum diſt. 22. c. Renouantes.

Tertiò obſeruan. eſt, quòd quando Concilium generale congregatum eſt authoritate Papæ, Patres procedũt ſecundum regulas Eccleſiæ ſub obedientia Papæ vſque ad definitionem incluſiue, & deinde definita promulgantur in Concilio, eſt autem quæſtio an vltra definitorum de fide promulgationem in Concilio factam, requiratur approbatio, & confirmatio Papę, ad hoc quod ea, quæ definita ſunt ſint de fide certa, & ea teneamus de fide credere; ita vt ante Papæ confirmationem, ſit Concilium legitimè congregatum infallibilis veritatis. De quo eſt duplex opinio. Prima eſt quod tale Concilium poteſt errare, ita Caiet. tom. 1. opuſc. tract. 1. cap. 11. & 16. & tract. 2. par. 2. cap. 17. & 21. Vbi dicit quod ex præſentia Papæ prouenit Concilio & maior authoritas, & infallibilis aſſiſtentia Spiritus Sancti in rebus fidei; ita etiam tenet Canus lib. 5. de locis c. 4. & 5. qui tamen ſub diſtinctione loquitur, ait enim, quod ſi totũ Concilium definiat non poteſt errare, ſi verò maior pars ſimul cum Legatis, errare poteſt. eum ſequitur Bannes 2. 2. q. 1 artic. 10. dub. 4. Sententiam Caiet. tenent Bellar. lib. 2. de Conciliorum authoritate c. 11. & Greg. de Valent. 2. 2. q. 1. art. 10. de Concilijs §. 44.

Canus.
Bannes.
Bellarm.
Gregor. à Valen.

Pro quorum opinione arguitur primo. Soli Petro, & eius ſucceſſoribus promiſſa eſt aſſiſtentia Spiritus Sancti ad cauendos errores in fide; ergo cæteri Epiſcopi quantumcumque legitimè congregati in Concilio poſſunt errare in fide; antecedens probatur ex illo Lucæ 22. Ego rogaui pro te Petre &c. pro te, inquit, non pro alijs; patet conſequentia, quia Papa non poteſt delegare aſſiſtentiam Spiritus Sancti ad infallibiliter definiendum, eſt enim gratia gratis data ſicut prophetia, quæ alteri committi nequit.

Secundò arguitur. Si tale Concilium non poſſet errare in fide, ſequeretur in Eccleſia eſſe duo ſuprema Tribunalia, duos Chriſti Vicarios, qui eſſent regulæ infallibiles, ſcilicet Papa, & Concilium: conſequens eſt falſum; ergo &c. probatur minor, quia tunc eſſet ſchiſma in Eccleſia, vel eſſe poſſet, cum non eſſet maior ratio ſequendi vnam regulam, quàm aliam, & adhęrendi vni capiti, quàm alteri.

Tertiò. Si Concilium de quo loquimur non poſſet errare ſequeretur ſuperfluam eſſe Confirmationem Papæ: quia ita certa ſunt definita à Concilio ante confirmationem, ſicut poſtea: conſequens eſt falſum: quia à Niceno Concilio vſque ad Tridentinum ſemper fuit petita à Papa confirmatio Concilij, vt patet ex primo notabili; ergo &c.

Quartò arguitur. Concilio Calcedonenſi multi noluerunt obedire donec à Papa confirmaretur; ergo definita ab illo ante confirmationem non erant certa de fide, & per conſequens Concilium errare poterat. Probatur conſequentia: quia aliàs inobedientes eſſent hæretici.

Quintò. Singuli Epiſcopi ſeorſim deliberantes errare poſſunt; ergo etiam & pariter collecti non ſecus. Concurſus enim ad eumdem locum non facit eos indefectibiles à fide, nec auget gratiam.

Demum Concilia priora poſterioribus ſæpe emendari ſolent, vt ait D. Auguſtin. lib. 2. de baptiſmo contra Donatiſtas c. 3. ergo poſſunt errare.

Secunda opinio aſſerit, quod tale Concilium non poteſt errare. ita ſentit Abulenſis in ſecunda parte defenſorij à cap. 69. & inde. Alphonſus à Caſtro lib. 1. de iuſta hæreticorum punitione cap. 6. & lib. 1. contra hæreſes c. 6. Victoria in 3. reſolutione de poteſtate Papæ, & Concilij. Sotus in 4. d. 20. q. 1. art. 4. ad ſecundum, & Pater Corduba lib. 4. quæſt. Theolog. quæſt. 1. propoſitione 9. & quæſt. 2.

Abulen.
Caſtro.
Victoria.
Sotus.
Corduba.

Inter

Digitized by Google

Inter has opiniones hęc eſt potiſſima differentia, quòd prima aſſerit aſſiſtentiam Spiritus Sancti, ad non errandum ſoli Petro, & eius ſucceſſoribus promiſſam eſſe, quam Papa non poteſt delegare: ſecunda verò dicit, quod talis aſſiſtentia Spiritus Sancti, etiam promiſſa eſt alijs Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus Epiſcopis legitimè congregatis.

Vnde obſeruan. eſt primo, quòd Concilium generale legitimè congregatum, vt eſt communitas, & vnum totum corpus à ſingulis ſuis partibus diſtinctum, habet ſuam authoritatem, ſicut, & quælibet alia communitas, quam non habent ſinguli de illa communitate, & Concilio per ſe. Probatur, quia nomine omnium ſimul, non quaſi à ſingulis; ſed à multis quaſi ab vno procedit, vt eſt vnum corpus ſiue collegium, vel regale parlamentum, quod habet ſuam quamdam poteſtatem, quam ſinguli non habent. Atque ita Concilium, vt vnum corpus præcipit, conſulit, ordinat, atque diſponit, & ſententiam fert condemnando, vel abſoluendo, quod facere non poſſet niſi ad id poteſtatem haberet: patet ex illo Act. 15. Placuit nobis collectis in vnum mittere, &c. id eſt, in vnum Collegium ſiue Concilium Apoſtolorum.

Secundò obſeruan. eſt, Concilium generale legitimè congregatum non habere hanc authoritatem, quatenus eſt poteſtas ſupra corpus myſticum, & verum immediatè à tota Eccleſia, nec à Deo, atque adeo nec ex hoc, quod Eccleſiam vniuerſalem repræſentat: ſed ab ipſis Patribus Concilij, mediatè autem à Deo per ipſos Patres deriuatam. Probatur primo, quòd non ab Eccleſia: quia Eccleſia vniuerſalis eam non habet immediatè: Nam illa poteſtas Eccleſiaſtica ſupra corpus Chriſti merum, & myſticum, quamuis propter Eccleſiam, & ad eius vtilitatem collata ſit quibuſdam perſonis ipſius, non tamen toti Eccleſiæ immediatè, ſed perſonis quibuſdam, vt per eas eſſet in Eccleſia, data eſt, vt conſtat Epheſ. 4. Dedit quoſdam Paſtores, & Doctores &c. & 1. Corint. 12. Nunquid omnes Apoſtoli? Nunquid omnes Doctores? &c. & diuidit ſingulis prout vult, aliàs non eſſet vnum corpus ex varijs membris, & gradibus conſtans. Neque enim tota Eccleſia ſimul poteſt audire confeſſionem, & conſecrare, ſed Sacerdotes dumtaxat immediatè habent à Deo hanc poteſtatem in Eccleſia, & ſoli Petro dictum eſt. Tibi dabo claues regni cœlorum &c. Matth. 16. & Ioan. 21. paſce oues meas; & Matth. 18. Dic Eccleſiæ, id eſt, prælatis eius, vt communiter exponitur à Doctoribus. Igitur ſi prædicta poteſtas Eccleſiaſtica non toti Eccleſiæ, nec toti communitati fidelium, ſed quibuſdam tantum perſonis eius immediatè per Chriſtum collata eſt, vt per illos ſit in Eccleſia, & propter ipſam, id eſt, ad vtilitatem ipſius, vtique ſequitur, quòd ab ipſa Eccleſia immediatè ad Concilium deriuari non poteſt. Nemo enim dat, quod non habet.

Quod etiam nec ab ipſo Chriſto Domino poteſtas immediatè, ſed ab ipſis Patribus Concilij, à Chriſto autem mediatè per ipſos in Concilio ſit, Probatur; quia antequam Patres Concilij, caput. ſ. & membra veniant ad Concilium, certè totam in ſe ipſis, quidam magis, quidam minus, Papa verò pleniſſimè prędictam poteſtatem à Domino immediatè habent, vt proximè dictum eſt, & hi patres in Concilio congregati illam non perdũt, quam ante habebant; ergo cum Concilium eam poteſtatem ratione ſuarum partium habeat, neque conſtet quo aliquo nouo iure ipſi denuo concedatur, certè fruſtra aliqua alia ſimilis poteſtas ponitur à Deo immediatè præſtita Concilio. Eſt ergo illa poteſtas in Concilio quidem pleniſſimè, ſed mediatè tantum à Deo per Patres ipſius in ipſum Concilium deriuata, & præcipuè per Dominum Papam, à quo omnis iuriſdictio Eccleſiaſtica mediatè, vel immediatè etiam in Concilio eſt; & ad hunc ſenſum optimè dicitur, quod Concilium vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, illam authoritatem habet.

Tertiò obſeruan. eſt, quòd Concilium plenarium hanc poteſtatem, quatenus eſt poteſtas determinandi veritatem in rebus fidei, & morum, habet immediatè à Spiritu Sancto aſſiſtente, illuminante, pulſante, mouente, atque determinante probatur. Nam Act. 15. habetur. Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, &c. Item Tim. 3. Eccleſia eſt columna, & firmamentum veritatis; hoc aũt eſſe non põt niſi Concilium ipſam Eccleſiã repræſentans, quę & ibi virtualiter eſt, & ipſius Concilij definitionem ſequi tenetur, haberet immediatè à Deo hanc authoritatem determinandi veritatem: nam aliàs illis potius eſſent columna veritatis per quos, vel à quibus authoritas hæc immediatè in Concilio eſſet, atque penderet. Item Matth. 18. Vbi duo, vel tres fuerint in nomine meo congregati, ibi ſum; vbi Chriſtus ſuam aſſiſtentiam, & authoritatem ad id immediatè Concilio promiſit. Et in hoc omnes Catholici conueniunt dicentes Concilium generale legitimè congregatum in definiendo circa fidem, & mores, vt errare non poſſit faciens, quod in ſe eſt, ſpecialis aſſiſtentia Spiritus Sancti dirigi, & gubernari, quamuis aliàs, vel extra Concilium omnes ipſi, vt homines errare poſſint, & hoc expreſſè docent Victoria, Caſtro, & Soto locis ſupra citatis. Quamuis Caiet. & Silueſt. tit. Concilium quæſt. 2. & tit. Eccleſia. quæſt. 2. tit. fides. quæſt. 6. & 7. Albertus Pighius lib. 4. ſuæ Hierarchiæ cap. 5. vſque c. 14. & lib. 5. cap. 10. & Thomas VVald. lib. 2. doctr. fidei art. 2. c. 30. vſque 36. oppoſitum, & male, teneant.

Victoria. Caſtro. Sotus. Caiet. Silueſter. Albertus. VVald.

Quartò obſeruan. eſt, quod Patres Concilij in definiendis rebus fidei non ſolum ſunt conſultores Roman. Pontificis, ſed etiam definitores, & iudices, probatur ex cunctis Conciliorum decretis, in quibus dicitur definit Sancta Synodus, præcipit, inſtituit, & in canonibus feriuntur anathemate contrarium dicentes, quod non poſſent Patres Concilij facere, niſi eſſent iudices, atque adeo in primo Concilio Act. 15. In quo B. Petrus interfuit B. Iacobus protulit ſuam ſententiam dicens. Ego iudico &c. & Decretum illius Concilij omnium nomine, & non ſolius Petri fuit inſtitutum, ſic enim inquit. Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis. Præterea omnes Epiſcopi ſubſcribunt decretis Concilij; ergo ſunt Iudices, & definitores, Iudicum enim eſt, & non Conſultorum ſubſcribere decretis. Item ſi Epiſcopi eſſent Conſultores, & non Iudices, potius deberent vocari ad Concilium Theologi, & Iuriſconſulti, quàm Epiſcopi, quorum multi ſunt illiterati, quod eſt falſum, vt ſupra diximus. Potiſſima autem differentia inter Conſultores, & definitores eſt: quia primi tantum conſulunt, nec ſupremus Iudex tenetur eorum ſequi ſententiam. Secundi autem iudicant ita, vt iudex ſupremus teneatur in conſcientia eorum ſequi ſententiam iuſtam, quod intellige, quando abeſt Papa. Quando autem Papa eſt præſens in Concilio eius ſolius ſententia præualet ſententiæ aliorum in materia fidei, non autem in materia morum, tunc enim tenetur Papa ſequi plurium ſententiam: ratio eſt quia certiſſimum apud omnes, & de fide, Papæ in Concilio aſſiſtere Spiritum Sanctum ne erret in cauſa fidei; an autem aſſiſtat Patribus legitimè congregatis in Concilio generali ſub opinione eſt. In cauſis verò morum aſſiſtentia Spiritus Sancti promiſſa eſt non magis Papæ, quàm toti Concilio vniuerſam Eccleſiam repræſentanti, atque adeo in eis tenetur Papa ſequi ſententiam maioris partis Concilij.

Patres Cõcilij ſũt Iudices.

Quintò obſeruan. eſt, poſſe quatuor modis contingere, vt fiat generalis Concilij definitio, primo, vt patres conſentiant, & definiant diſſentientibus legatis Apoſtolicæ ſedis. Secundo, vt definiant conſentientibus legatis, ſed contra inſtructionem Pontificis agentibus, & his duobus modis certum eſt talia Concilia errare poſſe, vt patet de Concilio Epheſino ſecundo, & Conſtantinopolitano tempore Nicolai primi celebrato. In quorum primo Patres repugnantibus Legatis Papæ Leonis definire voluerunt, vt patet ex epiſtol. Beati Leonis 24. & 25. In ſecundo autem legati Nicolai contra inſtructionem Papæ egerunt, vt patet ex Epiſt. Nicolai ad Patriarchas, & cæteros Epiſcopos Orientis, & ex Zonara, in vita Michaelis Imperatoris. Tertio conſentientibus omnibus etiam legatis, ſed qui non habuerunt certam inſtructionem, & de hoc res eſt ſub opinione, an tale Concilium errare poſſit ante Pontificis

Leo Papa. Nicolaus Papa. Zonara.

confir-

Digitized by Google

confirmationem. Quarto modo contingere poteſt, vt fiat generalis definitio conſentientibus omnibus cum legatis habentibus, & ſequentibu Papæ inſtructionem, & de hoc quarto modo vix dubium eſſe poteſt. Videtur enim eſſe certum, tale Concilium non poſſe errare, tum quia in tali Concilio inuenitur expreſſus conſenſus Capitis, & membrorum, ac proinde totius Eccleſię, quæ abſque dubio errare non poteſt; neq; obeſt, quod inſtructio illa à Pontifice data non videatur definitiua ſententia Apoſtolicæ ſedis: nam quando Concilium conſentit cum Pontificis ſententia, formaturque decretum à Legatis nomine Papæ tunc incipit eſſe ſententia definitiua, & vltima, non ſolum Concilij, ſed etiam Papæ; neque poteſt Pontifex eam retractare: nam certo intelligit ſententiam ſuam fuiſſe à Deo, quando à Concilio approbatur, vt dicit D. Leo in epiſtol. 63. ad Theodoretum, quæ (inquit) Dominus noſtro prius miniſterio definierat, vniuerſæ fraternitatis irretractabili firmauit aſſenſu, vt verè à ſe prodire oſtenderet, quod priusà prima omnium ſede formatum, totius Chriſtiani orbis iudicium recepiſſet, vt in hoc quoque capiti membra concordent &c. Tum etiam: quia in eiuſmodi Concilijs non expectata alia confirmatione Pontificis mox fit executio, id eſt, damnantur qui contrarium ſentiunt, vt manifeſti hæretici, & deponuntur ab Epiſcopatu, vel ſacerdotio. Ita in Concilio Niceno damnati ſunt, & in exilium acti ſex Epiſcopi vnà cum Arrio, vt ſcribit Ruffinus lib. 10. hiſt. cap. 5. In Epheſino Concilio damnatus, & depoſitus eſt Neſtorius, vt Eugarius teſtatur lib. primo capit. quarto. In Calcedonenſi act. 3. depoſitus eſt Dioſcorus, & act. quarta decem Epiſcopi Aegiptij iudicantur hæretici, quia nolebant acquieſcere decreto prolato act. tertia. In Concilio 6. act. 8. & 12. damnatur, & deponitur, & in exilium eijcitur Macharius Patriarcha Antiochenus cum aliquot ſuis diſcipulis, & act. 15. damnatur, & deponitur Polichronius presbyter, at ſi Concilia iſta ante confirmationem Pontificis errare potuiſſent, non fuiſſent illi manifeſti hæretici, qui ante confirmationem reſiſtebant.

Leo Papa. *Ruffinus.* *Eugarius.*

Sextò obſeruan. eſt, Pontificem mittere ſolere legatos inſtructos de ſententia Apoſtolicæ ſedis cum ea conditione, vt ſi Concilium conſentiat iudicio Apoſtolicæ ſedis formetur decretum; ſin minus, differatur decreti formatio, donec Roman. Pontif. conſultus reſpondeat; id quod patet ex Concilio Calcedon. Nam act. 3. cum Concilium conſenſiſſet iudicio Pontificis circa depoſitionem Dioſcori, mox legati his verbis formauerunt decretum. Sanctiſſimus, & Beatiſſimus Papa, caput vniuerſalis Eccleſiæ Leo, per nos Legatos ſuos, ſancta Synodo conſentiente, Petri Apoſtoli præditus dignitate, qui Eccleſiæ fundamentum, ac petra fidei, & cœleſtis regni Ianitor nuncupatur, Epiſcopali dignitate Dioſcorum nudauit; & ab omni ſacerdotali opere fecit extorrem. Deinde act. decimaſexta, cum Concilium aliquid ſtatuere vellet contra inſtructionem Pontificis, Legati dixerunt debere prius id ſignificari Apoſtolicæ ſedi, quando ergo Concilium definit aliquid ſequens expreſſam Pontificis ſententiam idem eſt, ac ſi confirmatum eſſet. Vnde Concilium Calcedon. in epiſt. ad Leonem, quæ habetur act. tertia dum petit confirmationem decretorum apertè dicit ſe ſcribere Pontifici, & petere confirmationem, quoniam præter decretum de fide contra Dioſcorum, alia etiam quædam ſtatuerunt ſine expreſſa Pontificis ſententia, itaque ſolum petunt confirmationem eorum, quæ definierant præter Pontificis ſententiam. Et ipſe Leo in epiſtol. 61. ad Concilium Calcedon. qua illud confirmat, indicat non fuiſſe opus ſua confirmatione, niſi quia dubitabant aliqui, an reuera cum eius conſenſu factum fuiſſet decretum Concilij: qua etiam ratione confirmauit Pontifex multa alia ſimilia Concilia: non quia errare potuerant, ſed vt omnibus certius conſtaret, quæ legati egerant, verè ex mandato Pontificis egiſſe.

Poſtremo obſeruan. eſt, quod tempore definitionis decreti omnes Patres aſſentiunt maiori parti Concilij, quamuis tempore conſultationis ſit inter eos diſcors ſententia. Probatur ex Praxi: Nam in fine Concilij Tridentini dicitur omnes Patres numero 255. ſubſcripſiſſe decretis Concilij: non tamen eſt credendum tempore conſultationis omnes in omnibus vnanimes extitiſſe. Probatur inſuper: quia ſi tempore pronunciationis decreti aliquis Epiſcopus nollet ſubſcribere, eſſet ſchiſmaticus, ac velut hæreticus puniretur, vt patet ex Concilio Calced. loco ſuprà citato; ergo tenetur ſubſcribere, & ſubſcribens non mentiri, ſubſcribendo manu tantum, & non corde ſimul.

His obſeruatis ſit prima Concluſio. Concilium de quo loquimur eſt infallibile in cauſis fidei, & morum definiendis, etiam ante Papæ confirmationem. Probatur. omnibus Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus Epiſcopis legitimè congregatis promiſſa eſt aſſiſtentia Spiritus Sancti in omnibus neceſſarijs ad ſalutem, quales ſunt res fidei, & morum; ergo errare in illis non poſſunt; conſequentia eſt nota ex ſæpe dictis, probatur antecedens ex illo Ioan. 14. Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis Spiritum veritatis, vt maneat vobiſcum in æternum.

1. Concl.

Secundò probatur: Concilium plenarium legitimè congregatum repræſentat vniuerſalem Eccleſiam, vt art. præcedenti diximus; ſed vniuerſalis, Eccleſia errare non poteſt in rebus fidei, & morum, vt etiam diximus quæſt. 1. artic. 9. Ergo nec tale Concilium errare poteſt. Reſpondet Cano, vbi ſupra, hoc verum eſſe, quando omnes Patres Concilij ſunt vnanimes, ſecus ſi aliqui ſint diſcordes. Tunc enim ſicut poteſt errare maior pars Eccleſiæ, ita etiam maior pars Concilij. ſed contra hoc arguitur ex notabili vltimo: quia tempore definitionis decretorum Concilij omnes Patres ſunt vnanimes, atque ita illud Concilium non maiorem partem Eccleſiæ, ſed totam Eccleſiam repræſentat.

Cano.

Tertiò probatur: ſi Concilium de quo loquimur poſſet errare, ſequeretur nullum eſſe diſcrimen inter illud Concilium, & Concilium prouinciale, vtriuſque enim infallibilitas penderet à Papæ confirmatione: conſequens autem eſt contra omnium ſententiam; ergo &c.

Secunda Concluſio. Nihilominus definita à tali Concilio non ſunt recipienda tanquam de fide donec ſunt per Papam confirmata. Probatur exemplo multorum Conciliorum, quæ refert Caſtro, de iuſta hæreticorum punitione lib. primo cap. ſexto. Quorum confirmatio petita fuit à Papa tunc gubernante, quamuis eius authoritate ſint congregata.

Caſtro.

Ad primum alterius ſententiæ nego antecedens, quia etiam promiſſa eſt aſſiſtentia Spiritus Sancti Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus Epiſcopis legitimè congregatis, vt dictum eſt concluſione prima. Sed dices, Patres Concilij non habent poteſtatem definiendi de fide immediatè à Deo, ſed ab ipſo Papa; ergo eis non eſt promiſſa aſſiſtentia Spiritus Sancti, vtrumque enim requiritur ad iudicium infallibile fidei. Reſpondetur primo negando antecedens. Eſt enim probabiliſſimum, Patres Concilij legitimè congregatos habere immediatè à Deo poteſtatem definiendi de fide, vt patet ex tertio notabili: ſecundo reſpondetur negando cõſequentiam, nihil enim obeſt, Deum promiſiſſe ſuam aſſiſtentiam ad non errandum his, quibus poteſtas definiendi de fide commiſſa eſt à ſuo Vicario.

Ad ſecundum nego ſequelam: quia Papa, & Concilium non ſunt duo capita principalia, ſed ſubordinata. Papa enim quando ſibi placuerit poteſt Concilium diſſoluere; nec ſunt duæ regulæ fidei ſed vna, quia ab eodem Spiritu Sancto gubernantur, & mutuum ſibi præſtant auxilium.

Ad tertium nego conſequentiam: quia quamuis decreta Concilij ſint infallibilia, requiritur tamen eius confirmatio multis de cauſis, vt inquit Caſtro vbi ſupra; prima cauſa eſt, vt omnibus conſtet Papam idem cum Concilio ſentire, & legatos ſuos veram ipſius Papæ mentem expreſſiſſe. Nam quia dubitare aliquis poſſet, an legati ſedis Apoſtolicæ fideliter ſuo functi fuiſſent officio, rem iuxta voluntatem, & ſententiam delegantis exequentes, opus eſt, vt Papa ſuam exprimat apertè ore ſuo prolatam, aut manu ſubſcriptam ſententiam, quod etiam fit in alijs cauſis, vt in matrimonio contracto per

Quare cõcilia generalia confirmantur à Papa. *Caſtro.*

Procu-

Digitized by Google

Procuratorem, quod etſi illud legitimum eſſe matrimonium,& indiſſolubile iura decernant. vt habetur 32. q.2. §.cum dicitur, & l.generali ff.de ritu nupt. quia tamen potuit eſſe fraus in huiuſmodi contractu, procuratione videlicet exiſtente falſa, ideo ſic contrahentes conſueuere iterum in præſentia talem contractum proprijs verbis repetere;atque adeo nunquam cenſetur ratum donec confirmetur per illum,qui Procuratorem miſit, ne forte Procurator receſſerit ab ordine ſibi præfixo.

Secunda cauſa eſt,vt ſic ipſe etiam Papa, ſi poſtea in hæreſin cadat ſua ipſius ſubſcriptione ſine vllo ſubterfugio conuincatur. Tertia quia licèt non in fide, & moribus,at vero in alijs negocijs Concilium generale errare poteſt,& eius determinatio Papæ ſubijcitur, vt in Concilio Calcedonen. & Niceno contigit, ibi enim definita de fide per Leonem confirmata, alia vero negotia ibi decreta quo ad præeminentiam Patriarcharum per ipſum Papam irritata ſunt. Sed vltra has eſt alia quarta, quæ mihi potior omnibus videtur,vt videlicet definitio Concilij per approbationem Papæ habeat vim etiam coactiuam ſuper totum populum Chriſtianum, nam ſine Papali approbatione expreſſa,vel tacita, quamuis definitio legitimi Concilij de fide, & moribus habeat vim directiuam, cui omnis Chriſtianus ipſe etiam Papa ſtare tenetur; at vero non habet vim coactiuam, ſicut nec aliæ leges ibi decretæ,quouſque per Papam,vt diximus,expreſ-

Caietanus sè,vel tacitè confirmentur, vt in hoc tacitè ait Caietanus in quo lib.de Poteſtate Papæ c. 12. quia quo ad hoc ſoli Papæ conuenit ſuprema poteſtas, & iuriſdictio in Eccleſia,vt habetur in cap. Significaſti de electione, & diſt. 17. cap.Regula,dicitur quod nullum ratum eſt, aut vnquam erit Concilium, quod Eccleſiæ Romanæ fulcitum au-

D.Tho. thoritate non fuerit. Quod etiam dicit de Papa B.Tho. 2.2.q.1.artic.vltimo. Tunc autem tacitè definitio Concilij per Papam approbatur,quando ipſe tacet eam ſciens, & videns vt talem communiter in Eccleſiam teneri, & practicari. Nam ſecundum ius, qui tacet conſentire videtur. Et tales ſunt multæ definitiones Conciliorum etiam prouincialium tacitè per Papam approbatæ, contra quas oppoſitum ſentiens in fide, & moribus propriè hæreticus eſt,& pœnis ſubiectus hæreticorum, vt ſupra diximus.

Quod ſi nondum aliquo prædictorum modorum definitio Concilij generalis in fide, & moribus per Papam ſit approbata, tunc illi diſſentiens errans quidem, & temerarius eſt, & vt talis puniendus eſſet. ſed vtrum propriè hæreticus, & vt talis puniendus,aut legibus hæreticorum, eorumque rigori ſubiectus ſit, aliquibus videtur quod non, aliquibus quod ſic; quia vt etiam So-

Sotus. tus in 4.d.21.q.1.artic.4. ait, legitimum Concilium generale plenam iuriſdictionem iure diuino habet. ſed hoc noſtri non eſt arbitrijs iudicare.

Ad quartum dico, quod nolentes obedire Concilio Calcedonen.ante confirmationem, opinabantur Concilium habere infallibilitatem à confirmatione Papali,nos autem oppoſitum opinamur: vel dicas quod nolebant obedire in his,quæ ſunt de facto, vel in cauſa Canonica, & Ciuili,in quibus Concilium errare poteſt, non autem in rebus fidei, & morum; atque adeo petitur in illis confirmatio à Papa, vt poſſit per modum appellationis confirmare, vel infirmare huiuſmodi decreta vide ſextū notabile.

Ad quintum dico, quod locus quidem non auget gratiam,ſed tamen ipſa collectio auget ſapientiam: quia plus vident oculi, quam oculus, & multitudo ſapientium ſanitas eſt orbis terrarum,Sapientiæ 6. & inſuper vnanimis ille conſenſus,& in nomine Chriſti conuentus, maiorem haud dubie Chriſti gratiam coniunctam habet iuxta promiſſum Chriſti Matth.18. vt ſupra citatum eſt. Verum ideo Epiſcopi collecti magis obligant iudicando de fide, quam ſeorſim ſinguli: quia in illa collectione habetur omnium Epiſcoporum vnanimis conſenſus, in quo error eſſe non poteſt,vt q.1.art.9.dictum eſt,alioqui Chriſtus, & prouidentiæ ſuæ, & promiſſionibus in Euangelio deeſſet, ſi omnes ſimul Eccleſiæ præſentis Paſtores, & conſequenter ouile totum, in fide errare permitteret.

Ad vltimum reſponſum eſt in ſuperiori art. quod Auguſt. loquitur de regulis morum, ac diſciplinæ, quæ ad factum pertinent, idque propter verba ſubſequentia. Quando aliquo rerum experimento, quod concluſum erat aperitur. Sed ſi etiam de cauſa fidei loquatur, propter id quod ſequitur, & cognoſcitur quod latebat. ſenſus eſt,quod poſteriora Concilia emendant,id eſt, perfectius explicant fidem in ſemine antiquæ Doctrinæ latentem,quam priora;vt Concilium Epheſinum 3.circa Chriſti diuinitatem emendauit Concilium Nicenum primū: quia explicatius docuit ſic eſſe verum Deum,vt eſſet vna perſona cum filio Dei, & non ſolum homo deificatus, vt Neſtorius dogmatizauit. Sic Concilium Calcedonen. emendauit vtrumque: quia explicatius docuit Chriſtum ſic eſſe Deum,& vnam perſonam cum Filio Dei, vt tamē manerent duæ diſtinctæ naturæ in Chriſto;eſſetque poſt Incarnationem nō ſecus verus homo, quam verus Deus. Sic Concilium Conſtantinop. generale 6. emendauit adhuc Calcedonen. Concilium: quia explicatius definiuit Chriſtum ſic habere poſt adunationem duas diſtinctas naturas, vt etiam duas diſtinctas haberet voluntates, & operationes vtriuſque naturæ conuenientes. Sic adhuc priora ſymbola Græcarum Synodorum Latini emendarunt, id eſt,explicatius fecerunt, dicentes Spiritum Sanctum procedere à Patre Filioque,cui & Græci ſubſcripſerunt in Concilio Florentino. Hæc quippe omnia poſterius definita per poſteriora Concilia clarius cognoſcebantur,quod in prioribus tamen virtute latebat. Qua in re nihil erroneum vllum Concilium docuit, ſed poſteriora perfectius, quam priora,propter nouas hæreſes inſurgentes,quibus quaſi nouis morbis noua definitionum remedia aptanda fuerant.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Concilia Prouincialia, & Epiſcopalia poßint errare in cauſis fidei, & morum.

QVid ſit Prouinciale, & Epiſcopale, ſeu locale Concilium,ex ſuperius dictis manifeſtum eſt. Ideo breuiter duo ex communi Catholicorum ſententia de huiuſmodi Concilijs aſſerimus.

Primum aſſertum.

Concilia Prouincialia & Epiſcopalia poſſunt errare in cauſis fidei,& morum,niſi per Papam confirmentur. hæc Concluſio habet duas partes, Prima eſt, quod Concilia prouincialia poſſunt errare. Quę probatur exemplo Concilij Carthaginenſis 80. Epiſcoporum, in quo præfuit D. Cyprianus, quod errauit definiendo baptizatos ab hæreticis eſſe re baptizandos à Catholicis. & tamen fuit Concilium nationale celeberrimum, legitimum, Epiſcoporū 80.quorum plerique Martyres, aut Confeſſores erant, vt patet ex Epiſtola Cypriani ad Iubaianum.Item Conciliū Aquiſgranum errauit definiendo imagines eſſe tollēdas. Hæc etiam prima pars definita eſt in c. Concilia d. 17. *1.Concl.* *Cyprianus*

Secundò probatur ratione. Concilia Prouincialia non repręſentant vniuerſalem Eccleſiam, ergo errare poſſunt in cauſis fidei,probatur ſequela; quia ideo Concilia generalia errare nequeūt; quia repręſentant totam Eccleſiam, quæ errare non poteſt, ipſis autem errantibus tota Eccleſia erraret,vel quia Concilium generale non ſit ſine Summo Pontifice,pro quo Chriſtus orauit, ne deficeret fides eius; at nulla harum cauſarum locum habet in Concilio particulari.

Præterea Concilio Prouinciali ſolum ſubijcitur illa Prouincia,in qua celebratur, & Epiſcopali illa diœceſis, ergo non definiunt infallibiliter de fide; probatur conſequentia: quia cum cauſa fidei ad omnes ſpectet, ab habentibus curam de omnibus definiri debet.

Secunda pars concluſionis eſt, quod Concilium Prouinciale authoritate Pontificis confirmatum, imo etiam ſi Epiſcopale ſit errare non poteſt. Hæc pars definita eſt in dicto cap. Concilia, & probatur ratione. Papa non poteſt errare in cauſis fidei, vt probatum eſt, ergo nec

Concilia quæcumque per Papam confirmata; probatur conſequentia; quia talia Concilia confirmata, potius ſunt decretum Papæ, quam Concilia prouincialia, ſeu Epiſcopalia. probatur ſecundo exemplis. Quoniam Pelagius, & eius errores damnati ſunt in Synodis prouincialibus, videlicet Mileuitana confirmata ab Innocentio 1. & Arauſicana, & Carthaginen. à Leone 1. & Bonifatio confirmatis. Iouinianus item & Eluidius damnati ſunt in Concilio Telenſi confirmato à Siricio Pontifice. Deinde Preſcilianus damnatus eſt in Concilio Toletano 1. confirmato à Leone 1. Berengarius Eccleſiæ Andegauenſis Diaconus cum peſtiferam per totas Gallias diffunderet hæreſin cõtra admirabile Euchariſtię Sacramentum, Hildebrandus Sanctæ Rom. Eccleſ. Cardinalis, Legatus Victoris ij. qui tunc vniuerſali præerat Eccleſiæ illius hęreſin damnauit, eam tamen Nicolaus Pontifex huius nominis ſecundus, qui Victori in Pontificatu ſucceſſit Concilio 113. Epiſcoporum Romæ coacto, poſtea damnauit, quam ſententiã à Pontifice dari non fuiſſet opus, ſi ſatis omnibus facere poſſet Hildebrandi Legati definitio.

Poſt Berengarium aliquot elapſis ſęculis ſurrexit in Anglia Ioan. Vuicleff. qui plurima impia, & peſtifera dogmata verbo, & libris editis docuit. Huius cauſæ cognitio Archiepiſcopo Cantuarienſi Apoſtolicæ ſedis Legato commiſſa eſt; qui re vt decebat plene examinata ipſum Ioan. Vuicleff. & omnes illius hęreſes publicè damnauit.

Poſt Ioan. Vuicleff. paucis aliquot elapſis annis ſucceſſit in Boemia Ioan. Huſſ. qui omnes Ioannis Vuicleff. hæreſes pertinaciſſimè tutatus eſt. Quo per Summum Pontificem audito huius rei cognitionem Archiepiſcopo Pragenſi commiſit, qui omnibus diligenter examinatis omnes illas hęreſes damnauit. Sed vtriuſque Ioannis hęreſes poſtea Romæ Summus Pontifex, & tandem Concilium Conſtantienſe damnauit. Quæ omnia conſtant ex decreto ſeſſionis octauæ eiuſdem Concilij.

Petrus denique Oxonienſis damnatus eſt cum ſuis erroribus in Concilio Complutenſi ſub Archiepiſcopo Toletano Alfonſo Carrillo, quod Cõcilium fuit tantùm Epiſcopale, ſed confirmatum à Sixto 4. In quo Concilio damnatæ ſunt eiuſdem Petri nouem propoſitiones in materia de pœnitentia partim falſæ, partim hæreticæ, partim ſcandaloſæ, & partim malè ſonantes, quæ Synodus eſt de fide, quia fuit confirmata per Sixtum 4. vt refertur in Summa Conciliorum inter decreta Sixti Quarti.

Sed contra primam partem huius Concluſionis arguitur: quia in c. ad abolendam extra de hęreticis excommunicantur omnes illi, qui iudicantur hæretici ab Eccleſia Romana, vel à Concilio prouinciali, vel Diœceſano; Cõcilia igitur Prouincialia, & Diœceſana faciunt dogmata de fide, alioqui non eſſet hæreticus, qui ea negaret.

Præterea ſecundò. Deus ęque infallibiliter aſſiſtit illuminando quoſcumque etiam duos, vel tres tantùm in nomine ſuo congregatos in pertinẽtibus ad fidem, & mores, vt errare non poſſint definiendo, ſicut de Concilio generali dictum eſt; quia eadem eſt ratio vtrobique .ſ. promiſſio diuina Matth. 18. Vbi fuerint duo, vel tres in nomine meo congregati &c. Vbi ſine vlla differentia omnibus ſupradictis Chriſtus ſe affore repromittit, & ad prædictum ſenſum B. Greg. in Regiſtro lib. 12. cap. 31. id de Concilio prouinciali allegat, & exponit; & Doctores communiter cum eo, ad quod videatur Auguſt. contra duas epiſt. Pelagij capit. 12.

D. Greg.

D. Aug.

Duobus modis põt de hæreſi iudicari.

Ad primum reſpõdeo, duobus modis poſſe iudicari de hæreſi, vno modo de ipſa hæreſi ſecundum ſe, & quaſi in abſtracto, vt cum quæritur, an ſit hæreticum hoc, aut illud dicere. Altero modo in ordine ad hominem hęreticũ, vt cum quæritur, an hic inciderit in hæreſin ab Eccleſia damnatam. Quamuis igitur Concilia prouincialia, vel Diœceſana non poſſint dogmata fidei conſtituere, tamen poſſunt iudicare, an aliquis inciderit in hæreſin manifeſtam, ſicut etiam iudicant Inquiſitores. Ad hunc finem collectum fuit Concilium Aquileienſe tempore Ambroſij: nihil enim ibi definitum eſt, niſi Palladium quemdã verum eſſe Arrij diſcipulum; & de hoc videtur præcipuè agere caput illud Ad abolendam de hæreticis. Et ſi enim hoc iudicium non ſit infallibile, tamen ſufficit ad excommunicandum.

Secundò reſpondeo, poſſe etiam Concilia particularia cenſere de hæreſi ſecundum ſe, quando res eſt facilis, & in qua ferè omnes Doctores cõueniunt, quomodo Concilium Antiochenum olim iudicauit de hæreſi Pauli Samoſetani, apud Euſebium lib. 7. hiſt. c. 24. conuenerunt .n. vndique Epiſcopi, non tamquam ad rem dubiam, ſed tamquam ad manifeſtum lupum de ouili Chriſti eijciẽdum. Et ſi enim hoc iudicium non ſit prorſus infallibile, tamen debent priuati homines acquieſcere eiuſmodi iudicio, & ſi ſecus egerint merito excommunicantur, donec non iudicauerit aliter Apoſtolica ſedes, vel Concilium vniuerſale. *Euſebius.*

Vel tertiò dici poteſt, poſſe etiam Concilia prouincialia definire dogmata, verè dubia, & eorum decreta eſſe firma, ſi id faciant, vt diximus, ex commiſſione Apoſtolicæ ſedis, vt fecerant Patres Concilij Arauſicani ſecundi, & Toletani 1. tempore Leonis 1. Synodi Complutenſis tẽpore Sixti 4. Vel ſaltem ſi deciſionem ſuam mittant ad Romanum Põtificem, & ab eo confirmationem accipiãt, quomodo conſtat factum eſſe in Concilijs Mileuitano, & Carthaginenſi, ex Auguſt. epiſt. 90. 91. 92. 93. Imo credibile eſt nullum Concilium particulare definiuiſſe aliquid de fide, ſine approbatione Apoſtolicæ ſedis; de his omnibus intelligi poteſt illud cap. Ad abolendam. *Auguſt.*

Ad ſecundum nego ſequelam, & eius probationem: non enim eſt eadem ratio infallibilis aſſiſtentiæ diuinæ vtrobique, quamuis eadem ſit diuina promiſſio; ſed differenter implenda: Nam quia in Concilio generali eſt ſimpliciter neceſſarium ne erret in fide, & moribus definiendo, inde ibidem ſemper, & infallibiliter adeſt illuminatio diuina promiſſa; Non ſic in alijs congregationibus, ſiue etiam perſonis præter Papam, quibus proinde non niſi quando, & quomodo oportuerit ad ſalutem, & Deo placuerit, ea fiet illuminatio repromiſſa diuinitus.

Vbi fuerĩt duo vel tres cõgregati &c. quomodo intelligatur.

Pro cuius ampliori declaratione obſer. eſt, quod illud Matth. 18. Vbi fuerint duo vel tres &c. Tripliciter exponitur à Doctoribus, primo ad hunc ſenſum, quod Deus ratam habet ſententiam Prælatorum Eccleſiæ contra cõtumaces iuſtè inflictam. Secundò, quod exaudiet orationem in charitate fraterna, & Chriſtiana petentium. Tertiò, quod aſſiſtet illuminando quamuis paucos etiã duos vel tres tantùm in nomine ſuo congregatos in rebus pertinentibus ad ſalutem. Et omnes hi ſenſus admittuntur, & ſtant ſimul in veritate, quorum hic vltimus magis communis, & magis acceptus Doctoribus eſt, & in Concilio Calcedonenſi act. 3. ad hoc propoſitum hæc authoritas exponitur, In omnibus vero his expoſitionibus, & præcipue in duabus vltimis conſtat cum hac limitatione eas intelligi & eſſe veras, quod .ſ. Deus exaudiet, & aſſiſtet illuminando, quando & quomodo oportuerit ad ſalutem. Nam hæc eſt communis intellectus omnium diuinarum promiſſionum, earum maximè, quæ generaliter fiunt, & abſolutè, de eo quod Deus ipſe non ſolus in nobis, ſed nobiſcum, & cum actionibus noſtris liberis concurrendo facturus eſt, vt Matth. 18. & Lucę 11. Petite, & accipietis; & omni petenti dabitur, & Ioan. 14. 15. 16. Si quid petieritis patrẽ in nomine meo dabit vobis, & ſpiritus docebit vos omnia, & omnem veritatem. Nunc autem conſtat nõ eſſe neceſſarium ad ſalutem, & ad rectam fidem Eccleſiæ vniuerſalis, & regulam vitæ fidelium, quod omnis error in fide, & moribus ſemper caueatur, fiatque diuina illuminatio, niſi in Concilio generali, vel ẽt in Papa faciente, quod in ſe eſt: quia ibi, & non alibi eſt ſupremũ tribunal Eccleſiæ, ad quod ſpectat vltima definitio in ſupradictis, cuius etiam error circa hæc in totam redundaret Eccleſiam, & illius eſſe cenſeretur, vt ſuperius probatum eſt.

Fit igitur, vt ſicut non niſi ibi eſt ſimpliciter neceſſaria infallibilis regula veritatis in fide, & moribus; ita non niſi ibidem ſemper ſit infallibilis aſſiſtentia Spiritus Sancti illuminantis, promiſſa diuinitus, ne vllus error eſſe poſſit. Error autem aliorum omnium etiam prouincialium Conciliorum, ex quo non eſt, neque cenſetur error totius Eccleſiæ, nec eius nomine, ſed vnius tantùm Prouinciæ, vel communitatis particularis, id Concilium, eaque definitio ſit quouſq; per Papã approbetur, quia ẽt per alios viros doctos, & per ipſum Papam, & per

Con-

Digitized by Google

D. Aug. Concilia generalia corrigi poteſt, ſecundum Auguſtinum contra Donatiſtas lib. 2. c. 3. id quod contigit tempore B. Cypriani. Ideo non eſt ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, errorem illius Concilij ibidem cauere, maximè quia per eius ignorantiam inuincibilem, etiam erroneam, quæ in ſingulis hominibus eſſe poteſt, cum gratia iuſtificante, & fide illius artic. implicita in fide Eccleſiæ, cui paratus eſt obedire, eſt hominis ſalus, neque inde fides Eccleſiæ periclitatur. Solum igitur illa ſpecialis illuminatio diuina aderit alijs in nomine Chriſti congregatis, & Concilijs Prouincialibus, quando & quomodo ad ſalutem expedierit, & diuinæ placuerit liberalitati, ſicut & de alijs diximus diuinis promiſſionibus.

Ad quod certè facit, quod in principio naſcentis Eccleſiæ ad dubia fidei, & morum definienda Concilia Prouincialia contra hæreticos ſæpe congregabantur; nimirum: quia generalia tunc toties congregari commodè non poterant: quia & erat periculum in mora. Ideo & tunc aderat ſemper Spiritus Sancti illuminatio: nam vix aliquod eorum erraſſe reperitur, niſi quando illegitimè fiebat, aut notabiliter deficiebat in faciendo, quod in ſe erat. Vnde & illa ferè omnia, iam per Eccleſiam ſicut, & Concilia generalia approbata ſunt. Et ſimiliter nunc Spiritus Sancti illuminatio ſemper adeſſet Concilio Prouinciali, aut alteri congregationi in nomine Chriſti congregatæ, vbi eſſet ſimilis caſus, ſiue neceſſitas, & periculum eſſet in mora, ne ad Concilium generale, vel ad Papam commodè poſſet eſſe recurſus ad res fidei, vel morum definiẽdas; & ſecundum ſupra dicta B. Gregorius vbi ſupra, alijque Doctores ſunt intelligendi.

Secundò reſponderi poteſt, quod ille locus Matth. 18. Si duo ex vobis conſenſerint &c. duobus modis intelligi poteſt, quatenus dupliciter contingit, aliquos congregari in nomine Chriſti. Vno modo, quia congregantur, vt decet Chriſtianos ad tractandas res fidei, & Religionis Chriſtianæ animo pio, & bono; Et quidem qui ita congregantur, licèt habeant in medio Chriſtum Dominum, non tamen habent illum ad hunc effectum, vt infallibiliter veritatem decernant; ſed adeſt illis propter illorum pium, & religioſum zelum. Quod ſi contingat illos errare, non erit culpabilis error; quod ſi fuerit error circa rem ad ſalutem neceſſariam exaudientur à patre, qui nõ deficit in neceſſarijs, & prouidebit, vt illi in veritate erudiantur, id quod creditur accidiſſe in Concilio Carthaginenſi ſub D. Cypriano congregato; vbi quamuis Cyprianus cum illis Epiſcopis errauerit, non tamen creditur eius error fuiſſe culpabilis. Nam & à D. Cornelio Pontifice eruditus ſtatim ſententiam retractauit.

Duobus modis contingit aliquos congregari in nomine Chriſti.

Altero modo congregantur fideles in nomine Chriſti, quando iuſſu, & authoritate Papæ conueniunt ad tractãdum de rebus ad fidem pertinentibus. Et hoc pacto congregati in nomine Chriſti errare non poſſunt; atque ita intelligendi ſunt Doctores Pontifices, & Concilia, cum adducunt prædictum teſtimonium ad confirmandam Conciliorum authoritatem, quaſi fiat argumentum à minori ad maius. Si enim vbi duo, vel tres congregantur in nomine Chriſti promittit in medio illorum ſe affuturum, iuxta priorem intelligentiam à nobis explicatam, quanto magis, & quanto infallibilius aderit congregationi ſolemni, quæ fit in nomine Chriſti, authoritate Sũmi Pontificis Petri ſucceſſoris, & ipſius Chriſti Vicarij, vt in nullo, quod ad veritatem fidei pertineat, errare poſſit? Etenim ſi duo, vel tres inculpabiliter falſi fuerint, nihilominus ab Eccleſia illuminabuntur. At vero ſi generale Concilium errauerit, à quo poterit illuminari, niſi adſint nouæ reuelationes, quæ in Eccleſia Chriſti neceſſariæ non ſunt? Et ſi dicas, Summus Pontifex reducet Cõcilium ad veritatem ſi forte errauerit. Contra: ipſemet Summus Pontifex in definiendis rebus fidei examinationem, & conſultationem præmittere debet; ſed nulla poteſt eſſe conſultatio certior, quam ſi totum generale Concilium conueniat in aliqua ſententia de rebus fidei aſſerendis, ergo ſi totum Concilium ſimul errauerit, non eſt in terris confugium infallibilis veritatis dignoſcendæ. ſecus autem de Concilio prouinciali, atque adeo non eſt par vtriuſque ratio in definitionibus, de fide, & moribus.

2. Concl. Secunda Concluſio. Definitio Concilij prouincialis, licèt ei authoritas Põtificis Romani deſit in cauſa fidei eſt argumentum probabile ad aſtruendum fidem, ita vt temerarium, ſit ei non acquieſcere. probatur primò, quia in 7. Synodo act. 3. & in 8. Synodo act. vltim. can. 1. honorantur Synodi locales, & ſuſcipiuntur, nec fit mentio, ibi confirmatorum, vel non. Secundò quia plurima horum Conciliorum, vt Toletana, Bracharenſia, Arelatenſia, Hiſpalenſia &c. videntur ipſo vſu Eccleſiæ quodammodo probata. Tertiò quia ex innumeris Concilijs eiuſmodi vix, quinque, aut ſex reperiuntur, quæ à recta definiendi ratione, ac via declinauerint. Si ergo huiuſmodi Concilia rectam vt plurimum fidem tenent, raro deficiunt, probabiliſſimum ſine dubio eſt, quod ex id genus Concilijs argumentum promitur. Quartò, quia ſi aliquot Sancti Patres caſu in eamdem ſententiam conuenientes faciunt argumentum probabile, quanto magis 50. aut 60. Epiſcopi ſimul conuenientes, & inuocato Spiritu Sancto, aliquid communi conſenſu ſtatuentes? Quare in publicis diſputationibus decretum talis Concilij eſt exponendum, & non contemnendum, vel reijciendum; ſicut & quælibet authoritas alicuius Sancti Doctoris.

Adde, quod ſi illorum definitionibus nunquam poſtea Eccleſia contradixit, ſunt ab omnibus pro vera, & indubitata fide tenenda: quia etſi illorum expreſſa confirmatio non pateat, tacito tamen totius Eccleſiæ conſenſu ſunt confirmata; cum nunquam fuerint per alia Concilia correcta; Nam ſi illa Concilia erraſſent in fide, nunquã Eccleſia diſſimulaſſet, ſed (vt moris ſui eſt) ſtatim illorum errori per contraria decreta occurriſſet; Non enim fit aliquo modo veriſimile, vt Concilij prouincialis toto orbe vulgati hæreſim Eccleſia diu diſſimulauerit. error enim cui non reſiſtitur approbatur 83. diſt. cap. error. Et hæc eſt cauſa vel maxima, cur Toletana, Arelatenſia, Hiſpalenſia, & alia ſimilia, antiqua Concilia, licèt non expreſſè, implicitè tamen ab Eccleſia probata videantur. Nam Ancyritanum, Neocæſarienſe, Grangenſe, Sardicenſe, Aphricanum, & Carthaginenſia à Leone 4. confirmata ſunt 20. diſt. c. de libellis. Trullana quoque Synodus, quæ alias quiniſexta dicitur, quædam Concilia prouincialia probauit in Canonibus additis ad 6. Synodum can. 2. ſed quantum hæc Trullana approbatio valeat, ſi ſcire deſideras lege Franciſcum Turrianum in tract. de 6. & 7. Synodo. Canum lib. 5. de locis c. vlt. ad 5. Bartholomæum Carranzam in Summula Conciliorum de Canonibus Trullanis, & Dominicum Bannes 2. 2. q. 1. art. 10. dub. 5. Frãc. Tur. Canus. Bartholomeus Ran.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum Concilia, quæ ſunt infallibilis veritatis per Papæ præſentiam, vel per eiuſdem confirmationem, ſint inter diuinas litteras computanda.

DE hac re, vt quidam dicunt, fuit peculiaris opinio Gratiani in can Canonicis diſt. 19. vbi Summorũ Pontificũ epiſtolas decretales, Canonicas ſcripturas eſſe dicit, qua propter eadem ratione etiam Concilij decreta in Canonicis ſcripturis habebuntur; nã d. 20. cã. decretal. dicit Conciliorum Canones eiuſdẽ eſſe authoritatis cũ epiſtolis decretalibus. quam ſententiam ſecuti ſunt quidam recentiores, quos tacitis nominibus refert Canus lib. 5. de locis c. 5. q. 3.

Probatur autem hęc ſententia quinque rationibus; primo quia Scriptura diuina diſtinguitur ab humana: quia author diuinæ eſt Spiritus Sanctus, iuxta illud 2. Petri 1. Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines; humanæ vero eſt purus homo; ſed Concilia, de quibus loquimur, habẽt Spiritum Sanctum authorem, vt dictum eſt: ergo ſunt inter diuinas litteras computanda.

Secundò arguitur. Primum Concilium Apoſtolorum recenſetur inter diuinas litteras; Act. 15. ergo ſimiliter & alia Concilia: non enim eſt maior ratio de illo, quam de alijs, quia in omnibus aſſiſtit Spiritus Sanctus.

Tertiò arguitur ex D. Auguſtino lib 2. de Doctr. Chriſtiana c. 8. & habetur in can Canonicis 19. d. Vbi ſic legitur. Auguſt.

tur. Inter ſcripturas diuinas illæ ſint, quas Apoſtolica ſedes habere, & ab ea alij meruerunt accipere epiſtolas. quibus verbis inſinuatur, quod epiſtolæ decretales Summorum Pontificum debent numerari inter diuinas ſcripturas, ergo à fortiori definitiones fidei Conciliorum confirmatorum. Et confirmatur ex D. Gregorio libro 1. epiſt. 24. vbi dicit ſe venerari quatuor prima Concilia, vt quatuor libros Euangeliorum.

D. Greg.

Quartò arguitur ex cap. cum Martæ de celebratione Miſſarum. Vbi Innocentius Papa dicit Scripturam ſacrã aſſerere, quod iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre, & tamen hoc non reperitur in ſacra Scriptura, ſed forte in aliquo Concilio, vel in aliqua decretali epiſtola. ergo definitiones Eccleſiæ ſunt Scripturæ Diuinæ.

Innocent.

Vltimò arguitur, nihil eſt de fide, niſi reuelatũ à Deo, vt dictum eſt; Nam fides Catholica nihil credit, niſi quod eſt à Deo reuelatum: ſed definitiones Conciliorum ſunt de fide; ergo ſunt reuelatæ à Deo; atque adeo ſunt Scriptura Diuina; prima conſequentia eſt nota, & ſecunda probatur. Ideo n. aliqua eſt Scriptura diuina, quia eſt reuelata à Deo.

Canus.

Hanc ſententiã Canus vbi ſupra inconſideratam appellat. Vnde pro ſolutione dubij obſeruandum eſt primo multiplex eſſe diſcrimen inter Scripturam ſacram, & Cõciliorum decreta. Primum eſt, quod ſcriptura eſt Verbum Dei immediatè reuelatum, & ſcriptum quodammodo Deo dictante, iuxta illud 2. Petri 1. Spiritu ſancto inſpirãte &c. & 2. Tim. 3. Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, &c. Non quod ſcriptores ſacri nouas ſemper reuelationes habuerint, & ea ſcripſerint, quæ antea ignorabant; cõſtat enim Euangeliſtas Mattheum, & Ioannem ſcripſiſſe ea, quæ viderunt, Marcum, & Lucam ea, quæ audierunt, vt Lucas ipſe fatetur initio Euangelij. Sicut tradiderunt, inquit, nobis, qui ab initio ipſi viderunt. Sed dicuntur ſcriptores ſacri habuiſſe immediatam reuelationem, & ſcripſiſſe ipſius Dei verba: quia vel noua quædam, & antea incognita eis reuelabantur à Deo iuxta illud Pſal. 50. Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi; vel Deus immediatè inſpirabat, & mouebat ſcriptores ad ſcribenda ea, quæ viderant, & audierant, & eos dirigebat ne aliquo modo errarent; Vt enim verè dicitur epiſtola Principis, quæ a Principe dictatur, etiam ſi is, qui eam ſcripſit antea ſciebat, quæ ſcripturus erat; ita dicitur, & eſt immediatũ Dei Verbum, quod ſcriptum eſt ab Euangeliſtis Deo inſpirante, & dirigente, licet ſcripſerint ea, quæ viderant, vel audierant.

Lucas.

At Concilia non habent, neque ſcribunt immediatas reuelationes, aut verba Dei. Sed tantùm declarant, quodnam ſit Verbum Dei ſcriptum, vel traditum, & quomodo intelligi debeat, & præterea ex eo per ratiocinationem deducunt Concluſiones. Itaque Concilia cum definiunt, qui ſint libri Canonici, & diuini, non faciunt eos eſſe infallibilis veritatis, ſed declarant ſolum eſſe tales.

Sic etiam Concilium Trident. ſeſſ. 13. cap. 1. Cum definit verba illa, hoc eſt corpus meum, intelligi propriè, non figuratè, non edit, ſed declarat Verbum Dei, & cum Concilium Nicenum definiuit Chriſtum eſſe Homouſion Patri, deduxit concluſionem ex ſcripturis in quibus disertè, continetur vnum eſſe Deum, & Patrem eſſe Deum, ac Filium eſſe Deum; ex quibus ſequitur neceſſariò Patrẽ, & Filium, eiuſdem eſſe ſubſtantiæ, & diuinitatis. Similiter Concilium ſextum cum definiuit in Chriſto duas eſſe voluntates diuinam, & humanam deduxit Concluſionem ex ſcriptura in qua habetur, Chriſtum eſſe perfectũ Deum, & perfectum hominem.

Secundò differunt, quod in ſcriptura nullus poteſt eſſe error, ſiue agatur de fide, ſiue de moribus, ſiue affirmetur aliquod generale, & toti Eccleſiæ commune, ſiue aliquid particulare; & ad vnum tantùm hominem pertinens, tam enim eſt certum, & de fide, ſine gratia Spiritus ſancti neminem ſaluari, quam Petrum, Paulum, Stephanũ, & quoſdam alios, verè Spiritum ſanctum habuiſſe, & ſaluos eſſe, vtramque enim eadem ſcriptura veriſſima teſtatur, atque adeo ſacræ Scripturæ authores, nec in minimo falli poſſunt. Concilia vero quamuis circa fidem, & mores, ad ſalutem neceſſaria, errare non poſſint, in cæteris tamen, vt in iudicijs particularibus errare poſſunt: quia ſequuntur teſtimonia humana fallibilia, vt diximus.

Tertiò differunt, quod ſcriptura non eget approbatione Pontificis, vt ſit authentica, ſed tantùm, vt innoteſcat eius authoritas, Concilia etiam legitima, & generalia nõ ſunt rata, niſi à Pontifice confirmentur, vt oſtendimus ſupra.

Secundò obſeruandum eſt, quod quamuis quantum ad infallibilitatem definitiones Conciliorum in materia fidei, & morum, ſint eiuſdem authoritatis, qua eſt ſcriptura diuina, tamen quo ad authores immediatos, maioris authoritatis ſunt authores ſacræ Scripturæ, quam Concilij, illi enim habent immediatam Dei reuelationem à Deo, quam non habent Patres Concilij.

His obſeruatis ſit hæc Concluſio. Definitiones Conciliorum, & Romanorum Pontificum, quamuis ſint infallibiles, non ſunt tamen annumerandæ inter Scripturam Diuinam. Probatur, quia Papa, & Patres Concilij non loquuntur ex immediata ſibi facta reuelatione, nec ex ſcientia infuſa, quod requiritur ad Scripturam Diuinam, ſed loquuntur ex ſcientia acquiſita, & humano ingenio, aſſiſtente tamen Spiritu ſancto ne errent. Quod patet ex primo Apoſtolorum Concilio Act. 15. Nam Apoſtolis, & Presbyteris in Synodum Hieroſolymitanam congregatis non ſtatim reuelatum eſt, quid eſſet in fidei cauſa decernendum, ſed facta eſt prius, vt Lucas ait, magna conquiſitio, & in Nicena Synodo, vt Ruffinus tradit lib. 10. cap. 5. hiſt. Eccleſiaſticæ, per ſingulos dies agitabatur conuentus, nec facilè, aut temerè de re tanta ſtatuere audebant Patres, euocabatur frequenter Arrius in Concilium, & aſſiduo tractatu aſſertiones eius diſcutiebantur, & quid aduerſum hæc teneri deberet, aut ſtatui, ſumma deliberatione quærebatur: Ita poſt diutinum, multumque tractatum firmiſſima omnium ſententia Arrius condemnatus eſt. Ex quo perſpicuum eſt non dormientibus, & oſcitantibus Patribus Spiritum ſanctum aſſiſtere, ſed diligenter humana via, & ratione quærentibus rei, de qua diſſeritur veritatem.

Concluſ.

Ruffinus.

Secundò probatur: quia Scriptoribus Canonicis adeſt Spiritus ſanctus in ſingulis, etiam in minimis rebus; at Patribus Concilij ſolum adeſt in rebus ad ſalutem neceſſarijs, in reliquis autem minimè; atque ita vna Synodus reuocat in illis aliam. Nam Synodus Prouincialis ſub Stephano huius nominis ſexto, & Sergius iij. omnes ordinationes factas à Formoſo irritas eſſe decreuerunt; quod in Synodo Romana ſub Ioanne 9. iure reprobatũ eſt, ſed iudicium rerum geſtarum erat, non Religionis fideique decretum.

Ad primum negatur Conſequentia, quia ad hoc quod aliqua ſit Scriptura Diuina, non ſufficit, quod aſſiſtat Spiritus Sanctus, nec ſit error in ea; ſed præter hæc requiritur, quod Scriptor eius habeat immediatam reuelationem, ita vt in nullo poſſit decipi, quæ non concurrunt in Papa, nec in Patribus Concilij, vt dictum eſt.

Ad ſecundum nego conſequentiam: quia Concilium Apoſtolorum non eſt Scriptura Diuina, niſi materialiter, id eſt, niſi quia inſertum eſt in diuina Scriptura, at formaliter, hoc eſt, vt Concilium, non eſt diuina Scriptura, ſicut nec Canones Apoſtolorum ſunt Scriptura diuina; quia Clemens, qui illos refert, Scriptor Sacer non fuit; at quia Concilij Apoſtolorum definitio à D. Luca cum reliquis hiſtoriæ partibus contexta fuit, ideo Sacra Scriptura eſt. Quemadmodum verba Pilati ſunt Scriptura diuina; non quia Pilatus dixit, ſed quia ea ſcripſerunt Euãgeliſtę.

Ad tertium dico primo, Gratianum fuiſſe deceptum ex deprauato Codice, quem ipſe habuit B. Auguſtini, tribuit enim illum Canonem Auguſtino libro ſecundo de Doctrina Chriſtiana capit. octauo, Codices autem veri, & emendati B. Auguſtin, non habent vt Gratianus refert, ſed longe aliter. Ita enim inquit Auguſtinus: In Canonicis autem ſcripturis, Eccleſiarum Catholicarum quam plurimum authoritatem ſequatur, inter quas ſanè illæ ſunt, quæ Apoſtolicas ſedes habere, & epiſtolas accipere meruerunt, Hæc Auguſtinus, quæ longiſſime diſtant ab his, quæ Gratianus adducit. Non enim Auguſtinus dicit epiſtolas eas eſſe ſcripturam Canonicam, quæ Apoſtolica ſedes dare, vel accipere ſolet, vt Gratianus legit,

ſed

ſed iudicium de ſcripturis ſacris pertinere ad Eccleſias, atque ad eas potiſſimum, quæ Apoſtolicas ſedes, vel epiſtolas accipere meruerunt, quales ſunt Roma in qua ſedit Petrus, & ad quam ſcripſit Paulus: Epheſus in qua ſedit Ioannes, & ad quam ſcripſit idem Paulus, & aliæ quædam. Nam eo loco B. Pater Auguſtin. de libris Canonicis ſcripturæ diſſerens hanc regulam nobis aſſignat, vt illi libri pro Canonicis habeantur, quia pluribus Catholicis eccleſijs recipiuntur, inter quas eccleſias firmiter eas credit eſſe computandas, quæ Apoſtolicas ſedes habuerunt, de eis ſcilicet eccleſijs intelligens, quas Apoſtoli, velut earum Epiſcopi rexerunt; Illas etiam præcipuas eſſe Catholicas eccleſias Auguſtinus credidit, quæ epiſtolas Apoſtolicas accipere meruerunt; id eſt, quibus Apoſtoli ſuas dederunt epiſtolas. Non ergo loquitur ibi D. Auguſt. de epiſtolis decretalibus Romanorum Pontificum, ſed de epiſtolis Apoſtolorum. Ita optimè Caſtro lib. 1. aduerſus hæreſes c. 2.

Caſtro.

Secundò dici poteſt, Gratianum etiam hoc errore paruo non voluiſſe dicere, decreta Pontificum eſſe propriè Scripturas ſacras, & Canonicas, vt ſunt Euangelia, vel Pſalmi, ſed eſſe Scripturas ſacras, vt diſtinguantur à prophanis, & Canonicas, vt diſtinguantur à ſcriptis ſacris Patrum; quæ non ſunt regulæ, nec habent authoritatem obligandi. licèt enim Canones Pontificum, & Conciliorum diſtinguantur, & poſtponantur Scripturæ Diuinæ; tamen ſuo modo ſunt, & dici poſſunt ſcripta ſacra & Canonica, quomodo ſeptima Synodus act. 3. vocat decreta Conciliorum diuinitus inſpiratas conſtitutiones; Sic forſitan Diuina lex vocatur Canonica; humana Ciuilis, de iuramen. calum. capitulo primo, vt Hoſtienſis, Andreas, Siculus, Cardin. Barbat. & alij Iuriſperiti notauerunt. & Gloſſa capit. ex diligenti de Simon. atque adeo Innocentius 4. capit. cum de diuerſis de priuilegijs in ſexto, non obſcurè ius Canonicum diuinum vocat; Ciuile autem humanum. & legem Canonicam ſacram, & diuinam appellat Iuſtinianus in Authen. vt Clerici apud proprios Epiſcopos §. ſi vero. Imo Innocentius capit. Cum Marthæ extra de celebratione Miſſarum, vocat Scripturam ſacram ſententiam illam Auguſtini: Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre, cuius debemus precibus commendari, ſer. 17. de verbis Apoſtoli.

Quod autem Gratianus ſenſerit Conciliorum decreta non eſſe æquanda diuinis ſcripturis propriè dictis, patet 36. q. 2. capit. placuit, vbi Hieronymi ſententiam, quia munita erat teſtimonio Diuinæ Scripturę, anteponit Concilij decreto.

Ad confirmationem ex D. Gregorio Reſpondeo illud, Sicut, ſonare ſimilitudinem, non æqualitatem, ſicut illud Matth. 5. Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt; vel ſi ęqualitatem ſonet dicendum erit, non cõparari à Gregorio Concilia cum Euangelijs in omnibus, ſed tantùm in ipſa certitudine eorum, quæ in ſcripturis dicuntur, & in Concilijs definiuntur. Cum enim vtraque ſint infallibilis veritatis, æque certa dici poſſunt.

Ad quartum patet reſponſio ex ſecunda reſponſione ad tertium.

Ad quintum diſtinguo primum conſequens, definitiones Concilij ſunt reuelatæ à Deo immediatè ipſis Patribus Concilij; nego; ad hoc requiritur vt ſit aliqua Scriptura Diuina; ſunt autem reuelatæ ſcriptoribus Canonicis, à quibus per ſtudium Spiritu Sancto aſſiſtente ne errent eas didicerunt Patres Concilij interpretando, colligendo, & argumentando per locum intrinſecum.

ARTICVLVS IX.

Vtrum aſsignari poſsint aliquæ certæ Regulæ, quibus cognoſcatur, quæ decreta Conciliorum, & quæ approbata à Papa ſint de fide, quæ vero non.

1. Concl. DIco primò, maxima pars eorum, quæ ſunt in Concilijs, ad fidem non pertinere. Non enim ſunt de fide diſputationes, quę præmittuntur, neque rationes, quæ adducuntur, neque ea, quę ad explicandũ, & illuſtrandum afferuntur, ſed tantùm ipſa nuda decreta: & ea non omnia, ſed tantùm quæ proponuntur tamquam de fide, ex quo ſequitur argumentum, quod contra Scotum de diſtinctione formali relationum ab eſſentia diuina, (quod ex Concilio Florentino ſeſſ. 18. vbi dicitur diuina ſubſtantia, & perſona re quidem idem ſunt, ſecundum autem modum intellectionis noſtræ videntur differre; & ſeſſ. 19. Loquens de eſſentia, & perſona ait. Haud quaquam putare debetis, quod re differant, quandoquidem ſola ratione, aut intelligentia differre creduntur, & ſeſſ. vltim. ex conſenſu omnium Epiſcoporum Latinorum ſcribitur, diuinam ſubſtantiam à tribus hypoſtaſibus nõ re, ſed ſola ratione differre) quod, inquam, deſumit Franciſcus Zumel prima parte Summæ D. Thom. q. 28. artic. 2. q. 2. haud concludere. Quia Concilium non procedit ibi definiendo, ſed diſputando. In diſputationibus autem Concilium ſemper communiores opiniones accipit, vt ad veritatis inquiſitionem procedat.

Dico ſecundò, quod Concilia interdum aliquid definiunt, non vt certum, ſed vt probabile; patet de Concilio Viennenſi, quod decreuit tenendum vt probabilius infantibus in Baptiſmo infundi gratiam, & virtutes, vt habetur. Clemen. vnica de ſumma Trinit. & fide Catho. 2. Concl.

Dico tertiò, quod in ipſis decretis de fide non verba, ſed ſenſus tantùm ad fidem pertinent. Non enim eſt hæreticum dicere in Canonibus Conciliorum aliquod verbum eſſe ſuperuacaneum, aut non rectè poſitum, niſi forte de ipſo verbo ſit decretum formatum, vt in Concilio Niceno decreuerunt recipiendam vocem Homouſion, & in Epheſino vocem Theotocon. 3. Concl.

Dico quartò, ea, quæ in Conciliorum, vel Pontificum decretis, vel explicandi gratia inducuntur, vel vt obiectioni reſpondeatur, vel etiam obiter, & in tranſcurſu præter inſtitutum præcipuum, de quo erat potiſſimum controuerſia, ea ad fidem non pertinent, hoc eſt, non ſunt fidei Catholicæ definitiones; Quod ex eo patet: quia in cap. firmiter de ſumma Trinitate, dicitur Angelos eſſe incorporeos, & tamen id non eſt fidei decretum, cum poſt decretalem illam nonnulli, & Philoſophi, & Theologi, falsò quidem, ſed citra hæreſeos notam contrarium aſſeruerint; Nam vt explicaret Synodus id quod fides Catholica tenet; Deum nempe eſſe creatorem omnium viſibilium, & inuiſibilium, adiecit corporalium, & incorporalium, quas particulas exponendi, non definiendi gratia adiectas eſſe conſtat. Ex quo patet etiam in illo capit. firmiter, non fuiſſe definitum Angelos ſimul duratione temporis cum creatura corporea creatos eſſe; quamuis Concilium dicat Deum vtramque naturam, ſcilicet ſpiritualem, & corporalem ſimul de nihilo condidiſſe; Nam particula Simul, quæ hoc ſignificare videtur, non ſemper refertur ad durationem, ſed interdum ſignificat idem quod pariter, vt Pſal. 13. omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, & Pſal. 48. Simul inſipiens, & ſtultus peribunt. atque ita accepit Concilium hanc particulam Simul, id eſt, pariter. Quod ex eo oſtenditur: quia nihil omnino referebat ad ſymbolum illud fidei, quod Concilium præmittere volebat, tunc nouiter definire vtramque creaturam ſimul duratione à Deo fuiſſe productam: vtramque vero pariter à Deo fuiſſe creatam plurimum intererat ad explicandum articulum, Dei Omnipotentis, & Creatoris. Sed de hoc vide quæ ſcripſimus ſuper Gen. c. 1. 4. Concl.

Dico quintò. Non omnia quæ probantur à Papa, vel à Concilio plenario, ſunt de fide, ita vt oppoſitum ſit hæreticum. probatur, quia hiſtoriæ Martyrum approbantur à Papa, & recitantur in horis Canonicis, & tamen non ſunt de fide tenendæ. Gelaſius etiã Papa in c. Sancta Romana d. 15. approbat multa ſcripta Doctorum, quæ tamen non ſunt de fide. 5. Concl.

Dico ſextò. Illa quæ approbantur à Papa, vel ab aliquo Concilio plenario, quæ ſolum ad aliquam particularem Eccleſiam ſpectant, & nõ ad vniuerſalem, nõ ſunt de fide tenenda. probatur, quia fides omnium eſt vna, ſed quod expectat ad aliquam particularem Eccleſiam nõ obligat omnes, ergo non eſt de fide: & confirmatur, quia certitudo fidei 6. Concl.

6.Concl. do fidei Iudicibus à Deo conſtitutis non propter Eccle-
ſias priuatas promiſſa, & conceſſa eſt, quæ ſingulæ errare
poſſunt; ſed propter Eccleſiam vniuerſalem, quæ errare
non poteſt. Præterea Papa Sixtus inſtituit feſtum imma
culatæ Conceptionis Virginis Mariæ celebrari ab illis,
quibus placuerit tantùm; atque adeo non eſt tenendum
de fide Virginem Mariam conceptam fuiſſe ſine labe
originali, ſed ſolum eſt opinio probabiliſſima, & meo iu-
dicio veriſſima, quamuis Papa in ſua bulla de iſta mate-
ria hoc non declaraſſet.
7.Concl. Dico ſeptimo. Quidquid dicitur à Summis Pontifici-
bus in ſuis epiſtolis decretalibus non eſt cenſendum ab
eis eſſe definitum: ſed expectandum eſt, quid ex profeſſo
in eis agatur, quiſuè ſit ſcopus, & intentio principalis cu-
iuſcumque epiſtolæ, & ille tantū articulus exiſtimandus
eſt in eis definitus à ſede Apoſtolica; non autem quæ obi-
ter, & minus ex profeſſo ibi dicuntur. Atque adeo cum
Alex. 6. Alex. 3. in cap. Debitum de bapt. & eius effectu tātum ex
profeſſo definiat neminem poſſe ſe ipſum baptizare, hoc
vnum pro certo tenendum eſt ex ea definitione, reliqua
vero non eſt neceſſarium velut certa acceptari, ſatiſque
eſt ſi vt pia, & probabilia recipiantur. atque ita cum In-
Innoc. 3. nocentius 3. in c. Apoſt. de presbyteris non bapt. ſolum vi-
deatur voluiſſe definire, poſſe per fidem Eccleſiæ & Chri
ſti nominis confeſſionem ſaluari, qui propter articulum
neceſſitatis decedit ſine baptiſmo, quantum ad hoc vnum
neceſſarium eſt illius definitionem acceptare; non vero
quo ad alia, quæ obiter ibi dicuntur. lege Vegam de Iu-
ſtificatione lib. 9. c. 41.
8. Concl. Dico octauo. Omnes illas veritates, quas non ſolum
obiter, aut per occaſionem, vel narratiue, ſed ſub defini-
tione iudiciali à propoſito, & expreſsè, & non ſolum taci-
te Eccleſia, vel Papa tradit generaliter omnibus neceſſa-
rio credendas, vel earum oppoſita reprobando concur-
rente vniuerſalis Eccleſiæ, ſeu Concilij generalis legiti-
mè congregati conſenſu, ſeu approbatione explicita, vel
implicita, eſſe de fide tenendas, & credendas neceſſario,
etiam ſi ibidem non dicatur id eſſe de fide, vel ſub anathe
mate tenendum.
9. Concl. Dico nono. Quando in decreto Papæ vel Concilij po
nitur, contrarium aſſerentes eſſe habendos vt hæreticos,
illud decretum eſt de fide; exemplum eſt in c. damnamus,
de ſumma Trinitate vbi damnatur error Abbatis Ioa-
chim, & in Clem. vnica eodem titulo §. 1. vbi in fine addi-
tur quod oppoſitum affirmantes ſunt hæretici.
10.Concl. Dico decimo. Quando in decretis Papæ vel Concilio-
rum ponitur pœna anathematis, maledictionis, alienatio-
nis, ſeparationis, vel diuiſionis, quæ omnia idem ſignifi-
cant, talia decreta ſunt de fide; per illā enim pœnam con-
trarium ſentientes iudicantur ſeparati ab vnitate Eccle-
ſiæ, & per conſequens hæretici.
Dico poſtremo, quando in talibus decretis ponitur pœ
na excommunicationis ſignum eſt quod ſunt de fide.
exemplum eſt de hæreticis cap. Cum Chriſtus, & cap. ad
abolendam. In Concilio tamen Tridentino ſeſſ. 13. can.
11. de Euchariſtiæ Sacramento definitum eſt confeſſio-
nem Sacramentalem Euchariſtiæ præmittendam eſſe,
ſi conſcientia peccati mortalis grauat; & protinus ſi quis
(ait Synodus) contrarium docere, prædicare, vel pertina-
citer aſſerere, ſeu etiam publicè diſputando defendere
præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat, ſed hoc
Canus. additum eſt, inquit Canus lib. 5. de locis cap. 5. q. 4. ſub fi-
nem, propter periculum; erat enim opinio contraria per-
nicioſa: atque adeo excommunicatio illa ad publicam do
ctrinam, vel maximè refertur.
Adde, illud eſſe de fide quod per eccleſiam expreſsè,
& propriè fidelibus firmiter credendum proponitur, vt ſi
dicatur illud tamquam dogma fidei eſſe accipiendum,
vel alijs ſimilibus verbis aliquid eſſe Euangelio, doctri-
næuè Apoſtolorum contrarium. Si dicatur, inquam, nō
ex opinione, ſed certo, & firmo decreto. Vnde licèt opi-
nio Durandi reprobetur, capit. Gaudemus de diuortijs. §.
quia vero Pagani; his verbis. Verum abſonum hoc vi-
detur, & inimicum fidei Chriſtianæ &c. is noluit hære-
ſeos illum condemnare, verbum enim videtur iudiciorū
infirmat certitudinē. lege Canum loco ſupra citato. At-
que hæc de materia fidei dicta ſint.

DE VIRTVTE SPEI.

DISTINCTIO XXVI.

SPES *autem eſt virtus, qua ſpiritua-
lia & æterna bona ſperantur. &c. In
hac diſtinctione agit Magiſter de
ſpe, cuius ſententia octo concluſioni-
bus explicatur. quarum prima eſt talis. Spes eſt* 1.Concl.
*virtus, qua ſpiritualia, & æterna bona ſperan-
tur, id eſt, cum fiducia expectantur, & hac de-
finitio ſpei ſumitur ex comparatione ſpei ad
ſuum obiectum.*
Secunda Concluſio. Spes dicitur certa expe- 2.Concl.
*ctatio beatitudinis futuræ, proueniens ex Dei gra
tia, & meritis rem ipſam ſperatam præceden-
tibus.*
Tertia Concluſio. Sperare ſine meritis, vel 3.Concl.
*ſaltem ſine merendi propoſito aliquid æternæ bea
titudinis, non eſt ſpes, ſed præſumptio.*
Quarta Concluſio. Obiectum ſpei, eſt aliquod 4.Concl.
*inuiſibile, quemadmodum & fidei; ſicut enim de
fide dicitur, quod eſt earum rerum, quæ non vi-
dentur, ita de ſpe dicitur ad Rom. 8. Spes, quæ
videtur, non eſt ſpes; quod enim videt quis, quid
ſperat?*
Quinta Concluſio. Fides eſt de non viſis qua- 5.Concl.
*tenus inuiſibilia ſunt, ſpes vero quatenus ſunt
non habita.*
Sexta Concluſio. Fides, & ſpes non differunt 6.Concl.
*ſolo vocabulo ſed realiter, quia fides indifferen-
ter eſt de bonis, & malis; quia bona creduntur,
& mala, & hoc fide bona, non mala: ſpes autem
eſt de bonis tantum. Item fides eſt præterita-
rum rerum, præſentium, & futurarum: credi-
mus enim mortem Chriſti, quæ iam præterijt,
credimus ſeſſionem eius ad dexteram patris,
quæ nunc eſt, credimus ipſum venturum ad iudi-
candum, quod futurum eſt; ſpes autem eſt de futu
ris tantùm. Item fides eſt ſuarum rerum, & alie-
narum: nam & ſe quiſq; credit eſſe, capiſſe, &
non fuiſſe vtique ſempiternum, & alia, atque a-
lia, non modo de alijs hominibus multa, quæ ad
religionem pertinent, verum etiam de Angelis
credimus ſpes autem eſt tātum rerum ad eos per-
tinentium, qui earum ſpem gerere perhibentur.*
Septima Concluſio. Chriſtus in hac vita fide, 7.Concl.
*& ſpe caruit eo quod omnia clare vidit, ita vt fi-
des; & ſpes in quantum ſunt virtutes, non fuerūt
in Chriſto, ſicut nec ſunt in beatis. licet enim bea-
ti credant, & ſperent reſurrectionem futuram,
non tamen eſt in eis fides, & ſpes, quæ ſunt virtu-
tes: quia ipſi Deum clarè vident, & in ipſo, quæ
creduntur & ſperantur clare intuentur. Ita &*
Chri-

Digitized by Google

Chriſtus, in quo fuerunt bona patriæ credidit qui dem, & ſperauit reſurrectionem tertia die futuram, pro qua & Patrem orauit, nec tamen fidem virtutem, vel ſpem habuit, quia non ænigmaticā, & ſpecularem, ſed clariſsimam de ea cognitionē habuit, quia non perfectius eum cognouit præteritam, quam futuram.

8. Concl. *Octaua Concluſio Antiqui Patres, qui apud inferos vſq; ad Paßionem tenebantur, non incongruè dici poteſt, quod fidem, & ſpem virtutem habuerunt, quia credebant, & ſperabant ſe clarè viſuros Deum, qualiter eum tunc non videbant. Hæc Magiſter in hac 26. diſt. circa quam mouet Scotus vnicam quæſtionem videlicet.*

QVAESTIO VNICA.

Vtrum ſpes ſit virtus Theologica diſtincta à fide, & Charitate.

Spes multis modis ſumitur.

PRO explicatione tituli obſer. eſt, primò, ſpei nomen multas habere ſignificationes: nam primò cōmuniſſimo ſignificatu dicitur quæcumque expectatio futuri euentus ſeu boni, ſeu mali; Nam

Cicero. Cicero lib. 1. ad Atticum ſpem malorum dicit: & Virgilius

Virgilius. inducit Didonem. dicentē. Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem. Verum hanc ſignificationem impropriá eſſe cenſet D. Auguſtinus in Enchirid. ca. 8. idque probat

D. Aug. authoritate Grammaticorum, qui ex eo loco Virgilij petunt exemplum locutionis impropriè, eo ꝙ ſperare dixit (inquit, Auguſtinus) pro timere. Secundo dicitur propriè ſpes expectatio futuri boni; & ſic eam definit Cicero quæſt. 4. Tuſculana, atque id etiam confirmat Auguſt. illic teſtimonio Lucani, qui ſpem à timore per hoc diſtinguens dixit. liceat ſperare timenti, vnde concludit ibi B. Auguſt. ſpem propriè non eſſe niſi bonarum rerum, nec niſi futurarum: ſed neque hoc modo tam generali accipimus in propoſito nomen ſpei.

Tertio accipitur ſpes pro expectatione boni futuri ſenſibilis, quo pacto ſpes eſt vna quædam paſſio appetitus ſenſitiui, & differt à gaudio: quia gaudium eſt reſpectu boni præſentis, ſed ſpes reſpectu futuri; atque ita loqui-

Boetius. tur Boetius in primo de conſolatione: metro vltimo, gaudia pelle, pelle timorem, ſpemque fugato, ſed neque hoc modo accipimus nomen ſpei in propoſito.

Quarto accipitur ſpes pro obiecto ſpei, hoc eſt pro re ipſa, quam ſperamus, vt ad Rom. 8. ſpes quæ videtur non eſt ſpes & ad Titum 2. Expectantes Beatam ſpem & Aduentum Domini, & in hoc ſenſu ſumitur in ſalutatione Eccleſię qua ſalutat D. Virginem dicēs. Et ſpes noſtra ſalue.

Quinto accipitur ſpes pro actu ſpei, & in hac ſignificatione intelligitur Gloſſa ſuper illud Matth. 1. Abraham

Gloſſa. genuit Iſaac, Iſaac genuit Iacob, id eſt, inquit, Gloſſa fides genuit ſpem, ſpes charitatem, quod nequit intelligi niſi de actu ſpei; nam habitus ſimul infunduntur. Sexto accipitur ſpes pro habitu inclinans potentiam ad expetendam futuram beatitudinem ex gratia Dei, & meritis. & hæc eſt duplex quædam acquiſita, quæ acquiritur ex pluri-

Spes habitualis eſt duplex. bus actibus ſperandi à Deo beatitudinem; alia eſt infuſa, quæ in baptiſmo vnacum fide, & charitate infunditur, & quæ non perditur niſi per deſperationem, & in hac vltima ſignificatione ſumitur in titulo quæſtionis.

Secundo obſer. eſt, ꝙ virtus ſecundum philoſophum 2.

Ariſtot. Ethic. cap. 6. eſt quæ bonum facit habentem, & opus eius

Virtus Theologica ſumitur tripliciter. reddit bonum; Virtus autem Theologica, tripliciter capitur, vno modo fusè, & ſic omnis virtus, quæ eſt de Deo tamquam de obiecto immediato. eſt virtus Theologica, atque ita, fides acquiſita, ſpes acquiſita, & charitas acquiſita ſunt habitus Theologici. Secundo modo dicitur virtus Theologica, quæ habet Deum pro primo obiecto, & prima regula humanorum actuum, & hoc modo: nec fides, nec ſpes acquiſita eſt virtus Theologica, quia non innituntur primæ veritati, & bonitati: nam fides acquiſita innititur alicui reuelanti creato, qui ſicut falli, ita & fallere poteſt, ita dicatur de ſpe acquiſita. Tertio modo dicitur virtus Theologica, quæ habet Deum pro primo obiecto, & pro prima regula actuum ſuorum, & cū hoc à Deo infunditur, quæ poteſt ſic definiri, virtus Theologica eſt habitus infuſus à Deo, qui primæ veritati innititur, & Deum pro immediato obiecto reſpicit. Dicitur primo quod eſt habitus à Deo infuſus, ex quo ſequitur quod nulla virtus moralis, nec fides acquiſita, nec ſpes acquiſita eſt virtus Theologica. Secundò dicitur, qui primę veritati innititur. i. qui habet primam veritatem pro prima regula actuum ſuorum, & non regulam aliquam acquiſitam humanitus puta prudentiā. Dicitur tertio, & Deum pro immediato obiecto reſpicit, ex quo ſequitur quod Latria non eſt virtus Theologica: quia etſi Deum reſpiciat pro obiecto, non tamen immediate, ſed mediante cultu. Harum conditionum prima reſpicit Deum vt cauſam efficientem, ſecunda vt regulam directiuam, tertia vt obiectū. Per vltimas duas conditiones virtus Theologica ſufficienter diſtinguitur à morali: quia moralis innititur regulæ humanæ. ſ. prudentiæ, ſiue rectę rationi naturali, Theologica verò veritati diuinę, ideo. n. fides credit, quia Deus reuelauit, ideo ſpes deſiderat: quia ſic deſiderandum eſſe Deus reuelauit, ſic charitas diligit, quia ſic diligere Deus præcepit. Similiter moralis non habet Deū pro obiecto primo, licet habere poſſet Deum pro fine.

Tertiò obſer. eſt, ꝙ diſtinctio in propoſito ſumitur pro diſtinctione reali, quæ eſt inter rem, & rem exiſtentem, quæ res nec eadem generatione generantur, neque eadem corruptione corrumpuntur. Quid ſit fides explicatum eſt in ſuperioribus, quid autem ſit charitas patebit ſequenti diſtinctione. Senſus ergo tituli eſt talis, vtrū ſpes habitualis inclinans voluntatem ad expetendam æternā beatitudinem ex gratia Dei, & meritis ſit virtus Theologica propriiſſime ſumpta realiter diſtincta ab habitu fidei, & charitatis. Reſolutio erit affirmatiua, quæ innititur authoritati D. Pauli. 1. ad Corint. 13. Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc maior autem horum eſt charitas. Diuiditur hæc quæſtio in 12. art.

Art. 1. Vtrum ſpes ſit certa expectatio vitæ æternæ.
Art. 2. Vtrum definitio ſpei ſuperius explicata tantum ſpei formatæ cum charitate, an etiam ſpei informi conueniat.
Art. 3. Vtrum ſpes ſit habitus diſtinctus a fide, & charitate.
Art. 4. Vtrum ſpes ſit quædam particularis fides.
Art. 5. Vtrum ſpes ſit virtus.
Art. 6. Vtrum ſpes ſit virtus Theologica.
Art. 7. Vtrum ſpes infuſa ſit ad ſperandum ſimpliciter neceſſaria.
Art. 8. Vtrum fides, ſpes, & charitas acquiſitæ ſint virtutes Theologicæ eiuſdem ſpeciei cum infuſis.
Art. 9. Vtrum actus ſpei, qui eſt deſiderare, ſit in præcepto, atque adeo meritorius eſſe poſſit.
Art. 10. Vtrum ſpes ſit in voluntate, vt in ſubiecto.
Art. 11. Vtrum in Beatis, & in damnatis ſit ſpes.
Art. 12. Vtrum ſi Deus alicui homini reuelaret ſuā damnationem teneretur adimplere præceptum ſpei.

ARTICVLVS I.

Vtrum ſpes ſit certa expectatio vitæ æternæ.

RAtio dubitandi eſt quia ſecundum Philoſophū peccat, qui definit quod eſt in motu, per id, quod eſt in quiete, & è cōuerſo; ſed expectare eſt quieſcere, ſperare quodammodo eſt tendere in rem ſperatam, ergo male definitur per expectationem.

Præterea certitudo, ſeu ſecuritas timori opponitur, at quilibet quantumcumque bonus de aſſecutione vitę æternæ habet timere, igitur nullus eam cum certitudine debet expectare, ergo non bene dicitur quod ſit expectatio certa. minor patet ex illo Prouer. 28. Beatus homo, qui ſem

per

per eſt pauidus. Et confirmatur nullus poteſt conſequi vitam æternam ſine gratia, at certus nullus eſt an habeat gratiam; igitur nec vitam æternam cum certitudine expectare poteſt.

Pręterea omnis notificatio debet dari per propria, ſed beatitudo, gratia, & merita ſunt cæteris virtutibus communia, ergo inconuenienter definitur per illa.

Pro ſolutione obſer. eſt primo ex D. Bona. q̄ ſpes eſt nomen affectionis, & eſt nomen virtutis: ſecūdum quod eſt nomen affectionis ſic definitur à Philoſopho Spes eſt ſuſpicio futuri boni. ſecundum autem quod eſt nomen virtutis, & nominat habitū, ſic debet definiri, & notificari per ſuum actum. Actus autem ille dupliciter poteſt comparari, vel ad obiectum tantùm, atq; ita ſpes definitur à Magiſtro in hac diſt. ſpes eſt virtus, qua ſpiritualia, & æterna, ſperantur; vel ad obiectum & Principium, & hoc pacto definitur definitione Haymonis. ſpes eſt certa expectatio futuræ beatitudinis veniens ex gratia & meritis; quā Gerſon vir doctiſſimus hoc modo explicat. Spes eſt certa, ad differentiam hæſitationis, quia ſine fluctuatione hæſitationis eſt. Expectatio; ad differentiam comprehenſionis, quæ in patria erit, vbi nihil expectabitur, ſed omnia pręſentialiter habebuntur. Futuræ beatitudinis; ad differentiam timoris ſeruilis, qui dicitur eſſe expectatio futurę miſeriæ. Proueniens ex gratia, id eſt, benignitate Dei conſiderata. Ex præcedentibus meritis, ad differentiam præſumptionis, quæ ex Dei benignitate tantum conſiderata, & non cum hoc ex meritis beatitudinem adipiſci credit. Vel actus ſpei comparatur ad obiectum, & habitum pręambulum, atque ita definit ſpem D. Auguſtinus in lib. de Ciuit. Dei. Spes eſt virtus, qua quis ad illud, quod credit perſentiturum præſumit. Prima definitio eſt formalis data per genus & differentiā; ſecunda eſt cauſalis data per actum, & cauſam. tertia vero partim cauſalis, partim formalis, quia datur per obiectum ſpei; & aliam præambulā virtutem. ſ. fidem, quæ tangitur in verbo credendi.

D. Bonauentura. *Magiſter.* *Haymo.* *Gerſon.* *D. Aug.*

Secundò obſer. eſt, q̄ à magiſtris ſic communiter ſolet ſpes definiri. ſpes eſt audacia mentis de largitate Dei cōcepta habendi vitam æternam per bona merita. Hæc definitio quatuor explicat ſpei effectus: nam primo ſubleuat voluntatem à terrenis mundana contemnendo: Secundo facit eam conſtituere finem ſuum in ſummo bono amato; Tertio facit ipſam operari propter illum finem, & non propter alium, nec propter aliud: Quarto exhibet ei patiētiam in mora, & tarditate, ſi in hac vita differtur poſſeſſio, & finis acquiſitio, qui eſt Deus & vera beatitudo.

Gabriel.

Gabriel autem hac. d. ſpem ita definit. ſpes eſt habitus inclinans voluntatē ad deſiderandum efficaciter bonū infinitū: hic habitus pro genere ponitur, & includit tā habitū acquiſitum, quam infuſum; eſt enim ſpes duplex infuſa, & acquiſita; ſola enim ſpes infuſa non ſufficit ſine acquiſita; & dicitur inclinans voluntatem ad deſiderandum, vbi tangitur actus proprius, ad quem ſpes inclinat, qui eſt deſiderium alicuius boni, ſibi commodi, & futuri. Vnde patet, q̄d actus ſpei eſt actus amoris cōcupiſcētię ſcd̄m affectionē commodi, ſicut actus charitatis, eſt actus amoris amicitiæ ſecundum affectionem iuſtitiæ, quod autem deſiderare ſit quoddam amare patet, quia eſt quoddā velle bonum, & omne tale velle eſt amare. Dicitur bonum infinitum; vbi tangitur primarium, & principale obiectum. nam ſicut fides tendit in Deum credendo ei, ſicut primæ veritati; & charitas inhæret Deo tamquam ſummæ bonitati, ita ſpes tendit in Deum deſiderio, ei fiducialiter adherendo tanquam infinitæ largitati; ſiquidem infinita largitas eſt, quæ dat donum infinitum; ſpei ergo principale obiectum Deus eſt, à ſperante tamq̄ commodum ſuum ſummum poſſidendus. dicitur Efficaciter ad excludendum deſiderium deſperantium, & præſumentium. Nam efficax deſiderium duo includit, ſcilicet obiecti apprehenſionem, vt poſſibilis haberi: & acceptationem mediorum ordinatorum, ipſa volendo, & imperando, per quæ pōt obiectū acquiri, q̄d deficit deſperantibus, qui nō credunt Dei habitionem ſibi poſſibilem; & licet vellēt beatitudinem, non tamen efficaciter deſiderant, nec apprehendunt vt ſibi poſſibilem. Adęquatum ergo ſpei obiectū eſt bonum infinitum liberaliter ſe communicans creaturæ propter merita, ſecundū tamē modum ſuę capacitatis: nam creatura non dicitur eſſe capax beatifici boni infiniti, niſi per claram viſionem, & perfectam fruitionem, has verò habere non poteſt creatura à ſe, niſi per merita à bono infinito acceptata.

Tertiò obſer. eſt, q̄ certitudo propriè loquendo dicitur firmitas euidentiæ virtutis cognitiuæ reſpectu ſui obiecti; & quia firmitas euidentiæ quandam habet determinationem, ideo nomen certitudinis eſt translatum ad ſignificandam determinationem cuiuſcumque virtutis tam naturalis, quam moralis in ſuum actum circa obiectum; ſecundum quem modum dicimus naturam certitudinaliter operari, inſuper virtutem certiorem eſſe arte; quia per artem quis non determinatur ad operandum, ſed poteſt operari ſic, vel aliter, vt per virtutem; quæ ad vnum inclinat, & ad vnum modum operatur. certitudo ergo principaliter, & primo ad vim pertinet cognitiuam, participatiuè verò, & quaſi translatiuè, ad vim appetitiuam, & motiuam. Vnde talis cognitio certitudinis dicitur non poſſe deficere. Altera eſt cognitio ſiue certitudo inclinationis, quæ deficere poteſt, & quandoque deficit ab eo, quod inclinat nos, ſecundo modo de certitudine loquimur in propoſitione fatemur ſpem talem habere certitudinem. *Certitudo quid ſit.*

His obſeruatis dico primò, quod ſpes eſt virtus diuinitùs infuſa, per quam certa cum fiducia noſtræ ſalutis, & æternæ vitæ bona expectamus. *1. Concl.*

Dico ſecundò, quod quilibet fidelis faciens quod in ſe eſt, tenetur firma & certa ſpe expectare, in hoc quidem vita per Sacramentum baptiſmi, & pęnitentiæ peccatorum remiſſionem; in ſęculo autem futuro vitam æternā, quam ſpem niſi ſolidam, & firmam habuerimus fruſtra Chriſtiani ſumus. Nam certè parum eſt alioqui Deo, & verbo Dei fidem adhibere, ac diuina, quæ in eccleſia prædicantur dogmata profiteri, niſi Chriſtianus, Dei bonitate percepta ſpem inde concipiat, ac fiduciam conſequendæ gratiæ & ſalutis æternæ. probatur hęc concluſio. Quia quilibet fidelis tenetur ſperare in Deo viuo, & de eius bonitate confidentiam concipere; at ſpes in Deo cōſtituta firma eſt, & ſtabilis, dicente Paulo, vt per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum firmiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animę tutam ac firmam. Senſus huius ſententię eſt. Reſpicientes in promiſſiones Dei magno animo ſumus, nec frangimur aduerſis, ſed conſolamur nos ſpe. Nam propterea voluit Deus fidem ſuam gemino vinculo obſtringere, primum promiſſione, deinde iuramento, vt firmam habeamus conſolationem, quam ſpem, nos inquit Chriſtiani pro anchora nauigationis noſtrę habemus, quę in tempeſtatibus magnis huius maris, id eſt, inquieti mundi, animos noſtros ſic fulcit, vt etiam ſi in vita pręſidijs deſtituamur intrepidè dicamus: Etiam ſi me occiderit in eum ſperabo; & in Deo ſperabo, non timebo, quid faciat mihi homo. & iterum Deus meus in te confido non erubeſcam. hęc ratio aperta eſt; Nam ſpes, quę collocatur in homine fallax eſt: quoniam & verbum hominis, & eius potentia deficere poteſt. at ſpes Chriſtiana, quę innititur promiſſionibus diuinis, Dei miſericordię, & omnipotentię, fallax eſſe non poteſt. *2. Concl.*

Dico tertio, quod & ſi ſpes Chriſtiana, qua parte in Deum defixa eſt, quem cognoſcimus in ſuis promiſſis eſſe fidelem, certa, & ſolida ſit, ceterum ea parte, qua reſpicimus nos noſtramque miſeriam, & ignauiam; metum habet adiunctum, & trepidationem. Cum enim lapſum eſſe ſciamus Seraph Angelorum nobiliſſimum; Salomonem hominem ſapientiſſimum, Iſraelem populorum electiſſimum, Iudam inter Apoſtolos nominatum. Cum etiam intelligamus non magis deberi nobis Dei tutelam, & gratiam, quam illis, qui iam ſunt à nobis nominati, vt Iudę vocato Apoſtolo; aut Saulo electo Regi, aut Nicolao cōſtituto Diacono, non poſſumus eſſe ſine metu; præſertim cum Paulus admoneat. Noli altum ſapere, ſed time; & iterum, qui ſtat videat ne cadat, & Eccleſiaſt. 1. Qui ſine timore eſt, non poteſt iuſtificari, & ad Philip. 2. Cum timore, & tremore operamini veſtram ſalutem, & Prouer. 18. Beatus vir, qui ſemper eſt pauidus. Hæc tamen noſtra trepidatio nō debet animos noſtros deijcere, ſed magis Chriſto ſubijcere, & ſpem noſtram erga illum excitare. Certi enim

ti enim ſumus, & perſuaſi, quod noſtra ſpes, quia parte in Deum eſt defixa, deficere non poteſt, & hoc ſatis fuerit, vt Spes erga Deum certa ſit immobilis; nam ad certitudinem ſpei, quam ego habeo in amico conſtitutam, vt firma ſit, & tuta; ſatis eſt eſſe mihi perſuaſum, quod per amicum non deficiet, ſi mihi ipſi per ignauiam & ſocordiam non deſuero.

4. Concl. Dico quarto, Vt ſpes Chriſtiana ſit certa, & ſolida non requiritur hoc iudicium certum, & infallibile, Ego conſequar ſalutem; alioqui omnes Chriſtiani eſſemus certi de noſtra prædeſtinatione, & perſeuerantia, cuius contrariũ definitum eſt in Concilio Trident. Seſſ. 6. c. 12. 13.

5. Concl. Dico quinto. Certitudo, & ſecuritas ſpei Chriſtianę innititur in hoc potiſſimum, quod certo cognoſcimus Deũ eſſe fidelem in ſuis promiſſionibus, miſericordem, & omnipotentem, ex quo eruimus hanc perſuaſionem minimè fallacem, beatitudinem eſſe nobis poſſibilem ex Dei miſericordia, atq; ad futuram, ſi per nos non ſteterit, quę ratio eſt ſufficientiſſima, vt ſpes noſtra certa ſit & immobilis, vt

D. Thom. docet D. Thom. 2. 2. q. 18. art. vlt.

Ad primum argumentum dico, quod quamuis expectare ſit quies corporis, eſt tamen quædam ſolicitatio mẽtis, qui enim expectat, aduentum deſiderat expectati. Ceterum expectatio prout ponitur in definitione ſpei, nõ eſt expectatio corporalis, ſed magis mentalis, quæ eſt quædã imaginatio, & protenſio reſpectu finis aſſequendi.

Ad ſecundum concedo concluſionem loquendo de certitudine primo modo ſumpta in tertio notabili, at non ſecundo modo, vel ſic quod ratione defectus paſſibilis ex parte noſtra, dicitur ſpes compati ſecum timorem; verum ob id nõ tollitur quin certitudinẽ ſecundo modo habeat,

Ad confirmationem dico, quod homo lictè incertus ſit eſſe in gratia, & hoc modo certitudinem ſcientiæ, experiẽtiæ, vel alterius cognitionis non habeat, nihilominus certitudinem habet inclinationis ad habendum vitam ęternã, quæ certitudo ſufficit ad certitudinem, quæ habetur per ſpem de vita æterna conſequenda. Secundo dico, quod Spes non innititur principaliter gratiæ iam habitæ, ſed diuinæ omnipotentiæ, & miſericordię, per quam etiam, qui gratiam non habet, eam conſequi poteſt, vt ſic ad vitam æternam perueniat, de omnipotentia autem Dei, & miſericordia eius certus eſt quicumque fidem habet, ſed contra Spes non ſolum innititur Diuinæ miſericordiæ, ſed ẽt meritis noſtris: ſed non ſumus certi opera noſtra eſſe meritoria, quia hoc pendet à gratia, & acceptatione Diuina, ergo Spes non eſt certa, præterea merita noſtra poſſunt deficere; ergo Spes noſtra non eſt firma, & confirmatur, ſi quæ concluſio pendet ex duobus principijs altero infallibili, altero contingenti, non poteſt eſſe infallibilis, ſed contingens, ergo ſimiliter ſpes non eſt certa.

Reſpondeo, Spes noſtra eſt, & dicitur ſimpliciter infallibilis, & certa, firma, & tuta, quia ex Diuina promiſſione, & potentia miſericordiæ Dei, quibus innititur, non poteſt fallere nos Spes noſtra magis, quam fides, cuius teſtimonio fundatur. Spes enim ex fide accipit certitudinem, vt

Alex. de Ales. inquit Alex. de Ales, 3. p. q. 65. m. 4. Nec etiam deficere poteſt ex parte meritorum noſtrorum, quatenus illis Spes innititur. Nã duobus modis merita noſtra cõſiderari poſſunt; vno modo, vt ſunt ex gratia Dei, & dona ipſius, per quem etiam conſeruanda ſunt, alio modo, vt ſunt ex libero arbitrio noſtro; Spes non innititur meritis, prout ſunt ex nobis pendentia, ſed prout ſunt dona Dei, & ab eo pendent; itaq; ſecundario, & vt ſunt inſtrumenta Diuinæ miſericordię ſperat in illis: quia vt in cauſa principali in ſolo Deo ſperandum eſt. Ad argumentum ergo diſtinguo minorem, poſſunt merita deficerę ex parte ſubiecti, tranſeat, ſed nego conſequentiam. vel ex parte gratiæ Dei dantis eis valorem, & ſic nego; ſic fides eſt certiſſima, tamen amittitur ab hominibus.

Ad vltimum dico, quod illa communia, ſecundum qđ hic ponũtur, ſunt appropriata. Nã beatitudo appropriatur ratione vltimæ dotis, quæ eſt perfecta tentio correſpondẽs ipſi ſpei, & ea ratione qua nomine beatitudinis intelligimus bonum excellens, & indeficiens; ſimiliter merita, & gratia eidem appropriantur prout iunguntur inſimul; gratia enim reſpicit benignitatem, & miſericordiam: merita vero Dei æquitatem, & iuſtitiam; quoniam vero virtutis ſpei proprium eſt vtrumque reſpicere, vt liberet à deſperatione, & præſumptione, quæ ſolummodo alterum intuetur, ideo propriè conuenit ipſi ſpei, quod dicitur veniens ex gratia, & meritis, meritis, inquam, pręcedẽtibus, vel in propoſito, ſcilicet in radice, vel viu, ſicut in pręcedentibus dictum eſt.

ARTICVLVS II.

Vtrum definitio ſpei ſuperius explicata tantum ſpei formatæ cum charitate, an etiam ſpei informi conueniat.

Ratio dubitandi eſt, quia videtur tantum intelligi de ſpe formata, ſpes enim formata tãtũ eſt, quæ ex gratia, & meritis procedit; ſi autem ita ſtrictè ſpem accipiamus, tunc eſſet dicendũ peccatores ſpem non habere; quia neq; gratiam Dei, neque ex conſequenti merita habent.

Vnde pro ſolutione huius difficultatis obſer. eſt, quod Magiſter in hac definitione more phyſico procedit, definiendo ſpem per eius actum, eſt enim actus ſpei ſpectare, ſeu firmiter tendere. Datur etiam hæc definitio per cauſam efficientem. ſ. per gratiã, & merita, quæ duo cauſant actum ſpei; & gratia eſt tanquam primaria cauſa, merita autem ſunt cauſa ſecundaria. Exprimitur etiam in hac definitione actus, ſpei obiectum, quod eſt vita æterna. Nã quamuis dum ſumus in hoc mundo ſperamus alia à Deo, vt remiſſionem peccatorum, iuſtificationem, in bono perſeuerantiam, tentationum victoriam, & alia huiuſmodi; iſta tamen non ſunt obiectum primariũ ſpei, ſed ſecundarium, & ſub relatione ad vitam æternam ſpes illa expectat, vt etiam fides multa credit pertinentia ad creaturas, credit tamen ſub Diuina veritate reuelante; & charitas amat creaturas ex amore Diuinæ bonitatis, eſt igitur hæc definitio non de habitu ſpei ſed de operatione. Facile tamen adaptari poteſt habitui, vt ſi dixerimus, ſpes eſt virtus, qua vitam ſperamus æternam ex Dei gratia, & meritis noſtris; vel ſi dicas, Spes eſt virtus Theologica inclinãs ad certam expectationem vitæ æternæ ex Dei gratia, & meritis noſtris,

Hoc notato ſit hæc Concluſio. Definitio ſpei competit ſpei formatæ, atque etiam informi: Hæc Concluſio eſt Alex. de Ales 3. p. q. 65. m. 1. ad vltimum. & D. Bona. in hac d. art. 1. q. 4. ad primum. Vnde obſer. eſt, quod quattuor modis poteſt aliquis exiſtere in actu ſperandi, aut. n. ſperat habendo merita, in propoſito, in radice, & in effectu, ſicut homo iuſtus, qui Deo diu ſeruiuit; aut ſperat habendo merita, in propoſito, & in radice, ſed non in effectu, ſicut ille, qui ante bonum vſum virtutum, poſtquam ſuſcepit gratiam, expectat beatitudinem; aut ſperat habendo merita in propoſito tantum, non in radice, nec in effectu, ſicut ille, qui peccator eſt, qui proponit multa bona facere, & per illa ſaluari; aut ſperat non habendo merita, nec in effectu, nec in radice, nec in propoſito, ſicut ille qui faciendo mala, & in malis proponens perſeuerare per ſolam Dei miſericordiam credit ſe aſſecuturum gloriam, neglecta Diuina iuſtitia. Primus actus eſt ſpei formatæ, & iã exercitæ; Secundus actus eſt ſpei formatæ, & poſt infusè. Tertius actus eſt ſpei informis; & quartus eſt ipſius præſumptionis. Spes igitur dicitur procedere ex gratia, & meritis, quæ vel habentur in re, vel habentur in propoſito. Spe igitur formata confidit quis ex meritis exiſtẽtibus actu, vel habitu; Spe autem informi confidit quis ſine meritis exiſtentibus actu, vel habitu, exiſtentibus tñ in potentia, quamuis enim non habeat merita actu, vel habitu, tamen confidit, quia poteſt habere. Præſumẽns vero confidit ſine meritis omnino, vel actu vel habitu, vel in potentia exiſtentibus.

Conclus. Alex. de Ales. D. Bonauẽ.

Ex his probatur, hanc definitionem ſpei formatæ, atque etiam informi competere hac ratione. Peccator habet actum ſpei, quo tendit in vitam æternam, & illam ſperat, quia in propoſito, ſiue in voto habet merita, & Dei gratiam, proponit enim ſe diſponere, vt Deus illi elargiatur gratiam, & facere multa bona opera, atque ita conſe-

qua

Digitized by Google

qui beatitudinem; ergo talis peccator habet actum ſpei informis, competitque illi definitio tradita à Magiſtro; prouenit enim hæc expectatio, quam iſte habet, ex gratia Dei & meritis, quæ in voto fiet, licet nō in re, & habet ſpē infuſam, quæ cauſat hos actus ſperare ſe pœniturum, & Dei gratiam adepturum, & merita ad gloriam conſequēdam habiturum. Vnde definitio ſic eſt intelligenda, Spes eſt expectatio certa futuræ beatitudinis prouenįens ex Dei gratia & meritis, quæ vel habentur in re, vel in voto.

Concilium Triden. Contra: Nullus habet certitudinem ſe adepturum vitā æternam, vt traditur in Concilio Tridentino Seſſ. 6. ca. 9. & Can. 13. & 14. ergo ſpes non eſt certa expectatio, quomodo enim erit; vbi eſt tanta incertitudo? Dico ipſam ſpem certiſſimam eſſe: Spes namque non confundit, vt ait Paulus. Rom. 5. confunderet autem ſi incerta eſſet. Idcirco. Heb. 6. ſpes vocatur anchora tuta, & firma. Ait enim Paulus: Habentes ſpem, vt anchoram tutam, & firmam, incedentē vſq; ad interiora velaminis. vocat interiora velaminis bona æterna, quæ velata, & abdituſſima ſunt. Nā oculus non vidit, nec auris audiuit &c. 1. Corint. 2.

Hæc tamen certitudo, quam ſpes de ſe habet redditur nobis incerta ex incertitudine ſuæ cauſę: cauſa. n. certitudinis ſpei, eſt gratia Dei, & merita noſtra, quod ſi hæc nobis eſſent certa, & ſpes noſtra nos vndequaque certos faceret, de adipiſcenda vita æterna, at vero quia incerta eſt nobis gratia Dei; i. non ſumus certi nos gratiam Dei habere: Neſcimus. n. an digni ſimus odio, vel amore, atque ēt incerta nobis ſunt merita noſtra, q̄a neſcimus an ſint Deo accepta, ideo ſpes noſtra nō pōt nos facere certos omnino, non defectu ſuæ certitudinis & efficaciæ, ſed ob fragilitatem noſtram. Vt v. g. accidit mihi ſomnium, quod fuit certiſſimum, at vero licet fuit certiſſimum ex ſe, mihi tamen ante euentum erat incertum, non ex defectu inſomnij, ſed ex defectu ſomniantis, qui de euentis incertus eſt; Dicit

Vega. tamen Andreas Vega lib. 9. in Concilium cap. 38. quod cum dicitur Spes eſt certa expectatio beatitudinis, non abſoluta certitudo affirmatur, ſed conditionalis dumtaxat. ſcilicet ſi moriamur in gratia, vel ſi per nos non ſteterit, quo minus eam aſſequamur, vnde non immerito vocatur certitudo ordinis, non euentus certus: Nam fidelis certus eſſe poteſt, quod opera ſua ordinat ad ſalutem cum gratia Dei; non autem eſt certus de euentu, qui ſibi euēturus eſt; Id quod ante Vegam docuit etiam Alex. de Ales vbi ſup.

Alex. de Ales. m. 3. Vbi poſtquam oſtendit in fide duplicem eſſe certitudinem, ſcilicet cognitionis, & affectionis, & cognitionis certitudinem eiuſdem eſſe rationis in fide formata atque informi, etſi non affectionis certitudinem. tandem concludit in ſpe non eſſe niſi vnum genus certitudinis, ſcilicet affectionis propriæ, quam tamen certitudinem accipit ſpes ex fide, ex fide enim accipit hanc certitudinem, vt qui perſeuerauerit ſaluus erit; atque adeo ſperat, quod ſi perſeuerauerit ſaluabitur, & hæc eſt certitudo conditionalis, quę eadem eſt, & eiuſdem rationis in ſpe formata, & informi; at certitudo propria non eſt omnino eadem, nec eiuſdem rationis: quia propria certitudo ſpei, eſt ex meritis, ſed ſpes formata confidit ex meritis habitis, actu vel habitu; ſpes autem informis confidit ex meritis non habitis, ſed poſſibilibus haberi. Hæc Alexander.

ARTICVLVS III.

Vtrum ſpes ſit habitus diſtinctus à fide & Charitate.

FVit quorundam ſententiam (vt dicit Scotus in hac quæſtione) dicentium ſpem non eſſe ſimplicē habitum, ſed quoddam aggregatum ex fide, & charitate. Spes. n. eſt certa, & hoc pertinet ad fidē, & eſt expectatio, & ſic pertinet ad voluntatem, cuius eſt expectare. Actus enim ſpei, qui eſt expectare, includit certitudinem, quæ pertinet ad intellectum, & fidem: nam intellectus per fidem eſt certus de obiecto promiſſo: includit ēt deſiderium, quod pertinet ad voluntatem: quia actus ſpei eſt deſiderare ſummum bonum, vt patebit infra, & ſi eſt deſiderium meritorium pertinet ad charitatem, quæ perficit voluntatem: ſicut igitur expectatio perfecta, & meritoria includit certitudinem intellectus, quæ certitudo eſt per fidem, & deſiderium voluntatis ordinatæ, quod ſi eſt meritoriū, eſt per charitatem; ita ſpes vt virtus perfecta, dē includere per quandam aggregationem fidem, & charitatem, & ſecundum hoc poneretur virtus tertia, non formaliter, & ſpecificè diſtincta a fide, & charitate; quia non eſt aliquid ab eis diſtinctum, ſed prout aggregat fidem & charitatem, & hic modus dicendi loquitur tam de ſpe infuſa ſicut de fide, & charitate infuſis. Et eſt ſimilis hic modus dicendi, modo loquendi Nominalium de homine: dicentium Hoc nomen homo eſſe nomen collectiuū, aggregans copulatim corpus, & animam, & ſicut iſta eſt vera Homo eſt corpus & anima copulatim, ſed nō diuiſim, ita ſpes eſt fides & Charitas, ſpes. n. eſt nomen collectiuum aggregans fidem, & charitatem.

Hic modus dicēdi fuit opinio tempore Scoti, ſed modò eſt error, ideo reijciendus eſt omnino; Nam valde conuenit cum Lutheranis, qui omnia confundunt: dicūt. n. fidē, per quam iuſtificamur, eſſe ſpem ſiue fiduciam per quam ſimus certi de diuina miſericordia, quæ remittit nobis peccata; imo quod dilectio eſt quædam fides: Nam Lucæ 7. vbi ait Chriſtus. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, accipiunt diligere pro credere: quia poſtea dixit, Fides tua te ſaluam fecit, ergo idem eſt diligere, & credere. Afferunt etiam alia teſtimonia ex Euangelio, in quibus fides pro fiducia, quæ eſt ſpes perfecta, interpretantur. v. g. illud Matth. 14. Modicę fidei quare dubitaſti? & illud ad Roma. 4. Credidit Abraham Deo, & & explicant Sperauit. Nam ibidem dicitur; qui cōtra ſpē in ſpem credidit. i. ſperauit; ad hunc modū explicat Eraſmus illud ad Heb. 11. Fides eſt ſubſtantia ſperandarū &c. Et ſi Lutheranis obijciatur illud Apoſtoli 1. Corin. 13. fides, ſpes, charitas, tria hec &c. dicunt q̀ iſtæ virtutes ſunt tres tantùm nomine diſtinctę, quia nempe tribus nominibus exprimuntur: at in re eſt ſola fides, quia ſpes eſt fiducia, & fiducia non differt a fide: charitatem autem creatam nullam ponunt, ſed charitatem appellant aſſiſtētiam Spiritus Sancti. Patet ergo quomodo hic modus dicendi valde cum Lutheranis conueniat.

Probatur tamen hic modus dicendi, licet falſus, duabus rationibus. & prima eſt talis. Non eſt ponenda pluralitas ſine neceſſitate; ſed non eſt neceſſe ponere ſpem habitum diſtinctum à fide, & charitate: ergo &c. Maior eſt Phil. 1. Phy. & minor dupliciter probatur: primo ſic, In quocūq; eſt habitus diſponens ſufficienter voluntatem ad volendū aliqd præſens, in eo eſt habitus diſponēs ad volēdū abſens; ſed charitas eſt habitus diſponens voluntatem ad obiectū preſens; ergo etiam charitas eſt ſufficienter diſponens ad volendū aliquod abſens, ſed velle aliquod abſens eſt actus ſpei, ergo ſpes non diſtinguitur à charitate.

Pro intelligentia huius rationis obſer. eſt primo, quod voluntas eadem virtute diſponitur ad volendum aliquid ordinate, & ad nolendum eius oppoſitum: patet quia nō poteſt eſſe ordinatum velle circa aliquod obiectum, niſi habeat ſaltem habituale nolle circa eius oppoſitum, exemplum, habeo nolle reſpectu obiecti, quod eſt luxuriari, per eundem habitum habeo inclinationem ad volendū caſtitatem, atque ita de alijs virtutibus, & extremis earū. *Ariſtot.* Nam rectū eſt iudex ſui, & obliqui, vt docet Ariſt. 1. de anima. t. c. 85. Quod patet etiam in ſpeculabilibus; eodem enim habitu ſpeculatiuo cognoſco verum, & diſcerno verum à falſo.

Secundo obſer. eſt, quod per eandem virtutem ſufficiēter diſponitur voluntas ad amandum obiectum pręſens, & ad deſiderandum aliquod abſens, quod patet ratione, & authoritate. Ratione ſic, quia eodē tēdit aliquid in terminum non habitum, & quieſcit in termino habito, vt patet de graui, quod per grauitatē tendit in centrum, & per eandem in centro quieſcit. Authoritas eſt D. Auguſt. 9. *D. Aug.* de Trinit. c. vlt. dicentis, quod appetitus inhiantis fit amor fruentis, ergo ſi eſt aliquis habitus, quo voluntas ſufficienter diſponitur ad ordinatū velle reſpectu boni p̄ſentis, ille ſufficit ad oē velle ordinatū quod eſt deſiderare, atq; etiā ad omne nolle ordinatum, ſed per ſolam charitatem ſufficienter diſponitur voluntas ſupernaturaliter ad amandū omne diligibile, vel fruibile præſens: ergo per eandem

ſuffi-

Digitized by Google

ſufficienter diſponitur ſupernaturaliter ad deſiderandum bonum abſens.

Secundò probatur eadem minor ſic. Amicitia acquiſita ſufficit ad omne velle ordinatum circa amicum, & hoc tam ad velle deſiderij, quod eſt abſentis, quam ad velle, quod eſt amare præſens, quam etiam ad nolle, quod eſt oppoſitum amico; ſed non eſt minus ſufficiens amicitia infuſa quantum ad multitudinem obiectorum quã amicitia acquiſita, cum charitas latiſſime ſe extendat ad omnia diligibilia ex charitate; ergo nõ eſt neceſſe ponere ſpẽ diſtinctam ab alijs virtutibus. His itaq; rationibus hic modus dicendi eſſet, quòd ſicut in anima ſunt duæ potentiæ natæ attingere Deum in ratione obiecti. ſ. intellectus; & voluntas, & hoc per actus earum elicitos; ita ſufficienter perficitur vtraq; potentia vnico habitu reſpectu vnius obiecti, atq; ita ſicut intellectus ſufficienter perficitur reſpectu illius obiecti per habitum fidei infuſum; ita etiam voluntas per charitatem: Nec obſtant ea, quæ in ſcripturis Sãctis dicuntur de habitu ſpei; quia optime ſaluantur dicendo quod ſpes eſt tertius habitus, non quidem realiter, & ſpecifice, à fide, & charitate diſtinctus, ſed fidem, & charitatem per aggregationem includens.

Sed hunc modum dicendi explodit Scotus validis rationibus, quæ habentur in hac quęſt. ſub littera g. §. Huic adiungo. Vbi probat quod ſpes eſt habitus diſtinctus à fide & charitate, & primo probat, quod diſtinguatur à fide hac ratione, omnis actus fidei eſt credere, ſed nullum deſiderare, quod eſt actus ſpei, eſt credere, ergo fides non eſt ſpes: probatur minor, quia credere pertinet ad intellectũ, deſiderare vero ad voluntatem, ſimiliter credere eſt firmiter aſſentiri creditis reuelatis, deſiderare autem eſt velle bonum æternum vt ſibi bonum.

Quod vero ſpes diſtinguatur à charitate, probat Doct. tribus rationibus, & primo ſupponit qd duplex eſt amor, ſcilicet amor amicitiæ, & amor concupiſcentię: amor amicitiæ eſt actus poſitiuus voluntatis, quo quis vult bonum obiecto amato; ſed amor concupiſcentiæ eſt actus voluntatis poſitiuus, quo quis vult obiectũ alteri obiecto amato; vt volo mihi beatitudinem, beatitudo eſt obiectum amoris cõcupiſcẽtiæ, & ego ſum obiectũ amoris amicitię. Vel ſic, Ego diligo Franciſcum in ſe, & diligo Franciſco pecunias: primus amor appellatur amicitiæ: quia eſt obiecti, cui volo bonum, ſecundus dicitur amor concupiſcentiæ: quia eſt obiecti, quod volo alteri obiecto amato, & communiter amatum amore amicitiæ eſt finis reſpectu amati amore concupiſcentiæ; ex quo ſequitur quod amor amicitiæ eſt ſimpliciter perfectior amore concupiſcentiæ, ſicut finis perfectior eſt his, quæ ſunt ad finem. Hoc ſuppoſito prima ratio Scoti eſt talis.

Charitas eſt ſuprema virtus affectiua. i. perficiens formaliter voluntatem, & per cõſequens eſt perfectus amor habitualis; ſed amor amicitiæ eſt ſimpliciter perfectior amore concupiſcentiæ; cum ergo charitas inclinet immediatè ad amandum ſimpliciter amore amicitiæ; ſpes autem tantum inclinet ad amandum ſummum bonum amore concupiſcentiæ, ſequitur quod ſpes diſtinguitur à charitate, atq; adeo tale deſiderare non eſt immediatè actus charitatis. i. immediatè elicitus à charitate. Quod autem ſpes inclinet ad amandum amore concupiſcentiæ, patet; q̃a deſiderare bonũ infinitum eſſe bonũ meũ non eſt amor amicitiæ nec eſt amor nobiliſſimus: quia nobilius eſſe habet obiectum illud in ſe, quam habeat in alio, vel quam ſit comparatio eius ad aliud à ſe, ac proinde deſiderare, quod eſt actus ſpei, non eſt actus charitatis, atque adeo ſpes, & charitas non ſunt idem habitus.

Actus charitatis poteſt eſſe ſine actu deſiderij.

Secundò probatur: actus charitatis poteſt eſſe ſine actu deſiderij, quia ſiue loquamur de actu charitatis; qui eſt amor amicitiæ: de actu inquam remiſſo, intenſo, & perfectiſſimo, quilibet talis poteſt eſſe ſine deſiderio, de remiſſo patet: quia poſſum remiſſe velle Deum in ſe eſſe bonũ, non deſiderando illud mihi; quia viator habens charitatem, actu diligit Deum amore amicitiæ, & tamen, vt ſic non deſiderat; ſimiliter beatus intenſè diligit Deum amore amicitiæ, & tamen vt ſic non deſiderat, tandem voluntas Diuina ſummè diligit Deum amore amicitiæ, & tamen vt ſic non deſiderat formaliter ſe eſſe bonũ alij amanti, & notãter dicit Doctor formaliter: q̃a de ratione formali beatitudinis Dei non eſt quod ſe conſideret communicatiuum creaturis; quia in primo inſtanti naturæ, in quo creaturæ intelliguntur non productæ in mente Diuina, eſt perfectæ beatus, ergo formalis perfectio ſuæ beatitudinis non conſiſtit in tali deſiderio communicabilitatis ſuæ, cum pro illo inſtãti creaturæ non ſint; nec oportet potentiam liberè agentẽ neceſſario agere quãtum poteſt; ſi ergo actus charitatis poteſt ſeparari, & eſſe ſine actu deſiderij, ſequitur quod actus deſiderij non ſit actus charitatis, ſcilicet immediatè elicitus, licet poſſit eſſe imperatus, ergo eſt actus alterius habitus, & non alius quam ſpei, ergo ſpes, & charitas diſtinguuntur. Confirmantur hæc quoniam non eſt neceſſe voluntatem habere duos actus in ſe, ſed actus amandi Deum in ſe, & deſiderandi eum amanti ſunt duo, ergo vnus poteſt eſſe ſine alio.

Anſelmus In voluntate ſunt duæ affectiones. ſ. iuſtitiæ, & commodi.

Tertiò probatur ſic: quoniam ſecundum Anſelmum de caſu Diaboli. c. 14. & de Concordia. ca. 9. in voluntate ſunt duæ affectiones, ſcilicet iuſtitiæ, & commodi. &c. Pro intelligentia huius rationis obſeruandum eſt primo, qd affectio cõmodi eſt appetitus naturalis intellectiuus ſequens cognitionem intellectus; affectio iuſtitiæ eſt libertas voluntatis, quę habet regulare huiuſmodi appetitum naturalem intellectiuum. Nam voluntas poteſt bifariam conſiderari, vno modo, vt appetitus naturalis intellectiuus ſine pluri. alio modo, vt appetitus intellectiuus liber, priori modo dicit tantum affectionem commodi, poſteriori autem modo dicit affectionem iuſtitiæ; ita quod libertas voluntatis eſt iuſtitia innata voluntati, & eſt moderatrix appetitus naturalis intellectiui; ne aut eliciat actum ſi actus eſt malus, vel ſi actus non eſt de ſe malus ſed immoderatus, atque adeo vt ſit malus, habet moderare illum appetitum, ne actum immoderatum eliciat; imo voluntas habens affectionem iuſtitiæ habet moderare ſe ipſam ne immoderatè feratur circa optimum obiectum.

Secundo obſer. eſt, quod affectio commodi eſt tantùm actus primus, & non ſecundus; imo ei non conuenit elicere actum ſecundum, vt diſtinguitur contra liberum, ſi. n. eliceret actum, ille naturaliter eliceretur, & intenſiſſimè quantum poteſt elici, atq; adeo actus ille à libertate volũtatis haud moderari poſſet; Non enim eſſet in voluntatis poteſtate, vt libera, vt actus ille eliceretur, vel non, nec vt eliceretur intenſus, & moderatus. omnis ergo actus voluntatis eſt elicitus à voluntate libera, vt libera eſt; atque adeo omnis talis actus eſt in poteſtate voluntatis, vt eliciatur, & vt moderatè eliciatur.

Tertiò obſer. eſt, quod libertas iſta voluntatis habet regulam ſuperiorem, cui tenetur ſe conformare. ſ. Diuinam voluntatem; tenetur. n. regulare actus ſuos conformiter legi Diuinæ, quæ lex Diuina eſt ſignum Diuinæ voluntatis.

Quartò obſer. eſt, ꝙ iſta nomina, affectio commodi in voluntate, appetitus naturalis intellectiuus, & inclinatio naturalis ſequens cognitionem intellectus, idem ſignificant. ſimiliter hæc nomina, affectio iuſtitiæ, voluntas libera, voluntas recta, voluntas iuſta, ſiue voluntas conformans ſe regulæ ſuperiori, ſeu diuinæ.

Quintò obſer. ꝙ affectio iuſtitiæ poteſt intelligi, vel de iuſtitia infuſa, quæ eſt gratia, vel charitas, vel de acquiſita; quæ accipitur pro omni virtute morali, vel de innata, quę eſt libertas voluntatis; quæ voluntatis libertas pro tanto iuſtitia innata appellatur: quia ex ſua ratione formali, & ex ſua innata libertate habet vnde poſſit conformiter agere regulæ ſuperiori; & ſi conformiter agit, tunc agit ſecundum affectionẽ iuſtitiæ. Ex his patet littera Doct. Quam ita explico. Nobilior eſt affectio iuſtitiæ, non ſolum intelligendo de acquiſita, & infuſa, ſed etiam de innata, quæ eſt libertas ingenita, ſecundum quam aliquis poteſt velle aliquod bonum non in ordine ad ſe: ſecundum autem affectionem commodi, non poteſt velle niſi in ordine ad ſe, & hanc, ſcilicet commodi affectionem haberet voluntas ſi eſſet pręcisè appetitus intellectiuus ſine libertate ſequens cognitionem intellectiuam, ſicut appetitus ſenſitiuus ſequitur cognitionem ſenſitiuam. Ex hoc volo habere tantum, quod cum amare aliquid in ſe ſit actus liberior, & magis communicatiuus, quam deſiderare illud ſibi, & magis conueniens voluntati, in quantum

habet

Digitized by Google

habet affectionem iuſtitiæ ſaltem innatæ. Alius autem conuenit voluntati, in quantum habet affectionem commodi: ſequitur quod ſicut illę affectiones ſunt diſtinctę in voluntate, ita habitus inclinantes ad actus iſtos erunt diſtincti. Hæc ratio Scoti in hoc conſiſtit. Charitas perficit voluntatem, vt conſideratam præciſè ſecundum affectionem iuſtitiæ, ſpes vero perficit eam, prout conſideratur pręciſè ſecundum affectionem commodi; ſed voluntas conſiderata ſecundū affectionem iuſtitiæ diligit Deū in ſe, & propter ſe, & conſiderata ſecundum affectionem cōmodi diligit Deū, vt ſibi bonū, & prima dilectio eſt liberior, & perfectior, quam ſecunda; ſi ergo charitas perficit voluntatem ſecundum affectionem iuſtitiæ, id eſt, ſi voluntas ſecundum affectionem iuſtitiæ conſiderata habēs charitatem, vtitur ea ad eliciendum amorem amicitiæ, & ſpes perficit eandem voluntatem ſecundum affectionem commodi; id eſt, ſi voluntas ſecundum affectionem commodi vtitur ipſa ſpe ad amorem concupiſcentiæ eliciendum, ſequitur quod actus charitatis non eſt actus ſpei, nec è contra. Dico igitur, inquit Doctor, quod charitas perficit voluntatem in quantum eſt affecta affectione iuſtitiæ, & ſpes perficit eam quatenus eſt affecta affectione commodi; atque ita ſunt diſtinctæ virtutes, non tantum ex actibus, qui ſunt amare, & deſiderare, ſed etiam ex ſuſceptiuis, quæ ſunt voluntas ſecundum illam duplicem affectionem affecta. ſ. ſecundum affectioné commodi, & iuſtitiæ. Ex obiectis autem non diſtinguuntur. ſ. per arduū, & delectabile, ſicut dicit Henricus, vt videbimus infra: imo eſt omnino eadem ratio formalis vtriuſq; obiecti, licet aliqua addantur hic, quæ non ibi, non tamen pertinentia ad rationem formalem obiecti, ſiquidem eſſe excedēs, non pertinet ad rationem formalem obiecti, neq; ad conditionem obiecti; ſed eſt eius quod eſt eſſe à quo: eſt enim conditio potentiæ, quæ obiectum attingere nequit, nam infinitas obiecti ſpei, & charitatis non excedit actum ſpei, & charitatis in ratione termini; quia vtriuſq; virtutis terminat actus, atque adeo illos ſub hac ratione non excedit. ſed dī excedens vt à quo. Sċdm voluntatem effectiuè, ſeu in ratione principij: quia non poteſt voluntas illud actiue attingere niſi ſupernaturaliter eleuetur, atq; ita in ratione effectiui, & mouentis bene infinitas obiecti eſt excedens, ſed non in ratione terminantis. Eſſe verò abſens dicit conditionem concomitantem, iſtam ſcilicet rationem formalem tam in cauſa efficiente; quæ imperfectius operatur, quando eſt remota; quam in fine, ſcilicet remotionem obiecti; velle autem mihi, dicit conditionem cui; & velle ex meritis dicit conditionem qualiter, vt infra diffuſius explicabimus.

His rationibus Doct. vt funditus hanc conuellamus ſententiam, addimus expreſſam Eccleſiæ Doctrinam has virtutes ſecundum fidem diſtinguentis ex illo primo ad Corinth. 13. Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc, maior autem horum eſt charitas, & ex illo. Si habuero tantam fidem, &c. charitatem autem non habuero, &c. Sic nobis tradit etiam D. Auguſt. in Enchirid. cap. 8. Diſtinguenda eſt, inquit, ſpes à fide. Sic Concilium Trident. ſeſſ. 6. can. 12. vbi ita definit. Si quis dixerit fidem iuſtificantem non eſſe aliud niſi fiduciā diuinæ miſericordiæ peccata remittentis, anathema ſit, & can. 7. dicitur, quod in iuſtificatione hæc omnia ſimul infuſa accipit homo fidem, ſpem, & charitatem. Nam fides niſi ad eam ſpes accedat, & charitas non vnit perfectè cū Chriſto, ergo diſtincta eſt ſpes à fide, & charitate. De hac re vide Roffen. articulo primo, contra Lutherum, & Sotum lib. 2. de natura, & gratia cap. 7.

D. Aug. *Concilium Triden.* *Sotus.*

Ad argumentum Lutheranorum ex illis teſtimonijs reſpondetur, quòd aliquando non eſt inconueniens nomen fidei accipi pro ſpe, quia fides quantum eſt ex ſe cauſa eſt ſpei; ſicut etiam per effectum cauſa intelligi ſolet, vt in ſymbolo Expecto reſurrectionē mortuorum; Non tamen id ſemper eſt verum, & maxime Lucæ ſeptimo, eſt ſtulta explicatio dicere, quod dilectio ſumitur pro fide: nam officia dilectionis fecerat Maria lauando pedes. Quod autem in fine fidei attribuitur iuſtificatio non excluditur quin etiam ſimul charitati, & pœnitentiæ, quæ præceſſerant. Nihil enim repugnat gratuitæ peccatorum remiſſioni aliquos actus præcedentes ponere, qui ad eam neceſſario, aut ſaltem ordinarie diſponant, & cauſæ ſint diſponentes, non autem meritoriæ. Atque adeo, ſicut ſpes veniæ, odium peccati, ipſa dilectio Dei nondum vt habitus infuſi, ſed vt actus boni ex ſpeciali Dei gratia profecti, ſed & fides diſponunt hominem ad remiſſionem peccatorum, vt iuxta manifeſtas ſcripturas docet Concilium Trident. ſeſſ. 6. capit. ſexto, Tales fuerunt in Magdalena dilectio, & fides, non quales ſunt in iuſtificatis, ſed quales ſunt in pœnitentibus. Nec illo teſtimonio ad Roma. 4. nec ad Hebræos. 11. Fides pro ſpe niſi perperam ſumi poteſt. Vide Vegam lib. 8. in Concil. Trident. c. 2. & 3. & lib. 11. c. 22. & inde. & de iuſtificatione. q. 2. & Sotum vbi ſupra.

Concilium Tridens. *Vega.* *Sotus.*

Ad primum argumentum pro oppoſita ſententia reſpōdet Sco. ſub. litt. l. §. Ad argumenta, cuius negat minorē: quia hic eſt neceſſaria pluralitas, & ad primam probationem, cum dicitur quod voluntas eadem virtute diſponitur ad volendum bonum præſens, & ad diſiderandum bonum abſens. dicit quod concupiſcere hoc huic ibi ſiſtendo, non poteſt eſſe actus eiuſdem virtutis, cuius eſt velle illud ordinate in ſe, licet concupiſcere hoc huic, vt per hoc ille tendat in illud, vt eſt bonum in ſe, ſit actus eiuſdem virtutis. Hæc Scotus.

Pro quorum intelligentia obſer. eſt, quod ſicut charitas in actu recto habet pro obiecto Deum vt in ſe, ita etiam in quocunque actu reflexo eſt quodammodo principium tendendi in Deum in ſe; actus autem rectus elicitus a charitate, eſt dilectio Dei in ſe, & propter ſe, adeo quod ille actus immediate terminatur in Deum. Actus vero reflexus charitatis eſt, qui non immediate terminatur in Deum, ſed terminatur ad obiectum creatum, non ſiſtendo ibi, ſed quaſi reflectendo obiectum creatum in ipſum Deum; ita vt quando diligo Deum in ſe & propter ſe ex charitate, ita ex charitate diligo me diligere Deum in ſe. Quotieſcunque igitur reflecto, nunquam habeo obiectum, vt commodum mihi, ſed tantum bonum infinitum, vt in ſe bonum. Et ex hoc ſequitur primo, quod charitas primo inclinat ad dilectionem Dei in ſe, & propter ſe; ſecundo inclinat, vt perſona diligens Deum propter ſe, diligat ſe ipſum non abſolute, & ibi ſiſtendo, ſed vt diligat ſe diligere Deum propter ſe, ita quod non concupiſcit ſibi Deum, vt bonum commodum, ſed concupiſcit ſibi dilectionem, qua diligat Deum in ſe.

Secundo obſer. eſt, quod concupiſcere aliquod bonum non ibi ſiſtendo, in eo non eſt actus charitatis, ſed eſt actus ſpei: Nam voluntas duobus modis poteſt tēdere in Deum ipſum amando ſecundum duplicem affectionem, ſcilicet ſecundum affectionem iuſtitię diligendo eum amore amicitiæ, vt bonum ſummum in ſe non in ordine ad aliud; vel ſecundum affectionem commodi, amando ipſum vt ſummum bonum ipſi amanti, amore. ſ. concupiſcentiæ. primus actus diligendi Deum vt bonum in ſe, eſt actus charitatis. Secundus actus diligendi Deum, vt bonum diligenti, quatenus talis actus eſt ordinatus, eſt actus ſpei; & hoc eſt quod vult dicere hic Doctor; Quod concupiſcere hoc huic ibi ſiſtendo; ſ. optare Deum mihi vt bonum commodum, qui eſt actus ſpei non poteſt eſſe actus eiuſdem virtutis. ſ. charitatis, cuius eſt diligere Deum ordinate in ſe, & non vt bonum commodum; licet concupiſcere hoc huic, ſcilicet Dei dilectionem mihi, vt per eam tendam in Deū, vt eſt bonum in ſe, ſit actus eiuſdem virtutis, qua diligo Deum propter ſe: neganda eſt ergo illa propoſitio. ſ. quod eadem virtute diſponitur voluntas ad volendum bonum præſens, & ad deſiderandum bonum abſens.

Ad ſecundum de amicitia acquiſita, dicit Scotus, quòd amicitia infuſa, & amicitia acquiſita, eſt alius, & alius habitus formaliter. Vult dicere quod bene ſtat, quod amicitia acquiſita inclinet ad omne velle ordinatum circa amicum, & per conſequens ad velle deſiderij, quo vult amico bonum commodi; ſed charitas eſt habitus præciſe inclinans ad amorem Dei in ſe actu recto, & ſimiliter inclinans ad actum deſiderij, quo deſiderat amato dilectionem, qua amatum diligat Deum in ſe, ita quod charitas ſemper inclinat ad amorem Dei in ſe, ſiue vt in ſe bonum; non concupiſcendo illud alteri, vt dictum eſt ſupra.

AR-

ARTICVLVS IV.

Vtrum ſpes ſit quædam particularis fides.

DE hac re fuit quorundam opinio, qui dicebant ſpem, & fidem eſſe eamdem virtutem, licèt affirmarent ſpem eſſe à charitate diſtinctam, quia deſiderium non habiti poteſt eſſe in voluntate ſine charitate, totus etiam actus ſpei, imò & ipſa ſpes poteſt eſſe informis, id eſt, ſine charitate; atq; adeo ſpes eſt à charitate diſtincta; Non poteſt autem ſpes eſſe ſine fide, quia illud, quod ſperatur creditur poſſibile haberi, ac proinde ſpes non eſt virtus alia à fide, ſed eſt quædam particularis fides, ita quod dicebant iſti ſpem, & fidem eſſe eamdem virtutem, niſi quod fides denotat fidem vniuerſalem reuelatorum à Deo, qua creditur omnes pie viuentes in Chriſto ſi perſeuerauerint ſaluandos eſſe. At verò ſpes quædam eſt fides particularis puta huius; Ego ſaluabor ſi rectè vixero.

Hanc ſententiam indicat Scotus in hac quæſt. ſub littera A. §. Quia tamen. Quæ ſic probatur. Idem eſt habitus rei in vniuerſali, & in particulari, & ad eamdem potentiam pertinet, vt idem eſt habitus de iſta in vniuerſali omnis iuſtus finaliter ſaluabitur, & de iſta Petrus iuſtus ſaluabitur finaliter, quod patet in omnibus habitibus intellectualibus, eodem enim habitu quis cognoſcit abſtractiuè hominem eſſe riſibilem, & hunc hominem eſſe riſibilem; ſed primus habitus eſt fides, ſecundus verò eſt ſpes; Nihil enim eſt aliud aliquem habere ſpem, quam credere ſe ſaluari per gratiam Dei; ergo &c. Et confirmatur, quia deſperans non dicitur odire, ſed diffidere, nec perſuadetur, vt amet, vel optet: quia optaret ſi crederet illud eſſe poſſibile, ſed perſuadetur, vt credat illud eſſe poſſibile conſequi, & à ſe attingi; Cum enim aliquis eſt deſperatus accedit amicus, qui eum perſuadens non dicit, quòd amet Deum, vel quod optet beatitudinem, ſed quod credat, maiorem ampliorem que eſſe Dei miſericordiam, quam eius peccatum; atque etiam ei perſuadet, vt credat poſſibilem eſſe ſuam ſalutem; ergo ſpes eſt quædam particularis fides. Secundum ergo hanc ſententiam diceretur, quòd fides eſt reſpectu omnium articulorum reuelatorum pertinentium, ad quaſcumque perſonas, & ad quæcunque tempora, atque ita dicitur habitus vniuerſalis, ſed ſpes eſt quædam fides particularis, quia de reuelatis pertinentibus ad ſe ipſum, qui habet fidem, & tantum de pertinentibus ad futura; Nec illa ſpecificatio variat habitum, ſicut nec in alijs habitibus intellectualibus; nam idem eſt habitus, quo quis ſcit hominem eſſe riſibilem, & quo ſcit omnem hominem futurum riſibilem. Non ergo ponitur tertius habitus; ſed fides quantum ad quædam, nimirum quoad futura pertinentia ad ipſum credentem, dicitur ſpes cum tamen fides ſe extendat, & ad perſonam credentem, & ad alias.

Quod ſi dicatur, quod ſpes eſt de futuro, & fides de præſenti; atque adeo nõ ſunt idem habitus, quia futuritio in aliquo variat obiectum. Contra præſens, futurum, & præteritum, non variant rationem obiecti. Non enim ratio futuritionis, & præſentialitatis ſunt rationes formales obiecti ſpei, & fidei, ſed ratio diuinitatis eſt ratio formalis obiecti, vtriuſque habitus, alioquin ſpes non eſſet virtus Theologica, ſed haberet obiectum temporale: quia temporalitas eſſet ratio formalis obiecti. Præterea ſi futuritio requirat proprium habitum, pari ratione & præteritio, atque ita non erit idem habitus fidei de præteritis, & futuris, quod eſt falſum. Deinde habitus vniuerſalis, & particularis non diſtinguntur formaliter; ſicut patet in omnibus habitibus intellectualibus; Cum igitur de iſtâ, Omnis finaliter iuſtus ſaluabitur, ſit fides, igitur & de iſta, Ego ſi ſim finaliter iuſtus ſaluator, eſt fides. Differt, ergo ſpes à fide ſicut ſpecies à genere, quia ſpes eſt quædam fidei ſpecies. Tum quia ſpes eſt tantum modo de futuris, fides autem de præteritis, & futuris, tum quia fides eſt de vniuerſalibus, ſpes verò tantum de particularibus, ſpes enim non eſt cuiuslibet, ſed tantum ſuæ propriè ſalutis, fides autem multorum, quæ etiam ad ſalutem pertinent aliorum, tum quia ſpes ſe habet per modum concupiſcentiæ, fides autem per modum amicitiæ. Tum poſtremo, quia ſpes propriè non eſt niſi de bonis, fides autem eſt etiam de malis.

Contra iſtum modum dicendi arguitur tripliciter & primo ſic. Eſto, quod ſint vera omnia quatuor ſupradicta ex hoc non ſequitur propoſitum, videlicet, quod ſpes, ſit fidei ſpecies, aut fides particularis, ſed magis oppoſitum, ſaltem ex ſecunda differentia, actus enim amicitiæ, & concupiſcentiæ ſpecifice (vt conceditur communiter) ſunt diſtincti; ergo &c. Secundo illa differentia eſt falſa euidenter; Nullus enim actus, nec habitus intellectiuus qualis eſt fidei habet modum amicitiæ, cum amicitia ſit actus, vel habitus appetitiuus: quare &c. Aſſumptum videlicet, quod ex illis differentijs non ſequatur propoſitum apparet: quia non omnis habitus particularioris obiecti, eſt ſpecies habitus vniuerſalioris obiecti; niſi dicas omnes ſcientias ſpeciales eſſe ſpecies Metaphyſicæ ſcientiæ, quod eſt falſum; ergo &c.

Secundò arguitur. Spes ponitur communiter habitus appetitiuus, & fides intellectiuus: tales autem ſpecificè diſtinguuntur; ergo &c.

Tertiò arguitur. Si ſpes eſt particularis fides, eius actus eſſet credere quoddam de aliquo particulari, ſed hoc eſt falſum: quia deſperans de vita æterna poteſt credere vitam æternam; ergo ſimiliter credens vitam æternam, poteſt non ſperare vitam æternam.

Item ſi fides quædã particularis eſſet ſpes, ſpes pertineret ad intellectum, conſequens eſt falſum, vt videbimus infra; & pro nunc probatur ex eo; quia ſicut ſpes paſſio pertinet ad appetitum ſenſiuum, ita ſpes virtus ad appetitum intellectiuum. Tum quia ad intellectum non pertinet exequi proſecutionem, neque fugam, ſed tantum de proſecutione, vel fuga dictare, ſed ad potentiam cuius eſt ſpes, pertinet proſecutio, vel fuga; ergo &c. Prima conſequentia eſt manifeſta, quia ad eamdem potentiam ſpectat habitu vniuerſalis, & particularis, ſed fides, quæ eſt habitus vniuerſalis ſecundum iſtos, ſpectat ad intellectum; ergo & ſpes ſi eſſet fides particularis, vt ipſi dicunt ad intellectum ſpectaret.

Dicendum eſt ergo, quod ſpes virtus à charitate, & fide virtutibus realiter, & ſpecificè eſt diſtincta. Quod patet per illud Apſtol. 1. Corint. 13. dicentis nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc, maior autem horum eſt charitas. Ex quo teſtimonio Apoſtoli duo ſequuntur, primum eſt, quod huiuſmodi tres virtutes infuſæ, de quibus Apoſtolus loquitur, realiter ſunt diſtinctæ; quia tria hæc: conſtat enim quod vnum, & idem realiter indiſtinctum non poteſt realiter numerari; nec per conſequens triplicari. Secundum eſt, quod charitas à fide, & à Spe diſtinguitur ſpecificè: quia maior, & perfectior eſt eis, indiſtinctorum autem ſpecie vnum non eſt vniuerſaliter perfectius altero, ſed alterum poteſt ipſi eſſe æquale; ſed ſi omnis charitas infuſa eſt perfectior ſpe, & fide, videtur quod ſit ab eis alterius rationis. Niſi dicatur, quod eſt eis perfectior tantum ſicut albedo intenſa eſt perfectior, quam remiſſa, quod non videtur aſſerendum: quia gradus formę intenſibilis, qualis eſt quælibet harum virtutum, eiuſdem rationis faciunt vnum indiuiduum perfectius intenſiuè, atque adeo ſi iſtę virtutes eſſent gradu formæ eiuſdem ſpecificæ rationis, cum ſint in eodem ſubiecto omnes, facerent vnam formam. Ex quo ſequitur, quòd etſi ſint tres formæ diſtinctæ in eodem exiſtentes ſubiecto, id eſt, in eadem anima, quæ eſt realiter intellectus, & voluntas, quod nõ tantum charitas à fide, & ſpe, ſed etiam fides, & ſpes inter ſe ſpecificè diſtinguuntur, alioquin cum ſint formæ intenſibiles ſi eſſent eiuſdem rationis facerent vnam formam, nec per conſequens eſſent tres diſtinctæ virtutes,

quod eſt contra Apoſtolum vbi ſupra. Hæc ratio maximam habet efficaciam apud nominales, & Henricum de Gand. ponentes potentias animæ ſola ratione ab anima diſtingui. Secundum Scotum verò eſt tantum perſuaſio quædam.

Ad argumenta in oppoſitum. Ad primum dico, quòd credere ad ſpem non pertinet niſi connotatiuè, vel concomitanter, quia ſperare præſupponit credere in intellectu; ita quòd credere me ſaluari ſi ſim iuſtus ad fidem pertinet, ſed confidere in Domino, & ſperare in eo, ad fidem non pertinet, ſed ad ſpem; credere ergo me iuſtum finaliter ſaluari, non eſt niſi fides applicata ad aliquod particulare, ſed deſiderare hoc, eſt actus ſpei, vt inquit Scotus in hac quæſt. ſub litt. L. §. Per idem patet.

Contra; ergo deſiderare idem bonum alteri erit actus ſpei, quod non conceditur; imò quod plus eſt velle bonum præſens eiuſdem rationis B. Petro, erit actus ſpei, quod eſt abſurdum; probatur conſequentia; quia deſiderare bonum præſens alicui beato, videtur eſſe eiuſdem rationis cum bono abſente. Inquit Doct. reſponſionem quære. Pro ſolutione obſeruan. eſt, quod ad actum ſpei duo requiruntur; primo oportet, quod bonum illud, circa quod eſt actus ſpei, ſit abſens, & iam non habitum. Ideo D. Franciſcus non poteſt ſperare ſuam beatitudinem: quia eam iam habet. Secunda conditio eſt ex parte ſperantis, quia iſtud bonum abſens concupiſcitur ſibi non alijs. Quare ad primum dico, quod propriè actus ſpei eſt, quo quis deſiderat bonum æternum ſibi; atque adeo deſiderare bonum eiuſdem rationis alteri non eſt actus ſpei, ſed potius eſt actus charitatis. Ad ſecundum dico, quod optare bonum æternum præſens B. Petro non eſt actus ſpei; quia obiectum ſpei non eſt præſens, ſed abſens, atque ita non dicitur ſpes ſi ſit de præſente.

Ad ſecundum, quod eſt confirmatio primi, dico, quod certitudo in ſperante præcedit actum ſpei; non enim efficaciter, & abſolutè deſiderat niſi poſſibile attingi, & ideo perſuadetur deſperanti, vt credat, non vt diligat: quia prima radix huius erroris, ſcilicet quod non efficaciter, & abſolute deſideret, non eſt in voluntate, ſed in intellectu: quia ſcilicet intellectus non oſtendit illud efficaciter tanquam deſiderandum, ſed habita certitudine tunc efficaciter deſiderat; ac proinde certitudo illa ſe tenet ex parte intellectus, & deſiderium ex parte voluntatis: Nam nec ad ſpem, nec ad potentiam, in qua eſt ſpes tanquam in ſubiecto, pertinet d cipi, nec errare, licèt bene ad deſperantem ſecundum vnam aliam potentiam, nempe ſecundum intellectum, ſecundum quem poteſt errare. Addas, quod deſperanti magis eſt prædicandum, vt habeat bonam voluntatem, quam vt bonam fidem, & magis, quod ſperet, quam credat, & magis, quod confidat, quam quod cognoſcat, vt inquit Baſſolus hac diſtin. quæſt. 1. artic. 2. ad primum. *Baſſolus.*

Ad tertium dico, quod ſpes pro per ſe primo formali obiecto non reſpicit niſi Deum, & non præſens ſecundum quod huiuſmodi, vel futurum; ſed Deum. Quando dicis ſpes non eſt niſi futuri, dico, quòd licet de communi lege non ſit niſi futuri, ſic vt conditio annexa ſubiecto ſit fruitio adipiſcendi, non eſt tamen hoc neceſſarium. Nec ratio formalis obiectiua eſt futuritio ipſa, & dato, quod ſpes eſſet alicuius futuri adipiſcendi ſicut eſt gloria formalis, & intrinſeca. Illud non tamen eſt primum obiectum, ſed Deus. Et vltra dico, quòd non obſtantibus prædictis ſtat, quod ſpes ſit alius habitus à fide; Nam circa idem obiectum ſecundum eamdem rationem formalem poſſunt eſſe diuerſi habitus, & alterius rationis, ſaltem ſub eadem ratione, quam alibi diximus.

ARTICVLVS V.

Vtrum ſpes ſit virtus.

PRo explicatione huius artic. obſ. eſt primo, quod ſicut diximus in explicatione tituli ſpes quandoque ſumitur pro paſſione appetitus ſenſitiui, ſcilicet pro deſiderio boni apprehenſi per phantaſiam, vt conuenientis, & abſentis, quomodo numerat ſpem Philoſophus 2. Ethic. & Boetius. 1. de Conſolatione, metro. 7. ponit quatuor animæ paſſiones; ſcilicet gaudium, dolorem, ſpem, & timorem. *Ariſt. Boetius.* Sicut enim cum bonum eſt præſens, ſequitur paſſio in anima, & voluntate, quæ dicitur gaudium; ſic etiam, quando bonum eſt abſens, & eſt futurum, & velut attingibile præſentatur voluntati, ſequitur paſſio in anima, & voluntate, quæ dicitur ſpes; & cum contingat exceſſiuè ſperare, ſicut patet in præſumentibus, & defectiuè, vt patet in deſperantibus, ideo ponitur ſpes, quæ eſt habitus, vt moderatiua ſpei paſſionis, ne deficiat neque excedat in ſperando, ſed de hac ſpe non eſt modo ſermo, ſed de infuſa tantum.

Secundò obſeruan. eſt, quòd ſpes quadrupliciter accipi poteſt, ſcilicet pro ſpe ſecundum quod eſt paſſio, & pro actu ſperandi, & pro re ſperata, & pro habitu, per quem elicitur actus ſperandi, tribus modis primis ſpes non eſt virtus: quarto autem modo adhuc diſtinguendum eſt ille; enim habitus poteſt cõſiderari, vel vt acquiſitus, vel vt infuſus, habitus infuſus eſt, qui à Deo immediatè infunditur; habitus acquiſitus eſt, qui ex actibus ſperandi cauſatur. *Spes ſumitur quatuor modis.*

Tertiò obſeruan. eſt, quòd huiuſmodi ſpes acquiſita ſcilicet, & infuſa ſpecificè ſunt diſtinctæ. probatur; quia quæ ſunt eiuſdem ſpeciei in eadem cauſa virtualiter continentur, ſed cauſa ſecunda, vt intellectualis creatura eſt ſpei acquiſitæ, non autem infuſæ virtualiter contentiua; ergo &c. *Spes infuſa, & acquiſita differunt ſpecie.* Prætetea forma quælibet intenſibilis intenditur per gradum ſibi additum eiuſdem ſpeciei, & rationis, ſed ſpes infuſa, ſicut fides, & charitas, eſt intenſibilis; ergo ſi ſpes acquiſita eſt cum ea eiuſdem rationis, erit ſpei infuſæ intenſiua nec erit diſtincta ab infuſa aliter, quam magis album à minus albo, & intenſum quodlibet à remiſſo, quod videtur falſum: quia tunc per ſpem infuſam, nulla habita acquiſita facilius, & delectabilius quis ſperaret, quam ſine ipſa infuſa, quod non videtur; ergo &c. Et confirmatur: quia ſi acquiſita, & infuſa ſunt eiuſdem rationis, in quemcumque actum, in quem quis poteſt, & quocumque modo mediantè ſpe acquiſita, poteſt etiam mediantè infuſa, & è conuerſo ſi mediantè infuſa, & acquiſita: ſed hoc eſt falſum, vt patet de non baptizato in credendis, & ſperãdis à pueritia erudito; qui ſine aliqua ſpe, & fide infuſa omnia credenda faciliter, & delectabiliter crederet, & ſperanda ſperaret, quod tamẽ non faceret baptizatus licèt prædictis infuſis virtutibus informatus, niſi in credendis, & ſperandis poſtea eruditus, vt in materia de fide diximus.

Quartò obſeruan. eſt, quòd ſicut fides poteſt eſſe informis, ita & ſpes, eſt autem ſpes informis, quæ eſt in peccatoribus ſine charitate, ſpes autem formata eſt, quam habent iuſti vnà cum charitate, eſſet autem contra fidem aſſirmare, quòd in peccatore Chriſtiano non ſit ſpes ſupernaturalis, quæ vel ſit actus, vel habitus; dicitur enim in Concilio Trident. ſeſſ. 6. capit. 6. quod præparans ſe ad iuſtificationem habet ſpem in miſericordia, & gratia Dei; tamen inter doctores non conſtat, an ſpes, quæ in peccatoribus eſt, ſit eiuſdem ſpeciei cum ſpe, quæ eſt in iuſtis. *Spes põt eſſe informis & eſt eiuſdem rõnis cũ ſpe formata. Cõc. Trid.* Quamuis enim Concilium Trident. vbi ſupra can. 28. decreuit eamdem fidem manere in peccatore, quam habet exiſtens in gratia, nihil tamen de ſpe aſſeruit maximè, quia ſi fides eadem manere poteſt in peccatore, quæ erat in iuſto, hoc prouenit ex eo, quod manet etiam eadem ratio formalis

malis fidei nempe diuina reuelatio, tamen ratio formalis ſpei iuſti non videtur manere in ſpe peccatoris: Nam iuſtus innititur per ſpem gratiæ Dei, & meritis; Peccator, verò non, quia nulla habet merita, poſſet que dici, quod motus ille ſpei ante gratiam, non ex habitu infuſo proueniat, ſicut motus dilectionis præparantis ſe ad iuſtificationem, non eſt ex habitu charitatis infuſæ. Cæterum dicendum eſt ſpem peccatoris eſſe eiuſdem ſpeciei cum ſpe exiſtentis in gratia; ita communiter ſentiunt omnes Doctores, & patet: quia idem habet obiectum nempe Deum, quatenus per ipſius auxilium peccator, vel iuſtus poteſt gloriam obtinere, & merita, & gratiam, quæ iuſtus habet in re, & peccator in propoſito.

1. Concl. His obſeruatis ſit prima Concluſio. Spes acquiſita eſt virtus, probatur, actus ſpei eſt tam materialiter, quam formaliter bonus, ergo ex tali actu frequenter elicito poteſt habitus virtuoſus generari: probatur antecedens. Ille actus eſt bonus materialiter, qui tranſit ſuper debitum obiectum, & ille eſt bonus formaliter, qui eſt debitè circunſtantionatus moraliter; ſed actus ſpei, qui eſt expectare certitudinaliter bonum à Deo promiſſum, mediantè eius auxilio, & meritis ſperantis conſequendum, habet obiectum debitum, quia bonum à Deo promiſſum; eſt etiam debitè circunſtãtionatus, quia innititur auxilio gratiæ ſupernaturalis, & meritis; ergo &c. Et confirmatur: quia promiſſum alicui factum ab aliquo non ſperare, ſed de ipſo deſperare eſt promittentem non veracem, ſed fallacem exiſtimare, & è contrario promiſſum certitudinaliter ſperare, eſt promittentem veracem exiſtimare; ſed Deus promittens illud bonum, quod ſpes reſpicit, nec poteſt fallere, nec falli; ergo quodlibet ab illo promiſſum eſt certitudinaliter à quolibet expectandum; & ſicut deſperare eſt malus actus, quia eſt Deum fallacem exiſtimare, ita ſperare eſt actus bonus, & virtuoſus propter contrariam rationem.

Probatur conſequentia à ſimili: Nam ſicut ex actu vitioſo generatur habitus vitioſus, ita ex actu ſtudioſo generatur habitus virtuoſus.

2. Concl. *Caietan.* Secunda Concluſio. Spes informis eſt virtus. Hæc concluſio eſt contra Caiet. 2. 2. quæſt. 17. artic. 1. qui exiſtimat ſpem ſine charitate non eſſe propriè, & ſimpliciter virtutem; ſed cum charitate coniunctam eſſe verè, & propriè virtutem. Alij Sancti Thomæ diſcipuli cenſent ſpem abſque charitate eſſe quidem propriè virtutem, ſed non ſimpliciter, cum charitate tamen eſſe propriè, & ſimpliciter virtutem. Quoniam nulla, inquiunt, ſine charitate poteſt virtus ſimpliciter conſiſtere, cum omnium virtutum charitas ſit forma, & veluti anima, & vita.

Cæterum noſtra Concluſio certior, & verior eſt. Non enim ad virtutem requiritur, vt hominem referat, & dirigat ad actum ſimpliciter optimum, ſed ad actum optimum, quem poteſt. Et ideo fides diuina eſt virtus, vt diximus ſupra, quia ſemper eſt veri, fides humana non item quia poteſt eſſe falſi: Spes quoque diuina eſt propriè virtus, quia ſemper eſt boni, & quatenus Dei promiſſis, & eius gratia, & charitate innixa fulcitur, ſummum bonum, quod ſibi propoſitum habet, & quod concupiſcit, quod expectat, & in quod tendit certo conſequitur, licèt conſecutionem eius homo per peccatum impediat. Spes verò humana actus, vel habitus eſſe quidem poteſt, virtus verò non ſemper, quia non eſt ſemper boni: Nam malum, quod opinione hominum putatur bonum, aliquando ſperat, nec certo ſemper ſuum quod optat & expectat bonum adipiſcitur; & accipio hic ſpem humanam, non pro ſpe acquiſita genita ex actibus fidei infuſæ, ſed pro ſpe, quæ etiam in infidelibus reperitur. Charitas autem non eſt virtutum intrinſeca forma, ſed extrinſeca, quæ facit, vt ſtudia, & opera noſtra bona, vitam æternam mereantur.

Tertia Concluſio. Spes formata eſt ſimpliciter, & abſolutè virtus. Hęc Concluſio eſt communis omnium Theologorum, eſt tamen contra Durandum hac d. q. 1. tenen- *Durand.* tem oppoſitum concluſionis contra omnes Doctores, videlicet, quod ſpes non ſit virtus, ſiue ſit informis, ſiue formata, & probat ſic. Ille habitus eſt virtus propriè, qui ponit potentiam in vltimo ſuæ perfectionis gradu, quē poteſt attingere; ſed habitus ſpei non eſt huiuſmodi; non enim ponit voluntatem in vltimo ſuæ perfectionis gradu, quem attingere poteſt; ergo ſpes non eſt propriè virtus: Minor patet, quia perfectior actus eſt frui beatitudine iam poſſeſſa, quam illam ſperare; ergo ſpes non conſtituit voluntatem in ſupremo gradu perfectionis, qui actui voluntatis poteſt conuenire, & per conſequens non eſt virtus.

Reſpondetur negando maiorem, videlicet, quod de ratione virtutis ſit conſtituere potentiam in vltimo gradu perfectionis debito actui illius potentiæ: quia aliàs ſequeretur, quod liberalitas non eſſet virtus moralis. patet ſequela; quia liberalitas non largitur voluntati vltimam perfectionem, quam voluntas poteſt habere in donando: quia maiorem perfectionem dat magnificentia, quæ cernitur in maximis ſumptibus.

Secũdò reſpõdetur, admiſſa maiori negãdo min. quia ſpes reponit voluntatē in perfectione vltima debita actui conuenire pro ſtatu iſto; Nam ſupremus actus, in quem voluntas pro ſtatu viæ tendere poteſt, eſt ſperare beatitudinem ſempiternam; ita reſpondet Caiet. 2. 2. q. *Caietan.* 17. art. 1.

Tertiò reſpondetur, & melius, diſtinguendo maiorem ſi intelligatur ſic, quod virtus, quæ conſtituit potentiam in vltimo gradu perfectionis debito conuenire actui illius potentiæ in genere illius habitus, talis habitus eſt virtus, concedo maiorem, ſi verò intelligatur, quod debet conſtituere potentiam in vltima perfectione ſimpliciter, quo ad quemcunque actum ſibi debitum, nego maiorem; Virtus enim, vt ſupra diximus agentes de fide, ea eſt, quæ reddit bonum habentem, & opus eius reddit bonum non ſimpliciter, ſed in ſuo genere, & quidem bonum opus eſt ſperare Dei promiſſa: quia natura humana ad inuiſibilia difficulter excitatur, & ſperare certò Dei occultiſſima promiſſa, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit inſigne opus eſt, & habitus ad tale opus inclinans propriſſimè virtus eſt, & ſupernaturalis; nec opus ſibi eſt Charitate ad hoc, vt ſit virtus, vt ait S. Thom. *D. Thom.* vbi ſuprà, & 1. 2. q. 66. artic. 4. Licèt bene ad hoc, quod actus ſpei ſit meritorius: quia charitas extrinſecè ſe habet ad actum ſpei.

Concluſionem noſtram probat Scotus in hac q. ſub *Scotus.* litt. C. §. Ad quæſtionē dico, & eius ratio eſt talis, ex actu ſpei per quem arguitiuè poſſumus cognoſcere ſpem in nobis eſſe, & hoc per omnes circunſtantias illius actus; ſi enim experimur in nobis actum intelligendi per illum concludimus potentiam intellectiuam ineſſe nobis; & ſimiliter ſi experimur in nobis actum ſpei circunſtantionatum circunſtantijs debitis, per illum actum concludimus ſpē ineſſe nobis; actus enim ſunt habitibus notiores; ſed experimur in nobis hunc actum, ſcilicet deſiderare bonum infinitum ineſſe nobis, & hoc à Deo ſe ipſum nobis liberaliter conferente; non quidem primo, ſed propter aliquid aliud ordinatum ad illud, vt propter merita, & iſte actus bonus eſt, quia debitè circunſtantionatus; igitur ad ipſum poteſt eſſe virtus inclinans; & talis virtus non videtur poſſe eſſe, niſi habitus ſpei; ergo ſpes eſt virtus. Probatur maior inductiuè per circunſtantias, quæ reddunt actum bonum, & oſtendunt eſſe actum virtutis. Prima circunſtantia eſt, quod ille actus ſpei eſt velle, ſeu deſiderare bonum abſens. Deſiderare enim circa bonum abſens eſt, & talis eſt actus ſpei, & hoc bonum abſens eſt Deus, qui viatori eſt abſens in ratione obiecti perfectè habendi. Secunda circunſtantia eſt cui, & in iſto actu ſpei eſt nobis, quæ circunſtantia eſt bona: quia nullum bonum quietat noſtram animam niſi ſummum bonum; eſtque illud nobis circunſtantia actus ſpei: quia illud bonum eſt debitum illi, cui appetitur eſſe bonum; eſt, inquam, debitum ex ſola liberalitate, & promiſſione voluntatis diuinæ. Tertia circunſtantia eſt à quo, & in iſto actu eſt à Deo, quæ ſimiliter eſt bona circunſtantia, quia ſummum bonum non poteſt communicari ab aliquo niſi a ſe ipſo liberaliter. Quarta circunſtantia eſt, quod non eſt dandum tale bonum niſi aliquo opere meritorio præaccepto, & hæc eſt circũſtãtia diſpoſitionis ordinatæ ad tale bonũ: quia diſpoſuit

ſapientia diuina non perfectè communicate ſe, niſi præcedente gratia, & meritis, & hoc de potentia ordinata, quia de abſoluta bene poteſt nullo præcedente merito ſe communicare, vt de facto ſe communicauit beatificè animæ Chriſti ſine aliquo merito, vt ſuperius patuit diſtin. decimaoctaua. Cum ergo talis actus inſit virtuti appetitiuæ, ſcilicet voluntati, & ſit rectus, quia bene circunſtantionatus, ſequitur, quod ad ipſum poteſt eſſe virtus appetitiua inclinans; quia ad eandem potentiam pertinent actus, & virtus inclinans ad illum actum.

Pro ampliori intelligentia huius rationis obſeruand. *Scotus.* eſt primo, quòd vt docet Scotus, in prologo, q. vltima, & in prima diſtin. decimaſeptima, & in quarta diſtin. 14. quæſt. ſecunda, ad omnem actum bene circunſtantionatum poteſt eſſe aliqua virtus inclinans; atque ita probato, quod actus ſpei eſt bene circunſtantionatus, bene probat quod ipſum poteſt eſſe aliqua virtus.

Secundò obſer. eſt, quòd quando dicit Scotus, quod experimur in nobis huiuſmodi actum, non debet intelligi, quod merè naturaliter poſſimus experiri talem actum ineſſe nobis: quia via naturali nemo poteſt cognoſcere, quod bonum infinitum communicet ſe nobis naturaliter, neque poſſumus naturaliter cognoſcere, quod per talia, vel talia merita debeat ſe communicare nobis, vt probat ipſe Scotus in prologo quæſt. prima. Sed ſuppoſita fide de omnibus articulis, quorum vnus eſt, quod Deus finaliter dat ſe ipſum, vt præmium meriti; tunc ſtante tali fide poſſumus experiri talem actum poſſe ineſſe nobis.

Tertiò obſeruan. eſt, quòd tam Concluſio, quàm probatio Doct. poteſt intelligi de ſpe informi ſicut de formata, videlicet, quòd ſpes etiam informis ſit virtus; quod *D. Aug.* probatur ex D. Auguſt. lib. de vera innocentia dicente, Cum ceteræ virtutes ſint bonis, & malis communes, dilectio Dei, & proximi propriè bonorum eſt, atque piorum; ergo virtus ſpei eſt communis bonis, & malis; ſed in malis eſt ſine charitate; ergo ſpes informis eſt virtus. *Ariſt.* Probatur ſecundo ex Ariſtot. lib. ſecundo Ethic. cap. ſecundo, vbi docet, quod virtus eſt, quæ bonum facit habentem, & opus eius reddit bonum, ſed ſpes etiam informis facit bonum habentem in genere ſuo, id eſt, in genere expectandi æterna: quia facit hominem certò ſperantem promiſſa, id quod egregium opus eſt; ergo eſt propriè virtus, maximè quia ordinat eleuatque potentiam ad bona diuina, vitatque præſumptionem, & deſperationem, qui enim ſine meritis ſuis, & Chriſti, in re, vel in propoſito beatitudinem ſperaret, haberet præſumptionem.

ARTICVLVS VI.

Vtrum ſpes ſit virtus Teologica.

ET videtur, qđ non; Spes non eſt virtus; ergo ſpes nō eſt virtus Theologica, conſequentia patet, & antecedens probatur. Nulla paſſio eſt virtus, ſed ſpes eſt paſſio; ergo ſpes non eſt virtus. Maior eſt nota, & minor probatur ex Ariſtot. 2. Ethic. capit. quinto, vbi ſic *Ariſt.* ſcribit. Cum igitur tria ſint, quæ in anima fiunt, affectus, potentia, habitus; Affectus quidem voco cupiditatem, iram, metum, audaciam, lætitiam, amorem, odium, deſiderium, æmulationem, miſericordiam, & vniuerſaliter illa, quæ voluptas, & moleſtia ſequitur &c. & parū infra vult, quod affectus non ſunt, neq; virtutes neq; vitia, quia ſecūdū affectus nō dicimur nec boni, nec mali, ſecundum virtutes autem, vel vitia dicimur, ſupple, & boni, & mali. Inter autem affectus, ſeu paſſiones, connumerat Philophus deſiderium, quod pertinet ad ſpem; ergo &c.

Præterea nulla virtus Theologica determinat medietatē duarum malitiarū, ſed ſpes determinat tale mediū; ergo &c. Maior probatur; Quia vbicumque eſt medium duarum malitiarum, ibi poteſt eſſe defectus, & exceſſus; ſed tendendo in Deum per deſiderium, non poteſt eſſe exceſſus, ſicut patet in alijs virtutibus Theologicis, non enim poteſt homo nimis credere in Deum, vel nimis diligere Deum; Probatur minor; quia ſpes determinat medium inter deſperationem, & præſumptionem, ſicut inter duas malitias.

Item virtus Theologica reſpicit Deum, vt immediatum obiectum, ſed ſpes non reſpicit Deum, vt immediatum obiectum; ergo ſpes non eſt virtus Theologica; Maior videtur communis ſententia omnium Theologorū; Probatur minor. Spes eſt amor concupiſentiæ, vel pertinet ad amorem concupiſcentiæ; ſed Deus non eſt amandus tali amore; Amor enim concupiſcentiæ eſt, quo diligimus vnum propter aliud, Deus autem non eſt diligendus propter aliud, cum ipſe ſit vltimus finis, ergo ſpes non habet pro immediato obiecto Deum. Et confirmatur; Illud ſperamus in via, quo beati oblectantur in patria, ſed beati immediatè oblectantur de viſione; ergo quod immediatè ſperamus Dei viſio eſt, & per conſequens non Deus ipſe, ſed viſio ipſius eſt immediatum obiectum ſpei: Non enim ſperamus Deum, ſed ſperamus ipſum clare videre, ac eo frui; ſicut non ſperamus amicum abſentem, ſed ipſum videre, alloqui, amplecti, ac eius præſentia oblectari.

In oppoſitum eſt communis, & conſtans ſententia omnium Theologorum. Pro cuius explicatione obſer. eſt, vt doce. Doct. ſubt. in hac q. ſub littera E. §. Reſpondeo, non omnis. Virtutem aliquam tribus de cauſis virtutem Theologicam dici, primo quia circa Deum verſatur, tanquam circa rem, & materiam ſibi proximè obiectam. Deinde, quia Deo innititur tamquam normę, & regulę, qua certo dirigitur. Poſtremo, quia eſt habitus diuinitus infuſus. Virtus igitur Theologica tēdit in Deum, vt in obiectum & finem ſibi proximè propoſitum, & vt regulam, qua certo nititur, atque dirigitur, & vt cauſam ſui effectricem. At verò virtus moralis nihil horum habet: Nam ipſa etiā Religio, quæ circa Deum tanquam rem obiectam verſari videtur, non reſpicit Deum, vt obiectum proximum, ſed tantū vt eum, cui cultum, & honorem debitum deſe ... ita vt eius proximum obiectum ſit cultus, & honor, qui Deo Optimo Maximo debetur, & tribuitur. Regula item virtutum moralium, qua diriguntur non eſt Deus, ſed prudentia cuius ductu, & præſcriptu, omnes virtutū moralium actiones gubernantur, & referuntur in finem debitum rationi; Nam caſtitas, fortitudo, & iuſtitia, ſuas functiones exercent, prout prudentia præſcribit, & præcipit. At fides diuina credit aliquid, quia eſt dictum, & reuelatum à Deo; Spes expectat bona cœleſtia, & æterna; quia Deus promiſit ſe ea bene merentibus redditurum: charitas diligit Deum propter ipſum; amat eum ante, & ſuper omnia, & proximum propter Deum, vt gratiæ, & gloriæ participem, & ſimul, quia Deus id voluit.

Præterea virtus moralis exercitatione, & aſſuetudine comparatur, virtus Theologica non item; neque enim fit, & exiſtit ex nobis, ſed diuinitus datur, & in mentem infunditur. Ex quo efficitur, vt ſcientia Theologica, quam hominum magiſterio, induſtria, & labore diſcimus, virtus Theologica non ſit: quoniam opera, ſtudio, & exercitatione acquiritur, non diuinitus infunditur, & regula ipſius ductrix, & præceptrix, & magiſtra eſt ratio, & ex ratione argumentum vnde deducitur.

Eſt ergo ſpes virtus Theologica, quia à Deo immediatè infunditur, Deumque ipſum reſpicit, vt immediatum obiectum, & vt regulam directiuam. Et quamuis quædam ipſi obiecto addantur, nimirum, quod ſit abſens, vel quod ſit mihi debitum, nihilominus non tollitur ratio obiecti, vt obiectum eſt. Quia enim deſidero illud mihi, vel tali, vel tali, non tollitur (inquit Doct. in hac q. ſub litt. C. §. Eſt etiam hæc virtus inclinans) quin deſiderem illud, vt obiectum. Pro cuius dicti intelligentia obſer. eſt, quòd nec ratio formalis obiecti, nec ipſum obiectum per alium, & alium reſpectum variari dicitur. Vt, verbi gratia, color ſub ratione viſibilis eſt obiectum terminatiuum actus videndi, hæc ratio formalis obiecti, haud variari dicitur ex eo, quod viſio terminetur ad colorem exiſtentem in tali, vel tali ſubiecto, ſiue quia terminatur ad colorem

Obiectū, & ratio formalis obiecti nō variatur p reſpectus.

magis

Digitized by Google

magis, vel minus propinquum; Nam viſio terminatur primo ad colorem in ſe ſub propria ratione ſua formali; atque ita color ſub ratione coloris ponitur obiectum terminatiuum viſionis; Similiter actus fidei habet pro obiecto Deum ſub ratione Deitatis, licèt enim de communi lege non cognoſcam Deum ſub ratione Deitatis, tamen fides poteſt habere Deum pro obiecto ſub Deitatis ratione; ſicut etiam Theologia in nobis habet Deum ſub rōne Deitatis pro obiecto immediato, vt docet Scotus in prologo, quæſt. 3. & tamen pro ſtatu iſto de communi lege nequit à nobis cognoſci ſub ratione Deitatis; ita in propoſito. Et quamuis fides reſpiciat omnem articulum de Deo, videlicet, quod eſt Trinus, & Vnus, quod eſt Creator cœli, & terræ; quod eſt Redemptor humani generis, quod eſt incarnatus, & huiuſmodi; Deus tamen ſub iſtis reſpectibus non ponitur obiectum fidei, ſed ſub ratione Deitatis præciſe; atque adeo fides primo, & immediatè reſpicit ipſum Deum, vt obiectum primum de quo verificantur articuli; atque ita patet quomodo ratio formalis obiecti fidei minimè variatur per eiuſmodi reſpectus.

Similiter Deus ſub ratione Deitatis ponitur primum, & immediatum obiectum Charitatis, vt videbimus diſtin. 27. & tamen charitas non ſolum inclinat ad Dei dilectionem in ſe, & propter ſe, ſed etiam ad dilectionem proximi propter Deum; vt patebit infra diſtin. 28. & tamen iſti reſpectus non variant rationem formalem obiecti Charitatis.

Ita in propoſito ſpes reſpicit Deum ſub ratione Deitatis pro obiecto primo, & immediato, ita vt ſpes immediatè terminetur in Deum ſub Deitatis ratione; cæterum quod modo ſit abſens, vel quod deſiderem illud mihi, iſti reſpectus non variant rationem formalem obiecti: Non enim actus ſpei immediatè terminatur ad Deum ſub ratione abſentis, ita vt abſentia ſit ratio formalis obiecti; Nec ſimiliter terminatur ad Deum, ſub hac ratione formali, quod ſit bonum mihi, ita vt eſſe bonum mihi ſit ratio formalis obiecti. Nam aliud eſt loqui de ratione formali obiecti, & aliud de concomitante rationem formalem, ſiue de conditione obiecti. Bonum enim infinitum eſſe abſens, & eſſe bonum mihi nullo modo ſpectant ad rationem formalem obiecti ſpei; ſed concomitantur dumtaxat rationem formalem, vel ſunt conditiones obiecti reſpectu actus ſpei; Et hoc eſt, quod vult dicere Scotus cum inquit. Quod ſi dicatur deſiderium includere abſentiam obiecti, & ita conditionem temporalem in obiecto: Quia talis abſentia ponitur tantum temporalis, quia pro ſtatu viæ hoc videtur probabile: quia ſecundum eamdem rationem formalem reſpicit ſpes obiectum, & tentio, ſicut eadem ratio formalis eſt tendendi in illud, & quieſcendi in eo; patet de Vbi deorſum, quod ponitur ratio formalis obiecti quietatiui grauis, ita quòd idem Vbi ſub eadem ratione formale eſt obiectum in quo graue quieſcit, & ad quod graue mouetur, ſicut etiam eadem grauitas eſt ratio formalis, qua graue mouetur ad centrum, & quieſcit in illo, vt patet à Doct. in ſecunda diſtin. ſecunda quæſt. 10. In propoſito; ergo cum tentio ſpei ſuccedat, & tentio ſit id, quo voluntas tenet obiectum, ſpes verò id, quo voluntas tendit in illud, cum Deus ſub ratione Deitatis ſit obiectum tentionis; ſequitur, quod ſub eadem ratione ſit obiectum ſpei. Sed differentia eſt (inquit Doct.) quia illud obiectum eſt diuerſimode approximatum; quia abſens, vel approximatum imperfectè deſideratur, præſens autem vel perfectè approximatum amatur; ſicut in naturalibus ignis magis, vel minus approximatus cauſat calorem remiſſum, & intenſum; non tamen calor in igne eſt minus ratio actiui in cauſando, vel calefaciendo hoc, vel illud. Similiter ſol cauſat radium rectum, & reflexum magis, vel minus diſtans.

Pro explicatione huius litteræ obſeruan. eſt primo, quòd quando dicit Doctor, quòd amatur præſens, & deſideratur abſens, vult dicere, quòd quando obiectum eſt in ſe præſens, tunc eſt amor perfectus, quando verò eſt abſens, eſt amor imperfectus; Quemadmodum fruitio Deitatis in via eſt amor imperfectus: quia non habet Deum in ſe præſentem, fruitio verò Deitatis in patria eſt amor perfectus; & iſtæ fruitiones quamuis ſint eiuſdem obiecti, & ſub eadem ratione formali; non differunt ſolum ſecundum magis & minus in eadem ſpecie, ſed differunt vt duæ ſpecies, quarum vna eſt eſſentialiter perfectior, vt infra docet Scot. diſtin. trigeſimaprima, & in quarta diſtin. 49. Sic etiam videtur dicendum in propoſito de amore, qui eſt deſiderium reſpectu obiecti abſentis, & de amore perfecto, qui ſuccedit deſiderio reſpectu obiecti præſentis, nempe quod differunt ſpecie: obiectum enim in ſe præſens cauſat amorem ſpecie diſtinctum ab amore cauſato ab obiecto abſente, velut etiam cognitio abſtractiua, quæ eſt obiecti non præſentis in ſe, & cognitio intuitiua eiuſdem obiecti in ſe præſentis, ſpecie differunt, vt docet Scotus in 2. d. 25.

Secundò obſeruan. eſt, quòd non eſt omnino ſimile de igne remoto, & propinquo: quia calor cauſatus ab igne remoto eſt eiuſdem ſpeciei cum calore cauſato ab igne propinquo, quia iſti duo calores ab eodem igne in ſe præſente cauſantur, licèt magis, vel minus propinquo. Adducit tamen Doct. hoc exemplum de igne propter hoc tantum ſcilicet, quod idem ignis ſub eadem ratione formali cauſat calorem ſiue ſit remotus, ſiue propinquus; ita vt nec remotio, nec propinquitas ſit ratio formalis cauſandi calorem, licèt ſint conditiones propter quas ignis intenſiorem, vel remiſſiorem cauſet calorem. Ita in propoſito, Deus ſub ratione Deitatis eſt ratio formalis actus deſiderij, ſiue actus ſpei, & tentionis; adeo vt nec abſentia obiecti, qualis eſt reſpectu deſiderij, nec illius præſentia, qualis eſt reſpectu tentionis aliquo modo pertineant ad rationem formalem obiecti, ſed ſunt conditiones quibus poſitis ſequitur alius, & alius effectus magis, vel minus perfectus.

Ex his (inquit Doct.) ſic poteſt argui. Sicut in effectiuis non variat rationem efficiendi, quod non pertinent per ſe ad rationem efficiendi, ita in finibus illud non variat rationem finis, quod non variat rationem terminandi; tale eſt eſſe abſens, vel præſens modo prædicto; igitur non variat formalitatem obiecti, ſiue rationem formalem eius; ergo &c.

Et ſi dicatur, quòd deſiderare bonum mihi variat formalem rationem obiecti: quia commutat bonum honeſtum, in bonum vtile. Nam de ratione boni honeſti eſt, quod eſt diligibile propter ſe, & non in ordine ad aliud, & de ratione boni vtilis ſiue commodi eſt, quod ſit diligibile propter aliud; ac proinde cum bonum æternum ſit ſummum bonum honeſtum, & propter ſe diligibile, atque ei repugnet eſſe diligibile propter aliud, vt ſubtiliter probat Doct. in quarta diſtin. quadrageſimanona, ſequitur, quod diligere tale bonum mihi, ſiue vt bonum mihi, ſit ipſum diligere in ordine ad aliud, atque adeo commutatur bonum honeſtum in bonum vtile, quod eſt facere illud, quod eſt diligibile propter ſe, diligibile propter aliud.

Reſpondet Doct. quod hoc eſt falſum, quia conditio illa, vel circumſtantia cui, ſcilicet eſſe bonum mihi, non eſt conditio obiecti per ſe, id eſt, talis conditio non pertinet ad rationem formalem obiecti in ſe; patet quia talis conditio poteſt addi ſuper obiectum ſtante ratione formali obiecti; ita quod actus ſpei, qui eſt deſiderare, primo, & immediatè terminatur ad Deum ſub ratione abſoluta. Nam primo diligo Deum abſolute, & deinde, vt bonum mihi; Quemadmodum patet de fide. Non enim credendo Deum eſſe Saluatorem, & beatificatorem omnium iuſtorum habeo aliud obiectum formale à Deo ipſo; de quo credo, quòd eſt Trinus, & Vnus, & cæteros articulos, vt explicauimus ſupra; ſed per iſta tantum comparo æternum ad aliquod temporale, quæ comparatio non dicit niſi reſpectum rationis: & hoc modo in propoſito, cum voluntas vult bonum æternum ſibi, tantum comparat bonum æternum ad ſe, & talis cōparatio ſupple paſſiua, vel eſſe comparatum, eſt reſpectus rationis cauſatus in obiecto comparato ab ipſa voluntate; de quo reſpectu (inquit Doct.) aliquid modo tangam. Nam omnis potentia col-

latiua poteſt comparare obiectũ ſuum ad aliud, & in eo ſic comparato cauſare reſpectum rationis, qui non ineſt ex natura rei, ſed ex actu potentiæ comparantis, ita quod talis reſpectus in obiecto comparato nihil aliud eſt niſi ipſum comparari paſſiuum, atque ita ſicut ratio, id eſt, intellectus comparando obiectum ſuum poteſt cauſare in eo reſpectum aliquem rationis; ſic, & voluntas comparando obiectum ſuum poteſt in eo aliquem reſpectum cauſare, qui poteſt reſpectus appetitiuus appellari pro quanto eſt ab appetitu cauſatus, id eſt, à voluntate; ſicut etiam effectiuè dicitur reſpectus rationis, pro quanto ab intellectu, qui dicitur ratio in obiecto, cauſatur, & talis ſupple reſpectus rationis cauſatus à volũtate, cauſatur in obiecto vtibili per actum vſus, quando voluntas obiecto aliquo vtitur; Nam vti aliquo eſt velle illud in ordine ad aliud, atque ita comparat obiectum volitum ad aliud; ſicut cum diligo proximum propter Deum; & talis, ſupple reſpectus, poteſt dici cauſari in Deo, quando volo illud bonum infinitum in ſe eſſe mihi bonum: Quia voluntas comparat iſtud bonum obiectum ad aliud, quadam comparatione, quæ non eſt in eo ex natura rei: Nã actus volendi primo, & immediatè terminatur ab bonum infinitum in ſe abſolute, & poſt ſequitur, quod volo illud bonum infinitum eſſe mihi bonum. Quando ergo dicitur, Concupiſcere Deum mihi, variat rationem obiecti. Nego, ſed eſt ſolum vna ſecunda intentio, vel vnus reſpectus rationis nouus in Deo cauſatus per voluntatem creatam. Præterquam, quod conditio, qua volo bonum mihi, non eſt conditio obiecti; ſed eſt conditio in actu, cui conuenit, vt ſit in ordine ad aliud; quia actus concupiſcendi eſt circa obiectum in ordine ad aliud.

Sed contra: ergo voluntas ſperans eſt mala, quia vtitur obiecto fruendo referendo illud ad aliud; Si enim volo bonum infinitum, vt mihi bonum; tunc vtor bono infinito volendo illud nõ propter ſe, ſed in ordine ad aliud, & per conſequens vtor fruendis, quod eſt maxima per-
Adam. uerſitas. Adam concedit illatum, dicitque eſſe difficultatem ſolum in terminis, concedit, inquam, creaturam poſſe licite vti Deo. Verum quia communiter non con-
Io. Maior. ceditur, quod liceat vti Deo; Ideo Ioan. Maior negat conſequentiã, quia ad frui creatura, & vti Deo non ſufficit diligere Deum propter creaturam, ſed requiritur, quod Deus minus diligatur propter creaturam magis dilectam, quod in propoſito non contingit. Deus plus appreciatiuè diligitur, quam creatura; etiam ille actus eſt in Deum referibilis, & reciprocè per charitatem dirigitur in Deum auctualiter, vel virtualiter, & concedit, quod datur actus medius voluntatis, qui nec eſt vſus, nec fruitio, ponere autem medium, vel non ponere inter vti, & frui, dicit, quòd eſt de termino contendere.

Spes ē duplex. Poſſet etiam dici duplicem eſſe ſpem, mercenariorum vnam, alteram filiorum: mercenariam ſpem ideò appellant Theologi, quia mercenarius expectat ſui laboris mercedem, & ſtipendium, nec tam rationem habet eius, qui eſt mercedem redditurus, quam mercedis ſibi reddendæ; hanc etenim vt ſcopum, & finem ſibi proponit, quia niſi pactum de ea ſoluenda interueniret minimè laboraret. Spes verò filiorum expectat quidem à Deo bona; ſed vt à patre recipienda, & proinde ad eum ſeſe conuertit tanquam ad benignum, & munificum bonorum largitorem, & quem vt datorem boni, quod expectat amare cœperat, incipit deinde amare propter ipſum. Spes itaque eſt virtus Theologica non mercenaria, ſed talis qualis eſt filiorum, quæ fertur in Deum tanquam commodum, & bonum nobis, ſed non propter nos tanquam propter vltimum finem, & terminum, licèt nec explicitè propter ipſum, quemadmodum honeſtas appetitur, & diligitur tanquam vltimus finis, in quẽ omnia referantur; ſed ea ratione, qua honeſtas eſt. At virtus, & honeſtas ipſa ſua conditione, & natura implicitè, & tacitè refertur in Deum, quamuis non expreſſè. Sic etiam ſpe appetimus, & optamus nobis Deum, ſed totum hoc implicitè, & tacitè, licet non explicitè dirigatur, & refertur in Deum. Nos enim per ſpem ita concupiſcimus Deum, vt ſimul eo affectu anteponamus ipſum nobis; atque adeo nos potius in ipſum, vt in vltimum finem referimus; quia non niſi vt vltimum finem noſtrum concupiſcimus ipſum nobis.

Et hoc eſt, quod vult dicere Scotus, cum inquit. Reſpondeo, non omnis comparatio obiecti per voluntatem ad aliud obiectum eſt comparatio, quæ eſt vſus; ſed tantum, quando comparatur, vt minus bonum ordinatum ad aliud tanquam ad maius bonum concupiſcendum per illud, verbi gratia, diligo potionem propter ſanitatem, tanquam maius bonum conſequendum per illam, atque ita dicor vti potione. Sed non eſt in propoſito; voluntas comparat illud, vt abundans bonum ad minus bonum, cui liberaliter conceditur tanquam perficiendum ab eo; & hæc eſt comparatio liberalitatis, de
Auicen. qua loquitur Auic. 6 Meth.

Pro ampliori intelligentia huius litteræ obſer. eſt Primo, quod Auic. ibi (quantum ſpectat ad propoſitum) habet, quod prima intelligentia cauſat ſecundam, nec amat illam plus, quam ſe, ſed intendit illi communicare ſuam bonitatem, non expectando tamen ex illo amore præmium; ſic Deus communicat ſe ipſum creaturis, atque vt ſic communicatiuum per ſpem creaturæ deſiderant illum ſibi, amando eum, vide Scotum in 1. diſt. 2. quæſt. 7. art. 1.

Secundò obſeruan. eſt, quòd actus ſpei, qui eſt deſiderare bonum infinitum terminatur primo, & immediatè ad illud bonum ſub ratione ſua formali, & abſoluta, vt ſuprà diximus; non quod ille actus terminetur ad tale obiectum, vt in ſe, & propter ſe, ſed ad illud, vt bonum mihi, bonum quidem ſuperabundans, & me vltimate perficiens, eo tamen modo, quo obiectum poteſt perficere potentiam, quia non perficit intrinſece, ſed tantum extrinſecè; & hoc ex magna liberalitate Dei, quæ eſt in communicando ſe creaturæ, nihil ex tali communicatione expectando, quæ eſt conditio perfectæ liberalitatis.

Tertiò obſeruan. eſt, quòd ſi voluntas bonum illud, vt tantum ſibi bonum vellet, illa volitio non eſſet recta, eſſet enim amor mercenarius, Vnde inquit Scotus in 2. d. 6. q. 2. quod appetere actum perfectum, vt per illum magis ametur obiectum in ſe, eſt ex affectione iuſtitiæ; ex eo enim quod amo aliquid in ſe, volo aliquid in ſe; atque ita boni angeli potuerunt appetere beatitudinem, vt habentes illam perfectius amarent ſummum bonum, & ille actus concupiſcendi beatitudinem eſſet meritorius: quia non vtitur fruendo, ſed fruitur eo, quia bonum quod concupiſco mihi; ad hoc concupiſco, vt plus amem illud bonum in ſe. Hæc Scotus ibi. Voluntas ergo deſiderans bonum æternum, vt ſibi commodum, ſi deſiderat præciſe, vt commodum ſibi, ibi ſiſtendo, non poſſet dici recta; ſed ſi deſiderat illud tanquam ſummum commodum, vt magis amet ipſum in ſe amore amicitiæ, ſiue vt magis fruatur eo tunc talis voluntas eſt recta.

Quartò obſeruan. eſt, quòd etſi pro ſtatu iſto Deus à nobis cognoſci non poſſit ſub ratione deitatis, ſed tantum confuſe, vt ſuprà patuit, poteſt tamen forte à nobis diligi diſtinctè ſub ratione formali, vt ſuprà docuit Doct. d. 9. circa finem. Et eſto, quod voluntas non poſſit pro ſtatu iſto Deum ſub propria ratione diligere, ad huc non debet negari, quin ſpes, & Charitas habeant ipſum Deum pro obiecto ſub ratione Deitatis; ſicut etiam licèt Deum non poſſit quis diſtinctè cognoſcere, tamen habitus fidei & actus habent ipſum Deum, vt obiectum immediatum, ſub ratione Deitatis.

Ex his reſpondetur ad argumenta in oppoſitum, & ad primum, quod eſt primum argumentum principale Scodico, quod nomina ſunt impoſita ad placitum: atque ita ſpes poteſt imponi, ſicut impoſita eſt ad ſignificandum talem paſſionem impreſſam appetitui ſenſitiuo ex delectabili præſente non in ſe, ſed in phantaſia, quod ſi eſſet in ſe præſens, natum eſſet imprimere delectationem, ſicut ex alia parte malum præſens in imaginatione imprimit timorem; præſens in ſe imprimit dolorem, & accipiendo ſpem hoc modo, concedo quod ſpes non eſt virtus moralis nec Theologica; Cæterum idem nomen poteſt ſignificare habitum ſpei, cuius eſt inclinare in talem actum, qui eſt deſiderare bonum infinitum eſſe mihi bonum à Deo liberaliter conferente ex meritis, quæ habeo, vel mihi ſpero.

Ad

Digitized by Google

D. Bonau. hac d. art. 1. q. 3. ad ſecundum.

Mediũ eſt duplex.

Ad ſecundum, quod eſt ſecundum principale Doct. reſpondetur dupliciter; Nam quidam diſtinguunt de medio dicentes, quòd duplex eſt medium, quoddam eſt participans extrema, vt tepidum inter calidum, & frigidum, atque ita liberalitas eſt inter duo extrema; quia dat quantum debet, & retinet quantum debet; dare ſpectat ad prodigalitatem, ſi plus detur, quam recta ratio poſtulet; retinere autem ad auaritiam ex oppoſita ratione; Aliud eſt medium diminuens, vel eliminans extrema, & huiuſmodi medium poteſt aſſignari in virtutibus Theologicis, etſi primum negetur. Nam ſpes verbi gratia, eſt medium, quæ vincit, & eliminat præſumptionem, & deſperationem, & hoc medium non arguit virtutem moralem.

Virtus Theologica quomodo cõſiſtat in medio.

Cæterum, quia hæc reſponſio parum valet, ideo dicit Doct. quod poteſt concedi, quod virtus Theologica eſt propriè media, non ex parte obiecti, ſed ex parte exceſſus, qui poteſt eſſe in actu; adeo quòd medietas poteſt attendi, vel inter extrema ex parte obiecti, vel inter extrema ex parte actus: virtus moralis determinat medietatem non tantum ex parte actus, ſed etiã inter extrema ex parte obiecti; patet de temperantia, quæ determinat medium inter obiectum excedens, & deficiens: Nam quoniam poteſt quis plus carnis comedere, vel vini plus bibere, quam ratio dictat, ideo ponitur temperantia virtus moralis, qua quis appetit medium inter obiectum excedens, & deficiens, patet etiam de actu: Nam poteſt quis nimis, intenſe, auide, & ardenter appetere aliquod obiectum creatum; vel nimis remiſſe, Virtus autem Theologica, licet determinet medium ex parte actus, tamen non determinat ſibi medium ex parte obiecti, quia reſpectu virtutis Theologicæ non datur obiectum medium inter excedens, & deficiens, ex parte tamen actus determinat medietatem: atque ita fides poteſt eſſe media inter leuitatem, qua quis nimis firmiter aſſentitur ei, quod non eſt credendũ de fide, iuxta illud, qui cito credit leuis eſt corde; & inter pertinaciam, qua quis nimis reſiſtit credendis nolens aſſentiri creditis, niſi per rationem naturalem oſtendantur; ſic etiam poteſt aliquis nimio amore tendere in aliquod diligibile, vel nimis remiſſe; licet non in nimis bonum nec in nimis verũ poſſit aliquis amando, & credendo tendere in Deum. Ita poteſt quis tendere in obiectum infinitum, aut in maius, aut in minus; in maius, vt præſumens, in minus vt deſperans, ſiue diffidens; & ſic eſt medium ex parte actus, & non ex parte obiecti: quia virtus Theologica tendit præciſe in bonum infinitum, quod eſt ſupremum bonum.

Vnde breuiter vult dicere Doct. in hac reſponſione, quod virtutes Theologicæ nõ ita conſiſtunt in medio, ſicut virtutes morales; Virtutes enim morales duplici ex cauſa conſiſtunt in medio; primo, quia ex parte obiecti poteſt eſſe inordinatio in exceſſu, aut in defectu; virtus moralis oſtendit medium. Secundo, poteſt eſſe inordinatio ex parte actus, tendendo ſcilicet in ipſum obiectum excedendo, aut deficiendo, & virtus moralis temperat iſtam inordinationem, & oſtendit medium. Virtutes verò Theologicæ conſiſtunt in medio non ex parte obiecti; quia obiectum eſt infinitum, & in eo non eſt quærere extrema, & medium; tamen ex parte actus: quia põt eſſe inordinatio excedendo aut deficiendo in ijs, quæ cõſiſtunt in medio: Nam in actu credendi poteſt eſſe inordinatio in exceſſu, vt dicitur Eccleſ. 19. Qui cito credit leuis eſt corde; etiã poteſt eſſe inordinatio in defectu, vt eſt in pertinaci; Ideo fides oſtendit medium; & ſimiliter in actu ſpei poteſt eſſe inordinatio in exceſſu, quæ dicitur præſumptio, & in defectu, quæ dicitur deſperatio, & ſpes oſtendit medium. Dicendum eſt ergo ad maiorem, quod vera eſt de medietate ſe tenente ex parte obiecti, non ex parte actus; & in hoc ſenſu concedenda eſt minor, ſcilicet quantum eſt, ex parte actus.

Caietan.
Medina.

Caietanus, & Medina prima ſecunda, quæſt. 64. artic. quarto, impugnant hanc Scoti doctrinam: quia conſtat (inquiunt,) quod non poteſt Deus amari nimis, ita quod actus amandi ſit exceſſiuus; iuxta illud Eccleſ. 43. Benedicentes Deum exaltate illum quantum poteſtis; maior eſt enim omni laude, & D. Bernardus in initio libri de diligendo Deo inquit, Modus diligendi Deum eſt ſine modo diligere; quæ authoritates euidenter probant, quod non contingit nimis diligere Deum; atque adeo, quòd virtutes Theologicæ nec ex parte obiecti, nec ex parte actus conſiſtant in medio. Neque qui cito credit ſi credit Deo leuis eſt corde, atque ita non eſt defectus in actu fidei; & ſimiliter quando præſumptio eſt vitium non eſt, quia nimis ſperat in Deo, ſed quia ſperat bonum excedens propriam conditionem.

D. Bernar.

Refellitur Caietan.

Cæterum nec Caietanus, nec Medina ſatis intellexerunt, quid dicat Scotus in hac reſponſione: Ideo pro explicatione Doct. obſeruandum eſt primo ex D. Thoma in eodem articulo, quod cæteræ virtutes morales ex hoc conſiſtunt in medio ratione obiecti: quia materia circa quam verſantur, debet regulari per rationem, ex eo quod pars appetitiua, ſcilicet voluntas, habet pro regula rationem, vt rationabiliter appetat appetibilia, & vt ipſa voluntas facilius reguletur per rationem, & appetat iuxta rationis regulam, ideo ponitur in voluntate virtus moralis, & ratio ſic regulat, vt neque ſit exceſſus, neque defectus in appetendo obiectum.

Secundo obſeruandũ eſt, quòd vt docet ipſe S. Thom. 2. 2. quæſt. 17. articulo quinto, ad ſecundũ. In regulatis, & menſuratis medium accipitur ſecundum quod regula vel menſura attingitur, & ſecundum exceſſum à regula, vel defectum, accipitur ſuperfluum, vel diminutum; & cum regula eorum, circa quæ eſt virtus moralis, ſit ratio, ideo obiectum virtutum moralium conſiſtit in medio, quia reſpectu eius poteſt eſſe exceſſus, vel defectus, atque ita debet à ratione regulari. Regula autem virtutum Theologicarum eſt ipſummet earum obiectum, ſcilicet Deus, habent enim Deum pro obiecto, & regula; & ſicut in regula non datur medium: quia ſi eſt regula neque poteſt excedere, neque deficere, ideo in obiecto virtutum Theologicarum non datur medium: quia neque exceſſus neque defectus, ſiquidẽ eſt regula, & talis quod à nulla alia regulari poſſit, tamen ex parte noſtri poteſt eſſe exceſſus vel defectus: & hoc poteſt contingere tripliciter, primo vt actus noſter conſideratur, quatenus tendit in Deum tanquam in ſuum proprium obiectum, & regulam, & ſic nullum poteſt dari medium: quia credere primæ veritati eſt totaliter bonum, quod quanto magis quis credit, tanto actus credendi eſt magis bonus; & ita non intellexit Scotus, quando dixit ex parte modi actus virtutum Theologicarum dari medium, quia hoc eſſet dare medium ex parte obiecti, & ex parte regulæ: ſecundo modo poteſt intelligi ex parte eorum, quæ ordinantur ad principale obiectum, & in his poteſt eſſe medium, quod medium non eſt ex parte actus, ſed ex defectu conditionis in actu, vt dicit D. Bona. hac d. quæſt. 1. artic. 3. ad primum, vel ex parte ſperantis, vt dicit Richard. eadem d. art. 3. quæſt. 2. ad primum, quia etiam poteſt eſſe exceſſus; vtpote ſi neglectis meritis omnino præſumit de miſericordia Dei, vt dicit D. Bona. vel ſi ſperet illud, ad quod habendum non eſt diſpoſitus nec iure, nec in propoſito; vt dicit Richardus, & poteſt eſſe defectus, vt ſi non ſperaret ſibi proportionata, & hoc modo intelligit etiam S. Thomas, & bene; neque ab hoc eſt Doctrina Scoti aliena.

D. Bonau.
Richard.

Tertio modo poteſt huiuſmodi actus conſiderari ex parte noſtra: quia debemus tendere in Deum credendo, ſperando, & amando ſecundum menſuram noſtræ conditionis; ita ſcilicet, vt quis credat Deo rationabiliter, & non motus perſuaſione irrationabili, incideret enim in varias hæreſes, & ita dixit Chriſtus Dominus Matth. 24. Si quis vobis dixerit Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic nolite credere. Quibus verbis docet, quod quamuis credendo Deo, vt regulæ credendi non poſſit dari exceſſus: tamen quia ipſe Deus non ſe clare oſtendit nobis in hac vita; maxime aſpiciendum eſt quomodo tendimus in ipſum, poteſt enim ex parte actus noſtri eſſe defectus vel exceſſus, & hoc eſt quod docent Scotus, & Sanctus Thomas, quicquid dicant Caietanus, & Medina.

In virtutibus Theologicis duplex eſt regula.

Poſſet etiam dici, quòd in virtutibus Theologicis duplex eſt regula conſideranda. Vna eſt ipſum obiectum illarum, nempe Deus, quatenus quælibet iſtarum virtutum pro ratione ſua ipſum attingit conuenienter, & hanc quidem regulam non contingit vnquam excedere: nam

Ti ni-

ſi nihil aliud conſideremus, quam rationem ipſam obiecti fidei, aut charitatis. Verbi gratia nunquā aliquis nimium credit, aut diligit. Altera regula eſt dictamen ſapientiæ diuinæ, quo attenta conditione noſtra, & omnibus circūſtantijs definitur, quid, & quatenus credendum, ſperandum, & diligendum nobis ſit. Quam regulam cum contingat interdum excedere, & ab eadem etiā deficere, ſecundum circumſtantias, efficitur ſecundum eiuſmodi quidem circumſtantias virtutes Theologicas verſari etiam in medio, atque ita procedit, quòd S. Thom. illic docet, per accidens ratione noſtri habere medium virtutes Theologicas. Vt fides, Verbi gratia, attingit medium, hoc ipſo quod nec leuiter credit, nec pertinaciter negat, quod eſt credendum; & etiam hoc ipſo, quod neque minus, neque plus credit, quam ſit credendum. Extremum autem per defectum eſſet, Verbi gratia, non credere Perſonas diuinas diſtingui proprietatibus; & per exceſſum alterum extremum eſſet, credere illas diſtingui eſſentia. Sic etiam inter deſperationem, & præſumptionem ſpes eſt media. Ita extrema charitatis eſſent per defectum quidem non diligere Deum, quando oportet; per exceſſum autem nunc conari diligere, cum ob circumſtantias aliquas vehemētet is conatus noceret corpore, nec tamen vrgeret tunc alioqui diligendi præceptum. Neque aliud voluit hic Scotus cum dixit, virtutes Theologicas conſiſtere in medio. Quare non eſt re ipſa contrarius D. Thomæ, quidquid ſenſerit Caietanus.

Durand.

Ad tertium, quod eſt argumentum Durandi in hac d. quæſt. 2. Nego minorem; & ad probationem diſtinguo minorem: poteſt enim aliquid concupiſci dupliciter, primo propter nos, tanquam propter cauſam finalem; & ſic non licet concupiſcere Deū, eſſet enim vti fruendis, quod ſumma peruerſitas eſt, teſte D. Aug. Secūdo modo pōt aliquid concupiſci à nobis, & hoc propter bonitatem concupiti; nam vt ait Scotus in littera, voluntas hominis comparat Deum, vt abundans bonum, ad minus bonum, nempe ad ſe, cui liberaliter conceditur, vt perficiatur ab eo, ſpes enim tendens in Deum, vt beatificum obiectum ſibi futurum; non tendit in Deum propter alium finem, qui non ſit Deus; imo vult beatificari in Deo propter ipſum Deum, vel propter diuinum bonum participādum, vt in Deo conquieſcat; & iſte amor non eſt vti Deo: quia vti Deo eſt referre Deum in alium finē, qui non ſit Deus; amare autem Deum propter beneficium beatitudinis, eſt amare propter aliud in genere cauſæ materialis non finalis; & voluntas ſperans hoc ſummum beneficium proſilit ad amandum Deum propter ipſum Deum: nam beneficia diſponunt voluntatem ad amorem benefici, diſpoſitio autem reducitur ad genus cauſæ materialis. Vide Aureolum in 3. d. 23. art. 4.

Poteſt aliquid dupliciter cō cupiſci.

Ad confirmationem dico, quòd beatus plus delectatur de bono Dei in ſe, quam de bono proprio: ſecundo dico, quod fruitio beata Dei eſt de Deo immediate viſo, quia beati delectantur ſumme non in creatura, ſed in creatore, & licet delectatio ſit de aſſecutione rei ſperatæ; eſt tamen etiam ipſius rei immediate, quia eo delectat aſſecutio, quod eſt rei concupitæ. Nam ſitis teſte Ariſt. lib. ſecundo, de anima text. c. 28. eſt appetitus aquæ frigidæ, & humidæ, fames cupiditas cibi calidi, & ſicci. Porrò qui ſitit non ſolum optat bibere, ſed etiam aquam ipſam, & qui fame premitur deſiderat non ſolum edere, ſed etiam eſcam ipſam; & qui amici deſiderio tenetur, & cupit ipſum videre, & alloqui, & ipſius etiam frui conſpectu, & præſentia. Spei igitur proximum, & principale obiectum eſt Deus ipſe, & ſunt actus quibus Deus ipſe nobis coniungitur, nempe actus videndi, amandi Deum, eoque fruendi. At Deus eſt obiectum primarium, & formale, beatitudo verò, quam ſpes ſperat habere, eſt obiectum materiale. Nam Deus eſt in quo ſpero, beatitudo verò eſt quod ſpero. Vnde ſicut aliud eſt dicere illud quod credo, ſcilicet veritates ad fidem pertinentes, & illud de quo, vel quod formaliter credo: ita aliud eſt dicere illud, quod ſpero, quod eſt materiale reſpectu actus ſpei, & aliud de quo, vel in quo ſpero, quod eſt formale ibidem. Illud ergo in quo ſpero, quod eſt obiectum formale ſpei eſt ipſe Deus, ſed illud quod ſpero obtinere, quod eſt materiale, bene eſt aliquod creatum, ſcilicet beatitudo. Non tamen poteſt dici quod ſperes in beatitudinem, ſed in Deum; atque adeo ſpes directè tendit in Deum non in beatitudinem, & per conſequens Deus eſt obiectum formale ſpei, beatitudo verò quam ſperamus habere eſt obiectum materiale.

Ariſtot.

ARTICVLVS VII.

Vtrum ſpes infuſa ſit ad ſperandum ſimpliciter neceſſaria.

Videtur quod non, ſpes haberi pōt reſpectu eorum, quorum cauſa ponitur communiter abſque infuſione Dei, ergo ſpes infuſa non eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſperandum: conſequentia patet, & antecedens probatur: quia per ſpem acquiſitā conuenit ſperare promiſſum hominis veracis, igitur multo magis per ſpem acquiſitam conuenit ſperare Dei promiſſum, qui eſt ſumme verax, ergo non eſt neceſſaria ſpes infuſa.

Secundo probatur, duæ tantum Theologicæ virtutes ſufficienter animam rationalem perficiunt, ergo ſuperflue ponitur ſpes; conſequentia eſt nota, & probatur antecedens; Dico perfectibilia reſpectu eiuſdem obiecti numero, ſufficienter perficiuntur duabus perfectionibus, ſed in anima non ſunt niſi duæ potentiæ perfectibiles reſpectu eiuſdem obiecti increati ſcilicet, intellectus, & voluntas; igitur ſicut intellectus ſufficienter perficitur vnico habitu, qui eſt fides, illius obiecti; ita voluntas reſpectu eiuſdem ſufficienter perficitur vnico habitu, qui eſt charitas; ergo ſpes non eſt neceſſario ponenda.

Et ſi dicatur, quod diſtinctio habitus non attenditur ex parte potentiarum, ſed ex diſtinctione partiū imaginationis; & quia tres ſunt partes imaginationis, ſcilicet memoria intellectus, & voluntas, ideo oportet ponere tres habitus. Contra ſi ponerentur, & diſtinguerentur habitus propter partes imaginationis, duo habitus ponerētur in intellectu, etiā duæ partes imaginationis ad intellectū pertinēt ſcilicet memoria, & intellectus; & vnus tantū in volūtate, quod eſt manifeſte falſum; quia ſpes non ponitur virtus intellectiua, ergo oportet ponere habitus, propter diſtinctionem potentiarum; at duæ tantum ſunt potentiæ: ergo duo tantum ſunt habitus.

Tertio arguitur, ex D. Auguſtino 13. de Trinit. capitulo quinto, dicente quod beatitudo naturaliter concupiſcitur, ergo ad hoc non eſt neceſſaria virtus ſupernaturalis. *D. Aug.*

In oppoſitum eſt, quod D. Paulus ſpem cum fide, & Charitate conſerre conſueuit, quas virtutes conſtat eſſe Dei donum ſupernaturale, vt primo Corinth. 13. Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, &c. & primo Theſ. 5. Nos autem, quia diei ſumus, ſobrij ſumus induti loricā fidei, & charitatis, & galeam ſpei, & Rom. 15. Non obſcure ſignificat ſpem eſſe Dei donum cum ita precatur. Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo, vt abundetis in ſpe, & virtute Spiritus Sancti. Et D. Petrus 1. Epiſt. capitulo primo, cum inquit. Qui ſecundum miſericordiam ſuam regenerauit nos in ſpē viuam, id eſt, donum ſupernaturale.

Pro explicatione huius difficultatis obſeruandum eſt primo, quod ſpes, quæ charitate caret, & informis à Theologis vocatur, eſt ſpeciale Dei donum, ſicut etiam fides à charitate ſe iuncta, quo efficitur, vt quemadmodum nemo abſque ſpeciali Dei auxilio, quod voluntatem præuenit, excitat, mouet, & adiuuat credere poteſt; ſic etiā per ſolas naturæ vires ſperare nequeamus, quę ſunt nobis diuinitus promiſſa, niſi gratuito Dei munere excitati, moti, & adiuti; Et quatenus pręmia noſtris bonis operibus, & meritis, ex Dei gratia prouenientibus reddenda. Et ſi dicas, ſatis eſſe ſi Dei munere credamus, ea eſſe à Deo promiſſa, & bene merentibus ſuo tempore conferenda; Nam cum primum hæc quiſpiam crediderit, poterit per ſeipſum ea exoptare, & ſperare. Reſpondeo nequaquam hæc ſufficere; quia ſperare nequimus niſi Deus cogitationem bene ſperandi nobis inieceri; qua excitemur, vocemur,

Spes informis eſt ſpeciale Dei donum.

Digitized by Google

mur, & moueamur, ac rurſus niſi poſt cogitationem iniectam voluntatem mouendo impulerit, & adiuuerit ad ſperandum. Quod eſt dicere requiri ſpeciale, & ſupernaturale Dei auxilium præueniens, quæ eſt cogitatio bene ſperandi voluntatem præcurrens, & quam gratiam operantem Auguſtinus appellare conſueuit, quia eam efficit Deus in nobis ſine nobis, id eſt, ante noſtrum conſenſum, & præterea auxilium cooperans, ſiue adiuuans, quæ eſt gratia, qua voluntas cogitatione excitata vna cum ipſo Deo operante conſentit appetendo, & ſperando. Porrò tum cogitatio bene ſperandi, tum auxilium Dei nobis cum operantis in eliciendo conſenſu eſt ſpeciale, & ſupernaturale, & gratuitum Dei beneficium & munus: ſpeciale quidem, quia illud his, & non illis hominibus, & quibus vult, & quando vult dat Deus: ſupernaturale: quia ex ſolis naturæ viribus non exiſtit: gratuitum eo quod nec naturæ, nec perſonæ debitum ſit, & proinde gratis & liberaliter datum.

Poteſt homo viribus naturæ aliquam imperfectam ſpem habere. Secundo obſeruandum eſt, quod ex hoc non negamus poſſe aliquem naturæ viribus habere imperfectam quamdam ſpem vitæ æternæ acquiſitam, adeoque naturalem; ſicut etiam imperfectam fidem. Id enim Concilij Tridentini Patres inſinuarunt cū ſeſſ. 6. can. 3. ſpem, fidem, & charitatem donum Dei eſſe ita definierunt. Si quis dixerit hominem ſine Spiritus Sancti gratia, & eius *Concilium Triden.* adiutorio poſſe credere, ſperare, & diligere ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit. Quaſi diceret ſine adiutorio Spiritus Sancti poſſe fieri, vt homo aliam qualemcumque ſpem habeat; ſed non, vt ſperet ſicut oportet; &c. Quare ſolum volumus ſpem propriè Chriſtianam, quæ ſcilicet ad iuſtificationem, & vitam æternam valeat, & apte Deum, vt obiectum ſupernaturale reſpiciat, eſſe donum ſupernaturale, ſicut etiam Patres illius Concilij definierunt.

Bannes. Durand. Cui quidem Doctrinæ (quidquid dicat Bannes. 2. 2. q. 17. art. 1.) non arbitror aduerſari Durandum; cum in 3. d. 26. quæſt. 1. inquit ſpem, vt eſt habitus à Deo infuſus non eſſe neceſſariam ad ſperandum ſimpliciter, ſed ad ſperandum facile, prompte, &c. Poteſt enim hoc ita accipi, vt intelligatur Durandus velle, ſpei habitum non eſſe neceſſarium ad ſperandum qualicumque modo, nimirum per actum aliquem imperfectum, eſſe autē neceſſarium Dei auxilium, & donum ad ſperandum Chriſtianè, & apte ad obtinendam iuſtificationem, nam eodem modo interpretati ſumus ſupra d. 23. quæſt. prima, articulo decimo, quod idem author dixit poſſe naturæ viribus haberi certam aliquam fidem acquiſitam. Et ſicut illic probauimus eſſe certum de fide, quòd ad credendum Chriſtianè, id eſt ſicut oportet, requiratur donum etiam habituale, quod ſcilicet, ſit ipſa virtus fidei, ita nunc de ſpe idem aſſerendum eſt. Nam ex æquo etiam Patres Concilij Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. definierunt in iuſtificatione infundi diuinitus ſpem, ſicut & fidem & charitatem, quod niſi de habitu nequit bene intelligi, vt generatim quoque de his habitibus diximus, vbi ſupra art. 1.

His obſeruatis ſit hæc Concluſio. Ad ſperandum ſicut oportet eſt neceſſaria fides infuſa. Probatur ex Concilio *Concilium Trident.* Trident. ſeſſ. 6. can. 26. & 27. Et confirmatur quia in Sacris litteris, ſicut de ipſa fide dicitur eſſe donum Dei, ita etiam de ſpe; Verbi gratia, Pſal. 118. Memor eſto verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti, vbi videndus eſt D. Auguſt. Item in Pſalm. 90. Quoniam in me ſperauit liberabo eum, ſed Deus non liberat hominem neque glorificat, propter opus ex viribus naturæ exhibitum, ergo ſperare nō poteſt voluntas ſicut oportet ex viribus ſuis. Item ad Roma. 8. Spe ſalui facti ſunt, & primo Ioan. 3. Omnis qui habet hanc ſpem in eo ſanctificat ſe, ſed opus ex viribus naturæ proficiſcens non ſaluat hominem, neque eſt meritum maioris ſanctitatis, neque ad illam ſufficiens diſpoſitio: ergo, &c. vide D. Ambroſium lib. quinto, Epiſt. *D. Ambr.* Epiſt. 22. vbi ait, Saluat ſpes, ſicut fides de qua dictum eſt Fides tua te ſaluum fecit.

Ad primum argumentum, quod eſt tertium principale Doctoris, patet reſponſio, inquit Scotus ex dictis in quæſt. de fide, & etiam in hac quæſt. quia non poteſt probari naturali ratione, quod ſit aliqua virtus ſic infuſa, quia actus quos experimur in nobis, poſſunt eſſe eiuſdem rationis, & forte æquè perfecti, dato quod nulla virtus infuſa eſſet; ſed credendo aliquam virtutem infuſam eſſe, ſicut de facto eſt credendum, tenendum eſt etiam, quod actus non eſt ita perfectus ſine ea; licet enim ſpe acquiſita poſſit aliquis ſperare à Deo promiſſa, ſicut & fide acquiſita credere illa; tamen nata eſt eſſe aliqua virtus perficiens portionem ſuperiorem voluntatis in deſiderando bonum infinitum ſibi, cum habita perfectius deſiderat illud bonum, quam ſine ea. Ad argumentum ergo nego antecedens, & ad probationem dico id verum eſſe de ſpe acquiſita; poteſt enim quis habere ſpem acquiſitam: ſicut patet de B. Adriano martyre, qui videns tam inuictam in ſupplicijs perferendis martyrum virtutem, dixit ad eos. Adiuro vos per Deum veſtrum, pro quo hæc patimini, dicite mihi quam remunerationē vel gloriam pro his tantis tamque immanibus cruciatibus expectatis: Cui Martyres, Gloriam quam ſecuri à bonorum omnium largitore Deo expectamus tanta eſt, vt non modo verbis explicari, ſed nec mente quidem concipi poteſt. Hæc audiens Adrianus alacri animo ſtatim in medium impiorum agmen proſiluit, & ſe quoque Chriſtianum eſſe audacter confeſſus eſt. Erat in eo iſte actus, qui eſt ſperare vitam æternam, qui erat ſpei acquiſitæ actus; Gentilis enim erat, atque adeo non habebat ſpem infuſam. Concedo igitur quod quis poteſt habere ſpem acquiſitam, ſed præter illam, & vt perficiatur voluntas in actu primo, quo ad portionem ſuperiorem, & propter perfectionem actus ſecundi, ponenda eſt ſpes infuſa.

Ad ſecundum, quod eſt quartum principale; Doct. reſpondens præſupponit in voluntate duplicē eſſe affectionem, ſcilicet iuſtitiæ, & commodi, de quibus infra erit ſermo; ſecundo ſupponit, quod ſpes ponitur in voluntate ad perficiendum affectionem commodi, & charitas ponitur etiam in voluntate, ad perficiendum affectionem iuſtitiæ. His ſuppoſitis dicit Doct. quod voluntas, habet duas affectiones, & vtraque attingit Deum immediate, ſcilicet affectionem iuſtitiæ, qua per actum amicitiæ tendit in Deum immediate, vt eſt bonum in ſe; & affectionem commodi, qua per actum concupiſcentiæ tendit immediatè in Deum, vt eſt bonum ſibi, & vterque actus poteſt eſſe ordinatus, & habere habitum inclinantem ad ipſum, etiam Theologicum; quia reſpicientem Deum immediatè pro obiecto; Non ſic ex parte intellectus: quia non eſt niſi vna potentia nata habere actum ſecundum attingentem Deum, ſcilicet intelligentia, & illa ſufficienter perficitur vno habitu tendente in verum, cui aſſentiendum eſt propter reuelationem.

Et per hoc patet ad illā obiectionē de partibus imaginationis; quia etſi ſint duę partes imaginationis, vna ex parte intellectus, & vna ex parte volūtatis, hoc nō eſt quia duplici actu elicito intellectus attingat obiectū voluntatis. Nā memoria & intellectus cū præſentia obiecti ſub rōne actu intelligibilis, etſi habeat actionem de genere actionis, qua ſcilicet producit intelligentiam, quæ poteſt appellari intelligificatio, non habet tamen actionem de genere qualitatis, qua attingat obiectum; ſed ſola intelligentia, quæ eſt intellectus informatus notitia genita, habet huiuſmodi actionem de genere qualitatis; quæ eſt operatio, id eſt, intellectio producta, & terminata ad tale obiectū.

Et pro tanto in intellectu eſt ratio parentis, cui competit actio de genere actionis, & produci, quæ duo repræſentant in diuinis patrem, & filium. In voluntate autem non eſt talis ratio originandi naturaliter, ſed libere & inquantum habet rationem originantis, id eſt, producentis amorem, poteſt poni voluntatem concurrere cum memoria; ſicut dictum eſt d. 3. primi lib. 9. vltima. Nam dictū eſt ibi, quòd in nobis tres ſunt partes imaginationis, ſcilicet memoria, intelligentia, & volūtas: memoria eſt actus primus, qui eſt intellectus cū obiecto præſente ſub ratione intelligibilis, atque etiam voluntas cum obiecto præſente quatenus diligibile, & huiuſmodi actus primus repræſentat Patrem in diuinis: ſecunda pars eſt intelligentia, quæ eſt intellectus informatus notitia producta, quæ eſt ipſum intelligere, & quia eſt terminus productionis memoriæ, repræſentat filium in diuinis, qui gignitur à Patre per memoriam fæcundam: tertia pars eſt voluntas informata actuali amore producto; & quia Spiritus

San-

Sanctus producitur per voluntatē, ideo per eam repræſentatur Spiritus Sanctus.

Ex his patet littera Doct. cum dicit, quòd iſti habitus ſcilicet fides, ſpes, charitas, non e[...]pondent partibus imaginationis: quia in patria ma[...]erunt partes imaginationis, imo erit perfectiſſima imaginatio; & tñ non erunt ibi fides, & ſpes, ſed iſti habitus correſpondent potentijs; at quia tantum ſunt duæ potentiæ, quarum eſt attingere Deũ immediatè per actus elicitos, id eſt, intellectus, qui vt diſtinctus à voluntate, per vnicum actum elicitũ mediate attingit Deum credendo; atque adeo vnico tantum habitu Theologico perficitur ſcilicet fide, & voluntas, quæ habet duas affectiones, id eſt, iuſtitiæ, & commodi; ideo duplici actu immediatè Deum attingit, ſcilicet ſperando, & amando, etiam duplici habitu Theologico perficitur, ſcilicet ſpe, quo ad affectionem commodi, & charitate, quo ad affectionem iuſtitiæ.

Ad rationem ergo dico; quod licet ſint tantũ duæ potentiæ materialiter, tamen voluntas diſtinguitur ſecundum diuerſas rationes & formalitates, ſcilicet ſecundũ diuerſas affectiones: Quare in ea ponuntur duo habitus, in intellectu verò tantum vnus propter rationem dictam.

Ad tertium reſpondet Doct. ſub litt. K. §. ad tertium, quod beatitudo in vniuerſali eſt ex naturalibus concupita ex affectione commodi; quia ſecundum Anſelmum de Concordia, capitulo decimo, vel nono, commoda nolle non poſſumus; ſed beatitudo in particulari; non eſt ſufficienter ex naturalibus concupita, accipiendo concupiſcere, ſiue deſiderare ſecundum omnes conditiones, vel circumſtantias ſupra poſitas; & ſi tale deſiderare poſſet eſſe ex ſpe acquiſita, non tamen ſic perfectiſſime, & ſicut oportet, ſine ſpe, & charitate infuſis, quemadmodum dictum eſt de fide acquiſita; qua non perfectiſſimè, & ſicut oportet aſſentitur creditis ſine fide infuſa.

Ex hac reſponſione poſſumus inferre duo Corollaria. Primum, omnes poſſunt deſiderare beatitudinem in vniuerſali ex puris naturalibus; quia eam in vniuerſali apprehendunt, atque cognoſcunt, quatenus ſcilicet eſt complementum omnis boni.

Secundum Corollarium, nullus poteſt ex puris naturalibus deſiderare beatitudinem in particulari, quia nullus poteſt, eam vt ſic cognoſcere; actus autem deſiderij præſupponit actum cognoſcendi; atque adeo Ariſtot. & omnes Philoſophi ingenio in naturalibus pollentes, loquentes de beatitudine in particulari, vel errauerunt, vel dubij remanſerunt, vt docet Scotus in 1. quæſt. prologi. [Scotus.]

ARTICVLVS VIII.

Vtrum fides, ſpes, & charitas acquiſitæ ſint virtutes Theologicæ eiuſdem ſpeciei cum infuſis.

Videtur quod ſic, quia habent idem obiectum, & ſub eadem ratione formali, cum fide, ſpe, & charitate infuſis. Caietanus. 2. 2. q. 17. art. 5. refert Scotum, tanquam ſentiret ſpem acquiſitam eſſe virtutem Theologicam, inquit enim Scotus in 26. diſt. 3. ſententiarum adeo deprimit virtutem Theologicam, vt etiã ſpem acquiſitam ponat virtutem Theologicam, quia reſpicit Deum pro regula, obiecto, & agente ſecundum aptitudinem, vt fundatur ab eo. [Caietan.]

Sed primum quæſtio eſt de nomine. Nam ſi nomine virtutis Theologicæ intelligeretur tantum habitus bonus habens pro obiecto Deum, ſpes acquiſita virtus Theologica dicẽda eſſet; ſi autem, quod eſt magis vſu receptum, virtutem Theologicam interpretemur habitum bonum, qui apte, & ſupernaturaliter attingat Deum tanquã obiectum ſupernaturale, ſic ſpes acquiſita nõ eſt virtus Theologica, ſed ea, quæ eſt infuſa.

Neque Scotus determinate hoc loco aſſerit, ſpem acquiſitam eſſe virtutem Theologicam, ſed cum conditione locutus eſt, ſi ſcilicet virtus Theologica non debeat eſſe neceſſario habitus infuſus. Vnde in hac quæſtio. ſub litt. F. §. Reſpondeo, &c. dicit quod tres conditiones ponũtur pertinere ad virtutem Theologicam. Prima eſt reſpicere Deum pro obiecto, & hoc ſub ratione Deitatis: ſecunda, habere pro regula, primam regulam humanorũ actuum ſcilicet, quod innitatur volũtati diuinæ, vt primæ regulæ actuum humanorum: tertia, immediatè infundi à Deo ſicut à cauſa efficiente; & hæc conditiones diſtinguuntur, ſicut alia eſt ratio obiecti, alia regulæ, & alia efficientis.

Si omnes tres conditiones requirantur ad virtutem Theologicam, patet quod fides, ſpes, & charitas acquiſitæ non ſunt virtutes Theologicæ: quia deficiunt in tertia conditione; Verum ſi prima ſufficiat, vel etiam prima cum ſecunda, ſic ſpes acquiſita poteſt virtus Theologica nuncupari; quia eſt circa Deum immediatè, vt circa obiectum, deſiderando ipſum vt bonum ſperanti, & ſi non ſperet illud in ſe, forte tamen ſperat, id eſt, deſiderat illud ſibi, & nõ aliud; ſimiliter ſecunda conditio concurrit ibi: quia habens ſpem acquiſitam innititur immediatè primæ veritati, vt primæ regulæ noſtrorum actuum: Non enim deſiderat, quod prudentia acquiſita dictat deſiderandum, ſed quod veritas prima ſupernaturaliter oſtendit eſſe deſiderandum.

Vnde obſeruandum eſt, quod prima regula humanorum actuum ad hoc, vt ſint ſimpliciter perfecti, eſt immediatè fides infuſa, de qua dicitur primo Corinth. 16. Vigilate, & ſtate in fide, viriliter agite, & conſortamini, &c. Regula etiam humanorum actuum eſt prudentia, quæ eſt auriga omnium moralium operationum; at nõ eſt prima, & infallibilis regula, quemadmodum eſt fides infuſa. Quod autẽ fides infuſa ſit prima regula infallibilis actuũ virtutum Theologicarum expreſſius teſtimonium non poteſt haberi in ſacra ſcriptura, quam illud D. Petri Epiſt. 1. capitulo primo, Vbi inquit D. Petrus Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundum miſericordiam ſuam magnam regenerauit nos in ſpem vitiam per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſſibilē conſeruatam in cęlis in vobis, qui in virtute Dei cuſtodimini per fidem in ſalutem paratam reuelari in tempore nouiſſimo. & ad Galat. quinto Nos enim ſpiritu ex fide, ſpem iuſtitiæ expectamus.

Et ſi dicas, fides eſt ſpei obiectum, ergo non eſt eius regula; antecedens patet ex D. Paulo ad Hebræos 11. hoc pacto fidem definiente, fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, &c. Et ſi dicas fidem eſſe ſubſtantiam, id eſt, fundamentum in ratione regulæ, ſed non in ratione obiecti. Contra quia diceretur etiam fides ſubſtantia rerum fruibilium; quia fides eſt etiam regula actuum charitatis. Dico quod licet fides ſit regula charitatis, propriè tamen eſt regula actuum ſpei, & neceſſaria ad hoc vt ſint meritorij; Non ſic eſt reſpectu actuum charitatis: quia in patria erunt actus charitatis, & tamen non erunt à fide moderati: quia ibi non erit fides. Præterea non poſſum ſperare Deum mihi, niſi vt bonum commodum, ordinate tamen affectione iuſtitiæ: quia ex affectione commodi eſt actus ſpei; Non poſſum autem cognoſcere Deum eſſe mihi commodum niſi ex fide, ergo magis dicitur fides ſubſtantia rerum ſperandarum, quàm fruibilium.

Et ſi dicatur, quod regula ſpei acquiſitæ, eſt fides acquiſita, & non veritas prima. Dicit Doctot, quod ſi fides acquiſita non ſit in ſe prima regula, tamen in ſe reſpicit primam regulam; atque ita omnis virtus habens eam pro regula, non habet pro regula prudentiam naturalem, ſed primam veritatem, non etſi in ratione habitus, tamen in ratione obiecti habitum regulantis. Pro intelligentia huius reſponſionis obſeruandum eſt primo, quod aliquid dicitur eſſe regula alicuius, vel regulare illud dupliciter, primo in ratione habitus quemadmodum prudentia regulat actus virtutum moralium; altero modo in ratione obiecti habitus, in quo continentur regulabilia. [Dupliciter poteſt aliquid ab aliquo regulari.] Actus ſpei acquiſitæ regulantur per fidem acquiſitam, non in ratione habitus, ſed in ratione obiecti habitus, Verbi gratia, aliquis audiens Diuum Paulum prædicantem, audit ipſum dicentem. Si vis perfectus eſſe vade, & vende &c. & quoniam credit D. Paulum eſſe veracem aſſentit dictis eius; atque ita

vadit,

Digitized by Google

vadit, & vendit omnia, quæ habet, vt lucretur vitam æternam; Iſte habet ſpem acquiſitam; an huiuſmodi ſpes reguletur per fidem acquiſitam? dico quod non in ratione habitus, ſed bene regulatur per obiectum fidei acquiſitæ, id eſt, per primam veritatem.

Fides acquiſita bifariam ſumitur.

Secundo obſeruandum eſt, quod Doct. æquiuocat hoc in loco de fide acquiſita, non enim accipit fidem acquiſitam pro habitu generato ex multis actibus elicitis credendi, vt credulitas illa innitatur teſtimonio humano: quia fides illa non reſpicit nec mediate nec immediatè primam regulam, nec obiectum primæ regulæ ſcilicet Deum, ſed tantum reſpicit hominem, vel Angelum, ſed accipit hic fidem acquiſitam, prout eſt habitus generatus ex frequentatis actibus credendi in Deum, vt ego millies elicio hunc actum. Credo quod redemptor meus viuit, &c. ex quibus actibus multiplicatis genero in me habitum, quo aſſentio huic propoſitioni; & patet quod non eſt habitus infuſus, quia ex actibus intellectus mei illum genero; Et nota, quod habitus iſte ſcilicet fidei acquiſitæ, vt ſic, etſi habet infallibilitatem ex parte obiecti, quod eſt ipſe Deus, tamen non ex parte habitus: quia eſt cauſatus ex actibus humanis, & ab intellectu fallibili, & variabili, fides autem infuſa, & ex parte obiecti, & ex parte habitus (qui eſt quædam participatio diuini luminis) habet ſuam infallibilitatem, & hoc eſt quod hic vult dicere Scotus cum inquit, quod omnis virtus, quæ habet fidem acquiſitam pro regula, habet primam veritatem pro regula, etſi non in ratione habitus, tamen bene in ratione obiecti.

Quod ſi illæ duæ conditiones non ſufficiant, oportet dicere conſequenter (inquit Doctor) quod Theologia non ſit habitus Theologicus, poteſt enim eſſe, & non immediatè infuſa à Deo, ſed acquiſita, & hoc tam quo ad aſſenſum actualem, quam habitualem, quam etiam quo ad apprehenſionem, quæ habetur ex doctrina. Vnde obſeruãdum eſt, quod Theologia capitur aliquando pro tota Sacra Scriptura, & Bibliis; interdum pro fide infuſa inclinante ad aſſentiendum omnibus veritatibus Theologicis; interdum pro aſſenſu, quem habet quis de veritatibus Theologicis, Poſtremo pro habitu derelicto ex multis actibus aſſentiendi veritatibus Theologicis; atque ita capitur in propoſito; Vnde ſi illæ duæ conditiones non ſufficiunt, oportet multum reſtringere habitum Theologicum, ſi neceſſario requiratur tertia conditio agentis. Et tunc concludendum eſt, quod ſpes licet ad hoc, quod ſit virtus Theologica, requirat duas primas conditiones, & in quantum habet illas habeatur pars propoſiti, hoc eſt, dictu poſſit dici quo ad primas duas conditiones virtus Theologica ſuſo nomine, completiuè tamen, & preſſe habet, quod ſit virtus Theologica ex tertia conditione, ex hoc ſcilicet, quod nata eſſet infundi à Deo, & ſi hoc ſufficeret ſpes acquiſita poſſet dici virtus Theologica: quia etſi non ſit actu à Deo infuſa; nata eſt tamen à Deo infundi: quia id quod Deus facit cum cauſa ſecunda, in genere cauſæ efficientis poteſt facere ſe ſolo. Cæterum hæc conditio non ſufficit ad virtutem Theologicam, ſcilicet, quod nata ſit infundi à Deo, ſed requiritur quod actualiter à Deo infundatur; quoniam ſi non infundatur non habetur ita perfectè, ſicut nata eſt haberi ex infuſione.

Theologia ſumitur quadrupliciter.

Quod autem requiratur ad virtutem Theologicam, quod actualiter infundatur à Deo, probat Doctor ibi. Cum enim ſuprema portio rationis immediatè ſubdatur Deo, non perficitur perfectiſſimè ab aliquo creato, ſed immediatè à Deo perficiente. Habitus autem qui natus eſt eſſe circa Deum immediatè, vt circa obiectum, & inniti ſibi, vt primæ regulæ immediatè natus eſt perficere ſupremam portionem, igitur licet aliquis habitus acquiſitus poſſit haberi, non tamen perfectiſſimus, & per conſequens, ſicut ſupra dictum eſt, de fide, quod eſt aliqua acquiſita, & cum hoc etiam neceſſario requiritur infuſa; licet neceſſitas infuſæ naturali ratione probari non poſſit, eodem modo dicendum eſt in propoſito de ſpe; Et ſicut illa, id eſt, fides infuſa ſaluatur Theologica propter obiectum, & regulam, & actualem infuſionem, quæ ſcilicet actualis infuſio concluditur ex portione ſuperiori recipiente, quæ ſicut immediatè ſubditur Deo, ita immediatè à Deo perficitur, ita etiam dicitur in propoſito de ſpe, ſupple infuſa; quod ſcilicet eſt virtus Theologica, quia immediatè reſpicit Deũ pro obiecto, innititur primæ regulæ, & immediatè à Deo infunditur, licet aliqua ſpes poſſit eſſe acquiſita; ſicut & aliqua fides.

Ex his poſſumus reſolute concludere, quod cum ad virtutem Theologicam requiratur, quod habeat Deum pro obiecto, ſecundo quod habeat Deum pro regula ſui actus, & tertio, quod infundatur à Deo actualiter; quod virtutes acquiſitæ ſcilicet fides, ſpes, & charitas acquiſitæ, licet habeant Deum pro obiecto, & pro regula, & poſſint à Deo infundi, veruntamen non ſunt virtutes Theologicæ propriè accipiendo virtutem Theologicam: Nam ſi fides acquiſita, & ſpes, & charitas acquiſita, infunderentur à Deo; ex natura tamen ſua ſunt naturaliter acquiſibiles, velut ſi Deus infunderet Theologiam, vel Geometriam; & hoc eſt quod vult dicere hic Doctor, ſi bene ponderentur verba eius. Ex quo patet quam falſo Caietanus, vbi ſupra dixerit Doctor. ſibi adeo deprimere virtutem Theologicam, vt etiam ſpem acquiſitam ponat virtutẽ Theologicam; quia reſpicit Deum pro obiecto, regula, & agente, ſecundum aptitudinem, vt infundatur ab eo. Aliud etiam falſum imponit Doctor. ſcilicet, quod ſpes non neceſſario requiratur ad ſperandum, ſed vt promptius, perfectius, & firmius ſperemus, Quod quam falſum ſit patet ex his, quæ docuit Doctor. diſt. vigeſimatertia, de fide infuſa; quæ ponitur propter perfectionem actus primi, & ex his quæ docet de charitate, in primo, diſt. decimaſeptima, & quæ nos diximus articulo præcedenti. Ex his patet ad argumentũ in oppoſitum, non enim eſt ſatis ad hoc, quod virtus dicatur Theologica, quod Deum reſpiciat pro obiecto.

ARTICVLVS IX.

Vtrum actus ſpei, qui eſt deſiderare, ſit in præcepto, atque adeo meritorius eſſe poſſit.

IN hoc articulo vnum præſupponitur, & duo quæruntur, præſupponitur deſiderare eſſe actum ſpei, & quæritur primo an huiuſmodi actus ſit in præcepto, & an ſit meritorius.

Quo ad præſuppoſitum eſt controuerſia inter Doctores Theologos; Nam aliqui volunt deſiderare non eſſe actum ſpei, ſed potius expectare, quod nihil eſt aliud, quam erigere affectum ad Deum ſummum bonum arduum attingibile à ſperante, vel vt dicit Aureolus in tertia, diſtinctione vigeſimatertia, quæſt. quarta, articulo tertio, eſt quidam motus voluntatis, qui poteſt vocari ſpiritualis aſſurrectio in bonum arduum, vel ſpiritualis, & intentionalis attingentia boni ardui; qui enim ſperat attingit bonum de quo ſperat intentionaliter, & diſponit ad acquiſitionem alicuius ardui; quia memoria delectationum adiectarum ſunt delectabiles, in quantum recordans attingit illas ſpiritualiter & intentionaliter. Hanc ſententiam tenent plurimi Thomiſtarum, Aureolus vbi ſupra, & Baſſolus hac d. quæſt. 1. art. 3. Quam ſic probant. *Aureol.* *Baſſolus.*

Nullus deſperans habet ſpem, ſiue actum ſperandi, ſed omnis deſperans deſiderat beatitudinem, ergo deſiderare non eſt actus ſpei; Maior eſt per ſe nota: Nam ſicut hæreſis, & fides infuſa non ſtant ſimul: ita deſperatio, & ſpes, non ſtant ſimul. Minor probatur deſperans triſtatur de amiſſione beatitudinis, ſed non triſtatur niſi de amiſſione alicuius deſiderati, & amati, ergo deſiderat beatitudinem, & non ſperat eam, ergo deſiderare non eſt actus ſpei.

Præterea eodem habitu poſſum amare aliquem amore amicitiæ, & deſiderare illi bonum, patet quia nullum in ſe amo, cui non velim aliquod bonum, igitur ſi ex charitate amatur quodlibet diligibile in ſe, ex charitate concupiſcitur ſibi bonum, & eodem etiam concupiſci-

tur

D. Aug. tur ſibi bonum præſens, & abſens; iuxta D. Auguſt. nono de Trinit capitulo vltimo, ergo deſiderare non eſt actus ſpei, ſed charitatis,

Scotus. Rubion Gabriel. Ocham. Almain. Oppoſitam ſententiam tenent Doct. ſub in hac quæſt. ſub lit. H. §. Contra viam iſtam, & Rubion, hac diſtinctione, quæſtione ſecunda, & Gabriel eadem diſtinctione, quæſtione prima, articulo primo, atque etiã Ocham. in 3. quæſt. octauo, & Almayn hac diſt. quæſt. prima. qui docent, actum ſpei eſſe deſiderare ſibi ſummum bonum ſibi poſſibile haberi, licet enim per ſe primum obiectum ſpei ſit Deus ſub ratione Deitatis, ſpes tamē in ipſum cum aliqua conditione annexa ſcilicet, vt eſt bonum ſperantis tendit. Non enim ſpero Deum abſolute, ſed Deum mihi bonum, atque adeo actus ſpei pertinet ad voluntatem, ſecundum partem concupiſcibilem.

Quod autem deſiderare ſit actus ſpei ſic probãt. Tum quia non eſt actus fidei, vt patet nec actus charitatis de qua magis videtur: quia actus charitatis cum ſit ſuprema, & nobiliſſima virtus, eſt amor amicitiæ ſummi boni, qui eſt amor perfectiſſimus, quo diligitur ſummum bonum Deum in ſe ſibi ipſi, & propter ſe; actus autem deſiderandi Deum non eſt amor amicitiæ, ſed concupiſcentiæ, quo ſcilicet diligitur, & deſideratur ipſi deſideranti. Et confirmatur, quia charitas, & actus eius feruntur in Deum ſecundum affectionem iuſti, ſed deſiderare ſecundum affectionem commodi. Item voluntas eſto quòd non eſſet libera, adhuc deſideraret ſicut appetitus ſenſitiuus, & tamen non haberet charitatem, nec aliquem actum eius.

Præterea expectare pertinet ad ſpem, ſed expectare non eſt niſi deſiderare, ergo &c. probatur minor; quia expectare ſecundum omnes eſt actus voluntatis, aut ergo eſt velle, aut nolle, at planum eſt quod non eſt nolle, nec velle rei præſentis; ergo eſt velle rei abſentis, ſed velle rei abſentis non niſi deſiderare: ergo, &c.

Pro ſolutione huius difficultatis obſeruandum eſt, cauſam noſtræ ſpei eſſe conſiderationem diuinæ miſericordiæ, non vtcumque conſideratæ, ſed dum ſperans erigit animum, & fidit in Deum ſibi fore propitium, propter Chriſtum. Conſiderationem autem diuinæ miſericordiæ cauſam eſſe noſtræ ſpei manifeſtum eſt. Vnde namque aliunde ſperet homo, qui filius iræ natus, tam multis poſtea deliquit, & iram in ſe Dei, & indignationem promeruit? certe ſpei remiſſionis peccatorum noſtrorum hæc potiſſima, & fortaſſis vna cauſa eſt, quod illum ex ſcriptura, & ex lumine naturali pium ſcimus eſſe, ac benignum, & diuitem in miſericordia, ac præſtabilem ſuper malitia.

D. Baſil. Vnde & Baſilius in Pſalm. 32. de humili Dei ſeruo ſic ſcribit. Cum reputauerit ſecum ſua opera praua, timet quidem ſupplicium, & formidat pœnas, ve autem ne abſorbeatur præ mætore bona ſpe præditus eſt, ad miſerationes, & benignitatem Dei reſpiciens.

Hac verò diuinæ miſericordiæ conſideratione erigi animos noſtros in ſpem, quomodo

D. Aug. Diuus Auguſtinus loquitur in de catechizandis rudibus ex eo poſſumus approbare, quod vt ira, terrores, comminationes, timores animum deijciunt; ſic clementia, miſericordia, & promiſſio beneficiorum eum attollunt, & ſubleuant. Et quemadmodum timor deprimit, humiliat, proſternit, & triſtitiæ cauſa eſt; ita ſpei alacritas deiectos animos in altum ſubuehit, roborat, confortat, & exhilarat. Spe inquit Paulus gaudentes, & rurſus quæ verè vidua eſt & deſolata ſperet in Deum. Atque hinc fiducia propitiationis diuinæ proficiſcitur.

Secundo obſeruandum eſt, quod licet ſpes, & fiducia ſæpè inter ſe confundantur, & vna pro altera ponatur, nonnihil tamen inter ſe diſtinguuntur. Nam ſpes deſiderium eſt boni, quod credimus nos aſſecuturos; fiducia verò ſpem conſequitur, & vicinior eſt conſecutioni boni ſperati; atque vt ſcilicet Thom. 1. 2. quæſt. 40. articulo

D. Thom. ſecundo, ad ſecundũ erudite tradit motus eſt quidam appetitus conſequens ex perſuaſione, de illo conſequendo: Vnde & D. Paulus domos nos dicit eſſe Chriſti, ſi fiduciam, & gloriam ſpei vſque ad finem firmam retineamus, & Iob. vndecimo omnibus iuſtis dicitur. Cum te conſumptum putaueris orieris, vt lucifer, & habebis fiduciam propoſita tibi ſpe.

Duplex eſt deſiderium. Tertio obſeruandum eſt, quòd duplex eſt deſiderium, ſcilicet ſiue abſolutum, & complacens ſiue conditionatum, deſiderium efficax duo includit, ſcilicet apprehenſionem obiecti, vt poſſibilis haberi; & acceptationem mediorum ordinatorum ipſa volendo, & imperãdo, per quæ poteſt obiectum acquiri. Primum deficit deſperantibus: nam deſperantes non credunt habitionem Dei, vt obiecti beatifici, eis eſſe poſſibilem, & ideo licet vellent beatitudinem habere, & deſiderent poſſidere Deum beatifice, voluntate complacentiæ, quia tamen non apprehendunt vt ſibi poſſibilem, non deſiderant efficaciter; quæ voluntas non ſolum ſibi complacet, in volito, & volitione, ſed etiam inquirit, & diſponit media, eaque imperat cæteris potentijs, quibus conſequi poteſt volitum, atque adeo deſperanti, vt ſupra diximus, perſuadendum eſt vt credat, non vt diligat, quia prima radix illius erroris non eſt in volũtate; quod enim voluntas non deſiderat efficaciter, hoc eſt ex eo, quia intellectus non oſtendit illud efficaciter tamquam deſiderandum, ſecundum deficit præſumentibus: licet enim illi deſiderent bonum infinitum, vt ſuum commodum, ipſum etiam apprehendunt, vt ſibi poſſibile, & futurum; non tamen inquirunt, nec volunt, nec imperant media; opera ſcilicet meritoria per quæ conſequantur; Non ergo deſiderant adipiſci per merita, ſed ſine meritis, atque ita non efficaciter; ſine gratia autem, & meritis ſperare non ſpes, ſed vana præſumptio eſt.

Velle conditionatũ ſufficit ad triſtitiam, Quarto obſeruandum eſt, quod velle conditionatum, ſicut diximus in prima parte huius tertiæ, diſtinct. 15 ſufficit ad triſtitiam ſi non eueniat volitum conditionatum; ſicut diximus de Chriſto Domino, qui cõditionaliter volebat viuere; nempe, ſi Deo fuiſſet placitum, & quia volitum non ponebatur in eſſe triſtabatur. Triſtitia enim eſt ex his rebus, quæ nobis nolentibus accidunt. In propoſito deſperans conditionaliter vult beatitudinem; id eſt, vellet eam ſi poſſet illam attingere: at quia intellectus errans oſtendit ſibi illam, vt impoſſibilem conſequi, triſtatur. Exemplum huius tactum eſt in prima Parte loco citato, de proijciente merces in mare timore tempeſtatis, & ſubmerſionis. Niſi enim abſolute vellet proijcere; non proijceret, cum non cogatur, & tamen quia eſt ibi velle conditionatum ad non proijciendum: quia vellet non proijcere, ſi poſſet, ideo proijciendo triſtatur. Illa enim conditio, propter quam vult proijcere eſt ſimpliciter non volita. Ita in propoſito deſperans deſiderat beatitudinem, & vellet ipſam ſi eſſet ſibi poſſibilis, ſed ab intellectu eius oſtenditur ſibi impoſſibilis; hęc conditio, ſub qua vult (quia vult ſi poſſet eam conſequi) eſt volita atq; adeo triſtatur de oppoſito illius conditionis volitæ, vellet enim ſibi eſſe poſſibile beatitudinem conſequi, atque ita conditio illa eſt ſibi volita, ac proinde triſtatur, quod non ſit ſibi poſſibile illam conſequi, quod eſt oppoſitum conditionis volitæ; atque etiam triſtatur de illo, quod ſequitur ad illam ſcilicet, de amiſſione beatitudinis. Ex his patet quod non quodcumque deſiderium boni infiniti eſt actus ſpei, ſed deſiderium efficax, quo credimus nos bonum infinitum aſſecuturos.

Deſideriũ efficax ſequitur ſyllogiſmum practicũ. Quinto obſeruandum eſt, quod deſiderium efficax quod eſt actus ſpei, id eſt, quod ſequitur ad diſcurſum ſyllogiſmi practici, hoc eſt quando intellectus ex ſyllogiſmo perfecte practico concludit poſſe conſequi rem ſperatam; ſicut habens fidem de promiſſione Dei, quod donet ſe ipſum liberaliter ex meritis præcedentibus ſtatim poteſt concludere, quod ſi faciat bona opera Deo accepta, & beatitudinem deſideret, quod illam finaliter habebit.

Sed deſperans de beatitudine, non deſiderat illam efficaciter; quia ex ſyllogiſmo practico non concludit ſe illam conſequi poſſe, atque adeo eam efficaciter non deſiderat, ſed eam tenuiter, & dumtaxat conditionaliter optat. Sicut contingit in infirmo, qui de ſanitate deſperat. Et hoc eſt quod vult dicere Scotus cum inquit. Deſperans deſiderat deſiderio conditionato, & voluntate complacentiæ: quia vellet ſi poſſet; non autem deſideret abſolute; quia ad abſolute deſiderare præſupponitur conceptio intellectus oſtendens ſibi deſideratum, ſicut poſſibile deſideranti, id eſt, De-

ſpe-

Digitized by Google

ſperans non deſiderat voluntate efficaci beatitudinem. Nam deſiderium efficax includit apprehenſionem obiecti, vt poſſibilis haberi, & acceptationem mediorum ipſa volendo, & imperando, per quæ poteſt ſperatum acquiri, vt diximus ſupra notabili tertio. primum vt diximus deficit deſperanti; & ideo licet vellet beatitudinem habere, & deſideret poſſidere Deum beatifice voluntate complacentiæ, quia tamen non apprehendit, vt ſibi poſſibilem, non deſiderat efficaciter; quidquid autem oſtenditur voluntati tanquam impoſſibile, vel voluntas omnino non vult illud, vel ſi vult, illud tenuiter vult.

Et hoc modo fortè verum eſt (inquit Doct.) quod dictum eſt in ſecundo diſtinctio. 6. quæſtio. prima, quod Angelus voluit æqualitatem Dei, non abſolute, & voluntate efficaci; quod ſcilicet hoc appeteret tanquam poſſibile, ſed velle conditionato, & complacentiæ, in quo ſufficienter eſt ratio meriti, & etiam peccati. atque etiam (ſicut nunc tactum eſt) ratio gaudij, & triſtitiæ de oppoſito.

Igitur actum ſpei præcedit aliqua fides infuſa, vel acquiſita; pro quanto deſiderare abſolute, & efficaciter non poteſt eſſe niſi eius, quod oſtenditur poſſibile; & illa poſſibilitas boni conſequendi oſtenditur à fide applicata ad bonum deſiderabile, quod ſi oſtendatur tanquam impoſſibile, tunc eius non eſt deſiderium abſolutè; hoc eſt, illud efficaciter non deſiderat, ſed tantum conditionatum, & complacentiæ. quia ſcilicet deſideraret ſupple efficaciter, niſi eſſet talis apprehenſio, vel oſtenſio; deſiderat tamen conditionaliter, ſed tale deſiderare conditionatum non eſt ſperare.

Ad argumentum oppoſitæ ſententiæ dico ad primum, quod maior eſt vera, ſed diſtinguo minorem. omnis deſperans deſiderat beatitudinem; diſtinguo, vel deſiderio efficaci, & abſoluto; vel deſiderio complacentiæ & conditionato, primo modo nego minorem, ſecundo modo concedo, ſed ſic deſiderare non eſt actus ſpei.

Sed circa hanc reſponſionem Docto. ſunt duæ difficultates, prima circa hoc quod dicit, quod intellectus errans oſtendit deſperanti beatitudinem non eſſe ſibi poſſibilem: Nam Doct. in ſecundo diſtinct. 43. quæſtio. prima, dicit deſperationem eſſe grauiſſimum peccatum, tum quia opponitur præcepto primæ tabulæ; tum quia opponitur actui conuerſiuo nobiliori. Tum etiam quia committitur ex certa malitia, neque fit ex errore; ergo deſperans peccando non errat.

Secunda difficultas eſt, quia Doct. hic præſupponit dari peccatum deſperationis, ſed iuxta ſua principia odium Dei non eſt poſſibile; & ratio eſt: quia in ipſo Deo nulla eſt ratio mali, nec defectus boni, vt patet in ſecundo diſtinct. 43. quæſt. prima, & in quarto diſtinct. 49. quæſt. nona, & in quol. quæſt. 16. ergo & deſperatio de Deo non eſt poſſibilis; patet, quia ſicut, quando apprehendo Deum vt in ſe bonum non poſſum illum nolle, ita quando apprehendo illum, vt commodum mihi, cum in illo nullam rationem mali aut defectum boni inueniam, non poſſum ab illo deſperare, vel illum non deſiderare; quia idem eſt omnino obiectum charitatis, & ſpei.

Ad primum dico quod Doct. hic non vult dicere, quod deſperans ſemper erret ſaltem ſpeculatiue, ſed vult dicere, in caſu quo aliquis ex longa conſuetudine peccati deſperationis, vt Iudas, & Cayn feciſſet ſibi illum errorem, credens non eſſe poſſibile quod ſaluaretur, vocatur quidem error, ne dum ſpeculatiue, ſed etiam practice; quia ipſemet ex propria malitia, & certa, antecedenter facit ſibi illum errorem; vt ſi quis formaret hoc iudicium, poſſem ego ſaluari, ſi continentiam ſeruarem, mundi tribulationes, atque inimicorum perſecutiones patienter ferrem &c. ſed nolo abſtinere, nec ſuſtinere, imo volo luxurioſe viuere, de inimicis meis vindictam ſumere, fortè etiam ſaluabor, haberem quidem de mea ſalute ſpem aliquam, verum perſeuerando in illa mala vita paulatim acquirem deſperationis habitum quia ſic viuendo ſaluari non potero. atque adeo peccatum illud deſperationis eſſet ex errore, & ex certa malitia, quia ille error ex certa malitia oritur, & in ſimilibus caſibus intelligit Doctor deſperantem errare, ſed non ſimpliciter in omnibus. Vel dicatur, & melius, quod Doctor in 2. loquitur de deſperatione ſequente iudicium certũ, & rectum & non erroneum.

Ad ſecundam difficultatem concedo, quod eſt idem obiectum, & quod apprehenſum, vt mihi commodum non poſſum deſperare vt in ſe eſt; tamen vt eſt obiectum ſpei annectit ſibi aliquas conditiones, ſcilicet ſi obiectum cui, ſcilicet ſperanti non immediate, & primo, ſed ex meritis eſt aſſequendum, atque adeo tam propter difficultatem ſeruandi præcepta, quam efficiendi merita habet rationem per quam poſſum deſperare.

Ad ſecundum pro opinione dicit Doctor quod ſicut charitas in actu recto habet pro obiecto primo Deum in ſe; ita etiam in quocumque actu reflexo eſt quodammodo principium tendendi in Deum, vt in ſe; Nam duplex eſt actus voluntatis à charitate elicitus, ſcilicet rectus, & reflexus, actus rectus eſt circa primum obiectum charitatis in ſe; vt elicio actum diligendi Deum ex inclinatione charitatis iſte eſt actus rectus charitatis: actus reflexus eſt actus, qui reſpicit pro immediato obiecto actum illum, qui eſt circa Deum in ſe; vt voluntas elicit actum diligendi illam dilectionem, qua diligo Deum; hic actus eſt actus reflexus charitatis. Principium autem actus recti, ſcilicet charitas ipſa, eſt etiam principium actuum reflexorum tendentium in finem vltimum ſub eadem ratione; ſicut ergo ex charitate diligo Deum in ſe, & hoc actu recto, ita ex charitate diligo me diligere Deum in ſe, & hoc actu reflexo. Quotieſcumque igitur reflecto nunquam habeo obiectum, vt commodum mihi, ſed præciſe bonum infinitum, vt in ſe bonum. Charitas ergo primo inclinat ad dilectionem Dei in ſe, & propter ſe. Secundo inclinat vt perſona diligens Deum propter ſe diligat ſeipſam, non abſolutè ibi ſiſtendo, ſed vt ſeipſam diligat Deum propter ſe diligere, id eſt, vt diligat ſe diligere Deum propter ſe, ita quod non concupiſcit ſibi Deum vt bonum commodum, ſed concupiſcit ſibi dilectionem, qua diligit Deum in ſe.

Duplex eſt actus voluntatis à charitate elicitus.

Concedo ergo quod eodem habitu quo diligo, concupiſco bonum dilecto, ſed non concupiſco illi quodcunque bonum, ſed bonum commodi, quod principaliter terminatur ad illud bonum quod ex charitate diligo in ſe, hoc eſt, cuicunque amato ex charitate concupiſco amare Deum propter ſe, id eſt, quatenus eſt in ſe bonum, & non quatenus eſt bonum illi. Vnde obſer. eſt, quod concupiſcere bonum alicui contingit dupliciter primo ſecũdum affectionem commodi; ſecundo ſecundum affectionem iuſtitiæ; concupiſcere bonum ſecundum affectionem iuſtitiæ eſt concupiſcere illi bonum non ibi ſiſtendo, ſed vlterius referendo, vt concupiſco Franciſco infirmo ſanitatem, non ſiſtendo in hoc, quod dumtaxat ſit ſanus; ſed vt reddita ſibi ſanitate in Eccleſia Dei referat actiones; vt. ſ. ſanus diligat Deum, eique ſeruiat, & mandata ſeruet, &c. Concupiſcere autem bonum ſecundum affectionem commodi; eſt concupiſcere illi bonum ibi ſiſtendo; & iſte eſt actus ſpei, ſicut prior eſt actus charitatis. Quando ergo dicitur eodem habitu ego amo Petrum amore amicitię & amore concupiſcentiæ, ergo idem habitus ſufficit ad ſperandum, & diligendum: nego conſequentiam, & cum dicitur, quod ſi ex charitate amatur quodlibet diligibile in ſe, ex charitate concupiſcitur ſibi bonum, Dico quod non omne velle concupiſcentiæ eſt actus charitatis, ſed ille ſolùm, quo concupiſcitur alicui bonum non ibi ſiſtendo, ſed in Deum vltimate referendo.

Concupiſcere bonum alicui contingit dupliciter.

Quoad primum quæſitum, an ſcilicet actus ſpei ſit in præcepto. Pro ſolutione obſeruandum eſt, quod actus ſpei eſt neceſſarius duobus modis; ſcilicet neceſſitate medij, & neceſſitate præcepti. Neceſſarium neceſſitate medij appellant Theologi illud, quod ex

An actus ſpei ſit in præcepto.

Digitized by Google

lege ordinaria Dei ſic ad ſalutem neceſſarium eſt, vt quicumque etiam ob ignorantiam inuincibilem non fuerit illud aſſecutus, vel quacunque alia de cauſa, is nequeat etiam conſequi ſalutem. Neceſſarium vero neceſſitate præcepti tantum vocant illud, quod quidem neceſſario exequendum eſt, vbi facultas ſuppetit, & occaſio, non tamen ita, vt ob ignorantiam, vel ob defectum occaſionis prætermiſſum impediat ſalutis conſecutionem. Et ſunt quædam vtroque modo neceſſaria, vt pœnitentia poſt peccatum, votum Baptiſmi, actus fidei, & ſpei in adultis, alia vero altero modo tantum, vt prædeſtinatio, & auxilium Dei, quæ ſunt neceſſaria dumtaxat neceſſitate medij.

Salus eſt duplex. Secundo obſeruandum eſt, quod duplex eſt ſalus, ſcilicet prima, & ſecunda. Primam ſalutem appellant Theologi iuſtificationem, quo pacto ſalus accipitur ad Epheſ. 4. Gratia eſtis ſaluati per fidem &c. & ad Titum 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. Secundam vel vltimã ſalutem dicunt beatitudinem, quo pacto accipitur Marci vltimo. Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit; Actus autem ſpei neceſſarius eſt ad vtramque ſalutem; Neceſſitate inquam medij, & præcepti.

Quod autem ſit de ea præceptum, patet ex ſacris litteris. Nam primo Paralipom. decimo, inter aliquas iniquitates Saul recenſetur etiam, quod nec ſperauit in Domino propter quod interfecit eum. & Pſalm. quarto. Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ ſperate in Domino, vbi ſicut indicatur præceptum operandi iuſte, ita & ſperandi; & Pſalm. ſexageſimoprimo. Sperate in eo omnis congregatio populi. & Sapientiæ 2. Impijs vitio datur, quod neque ſperauerunt mercedem iuſtitiæ.

D. Aug. Præterea ſpe multa bona conſequuntur, vt ait D. Paulus Roman. 8. ſpe enim ſalui facti ſumus, & D. Auguſtinus tractatu 58. ſuper Ioann. ſuper illa verba, Hoc eſt præceptum meum, dicit multa præcepta eſſe fidei, & ſpei. Quia multa, inquit, nobis mandata ſunt de ſpe, Quis poteſt omnia colligere? Quis enumerando ſufficere? ergo actus ſpei eſt neceſſarius neceſſitate præcepti.

Præterea de omni actione neceſſaria ad vitam æternam eſt præceptum; Sed ſperare eſt actio neceſſaria ad vitam æternam, ergo de illa eſt præceptum. Maior eſt quaſi axioma receptiſſimum omnium Theologorum, omnes enim vnanimi conſenſu affirmant, quemcumque actum virtutis ad ſalutem hominis neceſſarium eſſe à Deo præceptum: quia nullus alius actus eſt homini ad ſalutem neceſſarius præter eos, qui ſunt præcepti; vt patet euidenti teſtimonio Chriſti Matth. decimonono. Nam adoleſcenti interroganti, Quid faciendo vitam æternam poſſidebo? reſpondit. Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata. Quo reſponſo declarauit ad ſalutem ſatis eſſe facere quę precepta ſunt, neque præterea eſſe neceſſarium aliquem alium actum non præceptum. Minor probatur. primo ex D. Paulo ad Roma. 8. Spe ſalui facti ſumus. & primo ad Corinth. nono. Propter nos ſcripti ſunt, quoniam debet in ſpe qui arat arare, & qui triturat in ſpe fructus percipiendi; & ad Hebræos nono, confugimus inquit ad propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam,

Concilium Triden. Secundo probatur ex Concilio Tridentino, *Seſſ. 6.* capitul. ſexto, vbi tanquam diſpoſitio neceſſaria ad iuſtificationem ponitur ſpes. & can. vigeſimoſexto dicitur, quod iuſti debent ſperare retributionem à Deo pro bonis operibus. Quo in loco licet ſancta Synodus non cum peccatoribus agat, ſed cum ſolis iuſtis neque tamen peccatores excluſit à præcepto ſpei. Non enim præceptum ſpei peculiariter datum eſt iuſtis; Quamuis enim iuſtorum ſpes multo verior, ſolidior, & auguſtior ſit, quam ſpes peccatorum, quæ niſi ad Deum conuertantur, tanquam glacies hibernalis tabeſcet; Attamen & peccatorum ſpes, ſpes eſt; & vere illi poſſunt ſperare beatitudinem, quandoquidem ſperare poſſunt gratiam, & qui ſperat gratiam ſperat ex conſequenti gloriam. atque adeo etiam ipſis peccatoribus eſt datum præceptum de actu ſpei. Cur enim tantum iuſtis credamus impoſitum eſſe preceptum deſperando beatitudinem, quod non habeant peccatores, cum ad fidem, baptiſmum, pœnitentiam, & alia nouæ legis præcepta, & iuſti, & peccatores communibus præceptis adſtricti ſint. præſertim cum neque diuinum, neque humanum ius dirigat peculiariter ad iuſtos.

Preceptũ ſpei eſt affirmatiuũ & negatiuum. Obſeruandum eſt tamen præceptum ſpei eſſe affirmatiuum includens negatiuum non deſperandi, quod præceptum (vt alia negatiua) pro omni tempore obligat. Nunquam enim deſperare fas eſt, affirmatiuum vero quod iubet ſperare in Domino, obligat ſemper, ſed non pro ſemper.

Et ſi quęras pro quo tempore obliget hoc preceptum? *Bannes.* Bannes. 2.2. quæſtio. 22. articul. primo, & alij quidam Thomiſtæ ſentiunt obligare ſub initium vſus rationis: quia ſcilicet tunc teneatur homo ſe in Deum conuertere ex ſententia S. Thomæ. ſed hanc opinionem credo falſam, atque adeo

Preceptũ ſpei quo tempore obligat. Dico primo, quod tempus in quo per ſe obligat præceptum ſpei, eſt quando aliquis infeſtatur grauiori aliqua tentatione deſperationis, quod præcipue euenire ſolet imminente morte, quia tunc, vel maxime neceſſarium eſt animum contrario motu ſpei confirmare.

Dico ſecundo probabiliter, quod tempus quo obligat præceptum ſpei eſt, quando quis primo, vel per ſe, vel ab alio monitus cogitat de vtilitate, & neceſſitate ſpei ad pie viuendum. Nam ſi tenetur quis ſemper pie viuere, certè tenetur quam primum poteſt facere, quod ad pie viuere neceſſarium eſt, atque adeo ſperare, nam ſine ſpe, non poteſt pietas conſiſtere.

Dico tertio, quod explicare ſingula momenta, & tempora, quibus teneantur habere actum ſpei, nulla ſcientia poteſt; ſed boni viri arbitrium debet iudicare hęc tempora. Hoc tamen ſolum ſciri poteſt, quod quando aliquis orat, & præparat ſe ad iuſtificationem, aut indiget aliqua ope diuina tenetur habere actum ſpei. Cęterum rectè mihi videtur notare Bãnes; Cum quis ſtudet ſe exercere in ſperando fere ſemper putare poſſe, ſe adimplere hoc præceptum, quantum ſatis eſt, ne in hac re peccet.

Quod ad ſecundum quæſitum. an ſcilicet actus ſpei poſſit eſſe meritorius? Et videtur quod non, quia actus ſpei non ordinatur in finem vltimum, ſed in ipſum ſperantem tanquam in finem, eſt enim amor commodi, quo amatur Deus amore concupiſcentiæ, propter amantem, quia vt bonum amantis. Præterea nullus actus eſt meritorius, niſi elicitus, vel imperatus à charitate; ergo ſi actus ſpei eſt meritorius erit elicitus, vel imperatus à charitate, conſequens eſt falſum, ergo & antecedens: conſequentia patet, & probatur minor, quia ſi actus ſpei eſſet elicitus à charitate, ſpes erit charitas, cuius oppoſitum probatum eſt ſupra, ſi eſt actus imperatus, ergo ſimul ſpes elicit, & charitas imperat illum, & vterque eſt actus voluntatis, ergo voluntas habebit ſimul duos actus circa idem obiectum, quod eſt inconueniens.

Charitas immediate inclinat in quemlibet actũ meritoriũ. Pro ſolutione huius difficultatis obſeruandum eſt, quod charitas immediatè inclinat in quemlibet actum meritorium, vel ſaltem, vt communiter dicitur, nullus actus alterius virtutis à charitate eſt meritorius, niſi pro quanto per actum charitatis refertur vltimate in Deum. Actum autem referri vltimate in Deum nihil eſt aliud, quam diligere Deum ſuper omnia, & ex illa dilectione actum alterius virtutis elicere, vel continuare: quia non inconuenit actum eſſe duarum virtutum, vnius elicitiue, & alterius imperatiue; Vnde actus temperantię vel alterius virtutis à charitate, non eſt meritorius niſi imperetur à charitate, hoc eſt, mediante actu charitatis.

Digitized by Google

Ex hoc ſequitur, quod ad meritum per actum cuiuſcumque virtutis alterius à charitate concurrunt duo actus, verbi gratia, in propoſito de ſpe, voluntas meritoriè deſiderans, habet duos actus, vnum ſperandi elicitum propriè a ſpe, & alium elicitum à charitate imperantem illum elicitum a ſpe. Nec eſt inconueniens in actibus ſubordinatis plures ſimul eſſe in eodem, imo neceſſe eſt ſcientem concluſionem (dum actu ſpeculatur) cognoſcere principium, & amantem ordinatè illud, quod eſt ad finem vtendo, ſimul frui fine; quod fieri poteſt vno vel duobus actibus, vt diximus in prima diſtinct. 1. & in hoc virtus, & eius actus dicuntur formari à charitate, virtus per charitatem aſſiſtentem, vt diximus ſupra de fide; Actus virtutis per charitatem imperantem; Tunc enim virtutis actus formatur charitate, quando imperatur ab actu charitatis.

Ex hoc patet quomodo actus ſpei poteſt eſſe meritorius; ſtat enim Petrum diligere Deum ſuper omnia; quia in ſe eſt bonus, complacendo in eius bonitate, volendo quod ſit omnipotens, ſummè iuſtus, & ita de alijs Dei perfectionibus, & proprietatibus in ſe. Iſte actus charitatis imperat, & partialiter cauſat actum ſpei, quo volo Deum mihi coniungi per actum beatificum ipſum videndo, & diligendo. Hæc doctrina eſt Doctor. ſub. in hac quæſtio. ſub littera L. §. ad quartum.

Ad primum in oppoſitum dico, quod actus ſpei poteſt eſſe meritorius, quando imperatur à charitate. Tunc enim licet ordinetur in commodum proprium ſperantis per ſpem tanquam in finem proprium, & immediatum, ordinatur tamen in Deum propter ſe dilectum, tanquam in finem principaliſſimum, & vltimum per actum elicitum charitatis, imperantem actum ſpei elici finaliter propter gloriam Dei. Vnde deſiderans Deum tanquam commodum ſuum, ibi ſiſtendo, & hoc commodum non vlterius in Dei gloriam referendo, non meretur, nec illud deſiderium elicitur ſecundum inclinationem charitatis, quia ab ea non imperatur: vt igitur actus ſpei ſit meritorius, deſiderandus eſt Deus, vt bonum noſtrum per eius fruitionem habendum, quatenus ipſa fruitione diligamus Deum ſuper omnia propter ſe ipſum, & eius gloriam.

Ad aliud concedo quod voluntas meritorie deſiderans, habet duos actus, vnum imperatum elicitum a ſpe, & alium imperantem illum, elicitum à charitate, nec eſt inconueniens in actibus ſubordinatis plures ineſſe vni; atque ita non eſt inconueniens, quod actui deſiderandi meritoriè inſit actus elicitus à charitate, quo imperatur actus ſperandi meritorius, imo forte eſt neceſſarium ſcientem concluſionem dum actu ſpeculatur ſcientificè intelligere ſimul principium, vt diximus ſupra.

ARTICVLVS X.

Vtrum ſpes ſit in voluntate, vt in ſubiecto.

SVBIECTVM propinquum ſpei, ſine controuerſia ponitur voluntas; Nam per ſpem tendimus in beatitudinem, quatenus ſummum bonum: id quod eſt obiectum voluntatis. Item quod vt intellectus indiget habitu ſupernaturali ad attingendum Deum, quatenus obiectum ſupernaturale eſt, ſcilicet vt Trinus, & vnus, ſic etiam voluntas, vt ex ſe extendat ad illum quatenus ſupernaturalibus auxilijs obtineri poteſt, vt finis vltimus, & hæc eſt communis, & concors ſententia omnium Theologorum. Sed controuerſia eſt, an ſpes ponatur in facultate concupiſcibili, vel iraſcibili, Multi enim antiquorum voluntatem concupiſcibilem appellabant quatenus reſpiciebat bonum non arduum, id eſt, non tranſcendens facultatem humanam, iraſcibilem vero potentiam dicebant, prout tendit in bonum non arduum, hoc eſt, in bonum facultatem humanam tranſcendens. & quia beatitudo tranſcendit totam facultatem humanam, hinc dicebant ſpem, quæ eſt reſpectu illius boni eſſe in voluntate prout eſt potentia iraſcibilis non concupiſcibilis.

Hanc ſententiam docuerunt Albertus Magnus hac diſtinct. artic. 3. D. Bonauentura art. 2. quæſt. 5. Richard. articulo quinto, quæſt. 3. Aureolus. diſtinct. 23. articulo tertio, in probatione 2. propoſitionis. Henricus, quol. 8. quæſtio. decimaquinta, & Baſſolus hac diſtinct. quæſt. 1. artic. 3.

Oppoſitam ſententiam docent Scotus Doct. ſub hac diſtinct. & q. ſub littera B. §. Alio modo dicitur. Maior eadem d. quæſtio. ſecunda §. dubitatur an ſpes. & Gabriel quæſtio. prima articulo tertio, dub. 1. Scotus tamen in hac quæſtione ſpecialiter impugnat Henricum de Gand.

Albertus Magnus. D. Bonau. Richard. Aureolus Henricus. Baſſolus. Scotus. Maior. Gabriel.

Vnde obſeruandum eſt, quòd Doct. in duobus diſcordat ab Hen. primo diſcordat in modo, ponendi vim iraſcibilem in voluntate. Non enim negat Scotus concupiſcibilem, & iraſcibilem in voluntate, vt videbimus diſtinct. 34. ſecundo diſcordat, quia Hen. ponit charitatem in concupiſcibili & ſpem in iraſcibili; Doctor vero ſub. ponit vtramque virtutem in concupiſcibili. Nam in vi concupiſcibili duplex eſt affectio, ſcilicet iuſtitiæ, & commodi; ſecundum affectionem commodi ponitur in concupiſcibili ſpes, ſecundum autem affectionem iuſtitiæ charitas, vt explicauimus ſupra.

Cæterum Hen. ponit concupiſcibilem, & iraſcibilem in voluntate quadruplici motus ratione; quarum prima ſumitur per comparationem ad obiecta, quæ ſic formari poteſt. Obiectum iraſcibilis eſt aliud ab obiecto concupiſcibilis, ergo in eadem voluntate iraſcibilis, & concupiſcibilis diſtinguuntur. conſequentia patet, quia ſicut potentiæ diſtinguuntur per obiecta; ita eiuſdem potentiæ facultates per obiecta diſtinguuntur, vt patet per Ariſtot. ſecundo de anima. antecedens probatur. Nam obiectum concupiſcibilis eſt bonum delectabile, ſiue bonum commodum concupitum in quantum commodum eſt obiectum concupiſcibilis; obiectum autem iraſcibilis eſt bonum arduum; bonum enim delectabile eſt bonum concupitum propter commodum; & bonum arduum eſt bonum appetitum, quo voluntas appetit ſuperare omnia ſibi contraria. ſecundo declarat idem antecedens, quia bonum eſt duplex, ſcilicet bonum vt nunc, & bonum ſimpliciter; bonum vt nunc eſt bonum; vt aliquando, verbi gratia, quod talis homo ſuſpendatur eſt bonum vt nunc; quia per eius mortem ſequitur pax, & quies Reipublic. quæ eo viuente erat perturbata, atque adeo hæc mors eſt bonum vt nunc, bonum ſimpliciter eſt, verbi gratia, Deus. Appetere autem bonum delectabile, vt commodum, non reſpicit ipſum delectabile velut bonum vt nunc nec ſimiliter alibi conditio, quæ eſt appetere bonum arduum vt nunc, quia appetere bonum vt nunc ſolis potentijs ſenſitiuis competit, quæ tantum appetunt bona præſentia. Ergo ex quo voluntas poteſt appetere bonum delectabile ſimpliciter, & ſimiliter bonum arduum, & non præciſè bonum vt nunc, & iſti actus, ſcilicet, ſic & ſic appetere, qui ſunt actus iraſcibilis, & concupiſcibilis competat voluntati, ſequitur, quod in voluntate ſint iſtæ duæ facultates.

Contra hanc rationem arguit Doctor ibi, contra illam opinionem arguo, & quærit ab Hen., quid intelligat per bonum arduum: quia aut intelligit bonum abſens tantum, & tunc iraſcibilis non erit in patria. patet, quia ſi obiectum iraſcibilis eſt tantum bonum æternum abſens, cum tale bonum non ſit ibi abſens, ſequitur quod in patria non erit iraſcibilis; atque adeo ſpei non ſuccedet tentio: quia oportet quod tentio eſſet in eadem potentia, & in eadem vi, in qua ponitur ſpes, quia ſuccedit ei; patet, quia cum viſio ſuccedat fidei, ideo fides & viſio ſunt præciſè in eadem vi: atque ita cum

Digitized by Google

tentio ſuccedat ſpei, & ſpes per ſe eſt in iraſcibili, tentio quæ propriè eſt in patria erit in iraſcibili, & tamen iraſcibilis non eſſet in patria, ſi ei pro obiecto aſſignetur bonum abſens.

Aut per bonum arduum intelligit bonum abſens excedens facultatem potentiæ, cui dicitur arduum, & tunc ſequitur quod in Deo non eſt facultas iraſcibilis, quia reſpectu eius nullum eſt obiectum excedens, igitur nec tentio eſſet in Deo, probatur conſequentia, quia tentio eſt ſimpliciter in eadem vi, in qua eſt ſpes, & per conſequens tentio eſt in iraſcibili, ſed iraſcibilis non eſt in Deo ſi eius obiectum eſt bonum abſens arduum, id eſt, excedens facultatem potentiæ, ergo neque tentio, quod eſt falſum, & abſurdum; non enim videtur neganda tentio in Deo reſpectu ſui ipſius: licet enim in Deo ſpes nequeat eſſe: quia notat imperfectionem, tamen in Deo poteſt eſſe vera tentio; quemadmodum in Deo non ponitur fides propter imperfectionem, in quo tamen ponitur perfectiſſima viſio, & argumentum hoc eſt ad hominem.

Aut tertio per bonum arduum intelligit bonum appetibile, ſiue amabile excedens omnia alia ſibi contraria, & tunc male ponitur bonum arduum obiectum ſpei diſtinctum ab obiecto charitatis: quia charitas inter omnes virtutes; maximè reſpicit Deum ſub ratione appetibilis; quia ſub ratione boni infiniti.

Præterea aut intelligitur appetibilitas iſta in obiecto aptitudinaliter, aut actualiter, quando dicit, quod obiectum iraſcibilis eſt bonum arduum appetibile. ſi aptitudinaliter; quia ſcilicet aptum natum ſit appeti, hoc maximè pertinet ad obiectum charitatis: quia reſpicit ipſum bonum ſub ratione infiniti in ſe; & tunc ſi bonum arduum, hoc eſt, ſuper omnia appetibile, ponitur obiectum iraſcibilis, ac proinde obiectum ſpei, cum tale obiectum ſit maximè obiectum charitatis, ſequitur quod obiectum ſpei non diſtinguitur ab obiecto charitatis, atque adeo nec iraſcibilis à concupiſcibili. Si verò actualiter; ita quod dicatur appetibile pro quanto voluntas ſic ipſum appreciatur, atque ita appreciari paſſiuè ponatur ratio obiecti iraſcibilis, tunc male ponitur, quia talis appreciatio actualis eſt tantum per actum potentiæ ſic appreciantis, cæterum obiectum potentiæ, & ratio formalis illius, eſt prius quocunque actu potentiæ; ſic autem appreciari eſt poſterius actu, cum ſic appreciari ſit per actum potentiæ, vel facultatis appreciantis.

Secunda ratio Henrici eſt talis; Iraſci eſt actus ſolius iraſcibilis: & conuenit iraſci non tantum ex paſſione, quæ eſt in appetitu ſenſitiuo, ſed etiam quæ eſt in voluntate: ergo in voluntate eſt facultas iraſcibilis; ſimiliter concupiſcere ſeu appetere eſt actus ſolius concupiſcibilis, ſed appetere non tantum conuenit ex paſſione, quæ eſt in appetitu ſenſitiuo, ſed etiam quæ eſt in voluntate, ergo in voluntate eſt facultas concupiſcibilis; ſed actus iraſcibilis, & concupiſcibilis diſtinguuntur, ergo iraſcibilis, & concupiſcibilis diſtinguuntur, diuerſæ enim operationes potentiæ facultates diſtinguunt. Quod autem iraſci ſpectet ad voluntatem patet ex Pſal. 4. Iraſcimini & nolite peccare.

Contra hanc rationem arguit Doctor, & argumentum eſt etiam contra primam rationem Hen. & probat Scotus quod eius ſecunda ratio deſtruat primam: Nam iraſci eſt actus adæquatus iraſcibilis, ſicut actus adæquatus intellectus eſt intelligere; ſed iraſci non poteſt reſpicere pro obiecto bonum arduum aliquo prædictorum modorum: quia iraſci eſt appetere vindictam ſiue punitionem, vt dicitur 2. Rhetor: hoc autem appetere reſpicit primo pro obiecto, vel punitionem, vel ipſum punibile, & neutrum eſt appetibile, igitur facultas iraſcibilis non reſpicit arduum pro obiecto.

Obiectũ potentiæ eſt terminatiuum actus adæquati potentiæ.

Pro intelligentia huius rationis obſeruandum eſt, quod obiectum potentiæ eſt terminatiuum actus adæquati potentiæ; patet inductiuè per omnia obiecta formalia, ſonus enim qui ponitur obiectum adæquatum potentię auditiuæ terminat actum audiendi in ſuo ſingulari, qui actus audiendi in ſe adęquatur potentiæ auditiuæ, ſed in propoſito actus adæquatus iraſcibilis eſt iraſci, quod non reſpicit bonum arduum, quod ſecundum Hen. eſt appetibile; ſed reſpicit punitionem, vel obiectum punibile. Punibile autem vt ſic, ſiue punitio, non eſt obiectum appetibile. Et hæc ratio deſtruit etiam ſecundam rationem Hen. quia ſi iraſci eſt actus iraſcibilis, ſicut de facto eſt, ſtatim ſequitur quod iraſcibilis non diſtinguitur à concupiſcibili per hoc, quod reſpicit pro obiecto bonum arduum: quia iraſci nullo modo reſpicit tale bonum.

Tertio principaliter arguit Hen. ex comparatione diuerſorum actuum ad inuicem; quia concupiſcibili volenti in contemplatione quieſcere, quandoque inſurgit voluntas ad impugnandum vitia impedientia contemplationem; nulla autem eadem vis habet actum impeditiuum ſui ipſius, & per conſequens concupiſcibilis, quæ quærit delectari, non inſurgit expugnando vitia: quia tunc impugnando impediretur à contemplatione, atque ita eadem vis haberet actum impeditiuum ſui actus principalis; erit igitur alia vis expugnans vitia.

Contra hanc rationem arguit Doct. & primo præmittit vnum, quod quando aliquid impedit per actum poſitiuum, impugnans ne impediat, impugnat per actum poſitiuum; ſed quando impedit tantum priuatiuè; tunc ſufficit impugnanti fugere illud; vitia autem, & peccata, cum non inſurgant ſimul cum contemplatione, impediunt tantum priuatiuè, & non per actum poſitiuum, atque adeo non oportet actum illum expugnare niſi tantum priuatiuè; ſcilicet ne talis actus inſit. Sed cuius eſt concupiſcere obiectum honeſtum, eius eſt fugere obiectum inhoneſtum, vt docet Scotus in quarto diſtinctio. 14. quæſtio. 2. vbi vult Doctor, quod ſi virtus inclinat ad actum rectum conſequendum, eadem inclinat ad oppoſitum fugiendum; multo fortius potentia, quæ appetit bonum delectabile, eadem declinat nociuum. Scotus.

Actus potentię dupliciter impediri poteſt.

Pro clariori intelligentia huius litteræ obſeruandum eſt, quod contingere poteſt actum alicuius potentiæ impediri dupliciter. priori modo poſitiuè, vt quando cum actu illius potentiæ eſt ſimul alius actus poſitiuus impediens eius actum. Exemplum. ſi aliquis hyemis tempore ſit in domo igni approximatus, oſtio, & feneſtris apertis exiſtentibus, ita vt ventus intret ad omnem partem, tunc iſte calefit ante per ignem, & ſimul frigeſit retro per uentum, qui poſitiuè frigefacit; & frigefactio eſt actus poſitiuus, quo impeditur alius actus, qui eſt calefactio. Similiter ſi aliquis vellet ſeruire ſimul Deo, & mundo, non poſſet ſimul, quia actus oppoſiti ſe mutuo impediunt. Poſteriori autem modo contingit actum alicuius potentiæ impediri priuatiuè, & fit quando per aliquod exiſtens priuatur potentia ſuo actu, qui alias illo non exiſtente natus eſſet potentiæ ineſſe. Exemplum, velle fornicari impedit actum iſtum, qui eſt velle iuſtè viuere, & impedit priuatiuè: quia ſtante iſto actu, ſcilicet velle fornicari, impeditur ne actus iſte, qui eſt velle iuſtè viuere inſit.

Secundo obſeruandum eſt, quòd ſecundum Scotum eiuſdem potentiæ eſt elicere actum circa aliquod obiectum, & impedire priuatiuè actum illum ne inſit, quia eius eſt proſequi, & fugere ſecundum eandem vim: nam proſequimur conuenientia, & fugimus diſconuenientia; voluntatis eſt velle iuſtè viuere, & iſtum actum priuatiuè impedire, ſcilicet volendo fornicari.

Tertio obſeruandum eſt, quod non eſt eiuſdem potentiæ elicere actu circa aliquod obiectum, & impedire poſitiuè illum actum ſaltem regulariter & vniuerſaliter: quã ſecundum diuerſitatẽ cauſarum poſſet eſſe verum; vt volo quod intellectus habeat actum adęquatum intelligendi triangulum non poteſt ſe impedire poſitiuè, ſed voluntas poteſt bene eum impedire, quia poteſt eum auertere ab iſto actu intelligendi. Si autem intellectus habeat actum remiſſum circa Euangelium, & alium magis intenſum circa Deum, poteſt ſe impedire poſitiuè.

Quarto arguit Hen. omnes illi actus, qui ſunt in appetitu

Digitized by Google

petitu ſenſitiuo pertinentes ad iraſcibilem, æque neceſſarij videntur in voluntate; ergo qua ratione ponitur iraſcibilis in appetitu ſenſitiuo, pari ratione & in voluntate. antecedens patet: quia ſecundum Phy. 3. de anima multoties intellectus non iubet timere, ita quod nec iraſcibilis, nec intelligibilis mouet, ſed paſſione quadam timoris cor mouetur, & ſenſitiua iraſcibilis nititur ſe ad fugam mouere, & è contra præcipiente intellectu, & ducente fugere aliquid, aut proſequi non mouetur, ſed ſecundum concupiſcentiam ſenſitiuam agit, vt patet in incontinente: quia non eſt ſcientiæ agere ſecundum ſcientiam, ſed appetitus intellectui. Vnde neque appetitus ſenſitiuus eſt Dominus huiuſmodi motus niſi velit conſentire appetitus intellectualis, poteſt tamen intellectus contraire & tenere appetitum ſenſitiuum. Abſtinentes enim, & concupiſcentes concupiſcentia ſenſitiua; non operantur ea, quorum habent appetitum; ſed per appetitum; intellectualem ſequuntur intellectum; Intellectus enim non mouet ſine appetitu, voluntas autem appetitus eſt. & accidit contrarietas in iſtis appetitibus propter aliam rationem boni appetibilis mouentis: quia vt dicit ibidem Philoſophus. Intellectus propter futurum retrahere iubet, concupiſcentia autem propter ipſum etiam propter quod vincit aliquando deliberationem, intellectualis tamen appetitus ſuperior eſt, & principaliter, & ſemper vincit appetitum inferiorem cum vult. Hactenus Henricus. Vnde concludit, quòd ea ratione, qua ponitur iraſcibilis in appetitu ſenſitiuo, eadem ponitur in voluntate. Vnde ſicut appetitus ſenſibilis vere dicitur iraſcibilis in appetendo impugnare malum ex impetu paſſionis; ſic appetitus intellectiuus verè dicitur iraſcibilis in appetendo impugnare malum ex iudicio rationis, vel ex determinatione liberę electionis. Et ſicut ſimiliter appetitus ſenſibilis verè dicitur concupiſcibilis in concupiſcendo delectari in bono ex impetu paſſionis, ſic appetitus intellectiuus proprie dicitur concupiſcibilis in concupiſcendo delectari in bono ex iudicio rationis, vel ex determinatione liberę electionis.

Et addit Hen. quod concupiſcibilis eſt principalis potentia, iraſcibilis autem eſt quædam vis eius, ſicut in ſenſitiua omnes paſſiones iraſcibilis oriuntur ex paſſionibus concupiſcibilis, & terminantur ad eas; nam iraſcuntur animalia cum diſturbantur à delectatione in concupiſcibili; & ceſſat eorum ira cum quieſcunt in ea, propter quod dicit Philoſophus in lib. de animalibus, quod propter tria in quibus ſolent delectari pugnant animalia, ſcilicet propter eſcam, propter coitum, & propter nidum. ſic in voluntate iraſcibilis, eſt propugnatrix concupiſcibilis.

Contra hanc rationem Hen. arguit Doct. deducendo ipſum ad contradictionem, quod eſt principaliter contra tertiam rationem Hen. Nam ponit Hen. quod concupiſcibilis non propugnat: quia illa pugna impediret contemplationem, & poſtea dicit, quod concupiſcibilis defenditur per iraſcibilem, ne in ſua delectatione turbetur, atque ita ponit duo oppoſita; nam ex vna parte ponit, quod iraſcibilis vt propugnans impedit concupiſcibilem, & ex altera parte dicit, quod non impedit, ſed quod ſaluat eam in delectatione.

Et ex iſto improbatur etiam quarta ratio, qua aſſignantur illi diuerſi actus in iraſcibili, poſſet etiam argui, quod aliqui iſtorum actuum non conueniant iraſcibili ſaltem in parte ſenſitiua. quia pars ſenſitiua non habet actum circa futurum, vt futurum eſt. Sicut Chriſtus Dominus cępit ex ſola imaginatione pauere, & tędere ex apprehenſione obiecti terribilis, quod imaginabatur futurum. Quod additur in prima ratione, quod concupiſcibilis appetit aliquid vt commodum ſibi, ſi intelligatur quod de ratione concupiſcibilis eſt appetere bonum, vt commodum ſibi; hoc eſt falſum: quia in Deo ponitur concupiſcibilis; a Deo enim non negatur perfectiſſima delectatio, quæ eſt paſſio concupiſcibilis; & tamen Deus non poteſt appetere aliquid, vt commodum ſibi.

Sed videtur quod Doct. hic ſibi contradicat: Nam ſupra dixit in Deo eſſe iraſcibilem, & per conſequens tentionem, vt modo dicit Deum non concupiſcere aliquid tanquam commodum ſibi, at concupiſcere in beatitudinem non contingit niſi per tentionem, ergo in Deo non eſt tentio.

Dico quod verum eſt. Nam ſicut Deus non habet propriè iraſcibilem, ſic etiam non habet propriè tentionem, prout ſcilicet ſuccedit ſpei, quæ aliquando ſitit poſſidendi, vt contingit cæteris beatis.

Quantum ergo ad hoc: an ſcilicet in voluntate ſit iraſcibilis, & concupiſcibilis, Poteſt inquit Doctor, dimitti dubium vſque ad diſtinct. 34. Et ſi debeant poni in voluntate poni, videntur propter diſtinctionem virtutum moralium perficientium voluntatem, & non propter diſtinctionem virtutum Theologicarum ſpei, & charitatis, ſicut ponit iſta opinio. Præterea ſicut vis præſupponit potentiam &c. Doct. hac ratione probat, quod vis iraſcibilis non ſit ponenda in voluntate, vt diſtincta potentia à voluntate, quia ſequeretur, quod actus eius, ſcilicet ſperare, eſſet nobilior actu charitatis, qui eſt actus voluntatis informatę à charitate, ſicut actus ſpei eſt actus iraſcibilis informatæ habitu ſpei; Quod autem ſequatur patet; quia ſicut vis illa præſupponit potentiam in qua eſt, ita præſupponit obiectum potentiæ, & per conſequens voluntas vt prior iraſcibili, habebit actum ſuum circa obiectum, & iraſcibilis neceſſario præſupponit actum voluntatis, atque ita actus iraſcibilis erit nobilior actu voluntatis; patet; quia in omnibus actibus conſequentibus, & addentibus ſibi inuicem poſterior eſt nobilior; nam actus voluntatis, qui neceſſario præexigit actum intellectus eſt nobilior actu intellectus.

Quantum ergo ad iſtum articulum, obſeruandum eſt quod aliquod obiectum voluntatis eſt, quod eſt primo concupiſcibile, vel fugibile, id eſt, quod habet in ſe rationē proſecutionis, vel fugæ, aliquod eſt etiam obiectum voluntatis, quod vel habet rationem proſecutionis nec fugę in ſe ipſo, ſed ſolū propter aliquod aliud, cuius eſt medium, vel cuius eſt imperatum. Exemplum, cibus in quantum eſt conueniens vitæ humanæ, & ad conſeruationem corporis humani neceſſarius habet rationem concupiſcibilis; & venenum ratione diſconuenientis vitę humanæ habet in ſe rationem fugibilis, atque adeo hoc ſolo præſentato, nempe hoc eſt conueniens, voluntas proſequitur, & hoc ſolo præſentato hoc eſt diſconueniens, volūtas refugit: exemplum ſecundi ſunt illa obiecta quæ in ſe non habent rationem fugibilis, niſi quatenus ſunt impedimenta aliorum, quæ habent rationem boni veri, vel apparentis; vt Petrus concupiſcit obiectum de ſe concupiſcibile, vt puta cibum, eſt aliquod impediens ne potiatur cibo deſiderato, illud obiectum non habet in ſe rationem fugibilis, ſed ſolum ex hoc, quod eſt impedimentum conſecutionis alicuius obiecti, quod habet rationem appetibilis: Reſpectu obiectorum per ſe appetibilium, vel fugibilium voluntas dicitur potentia concupiſcibilis: ſed propter actus quos habet circa obiecta ſecundo appetibilia, vel fugibilia dicitur iraſcibilis. Ex quo ſequitur quod non dicitur concupiſcibilis, ab actibus concupiſcendi, vel deſiderandi ſolum; Nec ſimiliter dicitur iraſcibilis, ab actu ſecūdo refugiendi; ſed dicitur cōcupiſcibilis, ab actu proſequendi, & fugiendi immediatè, & ſimiliter iraſcibilis ab actu proſequendi, & fugiendi mediatè: Exemplum, Petrus per vim concupiſcibilem appetit immediatè conducentia ad ſuam ſalutem; & per eandem vim concupiſcibilem fugit ea, quę immediatè ſunt nociua ſuę ſaluti, vel ſanitati; ſed per vim iraſcibilem fugit ea, quæ ſunt immediatè impedientia conſecutionem eorum, quæ ſunt immediatè appetibilia; & per eandem vim ſperat & deſiderat illorum amotionem; quo fit quod deſideriū quo deſidero cibum eſt in concupiſcibili; & deſiderium quo deſidero amotionem obiecti impedientis à proſecutione obiecti appetibilis eſt in iraſcibili, atque ita vtraque iſtarum facultatum habet actus perſecutionis, & fugæ.

Resolutio articuli.

Hoc ſuppoſito non eſt difficultas vtrum ſpes ſit in concupiſcibili; vel in iraſcibili; Nam cum vtrumque illorum deſideriorum lato vocabulo ſit ſpes; prout ſcilicet ſpes ſe extendit ad omne deſiderium futurum, ſiue ſit beatitudo, vel aliud, aliqua ſpes eſt in iraſcibili, & aliqua in concupiſcibili; ſed ſi ſpes ſumatur proprie, & preſſe pro virtute Theologica, eſt dumtaxat in parte concupi-

ſcibili: Nam obiectum circa quod verſatur actus ſpei, eſt de ſe concupiſcibile, & immediatè, & non propter aliud, ergo actus qui verſatur circa tale obiectum eſt actus potentiæ concupiſcibilis; conſequentia patet. Ipſa enim potentia dicitur concupiſcibilis ab actibus, & præciſè ab illis, qui verſantur circa obiecta, quæ ſunt immediatè appetibilia, vel fugibilia. Igitur ſecundum Scotum ſi ſumatur ſpes propriiſſime pro virtute Theologica eſt immediatè in concupiſcibili: quia eſt de obiecto habente immediatè in ſe rationem concupiſcibilis, & non propter aliud.

Ad argumenta pro opinione Hen. reſpondens Doct. ſub litt. O §. Ad argumenta pro illa opinione &c. dicit, quod Hen. ponens charitatem in concupiſcibili, & ſpem in iraſcibili, fecit quædam argumenta ad probandum diſtinctionem iraſcibilis, & concupiſcibilis in voluntate; ſed fruſtra, cum tam ſpes, quam charitas ſint in concupiſcibili penes diuerſas affectiones, ſcilicet commodi, & iuſtitiæ. Et licet fortè illa diſtinctio iraſcibilis, & concupiſcibilis ponatur in voluntate, propter diſtinctionem virtutum moralium perficientium voluntatem, vt dicetur diſtinct. 34. Ad propoſitum tamen non eſt neceſſaria illa diſtinctio; ad hoc, ſcilicet quod illæ duæ virtutes, nempe ſpes, & charitas ſint in voluntate; imo ſpes eſt magis concupiſcibilis, accipiendo concupiſcibile per ſe pro deſiderare commodum concupiſcenti; abſolute enim ſunt ambæ illæ virtutes appetitiuè Theologicæ in concupiſcibili: quia iraſcibilis non eſt nata habere Deum pro immediato obiecto, nec habere poteſt actum ordinatum reſpectu Dei vt obiecti; Nam Deo iraſci non debemus in via, nec poſſumus in patria; Non enim licet deſiderare vindictam de Deo tanquam de offendente, cui oportet in omnibus ſubeſſe, & eius flagella, & diſciplinam non repellere, ne dicatur nobis illud Hieremiæ 2. Fruſtra percuſſi filios veſtros, diſciplinam non receperunt. Sed de hoc fuſius erit ſermo infra diſtinct. 34. de virtutibus moralibus.

ARTICVLVS XI.

Vtrum in Beatis, & in damnatis ſit ſpes.

SPem eſſe in viatoribus illis, qui modo habent fidem ſiue ſint in gratia Dei, ſiue illa careant, ſiue adhuc hanc vitam viuant, ſiue exiſtant in purgatorio extra controuerſiam eſt, & ratio eſt quia omnes eiuſmodi viatores poſſunt habere illud iudicium fidei, ſcilicet eſſe ſibi poſſibilem beatitudinem cum auxilio Dei, & aliis mediis, quod iudicium ſufficit etiam ad actum ſpei Theologicæ.

Spes fuit in patrib. exiſtentibus in limbo, & eſt modo in iis, qui ſunt in Purgatorio.

Ex quo ſequitur primo, quod ſpes fuit in Patribus in Limbo exiſtentibus, & eſt nunc in animabus Purgatorii. Patet ex Magiſtro in littera, & ratio eſt quia Patres, & exiſtentes in Purgatorio ſperant, ex Diuina gratia, & miſericordia, & ex meritis ſummum bonum abſens, ergo habent ſpē. Et ſi dicatur exiſtentes in Purgatorio ſciunt ſe confirmatos in gratia, & certi ſunt de ſua ſalute. ergo non habent ſpem, Nā ſpes eſt circa arduum. Reſpondetur, qd ſicut B. Virgo erat certa ſe confirmatā, eſſe in gratia, nec venialiter quidem poſſe peccare, & tamen habuit ſpem, ita qui ſunt modo in Purgatorio, & qui ante Chriſti reſurrectionem erant in limbo; vnde nego conſequentiam argumenti: & ad probationem dico, obiectum eſſe arduum ſecundum ſe, ſed vincitur difficultas per auxilia Dei, & promiſſa certiſſima, vnde hoc non tollit rationem ſpei, ſed potius facit ſpem robuſtam.

Spes eſt in Chriſtianis viatoribus.

Sequitur ſecundo ſpem manere in Chriſtianis viatoribus. Pro quo obſeruandum eſt, quod tripliciter intelligi poteſt manere ſpes Chriſtiana de qua loquimur; vno modo, vt maneat eadem ratione virtutis ſimpliciter, alio modo in ratione habitus eiuſdem obiecti; tertio modo ſecundum actum dumtaxat reſpectu eiuſdem obiecti.

Primo modo certū eſt ſecundum Scotum ſpem manere in omnibus Chriſtianis, ſiue iuſtis, ſiue peccatoribus, de iuſtis patet, & eſt omnium Theologorum communis ſententia; de peccatoribus autem, Thomiſtæ, qui tenent, quod ſpes non eſt ſimpliciter virtus ſine charitate, conſequenter dicunt in ipſis non manere ſpem in ratione virtutis. Cæterum cum ſpes proprie, & ſimpliciter per ſuam ſubſtantiam, & naturam ſit virtus, ſiue ſit cum charitate ſociata, ſiue ab illa diſiuncta, vt diximus ſupra, dicendum eſt in peccatoribus Catholicis manere ſpem, ne dum in ratione habitus, ſed etiam in ratione virtutis.

Secundo modo, ſcilicet in rōne habitus abſque controuerſia in peccatore Chriſtiano manet habitus fidei, non enim per quoduis peccatum amittitur. probatur: Si non amittitur fides, ergo neque ſpes. Probo conſequentiam fides docet peccatoribus ſperandam eſſe petendamque veniam à Deo Eccleſiaſt. 21. Fili peccaſti non adiicias iterum, ſed & de priſtinis deprecare, vt tibi remittantur, ergo Peccator poteſt ſperare, ergo habere habitum ſpei, ſiquidem ratio obiecti formalis non periit.

Tertio modo, quod peccator poſſit habere actum ſpei ſupernaturalem eſt ita certum, vt oppoſitum exiſtimem erroneum; Probatur ex Concilio Trident. *Seſſ. 6.* capit. ſexto vbi definitur, quod peccatores per fidem credunt, & per ſpem eriguntur ad petendam veniam, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque diligere incipiunt: ergo ſaltem de ſupernaturali actu ſpei neceſſe eſt fateri poſſibilem in peccatore. Item eadem Seſſ. can. 8. definitur metum gehennæ, per quem confugimus ad Dei miſericordiam, eſſe bonum, & à Spiritu Sancto, ſed non poteſt homo confugere ſine ſpe, ergo &c.

Spes non eſt in beatis neque damnatis, nec in hæreticis.

Sequitur tertio quod in Beatis, & damnatis, atque hæreticis non eſt ſpes ſupernaturalis. Probatur prima pars. Deficiente ratione formali ſpei, deficit & ſpes, ſed in beatis deficit ratio formalis ſpei, ergo & ſpes. probatur minor: quia ratio formalis eſt expectatio ſummi boni abſentis; ſed beati habent ſummum bonum præſens in ratione obiecti; ergo &c. Præterea ſpes eſt de non viſis, ſed Angeli ſemper vident faciem Patris, nec non ſancti beati; ergo in his ſpes non debet concedi.

Et ſi dicas Beati ſperant, & expectant corporum ſuorum reſurrectionem, vitam & felicitatem ſempiternam, id eſt, beatitudinis continuationem: nam quamuis certi ſint ſe futuros ſemper beatos, quia tamen hoc ſupernaturaliter fiet, atque adeo ardue, & difficulter videtur quod poſſint habere ſpem circa continuationem ſuæ beatitudinis, quemadmodum confirmat in gratia vt B. Virgo, & Apoſtoli tam; etſi peculiari reuelatione certi eſſent futurum, vt adipiſcerentur beatitudinem, tamen quia hoc ex auxilio ſupernaturali pendebat ſpem proculdubio habebant beatitudinis. Item nobis optant ſummam beatitudinem, quam ipſi potiuntur, ergo ſpem retinent.

Ad primum dico, quod etſi Săcti ſui corporis gloriam expectent, quæ erit in vltima reſurrectione, tamen expectatio iſta ad ſpei virtutem non pertinet, tum quia obiectum ſpei eſt gloria animæ, tum quia corporis gloria, reſpectu gloriæ animæ eſt quid minimum, atque adeo expectatio illa non eſt actus ſpei, ſed potius actus charitatis, vt tradit Sanctus Thomas 2. 2. q. 18. art. 2. ad 3. quo & ſua corpora, & nos ipſos amant.

D. Thom.

Ad ſecundum poſſet primum reſponderi ex D. Thom. vbi ſupra ad ſecundum, continuationem beatitudinis propterea non eſſe beato obiectum ſpei, quia beato quidem non eſt ſecundum ſe futura, eo quod beatitudo continuata menſuratur æternitate, quæ eſt tota ſimul; de ratione autem obiecti ſpei eſt, quod ſit futurum hoc ipſo, quod debet eſſe poſſibile ad conſequendum, &c. Itaque in hoc eſt diſparitas, quod beatitudo Apoſtolis, & B. Virgini, nō ſolum fuit ardua, ſed etiam futura, beatis autem continuata beatitudo, non eſt aliquid futurum.

Cæterum hæc reſponſio non caret difficultate: nam etſi beatitudo continuata non ſit reſpectu beati futura ſecundum aliquam ſui partem intrinſecam; quæ ſcilicet aliquando deſit beato, & poſtea acceſſura ſit, tamen cenſeri poteſt futura per extrinſecam denominationem, quatenus ſcilicet poteſt coexiſtere tempori futuro. Dici ergo poteſt continuationem beatitudinis, ideo non eſſe beatis obiectum ſpei, quia non eſt eis ardua, & difficilis; ac proinde diſparitatem eſſe inter beatos, & confirmatos in gratia,

tia,

Digitized by Google

tia, quod beatis perſeuerantia beatitudinis non modo eſt certa, ſed etiam facilis, non enim poſſunt ab illa deſciſcere, Deo ad oppoſitum actum nunquam concurrente, atque eos in perpetua fruitione conſeruante. Confirmatis autem in gratia, qui reuelationem de beatitudine habuerunt, etſi fuerit certa beatitudinis conſecutio; tamen fuit illis ſimul ardua, & difficilis: quoniam operibus illam adepturi erant naturæ difficilibus.

Ad tertium dico ſpem non poſſe elicere actum vllum, niſi moueatur à primario obiecto ſuo, quod eſt beatitudo propria ſperantis. Ideo enim in primis Deus alicui infundit ſpem, ſicut & alias virtutes Theologicas, vt ad vltimum finem ipſe perueniat.

Secunda pars probatur, quia ſpes gaudium cauſat; at Demones & damnati minimè ſunt in gaudio, ſed in dolore, & luctu, non igitur in ſpe. Inſuper ſpes non eſt de impoſſibili, at Demones & damnati cum ſint in malitia confirmati, certi ſunt quod nunquam euadent damnationem æternam: igitur ſpem non habent. Præterea ſpes eſt bonarum rerum, & ad ſe pertinentium, ſed diuina bona damnatis futura poſſibilia non ſunt, ergo in eis ſpes minimè ponenda eſt. Et confirmatur Prouer. 11. Mortuo homine impio nulla erit vltra ſpes. Et ſi dicas moriatur quis cum errore Origenis, quod damnati aliquando liberandi ſunt, ille habebit ſpem; quia error perſeuerabit in inferno, ergo &c. Dico quod in inferno amittet ignorantiam in malum ſuum. Si iterum dicas aliqui ex ijs, qui fuerint in inferno fuerunt reſuſcitati ab Apoſtolis, & illi poſtea ſaluari potuerunt. ergo aliqua ſpes poteſt eſſe in damnatis, quod forte reſuſcitabitur aliquis damnatus ab aliquo Sancto; & poſt merebitur vitam. Reſpondetur, quod de rariſſime contingentibus, & ex ſpeciali priuilegio non eſt ſpes, & ad illum miſerum ſtatum pertinet, vt damnati nō putent ſibi id poſſibile.

Tertia pars probatur. fides infuſa eſt principium omnium habituum ſupernaturalium, ſed fides infuſa non manet in hæreticis, ergo nec ſpes. Item propria ratio ſpei deeſt in hæreticis, eſt enim ſpes certa expectatio æternæ beatitudinis ſecundum regulam fidei, ſed hæretici non habent fidem infuſam, ergo &c. Et ſi dicas hæreticus non deſperat, ergo non amittit ſpem. Nego conſequentiam; quia duplíciter poteſt amitti, vel per actum contrarium, vel deſtructo fundamento; ſicut amittitur virtus moralis per deſtructionem prudentiæ in alia materia, & frigiditas per deſtructionem ſubſtantiæ; fides autem eſt fundamentum omnium aliarum virtutum, atque adeo deſtructa fide, nec ſpes, nec charitas remanent.

ARTICVLVS XII.

Vtrum ſi Deus alicui homini reuelaret ſuam damnationem teneretur adimplere præceptum ſpei.

HAnc quæſtionem diſputant Doct. Scholaſtici in 1. d. 47. Vbi tractant An voluntas humana debeat conformari diuinæ in volito, & Gabriel in Canone lectione 68: §. ad ſecundum Reſpondetur. & ſunt de hac re duæ ſententiæ oppoſitæ.

Gabriel.

Altiſiodorenſis.

Prima eſt Altiſiodorenſis p. 3. tract. 5. c. 6. q. 5. Paulo ante finem, Qui dicit duo, primum eſt, quod ſi Deus reuelaret alicui ſuam damnationem, etiamſi non reuelaret eā conditionaliter, ſed abſolutè, deberet intelligere talem dānationem in ſenſu conditionato, & comminatiuo; ita ſcilicet quod ſi perſeueret in peccatis damnabitur, & hoc colligitur ex ſcriptura Lucæ 2. & 3. Quando dixit Chriſtus. Niſi pœnitentiam egeritis omnes ſimul peribitis; & Ioan. 8. Niſi credideritis in peccato veſtro moriemini; in quibus locis explicatur manifeſtè conditio. In alijs autem locis, quibus non explicatur, & abſolutè ponitur reuelatio, etiam ſecundum omnes Doctores intelligitur conditionaliter, vt Iſaiæ 38. Quando iuſſu Dei Propheta dixit Ezechiæ morieris, & non viues; & tamen non erat tunc moriturus; & quando Ionas fuit miſſus à Deo ad Niniuitas, vt prędicaret adhuc 40. dies, & Niniue ſubuertetur, & tamen non fuit ſubuerſa Ciuitas: Quia iſtæ reuelationes erant intelligendæ in ſenſu conditionali, videlicet ſi pœnitentiam non agerent; & idem, inquit, dicendum eſt de reuelatione facta alicui in particulari de ſua damnatione, quod etiam ſi fiat abſolutè intelligenda eſt in ſenſu cōditionali, & comminatiuo.

Secundum dictum eius eſt, quod Deus de potentia abſoluta, non poteſt reuelare alicui ſuam damnationem abſolutè, ſed tantùm in ſenſu conditionali: patet quia alias eſſet perplexus in lege: nam ex vna parte non liceret ſibi ſperare contra reuelationem factam, & ex altera parte propter præceptum ſpei deberet ſperare; atque ita eſſet perplexus. eandem ſententiam ſequitur D. Bonauent. in 1. diſt. 48. dubitatione prima circa litteram Magiſtri. Gregorius autem de Arimino in 1. d. 48. q. vltima, dubitat an talis reuelatio à Deo fieri poſſit. *D. Bonau.* *Gregor. de Arimin.*

Secunda ſententia eſt Thomiſtarum 2. 2. q. 22. quæ eſt communior, & probabilior. Pro cuius explicatione obſeruandum eſt primo, quod reuelatio poteſt fieri à Deo dupliciter, vno modo interne cauſando ſe ſolo in intellectu viatoris aſſenſum iſtius. Ego damnabor: altero modo externe per aliquod ſignum ſenſibile. Reuelatio pōt fieri duobus modis.

Secundò obſeruandum eſt ex D. Bonauentura vbi ſupra, quod in damnatione ſunt tria, ſcilicet ſeparari à Deo æterno tempore, ſecundum eſt continua blaſphemia, & tertium eſt pœna æterna. In damnatione ſunt tria.

His obſeruatis dico primo, quod Deus poteſt de potentia abſoluta reuelare alicui cathegoricè eius finalem damnationem. Probatur Chriſtus de facto dixit Iudeis, in peccatis veſtris moriemini. Secundò probatur de poſſibili Deus poteſt omne illud, quod non includit contradictionem, ſed illud reuelare non includit contradictionē; ergo Deus poteſt illud reuelare. Maior patet, & Minor probatur. Deus poteſt ſe ſolo cauſare aſſenſum huius, Ego Petrus damnabor in intellectu Petri; quo facto Petrus non poteſt non aſſentire huic; Ego damnabor, quod hoc poſſet ſe ſolo patet; quia hoc poteſt cum intellectu Petri; & poteſt ſupplere cauſalitatem, quā habet intellectus Petri in productione effectiua illius aſſenſus, in intellectu Petri pure paſſiue ſe habente. igitur, &c. Præterea Deus ſe ſolo aſſenſum propheticum cauſat in intellectu prophetæ. Sicut cum Nathan primo deceptus humano iudicio, dicebat templum ędificari à Dauide, poſtea illuminationem veram accepit à Deo ipſum ædificandum à Salomone.

Dico ſecundò. Stante hoc iudicio cathegorico in intellectu viatoris, Ego damnabor. Intellectus non poteſt aſſentire huic, Ego habebo beatitudinem, vel beatitudo eſt mihi poſſibilis de lege. Probatur; nam bene ſequitur. Ego damnabor, & ex conſequenti, ergo non habebo beatitudinem. Petrus primo aſſenuit antecedenti, & ſcit conſequentias eſſe bonas, ergo aſſentit vltimo conſequenti. Inſuper vno contradictoriorum producto in paſſo creatura non poteſt aliud contrarium producere illo ſtante, & conſeruato à cauſa fortiore, ergo iudicio illo ſtante, Ego damnabor, & conſeruato à Deo, iudicium habens non poteſt producere contrarium illi.

Dico tertiò, quod caſu ſtante Petrus non poteſt habere actum ſpei; probatur. Non poteſt habere velle efficax reſpectu beatitudinis, ſed deſiderium efficax habendæ beatitudinis requiritur ad actum ſpei. ergo &c. Ex quo ſequitur quod illi cui facta eſt hæc abſoluta reuelatio non tenetur ſperare, quia nemo tenetur ad impoſſibile; atque adeo non eſſet perplexus in lege; patet, quia ſpes eſt de bono ſibi poſſibili ex gratia Dei; ſed beatitudo, facta reuelatione cathegorica, ſiue abſoluta de damnatione, non eſt poſſibilis ſibi, ergo non tenetur eam ſperare.

Dico quartò, quod ſtante caſu. Non eſt neceſſe Petrū habere actum deſperationis; atque adeo non neceſſitatur ad non ſperandum beatitudinem. Probatur. Deſperatio eſt nolle habere beatitudinem ex meritis, & gratia, ſed illud nolle eſt actus liber voluntatis, quem non eſt neceſſe elicere ſtante iudicio incompaſſibili actui ſpei.

Dico quintò, quod in caſu reuelationis interioris factæ Petro de ſua damnatione Petrus debet rogare Deum, & nihil omittere de præceptis Dei. probatur: per illam reuelationem non eſt deobligatus à præceptis Dei, vt Deum

laudet,

Digitized by Google

laudet, atque ita de alijs præceptis affirmatiuis præcepto ſpei excepto, ergo debet ſtudioſius, quam alter circa præcepta Dei vigilare, neque debet negatiſuis contraire; Non enim ſequitur, aſſentit huic; ego dānabor. ergo eſt deobligatus ab omnibus præceptis, ſtat enim oppoſitum conſequentis cum antecedente, & ſi non eſt deobligatus ab omnibus, à nullis eſt deobligatus compaſſibilibus illi iudicio.

Præterea ſi Deus reuelaret Ioanni, quod eſt de numero electorum adhuc Ioannes tenetur facere opera à Deo præcepta, & ſtudere ne cadat; quia ſtat libertas & potentia ad oppoſitum, igitur ſimiliter in propoſito noſtro. Deinde quilibet ſapiens ſcit, quod Deus certitudinaliter nouit de quolibet, an ſit præſcitus, vel prædeſtinatus, & tamen ex hac ſcientia Viator non debet deſperare, nec præſumere; ſed ſtudioſè implere legem Dei, ergo eodem modo ſi Viator alteram partem veram nouerit non debet minus laborare vt legem Dei impleat. Præterea Eccleſia ſcit aliquos eſſe reprobos, imo multos, juxta illud multi ſunt vocati, pauci vero electi, & tamen Eccleſia docet orare pro omnibus indiſtinctè, tam pietatis cultoribus, quam exteris, quamdiu ſunt in hac mortali vita.

Et ſi dicas. Petrus firmiter aſſētit huic, Ego damnabor, ergo incaſſum orat pro ſua ſalute, & ſeruat præcepta Dei; Nullus enim facit rationabiliter petitionem, quam credit firmiter eſſe vanam, & fruſtratoriam, & defecturam ab intento, vt patet in propoſito ex D. Auguſtino 21. de Ciuit. c. 24. Si Eccleſia ſciret certitudinaliter qui ſunt reprobi, & damnandi, non plus pro illis oraret, quam pro Diabolo. Ad hoc nego conſequētiam, patet de oratione Chriſti, qui orauit ad Patrem. Patet ſi poſſibile eſt &c., Petrus autem ſcit orationem eſſe Deo acceptabilem, & exercitationem ſanctam in via, & præceptam in generali omnibus viatoribus ratione vtentibus; & ſcire debet nullum eſſe meritum non bene remuneratum à Deo. Deus ſcit qui ſunt reprobi, & tamen non iudicat orationes electorum fore pro eis vanas. Ad Auguſtinum dico, quod ipſe intelligit ſi eſſent irreuocabiliter, & ineuitabiliter mali, ſicut Diabolus, & cum impoſſibilitate ad pęnitentiam, & hoc eſt verum, ſed illud in via non contingit.

D. Aug.

Dico ſextò, quod in caſu, quod Deus reuelaret mihi dānationem meam, quod non teneor hoc velle niſi reuelaret mihi, quod vellet, hoc me velle. probatur: quia ſolum tenemur velle qualiter Deus vult nos velle, & nolle, ꝙ Deus vult nos nolle; hoc eſt tenemur nos conformare voluntati diuinæ præceptiue, & prohibitiue. Vnde licet Petrus aſſentiat huic, ego damnabor non tamen eſt præceptum, quod illud velit: Quod ſi ei illud præciperetur, tūc deberet velle, & ſe conformare voluntati diuinæ. Et ſi dicas ad damnationem ſequitur ſeparatio perpetuo à Deo, odium Dei, perpetua blaſphemia; ſed non poteſt velle talia, ergo non poteſt velle damnari. Reſpondet D. Bonauentura, quod in damnatione ſunt tria, vt diximus in ſecundo notabili, & in iſto caſu creatura tenetur velle damnationem, quantum ad tertium, ſed non quantum ad duo prima; dicis. duo prima ſequuntur neceſſario damnationem, ergo &c. Dico quod licet talia ſequantur ad damnationem ſecundum legem, tamen aliquis poteſt velle antecedens nolendo conſequens.

D. Bonau.

Gregor. de Arimin. Gregorius tamen de Arimino loco ſupra relato, vult quod ille cui fieret iſta reuelatio tenetur velle ſuam damnationem, & quod hoc procederet ex maxima dilectione Dei, & vltra dicit quod talis non deberet orare pro ſalute ſua, ne videatur quærere media ad oppoſitum illius, quod Deus vult. Gregorium ſequitur Gabriel loco citato.

Gabriel.

Et quidam dicunt, quod ſtante reuelatione ſecluſo cōtemptu miſericordiæ diuinæ & beatitudinis, non peccabit deſperando, id eſt, nolendo ſibi futuram beatitudinē: probant, quia huiuſmodi deſperatio non imputabitur illi ad culpam; actus enim voluntatis conformis intellectus recto non eſt malus, ſed iſte ſibi non volens beatitudinem habet actum voluntatis conformem recto intellectui intelligenti reuelationem diuinam, ergo &c. & confirmatur; quia ſi Petro facta fuiſſet abſoluta reuelatio de damnatione alterius, poſſet ſine peccato non ſperare illi beatitudinem, vt etiam beati deſperant de ſalute præſcitorum. ergo &c.

Sed ſaluo ſemper meliori iudicio, ſolutio prior, quæ eſt Ocham in 1. d. 48. Alphonſi Toletani, & Maioris eadem diſt. & Gabrielis loco ſupra citato. eſt melior, & ſecurior.

Ocham. Alphonſ. Tolet. Maior.

Dico poſtremo, ſi ſit reuelatio exterior talis, & ſimiliū; Petrus damnabitur; Petrus non debet credere, quod ſit reuelatio cathegorica, id eſt, abſoluta; ſed ſolum comminatoria, vel ad cautionem. Patet. Deus non ſolet homini reuelare cathegorice, & fixe illa, quæ poſſunt eſſe materia acediæ, & deſperationis. Quod probatur argumento. D. Anſelmi de caſu Diaboli, c. 21. quo probat primum Angelum non potuiſſe caſum ſuum futurum præſcire; de quo vide Magiſtrum in 2. d. 4. c. 1. Et patet etiam: quia cum Chriſtus dixit Petro. Antequam Gallus cantet ter me negabis. Matth. 26. Petrus putabat adhuc poſſe ſe ab illo cauere inquiens, Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego non ſcandalizabor. Et confirmatur. Quia ſi teneatur Petrus cathegorice, & fixe aſſentire illi propoſitioni de futuro, ſecundum quod verba prætendūt, hoc eſſet propter verba Dei prolata, vel aliquod aliud ſignum exterius; Sed hoc non patet de Iona, qui debebat reuelare Niniuitis, quod 40. eſſent dies, & Niniue ſubuerteretur, & Ionas dubitauit, in quo ſenſum hoc debuit verificari, patet Ionæ 4. ſimiliter neſciuit Iſaias, an Ezechias eſſet ſanitatem per orationem impetraturus.

D. Anſel.

Magiſter ſentent.

Obſerua tamen, quod licèt communiter dicant Doctores, quod talis homo, cui facta eſt huiuſmodi reuelatio nō habeat habitum ſpei; ſed quod eſt ſicut damnatus in inferno; probabilius tamē eſt, quod habeat habitum ſpei; quia tenetur ſperare alijs beatitudinem, & obſeruare mandata, & non peccare, & petere auxilium Dei ad illa obſeruāda, & ad perſeuerandum, & non eſt ſimile de damnato: quia damnato ſecundum ſtatum ſuum repugnat habitus ſpei, quia eſt in termino, Viatori autem non repugnat. & hæc de ſpe iuxta Doct. ſub dicta ſufficiant.

DISTINCTIO XXVII.

DE CHARITATE.

CVM autem Chriſtus fidem & ſpem non habuerit &c. Hæc eſt 27. diſtin. huius tertij, in qua Magiſter poſtquā in ſuperioribus determinauit de fide, & ſpe, tractatum incipit de charitate; qui in ſex partes ſecatur. In prima determinat de charitate ſecundum ſe, & eius præcepto, & hoc in d. 27. Secundo de charitatis obiecto, in d. 28. Tertio de charitatis ordine in d. 29. Quarto de amicorum & inimicorum adinuicē charitatis comparatione in d. 30. Quinto de charitatis creatæ permanentia in d. 31. Sexto de charitatis increatæ ſufficientia in d. 32.

Prima Pars dimiditur in tres, in prima agit de charitatis quidditate, in ſecunda eius vnitatem inquirit; & in tertia oſtendit modum diligendi, & eius congruitatem. ſūmatur tamen breuiter litera Magiſtri decem concluſionibus.

Prima Concluſio. Chriſtus in quantum homo tantam dilectionem habet, qua maior eſſe non valet. quod ex hoc probat: quia ex nimia charitate animam ſuam poſuit pro amicis, & inimicis. In quo facto ad diligendum nos inſtruxit; & exemplum dedit. 1. Concl.

Secunda Concluſio. Charitas eſt dilectio, qua diligitur Deus propter ſe, & proximus propter 2. Concl.

Deum,

Deum, vel in Deo, & continet duo mandata, quorum primum eſt diligere Deum, quod eſt maximum in lege mandatum: & alterum illi ſimile eſt diligere proximum. Primum eſt diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente & ex tota anima, quod habetur Deut. 6. Secundum eſt. Diliges proximum tuum ſicut te ipſum; quod habetur Matth. 22.

3.Concl. *Tertia Concluſio. Tantum eſt vna dilectio, qua Deus, & proximus diliguntur. hac concluſio* D. Aug. *probatur authoritate D. Auguſtin lib 8. de Trin. cap. 8 dicentis. Ioannes ait, Non poteſt Deum diligere quem non videt, qui fratrem quem videt non diligit; & parum infra. Ex vna enim eademque charitate Deum proximumq; diligimus, ſed Deus propter ſe ipſum, nos vero & proximum propter Deum.*

4.Concl. *Quarta Concluſio. Quamuis vna dilectio ſit, qua diligimus Deum, & proximum, geminatur tamen propter duo dilecta ſcilicet Deum, & proximum; propter quod etiam ſunt duo dilectionis* D. Aug. *mandata: & probatur concluſio ex D. Auguſt in ſer de Aſcenſione Domini dicente, Arbitror ideo Spiritum ſanctum datum ſemel in terra, & iterum de Cœlo, vt commendarentur nobis duo præcepta charitatis ſcilicet Dei, & proximi. Vna eſt charitas & duo præcepta, vnus Spiritus, & duo data: quia alia charitas non diligit proximum, niſi illa quæ diligit Deum.*

5.Concl. *Quinta Concluſio. Regula dilectionis diuinitus conſtituta eſt, vt Deum propter ſe ex toto corde, & proximum diligas ſicut te ipſum, id eſt, ad id, & propter quid te ipſum diligere debes. In bono enim & propter Deum te ipſum diligere debes; in bono ergo diligendus eſt proximus, & propter Deum. Huius etiam dilectionis modum Veritas inſinuat Ioan. 13. dicens. Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos, id eſt, ad quod dilexi vos, hoc eſt, vt filij ſitis, & vitam habeatis.*

6.Concl. *Sexta Concluſio. Modus dilectionis Dei eſt, eum diligere ex toto corde. id eſt, ex toto intellectu; ex tota anima, id eſt ex tota voluntate; ex tota mente, id eſt, memoria, vt omnes cogitationes, & omnem vitam & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea quæ confers, eſt etiam modus diligendi Deum, diligere Deum propter ſe.*

7.Concl. *Septima Concluſio. Præceptum dilectionis Dei non impletur penitus ab homine in hac vita mortali, ſed ex parte non ex toto: quia ex parte diligimus ſicut ex parte cognoſcimus. in futuro autem* D. Aug. *implebitur ex toto. Probatur ex D. Auguſt. lib. de perfectione iuſtitiæ dicente. Cum adhuc eſt aliquid carnalis concupiſcentiæ, non omnimodo ex tota anima diligitur Deus; Caro autem non dicitur concupiſcere, niſi quia anima carnaliter concupiſcit. Cum autem venerit quod perfectum eſt, vt deſtruatur quod ex parte eſt, id eſt, vt iam non ex parte ſit, ſed ex toto; charitas non auferetur, ſed augebitur, & implebitur, in qua plenitudine illud præceptum charitatis implebitur. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Tūc erit iuſtus ſine peccato; quia nulla erit lex repugnans menti, tunc prorſus toto corde, tota anima, tota mente diliges Deum, quod eſt ſummum præceptum.*

Octaua Concluſio. Et ſi præceptum de dilectione Dei non valeat ex toto hic in via adimpleri, iure tamen de dilectione Dei mandatum eſt: quia ſicut nullus ſciret recte currere, niſi ſciret quò eſſet currendum, ita nec Deum diligere ſciremus, niſi dilectio per præceptum aliquod oſtenderetur. 8.Concl.

Nona Concluſio. Licet duo ſint charitatis præcepta pro vtroque tamen ſæpe vnum ponitur, nec immerito, quia nec Deus ſine proximo, nec proximus ſine Deo diligi poteſt. Vnde Apoſtol. ad Roma. 13. & ad Galat. 5. omne mandatum legis dicit inſtaurari. id eſt, contineri, & impleri in hoc verbo Diliges proximum tuum ſicut te ipſum; & Chriſtus dilectionem proximi ſpecialius commemorat dicens Ioan. 13. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos, vbi illud maius mādatum dilectionis Dei videtur prætermiſſum. Sed bene intelligentibus vtrumque inuenitur in ſingulis. quia qui diligit Deum non poteſt eum contemnere, quem Deus præcipit diligi, & qui diligit proximum, quid in eo diligit niſi Deum? 9.Concl.

Decima Concluſio. Non omnia quibus vtendum eſt, diligenda ſunt ſed ea ſola, quæ vel nobiſcum ſocietate quadam referuntur in Deum, ſicut eſt homo, & Angelus, vel ad nos relata beneficio Dei per nos indigent, vt corpus. quod ita præcipiendum eſt diligi, vt ei ordinate, prudenterq́; conſulatur. Hæc Magiſter in hac diſtin. circa quam Scotus mouet vnicam quæſtionem, in qua multa docet, quæ particulari diſputatione indigent. quæſtio vero Scoti eſt talis. 10.Concl.

QVAE-

QVAESTIO VNICA.

Vtrum ſit aliqua virtus Theologica inclinans ad diligendum Deum ſuper omnia.

PRo huius tituli explicatione, obſer. eſt primo, quod charitas dicta eſt a Charis, quod eſt gratia, eadem quippe qualitas in nobis ſunt qualitas & gratia; vt
Charitas è duplex. docet Scotus in 2.d.27. Eſt autem charitas duplex, ſcilicet, increata, & creata, quæ eſt etiam duplex. ſ. infuſa, & acquiſita. Increata charitas prima eſt omnibus modis, & eſt ipſe Deus iuxta illud. Deus charitas eſt. Vnde quidquid eſt charitas, vel dilectio increata in diuinis, dicitur ipſe Deus,
Charitas increata ſumitur tribus modis. & capitur tribus modis, vno modo eſſentialiter, & eſt quoddam commune tribus perſonis, eſtque illa dilectio, qua quælibet perſona in diuinis diligit ſe, & alias perſonas.

Alio modo notionaliter, & eſt ipſa ſpiratio actiua, qua pater, & filius concorditer ſpirant Spiritum Sanctum. Tertiò modo capitur perſonaliter, quæ producitur per voluntatem. Vnde charitas dicitur Pater, quia ſolus ipſe habet amorem gratuitum, & quia tribuit & non recipit ab alio ſecundum Richar. quandoq; etiam appropriatur filio, quia charitate incarnatus eſt. Tertiò appropriatur Spiritui Sancto: quia in diuinis Spiritus Sanctus eſt procedens per modum voluntatis.

Charitas infuſa qd ſit. Charitas creata infuſa dicitur illa, quæ ab increata charitate diuinis influxibus ſolum in voluntates, aut angelicas, aut noſtras mittitur, hoc eſt, à Deo infunditur, & communiter tria nomina habet; nam dicitur charitas infuſa, quaſi intus fuſa, quatenus à Deo mentibus infunditur. Secundò dicitur effuſa, quaſi extra fuſa, in quantum ad extra per bona relucet opera, dicitur etiam charitas diffuſa, quaſi deintus fuſa, in quantum ad interiora bona opera diffunditur.

D. Aug. Definitur autem charitas creata à D. Auguſt. in lib. Soliloqui. Charitas eſt virtus qua Deum videre, eoque perfrui deſideramus; in qua definitione tria tanguntur. primo genus charitatis cum dicitur charitas eſt virtus. Secundò tangitur præmium correſpondens charitati ex parte intellectus cum dicitur, qua Deum videre deſideramus. Vnde in lib. de ſpiritu, & anima, inquit Auguſtin. Charitas eſt vita copulans amantem cum amato; & Saluator Io. 14. inquit. Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te verum Deum &c. Tertiò tangitur præmium correſpondens charitati ex parte voluntatis cum dicitur, eoque perfrui deſideramus. Vnde
Magiſter. Magiſter in littera definiens charitatem dicit. Charitas eſt dilectio, qua diligitur Deus propter ſe, & proximus propter Deum, & nos in Deo. Apoſtolus vero ſcribens ad Timo. epiſtola 1. cap. 1. inquit.
Finis dicitur tripliciter. Charitas eſt finis præcepti de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Finis autem dicitur multipliciter; eſt enim finis conſumptionis, vt candela finitur, id eſt, conſumitur; conſummationis, id eſt, perfectionis, vt conſummata eſt domus, id eſt, finita; terminationis, vt ager finitur. id eſt, terminatur. Cum dicitur charitas eſt finis non capitur pro fine conſumptionis, ſed pro fine conſummationis, & terminationis; quia charitas conſummat opera noſtra, id eſt, ea reddit perfecta, ſicut Domificator conſummat Domum, id eſt, eam perficit; eſt etiam finis, quia terminat: finis enim, vel terminus legis eſt dilectio, ſeu charitas: Nam tota lex Chriſtiana finitur in dilectione, & charitate. Sequitur de corde puro. Cor eſt intellectus iuxta illud Iſaiæ 46. Redite præuaricatores ad Cor. i. ad intellectum. de conſcientia bona; id eſt, ſpe ſecura, & fide non ficta, id eſt, ſtabili, & firma. Charitas ergo eſt finis præcepti, de corde puro, id eſt, intellectu, conſcientia bona, id
Charitas acquiſita quid ſit. eſt, ſpe ſecura; & fide non ficta, id eſt, vera non ſimulata. Charitas vero acquiſita eſt illa, quæ ex dilectione Dei frequenti, ex naturalibus acquiritur, quam etiam multi gentilium habere potuerunt, vt ſcribit Vorilion. hac d.

Charitas habet tres excellentias. Secundo obſeruandum eſt, quod Theologi aſſignant charitati tres præcipuas excellentias. Primo charitas ſola diuidit inter filios regni, & perditionis; quod efficit (vt inquit Altiſiodorenſis) affirmatiue, & negatiue, atque *Altiſiod.* etiam conuertibiliter; quod non efficiunt aliæ virtutes. Nam bene ſequitur affirmatiue; Petrus habet charitatem, ergo eſt filius regni. & vltra, eſt filius regni, ergo habet charitatem; & bene ſequitur, non habet charitatem, ergo non eſt filius regni, & è contra; ſed non ſequitur Petrus habet fidem, ergo eſt filius regni, Franciſcus habet caſtitatem, ergo eſt filius regni; atque adeo non ſic diuidunt aliæ virtutes. Et hæc charitatis excellentia intelligenda eſt ſecundum præſentem iuſtitiam, non ſecundum æternam prædeſtinationem. Nam aliquis exiſtens in charitate, eſt filius regni ſecundum præſentem iuſtitiam, & tamen poteſt eſſe, quod non ſit filius regni ſecundum æternam prædeſtinationem, quia præſcitus poteſt eſſe interdum in charitate, vt patet de Iuda quando à Chriſto Domino vocatus fuit ad Apoſtolatum.

Secunda excellentia charitatis eſt, quod perficiat, quia eſt forma aliarum virtutum, non quod virtutibus inhæreat; vt forma ipſi materię; ſed dicitur forma pro quanto per charitatem actus virtutum perficiuntur, reddit enim charitas habitus, & actus aliarum virtutum Deo acceptos. Nam veris habitus continentiæ non eſt Deo acceptus, niſi ſit per charitatem formatus; Vnde ſola charitas eſt forma, & nunquam informis; aliæ autem virtutes poſſunt eſſe informes, atque ita ſunt abſque charitate.

Tertia excellentia charitatis eſt, quod coniungit cum Deo: quia ſolus ille qui eſt in charitate eſt cum Deo, & Deus cum ipſo, vt dicit Apoſt. Deus Charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus cum eo. Inſuper charitas operit multitudinē peccatorum; ſaluat, ſufficit ad ſalutem, placat Deum, acceptos nos ei facit, inter filios regni & perditionis diuidit, neque aliquis poteſt ea deſtitutus ſaluari, eſt principium, & radix omnis meriti, & forma aliarum virtutum, & in peccatoribus haud eſſe poteſt.

Tertiò obſeruādum eſt, quod duplex eſt hominis amor erga Deum, ſcilicet naturalis, & ſupernaturalis, vt docet S. Thomas 1.2.q.113. quem ſequuntur veteres Theologi: dilectionem naturalem appellant, qua Deum diligimus, vt naturæ & omnium naturalium bonorum authorem, & finem; ſupernaturalem vero, qua ipſum diligimus vt vltimum finem, & vt largitorem, & authorem gloriæ cœleſtis, & gratiæ; Quæ ſententia tanquam vera confirmata eſt per Pium V. & Greg. XIII. in quadam conſtitutione, qua certæ propoſitiones cuiuſdam Louanienſis Doctoris condemnantur, inter quas damnatur huiuſmodi propoſitio. Diſtinctio ea duplicis generis amoris, naturalis, ſcilicet quo Deus amatur, vt author naturæ, & amoris gratuiti, ſiue ſupernaturalis, quo Deus amatur, vt beatificator, vana eſt, & commentitia, & ad illudendum ſacris litteris, & plurimis veterum patrum teſtimonijs excogitata, hæc ibi. Quare retinenda eſt duplicis amoris diſtinctio. Verum non oportet eam, vtcumque intelligere & explicare, ſicut nonnulli faciunt.

Duplex è hominis amor circa Deum.
D. Tho.

Pius V.
Gregorius XIII.

Vnde obſeruandum eſt quartò, quod Deus quandocumque, ſiue tanquam author naturæ, ſiue tanquam author glorię & gratię diligitur, diligitur propter ipſum, tunc amatur ſuper omnia, ſiue ante omnia, & eiuſmodi amor eſt charitatis, & beneuolentiæ, nec abſque gratuito Dei auxilio, & munere eſſe poteſt in nobis, vnde ex hac parte amor eſt nobis gratuito, & liberaliter conceſſus, quippe quem præſtare non poſſumus ſine gratia, vel gratuito Dei præſidio. Dicitur vero naturalis amor, quando diligitur Deus vt author, & finis naturæ, & naturalium bonorum, quoniam liberum arbitrium per vim naturæ communi, & generali Dei auxilio adiutum, & motum, hoc eſt, adiutum, & motum conſueto diuino auxilio, quod cum recta hominis ratione congruit, & quod inſtitutione Dei rerum naturis procreatis dari ſolet, cum amorem producere, & elicere poſſet, ſi homo cum ſolis naturę dotibus, aut cum iuſtitia originali, vel ſine gratiæ dono, & ſine alijs virtutibus ſupernaturalibus conſideretur; vt in hac quæſt. explicabimus. Item eiuſmodi amor terminatur in Deo, vt in fine, & authore naturæ, & naturalium bonorum. Cum vero diligitur Deus, vt author,

& finis

Digitized by Google

& finis gloriæ, & gratiæ, & bonorum ſupernaturalium, non dicitur ſupernaturalis amor ea ſola ratione; quia is ſolus ſingulari, & gratuito Dei munere præſtatur; ſed quia fertur in Deum tanquam authorem, & finem gloriæ, & gratiæ, & ſupernaturalium bonorum. Item quia eliciti, & præſtari non poteſt ab homine ſine ſupernaturali Dei auxilio; quamuis homo ſanus & integer cum ſolis naturæ dotibus, & iuſtitia originali ſine gratia crearetur. Duplici ergo ratione dicitur amor Dei ſuper omnia, naturalis & ſupernaturalis.

Duobus modis pōt Deus ſup oīa diligi.

Obſeruandum eſt quintò, quod diligere Deum ſuper omnia duobus modis intelligi poteſt, primo intenſiue, ſecundo extenſiue, ſi ſumatur primo modo, ſenſus tituli eſt, vtrum charitas inclinet ad eliciēdū amorem circa Deum, actu magis intenſo, quam ad diligendum omnia alia diligibilia præter Deum. Si poſteriori modo eſt ſenſus. Si Deus ponatur ex vna parte, & ex altera parte omnia bona diligibilia, vtrum debeam magis Deum diligere, quam alia bona; & in vtroque ſenſu poteſt titulus quæſtionis intelligi.

Diſtributio eſt duplex.

Sextò obſeruandum eſt, quod duplex eſt diſtributio, vna accomoda, & altera vniuerſalis. exemplum primæ. Cœlum omnia continet, omne animal fuit in Arca Noe; Nam Cœlum ſe ipſum non continet, atque adeo eſt ibi diſtributio accomoda, vt ſit ſenſus: Cœlum omnia alia à ſe continet. exemplum ſecundæ, Omnis homo eſt animal rationale; In titulo eſt diſtributio accomoda, adeo quod eſt ſenſus ſuper omnia alia à Deo.

D. Tho. *Gabriel.*

Qualē habeat inter ſe ordinē virtutes Theolog.

Septimò obſeruandum eſt, fidem, ſpem, & charitatem eum ordinem inter ſe habere, quem inter ſe earum virtutum actus, & officia habent, vt docet S. Thomas 2.2.q.17. artic.7.& 8.& 1.2.q.62.artic.4. & Gabriel in 3. d.26. q.1. artic.3 dub.2. Nihil autem boni cupimus, appetimus, & expectamus, niſi prius fuerit mente apprehenſum, & cognitum. Vnde origine, & cauſa fides eſt ſpe prior, & anterior; ſperamus enim bona nobis promiſſa, & noſtris benefactis reddenda; fide vero credimus talia bona eſſe, & nobis à diuina bonitate gratuito, & liberaliter promiſſa, ab eaque nobis promerentibus conferenda. Vnde actus fidei eſſe poteſt ſine actu ſpei, non è contrario, & actus ſpei aliquando eſt abſque charitatis opere, ſed non e contra. Porro ſpes cauſa quoque & origine charitatem antecedit: quia prius Deum vt bonum nobis optamus, deinde vero eum propter ipſum diligimus. Nec refert quod fides, ſpes, & charitas ſimul in animo infundantur.

Senſus tituli.

Ex his patet titulus quæſtionis, cuius talis eſt ſenſus. Vtrū ſit aliqua virtus Theologica, nimirum charitas creata infuſa, quæ inclinet nos ad diligendum Deum amore ſupernaturali tam intenſiue, quam extenſiue ſuper omnia alia à Deo. Reſolutio quæſtionis erit affirmatiua. Cæterum quia vt diximus in hac quæſt. Scotus multa docet, quæ particulari diſputatione indigent, ideo antequā ad illam explicandam accedamus, aliqua prius examinanda ſunt ſequentibus artic.

Art.1. Vtrum Charitas ſit aliquid creatum.
Art.2. Vtrum charitas ſit amor amicitiæ, vel concupiſcentiæ.
Art.3. Vtrum actus diligendi Deum ſuper omnia ſit rectus, atque adeo charitas inclinans ad illum actum in quocunque gradu etiam infimo ſit virtus.
Art.4. Vtrum charitas ſit excellentiſſima omnium virtutum.
Art.5. Vtrum charitas infundatur creaturæ ſecundum perfectionem naturalem.
Art.6. Vtrum præter charitatem infuſam ſit alia charitas noſtris actibus acquiſita.
Art.7. Vtrum charitas augeatur quolibet actu meritorio.
Art.8. Vtrum Deus ſit obiectum charitatis vt eſt bonum noſtrum beatificum ſupernaturaliter.
Art.9. Vtrum Deus ſub ratione infiniti ſit obiectū charitatis.
Art.10. Vtrum Deus ſub ratione Deitatis ſit charitatis obiectum.
Art.11. Vtrum charitas ſit in voluntate tanquam in ſubiecto.
Art.12. Vtrum ex naturalibus poſſit homo diligere Deum ſuper omnia ſine habitu charitatis infuſo.
Art.13. Vtrum ſine habitu infuſo poſſit homo appetitu libero ex ſuis naturalibus diligere Deum ſuper omnia.
Art.14. Vtrum Deum ſuper omnia diligere ſit ipſum magis intenſe diligere, quam creaturam.
Art.15. Vtrum teneamur diligere Deum ſuper omnia aliquo præcepto.
Art.16. Vtrum præceptum dilectionis Dei ſuper omnia poſſit in præſenti vita adimpleri.
Art.17. Vtrum homo poſſit adimplere hoc præceptum diligendi Deum ſuper omnia ſine habitu charitatis.

ARTICVLVS I.

Vtrum Charitas ſit aliquid creatum.

D. Thō.

Hanc difficultatem diſputat Scotus in 1.d.17.& ibi omnes Scholaſtici, & D. Thomas 2.2.q.23.art.2. Habuit autem hæc quæſtio ortum inter Theologos, propter Magiſtrum ſent. hic, & in 1.d.17. vbi docet charitatem, qua diligimus Deum, & proximum, non eſſe aliquid creatum, ſed ipſum Spiritum Sanctum inclinantem, & mouentem hominis voluntatem ad diligendum, ſine aliquo habitu infuſo. Hæc ſententia Magiſtri interpretatur a Scoto in 1.diſtin.17.q.2. ita quod intendat Magiſter dicere intellectui hominis infundi quemdam habitum ad credendum qui dicitur fides, & volūtati aliū ad ſperandum, qui eſt ſpes. Volūtati vero non infunditur aliquis habitus ad diligendum diſtinctus ab eo, per quem Spiritus Sanctus habitat in anima, qui habitus eſt ſupernaturalis reddens hominem Deo gratum, qui eſt gratia. *Scotus.*

Vult ergo Magiſter ſecundum ſenſum Scoti, quod Spiritus Sanctus mouet ad actiones fidei, & ſpei interuentu ſpecialium habituum; ad diligendum vero non per ſpecialem habitum mouet, ſed per illum met per quem Spiritus Sanctus habitat in homine, qui eſt gratia. Sententia Magiſtri hoc modo interpretata ſecura eſt, & nullum continens errorem; incidit enim in opinionem Scoti, quam Scotus docet in 2.d.27. videlicet gratiam eamdem realiter eſſe cum charitate, diſtinctam tamen ratione, ita ſcilicet quod quatenus nos gratos facit Deo dicitur gratia; quatenus vero pronos, & faciles nos reddit ad diligendū Deum charitas apellatur. Tamen S. Tho. 2.2.q.23.art.2. & in 1.d.17.q.1. aliter intelligit ſententiam Magiſtri. Dicit.n. Magiſtrum ſenſiſſe, quod Spiritus Sanctus mouet hominem ad credendum interuentu habitus fidei, & ad ſperandum habitu ſpei; ad diligendum vero nullius habitus inhærentis, & infuſi interuentu, ſed immediate, ita vt motus dilectionis ſit in homine a Spiritu Sancto mouente, & inclinante voluntatem ad hunc actum dilectionis. Et quidem Magiſtri ſententia in hoc ſenſu intellecta eſt manifeſtus error, atque ita communiter tamquam error reijcitur ab omnibus Thomiſtis; imo neceſſario vt ſic ab omnibus eſt reijcienda. *D. Tho.*

Sit ergo Concluſio reſponſiua ad difficultatem. Neceſſe eſt ad diligendum Deum & proximum ſupernaturaliter, quod inſit nobis quidam habitus ſupernaturalis ſuper additus faculti voluntatis; ita vt Spiritus Sanctus non immediate per ſe ipſum, ſed interuentu huius habitus infuſi moueat voluntatem ad diligendum Deum, & proximum, & huiuſmodi habitus dicitur charitas. Probatur. Si voluntas immediate moueretur a Spiritu Sancto ad diligendum Deum, ſequeretur duplex maximum inconueniens, videlicet, quod aut diligere non eſſet voluntariū, aut quod non excederet naturam voluntatis; primum eſt omnino impoſſibile, & ſecundum eſt pluſquam falſum, imo videtur hæreticum, ergo illud ex quo iſta duo ſequuntur falſum eſt; probatur ſequela, Actus charitatis proficiſcitur ab aliquo principio interno, aut externo: ſi ab externo, ergo non eſt voluntarius, quia voluntarium eſt, quod habet ſuum principium in operante, atque ita quod habet cauſam ſui extra operantem non eſt voluntarium; ſi ergo actus dilectionis non habet ſui principiū in nobis, ſequitur, quod ſit inuoluntarium, quod falſiſſimum eſt. *Concluſ.*

Si au-

Si autem proficiſcitur à principio interno, vel illud principium eſt ipſa volũtas ſola, vel voluntas & aliquid aliud ſuperadditum voluntati. ſi voluntas ſola eſt; ergo actus dilectionis ſupernaturalis non excedit vires naturales, quod eſt pluſquam falſum; ſi vero eſt voluntas, & aliquid aliud ſuperadditum voluntati, ſequitur neceſſario, vt aliquid creatum addendum ſit voluntati, quo efficiatur apta ad eliciendum actum dilectionis, & tale creatum dicimus charitatem, ergo neceſſe eſt ponere talem habitum ne incidamus in illa inconuenientia, quæ ſequuntur, & quæ falſiſſima ſunt.

Et confirmatur primo ex ſcripturis, quæ non raro diſtinguunt inter Spiritum Sanctum, & charitatem, vt inter cauſam, & effectum, ſeu donatorem, & donum; vt ad Roma. 5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus veſtris, per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis; vbi de charitate Dei eſt ſermo, non qua Deus nos diligit, ſed qua *Magiſter.* Deum diligimus, vt ipſe Magiſter ſentent. vbi ſupra agnoſcit ſub littera N. & exponunt Patres *Concilij Triden.* Concilij Tridentini ſeſſ. 6. capit. 7. ac ante illos diſertè quoque D. Auguſtin. *D. Aug.* in libro de Spiritu, & littera, capit. 32. his verbis. Charitas Dei dicta eſt diffundi in cordibus noſtris, non qua nos ipſe diligit, ſed qua nos facit dilectores ſuos; ſicut iuſtitia Dei, qua iuſti eius munere ſimus, & Domini ſalus Pſal. 3. qua nos ſaluos facit, & fides Ieſu Chriſti, qua nos fideles facit. Si igitur Charitas tribuitur nobis a Spiritu Sancto, ſeu quod idem eſt per Spiritum Sanctum, non eſt illa ipſe Spiritus Sanctus; Nam apertè illis verbis docet Apoſtolus, diſtinctam eſſe charitatem à Spiritu Sancto, tanquam donum à donante; ergo charitas qua iuſtificamur non eſt ipſe Spiritus Sanctus, ſed aliquid nobis ab Spiritu Sancto donatum, & infuſum. Item ad Galatas 5. Fructus autem ſpiritus eſt charitas; & primo Ioan. 4. Diligamus nos inuicem; quia charitas ex Deo eſt, vtque vt quidam effectus, & non eſſentialiter ipſe Deus. Item 1. ad Corint. 13. Nunc manent hæc tria fides, ſpes, Charitas; ſed fides, & ſpes ſunt habitus creati, ergo & charitas.

Concilium Arau. Confirmatur ſecundò ex Concilijs. Nam in Concilio Arauſicano Can. 25. ita dicitur, Prorſus donum Dei eſt diligere Deum, diffundit enim charitatem in cordibus noſtris Spiritus Patris, & Filij, quem cum Patre amamus & Filio. Nec poteſt hoc intelligi de charitate ſolum actuali, ſed in primis etiam de habituali, quæ eſt principium actualis. Loquitur enim ibi Concilium, vt patet ex ſequentibus, de charitate, quæ infunditur in omnibus baptizatis, atque adeo etiam paruulis, in quibus non eſt actualis charitas, bene autem ea, quæ eſt principium actualis, ſicut etiam loquitur Apoſt. ad Rom. 5. ſupra citatus ad cuius teſtimonium alludit hic Concilium. Ac ſupra etiam Can. quarto & ſexto declararunt omnes Concilij Patres, idem eſſe communicari nobis aliquid per infuſionem Spiritus Sancti, & id communicari per inſpirationem & operationem Spiritus Sancti, ex quo eſt conſequens, vt Charitas, quam per Spiritum Sãctum infundi nobis aſſeruit, ſit plane effectus diſtinctus ab ipſo Spiritu Sancto.

Conc. Vië. Item in Concilio Viennenſi vt refertur in Clement. Vnica de Summa Trinitate, & fide Catholica. approbatur ea ſententia Theologorum, quæ aſſerit omnibus in baptiſmo, tam paruulis, quam adultis conferri informantem gratiam, & virtutes; puta fidem, ſpem, & charitatem, quo loco ſaltem ſupponitur vt certum, charitatem eſſe aliquid creatum non minus, quam ſpem & fidem.

Cõc. Trid. Præterea in Concilio Tridentino Patres, vt ſuperba quædam ingenia deprimerent, quæ ea Viennenſis Concilij cenſura non ſe continebant, (quippe quod oppoſitam ſententiam ſententiæ Magiſtri probabiliorem, & Sanctis, & recentioribus Doctoribus magis conſonam declaraſſet) non ſolum probabilem oppoſitam partem aſſeuerarent, ſed multo probabiliorem, quam ſit hæc communis, & hanc communem figmentum Scholaſticorum putarent; ad imponendum finem huiuſmodi controuerſijs, ſententiam iſtam ſimpliciter, & abſque vlla limitatione acceptauerunt, imo & credenti, & aſſerenti oppoſitum anathema indixere. Vnde ſeſſione ſexta capitulo ſeptimo definiunt. modum iuſtificationis impij fieri per charitatem inhærentem his verbis: Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iuſtificantur, atque ipſis inhæret. quod idem ſub anathemate repetunt eadem ſeſſione Can. 11. Si quis dixerit homines iuſtificari vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffunditur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua iuſtificamur, eſſe tantùm fauorem Dei, anathema ſit. Eſt igitur charitas aliquod accidens creatum, ſiquidem Spiritus Sanctus minime in cordibus inhæret. Et hac de cauſa primo quidem in eo capitulo ſeptimo aſſeruere Patres ſingulos quoſque iuſtorum ſuam propriam recipere in ſua iuſtificatione iuſtitiam. & paulo poſt aſſeuerant inhærere iuſtis charitatem diffuſam in cordibus eorum per Spiritum Sanctum, vt cum ſciremus inhærentiam proprium quid eſſe accidentium creatorum, non dubitaremus charitatẽ eſſe accidens quoddam creatum.

ARTICVLVS II.

Vtrum Charitas ſit amor Amicitia vel Concupiſcentia.

Ratio dubitandi eſt, quoniam ſecundum Ariſtot. 8. Ethic. cap. 2. 3. 4. 5. 9. & 13. veræ amicitiæ quatuor ſunt conditiones. prima eſt vt ſit inter probos tantùm; nam ſi vera amicitia eſt, non niſi propter honeſtatem eſt, & fundatur in ſimilitudine alicuius boni præcipui, quale eſt virtus, vnde non niſi inter probos eſſe poteſt; eſt namque amicitia amor beneuolentiæ, id eſt, amor, quo quis vult alicui bonum, ex quodam affectu, & vnione ad illum; adeo quod non diligamus eum ob ſolam noſtram vtilitatem; vel voluptatem quæ ex eo capiatur. Præter Ariſtot. idem aſſerunt Auguſtinus epiſtola 52. Ambroſ. 3. officiorum capitulo vltimo. Hierony. in 7. cap. Michææ. *Ariſt. Auguſt. Ambroſ. Hierony.*

Secunda quod ſit amor reciprocus, id eſt, quod inuicẽ ſe ament, qui ſunt amici, & quod mutuus hic amor amicos nõ lateat, ſed quod ſit eiſdem cognitus, & perſpectus, & ob defectum huius conditionis non dicimus habere amicitiam ad bruta, & multo minus ad res inanimes.

Tertia quod eiuſmodi amor fundetur in aliqua communicatione bonorum, & hæc conditio explicatur dupliciter. primo quod ſicut vita non poteſt manere ſine cibo, licet eſſentialiter non conſiſtat in cibo, ſed in corpore & anima ſimul vnitis, ita amor amicitiæ non poteſt permanere ſine aliqua bonorum cõmunicatione, quamuis eſſentialiter non conſiſtat in hoc, ſed in amore beneuolentiæ. Secundò explicatur ſic quod amicitia fundatur in communicatione bonorum; ita ſcilicet vt amici debeant in aliquo bono naturæ communicare, vt in bono ſanguinis, vel patriæ, vel exercitij, & huiuſmodi.

Quarta vt ſit inter æquales capit. 7. & 8. vbi ait amicitiam eſſe æqualitatem quandam: ratio eſt, quia vterque quod ſibi bonum eſt amat, & patet experientia. ex quo ſequitur quod amicitia debet eſſe inter paucos, imo inter duos, vt docet Ariſt. cap. 6. Tum quia perfecta amicitia habet ſimilitudinem cuiuſdam ſuperabundantiæ in amando, ſi ibidem conſideretur quantitas amoris; nam ſi conſideretur ratio amandi non poteſt eſſe ſuperabundantia, non enim poteſt ſtudioſus à ſtudioſo, qui per rationem ſuos affectus ordinat, nimis amari, ſed ſuperabundans amor non eſt aptus fieri inter multos, ſed ad vnum tantùm, ergo. Tum quia ſecundum perfectam amicitiam amici valde ſibi inuicem placent, at difficile eſt ſimul multis vehementer placere: quia pauci inueniuntur, in quibus non ſit aliquid, quod diſpliceat omnibus propter multos defectus hominum, & eorum conditiones; Tum demum quia in amicitia perfecta oportet ex conſuetudine experientiam accipere de amico, quod eſt difficile valde ſi ſint plures amici.

Ex his probatur quod charitas non ſit amicitia. Nam Deus nos amat amore concupiſcentiæ. Prouer. 16. omnia

propter

propter ſe ipſum operatus eſt Dominus: ſecundo, Dei beneficentia nos latēt, neſcimus enim an odio vel amore digni ſimus. Eccleſ. nono: tertio, Iuſtus ex charitate diligit iniuſtum, & Deus peccatores, qui non redamant: quarto eum Deo non communicamus in aliquo bono illi, & nobis commune, vt patet, nam omne bonum noſtrū eſt creatum, & nobis inhærens, quod bonum non participatur. Item Deus & homo inter ſe pares non ſunt, ſed infinitis partibus diſtant; ergo ſicut non eſt amicitia filij ad Patrem, aut ſerui ad Dominum, aut ciuium ad Regem: ita non eſt amicitia hominis ad Deum.

Scotus.

Pro ſolutione huius quęſt. obſeruandum eſt ſecundum Sco in hac quæſt. in reſponſ. ad primum principale, quod charitas propriè poteſt dici amicitia; licet nō omnino accipiendo amicitiam preſſe, ſicut accipit Philoſ. 8. Ethicor. ſed aliquando extendendo amicitiæ nomen ſicut iuxta eius intentionem ad Deum eſt aliquid excellentius amicitia: Nam illa excellentia non tollit, quod eſt perfectionis in obiecto, ſed præciſe quod eſt imperfectionis, honeſtas quippe in diligibili, & redamatio in dilecto ſunt conditiones per ſe in diligibili non quidem imperfectionis, imo non eſſet perfectior ſi non redamaret; ſed æqualitas in iſtis eſt conditio concomitans; ita quod duo ſunt de ratione amicitiæ, ſcilicet honeſtas in diligibili, id eſt quod ametur amore beneuolentiæ, non amore concupiſcentiæ; quo ſcilicet amore dilecto velimus bonum, & non diligamus ipſum ob ſolam vtilitatem noſtram, vel voluptatem, quæ ex ipſo capitur. Vnde Philoſ. capitulo tertio, & quarto eius libri, ſolam amicitiā, quę continetur amore beneuolentiæ dicit eſſe per ſe, & propriè amicitiā, quia per hanc amicus ipſe ſecundū ſe amatur; amicitiam autem quæ continetur amore non ipſius amici per ſe, ſed vt eſt vtilis, aut delectabilis; ac proinde, quæ continetur potius amore ipſius vtilitatis, vel voluptatis, quæ ex amico capitur, nō eſſe propriè, & per ſe amicitiam, ſed ex accidenti: quia non amicus ipſe, ſed accidens, aut effectus eius, puta vtilitas, vel voluptas amatur.

Duo ſunt de ratione amicitiæ.

Alterum, quod eſt de ratione amicitiæ eſt redamatio, vt ſcilicet amicus amico vicem rependat eum redamando, vt patet ex Philo. in illo libro octauo, cap. vbi de amicis ita ſcribit. Vterque quod ſibi bonum eſt amat, & qualem vicem voluntati, & iucunditati refert, æqualitas enim amicitia dicitur, & ob defectum huius conditionis non dicimus habere amicitiā erga bruta, vt patet ex Philoſ. ibidem cap. 5. Æqualitas verò perſonarum, ſtatus, dignitatis, aut naturæ, non eſt de ratione amicitiæ, ſed tantum quid concomitans.

Deus autem habet honeſtatem, & redamationē, ſicut amationem, & excellentius poteſt eſſe amicitia ad ipſum, ita vt dicatur ſuper amicitia.

Amor amicitię addit ad amorē charitatis, & beneuolentiæ.

Secundo obſeruandum, eſt amorem eius, qui tum beneuole tum amice diligit ſic ſe habere, quod vterque, eſt amor, quo vnus alterum diligit propter ipſum, non autem propter ſe, amor verò amicitiæ addit mutuum reſpectum, & ordinem beneuolentiæ vnius ad alterum; Poſſum itaque ego te amare amore beneuolentiæ, tametſi non tu mihi in amore reſpondeas, quo fit vt ex charitate diligamus inimicos, & nefarios, ac perditos homines: quia non eos diligimus ob emolumentum, & commodum, ac bonum noſtrum, ſed propter ipſos; ſic Deus ex charitate diligit omnes homines amore, ſcilicet beneuolentiæ, licet ipſum homines non redament. Quare cum mutua intercedit beneuolentia, & charitas inter hominem, & Deum, eſt & vocatur amicitia. Si verò alter eorum amet alterum, & non redametur, amor eſt charitatis, & beneuolentiæ, quamuis amicitiæ mutuus reſpectus non ſit. Cum igitur amor charitatis dicitur eſſe amicitiæ intelligitur cum ea conditione, ſi redamantem habeat, ſin minus, non ob id deſinit eſſe charitatis, quia eſt amor beneuolentiæ non concupiſcentiæ. Vnde quis ſe ipſum poteſt charitate diligere, & hominis ad ſe ipſum charitas, & beneuolentia eſt, amicitia non item.

Amor Dei ab hominum amore differt.

Tertio obſeruandum eſt, amorem Dei erga homines, & Angelos differre ab amore hominis in alterum, quòd homo cum alterum diligit ex charitate, & beneuolentia non ex ſe mouetur ad illum amandum, ſed ex bono quod cernit in illo, quod quando refert in emolumentum, & commodum ſuum illum diligit amore concupiſcentiæ, quando verò non refert in ſe, ſed alterum amat, propter ipſum, eum diligit amore beneuolentiæ, & amicitiæ; quia diligit eum ſine ſuo emolumento, & commodo. At vero Deus cum nos amat, non mouetur ex bono, quod cernat, vel inueniat in nobis; nihil enim boni habemus niſi acceptum a Deo, ſed ſua gratuita bonitate, & voluntate nos diligit: amat igitur quia vult; Et hoc eſt quod dicitur eum nihil amare niſi propter ſe, hoc eſt; nihil eſſe boni per ſe extra Deum, quod ipſum ad amandum alliciat, ac moueat. Nihilominus tamen diligens nos charitate ſua bonum, quod nobis impertiuit in nullum ſuum commodum refert, & propterea non diligit amore concupiſcentiæ; quia verè nos amat ſine aliquo ſuo emolumento, & commodo. Amore concupiſcentiæ bonum quod amamus in noſtra commoda dirigimus; ſed amat nos Deus propter commodum, & bonum noſtrum, nimirum vt boni, & meliores reddamur.

Cōcluſio.

His obſeruatis pono hanc Concluſionem. Charitas eſt amor amicitiæ erga Deum. Probatur Concluſio ex Sacra Scriptura dicitur enim de Abrahamo in epiſt. Iacobi cap. 2. quod amicus Dei appellatus eſt, & Pſal. 138. Iuſti dicuntur amici Dei. Nimis honorati ſunt amici tui Deus, & Cant. 5. Comedite amici, & Sapientiæ ſeptimo: Infinitus theſaurus eſt hominibus, quo qui vſi ſunt participes facti ſunt amicitiæ Dei. & Iſaiæ 41. Et tu Iſrael ſerue meus, Iacob quem elegi ſemen Abrahæ amici mei. Et Lucæ decimoſecundo. Dico autem vobis amicis meis, & Ioan. decimoquinto. Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos: & rurſus, vos amici mei eſtis ſi feceritis &c. ergo &c. Et ſi aliquis dicat, quod prædictæ authoritates non in ſenſu proprio, ſed methaphorico debent intelligi, ſicut dicitur Deus Paſtor, & nos oues, probatur, quòd propriè ſunt intelligendæ, & quod propriè ſit amicitia inter Deum, & homines ex conditionibus amicitiæ. Prima conditio eſt in amore hominis erga Deum, quia homo iuſtus diligit Deum, vt ſummum bonum, & propter ſe ipſum, & cum bona Dei ſint interna, vt ſapientia, bonitas, iuſtitia, &c. & externa; vt honor, obedientia, cultus &c. vtraque homo iuſtus vult Deo illa complacendo vt ſint in Deo; hæc & complacendo, quod ſint, & deſiderando, & procurando vt ſint, & augeantur, & dolendo quod non ſint.

Inter Deū & homines propriè eſt amicitia.

Secunda conditio patet: quia qui amat Deum redamatur à Deo, iuxta illud Ioan. 14. Qui diligit me diligetur à Patre meo, & Cant. ſecundo, Dilectus meus mihi, & ego illi; & quod iſte amor ſit cognitus patet, quia ipſe ſatis nobis oſtendit ſuum amorem. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitū daret, noſtrum autem amorem ipſe nouit, quia omnia nouit.

Tertia conditio intellecta primo modo etiam patet, Deus enim confert amicis ſuis bona ſpiritualia, & homines Deo obſequia, & etiam ſecundo modo explicata patet, nam Deus, & homo communicant in bonis naturæ iuxta illud prima Petri, capitulo ſecūdo, Maxima & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ. Quarta conditio patet ex illo Pauli. 1. ad Corinth. 3. omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei. Quinta conditio patet ex illo ad Roman. octauo, Qui adhæret Deo vnus Spiritus fit cum eo, & Ioan. 6. Qui diligit me in me manet, & ego in eo.

Ex his patet ad rationes in oppoſitum: ad primā patet ex tertio notabili. Et addas amorem beneuolentiæ recte poſſe conſiſtere etiamſi res amata referatur ad aliquid aliud tanquam ad finem modo ipſi quoq; rei amatæ velit quis bonum per amorem. Alioqui neque nos ipſos, neque proximos noſtros poſſemus amare amore beneuolentiæ; ſiquidem & nos, & proximos debemus amare propter Deum tanquam propter finē: etſi igitur Deus amet hominem propter ſemet ipſum, tamen quia etiam homini multa, & magna bona vult per eiuſmodi amorem, non eſt dubitandum quin amet illum amore beneuolentiæ.

Ad ſecundum dico, quod charitas in via eſt imperfecta reſpectu charitatis patriæ, & ideo non eſt mirum

Digitized by Google

neque inconueniens, vt in ſuo genere careat conſũmatione, quam ratio amicitiæ perfectæ poſtulat. Vnde quod modo lateat nos an ſimus amici Dei, non deſtruit ſpeciem amicitiæ, ſed imperfectionis eius eſt ſignum. Nihilominus tamen in hoc ſtatu aliquo modo ſunt certi iuſti ex teſtimonio bonæ conſcientiæ, & ex bonis operibus, & hoc etiam in humana amicitia ſufficit, vt ex coniecturis cognoſcamus nos placere amico, occulta enim cordis illius non videmus. Amor itaque inter Deum, & iuſtos non latet; Non quidem ex parte Dei, vt patet, neque ex parte iuſtorum, vt patet ex Apoſt. Roma. 8. Ipſe ſpiritus teſtimonium reddet ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei. Dupliciter autem patet homini iuſto de amore Dei erga ſe, primo in vniuerſali, quod Deus diligat homines Ioan. 3. ad Roma. quinto: ſecundo, in particulari, & hoc cognitione certa, ſed ſub conditione, quod ſcilicet me diligat ſi ipſum diligo. Prouer. 8. Ioan. 14. & 15. vel cognitione abſoluta, ſed probabili per ſigna, & effectus, quæ ſatis ſunt, cũ neque maior certitudo requiratur in amicitia humana,

D. Aug. vt docet D. Auguſt. de vtilitate credendi cap. 7. & Epiſt. 112. & hoc modo iuſtos non latet amor, quo Deus illos amat.

Ad tertium patet ex ſecundo notabili. Ad quartum dico, quod mutuus amor inter Deum, & iuſtos nititur duplici communicatione boni, ſubſtantialis, & accidentalis; ſubſtantialis quidem: quia natura humana, & diuina in vna perſona ſine vlla confuſione coniunctæ ſunt, vt idem ſit homo & Deus; accidentalis verò ex parte hominis, quatenus iuſti ipſum diuinum bonum aliquo modo participant, tum per dona gratiæ, quibus quodam modo excellenti redduntur conſortes diuinæ naturæ, tum per ius adoptionis filiorum Dei. Vel dicas, eſſentialiter, & per ſe ad amicitiam ſolum requiri, vt amici ſolum cõmunicent in aliquo, vel aliquibus bonis; vt autem eiuſmodi bona ab altero in alterum viciſſim deriuentur nõ eſt per ſe requiſitum ad amicitiam, quamuis foueatur quidem amicitia inter homines mutuis largitionibus: Alioqui cõſequens eſſet, vt neque inter duos homines ſtudioſos, qui ob ſolam in virtutibus communicationem ſe mutuo diligunt vera amicitia poſſet conſiſtere. Conſtat enim virtutem nõ eſſe donum, quod alter amicorum alteri impertiat. Satis igitur eſt ad amicitiam inter Deum, & hominem illa bonorum communicatio quam ſupra expoſuimus eſſe inter vtrumque, tam etſi ſit abſque mutua vtrinque largitione. Adde quod etiam homo impertit Deo honorem, & obſequium, ſeſeque totum illi poteſt offerre, quod munus ab homine in primis Deus requirit iuxta illud: Præbe fili mi, cor tuum mihi. Prouer. 23.

Ad quintum dico primo, quod in hoc eſt Dei Charitas, vt iuſtos non tanquam ſeruos, ſed tanquam amicos amare voluerit, & ſuorum conſiliorum, & bonorũ participes effecerit, cum quibus ſua dona communicat. Dico ſecundo quod Philoſophus, vt dicit Scotus, loquitur de amicitia preſſe, quæ eſt inter æquales; poteſt tamen amor eſſe inter hominem, & Deum, qui ſit aliquid excellentius quam ſit amicitia, quæ eſt inter homines, & poteſt dici ſuperamicitia. Tres enim conditiones videntur præciſe requiri ad amicitiam, vt diximus in primo notabili, prima eſt honeſtas amabilis, & hæc eſt prima ratio

Ariſt. amabilis amore amicitiæ, vt docet Ariſt. 8. Ethic. capitulo quinto, ſecunda quod ſit redamatio, tertia quod ſit inter æquales: & hæc tertia præſupponit primam, & ſecundam, quæ ſunt conditiones per ſe inquit Scotus. Si verò tanta ſit perfectio honeſtatis in amabili, quod excedat amantẽ; non minus, ſed excellentius inuenitur ratio amicitiæ; atq; ita eſt in caſu noſtro; & tertia conditio eſt concomitans, & ſolum inuenitur in amicitia preſſe tamen quia prima ratio amicitiæ eſt honeſtas amabilis, ſi ſit exceſſus in honeſtate, erit quia amicitia altioris ordinis, & habitus ad illam inclinans erit perfectior, & talis eſt charitas.

Amicitiæ duplex eſt genus.

Dico tertio ex eodem Ariſtot. vbi ſupra capitulo vndecimo, quod duplex eſt genus amicitiæ, vnum quod in æqualitate conſiſtit, vt inter homines æqualis conditionis; alterum, quod in excellentia fundatur, & cernitur inter Patrem, & filios, inter Principem, & ſubditos, virum & vxorem; & in hoc genere amicitiæ non requiritur æqualitas ſimpliciter, quæ dicitur arithmetica, ſed proportionis, quæ dicitur geometrica: non enim eadem officia in vtroque in alterum poſtulantur, ſed quod talem ſe præbeat pater erga filios, qualem decet, & ſimiliter in alijs, & huius generis amicitia eſt hominis erga Deum, atque ita in ſcriptura multis nominibus eiuſmodi amicitiam manifeſtantibus appellatur Deus, Pater, & Rex, & ſponſus &c.

D. Hieron. Dico quarto cum D. Hieronymo in c. 7. Micheæ amicitiam, vel eſſe inter æquales, vel ipſam certè reddere aliqua ratione æquales, facit enim aliquo modo æqualitatem inter Deum, & homines amicitia, quæ inter vtrunque intercedit, idque duplici ratione. Primo quia charitas Dei erga hominem efficit, vt Deus ipſe quodammodo ad hominem ſe demitteret, iuxta illud ad Philip. ſecundo Exinaniuit ſemetipſum, &c. Secundo quoniam eadem Dei charitas exaltauit hominem, & quodammodo euexit ad diuinam dignitatem, iuxta illud D. Petri. 2. Epiſtol. capitulo primo, Magna & pretioſa nobis donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ. Cui conſonat id

Cicero. quod Cicero præcipit in libro de amicitia, vt ſcilicet amicus quantum opus ſit ad amicum ſe ſe demittat eique ſe exæquet. Quod vtrumque Dei amor effecit. Quod myſticè ſignificauit Dauid Pſal. 74. dicens. Hunc humiliat, & hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri; id eſt quia Deus calicem habebat vino puro refertum, quo pura eius, & immenſa charitas ſignificatur, ideo hunc humiliat, & hunc exaltat: Humiliauit namque diuinitatem ad intimum noſtræ humanitatis, & exaltauit humanitatem noſtram ad ſuæ diuinitatis ſublime, atque ita humiliata Diuinitate, & exaltata humanitate facta eſt inter humanitatem, & Diuinitatem æqualitas; æqualitatem dico perſonæ; quia duæ naturæ diuina & humana æqualiter ſunt (vt ita dicam) perſonalizatæ, ſubſtantificatæ, & ſuppoſitatæ, à diuina Chriſti Redemptoris noſtri perſona, & ita dicimus amorem inter Deum, & hominem æqualitatem feciſſe.

ARTICVLVS III.

Vtrum actus diligendi Deum ſuper omnia ſit rectus, atq; adeo charitas inclinans ad actum illum in quocunque gradu etiam infimo ſit virtus.

QVoniam habitus cognoſcũtur per actus, ideo primo inueſtigat Doct. ſub. in hac quæſt. ſub. litt. A. §. De primo dico, quid ſit actus charitatis; Eſt autem actus charitatis amor vel dilectio, Vnde videndum eſt primo, quid ſit amor, vel dilectio.

Amor qd ſit.

Amor non eſt niſi tendentia quædam, qua potentia tendit in ſuum obiectum. Vnde obſeruandum eſt quod triplex eſt appetitus, naturalis, animalis, rationalis, vel ſub alijs verbis, naturalis, ſenſitiuus, & intellectiuus, & quolibet iſtorum appetituum potentia tendit in obiectum. Appetitus naturalis non prærequirit apprehenſionem eius, quod appetit in ipſo appetente, ſed alterius, puta in inſtituente naturam. Diuina enim prouidentia, vt inquit Boetius, dedit creatis à ſe rebus hanc vel maxime manendi cauſam, vt quo ad poſſunt naturaliter, manere deſiderent, tertio de Conſolatione, proſa vndecima. Et Cicero in primo de officijs. Principio generi animantium omni eſt à natura tributum, vt ſe, vitam, corpuſque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur, &c.

Appetitus eſt triplex.

Boetius.

Cicero.

Appetitus animalis eſt appetitus præſupponens apprehenſionem appetentis natus tendere in obiectum apprehenſum, aut in eo quieſcere neceſſario, & non libere, & hic eſt in brutis. Sed appetitus intellectiuus de neceſſitate præſupponit notitiam intellectiuam ſeu iudicium intellectus natum libere actum ſuum elicere, & vocatur appetitus rationalis, intellectiuus, & voluntas.

Secun-

Appetitus naturalis quid ſit.

D. Dionyſ.

Secundo obſeruandum eſt, quod appetitus naturalis idem eſt quod naturalis inclinatio: Vnde quicquid illud fuerit, quo res naturaliter tendit in ſuum bonum, & conueniens, ſiue illud dicatur connaturalitas, ſiue inclinatio, ſiue virtus inſita iuxta modum loquendi D. Dionyſij cap. 4. de diuinis nominibus, eſt appetitus naturalis; quia realiter nihil aliud eſt niſi ipſa rei ſubſtantia, forma, ſeu proprietas naturalis conſequens formam. Sed appetitus animalis eſt illa potentia; quæ exercet ſuam operationem mediante aliqua cognitione præuia, vt in brutis præter naturalem inclinationem eſt quidam appetitus cognoſcendi, qui non poteſt cauſari niſi aliqua cognitione præuia. Appetitus verò intellectiuus, ſeu voluntas, eſt ipſa potentia, quę de neceſſitate ad ſuos actus exercendos aliquam potentiam cognitiuam requirit, quæ libere fertur in obiectum.

Amor eſt triplex.

Boetius.

D. Aug.

Tertio obſeruandum eſt, quod ſicut eſt triplex appetitus, ita eſt triplex amor, primus appellatur amor naturalis, qui appetitui naturali correſpondet, de quo loquitur Boetius quarto, de Conſol. metr. ſexto. Hic eſt cunctis communis amor; Repetuntque boni fine teneri. Quia non aliter durare queant. Niſi conuerſo rurſus amore; Refluant cauſę, quæ dedit eſſe; cui conſonat illud D. Auguſtini 11. de Ciuit. Dei cap. 28. vbi oſtendit, quòd in quolibet rerum genere amor inuenitur, etiam in non viuentibus; quibus pondera ſunt amores corporum. Vnde ait. Nam amores corporum momenta ſunt ponderum, ſiue deorſum grauitate, ſiue ſurſum leuitate nitantur; ita enim corpus pondere, ſicut animus amore fertur, quocũque fertur; & amor hoc modo acceptus non eſt actus elicitus à potẽtia appetitiua, neque paſſio huiuſmodi actum conſequens, ſed eſt ipſamet res, vel eius forma ſubſtantialis, vel proprietas illam formam naturaliter, & neceſſario conſequẽs. Secundus amor appellatur amor animalis, qui correſpondet appetitui animali, vel ſenſitiuo, & eſt inclinatio appetitus ſenſitiui ad ſuum conueniens, vel actus deſiderij, quo tendit in bonum apprehenſum abſens, & talis vocatur amor animalis, qui communis eſt hominibus, & brutis. Tertius amor appellatur intellectiuus, vel rationalis, & eſt actus voluntatis, quo libere acceptat obiectũ per intellectum ſibi præſentatum, & de hoc amore eſt ſermo in hoc articulo non de naturali nec ſenſitiuo; amor ergo in hoc articulo ſumitur pro actu voluntatis; amor enim pertinet ad voluntatẽ, & eſt actus eius, ſicut intelligere eſt actus intellectus.

In voluntate ſunt tantũ duo actus.

Quarto obſeruandum eſt, quod in voluntate ſunt tantum duo actus, ſcilicet velle, & nolle. Quia obiectũ non poteſt pręſentari voluntati niſi duobus modis, ſcilicet vel vt proficuum, vel vt nociuum; atque adeo voluntas non poteſt habere circa illud obiectum niſi duos actus, puta velle, quo voluntas appetit obiectum, vt conueniens ſibi, vel alteri; Et nolle quo voluntas fugit, & reſilit ab obiecto tanquã diſconueniente, atque ita primus actus vocatur proſecutio, & ſecundus vocatur fuga. Actus autem ſuſpenſiuus, ſiue neuter, quo voluntas nec acceptat obiectum, vt bonum, nec refutat vt malum, vel nullus eſt actus poſitiuus voluntatis, vt quando voluntas præſente obiecto per apprehenſionem intellectus auertit ſe negatiue, quia nullum actum circa ſubiectum elicit; vel eſt velle poſitiuum, vt quando voluntas vult non elicere, vel quia imperat intellectui, vt magis inquirat de obiecti conuenientia, & bonitate; vel ex propria libertate; & talis actus ſuſpenſiuus eſt quoddam velle, ſcilicet velle non elicere, atque ita patet, quod in voluntate non ſunt niſi duo actus eliciti reſpectu cuiuſcumque obiecti; ſcilicet velle, & nolle.

Amor eſt velle volũtatis.

D. Aug.

Quarto obſeruandum eſt, quod amor non eſt nolle, tum quia voluntas in amando ſibi complacet in obiecto amato, vel ipſum deſiderat, aut generalius loquendo ipſum acceptat tamquam bonum in ſe, vel bonum ſibi, vel alteri; Verum nolendo nihil acceptamus, ſed magis refugimus; Tum quia amor nihil præſupponit in voluntate; quia ſecundum D. Auguſt. decimoquarto, de Ciuit. Dei, capitulo ſeptimo, Amor eſt principium, & cauſa cæterarum paſſionum in voluntate. Vnde ait. Amor inhians habere, quod habet, cupiditas eſt; id autẽ habens, eo que fruens lętitia eſt, fugiens quod aduerſatur ei, timor eſt; idque ſi acciderit ſentiens triſtitia eſt. Proinde mala ſunt iſta, ſi malus amor eſt, bona, ſi bonus.

Scotus.

D. Anſel.

Ariſt.

Et loquitur D. Auguſt. non formaliter, ſed cauſaliter, vt exponit Doct. noſter ſub. in 1. diſt. 1. quæſt. 4. Sed nolle præſupponit velle ſecundum B. Anſelmum in lib. de caſu Diaboli cap. ſecũdo de auaro, pane, & nummo, ſiquidem à nullo reſilio, niſi quia ſtare non poteſt cum eo quod accepto; eſt ergo amor velle alicui bonum, vt expreſſe docet Philoſ. ſecundo Rethoricorum: Amor, inquit, eſt velle alicui bonum.

Amor eſt duplex.

Quinto obſeruandum eſt, quod ſicut duplex eſt velle ſcilicet amicitiæ, & concupiſcentiæ; ita duplex eſt amor nempe amicitiæ, & concupiſcentiæ, de quibus dictum eſt ſupra, & dicetur etiam inferius; ſed pro nunc amor amicitiæ eſt, quo volo alicui bonum propter ipſummet amatum ſine relatione eius ad aliud; vel amor amicitiæ eſt quo amatur obiectum ex ſola obiecti apprehenſione, & non ex alterius obiecti amore; ſed amor concupiſcentiæ, eſt quo aliquid amatur propter aliud dilectũ, id eſt, quo alicui optatur bonum propter alterum; vel amor concupiſcentiæ eſt quo amatur obiectum non ex ſola obiecti apprehenſione, ſed ex alterius obiecti amore, Verbi gratia, ſi quis diligat Petrum volẽs ipſum eſſe diuitem, potentem, vt ſibi largiatur, & benefaciat, eſt amor concupiſcentiæ. in hoc art. loquitur Doct. potiſſimum de amore amicitiæ.

Amor, & dilectio idem important.

D. Dionyſ.

D. Aug.

D. Thom.

Sexto obſeruãdum eſt, quod omnia quæ dicta ſunt de amore, ſimiliter intelligenda ſunt de dilectione, eamdem enim rem important amor & dilectio; licet quidem dixerint, amorem importare amorem inordinatum, dilectionem verò ordinatum. Quam ſententiam D. Dionyſius cap. 4. de diuinis nominibus, & poſt eum D. Auguſt. 14. de Ciuit. cap. 7. citatis ſcripturis ex intentione reprobant oſtendẽtes quod vtrumque nominum amor, & dilectio, tam in bonum, quam in malum accipitur in ſcripturis. Cæterum D. Thom. 1. 2. quæſt. 26. art. 3. ac cæteri Doctores aliam innuunt differẽtiam inter amorem, & dilectionem, quæ ſumitur ſecundum nominũ interpretationem. Vnde ait quòd quatuor nomina inueniuntur quodãmodo ad idem pertinẽtia, ſcilicet, amor, dilectio, charitas, & amicitia. In hoc tamen differunt quia amicitia ſecundum Philoſ. eſt quaſi habitus, & regulariter capitur pro habitu, amor verò vel dilectio ſignificant actum, Charitas autem vtroque modo accipi poteſt, differenter tamen ſignificantur actus per iſta tria, amor, dilectio, charitas; quia omnis amor eſt dilectio, vel charitas, ſed non è conuerſo; addit enim dilectio ſuper amorem electionẽ præcedentem, vt ipſum nomen ſonat, vnde dilectio eſt in ſola voluntate rationalis naturæ; charitas autem vltra amorem addit perfectionem quandam amoris in quantum illud, quo amatur charum, id eſt, magni precij æſtimatur. Verum frequẽter vnum pro alio accipitur; nam & amor & dilectio pro habituali amore accipiuntur, & charitas interdum pro actu diligendi, Latini tamen aliam, & longe diuerſam faciunt in iſtis vocabulis differentiam, vt diligere ſit remiſſius, amare ardentius; vt apud Ciceronem: Dolobellam antea diligebam, nunc amo, & ad Brutum apertius. Clodius Tribunus plebis deſignatus valde me diligit, ſeu vt emphaticoteron dicam valde me amat. Sed præſtat ſentire cum paucis, loqui verò cum multis.

Cicero.

1. Concl.

His obſeruatis ſit prima Concluſio. Diligere Deum ſuper omnia eſt actus rectus; Probatur: omnis actus elicitus à voluntate conformiter ſe habente rationi naturali rectæ eſt rectus, ſed diligere Deum ſuper omnia eſt actus elicitus à voluntate conformiter ſe habente rationi naturali rectæ, ergo eſt actus rectus. Maior patet ex ſexto Ethicorum, capitulo tertio, vbi dicitur, electio recta confeſſe ſe haber, id eſt, conformiter rationi rectæ; Minor etiam patet: quia ratio naturalis dictat ſummum bonum eſſe ſummè diligendum, atque adeo actus elicitus conformiter eiuſmodi rationi rectæ, eſt rectus, & accipitur hic ratio naturalis recta, non pro potentia intellectiua, ſed pro cognitione naturali practica, qua intellectus cognoſcit, & dictat, optimum eſſe ſummè diligendum ſuper omnia, talis enim cognitio immediatè, & formaliter dictat, ſummum bonum eſſe ſummè diligendum; atque adeo actus qui hunc dictamini conformiter elicitur eſt de neceſ-

Digitized by Google

ſtate rectus, imo eius rectitudo eſt per ſe nota; ſicut prima principia ſunt per ſe nota in diſciplinis, quia ſicut ſummum verum eſt ſummè credendum, ita ſummum bonum, quod eſt Deus, eſt ſummè amandum; apprehenſo enim optimo bono, & ſumma dilectione apprehenſa, ex horum terminorum complexione ſtatim eſt euidens hæc propoſitio, ſummum bonũ eſt ſummè diligendum. Secundo probatur, præcepta moralia Decalogi ſunt de lege naturæ, ergo rectitudo ipſorum eſt notiſſima, ſed præceptum dilectionis Dei ſuper omnia, quod ſcribitur Deuter. 6. & Matth. vigeſimoſecundo, eſt primum, & maximum mandatum inter omnia præcepta moralia, ergo rectitudo actus dilectionis Dei ſuper omnia eſt per ſe nota.

Difficultas. Sed circa hanc litteram Doct. inſurgit non parua difficultas: nam pluries in doctrina eius, & maxime in 1. diſt. 2. quæſt. 2. habetur, quod non poteſt eſſe alicui euidens aliqua propoſitio non apprehenſis terminis ſub propria ratione; ſed in propoſito ex propria ratione terminorum non eſt mihi euidens, quod Deus ſit, vel quod ſit ſummum bonum, quinimo demonſtratur à Philoſ. & à Sco. ibidem, ergo nec dilectio ſequens illam notitiam, eſt per ſe nota.

Solutio. Poteſt dici primo, quòd Doct. intelligit illam rectitudinem dilectionis Dei eſſe per ſe notam imperfectè apprehendenti terminos, ſcilicet Deum eſſe vel abſtractiue, vel intuitiue, ſed non eſt ſtatim nobis nota per ſe: quia ratio terminorum non eſt nobis nota, tamẽ cognito quid ſit Deus, & cognito quid ſit ſumma dilectio, illico hæc eſt mihi nota, Deus eſt ſummè diligendus, & ideo licet Philoſ. à quia eſt per elementa, & creaturas demonſtret Deum eſſe, ac proinde Deum eſſe non fuerit ſibi euidens, tamen non ſequitur, quin rectitudo huius, Deus eſt ſummè diligendus, ſit per ſe nota lumine naturali, atque adeo etiam Philoſ. potuit cognoſcere, quod Deus eſt ſummè diligendus.

Ocham. Aliter reſpondet Ocham dicens, quòd iſta cathegorica non eſt per ſe ſtatim nota in lumine naturali, Deus eſt ſummè diligendus, ſed includit vnam conditionalem, ſcilicet ſi Deus eſt, eſt ſummè diligendus, tamen prima reſponſio videtur melior. Et licet Ocham dicat, quod eſto, quod Philoſ. cognouiſſet, Deum eſſe, quòd adhuc potuit errare circa iſtam rectitudinem, quia potuit dubitare an Deus eſſet vnus; hoc tamen non erat ex defectu luminis naturalis, ſed ex obiectione turpitudinum, & peccatorum, ob quorum multitudinem ipſi ſibi fecerunt illam obſcuritatem, propter quod tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt cognoſcentes, non cognoſcerent.

Tertio dici poteſt, quod eſt differentia inter iſtas duas propoſitiones, Summum bonum eſt diligendum ſuper omnia, & Deus eſt ſummè diligendus, vel diligendus ſuper omnia: quia prima eſt immediata, ſecunda mediata, quia demonſtratur ex prima; atque adeo vna non eſt æquè conformis dictamini rationis naturalis, nec ita immediata ſicut altera; Et Doct. non dicit, quod rectitudo actus diligendi Deum ſuper omnia ſit per ſe nota; ſed quod rectitudo diligendi ſummum bonum ſuper omnia eſt rectitudo per ſe nota, vt bene conſideranti litteram Doctoris clariſſimè patet.

2 Concl. Secunda Concluſio. Charitas eſt virtus Theologica inclinans voluntatem ad actum diligendi Deum ſuper omnia, eſtque voluntati infuſa, à fide, & ſpe diſtincta. Probatur prima pars: Charitas habet Deum pro obiecto, vt infra probabimus, & innititur Deo, qui eſt prima regula humanorum actuum, & à Deo immediatè infunditur, ergo charitas eſt virtus Theologica; conſequentia patet ex conditionibus habitus Theologici, & duæ primæ conditiones, quod inſint charitati, eſt ex ſe manifeſtum, & infra etiam probabitur; tertia autem conditio ita probatur: voluntas quantum ad portionem ſuperiorem, non perficitur perfectiſſimè niſi perficiatur immediatè à Deo, ergo ſicut perficitur intellectus fide, vt credat in Deum, ita voluntas, vt diligat Deum.

Secunda pars probatur, habitus manifeſtantur ex actibus, voluntas autem actum diligendi in eliciendo impediri poſſet, ac etiam ad eius oppoſitum poſſet aſſuefieri, ergo reſpectu illius actus ponendus eſt habitus, qui voluntatem ad huiuſmodi actum eliciendum firmius dirigat, & inclinet: tertia pars probatur, ſcilicet, quod charitas ſit habitus diſtinctus a fide, & ſpe: Actus charitatis non eſt credere, neque concupiſcere, aut deſiderare bonum amanti, vt commodum illi, ergo non eſt actus fidei neque ſpei, atque adeo eſt actus alterius virtutis à fide, & à ſpe diſtinctæ; antecedens patet quo ad actum fidei; & quo ad actum ſpei probatur: quia ſpes eſt amor concupiſcentiæ, charitas verò eſt amor amicitiæ, id eſt, amor Dei in ſe, & propter ſe, ita quod ſi per impoſſibile Deus non eſſet commodus, & vtilis amanti, nihilominus amans ex charitate Deum diligeret, ergo charitas non tendit in bonum in quantũ eſt vtile, ſed in quantum eſt bonum in ſe, ergo &c.

Tertia Concluſio. Charitas in quocumque gradu etiam infimo eſt virtus. probatur Concluſio: Minimum ſupernaturale eſt maius quouis naturali, etiam maximo; iuxta illud prima ad Corinthios primo. Quod infirmum eſt Deo fortius eſt hominibus; ſed charitas eſt donum ſupernaturale; ergo in infimo gradu eſt magis virtus, quam quæcumque virtus moralis, etiam ſi ſit in ſupremo gradu.

Secundo probatur. Virtus in hoc conſiſtit, quod faciat voluntatem rectam, vt poſſit operari ſecundum ordinem rationis; ſed charitas multo magis quam virtus moralis facit voluntatem rectam, vt poſſit operari ſecundum ordinem rationis; ergo in infimo gradu eſt magis perfecta virtus, quam virtus moralis in ſupremo gradu. Præterea illa eſt perfecta virtus, quæ diſponit habentem ad ſuum finem, & fælicitatem, ſed charitas in quocumque gradu eſt huiuſmodi, ergo charitas in infimo gradu eſt virtus.

Et ſi dicas, in charitate ſunt tres gradus, quemadmodum in virtutibus moralibus; primus gradus eſt infimus, qui eſt incipientium; ſecundus eſt medius, qui eſt proficientium; & tertius, qui eſt ſupremus, eſt perfectorum; ſed virtus moralis non dicitur virtus in infimo gradu: quia virtus ſignificat eſſentiam habitus connotando perfectionem, ergo ſimiliter charitas in infimo gradu non eſt virtus. Secundo arguitur. Charitas in infimo gradu non facit prompte, & delectabiliter operari; ergo non eſt virtus.

Ad primum dico, Non eſſe ſimile de virtutibus moralibus, & de charitate in infimo gradu, quia morales virtutes ſanant mores, & ſicut medicina corporalis paulatim ſanitatem confert, & ſecum compatitur ægritudinem; ita virtus moralis paulatim ſanat mores, & non poteſt ſubito ſanitatem conferre; atque adeo compatitur ſecum aliquid contrarij; Charitas verò etiam in infimo gradu perfectè ſanat animam, & non compatitur ſecum aliquid peccati mortalis.

Ad ſecundum reſpondetur, quod loquendo de actu elicito, antecedens eſt falſum: quia charitas etiam in vltimo gradu prompte, & delectabiliter facit voluntatem elicere ſuum actum; loquendo autem de actu imperato, verum eſt antecedens; quia charitas in infimo gradu non facit hominem prompte, & delectabiliter ieiunare, aut dare eleemoſynam, & huiuſmodi; quia ad iſtos actus imperatos prompte, & faciliter operandos indiget charitas virtutibus moralibus, quarum ſunt illi actus: atque ita ſine illis virtutibus non eſt mirum, quod charitas prompte, & faciliter nõ operetur, quantum autem ad proprium actum, qui eſt actus elicitus voluntatis facit prompte, & delectabiliter operari, etiam ſi ſit in infimo gradu.

ARTI.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Charitas ſit excellentiſſima omnium virtutum.

CIrca hanc difficultatem eſt hæreſis Lutheranorum aſſerentium omnium virtutum excellentiſſimam eſſe fidem, & quòd per illã iuſtificatur homo, charitatem verò aiunt eſſe inſtrumentum fidei, & ſic explicant illud Apoſtoli fides, quæ per charitatẽ operatur. Cæterum turpiſſime falluntur: Nam Matth. 22. vbi de præcepto charitatis agitur ait Chriſtus. Hoc eſt primum, & maximum mandatum, vtique quoniam eſt de maxima virtute, & primo ad Corinth. 12. locuturus D. Paulus de charitate: Adhuc inquit excellentiorem viam vobis demonſtro, & primo ad Corinth. 13. eamdem cæteris omnibus virtutibus anteponit, & quidem ita, quod cæteræ ſine illa nihil ſint. Et ad Coloſ. 3. Super omnia, inquit, hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis, & primo ad Thimo. primo, finis præcepti, inquit, eſt charitas de corde puro, &c. Quæ omnia vera eſſe non poſſunt niſi aſſeramus virtutum maximam eſſe charitatem.

Cõcluſio. Sit ergo Concluſio affirmatiua de fide tenenda contra Lutherum, quod charitas eſt excellentiſſima omnium virtutum, & probatur primo: quia charitas excellentior eſt moralibus virtutibus, habet enim Deum pro obiecto, & fine, datque eſſe meritorium cæteris virtutibus, quapropter dicitur forma omniũ virtutum; Virtutes autem morales non habent Deum pro obiecto, ergo charitas eſt præſtantior virtus quàm virtutes morales. Probatur etiam quod ſit præſtantior fide & ſpe, ex authoritatibus ſuperius adductis.

Ex quibus etiam ſequitur, quod non ſolum charitas eſt perfectior, quam fides mortua, ſed etiam quam fides viua; Nam certe Apoſtolus cum vbi ſupra dixit. Maior autem horum eſt charitas non loquebatur de fide mortua; ſed de tribus illis virtutibus, quæ ſimul manent in hac vita; & ratio eſt, quia fides viuit per charitatem ſicut corpus per animam iuxta illud Iacobi capitulo primo, Fides ſine operibus mortua eſt ſicut corpus ſine anima, ergo quemadmodum corpus, quod eſt altera pars compoſiti etiam viuens, non eſt perfectius anima: quia vita illius prouenit ex eo quod informatur anima; ita etiam fides, eſto quod ſit viuens nunquam erit perfectior charitate, quæ per ſe ipſam eſt vita vniens hominẽ immediatè cum Deo viuente tanquam cum vltimo fine, fides autem viua ratione charitatis ex qua viuit, vnit hominem cum Deo: Et ita eſt intelligendum quod dicit Apoſtolus ſupra, fides quæ per charitatem operatur, non tanquam per inſtrumentum, vt Lutherani mentiuntur, ſed tanquam per vitam ſeu formam à qua fides viuit, & meritoria opera æternæ vitæ operatur.

Secundo probatur ex Patribus, qui & ipſi paſſim charitati tribuunt principatum. Vnde Ambroſius Epiſt. 74. Hieronymus in capitulo quinto, ad Galatas. Auguſt. lib. 15. de Trinit. cap. 18. & ſerm. 35. de tempore, & tract. 5. in 1. Epiſt. Ioan. vbi ait ſolam eſſe charitatem, quæ diſtinguat inter filios regni. & filios perditionis, illamque eſſe margaritam illam precioſam Euangelicam, & alij paſſim, maximè cum explicant parabolam nuptiarũ filij Regis Matt. vigeſimoſecundo, vbi aiunt veſtem nuptialem eſſe charitatem.

Ambroſi. *Hierony.* *Auguſt.*

Sed contra hanc concluſionem arguitur. Martyrium eſt actus fortitudinis, quæ eſt virtus moralis, & eſt actus excellentiſſimus; ergo charitas non eſt virtus excellentior.

Præterea charitas non attingit perfectius Deum, quam fides; ergo non eſt perfectior fide; conſequentia eſt bona, & probo antecedens: quia nihil eſt in voluntate, quod non fuerit in intellectu, ergo charitas per voluntatem non poteſt perfectius attingere Deum, quam fides per intellectum.

Et confirmatur ex D. Paulo ad Galat. quinto, dicente, fides, quæ per dilectionem operatur, ergo charitas eſt inſtrumentum fidei ad operandum, & fides eſt principale agens. ſecundo confirmatur; quia charitas ſaltem non eſt perfectior fide formata; Nam primo Corint. decimotertio, vbi comparat Paulus charitatem cum fide, comparat eam cum fide non formata, ideo dicit charitatẽ eſſe maiorem: comparando tamen charitatem cum fide formata probatur, quod non ſit maior, quia intellectus cum fide formata habet ſapientiam, & ſaltem charitas non eſt perfectior, quam ſapientia.

Præterea altioris potentiæ eſt altior virtus, ſicut & operatio, ſed intellectus eſt altior voluntate, quia dirigit ipſam, ergo fides, quæ eſt in intellectu præſtat charitate, quæ eſt in voluntate. Præterea infidelitas eſt grauius peccatum odio Dei, cum deſtruat omnia ſupernaturalia dona, quod non facit odium, ergo fides eſt nobilior Charitate.

Ad primũ diſtinguo minorẽ: nam ſi loquitur de actu ſolo elicito à fortitudine, non eſt vera, vt patet ex Diuo Paulo primo, ad Corinth. decimotertio. Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, &c. Si autem intelligatur de martyrio inquantum eſt imperatum à Charitate verum eſt illud Ioan. decimoquinto, Maiorem Charitatem nemo habet, &c. Sed vt ſic nihil probat contra concluſionem; quoniam vt optime dicit D. Thomas quol. 4. artic. 19. & 20. Actus martyrij ſecundum ſubſtãtiam poteſt eſſe ſine charitate, vt in hæreticis mortem appetentibus pro Chriſto, vt videre eſt apud Auguſt. ſerm. de patientia quoad modum verò non poteſt eſſe ſine maxima charitate.

D. Thom. *D. Aug.*

Ad ſecundum reſpondetur, quod quamuis imperfecte Deum cognoſcat in hac vita charitas, tamen amore perfectius in ipſum tendit: quia in hac vita cognitio non proportionatur amori, contingit enim in rebus humanis magis nos amare aliquam rem, quam illam cognoſcere.

Ad primam confirmationem dico, Lutherum ita exponere illum locum Pauli; Catholici autem aliter, & melius interpretantur, quod ſcilicet fides operatur per charitatem non tanquam per inſtrumentum, ſed tanquam per ſuam formã, eſt enim charitas forma quædam fidei, vt anima corporis ſecundum Illud Iacobi. Fides ſine operibus, id eſt, ſine charitate mortua eſt. Neque enim illa particula Per, denotat ſemper in ſcripturis cauſam inſtrumentalem, ſed frequẽter etiam cauſam principalem, vt notauit B. Baſilius libro de Spiritu Sancto, cap. 5. & patet ex illo Gen. 4. vbi Eua ait poſſedi hominẽ per Deum, ſcilicet cum genuiſſet Cayn.

D. Baſil.

Ad ſecundam confirmationem dico, charitatem eſſe perfectiorem fide quacumque ſiue informi ſiue formata, vt diximus ſupra, nam hoc probant authoritates adductæ: & ad illud, quod additur de ſapientia dicendum eſt, quod donum quodcumque intellectus, etiamſi ſit ſapientia, minus eſt, quam charitas. quia cognitio quæcumque Dei minor eſt quam charitas.

Ad tertium nego minorem. Voluntas enim eſt altior, & perfectior potentia quam intellectus, vt ſubtiliſſimè probat Doct. in 4. diſt. 49. quæſt. 4. ſub litt. H. §. Iuxta hoc quaſi ex latere quæritur, &c. vide ibi Doctorẽ, qui etiam ſoluit illud de ſapientia.

Ad quartum dico, odium conſideratum in ratione nocumenti eſſe minus graue infidelitate: quia tantum tollit charitatem, infidelitas verò etiam fidem, & ſpem; conſideratum verò ſecundum ſuam naturam eſt longe grauius infidelitate; quoniam vt docet Doct. in 2. diſt. 43. q. 1. ſub litt. cap. in fine peccatum conſiſtit in auerſione, at maior auerſio eſt à Deo in odio Dei, (ſi odium Dei eſſet poſſibile) quam in infidelitate, ſicut maior conuerſio eſt in charitate, quam in fine.

2. Concl. Secunda Concluſio, quæ ſequitur ex priori. Charitas eſt omnium virtutum forma. pro cuius intelligentia obſeruandum eſt, quòd nonnulli ex Diſcipulis S. Thom. ita contendunt charitatem eſſe formam, vt ſine ea cęteras in peccatoribus virtutes doceant nõ eſſe ſimpliciter virtutes, moti authoritate Aug. Proſperi, atq; Fulgẽtij, negantium in peccatoribus vllas virtutes eſſe. Mihi tamen magis probanda videtur oppoſita ſentẽtia, quę eſt Doct. noſtri ſub. quam etiã ſequitur Caiet. 2. 2. q. 23. art. 7. & 8. quę aſſerit

Scotus. *Caietan.*

charitatem eſſe cæterarum virtutum formam, nimirum extrinſecam non intrinſecam, hoc eſt, Charitas eſt forma quæ reddit alias virtutes fructuoſas, quia dat eis, vt per opera ipſarum iuſti vitam æternam mereantur, cum ſine charitate reliquæ virtutes ſint ſteriles, & infructuoſæ, hoc eſt, vitam æternam non conſequuntur. Habent tamen ſine ea ſuum fructum propriũ; quia per ipſas producunt, & præſtant operã, & officia honeſtatis, & virtutis.

Præterea fidem, & ſpem charitas efficit viuas virtutes, atque efficaces; non quod det eis vitam intrinſecam, eſt enim vera fides ſine charitate, vera ſpes abſque charitate, ſed quia præſtat eis meritum, fructum, & officium cœleſti hæreditate dignum. Alioqui ſine charitate dicuntur mortuæ, quomodo etiam ſteriles, & infructuoſæ, operantur enim ſine charitate, ſed æternæ vitæ fructus non ferunt. Alio verò Auguſt. Proſper, & Fulgentius cum Pelagianis decertantes ſpectauere, dicentes veras in peccatoribus non eſſe virtutes. Nam ideo negant in Ethnicis veras virtutes fuiſſe, quia ſteriles erant, & abſque cœleſti, & æterno præmio, & fructu; & plerumque ſtudio, & gratia humanæ laudis, honoris, vel gloriæ. Vel quia diſputabant cõtra Pelagium, qui in hac re ſecutus eſt Stoicorum errorem impium, & ſtultum. Stoici enim quibus Seneca acceſſit Epiſt. 41. dicebant, dari à Deo imperia, opes, vires corporis pulchritudinem, vitam, ſalutem; ſed non virtutes, non bonam mentem, & voluntatem, ſed ſibi quemque ſuis viribus per naturam datam à Deo comparare. Quare Auguſtinus, Hieronymus, Proſper, Fulgentius, & Beda, contra Pelagianos docent non poſſe hominem veras virtutes acquirere per ſolas naturæ vires, ſine auxilio gratuito Dei mouentis, & iuuantis hominem ad bonum cogitandum, volẽdum, & perficiendum, hoc auxilium ipſi Patres contra Pelagium gratiã Dei vocant, nõ quod ſit habitus gratiæ vel charitatis, vel aliquid aliud ſuper naturale bonum, ſed quod ſit adminiculum Dei gratuitum, hoc eſt, ſine hominis merito datum: Nam Pelagius ſufficere dicebat, ad bene volendũ, & agendum ſolam naturam initio datã à Deo, & conſeruarã aſſidue, quodcumque aliud auxilium, etiã quod Theologi commune, & generale vocant, neceſſarium eſſe negabat; vt latius Deo fauente oſtendemus in 2. d. 28.

ARTICVLVS V.

Vtrum Charitas infundatur creaturæ ſecundum perfectionem naturalem.

QVod charitas ſit habitus infuſus in hoc artic. præſupponitur, & patet ex D. Paulo ad Roma. ſcilicet dicẽte, charitas Dei diffuſa eſt in cordibus veſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt vobis. Eſſe autem habitum infuſum, & non actum ſolum, communis Theologorum ſchola docet; & licet olim tanquam ſolum probabilior recepta fuerit hæc opinio. Concilium tamen Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. eam opinionem magis approbaſſe videtur, quod ſit habitus infuſus, cum ait. Impij iuſtificatione merito Sanctiſſimæ Paſſionis Dominicæ per Spiritum Sanctum charitatem Dei diffundi in cordibus eorum, qui iuſtificantur, atque in ipſis inhærere: atq; ſubiungit. Vnde in ipſa iuſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur per fidem, ſpem, & charitatem.

Concilium Trident.

Hoc itaque ſuppoſito tanquam certo, quæritur quando charitas infundetur; vtrum infundatur creaturæ ſecundum perfectionem eius naturalem. Pro cuius reſolutione obſeruandum eſt primo, quod in ſubiecto receptiuo gratiæ duplex reperitur diſpoſitio, naturalis ſcilicet & moralis; eſt autem diſpoſitio naturalis ipſa rei cuiuſcumque naturalis cõſtitutio, quæ fit vt res vna alteri antecellat. Moralis verò eſt tendentia voluntatis in Deum, quæ à Theologis conatus dici conſueuit; eſt autem conatus mentis in Deum per amorem conuerſio, & in peccatum per deteſtationem; eſtque huiuſmodi conatus in adultis proxima ad gratiam diſpoſitio.

In receptiuo gratiæ duplex requiritur diſpoſitio.

Secundo obſeruandum eſt, triplicem eſſe cauſam gratiæ, ſcilicet effectiuam, materialem, & finalem; effectiua cauſa gratiæ eſt Deus; materialis, ſcilicet in qua, eſt ipſum ſubiectum receptiuum gratiæ; finalis verò eſt finis ille, cui gratia deſtinatur, ſcilicet æterna beatitudo.

Triplex eſt cauſa gratiæ.

His obſeruatis ſit prima Concluſio. Si menſura gratiæ expenditur penes cauſam effectiuam, non tribuitur gratia ſecundum naturam ipſius recipientis, ſed ſecundũ voluntatem eius, qui gratiam infundit, vt ſcilicet maior, & minor gratia diuinæ voluntati aſſignetur. probatur Concluſio. In illis quæ gratis, & mere liberaliter ſunt tributa, tota ratio facti eſt voluntas facientis; ſed charitas mere liberaliter, & gratuite tribuitur, ergo &c. 1. Concl.

Secunda Concluſio. Gratiæ menſura non reſpondent perfectiori naturæ præciſe. probatur Concluſio; ſi ſecundum perfectiorem naturã eſſet menſura gratiæ nunquã homines peruenirent ad æqualem gratiam cum Angelis; neque etiam homines inæqualem gratiam haberent, ſed horum vtrumque eſt falſum, ergo &c. probatur ſequela, quo ad primam partem; quia natura Angelica eſt longe præſtantior, quam humana; ergo ſemper recipiet maiorem gratiam, quam humana: probatur etiam quo ad ſecundam partem: quia homines inter ſe æqualem habent naturam, ergo ſemper reciperent æqualem gratiam. 2. Concl.

Tertia Concluſio. Menſura gratiæ accomodatur menſuræ ipſius conatus. Tunc autem conatus dicitur maior, vel quia difficilior, vel quia intenſior, menſura gratię accõmodatur intenſioni conatus; vt ſcilicet intenſius conanti maior gratia, remiſſius conãti minor gratia tribuatur, non verò accomodatur difficultati, probatur prima pars Cõcluſionis. Conatus eſt proxima diſpoſitio, & immediata ad gratiã, ergo qui intenſius conatur, magis ad gratiam recipiendam præparatur, ſed ſubiectum magis diſpoſitum, & ad formam præparatum multo magis impreſſionem ipſius recepti recipit, & proinde perfectiorem formam: ergo iuxta menſurã conatus in intẽſione eſt etiam menſura gratiæ in infuſione. ſecunda pars probatur; Conatus difficilior non ſemper eſt intenſior, & aliquando difficultas conandi ortum habet non ex actionis excellentia; ſed aut ex parua naturæ diſpoſitione, aut ex morum deprauatione, ergo menſura gratiæ non reſpondet difficultati conatus. 3. Concl.

Quarta Concluſio. Æquali exiſtente conatu in difficultate ſi cætera omnia paria concurrunt æquè homo diſponitur ad gratiam; nempe cum eiuſmodi conatus ſit ęqualis non ſolum in difficultate, verum etiam in intenſione. hæc probatur: quia conatui æquè intenſo, æqualis etiam gratia reſpondet, ergo à fortiori ſi etiam in difficultate æqualis ſit conatus. 4. Concl.

Quinta Concluſio. Poſito conatu æquè intenſo ſiue cętera ſint paria, ſiuę non, ſemper æqualis gratia infunditur; ſi verò conatus ſit inæqualis intenſionis, licet cętera omnia paria concurrant, ſiue non concurrant, nunquam æqualis gratia datur. probatur Concluſio, quia menſura gratię pręciſe attenditur ex maiori intenſionem conatus; ergo licet cętera oĩa ſint vel non ſint paria, ſi datur ęqualis conatus in intenſione dabitur ęqualis gratia; ſi vero datur inęqualis, etiam gratia erit inęqualis. 5. Concl.

Sexta Concluſio. Menſura gratię omnino, & ſimpliciter tanquam in primam cauſam refertur; hęc concluſio eſt de fide, & probatur ex illo Ioan. 3. Spiritus vbi vult ſpirat; & primo ad Corinth. 13. Hęc operatur vnus, atque idem Spiritus diuidens ſingulis prout vult, & probatur ratione: Menſura gratiæ correſpondet intenſiori conatui voluntatis, ſed Spiritus Sanctus preuenit excitans ipſam voluntatem plus, vel minus accomodate ad illum gradum gratię, quem ſtatuit & ſibi placuit tribuere; ergo menſura gratię omnino in voluntatem diuinam referenda eſt. 6. Concl.

Ex hac Cõcluſione ſequitur, quod menſura gratię non accomodatur perfectioni naturę ſimpliciter, quamuis multum iuuet naturæ optima conſtitutio ad præſtandum conatum intenſiorem; neque tamen ad gratiam recipiendam, poteſt anima propria virtute diſponi, cum

enim

enim diſpoſitio ſit conuerſio in Deum per amorem, & in peccatoribus per deteſtationem peccati, & hoc niſi à Deo poſſit homo habere, ſequitur, quòd neque diſpoſitionem ad gratiam poteſt homo ſibi tribuere, ſed præcipue Deus. Ipſi verò homini conſentienti Dei vocationi per liberum arbitrium, & cooperanti cum gratia cooperante. Deus enim eſt, qui prius nos præuenit iuxta illud Ieremiæ 31. Conuerte me Domine ad te, & conuertar; atque ita neque iuſtificatio, neque diſpoſitio ad ipſam, viribus naturæ tribuenda eſt; ſed Deo excitanti, & præuenienti voluntatem, & adiuuanti illam ſuo diuino auxilio, vt ſe diſponat ad gratiam, & tandem illam infundenti, ipſi verò voluntati tantum, vt conſentienti, & cooperanti cum Dei auxilio, atque ſic diſponenti; Tota verò efficacia gratiæ, ſeu charitatis Deo tribuenda eſt.

ARTICVLVS VI.

Vtrum præter charitatem infuſam ſit alia charitas noſtris actibus acquiſita.

Ratio dubitandi eſt: quia ſi vltra charitatem infuſam, eſſet ponenda charitas acquiſita, duo habitus eiuſdem ſpeciei eſſent ſimul in eadem voluntate, conſequens eſt falſum; ergo & antecedens; conſequentia probatur: quia ſi ex frequentatis actibus diligendi Deum ſuper omnia poteſt acquiri habitus ſimiliter inclinans, ad diligendum Deum ſuper omnia, & cum hoc ponitur etiam charitas infuſa; ergo in eadem voluntate ſunt duo habitus eiuſdem ſpeciei, ſcilicet charitas infuſa, & acquiſita; & quod huiuſmodi habitus eſſent eiuſdem ſpeciei patet, quia diuerſitas ortus non variat ſpeciem; ſed nulla eſſet differentia inter iſtos habitus niſi ratione cauſarum efficientium: Nam ratione obiecti eſſent eiuſdem rationis, quia reſpicerent idem obiectum ſub eadem ratione formali, ſcilicet ſub ratione Deitatis; at ſola cauſa efficiens diuerſa non diſtinguit effectus ſpecie, vt docent D. Auguſt. lib. 3. de Trinit. cap. 9. & D. Am-
D. Aug. broſius, de Incarnatione Verbi dicens, quod differentia
D. Amb. originis non diuerſificat ſpeciem; quod patet de homine per creationem, & per generationem producto; Adam enim fuit eiuſdem ſpeciei nobiſcum.

Hanc difficultatem tangit, & ſoluit Doct. ſub. in hac quæſt. in argumento quarto principali, & eius ſolutione. Vnde obſeruan. eſt, quòd de hac difficultate duæ ſunt opiniones; prima dicit quemadmodum ex actibus fidei, & ſpei infuſæ generatur in nobis quidam alius habitus, qui eſt acquiſita fides, & ſpes; ſic etiam ex actibus charitatis infuſæ relinquitur quidam habitus, qui eſt charitas acquiſita, non tamen eſt virtus Theologica: quoniam à Deo nequaquam infunditur; eſt tamen habitus Theologicus, quippe, qui circa Deum proximè verſatur. Ita Scotus, Duran. Maior, Gabriel, Marſilius, Almainus. Hē-
Scotus. ricus, Ocham. Scotus quidem in hoc 3. d. 23. q. 1. artic. 1.
Durand. Henr. quol. 5. q. 23. Duran. in 1. d. 17. q. 10. num. 21. Ochā,
Maior. & Gabr. in 3. d. 23. q. 1. Marſil. in 3. q. 14. art. 1. Almain. in
Gabriel. 3. d. 23. q. 3. & tract. 2. moralium c. 3. Maior in 3. d. 23. q.
Marſilius. 3. §. ad tertium. Hi omnes cenſent ex frequentatis acti-
Almain. bus habituum infuſorum habitum generari, qui eſt, &
Henricus. dicitur habitus acquiſitus. Idque probant experientia,
Ocham. & ratione. Nam hæreticus poſt amiſſam fidem infuſam facile, & expedite credit veros eſſe cæteros fidei articulos, in quibus ipſe non errat; facile quoque, & prompte ſperat, ſe conſecuturum bona cœleſtia, quæ antea dum erat Catholicus ſperabat, is itidem, qui in lethale peccatum lapſus charitatem amiſit experitur ſe habilē, & promptum ad Deum amandum; ergo cum virtutibus infuſis per peccatum contrarium amiſſis, experiamur nihilominus nos propenſos, expeditos, & promptos ad actus ſimiles eliciendos; ergo aliquis habitus permanet ſupernaturalibus excluſis. Secundo: quia fieri non poteſt, vt quis ſe in alicuius virtutis actibus ſæpius exerceat, quin habitum ſibi comparet; nam frequens exercitatio ſponte, & voluntate ſuſcepta, reddit hominem expeditum, & promptum ad producendos actus ſimiles iis, in quibus ſeſe diu exercuit. Tertio, quia habitus ſupernaturalis non impedit, quin homo ſe in voluntariis actibus exerceat; ſed voluntarii actus frequenter repetiti neceſſario generant habitum, quo promptiores efficiamur ad agendum; ergo &c.

Altera ſententia eſt, quæ plane negat habitum chari-
tatis acquiſitum; & hæc eſt S. Thomæ 1. 2. q. 51. artic. 4. *D. Thom.*
ad tertium, negantis ex actibus habitus infuſi vllum habitum gigni, ſed priorem roborari, confirmari, & perfici. D. Thomam ſequuntur eius diſcipuli; Quod ſic probant. Actus habitus infuſi aut generant habitum eiuſdem ſpeciei; aut diuerſæ. Non primum: quoniam habitus infuſus talis eſt, vt per naturam fieri non poſſit, ſed acquiſitus habitus per naturam fieri poteſt; ergo &c. Non ſecundum, quia habitus fit ex actibus eiuſdem ſpeciei.

Deinde actus virtutis infuſæ ſunt ſupernaturales, eo quod per naturam fieri nequeunt; ergo habitum gignūt naturalem, vel ſupernaturalem; non naturalē, quia ille non eſſet eiuſdem ſpeciei cuius ſunt actus, ex quibus comparatur: Non ſupernaturalem: quia alioqui ex actibus noſtris non fieret, & acquiſitus habitus non eſſet.

Tertiò, quia actus fidei eſt, quo credimus aliquid, quia dictum à Deo; actus ſpei, quo deſideramus bona cœleſtia, & diuina, videlicet bona gratiæ, & gloriæ, quatenus promiſſa nobis à Deo, & ab eo liberaliter habenda; actus charitatis, quo amamus Deum, vel aliquem alium propter ipſum Deum, hoc eſt, cui volumus bona diuina, vt ipſam grām & gloriā ex ipſo Deo, & ꝑp ipſum Deum: nam modus charitatis pertinet ad ſubſtantiam ipſius actus charitatis; & actus pœnitentiæ eſt, quo peccatum commiſſum deteſtamur propter charitatem Dei; at ex his actibus habitus acquiſitus fieri non poteſt, quoniam aut per illum habitum ſimiles actus produceremus, aut ſecus; ſi ſimiles; ergo in hæretico eſſet actus, quo crederet aliquid, quia dictum à Deo; & in eo, qui deſperat eſſet actus, quo ſperaret aliquid, quia promiſſum à Deo, & in peccatore eſſet actus charitatis, quo ſe, vel alterum, & Deum diligeret ex ſe ipſo, & propter ipſum Deum; & eſſet actus pœnitentiæ, quo de peccato doleret propter amorem Dei; quæ ſingula ſunt abſurda. Non diſſimiles, quia vt ſæpe iam dixi, habitus non
gignit actus niſi ſimiles iis, ex quibus eſt genitus. Richar- *Richard.*
dus in 4. diſt. 14. art. 4. q. 1. Vtramque opinionem eſſe probabilem exiſtimauit.

Nos autem exiſtimamus eſſe habitum charitatis acquiſitum, non qui ſit aliqua charitas ex ſolis naturæ viribus, & communi Dei auxilio progenita, vt diſcipuli S. Thomæ, Scotum, & alios voluiſſe, falſo putauerunt, ſed qui ſit habitus ex actibus charitatis infuſæ peculiari Dei auxilio paſſim iteratis, & repetitis identidem comparatus, quem quidem non per ſe ipſum producit habitus charitatis infuſæ, ſed per actus noſtros ex habitu profectos, & ſæpe repetitos acquirimus.

Pro ſolutione tamen argumentorum oppoſitæ ſententiæ obſeruan. eſt, actus habituum infuſorum, quod ad eorum ſubſtantiam ſpectat, eſſe eiuſdem ſpeciei, cuius ſunt actus habituum acquiſitorum, de eodem obiecto, & in eadem materia verſantes, & ſolum differre modo, & ratione, quod videlicet illi ſunt ſupernaturales actus, hi verò naturales, hoc eſt, illi actus ſunt ex habitu ſupernaturali, ſiue ſupernaturali auxilio Dei facti, hi verò ex habitu acquiſito, ſiue auxilio Dei generali, & communi; ſicut, quæ ſunt natura, vel arte facta, vt calor, vel candor, ſubſtantia non differunt, ſed modo; ſic ſicut furtum, vel homicidiū per ignorantiā, vel amentia, vel ſomnū cōmiſſa, ſubſtantia non diſtinguuntur ab homicidio, & furto ſcienter, & voluntariè perpetratis, quamuis moraliter diſtinguantur, hæc enim ſunt in vitio, & culpa, illa minimè. Actus igitur habituum infuſorum cum eiuſdem ſint ſubſtantiæ, cuius ſunt actus habituū acquiſitorū, gignunt habitus acquiſitos, non quatenus ſunt actus ſupernaturales, hoc eſt, non quatenus ſunt ex habitu, vel auxilio Dei ſuper naturali, ſed quatenus ſunt eiuſdem ſubſtantiæ, cuius ſunt actus habituum acquiſitorum; quemadmodum ex ſtatua lignea poteſt generari lignum, non vt ex arte facta, ſed quatenus lignea eſt.

Secundò obſer. eſt, actus habituum infuſorum for-

nam

Digitized by Google

mam, & rationem habere, quia ſunt quidam actus, & ſunt etiam rationis, vel voluntatis opera; hoc enim commune habent actus naturales, & ſupernaturales, eſto quod propriam rationem haberent, qua ſpecie à ſe inuicem diſtinguerentur quatenus ſunt naturales, vel ſupernaturales; & quemadmodum huiuſmodi actus ſiue naturales, ſiue ſupernaturales ſint, ex ea ratione, qua ſunt actus à nobis facti, generant ſimulacra quædam, & imagines, quibus recordamur nos credidiſſe, ſperaſſe, & amaſſe, & per pœnitentiam de peccato doluiſſe, ſic etiam ea forma, & ratione, qua ſunt actus voluntarij, & à nobis ſæpius repetiti generant habitus quoſdam, quibus prompti, & expediti reddimur ad credendum, ad ſperandum, diligẽdum, & per pœnitentiam de peccato dolendum. Primũ notabile elicitur ex Doct. noſtro ſub. in 4. d. 14. quæſt. 2. Et Almaino ibidem. Gabriele in 3. d. 27. quæſt. 1. & in 4. d. 14. q. 1. art. 2. concl. 5. & art. 3. dub. 2. vbi citat Ocham, & Petrum Aliacenſem, & eſt nedum ſententia adhærentium Scoto; ſed etiam diſcipulorum S. Thom. Palud. in 4. d. 14. quæſt. 1. Capreoli in 1. d. 17. q. 1. artic. 1. ad argumenta Aureoli, Caiet. 1. 2. q. 109. artic. 4. Medinæ, 1. 2. q. 109. art. 4. dub. 2. Et Soti lib. 1. de natura & gratia c. 22. & lib. 2. cap. 14. hi omnes affirmant actus habituum infuſorum eſſe eiuſdem ſubſtantiæ, cuius ſunt actus habituũ acquiſitorum circa eamdem obiectam materiam, & ſolum ſpecie differre, modo, & ratione, vt explicauimus ſupra.

Scotus. Almain. Gabriel. Ocham. Palud. Capreolus. Caietan. Soto. Medina.

Ad primum argumentum pro ſententia D. Thomæ reſpondeo, ex actibus habituum infuſorum ſæpe replicatis habitum generari naturalem, non ſupernaturalem, quia non fit ex huiuſmodi actibus quatenus ſunt actus ſupernaturales, ſed quo ad eorum ſubſtantiam, ratione cuius ſunt eiuſdem naturæ cum actibus habituum acquiſitorum, atque adeo habitus acquiſitus, & infuſus ſunt alterius ſpeciei, generant ergo habitum alterius ſpeciei ab habitu cuius ſunt actus; & per hoc patet etiam ad ſecundum. Sed inquies, quomodo actus, qui eſt ſupernaturalis poteſt naturalem habitum generare? Scotus, Durandus, Ocham, Gabriel, & cæteri reſpondent, ex eo poſſe, quia actus, verbi gratia, credendi res fidei naturalis, & ſupernaturalis, re ipſa, & ſubſtantia non differũt, ſed modo, & ratione, eo quod naturalis fit per naturam ſine habitu, & auxilio Dei ſupernaturali; ſupernaturalis verò actus non eſt, niſi fiat ex ſupernaturali habitu, & auxilio Dei, & quemadmodum ſtatua lignea lignum generat, non vt eſt arte facta, ſed vt eſt natura lignum; ſic actus credendi, non vt eſt ex ſupernaturali principio, videlicet habitu infuſo, vel auxilio Dei, ſed vt eſt actus rationis ſæpe iteratus, generat habitum nõ ſupernaturalem, qui vim naturæ ſuperat, ſed naturalem, qui ipſo vſu, & exercitatione credendi comparatur.

Scotus. Durand. Ocham. Gabriel.

Per idem patet etiam ad tertium: Nam facultas in actibus ſupernaturalibus ſeſe diu & ſæpius exercens redditur expeditior, & promptior ad agendum, non quidem, quod reddatur expeditior ad ſupernaturaliter agendum, hoc enim habet non ex vſu, & exercitatione, ſed ex habitu ipſo, & auxilio ſupernaturali, ſed ex eo, quod ſæpius credit, ſæpius ſperat, ſæpius diligit Deum, & ſæpius ob amorem Dei peccatum deteſtatur, fit habilis, expedita, & prompta ad credendum, ſperandum, diligendum Deum, & ad dolendum de peccatis vſu, & exercitatione, vnde hæreticus credit ea in quibus non errat, non quidem ex habitu fidei infuſo, ſed ex aſſuetudine, & habitu, quem ſæpius ante credendo comparauit, nec credit ea, quia Deus dicit, ſed quia eſt aſſuetus credere, & eodem modo ad cætera, quæ ſunt obiecta, reſpondeo.

Ad rationem dubitandi in principio art. poſitam reſpondeo, negando conſequentiam; non enim poteſt ex actibus acquiri aliquis habitus eiuſdem ſpeciei cum charitate infuſa, licèt poſſit acquiri aliqua amicitia tendens in Deum ſub eadem ratione obiecti, & etiam per actum ſimilem; quia ſuper omnia diligendo. Negandum eſt itaque charitatem infuſam, & acquiſitam eſſe eiuſdem ſpeciei. Ad D.D. Auguſt. & Ambroſium dicit Doct. quòd quæcumque natura non poteſt eſſe ab aliquo efficiente eiuſdem ſpeciei cum efficiente alterius, nõ eſt eiuſdem ſpeciei cum illa alia. Vult dicere Scotus, quod producibilia ſunt in duplici differentia, quædam ſunt, quæ licèt producantur à diuerſis producentibus, ab vno tamen ſecundum ſpeciem produci poſſunt, vt rana per putrefactionem progenita, & rana geſita per propagationem, non differunt ſpecie; quia poſſunt produci ab eodem producente in ſpecie; vtraque enim rana poteſt produci per propagationem; & de iſtis intelligunt D. D. Auguſtinus, & Ambroſius, quod ſola diſtinctio originis non variat ſpeciem. Alia ſunt producibilia, quæ producuntur à diuerſis producentibus ita determinatè, quod nõ poſſunt produci alio modo; vt in propoſito charitas infuſa ſic à Deo immediatè producitur, quod non poteſt alio modo produci; etſi charitas acquiſita poſſet à Deo produci, & de iſtis producibilibus non intelligunt prædicti Patres. Charitas ergo infuſa, & charitas acquiſita differunt ſpecie; tamen actus eliciti ab illis, quo ad ſubſtantiam non differunt ſpecie, quia tales habitus non ſunt principia totalia actuum, ſed duntaxat partialia.

ARTICVLVS VII.

Vtrum charitas augeatur quolibet actu meritorio.

IN hoc articulo præſupponitur charitatem augeri poſſe, augetur autem, non quia noua pars habitus gignatur, & prior intereat, vt docent Burleus, Gotfredus, ac etiam Durandus. Neque per hoc, quod firmior in ſubiecto fiat abſque vlla nouæ partis acquiſitione, vt docent D. Thomas 1. 2. q. 12. art. 2. & 2. 2. q. 24. art. 5. & Ægidius quol. 2. q. 14. ſed quia præexiſtenti charitati, nouus gradus, ſeu noua pars additur, quæ cum ea coniungitur; ex quo fit habitus maior, & amplior; non quod illæ partes, vel illi gradus habitum conſtituant ſicut potentia, & actus, nec continuatione, vel extenſione colligatione vè vlla, ſed intenſione; quia ſunt partes eiuſdem habitus intenſionis in eadem ſubiectæ materiæ parte inhærentes; vt docet Scotus in 1. d. 17. q. 3. Henricus quol. 5. quæſt. 16. Gregorius in 1. d. 17. q. 4. art. 1. Gabriel in 1. d. 17. q. 4. & cæteri omnes Theologi.

Burleus. Gotfred. Durand. D. Thom. Ægid.

Scotus. Henric. Gregor. Gabriel.

Pro cuius ampliori intelligentia, quantum ad propoſitum ſpectat obſeruandum eſt, quòd aut habitus eſt acquiſitus aut diuinitus infuſus; ſi acquiſitus tunc actus eſt cauſa efficiens incrementi; nam quemadmodum actus, vt cauſa efficiens habitum gignit, ſic etiam auget, cõfirmat, & perficit. Si à Deo infuſus ſit habitus, tunc noſter actus non eſt cauſa efficiens incrementi, quia ſicut initio Deus, vt cauſa efficiens, facit, & infundit habitum; ſic cõſeruat, auget, & perficit. Cæterum noſter actus aliquando meretur incrementum habitus infuſi; aliquando verò non meretur, ſed præparat hominem, vt habitus augeatur, v. g. in homine iuſto Dei gratia prædito actus, charitatis fidei, ſpei, aut pœnitentiæ cum ſint gratia formati merentur eorum habituum incrementum; in peccatore verò in quo manent fides, & ſpes, charitatis formæ, & vitæ priuatæ, augeri poſſunt, quia poteſt peccator actus fidei, & ſpei maiores, & vehementiores, & intenſiores elicere, qui actus, cum ſint peccatoris Dei gratia carentis, non merentur, ſed ſunt debitæ, & legitimæ præparationes, quibus ipſi habitus augentur. Deus enim conſtituit, vt ſtatim atque actus fidei, vel ſpei fuerit intenſior, habitus incrementum ſuſcipiant, auctiores, & maiores effecti.

Quod autem charitatis habitus augeatur probatur per illud ad Epheſ. 4. Veritatem autem facientes in charitate creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, &c. Et ad Philip. 1. Vt charitas veſtra magis, ac magis abundet: ex quibus ſic arguitur, ſi charitas augumentabilis nõ eſſet, fruſtra D. Paulus pro eius incremento preces adhiberet; ergone oratio D. Pauli fruſtranea ſit charitas augumentabilis eſt. Secundo probatur ratione; omnis habitus habens latitudinem augumentabilis eſt; charitas habet latitudinem; ergo &c. probatur maior, habere latitudinem eſt habere gradus maioris, & minoris perfectionis ſub eadem ſpecie; ſed id, quod habet latitudinem, & gradus maioris, & minoris perfectionis poteſt, de imperfecto

perfecto

Digitized by Google

perfecto gradu, ad perfectum adduci, & hoc eſt augeri; ergo omnis forma, vel habitus habens latitudinem eſt augmentabilis; probatur illa minor, quia non ſolum in diuerſis ſubiectis; ſed etiam in eadem, modo maior, modo minor cernitur charitas; ergo charitas recipit gradus perfectionis, & per conſequens augmentabilis eſt.

Augetur verò charitas effectiuè à Deo, vt ſupra diximus, à nobis autem meritoriè, vt patet per illud 1. Corint. 4. Potens eſt autem Deus omnem charitatem abundare facere &c. Tum quia habitus augetur à principio, à quo procedit, ſed charitas à ſolo Deo infunditur; ergo ab illo ſolo effectiuè augetur.

Hoc ſuppoſito; quo ad propoſitam quæſtionem ſunt tres ſententiæ, prima aſſerit quolibet actu charitatis etiā remiſſo augeri charitatem, & hæc opinio eſt nominaliū,
Gabriel. vt videre eſt apud Gabrielem in 1. d. 17. q. 4. & Cordubā
Corduba. lib. 1. quæſt. Theologic. q. 9. & probatur, quia aliàs ſequeretur, quod qui modo ex pluribus meritis etiam remiſſis eſt acceptus Deo ad maiorem gloriam & gratiam recipiendum, eſſet nunc minus gratus per minorem gratiam de præſenti; hoc autem eſt contra rationem: quia per eamdem gratiam eſt nunc, & poſtea, homo magis, vel minus acceptus.

Durand. Secunda opinio eſt Durandi in 1. diſtin. 17. quæſt. 8. tenentis, quolibet actu charitatis meretur augmentum vitæ æternæ, & in hoc conuenit cum Sancto Thoma, & Scoto, non tamen meretur charitatis incrementum, niſi actio ſit intenſior habitu; vnde actu charitatis remiſſo nihil charitatis meretur ſtatim, aut poſtea exhibendum; & probatur hæc ſententia: quia ex ſententia D. Thomæ, & Scoti homo remiſſe operans meretur augmentum charitatis non ſtatim exhibendæ, ſed cum conatum adhibuerit ad charitatis incrementum; ergo operatione remiſſa nihil meretur; probatur conſequentia, quia cum homo toto potentiæ conatu operatur, conſequitur augmentum, merito illius operationis ſolum; ergo non merito præcedentis operationis remiſſæ, quod patet, quia proportio in augmento reſpondet proportioni intenſionis illius operationis.

D. Thom. Tertia opinio eſt Sancti Thomæ 1. 2. q. vltima art. 8. & quæſt. 52. art. 3. & 2. 2. quæſt. 24. artic. 6. cuius ſententia conſiſtit in duobus dictis. Primum eſt, quilibet actus charitatis diſponit ad augmentum charitatis, probatur; augmentum charitatis ſequitur ad actionem feruentem charitatis poſito conatu voluntatis, ſed homo per charitatem operans efficitur habilior ad operandum, & hac habilitate creſcente in actionem ardentiorem charitatis prorumpit; ergo per quemlibet actum charitatis homo diſponitur ad incrementum charitatis. Præterea gloria proportionem habet ad gratiam tanquam ad diſpoſitionem de lege prærequiſitam, ex quo gloria eſt ipſa gra-
D. Bonauētura. tia conſummata, vt declarat S. Bonauentura in 2. diſt. 27. art. 2. q. 3. ergo per eumdem actum meritorium gloriæ meretur homo nouam gratiam: & in hoc conueniunt omnes Doctores cum B. Thoma 1. 2. quæſt. vltima artic. 8.

Secundum dictum Sancti Thomæ eſt, quolibet actu charitatis meretur homo augmentum charitatis non ſtatim dandum, ſed cum conatur ad augmentum charitatis, id eſt, cum actio à charitate elicita ſiue imperata eſt ex toto conatu, quem voluntas præſtare poteſt per charitatem operando. Pro cuius dicti intelligentia obſeruandum eſt, quòd D. Thomas, 1. 2. quæſt. 52. art. 3. dicit, intenſiores actus augere habitum, æquales verò præparare hominem ad hoc, vt tandem habitus augeatur; remiſſiores autem nec augere, nec ad incrementum, ſed potius ad in-
Medina. teritum præparare. Hoc vltimum probat Medina ex Ariſt. 2. Ethic. c. 2. vbi docet ſicut corporis vires, & valetudo paruo labore, & exercitatione modica minuuntur, ſic etiam habitus. Cæterum ego exiſtimo, cum S. Thomas ait remiſſiores actus ad interitum habituum, non ad incrementum præparare, non hoc ideo dixiſſe, quia actus remiſſior per ſe ad actus interitum faciat, ſed ex accidenti: Cum enim negligentius, & remiſſius operamur, minus contrarijs habitibus, & affectibus obſiſtimus, ac propterea obrepunt, & valent affectus contrarij, quibus validioribus effectis paulatim habitus euaneſcit, opinio; ergo Sancti Thomæ eſt, quæ fuit etiam opinio Scoti, Durandi, & veterum Scholaſticorum, in enſioribus actibus charitatem ſtatim augeri, remiſſioribus verò aut æqualibus promereri quidem hominem iuſtum Dei gratia prædiuum incrementum, ſed non ſtatim id conſequi, ſed cum feruentiorem, maiorem, intenſiorem actum præſtat.

Et probatur primo: quia ſicut in augmento corporali prius natura operatur diſponens ad augmentum, & poſtmodum producit augumentum, ita quolibet actu charitatis non augetur charitas, ſed quilibet actus diſponit ad charitatis augmentum, quia vno actu charitatis redditur homo promptior ad iterum agendum ſecundum charitatem, quouſque homo feruentiorem actum charitatis habeat, atque ita augeatur charitatis habitus.

Secundò probatur, habitus charitatis in hac vita datur, & augetur, vt forma, in altera verò datur, vt præmiū meritorum, & vt ſtipendium, & vt merces laborum, quare in altera vita tantumdem gloriæ datur, quantum meritorum, & labori in hac vita præceſſerit, vt referat vnuſquiſque prout geſſit in corpore ſuo, & metant ſinguli prout ſeminauerunt; ſed quia forma maior, & minor in materiam inducitur pro maiori, ac minori diſpoſitione eius, cui ineſt, hinc eſt, vt in hac vita habitus charitatis non creſcat ſtatim, vt actus remiſſior exiſtit, quia eiuſmodi actus non eſt debita, & idonea hominis præparatio ad incrementum.

Deinde habitus charitatis cū initio diuinitus infundatur, datur maior, aut minor pro maiori, minoriue hominis ad eum preparatione; ergo deinde non augetur, ita vt amplior, & perfectior euadat, niſi fuerit intenſior, & maior hominis præparatio.

Obijcies, ſufficere ſi ex parte hominis meritum præcedat: quoniam incrementum charitatis actus noſter non facit, ſed meretur; at quilibet actus charitatis meretur incrementum; ergo illud ſtatim aſſequitur. Verum eſt meretur quidem, ſed ſtatim non aſſequitur donec ſit idonea, & legitima hominis ad incrementum præparatio.

Deinde obijcies, quolibet actu etiam remiſſiori iuſtus gloriam cœleſtem promeretur; ergo fit acceptus ideo ad ampliorem, cumulatioremque gloriam, ac proinde ius ad ampliorem gloriam habet, ſed gratia eſt ius ad gloriam; ergo eo ipſo habet maiorem gratiam. Reſpondeo, per actus remiſſiores charitatis acquirimus ius ad gloriam tanquam ad præmium meritorum, & mercedem laborum, ſed per habitum charitatis, velut filij adoptionis effecti conſequimur ius ad gloriam tanquam ad hæreditatem, ac proinde nō eſt neceſſe, vt quo plura ſunt hominis iuſti merita, hoc ipſo ſtatim conſequatur maiorem habitum charitatis, ſicut enim faciunt, vt ſibi plenior gloria debeatur, quam tamen minimè continuè aſſequuntur, ita etiam faciunt, vt ſibi debeatur charitatis incrementum, ſuo tamen tempore non ſtatim obtinendum.

Scotus in 4. diſt. 21. quæſt. 1. & in 1. diſt. 17. dicit idem quod S. Thomas, ſed ſuperaddit, quod ſi in hac vita, *Scotus.* propter defectum diſpoſitionis ſupradictæ, non datur augmentum charitatis, reſeruatur pro tempore mortis, vbi gloria danda eſt ſimul cum gratiæ augumento, quæ ad gloriam eſt diſpoſitio prærequiſita, & tunc augetur ille habitus in eſſe gratiæ, vel ad effectum gratiæ, etiam ſi nō augeretur in eſſe charitatis inclinātis ad opera eius, & idem tenet Richardus in 2. diſtin. 26. Diſpoſitio autem cuius defectu non ſtatim datur gratiæ augmentum eſt, quando homo ita vtitur gratia accepta ſecundum proportionem virium ſuarum, vt in nullo deſit ipſi gratiæ acceptæ per negligentiam iuxta illud Pauli: Gratia Dei in me vacua non fuit, & tunc ſufficienter diſponitur ad gratiæ augmentum.

Quæres, An actus noſter intenſior augeat habitum ea tantum magnitudine, qua conſtat actus? Gabriel in 1. d. *Gabriel.* 17. q. 4. art. 3. dub. 2. & in 4. d. 14. q. 3. art. 3. dub. 3. Almain *Almain.* tract. 2. moralium c. 10. & Maior in 1. diſtin. 17. quæſt. 4. *Maior.* cenſent incrementum habitus infuſi fieri tota ea magnitudine, quam habet actus intenſior, eo quod eiuſmodi actibus iuſtus promeretur incrementum habitus, ſed per totum actum meretur vti habitus augetur; ergo non

auget

Digitized by Google

auget ſolum ex magnitudine, quæ habitum excedit, ſed etiam ex tota, quam habet quantitate.

Sed probabilius eſt, quod D. Thomas, Scotus, & cæteri Scholaſtici tradiderunt; *D. Thom. Scotus.* intenſiori actu habitum charitatis augeri, non quidem ex tota magnitudine, qua conſtat actus, ſed ex ea, quæ habitum gratiæ vincit, & ſuperat, quia ex ea parte eſt debita præparatio ad incrementum. Nec idem iuris eſt de gloria cœleſti, quæ reſpondet, & datur toti magnitudini meritorum, quod eſt de habitu charitatis in hac vita, quæ datur, vt forma, quæ reſpondet debitæ, & legitimæ hominis præparationi; at idonea præparatio, actus noſter, non eſt niſi ex ea parte, qua eſt habitu intenſior, ſuperior, & maior; quare in altero ſeculo dabitur incrementum gloriæ reſpondens toti magnitudini actus: Nam etiam cum opus charitatis eſt melius, vel maiori bonitate rei obiectæ, vel difficultate ipſius operis, vel continuatione maiori, cumulatiorem gloriam promeremur, & tamen non ſtatim in hac vita ampliorem habitum gratiæ conſequimur, ſed in altera vita cum primum è vita diſcedimus, in ipſo nempe inſtanti ſeparationis animæ à corpore, vt dicit Scotus in 4. *Scotus.* diſtin. 21. quæſt. 1. ſub littera F. §. Iſtud eſt probabile in alijs.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum Deus ſit obiectum charitatis, vt eſt bonum noſtrum beatificum ſupernaturaliter.

De obiecto charitatis poſſumus loqui bifariam, vno modo de eius obiecto materiali; altero modo de obiecto eius formali. Quantum ad primum conueniunt omnes Doctores, quod Deus eſt obiectum per ſe primum habitus charitatis, tum quia charitas eſt virtus Theologica, tum quia non habet minus nobile obiectum, quam fides, & ſpes; Tum quia idem eſt obiectum fruitionis beatæ, & charitatis, quæ manet etiam in patria; Tum demum, quia perfectiſſimus habitus dilectiuus reſpicit pro obiecto per ſe primo primum diligibile, in quo ſolo poteſt diligens perfectè quietari, tale autem eſt Deus; ergo &c. ſed Controuerſia eſt de ratione formali. *D. Thom.* Nam D. Thomas, 2. 2. q. 23. art. 4. videtur tenere, quod Deus, vt eſt beatificans eſt obiectum charitatis: quia cum charitas ſit amicitia hominis erga Deum, & è conuerſo, amicus autem amat amicum gratia ipſius amici ob hoc ſolum; quia videlicet eſt ſibi vnitus ex amicitia; ſequitur, quod charitas amat Deum propter ſe ipſum: quia illi vnitur ex ſupernaturali amicitia; & quia amicitia gaudet communicatione bonorum; communicatio bonorum, quibus gaudet charitas, & ſulcitur vnio charitatis ad Deum, eſt beatitudo; atque ita ſecundum D. Thomam bonum beatitudinis eſt ratio obiectiua charitatis.

Deus itaque ſecundum D. Thomam eſt primum, & formale obiectum charitatis, & actus diligendi Deum meritoriè, ſecundum quod eſt principium, & finis boni noſtri ſupernaturalis, puta gratiæ & gloriæ, atque ita, vt eſt bonum noſtrum beatificum ſupernaturaliter. Hoc probat. q. 26. art. 3. Tum quia Deus eſt obiectum amoris naturalis ad ipſum ſecundum, quod eſt principium, & finis boni naturalis ipſius creaturæ, vt videtur. Tum quia ratio formalis in obiecto accipienda eſt ſecundum medium ductiuum, vel motiuum ipſius potentiæ in tale obiectum. Sed tales perfectiones ſupernaturales ſunt media inductiua, & motiua voluntatis ad diligendum Deum ex charitate, & amore ſupernaturali; ergo &c. Tum quia ſi Deus nõ eſſet bonum creaturæ beatificum; eſto, quod in ſe eſſet ſummum bonum, nunquam eſſet diligendus à nobis ex charitate, verbi gratia, ſi eſſet vnus Deus alius, qui non beatificaret nos. Sicut etiam ſi eſſet vnus alius Deus, qui non conferret nobis bona naturalia, nec intromitteret ſe de iſto mundo, non eſſet diligendus naturaliter à nobis. Eſt ergo iuxta hanc ſententiam Deus obiectum charitatis in quantum ſummum bonum in ſe, & nobis, nec alterum ſufficit. Et in quantum eſt ſummum bonum ſupernaturale nobis conferens bona ſupernaturalia gratiæ, & gloriæ, eſt obiectum amoris ſupernaturalis, ſcilicet charitatis. Sed eſt obiectum amoris naturalis, circa ipſum, quatenus eſt ſummum bonum, nobis conferens bona naturæ, vt principium, & finis bonorum noſtrorum naturalium; atque ita non ſecundum eamdem rationem formalem eſt obiectum charitatis, & amoris naturalis, vt patet. Nam amor naturalis ad rationem ſupernaturalem in obiecto attingere minimè poteſt, ſed ſolum amor ſupernaturalis, qui dicitur charitas.

Hanc ſententiam tangit Doct. ſub. in hac q. art. 2. ſub littera A. §. De ſecũdo dico, & eam impugnat ſub eadem litt. §. Secundum improbatur, duabus rationibus, & prima eſt talis. Actus charitatis, qui eſt perfectiſſimus reſpicit Deum ſub perfectiſſima ratione diligibilitatis, at ratio beatificatiui non eſt in Deo perfectiſſima ratio; ergo Deus ſub ratione beatifici non eſt obiectum charitatis; maior de ſe patet; & minor probatur: quia eſſe beatificum dicit tantum in Deo reſpectum rationis, quo ipſe Deus comparatur creaturæ amanti, vt obiectum beatificans; talis autem reſpectus rationis nullam perfectionem dicit. Cum ergo charitas reſpiciat Deum, vt obiectum primum, & immediatum, ſub ratione perfectiſſima obiectiua; quia aliàs charitas non eſſet habitus Theologicus perfectiſſimus, ſequitur, quòd Deus ſub ratione beatificatiui non eſt obiectum charitatis.

Secundò arguitur. Si Deus inquantum eſt bonum beatificum eſt obiectum formale charitatis, quæro quid eſt eſſe beatificum? aut dicit reſpectum aptitudinalem, quo natus eſt beatificare, id eſt, Deus, qui eſt aptus natus beatificare eſt obiectum charitatis, vel quia eſt aptus natus beatificare eſt obiectum charitatis; aut dicit reſpectũ actualem, id eſt, Deus ſub ea ratione, qua actu beatificat eſt obiectum charitatis. Si primo modo. Contra; aptitudo non eſt ratio terminandi actum perfectum perfectè niſi ratione naturæ cuius eſt aptitudo: quia licèt aptitudo naturæ ſit realiter perfectio naturæ, non eſt tamen perfectio naturæ formaliter, vt patet inductiuè per omnes aptitudines; atque adeo aptitudo ſemper complicat ſecum naturam cui ineſt. At eſſe rationem formalem terminandi actum perfectum, qualis eſt actus charitatis, neceſſariò eſt perfectio ſimpliciter, & maximè loquendo de actu charitatis, quo Deus diligitur ſuper omnia: Nam eſſe rationem formalem agendi, & eſſe rationem formalem terminandi actum perfectum, neceſſariò dicit perfectionem, vt patet à Scoto in 1. diſt. 1. quæſt. 2. atque adeo talis aptitudo non eſt ratio formalis obiecti habitus, vel actus charitatis. *Scotus.* Addas, quòd cum illa aptitudo nihil reale ſit in actu, ſi eſſet ratio formalis obiectiua charitatis, ratio formalis obiectiua charitatis non eſſet aliquid reale in actu, quod videtur abſurdum.

Si dicatur ſecundo modo ſcilicet, quod eſſe beatificum dicat reſpectum actualem. Contra: quia eſſe obiectum beatificum actu, ſiue actu beatificare, eſt poſterius ipſo actu, patet, quia actu beatificare, eſt actu terminare actũ fruitionis; ſed fruitio ſaltem prius natura intelligitur elicita, quam terminetur ad obiectum; ergo cum in illo priori, in quo elicitur, habeat obiectum cum ſua ratione formali: nam obiectum cũ ſua ratione formali eſt prius actu elicito, & ad ipſum terminato, ſequitur, quod terminare actum, quod idem eſt, quod beatificare; non eſt ratio formalis obiecti habitus, & actus charitatis.

Præterea appetere bonum, vt huic, id eſt, vt bonum noſtrum, vel vt beatificatiuum amantis, magis eſt obiectum affectionis commodi; quam affectionis iuſti, vt patet, at voluntas ſecundum affectionem commodi non perficitur ab habitu charitatis, ſed ab habitu ſpei, vt diximus diſtin. præcedenti præciſe enim voluntas perficitur à charitate ſecundum affectionem iuſtitiæ; ſi ergo eſſe beatificum actu, eſt ratio formalis obiecti charitatis, ſequitur, quod charitas inclinet præciſe voluntatem ad amandum Deum, quatenus eſt bonum beatificum, id eſt, cõmodum mihi; & cũ eiuſmodi amor ſit ſecundum affectionem commodi, charitas non diſtingueretur à ſpe, quod eſt falſum. Nam charitas non quærit, quæ ſua ſunt 1. Corint. 13. at ſi Deus eſſet obiectum charitatis inquantum eſt bonum noſtrum, charitas quæreret quæ ſua ſunt,

Et

Et confirmatur. Amor charitatiuus principaliter, & reſpectu principalis obiecti eſt amor amicitiæ, ſed amor amicitiæ eſt amor, quo diligitur amicus in ſe, & bonum amici 9. Ethic. Vnde amicus non ſolum amat bonum proprium, & gaudet de bono proprio, ſed amat bonum amici, & gaudet de bono amici, ſicut triſtatur de malo amici in ſecum igitur amor charitatiuus ſit amor amicitiæ reſpicit principaliter pro obiecto primo formali, & principali, bonum diuinum in ſe ipſo, vel ipſum Deum, qui amatur in ſe ipſo, & cuius bonum intrinſecum placet amanti, & de tali bono, & perfectione diuina intrinſeca gaudet amans charitatiuè Deum, & in ipſo, & de ipſo delectatur.

Præterea beatificatio tam actualis, quam aptitudinalis ſi dicit aliquid in Deo, dicit præciſè relationem rationis aptitudinalem, vel actualem, at nullus reſpectus rationis poteſt eſſe ratio formalis terminandi actum charitatis, ergo &c. Poſſent etiam contra hanc ſententiam adduci multa argumenta, inquit Doct. quæ tacta ſunt in Proœmio primi lib. q. 3. de ſubiecto Theologiæ cōtra Ægidium de Roma. atque ita patet impugnatio opinionis D. Thomæ.

Poſſet tamen opinio D. Thomæ exponi ad bonum ſenſum, ſcilicet, quod D. Thomas non intelligat charitatem habere pro obiecto bonum diuinum ſub ea ratione qua eſt à nobis obtinendum per beatitudinem, ſed quod intelligat materialiter, vt ſenſus ſit, bonum diuinum eſſe obiectum charitatis, non ſecundum vnam aliquam, vel alteram perfectionem ſuam; ſed ſecundum omnem prout eſt in ſe ipſo, quomodo etiam intelligitur à beatis; adeoque ratio formalis obiecti charitatis eſt tota diuina bonitas, quæ omnia continet, & prout diſtinguitur ab alijs rationibus particularibus bonitatis, quas reſpiciunt in ſuis obiectis aliæ virtutes; Vel poteſt intelligi S. Thomas, quod bonum beatitudinis ſit ratio allicitiua, & excitans, ſeruanſque charitatem. Vehementer enim incenditur charitas erga Deum, quando ipſum eſſe futurum bonum amicorum ſuorum certo creditur, & hoc modo voluit Deus allicere Abraham dicens illi, Ego ero merces tua magna nimis. deficeret enim charitas Sanctorum tantis mundi procellis iactata, niſi ſperatæ beatitudinis fauore muniretur, & ſi hoc, vel altero modo intelligat D. Thomas non diſcordaret ab eo Doct. ſub. vt videbimus infra art. 10.

Ad argumenta pro ſententia D. Thomæ reſpondetur, & ad primum dico, quod Deus eſt obiectum amoris naturalis, vel ſaltem eſſe poteſt ſecundum rationem Deitatis ſuæ, qua fundamentaliter eſt ſummum bonum; & dico vlterius, quòd propriè loquendo non eſt obiectum præ ſe formale amoris naturalis, vt principium, vel finis amoris naturalis, quia iſta non dicunt in Deo ſecundum actum niſi reſpectus rationis ad creaturam, licèt bene, ſint rationes concomitantes, vel præcedentes in obiecto diuino amorem naturalem.

Ad ſecundum dico, quod ratio formalis obiectiua nō eſt ſic accipienda in obiecto, vt ipſa ſit cuiuſcunque medium deductiuum, vel etiam inductiuum voluntatis ad amandum; Vel dicas, quod primum motiuum, & inductiuum voluntatis ad amorem charitatiuum, non eſt illa, quia ſcilicet ſit bonum noſtrum &c. Sed quia eſt Deus, ac proinde ſummum bonum modo prædicto.

Ad tertium dico, quòd ſi Deus, qui eſt modo, non eſſet principium aliquod boni creaturæ per impoſſibile, ita quòd poſſet ſtare creatura ſine hoc, quod Deus principiaret ipſam, adhuc eſſet obiectum conueniens, & debitum charitatis creatæ, quæ ponitur modo, ſi eſſet, & poneretur in creatura. Et quando dicis de alio Deo, quod ſi poneretur, non eſſet diligendus ex charitate. Dico, quòd ſi idem habitus poſſet eſſe reſpectu duorum Deorum, tunc alius Deus eſſet obiectum conueniens charitatis; & ſi non, tunc non obſtat propoſito, quia quod charitas noſtra non eſſet obiectiuè alterius Dei, hoc nō eſſet, quia alter Deus non eſſet bonum noſtrum, ſed quia alterius rationis; reſpectu aūt duorū primorū obiectorū alterius rationis non poteſt eſſe idem habitus; ſic forte aliquis reſponderet, quod non curo. Nam quicquid ſit de hoc; Dico, quod de Deo noſtro, quem habemus non circunſcripto per impoſſibile, quod non eſſet principium boni noſtri in aliquo nec ipſius charitatis, quod adhuc eſſet obiectum conueniens charitatis. ſecundum quam deberet diligi ſuper omnia, & in ſe, & propter ſe ipſum.

ARTICVLVS IX.

Vtrum Deus ſub ratione infiniti ſit obiectum charitatis.

D. Bonauentura hac d. artic. 1. quæſt. 2. Et Richard. *D. Bonauētura.*
artic. 6. quæſt. 1. docent obiectum charitatis eſſe *Richard.*
Deum ſub ratione ſummi boni, hoc eſt, infiniti boni. Ita enim ſcribit Richardus: obiectum charitatis non eſt niſi vnum, ſcilicet ipſe Deus ſub ratione qua ſummum bonum, in quo ſolum plenariè poteſt beatificari voluntas, hæc autem formalis ratio obiecti charitatis, non eſt diuiſibilis in plures rationes: impoſſibile enim eſt eſſe plura bona, quæ ſint ſumma bona, quia non eſt ſummè bonum in quo non eſſent omnes boni rationes per modum excellentiorem, quam inueniretur ratio boni in alio bono, nec tale bonum poſſet eſſe charitatis principale obiectum, quia in tali bono non poſſet plenariè beatificari voluntas. Idem fere repetit in reſponſione ad ſecundum.

Idem prorſus dicit D. Bonauentura, vbi ſupra in corpore. quæſt. & in reſponſione ad quartum. Aliqui tamen addunt, quod non ſufficit ſola bonitas infinita in ſe, vt Deus ſummè diligatur, ſed oportet, quod ſit bonum huius in quantum participatur ab ipſo, atque adeo dicunt, quod ratio obiectiua charitatis eſt Deus in quantum creatiuus, redemptiuus, & glorificatiuus. Ita quod ſecundum Bona. & Richar. Deus ſecundum ſuam bonitatem intrinſecam infinitam, ſeu ſummam eſt ratio obiectiua charitatis, hoc eſt, bonitas Dei in ſe eſt ratio quare Deus eſt obiectum charitatis; ſecundum alios verò ratio quare Deus eſt obiectum charitatis, eſt, quia eſt creatiuus, redemptiuus, & glorificatiuus rationalis creaturæ.

Hanc ſententiam tangit Scotus in hac. q. ſub littera A. §. Tertium poneretur &c. Vnde obſeruan. eſt, quòd bonitas diuina biſariam conſiderari poteſt, priori modo quidditatiuè, ita quod idem ſit, quod eſſentia diuina, alio modo denominatiuè, vt idem eſt, quod bonitas attributalis; Vnde ſi D. Bonauentura, & Richar. accipiant bonitatem diuinam pro bonitate quidditatiua, id eſt, pro eſſentia diuina, quæ radicaliter, & fundamentaliter eſt ſumma bonitas, non diſcordat ab eis Doctor ſub. vt videbimus in ſequenti articulo. Si verò ſumant bonitatem pro bonitate attributali, ita quòd bonitas ſumma, id eſt, bonitas, quæ eſt formaliter infinita, ſit ratio formalis obiectiua charitatis, contradicit eis Doct. ſub. & contra eos poſſent adduci omnia argumenta, quæ facit Doct. in 1. q. 3. prologi de obiecto Theologiæ contra Varonē, qui ponebat Deum eſſe ſubiectum Theologiæ ſub ratione boni. Nec aliter eam hic impugnat Doct. Sed contra illos, qui ponunt Deum ſub ratione infiniti, & in quātum participatur à creatura eſſe obiectum charitatis: ita argumentatur. Vel hæc opinio intelligit, quod hoc totum aggregatum ſcilicet bonum infinitum participatum à creatura, eſt obiectum charitatis; vel quod Deus ſub ratione boni infiniti, atque etiam ſub ratione participati, ſit per ſe obiectum charitatis. Si primo modo contra; illud totum aggregatum eſt ens per accidens; ergo non poteſt eſſe obiectum charitatis, quæ eſt vnus per ſe habitus; probatur conſequentia, quia habitus, qui eſt vnum ens per ſe debet habere vnum obiectum per ſe, & non per accidens, vt deduci poteſt ab Ariſt. 6. Meta. vbi à con- *Ariſtot.*
ſideratione Metaphyſici excludit ens per accidens: Nam tex. 4. excludit ens per accidens, quod aggregat in ſe diuerſas naturas, vt album, muſicū, & in tex. 5. 6. & 7. excludit ens per accidens, quod euenit præter intentionem cauſæ, quod dicitur ens fortuitum, ex quibus locis colligi poteſt, quòd nullus habitus eſt de ente per accidens.

Si

Digitized by Google

Si ſecundo modo. Contra; reſpectu vnius habitus, vel actus non poteſt eſſe duplex ratio formalis obiecti, ſed vna; ergo ſi ponatur Deus obiectum charitatis ſub ratione infiniti, ſeu infinitę bonitatis, eſſet adhuc obiectum, eſto quod ſeparatetur à ratione participati, probatur: quia quod eſt per ſe tale ſi cum altero coniugatur per accidens, ſi ab eodem ſeparetur adhuc erit per ſe tale, vt ſi albedo eſt principium per ſe diſgregandi in lacte, in quo per accidens coniungitur cum dulcedine, etiam à dulcedine ſeparata erit per ſe principium diſgregandi, vt patet de albedine exiſtente in niue: Et ſi calor eſt principium calefaciendi in ligno, cui vnitur per accidens, ſi per ſe eſſet adhuc eſſet principium per ſe calefaciendi; Ergo ſi Deus ſub ratione infiniti eſt per ſe obiectum charitatis, ſi ſeparetur ab ea ratione, quæ dicit eſſe participatum, cui per accidens coniungitur erit adhuc per ſe obiectum charitatis, atque adeo ſi alterum illorum, quod ponitur eſſe ratio obiectiua per ſe eſſet, id eſt, ſepararetur ab altero, terminaret habitum, vel actum charitatis, & per conſequēs alterum non terminaret; ergo nec modo dum ſimul voiũtur terminat. Præterea ſi aliqua creatura intellectualis eſſet a ſe, & non ab alio effectiuè, & eſſet de ſe, vel per ſe infinita, ſicut ab Henrico de Gandauo imponitur Phil. quod doceat de intelligentijs alijs à prima, vt patet 12. Meta. t. c. 41. vbi ponit primam ſubſtantiam eſſe ſempiternam, & deinde quærit, an ſint plures tales; Si in quam eſſet talis ſubſtantia alia à prima, quæ nullo modo eſſet à prima cauſata, tunc poſſet diligere aliquid ſuper omnia, & non aliud ſecundum rectam rationem niſi primā, & tamen non eſſet paticipatio eius, quia ab ea non dependeret in genere cauſæ effectiuæ, atque ita patet, quod hæc opinio ſtare non poteſt.

Henric. de Gand.

Cæterum hæc ſecunda ratio Doct. parum concludit aduerſus opinantem; quia ad impoſſibile ſequitur quodlibet; imò, & ipſe Doct. in 1. diſtin. 2. quæſt. 3. in fine fatetur eiuſmodi rationem parum valere, eo quòd in arte obligatoria, non debet aliquid admitti, quod ſtatim contradictionem inuoluat, vt contigit in propoſito. Non enim debeo admittere caſum, nempe, quod aliqua creatura intellectualis ſit infinita, & à ſe, & à nullo effectiuè, quia ſtatim ſequitur, quod poſſet diligere aliquid ſuper omnia, & non aliud ſecundum rectam rationem niſi primā, & quod non eſſet participatio eius, atque adeo opinans non admitteret caſum.

Et ſi dicatur, quod Theologi admittunt hanc quęſtionem ſi Spiritus Sanctus non procederet à filio an re ipſa diſtingueretur ab eo, ad quam ſequuntur incompaſſibilia; Nam ſummè neceſſarium eſt Spiritum Sanctum procedere à filio; ergo ſummè impoſſibile eſt à filio non procedere; ergo ponere, quod non procedat, eſt ponere incompaſſibilia.

Conſequētia eſt duplex.

Reſpondeo duplicem eſſe conſequentiam, vt docet Scot. in 1. d. 11. quęſt. 2. aliam eſſentialem, & intrinſecam, aliam verò accidentalem, & extrinſecam. Conſequentia eſſentialis eſt illa, in qua conſequens eſt de eſſentia, & ratione antecedentis, vt in his conſequentijs homo eſt; ergo animal eſt; ergo corpus eſt; ergo ſubſtantia eſt, in quibus conſequens eſt de eſſentia antecedentis. Conſequentia verò accidentalis eſt, in qua conſequens non eſt de ratione intrinſeca antecedentis, vt in his, homo eſt; ergo riſibile eſt; ergo admiratiuum eſt.

Poſitio duplex eſt.

Poſitiones etiam ſunt in duplici differentia, vt docet Scotus, vbi ſupra littera A. aliæ ſunt ex quibus nulla ſequitur contradictio, vt ſi ponamus coruum album, & Æthyopem nitentem candore. Aliæ verò ſunt ex quibus contradictio neceſſariò ſequitur, quæ adhuc ſub diſtinguuntur: Nam aliæ ſunt, quæ ſtatim ex ſuo primo intellectu contradictoria includunt, cuius modi ſunt hæc: Riſibile non habet potentiam ad ridendum, ex qua ex ratione intrinſeca terminorum ſequitur per conſequentiam eſſentialem contradictorium eius, quia riſibile ex ſua ratione intrinſeca eſt, quod habet potentiam ad ridendum, cuius contradictorium ſupponitur. Aliæ ſunt ex quibus quidem ſequitur contradictio, ſed per locum extrinſecum, & conſequentiam accidentalem, talis eſt ſuppoſitio, homo non eſt riſibilis, ex qua per locum extrinſecum ſequitur hominem eſſe riſibilem, (quod ſuppoſitioni contradicit) à poſitione ſubiecti ad poſitionem propriæ paſſionis, poſitiones primi generis non ſunt admittendæ, quia ipſis admiſſis ſtatim reſpondens redarguitur, & cogitur concedere contradictorium poſitionis, verbi gratia. Si admiſeris riſibile non habere potentiam ad ridendum, ſtatim ex primo terminorum intellectu cogeris oppoſitum concedere; Nam riſibile in ſua ratione intrinſeca includit potentiam ad ridendum. Et huius generis eſſet poſitio, quæ deducitur hic in argumento Doct. Nam ſi ſecunda intelligentia eſſet a ſe, & ex ſe infinita, ſtatim ſequitur, quod non habet eſſe participatum, & quod ſecundum rectam rationem non poteſt diligere ſuper omnia niſi primam intelligentiam; quod eſt oppoſitum poſitionis, nimirum, quod eſſe participatum, vel participari à creatura ſit ratio formalis obiectiua charitatis. Poſitiones verò ſecundi generis, quæ ex ſuo intellectu ſolum includunt vnum contradictorium, aliud verò per conſequentiam accidentalem, & locum extrinſecum ex ipſis deducitur, admitti quidem poſſunt; ipſis namque admiſſis optimè diſputantium leges ſeruantur, quia poteſt concedi id, quod ex tali poſitione per conſequentiam eſſentialem ſequitur, negari verò, quod ei intrinſecè repugnat. Si autem aliquid per locum extrinſecum, & conſequentiam accidentalem inferatur, negandum eſt illud ſequi, verbi gratia, admiſſo caſu, quod homo non ſit riſibilis, ſecundum leges diſputantium reſpondens tenetur concedere quidquid ex illa poſitione per locum intrinſecum ſequitur, vt quod homo non habet potentiam ad riſum. Cæterum ſi concludas hominem eſſe riſibilem in hunc modum; homo eſt; ergo riſibile eſt, à poſitione ſcilicet ſubiecti ad poſitionem propriæ paſſionis, neganda eſt illa conſequentia: quia per locum intrinſecum non ſequitur ad eſſe hominem, eſſe riſibile, cum ſit de natura, & ratione intrinſeca hominis, quod ſit riſibilis; ſed ſequitur per locum extrinſecum; huius generis eſt poſitio illa, quę ponitur in 1. d. 11. q. 2. vt ſubtiliter docet ibi Doct. quare inſtantia non eſt ad propoſitum.

Item quod Deus non ſit obiectum charitatis in quantum eſt creatiuus, redemptiuus, & glorificatiuus probatur. Idem ſub eadem ratione eſt obiectũ charitatis Dei, & charitatis noſtrę, ſed Deus ſub ratione diuinitatis eſt obiectũ charitatis Dei, & ita erat ab ęterno; ergo &c. Pręterea ſi Deus nunq̃ fuiſſet incarnatus, & nos nō redemiſſet, fuiſſet idem obiectum charitatis, & ſub eadem ratione, igitur ratio creationis, redemptionis, & glorificationis non eſt ratio obiectiua charitatis: quia illæ rationes reſpiciunt bonum noſtrum, & ad affectionem commodi ſpectant, & amorem concupiſcentiæ attingunt, charitas autem eſt amor amicitiæ, & vera amicitia, eo modo, quo amicitia poteſt eſſe inter Deum, & creaturam rationalem, inter quos eſt amor reciprocus. Ego diligentes me diligo, ait veritas, & Ioan. 15. Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos meos; ergo &c.

ARTICVLVS X.

Vtrum Deus ſub ratione Deitatis ſit charitatis obiectum.

Videtur, quod non. Si Deus ſub ratione Deitatis eſſet ſuper omnia diligibilis ex charitate, ſequeretur, quòd ſi eſſent duo Dij, quod vnus eſſet diligibilis ſuper omnia, atque ita ſuper alium Deum ex charitate, & è contra, atque adeo idem Deus eſſet ſuper omnia diligibilis, & non eſſet ſuper omnia diligibilis: Non enim poſſunt eſſe duo obiecta ſuper omnia diligibilia: quia ad illorum poſitionem ſtatim ſequitur contradictio, quòd neuter illorum eſſet ſuper omnia diligibilis; quod eſt poſitioni oppoſitum.

Præterea ſi bonitas intrinſeca Dei eſt ratio obiecti diligibilis, ſequitur, quod magis bonum eſt magis diligibile, ac proinde quilibet tenetur proximum meliorem diligere ex charitate magis, q̃ ſe ipſum, quod eſt falſum; quia quilibet poſt Deũ tenetur ſe magis diligere, q̃ proximũ,

Pro

Digitized by Google

Pro explicatione huius difficultatis obſeruandum eſt, quod ratio obiectiua charitatis, & habitus poteſt conſiderari tripliciter: Vel prima, quæ ſecundum ſe accepta nata eſt per ſe eſſe ratio terminandi; Vel ſecunda, quæ eſt aliqua ratio præcedẽs actum, propter quam natus eſt actus elici circa obiectum. Vel tertia quæ quaſi concomitatur, imò ſequitur ipſum actũ elicitum. Hanc diſtinctionem trimembrem declarat Doctor in hac quæſt. ſub litt. D. §. Exemplum huius, aptiſſimo exemplo; Si poneretur, inquit, vnum, quod eſſet pulcherrimum viſibile ex natura rei; ſecundo, quod illud daret virtutem viſiuã oculo, quia videretur; tertio, ſi eſſet quietans viſum inquantum attingitur ab oculo per actum videndi, qui eſt ratio formalis terminandi amorem viſiuum, ſi viſus poſſet amare tale obiectum. Prima ratio, qua viſus tendit in obiectum eſt prima ratio talis naturæ, pro eo quod in tali natura eſt perfectè ratio obiecti adæquati tali potentiæ quantum poteſt eſſe in aliquo. Secunda eſt quædam ratio alliciẽs ad amandum, pro quanto communicauit ſe huic, tribuẽs ſcilicet videndi virtutem. Tertia eſt ratio concomitans actum, in quo perfectè quietatur viſus abſolute. Igitur prima ratio in viſu reſpectu amare, ſi viſus poſſet amare, eſſet ratio huius naturæ. Minime verò, & impropriiſſime rõ eius eſſet, quia eſſet quietans viſum, quatenus attingitur ab oculo per actũ vidẽdi. Ex quo videtur ſequi, quod impropriiſſime dicunt dicentes, Deum in quantũ eſt obiectum beatificum eſſe obiectum charitatis, ſi intelligant per beatificum reſpectum actualem, in quantum ſcilicet terminat reſpectum actus beatificandi. Si autem intelligant reſpectum aptitudinalem, Tunc ſicut argutum eſt, illa non eſt ratio terminãdi, niſi quia natura eſt ratio terminandi. Hæc Scotus. Hac diſtinctione ſtãte ponit Doc. in hac quæſt. ſub litt. C. tres concluſiones. Prima Concluſio loquendo de ratione formali, & immediata, prima, & principali obiectiua habitus, & actus charitatis, eſt Deitas, vt hæc Deitas; itaque Deus ſub ratione Deitatis eſt obiectum primum, & perfectiſſimum charitatis, & actus eius, quia ſub perfectiſſima ratione; nã præciſa ratio huius eſſentiæ eſt ratio formalis terminandi omnem habitum, & actum Theologicum, & hoc in quacumque natura intellectuali, ſicut tactum eſt in quæſt. 3. Prologi de obiecto Theologiæ; quod autẽ ſub ratione formali Deitatis ſit obiectum charitatis, & actus eius, probat Doct. vnica ratione, quæ habita eſt etiam 1. quæſt. Prologi, & diſt. 1. quæſt. 5. 1. quæ talis eſt. Potentia habens aliquod commune pro obiecto adæquato non poteſt perfectiſſime quietari, niſi in perfectiſſimo contento ſub tali obiecto adæquato, & ſub ratione formali eius perfectiſſima, ſicut viſus non quietatur, niſi in perfectiſſimo viſibili, omnis autẽ potentia volitiua reſpicit pro obiecto adæquato terminante totum ens, igitur in nulla natura ſiue creata ſiue increata, põt perfecte quietari, niſi in illa in qua eſt perfecta ratio entitatis, tale autem eſt ſolum ens primum nõ ſub ratione aliqua relatiua, ſed ſub ratione, qua eſt hoc ens; hoc eſt, non quietatur perfectiſſime potentia volitiua, niſi in Deo ſub ratione Deitatis: quia Deus ſub ratione Deitatis eſt perfectiſſimum contentum ſub ente, & Deitas eſt ratio eius perfectiſſima. Quietari namque perfectiſſime in tali obiecto eſt actu attingere illud; atque ita voluntas perfectiſſime quietatur, cum per actum amoris amicitiæ, qui eſt actus charitatis ipſi perfectiſſime coniungitur; Ergo Deus ſub ratione Deitatis eſt primum, & perfectiſſimum obiectum habitus, & actus charitatis.

Secunda Concluſio. Si loquamur de ratione formali
2. Concl. obiecti charitatis non prima, nec principali, ſed ſecundaria, & minus principali præcedente actum, & etiam habitum, quæ poteſt dici ratio allicitiua, ſecundum quam voluntas magis allicitur ad amandum; huiuſmodi ratio poteſt dici omne id, in quo inuenitur ratio amabilitatis, velut eſt creatio, conſeruatio, redemptio, glorificatio, & huiuſmodi rationes relatiuæ ipſius Dei ad amantem in quantum eſt conueniens bonum communicatiuum ſui illi, huiuſmodi enim rationes multum alliciunt nos ad amandum Deum; ita vt Deum nos creaſſe, redemiſſe, & glorificare, ſunt cauſæ allectiuæ minus principales ad hoc vt Deum diligamus, alioqui incaſſum homines laborarẽt inducere nos in amorem Dei ratione beneficiorum eius nobis præſtitorum. atque ita Deus ſub ratione formali qua creator, vel conſeruator, vel beatificans, eſt obiectũ diligibile ex charitate non principale, & primarium, ſed ſecundariũ. Hoc explicari poteſt in nobis: Amatur enim primo à nobis aliquis, propter bonum honeſtum; ſecũdo quia ſentitur redamans; illa redamatio in eo eſt vna ſpecialis ratio amabilitatis, alliciens ad amandum, & alia, quam propter bonum honeſtum. Ita in Deo nõ ſola bonitas infinita, vel hæc natura, vt hęc natura allicit ad amandum, ſed quòd hæc bonitas amauerit me cõmunicando ſe mihi ſecũdario hæc allicit, & in iſto gradu amabilitatis poteſt poni omne illud in quo inuenitur ratio amabilitatis, & poteſt demonſtrare ſe redamare, ſiue creando, ſiue redimendo, &c. ita quòd inter hæc ſit diſtinctio, nec charitas reſpiciat magis vltimam, quam ſecundam, nec ſecundam quam primam, ſed oẽs ſicut rationes quaſdam non ſolum boni honeſti, ſed boni cõmunicatiui, & amantis; & quia amantis ideo digni redamari iuxta illud Ioan. 1. Can. c. 4. Diligamus Deum: quoniam ipſe prior dilexit nos.

Tertia Concluſio. Si loquamur de ratione formali 3. Concl.
obiecti non præcedente actum, ſed tantum concomitante, ſic Deus vt obiectum beatificũ, poteſt poni obiectum charitatis; ita vt eſſe beatificum, ſit tantum ratio formalis, concomitans beatitudinis, vel fruitionis actum. probatur: quia eſſe obiectum beatificum actu, eſt actum fruitionis terminare; ſed prius actus fruitionis intelligitur elicitus, quam ad obiectum ipſum terminetur; ergo obiectum, vt ſic terminans, ſicut ſub ratione, qua actu terminat, & vt eſt poſterius actu, ipſumque actum concomitatur, poteſt dici formalis ratio obiecti charitatis eumdem actum concomitans. Et hoc eſt quod vult dicere Doct. cum inquit. Tertia ratio, quæ eſt eſſe obiectum finiens actum, id eſt, terminans actum; non eſt propriè ratio formalis obiectiua: quia huiuſmodi ratio naturaliter ſequitur actum elicitum; tamen pro quanto ſemper concomitatur actum, poſſet poni aliqua ratio obiecti; & hoc modo diligitur inquantum eſt bonum beatificum diligẽtis; ſicut diceretur Deus diligitur in quantum ſummè diligitur, hoc eſt quia ſummè beatificat, vel quietat, ſummè enim diligere eſt ſummè quietari in obiecto dilecto; ſed hoc non eſt ex ratione formali obiecti, ſed ſequitur rationem in obiecto concomitantem actum.

Ad primum in oppoſitũ reſpondet Doct. ſub. in litt. R. §. Ad duo argumenta, & dicit, quòd illa poſitio duorum Deorum deſtruit naturam charitatis: quicumque enim habitus ex ſe tendit in vnum obiectum, vnde ponere ipſum tendere in plura, eſt ponere ipſum non eſſe ipſum; ſicut ſi aliquis habitus proprius ſimpliciter primi principij, poneretur eſſe alterius primi principij, eſſet ponere hunc habitum eſſe huius obiecti, vt proprij, & non proprij, ita dico in propoſito, quod plures eſſe Deos includit vtrumque eſſe diligendum, & neutrum.

Ad ſecundum dicit Doct. quòd nõ eſt ſimile de magis, & minus in aliquo ordine, & de ſupremo in illo ordine, quo ad omne extrinſecũ operans circa illa illius ordinis. Vult dicere Doc. quod potentię tendenti in aliquod obiectum conuenit aliqua perfectio reſpectu obiecti perfectiſſimi, quæ ſibi non conuenit reſpectu obiectorũ ſub illo, quantumcumq; accedant ad primum obiectũ, Verbi gratia, ponamus quod bonum ſit obiectũ voluntatis; voluntas habet conditionem aliquam reſpectu primi boni, quam non habet reſpectu aliorum bonorũ, & illa cõditio eſt, quia fertur ſummè in illud; ſed nõ oportet ſeruare ſimilem conditionem reſpectu aliorum bonorũ, quantumcumque proportionabiliter accedant ad primũ bonum. Ita dico in propoſito, quod licet bonitas infinita ſit ratio formalis charitatis, non oportet tamen, quod maius bonũ ſub Deum magis diligatur, quam minus bonum: nam vt docet Scotus in 4. d. 50. quæſt. 6. maius bonum eſt magis *Scotus.*
diligendum, quando cætera ſunt paria, atq; adeo, excluſo ſimpliciter optimo, falſum eſt, quod omne melius ſit magis diligendum, niſi ſit æqualis vnitas vtriuſque boni ad diligentem; quia dilectio fundatur in vnitate.

Hanc ſolutionem declarat Doc. exemplo. In coloribus non poteſt eſſe perfectiſſima viſio niſi perfectiſſimi coloris, & tamen nõ requiritur neceſſario, quod ſit perfectior

viſio circa colorem propinquiorē perfectiſſima, vt patet de albedine, & rubedine, nam licet perfectiſſima viſio ſit circa perfectiſſimam albedinem, non eſt tamen neceſſe, quod viſio rubedinis ſit perfectior viſione cuiuſcumque alterius coloris; & ratio eſt, quia ratio quietationis ex parte perfectiſſimi coloris eſt ratio totalis eius, quæ in alio eſt diminute, quod intelligas in ratione quietatiui ſimpliciter: Nā licet viſio perfectioris coloris, ſit perfectior, non eſt tamen ſimpliciter quietatiua niſi ſit perfectiſſimi coloris ſimpliciter. Atque adeo licet in propoſito vnum diligibile aliqualiter excellat alterum, in nullo tamē eſt ratio quietandi, licet potentia naturaliter ſit libera, & per conſequens quamuis ſolum infinitum bonum quietet voluntatem, & hoc in quantum infinitum bonum; non tamen oportet quodlibet bonum finitum ſecundum gradum ſuum in bonitate magis, vel minus quietare; quia iſti gradus ſunt accidentales, per comparationem ad extrinſecum quietandum.

ARTICVLVS XI.

Vtrum Charitas ſit in voluntate tamquam in ſubiecto.

Durand. Valentia. 1.2. diſp. 8. quæſtio. 2. puncto 2.

PRo explicatione huius difficultatis obſeruandū eſt, controuerſiam eſſe inter Theologos de identitate, & diſtinctione charitatis, & gratiæ. Nam Durādus in ſecundo diſt. 26. quæſt. 1. nu. 7. videtur dicere, (vt quidam ei imponunt) gratiam, & charitatem nec ratione quidem diſtingui, ſed ſolis vocabulis; Cæterum non videtur Durandus ita ſeuere in hanc ſententiam trahendus, quoniam, cūm dicat gratiæ actum facere hominem Deo gratum; & charitatis actum facere hominem Deo charum; & hæc ſolo nomine differe, attamen, nō vult dicere, quod ſic præciſe ſolo nomine differant, quod etiam ratione formali non diſtinguantur, ſed vult oſtendere, quod realiter & eſſentialiter non diſtinguantur, vt conſideranti rationes Durandi exploratum eſſe poteſt.

Alex. de Ales. Albert. Scotus. Henricus. Baſſolus. Richard. Gabriel. Marſilius. Maior.

Alexander de Ales. 3. par. quæſt. 31. m. 2. art. 4. Albertus Magnus in 2. d. 26. a. 1.; Henricus quol. 4. quæſt. 10. Scotus in 2. d. 27. quæſt. 1. Baſſolis in 2. d. 28. Richar. d. 26. q. 4. Gabriel eadem diſt. Marſilius quæſt. 17. art. 1. & Maior. diſt. 26. quæſt. 1. Concl. 1. & omnes, quos legerim nominales, gratiam affirmant non re, ſed ratione duntaxat, à charitate diſtingui.

D. Thom. Capreolus. Thomas. Argent. Caietan. Corandus. Sotus. Medina. D. Bonau.

At D. Thomas 1. 2. quæſt. 110. art. 3. & illius ſequaces. Capreolus in 2. d. 26. quæſt. vnica art. 1. Thomas ab Argentina in 2. diſt. 26. Caietan. 1. 2. quæſt. 110. art. 3. & Corandus ibidem. Sotus lib. 2. de natura, & gratia cap. 17. & 18. & Medina prima ſecūdæ, loco citato; ac etiam noſter Seraphicus Bonauentura in 2. d. 26. quæſt. 5. & in 3. diſt. 27. art. 1. quæſt. 3. & 4. tradidere gratiam à charitate, & cæteris virtutibus realiter eſſe diſtinctam. Atque adeo exiſtimauit D. Thomas, gratiam gratum facientem eſſe propriè in eſſentia animæ tamquam in ſubiecto; charitatem verò in voluntate, vt patet 2. 2. quæſt. 24. art. 1.

Vnde aliqui moderni Thomiſtarū, adeo ſunt D. Thomæ opinioni addicti, vt dicant Concilium Trident. damnaſſe ſententiam Scoti de identitate charitatis, & gratiæ, & approbaſſe opinionem D. Thomæ, quia Conciliū ſeſſ. 6. can. 11. Charitatis, & gratiæ ſimul meminerit his verbis. Si quis dixerit homines iuſtificari, vel ſola imputatione gratiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctū diffundatur, atq; illis inhæreat, aut etiā gratiam, qua iuſtificamur eſſe tantum fauorem Dei, anathema ſit.

Sed tantum abeſt Patres damnaſſe opinionē Doct. ſub. vt merito potius videri poſſit contrariam cum Doct. ſub. opinionem approbaſſe, illis verbis ſeptimi capitis. Vnde in ipſa iuſtificatione cum remiſſione peccatorū hæc ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtū, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem; Nā fides niſi ad eā ſpes accedat, & charitas, neque vnit perfectè cū Chriſto, neq; corporis eius viuum membrū efficit. Cur enim ſi charitas nō eſt gratia, aut ſi præter illā datur gratia in iuſtificatione, de gratia tacuerūt Patres, vbi locus ipſe poſtulabat. Quin ſi charitas non eſt gratia falſo, dicitur Chriſtiana iuſtitia eſſe fides, ſpes, charitas, aut certè magna negligentia Patrū ſunt meminiſſe fidei, ſpei, & charitatis, & tacuiſſe de gratia, Maxime ſiquidem ad Chriſtianam iuſtitiam pertinet id, quod & ſolum nos facit gratos Deo, & amicos ipſius, & filios, & hæredes regni cęlorum. Hæc autem propria ſunt gratiæ, neq; charitas ea poteſt efficere, niſi quatenus gratia eſt, vt etiam ipſi Thomiſtæ fatentur. Et confirmatur; Nam cū in principio illius capitis dixerint Patres hominem interiorem renouari, per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum, & per illa hominem tradiderint ex iniuſto fieri iuſtum, ex inimico amicum, numquam in ſupra citatis verbis de gratia tacuiſſent, niſi ſenſiſſent eā ſub charitate comprehendi, præſertim cum meminerint remiſſionis peccatorum.

Fauent etiam Doct. ſub. vehementer Patres cum in eodemmet capite dicunt, Tum merita paſſionis Chriſti impijs communicari, cum per Spiritum Sanctum diffunditur charitas in cordibus eorum, atque ipſis inhæret, neq; minus cum in Canone vndecimo, cōmemoratis gratia, & charitate, in ſingulari, ſubditur eam diffundi, & inhærere iuſtificatorum cordibus. Cur enim intermiſiſſent Patres hæc eadem de gratia dicere, niſi putaſſent cenſenda eſſe de gratia dicta, quæ de charitate illi eadem tradiderunt. Quod itaque charitatis, & gratiæ ſimul Patres meminerint in Can. 11. non ſufficit profectò, vt inde colligamus eos aſſeruiſſe gratiam, & charitatem realiter diſtingui; Nam & abſq; vitio inutilis repetitionis vtimur perſæpe nominibus idem ſignificantibus, præſertim cum idem ſignificant rationibus diuerſis.

Verum de identitate charitatis cum gratia non eſt hic locus determinandi, ſed in 2. diſt. 27. quæſt. 1.

Videamus modo, quod initio art. quærebamus. Cui difficultati hac concluſione facimus ſatis. Subiectū charitatis, & gratiæ eſt potentia volitiua. Hæc concluſio eſt Alex. 3. par. quæſt. 62. m. 2. art. 4. D. Bona. in 2. d. 26. queſt. 5. & Scoti in 2. eadem diſt. quæſt. vnica. Eſtque contra D. Thom. 1. 2. quæſt. 110. art. 4. qui poſuit gratiam in eſſentia animę, charitatem verò in potentia, vt per gratiam anima participet eſſe diuinum, & prius ſit gratia dicēda, quam per charitatem voluntas operetur. Sed contra hanc D. Thomæ ſententiam arguitur ſic. Si gratia re eſt à charitate diſtincta, & ſicut D. Thomas putat in eſſentia animæ, & charitas in voluntate, oportebit profectò gratiam aſſerere multo eſſe perfectiorem charitate, quia ſuſceptiuum quod ab ea perficitur, quod eſt anima, perfectius eſt ſuis potentijs, & maxime ſecundum ipſum, qui aſſerit potentias animæ eſſe accidentia.

Cōcluſio.

Alex. de Ales. D. Bonau. Scotus.

Præterea ſi gratia eſſet à charitate diſtincta, eſſetque in eſſentia animæ,ocioſa & nihil per ſe operans eſſet; conſequentia probatur; nam qua ratione vnius actus virtutis eſſet principium, eſſet & omnium, atque adeo ad vnum, & eundem actum duæ ſufficientes per ſe cauſæ concurrerent, quod alienum eſt à Philoſophia; verum ſi cōcedat conſequens, ſcilicet quod nihil per ſe operatur gratia, ergo neque nomen habitus, neque virtutis merebitur, quia habitus tantum eſt, propter actus, & Virtus ſicut dicit Ariſt. 8. Ethic. bonum facit habētem, & opus eius bonum reddit. Præterquam quod ponere ita eneruem, & languidam gratiam; quā D. Paulus 1. ad Corint. 15. dicit ſecum omnia eſſe operatam his verbis. Abundantius omnibus laboraui, non ego, ſed gratia Dei mecum; & quam D. Auguſtinus lib. 3. Hypognoſt. ſeſſori, & moderatori equi adſimilat, quis non videat plane derogare dignitati, & meritis gratiæ. Eſt itaque idem habitus realiter gratia, & charitas, & ſola diſtinguuntur ratione; quoniam quatenus nos facit, gratos Deo gratia dicitur, quatenus verò faciles facit, promptos, & expeditos ad Deum diligendum, charitas appellatur, atque adeo cum charitas ſubiectiuè ſit in voluntate, gratia item, quæ eſt idem, quod charitas in eodem erit in ſubiecto, nempe voluntate.

ARTI-

ARTICVLVS XII.

Vtrum ex naturalibus poſſit homo diligere Deum ſuper omnia ſine habitu charitatis infuſo.

D. Thom. D. Bonau. Albertus. Henricus.

DE hac re diſputant Theologi in hoc 3. ſent. præſenti diſt. D. Thomas 1. par. q. 60. art. vlt. 1. 2. quæſt. 109. art. 3. 2. 2. q. 26. art. 3. D. Bonauent. in 2. d. 29. q. 2. & 4. Albertus in 3. d. 27. art. 1. & d. 29. art. 1. & Henr. quol. 4. quæſt. 11. Et quidam tenent partem negatiuam, quidam verò affirmatiuam. Eſt autem hæc quæſtio ad modum difficilis, ſed valde vtilis, ideo exactè examinanda eſt. Pro cuius explicatione obſeruandum eſt primo, nos poſſe mentis cogitatione concipi ſex hominis ſtatus.

Sex ſunt hominis ſtatus.

Primus ſtatus eſt, quo concipitur homo, cum ſolis naturę viribus, & dotibus. Secundus quo homo conſideratur cum his omnibus, quæ ſunt rationi conſentanea. Tertius cum cogitatur homo iuſtitia originali prędi tus. Quartus vt peccato originis infectus. Quintus vt gratiæ diuinæ poſt lapſum reſtitutus. Sextus vt fęlicitati iam cęleſti donatus. Sed quia nihil ad præſens inſtitutum noſtrum poſtremus hic ſtatus facit; & quia ſecundus parum, aut nihil à tertio diſtinguitur, ideo ſatis erit ſi quatuor tantum hominis ſtatus his duobus prætermiſſis mentis cogitatione comprehendamus, videlicet, aut cum ſolis naturæ dotibus, ac viribus; aut cum iuſtitia originali; aut cum peccato originis; aut denique cum gratia poſt peccatum iam ſublatum, & extinctum.

D. Thom.

Secundo obſeruandũ eſt, quod gratia iuxta D. Thom. in 2. d. 28. q. 1. art. 1. ad primum, aliquando late dicitur ipſemet Deus gratis dans, & hoc modo intelligitur illud Chriſti Domini Sine me nihil poteſtis facere; hoc eſt ſine me vobis gratis dante, quo bonum faciatis; quaſi dicat ſine me vobiſcum operãte.

Gratia late ſumitur.

Altiſiod.

Altiſiod. in ſumma lib. 2. tract. 11. cap. 1. q. 4. Gratia inquit dicitur late id, quod gratis datur à Deo, & hoc modo nullum bonum poſſumus ſine gratia Dei iuxta illud Ioan. 14. ſine me nihil poteſtis facere.

D. Bonau.

D. Bonauentura in 2. d. 28. art. 2. quæſt. 3. ad primũ Generale Dei auxilium ait, dici Dei influentiam gratuitam, per quam cætera conſeruat, vt compleant operationes ſuas, & ſic intelligitur illud Ioan. 14. Sine me nihil poteſtis facere. ſic ille.

Inſuper obſeruandum eſt tertio, quòd auxilium latiſſimè ſumptum, eſt vel ſpeciale, vel commune, vel generale.

Auxilium duplex.

ſpeciale vocãt Theologi, quod quibuſdam hominibus non omnibus confertur, & quod datur ad quædam opera non ad omnia, cuiuſmodi eſt, quod dat Deus homini ad præſtanda opera gratiæ, vel fidei, ſiue ad ea, quæ dirigunt ad vitam æternam, ſiue quæ pręparant mentem hominis ad gratiam ſuſcipiendam; ſiue ad ſemper vel diu honeſte, ac bene viuendũ, ad opera ardua, & difficilia virtutis facienda, & ad magnas, & vehementes tentationes vincendas. Commune autem ſeu generale auxilium eſt, quo Deus cum homine ad omne opus concurrit poſitiuum.

Quarto obſeruandum eſt, quòd auxilium Dei, vel eſt naturale, vel ſupernaturale, naturale vocatur, quod datur homini ad faciendum bonum conuenienter naturæ, & rationi; ſupernaturale verò, quod homini confertur ad ea opera præſtanda, quæ ſupernaturalia ſunt, ſiue quæ vim, & facultatem naturæ ſuperant.

Quinto obſeruandũ eſt, quod duplex eſt Dei auxilium ad bene agendum neceſſarium, mouens, ſiue pręueniens; & adiuuans, ſiue comitans.

Duplex Dei auxilium ad bene agendum.

Mouens auxilium ſiue pręueniens, quod ad intellectum ſpectat eſt cogitatio, qua bonum oblatum cognoſcimus, & quicquid ante conſenſum hominis allicit, inuitat, flectit, & mouet hominẽ ad bonũ mouendo, monendo, dirigendo. Quod verò ad voluntatẽ attinet, eſt motus, quo Deus voluntatẽ mouet, vt bonum velimus, quamuis ſimpliciter poſſimus, aut id non velle, aut oppoſitũ velle; ſiue id efficiat Deus per ſe ipſum ſuo nutu, & arbitratu, ſiue opera, & actione alicuius cauſę ſecundę naturalis, vel liberæ, ſiue miniſterio cauſæ ſupernaturalis. Adiuuans ſiue comitans auxilium eſt, quo Deus cum homine iam excitato, & moto operatur in volendo, & perficiendo bono, ſiue id bonũ ſit honeſtatis, & moris, ſiue gratiæ, & vtrumq; auxilium vocatur, vt dixi, gratia, eo quod gratis, & liberaliter detur, hoc eſt, ſine vllo hominis merito, & ſpeciale, eo quod quibuſdã, & non omnibus conferatur; aut quia ad quædã opera nõ ad omnia detur, vt ſpeciale ſit dictum, quia non conſuetũ, atq; commune.

Sexto obſeruandũ eſt, quòd ſi fiat ſermo de natura intellectuali pro ſtatu naturæ inſtitutæ D. Thom. in locis præcitatis, & Doct. ſub. in hac quæſt. concordant in hac concluſione, quod natura intellectualis ſine habitu infuſo conſiderata in ſtatu naturæ inſtitutæ potuit diligere Deum ſuper omnia. Verum in explicatione ſententiæ D. Thomæ non ſunt diſcipuli eius vnanimes.

Caietan.

Caietan. enim dupliciter ſententiam D. Thomæ interpretatur, primo 1. 2. q. 109. art. 3. Vbi in primis ſtatuit, quod diligere Deũ ſuper omnia eſt actus elicitus voluntatis, quo homo ſe, & omnia ſua refert in Deum, & inquit quod non eſt idem operari, propter vltimum finem, & diligere Deum ſuper omnia; nã in quouis opere bono operatur homo, propter vltimũ finem ſaltẽ implicite, opera enim bona ſuapte natura ſunt relata in vltimum finẽ. Deinde ſtatuit pro certo, quòd dilectio Dei ſuper omnia eſt duplex, vna eſt perfecta, quam ipſe dilectionem ſimpliciter appellat, Alia imperfecta, ſiue ſecundum præſentem ſtatum. Priori dilectione homo omnia ſua refert in Deum, ſic adeo, vt nihil operetur, quod non ſit in Deum referibile, & huic perfectę dilectioni aduerſantur peccata venialia: nã hæc peccata non ſunt referibilia in Deum; quæ perfectio charitatis de lege ordinaria, & ſecundum communem curſum ſolum inuenitur in vita beata.

Dilectio verò Dei ſuper omnia imperfecta eſt, qua homo ſe, & omnia ſua refert in Deũ, ſic adeo quod pro nulla re huius mũdi perdere Deum, & eius amicitiã velit, & huic dilectioni tantum aduerſantur peccata mortalia. Ex his principijs ita reſpondet ad quæſtionem propoſitam; Quod homo in ſtatu naturæ integræ poterat diligere Deum ſuper omnia dilectione naturali perfecta, nã poterat non peccare. Cęterum in ſtatu naturæ lapſæ ab hac dilectione deficit, & non poteſt eam præſtare; nam ad minimum, debet peccare venialiter.

Secundo, & alio modo eã explicat in opuſculo de contritione quęſt. 2. vbi duo dicit. Primũ eſt, quod homo põt viribus naturæ, ſine aliquo ſpeciali auxilio gratiæ diligere Deum ſuper omnia, etiam vt eſt obiectũ ſupernaturale; quod ex eo probat: quia homo põt diligere ſuper omnia diuitias, & voluptates, quemadmodũ faciunt auari, & voluptuoſi homines; ergo & Deum. Secundum aſſertum eſt, quod huiuſmodi dilectio ſuper omnia põt eſſe in homine, qui eſt in peccato mortali ſine charitate, & ſine gratia iuſtificante, quod probat; Nã homo poteſt eſſe certus quod diligit Deũ ſuper omnia; at non poteſt eſſe certus quod habeat gratiam, & charitatẽ; igitur iſta dilectio Dei ſuper omnia non ſemper eſt coniuncta cũ gratia iuſtificante, & ex conſequenti, poteſt eſſe in peccatore. Cæterum qua cenſura digna ſit, & hæc altera Caietani explicatio vide Medinam, 1. 2. quæſt. 109. art. 3.

Medina.

Ideo ipſe Medina reiecta explicatione Caietan. ita D. Thomam interpretatur, & primo dicit duplicẽ eſſe dilectionẽ Dei ſuper omnia, vna naturalis naturæ noſtrę conſentanea, qua diligimus Deũ, vt eſt principiũ, & finis naturæ.

Dilectio Dei ſuper omnia eſt duplex.

Altera eſt ſupernaturalis, & quę omnẽ naturam excedit, qua diligimus Deũ ſuper omnia, vt eſt beatitudinis noſtrę obiectũ, vt quod ſit Vnus, & Trinus, Redẽptor, & ſaluator, quę in participatione bonorum gratię, & glorię conſiſtit, & in vera amicitię rõne. Secundo dicit, quod diligere Deum ſuper oia, vel quod idẽ eſt velle placere Deo in omnibus, & per omnia, etiam loquendo de dilectione Dei naturalis licet ſit vnus actus ſimplex, in virtute cõtinet plurimas, & difficillimas res; Nam non diligit Deũ ſuper omnia, qui vniuerſa diuinę legis mandata non obſeruat, vnde continet in ſe obſeruationem, & impletionẽ omnium mandatorũ Dei, & conſtituit Deũ vltimũ finem naturalẽ oĩum noſtrarũ operationũ; ſicut dilectio Dei ſupernaturalis cõtinet in virtute oĩum mãdatorũ obſeruantiã, & conſtituit Deũ finem vltimũ ſupernaturalẽ, oĩum noſtrarũ operationũ; quod probat ex illo. Qui mãdata mea ſeruat, is diligit me, & iterũ. Qui me diligit ſermonẽ meũ ſeruabit, & Rom. 6. Omnia pręcepta in hoc vno reſtaurãtur. Diliges proximum tuũ, & qui diligit proximũ legem imple-

Digitized by Google

impleuit, & plenitudo legis eſt dilectio, & primo Io an. primo. Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non ſeruat mendax eſt; qui autem ſeruat verbũ eius in hoc charitas Dei perfecta eſt, & cap. 6 Hæc eſt dilectio, vt mandata eius cuſtodiamus. Ex quibus concludit quòd ille diligit Deum ſuper omnia, qui nõ ſolum anteponit vitam, & honorem Dei, & bonum diuinũ ſuis bonis, & vitę propriæ, ſed et am ſingula mandata Dei anteponit ſibi, & vitæ ſuæ. & eſt paratus potius obire mortem, quã transgredi vnum mandatum Dei; atque ita vera dilectio Dei ſuper omnia continet abſolutam, & efficacem voluntatem adimplendi vniuerſa mandata, quæ cum ſint plurima, & de rebus difficillimis, & quæ quotidie occurrunt in vita humana, ſequitur implere hoc præceptum, eſſe opus arduum, & difficillimum.

Ex his principijs ponit quatuor cõcluſiones. Prima eſt Nullus homo poteſt diligere Deũ ſuper omnia charitate infuſa ſine gratia ſpeciali. Secũda. Homo in natura lapſa, & in peccato mortali exiſtẽs, poteſt ex parte implere hoc præceptũ dilectionis Dei ſuper omnia ſine gratia ſpeciali. Tertia Concluſio. Homo in natura lapſa, atque etiam in peccato mortali exiſtens poteſt habere actũ voluntatis imperfectũ, qui explicatur his verbis. Vellẽ placere Deo in omnibus, & per omnia, & in nullo diſplicere. Quarta Concluſio. Non poteſt homo in natura lapſa, neque verò in natura integra viribus naturæ adimplere præceptum dilectionis Dei ſuper omnia quantum ad ſubſtantiam actus, loquendo de dilectione Dei, & amicitia Chriſtiana. Et in his cõcluſionibus loquitur de dilectione Dei ſupernaturali: Loquendo autẽ de dilectione Dei naturali ponit quinque concluſiones. Prima Concluſio. Homo conditus in natura integra poteſt ex viribus naturæ diligere Deum dilectione naturali. Secunda. Homo cõditus in puris naturalibus poteſt aliquo modo diligere Deum ſuper omnia per ſola naturalia. Tertia. Homo cõditus in puris meriſque naturalibus non poteſt ex viribus naturæ diligere Deum ſuper omnia dilectione perfecta. Quarta Concluſio. Homo conſtitutus in peccato originali poteſt vtcumque diligere Deum ſuper omnia. Quinta Concluſio. Abſolute, & ſimpliciter dicendum eſt hominẽ in natura lapſa non poſſe ex viribus liberi arbitrij diligere Deum ſuper omnia dilectione naturali perfecta. Et hæc quantum ad ſententiam D. Thomæ: Quid autem ſentiat Doct. noſter ſub. videbimus ſtatim.

Sed primo videndum eſt quid ſit dicendum de natura intellectuali abſolute, non conſiderando eam pro aliquo ſtatu, an ſcilicet amore naturali magis diligat Deũ ſecundum naturalem inclinationem, quam cætera omnia, atq. etiam quam ſe ipſam. Nam fuit opinio Altiſiodorenſis lib. 3. ſuæ Summæ tract. 5. cap. 3. q. 1. circa finem; & Alberti magni in 3. d. 29. art. 1. & D. Bonau. in 3. d. 29. q. 2. ad 1. & quæſt. 4. ad vltimum, & Gabriel eadem d. quæſt. vnica art. 1. notab. 3. quod natura intellectualis amore naturali magis inclinatur ad propriam dilectionem, quam ad dilectionem Dei, itaque ad diligendum Deum ſuper omnia non ſufficit natura ſine habitu infuſo. Fundamenta huius ſententiæ tanguntur à Doc. in hac q. ſub litt. E. §. de tertio artic. & in ſecundo argumento principali, ſunt autem huiuſmodi.

Altiſiod.
Albert.
D. Bonau.
Gabriel.

Natura determinatur ad vnum, vt patet ſecundo de Generat. text. c. 50. at determinatur ad eſſe proprium appetendum, vt patet in eodem lib. text. c. 59. ergo non poteſt naturaliter appetere ſui non eſſe, etiam quocumque poſito, niſi dicatur, quod determinatur ad appetendũ ſui eſſe tantum conditionaliter, quod non videtur probabile; igitur quæcumque natura intellectualis magis determinatur ad appetendum ſe eſſe, quam Deum eſſe, ſi vtrumque ſimul ſtare non poſſet, quia ad appetendum ſe eſſe determinatur tamquã ad vnũ naturale; ad cuius oppoſitum non põt inclinari quacumq; conditione poſita circa aliud, quia tunc non appeteret ſe eſſe, niſi cum conditione.

Præterea ſecundo. Naturalis appetitus non videtur eſſe niſi reſpectu cõuenientis appetenti, & per conſequẽs eſt primo reſpectu illius, cui appetitur conueniens, illud autem eſt ipſum amans, ſed ſi eſt primo reſpectu eius, non poteſt eſſe magis reſpectu alterius, ergo &c.

Tertio amicabilia ad alterum menſurantur ex his, quę ſunt ad ipſum nono Ethicor. capit. 4. ideſt, dilectio qua quis ſe diligit, eſt menſura dilectionis, qua diligit amicũ. Sed menſuratum ſecundum perfectionem non excedit menſuram, imò è contra; cùm ergo amicitia, quæ eſt ad alterum menſuretur per amicitiam, quæ eſt ad ſe, ſequitur quod amicitia, quæ eſt ad ſe ipſum, ſit perfectior amicitia, quæ eſt ad Deum, ergo &c.

Quarto. Amicitia fundatur ſuper vnitatem, ergo amicitia, quæ eſt ad ſe ipſum, eſt maior amicitia, quæ eſt ad Deũ; patet, quia impoſſibile eſt aliquem eſſe æquè vnum amato, ſicut ipſe amans ſibimet.

Oppoſitam ſententiam docent D. Thom. 2. 2. q. 26. art. 3. & 1. par. quæſt. 60. art. vltimo, & 1. 2. q. 109. art. 3. & Scotus in hac quæſt. art. 3. & eſt ſententia veriſſima. Quia Deus operatur intime in omni operãte, ſicut dat eſſe omnibus; In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus, ergo omnis motus, & operatio, quatenus à natura procedit, ordinatur principaliter in Deum. Confirmatur: quia Deus eſt finis vltimus omnium rerum, ergo propter ipſum mouentur omnia magis, quam propter ſe.

D. Thom.
Scotus.

Præterea ſi homo ſecundum inclinationẽ naturalem magis propenderet ad diligendum ſe ipſum, quã Deum, ſequeretur inclinationem charitatis, qua eſt propenſus ad diligendum Deum magis, quam ſeipſum, repugnare inclinationi naturali, atque adeo præceptum charitatis de hoc ipſo repugnaret inclinationi naturali, ſed iſtud conſequens eſt abſurdũ, ergo illud ex quo ſequitur. ſequelam maioris concedunt quidem Bonauen. & Gab. ſed nõ bene: quoniam quod eſt inſtitutum ad perficiendũ hominem, vt eſt prædictus natura intellectuali, nequaquam repugnat illi ſecundum naturam intellectualẽ, & eius inclinationem, tunc enim non tam id perficeret naturã intellectualem hominis, quam peruerteret, & quodammodo deſtrueret; ſed inclinatio charitatis ad magis diligendum Deum, quam ſe ipſum, itemque præceptum charitatis de Deo magis diligendo, ſunt inſtituta ad perficiẽdum hominem, quatenus eſt præditus natura intellectuali, ergo minimè repugnat inclinationi naturali ipſius, ſed addunt potius aliquid perfectionis ad eam. Dicamus igitur, quod appetitus rerum naturalium inclinat magis ad dilectionem Dei, quam ad propriam ipſarum rerum.

Ad primum concedo, quòd natura determinatur ad vnum, & quod appetit ſuum eſſe naturaliter, ſed in hoc appetitu includitur deſiderium eſſe ipſius Dei, cũ dependeat ab ipſo Deo tamquam à toto, in quo continetur, & quo ad ſui conſeruationem. Nam creatura pendet omnino in ſuo eſſe à Deo, tamquam à quodam toto, in quo eſt omne bonũ, atque adeo magis determinatur ad diligendum Deum, quam quoduis aliud bonum particulare, quod in Deo eminenter contineatur. Et nota, quod hic loquimur de amore naturali; & non de amore libero, ſi enim eſſet ſermo de amore libero diceremus, quod etſi appetitus naturalis ſit determinatus ad vnum, appetitus tamen liber poteſt in vtrumque oppoſitorum, & in diuerſa obiecta etiam non oppoſita.

Ad ſecundum patet reſponſio per idem; vel dicas quod appetitus naturalis poteſt dupliciter conſiderari, vno modo prout eſt à Deo, quatenus eſt natura quædam in genere; alio modo prout eſt hominis, & in natura lapſa, priori modo ſemper inclinat ad bonum, & magis ad maius bonum, ſine quo eſſe nõ poteſt, at ſecundo modo inclinat ad malum, quatenus in illo eſt fomes peccati, & talis motus non eſt naturalis, vt ſic, propriè loquendo; quia appetitus naturalis ſemper eſt rectus; omnis enim inclinatio naturalis, hoc eſt dimanans per ſe ex principijs naturæ, eſt bona, quia ex bonis nõ ſequitur malum naturaliter; Tum quia aliàs Deus eſſet cauſa mali, cum ſit author naturæ, ex qua intrinſecè ſequeretur malum, ſi naturalis inclinatio eſſet mala. Cum ergo bonum diuinũ ſit radix, à qua pendet in fieri, & conſeruari bonitas propria cuiuſuis creaturæ, ideo inclinatio naturalis magis inclinat hominẽ ad Deum, quam ad ſe. Ex hoc patet defectus Gabrielis, qui vbi ſupra concedit eſſe in homine inclinationem naturalem ad malum, ſcilicet illam, quæ, vt Gabriel falſo putat, eſt in homine ad diligendum ſe ipſum, magis, quam Deum.

Ad tertium reſpondet Doctor ad ſecundum principale, dicens quod illa verba Ariſtot. intelligenda ſunt quan-

Digitized by Google

quantum ad innoteſcentiam. Innoteſcit enim amicitia ad alterũ, quando appeto alteri ſimilia his, quæ appeto mihi; ſed non quantum ad per ſe rationem, ſic quod vna dilectio ſit menſura alterius. In amicitia tamẽ ſtricte accepta, quæ eſt inter æquales, amicitia ad ſe eſt menſura amicitiæ ad alterum, & non è contra.

Ad quartum dico, quod duæ conditiones concurrunt in obiecto amabili, ſcilicet vnitas obiecti, & bonitas, & licet vnitas quandoq; ſuperet vnitatem; nam maior vnitas eſt hominis ad ſe, quam ad alterum, tamẽ bonitas ex alia parte recompenſat, licet ergo non ſit tanta vnitas hominis ad Deum, quanta eſt hominis ad ſe ipſum, quia tamen maior bonitas eſt in Deo, quam in homine, ideo poteſt homo illum ſuper omnia diligere.

ARTICVLVS XIII.

Vtrum ſine habitu infuſo poſsit homo appetitu libero ex ſuis naturalibus diligere Deum ſuper omnia.

Videtur quod non: quia ſi homo ſine habitu infuſo charitatis appetitu libero, poteſt ex ſuis naturalibus diligere Deum ſuper omnia; ergo nõ erit neceſſe ponere habitum charitatis, qui inclinet ad diligendum Deum ſuper omnia, conſequens eſt falſum, ergo & antecedens; conſequentia patet, quia habitus nõ dat poſſe ſimpliciter, quia tunc eſſet potentia, ergo ſi abſq; habitu potentia poteſt, ad quid ergo ponitur habitus?

Hæc quæſtio intelligi poteſt, vel de potentia abſoluta, vel de potentia ordinaria, poteſt etiam intelligi vel de homine exiſtente in ſtatu naturæ inſtitutæ, vel de homine exiſtente in ſtatu naturæ lapſæ. Si ſit ſermo de potentia Dei abſoluta, eſt vnus omnium Theologorum cõmunis conſenſus, quod poteſt homo diligere Deũ ſuper omnia ſine habitu charitatis per ſolum auxilium ſpeciale; quia poteſt Deus ſupplere ſufficientiam habitus charitatis. Ita
Ocham. docent omnes Nominales in 1. d. 17. Ocham. Gabriel,
Gabriel. Gregorius, & alij. Ita Scotus eadem diſt. & omnes Scoti-
Gregorius. ſtæ. Baſſolus, Maironus, Guilelmus, & cæteri. Ita Diony-
Scotus. ſius Ciſtercienſis, & aliqui Thomiſtarum, vt Capreolus
Baſſolus. in 1. d. 17. q. 1. art. 3. Medina 1. 2. quæſt. 62. art. 1. Sotus 1.
Maironus. lib. de nat. & gratia cap. 22. & videtur etiam eſſe S. Tho-
Guilelm. mæ, vt docet Caiet. 1. 2. quęſt. 109. art. 6. Quippe qui q. 13.
Dionyſius. de veritate art. 2. ad quintũ ait viſionem diuinæ eſſentiæ,
Capreolus. quam habuit S. Paulus in raptu fuiſſe ſine habitu glorię;
Sotus. & q. 10. art. 11. in corpore quæſt. ait ſine lumine gloriæ S.
Medina. Paulum vidiſſe Deũ, quod fieri potuiſſe ita probat; quia
Caietan. ſicut diuinæ omnipotentiæ ſubiecta ſunt corpora, ita &
D. Thom. mentes, ergo ſicut poteſt aliqua corpora perducere ad effectus, quorum diſpoſitio in prædictis corporibus nõ inuenitur, ſicut Petrũ fecit ſuper aquas ambulare, ſine hoc quòd ei dotem agilitatis tribueret; ita poteſt & mentem ad hoc perducere, vt diuinæ eſſentiæ vniatur in viæ ſtatu, modo illo quo vnitur ſibi in patria, ſine hoc quod lumine gloriæ perfundatur, atq; adeo cum eadem ſit ratio luminis gloriæ, & habitus charitatis, idem poterit dici de illa per ordinem ad dilectionem.

Si verò ſit ſermo de potentia ordinaria, & pro ſtatu naturæ inſtitutæ concordant in concluſione D. Thom. & Scot. ſcilicet quod homo circunſcripto omni habitu infuſo poteſt ex proprijs naturalibus diligere Deum ſuper omnia; in modo tamen probandi concluſionẽ diſcrepant.
D. Thom. Nam Scotus rationes D. Thomæ tanquam minus ſuffi-
Scotus. cientes ad propoſitum oſtendẽdum refellit. Rationes autem D. Thomæ, quibus probat naturam intellectualem poſſe magis Deum, quam ſe ipſam diligere ex puris naturalibus habentur 1. par. ſummæ q. 60. art. vltimo, & 1. 2.
Gotfredus. q. 109. art. 3. & 2. 2. quæſt. 26. art. 3. Quas refert etiã Gotfr. quol. 4. quæſt. 6. & Doct. in hac quæſt. ſub litt. F. §. Contra hoc arguitur, &c. & prima eſt talis. Pars naturaliter magis diligit totum, quam ſe ipſam: quod declaratur in maiori, & in minori mundo; In maiori quidem, quia aqua aſcẽdit, ne fiat vacuum in vniuerſo, ſicut patet multis experimentis, & ſpecialiter de vrinali euerſo, & candela infra poſita, quod tamen eſt contra naturalẽ inclinationem aquæ, quæ eſt naturaliter grauis, & per conſequens tẽdat naturaliter deorſum; ſed vincitur ab inclinatione naturæ vniuerſalis; ſaluatur enim in hoc bonum totius vniuerſi, ſcilicet continuitas, vel contiguitas partium eius; ad quod bonũ, vt apparet in hoc exemplo magis inclinatur aqua, quam in ſuum bonum particulare. Patet etiam in minori mundo: quia magis exponit ſe manus ad ſaluandũ caput, quam ſe vel aliud membrum, tamquam magis appetens ſalutem capitis, quam aliorum, & in hoc magis, quam ſui ipſius: quia ſalus capitis eſt ſalus omnium membrorum, quantum ad operationẽ vitæ, & influentias vitales; & ex hoc vltra cum quælibet creatura ſit participatio bonitatis diuinæ, magis appetit eſſe boni Dei, quam ſui ipſius, & per conſequens natura rationalis poterit ex naturalibus magis diligere bonum diuinũ, quã aliud quodcumque.

Hanc rationem refellit Doct. ibi. Iſtæ rationes non cogunt. Quia exempla illa non oſtendunt propoſitũ, ſolum enim oſtendunt, quod totum magis diligit bonum ſui ipſius, vel partis principalioris, quam minus principalis totius; patet in primo exemplo: Nã eſt impoſſibile aquam ſe mouere ſurſum propter quodcumq; bonum vniuerſi; quia ex quo habet formam naturalem, quæ determinata eſt ad vnam actionem, illa forma manens eadẽ numero numquã poteſt eſſe ratio formalis agendi oppoſita rõne. Ipſa igitur aqua non ſe mouet ſurſum, ſed ſolũ mouetur ab aliquo mouente extrinſeco, cui etiam nihil confert, quantum eſt ex natura ſua; violenter ergo mouetur comparando ad propriam naturam aquæ. Pars igitur illa non amat bonum totius pluſquam ſuum, nec ex amore totius ſaluat totum; ſed totum, vel virtus regitiua in toto, id eſt, Rector vniuerſi Deus, cui attribuuntur partes vniuerſi, mouet quamlibet partem vniuerſi, ſicut congruit bene eſſe totius; ex hoc igitur non habetur niſi quod totũ vniuerſum magis diligit bene eſſe totius, quam bene eſſe proprium huius partis.

Idem etiam habetur ex alio exemplo; Nõ enim manus ex ſuo appetitu exponit ſe pro toto corpore; ſed homo habens illas partes vnam tamquã principalem, & aliã tamquam minus principalem, exponit minus principalem, quam põt amittere ſine periculo totius ad ſaluandũ totum, & aliquam partem principalem, quam non põt perdere ſine periculo totius; & ita potes habere in propoſito, quòd Deus magis diligat bene eſſe vniuerſi, quã bene eſſe vnius, vel bene eſſe partis principalis, quam alterius minus principalis; ſed non potes habere, quod aliqua pars vniuerſi, magis diligat bonũ alterius partis, quantumcumque principalis, vel totius, quam ſuum eſſe propriũ; ſicut in illis exẽplis pars ſibi dimiſſa, & conſiderata ſecundũ inclinationem ſuam, nunquã exponit ſe ad nõ eſſe pro alio.

In alio etiam peccat ſimilitudo; quia etſi verum eſſet, quod accipitur de partibus iſtis, iſtæ ſunt aliquid totius realiter, & in ſaluando totum ſaluant ſe ipſas, in quantum habent eſſe in toto: nõ ſic autem creatura eſt aliquid Dei partialiter, licet ſit aliquid Dei, vt effectus, vel participans ipſum: atq; adeo ſi exẽpla eſſent vera adhuc nõ concluderent, homo enim non eſt pars Dei, licet eſſe à Deo habeat.

Caiet. 1. par. q. 60. art. vlt. volens D. Thomæ rationẽ defendere ad primam inſtantiã Scoti inquit, quod ſiue pars exponatur à toto, ſiue à ſe ipſa pro ſalute totius, dũmodo naturaliter exponatur, ſemper ſequitur quod pars habet magis inclinationem naturalem in bonũ totius, quam in ſui ipſius, ex eo quod vnum quodq; ſicut naturaliter agitur, & mouetur, ſiue à ſe ipſo ſiue ab alio, ſic aptũ natum eſt agi, & è conuerſo, vt patet in 1. phyſic. tit. 78. Sed non cõſiderauit Caiet. quod pars haud naturaliter exponitur pro eſſe totius: quia vt dicit Doct. ſub. ex quo pars habet formam naturalem; quæ determinata eſt ad vnã actionem, illa forma manens eadem numero numquam poteſt eſſe ratio formalis agendi oppoſita actione, quare nec forma aquæ, nec grauitas in ea facit aquam aſcendere, cũ naturaliter faciant eam deſcendere; atq; adeo cum ab agente extrinſeco moueatur, cui etiam nihil confert, quantũ eſt natura ſua violenter mouetur, & non naturaliter, ac proinde etiam iuxta reſponſionem Caiet. ſtat in ſuo robore inſtantia Doctoris. *Caietan.*

Ad ſecundã inquit, quod rõ, quare pars exponitur pro toto, non eſt identitas, quę eſt inuenta inter partẽ, & totũ;

cuius manifeſtum ſignum habetur ex hoc, quod pars exponitur ad perdendam identitatem cum toto, vt ſaluetur eſſe totius; non ergo ratio inclinationis talis eſt identitas, aut vt ſaluet ſe ipſam in toto, ſed vt ſaluet eſſe totius ſecũdum ſe, etiam cum non eſſe ipſius partis; ſed ratio talis inclinationis eſt, quia natura & ſubſtantia partis hoc ipſum, quod eſt, eſſentialiter, & primo eſt propter totum, & eſſe totius, quod conuenire cuilibet creaturæ reſpectu Dei patet; quia quælibet creatura ſecundum ſuam naturam eſt naturalis pars vniuerſi, & per hoc diligit plus vniuerſum, quam ſe ipſam, & à fortiori magis diliget ipſum bonum vniuerſale &c.

Sed in hac reſponſione, præterquam quod Caietanus præſupponit, quod pars exponat ſe ipſam ꝓ ſalute totius, quod Scotus improbat; nec ipſe Caiet. oppoſitum oſtendit; non bene percepit Scoti ſenſum. Nam non dicit Scotus, quod ratio quare pars exponitur pro toto, ſit identitas inuēta inter partem, & totum; ſed propria ſalus ipſiuſmet partis; quam quia conſequi nequit, niſi totum ſaluetur, cum ſit idem cum toto, quærit ſaluare totum, vt propriam conſequatur ſalutem, ita quod primum quod appetit pars eſt propria ſalus, at quia ex interitione totius ſequitur partis interitus, vt ſui non eſſe euitet, quærit totum ſaluare, ex quo ſequitur quod magis ſuum eſſe diligat, quam eſſe totius; quæ ratio inter Deum, & creaturã reperiri minime poteſt, vt conſideranti perſpicuum eſſe poteſt.

Secunda ratio ad concluſionem principalem eſt Gotfredi, & eſt talis. Natura rationalis ſummè diligit beatitudinem, ſicut colligitur ex D. Auguſt. 13. de Trinit. capit. 5. *D. Aug.* Sed non magis diligit beatitudinem, quam obiectum beatificum, igitur ſummè diligit obiectum beatificum; igitur ſuper omnia & ſuper ſe. Et confirmatur, quia deſperans & occidens ſe ipſum, odit ſuum eſſe, & tamen non odit beatitudinem: quia appetit eam ſi poſſet eam habere, igitur plus amat beatitudinem, & per conſequens obiectum beatificum, quam ſe ipſum.

Hanc rationem reijcit Doct. dicens. Secunda ratio de beatitudine non concludit: quia procedit tantùm de affectione commodi: nam inter concupita ipſi amanti beatitudo maximè concupiſcitur, natura enim intellectualis, ſummè ſibi appetit obiectum beatificum, vt ſummum ſibi commodum; ſed non maximè ipſum diligit, imò illud cui concupiſcitur magis diligitur ſicut finis eo, quod eſt ad finem. Ratio ergo procedit de affectione commodi, ſed nõ concludit de affectione iuſtitiæ, de qua eſt præſens quæſtio, ſecundum quam affectionem quis poſſet diligere Deum ſuper omnia in ſe, & propter ſe; atque adeo non ſequitur, ſummè volo obiectum beatificũ, vt ſummum mihi commodum, ergo ſummè volo ipſum in ſe, & magis ipſum eſſe, quam me eſſe: imò magis videtur ſequi oppoſitum; quia ſi aliquid ſummè concupiſco mihi, vt mihi cõmodum, magis volo me eſſe: quia amor concupiſcentiæ præſupponit amorem amicitiæ; & hoc eſt quod vult dicere Doct. cum inquit. Secunda ratio de beatitudine non concludit: quia procedit tantùm de affectione commodi, hoc eſt, de amore naturali, ſecundum quem voluntas ſummè inclinatur ad ſummam beatitudinem: Nam inter concupita ipſi amanti beatitudo maximè concupiſcitur; ſed non maximè diligitur amore amicitiæ, ſeu ſecundum affectionem iuſtitiæ, hoc eſt, amore libero, imò illud, cui beatitudo concupiſcitur, magis diligitur.

Similiter quod aſſumitur de beatitudine non eſt verũ, niſi loquendo de ipſa in vniuerſali non determinando illud in quo conſiſtit, & ex hoc non habetur, quod aliquis diligit aliud à ſe pluſquam ſe: quia non determinatur, quod illud in quo eſt beatitudo ſit aliud ab amante. Hic Doct. reſpondet ad confirmationem, & vult dicere, quod deſperans, & occidens ſe, diligit beatitudinem tantùm in vniuerſali, & non in particulari, & talis occidens ſe credit euadere malum, & habere maius bonum; adeo quod deſperans odit ſuum eſſe de per accidens, quia cupit liberari à pœna, & miſeria, quam patitur.

Exploſis aliorum rationibus probat Doct. ſub. Concluſionem principalem proprijs rationibus, prima eſt talis. Intellectus poteſt ex naturalibus iudicare Deum eſſe diligendum ſuper omnia; ergo voluntas poterit ſe conformare ei iudicio, & diligere Deum ſuper omnia. probatur antecedens, quia ratio naturalis dictat, quod in omni ordine eſſentiali ſtandum eſt ad aliquod primum, atque adeo cum inter diligibilia ſit ordo eſſentialis, quia omnia dependent ad aliquod ſupremum, ſicut imperfectum ad perfectum, ita inter dilectiones eſt ordo eſſentialis, atque ita datur aliqua dilectio perfecta, à qua omnes imperfectæ dependent ſicut menſuratum à menſura; ergo ſi ratione naturali concludimus, aliquod eſſe ſupremum diligibile, & propter ſe tantùm diligibile, concluditur etiam ipſum eſſe ſummè diligendum, & per conſequens ſuper omnia; & confirmatur, quia intellectus poteſt, ſicut docet D. Paulus ad Roma. 1. cognoſcere Dei diuinitatem, & conſequenter eum eſſe perfectiſſimum ens; & ſupremum diligibile. Conſequentia probatur, tum quia non minus eſt voluntas procliuis ad bonum, quam intellectus ad verum; Tum quia ſi voluntas non poſſet tendere in recte dictatum, vel eſſet naturaliter mala, vel non eſſet libera reſpectu eiuſdem obiecti; quæ ſunt inconuenientia. Et confirmatur tota ratio: quia ſtando in puris naturalibus, vel diligere Deum ſuper omnia eſt contra dictamen rectæ rationis, vel non; Non poteſt dari primum; Tum quia intellectus ſine charitate infuſa poteſt dictare, quod Deus eſt ſummum bonum, & quod ſummum bonum eſt ſummè diligendum, quia ratio naturalis non oſtendit aliud à bono infinito eſſe ſummè diligendum; Tum etiã quia charitas cum inclinet ad diligendum Deum ſuper omnia, inclinaret in oppoſitum eius quod recta ratio dictat, atque ita non eſſet virtus; dandum eſt ergo ſecundum, nempe quod diligere Deum ſuper omnia non eſt contra dictamen rectæ rationis; ergo voluntas tali dictato poteſt ex puris naturalibus condeſcendere, atque ita illud ſummè diligere. Et hoc eſt inquit Doctor quod arguitur in ſpeciali de angelis, quia in ſtatu innocentiæ non fuerunt non recti, quia tunc non potuerunt habere actum non rectum, potuerunt autem habere aliquem actum elicitum, & ſupponendum eſt quod habuerunt, & hunc rectum; & non potuit eſſe aliquis actus rectus diligendo ſe ſuper omnia, ergo fuit diligendo Deum ſuper omnia.

Secunda ratio Doct. quæ eſt etiam S. Thomæ locis ſupracitatis, fundatur ſuper illud Philoſ. 9. Ethic. c. 9. atque etiam lib. 3. Ethic. c. 1. de forti politico. Nam fortis politicus poteſt per vires ſuas naturales morti ſe exponere pro ſua Ciuitate: hoc enim Ariſt. locis citatis per ſolum lumen naturale docet eſſe faciendum; ergo etiam poterit oppetere pro bono, & honore diuino, & conſequenter diligere Deum ſuper omnia. Si enim ſuper ſuam vitam poteſt quis ex naturalibus Deum diligere, poterit & ſuper alia. Hæc ratio præſupponit, quod via naturali ſciri non poſſit poſt hanc præſentem eſſe aliam vitam; quia nec via naturali ſciri poteſt animam eſſe immortalem, vt ſubtiliter probat Doct. in 4. d. 43. q. 2. atque adeo ſi fortis politicus ſola ratione naturali ſe exponit periculo mortis, non ſe exponit, eo quod ſciat ſe melius habiturum poſt hanc vitam, cum neſciat aliam futuram; Hoc ſuppoſito euidens eſt ratio Doct. Nam ſi fortis politicus ſecundum rectam rationem exponit ſe morti propter Reipub. conſeruationem; quia bonum Reipub. eſt magis bonum, & per conſequens tenetur magis bonum Reipub. diligere, quã vitam corporalem; ſequitur, cum bonum diuinum ſit ſimpliciter ſummum bonum, incomparabiliter quodcumq; bonum Reipub. excedens, quod ſecundum rectam rationem, & naturale dictamen, poſſit quis magis illud ſummum bonum diligere, quam ſe ipſum; atque adeo diligere illud ſuper omnia.

Et ſi dicatur, quod fortis in exponendo ſe morti propter bonum virtutis, experitur maximum bonũ virtutis, & maximam delectationem, atq; ita propter hæc bona, licèt momentanea, debet eligere mori; quia melior eſt vnus actus excellens, quam quotcumque remiſſi; atque adeo ſi fortis politicus exponit ſe morti ex eo eſt, quia in eo euentu experitur maximam iucunditatem; experitur enim tunc maximum bonum virtutis, & propter illum actum ita perfectum debet ſe morti exponere, & plus actum illum virtutis diligere, quam propriam ſalutem.

Ac pro-

Ac proinde fortis politicus exponendo ſe morti pro bono Reip. non eligit ſuum non eſſe, ſed optimum eſſe, ſecundũ eſſe virtutis; Nam ſecundum rectam rationem magis eſt eligendum non carere vno actu virtutis, quam non carere multis alijs commodis.

Contra hanc reſponſionem arguit Scotus: Illud magis amatur ſimpliciter, pro cuius ſalute volo aliud non eſſe, vel cui ne male contingat, volo aliud non eſſe, quam diligam illud aliud, quod propter ipſum volo non eſſe; Nam ſi volo eſſe Reipub. magis quam eſſe proprium, magis diligo Rempub. quam eſſe proprium; ſimiliter ſi magis appeto eſſe virtutis, quam proprium eſſe, magis etiam diligo eſſe virtutis, quam eſſe proprium. Sed fortis Politicus, ne Reipub. malum contingat, vult ſe & actum virtutis non eſſe, ergo ſimpliciter magis diligit bonum publicum quod vult ſaluari, quam ſe, vel actum virtutis; pro cuius ſalute non ſe exponit, ſed pro ſalute Reipub. Et quod velit actum virtutis non eſſe patet, quia eo deſtructo, deſtruitur omne fundamentum in eo, & ita ſtat argumentum.

Addit etiam Doct. vnam perſuaſionem Theologicam; quia ſi nullus poteſt habere actum virtutis perfectum diligendi Deum ſuper omnia ex puris naturalibus, conſtare nobis poſſet nos eſſe in gratia diuina, nempe quando nobis conſtaret, vt certè conſtare poteſt, nos diligere Deum ſuper omnia: ſi enim conſtare poteſt Idololatræ quod diligit Idolum ſuper omnia, nulla cauſa ſubeſſe videtur propter quam non ſimiliter poſſit conſtare nobis, quod diligamus Deum ſuper omnia; ergo ſi non poſſemus ſine gratia Diuina diligere Deum ſuper omnia, conſtare nobis poſſet nos eſſe in gratia, ſaltem quãdo cognoſceremus nos pronos ad talem actum: quia ſine charitate non eſt talis pronitas: conſequens eſt falſum; ergo &c.

Quantum ergo ad iſtum art. propter iſtas duas rationes, de conformitate voluntatis, & rationis rectæ, & de forti politico, concedo inquit Doct. concluſionem, quod ex puris naturalibus poteſt quęcunq; voluntas ſaltem in ſtatu naturæ inſtitutæ diligere Deum ſuper omnia.

Duo mala nobis euenerunt per peccatum.

Proccuius ampliori explicatione obſer. eſt primo, quod per peccatum duo mala inter alia nobis euenerunt: primum quædam difficultas ad Diuina, & cœleſtia: Secundum pronitas ad malum, vnde factum eſt, vt homines ad ſcelera ſint fortes, & ad virtutes infirmi; iuxta illud Sapientiæ 9. Cogitationes mortalium tepidæ ſunt, corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena habitatio deprimit ſenſum. &c.

Diligere Deum ſuper omnia tripliciter contingit.

Secundo obſer. eſt, quod triipliciter contingit diligere Deum ſuper omnia, primo ſingulari actu amoris circa Deum, vti hac oratione profertur, Volo Deo in omnibus, & ſuper omnia complacere, & hanc dilectionem Dei ſuper omnia, Theologi vocant imperfectã, & inefficacem; quia poteſt eſſe cum peccato mortali. Alia dilectio Dei ſuper omnia eſt perfecta, qua ita quis Deum diligit, vt ipſum omnibus præferat, ſeque, & ſua omnia in Deum referat, nihilque diuinæ amicitiæ contrarium admittat: diſtinctio harum dilectionum videtur haberi 1. Ioan. 2. quando dicit, qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt; qui autem ſeruat verbũ eius, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt. vbi innuit charitatem aliam eſſe imperfectam aliam verò perfectam; & imperfecta non poteſt eſſe niſi ille actus ſolus voluntatis, quo quis ait, Volo Deo in omnibus placere, qui tamen actus inefficax eſt, iuxta illud dictum Saluatoris Matth. 7. Non omnis, qui dicit mihi Dñe Dñe intrabit in regnum cœlorum. Rurſus dilectio perfecta eſt duplex, altera naturalis, altera verò ſupernaturalis. Naturalis eſt quæ ſine gratia exhiberi potuit ab homine in ſtatu naturæ integræ. Supernaturalis verò eſt executiua, & efficax præceptorum Dei, & quæ dicit vniuerſalem obſeruantiam mandatorum Dei, ex gratia, & auxilio ipſius Dei. His obſeruatis ſit

1. Concl.

D. Thom.

Sotus.

Prima Concluſio. Homo in ſtatu naturæ integræ potuit diligere Deum ſuper omnia viribus naturæ abſque habitu charitatis infuſo dilectione perfecta, & naturali; hæc concluſio eſt omnium Theologorum; & D. Thomæ, 1. 2. quæſt. 109. artic. 5. & Soti de natura, & gratia lib. 1. cap. 22. & probatur concluſio rationibus Doct. de conformitate voluntatis ad rectam rationem, & de forti politico; & inſuper his rationibus. Homo in ſtatu naturæ integræ ratione ſuæ naturæ iuſtitia originali inſtitutæ conſideratus etiam abſque gratia, & alio ſpeciali auxilio poterat perſeueranter, implere omnia præcepta quo ad ſubſtantiam actus per opera moraliter bona, & pari ratione vno actu referre ſe, & omnia ſua in Deum tamquam finem naturalem; ergo poterat diligere Deum ſuper omnia; antecedens patet, quia nullam habebat tunc cauſam peccandi.

Secundo probatur. Omnia opera legis tam naturalis, quàm diuinæ ſecundum rationem ſunt; ſed homo eſt animal rationale; ergo ſuis naturalibus viribus poteſt huiuſmodi opera facere, dummodo non habeat obſtaculum; in illo autem ſtatu nullum obſtaculum habebat; ergo &c. Et confirmatur, in illo ſtatu excluſa gratia, virtute naturali poterat homo exequi totum bonum, quod ſibi eſſet connaturale; ſed talis dilectio Dei ſuper omnia eſt ſibi connaturalis; ergo illa erat ſibi à natura poſſibilis. Maior de ſe patet, & minor probatur, vnaquæque res ita nata eſt appetere, & agere, ſicut nata eſt eſſe; ſed omnes creaturę ſunt propter Deum; ergo omnes ſuo modo ſe diligunt propter Deum; atque ita homo, qui tunc natura pollebat integra, cuncta omnia officia in Deum referre poterat, quod eſt Deum diligere ſuper omnia.

Pro ampliori huius Concluſionis intelligentia obſer. eſt primo, hominem in eo primo vitę ſtatu quo eſt à Deo procreatus potuiſſe quidem hæc, quæ diximus, at non per ſolam naturam ſuam datam, & conſeruatam à Deo, ſed auxilio Dei, & mouentis, & adiuuantis ad bonum operandum; prædicta item non potuiſſe per ſola dona iuſtitiæ originalis infuſa, & accepta, ſine Dei mouentis, & adiuuantis, & vna cum homine operantis præſidio; Nam D. Auguſt. in Enchir. c. 106. & ex Auguſtino Arauſicanum Concilium can. 19. manifeſtè tradiderunt etiam in eo ſtatu indiguiſſe hominem auxilio Dei mouentis, & adiuuantis ad bonum agendum.

D. Aug. Concilium Arauſ.

Obſer. eſt ſecundo: Pelagium, vt in multis alijs, ita in hoc etiam grauiter errasse, quod opinabatur liberum arbitrium per naturam ſuam datam, & conſeruatam à Deo ſine alio auxilio Dei mouentis, & adiuuantis ad bonum faciendum poſſe quodcunque virtutis officium obire. Vnde D. Hierony. Dialogo, 1. contra Pelagianos, & in epiſt. ad Cteſiphontem diſputans concludit in ſingulis rebus, quas gerimus, indigere nos Dei adiutorio, etiam cum calamum temperamus ad ſcribendum, & temperatum pumice terimus, manumque aptamus litteris, cum tacemus, cum loquimur, ſedemus, ſtamus, ambulamus, & cætera huiuſmodi, niſi Deus iuuerit non poſſumus. Et Concilium Arauſ. can. 19. Natura, inquit, humana etiã ſi in illa integritate, in qua eſt condita, permaneret nullo modo ſe ipſam Creatore ſuo non adiuuante ſeruaret. Et D. Auguſt. lib. 14. de Ciuit. c. 27. Nam ſicut in hac carne viuere ſine adiumento alimentorum non poſſumus, non autem in ea viuere in poteſtate eſt, quod faciunt, qui ſe ipſos necant; ſic bene viuere ſine adiutorio Dei etiam in Paradiſo, non erat in poteſtate, erat autem in poteſtate male viuere, & in Enchir. cap. 106. & lib. de correp. & gratia cap. 11. Item quoque Concilium Arauſ. can. 26. ex D. Auguſt. lib. 2. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 8. Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo, nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præſtat, vt faciat homo. Rurſus can. 9. ex 1. ſent. Proſperi cap. 22. Diuini eſt muneris cum recte cogitamus, & pedes noſtros à falſitate, & iniuſtitia tenemus. Quoties enim bona agimus Deus in nobis atque nobiſcum, vt operemur, operatur. Iterum idem can. 22. ex Auguſt. tract. 5. in Ioan. Nemo habet de ſuo niſi mendacium, & peccatum, ſi quis autem homo habet virtutem, atque iuſtitiam ex illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac eremo, vt ex eo quaſi guttis quibuſdam irrorati non deficiamus in via. Ipſe quoque Aug. tract. 18. in Io. Siue paruum, inquit, ſiue multum ſine illo fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt. Concedebat igitur Pelagius vnam gratiam teſte Auguſt. lib. 1. de gratia Chriſti cap. 2. 3. & 4. videlicet creationis; hoc eſt, liberum arbitrium eſſe datum à Deo, ſed dicebat illud dum conſeruatur à Deo, poſſe omne bonum per naturam ſuam

D. Hieron.

Concilium Arauſ.

D. Aug.

ſine

Digitized by Google

ſine alio auxilio Dei mouentis, & adiuuantis ad bonum præſtandum.

Duplex Dei auxilium. Vnde habemus duplex eſſe Dei auxilium, vnum naturale, quod eſt auxiliũ Dei mouentis, & adiuuantis ad bonum perſpiciendum, volendum, & faciendum, & eſt auxilium cōmune, & generale Dei mouentis, & adiuuãtis ad bonum naturæ, vel moris; Aliud eſt ſupernaturale, quod eſt auxilium ſpeciale Dei mouentis, & adiuuantis ad bonum fidei, vel gratiæ. Quando ergo dicimus in hac Concluſione, quod homo in ſtatu naturæ inſtitutæ viribus naturæ potuit diligere Deum ſuper omnia, intelligimus, quo potuit diligere Deum ſuper omnia, non quidem per ſolas naturæ vires abſque naturali auxilio Dei mouentis, & adiuuantis ad morale bonum rectæ rationis præſtandum, ſed ſine ſupernaturali & ſpeciali auxilio. Nam ſicut duplex eſt amor, quo Deum ſuper omnia diligimus, vnus, qui eſt actus naturalis, id eſt, qui fieri poteſt per naturam, & per Dei auxilium naturale; vt eſt amor quo diligimus Deum, vt auctorē, & datore omniũ bonorum naturalium, hoc.n. ratio naturalis cognoſcit, & voluntas ſi ſit in ſtatu naturæ integræ poteſt amare; nam poteſt velle Deo plura, & potiora bona, quam cuicunq; alteri: & in hoc ſenſu intelligitur iſta concluſio, & hoc eſt, quod docet hic Doct. ſub.

Et alter eſt amor ſupernaturalis; hoc eſt, qui fieri non poteſt niſi auxilio Dei ſupernaturali tum in intellectu, tum in voluntate, & hic amor eſt charitatis virtutis Theologiæ; neque enim ſit niſi ab habitu charitatis diuinitus infuſo, aut ſaltem non ſit ſine auxilio Dei ſupernaturali, & nunquam eſt ſine habitu gratiæ, & charitatis fidei, & ſpei: & in hoc ſenſu non intelligitur præſens concluſio; quod bene nota.

2. Concl. Secunda Concluſio. In ſtatu naturæ lapſæ poteſt homo etiam exiſtens in peccato; ſiue ante receptam fidem ſiue in fide ſine gratia per ſua naturalia ſolo auxilio generali Dei, quandoque implere præcepta naturalis iuris, vel diuini, vel humani quantum ad ſubſtantiam actus; ita ſcilicet, vt licèt non eſſet opus meritorium eſſet tamen moraliter bonum; hæc concluſio eſt Scot. in 2. diſt. *Scotus.* *D. Thom.* 28. & S. Thomæ 1.2. quæſt. 109. art. 4. & probatur, opera cuiuſcunque legis iuſtæ à ratione proficiſcuntur, & ſecundum rationem ſunt; ſed homo eſt animal rationale; ergo poterit præſtare talia opera, ita, vt non ſit reus violatæ legis: quamuis, quia non facit illa, quantum ad modum, & finem præcipientis, non ſint meritoria.

3. Concl. Tertia Concluſio. Homo in ſtatu naturæ lapſæ non poteſt viribus proprijs diligere Deum ſuper omnia. probatur. Diligere Deum ſuper omnia eſt Deum diligere, vt ipſum omnibus præferamus, noſque, & noſtra omnia in ipſum referamus, omniaque præcepta adimpleamus, vt nulla admittatur culpa, iuxta illud Ioan. 14. Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit &c. Sed hoc non prǽſtare pōt homo in ſtatu naturæ lapſæ ſola virtute naturali ſine gratia, aut Dei auxilio; ergo &c. Minor probatur ex diſcrimine hominis in ſtatu naturæ integræ, & naturæ lapſæ. In illo enim ſtatu nullam habebat cauſam peccandi, ideo poterat Deum diligere ſuper omnia quantum ad ſubſtantiam actus, licèt non meritoriè ſine gratia cum ſolo auxilio Dei naturali, communi, & generali; In hoc autem ſtatu, neque perſeuerare poteſt ſine auxilio Dei ſpeciali in adimpletione mandatorum, neque vitare omnia peccata propter infirmitatem, & propter multa pericula, quæ propter præuaricationem primi parentis nobis iniecta ſunt; ergo &c. Vnde licèt homo in peccato exiſtēs poſſit habere illum actum imperfectum, Volo diligere Deum ſuper omnia, tamen non eſt cenſendus ille actus dilectio Dei ſuper omnia, ſed voluntas ineſſicax, & imperfecta, quo ad hoc.

Secundo probatur concluſio ex canone 25. Concilij *Concilium Arauſ.* Arauſ. ſecundi, qui ſic habet. Prorſus donum Dei eſt diligere Deum; Ipſe, vt diligeretur dedit, qui non dilectus diligit. Diſplicentes amati ſumus, vt fieret in nobis, vnde placeremus. Diffundit enim charitatem in cordibus noſtris Spiritus Patris, & Filij, quem cum Patre amamus, & Filio. & parum infra, Secundum ſupra ſcriptas ſanctarum ſcripturarū ſententias, & antiquorum Patrum definitiones, hoc Deo propitiante, & prǽdicare debemus, & credere, quod per peccatum primi hominis, ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, vt nullus poſtea, aut diligere Deum, ſicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum eſt poſſit niſi gratia eum, & miſericordia diuina præuenerit. Hæc ibi. Hæc concluſio eſt contra multos Doctores Scholaſticos, & nominatim contra Ioan. de Baſſolis *Io. Baſſol.* hac d. quæſt. 1. art. 2. & contra Tataretum hic, & aliquibus *Tataretus.* videtur, quod ſit contra Doct. noſtrum ſubtile, propterea, quod in hac quæſt. videtur ex profeſſo probare, poſſe hominem ex viribus naturæ diligere Deum ſuper omnia, & in 2. diſtin. 28. ad finem corporis quæſt. vnicæ, videtur dicere non eſſe ex impotentia liberi arbitrij, quod non poſſit implere homo omnia præcepta legis ſine gratia, ſed ex hoc, quod Deus illa ſeruantibus, & peculiariter ſeruantibus hoc præceptum diligendi Deum ſuper omnia Deus offert liberaliter ſuam gratiam. Verum ni fallor allucinantur, qui ita de Doct. ſub. ſentiunt. Nam in hoc loco, vt patet, non loquitur niſi de natura intellectuali pro ſtatu naturæ inſtitutæ; In ſecundo autem ſi bene ponderentur omnia, quæ in ea quæſtione dicuntur aperte conſtabit Doct. ſub. non diſputaſſe, an poſſit homo implere omnia præcepta, vel vitare omnia peccata, ſine ſpeciali Dei auxilio; ſed ſolum diſputat, an hoc poſſit ſine gratia gratum faciente, præcedente, vel ſaltem concomitante.

Et quod hæc concluſio ſit ad aures Doct. ſub. patet in quol. quæſt. 17. art. 1. in fine, vbi habet hæc verba, Plures actus dilectionis ad quos naturaliter inclinamur poſſumus poteſtate naturali elicere, licèt non omnes, quia ad perfectiſſimum circa vltimum finem eſt inclinatio naturalis; licèt natura non poſſit ad illum attingere ex ſe, cum itaque perfectiſſimus actus ſecundum omnes, & maximè ſecundum ipſum ſit dilectio Dei ſuper omnia, relinquitur ſecundum Doctorem in iſtum actum non poſſe naturam noſtram ex ſe, ſed ad illum indigere Dei auxilio: & licèt Leuchetus, & Gadius eo in loco exponendo *Leuchet.* *Gadius.* Doctorem referant iſta verba ad dilectionem Dei ſuper omnia, quæ in patria habebitur, & beatifica eſt: vt etiam facit Tataretus, tamen cum ille hoc non expreſſerit, *Tataretus* & in tota quæſt. tantum de actibus viæ diſputet; nos in eo, quod diximus perſiſtemus.

Ad argumenta autem, quæ probant primam concluſionem, quatenus poſſent adduci contra hanc tertiam, reſpondeo, & ad primum dico, quod maior eſt falſa pro ſtatu iſto naturæ lapſæ: quia difficilius eſt diligere, quam iudicare, atque adeo eſto, quod per lumen naturale cognoſcere poſſimus, Deum eſſe diligendum ſuper omnia ſine auxilio Dei ſpeciali (quod tamen negat Gregorius *Greg. Ar.* Arimenſis in 2. diſt. 26. quæſt. 1. art. 1. concl. 2. & d. 29. q. 1. art. 2. concl. 1. ſed non bene, quia eſt contra D. Paulum ad Rom. 1.) non inde tamen ſequitur, vt hoc poſſimus ex naturalibus etiam perficere; difficilius eſt enim ſic facere, quam ſic iudicare: Nam difficilior eſt dilectio Dei ſuper omnia, quam iudicium, quo iudicamus Deum eſſe diligendum ſuper omnia. Vnde & pauci fuerunt ſemper, qui iſta facerent, etiam ex illis, qui hæc eſſe facienda non dubitabant. Et inter articulos Pariſienſes, & iſte inuenitur. Si ratio recta, & voluntas recta error; & cauſa ſubditur, quia ſecundum hoc ad rectitudinem voluntatis non eſſet neceſſaria gratia, ſed ſcientia tantum, quod fuit error Pelagij.

Et per hoc patet reſponſio ad ſecundum, de forti politico: quia licèt per lumen naturale agnoſcere poſſimus optandam eſſe cuique mortem pro ſua Repub. non inde tamen ſequitur, vt hoc poſſimus ex naturalibus etiam perficere: quia vt diximus difficilius eſt ſic facere, quam ſic iudicare. Et eſto, quòd inueniretur fortis politicus, qui ex naturalibus morti ſe exponeret pro Repub. non continuo eſſet neceſſarium id ipſum facere quem vis poſſe pro honore diuino; & ratio eſt: quia difficilius eſt mortem pro Deo oppetere quàm pro Repub. quia non poteſt naturaliter conſtare, ad euadendum mortem temporalē, vel æternam neceſſarium eſſe nos mortem appetere, quãdo mors eſt oppetenda pro bono diuino; ſicut naturaliter poteſt conſtare aliquando non poſſe Rempub. ſeruari ſine noſtra morte, & nos ſimul cum illa perituros, ſi non

fortiter

Digitized by Google

fortiter moriamur pro illa. Vnde & Doct. ſub. apertè *Scotus.* fatetur in 2. diſtin. 5. quæſt. 1. ad 3. dilectionem Dei, qua ſuam beatitudinem meruerunt angeli, fuiſſe quidem illis difficilem ex parte operis, quia obiectum ipſius eorũ excedebat naturam, licèt non fuerit difficilis eis ex parte operantium: quia non inclinabantur ad oppoſitum.

Ad illam perſuaſionem Theologicam dico. Aliud eſſe non poſſe nos diligere Deum ſuper omnia ſine gratia gratum faciente, quod hactenus nunquam diximus, nec credemus vnquam. Aliud eſſe non poſſe nos diligere Deum ſuper omnia ſine gratia ſpecialis auxilij diuini, quod ſolum conceſſimus in hac 3. Concl. Et ſi dicas, ſaltem vbi conſtiterit nos diligere Deum ſuper omnia, conſtare poſſe nos à Deo peculiariter adiuuari, reſpondeo, noſtra Concluſio non eſt euidens: At hoc neceſſarium erat, vt quod ex illa infertur, cum alia euidenti euidens eſſet.

4 Concl. Quarta Concluſio. In nullo ſtatu potuit homo meritoriè Deum diligere ſuper omnia abſque habitu charitatis, hæc concluſio eſt de fide, & probatur ex D. Paulo ad Rom. 5. charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum &c. atque ita hæc veritas defini- *Concilium* ta eſt in Concilio Arauſ. contra Pelagium, & Mileuit. & *Arauſ.* Trident. ſeſſ. 6. can. 2. & 3. Vnde D. Auguſt. lib. de gratia, *Conc. Mil.* & lib. arb. cap. 18. dicit. Vbi eſt hominibus charitas Dei, *Conc. Tr.* & proximi, niſi in ipſo Deo? ſi enim non eſt ex Deo, ſed *D. Aug.* ex hominibus, vincerent Pelagiani, ſi autem ex Deo, vincimus Pelagianos.

Ad rationem in principio art. poſitam, reſpondet Doc. in hac quæſt. ad tertium principale. Quod bene poteſt homo in ſtatu naturæ inſtitutæ diligere Deum ſuper omnia ex ſuis naturalibus, nec tamen ſuperfluit charitas, quia ponitur, vt perficiat voluntatem in actu primo, & propter perfectionem actus ſecundi, & propter circumſtantiam actus, vt diximus ſupra, & magis explicabitur infra.

ARTICVLVS XIV.

Vtrum Deum ſuper omnia diligere, ſit ipſum magis intenſe diligere quam creaturam.

PRo explicatione huius difficultatis obſeruat Doct. in hac q. ſub litt. I. §. De primo dico &c. quod illud ſuper omnia poteſt intelligi dupliciter, vno modo extenſiuè, alio modo intenſiuè, priori modo diligere Deum ſuper omnia eſt magis velle eſſe Dei in ſe, quam eſſe cuiuſcunque alterius, ita quòd citius velimus omnia alia non eſſe, quam Deum non eſſe: poſteriori modo diligere Deum ſuper omnia eſt, velle eſſe Dei in ſe maiori, & intenſiori affectu, quam eſſe cuiuſcunque; ita vt ſi diligat creaturam dilectione intenſa, vt quatuor, dilectio Dei debet eſſe intenſior. Loquendo de dilectione Dei ſuper omnia extenſiuè clara eſt concluſio, quod quilibet magis tenetur velle eſſe Dei, & cuiuſcunque perfectionis intrinſecè ipſius Dei, quam velle cuiuſcunque creaturæ.

Sed loquendo de dilectione Dei intẽſiua, dicunt quidam, quod talis dilectio poteſt dici maior, quia feruentior ſiue tenerior, ſicut mater diligit filium; vel maior, quia firmior, & ſtabilior, ſicut pater diligit filium; quia maiori periculo ſe exponeret pro amore filij, vtriuſque dilectionis exemplum eſſet de Domino, qui tenerius diligit catulum, fortius verò caſtrum; quoniam & ſi maiora ſolatia ſenſit ex catulo, quam ex caſtro, magis tamen relinqueret catulum, quam caſtrum, atque adeo firmius, & fortius diligit caſtrum. Vnde dicunt iſti, quod quilibet tenetur diligere Deum ſuper omnia intenſiuè loquendo de dilectione fortiori, & firmiori, adeo vt non poſſit ab aliquo alio à Dei amore euelli: non autem loquendo de dilectione Dei feruentiori quo ad teneritudinem, & dulcedinem; quia aliquando inuenit ſe quis feruentius diligere creaturam, quam aliàs Deum.

Et confirmatur, quia ſi homo poſſet pro ſtatu iſto vtroque modo diligere Deum ſuper omnia, ſcilicet feruentius, & firmius, poſſet implere illud præceptum Deut. 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. cuius oppoſitum habetur in littera à Magiſtro, & D. Auguſtino, & Anſel. qui nolunt, quod hoc præceptum ſit, nec quod teneamur illud implere, ſed quod implebimus. Cæterum contra hanc diſtinctionem arguit Scotus, non quidem arguit, quod detur amor feruentior, & amor firmior, ſed improbat, quod hoc modo ſit magis, vel minus Deum diligere: quia propriè magis Deum diligere nõ eſt ipſum feruentius, vel tenerius diligere, ſed firmius. Illud enim duntaxat magis diligitur, quod firmius diligitur; Nam illud magis diligimus, cui minus volumus malum accidere, & pro cuius bono ſaluando magis nos ipſos exponimus ex amore, quia ſe exponere morti, vel cuiuis alio periculo ſequitur amorem; & hoc loquendo de amore, qui propriè eſt actus immediatè à voluntate elicitus, & de huiuſmodi amore elicito à voluntate non datur communiter iſta diſtinctio, ſcilicet quòd quidam ſit tenerior, & feruentior, & quidam firmior: quia pro ſtatu iſto teneritudo, & feruor amoris, ſunt magis paſſiones partis ſenſitiuæ. Et ſi aliqui dicantur diligere feruentius, vel tenerius, qui tamen firmius non diligunt, hoc non eſt ex aliquo exceſſu amoris intellectiui in eis, id eſt, immediatè eliciti à voluntate, ſed forte alicuius paſſionis amoris ſenſitiui, vt patet in multis deuotis, qui ſentiunt aliquam maiorem dulcedinem, quam alij multo ſolidiores in amore Dei, qui centuplum promptius ſuſtinerent martyrium; nec dulcedo eſt actus voluntatis elicitus, ſed paſſio quædam actui attributa, qua Deus allicit, & nutrit paruulos, ne deficiant in via.

Secundò obſeruat Doct. quòd illud ſuper omnia debet intelligi vtroque modo ſcilicet extenſiuè, & intenſiuè. Vnde diligere Deum ſuper omnia poteſt quatuor modis intelligi; (Nam illud ſuper omnia idem eſt, quod pluſquam omnia) poteſt ergo intelligi, vel quantum ad perfectionem actus diligendi, ſiue illa perfectio attendatur ſecundum intenſionem gradualem, ſiue ſecundum perfectionem eſſentialem. Dilectio perfectior ſecundum intenſionem gradualem ea dicitur, quæ habet plures gradus, vt dilectio vt decem, perfectior eſt dilectione vt quinque. Dilectionem verò ſecundum eſſentialem perfectionem perfectiorem appello, quæ eſt obiecti nobilioris; & hoc modo dilectio obiecti nobilioris æque intenſa gradualiter, perfectior eſt eſſentialiter dilectione obiecti minus nobilis, & minus perfecti. Secundo modo attenditur exceſſus dilectionis vnius obiecti ſuper aliud, quantum ad obiecti dilecti quantitatem extenſiuam, vel intenſiuam; & hoc modo aliquis plus diligit vnum obiectum, quam aliud, vel quia ei maius bonum diligit, vel plura bona, quam alteri. Tertio modo attenditur exceſſus, quantum ad amoris appreciationem, & hoc modo ea res magis diligitur, quam ita diligimus, vt illam anteponamus alijs rebus, quas dicamur minus diligere, ita, vt ſi alterius amorem ex electione dimittere oporteret, eligeret potius dimittere iſtius amorem, quam illius. Quarto modo quantum ad actus naturalitatem, & firmitatem, quia firmius, & naturalius ineſt ſibi dilectio vnius, quam alterius.

Diligere Deum ſuper omnia quatuor modis cõtingit.

Poſtremo obſeruan. eſt ſecundum Doct. quod exceſſus amoris Dei ſuper omnia, poteſt biſariam intelligi, ſcilicet extenſiuè quantum ad plura, & maiora bona dilecto volenda; vel intenſiuè quantum ad affectum maiorem; dicitur autem affectus maior, qui magis repugnat affectui oppoſito, ita vt habens talem affectum facilius inclinari poſſit ad oppoſitum dilectionis cuiuſcunque obiecti, quam ad oppoſitum dilectionis Dei; quod eſt magis diligere appreciatiuè.

Exceſſus amoris Dei ſuper alia, duob. modis intelligi poteſt.

1. Concl. His obſeruatis ſit prima Concluſio. Præceptum de diligendo Deum ſuper omnia intelligendum eſt tam extenſiuè, quam intenſiuè; Intenſiuè quidem eo modo intelligendo, quo in vltimo notabili explicatum eſt, ſcilicet pro amore, qui magis repugnat affectui oppoſito. Probatur concluſio. Sicut teneor diligere Deum ſuper omnia alia extenſiuè, id eſt, volendo Deo plura, & maiora bona, quam cuilibet creaturæ, ita etiam maiori affectu quam aliquid aliud, & dico maiori ſimpliciter: quia ſcilicet, magis repugnat affectui oppoſito, ita vt magis

incli-

Digitized by Google

inclinari poſſet ad oppoſitum dilectionis cuiuſcunque, quam ad oppoſitum dilectionis Dei: quod eſt dictum, quod magis vellet dilectionem ſui, & cuiuſcunque creaturæ deſerere, quam dilectionem Dei, & magis vellet quodcunque malum accidere creaturæ, quam aliquod bonum ipſi conueniens ipſi non eſſe, aut quàm Deum non eſſe ſummum bonum, & ſummè perfectum.

2. Concl. Secunda Concluſio. Præceptum diligendo Deum ſuper omnia non obligat ad diligẽdum Deum actu perfectiore gradualiter, quàm ſe ipſum, vel cæteras creaturas. Hanc concluſionem pono propter Gregorium de Valentia, qui in 2.2. D. Thomæ tom. 3. quæſt. 4. de charitate puncto 1. affirmat Doct. ſub. aſſerere hoc præceptum de diligendo Deum ſuper omnia obligare quo ad dilectionem perfectiorem gradualiter; Quod nunquam dixit Doct. ſub. imò ex doctrina eius habetur totum oppoſitum. Non enim in hac quæſt. dicit Scotus, quòd ego teneor diligere Deum ſuper omnia alia intenſiuè, quantum ad intenſionem gradualem; ſed ſecundum appreciationem, ita vt ille dicatur maior affectus, cui magis repugnat actus oppoſitus, id eſt, quod facilius poſſet inclinari ad oppoſitum dilectionis cuiuſcunque alterius, quam ad oppoſitum dilectionis Dei; ſic enim exponit Scotus, quid ſit diligere Deum maiori affectu, vt patet ſub litt. L. §. Dico igitur.

Gregor. de Valen.

Scotus. Præterea eodem actu poteſt diligi Deus, & creatura propter Deum, vt docet Scot. in 1. diſtin. 1. quæſt. 4. & in Repert. diſt. 28. quæſt. 1. 3. vbi habet hæc verba formalia. Eodem actu diligo Deum in ſe, & Volo proximum Deũ in ſe diligere, & in hoc 3. diſt. 28. dicit, quod eodem actu Volo Deum, & Volo te velle Deum; ergo dilectio Dei tunc non eſt perfectior, quam dilectio proximi: quia eſt idem actus. conſequentia probatur, quia tunc idem actus gradualiter eſſet perfectior, & imperfectior ſe ipſo.

Præterea præceptum diuinum de dilectione Dei, & creaturæ non determinatur ad certum gradum intenſionis, vel perfectionis actus; Vnde quis diligendo Deum ſuper omnia, volendo Deo ſumma bona, quæ non vult alicui creaturæ, & diligendo Deum propter ſe actu quantumcunque remiſſo, ſatisfacit præcepto. Similiter poteſt licite quis diligere creaturam, vt ſe ipſum, vel ſicut aliam actu quantumcunque gradualiter intenſo, dum tamen non velit ſibi ſumma bona, nec bona quæcunque propter ſe ipſum, tanquam propter finem vltimum, ſic de alia creatura, & ex hoc ſequitur, quod poſſum licite magis intenſe diligere proximum quam Deum poſtquã non obligor ad oppoſitum, ſcilicet ad magis intenſe gradualiter diligendum Deum quam proximum.

Et ſi dicatur, proximus non poteſt licite diligi niſi propter Deum, & referendo vltimatè illam dilectionem in Deum; ergo magis diligitur Deus, quia propter vnumquodque tale, & illud magis; Nam ſicut ſequitur Petrus aſſentit. B. propter. A. ergo magis aſſẽtit. A. ex. 1. poſt. t. c. 15. ergo videtur, quod ſi diligo proximum propter Deum, quod magis diligo Dẽum: quia ſicut ſe habet intellectus in ſpeculabilibus, ita voluntas in agibilibus, vel in moralibus.

Præterea ego poſſum peccare in dilectione proximi venialiter; velut interdum mater venialiter peccat diligendo filium ſuum, ex hoc arguitur ſic, vel illa dilectio eſt mala, quia eſt nimis intenſa; quia ſcilicet maiori dilectione gradualiter filium diligit, quam deberet, vel quia amat irreferibiliter, non referendo ſcilicet dilectionem illam in Deum; Non enim poteſt dici mala ratione obiecti, quia de ſe non eſt malum diligere filium; eſt ergo mala, quia nimis intenſe, vel quia irreferibiliter diligit, ſed non poteſt dici, quod ſit mala, quia irreferribiliter, quia tunc eſſet fruitio, vltimatè enim fertur in creaturam, atque ita eſſe idololatria contra primum præceptum, atque ita eſſet peccatum mortale, quia frueretur vtendis, quæ eſt maxima peruerſitas, quod eſt contra poſitum; ergo oportet dicere, quod illa dilectio dicitur mala ratione modi, nimirum quia nimis intenſe diligit, vel plus proximum diligit, quam Deum, atque adeo nunquam poteſt licite plus diligi creatura, quam Deus.

Reſpondeo, & ad primum nego conſequentiam, & ad probationem dico, quod illud eſt verum vbi. A. eſſet cauſa totalis aſſenſus. B. Tunc enim conſequentia currit, aliàs non, & ad authoritatem Philoſ. dico, quod intelligitur, vbi eſt cauſa totalis, quare illud eſt tale, ſed vbi non eſt cauſa totalis nõ ſequitur. In propoſito autem, ſi Deus eſſet cauſa totalis dilectionis proximi, ita vt diligeretur proximus preciſe propter Deum, tunc illa conſequentia eſſet bona, ſcilicet ergo plus diligitur Deus. Cæterum ſtat quod ego diligam proximum pluribus alijs de cauſis, quare non ſequitur, quòd magis diligam Deum.

Ad ſecundum concedo cum D. Auguſtino, & omnibus Doctoribus, quod ſtat aliquem peccare ſolum venialiter in dilectione proximi; & ad argumẽtum dico, quod illa dilectio in caſu poſito poteſt eſſe venialis, non quia irreferibilis, nec ratione obiecti; ſed quia poteſt mater optare filio aliquid per aliquod medium venialiter prohibitum, puta per mendacium iocoſum, vel officioſum. Non enim dilectio proximi dicitur venialis culpa, quia nimis intenſa, vel irreferibilis; quia primo modo non eſt peccatum, ſecundo eſt mortalis, & ſpecies idololatriæ, ſed modo præexpoſito. Obligat ergo primũ, & maximũ preceptũ ad diligendum Deum pluſquam omnia, quantum ad obiecti quantitatem, quia ſcilicet teneor plura, & maiora bona velle Deo, quam cuicunque creaturæ; & quantum ad appreciationem; quia ſcilicet teneor paratum eſſe relinquere dilectionem cuiuſcunque creaturæ magis, quam Dei dilectionem; cæterum non obligat ad diligendum Deum pluſquam omnia intenſiuè gradualiter, vt explicatum eſt. Vnde ſequitur, quod ſi per amorem firmiorem intelligamus amorem dulcioris ſentimenti, ſeu tenerioris, non oportet, quòd amor, quo amatur Deus, ſit qualibet dilectione creaturæ maior; Nam res dicuntur maioris ſentimenti, quia magis à ſenſibus percipiuntur, & pluribus notitijs. Vnde clarum eſt, quod in illis homo capit maiorem dulcedinem, & maximè, quæ ſenſu tactus tanguntur, & per notitiam intuitiuam apprehenduntur; atque adeo cum Deus non ſit à nobis cognoſcibilis, niſi cognitione quadam intellectiua, & abſtractiua à poſteriori, ſequitur, quod dilectio non eſt tanti ſentimenti, ſicut dilectio proximi, vt dilectio patris ad filium, vel vxoris ad maritum.

ARTICVLVS XV.

Vtrum teneamur diligere Deum ſuper omnia aliquo præcepto.

HAnc difficultatem tangit Scotus in hac quæſt. ſub littera M. §. Quantum ad ſecundum dico &c. Quæ duabus concluſionibus reſoluitur. Prima Concluſio. Tenemur Deum diligere ſuper omnia præcepto affirmatiuo. probatur prima pars Deut. 6. & Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Secundo probatur ratione; ſummum bonum eſt ſummè diligendum, Deus eſt ſummum bonum; ergo eſt ſummè diligendus. Secunda pars probatur, quia licèt obliget ſemper, non tamen pro ſemper, ſed tale eſt præceptum affirmatiuum; ergo præceptum de diligendo Deũ eſt affirmatiuum. Vnde obſeruan. eſt, quod licèt præcepta affirmatiua non obligent pro ſemper ad actum affirmatiuum, obligant tamen pro ſemper ad actum oppoſitum, & negatiuum, verbi gratia, honorare parentes eſt præceptum affirmatiuum, & quo ad exhibitionem honoris non obligat pro ſemper, tamen quo ad inhonorare obligat pro ſemper; ſimiliter diligere Deum obligat pro ſemper ad fugiendum actum oppoſitum dilectionis Dei, ſcilicet odium, & hoc eſt, quod dicit hic Scotus, ſcilicet quod hoc præceptum affirmatiuum Diliges Dominum Deum tuum &c. non tantum obligat ſemper ad oppoſitum fugiendum, ne ſcilicet inſit actus odij, ſed obligat pro aliquando ad actum elicitum: Quia ille actus eſt circa finem, ex cuius bonitate deſcendit omnis bonitas moralis in actibus, qui ſunt ad finem; igitur ſicut homo tenetur habere aliquem actum virtuoſum, ita tenetur habere aliquem actum illius præcepti circa finem gratuitè diligendum. 1. Concl.

Secun-

Digitized by Google

a. Concl. Secunda Concluſio. Præceptum diligendi Deum ſuper omnia eſt ſpeciale, hæc concluſio eſt certiſſima apud omnes; tamen quia Ioan. 14. dicitur. Qui diligit me ſermonem meum ſeruabit; & Roman. 13. Plenitudo legis eſt dilectio, ideo circa materiam huius præcepti ſunt opiniones. Prima opinio aſſerit, præcepto dilectionis Dei ſolum præcipi actum interiorem animæ; & hanc opinionem falsò aliqui tribuunt Scoto. Secunda opinio eſt Marſilij, lib. 2. diſt. 28. dicentis nos teneri hoc præcepto ad ſeruandam gratiam, & amicitiam Dei, & ad recuperandū perditam; ſed hæc opinio optimè refutatur à Soto lib. 1. de natura, & gratia c. 22. Quia nullo præcepto tenemur habere habitus infuſos, quamuis ex quadam conſequentia teneamur eos ſeruare, ſeruando mandata Dei.

Marſil. *Sotus.*

Vega. Tertia opinio, quæ vera, & tenenda eſt, & quam defendit Magiſter Soto loco citato, & Vega lib. 11. ſuper Concilium cap. 16. 17. & 18. dicit non ſolum actum interiorem præcipi hoc mandato, ſed multa etiam officia exteriora; Nam in præcepto dilectionis Dei non ſolum præcipitur, vt diligamus eū ex toto corde, id eſt, q͞d voluntate non tendamus in aliquid, quod non eſt Deus, tanquam in Deum, & finem vltimum, & tota mente, ſcilicet intellectu non adhibeamus fidem ſectis repugnantibus fidei diuinæ; ſed etiam præcipitur tota anima, id eſt, ne appetitu ſenſitiuo feramur in aliquid prohibitum à Deo; & tota virtute, & viribus, vt ſcilicet vires exteriores non exerceamus in aliqua re contra voluntatem Dei, patet ergo quod non ſolum præcipitur hoc præcepto actus interior, ſed etiam exteriora officia, ita vt ille diligit Deum ex toto corde, qui non diuidit ſuum affectum in alium Deum, & tota mente, qui non adhibet fidem alijs doctrinis repugnantibus fidei noſtræ diuinę, & tota anima, qui non diuidit ſenſum, & appetitum ſenſitiuum in aliqua prohibita à Deo, & tota virtute, qui non diuidit animæ ſuæ vires in cultum, aut obſequium alterius Dei. Vult ergo Deus, vt ſic eum diligamus, ſicque ei credamus, & ſeruiamus, & in illo ſperemus, vt non partem noſtrorum affectuum, & virium ſuo cultui, & amori impendamus; & partem alienis Dijs. Ille enim tranſgreditur hoc præceptum, qui amauerit, aut crediderit, aut fecerit aliqua, quæ dilectioni Dei repugnauerint.

Sotus. Et inquit Sotus, quod tempus adimpletionis huius præcepti eſt, primo quando Chriſtianus peruenerit ad actum rationis, tunc enim debet actum dilectionis Dei habere, quem profeſſus eſt in Baptiſmo; An verò eodem momento, & puncto, quo ad vſum rationis peruenerit, an verò poſt, de hoc eſt alia diſputatio. & ſecundo quando ſe offert neceſſitas martyrij, vbi fides periclitatur, & etiam quando quis audit aliquem blaſphemantem, tenetur non ſolum præcepto correptionis proximi, ſed etiam dilectionis Dei reſpondere pro Deo, & pro eius nomine, & honore: hæc enim vera eſt lex amicitiæ.

At Doct. noſter. Sub. hic dicit; quod forte illud præceptum Exodi 20. Sanctifica Sabbatum, & maneat vnuſquiſque apud ſe, id eſt, recolligendo ſe, & aſcendendo ad Deum ſuum determinauit tempus, quando præceptum diligendi Deum ſeruari debet; quando enim præcipitur, vt maneat vnuſquiſque apud ſe, intelligitur recolligendo ſe, & aſcendendo ad Deum ſuum.

Etiam Eccleſia hoc expecificauit, quod teneamur audire Miſſam diebus feſtis de Conſ. diſtin. 2. c. Miſſas. Et quidem, vt ait Caiet. tomo 2. opuſculorum tract. 4. qui tenetur audire Miſſam tenetur non ſolum corpore, intereſſe, ſed etiam mente; quia præceptum Eccleſiæ omnibus factum de intereſſendo ſacrificio intelligendum eſt more humano, vt ſcilicet interſint, vt rationales; atque ita populus obligatur ad Miſſæ cultum intereſſendum corpore, & mente, cum animo vacandi Deo, quantum Deus dederit, hoc autem facere non poterit niſi mentem eleuando, & actum dilectionis Dei ſuper omnia exhibendo.

∴

ARTICVLVS XVI.

Vtrum præceptum dilectionis Dei ſuper omnia poßit in præſenti vita adimpleri.

LVtherus in libro de libertate Chriſtiana, & in ar. 2. & 31. ſuarum aſſertionū contra Bullam Leonis X. & latiſſimè in libro de decem præceptis, diſertè affirmat, vt refert Pater Vega lib. 11. ſuper Concilium c. 9. impoſſibile eſſe nobis præcepta Dei implere in hac vita. Quem ſecuti ſunt proteſtantes: Nam in Confeſſione Auguſtana palam aſſerunt non poſſe nos in hac vita ſatisfacere legi, neque eam implere, ſed duntaxat ipſius impletionem inchoare. Et Melanchton in Appologia titulo de impletione legis, & dilectione improperat nobis, quod prædicemus nos legem implere, cum in hac vita non poſſimus legi ſatisfacere, ſed tantum inchoare, & imperfectè implere, atque idem latius proſequitur in locis communibus tit. de impletione legis. Et Bucerus in libro de Concordia Controuerſ. in conciliatione art. de iuſtificatione, quamuis aſſerat blaſphemum eſſe aſſerere Deum aliquid præcepiſſe, quod in ſe eſſet impoſſibile; verum affirmat præcipiſſe, quod homini erat impoſſibile, poſſibile autem Deo, vt concluderentur omnia ſub peccato, & homo recurreret ad miſericordiam Dei, & hic impleat homo legem ex parte, in patria verò ex toto.

Cæterum hæc hæreſis damnata eſt in Concilio Trid. ſeſſ. 6. cap. 11. ſub his verbis. Nemo temeraria illa, & à Patribus ſub anathemate prohibita voce vti debet, Dei præcepta homini iuſtificato ad obſeruandum eſſe impoſſibilia; Nam Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis, & adiuuat, vt poſſis; cuius mandata grauia non ſunt, cuius iugum ſuaue eſt, & onus leue. Et Can. 18. Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam iuſtificato, & ſub gratia conſtituto eſſe ad obſeruandum impoſſibilia anathema ſit.

Videtur tamen controuerſia nonnulla inter D. Auguſtinum in libro de perfectione iuſtitiæ reſponſione ad 17. ratiocinationem Cœleſtij. tom. 7. & lib. de ſpiritu, & litera c. 36. & D. Hierony. in explanatione Symboli ad Damaſcum Papam, circa obſeruantiam huius præcepti Diliges Dominum Deum tuum &c. Nam D. Auguſt. videtur ſentire, quod hoc præceptum non poteſt in hac vita adimpleri, ſic enim ſcribit loco ſupra citato. Cum adhuc eſt aliquid carnalis concupiſcentiæ non omni modo ex tota anima diligitur Deus. Caro. n. nō dicitur concupiſcere, niſi quia anima carnaliter concupiſcit. Cum autem venerit, quod perfectum eſt, vt deſtruatur, quod ex parte eſt, id eſt, vt iam non ex parte ſit, ſed ex toto, charitas non auferetur, ſed augebitur, & implebitur. In qua plenitudine illud præceptum charitatis implebitur Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c. Tunc erit iuſtus ſine peccato; quia nulla erit lex repugnās menti. Tunc prorſus toto corde, tota anima, tota mente diliges Deum, quod eſt ſummum præceptum. *D. Aug.*

At D. Hieronymus loco proximè relato ſic ſcribit. Execramus etiam eorum blaſphemiam, qui dicunt impoſſibile aliquid à Deo præceptum eſſe, & mandata Dei non à ſingulis, ſed ab omnibus in communi poſſe ſeruari. & lib. 1. aduerſus Pelagianos ſic ait. Poſſibilia Deus pręcepit, & ego fateor; & ibidem. Reſeruato igitur hoc, quod fatemur poſſibilia Deum dediſſe mandata, ne ipſe author iniuſtitiæ ſit, ſi id exigat fieri, quod fieri non poteſt; & paulo poſt principium 3. lib. Critobulo colligenti hominem poſſe eſſe ſine peccato ſi velit; nam alias fruſtra data eſſent mandata, ſi ea implere non poſſumus, ſic ſub nomine Attici reſpondet. Deus poſſibilia mandauit, hoc nulli dubium eſt: ſed quia homines poſſibilia non faciunt, idcirco omnis mundus ſubditus eſt Deo, & indiget miſericordia eius; Hæc Hieronymus. *D. Hieron.*

Pro huius difficultatis ſolutione aliqua obſeruanda ſunt. Primo obſeruan. eſt, non exigi à nobis hoc præcepto,

pto, vt Deum ſolum cogitemus, & amemus, vel vt vni ſolummodo amori ipſius ſtudeamus; nam etiam præceptum eſt de dilectione proximi, & particulatim de honorandis parentibus; nam ipſe Deus, qui iuſſit, vt ſe amaremus, iuſſit, vt amaremus & proximum, & vt honoraremus parentes. Amor autem proximi ſi verus eſt, & non ſimulatus aliquam partem cordis, mentis, & animæ noſtræ requirit. Neque hoc præcepto eſt nobis indictum, vt Deum ſic diligamus, vt nulla in nobis vis ipſius mandati repugnet. Nam nouit Deus figmentum noſtrum, nouit carnem nos eſſe; neque ignorat, quod nobis per ſæpe inuitis caro reſultat ſpiritui, & nunc in vetita inſtemis, & indomita ruit, nunc ad præcepta langueſcit, & ob murmurat, & ſi hæc nobis ſub præcepto indicta eſſent, nemo profectò hactenus præcepta Dei in via (excepta Deipara Virgine) ſeruaſſet. Quis enim mortalium fuit, qui non aliquam carnis, ſeu ſomitis incurſionem paſſus fuerit? Neque his verbis toto corde, tota anima, totis viribus à nobis exigit Deus, vt quanto maximo poterimus nixu, & conatu eum amemus, vt ſuperiori art. commõſtrauimus, ſed præcepit, vt Deum ſic diligamus, & colamus, ſicque & credamus, & ſeruiamus, & in eo ſperemus, vt non partem noſtrorum affectuum, & virium ſuo cultui, & amori impendamus, & partim alienis, & fictitijs Dijs, vt ſupra explicauimus.

Hunc autem eſſe germanum huius præcepti ſenſum, ex illis verbis, quæ poſt illa verba Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua, quæ ſtatim in Deut. ſubiecta legimus, liquido patet; ſic enim ibi loquitur Dominus. Caue diligenter ne obliuiſcaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti. Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſerues, ac per nomen illius non iurabis, non tentabis Dominum Deum tuum, ſicut tentaſti in loco tentationis. Cuſtodi præcepta Domini Dei tui, ac teſtimonia, & cæremonias, quas præcepit tibi, & fac, quod beneplacitum eſt, & bonum in conſpectu Domini, vt bene ſit tibi. Quibus verbis manifeſte nobis indicatur eum verè diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota virtute, qui ſic eum diligit, colit, obſeruat, ac præ oculis habet, & in eo confidit, vt nulli alieno Deo ſeruiat, ſed vnius Dei mandata obſeruet. Non enim præteribit mandatum de diligendo Deum ex toto corde, niſi qui aliqua repugnantia vnius Dei dilectioni, aut crediderit, aut amauerit, aut ſecerit. Ex quo ſequitur, quòd ſicut ab obſeruatione alicuius mandati ex toto corde non recedit, qui alia mandata implet, aut quæuis alia facit, quę illi mandato non aduerſantur, ita ab obſeruatione mandati de diligendo Deum, non recedit, quia alia diuina mandata ex toto corde cuſtodit; Nam Deus, qui dixit Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Dixit etiam, Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi, vt facias mandata hæc, atque iudicia, vt cuſtodias, & impleas ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.

Secundò obſeruandum eſt, hoc præcepto non eſſe nobis mandatum formaliter, vt ſeruemus omnia mandata diuina; aut vt nulla alia re ſruamur, ſed formaliter per hoc præceptum eſt, vt Deum amemus, & colamus, ſolum verum Deum, & vt nulli alteri, vt Deo actu, & verè ſeruiamus, aliàs duo ſequerentur abſurda: primum omnem peccantem contra aliquod mandatum peccare contra primum mandatum, & conſequenter contra duo præcepta. Secundum eſt, hoc mandatum non eſſe primum, neque diſtingui à cæteris. Ab his autem incommodis liberi erimus; ſi diſtinguamus illud, quod formaliter, ab eo, quod virtute, & interpretatiuè per hoc præceptum nobis eſt præſcriptum. Nam ex parte eius, quod formaliter ſub hoc cadit præcepto, ſcilicet dilectio, & cultus veri Dei, primum, & maximum eſt, & à cæteris diſtinguitur; ex parte autem illius, ad quod dumtaxat, virtute pertingit, id eſt, vt Deum ſic diligamus, vt neque affectu, neque intellectu, neque ſenſu, neque vi aliqua exteriori aliquod Dei prætereamus mandatum, ſed his potius potentijs omnibus omnia ſingulis præſcripta mandata loco, & tempore compleamus, non eſt aliquod peculiare præſcriptum, ſed eſt quoddam velut genericum præceptũ, diſtributũ, & explicatũ per cætera pcepta, & ex hac parte Chriſtus Io. 14. dixit. Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit, & iterum. Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt, qui diligit me. & Ioan. idem exponens, 1. Ioan. 5. Inquit. Hæc eſt charitas Dei, vt mandata eius cuſtodiamus. & Auguſt. 1. de doct. Chriſtiana cap. 22. & Gregorius hom. 30. in Euang. ſubiecerunt huic mandato obſeruantiam omnium mandatorum.

Tertiò obſeruan. eſt, quòd perfecta obſeruatio huius præcepti poteſt biſariam intelligi; priori modo, vt illa dicantur perfecta, quæ ſufficit ad ſalutem; poſteriori modo, quæ omnem imperfectionem excludit, ne dum ſaluti oppoſitam, ſed etiam aliquo modo retardãtem, vel impedientem, vt ſunt peccata venialia, quantum ad omnes illas conditiones additas ex toto corde, ex tota anima &c.

Quartò obſeruan. eſt, ſecũdum Phil. 5. Meta. 3. & Phi. Totum, & perfectum idem pollent. Perfectum autem dicitur dupliciter: primomodo, quando nihil ſibi deeſt à perfectione ſibi poſſibili: ſecundo modo, quando nihil ſibi deeſt de perfectione ſibi competẽti; ſicut homo mediocris ſtaturæ dicitur perfectę quantitatis, licèt non habeat maximam quantitatem; atque ita diligere Deum ex toto corde, & ex tota anima, eſt Deum diligere perfecto corde, perfecta anima &c. perfecta, inquam, non perfectione naturæ, ſed perfectione amoris, & gratiæ; atque ita cor totum ſiue perfectum, vt inquit Cancellarius Pariſienſis de perfectione cordis, eſt cor, & quod Spiritus Sanctus inhabitat per gratiam gratum facientem, quoniam illi cordi nihil deeſt eorum, quæ ſunt ei neceſſaria ad ſalutem. Cæterum in iſta totalitate, & perfectione dilectionis tres communiter aſſignantur gradus. Primus & infimus eſt ille, qui dictus eſt, & hic omnem actum contrarium excludit, non autem extraneum: nam peccatum veniale cum non auertat à Deo, nec tollat aliquod neceſſarium ad ſalutem nempe gratiam, non ponit cor extra latitudinem totalitatis, ſeu perfectionis illius gradus primi. Secundus gradus eſt perfectior, qui nedum actum excludit contrarium; ſed etiam frequenter extraneum. Tertius gradus, qui & perfectiſſimus eſt, dum cõfertur actualiter, & aſſidue ſecundum charitatis motionem in Dei dilectionem, & amorem actualem; ita vt nihil ſit, quod impediat, vel interpellat huncactum amoris, & hic gradus in ſolis beatis eſt, vbi ſine interruptione Deus videtur clare, ſummè amatur, atque nihil agitur, deſideratur, aut cogitatur niſi, quod in Deum refertur.

Poſtremo obſeruan. eſt, quod hoc præceptum ex parte eſt affirmatiuum, & ex parte negatiuum: affirmatiuũ eſt, quia exigit, vt Deum diligamus, & vt ei omnibus noſtris viribus, & interioribus, & exterioribus, ſuo tamen loco, & tempore, verè, & non ficte ſeruiamus. Negatiuũ eſt: quia cum totum cor, totam animam, totam mentem, & totã virtutem requirat, eo ipſo poſtulat, vt nulli alij, vt Deo, actu vel virtute iſtis viribus noſtris ſeruiamus.

His obſeruatis ſit hæc concluſio. Præceptum de dile- 1. Concl.
ctione Dei ſuper omnia intenſiuè, & extenſiuè impleri poteſt perfecte primo modo, & ſecundum tertium gradum in patria; ita loquitur D. Auguſtinus de perfectione iuſtitiæ, quando dixit, quod mandatum charitatis ſolum implebitur in patria, vbi charitas perfecta erit. hæc concluſio eſt Scot. in hac q. ſub littera L. §. Dico igitur, vbi dicit, quod quoad intenſionem actus expulſis impedimentis, & recollectis viribus, debet intelligi dictum Auguſtini, & Magiſtri, quod præceptum illud, non impletur in via: Nam pronitas virium inferiorum pro ſtatu iſto impedit ſuperiores ab actibus perfectis.

Secunda Concluſio. In via adimpletur hoc præceptũ 2. Concl.
perfecte intenſiuè, & extenſiuè: accipiendo perfecte ſecundo modo iuxta primum & ſecundum gradum, ſed non ſecundum tertium, hoc eſt, vt dicit Doct. non quantum ad omnes conditiones, quæ exponuntur per illas additiones, ex toto corde, ex tota anima &c. Prima pars patet ex his, quæ diximus in ſuperiori art. Tum quia qui ſic diligunt Deum in hac vita, vt nullum ſibi alium Deũ conſtituant, nullum ament, nullum colant, nullum ſibi alium perſuadeant, aut in aliquo alio confidant, & parati ſint relinquere cuiuſuis creaturę dilectionem, ne Deo diſpliceant, licèt tepide, & non abſque intermiſſione Deum ament, & alijs rebus amore, & ſtudio inhæreant,

aliaque

Digitized by Google

aliaque nonnunquam cogitent, & operentur, & non nullas tentationes aduerſus Dei mandata patiantur, implent re vera & ipſi, vt ex his omnibus patet, hoc præceptum; quantum ſatis eſt pro eius obligatione.

Secunda pars etiam patet; quia non poteſt hic Deus diligi, cum exclutione omnium actuum amorem impedientium, aut ipſum interrumpentium; quia non poteſt homo in hac via ſemper Deum actualiter cogitare; ergo nec actualiter amare, cum actualis amor actualem præſupponat amati cognitionem; antecedens eſt per ſe notum; quia intellectus non poteſt ſimul ad multa intendere; Neceſſitas quoque viæ cogit quandoque intendere proprijs neceſſitatibus, ac temporalibus actionibus, & tunc certum eſt, quod non poteſt ſimul cogitare de Deo.

Et hoc eſt, quod vult dicere Doct. cum inquit. Quia non poteſt eſſe in vita iſta tanta recollectio virium, vt amotis impedimentis poſſit voluntas tanto conatu ferri, quanto poſſet, ſi vires eſſent vnitæ, & non impeditæ, & quo ad talem intenſionem actus expulſis impedimentis, & recollectis viribus; Debet intelligi dictum D. Auguſt. quod præceptum iſtud non impletur in via, id eſt, ſecundum tertium, & perfectiſſimum gradum.

D. Aug. Nam non negat D. Auguſt. quod præceptum de diligendo Deum nullo modo impleri poſſit in via. Nam Deus aliàs à nobis exigeret, quod ei præſtare minimè poſſemus. Cuius oppoſitum docet idemmet Auguſt. ſerm. 61. dicens, Deus neque impoſſibile aliquid potuit imperare, quia iuſtus eſt; neque damnaturus eſt hominem pro eo, quod non potuit vitare, quia pius eſt, & in lib. de gratia, & lib. arb. cap. 16. Non iuberet Deus, quod ſciret non poſſe ab homine fieri, & de natura, & gratia cap. 69. Firmiſſimè creditur, inquit, Deum bonum, & iuſtum impoſſibilia non potuiſſe præcipere. Et illius ſunt verba illa, quę ſupra retulimus ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. Nam Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo admonet, quod poſſis, & petere, quod non poſſis, & adiuuat, vt poſſis, in lib. de natura, & gratia c. 43.

Ex his omnibus ſequitur, quod mandatum illud maximum de diligendo Deum ſuper omnia extenſiuè, & intenſiuè ſecundum primum perfectionis gradum habet vim præcepti, reſpectu omnium iuxta ſecundum gradũ habet vim Concilij, & reſpicit proficientes, & perfectos, ſed quantum ad tertium gradum eſt oſtenſiuum perfectiſſimæ fruitionis beatorum, atque adeo dictum D. Hieronymi intelligitur de mandatis Dei quatenus habent vim præcepti, & in propoſito de mãdato dilectionis Dei ſecundum primum gradum; atq; adeo ſi ratio qua Magiſter probabat, quod hoc præceptũ, & ſi non poteſt adimpleri in via, datur tamen; quia non recte curritur ſi quo currendum eſt neſciatur, intelligatur, quo ad iſtum primum gradum, non concludit, quia vt inquit Doct. pari ratione fuiſſet dandum præceptum, de uiſione Dei, non vt impleretur, ſed vt ſciremus, quo eſſet tendendum; cuius oppoſitum ſatis patet; Dixi ſi Magiſter intelligat, quo ad primum gradum, id eſt, ſi intelligat, quod præceptum de dilectione Dei nullo modo poſſit impleri in via; quia alias hęc obiectio Sco. non concludit contra Magiſtrum. Non enim eſt ſimile de viſione, & de dilectione Dei; Nam præceptum charitatis, & ſi perfectiſſimè non poſſit impleri; poteſt tamen impleri ex parte ſecundum aliquem gradum diligendi Deum ſuper omnia, atque adeo non eſt ſolum oſtenſiuum, quo currendum, ſed etiam præceptiuum, & conſultiuum, quid faciendum. Præceptum autem ſi quod eſſet de viſione Dei, nullo modo in via impleri poſſet, nec ex toto, nec ex parte, quia nullo modo poteſt videri Deus in via, quia nec intuitiuè cognoſci; neque cognitio viæ imperfecta manet, vt perficiatur in patria; ſicut charitas viæ non excidit, ſed manet, & in patria perficitur. Ideo de viſione dari poterat doctrina, ſed non præceptum. Verum ſi Magiſter, vt diximus, intelligeret, quòd præceptum de dilectione Dei ſuper omnia nullo modo poſſet impleri in via, inſtantia curreret etiam de uiſione.

ARTICVLVS XVII.

Vtrum homo poßit adimplere hoc præceptum diligendi Deum ſuper omnia ſine habitu charitatis.

Senſus tituli eſt, an neceſſaria ſit gratia gratum faciẽs, ad implendum hoc præceptum; Diliges Dominum Deum tuum &c. Ratio autem dubitandi eſt, quia in Concilio Mileuit. Can. 3. Sic legimus. Item placuit, *Conc. Mil.* vt quicunque dixerit gratiam Dei in qua iuſtificamur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, quæ iam commiſſa ſunt, non etiam ad adiutorium, vt non committantur; anathema ſit, & inferius multo apertius.

Item placuit, vt quicunque dixerit ideo nobis gratiam iuſtificationis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius poſſimus implere per gratiam; tamquam, & ſi gratia non daretur, non quidem facile, ſed tamen poſſumus ſine illa implere diuina mandata; Anathema ſit. Et approbatus eſt hic Canon, & vt Canon Apoſtolicæ ſedis receptus à Cœleſtino. 1. Cano. 10. ſuæ 1. Epiſtol. Decretalis. *Cœleſtin.*

Pro explicatione huius difficultatis obſeruan. eſt primo, quod gratia iuſtificationis appellatur interdum gratia gratum faciens; interdum verò generaliter ſumitur pro gratia quacunque per quam Deus nos iuſtificat, & vt ſub ſe comprehendit gratiam gratis datam, hoc eſt, *Conc. Mil* gratiam auxilij ſpecialis, quæ diſtinctio patet ex Concilio Mileuit. Can. 3. approbato à Cœleſtino 1. in Can. 10. ſuæ epiſt. 1. Decretalis, quod ſic habet. Item placuit, vt quicunque dixerit gratiam Dei in qua iuſtificamur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, quæ iam commiſſa ſunt, non etiam ad adiutorium, vt nõ committantur, anathema ſit; Vnde ponderandum eſt benè, quòd Patres in his verbis loquuntur de ea gratia in qua iuſtificamur, & per quam remittuntur nobis peccata, quæ quidem non videntur conuenire, niſi gratiæ gratum facienti, ea enim eſt qua iuſtificamur, & eius effectus eſt remiſſio peccatorum, & cum aliter hic loquantur de gratia, quam in Can. 5. citato in principio huius art. videntur iſta voluiſſe referre ad gratiam gratum facientem, alia ad gratis datam.

Secundò obſ. eſt, quòd gratia iuſtificans, quorumdam præceptorum obſeruationem præcedit, quorumdam verò concomitatur. Nam quædam ſunt præcepta, ad quorum impletionem requiritur, gratiam gratum facientem ſaltem natura eam præcedere, eiuſmodi ſunt præcepta ſuſcipiendi, vel adminiſtrandi Sacramenta Eccleſiæ. Vt enim hæc impleantur neceſſariũ eſt ea nos facere, ꝑ quæ veniamus ad Dei gratiam; vt de Sanctiſſimo Euchariſtię Sacramento Paulus explicuit. 1. Corint. 11. & ſimilis eſt, licèt non par ratio de alijs: Nam peccat mortaliter quicunque Sacramenta vel recipit, vel miniſtrat, nõ ea prius adhibita diligentia, vt ad ea mundus accedat, & abſque vlla noxa mortali, atque ideo ad huiuſmodi præcepta de Sacramentis implenda prærequiſita eſt gratia gratum faciens, & hoc intelligas de ſuſceptione Sacramenti fructifera, & quæ non ſit peccatum mortale. Quod dico propter Sacramentum Baptiſmi, cuius præceptũ adimpleri poteſt ab exiſtente in lethali culpa, ita vt ſic Baptiſmum ſuſcipiens abſoluatur ab illius obligatione, licèt in eius ſuſceptione mortaliter peccet, & effectum Baptiſmi, nempe gratiam, non ſuſcipiat.

Quædam verò ſunt præcepta, quæ impleri nequeunt ſine gratia gratum faciente concomitante eorum impletionem, & hæc ſunt illa præcepta, quibus præcipiuntur actus, quibus poſitis ſemper venitur ad gratiam, vt ſunt exempli gratia præceptum de martyrio, de dilectione Dei ſuper omnia, & ſaltem præceptum pœnitentiæ. Nam vt communis habet opinio Scholaſticorum, præceptum habemus de pœnitentia tanta, quanta ſufficit ad reponendum peccatores in gratia Dei.

Digitized by Google

Tertiò obſeruan. eſt, quod exceptis præceptis de ſacramentis; & de illis, quæ ſunt vltimatæ diſpoſitionis ad gratiam, vt martyrium, dilectio Dei ſuper omnia, & pœnitentia; nullum eſt præceptum, quod non poſſit impleri ſine gratia gratum faciente, neque præcedente neque comitante: itaque, qui eſt in mortali, manens in eo poteſt implere omnia alia præcepta, neque vnquam hac ratione, ſi impleat ea præcepta, neceſſarium eſt, neque tenetur conuertere ſe in Deum, quicquid dicat Gregorius de Arim. in ſecunda diſtin. 28. quæſt. prima, & ſecunda, & Dionyſius Ciſterciẽſis in prima diſt. 17. quæſt. 1. vbi extraneam, & abſurdam hanc opinionem defendit, quod nemo poteſt præceptum aliquod implere extra charitatem. Cuius contrarium docent D. Thom. multis in locis, & peculiariter in 1. 2. quæſt. 109. artic. octauo D. Bonauent. in ſecunda diſtin. 28. artic. 1. quęſt. 3. Doct. noſter ſub. in ſecunda diſtin. 28. quæſt. prima, & Almayn. in tract. ſecundo moralium capit. octauo.

Greg. Ar. *Diony.* *D. Thom.* *D. Bonau.* *Scotus.* *Almayn.*

Concluſio. His obſeruatis ſit hæc cõcluſio. Non põt hoc præceptũ diligendi Deum ſuper omnia de potentia ordinaria adimpleri ſine gratia, vel charitate comitante. Hæc concluſio eſt Scoti in ſecunda diſtin. 28. & in quarta diſtin. 14. quæſt. ſecunda, & Gabrielis in 2. diſtin. 24. quæſt. vnica artic. 3. & in 3. diſtin. 27. quæſt. vnica artic. tertio dub. 2. Non enim diligit ex toto, qui non ſic diligit, vt per eam dilectionem aſſequatur gratiam diuinam, & vitet omne peccatum mortale; præceptum enim dilectionis Dei, eſt præceptum charitatis, & amicitiæ in Deum; & ſicut qui haberet in mandatis diligere Petrum ex toto corde, non impleret hoc præceptum niſi eo vſque diligeret, vt quantum eſt ex parte ipſius perueniret ad gratiam Petri, ita cum nos habeamus præceptum diligendi Deũ ex toto corde, credendum eſt habere etiam in mandatis, vt eo vſque diligamus, vt perueniamus ad amicitiam ipſius: ex parte enim Dei certum eſt nihil defuturum ſi nos non deficiamus ex parte noſtra; diligit enim omnes diligentes ſe.

Scotus. *Gabriel.*

Probatur concluſio. Secundum legem ordinariam cuilibet facienti, quod in ſe eſt, per hoc ſufficienter diſpoſito ad gratiæ ſuſceptionem Deus infundit gratiam, iuxta illud Zachariæ 1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, & illud Iacobi 4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis, ſcilicet per gratiam, & illud Lucæ 11. Quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis, & Ieremiæ 29. Cum quæſieritis me in toto corde veſtro inueniar à vobis, & Pſal. 21. Qui requirunt eum, viuent corda eorum, viuimus autem per gratiam. Vnde D. Chryſoſtomus lib. 1. de compunctione cordis. Non eſt inquit acceptator perſonarum Deus. Nos ſi quidem ſi quod in propoſito noſtro, & viribus noſtris eſt expleamus, venit ad vnumquemque gratia Dei; ſed perfectiſſimus modus faciendi, quod in ſe eſt, quærendi Deum, appropinquandi Deo, & conuertendi ad Deum eſt, per actum amoris diligendo eum ſuper omnia, nec alia diſpoſitio perfectior ad gratiam eſt homini poſſibilis; Nã nullo actu appropinquare Deo poſſumus magis, quam diligendo Deum ſuper omnia; ergo eſt immediata, & vltima diſpoſitio ad gratiæ infuſionem, nec immediatior dari poteſt, atque adeo ea exiſtente in eodem inſtanti infunditur gratia: quia ſubiecto diſpoſito vltimata diſpoſitione ad formam forma immediatè infunditur.

D. Chryſo.

Almayn. Sed contra iſtam concluſionem arguit Almayn. in 3. diſtin. 27. quæſt. vnica art. 3. dub. 2. diff. 4. ſi in inſtanti terminatiuo temporis, quo quis tenetur continuare dilectionem Dei ſuper omnia, vt perueniat ad gratiam Dei, peccet quis, & admittat nouum peccatum mortale, is impleuerit præceptum de dilectione Dei, & tamen ſine gratia comitante; ergo iſtud præceptum poteſt impleri ab exiſtente in mortali, quin perueniat ad Dei gratiam. Verum hoc argumentum non eſt admodum difficile diluere; Et primo liberi ſumus ab omnibus illis anguſtijs, qui non credimus requiſitam eſſe certam aliquanti temporis continuationem ad perueniendum ad gratiam per dilectionem Dei ſuper omnia, vel per pęnitentiã, ſed qui eius ſunt opinionis, & falsò eam imponunt Doct. ſub. vt oſtendimus in 4. d. 14. q. 1. art. 7. 2. art princip. poſſunt dicere, neceſſarium eſſe continuare dilectionem Dei certo aliquo tempore, etiam vſque ad inſtans ipſius temporis terminatiuum incluſiue, ita vt illud inſtans ſit primum inſtans eſſe gratiæ, & diſpoſitio ad eam ſit ſimul cum ea. Alias enim neceſſe erit concedere, poſſe aliquem extra viam iuſtificari, qui ſemper in via fuit in peccato, vt facile eſt deducere, ſi illud inſtans terminatiuum ſit etiam terminatiuum vitæ. Et ſiquidem requiſita credatur talis continuatio, patet Doctorem ſubtilem ſenſiſſe neceſſarium eſſe continuare etiam in inſtanti terminatiuo talis temporis. Ait enim in 2. d. 28. q. vnica ad finem corporis quæſtionis. Quandocunque autem voluntas actũ præcepti diligendi Deum exequitur licèt informis, diſponit ſe de congruo ad gratiam gratificantem, cui oblatæ, vel reſiſtet, & peccabit mortaliter, vel conſentiet, & iuſtificabitur. hæc ille. Cum autem ponat requiſitũ conſenſum, vt iuſtificetur, patet ſecundum eum eodem inſtanti deberi continuare dilectionem Dei, & vitare omne peccatum, quo infunditur gratia.

Vnde ad argumentum dico, quod habens actum diligendi Deum ſuper omnia, ex facultate naturali cum Dei auxilio ſpeciali elicitum, non poteſt mortali peccato inquinari tali actu manente in voluntate: quia actus ille à gratia ſeparari non poteſt, ſed gratia repugnat mortali peccato; atque adeo actus ille ſtare non poteſt cum aliquo repugnante gratiæ, quale eſt omne mortale. Ex quo ſequitur, quod quantumcunque homo diligat creaturã, ac in ea delectetur, dummodo nihil cõtrarium admittat huic actui dilectionis Dei, quo ſcilicet non obſtante vult Deum eſſe ſummum bonum, infinitum, omnipotentem, iuſtum, & omni perfectione pleniſſimum &c. propter ſe ipſum; non peccauit mortaliter. Solum enim peccatum mortale eſt, quod huic actui contrariatur formaliter, vel interpretatiuè, ſiue demeritoriè; nam quicquid hũc actũ non tollit ſtat cum gratia, quæ eſt animæ vita, atque ita non erit mortale; Mortale enim dici non poteſt, quod vitam non adimit, neque tollit.

Ex his ſequitur primo, quod actus diligendi Deum ſuper oĩa amore amicitiæ, non eſt prior tpe gratia, licèt ſit prior natura, ſicut diſpoſitio prior ẽ forma, ad q̃ diſponit.

Secundo ſequitur, quod quamuis dilectio Dei ex naturalibus, quæ dicta eſt, ſit prior natura charitate in eſſe naturæ; charitas tamen prior eſt in meriti ratione, Nam actus, qui ſit meritorius præſupponit gratiã, & per conſequens gratia præcedit actum in ratione meriti. Vnde ſi amanti Deum ſuper omnia non infunderetur gratia, quod fieri poſſet per Dei potentiam abſolutam, actus ille amoris amicitiæ, licèt eſſet moraliter bonus, & omnibus circunſtantijs moralibus (etiam circunſtantia finis) ſufficienter veſtitus, non eſſet tamen meritorius; ad actum enim meritorium non ſufficit coexiſtentia gratiæ, alioquin venialia peccata eſſent meritoria, ſed requiritur, quod gratia concurrat effectiuè.

Tertiò ſequitur, quod peccator diſponens ſe ad gratiã, elicendo hunc actũ dilectionis Dei ſuper omnia, non meretur, ſed bene continuando eum; patet, quia eius elicitio præcedit gratiam natura, & per conſequens non elicitur ex gratia, continuationem autem eius præcedit gratia, & ad eam inclinat; ergo eſt meritoria.

Quartò ſequitur, q. q̃uis voluntas ſine charitate præcedente poſſit Deũ diligere ſuper oĩa, i. actũ illũ elicere; ñ ẽ charitas, vt docet Doctor in hac. q. ſub litt. O. §. De tertio dico &c. non ſuperflua; quia ponitur pp tria, primo, vt pficiat voluntatẽ in actu primo, ſicut ſupra dictum eſt de fide infuſa d. 23. Secundo, vt per ipſam habeatur actus perfectior, & intenſior; quia habitus charitatis quantum ad ſubſtantiam actus dat aliquam intenſionem vlteriorem, quam eadem potentia, & ex æquali conatu darẽ non poſſet actui ſuo, & quanto potentia creata eſt perfectior, tanto plus deficit in actu, ſi non habeat charitatem correſpondentẽ ſibi ſecundum proportionem dico Arithmeticã; quia ſm Geometricã eſt æqualitas, vt declarauimus ſupra de fide infuſa; quantũ. n. deficit volũtas minor, ſi non habet charitatem ſibi proportionatam, tantũ deficit voluntas maior geometrice, ſi non habet charitatẽ ſibi proportionabilem. Tertio ponitur charitas, vt per ipſam actus ſit Deo acceptus, & meritorius vitæ æternæ, & quo ad hanc circunſtantiam actus, qui eſt eſſe acceptum

Charitas ponitur ꝓpter tria.

ceptum

ceptum Deo dictum eſt in 1. diſt. 17. quod hoc eſt à charitate principaliter, & minus principaliter à voluntate. Vniformiter igitur, ſicut ibi dictum eſt de neceſſitate habituum propter actus, & præcipue charitatis, quantum ad aliquid, quod eſt de circunſtantia actus: quantum autem ad ſubſtantiam actus, dico ſicut dictum eſt ibi. Quantum etiam ad hanc conditionem habitus, ſcilicet quod ipſe ſit infuſus, dico ſicut prius dictum eſt de fide, & ſpe; quod non poteſt probari per rationem naturalem eſſe tales habitus infuſos, ſed ſolum fide tenetur; & congruitas bona apparet, quia quantum ad actus circa Deum immediatè, probabile eſt, quod non poſſit perfectiſſimè perfici ſuprema portio, niſi immediatè à Deo. Hæc Scotus.

Ad rationem dubitandi dicere poſſumus ſatis eſſe pro verbis Concilij, non contingere, vt quiſpiam ſit diu in peccato, quin tranſgrediatur aliquod mandatum, & aliqua eſſe præcepta, quæ non poſſunt bene ſeruari ſine gratia præcedente, & generaliter nullum eſſe, qui ſeruarit, & ſeruet omnia mandata diuina, quin ſit in Dei gratia: Vel quod nemo poteſt obſeruare Dei mandata ſicut oportet, vel ſecundum intentionem præcipientis, ita vt actus placeat Deo, & ſit meritorius ſine gratia Dei; Vel tertio poſſumus dicere; vt diximus in primò notabili, quod gratia iuſtificationis ibi non appellatur gratia gratum faciens, ſed generaliter ſumitur pro gratia quacunque, per quam Deus nos iuſtificat, vt comprehendit ſub ſe gratiam gratis datam. Cum ergo non ſtet: quempiam ſeruare omnia diuina mandata ſine gratia auxilij ſpecialis, etiamſi hoc poſſet fieri ſine gratia gratum faciente, nihil facerent contra nos verba iſta Concilij. Nam omnia, & ſingula præcepta impleri quidem poſſunt ſine gratia gratum faciente, de potentia phyſica, vel logica, vel metaphyſica, quicquid enim & quemcunque actum, quo ad ſubſtantiam operis poſſumus cum habitu, poſſumus per auxilium Dei ſine eo; aliud verò eſt de potentia morali.

DISTINCTIO XXVIII.

HIC Poteſt quæri verum in illo mandato dilectionis proximi &c. In hac diſtinctione agit Magiſter de illis, quæ diligenda ſunt ex charitate. & diuiditur in tres partes. In prima quærit an in præcepto dilectionis proximi, intelligatur dilectio animæ, & corporis. In ſecunda an in eodem præcepto includatur dilectio angeli; In tertia ponit æquiuocationem huius nominis proximus. Reſoluitur autem hæc diſtinctio tribus concluſionibus.

1. Concl. *Prima Concluſio. Quatuor ſunt ex charitate diligenda, quæ habentur ab Auguſtino* D. Aug. *lib. primo de Doctrina Chriſtiana capit. 23. 24. & vigeſimo ſexto, vbi inquit. Quatuor ſunt diligenda, vnum quod ſupra nos eſt, ſcilicet Deus, alterum quod nos ſumus, nempe anima noſtra, tertium quod iuxta nos eſt, ſcilicet proximus, quartum quod infra nos eſt, ſcilicet corpus noſtrum.*

2. Concl. *Secunda Concluſio. Non eſt dandum nobis præceptum diligendi animam noſtram, & corpus noſtrum. hanc tradit Magiſter ex Auguſt. vbi ſuprà; & probatur, quia naturaliter vnuſquiſque inclinatur ad ſui dilectionem; ergo non fuit neceſſe, vt tale præceptum nobis imponeretur. antecedens patet ex D. Paulo ad Epheſ. 5. nemo vnquã carnem ſuam odio habuit; Nam viri iuſti, & Martyres, qui corpus ſuum cruciant, vel morti ſe exponunt; nec ſe nec carnem ſuam odio habent, ſed corporis pondus, vel vitia; quarè vt quiſque ſe diligat, præcepto non eſt opus. Addit tamen Magiſter hanc ſententiam D. Auguſt. intelligendam eſſe de præcepeo ſpeciali, quia certum eſt datum eſſe nobis præceptum, vt nos diligamus in illo Matth. 22. Diliges proximum tuum ſicut te ipſum; ibi enim includitur præceptum diligendi nõſmetipſos; ſenſus namque eſt. Diliges proximum tuum ad id, ad quod diligis animam tuam, & corpus tuum, ſcilicet ad beatitudinem: quia tenemur diligere nos non quia amici ſumus nobis; nã amicitia non eſt ad ſe, ſed ad alterum. ſed debemus nos diligere, quia ſumus, vel poſſumus eſſe amici Dei, proximum autem vtroque modo diligimus, & quia amicus noſter eſt, & quia eſt, vel poteſt eſſe amicus Deî. Obſeruan eſt eamen, quod hæc dilectio proximi, non conſiſtit ſolum in actu exteriori, vt dicunt Lutherani relati à Soto lib primo, de natura, &* Sotus. Vega. *gratia capit. vigeſimoſecundo, & à Vega lib. 11. ſuper Concil. capit. 16. 17. & 18. Ponebant enim iſti diſcrimen inter præcepta primæ tabulæ, & ſecundæ: quia præcepta primæ tabulæ non præcipiunt niſi actum interiorem; In ſecunda autem tabula in qua ponuntur præcepta attinentia ad proximum aiunt ſolum præcipi actum exteriorem, quod etiam multi Iudæi exiſtimabant: ſed vtrumque eſt falſum & erroneum; nam in vtraqe tabula, & in toto Decalogo, præcipitur tam actus interior, quam exterior dilectionis.*

Obſerua etiam ex Diuo Bonauentura in D. Bonau. *dubijs circa litteram Magiſtri dub primo quod triplex eſt ratio, quare non oportee dari ſpeciale mandatum, de dilectione ſui, vel corporis. prima, quia ſatis intelligitur ex præcepto diligendi proximum, in illis verbis, ſicut te ipſum. ſecunda, quia ad hoc ipſum natura inclinat. tertia, quia diligere Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, eſt ſe ipſum ſpecialiter amare; ille enim ſpiritualiter ſe amat, qui cor., & corpus ad honorem Dei totaliter exponit, atque ita dilectio ipſius implicatur in illis duobus mandatis, & qui bene exequitur primum mandatum facilitatem habet, & rectitudinem ad diligendum ſe ipſum, atque adeo non oportet tertium mandatum addi.*

3. Concl. *Tertia Concluſio. Quatuor modis dicitur aliquis noſter proximus: primo natiuitate: atque ita omnes homines ſunt noſtri proximi, non ſic autem Angeli; Vnde hac ratione nomine proximi intelligitur omnis homo cuiuſcunque ſexus, cuiuſcunque dignitatis cuiuſcunque virtutis, atque adeo hac ratione, & ſi B. Virgo, ne dum ſit ſupra nos ſed ſuper angelos exaltata ſitque, & noſtri, & angelorum domina, eius tamen dilectio, id eſt, qua ipſam diligere debemus includitur in dilectione proximi; nam licèt ſit ſuper nos ratione dignitatis, & gratia, & conceptionis nobiliſſima, eſt tamen iuxta nos ſecundum conformitatem naturæ; verum eſt tamen quod ſpeciali affectu ſuper cæteras creaturas debet diligi, quia eſt honoranda ſpeciali honore, qui dicitur hyperdulia. ſed ex hoc non ſequitur, quod dilectio eius ſub proximi dilectione haud contineatur.*

Secundo modo dicitur aliquis proximus ſpe conuerſionis & hoc pacto omnes viatores ſunt proximi, quia dum homo eſt in via licèt ſit peccator poteſt conuerti; & hac ratione Dæmones, & damnati non ſunt noſtri proximi.

Tertio modo propinquitate, vt qui communicant in ſanguine, aut in religione, aut in natione dicuntur proximi.

Quarto modo ratione beneficij; quomodo etiã Angeli ſunt nobis proximi, quia præſtant nobis multa beneficia; Nam quamuis Sancti Angeli ſupra nos ſint, ſiue quantum ad dignitatem naturæ, ſiue quantum ad ſublimitatem gratiæ, tamen quo ad actum dilectionis non ſunt ſuper nos diligendi; Nam charitas noſtra principaliter reſpicit ſummum bonum, in quod tendit principaliter, & ad quod inclinat, & hac ratione reſpicit ſubiectum. quod informat, ſecundo reſpicit aliquod obiectum conſimile, quod diligat, vnde quantumcunque creatura ſit in ſe ipſa excellens, tamen ſecundum legem charitatis iuxta nos eſt, atque adeo ſub nomine proximi debet contineri: Quare licèt Angeli ſecundum ordinem vniuerſi, vel ratione ſimplicitatis, & ſpiritualitatis naturæ ſint ſupra nos, ſunt tamen iuxta nos ratione imaginis, ſecundum quam nos, & ipſi in Deum ordinari debemus, atque adeo non ſunt ſupra nos ſecundum ordinem charitatis, & eo maximè, quia ab illis tanta nobis miſericordiæ impenduntur officia.

Qua ratione, & ipſe Chriſtus Dominus noſter, dicitur noſter proximus iuxta illud Pſal. trigeſimo quaeſo. Quaſi proximum, & quaſi fratrem noſtrum ſic complacebam, vbi ait Ti- Titelman. *telmanus hæc verba Chriſto competere; fuit enim manſuetiſſima, & amicabiliſſima eius conſeruatio erga omnes, & ſicut noſter proximus, & frater amicitia particulari conuerſabatur nobiſcum, atque ita ex conſequenti debemus diligere Angelos, vt proximos noſtros; ac etiam Chriſtum Dominum in quantum homo eſt, ſicut nos diligere debemus; prout ly in quantum importat conditionem naturæ; nam vt ſic eſt proximus noſter, atque adeo diligendus eſt iuxta nos; Si enim conſideremus Chriſtum præciſe ſecundum naturam humanam, non debetur ei dilectionis principalitas, ſicut nec adoratio Latria, ſi verò illud in quantum importat vnitatem perſonæ; ſic diligendus eſt pluſquam nos, quia vt ſic eſt noſter Creator, Redemptor, & Saluator. Peccatores etiam diligere debemus, vt proximos, non quidem diligendo peccatum in eis, ſed quia ſunt capaces beatitudinis; Vnde peccatores ipſi non diligunt ſe ex charitate in quantum ſunt peccatores; Creaturas autem irrationales ex charitate non debemus diligere, quia non ſunt capaces beatitudinis, poſſumus tamen ipſas diligere, vt facturas Dei, & ita ipſa charitas diligenda eſt. De hac materia diſputant Doctores Scholaſtici hac. diſtin. & Sanctus Thom. ſecunda ſecundæ quæſtion vigeſimatertia. Contra hanc diſt. mouet Scotus vnicam quæſt.*

QVAESTIO VNICA.

Vtrum eodem habitu charitatis ſit diligendus proximus, quo diligitur Deus.

PRo explicatione tituli obſeruan. eſt primo, quod non omne diligibile ex charitate eſt diligendum. Nam diligere aliquid eſt aliud, quam alicui velle bonum, atque adeo cuicunque poſſum velle bonum, illud poſſum diligere, & cum ens & bonum conuertantur, ſequitur, quod omne ens eſt diligibile, & tamen non omne ens eſt ex charitate diligibile, item ſi alicui bonum, quod ſibi non concederet vellem, illum diligerem, ſed inordinatè, atque ita non ex charitate. Nõ omne diligibile ex charitate eſt diligendum.

Secundò obſeruan. eſt, quod diligibile ex charitate, eſt illud ſolum, quod ſub obiecto charitatis adæquato continetur; eſt autem obiectum adæquatum charitatis Deus, & omne quod Deus vult à nobis per ſe diligi, natum de potentia ordinata participare Deum beatificè, per primum terminum, Deus, exprimitur obiectum principale, & primarium charitatis, quod ſolum propter ſe diligitur, tanquam vltimus finis, & ſummum diligibile, & alia omnia propter eum; In eo autem quod dicitur, & omne quod vult à nobis propter ſe diligi, tangitur obiectum ſecundarium, velut ſunt creaturæ rationales, quæ non propter ſe finaliter, ſed propter Deum principaliter ſunt amandæ. In eo verò, quod ſubditur, natum participare Deum beatificè, excluduntur creaturæ irrationales, quæ beatitudinis ſunt incapaces; per id tandem quod dicitur de potentia Dei ordinata, excluduntur Dæmones; & damnati, qui de potentia Dei ordinata nunquam erunt beatitudinis participes [illegible] Quid ſit diligibile ex charitate.

Obiectũ charitati: ẽ duplex.

Ex hoc ſequitur, quòd duplex eſt charitatis obiectum, ſcilicet immediatum, & primarium, ſcilicet Deus, qui immediatè per ſe, & primario eſt diligendus tanquam vltimus finis: & medium, & ſecundarium, vt ſunt creaturę rõnales, quæ finaliter ſunt beatitudines participes; Actus enim proprius charitatis eſt amor amicitiæ Dei, atque adeo ſicut diximus in quæſtionibus de fide, quod habitus fidei infuſæ primo inclinat ad aſſentiendum vno primo credibili nempe Deus eſt verax, vel omne reuelatum à Deo eſt verum; & mediante illo aſſentior alijs credibilibus, ita omnis actus immediatus charitatis eſt amor Dei; mediatus autem eſt amor proximi. Et voco actum charitatis immediatum; non quia referatur poſt alium, ſed quia terminatur præciſe in Deum, & quo Deus in ſe, & propter ſe diligitur. Amorem autem mediatum appello, quo amatur proximus, & per proximum amatur Deus; Nam actus dilectionis proximi mediante amore Dei, dicitur actus charitatis. Vt enim frequenter dictum eſt, ſicut ſe habent principia in ſpeculabilibus, ita ſe habet finis in agibilibu, ita vt ſicut primo aſſentio principijs, & per principia concluſioni, adeo vt aſſenſus fertur immediate in principia, & principijs mediantibus in concluſionem; ita volitio circa finem immediatè inclinat in actum circa finem, & mediate in media, quæ ſunt circa illum finem; atque adeo omnis actus charitatis eſt amor amicitiæ Dei, mediatè, vel immediatè; ſi ſit immediatus eſt actus amicitiæ Dei præciſe, vt obiecti primarij; ſi ſit mediatus eſt amor proximi, vt obiecti ſecundarij, quia cauſatur mediante amore amicitiæ Dei, ex quo ſequitur, quod habitus infuſus charitatis immediatè inclinat ad amorem circa primum amabile, qui eſt ratio propria, & formalis, propter quam alia diligibilia diliguntur; ſicut proportionabiliter de fide explicatum eſt.

Creatura dupliciter pôt participare beatitudinem

Tertiò obſeruan. eſt, quod creatura dupliciter poteſt Dei beatitudinem participare, vno modo formaliter; quia poteſt per actum beatificum formaliter tendere in Deum, ipſum videndo, & eo fruendo, atque ita ſola creatura rationalis eſt capax beatitudinis; & ſic corpus meum non eſt beatificabile, quia illo modo non eſt beatitudinis capax. Alio modo poteſt participare Deum beatifice; non formaliter fruendo Deo, ſed quia poteſt participare, ſeu recipere in ſe aliquem effectum beatitudinis ſeu gloriæ in ipſum redundantis; & iſto modo corpus meum eſt beatificabile, quia eſt ſuſceptibile gradus beatitudinis, quia poteſt recipere dotes, puta agilitatem, impoſſibilitatem &c. Et ex hoc dicit Gab. hac d. q. vnica artic. primo not. 1. quod omne beatitudinis particeps, ſiue primo, ſiue ſecundo modo eſt diligibile ex charitate, atque ita corpus meum eſt ex charitate diligibile. Et ſi dicas; ergo Dæmones, & animę dãnatæ erunt ex charitate diligibiles; quia ſunt beatificabiles: Concedo ſi intelligas de potentia Dei abſoluta, ſed nego de potentia Dei ordinata; de qua præſens quæſtio intelligitur.

Gabriel.

Obiectũ aliqd ex charitate diligi cõtingit tripliciter.

Quartò obſeruan. eſt, quòd diligi obiectum aliquod ex charitate poteſt tripliciter intelligi; primo modo, quòd charitas faciat circa dilectum ponere affectum, ſed non finem; & hoc modo diligimus proximum ex charitate, quia non diligimus proximum propter ſe, ſed propter Deum: ſecundo modo diligitur aliquid ex charitate, non quod charitas in illud ponat affectum, ſeu finem, ſed quia extenditur in ipſum dilectio ratione dilecti, ſicut quis amat corpus amici ſui pp amicũ ſuum, & hoc modo, poteſt dici nos corpora noſtra diligere ex charitate: quia cum his Deum videbimus: tertio modo, diligitur aliquid ex charitate, eo quòd charitas facit circa dilectum ponere affectum, & finem, & hoc modo Deus tantum ex charitate diligitur.

Proximus tribus modis ſumitur.

Quintò obſeruan. eſt, quòd hoc nomen proximus eſt ſuperlatiuum de prope, dicitur enim prope, propior, & proximus, vnde omnes modi, quibus ſumitur proximus apud Magiſtrum in fine huius diſtin. poſſunt ad ternarium reduci; vt primo modo dicatur proximus conditione, & hoc, vel naturæ, qua ratione omnis homo, omni homini eſt proximus, & ſic intelligitur illud Domini præceptum, diliges proximum tuum ſicut te ipſum, vel ſanguinis, & hoc modo, conſanguinei, qui ſunt ex eodem ſanguine geniti dicuntur ad inuicem proximi, iuxta illud Catonis. Semper tibi proximus eſto: ſecundo modo ratione conuerſationis, & hoc modo Angeli, & homines dicuntur proximi: quia ex eis vna fit triumphans Eccleſia; erunt enim homines ſicut Angeli Dei in cœlo: tertio modo ratione exhibitionis beneficij. Vnde ſuper illud Lucæ 10. Quis tibi videtur eſſe proximus? dicit Gloſſa, proximus eſt, cui impenditur, vel qui impendit miſericordiam.

Cato.

Gloſſa.

Ex his patet ſenſus tituli, quæritur enim an idem habitus charitatis, qui inclinat ad diligendum Deum propter ſe, incliner etiam ad diligendum proximum propter Deum. Reſolutio autem quæſtionis erit affirmatiua; Quam diuidit Doct. in tres articulos.

Art. 1. Vtrum eodem habitu charitatis diligatur Deus, & proximus.

Art. 2. Vtrum habenti charitatem neceſſarium ſit diligere proximum.

Art. 3. Vtrum creatura qualibet rationalis ſit noſter proximus.

ARTICVLVS I.

Vtrum eodem habitu charitatis Diligatur Deus, & proximus.

SEnſus tituli eſt: Vtrum habitus charitatis, qua diligitur Deus, & proximus ſit vnus habitus, & videtur, quòd non, quia vnus habitus habet tantum vnũ obiectum formale, ſed proximus, & Deus non ſunt vnũ obiectum formale, ſed duo; ergo non eodem habitu diligitur Deus, & proximus. Maior patet, & minor probatur: quia alia eſt bonitas Dei, & alia proximi, habitus autem charitatis reſpicit obiectum ſub ratione boni; ergo &c.

Præterea ille habitus, quo diligitur Deus, eſt habitus Theologicus; ergo ſolum Deum reſpicit pro obiecto, & non aliquid creatum, atque adeo non eodem habitu diligitur Deus, & proximus. conſequentia patet, quia habitus Theologicus reſpicit Deum pro obiecto, & proximus eſt, quid temporale; Et ſi dicas verum eſſe, quod habitus Theologicus principaliter reſpicit Deum pro primario obiecto, & quòd proximum reſpicit velut obiectum ſecundarium, & in ordine ad Deum; quia diligo proximum volendo eum diligere Deum. Contra, ſi ſola attributio ad primum obiectum ſufficeret ad hoc, quod aliquid poſſet reſpici ab habitu tamquam obiectum ſecundarium; igitur omnium poſſet eſſe vnus habitus intellectualis, & etiam appetitiuus; quia omnia attribuuntur ad vnum; ſimiliter omnes virtutes morales attribuerentur ad vnum, ſcilicet ad fœlicitatem tamquam ad per ſe appetibile.

Præterea alius eſt habitus, quo intelligitur principium, & alius, quo intelligitur concluſio; ergo alius eſt habitus finis, & alius eorum, quæ ſunt ad finem, atque adeo alio habitu diligimus Deum, & alio proximum. antecedens patet, quia habitus, quo intelligitur principium eſt intellectus; habitus verò, quo intelligitur concluſio eſt ſcientia. Conſequentia etiam patet; quia ſicut ſe habet principium in ſpeculabilibus; ita finis in operabilibus, ſiue in agibilibus. Nam ſicut aſſentimus concluſioni propter principium; ita diligimus ea, quæ ſunt ad finem propter vltimum finem; Proximi namque dilectio ſe habet velut concluſio reſpectu dilectionis Dei.

Pro explicatione huius quæſt. obſeruan. eſt primo ex Scot. in hac quæſt. §. De primo dico, quòd charitas, vt dictum eſt d. 17. 1. dicitur habitus, quo Deus habetur charus, & in hoc charitas creata differt ſecundum rationem

Digitized by Google

a gratia, quamuis gratia, & charitas ſint vnus, & idem habitus numero, ſed dicitur charitas, vt reſpicit aliquid tanquam charum, & gratia dicitur, qua aliquid habetur gratum; Nam Deus bifariam à nobis conſiderari poteſt, priori modo ſub ratione diligentis, & acceptantis: ſecundo ſub ratione dilecti, & amati, & iuxta hunc duplicem reſpectum idem habitus interdum gratia, interdum charitas appellatur; Nam prout habentem habitum Deus acceptat, & diligit, ita vt habitus eſt ratio quare habens habitum eſt Deo acceptus, & à Deo dilectus gratia nuncupatur; quatenus verò per eundem habitum Deus eſt à nobis dilectus, & amatus charitas nominatur, hæc diſt. eſt Doct. in 2. diſt. 27. Cum ergo charitas ſit habitus, quo Deus habetur charus.

Scotus.

Obſeruan. eſt ſecundo, quod ſicut aliquis poteſt haberi charus duobus modis, ſcilicet, vel amore priuato, quo amans nollet habere condiligentem: amor enim priuatus eſt ille, qui in amando renuit habere conſortium, ſicut patet in zelotypis habentes mulieres charas, & nolentes alios eas diligere, qui amor vulgaris dici conſueuit, vel ſecundo amore cœleſti aut diuino, qui cupit, & delectatur condiligentem habere, ita dici poteſt de amore, qui appellatur charitas; ſed primus amor etiam charitatis non eſt ordinatus nec perfectus: non quidem ordinatus quia obiectum diligibile ab omnibus velle ipſum diligere, & ab alijs nolle condiligi, eſt contra rationem. Deus autem qui eſt bonum commune, non vult eſſe bonum priuatum alicuius, atque adeo ſecundum rationem rectam non debet aliquis hoc bonum commune ſibi appropriare. Amor itaque ille inclinans ad hoc bonum, vt ad bonum proprium non condiligendum, nec habendum ab alio, eſſet inordinatus. Eſſet etiam imperfectus: quia perfectus amor eſt, non tantum amare obiectum diligibile; ſed etiam eſt velle ipſum ab alijs condiligi; Nam perfecte diligens vult dilectum amari, vt patet ex Richar. 3. de Trinit. Igitur Deus infundens habitum, quo anima ordinate, & perfecte tendat in ipſum, dat habitus, quo habeatur charus, vt bonum commune, & condiligendum ab alijs.

Habitus charitatis ē duplex.

Tertiò obſeruan. eſt, quod ſicut dictum eſt de habitu fidei, & ſpei, ita ſimiliter hic diſtinguitur duplex habitus charitatis, ſcilicet infuſus, & acquiſitus: infuſus vnus eſt, reſpectu omnium diligibilium, Dei ſcilicet, & creaturæ propter Deum, qui principaliter inclinat ad diligendum Deum propter ſe, & omne, quod vult Deus diligi propter Deum, & mediante illo tamquam principio partiali inclinat ad diligendum proximum. Vnde ſi diligo Deum, & omne quod Deus vult à me diligi, & poſt mihi conſtet per ſcripturam, quod Deus vult à me diligi, tunc charitas infuſa inclinat me mediatè; quia mediante actu ſuo, & charitate acquiſita, ac voluntate tanquam potentia ad diligendum A. ſicut modo conſtat per ſcripturam, quòd Deus vult inimicum meum pro ſtatu iſto à me diligi, & tunc per habitum charitatis infuſæ cum charitate acquiſita inclinor ad diligendum inimicum, poſtquam verò inimicus damnabitur tunc non diligam eum, quia Deus non vult me diligere eum, & tamen ſemper manet idem habitus charitatis. Poteſt etiam dici, quod habitus charitatis infuſus immediatè inclinat, concurrente tamen charitate acquiſita, ad quemlibet actum diligendi Deum propter ſe, & creaturam, quam Deus vult à nobis diligi propter Deum. Habitus verò charitatis acquiſitus, ſecundum diuerſitatem actuum ſpecie diſtinctorum, & ipſe plurificatur ſpecie. Ex quo patet, quod bonitas proximi non mouet ad diligendum eum ex charitate, ſed bonitas Dei propter cuius præceptum de diligendo proximum diligens Deum vult diligere & proximum.

1. Concl.
D. Thom.
D. Bonau.
Richard.
Aureol.
Scotus.

His obſeruatis ſit prima Concluſio. Charitas qua diligitur Deus, & proximus eſt vnus habitus ſpecie, hæc concluſio eſt S. Thomæ 2.2. q. 25. art. 1. D. Bonauent. in 3. d. 27. q. 3. artic. 2. Richar. in 3. d. 28. quæſt. 1. artic. 2. Aureoli in 3. diſt. 27. artic. 2. & Doct. noſtri ſub. in hac quæſt. & probatur. Deus infundēs habitum, quo anima ordinate, & perfecte tendat ī ipſum, dat habitū, quo habeatur charus, vt bonum commune, & condiligendum ab alijs; ergo charitas, quæ eſt amor habitualis inclinat non tantū ad diligendum Deum, ſed etiam inclinat, quod Deus cō diligatur ab alijs, quorum dilectio eſt grata Deo, vel non diſplicens pro tunc, pro quando eſt grata, id eſt, vel ſaltē non ingrata pro tunc, qñ dat gratiam; Quod notanter dicit Doctor, quia ſi Franciſcus habet gratiā, quæ eſt principium dilectionis gratuitæ, & meritoriæ, quamuis ego habeam gratiam, vel charitatem, tunc gratia non tantum inclinat ad dilectionem Dei gratuitam, ſed ēt inclinat, vt velim Franciſcum gratuite diligere Deum; quia talis dilectio pro illo tunc, pro quo Franciſcus habet gratiam, eſt grata Deo; atq; adeo ſicut ille habitus inclinat ad diligendum Deum in ſe ordinate, & perfecte; ita inclinat ad velle illum diligi à ſe, & à quocunque alio, cuius amicitia ſit grata dilecto, ac proinde idem habitus inclinat ad diligendum Deum, & proximum. Idem habitus dico numero in eodem ſuppoſito diligente reſpectu omnium charitate diligibilium, idem autem ſpecie in diuerſis ſuppoſitis creatis diligentibus, quia in diuerſis ſubiectis non pōt eſſe vnū accidēs numero naturaliter loquendo; Dixi notanter in diuerſis ſuppoſitis creatis. Quia licèt Deus charitate nos diligat; non tamen per habitum infuſum, ſed ipſe eſt charitas, qua nos diligit, charitas dico eſſentialis; & Spiritus Sanctus charitas notionalis.

Prætera vnitas habitus accipitur ab vnitate obiecti, & hoc denominatione extrinſeca; ſed obiectum primum, & immediatū charitatis eſt vnum; ergo charitas eſt vnus habitus. Maior patet, & minor probatur; quia charitas non reſpicit primo plura obiecta; ſed reſpicit ſolum Deū pro obiecto primo, ſub ratione Deitatis, vt in ſe bonum primum; & ſecundario velle eum diligi, & per dilectionem haberi à quocunque quantum eſt in ſe; quia in hoc eſt ordinata, & perfecta dilectio eius. Nam charitas inclinat ad dilectionem Dei in ſe, & propter ſe, & vt velim dilectionem proximi, qua proximus diligat Deum in ſe, & propter ſe, ita vt habens charitatem, charitas in illo ſuppoſito primo, & immediatè, & actu noſtro inclinat ad dilectionem Dei propter ſe, & quaſi actu reflexo inclinat ad dilectionem proximi; Quod ita intelligo, quod ſicut, quando ego diligo Deum immediatè, actu reflexo diligo me diligere Deum, ita vt illa dilectio, quæ eſt actus reflexus non terminatur præciſe ad me, ſed terminatur ad me vt diligentē; ita vt verè diligo me, non abſolute, ſed diligo me diligere Deū; ita pari modo quaſi actu reflexo diligo proximum ex charitate non abſolute; ſed diligo ipſum diligere Deum, id eſt, amore concupiſcentiæ concupiſco proximo dilectionem, qua diligat Deum in ſe, & pp ſe.

Et hoc eſt, quod vult dicere Scotus, qñ inquit. Et hoc volendo. ſ. me diligere Deum, & ipſum à proximo diligi; diligo me, & proximū ex charitate, volendo mihi, & ſibi velle, & per dilectionem haberi Deum in ſe, quo eſt bonum ſimpliciter iuſtitiæ, ita vt proximū obiectum charitatis eſt ſolus Deus in ſe, oīa aūt alia ſunt quædam obiecta media quaſi actuum reflexorum, mediantibus quib. tēdo in infinitum bonum, quod eſt Deus, idem aūt eſt habitus actus recti, & reflexi. Ex his ergo patet, quō charitas habeat preciſe Deū ſub rōne Deitatis pro primo obiecto, quia & ſi inclinet ad dilectionem proximi; non inclinat ad eius dilectionem habendo ipſum pro obiecto ibi ſiſtendo, ſed præciſe inclinat ad hoc, vt ego diligam proximum diligere Deum.

Sed contra. In hac ratione Scotus intendit probare, quod eodem habitu non poſſum me velle Deum, & proximum velle Deum; ſiue, & redit in idem, quod non poſſum actu reflexo diligere me diligere Deum, & actu quaſi reflexo diligere proximum diligere Deum; & ratio in hoc conſiſtit, quia ſicut non poſſum eodem actu ſcire me ſcire Deum; & ſcire proximum ſcire Deum, ita non poſſum eodem actu diligere me diligere Deum, & diligere proximum Deum diligere; antecedens patet, quia alio habitu ſcio me ſcire aliquid, & alio ſcio proximum ſcire aliquid. Reſpondet Scotus, quod actu ſuper quem fit reflexio poteſt ſignificare nominaliter, vel verbaliter. Sed quia hæc litt. Doct. eſt valde obſcura, ideo antequam ipſam exponam Reſpondeo breuiter ad argumentum negando conſequentiam; & ratio diſſimilitudinis eſt; quia ego poſſum velle Petrum diligere Deum, eſto quod ipſe Deum non diligat; at non poſſum

credere,

credere, Petrum credere in Deum niſi ipſe credat, quia intelligere, & credere eſt actus intellectus, qui nõ eſt niſi circa verum. Dicit modo Doc. quod actus ſuper quem fit reflexio, poteſt ſignificare nominaliter, vel verbaliter. exemplum primi, intelligo intellectionem meam, qua intelligo Petrum, & dicit quod ſi intelligo A. aliqua intellectione, illam intellectionem poſſum intelligere alia intellectione; ſiue illa prima intellectio inhæreat mihi ſiue alteri. exemplum primi; ſi habeo intellectionem inhærentem mihi, qua intelligo lapidem; alia intellectione reflexa poſſum intelligere illam, ſic dicendo Intelligo intellectionem lapidis. Si autem intelligo lapidem intellectione inhærente Franciſco, adhuc ſuper illam poſſum habere actum reflexum; quia alia intellectione poſſum intelligere intellectionem lapidis inhærentem Franciſco, vt patet in materia de locutione Angelorum.

Si verò actus rectus, ſiue actus ſuper quem fit reflexio accipiatur verbaliter; velut cum dico Intelligo, vel poſſum intelligere; tunc talis actus habet ſuum ſignificatum vt in ſuppoſito, vel vt conuenientem ſuppoſito, id eſt, intelligere non ſignificat præciſe intellectionem, ſed intellectionem, vt in ſuppoſito; ita vt cum dico intelligo me intelligere lapidem, illud verbum intelligere præciſe ſignificat intellectionem, vt in me exiſtentem, Ita etiam cum dico intelligo Petrum intelligere, illud intelligere ſignificat actum intelligendi exiſtentem præciſe in Petro, in tantum, vt ſi actus intelligendi Petro haud inexiſteret, falſum eſſet dicere intelligo Petrum intelligere.

Cæterum non ſic eſt de velle, quoniam poſſum habere actum reflexum ſuper velle Petri non ſolum pro præſenti, ſed etiam pro futuro, vt ſi dicerem, Volo Petrũ velle currere, Velle in Petro non ſignificat actum volendi ſibi actu inexiſtentem, & pro præſenti; quia iſta poteſt eſſe vera pro cras, vellem Petrum velle currere. Patet ergo, quod licet non eodem habitu ſciam Deum, & ſciam te ſcire Deum; tamen eodem habitu volo Deum, & volo te velle Deum, & in hoc te diligo ex charitate: quia ſecundum hoc volo tibi bonum iuſtitiæ: quia volo te diligere Deum, quæ dilectio Dei eſt bonum iuſtitiæ; licet illud bonum iuſtitiæ velim tibi amore concupiſcentiæ, velut quando concupiſco Ioanni charitatẽ, qua diligat Deum; charitas eſt bonũ iuſtitię, quod ei concupiſco, quo Deum diligat; & ſecundum hoc non aſſignatur proximus quaſi obiectum ſecundarium charitatis; ita vt charitas inclinet ad dilectionem Dei ſiſtendo ibi tamquam in primario obiecto, & ad dilectionem proximi ſiſtendo ibi tamquam in ſecundario; ſed inclinat in dilectionẽ proximi, non ſiſtendo præciſe in proximo, ſed quatenus inclinat, vt diligam proximum diligere Deum, ſiue vt diligam proximo dilectionem, qua diligat Deum in ſe, & propter ſe; Non ponitur ergo proximus obiectum per ſe ſecundarium charitatis, ſed omnino, vt quid accidentale, quia reſpicit proximum non vt obiectum dilectum præciſe, ſed vt quod potens diligere mecum perfecte, & ordinate dilectum, & ad hoc eum diligo ex charitate, id eſt, charitate inclinante, vt mecum diligat Deum, & in hoc quaſi accidentaliter eum diligo non propter eum, ſed propter obiectum, id eſt, non propter eũ ſiſtendo ibi, ſed propter obiectum, quod volo ab eo condiligi, & volendo hoc ab eo diligi, volo ei ſimpliciter bonum; quia bonum iuſtitiæ, quod bonum iuſtitiæ eſt dilectio Dei propter ſe, quam volo proximum habere.

Breuiter reſolutio huius articuli eſt quantum ad hanc concluſionem, quod habitus charitatis eſt vnus, qui reſpicit primo Deum, vt primarium obiectum; eſt enim ſummum bonum; & proximum, & omnia alia diligibilia reſpicit, vt obiectum ſecundarium. Probatur: quia quamuis Deus poſſit amari amore priuato, ita vt amans non velit habere condiligentem, vt in zelotypis contingit, cæterum quia iſte amor eſſet inordinatus, & imperfectus; quia non eſt quid ordinatum velle bonum commune ſibi ſoli tantum; Ideo Deus per habitum charitatis, quem infundit, vult quod homines non diligant Deum tantum ſibi ſolis, ſed etiam alijs; & quod velint etiã alios diligere Deum, atque ita habitus charitatis actu directo tendit in primarium obiectum, nempe in Deum, & actu reflexo in ſecundarium, ſcilicet in alia diligibilia.

Et poteſt confirmari: quia dilectio qua diligo proximum eſt propter Deum; ſi enim perfecte diligo aliquem concordo in voto cum ipſo; quia amicorum eſt idem velle, & idem nolle; Deus autem diligit omnia quæ fecit, & maxime homines ſecundum naturam ſuam, ordinando illos ad gloriam ſuam, quantum eſt ex ipſo licet odiat peccata, & ideo eodem modo debemus diligere proximum ſicut Deus diligit concordando in voto cum eo: quia iſte eſt ordo dilectionis amicorum; vt quia Deus diligit proximum, & amicus Dei concordat in velle cum ipſo, ideo neceſſario ſequitur in quantum eſt amicus Dei, quod eum diligat, quem Deus diligit.

Secunda Concluſio. Tot ſunt ponendi habitus charitatis acquiſiti ſpecie diſtincti, quot ſunt actus tales Deum, 2. Concl.
& proximum ex charitate diligendi ſpecie diſtincti. Probatur, quia actus à charitate eliciti, aut charitatem generantes ſpecie diſtinguuntur, vt actus diligendi Deũ propter ſe præciſe, & actus diligendi proximum propter Deum, ergo & habitus ex eis geniti; tenet conſequentia, quia diſtinctio habituum ſequitur diſtinctionẽ actuum ex quibus generantur, vt ſupra habitum eſt antecedens patet, quia omnes actus habentes diuerſa obiecta totalia diſtinguuntur ſpecie, plus enim differunt quã duo actus eiuſdem obiecti in diuerſis ſubiectis, tales autem differũt numero, ergo actus plus differentes differunt ſpecie, quia omnis differẽtia maior numerali eſt ſpecifica, dicitur totalis, quia eodem actu poſſum diligere Deum, & proximum, propter Deum, ſed nullum eorum eſt obiectũ totale partiale, ideo nõ ſunt plures actus, ſed vnus tantum, de hoc vide Doct. in 1. diſt. 1. quæſt. 4.

Ad primum argumentum in oppoſitum reſpondet Doct. in hac quæſt. ſub litt. G. § Ad primũ argumentum, &c. & dicit, quod argumentum ſupponit vnum falſum; ſcilicet quod Deus, & proximus reſpiciantur ab habitu charitatis, vt duo obiecta eius, & cum probatur, quia eſt alia ratio bonitatis in Deo, & alia in proximo, dicit Doc. quod ratio bonitatis proximi non eſt ratio terminandi actum, ſed tantum ratio bonitatis diuinæ, quia etſi charitas tendat in proximi bonitatem, hoc non eſt niſi actu reflexo, qui ſemper vlterius tendit in obiectum actus recti, ſicut prius dictum eſt, vt ſcio lapidem, & ſcio me ſcire lapidem, ita volo Deum, & volo eum diligi, à quocumque potente eum diligere, & cuius dilectio eſt grata dilectio.

Ad ſecundum dicit Doct. quòd duplex eſt obiectum charitatis, quoddam eſt quietatiuũ, quod eſt obiectum actus recti; aliud verò non quietatiuum, quod eſt obiectum actus reflexi, obiectum actus recti eſt Deus, qui diligitur in ſe, & propter ſe; obiectum verò actus reflexi, eſt ipſe diligens, & proximus; quia volo me diligere Deum, & volo omnes Deum ex charitate diligere; atque ita forte in patria viſio poterit habere pro obiecto actus reflexi aliquid creatum, non tamen ſiſtendo ibi, ſed vlterius tendendo in Deum. Et hanc opinionem ſequitur Ocham, *Ocham.*
& poſt eum Durandus aſſerẽtes immediatum obiectum *Durand.*
beatitudinis eſſe aliquod creatum, ſcilicet actum beatificum; quia ponunt ſecuritatem eſſe de eſſentia beatitudinis, & non poſſum eſſe beatus niſi cognoſcam me habere beatitudinem, atque adeo niſi me reflectam ſuper actum beatificum dicens Ego ſum beatus; ergo actus ille beatificus eſt obiectum immediatum beatitudinis. Sed hanc opinionem ſubtiliſſime refellit Scotus in 1. quæſt. 1. & in 4. diſt. 49. per totum. Cum ergo dicitur habitus quo diligitur Deus eſt Theologicus, tranſeat; ergo reſpicit ſolum Deum pro obiecto; diſtinguo vel ſecundum actum rectum, in quem inclinat habitus ille, & ſic concedo: vel ſecundum actum reflexum, & ſic nego.

Ad tertium Doc. negat ſimilitudinem; non enim eſt ſimile in intellectiuis, & appetitiuis ſiue in ſpeculabilibus, & operabilibus: Nam per habitum principij tenditur in principium ſecundum propriam veritatem, quam habet ex terminis, & per habitum concluſionis tenditur in concluſionem ſecundum propriam veritatẽ eius, quam habet ex terminis aliam à veritate principij, adeo vt alia ſit veritas principij, alia concluſionis: quia veritas principij eſt immediata ex terminis, veritas autem concluſionis eſt mediata; atque adeo alio habitu aſſentimus principijs, & alio aſſentimus concluſioni. Sed non eſt ſic

in

Digitized by Google

in propoſito; quia eadem bonitas eſt ratio tendendi in dilectionem Dei, & proximi, & ideo non ſequitur, quod ſit alius habitus, quo diligitur Deus, & alius quo diligitur proximus, non enim mouet me plus bonitas proximi, quam feſtucæ ſi feſtuca poſſet Deum diligere; ſi enim perfecte diligo eum, volo eum diligi ab omni potente eum diligere ordinate, cuius dilectio ei placet. Et nota quòd quando dicit Doct. quòd non plus me mouet bonitas proximi, quam feſtucæ; intelligendus eſt de cauſa principali, & eſſentiale ad hoc motiua, quæ tantum eſt bonitas infinita; quantũ aliqua bonitas accidentaria, & minus principaliter mouens, poteſt eſſe bonitas creaturæ, vt patet de B. Virgine; nam magis debeo illi bonum velle, & precari, quam Beato Bonauenturæ, cuius hodie natalitia colimus, quia ſicut alijs eſt admirabilior, ita & præ cunctis diligibilior ex propria bonitate, & ita hãc litteram exponere eſt neceſſarium; quia in ſequenti diſt. dicit Doct. quòd penſatis rationibus ſunt cauſæ diligibilitatis poſt Deum, vt in me eſt identitas, quæ eſt ratio maxima, qua debeo prius me ex charitate diligere, quam proximum, atque adeo in creatura reperitur aliqua cauſa minus principalis motiua ad diligendum, quod bene nota.

ARTICVLVS II.

Vtrum habenti charitatem neceſſarium ſit diligere proximum.

Amor eſt duplex ſimplex, & cõplexus.

PRo explicatione huius difficultatis obſeruandum eſt primo, quod ſicut duplex eſt actus intelligendi, videlicet ſimplex quo abſolute obiectum aliquod intelligitur, & alius complexus, vt ille, quo intelligitur aliquid de aliquo affirmatiuè, vel negatiuè, ita videtur conſimiliter poſſe poni duplex actus volendi prædicto actui intelligendi duplici correſpondens, vnus eſt actus volendi abſolutus, quo obiectum aliquod, vt abſolutè ſumptum tamquam bonum aliquod diligitur per ſe ipſum, vt dilectio Dei, volo, nolo; & qualis eſſe videtur actus fruitionis omnium beatorum. Beati enim abſolute Deum ſummè, vt ſummum bonum diligunt, non ipſi aliquid volendo, nec ipſum alicui appetendo, ſcilicet beatifico: ſecundus actus volendi eſt quaſi relatiuus, & quodammodo complexus, quo videlicet quis vult vnum alteri, vel propter alterum, & hic actus præſupponit primum abſolutum, ſicut actus intelligendi complexus, cui correſpondet, actum intelligendi ſimplicem præſupponit, vt volo Petrum eſſe doctum, volo Deum eſſe Deum, vel ſapientem &c. iſte actus eſt complexus obiectiuè, ſicut notitia iudicatiua ei correſpondens non conflatur ex partibus diuerſarum rationum, ſicut nec ipſe aſſenſus.

Secundo obſeruandum, eſt ex Doct in hac quæſt. ſub litt. D. §. De ſecundo dico &c. quòd ſicut ex negatione concluſionis non neceſſario ſequentis ex principio, non ſequitur deſtructio principij, ita ex negatione dilectionis proximi, non ſequitur neceſſario diſtructio dilectionis Dei; Primum explicatur; quoniam interdum poteſt ſtare concluſionis negatio, cum aſſertione principij; & ratio eſt, quia nõ omnis error in concluſione deſtruit veritatem principij; non enim ſequitur hoc principium, Verbi gratia, omnis homo currit, eſſe falſum, eo quòd hæc concluſio eſt falſa, Adam currit, Eſto enim dicas omnis homo currit; Adam eſt homo, ergo Adam currit; concluſio falſa, ergo aliqua præmiſſarum: non minor, ergo maior. non ſequitur; quia hæc concluſio non infertur neceſſario ex præmiſſis. Ita etiam ſi dicas, ſi ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent ſunt æqualia, ſed duo ouorum paria hinc demiſti; ergo quæ remanent ſunt duo ouorum paria; non valet, niſi ponas conſtantiam ſubiecti, ſcilicet niſi ponas, quæ remanent eſſe quatuor, patet ergo quod falſitas concluſionis non ſequentis neceſſario ex præmiſſis non arguit falſitatem præmiſſarum; ſed bene error in concluſione neceſſario ſequente ex principio deſtruit principij veritatem, vt docet Doct. in 1. diſtinctione octaua, quæſtione vltima, quia tunc veritas concluſionis eſt partialis veritas principij, quod non contingit, quando concluſio ex principijs ſequitur contingenter,

Et ex hoc explicatur ſecundum, ſcilicet quod ex negatione dilectionis proximi, non ſequatur neceſſario deſtructio dilectionis Dei; quia non neceſſario ſequitur ex dilectione infiniti boni, dilectio boni finiti, adeo quòd ex natura rei abſolutè non ſequitur, Ego non diligo proximum, ergo non diligo Deum; ſicut non ſequitur neceſſario, Diligo Deum, ergo diligo proximum, niſi ponas conſtantiam ſubiecti; id eſt Ego non diligo proximum, & pro nunc eſt mihi præceptum à Deo, vt eum diligam, ergo non diligo Deum.

Tertio obſeruandum eſt, quòd charitas ex natura rei ſic inclinat ad dilectionem Dei, vt negando talem inclinationem ex conſequenti deſtrueretur charitas, & ſimiliter charitas inclinat ad dilectionem proximi modo explicato in ſuperiori articulo.

His obſeruatis eſt prima Concluſio. Loquendo de actibus charitatis, ſcilicet Dei, & proximi, cũ dilectione Dei poteſt abſolutè ſtare non dilectio proximi, & hoc ſiue contradictorie ſiue contrarie, contradictorie non diligendo proximum: quia dilectio proximi, & non dilectio proximi contradicunt; & contrarie ſcilicet odiendo proximum, quia odium proximi; & dilectio proximi opponuntur contrariè. De potentia ergo Dei abſoluta poſſum verè diligere Deum ex charitate, & tamen cum hoc non diligere, vel odio habere proximum. 1. Concl

Probatur Concluſio. Non eſt neceſſarium ſimpliciter aſſerenti principium aſſentire concluſioni, ſed poteſt non aſſentire quouſque error concluſionis redundet in errorem principij, nam propter errorem principij, refugit quis ab illo concluſionis errore; igitur non eſt ſimpliciter neceſſarium habenti charitatem, velle proximum Deum diligere, aut non odiſſe: quia poteſt velle eum non diligere Deum, ergo &c. conſequentia probatur: quia bonitas proximi non eſt ita neceſſario cõiuncta, bonitati ſuæ, ſicut veritas concluſionis veritati principij, ergo non eſt contradictio voluntatem velle Deo bene eſſe, & alium hominem non velle bene eſſe.

Secunda Concluſio. Loquendo de potentia Dei ordinata, cum dilectione Dei ex charitate non ſtat odium proximi: quia Deus dedit præceptum de diligendo proximum. 2. Concl.

Tertia Concluſio. Habens charitatem ex natura rei verè inclinãtem ad dilectionem Dei in ſe, & propter ſe, etſi actu numquam diligeret Deum, talis negatio dilectionis non deſtruit formaliter charitatem, ſed tantum demeritoriè. probatur, quia cum habitu charitatis de potentia Dei abſoluta poteſt ſtare non dilectio Dei; Cæterũ non poſſet Deus etiam de potentia abſoluta diſpenſare, quod habens charitatem inclinantem ad dilectionem Dei propter ſe, numquam vtatur tali inclinatione charitatis, quia tunc Deus ageret contra ſe; Non enim poteſt diſpenſare contra præcepta ſtricti iuris naturalis, vt infra patebit d. 37. ſed dilectio Dei ſuper omnia ſaltem pro aliquo tempore pertinet ad præceptum iuris naturæ ſtrictæ ſumpti, ergo, &c. 3. Concl.

Quarta Concluſio. Habens charitatem inclinantem ad dilectionem proximi, & hoc ex natura charitatis, ſiue ex natura rei, (quia inclinat ad Deum amandum nõ priuate, vt diximus in ſuperiori art.) non vtendo illa inclinatione charitatis, Deus de potentia ordinata deſtruit illam licet de potentia abſoluta poſſit cum ipſa charitate ſtare odium proximi; Nam ſi actus odij non repugnat actui charitatis, multo minus repugnabit habitui; ergo cum odium proximi non repugnet dilectioni Dei in ſe, multo minus repugnabit habitui charitatis inclinantis ad dilectionem Dei in ſe, atque ita Deus de potentia abſoluta poſſet bene diſpenſare, quod habens charitatem inclinantem ad dilectionem proximi, numquam vtatur charitate ſecundum talem inclinationem; Nam poſſet diſpenſare, quod ego numquam proximum diligerem, quia dilectio proximi eſt tantum ex præcepto diuino. Sed non poteſt diſpenſare, quòd quis proximum odiret. 4. Concl.

id eſt,

deeſt, quod nollet proximum diligere Deum in ſe, & propter ſe quia Deus eſt obiectum diligibile ab omnibus, ſicut ergo non poteſt diſpenſare, quod ego non tenear diligere Deum, ita non poteſt diſpenſare, vt ego ordinate, & rectè velim proximum non diligere Deum, & hæc ſunt, quæ habet Doct. ſub. in 2. art.

Cæterum, quia littera Scoti habet aliquam obſcuritatem pro iunioribus explico illam. Inquit Doct. Eſt igitur iſte habitus charitatis circa aliud, id eſt, circa proximum, quatenus datum eſt præceptum de diligendo illud aliud, ſcilicet proximum, & ad illum actum, ſcilicet ad dilectionem proximi, oportet vti illo habitu, aut ſaltem non contra agere illi habitui; id eſt, nõ debet proximus odiri, alioqui deſtrueretur actus, & habitus circa Deum, vult dicere, quod de potentia Dei ordinaria non ſtat odium proximi cum actuali dilectione Dei, neque cum habituali, ſcilicet cum charitate, & ſubdit; non quidem per naturam contradictionis, ſed per naturam demeriti, id eſt, odium proximi non deſtruit dilectionem Dei, & charitatem, effectiue, quemadmodum vnum cõtrarium deſtruit aliud, Verbi gratia, caliditas frigiditatem; quaſi odiũ proximi contrarietur dilectioni Dei, & charitati, atque adeo non poſſint ſtare ſimul, ſed vnum deſtruat aliud, velut caliditas deſtruit frigiditatem; ſed tantum demeritoriè; nam tranſgreſſio præcepti non corrumpit poſitiuè habitum, nec actum diligendi Deum; ſed demeretur vt Deus ſubtrahat, & ſic nec habitus charitatis, nec actus dilectionis Dei poſſet ineſſe; & ratio eſt; quia quantum eſt ex parte charitatis, habitus ille ex natura ſua natus eſt inclinare ad amandum Deum non priuatim, id eſt, diligendo præciſe ipſum Deum, & nolendo alios illum diligere; & ideo actus amandi priuatiuus, qui ſcilicet deſtruit amare proximum, id eſt, proximi dilectionem, nullo modo poteſt eſſe talis habitus, id eſt, nullo modo põt eſſe actus habitus charitatis, quia habitus charitatis infuſus, quia ordinatus eſt, & perfectus in genere habituum appetiuorum non poteſt eſſe Dei, niſi vt boni communis, & condiligendi; atque adeo non poteſt eſſe principium alicuius actus, quo diligatur Deus cum contrario dilectionis proximi, id eſt, cum odio proximi.

Et in hoc inquit Doct. apparet magna perfectio huius habitus, quia etſi zelus acquiſitus, id eſt, amor zelotypus poſſit eſſe maior gradualiter, quam minima charitas infuſa, quantum ad intenſionem actus eliciendi hinc inde; Nam intenſiori amore fortè diligit zelotypus vxorẽ, vel aliam mulierem, quam aliquis diligat Deum, tamen ille habitus infuſus, quia ordinatus, & perfectus in genere habituum appetiuorum, non poteſt eſſe Dei niſi vt boni communis, & condiligendi, &c. & ſubdit Doct. Patet igitur de actu, qualiter eſt neceſſarius ex natura habitus; (ſi aliquis debeat elici ex illo habitu) loquitur Doct. conditionaliter, quia aliqui negant habitum concurrere effectiuè ad actum, vt patet in 1. diſt. 17. hoc tamen intelligendo; ſcilicet quòd actus à charitate elicitus non poteſt eſſe, vt priuatiuus, id eſt, vt habens charitatẽ diligat Deum, & nolit alios eum diligere, nec vt contrarius actui circa proximum, ſcilicet quod diligat Deũ & proximũ odiat; nam ex natura præcepti ſuperadditi habitui, debet elicere actum circa proximum poſitiuè, id eſt, debet diligendo Deum diligere proximum, vel ſaltem non contrariè, id eſt, vel ſaltem eum non odiſſe; ne demereatur habitus corruptionem, qui eſt circa Deũ, id eſt, ne demereatur amittere charitatem.

ARTICVLVS III.

Vtrum Creatura qualibet rationalis ſit noſter proximus.

PRo explicatione huius difficultatis præſuppoſita diſtinctione de duplici amore, ſcilicet ſimplici, & complexo, quam in ſuperiori art. tetulimus.

Obſeruandum eſt, quod proximus tripliciter dici poteſt: ſunt enim aliqui proximi naturaliter, aliqui ſupernaturaliter; & aliqui vtroque modo. Proximi tantum naturaliter ſunt omnes coniuncti, & ſimiles in natura, non autem in gratia, nec in gloria; vt homines reprobi, & electi; Angeli boni, & mali eiuſdem ſpeciei, ſuppoſito quod eiuſdem ſpeciei aliqui ceciderunt, aliqui permanſerunt. Proximi ſupernaturaliter poſſunt dici, omnes Deo coniuncti mediante aliquo dono ſupernaturali, videlicet, gratiæ, quo ad viatores, vel gratiæ ſimul & gloriæ, quo ad comprehenſores. Proximi vtroque iſtorum modorum ſunt omnes ſimiles in natura, & cum Deo coniuncti gratia vel gloria mediante, vt omnes homines electi viatores, vel comprehenſores, & omnes Angeli beati eiuſdem ſpeciei. Proximus tripliciter dici põt.

Secundo obſeruandum eſt, quòd eorum qui non ſunt ſupernaturaliter proximi, quia videlicet à Deo diuiſi, aliqui ſunt in ſtatu in quo poſſunt coniungi, ſeu vniri Deo, & per conſequens bonorum effici proximi iſto modo, vt omnes viatores iniuſti; alij verò ſunt in ſtatu in quo non poſſunt Deo coniungi, nec per conſequens effici proximi iſto modo, vt damnati.

Tertio obſeruandum, eſt quòd de viatoribus poſſumus loqui dupliciter; priori modo in particulari, vt de Petro, Ioanne, vel Franciſco: alio modo in communi: ſi fiat ſermo de viatori ſecundo modo tenemur omnes viatores in communi abſolutè diligere, id eſt, velle illos Deum diligere, quia debeo præſumere, quod eorum dilectio ſit grata Deo. Si autem fiat ſermo de viatore priori modo, ſcilicet in particulari; quia non poſſum eſſe certus an eius amicitia ſit grata Deo, teneor ſub conditione ſibi velle dilectionem Dei, ſi Deo ſcilicet ſua dilectio placeat. Nam proximus eſt (vt inquit Sco. in hac q. ſub litt. F. §. Quantum ad tertium) quilibet cuius amicitia eſt grata dilecto, vt ſcilicet ab eo diligatur; Non enim debeo ſummè dilectum à me, velle diligi ab aliquo cuius dilectio non eſt ſibi grata, & à quo non vult diligi.

His obſeruatis pono ſeptem concluſiones. Prima Concluſio omnis proximus Deo coniunctus, vel Deo ſupernaturaliter vnitus diligendus eſt. Probatur; quoniam proximus eſt propter Deum diligendus, ergo omnis à Deo dilectus eſt ab eo diligendus; Conſequentia eſt euidens, quoniam ſi aliquem diligo propter Deum, hoc eſt quia illum dilectum exiſtimo Deo gratum, quod enim eſt alicui ingratum non videtur poſſe diligi, propter ipſum, omnis ergo à Deo dilectus eſt à quolibet vt ſuus proximus, propter Deum diligendus, ſed omnis Deo coniunctus ſupernaturaliter charitate, vel fœlicitate eſt à Deo dilectus, ergo eſt propter ipſum videlicet Deum diligentem eum, à quolibet alio diligendus. Ex hoc ſequitur, quod omnes beati tam Angeli, quã homines ſunt, vt proximi omnium viatorum ab ipſorum quolibet diligendi, patet, quia conſtat ipſos omnes à Deo dilectos ipſique ſupernaturaliter copulatos. quare, &c. Hæc concluſio eſt Scoti in hac q. loco ſupracitato in his verbis. Quia igitur certum eſt beatorum dilectionem eſſe Deo gratam, abſolutè debeo velle ipſum ab eis diligi. Et ex hoc etiam ſequitur, quod beati, & Angeli, ſunt noſtri proximi atque adeo ex charitate diligendi. 1. Concl.

Sed contra iuxta Parabolam Saluat. Lucæ. 10. proximus eſt, cui benefacere poſſumus ſed beatis, & Angelis beneficia nulla poſſumus impendere, ergo &c. Item nobis cum eis nulla eſt conuerſatio, ergo nulla amicitia. Dico, quòd tam Angeli Sancti, & beati, quam animæ in purgatorio exiſtentes ſunt noſtri proximi, nã ſunt nobiſcum capaces beatitudinis; omnis enim creatura capax beatitudinis formaliter, eſt noſter proximus, & dico creaturam propter Deum, qui propter excellentiam infinitam ſuæ naturæ diuinæ, proximus noſter dici non poteſt, ſed noſter Dominus, quomodo etiam non ſicut nos metipſos, quod de proximo præcipitur, ſed ſuper nos totu corde, & anima diligere debemus, quod etiam intelligas de Chriſto Domino quantum ad naturam diuinam, licet ſecundum naturam humanam noſter proximus eſſe voluerit, vt patet ex ſupra relata parabola de eo, qui incidit in latrones, vbi per Samaritanum intelligi voluit, qui curam ſauciato impendit, & miſericordiam. Dixi capax formaliter beatitudinis, propter corpus noſtrum, quod nequit proximus noſter appellari, quia infra nos eſt, nec eſt

capax

capax diuinæ viſionis, & fruitionis, quæ ſunt formalis beatitudo, licet ſit capax gloriæ per redundantiam, vt diximus ſupra.

Magiſter. Ad primum in oppoſitum dico primo ſecundum Magiſtrum, quod licet Angelis, & beatis beneficia impendere haud poſſumus, ipſi tamen nobis beneficia impendere poſſunt, & multa impendunt, & per hoc nos eorum proximos conſtituunt. Verum cum hoc nomen proximus ſit relatiuum æquipatantiæ, vt proximus ſit proximo proximus, ſequitur quod etiam ipſi noſtri ſunt proximi. Secundo dico, quòd etiam nos beneficia ipſis præſtamus, quatenus ex bona, & meritoria noſtra conuerſatione eos lætificamus, beatitudinem accidẽtalem illis augendo, iuxta illud Lucæ. 15. Gaudium eſt in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.

Ad ſecundum dico, quòd licet non ſit nobis nunc cum Angelis, & beatis mutua humana conuerſatio; erit tamen in beatitudine iucundiſſima conuerſatio, & etiam nunc communicamus cũ eis in vita gratiæ, licet nõ communicemus cum Angelis in natura, & gloria; cum beatis verò in natura, & gratia communicamus; quamquam non communicemus in gloria.

2. Concl. Secunda Concluſio. Nullus non coniunctus Deo ſupernaturaliter nec coniungibilis eſt abſoluté, vt proximus diligendus; hæc concluſio patet, quia nullus alteri odioſus poteſt diligi, propter ipſum, ſed Deo non coniuncti ſupernaturaliter, nec coniungibiles ſunt Deo odioſi, nec poſſunt exiſtere Deo grati, ergo non poſſunt ordinate diligi abſolute, vt proximi propter Deum, hæc concluſio eſt Doct. vbi ſupra in illis verbis. Non enim debeo ſummé dilectum à me velle diligi ab aliquo, cuius dilectio non eſt ei grata; & à quo non vult diligi. Nam diligere proximum ex charitate eſt velle proximo ineſſe dilectionem Dei; ſiquidem nihil melius poſſum velle proximo ineſſe; cum dilectio Dei ſit ſummum bonum proximo communicabile.

Ex hoc ſequitur, quòd quia ſoli damnati ſunt illi, quos conſtat eſſe Deo non coniunctos, nec coniungibiles, nec poſſe de potentia Dei ordinaria exiſtere ipſi gratos, ſoli ipſi ſunt, qui non ſunt abſolute, vt proximi diligendi. Hoc patet: quoniam diligere proximum, propter Deum eſt velle ipſum diligere Deum; ſed nullus debet rationabiliter velle ſumme dilectum ab aliquo diligi à quo ipſe non vult diligi, quia nec eius dilectio eſt ei grata; ſed conſtat damnatorum dilectionem non eſſe Deo gratam, ergo &c.

Poſſet tamen probabiliter dici, quod quilibet damnatorum, poteſt diligi non abſolute, vel categorice, ſed conditionaliter ſiue hypotheticé, modo quo proijciens merces in mare vellet non proijcere, ſi poſſet aliter euadere; ita vt habet actum volendi non proijcere non abſolutum, ſed mixtum, cum proijciat; ſed quaſi conditionatum, & hypotheticum. Ita conſimiliter poſſum iſto modo cuilibet damnatorum compati, ipſumque velle à Deo diligi, & à ſupplicio liberari, ſi hoc eſſet Deo gratum. Hoc probatur per ſimile; quoniam conſtat, quòd Chriſtus in morte triſtatus fuit, de culpis præuiſis, ac pœnis omnium damnandorum; ſed nullus triſtatur de culpa, & pœna alicuius, niſi ipſi vellet gratiã, & gloriam; ergo Chriſtus quemlibet damnandorum ſic dilexit, vt ei aliquo modo gratiam, & gloriam appetijt, non abſolute, ſed hypothetice; dicto modo, ergo &c.

3. Concl. Tertia Concluſio. Quilibet Viator ſiue Deo coniunctus, vt iuſtus, ſiue ab eo diuiſus, vt iniuſtus, & peccator, eſt à quolibet, vt proximus diligendus. Probatur. Quilibet debet velle ſummè, & perfecte à ſe dilectum condiligi à quocũque alio, quod eſt, vel poteſt eſſe ipſi gratum, ſed omnis viator, vel eſt Deo gratus, vt iuſtus, vel poteſt eſſe, vt omnis alius, ergo omnem viatorem, debet velle, & appetere Deum diligere gratuite, ſed hoc eſt perfecte diligere alium, ſcilicet velle eum diligere Deum; ergo, &c. Maior videlicet, quod perfecte diligens Deum debeat velle eum diligi à quocumque alio, qui poteſt exiſtere ipſi gratus. probatur. Quoniam amor priuatus qualis eſt ille, quo diligens non vult dilectum à ſe condiligi ab aliquo alio, eſt amor zelotypus, & imperfectus, ſed amor charitatiuus, quo perfecte diligitur ipſe Deus eſt perfectus ergo non debet eſſe priuatus ac ſingularis, & per conſequens Deũ perfecte diligens, debet velle Deum dilectum condiligi à quocumque alio cuius dilectio poteſt exiſtere Deo grata, ergo &c.

Ex hoc ſequitur, quod aliter iuſtus, & aliter iniuſtus ſiue peccator eſt vt proximus diligendus; iuſtus enim eſt diligendus abſolute, quia ſcitur eſſe Deo gratus, & acceptus; Iniuſtus autem vel peccator, vt ſic non eſt diligendus, cum ſit Deo ingratus; ſed quia poteſt ipſi eſſe gratus, quamdiu eſt in via, ideo poteſt, & debet hoc à quolibet ipſi appeti, & in hoc diligi, videlicet, vt ad Deum conuertatur, & per hoc ipſi gratus efficiatur. Hec concluſio eſt Doct. vbi ſupra in illis verbis. Et quia de quocumque viatore ſignato, eſt dubium, debeo hoc ei velle ex conditione, ſcilicet ſi placet ei ab eo diligi, vel quando placet ei ab eo diligi; Circa viatores autem in communi, quia ſemper ſupponendum eſt eſſe aliquos ei grates, poteſt haberi abſolute actus volendi Deum ab eis diligi.

Sed contra, videtur iſtam concluſionem contradicere ſecundæ: quoniam hominem poſſe eſſe Deo gratum, non eſt aliud, quam poſſe ab ipſo acceptari ad præmium ſempiternum, nec enim Deum diligere aliud eſt, quam hominem quem diligit ordinare ad bonum, vel bonum illi conferre; ſicut Deum odire aliquem, non eſt aliud, quam punire, vel diſponere punire ipſum; ſed quemlibet damnatorum poſſet Deus acceptare ad præmium ſempiternum; ergo quilibet poteſt exiſtere ipſi gratus, & per conſequens iuxta hanc concluſionem eſt à quolibet diligendus, cuius contrarium dicit concluſio præcedens.

Reſpondeo, quod licet quilibet damnatorũ poſſit eſſe Deo gratus, & præmio dignus de potentia Dei abſoluta, non tamen de potentia eius ordinaria. Conſtat enim nobis ipſum ſtatuiſſe numquam eorum aliquem gratũ habere, nec ad præmium acceptare, quod non conſtat nobis de aliquo viatore. Si autem quilibet damnatus ideo eſſet diligendus, quia abſolute poſſet exiſtere Deo gratus, eadem ratione è contrario omnis beatus poſſet à nobis non diligi, quia poſſet à Deo non acceptari, & de potentia abſoluta æternaliter condemnari, quod eſt falſum.

Et ſi quæras an ſi eſſem certus, quod Petrus, Verbi gratia, eſt finaliter damnandus; quia ſcilicet Deus hoc mihi reuelauit, ſicut ſum certus, quod Antichriſtus damnabitur, poſſem Petrum ex charitate diligere; & videtur quod ſic, quia ſi Deus reuelaret mihi finalem damnationem, adhuc teneor ſecundum aliquos ſperare ſalutem, vt diximus ſupra diſtinctione 26. Item Chriſtus etſi certitudinaliter ſciret Iudam fore damnandum, tamen rogauit pro Iuda.

Reſpondeo; quod ſi teneatur opinio illa ſatis communis, quod tenemur aſſentire reuelatis in particulari, tunc non eſt difficultas, quod in illo caſu Petrus non eſſet diligibilis ex charitate, patet, quia aſſentio, quod ipſe erit damnatus, ergo non poſſum ei diligere beatitudinem. Ad id quod dicitur, quòd Chriſtus rogauit pro Iuda, &c. Dico quod verũ eſt oratione generali, à qua nullus quantumcumque malus, & ab Eccleſia præciſus excluditur, vt docet Scotus infra d. 30. & in quol. queſt. 20. non tamen oratione ſpeciali; Contra non poſſum illum diligere ex charitate: quia charitas non inclinat ad amandum proximum, propter Deum, id eſt, ad volendum Deum à proximo diligi, niſi ab eo cuius amicitia eſt Deo grata; ſed ſcio amicitiam Antichriſti non eſſe Deo gratam; ergo nõ poſſum illum, ex charitate diligere; & per conſequẽs nec generaliter, nec medio modo, debeo pro illo orare, quod inſinuat Dominus Iſaiæ ſeptimo, & vndecimo. Tu noli orare pro populo iſto, quia non exaudiam. Dico, quòd charitas tantum inclinat me ad amandum proximum, qui ſit Deo gratus. Concedo categorice, hypothetice tamen inclinat me ad diligendum aliquem, qui non ſit Deo gratus, id eſt, ex quo gratia ei eſt poſſibilis poſſum illum diligere ſi fiat Deo gratus, & vt talis efficiatur poſſum rogare Deum, vt illi impedimentum auertat. Nam quamdiu aliquis eſt in via; poteſt ad Deum conuerti.

Quarta Concluſio. Loquendo de actu diligendi abſoluto, vel ſimplici, ſeu incomplexo, non tantum ſupernaturaliter proximus, ſed etiã omnis alius quãtumcumque 4. Concl.

malus,

Digitized by Google

malus, & damnatus eſt à quolibet rationabiliter diligendus. probatur: quoniam omne bonum eſt ſecundum rectum rationis dictamen diligibile, & poteſt diligi abſolute, ſed quilibet quantumcumque damnatus, & peruerſus eſt naturaliter bonus, licet moraliter malus; ergo licet moralis malitia ſiue culpa debeat reſpui, & odiri, poteſt tamen & diligi abſolute cuiuslibet bonitas, & perfectio naturalis.

5. Concl. Quinta Concluſio. Quilibet reproborum poteſt, & debet diligi dilectionis actu aliquo relatiuo ſiue complexo. probatur. Quia reprobos viatores poſſumus, & debemus diligere volendo eis bonum, quod non habent videlicet Deum, & nolendo eis malum, quod habent, ſcilicet peccatum. Damnatos etiam poſſumus velle, ſeu diligere non tantum abſolute, ſed etiam comparatiue, comparando videlicet ipſorum quemlibet ad Deum, in quantum ſunt creaturæ Dei ad imaginem eius factæ, ergo &c. & quia peccatum non eſt à Deo, nec per ipſum aliquis eſt ad imaginem Dei factus, ideo licet natura cuiuslibet poſſit ſic diligi cõparatè, ſcilicet in ordine ad Deum ad cuius imaginem dicitur eſſe facta, non tamen culpa.

6. Concl. Sexta Concluſio. Nullum damnatorum poteſt diligere aliquis rationabiliter comparata ſeu complexa dilectione volendo ei, vel appetendo bonum ſupernaturale, videlicet gratiam, vel gloriam quã non habent. probatur: quia nullus rationabiliter poteſt aliquem alium diligere contra Deum; ſed quicumque alium diligit volendo ei abſolute, quod Deus ſtatuit numquã conferre, diligit eum contra Deum; quia vult illud, quod conſtat ſibi Deum nolle; conſtat autem cuilibet Deũ nolle conferre nec gratiam, nec gloriam alicui damnatorum; ergo neutrum horum eſt eis ab aliquo rationabiliter appetendum. & confirmatur: quia quod eſt propter alterum diligendum, non debet in aliquo, quod ſit contra eius beneplacitum diligi, quod enim diligitur contra beneplacitum alicuius, non diligitur propter ipſum; ſed potius contra ipſum, ſed quilibet dilectus eſt propter Deum, non contra Deum à quolibet diligendus, ergo &c.

7. Concl. Septima Concluſio. Quilibet debet dilectione complexa diligere quemlibet bonorum ipſi bonum, quod habet volendo, & etiam quemlibet electorum viatorum ei bonum gratiæ, quam habet, & gloriæ, quam habere debet pro tempore appetendo. probatur; quia omnis diligens vnum, propter alterum magis dilectum, debet minus dilecto velle, & appetere quod obiectum magis dilectum in obliquabile voluit, & ſtatuit ipſi conferre; ergo cum quilibet diligẽs proximum, debeat eum diligere propter Deum magis dilectum, hoc debet velle, & appetere proximo, quod ſcit Deum, qui non poteſt errare, velle eidem conferre, ergo &c.

Et ſi arguas contra hoc: quia ſicut Deus vult glorificare electos, ita & cruciare reprobos nullum tamen debeo appetere eorum cruciatũ ſiue ſupplicium ſempiternum. Reſpondeo, quòd non debeo ipſum eorum ſuppliciũ appetere abſolute, ſed bene vt à Deo volitum, & ſtatutũ ad eorum elementum puniendum; ſicut proijciens merces in mare non appetit proijcere abſolute, ſed reſpectiue, nempè ad periculum euitandum.

An bruta, & virtutes ſint diligẽda ex charitate. Et ſi quæras an bruta, atque etiam charitas ipſa ſint ex charitate diligenda. Dico breuiter, quod aliquid ex charitate diligi bifariam intelligi poteſt: vno modo preſſe, vt idem eſt, quod diligere aliquid ex gratia tamquam amicum ſecum in beatitudinem ordinariè cõmunicatiuum, alio modo fuſe, pro omni diligere ad quod charitas inclinat: Priori modo, nec dæmones, nec damnati, nec bruta, nec quæcumque irrationalia, velut ſunt virtutes, atque etiam formalis beatitudo (ſolo corpore noſtro excepto) ſunt ex charitate diligenda; quia non ſunt diligibilia, vt amica nobiſcum in beatitudine communicatiua.

Sed poſteriori modo, omnia prædicta, & omnis natura, poteſt ex charitate diligi; quia omni creatura vti poſſumus meritoriè ad finem vltimum, atque ita vtendo ex charitate diligere. ita. D. D. Thom. & Bonauentura.

D. Thom. D. Bonau.

DISTINCTIO XXIX.

POST prædicta de ordine charitatis agendum eſt. &c. In hac diſtinctione Magiſter diſputat de ordine diligẽdorum, & tria facit, primo ponit ordinem diligendorum explicite, & in generali; ſecundo ponit ordinẽ quorumdam diligendorum in ſpeciali; & tertio ponit gradus explicitè dilectionis; breuiter reſoluitur tota hæc diſtinctio tribus concluſionibus.

Prima Concluſio. In charitatis ordine non omnes æquali affectu, ſicut nec æquali effectu. ſunt diligendi; hanc concluſionem probans Magiſter, dicit quòd ordo dilectionis ſecundum D. Auguſt. lib. de Doct. Chriſtiana cap. 27. in hoc conſiſtit, vt quod eſt diligendum diligatur, quod non eſt diligendum, non diligatur, quod amplius diligendum eſt. amplius diligatur; & quod æquè diligendum eſt æquè, & non minus, nec amplius diligatur. Vnde primo ſuper omnia diligendus eſt Deus, deinde anima propria, tertio loco proximus, poſtremo corpus proprium, & inquit Magiſter, quod omnis peccator, in quantum peccator, non eſt diligendus, & omnis homo in quantum eſt homo diligendus eſt propter Deum; & Deus propter ſe ipſum. Item Deus propter ſe omni homine amplius diligendus eſt. & amplius debet quiſq; Deum diligere, quam ſe ipſum. Itẽ amplius alius homo diligendus eſt, quam corpus noſtrum; & ſubdit, quòd in enumeratione quatuor diligendorum ſuperius poſita: prius ponitur quod ſupra nos eſt ſecundo, quod nos ſumus, tertio quod iuxta nos eſt, & quarto quod infra nos eſt. 1. Concl. D. Aug.

Quo præmiſſo quærit circa dilectionẽ proximorum; an omnes homines æqualiter diligere teneamur. Circa hoc dubium extant tres opiniones, quarum prima tenet, omnes æqualiter in affectu eſſe diligendos, non tamen in exhibitione obſequij, magis enim his qui ſunt nobis coniuncti obſequia impendere tenemur, non obſtante quod omnibus debeamus bonum velle, quare authoritates, quæ huic opinioni videntur aduerſari, quippe quæ dicere videantur, quòd omnes homines non æqualiter, ſed inæqualiter ſunt diligendi, erunt gloſſanda quantum ad exhibitionem operis, & beneficiorum exteriorum, quæ omnibus æqualiter minimè præſtanda ſunt, & non quantum ad interiorem affectum, ſecundum quem omnes æqualiter diligendi ſunt.

Altera opinio tenet, quod vtroque modo omnes proximi æqualiter diligendi ſunt; Non ſolum quo ad affectum, verum etiam quo ad effectum, & D. Aug.

mititur

nititur hæc opinio atque fulcitur authoritate. D. Aug. D. Auguſtini lib. de doctrina Chriſtiana capit. 28 dicentis omnes homines æquè diligendi ſunt; & lib. 8. de Trinit. capit. 8. in fine. Nec illa iam quæſtio, inquit, moueat quantum charitatis fratri debeamus impendere, quantum Deo; incomparabiliter plus Deo, quam nobis; fratri vero quantum nobis vide textum Magiſtri.

Tertia opinio, quam magis approbat Magiſter eſt, quod nec æqualiter affectu, nec effectu omnes ſint proximi diligendi; Nam ex quo ordo habendus eſt in dilectione proximorum, & in affectu, & in effectu; oportet eſſe in æqualitatē in dilectione vtriusque eoquod ſine inæqualitate ordo eſſe nequeat, & ad authoritates D. Auguſtini, quæ videntur dicere, quod omnes æqualiter debemus diligere ſicut nosmetipſos, intelligenda ſunt, vt æqualitas de qua loquitur non referatur ad affectum, vel effectum, ſed ad bonum, quod eis optamus; quia ad tantum bonū debemus omnes diligere, ſicut nos, non tamen æquali affectu ſiue effectu.

2. Concl. *Secunda Concluſio. Mali parentes vel propinqui plusquam boni extranei in hac vita ſunt diligendi, quamuis propter vitia eorum à iuſtis ſint odiendi; Ad quam inſinuandam duæ quæſtiones proponuntur. Prima eſt an propinqui mal. ſint magis diligendi, quam boni extranei.*

Secunda. Cur Dominus præcepit diligere inimicos, & alibi odio habere parentes, cum iſta videantur ſibi eſſe contraria; Ad primam breuibus reſpondetur, quod extranei boni magis ſunt diligendi; quia corde nobis ſunt iuncti per vinculum charitatis; propinqui autem mali non charitate, ſed carne tantum ſunt nobis iuncti, melior autem atque ſanctior eſt cordium copula, quam corporum atque adeo extranei boni, quia meliores, & religioſiores ſunt, magis ſunt diligendi, quā propinqui mali. Ad alteram difficultatem dicitur, Dominum præcepiſſe naturam diligendam eſſe in inimico, & vitium odiendum in parentibus. Dico enim in homine diligēda ſunt; natura & virtus; vitium verò, & peccatum odiendum; atque adeo homines etiamſi mali ſunt, vtique quo ad naturam diligendi ſunt, è contra verò vitium in quibuſcumque etiā in parentibus eſt odio habendum; atque ita nulla extat in dictis Saluatoris noſtri contradictio; Nam natura in omnibus eſt diligenda. Vnde & homines mali diligendi ſunt, vt ad bonum conuertantur.

3. Concl. *Tertia Concluſio. Ex dictis B. Auguſtini quatuor charitatis gradus eliciuntur; eſt enim charitas incipiens, proficiens, perfecta, & perfectiſſima. Perfecta charitas, inquit D. Auguſt.* D. Aug. *tract. 5. ſuper Epiſto. Cano. D. Ioan. hæc eſt, vt quis paratus ſit pro fratribus etiam mori; ſed nunquid mox vt naſcitur, iam prorſus perfecta eſt? imò vt perficiatur naſcitur, & cum fuerit nata nutritur, cum fuerit nutrita roboratur; cum fuerit roborata perficitur, & cum ad perfectionem venerit dicit, Cupio diſſolui, & eſſe cū Chriſto. Hic apertè progreſſus, & perfectio charitatis inſinuatur, quam perfectionem etiam veritas commendat dicens, Maiorem hac dilectione nemo habet, vt animam ſuā ponat quis, &c. Quod vtique dictum eſt de opere dilectionis; quia maior dilectionis effectus non eſt, quam ponere animam pro alijs; Neq. nos moneat, quod ait pro amicis; nā qui ponit animam pro amicis, ponit & pro inimicis, ad hoc vt ipſi fiāt amici, & hæc de tota hac diſtinct. ſatis dicta ſint. Circa quam Doct. mouet vnicam quæſtionem. Vnde quia Scotus de ordine diligibilium ex charitate ſicco pertranſit pede, nos poſt explicationem quæſt. Doctor aliquas difficultates examinabimus.*

QVAESTIO VNICA.

Vtrum quilibet teneatur maximè diligere ſe poſt Deum.

Arist. HÆc quæſtio præſupponit ordinē diligendorum ex charitate, ordo autem ſicut dicit Philoſ. quinto Math. tt. 6. includit prius, & poſterius; Prius autem, & poſterius dicitur, ſecundū relationē ad aliquod principium; vnde oportet vt vbi eſt aliquod principiū, ibi ſit etiam aliquis ordo; dictum eſt autem ſupra quod dilectio charitatis tendit in Deū, in ſe & propter ſe, & in proximum, propter Deum, atque adeo oportet, vt in his, quæ ex charitate diliguntur, attēdatur aliquis ordo ſecundum relationem ad primum principium huius dilectionis, quod eſt Deus.

Vnde obſeruandū eſt primo, quod charitatis ordo non dicit ordinem temporis, ſed perfectionis, & illa perfectio attenditur vno modo quo ad charitatis affectū, alio modo, quo ad charitatis effectum, id eſt, ad actum imperatum, quo effectus alicui amato impenditur; & illa ſe non neceſſario conſequūtur, quia poteſt aliquis actu multum intenſo alicui impendere modicum bonum, qualia ſunt bona corporis, & fortunæ, quæ minima ſunt ſecundum B. Auguſt. & poteſt quis affectu remiſſo alicui velle impendi maxima bona, ſcilicet gratiam, & gloriam. Ordo charitatis qd dicat.

Secundo obſeruādum eſt, quod aliter aſſignatur ordo diligibilium à D. Aug. & aliter à Diuo Ambroſio: Nam D. Aug. D. Aug. ponit quatuor eſſe ex charitate diligenda; vnum quod eſt ſupra nos, ſcilicet Deus. Alterum quod nos ſumus. Tertium quod iuxta nos eſt, ſcilicet proximus. Quartum, quod infra nos eſt, ſcilicet corpus.

D. Amb. D. autem Ambroſius ponit ordinem diligendorum iſto modo. Primo Deus diligendus eſt, ſecundo nosmetipſi; Tertio parentes, quarto domeſtici, quinto extranei, ſed extranei ſi ſunt meliores, quam domeſtici, & ratio diuerſitatis eſt, quia ordo à B. Auguſt. aſſignatus reſpicit ipſam charitatem ſecundum ſe, quæ vel reſpicit bonū dilectum, vel ipſum diligentem: ſi primo modo cum dilectio ſit appetitus boni, in ipſo appetitu, vel conſiderari poteſt ipſum bonum deſideratum, vel qui deſiderat, vel cui deſideratur; bonum deſideratum eſt ſummum bonum, ille qui deſiderat eſt habēs charitatem, cui autem deſideratur poteſt eſſe in quadruplici differentia. Nam aut optat ſummū bonū ipſi Deo, aut ſibi ipſi, aut ſibi adhærenti, aut ſibi ſubiecto ideo quatuor ſunt ex charitate diligenda, quia numerus diligendorū non accipitur ex parte optantis, vel ex parte boni optati, cum ſit vnum, ſed ex parte eius, cui optatur,

quod

quod cum ſit in quadruplici differentia, quattuor ſunt diligendorum membra. Si conſideretur ſecundo modo, ſcilicet ex comparatione ad diligentem, diligens aut habet reſpectum ad ſe, aut ad id quod eſt ſupra ſe, aut ad id quod eſt iuxta ſe, aut ad id quod eſt infra ſe, & ſecũdũ hoc quatuor dumtaxat ex charitate diligenda ſunt.

Ordo autem D. Ambroſij reſpicit ipſam charitatem prout eſt in natura, quam dirigit, & hæc non tantùm attenditur penes differentiam boni, ſed etiam penes rationem proprij, & alieni, propinqui, etiam remoti; atque ita ordo multiplicatur in ſex differentias. Nam charitas aut reſpicit bonum ſimpliciter, quod eſt ſummum bonum, & ſic eſt primus gradus: aut reſpicit bonum proprium, & ſic ſumus nos: aut reſpicit bonum alienum, & ſic quadruplex eſt gradus, ſecundum quod quadruplex eſt differentia modi coniungendi; aut enim eſt coniunctio in naturæ conformitate, & ſic eſt vltimus gradus, qui attenditur in dilectione inimicorum; aut in naturæ conformitate & conuerſationis familiaritate, & ſic eſt penultimus modus, qui attenditur in dilectione domeſticorum, aut in his, & propter hæc in ſanguinis propinquitate, & hoc poteſt eſſe dupliciter, aut in aſcendendo, et ſic eſt filij ad patrem; aut in deſcendendo, & ſic eſt patris ad filium, & penes hæc accipiuntur duo gradus intermedij, atque adeo ſex membra D. Ambroſij reducuntur ad quatuor illa. D. Auguſtin. Nam D. Ambroſ. diſtinguit vnum membrum. D. Auguſt. ſ. dilectionem eius quod iuxta nos eſt, nimirum proximi, vt patuit.

Ordo charitatis in quinque attẽditur.

Tertiò obſeruandum eſt, quod ordo charitatis in quinque debet attendi; in numeroſitate diligibilis, in amore conuenientis, in prioritate temporis, in feruore cordis vel mentis, & in relatione finis. Quoad primum quatuor ſunt ex charitate diligenda, quæ enumerauimus ex D. Auguſt. & ratio ordinis eſt, quia charitas fundatur ſuper communicatione beatitudinis, ad beatitudinem autem conſequendam eſt quadruplex auxilium ordinatum, vt puta beatitudinem cauſans, participans, aſſocians, redundans; Beatitudinem cauſans eſt Deus, & ideo primo diligendus; beatitudinem participans eſt homo vel angelus, & ideo poſt Deum nos ipſos, & angelos, ex charitate debemus diligere; In beatitudine nos aſſocians eſt proximus, qui in participatione beatitudinis eſt nobis conſociatus, atque adeo tertio loco proximum ex charitate diligere debemus; quartum auxilium eſt beatitudinem redundans, & ita eſt corpus noſtrum ad quod beatitudo per redundantiam deriuatur, & ideo quartò & vltimo loco corpus noſtrum debemus diligere.

Secundò ordo charitatis eſt attendendus in amore conuenientis, videlicet in quantitate bonitatis, ita vt diligatur, quod diligendum, & non diligatur, quod non eſt diligendum, & magis, vel minus diligatur, quod eſt magis, vel minus diligendum.

Tertiò attendendus eſt ordo charitatis in prioritate temporis, & ita amor Dei prior eſt amore proximi, quare primo ponuntur mandata pertinentia ad amorem Dei, & poſtea mandata quæ pertinent ad amorem proximi; non quod vna dilectio, ſcilicet Dei, tempore dilectionem proximi ſemper præcedat, nam certum eſt, quod aliquando prius diligitur proximus, quam Deus; ſed quod quantum eſt ex ſe nata eſt præcedere dilectio Dei proximi dilectionem.

Quartò attenditur ordo charitatis in feruore cordis, vt magis, id eſt, maiori affectu diligatur, quod eſt magis diligendum.

Quintò attendi debet ordo charitatis in relatione finis, vt ſcilicet Deus diligatur propter ſe tanquam vltimus finis, & creatura propter Deum tanquam propter vltimum finem. & hunc charitatis ordinem ſeruans eſt beatus, vt dicit D. Auguſtin. libro Confeſſ. Beatus qui amat te, & amicum in te, & inimicum propter te.

D. Aug.

Deus ergo præ omnibus affectiue, & effectiue eſt diligendus, in quo eſt ratio bonitatis pleniſſime, vt ſcribit Gab. hac diſtinct. Poſt Deum autem omnia æque diligenda ſunt ex charitate quo ad obiectum principale:

Gabriel.

Nam & nobis, & proximis, & amicis, & inimicis volendum eſt, vt beatiſice poſſideant Deum; optanda eſt quoque omnibus gratia, & gloria, vt vult B Auguſt. Cæterum quo ad obiecta ſecundaria, & quo ad particularia bona poſſum plus, vel minus velle vni, quam alteri. Item quis plus ſe ipſum diligere debet, charitate affectiua, & effectiua quam quæcunque alia, & ſecundum ordinem gratuitæ dilectionis parentes ſunt preponendi filijs quantum ad amorem affectiuum & effectiuum. Inſuper dilectione gratuita magis diligendi ſunt extranei boni, quam mali propinqui, ſecus tamen dilectione naturali. ſed de his plenius infra erit ſermo.

D. Aug.

Quartò obſer. eſt, quod cum diligere nos vel proximũ ſit aut nobis, aut proximis bonum velle, dupliciter poteſt quæri, vtrum quis teneatur ſe magis diligere, quam proximum. Vno modo ſecundum bona, quæ nec ſibi, nec proximo velle teneatur, nec abſolutè nec in caſu. Altero modo ſecundum bona, quæ & ſibi, & proximo velle alioqui teneatur. & rurſus vtroque modo poteſt id quæri, vel ſecundum bona eiuſdem ordinis, vt ſunt bona ſpiritualia inter ſe comparata, & etiam temporalia bona inter ſe, vel ſecundum bona diuerſi ordinis, vt ſunt bona ſpiritualia comparata cum temporalibus, & è contrario.

Poſtremo obſer. eſt, proximum poſſe eſſe aut æqualem puta ſi ſit perſona priuata, aut inæqualem, vt puta ſi ſit perſona publica, vel priuata quidem, ſed tamen vt magnum emolumentum adferat Reipublicæ. Et de his omnibus eſt hic breuiter diſputandum per ſequentes artic.

Art. 1. Vtrum ſecundum bona, quæ quis ſibi & proximo tenetur ex charitate velle, magis debeat quiſque ſe ipſum diligere, quam quemuis proximum etiam ſe ſuperiorem, ac proinde quam totam communitatem.

Art. 2. Vtrum ſecundum bona, quæ non tenetur quis aut ſibi aut proximo velle, teneatur ex ordine charitatis diligere magis ſe ipſum, quam proximum, aut proximum quam ſe ipſum.

Art. 3. Vtrum teneatur quis exponere vitam corporalem pro ſalute animæ, & conuerſione proximi.

Art. 4. Vtrum teneamur diligere magis noſtra temporalia bona, quam bona temporalia proximi; ita vt ſit peccatum pro conſeruatione bonorum proximi amittere noſtra bona, & ſimiliter amittere vitam pro tuẽda vita proximi.

Art. 5. Vtrum teneatur quis magis diligere vnum proximum, quam alium.

ARTICVLVS I.

Vtrum ſecundum bona, quæ quis ſibi & proximo tenetur ex charitate velle, magis debeat quiſque ſe ipſum diligere, quam quemuis proximum, etiam ſe ſuperiorem, ac proinde quam totam communitatem.

PRo explicatione huius difficultatis obſer. eſt ex Sco. in hac quæſt. quod charitas non tantùm eſt principium tendendi in Deum actu recto, ſed eſt etiam principium eliciendi actum reflexum, reſpectu actus recti, quo quis immediate in Deum tendit. i. charitas non tantùm inclinat ad dilectionem Dei in ſe, & propter ſe; ſed etiam inclinat ad omnem actum reflexum, quo quis vult non tantùm ſe diligere Deum, ſed etiam, quo vult alios Deum diligere, ita vt ille actus reflexus nedum reflectatur ſuper dilectionem Dei præſentem, & in exiſtentem actu, ſed etiam reflectatur ſuper dilectionem futurã; exemplum primi. Si Petrus actu diligit Deum; ſi diligo Petrum actu diligere Deum, tunc mea dilectio reflectitur ſuper dilectionem præſentem, & Petro actu inexiſtentem; at ſi Petrus actu non diligeret Deum, adhuc poſſem ſuper illum reflectere dilectionem meam, vt ſi dicerem, Volo Petrum diligere Deum pro die Dominico, tunc eiuſmodi dilectio reflecteretur ſuper

Digitized by Google

dilectionem futuram, & in hoc actus voluntatis ſpecialiter differret ab actu reflexo intellectus, vt diximus ſupra.

Cõcluſio. Hoc præmiſſo ponitur hæc concluſio. Habens charitatem tenetur magis ſe diligere poſt Deum, quam proximum. id eſt, habens charitatem tenetur ſe magis diligere, hoc eſt, maiori affectu tenetur deſiderare ſibi beatitudinem, gratiam, vel charitatem, quam cuicunque alteri creaturæ. Probatur. quando charitas inclinat ad plures actus eliciendos eiuſdem rationis, magis inclinat ad actum dilectionis immediatè eliciendum, à ſuppoſito habente illam charitatem, quam ad actum eliciendum à ſuppoſito charitatem illam non habente, ſed ex dictis in diſtinct. 28. de potentia Dei ordinata quilibet tenetur vti charitate, eo modo, quo inclinat, cum ergo maximè inclinet ad dilectionem Dei in ſe, & propter ſe; ideo habens charitatem maximè tenetur elicere actum dilectionis Dei in ſe, & propter ſe, ad quam charitas maximè inclinat; & quia ipſa charitas inclinat etiam ad dilectionem proximi, quilibet habens charitatem tenetur poſt Deum proximum diligere modo præexpoſito, vel ſaltem tenetur non odiſſe ſibi dilectionem Dei; at cum charitas magis inclinet, ad dilectionem ſui quam alterius, hoc eſt vt habens charitatem magis diligat ſe, quam alterum, ſequitur quod habens charitatem magis tenetur ſe diligere, quam proximum, id eſt, magis tenetur ſe velle diligere Deum propter ſe, quam velle proximum diligere Deum, & hoc eſt quod vult dicere Scotus quando dicit, charitas ex hoc, quod eſt principium tendendi in Deum actu directo, hoc eſt, vt eſt principium diligendi Deum in ſe, & propter ſe, eſt etiam principium reflectendi ſuper illos, id eſt, ſuper proximos, quos diligendo tenditur in Deum, & in hoc ſcilicet quod charitas inclinat ad volendum proximum diligere Deum, eſt principium volendi cuilibet potenti diligere Deum, quod diligat ipſum. Inter omnes autem actus eiuſdem rationis tendentes in Deum, charitas eſt principium immediate reflectendi, ſuper actum quem elicit habens charitatem quo tendit, & diligit, adeo vt charitas ne dum ſit principium actus recti, quo diligo Deum immediatè in ſe, & propter ſe; ſed etiam ſit principium actus reflexi, quo volo me diligere Deum. Igitur poſt Deum immediatiſſime, vult quis ex charitate ſe diligere illud, quo tendit in Deum, id eſt, ſe diligere Deum, & hoc volendo ſcilicet ſe diligere Deum, diligit ſe; quia diligit ſibi bonum iuſtitiæ, ſcilicet dilectionem Dei; igitur immediate poſt Deum tenetur ſe ex charitate diligere.

Et ſi quæras an diligens Deum teneatur elicere actum poſitiuum reflexum reſpectu ſui, aut reſpectu proximi, adeo vt habens charitatem & dilectionem Dei, teneatur velle actualiter illam dilectionem, & velle ſe diligere Deum; & actualiter velle proximum diligere Deum. Dico quod quamuis charitas inclinet ad huiuſmodi actum reflexum, tamen non apparet præceptum, vt quis teneatur elicere actum reflexum ſiue reſpectu ſui, ſiue reſpectu alterius, ſed bene ex præcepto diuino, quilibet tenetur non elicere actum oppoſitum actui illi reflexo, puta dilectioni proximi; nam iſti actus velle me diligere Deum, & nolle me diligere Deum opponuntur contrarie; atque ita ex charitate diligens Deum, tenetur non elicere actum nolitionis ſiue odij reſpectu ſui, vel proximi. ſed hæc magis patebunt infra d. 30.

Et confirmatur ratio, & hac confirmatione, quæ eſt ad principale probat Doct. quod habens charitatem tenétur ſe magis diligere, quam proximum; quia ratio maioris dilectionis eſt ratio bonitatis, & vnitatis, quæ ſunt rationes diligibilis poſt Deum, qui eſt bonum infinitum, in quo eſt perfectiſſima ratio bonitatis; occurrit in ſe ipſo alia ratio maxima, id eſt, in habente charitatem occurrit alia ratio maxima, nempe vnitatis ratio, quæ eſt perfectiſſima identitas, igitur quilibet inclinatur naturaliter ad dilectionem ſui poſt bonum infinitum, inclinatio autem naturalis eſt recta.

Vult dicere Doct. quod bonitas obiecti, & vnitas perſonæ diligentis ſunt rationes, quare idem obiectum ſit magis diligibile; & quia perſona habens charitatem, eſt magis ſibi idem, quam cuicumque alteri; ideo ſecundum rectam rationem magis tenetur ſe diligere, & velle ſibi bonum, maximè bonum iuſtitiæ; quale eſt dilectio Dei; quam teneatur illud velle alteri; nam ad hoc eſt inclinatio naturalis; quilibet enim naturaliter plus diligit ſe, & appetit ſibi bonum, quam alteri; quia inclinatio naturalis ſemper eſt recta, id eſt, nullam de ſe includit irrectitudinem; & licet interdum nos recte velimus, contra naturalem inclinationem, ſicut quis recte vult mortem, quæ tamen eſt contra naturalem inclinationem, hoc non eſt quia naturalis inclinatio non ſit recta; ſed quia Deus obligat nos interdum agere contra naturalem inclinationem, ad maius noſtrum meritum, quia omnis naturalis inclinatio ſubeſt regulæ diuinæ.

Circa hanc litteram Doct. ſunt tres difficultates, prima difficultas eſt, quia dicit quod charitas eſt principium tendendi in Deum actu recto, atque etiam eſt principium reflectendi ſuper actum rectum, hoc videtur falſum, quia actus rectus & reflexus diſtinguuntur ſpecie, cum actus rectus, vt docet ipſe in prima diſtinctio. 7. quæſt. vnica & diſtinctio. 29. quæſt. prima; ſit perfectior actu reflexo, ſed vniuerſaliter actuum ſpecie diſtinctorum ſunt habitus ſpecie diſtincti. ergo non videtur, quod idem habitus charitatis inclinet in actum rectum, & reflexum.

Secunda difficultas eſt, quia dicit, quod quis magis tenetur diligere ſe, quam proximum; Nam ſi hoc eſt verum, videtur ſequi, quod ſi affectu æque intenſo diligerem me ipſum, & proximum, quod ego peccarem.

Tertia difficultas eſt, quia dicit, quod diligere me ex charitate, nihil eſt aliud, quam velle me diligere Deum ſuper omnia: Inſuper dixit, quod charitas habet Deum vltimate pro obiecto; ergo antequam me diligam ex charitate oportet me diligere Deum, igitur nunquam diligo me ex charitate, niſi diligam Deum ex charitate: hęc conſequentia patet, tunc vltra illa dilectio, qua ego diligo me eſt actus reflexus, ergo eſt cauſa particulis, qua diligo Deum; patet, quia omnis actus, quo imperatur aliqua operatio eſt cauſa illius, atque ita erit circulatio in cauſis in eodem genere cauſæ.

Ad primam difficultatem dico, quod concludit de habitibus acquiſitis, de quibus vniuerſaliter verum eſt, quod habitus diuerſorum actuum ſpecie diſtinctorum, etiam ſpecie diſtinguuntur; Cæterum habitus infuſus, velut eſt charitas, poteſt eſſe vnus & idem diuerſorum actuum; quia vt dictum eſt, vnus eſt habitus infuſus charitatis reſpectu omnium recte diligibiliũ; ſiue actus diligendi ſe & proximum ſit actus reflexus, ſiue rectus. poſſum enim meritorie diligere proximum volendo ei remiſſionem peccatorum, volendo ei gratiam, & cætera dona gratuita; imo & bona temporalia, vt diuitias, ſanitatem, & vitam, ordinando in finem vltimum actu recto, & ad talem dilectionem inclinat habitus charitatis infuſus, mediate, vel immediate.

Ad ſecundam dico, quod ego teneor maiori obligatione ad diligendum me, quam proximum; ita vt omittendo diligere me plus peccem, quam omittendo diligere proximum, ſed non eſt neceſſe quod maiori affectu gradualiter diligam me, quam proximum. & ita debet intelligi dictum Doctoris.

Ad tertiam dico, quod non poſſum me diligere propter Deum ex charitate, quin diligam Deum; & cum infertur, ergo dilectio Dei eſt cauſa dilectionis mei; concedo, & cum iterum deducitur, ergo oportet; quod dilectio Dei ſit etiam cauſa illius actus reflexi, iterum concedo; & cum tandem concluditur, quod illa dilectio. ſ. qua ego diligo me, eſt cauſa actus reflexi; nego, & ad probationem dico, quod illa propoſitio, omnis actus quo imperatur &c. vera eſt, ſi ille actus ſit prior, ſed vbi

illę

Google

ille actus eſt poſterior nimirum vbi eſt quædam complacentia non oportet.

Ariſt. Sed contra concluſionem principalem arguitur, authoritate Philoſ. 9. Ethic. capit. 9. Vbi vituperatur amator ſui. Eſt inquit quæſtio, vtrum quis ſe ipſum debeat amare, maximè ante alium quendam, & ibi increpat qui ſe ipſos maximè amant, & ſui amatorem turpem appellat, & ſubdit, videturque improbus ſui cauſa facere omnia.

D. Greg. Secundò arguitur authoritate Diui Gregorij hom. 10. ſuper illud Lucæ 10. Miſſit illos binos. Nemo inquit ad ſe ipſum propriè charitatem habere dicitur, ſed dilectio in alterum tendit vt charitas dici poſſit, ergo non poteſt aliquis ſe ipſum ex charitate diligere.

Ad primum reſpondet Doct. quod Philoſ. ibidem ſe ipſum exponit, quomodo vituperabile eſt, eſſe immoderatum amatorem ſui, non autem moderatum; adeo vt loquatur ibi Philoſ. de immoderato amore, quo quis immoderate, & inordinate diligit ſe ipſum, & talis amor eſt vituperabilis, quo amore Lucifer ſe immoderate dilexit; de hoc amore immoderato legatur Doct. in ſecunda diſtinctione ſexta, quæſtione ſecunda.

Ad ſecundum dicit Scotus, quod illa dictio in alterum non debet intelligi præciſè pro proximo, ſed pro bono infinito ad quod tendit dilectio, atque ita omnis diligens ſe ex charitate, diligit ſe in ordine ad bonum infinitum, quia diligit in ſe actum illum, vel habitum, quo tendit in illum bonum, & in hac dilectione tendit in alterum; quia in Deum tanquam in principale obiectum actus, & tamen ad ſe habet charitatem ſiue actum dilectionis, licet non vt obiectum finale, id eſt, ſimpliciter primum, ſed vt obiectum proximum non ibi ſiſtendo, vt dictum eſt ſupra, ſed vt ordinatum ad vltimum obiectum, quod eſt ab eo diſtinctum.

Diuus ergo Gregorius intelligit, quod charitas non eſt ad ſe ipſum, ſi diligens ponat ſe primarium obiectum & principale; tamen negare non vult, quin ſit ad ſe ipſum tanquam ad obiectum cui, & minus principale, & mediatum. Eſto enim quod me diligam ex charitate; charitas tamen ſemper eſt ad alterum, quia ſicut dictum eſt, charitas tendit ſemper in Deum principaliter, atque adeo eſt ad alterum tanquam ad obiectum commune participabile à quocumque potente illum diligere.

Poſſet etiam dici quod ſolutio huius argumenti ſtat in quid nominis charitatis; Nam charitas ſumitur interdum valde preſſe, pro habitu quo diligimus alterum in beatitudine nobiſcum communicatiuum, & in hac ſignificatione loquitur Diuus Gregorius; alio modo ſumitur ſuſe pro habitu, quo diligimus aliquod beatificabile, ſiue ſit à nobis diſtinctum, ſiue non

Primum Coroll. Ex doctrina huius articuli ſequuntur aliqua Corollaria. Primum Corollarium eſt, quod nemini licet diligere magis vllum proximum, aut totam communitatem, quam ſe ipſum ſecundum bonum illud ſpirituale, quod conſiſtit in incolumitate, ſeu immunitate quadam à peccato. id eſt, nemini licet vnquam vllum peccatum committere propter ſalutem alterius, aut etiam communitatis, quantumuis in aliquo caſu videretur ad alienam ſalutem peccatum aliquod proprium poſſe conducere. Probatur ex Diuo Auguſtino in Pſal. 5. vbi probat non eſſe vnquam licitum propter alienam ſalutem, aut vllum alium finem dicere mendacium quantumuis leue, tam etſi licet interdum occultare veritatem, quod aliud eſt vt ibidem D. Auguſt. rectè docet. (D. Aug.)

Probatur ſecundò, quia implicat contradictionem, quod liceat vnquam ex charitate committere vllum peccatum; nam quod licet non eſt peccatum, & quod eſt peccatum non licet. Et confirmatur ex illo teſtimonio Chriſti Domini Matth. 18. Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? patitur autem quis iſtud detrimentum, maxime quidem per peccatum mortale, & deinde etiam per peccatum veniale, quod ex natura ſua diſponit ad mortale, & vere quoque offendit ſuo modo Deum, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 43. art. 7. ad 5. D. Thom.

Secũdum Coroll. Secundum Corollarium eſt. Nemini eſt licitum velle carere gratia ipſa vel charitate, vel in perpetuum, vel ad tempus; etiamſi abſque peccato fieri poſſet, & in aliquo caſu videretur conducibile ad ſalutem alterius, aut etiam totius communitatis, quicquid in contrarium dicat Capreolus in 3. diſtinct. 27. quæſt. vnica, artic. 3. ad argumenta Durandi, vbi putat aliquem poſſe licitè id velle. (Capreolus)

Probatur primo ex illo teſtimonio Chriſti Matth. 18. Quid prodeſt homini &c. vbi Chriſtus apertè videtur indicare eſſe peruerſum anteponere ſaluti propriæ, hoc eſt, gratiæ & charitati ſalutem etiam totius mundi, quam quis alijs compararet, aut lucraretur.

Secundò quia hoc eſſet contra inclinationem charitatis, ſiquidem tenderet quis per eiuſmodi voluntatem in deſtructionem ipſiuſmet charitatis & gratiæ.

Tertium Corol. Tertium Corollarium. Nemini licet propter ſalutem proximi, aut totius communitatis, velle carere beatitudine in perpetuum etiam abſque peccato, & in caſu, quo id videretur ad alienam ſalutem poſſe conducere, licet oppoſitum ſentiat Capreolus vbi ſupra. Probatur iiſdem rationibus, quibus probatum eſt ſecundum Corollarium. Nam dubium non eſt, quin carere beatitudine in perpetuum, ſit maximum quoddam detrimentum ſpirituale, imo veriſſimum detrimentum ſalutis, cuius iacturam non licet facere pro ſalute etiam totius mundi, vt patet ex illa ſententia Chriſti. Item repugnaret hoc inclinationi charitatis, quæ tanquam fundamentum ſui præſupponit in animo hominis rectã habitudinem, & ordinem erga beatitudinem, tanquam erga finem vltimum, quem poſſet aliquis aſſequi, & ad quem teneatur etiam contendere; ſi quidem beatitudo ipſa eſt finis omnium aliorum præceptorum & actionum bonarum.

Neque obſtat primo illud Exodi 32. Aut dimitte populo tuo noxam hanc, aut dele me de libro vitæ; Vbi videtur Moſes optaſſe carentiam beatitudinis in perpetuum pro ſalute aliorum.

Reſpondeo cum D. Auguſt. quæſt. 147. ſuper Exodũ, Moſem per exaggerationem ita fuiſſe locutum ex certa fiducia, quam habebat forte, vt ad eius interceſſionem remitteret Deus illud peccatum populo; itaque non id dixit quaſi vere optauerit propter eum finem deleri de libro vitæ, ſed vt eo dicendi modo ſignificaret quantopere cuperet veniam impetrare illi populo, quantumque confideret ſe impetraturum. (D. Aug.)

Secundò dico, quod Moſes non precabatur Deum deletionem ſui à libro prædeſtinationis; rectè enim ſciebat petitionem fore temerariam; quia nullus ex illo libro delendus eſt ſi ſemel ibi ſcriptus ſit. Sed ſermo erat illi de libro vitæ temporalis, vt Pſal. 68. dicitur deleantur de libro viuentium, id eſt, pereant & non gaudeant corporali vita; ita deſiderabat Moſes obtinere relaxationem facinoris populi ſui, quod magis volebat mori, quam viuens videre populum ſupplicio affici.

Nec obſtat ſecundò illud Michææ. 2. Vtinam non eſſem vir habens ſpiritum, & mendacium potius loquerer. Reſpondeo ſimiliter Prophetam locutum fuiſſe per exaggerationem, non tam intuendo in mendacium, & in carentiam ſpiritus, quam in id, quod fuiſſet cum tali mendacio coniunctum; vt ſcilicet non euenirent illa mala, quæ prædicabat. Ita vt non optet Propheta mentiri, id eſt, conſulto fallere auditores, quod ſemper malum eſt, ſed vulgi more mendacium vocat quicquid aliter euenit, quam prædictum eſt, etiamſi non ſit dictum animo fallendi, quomodo nos cum tamẽ ita fore putemus, vt diuinamus, ſolemus dicere, vtinam ego mentiar, quia nollemus id euenire, quod euenturum putamus.

Nec denique tertiò obſtat illud Apoſt. Roman. 9. Optabam anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis &c. Nam vt rectè notat D. Chryſoſt. in illum locum minime optabat Apoſtolus ab ipſo Chriſto ſeparari, ſed à cõmercio, & conuerſatione cum ipſius membris. i. Eccleſia, ſi id fuiſſet (D. Chryſo.)

vtile ad ſalutem fratrum. Anathema enim dicebantur, qui erant alijs abominationi, & vt tales à reliquo cætu ſeparabantur, vt ibi notat Diuus Chryſoſtomus.

Secundò dico quod Paulus non optabat carere amore Chriſti propter amorem Iudęorum, ſed optabat mortem corporalem propter ſalutem ſpiritualem Iudęorum, vt Paſtor optat mori pro grege ſuo. Nam & anathema dicebantur olim, qui ſe morti deuouerant pro ſalute Reipub. vel alia de cauſa, atque ita anathema eſſe à Chriſto; idem eſt quod ſeparari per mortem ab Eccleſia poſt Chriſtum, id eſt, exemplo Chriſti pro ſalute fratrum mori ſi id eſſet neceſſarium; Neque eſt abſurdum illud quod ait à Chriſto, ſic interpretari. id eſt, poſt Chriſtum, eo. ſ. modo quo ſolemus dicere, à meridie cōtigiſſe, quod poſt meridiem contigit. neque extorta eſt expoſitio, ſi ſumatur Chriſtus pro Eccleſia Chriſti. Nam Chriſtus interdum accipitur pro Eccleſia, quę eſt corpus eius myſticum, iuxta illud Actorum 10 Saule Saule quid me per-
D. Hiero. ſequeris, & hæc ſecunda reſponſio elicitur ex D. Hieron. in epiſt. ad Algaſiam. q. 9.

Caietan. Poteſt tertiò reſponderi cum Caietan. in Comment. epiſt. ad Roman. c. 9. quod Apoſt. non dixit opto, ſed optabam. i. non opto modo habens ſancta deſideria, ſed optabam, ſeu optaui olim dum eſſem in ſtatu Iudaiſmi anathema eſſe à Chriſto, id eſt, ſeparatum eſſe a Chriſto, quibus verbis aperit zelum ſuum quem habuerat in Iudaiſmo contra Chriſtum fuiſſe propter Iudæos, ne ſcilicet Iudæi à ſtatu Iudaiſmi, tanquam ſeducti tranſirent ad ſtatum Chriſtianum; Nam vult eo loci D. Paulus reddere rationem magnæ in ſe triſtitiæ; dicitque cauſam tantæ triſtitiæ eſſe illam, quæ olim fuit ſibi vna cum dilectis; nimirum quod Iudæi eligant anathema eſſe a Chriſto, hocque modeſtè inſinuans, inquit, quod ipſemet etiam elegit olim anathema eſſe à Chriſto; vt ex ipſius crimine, intelligerent Iudæi in Iudaiſmo perſeuerantes ſe grauiter peccare. quam expoſitionem accepit Caiet. ex Primaſio
Primaſ. Vticenſe Epiſcopo in eadem epiſt.

ARTICVLVS II.

Verum ſecundum bona, quæ non tenetur quis aut ſibi, aut proximo velle, teneatur ex ordine charitatis diligere magis ſe ipſum, quam proximum, aut proximum quam ſe ipſum.

PRo ſolutione obſeruan. eſt duplicem eſſe regulam ad quam aſpicere tenemur ad bene iudicandum de ordine diligendorum. prima regula eſt bonitas, charitas enim fundatur in communicatione bonitatis, quæ eſt beatitudo æterna, & media, quæ ad ipſam ducūt, atque ita ſecundum gradus huiuſmodi bonitatis, qui magis, vel minus eos participant magis, vel minus ſunt diligibiles. Secunda regula eſt vnitas, & ſic ea, quæ ſunt magis vnita diligenti ſunt magis diligibilia. prima regula ſumitur ex parte obiecti, & ſecunda ex parte ſubiecti, & in illo, in quo hæc duplex regula inuenitur, debet etiam inueniri maior dilectio circa eum, vbi autem altera ex iſtis regulis inuenitur, dicitur eſſe ille talis diligendus propter illam rationem, & ille in quo magis, aut minus inuenitur aliqua ex prædictis regulis, magis aut minus erit ex charitate diligendus.

Hoc ſuppoſito ſit hæc concluſio. Nemo tenetur ex or-
Concluſ. dine charitatis diligere magis ſe ipſum, quam proximū, aut proximum quam ſe ipſum, ſecundum bona, quæ non tenetur quis aut ſibi, aut proximo velle, qualiacūque ſint eiuſmodi bona, ſcilicet vel eiuſdem, vel diuerſi ordinis. Probatur primo quia præceptum de ordine charitatis ſupponit tanquam prius præceptum abſolutum de ipſa dilectione charitatis; Si enim quis non tenetur ex charitate abſolutè, velle hoc bonum ſibi, aut alteri (puta dignitatem aliquam temporalem, aut etiam perfectionem ſpiritualem aliquam, quæ non ſit neceſſaria ex pręcepto, ſed vtilis tantùm ex conſilio) certè non tenebitur eo modo ſe magis diligere, aut alium magis quam ſe diligere.

Secundò, quoniam ſecundum ea bona licitum eſt mihi nec me, nec alterum diligere, ergo etiam erit licitum diligere tantùmmodo alterum, & non me, aut me tantùmmodo, & non alterum diligere, idque eſt magis diligere vel me, vel alterum. Et ſi dicas quod charitas naturaliter inclinat, vt quis ſecundum ea bona, quæ non ſunt debita magis ſe ipſum diligat, quam alterum. Dico, quod etſi id magis congruat cum inclinatione charitatis; tamen non ita, vt ſit neceſſarium ex præcepto charitatis, quemadmodum etiam abſolutè diligere ſe, vel alterum ſecundum ea bona, licet ſit magis inclinationi charitatis conſentaneum, quam abſolutè non diligere ſe ipſum, vel proximum ſecundum ea bona; tamen non eſt hoc ex præcepto charitatis neceſſarium. ſiquidem licitè poſſum, nec me, nec proximum ſecundum ea bona diligere.

Ex hoc ſequitur primo, quod etſi homo nunquam teneatur pati detrimentum in augumento charitatis etiam propter bonum commune totius mundi vt diximus in ſuperiori artic. fieri tamen poteſt, quod teneatur homo relinquere aliquam occupationem, vel ſtatum, in quo ex natura ſtatus eſt maior commoditas ad profectum charitatis, quia videlicet, huic homini non expedit hic, & nunc ob aliquam circumſtantiam, verbi gratia, ſi habet parentes pauperes, quos poteſt in ſæculo ſuſtentare, tunc tenetur pati detrimentum eius, quod alias eſſet ſibi melius; ſed hoc non eſt pati detrimentum per ſe in charitate, quia charitas hoc pro tunc poſtulat, ſed patitur detrimentum circa ſtatum religionis aſſumendum, propter præſentem charitatis neceſſitatem. Parentibus namque in magna neceſſitate exiſtentibus tenetur quis ſubuenire, atque adeo tenetur in ſęculo manere, & tale detrimētum ſpirituale pati.

Vnde ſequitur ſecundo, minimè facere contra ordinem charitatis ex præcepto charitatis neceſſarium eos, qui propter vtilitatem aliquam vel temporalem, vel ſpiritualem proximorum, vltro ſuſcipiunt aliquod detrimentum ſpirituale proprium, negligendo perfectionem aliquam ſpiritualem ad quam abſolutè non teneantur ex præcepto, vt ſeruire infirmis, & exercere opera miſericordiæ, vacare orationi &c. & interdum tenetur tale detrimentum pro proximo ſuſtinere, præſertim ſi eſt Pręlatus ad exemplum Chriſti, qui relicta oratione prædicabat, & relicta prædicatione ſanabat infirmos, Paulus etiam dicebat. Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto, multo magis permanere in carne propter vos. & Pater noſter Sanctus Franciſcus non ſibi ſoli viuebat, id eſt, per conſolationem, & contemplationem, ſed & alijs proficiebat per prædicationem, ſeruiendo leproſis, atque alijs infirmis. atque huc etiam pertinet illud, quod legimus dixiſſe D. Martinum inſtante iam morte. Domine ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius non recuſo laborem.

Sequitur tertiò, quod poteſt eſſe talis circumſtantia, vt in eodem prædicto caſu de ingreſſu Religionis, vel alio ſimili, non ſit præceptum manere in ſæculo, tamen ſit dubium æquale, vtrum ſit melius: & tunc tutius eſt intrare religionem, & ſuæ ſaluti conſulere; & ex altera parte contingere etiam poteſt, quod ſit melius manere in ſæculo etiamſi non ſit præceptum, verbi gratia, ſi notabiliter ſunt magna opera, quæ facit extra religionem. Verbigratia ſi ſuſtentat multos pauperes, & faciat magna opera pia, quæ per ingreſſum etiam religionis impediuntur; hic prudentia opus eſt. Nam ſi homo videt ſe verſari in periculo ſalutis ſpiritualis relinquat omnia. At ſi pauperes patiuntur detrimentum, & ipſe alias non verſatur in notabili periculo ſalutis ſpiritualis, licitum erit conſulere illis, vt maneat in ſæculo propter miſeriam inopum ſubleuandam.

Quartò ſequitur, licitum eſſe velle carere ad tempus beatitudine propter ſalutem aliorum. Nam non tenetur aliquis velle ſibi beatitudinem pro quouis tempore; & ſic poteſt licitè ſecundum eiuſmodi bonum diligere magis alterū, quod patet exemplo Apoſt. ad Phil. 1. Coarctor, inquit è duobus deſideriū habēs diſſolui & eſſe cū Chriſto

multo

Digitized by Google

multo autem magis neceſſarium manere in corpore propter vos. vbi patet Apoſtolum voluiſſe carere ad tempus ipſa etiam beatitudine animæ propter vtilitatem proximorum, cum ſcilicet minime ex charitate teneretur velle ſibi beatitudinem pro illo etiam tempore. Atque ſimiliter poſſunt ex hac doctrina varij alij caſus particulares diiudicari.

ARTICVLVS III.

Vtrum teneatur quis exponere vitam corporalem pro ſalute animæ, & conuerſione proximi.

Triplex poteſt eſſe neceſſitas ſpiritualis proximi.

PRo explicatione huius difficultatis obſer. eſt primo, Neceſſitatem ſpiritualem proximi ſicut & corporalem triplicem eſſe. prima eſt non grauis, cum. ſ. poteſt ipſe proximus ſine magna difficultate ſibi prouidere. Secunda eſt grauis cum. ſ. non poteſt ſibi prouidere ſine magna difficultate. Tertia eſt extrema cum. ſ. prouidere ſibi non poteſt ſine ſumma quadam & penè inſuperabili difficultate, ita vt moraliter loquendo cenſeri poſſit res impoſſibilis.

Secundò obſer. eſt, quoſdam eſſe, quibus non ſolum ex præcepto charitatis incumbit cura & obligatio proſpiciẽdi ſaluti proximi exiſtentis in neceſſitate ſpirituali; ſed etiam ex officio ſuo peculiari, vt Paſtores animarum. ſ. Prælatis & Parochis &c.

Tertiò obſer. eſt, cum proximus eſt in neceſſitate ſpirituali conſiderandum eſſe quoque quænam, & quanta ſit ſpes, quod ſis illi opera tua certo, & efficaciter proſpecturus.

Quando cenſetur proximus in extrema neceſſitate.

Quartò obſer. eſt non cenſeri proximum extrema neceſſitate laborare; ſi quomodocũque ad tempus ſit futurus extra gratiam, ſed ſi putetur vel certè, vel probabiliter moriturus etiam extra gratiam; atque adeo incurſurus damnationem æternam; quod duobus modis poteſt accidere, primo ſi iamiam mors corporalis immineat; Secundò ſi ob rei circunſtantias putetur ſaltem proximus longo tempore in malo ſtatu permãſurus, ac proinde etiam ex hac vita migraturus, vt quæ eſt incertiſſima. Nauarrus in Manu. c. 24. nu. 9. & 10.

1. Concl.

His obſeruatis dico primo. Magis debet vnuſquiſque proximum diligere, quam ſe ipſum in caſu neceſſitatis ſpiritualis; itaque tenetur quiſque in caſu neceſſitatis ſpiritualis proximi ponere vitam temporalem ſuam pro vita ſpirituali proximi? ita docet D. Thomas 2. 2. q. 26. artic. 5. ad 3. probatur cõcluſio ex illo 1. Ioan. 3. & nos debemus pro fratribus animas ponere nempe pro ſalute ſpirituali illorum, ſicut fecit Chriſtus cuius exemplum in hac re ibi Ioannes proponit. alludens nimirum ad expreſſum illud ipſius Chriſti præceptum. Ioan. 15. Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. Et confirmatur authoritate D. Auguſt. in lib. de mendacio c. 6. vbi ita ſcribit. Temporalem vitam ſuam pro æterna vita proximi nõ dubitabit Chriſtianus amittere, quod ibi Auguſt. confirmat ex illo Chriſti præcepto Ioan. 15.

D. Thom. *D. Aug.*

2. Concl.

Dico ſecundò, quod ſi nulla ſit probabilis ſpes fore, vt ſaluti ſpirituali proximi (in quacũque is neceſſitate exiſtat) per alienam opem efficaciter ſubueniatur, nemo tenetur cum diſcrimine propriæ corporalis vitæ illi ex charitate opem ferre; Nemo enim tenetur aliquid conari fruſtra. Imprudenter autem tunc id fieret, non ſolum ſi mors ad eum finem oppetenda eſſet, ſed etiam ſi aliquod aliud leuius detrimentum incurrendum, imo etiamſi nullum; & ratio eſt quia media debent proportionari fini; ſed vbi nulla eſt probabilis ſpes ſalutis proximi; vitæ meæ atque bonorum meorum exhibitio, non eſſet cauſa vt ipſe poſſet euadere, ergo non teneor ego tantùm perpeti damnũ, vt omnem ſubſtantiam, aut vitam meam periculo exponam.

3. Concl.

Dico tertiò. Si eſt ſpes quod aliena opera erit vtilis, & efficax proximo, & is non laborat extrema neceſſitate ſpirituali, erit quidem perfectionis cuiuſdam Chriſtianæ, ſi quis priuatus exponat vitam ſuam corporalem pro ſalute

illius; nemo tamen priuatus ad id tenebitur ex præcepto charitatis. de priori parte huius aſſertionis nulla eſt controuerſia; conſtat enim id fore laudabile, vt etiam notat D. Thomas loco ſupra citato, art. 5. quo ad poſteriorem vero partem eadem aſſertio inſinuatur à D. Thom. ibidẽ in reſponſione ad 3. & ſtatuitur à Nauar. in Manu. c. 14. num. 9. *D. Tho.* *Nauarr.*

4. Concl.

Dico quartò. Si priuatus quiſpiam abſque diſcrimine vitæ propriæ, & alio notabili detrimento ſuccurrere poſſit neceſſitati proximi ſpirituali, omnino tenetur illud ex charitate facere: Nam quiſque etiam tenetur, quando ſine incommodo ſuo poteſt ſuccurrere proximo in neceſſitate temporali: ergo multo magis in neceſſitate ſpirituali. antecedens probatur ex illo Exodi 23. Si videris bouẽ, aut aſinum proximi tui iacere ſub onere non pertrãſibis, ſed ſubleuabis cum eo, in quo præcepto videtur contineri explicatio quædam obligationis, qua ſibi ſunt homines deuincti ex fraterna charitate.

5. Concl.

Dico quintò, quod ſi proximus ſit in extrema neceſſitate ſpirituali, quilibet etiam priuatus tenetur cum diſpẽdio vitæ propriæ ſubuenire, ſi efficaciter poſſit, atq; etiam extra neceſſitatem extremam tenentur facere ij, quibus alienæ ſalutis cura ex officio incumbit; Priuatus tamen non tenetur ſolicitè inquirere de huiuſmodi neceſſitatib. ſpiritualibus proximorum, atque adeo excuſatur ſi ipſe opem non ferat, quando eſt aliquis alius, qui putetur opẽ extremæ laboranti laturus; de paſtoribus vero longe alia eſt ratio; Nam ij & tenentur ex officio ſaluti ſubditorum inuigilare, & per conſequens etiam ſollicitè inquirere de eorum neceſſitatibus ſpiritualibus, & præterea cum vitæ etiam diſpendio tenentur citra extremam neceſſitatem opem ſpiritualem ferre ſubditis. Ex quo ſequitur Paſtores animarum, non poſſe licitè fugere tempore peſtis, ſed debere eos manere apud ſuas oues, & eis Sacramenta, & alia ſubſidia ſpiritualia impendere, etiam cum diſcrimine propriæ vitæ, vt patet ex illo. Ioan. 10. Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis &c. Mercenarius autem fugit &c. Secundò ſequitur. Non poſſe illos licitè renunciare tunc temporis officio ſuo, vel in alia eiuſmodi populi calamitate; niſi fortè ſit alius idoneus, qui ad illud tunc ſuſcipiendum, & exequendum ſponte ſe offerat.

Verum vt tota hæc doctrina illuſtretur magis, pono aliquos caſus particulares, quibus explicatur, præſertim quando poſſit iudicari extrema neceſſitas ſpiritualis proximi.

Primus caſus.

Primus caſus eſt, ſi aliqui v. g. ſeducantur ab hæretico prædicatore, ita vt illi vincibiliter ignorent veritatem, atque adeo ſint in peccato mortali, nec facile pateat alijs aditus ad eos rectè informandos, tunc ſi ij indocti aliqui ſint, qui non videantur per ſe poſſe diiudicare veritatem omnino cenſeri debent eſſe conſtituti in extrema neceſſitate ſpirituali, quare ſi quis vtiliter, & efficaciter poſſit ſubuenire illis etiam cum diſcrimine propriæ vitæ, id tenebitur facere ex charitate.

Secundus caſus.

Secundus caſus eſt. Si quis exerceat aliquem iniuſtum contractum, quem vincibiliter ignorat eſſe iniuſtum, nec ſit ita intelligens, vt videatur per ſe cogniturus iniquitatẽ contractus, nec ſit alius, qui eum doceat, vt ſi omnes in tali loco probent talem contractum; tunc cenſeri poteſt talis eſſe in extrema neceſſitate ſpirituali; quandoquidem eſt in peccato mortali propter vincibilem ignorantiam, vt ſuppono, nec poteſt ipſe moraliter loquendo ſibi conſulere.

Tertius caſus.

Tertius caſus eſt. Si quiſpiam velit filiam proſtituere, & tales ſint circunſtantiæ, vt moraliter loquendo videatur filia peritura ſpiritualiter, ſi proſtituatur; Tunc enim laborare extrema neceſſitate ſpirituali cenſeri poteſt huiuſmodi filia, ita vt tenetur ei ſubuenire, qui poteſt, etiam cum detrimento vitæ propriæ.

Quartus caſus.

Quartus caſus eſt. Si quis ſit in articulo mortis, & timens ex morbi circunſtantijs fore, vt niſi ſibi per abſolutionem Sacramentalem ſubueniatur, nequeat habere ſufficientem contritionem, petat confeſſarium, talis etiam cenſeri debet conſtitutus in extrema neceſſitate ſpirituali, ita vt teneatur confeſſarius, qui poteſt, illum audire, & abſoluere, etiam cum diſcrimine vitæ propriæ.

Digitized by Google

Dubium. Sed reſtat breuiſſimum dubium; an ſi filius alicuius Chriſtiani nondum baptizatus eſſet in articulo mortis, apud infideles, teneretur quiſpiam priuatus, cum diſpendio vitæ propriæ illum ſi poſſet baptizare, & ei tanquam in extrema neceſſitate ſpirituali conſtituto ſubſidium id ferre. Sunt enim de iſto caſu diuerſæ ſententiæ; Nam So- *Sotus.* tus in lib. de tegendo, & reteg. ſect. mem. 2. q. 2. poſt 6. cõcluſionem tenet partẽ negatiuam; & ratio eius eſt: quia illa paruuli neceſſitas accidit ab extrinſeco. ſ. ob malitiam infidelium, qui nolũt illum baptizari: Sed multo verior *Nauar.* eſt ſententia Nauarri loco ſupra citato. 5. c. 24. nu. 9. & 10. qui cenſet talem paruulum tunc laborare vere extrema neceſſitate ſpirituali, in qua tenetur quiſque etiam cum diſpendio propriæ vitæ opem illi ferre, illum baptizãdo. Per accidens enim eſt vnde proueniat neceſſitas ſpiritualis, vtrum ab intrinſeco, vel ab extrinſeco; imo videtur neceſſitas illius paruuli, eo etiam nomine, eſſe tunc maior: quia prouenit ab aliena malitia infidelium, quæ difficilius reprimi in illo caſu poteſt.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum teneamur diligere magis noſtra temporalia bona, quàm bona temporalia proximi, itaque ſit peccatum pro conſeruatione bonorum proximi amittere nõſtra bona, & ſimiliter amittere vitam pro tuenda vita proximi.

PRo ſolutione obſeruandum eſt, quod aliud eſt teneri ad aliquid faciendum ſic, quod non faciendo homo peccet mortaliter, vel venialiter, & aliud eſt poſſe illud ſine peccato facere, nec tamen teneri ad hoc faciendum, ſicut aliud eſt ſic teneri, & neceſſario debere ſe ipſum plus diligere quam omnem alium, ſic quod diligendo alium plus vel æqualiter, homo peccet mortaliter, vel venialiter; & aliud eſt poſſe poſt Deum pluſquam aliquem alium diligere ſemetipſum, nullum in hoc committendo peccatum.

Hoc ſuppoſito de hac quæſtione eſt duplex modus di- *Durãdus.* cendi; Prima eſt Durandi in 4. d. 17 q. 6. qui tenet nunquã eſſe licitum exponere certo periculo vitam propriam ad tuendam vitam amici, bene tamen quando eſt ſpes euitandi periculum. Quæ confirmari poteſt primo authori- *D.Tho.* tate D. Thomæ, 2. 2. q 32. art. 6. vbi dicit quod de neceſſarijs ad propriam vitam non eſt facienda eleemoſyna; & q. 64. art. 8. ait, quod tenetur homo prius prouidere vitæ propriæ, quam alienæ. Secundo confirmatur authoritate *D. Aug.* D. Auguſt. lib. de mendacio ad Caſentium cap. 6. Si quis pro conſeruanda vita alterius propriam perdiderit, plus alterum, quam ſe ipſum diligit, quod ſane regulæ doctrinam excedit. Et lib. 1. de Ciuit. c. 20. ait Regulam diligendi proximum à ſemetipſo dilector accepit. Et hinc ortum habuerunt illa communia proloquia. Charitas bene ordinata incipit à ſe ipſo. Et proximus ſum egomet mihi. Et *Seneca.* Seneca etiam lib. 2. de beneficijs, c. 15. Summa, inquit, amicitia eſt æquare ſibi amicum. Sed vtrique conſulendum eſt. Dabo egenti, ſed vt ipſe non egeam; conſulam perituro, ſed vt ipſe non peream.

Sotus. Altera ſententia eſt Soti lib. 5. de iuſt. & iure q. 1. art. 6. dicentis licitum eſſe anteponere bona temporalia proximi bonis temporalibus proprijs, & vitam proximi, vitæ *Aragona* propriæ; quem ſequitur Aragona de iuſt. & iure q. 64. artic. 5. & hoc probari poteſt Ioan. 14. Maiorem charitatem nemo habet vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis, id eſt, vitam ponat quis pro amicis, & 1. Ioan. 3. In hoc cognouimus charitatem Dei; quia animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus animas noſtras pro fratribus ponere.

Pro ſolutione huius difficultatis pono aliquas Conclu- *1. Concl.* ſiones. Prima concluſio. Licitum eſt homini omnia bona temporalia quorum eſt Dominus. ſ. diuitias, honorem, in caſu neceſſitatis etiam temporalis propter proximum, maxime propter amicum amittere. probatur ex illo prouer. 12. Qui negligit damnum propter amicum iuſtus eſt, & hæc fuit communis ſententia omnium Philoſophorũ; & confirmari poteſt ratione D. Thomæ 2. 2. q. 26. artic. 4. *D.Tho.* ad 2. Nam in eo quod homo detrimentum patitur propter amicum in temporalibus ſe ipſum magis diligit ſecundum virtutem ſpiritualem: colit enim virtutem amicitiæ, quæ maxime neceſſaria eſt in Repub. Dixi notanter in caſu neceſſitatis temporalis proximi, & maxime amici: quia non pro quotiis proximo, & quatiis neceſſitate ſunt ita exponenda periculo temporalia; nam multis de cauſis eſſet hoc prodigalitas, vel etiam mortale peccatum, primo ſi homo habet familiam, ad quam ſuſtentandam ſunt neceſſariæ diuitiæ; Secundò ſi incurreret infamiam, quæ tranſiret ad poſteros. Item ſi eſſent alij proximi in tam graui neceſſitate, quod obligaret homo in præcepto ſubuenire illis potius quam amico. Item ſi ſua bona ſunt notabiliter excellentiora quam amici, vel proximi; forte non eſſet prudentia exponere illa v.g. Vir illuſtris pro plebeio homine, niſi forte eſſet magnum exemplum virtutis iudicio prudentium, vt ſi ille plebeius pateretur magnam iniuriam, tunc enim benefaceret illuſtris ad defenſionem illius exponere fortunas ſuas.

Secunda Concluſio. Secundum bona temporalia, quæ *2. Concl.* quis ſibi, & proximo tenetur velle, & æqualia etiam inter ſe ſunt, ſemper tenetur quis magis, ſe ipſum diligere, quam quemlibet proximum ſibi parem, aut ſe inferiorẽ. probatur; quia tenetur quiſque ſe diligere etiam ſecundũ ea bona, quatenus eorum adminiculo poteſt ipſe conſequi beatitudinem, cuius eſt capax, proximum autem quatenus in hoc ipſo eſt ei quadam ſocietate coniunctus; ſed multo maior ratio eſt illa diligendi ſe ipſum, quo ad hæc etiam bona, quam illa altera ratio diligendi proximum, cum arctius ſit vinculum vnitas & identitas, quam vnio ſeu coniunctio, vt ſupra dictum eſt, ergo iuxta ſecundam regulam poſitam in 2. art. magis tenetur ſe diligere ſecundum hæc bona, quam proximum.

Ex hac concluſione ſequũtur duo corrolaria, primum eſt. Nunquam licet ponere vitam pro vita alterius priua- *Primum Corrolarium.* ti ex amore quidem charitatis, quo. ſ. quiſque alterius vitam magis amet, quam propriam; & in hoc ſenſu vera eſt ſententia plerorumque Theologorum qui in 3. d. 27. vel 29. agentes de ordine charitatis inter illa, quæ ſunt magis amanda ponunt primo loco Deum, ſecundo ſe ipſum, quo ad ſalutem ſpiritualem. tertiò ſalutem ſpiritualem proximi. quartò corpus proprium. & quintò corpus proximi; quo ipſo ſatis indicant non licere per charitatem anteponere vitam corporalem proximi vitæ propriæ, quod probant argumenta ſuperius adducta pro opinione Durandi.

Dixi autem id non licere ex amore charitatis anteponendo vitam alienam vitæ propriæ; quia poteſt eſſe alius duplex modus, quo poteſt quis licite oppetere mortem pro ſeruanda vita alterius. Prior modus eſt ſi id fiat non propriè ex amore vitæ alterius, ſed potius virtutis amore, & ad aliorum exemplum; vt ſi fuerint duo antea arctiſſimo honeſtiſſimæ amicitiæ vinculo coniuncti, & alterutri moriendum ſit, tunc ad commendationem, & præclarum exemplum virtutis amicitiæ liceret alteri pro altero oppetere mortem; quia in re is, qui mortem oppeteret non magis amabit vitam corporalem alienam, quã propriam, imo magis ſe ipſum, quam alterum ſecundum bonum illud ſpirituale conſiſtens in dignitate ipſa virtutis amicitiæ, in qua volet eo facto excellere; & in hoc ſenſu intelligendi ſunt D. Thomas in 3. d. 29. quæſt. vnica artic. 5. ad tertium lib. 1. de regimine principum. & 2. 2. q. 26. art. 4. ad 2. & Franciſcus Victoria in relect. de homicidio num. 24. & Sotus lib. 5. de iuſt. & iure q. 1. art. 6. Quod prius docuerunt Ariſt. 6. Ethic. c. 8. & lib. 9. vbi dicit quod *Ariſt.* oportet pro amicis multa pati, & mori ſi oporteat. Lactan- *Lactant.* tius lib. 6. de diuinis inſtitutionibus c. 18. D. Auguſt. lib. 4. *D. Aug.* Confeſ. c. 6. & lib. de amicitia c. 10. expreſſe docet vitam corporis ponendam eſſe pro amico, vt ſanxit inquit diuina authoritas, nimirum ad verbum Chriſti alludens. Ioan. 15. Maiorem charitatem nemo habet &c. & Cicero *Cicero.* lib. de amicitia idem aſſerit.

Alter modus eſt, quo poſſet quis licitè oppetere mortẽ

pro

Digitized by Google

pro vita alterius, quoniam præceptum affirmatiuum de conſeruanda vita propria non obligat cum tanta difficultate, quanta eſt occidere alterum in caſu, quo id eſſet neceſſarium ad vitam propriam conſeruandam; aut etiam pati, vt proximus in tali caſu moriatur; ita vt ſi quis non proprie ex amore, quo vitam alienam ſuæ vitæ anteponat; ſed quia nolit cum tanta difficultate conſeruare vitã propriam, ipſe potius mortem velit oppetere, quam vt alter moriatur licite faciet. Tantum modo enim, tunc non exequitur præceptum affirmatiuum, de conſeruanda vita propria, quod vt dixi non obligat, cum tanta difficultate; quemadmodum etiam licite poteſt quis negligere vitam propriam, quando eam conſeruare non poteſt, niſi cũ tanta difficultate, & moleſtia doloris, quanta eſt ſubeunda in abſciſſione alicuius membri. v. g. cum illa iudicatur à Medicis ad conſeruandam vitam neceſſaria. Et per hanc doctrinam poſſunt facile conciliari opiniones diuerſæ circa hanc quæſtionem. Nam licet & non licet oppetere mortem pro vita alterius priuati, diuerſo modo, & ratione, vt iam explicatum eſt.

Secundum Corrolarium eſt. licitum eſſe ex charitate ad impediendum mortem alterius certo imminentem certo exponere vitam propriam, (non quidem certæ morti hoc. n. non licet, vt ante dictum eſt) ſed periculo probabili mortis; ita docet, & recte Durandus vbi ſupra. Et probatur manifeſta ratione: nam vita alterius, quæ eo modo cõſeruabitur, maius bonum eſt, quam incolumitas à periculo probabili mortis propriæ; ſicut & certa mors alterius, maius malum eſt, quam periculum probabale mortis propriæ. Quare qui id faciet nihil committet contra ordinem charitatis, ſiquidem ex præſcripto charitatis maius bonum proximi præferendum eſt, minori proprio, non autem æquale.

2. Corrola.

Durand.

Non eſt tamen pro quolibet, & temere vita exponenda: Nam ſi ego ſim valde vtilis Rerpub. & amicus non item, non debeo exponere. Item ſi habeo familiam, & filios, qui ſine me non poſſunt educari, debeo me illis ſeruare, alias & vxori; & filijs iniuriam inferrem. Itaque in omnibus prudentia opus eſt.

Ad argumenta pro opinione Durandi quatenus ſunt contra appendicem 2. Concluſionis Dico, quod per ſe loquendo vita mea magis mihi diligenda eſt, quanta vita amici; Non enim eſt medium ex natura ſua ordinatum aut ordinabile pro vita alterius conſeruanda, ſicut eſt brachij ſalus amittenda pro ſalute hominis: tamen quando virtus amicitiæ colenda eſt, tunc datur per ſe pro virtute vita corporalis, non pro vita temporali alterius ſecundum ſe, ſed magis tunc vita amici eſt materia, & occaſio virtutis, & tunc magis me diligo ſecundum virtutem, atque adeo per ſe loquendo magis tenetur homo ſeruare vitam propriam, quam alienam, vbi non eſt aliud bonum niſi vita, & vita; ſed vbi eſt virtus colenda, poteſt homo propriã vitam perdere pro ſeruanda vita amici.

ARTICVLVS V.

Vtrum teneatur quis magis diligere vnum proximum quam alium.

QVoniam proximos noſtros diligimus quatenus in eis aliquod bonum noſtrum inuenitur per ſimilitudinem, quam ad nos habent, quia ſcilicet in bono noſtro communicant. Ideo ſecundum diuerſas communicationes diſtinguit Ariſt. diuerſas amicitias, quoniam omnem amicitiam ſuper communicatione quadam fundari aſſerit.

Quare obſer. eſt primo, quadruplicem eſſe communicationem. Prima communicatio eſt naturalis, prout in naturali origine quædam communicant, & in iſta communicatione fundatur amicitia patris, & filii, & cognatorum in quantum ex eodem ſanguine deſcendunt.

Quadruplex eſt cõmunicat.

Secunda eſt communicatio œconomica, ſiue domeſtica, aut ſecundum quam homines communicant in officiis domeſticis, & hæc requirit perſonas, quæ conſtituunt œconomiam.

Tertia eſt communicatio politica, ſecundum quam homines eiuſdem vrbis, vel loci communicant inter ſe in eis, quæ pertinent ad Rempub. vel ad ſe ipſos in quantũ ſunt partes Reipub.

Quarta eſt communicatio diuina, ſecundum quã homines communicant in vno corpore Eccleſiæ in actu, vel potentia, & hæc eſt amicitia charitatis, quæ habetur ad omnes.

Secundò obſer. eſt, quod Ariſto. 1. Politicorum ponit quinque communicationes, ſcilicet naturalem, deſpoticã, œconomicam, homogalactatem, & politicam; communicationem autem charitatis ſiue diuinam non ponit. Naturalis inquit eſt, quæ fit propter ſimile tertiũ derelinquere, & iſta eſt communicatio maris, & fœminæ non ſolum in hominibus, ſed etiam in omnibus animalibus perfectis, & quæ propagationem habent. Deſpotica communicatio eſt Domini & ſerui, non quidem ſeruorũ legalium, id eſt, eorum qui emuntur, vel in bello capiuntur, ſed ſeruorum naturalium, qui autem ſint naturaliter ſerui, & naturaliter domini, inter quos iſta communicatio eſt. docet Ariſt. cap. 1. Politicorum. œconomica eſt domeſtica, & iſta eſt compoſita ex naturali, & deſpotica atque adeo ponuntur in ea ſex rationes perſonarũ ad minus ſcilicet vir, & vxor, pater & filii Dominus, & ſeruus, & tamen idem eſt vir, & Pater, & Dominus; Includit naturalem, quatenus in ea ponitur vir, & vxor, Pater, & filij. Includit deſpoticã in quãtum eſt ibi Dominus. & ſeruus. Sed loco ſerui ponitur interdum bos, & ita dicit Ariſto. ibidem, quod Homerus in hac communicatione ponebat hominem, & bouẽ aratorem, eo quod bos pauperibus pro miniſterio eſt. Homogalactaris communicatio eſt, quam alij vitalem appellant, quæ eſt maior, quam œconomica, & eſt minor quã politica: Nam œconomica continet vnicam domum Homogalactrica continet plures, ſed non tot, quod ſufficiant ad conſtituendum politicam, ſed ſunt tales cõmunicationes immediatæ partes politiæ, & ideo continet plures domos quæ faciunt vnum vicum, & ſic vocatur vicalis, & dicitur Homogalactaium, id eſt, cõnutritorum, quia de eodem lacte educati ſunt, vel homocipij, id eſt, vnius cibi, vel homocapheri, id eſt, vnius fumũ, ſiue ad vnum ignem exercens, vt dicitur. 1. Politicorum. Politica autem communicatio eſt per ſe ſufficiens, & maxima omnium, quæ facit ciuilitatem, & iſta ex multis hominibus diuerſorum officiorum, & actuum, & gubernationum ita, vt talis cõgregatio ſufficiat ad recte viuere, & non petatur de foris aliquid neceſſarium illi congregationi ad recte viuẽdum.

Ariſt. quinq; cõmunicationes.

Quid ſit communicatio naturalis.

Communicatio deſpotica q d ſit.

Cõmunicatio œconomica, quid ſit.

Homogalactaris cõmunicatio quid ſit.

Politica communicatio quid ſit.

Tertiò obſer. eſt, quod in aſſignatione noſtra non poſuimus omnes iſtas communicationes, eoque deſpotica includitur ſub œconomica, & Homogalactrica ſub politica cuius eſt immediata pars. Aliam autem ſcilicet, diuinã communicationem, in qua eſt amicitia charitatis non poſuit Ariſt. eo quod cõmunicatio iſta eſt vitæ diuinæ, quæ eſt in beatitudine, conſiſtens in viſione, & fruitione diuinæ eſſentiæ; quam non cognouerunt Philoſophi; atque adeo non poſuerunt homines taliter communicare, & per cõſequens neque amicitiam ſuper hoc fundatam, quæ eſt charitatis poſuerunt. Nos autem ex fide ſcientes talem cõmunicationem eſſe, & cuilibet homini fore poſſibilem, aſſignamus amicitiam inde ortam, quæ eſt amicitia charitatis, & iſta eſt præcipua amicitia, quæ fundatur ſuper præcipua communicatione, & eſt communicatio iſta in vita diuina, quæ eſt vita gloriæ, vel gratiæ.

Quartò obſer. eſt, quoniam vita gratiæ ordinatur ad vitam gloriæ, ideo ponimus communicationem gratiæ pertinere ad amicitiam charitatis, & quia charitas haberi nõ poteſt niſi intra Eccleſiam, extra quam nemo ſaluatur, extra de ſumma Trinit. & fide cath. c firmiter. ideo dicimus charitatem pertinere ad cõmunicantes in vno corpore Eccleſiæ ſiue in actu, ſiue in potẽtia, & quia omnis homo eſt, actu in Eccleſia, vel in potentia charitas eſſe debet ad omnem hominem, & tam ad amicos, quam ad inimicos.

Quintò obſer. eſt, quod cum charitas importet beneuolentiam, quæ amicis bonum optat, & operatur bonum ad ipſos: Ideo ſecundum vnamquamque prædictarum amicitiarum amandi ſunt amici quantum ad bona pertinentia ad communicationem illam, ſuper quam amicitia fundatur. Vnde ad Patrem, & ad conſanguineos, ad quos

eſt pri-

Digitized by Google

eſt prima communicatio ſcilicet naturalis debemus amicabiliter nos habere in his, quæ pertinent ad conſeruationem naturæ, cum illa communicatio ſit ad propagandam naturam; & quia conſeruatur natura per potum, & cibũ, & alia neceſſaria vitæ, omnia huiuſmodi pertinent,ad benefaciendum his, qui ſunt in hac communicatione.Ad domeſticos verò, qui ſunt in communicatione œconomica debemus nos amicabiliter habere in his, quæ pertinent ad conuerſationem, & tractationem rerum domeſticarum, & in his magis eos diligere, & eis concordare quam cum omnibus alijs,qui non pertinent ad illam communicationem cuiuſcumque communicationis ſint. Ad Ciues autem, qui ſunt in cõmunicatione politica debemus nos habere amicabiliter in his, quæ pertinent ad opera ciuilia. Verum ad omnes homines, qui ſunt in communicatione diuina ſiue charitatis debemus amicabiliter nos habere in his,quæ ad Deum ſpectant,ſcilicet vt omnibus vitam æternam, & gratiam, & media perueniendi ad hæc, & operemur ad ſalutem eorum ſpiritualem, ſecundum modum noſtrum.

Cõmunicatio charitatis eſt omniũ pcipua.

Sextò obſer.eſt,quod iſtarum quatuor communicationum præcipua eſt illa,quæ magis accedit ad id,quod maxime diligendum eſt; eſt autem Deus ſuper omnia diligẽdus, & poſt Deum debet homo magis ſe ipſum diligere, amicitia autem,ſecundum quam Deum diligimus eſt charitas,cum iſta ſola fundetur ſuper illa communicatione,in qua cum Deo cõmunicamus, ideo amicitia charitatis eſt præcipua. Nam cum Deo in naturali communicatione, deſpotica,homogalactica,& politica nemo propriè cõmunicat. Nam Dijs non eſt conuerſatio cum hominibus, vt dicitur Dan.2.atq; adeo nemo amat Deum amicitia inſurgente,ex his communicationibus. Communicamus autẽ cum Deo in vita beata, quatenus ipſe eſt eſſentialiter beatus,& nos per participationem eius efficimur beati, & eodem modo in vita gratiæ, quia gratia ab ipſo eſt. etiã communicamus in corpore Eccleſiæ, in quantum ipſe eſt caput Eccleſiæ,& nos dependemus ab eo ſicut membra a capite 1.Corint.12.& ad Epheſ.4.

Poſt autem hanc cõmunicationem charitatis,quæ pręcipua eſt, ſecundum locum tenet communicatio naturalis, poſt quam eſt communicatio œconomica, vltimum vero locum tenet communicatio politica. Ex quo ſequitur,ſi eiuſmodi communicationes inter ſe comparẽtur ſecundum exceſſum earum inter ſe, cum communicatio diuina ſit omnium præcipua, quod Deus eſt maxime diligibilis,poſt ipſum autem quilibet a ſemetipſo maxime diligitur,atque adeo comparatio inter ſe aliarum communicationum a Diuina erit ſecũdum quod magis, vel minus accedunt ad amorem, quo homo diligit ſe ipſum; poſt ſe ipſum autem nihil eſt magis coniunctum, quam homines illi,quos propinquos vocamus,& ideo amicitia ad illos eſt maxima, & eſt quæ pertinet ad communicationem primam,quæ dicitur naturalis, & iſtos maxime ex charitate diligimus. Poſt iſtos eſt, ſecunda communicatio, id eſt, œconomica; & iſtos debemus ex charitate magis diligere quam qui ſunt de tertia communicatione, quia magis accedunt ad identitatem, quam qui ſunt in tertia communicatione,& amicitia, tertio loco debemus ex charitate diligere pertinentes ad tertiam communicationem, & magis quam alios, qui non ſunt de eadem communicatione, quos tantum amicitia charitatis diligere debemus.

Septimò obſer.eſt, quod ille tres amicitiæ non ſeparantur ab amicitia charitatis pro ſtatu viæ, quia quicũque eſt diligendus aliqua amicitia illarum trium, diligendus eſt etiam amicitia charitatis,& non è contrario, eo quod charitas debet haberi ad omnes viuentes,illę autem amicitiæ non habentur ad omnes, ſed ad aliquos ſpecialiter; atque adeo cum charitas ſtet cum qualibet illarum,nulla earum ſuperat aliam ex parte charitatis,vt nimirum per ſe ad charitatis amicitiam comparatur. Verum ſi comparentur inter ſeſe,vna aliam excedit,vt dictum eſt in ſuperiori notabili, & quia quarta communicatio ſolam charitatem dicit,ideo eſt minima communicatio, & minimus amor, & eſt ad illos, quibus non communicamus niſi in charitate, velut ſunt inimici,atque extranei, quia cũ iſtis nulla alia cõicatione cõmunicamus.Ceterum ſi iſta amicitia ſepararetur ab aliis tribus,maior eſſet quã oẽs tres ſimul ſumptæ

Octauò obſer.eſt,quod poſt mortem tres illæ amicitiæ a quarta ſeparantur: nam licet maneat mihi amor ad aliquos mortuos in peccato mortali ſecundum alias amicitias,non debet tamen manere amicitia charitatis, vt mortuos cognatos diligamus etiamſi in peccato mortali deceſſerint,quia cognati erãt,& dolemus de eorum damnatione,& tamen non diligimus eos ex charitate; & quia omnes viuentes diligimus ex charitate,ſequitur quod quemcumque viuentem,quantumcũque extraneum magis diligam, quam quemcũque damnatum quantumlibet propinquum,atque ita quemcũque Chriſtianum viuentẽ,vel etiam infidelem diligam magis,quam patrem meum mortuum in infidelitate, quia de ſic mortuo conſtat eſſe damnatum,atque adeo non eſt diligendus ex charitate. Quẽcumque autem chriſtianum, & etiam infidelem viuentẽ, diligere debeo ex charitate, quia participat actu vel potentia de corpore Eccleſiæ, & vita gratiæ, atque ita patet ꝙ dilectio ex charitate eſt maior omnibus aliis ſi ab alijs tribus ſeparetur, id eſt, ſi aliæ tres a communione charitatis ſeparentur. ac proinde quicumque ex charitate diligitur, magis diligitur, quam quicumque alio amore ſine charitate diligitur; atque ita infidelem viuentem magis diligam,quam patrem defunctum in mortali peccato, & tamen magis dolebo de damnatione patris, quam de malo proximorum viuentium, & ſecundum affectum naturalem potero magis ferri in eum, quam in proximum viuẽtem, atque ita de omnibus aliis,ſecundum quod magis cõiuncti ſunt,verum eſt,quod magis ferremur in eos ex affectu naturali,licet forte non ex charitate,vt ſi ſint iam damnati.

Nonò obſer.eſt, quod omnis actus agenti, & obiecto proportionari debet,ex obiecto autem habet ſpeciem, ſed ex virtute agentis habet modum,& ſuæ intenſionis quantitatem,atque ita actus charitatis,ſcilicet,dilectio ſpeciem habet ex obiecto,intenſionem vero ex parte ipſius diligẽtis, obiectum autem charitatiuæ dilectionis eſt Deus, & homo eſt diligens, etſi homo ſit etiam dilectionis obiectũ hoc non eſt per ſe, ſed in relatione ad Deum,ſcilicet vt cõmunicat actu,vel potentia vita diuina. Quapropter diuerſitas dilectionis ſecundum charitatem quantum ad ſpeciẽ eſt ẽt in proximis diligendis per comparationem ad Deũ adeſt,vt in dilectione, quã ad proximos habemus aliquid conſideretur ex parte ipſorum proximorum, & quia ipſi ſunt vt obiectum ſaltem materiale,& obiectum facit differre ſpecie,tenebit ſe illa diuerſitas dilectionis,quæ eſt ex parte hominis diligibilis ad ſpeciẽ charitatis vel dilectionis. Diuerſitas vero,quæ conſideratur ex parte diligentis, ſcilicet quæ pertinet ad agens non facit ad ſpeciem,ſed ad intenſionem,hoc autem eſt,quia quibuſdã proximis velle debemus ipſum bonũ, quod volumus ex maiori affectione,& quia obiectũ charitatis eſt Deus velle debemus maius bonum ex parte Dei. Iſti autem proximi ſunt illi, qui magis propinquant Deo, ideo ipſis debemus velle maius bonum Dei,id eſt, beatitudinem maiorem.

Actus agẽtis,& obiecto debet proportionari.

Decimò obſer.eſt, quod cum amicitia charitatis fundetur ſuper communicatione actuali vel potentiali in beatitudine,omnibus quos diligimus ex charitate velle debemus beatitudinem,& quo ad hoc omnibus proximis volumus æquale bonum,quia idem bonum volumus. Quæ tamen beatitudo quamuis ſit idem bonum,habet tamen diuerſos gradus participationis. Nam ſecundum quod aliquis magis,vel minus Deo participat,eſt magis vel minus beatus,& ſecundum hos gradus eſt magna inæqualitas,& in hoc eſt generale, quod quilibet ex charitate debet magis diligere meliores,quam non ita bonos, etiam ſi illi ſint propinquiſſimi. Nam differentia graduum gloriæ eſt ſecundum differentiam meritorum, & bonitatis, & pertinet ad rei iuſtitiam,vt ſecundum meritorum differentiam tribuat differentiam graduum gloriæ. Quicunque autem charitatem habet,diligit Deum ſuper omnia,volẽs illi bonum ſed Deus eſt bonum,quod iuſtus maneat, & iuſtitiã ſeruet, atque adeo tenetur velle, quod Deus ſecundum differentiam meritorum det diuerſos gradus gloriæ, & conſequenter, ego teneor ex charitate velle, quod extraneus a me habeat maiorem gloriam, quam propinquus meus, imo quam pater, qui non eſt ita bonus; quia alias vellemus Deum diſtribuere iniuſte, & nũ ſolum hoc modo di-

Digitized by Google

do diligam extraneum pluſquam propinquos, ſed etiam pluſquam me, id eſt, ſi aliquis eſt melior quam ego, teneor velle, quod Deus det illi maiorem gradum gloriæ quã mihi, atque ita magis illum diligo quam me; & hoc totum pertinet ad diuerſitatem ſpeciei dilectionis, quia diuerſitas ſe tenet ex parte obiecti.

Ex parte autem diligentis non conſideratur aliqua conditio eius, qui diligitur ſecundum rationem obiecti, ſcilicet an magis, vel minus, boni ſunt, per ꝙ magis ad Deum, qui eſt ratio diligendi ex charitate appropinquant; ſed illos quis intenſius diliget, ad quos ſic diligendos magis eſt diſpoſitus, & quia magis afficitur homo ad ſe ipſum quã ad alium, & conſequenter ad id, quod magis eſt idem, & tanto intenſius diliget aliquos, quanto ei propinquiores fuerint cognatione, quia eſt propinquitas ſecundum eſſe, & ſecundum naturam, ſecundum quam eſt homo idem ſibi ipſi, & ita aliquos ad minora bona diligimus, quos tamen intenſius diligimus, ſcilicet propinquos minus bonos. Et ex hac doctrina licet poſſet tolli omnis difficultas, quæ occurre poſſet circa iſtum articulum, tamen pro abũdantiori doctrina

1. Regul. Sunt aliquæ regulæ obſeruandæ. Prima regula eſt. Maiori dilectione obiectiue ille proximus eſt magis diligendus, qui fuerit melior: nam qui eſt melior eſt magis coniunctus cum obiecto præcipuo charitatis, quod eſt Deus, & plus boni in ſe habet, igitur obiectiue magis eſt diligẽdus. Ille autem obiectiue magis diligitur, cui amore quodam approbationis, & complacentiæ volumus illud maius bonum in eſſe, & competere, quod ipſe iam habet, ita ſcilicet, vt minime licitum ſit velle, vt ille careat, aut priuetur illo bono, per quod in præſenti eſt melior; poſſem tamen ex charitate velle, quod cognatus meus, qui nũc malus eſt, vel parum bonus, efficiatur melior quocũque extraneo quantumcumque bono, atque adeo poſſum diligere cognatum meum, qui non eſt bonus ad maiorem beatitudinem, quam quemcumque extraneum, quantumcũque bonum; quia poſſum velle ei omnia media per quæ mereatur, & iuſte habeat talem gradum beatitudinis.

2. Regul. Secunda Regula. maiori dilectione appreciatiua ille proximus magis diligendus eſt, qui cæteris paribus, vel diligenti ipſi, vel Deo, vel vtrique fuerit coniunctior: quia in tali erit multo maior ratio diligendi; atque adeo plus diligimus coniunctos nobis ex charitate, quã extraneos, quatenus pluribus nobis illos diligimus. Ad eos enim, qui non ſunt nobis coniuncti habemus paucas amicitias, ad coniunctos autem multas: Nam qui communicant in ſuperioribus amicitijs, communicant in poſterioribus. Qui enim communicant communicatione naturali ſtricte ſumpta, communicant in œconomica, & politica, & diuina, & non è contrario: Nam qui communicant vltima communicatione non oportet, quod cõmunicent in alijs. Taliter autem ſe habent hoſtes, qui non communicant niſi vna communicatione ſcilicet diuina, vel Eccleſiaſtica, quia ſunt in vno corpore Eccleſiæ actu, vel potentia; atq; ita retinetur cum eis amicitia charitatis ſola; ad coniunctos autem habetur prima communicatio, ſcilicet naturalis, & conſequenter aliæ communicationes, & amicitiæ quæ ex eis oriuntur, & vltimo amicitia charitatis; ideo plus diliguntur iſti, quia pluribus amicitiis, & quælibet iſtarum pertinet ad charitatem, id eſt, quælibet illarum cum ſit honeſta ordinatur ad bonum illud, ſuper quod fundatur charitas, atque adeo neceſſe eſt, quod charitas imperet actum iſtarum amicitiarum, ſicut imperat actum cuiuslibet virtutis; atque ita non ſolum coniuncti nobis pluribus modis diliguntur, ſed pluribus modis imperatis a charitate, & ita plus ex charitate diliguntur, quã extranei. Ex his ergo patet, quod licet ex charitate debeamus melioribus optare maiora bona gloriæ, quatenus eis debita ſunt, tamen ſimpliciter poſſumus magis diligere coniunctos, quam extraneos, non ſolum appreciatiue, ſed etiam obiectiue; quia licet melioribus debeamus maiora bona velle, in quantum ſic manent; tamen quia cognatis noſtris minus bonis poſſumus optare, quod efficiãtur omnibus meliores extraneis, & tales effecti mereantur maiorem gradum gloriæ quam omnes extranei, poſſumus licite propinquis noſtris etiamſi non bonis optare maiorem gloriam quam extraneis omnibus; & hoc modo a fortiori poteſt quilibet ſibi ipſi deſiderare maiorem gloriam, quam alijs in quantum optabit ſe meliorem fieri omnibus alijs, vt mereatur illam gloriam, tũ quia ex maiori inclinatione ſe ipſum, & coniunctos quis diligit, quã extraneos, tum quia pluribus modis illos diligit.

Tertia Regula. Quando in coniunctione ad hæc duo principia dilectionis ſcilicet ad diligentem, & ad Deum fuerit inter aliquos diſparitas, ita ſcilicet vt vnus ſit coniunctior diligenti, alter vero Deo, ille magis diligendus eſt appreciatiue, quo ad bona debita, & eiuſdem rationis qui conſideratis omnibus circunſtantiis coniunctior fuerit ipſi diligenti, quo ad illa quidem bona, quæ per ſe pertineant ad illam coniunctionem cum diligente. hæc regula patet ex ſuperiori, & colligi poteſt ex illo Leuit. 24. Qui maledixerit patri vel matri &c. Vnde per locum a contrario colligitur maiorem eſſe obligationem diligendi patrem vel matrem, quam vllum alium, qui non ſit ita coniunctus diligenti ac pater, & mater; colligitur etiam ex illo, id eſt, ad Timo. 5. Si quis ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet fidem negauit, & eſt infideli deterior. Dixi autem in hac tertia regula quo ad bona debita; quia quo ad bona, quæ quis abſolute alioqui nõ tenetur velle coniunctiori ſibi, aut minus coniuncto, poterit diligere magis quem maluerit. Dixi etiam quo ad bona per ſe pertinentia ad ipſam maiorem coniunctionem cũ diligente: nam quo ad bona alia per accidens ſe habebit eiuſmodi maior coniunctio. Vnde bona ſpectantia ad naturam ipſam, & etiam bona ſpiritualia ad omne genus cõiunctionis cenſenda ſunt pertinere, quandoquidem bonũ naturæ, & bonum gratiæ, eſt fundamentum, quo res omnes humanæ niti debent, quamquam fatendum eſt bona naturæ magis ad communicationem naturalem pertinere, & ſimiliter bona ſpiritualia ad communicationẽ charitatiuam, vt ex dictis patet. His obſeruatis pono aliquas concluſiones. Conſanguinei ſunt magis diligendi tũ quo ad bona temporalia, tum quo ad bona ſpiritualia, quam extraneos cęteris paribus, etiamſi extranei aliqui meliores ſint: nam conſanguinei ſunt magis coniuncti diligenti, & vtraque huiuſmodi bona pertinent, ad communionem naturalem, dixi cæteris paribus propter id, quod dicam in tertia concluſione. 3. Regul.

Secunda Concluſio. Quo ad temporalia quidem bona magis diligendi ſunt propinquiores inter conſanguineos, quam minus propinqui, vt parentes, & filij magis, quam alij, atque etiam quo ad bona ſpiritualia magis quoque quam alij, quia ſecundum aliqualem gratiam coniũctiores ſunt: nam omnibus conſideratis illi cenſendi ſunt cõiunctiores ipſi diligenti, vt patet. 2. Concl.

Tertia Concluſio quo ad bona ſpiritualia magis debemus diligere eos, qui ita peculiariter coniuncti ſunt ſecundum gratiam cum diligente, vt ſunt eius filij ſpirituales, vel parentes ſpirituales, quam quoslibet conſanguineos, quia ſecundum bona ſpiritualia cenſeri debent tales multo coniunctiores ſimpliciter loquendo; hanc concluſionẽ ſic explico, quia vniuerſalis coniunctio charitatis erga proximos ſpiritualis eſt, & in ſpiritualibus principaliter exercenda; in alijs vero beneficijs temporalibus exercetur imperando alias virtutes ad finem charitatis; Vnde ſequitur quod nulla coniunctio alterius amicitiæ eſt tam ſpiritualis quam coniunctio charitatis, quæ immediate vnit hominem cũ Deo ſpiritu puriſſimo; atque adeo in proprijs exercitijs pertinentibus ad ſpecialem rationem aliarum amicitiarum debent præferri coniuncti in ſingulis ſpeciebus amicitiæ, alijs non coniunctis. v. g. in exercitijs Religionis monaſticæ debet Monachus cooperari religioſo eiuſdem ordinis potius quam cõſanguineis, ſcilicet, vt velit quod Religioſus ſui ordinis melius prædicet, & in loco meliori, quam meus frater carnalis etiamſi ſit Prædicator, quæ intelliguntur cęteris paribus: nam ſi frater carnalis ſuperat notabiliter prædicationem religioſi, potius debet fauere illi. Cæterum reſpectu vltimi finis ego poſsũ & debeo ſecundum ordinem charitatis velle illum magis patri carnali, quam ſpirituali, & ratio eſt: quia reſpectu huius vltimi finis coniunctio eſt communis erga omnes proximos, & inſuper ſpecialis obligatio eſt erga patrem, & magis intima, ergo dum modo ego non deficiã in exercitijs ſpecialibus mei ſtatus erga fratres, & patres ſpirituales, 3. Concl.

Digitized by Google

les, poſſum, & debeo potius parentibus carnalibus optare beatitudinem, & orare pro illis, quam pro parentibus ſpiritualibus. Ordo.n. quē charitas conſtituit erga proximos in ordine ad vitā æternam eſt principaliter atq; adeo cum pater ſit mihi valde cōiunctus, & filius etiā carnalis ordo charitatis poſtulat, vt velim illis vitā æternā potius, quā alijs coniunctis. Ex hoc ſequitur, quod nunquam erit peccatum ſaltem mortale deſiderare magis, vel minus vni homini beatitudinem, quam alteri; dummodo non deficiat homo in exercitio debito ſecundum præcepta aliarū virtutum, ſcilicet orationis, eleemoſynæ, & benificentiæ, in quibus ponit charitas ordinem.

Et ſi dicas, quod ex hac, & ſuperiori concluſione videtur ſequi, quod potius teneatur homo ſuccurrere Petro exiſtenti in gratia, quam Platoni exiſtenti in mortali peccato: probatur, quia cum Petro eſt maior vnitas. v.g. ſanguinis, vel Religionis, quæ vnitates non ſunt cum Platone, & pono quod ambo in extrema ſint neceſſitate conſtituti, & quod ego vni tātū ſuccurrere poſſim, potius ergo debeo ſuccurrere Petro, quam Platoni, ſed conſequens eſt falſum, ergo & antecedēs, conſequentia patet p fundamētum maioris vnionis, falſitas conſequentis probatur: quia ſi non ſuccurratur Petro ſolum moritur corpore, & euolabit; ſi vero non ſuccurratur Platoni, morietur, & damnabitur, modo mors peccatorum eſt peſſima. ergo &c.

Reſpondeo quod argumentum habet aliquem colorē, quod potius debeam ſuccurrere malo propter inconueniens adductum. Cæterum concedo, quod citius debeo ſuccurrere Petro quam Platoni, quia Plato poteſt diſponere ſe ipſum, & habere gratiam, & gloriam, quod ſi non faciat ei imputabitur. Bonitas autem Petri non debet ei nocere atque adeo non debeo negligere vitam Petri, vt ſuccurram Platoni, licet Plato moriens damnetur, quia hoc eſt ex culpa eius, & mihi non imputabitur.

4. Concl. Quarta Concluſio. Magis diligendus eſt inſignis aliquis amicus, a quo ſcilicet quis inſignia beneficia accepit, quam aliquem conſanguineum non valde propinquum, id que tum quo ad bona temporalia; tum etiam quo ad bona ſpiritualia, atque eadem ratione videntur fratres ſpirituales præferendi, conſanguineis non valde propinquis. ſecunda pars huius concluſionis patet ex tertia concluſione. prima pars patet, quia ſi eſſet amicus qui plura in me contulit beneficia temporalia, aut ſpiritualia conſtitutus in magna neceſſitate, tunc eſſet peccatum mortale nō ſuccurrere illi potius, quam conſanguineo in tertio vel quarto gradu, & forte in ſecundo exiſtenti in eadem neceſſitate, quia ratio debiti maior eſt erga talem amicum, quam erga tales conſanguineos, imo vt docet Bannes. 2. 2. q. 26. art. 8. tanta poteſt eſſe obligatio ad amicum benefactorem vt vincat etiam obligationem benefaciendi fratribus carnalibus in æquali neceſſitate. v. g. ſi amicus me eripuit a magna calamitate ingenti periculo capitis ſui, & expenſarum ſuarum. *Bannes.*

5. Concl. Quinta Concluſio. nullus vnquam amicus magis eſt diligendus quam proprius pater vel mater, ſiue quo ad temporalia, ſiue quo ad ſpiritualia bona, etiamſi maximum aliquod beneficium contulerit, vt ſi a morte me liberauerit: & ratio eſt, quia cum filius acceperit a patre ipſum eſſe abſolute, arctius eſt cum parente coniunctus, quam cum vllo amico, hæc concluſio patet ex Ariſt. 8. Ethi. c. vltimo vbi ait, quod Dijs parentibuſque non poſſunt reddi æqualia atque ita præfert beneficium a parentibus acceptum omnibus alijs; & 9. Eth. c. 2. affirmat, filium honeſtius ſubuenire parenti, quam ſibi ipſi. Verum per accidens contingere poſſet, vt liceret præferre inſignem aliquem amicum parenti, ſi videlicet parens fuerit erga filium inſigniter crudelis aut impius; quanquam nec in eo quidem caſu teneretur præferre amicū, ſed licite tantū poſſet preferre. *Ariſt.*

Maior. Vnde non videtur Maior hac. d. q. 2. in fine, bene reſpōdiſſe huic argumento. Eſto inquit, quod pater meus, & Plato, qui meam vitam tuebatur, inter latrones cum diſcrimine vitæ ſuæ magno, ſint ambo in extrema neceſſitate, ſic videlicet, vt non poſſim vtrique ſuccurrere. v.g. neceſſitas illa eſt fames, & non haberem niſi vnum panem; qui non ſufficeret ambobus, vel naufragium, & non poſſem niſi alteri ſuccurrere, teneor Platoni potius ſuccurrere quam patri. patet, quia ſeruauit mihi vitam per actum difficilem, & pater dedit mihi vitam eo modo quo cauſa ſecunda poteſt vitam dare per actum non ita difficilem, & non minor eſt virtus quam quærere parta tueri. Huic argumento reſpondet Maior, non video inquit, inconueniens, quod poſſum Platoni ſuccurrere patre derelicto, potiſſimum ſi pater non erat multum ſolicitus de bono ſpirituali meo, & iſte Plato tantum fecit circa meam mutationem corporalem ſicut pater. Non bene inquam reſpōdet, quoniam inhumanum videtur relinquere patrem, & ſubuenire amicis particularibus quantumlibet magnis, quoniam, vt docet D. Thomas. 2. 2. q. 31. ar. 3. ad 3. nullius benefactoris beneficium eſt tantum, quantum beneficiū parentum, & ideo parentes in recompenſandis beneficiis ſunt omnibus alijs præferendi, niſi ex alia parte inſtet neceſſitas, vel communis vtilitas Reipub. aut Eccleſiæ. vide Buridanum. 3. Ethi. q. 3. vbi refellit quendam Gerardū, qui contrarium eſt opinatus. *D. Thom.* *Buridan.*

Sexta Concluſio. Magis eſt Rex diligendus quo ad bona temporalia, quam pater, hanc concluſionem ſic explico, ſint Rex & pater in eodem periculo. v.g. ambo ſunt inuaſi ab hoſtibus, vel in domo incenſa incluſi, & non poſſum ſuccurrere vtrique ſed vni tantū, & pono, quod Rex ſit bonus, & toti Reipub. vtiliſſimus, itaque merito dici debeat pater patriæ, & pater meus non ſit ita Reipub. vtilis. Tunc debeo ſuccurrere Regi, & non patri, quia debeo habere maiorem reſpectum ad Reipub. vtilitatem, quam ad mortem naturalem patris, ſed quid dicendum de alio homine, qui non ſit Rex, ſed valde Reipub. vtilis eſſet ne magis diligendus quam pater? dico quod poſſet eſſe tanta in Reipub. vtilitas ad ſuccurrendum extraneo, quod ratio dictet in caſu, quod debeam extraneum præferre, cæterū poteſt eſſe interdum ita paruus exceſſus extranei in vtilitate Reipub. ſuper patrem, quod patri eſt ſuccurrendum tali relicto: quia vnio ſanguinis, & beneficia a patre accepta illi exceſſui vtilitatis ſunt præferenda, ſicut e contra propter magnum exceſſum in vtilitate Reipub. pater eſt poſtponendus, interdum etiam poteſt eſſe caſus viro etiā ſapienti ambiguus, & tunc, inter cauſas, & motiua æqualia contraria, ita vt tot apparentiæ ſint ad ſuccurrendum patri, quot ad ſuccurrendum alteri, & e contra, & apud me tanti ponderis, tunc inquam poſſum capere optionem. 6. Concl.

Septima Concluſio. Parentes magis diligendi ſunt quā filij, quo ad ea quæ pertinent ad reuerentiam, & honorē quendam debitum: nam ſecundum hæc coniunctior eſt homini pater, quam filius quandoquidem habet ad patrem reſpectum tanquam ad principium, & cauſam cui nimirum debetur ſubiectio, & reuerentia. 7. Concl.

Octaua Concluſio. Magis eſt diligendus pater quam filius, tum quo ad bona temporalia, tum quo ad bona ſpiritualia, ne dum in caſu extremæ neceſſitatis, ſed etiam extra caſum extremæ neceſſitatis, prima pars huius concluſionis certa eſt apud omnes, ſecunda vero eſt contra D. Thom. 2. 2. q. 26. ar. 9. vbi docet quod comparando gradus dilectionis ex parte obiecti, id quod habet magis rationē boni eſt magis diligendum, & quod eſt Deo ſimilius, & hac ratione magis debet homo diligere patrem quam filium, quia diligitur pater ſub ratione principij, quod habet rationem eminentioris boni, & Deo ſimilioris comparando autem gradus dilectionis ex parte ipſius diligentis, ſic homo magis debet diligere filium, quam patrem, ſecundum quod dicit Philoſ. 8. Ethi. ca. 12. tum quia pater coniungitur filio tanquam cuidam ſuæ parti, ſiquidem filius eſt quaſi pars parentis, pater autem non eſt aliquid filij, & ideo dilectio ſecūdum quam pater diligit filium ſimilior eſt dilectioni, qua quis diligit ſe ipſum, tum quia parentes diutius amauerunt: nam ſtatim pater incipit diligere filium, filius autem tempore procedente incipit diligere patrem, dilectio quanto eſt diuturnior tāto eſt fortior, iuxta illud Eccleſ. 9. Non derelinquas amicum antiquum nouus enim non erit ſimilis illi. 8. Concl. *D. Tho.* *Ariſt.*

Noſtra tamen Concluſio eſt D. Bona. hac. d. art. 1. q. 4. Richar. art. 1. q. 7. Maioris. q. 2. Gabr. q. vnica. ar. 2. concl. 5. & Almay. conclu. 5. & probatur, quia plus habet homo a parentibus, quam a filiis, ergo vbi eſt maior ratio dilectionis, ibi debet eſſe maior actus diligendi, atque adeo plus diligendi ſunt parentes, quam filij. Nam ad videndum *D. Bona.* *Riccard.* *Maior.* *Gabriel.* *Almayn.*

quem

quem duorum hominum homo debeat magis diligere, reſpicere debemus non tantum ad eorum bonitatem, & eorum ad diligentem propinquitatem, ſed etiam eorum ad diligentem dilectionẽ, & ad beneficia, quæ recipit diligens per eorũ procreationẽ ſeu operationẽ, cũ ergo homo plura beneficia receperit a patre, q̃ a filio, & prius dilectus ſit a ſuo patre, quam dilectus ſit a ſuo filio, magis debet cæteris paribus diligere ſuum patrem, quam ſuum filium. Plus enim poſſunt iſta duo ſecundum rectum iudicium rationis ad augendum in diligente dilectionem, quam propinquitas, quæ eſt maior filij ad patrem, quam e conuerſo, & quam omnia illa, quæ pro ſua ſententia

D. Aug. adducit D. Thomas. Nam ſicut dicit D. Auguſt. in lib. de catechizandis rudibus non multum longe poſt principium. Nulla eſt maior ad amorem inuitatio, quam præuenire amando, & nimis durius eſt animus, qui dilectionem, ſi nolebat impendere, nolit rependere.

Et ſi dicas non debent filij theſaurizare parentibus, ſed parentes filiis, ſecundum Apoſto. 2. ad Corint. 12. ergo filij ſunt magis diligendi quam parentes, quia illum magis debemus diligere, cui debemus magis benefacere. Dico, quod parentes liberis opes miniſtrant, & non e conuerſo, quia filij communiter pauciora habent, & diutius ſunt victuri, ſed vbi parentes egerent, & filij bona haberent, tenentur iure naturali, & diuino neceſſa-

D. Ambr ria parentibus ſuppeditare. Idem patet ex D. Ambroſ. lib. 1. officiorum.

9. Concl. *D. Hiero.* Nona Concluſio. Magis diligendus eſt pater, quam mater. Quia vt dicit D. Hieronymus ſuper Ezechielem, poſt Deum omnium patrem diligendus eſt pater deinde mater, filius & filia, & hæc ſunt verba eius. lib. 13. Comment. in Ezech cap. 44. ſuper illa verba. Sabbata mea ſanctificabunt. Naturæ quoque ſuper hoc probatur affectus, vt ordinẽ charitatis (iuxta quod ſcriptum eſt ordinauit in me charitatem) poſt rerum parentem Deum, carnis quoque pater diligatur, & mater, filius & filia, frater, & ſoror. Tum quia tam pater, quam mater amãtur ſub quadam ratione vna, ſcilicet vt principia originis noſtræ, & ideo ambo vocantur parentes, reſpectu cuius excellentiorem rationem principij habet pater, quam mater; quia pater eſt filio coniunctus tanquam principium actiuum eius principale, atque adeo multo arctius, quam mater, tum quia amor, qui debetur parentibus eſt honoris, & reuerentiæ, ſed iſta dantur ei, qui dignior reputatur; Vnde eſto, quod pater, & mater ſub eadem ratione, & æqualiter eſſent vt principium originis filij: quia tamen pater eſt ſemper vir, mater autem fœmina, & ſexus maſculinus eſt honorabilior, quia vir eſt caput mulieris, ſicut Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, & viri, vt dicitur, 1. Corint. 11. debetur maior honor, & reuerentia patri a filiis, quam matri.

10. Concl. Decima Concluſio. In his quæ pertinent ad œconomicam rationem, & extra extremam neceſſitatem, magis diligenda eſt coniux, quam parentes, quod enim attinet ad id genus rerum arctior eſt coniunctio coniugalis, iuxta illud Matth. 19. Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro, id eſt, ordinatur propter vnam carnem generandam; & iuxta illud Gen. 2. propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, id eſt, homo tenetur relinquere patrem, & cohærere cum vxore ad carnalem copulam. Vnde illa adhæſio non eſt intelligenda de adhæſione, quæ eſt per amorem, ſed de illa quæ eſt per cohabitationem œconomicam, atque ita derelictio illa intelligenda eſt, de derelictione oppoſita huic adhæſioni. In caſu vero extremæ neceſſitatis, magis ſunt diligendi parentes, quia maius eſt debitum circa illos; & maior etiam cum illis coniunctio, quo ad eſſe abſolute. Fortior eſt enim vnio fundata ſuper propinquiſſimum naturæ gradum, qualis eſt viri ad patrem, & matrem, quam fundata ſuper mutuum conſenſum per verba, vel ſigna expreſſum, qualis eſt inter virum, & vxorẽ, eſſe autem nutriri, & diſciplinari, quæ accipit filius a parentibus maius bonum ſunt, quam carnale remedium, contra æſtum concupiſcentiæ, & ſolacium ſocietatis, & adiutorium ad procreationem prolis, quæ vir recipit ab vxore. Item vir magis debet illum diligere a quo diligitur ſtabilius, & amore minus reflexo, & magis propter ſe, ſed iſtæ conditiones magis ſunt in dilectione matris ad filium, quam vxoris ad virum: quod patet, quia vt in pluribus facilius ſoluitur amicitia vxoris ad virum, quam matris ad filium, vxores etiam raro amant niſi vt redamentur, ſecundum autem Philoſ. 8. Ethic. cap. 8. matres gaudent in amare, redamari autem non quærunt, ſi vtraque non contingant. Vxores etiam vt in pluribus nõ forti amore diligunt maritos, niſi propter vtile, vel delectabile, matres autem fortiter diligunt, & ſi nihil eis debeant prodeſſe, ergo plus debet homo diligere matrem, quam vxorem. Quinimo filius etiam magis diligi debet, quam coniux in extrema neceſſitate, vt docet Caie. *Caietan.*
22. quæſt. 26. art. 11. Item in his quæ pertinent ad honorem, & reuerentiam, magis diligendi ſunt parentes, quam coniux.

Vndecima Concluſio. Per ſe loquendo magis eſt di- 11. Concl.
ligendus benefactor, quam is, cui beneficium impertiueris: quia benefactor in quantum benefactor importat rationem maioris boni, quam beneficiatus, in quantum beneficiatus; atque adeo quamuis beneficiatus ſit magis benefactori coniunctus, quam è conuerſo, quia in beneficiato eſt effectus benefactoris, tamen illa maior coniunctio non tantum debet inclinare voluntatem diligentis, quantum maior bonitas, quæ eſt in benefactore. Addas quod cum benefactore ſuo intercedit alicui coniunctio, quatenus benefactor ſecundum ſuam alioquin voluntatem eſt cauſa, ſicut author impenſi beneficij, cum beneficiato autem coniunctio intercedit benefactori non niſi, vt in eo ineſt quidam effectus ſuus, ſcilicet ipſum beneficium; maior eſt autem coniunctio, quæ reſpicit alterum abſolute, quam ea, quæ reſpicit alterum non niſi, quia ab alio quippiam accepit: Dixi autem per ſe loquendo: quia per accidens magis debet homo diligere beneficiatum, quia magis eſt diligendum bene agere, quam bene pati. In bene enim agere magis manifeſtatur hominis eſſe, & viuere, & magis relucet in eum ſuum eſſe morale, & magis eſt etiam de ratione amicitiæ, quæ ſecundum Philoſ. 8. Ethic. cap. 8. magis videtur eſſe in amare, *Philoſo.*
quam in amari; magis etiam eſt laborioſum bene agere, quam bene pati, & ſecundum quod dicit Philoſ. 9. Ethic. cap. 8. quæ laborioſe fiunt omnes magis diligunt.

DISTINCTIO XXX.

HIC ſolet quæri quid potius ſit, pluriſque meriti, diligere amicos, an diligere inimicos. &c. In hac diſtinctione poſt quam Magiſter locutus eſt de charitatis ordine ſecundum quadruplicem dilectionis modum, agit de dilectione ſecundum quantitatem meriti & continetur hæc tota diſtinctio tribus concluſionibus.

Prima Concluſio. Magis meritoria eſt dile- 1. Concl.
ctio, qua diligitur amicus, quam ſit ea, qua inimicus diligitur; hanc concluſionem inſinuans Magiſter quærit; an diligere amicum ſit maioris meriti, quam diligere inimicum, & ratio dubitationis inde elicitur: quia multi opinati ſunt magis meritoriam eſſe dilectionem, qua amicus diligitur, quam illa qua inimicus: & ſoluendo quæſtionem dicit, quod poteſt comparatio iſta intelligi dupliciter, vno modo vt comparetur dilectio amici ex vna parte ad amicum; alio modo amici ad inimicum ſimul, atque ita plana eſt quæſtionis ſolutio: nam nulli dubium, quin diligere amicum, & inimicum ſimul ſit maioris meriti;

quam

quam tantum amicum diligere. At ſi fiat comparatio inter amici dilectionem ex vna parte, & dilectionem inimici ex altera tunc difficultatis ſolutio magis obſcura apparet: quia de facili videri non poteſt an ſibi ſit idem motus dilectionis, qua amicus, & inimicus diligitur, vel alius & alius. Cæterum ſiue vnus, ſiue duo ſint, nullum ſe qui videtur inconueniens ſi dicatur, quod amici dilectio magis meritoria ſit, eo quia ſit maioris feruoris. Quibus verbis videtur innuere Magiſter, quod vnus, & idem motus voluntatis ſit circa amicum, & inimicum. Hoc autem videtur falſum: quia cum actus diſtinguantur per obiecta, & amicus & inimicus ſint diuerſa obiecta, & diuerſa diligibilia, videtur impoſſibile, quod quis eodem actu amicum, & inimicum diligat; præterea virtus ſimplex & finita, vt inquit Auer. lib.

Auerro. *de ſubſtantia orbis c. 3. ad quacunque ſe conuertit totaliter ſe conuertit ſed homo diligendo amicum conuertit ſe ad ipſum ergo non videtur quod vno, & eodem actu ſimul & ſemel poſſit diligere amicum & inimicum.*

Reſpondeo quod quamuis quod dicit hic Magiſter non ſit vndequaque bene intelligibile poſſumus tamen eum exponere, & ſaluare dupliciter. & primo ſic: quia poſſumus erga aliquē dupliciter affici ſcilicet propriè, & diſtincte, & ſub propria ratione: vel in quadam generalitate cũ alijs; v. g. dupliciter poteſt aliquis affici diligendo Petrum. aut quia ſpecialiter afficitur circa ipſum; aut quia generaliter cogitat omnem hominem eſſe diligendum, atque ita generaliter circa omnem hominem afficitur, ſecundum quod exigit ordo charitatis. Si primo modo accipiatur motus dilectionis in amicum, ſic non poteſt vnus, & idē motus qui eſt in amicum, eſſe erga inimicum, ſicut rationes adducta oſtendunt ſi uero ſumatur: ſecundo modo ſic poteſt eſſe idem, & ita accipit Magiſter cum dicit, quod poteſt eſſe vnus motus reſpectu vtriuſque.

Secundo modo poteſt ſuſtineri dictum Magiſt. ſi diſtinguamus. quod duobus modis contingit vim aliquam moueri in obiectum, aut motu ſimplici & abſoluto aut motu collatiuo, & aliquo modo compoſito. Si loquamur de motu ſimplici, & abſoluto ſic non poteſt eſſe vnus, & idem in amicum, & inimicum, imo diuerſi ſunt, quorum vnus eſt intenſior & alter remiſsior. Si vero ſit ſermo de motu collatiuo, quo quis afficitur circa aliqua duo vnum alteri præponendo, hoc modo poteſt eſſe motus vnus, vt dicit Magiſter ſecundum aliquid ſui intenſior, & ſecundum aliquid remiſsior, & iuxta hæc patet reſponſio ad ea quæ obyciũtur: nã illa duo procedunt de actu ſimplici, & abſoluto, qui eſt reſpectu vnius obiecti tantum; actus vero collatiuus poteſt eſſe reſpectu duorum ſub ratione vnius.

Secunda Concluſio. D. Auguſtinus videtur dicere magis meritorium eſſe inimicum diligere, quam amicum. ita enim ſcribit in Enchir. c. 73. 2. Concl. D. Aug. *Magnum eſt circa eum, qui tibi nihil mali fecit eſſe beneuolum, & beneficum, illud multo grandius, & magnificentiſsimæ bonitatis eſt, vt ſuum quoque inimicum diligas, & eum qui tibi malum vult, & ſi poteſt facit, tu ſemper bonum velis, faciaſque, quod poſſis audiens dicentem Ieſum, Diligite inimicos veſtros; & benefacite his, qui vos oderunt. &c. Verum ſententiam D. Aug. inquit Magiſter, intelligendam eſſe ſecundum primam partem diſtinctionis præmiſſa. Nam D. Auguſt. locutus eſt penes comparationem dilectionis amici, & inimici ſimul ſumptis, ad dilectionem amici per ſe præciſe acceptam.*

Tertia Concluſio Diligere inimicos omnibus eſt præceptum generaliter, licet perfecte diligere, 3. Concl. *vſque ad beneficiorum exhibitionem conſilij ſit. & perfectorum ſpecialiter. Hanc concluſionem inſinuans Magiſter, mouet quoddam dubium ex verbis D. Auguſt. qui loco ſupra citato dicit quod diligere inimicos non impletur in tanta multitudine, quanta in oratione Dominica exauditur, id eſt, inimicorum dilectio non eſt tot hominũ, quot in oratione Dominica exaudiuntur cum dicitur. Dimitte nobis debita noſtra &c. Ex quo videtur quod cum plures exaudiantur in prædicta oratione Dominica quam ſint illi qui diligunt inimicos, quod inimicos diligere non cadat ſub præcepto charitatis, quod tamen inconueniens eſt: quia nomine proximi omnis homo debet intelligi.*

Hanc dubitationem ſoluens Magiſter inquit, quoſdam opinatos fuiſſe inueniri aliquos charitatem habentes ſed minime inimicos diligere & hoc quia dicebant præceptum de dilectione inimicorum ſolum perfectionis eſſe præceptum, minoribus verò ſiue imperfectis tantum fore conſilium, ita vt nil aliud illis ſit præceptum niſi inimicos odio habere: verum quia hæc reſponſio Magiſtro minime placet, ideo aliter reſpondendo dicit, nēpe de inimicorum dilectione omnibus illud præceptum datum fuiſſe. Et ad B. Auguſtinum dicētem, quod diligere inimicos ſit perfectorum reſpōdet, hoc debere intelligi de diligentibus inimicos charitate perfecta, quomodo eſt quidem perfectorum, at per hoc minime excluduntur illi minus perfecti quin inimicos diligere non teneantur eodem modo debet intelligi dictum ſuum, quod ſcilicet in oratione Dominica aliqui exaudiuntur, qui non diligunt inimicos, nimirum charitate perfecta. Circa hanc diſtinct. quærit Scotus vnicam quæſtionem.

Quæ-

QVAESTIO VNICA.

Vtrum neceſſe ſit ex charitate diligere inimicum.

Amicus, quid ſit.

PRo explicatione tituli obſeruandum eſt; quod amicus & proximus ad idem pertinent: quia omnis homo eſt proximus naturæ proximitate, etiam omnis homo amicus eſſe debet: quia omnes benefacere debemus, & omnes diligere, Vnde naturaliter, vt docet Philoſ. octauo Ethicorum quilibet homo eſt amicus omnium hominum, atque ita proximus, & amicus bene conuertuntur, licet aliquando amicus accipiatur preſſe, ſicut loquitur Ariſt. octauo Ethicorum dicens, quòd inter amicos debent eſſe tria, ſcilicet æqualitas, ſimilitudo, & conuiuere, & tunc amicus & pluſquam proximus; & ſic dicitur ibi, quod amicus eſt alter ipſe; & Seneca dicit, quòd cum amico omnia tractanda ſunt, & iſto modo etiam Chriſtus vocat interdum amicos. Ioan. 15. Vos amicos dixi; quia omnia quæcumque audiui à patre meo nota feci vobis, & diſtinguitur ibi amicus contra ſeruum, & tamen ſeruus proximus eſt.

Ariſt. — Inter amicos debent eſſe tria. — *Seneca.*

Amici debent eſſe pauci.

Tales autem amici p uci eſſe debent: quia nõ eſt poſſibile tales multos inuenire, etiam non eſt poſſibile multis communicare, vt amicis mente, & verbo participando, vt dicitur nono Ethicorum. Ideo Ariſtot. decimo Ethicorum oſtendit, quod fœlix debet habere amicos non tamen valde multos. Et Eccleſ. 6. dicitur. Multi pacifici ſint tibi, & conſiliarius ſit tibi vnus de mille, & tamen non eſt amicus niſi cum quo omnia, ſicut cum anima ſua, tractare liceat; vt dicit Seneca ad Lucillum: & iſto modo amicus non conuertitur cum proximo; amicus tamen primo, ſcilicet, qui amandus eſt, vel qui naturaliter amicus eſt, cum proximo conuertitur, & in hoc ſenſu etiam inimicus poteſt amicus appellari.

Nullus homo propriè eſt inimicus.

Secundo obſeruandum eſt, quod licet propriè nullus homo ſit inimicus appellandus, quia nemo habendus eſt vt inimicus, cum nemini alterum odiſſe liceat, imò omnes homines ſint ex charitate diligendi, & inimicus ſit, quem quis odit; tamen qui nos odiunt inimici appellantur, quemadmodum & ij, qui nos perſequuntur & calũniantur; Odiens dicitur, qui in voluntate nocendi manet: nam ſi quis mala nobis iniuſte intulit, ſed non manet in voluntate nocendi, imo reconciliari quærit, is inimicus dici non poteſt. Perſequens dicitur, qui conatur iniurias, vel damna inferre, & hoc in rebus; calumnians vocatur, qui iniuſtas accuſationes contra aliquem format & per hoc intelligitur omnis detractio & offenſa, quæ fit in verbis, & maximè in criminibus falsè appoſitis. Quando etiam aliquis de alio vera crimina refert non animo corrigendi, nec ad aliquem bonum finem; ſed ad detractionem, & infamandum, peccat, & inimicus eſt, licet magis propriè ſit inimicus, qui falſa crimina opponit.

Inimicus eſt duplex Bruliſer.

Tertio obſeruandum eſt, quod inimicus, vt notat Bruliſer hac diſtinctione trigeſima, quæſtione quarta, eſt duplex, ſcilicet, naturæ humanæ, qui eſt ſupra vel ſecundum ſtatum viæ, ſcilicet, Diabolus: alius eſt inimicus hominum, ſcilicet, faciens alicui iniuriam, vel inferens aliquod damnum: & iſte eſt duplex, quidam perſonalis, alius communis hoſtis, & perſecutor Eccleſiæ, vt Nero, & modo Turca: quæſtio præſens intelligitur de inimico perſonali, qui poteſt in hunc modum deſcribi: Inimicus eſt omnis, qui affectat malum pœnæ, vel culpę, non propter emendationem, nec propter iuſtitiæ executionem: ex quo ſequitur quod pater infligens malum pœnæ filio, non eſt inimicus, ſimiliter Præſidens, aut prælatus inferens malum pœnæ ſibi ſubdito non eſt inimicus, quia hoc faciunt ad emendationem. Nec etiam Miniſter iuſtitiæ, qui ſuſpendit furem, quia hoc facit ob iuſtitiæ executionem: Inimicus ergo eſt, qui ex ſua mala voluntate, & odio affectat alicui malum: & hoc contingere poteſt bifariam, nempe vel ſolo affectu, vel affectu: & effectu ſimul; affectu tantum, vt quando affectat malũm pœnæ: ſed quia non poteſt ideo non infert illi pœnam, & iſte dicitur inimicus dumtaxat affectu. Ille verò eſt inimicus affectu & effectu, qui nedum malum optat, verum etiam effectu vexat vel verberat.

Actus duobus modis dicitur eſſe ex charitate.

Quarto obſeruandum eſt, quod actus aliquis dicitur eſſe ex aliqua virtute duobus modis, priori modo tamquam de mouente, & imperante: altero modo ſicut ab eliciente, & informante. priori modo omnia opera noſtra meritoria ſunt ex charitate, quia ſunt à charitate mouente & imperante: ex chari ate enim poſſum ire ad Sanctum Iacobum, vel ad Diuam Virginem Lauretanam, ex charitate poſſum leuare feſtucam, mundare Eccleſiam &c. huiuſmodi, quæ tamen operationes, non eliciuntur a charitate, ſed imperantur tantummodo. Poſteriori modo, ſolum ille actus dicitur eſſe ex charitate elicitiuè, quem charitas reſpicit formaliter, & directè, ſicut diligere Deum, & Proximum, quem actum non alio habitu elicit voluntas, niſi habitu charitatis. Diuus Auguſtinus octauo, de Trinit. inquit. Qui diligit homines, vel quia iuſti ſunt, vel quia vt iuſti ſint amare debet. Diligere ergo ex charitate contingit dupliciter: Vno modo ex charitate imperante. Altero modo tanquam ex charitate eliciente, & hoc modo diligitur ex charitate illud, in quo eſt formalis & proprius actus charitatis, & tale non eſt niſi illud, quod eſt ſummum bonum, vel cui ſummum bonum natum eſt de lege communi aliquo modo vniti per cognitionem, & amorem.

D. Auguſ.

Duplex necesſitas.

Quinto obſeruandũ eſt, quod neceſſitas, vt ad propoſitum ſpectat, eſt duplex, ſcilicet, neceſſitas abſoluta, vel ſimpliciter, & neceſſitas conditionata, aut ex ſuppoſitione, de qua diſtinctione dictum eſt diffuſe in prima parte huius tertij, diſtinctione vigeſima. Quæſtio hęc non quærit de neceſſitate abſoluta vel ſimpliciter, id eſt, an neceſſitate abſoluta, & ſimpliciter, ita vt eius oppoſitum inuoluat contradictionem neceſſe ſit diligere inimicum. Sed quærit de neceſſitate conditionata ſiue ex ſuppoſitione, id eſt, an ſuppoſita legis euangelicæ perfectione neceſſe ſit pro ſalute conſequenda diligere inimicum.

Senſus tituli.

Senſus itaque tituli huius quæſtionis talis eſt, vtrum ſuppoſita perfectione legis Euangelicæ teneatur quilibet ex charitate imperante, vel etiam eliciente diligere inimicum perſonalem. Verum quia hæc quæſtio ſerioſa eſt, & valde vtilis, pro eius exacta explicatione diuido illam in ſequentes articulos.

Articul. 1. Vtrum licitè, quis poſſit odiſſe inimicum ſuum.

Art. 2. Vtrum quis licitè poſſit odiſſe inimico corporalem vitam.

Art. 3. Vtrum liceat inimicis optare incommoda ob priuatam vtilitatem.

Art. 4. Vtrum teneamur diligere inimicos ex charitate.

Art. 5. Vtrum diligere inimicum, ſit præceptum, vel conſilium.

Art. 6. Vtrum benefacere inimicis omnibus ſit præceptum.

Articul. 7. Vtrum teneamur pro inimicis orare.

ARTICVLVS I.

Vtrum licitè quis poſsit odiſſe inimicum ſuum

ET videtur quod ſic per illud Pſalm. 68. Fiat menſa eorum ipſis in laqueum, & in Pſalm. 108. Fiant Filij eius orphani, & vxor eius vidua. Item Conſtitue ſuper eum peccatorem, & Diabolus ſtet a dextris eius, cũ iudicatur exeat cõdemnatus, &c. Itẽ Elias maledixit duo-

Digitized by Google

bus principibus quinquagenarijs. 4 Reg. 1. dicens. Si homo Dei ſum deſcendat ignis, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Item Pſalm. nono. Conuertantur peccatores in infernum, & Pſalm. Deficiant peccatores à terra, & iniqui ita vt non ſint. Item Matth. vndecimo, dixit Dominus Væ tibi Chorozaim, væ tibi Bethſaida. Item Apoſt. maledixit Summo Sacerdoti Actor. 23. dicens. Percutiet te dominus paries dealbate. Vnde ſequitur Summum Sacerdotem Dei maledicis? & ad Galat. quinto, Vtinam abſcindantur, qui vos perturbant. Ex quibus omnibus videtur licitum eſſe inimicis maledicere, & ita odiſſe.

In oppoſitum tamen dicitur Matth. 5. Benedicite his, qui oderunt vos, ſi ergo benedicere inimicis eſt præceptum, ergo maledicere eſt prohibitum; non eſt ergo licitum.

Inimicus dupliciter conſiderari poteſt.

Pro ſolutione huius difficultatis obſeruandum eſt ex Doct. ſub. in hac quæſt ſub litt. A. §. Reſpondeo ad quæſt. quòd inimicus bifariam conſiderari poteſt, vno modo per ſe, id eſt, in quantum inimicus, alio modo per accidens, id eſt, quatenus homo; & eſt fere idem quod dicunt Nominales, dicentes, quod cum quæritur; An inimicus diligendus ſit ex charitate, quòd inimicus non accipitur, vt appellat ſuam rationem formalem, licet ſequatur verbum diligendus, quod importat actum interiorem animi; quia non quærit quæſtio, vtrum dilectio inimici ſub ratione inimici, vt in præcepto, vel inimicus in quantum inimicus eſt, de neceſſitate præcepti ſit diligendus; Nam certum eſt, quod inimicus ſub illa ratione non eſt diligendus; quia malum non eſt diligendum; inimicus autem vt talis, id eſt, quatenus inimicus; ne dum eſt malus priuatione boni, ſed habitu poſitiuo vitij; ſicut iniuſtus non tantum dicitur, quia caret habitu iuſtitiæ, ſed etiam habens habitum iuſtitiæ contrarium cauſatum ex actibus iniuſtitiæ ſiue ex actibus iniuſtis, vt docet Boetius in commentario ſuper prædicamenta capit. de Qualitate. & hoc modo ſicut amicitia connotat bonum virtutis in amato conueniens, ſiue correſpondens actui virtutis in amante; ita amicitia connotat, vel reſpicit malum, hoc eſt vitium in inimico, diſconueniens bono, quod eſt in eo, cui eſt inimicus. hoc eſt dictum breuiter. amicus connotat actum virtutis, id eſt, dilectione in diligente, quo tendit in amatum propter virtutem amati. Inimicus verò connotat actum odij vitioſum in inimico, quo odit eum cui eſt inimicus propter bonum virtutis, quod eſt in eo; nam qui odit vitium alterius non eſt inimicus. Inimicus ergo in quantum talis eſt vitioſus, atque adeo nullo modo eſt diligendus. Loquendo autem de inimico per accidens, ſcilicet de hoc homine qui nunc eſt inimicus, habet quæſtio difficultatem, ita vt quærimus de inimico per accidens; id eſt, quærimus de homine, qui eſt inimicus. an aliquis poſſit iuſtè eum odiſſe.

Secundò obſeruandum eſt, quòd de præcepto dilectionis poſſumus loqui dupliciter, ſcilicet poſitiuè per modum actus eliciendi, vel quaſi prohibitiuè per modum actus contrarij arcendi, & ſecundum eſt magis neceſſarium; quia præcepta affirmatiua magis obligant ne eis contraria fiant, quam quod actus poſitiui circa præcepti materiam eliciantur, Verbi gratia, præceptum de parentum honore, magis obligat ne parentes inhonorentur, ſeu maledicantur, quam quod actus honoris, & reuerentiæ eis impendantur, quia ad primum obligat ſemper, & pro ſemper; ad ſecundum autem tantum pro aliquando; Præceptum enim affirmatiuum includit negatiuum, & e conuerſo, & propterea poteſt dupliciter intelligi, quod aliquis teneatur diligere inimicum, vno modo quantum ad præceptum negatiuum, vt ſit ſenſus inimicus non eſt odiendus, & in hoc ſenſu examinatur in hoc articulo; alio modo poteſt intelligi affirmatiuè, ſeu poſitiuè, & in hoc ſenſu explicabitur in 4. art.

Dupliciter poteſt quis aliũ odiſſe.

Tertio obſeruandum eſt, quod cum alium nolle, ſiue odiſſe, ſit velle ipſi malum, vel nolle bonum, dupliciter poteſt quis alium odiſſe, ſeu nolle; ſecundum quod duplex eſt bonum, quod poſſumus nolle, vel odiſſe inimico, ſcilicet bonum ſpirituale, quo natus eſt attingere Deum, vel bonum indifferens, quod ordinari poteſt ad illud, & ad oppoſitum, primi generis ſunt actus amoris amicitiæ Dei, hoc eſt, diligere Deũ amore amicitiæ, vt eſt bonum honeſtum, vel concupiſcere Deum, vt eſt ſibi bonum commodum, item viuere vita ſpirituali, ſcilicet vita gratiæ; item audire Miſſam, prædicationem, correctiones, inſtructiones, per quas conuertatur ad diligendũ Deum, & ſimilia; ſecundi generis ſunt viuere vita corporali, eſſe ſanum, diuitem, fortem, potentem, &c. Poteſt ergo aliquis dupliciter alium odiſſe, vno modo nolendo ipſi bonum ſpirituale, vt nolendo ipſi Deum, vel præmium ſempiternum, &c. Sed volendo malum contrarium, videlicet ipſum non diligere Deum, nec obtinere præmium ſempiternum, atque ita quærimus in hoc art. Altero modo nolendo ipſi temporale bonum, & volendo ipſi malum contrarium, vt nolendo bonum ipſi, ſcilicet diuitias, vel ſanitatem, aut etiam vitam corporalem, & in hoc ſenſu erit ſermo in ſequenti articulo.

His obſeruatis ſit prima Concluſio. Inimicum formaliter acceptum, id eſt, in quantum inimicum, licitè quis odiſſe poteſt, & debet, hæc concluſio eſt S. Thom. ſecunda ſecundæ, quæſt. 25. art. 8. & Scot. in hac quæſt. ſub. litt. A. probatur concluſio; quia inimicus ſic ſumptus includit mortalem culpam, videlicet inimicitiam, ſicut album includit albedinẽ, ſed nulla culpa debet, & poteſt ex charitate diligi, ſed reſpui, & odiri, ergo &c. & confirmatur, Nullus poteſt ex charitate illum diligere, quem ſcit in odio Dei eſſe, ſed omnis inimicus proximi, vt inimicus eſt Deo iniuſus, ipſique ingratus propter peccatum odij, ſeu inimicitiæ, ergo &c. Et ſi dicas, ſi omnis inimicus vt ſic, eſt odiendus, ergo odiens ſuum, vel alterius inimicum, eſt ab ipſo etiam odiendus, cum ſit eius inimicus. Reſpondeo; quòd non ſequitur: quoniam aliud eſt odiſſe proximum, & aliud odiſſe eius peccatum, & aliud eſt eſſe inimicum proximi, & aliud eſſe inimicũ peccati; eſſe enim inimicum proximi cum odiẽdo eſt peccatum, & malum, & ideo talis vt ſic eſt odiendus; eſſe autem inimicum peccati, & per conſequens inimicitiæ proximi, quæ inimicitia, eſt peccatum; (nam inimicus propriè dicitur, qui cum peccato facit aliquod malum proximo) non eſt malum, ſed meritorium atque bonum; atque adeo talis inimicus, non eſt ab alio odiendus, ſed diligendus. Solus enim inimicus eſt odiendus, cuius inimicitia eſt peccatum, qualis eſt omnis proximi inimicus; non autem ille cuius inimicitia eſt meritoria, qualis inimicus eſt omnis inimicus peccati, & per conſequens inimicitiæ proximi. Quare ſi odio te, quia tu odis me, in quo mortaliter peccas; tu nõ debes me odiſſe, ſed potius diligere, quia odiũ quo tè odio, non eſt malum, ſicut tuum odium quo me odis, ſed bonum, quia tranſit ſuper peccatum tuum; & talis ſic inimicos, & quoſcumque alios peccatores odiens, poteſt dicere cum Pſalmiſta Perfectò odio oderã illos, & inimici facti ſunt mihi; ita enim peccati odium dicitur meritorium, & perfectum; ſicut per oppoſitum boni odium dicitur imperfectum.

1. Concl.

D. Thom.

Scotus.

Secunda Concluſio. Vnuſquiſque tenetur ſub præcepto peccati mortalis nunquã elicere actum nolitionis vltimi finis, & eorum quæ ſunt neceſſaria ad conſecutionem illius reſpectu proximi inimici, ita Scotus hic ſub littera. B. §. Quantum ad prima bona. ſenſus concluſionis eſt quòd inimicus ſumptus ſecundo modo, ſcilicet per accidens, id eſt, in quantum homo, cui accidit inimicitia, debet à quolibet ſemper, & pro ſemper negatiuè ſpiritualiter diligi; id eſt, à nemine eſt odiendus nolendo eum diligere Deum; & conſequi præmium ſempiternum: quia huiuſmodi odium quo quis nollet alium diligere Deum, nec præmium obtinere æternum, eſt mortale peccatum, ad quod vitandum quilibet omni tempore obligatur.

2. Concl.

Probatur concluſio. Vnuſquiſque tenetur diligere Deum in ſe, & propter ſe, ſed cum tali dilectione nõ ſtat odium proximi inimici; ergo tenetur vnuſquiſque non habere huiuſmodi odium. Min. patet ex diſtinct. 28. quia talis actus eſſet velle, quòd ille alius non diligat Deum, qui ab omnibus diligibilis eſt, eſſetq; velle Deum ſibi ſoli, quorum vtrumq; eſt quid inordinatũ, & imperfectum vt diximus ibi; Nõ enim poſſum abſque præcepti tranſgreſſione, nolle inimicum diligere Deum neq; in via, neq; in

ter-

Digitized by Google

termino, & per conſequens nec alia ad diligendũ Deum neceſſaria; non enim ſtat cum dilectione Dei nobis præcepta nolle eum condiligi ab alio, cuius dilectio neſcitur ei diſplicere; & hoc, condiligi ſiue in ratione honeſti, & propter ſe; ſiue in ratione commodi eius. Et confirmatur: quia nolentem Deum ab aliquo condiligi, tam amore amicitiæ, vt in ſe bonum, quam etiam amore concupiſcentiæ, vt proficuum diligenti; vel nolentem ipſi antecedens præmium, per quod perducatur ad huiuſmodi conſequens; videlicet Deum diligendum, conſtat non perfecte diligere Deum, vt ſuperius deductum eſt.

Item inimicus eſt proximus, ergo tenemur eum diligere ad eadem bona, ad quæ nos ipſos diligimus, & per conſequens non poſſumus ei velle contraria.

Et ſi quæras, an poſſit Deus ab aliquo ex charitate diligi, proximo ſpiritualiter modo præexpoſito non dilecto. Reſpondeo, quòd aliud eſt nolle Deum ab aliquo diligi, vel haberi, & aliud eſt non velle ipſum ab alio diligi, cuius dilectio poteſt exiſtere ipſi Deo grata. Quia velle, & nolle, ſunt actus contrarij, atque adeo ſicut velle eſt diligere, ita nolle eſt odiſſe, velle aut non velle ſunt contradictoria, atque ita non velle non ponit aliquod poſitiuum, ſed præciſe negat ipſum velle, ſcilicet diligere; ac proinde eſſe poteſt actus diligendi Deum præciſe perfectus, etiam cum non velle, ſeu cum negatione actus volendi ipſum Deum dilectum ab alio condiligi: quia poſſum intelligere Deum, & ipſum diligere, vt in ſe bonum, non conſiderando aliquid aliud ab ipſo, & per conſequens non diligendo ſeu volendo alicui ipſum Deum actualiter; Non poſſum enim alicui non præintellecto actualiter velle Deum. Ad perfecte autem, ſeu meritoriè diligendum Deum, non videtur eſſe neceſſarium aliquid à Deo diſtinctum actu intelligere; atque adeo licet perfecte, & ex charitate diligens Deum, debeat diligere proximum negatiuè, id eſt, non odiendo ſeu nolendo Deum ab eo condiligi, & etiam poſitiuè habitualiter, non tamen actualiter: Diligens verò actualiter Deum, dicitur tunc habitualiter proximum diligere, quando ſi eum conſideraret ſtatim ipſum actualiter diligeret, id eſt, Deum ab eo condiligi optaret, & hoc ſufficit, vt videtur. Actus tamen diligendi Deum ex charitate, & perfectus, non poteſt eſſe cum actu nolendi eum condiligi ab omni illo, cuius dilectio poteſt eſſe ipſi grata, quia tali eiuſmodi amor eſt amati amanti appropriatiuus, qui vt ſic neque eſt actus meritorius, neque Deo gratus, cum actus ipſi annexus, quo non vult illum condiligi ab alio, ſit mortale peccatum, quia fraternum odium.

Mala quę peccatoribus imprecantur bifariã conſiderari poſſunt. Ad argumenta in oppoſitum dico primo, quòd mala, quæ imprecantur peccatoribus poſſunt bifariam conſiderari, priori modo vt mala ſunt, & ſpectando in illis malis dumtaxat id, quod iucundum eſt, propter vindictam propriam, vel ob aliam rationẽ, vt ſcilicet illa incurrant, qui ea mala alijs optant, quatenus mala ſunt, poſteriori modo ſub boni ratione, quatenus, ſcilicet iuſte illis infligu ntur à Deo, aut etiam à Magiſtratu, nimirum vt ſunt quoddam bonum iuſtitiæ per quam debito modo ab eo, qui habet legitimam poteſtatem, peccata vindicantur. Priori modo nemini licet eiuſmodi mali optare, & velle peccatoribus per verum odium illorum ſecundum eorum naturam; ita ſcilicet vt quis velit eis eiuſmodi mala euenire, vt mala ſunt. Quoniam nec etiam ipſe Deus ſic vnquã odio proſequitur ipſos peccatores, aut vllam aliam creaturam. Non enim delectatur in perditione impiorum Sapient. primo & nihil odit eorum, quæ fecit. Sapient. vndecimo quamquam impietas ipſa, & impius, vt impius eſt, odio, & abominationi eſt Deo, quatenus is nimirum impietatem ipſam execratur, ſic & nos debemus facere, vt notat hic Doct. noſter ſub.

Poſteriori autem modo licitum eſt huiuſmodi mala velle, & imprecari peccatoribus, quatenus ſcilicet bona ſunt, & à Deo iuſte infliguntur; & tunc negatur conſequentia, Nam imprecationes illæ, quæ obijciuntur ex ſcriptura, non debent intelligi de imprecatione malorum, vt mala ſunt, ſed vt ſunt bonum iuſtitiæ, quo pacto illa ſcripturæ loca interpretatur Diuus Thomas, ſecunda ſecundæ, quæſtione 25. articulo ſexto, ad tertium. & Diuus Hieronymus, in capitulo tertio, Threnorum. & Euthymius in Pſalm. 34. Super illud obſcurentur oculi eorum ne videant, &c. & D. Bernardus ſermone octauo, ſuper Pſalmum. Qui habitat. *D. Thom. D. Hiero. Euthym. D. Bern.*

Secundo modo poſſunt iſtæ imprecationes exponi, vt intelligamus eſſe non tam imprecationes, quam prædictiones futurorum malorum, quæ impij ſunt incurſuri; ita vt talia dicta ſint per prædictionem quid eſſet futurum; non optantis voto, ſed ſpiritu præuidentis, Vnde in verbis Domini, vt docet Alexand. de Ales. tertia parte quæſtione 19. m. quinto, articulo ſexto, & etiam Apoſt. non inuenitur, vt optauerint, ſed quod prædixerint, cum enim ait Dominus Matth. vndecimo, Væ tibi Chorozaim, &c. non aliud ſonat, quam aliquid ei mali venturum merito infidelitatis, quod futurum Dominus non maleuolentia optabat, ſed diuinitate cernebat. Similiter dicit Apoſt. Actorum 15. Percutiet te Dominus, non percutiat: Illa etiam, quæ videntur optionem ſonare, vt eſt illud fiat menſa eorum in laqueum, &c. & illud fiant filij eius orphani; & illud Eliæ deſcendat ignis de cœlo, Reſpondet Alexand. ex D. Auguſt. libro primo, de ſermone Domini in monte, cap. 35. & 42. quod etiam dicuntur per prædicationem, quamuis videantur dici per imprecationem, vnde inquit D. Auguſt. Solent Prophetæ maximè in figura imprecantis futura prædicere; ſicut figura præteriti temporis ea, quæ futura erant cecinerunt, ſicut illud. Quare fremuerunt gentes &c. & non dixit. Quare frement gentes, &c. eodem etiam modo interpretatur eiuſmodi loca Scripturæ Idem D. Auguſt. ſuper Pſal. 108. Iuſtinus Martyr. quæſt. 125. ad Gentes. Anacletus Epiſt. 2. D. Hierony. in cap. 1. Thren. & in Pſal. 11. ſuper illud Diſperdat Dominus, & D. Greg. libro 15. moralium, cap. 23. *Alex. de Ales. D. Aug. Iuſtinus. Anaclet. D. Hieron. D. Grego.*

Tertio modo dici poteſt, quod imprecationes illæ referuntur ad peccatores ſecundũ culpam dumtaxat, vt ſcilicet ſenſus ſit, vt pereant ſecundum culpam nimirum, id eſt, deſinant eſſe peccatores, permaneant autem ſecundũm naturam. Ita exponit Doct. ſub. hic ſub litt. A. illud Pſal. 103. Deficiant peccatores à terra, & iniqui, ita vt non ſint, non ſint quidem inimici, ſiue iniqui, quia verte impios, & non erunt Prouer. 12. Quæ fuit expoſitio D. Hieronỹ. in cap. 3. Ezechielis, & in cap. 4. Danielis, & Origenis lib. 8. in Epiſt. ad Roman. ſuper cap. 11. & Euthymij in Pſal. 43. *D. Hiero. Origenes. Euthym.*

ARTICVLVS II.

Vtrum quis licite poſsit odiſſe inimico corporalem vitam.

Videtur, quod ſic, tum quia iudex in cauſa criminali poteſt iuſte ſententiare contra reum, Actor etiam in eadem cauſa, poteſt licite agere contra eum; ergo vterque poteſt velle effectum illius ſententię; qui effectus eſt occiſio Dei.

Item ſi quis impugnat Eccleſiam, cum talis quantum in ſe eſt impediat bonum commune, ſcilicet pacem Eccleſiæ, vt bonum commune ſaluetur, videtur quòd aliquis poſſit ordinate velle perſecutori illi mortem corporalem, propter bonum commune, quod impeditur per eius vitam, atque adeo poſſum velle, vel Turcarum Principem de medio eſſe ſublatum, vel hæreticum perturbantem Eccleſiæ pacem, quam plus debeo diligere, quam Turcarum Principem, vel hunc hæreticum; plus enim, & magis debeo diligere bonum commune Eccleſiæ, quam bonum priuatum iſtius perſonæ; ergo ſi pax Eccleſiæ (quæ eſt eius bonum) non poteſt ſtare cum vita huius hæretici; volendum eſt bonum priuatum non eſſe, vt ſit bonum commune nam delictum perſonæ non debet in perniciem, vel detrimentum Eccleſiæ redundare.

Pro ſolutione huius difficultatis, & argumentorũ, obſeruãdum eſt vnum, quod etiam tactum eſt in prima parte huius 3. diſt. 15. nimirum, quod quando ex poſitione 1. alicuius conditionis ſimpliciter nolitæ aliquis vult aliquid, non vult illud ſimpliciter, ſed magis reſpuit, ſicut patet de proijciente merces in mare, qui propter tempeſtatem exortam, quæ eſt ſimpliciter ſibi nolita, voluntarie proijcit merces, iſtud voluntarium non eſt mere voluntarium; quia non eſt volitum niſi ex ſuppoſitione cuiuſdam noliti, quòd autem eſt poſſibile tantum ex ſuppoſitione alicuius impoſſibilis non eſt ſimpliciter poſſibile, hæc Scotus in hac quæſt. ſub litt. D. quæ verba videntur contradicere his, quæ dixit diſt. 15. huius 3. contra D. Thomam; vbi dicebat, quòd Mercator vult ſimpliciter proijcere merces; hic autem dicit quod non. Poteſt dici primo, quòd Doct. loquitur hic ſecundum opinionem D. Thomæ; vel ſecundo, quòd per illud ſimpliciter intelligit non mere voluntariè; ſed non ſimpliciter, id eſt, categorice, & abſolute; vel tertio quod verũ eſt, quod Mercator ſimpliciter, & abſolute vult proijcere merces, quia libere, & non coacte proijcit; illa tamen volitio non eſt ſimpliciter voluntaria, quia eſt ex ſuppoſitione alicuius noliti.

Tollitur contradictio.

Ad propoſitum modo applicando, in omnibus illis caſibus, ſcilicet de Iudice de Actore, & Tyranno, illud propter quod mors eſt volita eſt ſimpliciter nolendum, tenentur enim Iudex, & actor nolle ipſum eſſe Deũ ex ſuppoſitione criminis; Tenetur etiam patiens Tyranni perſecutionem, nolle eum eſſe Tyrannum contra Eccleſiam; tenetur etiam in tertio caſu quantum, eſt ex ſe nolle ipſum eſſe finaliter reprobum; atque adeo ſi ponantur oppoſita iſtorum, ſcilicet quod hic reus ſit ex ſuppoſitione, vel ex contracto crimine, & quod talis ſit Tyrannus contra Eccleſiam, atque ita finaliter reprobus, poteſt velle ei potius mortem, quam Eccleſiæ detrimentum.

1. Concl. Hoc ſuppoſito ſit prima Concluſio. Cuicumque in gratia exiſtenti, poteſt alicuius licite nolle vitam, & ei mortem appetere corporalem. probatur. Quoniam quilibet poteſt velle, & nolle alteri, quod velle & nolle licite poteſt ſibi; ſed quilibet exiſtens in gratia Dei ſalubriter, poteſt ſibi mortem optare, & vitam reſpicere corporalem, dicens cum Apoſt. illud ad Epheſ. 1. Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto: ergo, &c.

Et confirmatur, quia cum maius bonum ſit minori præeligendum, licite poteſt quilibet ſibi, vel alteri nolle minus bonum, propter maius bonum conſequendum; ſed vita corporalis eſt bonum incomparabiliter imperfectius vita æterna beata; ergo propter vitam illam æternam conſequendam, licite quilibet poteſt ſibi, vel alteri nolle vitam iſtam miſeram corporalem. Vnde dicit Apoſt. vbi ſupra, quod diſſolui, & eſſe cum Chriſto multo melius eſt; quia videlicet vita beata ſequẽs eſt melior, quam iſta miſera vita præſens.

2. Concl. Secunda Concluſio. Nulli actualiter in peccato exiſtenti poſſum nec debeo abſolutè, ſed ſecundum quid velle mortem, ſeu nolle vitam præſentem corporalem. hæc concluſio eſt Scoti in hac quæſt. ſub. litt. C. §. Quantum ad hoc dici poteſt. probatur prima pars, nimirum quod nulli tali debeo velle mortem abſolute: quoniam licet poſſim licitè velle proximo id, quod poteſt illi eſſe occaſio pœnitentiæ, & reconciliationis diuinæ, non tamen contrarium, videlicet abſolute debeo ipſi velle, per quod excluderetur à poteſtate pœnitendi, & Deum ſibi reconciliandi ac diligendi, ſed hoc eſt mors; nullus enim locus pœnitentiæ eſt poſt mortem, ergo &c.

Probatur ſecunda pars videlicet, quòd ſecundum quid vel conditionaliter poſſit quis aliquem malum velle mori, quoniam licite poſſum velle alicui minus malum, videlicet malum pœnæ, vt euadat maius malum tam culpæ, quam pœnæ ſibi ex culpa huiuſmodi inferendæ, ſed malus impœnitens ad mortem præſcitus æternam, quamdiu viuit in malis continuò perſeuerans quanto plus viuit tanto maius malum culpæ committit, & maius malum pœnæ ſibi in futurum inferendæ per conſequens incurrit; ergo quilibet poteſt licite appetere omni tali mortem, & nolle vitam, vt nimirum det locum bonis, quos impedit, & infeſtat, & ne peccata peccatis addat in præſenti, propter quæ ſit puniendus acrius in inferno.

Et illæ duæ cauſæ colliguntur ex Epiſt. B. Anaſtaſiæ, quam ſcripſit B. Chryſogono, quæ habetur apud Nicephorum libro decimoquarto, hiſt. capitulo quinquageſimooctauo, in fine, in qua ſcribens de viro ſuo Publio infideli; ita loquitur. Itaque te ſamule Chriſti Dei oro, vt etiam atque etiam Deum pro me obſecres, vt ſiquidem hoc conſtituit Deus in Chriſtum Publius vir meus credat, ſin minus, vt ille quidem in errore ſuo pereat, ego autem ab eo liberer. & hoc quo ad primum, & ſequitur quo ad ſecundum. Melius namque mihi fuerit, vt moriar, quam vt filium Dei abnegem, & credentibus in eum offendiculo ſim, vel vt legit Doctor. Melius eſt ei animam exhalarè, quam Dei filium blaſphemare, atque ita neque in iſto caſu neque in duobus præcedentibus de Iudice, & Tyranno, poteſt quis abſolute velle proximo mortem corporalem, imò magis quantum in ſe eſt debet nolle.

Niceph.

Tertia Concluſio. Actus volendi alteri corporalem mortem ſemper debet habere annexam triſtitiam in voluntate, hæc concluſio elicitur ex Scoto in hac quæſtione, ſub littera D. §. In omnibus autem prædictis caſibus &c. & probatur: quoniam omnis actus volendi aliquid non abſolute, ſed cum conditione inexiſtente ſimpliciter nolita, habet annexam triſtitiam, patet de proijciente merces, propter periculum euadendum, talis enim licet volens proijciat, & actum volendi proijcere habeat: tamen quia huiuſmodi volendi actus non eſt abſolutus, ſeu impermixtus, ſed eſt cum actu nolendi conditionem inexiſtentem, ſcilicet periculum ſuæ mortis, ideo talis cum triſtitia proijcit licet volens proijciat. Sed volens licite mortem peccatoris, vult propter conditionem inexiſtentem nolitam, ſcilicet eius impœnitentiam finalem, quæ quidem finalis impœnitentia nolita eſt ſimpliciter inexiſtens: ergo, &c. 3. Concl.

Et confirmatur, quia cum triſtitia ſit de rebus, quæ nobis nolentibus accidunt, & lætitia de his, quæ nobis volentibus ſimpliciter, & non ſecundum quid, & conditionaliter accidunt, per conſequens in quocumque eſt triſtitia, in ea eſt nolle ſimpliciter, quod exiſtit, licet ſit in eo velle ſecundum quid, & conditionatum: nam dictum eſt ſupra diſt. 15. quòd velle conditionatum ſufficit ad cauſandum triſtitiam ſi oppoſitum veniat. Sed qui vult peccatoris mortem, propter finalem impœnitentiam, habet actum nolendi ſimpliciter huiuſmodi eius finalem impœnitentiam inexiſtẽtem, propter quam inexiſtentem abſolute, & ſimpliciter nolitam, ſecundum quid vult ac conditionaliter modo ſupra expoſito eius mortem ergo, &c.

Ad argumenta in oppoſitum reſpondetur concedendo illata, quia iſta non ſunt omnino pure volita, ſed volita cum quadam diſplicentia; Nam Actor debet velle, quod reus contra ſe, vel ſuos non peccauerit, vt non mereatur occidi, ſimiliter Iudex vult, vel velle debet. Nam tenetur Iudex in cauſa, & ſimiliter Actor nolle eum eſſe reum, & velle eum non punire quantum eſt ex ſe: quia ſi faciat hoc ex libidine, vel odio, aut ſponte peccaret mortaliter. Ambo tamen quærunt & exequuntur iuſtitiam, vt bene ſit Reipub. Ita dicendum eſt etiam de hæretico, & Turcarum Principe, quia patiens perſecutionem tyrannicam (vt dictum eſt) tenetur nolle eſſe Tyrannum contra Eccleſiam, & quantum in ſe eſt nolle, eum ſimpliciter eſſe reprobum, adeo vt vellem, quod Turca non inquietaret Eccleſiam, vel quod hæreticus non perturbaret Eccleſiam, ſed volo eos tolli ex hac vita ratione peccatorum, quæ mihi diſplicent eſſe in eis, & hoc non eſt pure ſpontaneum.

Verum ad illud de Tyranno alitér poteſt dici (inquit Scotus) quia tyrannus non poteſt inferre niſi perſecutionem extrinſecam, iuxta illud Saluat. Matth. decimo. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, & poſtea non habent amplius, quid faciant. Talis autem perſecutio exterior frequenter eſt electis materia proficiendi in virtutibus, præcipue in patientia, quæ ſecundum D.

Digitized by Google

Iacobum opus perfectum habet. Hoc enim modo à principio quilibet Eccleſia perſecutionem paſſa eſt, & ex hoc profecit; Et ideo in caſu illo non videtur, quod liceat optare tyranno etiam mortem corporalem, niſi fortè eſſet aliquis, à quo iuſte eſſet ei talis mors infligenda, propter peccata eius, & tunc poſſet aliquis optare, quod à tali iudice fieret iuſtitia, tamen cum triſtitia; quia ſemper tenetur nolle ipſum eſſe dignum tali pœna.

Alex. de Ales.

In hac littera Docto. ſub. ſtringit paucis verbis altercationes illas, quas pertractat Alexander de Ales. 3. parte Summæ quæſt. 34. m. ſecundo, articulo ſecũdo, §. primo. An priuata perſona propria authoritate poſſit occidere tyrannum, vel ſubuerſorem Reipub. aut Hæreſiarcham peſſimum. De qua re fuit quædam hæreſis docens quemlibet tyrannum poſſe licite, & meritorie occidi per quemcumque vaſallum ſuum, etiam per clanculares inſidias, non obſtante quocumque fœdere inter eos inito, etiam per iuramentum confirmato, & hoc abſque ſententia, aut mandato Iudicis cuiuſcumque. Huius hæreſis Author fuit (vt teſtatur Ioannes Gerſon) quidam Ioannes Parui. Hunc errorem damnauit Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 15. his verbis.

Gerſon. Concilium Conſtan.

Præcipua ſolicitudine volens hæc Sacroſancta Synodus ad extirpationem errorum, & hæreſum in diuerſis mundi partibus inualeſcentium prouidere, ſicut tenetur, & ad hoc collecta eſt. Nuper accepit, quòd non nullæ aſſertiones erroneæ in fide, & bonis moribus, ac multipliciter ſcandaloſæ, totiuſque Reipub. ſtatum, & ordinem ſubuertere molientes dogmatizatæ ſunt, inter quas hæc aſſertio delata eſt. Quilibet tyrannus poteſt, & debet licite, & meritorie occidi per quemcumque vaſallum ſuum, vel ſubditum, etiam per clãculares inſidias, & ſubtiles blanditias, & adulationes, non obſtante quocumque præſtito iuramento, ſeu confœderatione factis cum eo, non expectata ſententia, vel mandato Iudicis cuiuſcumque.

Aduerſus hunc errorem ſatagens hæc Sancta Synodus inſurgere, & ipſum funditus tollere, præhabita deliberatione matura, declarat, decernit, & definit huiuſmodi doctrinam erroneam eſſe in fide, & in moribus, ipſamque tamquam hæreticam ſcandaloſam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, periuria viã dantem reprobat, & condemnat. Declarat inſuper, decernit, & definit, quod pertinaciter doctrinam hanc perniciosiſſimam aſſerentes, ſunt hæretici, & tamquam tales iuxta Canonicas ſanctiones puniendi. Alphonſus à Caſtro lib. 14. de hæreſibus tit. Tyrannus, ex his verbis Concilij ſentire videtur nullum Tyrannum ab homine priuato poſſe interfici, idque probare conatur multis argumentis. Verum diſtinctione vtendum eſt. Vt ergo incerta à certis ſeparemus

Alphonſ.

Dico, non licere alicui occidere peccatorem quantumcumque ſit peccator, niſi habeat poteſtatem aliquam publicam ad id faciendum, ita docet Alex. de Ales, vbi ſupra D. Thom. 2. 2. quæſt. 64. articulo tertio, & Abulen. ſuper Matth. cap. 5. queſt. 106. & communiter omnes Theologi, & ratio eſt: quia non licet hominem occidi niſi quatenus vita ſua eſt contra legem, vel in damnum Reipub. ergo non poteſt occidi niſi per illum, qui habet authoritatẽ à lege, vel ab ipſa Repub. a. ſi aliquis omnino ſit priuata perſona non competit ei aliqua adminiſtratio per legem, nec per authoritatem Reipub. ideo ad eum non pertinet occidere quemquam, & hæc ſententia eſt etiam Doct. noſtri ſub. in hac q. ſub litt. D. §. Patet igitur ad primum arg. vbi ſi dubitat an poſſit tyranno quis appetere mortem, à fortiori ſentit, quòd non liceat priuatæ perſonæ tyrannum interficere.

Alex. de Ales. D. Thom. Abulenſ.

Scotus.

Duobus modis, poteſt quis eſſe tyrannus.

Diſtinguendum eſt tamen de tyrãno. Dupliciter enim fieri poteſt, vt quis ſit tyrannus, primo ratione tituli nempè, ſi abſque vllo iure armis principatum inuadat, vel occupet; ſicut Turca regna oriendis, & alia vicina; Talis eſt tyrannus titulo, & inuaſione, quia per vim, & Tyrannidem obtinet Regnum, & durante eadem vi gubernat, dico durante eadem vi: quia ſi deinde Reſpub. in illum conſentiat, quamuis tyrannice introductus ſit, per illum conſenſum Reipub. deſinit iam eſſe tyrannus, & incipit eſſe legitimus Princeps, & poſſidere optimo titulo.

Secundo poteſt quis eſſe tyrannus ratione dumtaxat adminiſtrationis, vt ſi is, qui eſt verus Princeps, Regni adminiſtrationem flectat, non ad bonum publicum, ſed ad ſua priuata commoda, onerando illud iniuſtis exactionibus vendendo officia Iudicũ, condendo leges ſibi commodas, publico parum vtiles.

Tyrannum primo modo cuilibet priuatæ perſonæ licet interficere, quando non eſt recurſus ad ſuperiorem, qui illum proijciat, & impediat, his tamen obſeruatis circunſtantijs. primo, vt conſtet illum eſſe iniuſtum inuaſorem: Si enim aliquod probabile ius habet, non cenſetur Tyrannus, vnde non licet interficere. Secundò, vt non timeantur maiora mala à filio Tyranni, vel amicis. Tertiò, vt non ſit contra expreſſam Reipub. voluntatem eius enim eſt authoritatem iſtam, vel certe conſenſum præſtare. cenſetur autem conſentire, quando poſſim Ciues optant iſtum ſublatum; imo quando non conſtat de contraria voluntate, nam tunc præſumitur velle, quod iuſte velle poteſt, vt liberetur; at qui hoc iuſte velle poteſt cum alia ratio non ſuppetat.

Poteſt autem id fieri duplici iure, primo iure defenſionis innocentis, & hoc iure poſſet etiam is, qui non eſt pars Reipub. oppreſſe; mens enim Reipub. eſt, vt à quouis defendatur, ſi aliter liberari non poteſt. Nam vnuſquiſque habet ius ad defendendam ſuam Rempub. bello defenſiuo iuſto contra inuadentem illam bello offenſiuo iniquo, ſiue explicito, ſiue implicito: Iſte autem Tyrannus primo modo, ſaltem implicite infert bellum offenſiuum, & iniquum Reipub. ergo &c. Secundò iure vindictæ, quia Reſpub. vel eius Princeps (ſi Principem habet) poteſt vindicare iniurias illatas, ita tamen vt iniuriam vindicta non ſuperet; & ratio eſt, quia vnicuique à natura conceditur ius repellendi vim, quam patitur ſua Reſpub. cum patiente illa patiatur & ipſe vim, qui illius pars, & membrum eſt. Hoc autem iure non poteſt vti niſi auctoratus, vt miles: quia vindicta requirit authoritatem, vnde in pace non infertur niſi per Iudicem, ſententia interueniente; in bello niſi per milites.

Et de huiuſcemodi Tyranno loquitur D. Thomas lib. ſecundo de Regimine Principum capit. 6. 2. 2. quæſt. 42. artic. ſecundo ad tertium, & in ſecunda Sentent. diſtinct. vltima quæſt. ſecunda artic. ſecundo ad quintum vbi pro hac ſententia adducit Ciceronem laudantem eos, qui Cæſarem, quamuis familiarem, & amicum occiderunt; eumque explicans ait. Tullius loquitur in eo caſu, quãdo aliquis dominium ſibi per violentiam ſurripit nolentibus ſubditis, vel etiam ad conſenſum coactis, & quando non eſt recurſus ad ſuperiorem, per quem iudicium de inuaſore fieri poſſit; Tunc enim qui ad liberationem patriæ tyrannum occidit laudatur, & præmium accipit. Idem docet Caiet. 2. 2. quæſt. 64. artic. tertio. Sotus libro quinto de Iuſt. & iur. quæſt. 1. artic. 5. Bannes, Salon. Aragona de iuſt. & iure quæſtione 64. articulo tertio. Gregor. de Valent. tomo tertio diſput. quinta quæſt. 8. puncto 3. & alij paſſim. & adducunt exemplum de Aiod, qui ſuſtulit è medio Eglon Regem Moabitarum, qui oppreſſerat tyrannicæ Iſraelitas. Iudicum tertio, & de Iudith. quæ occidit Holophernem, & de Bruto Caſſio & alijs qui occiderunt Iulium Cæſarem. Sed ſi bene expendatur locus ille Iud. tertio Aioth non occidit Eglon, vt perſona priuata, ſed authoritate publica, vt electus à Deo, & miſſus à populo Iſrael ad illum repellendum, & occidendum.

Sotus. Bannes. Salon. Aragona Gregor. de Valent.

Tyrannum verò ſecundo modo nulli priuato licet occidere, quia ille habet iuſtum titulum, atque adeo non eſt deponendus, nec puniendus, quin prius audiatur, & iudicetur, vel à ſuperiore habente authoritatem ad id, vel ab ipſa Repub. quando deeſt ſuperior, & hoc tantum probant rationes à Caſtro adductæ. Ita docent omnes ſupracitati Authores, & in hoc caſu loquitur Concilium Conſtantienſe, quando damnat de hæreſi aſſerentes licere cuilibet occidere Tyrannum, Et probatur ex illo prima Petri ſecundo, Serui ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis. Verum hic locus non agit de ſubditis Principum; ſed de mancipijs, & continet potius conſilium, quam præceptum; hortatur enim quod obediant etiam

Digitized by Google

ſi ob fidem multas patiantur iniurias, à ſuis Dominis; cum tamen in hoc caſu poſſit fugere ſi ſcandalum abſit.

Secundo probatur, Quia Princeps, etſi tyrannice regat, tamen manet ſuperior; Vnde ſcriptura iubet nos in rebus licitis parere Principibus Ethnicis tanquam ſuperioribus, ad Roman. 13. & alibi; etſi maximi eſſent Tyranni, vtpote qui Eccl. etiam perſequerentur, & ad impietatem cogerent; ergo non poteſt a ſubdito interfici, niſi fortè ob neceſſarium vitæ ſuæ defenſionem, etſi enim auferat bona, hæc tamen non ſunt tanti momenti, vt ob eorum tutelam poſſit interfici vim vi repellendo, ſicut priuatus quiſpiam; Tum quia hæc multis modis poſſunt per ipſum, vel Rempub. reſtitui. Tum quia habenda eſt ratio maieſtatis principis, quæ omnibus Sacro Sancta eſſe debet, cum nobis authoritatem diuinam repræſentet, præſertim cũ bona externa adminiſtrationi Principis ſint ſubiecta. Adde ſi tantum excreſcat tyrannis, vt non videatur amplius tolerabilis, nec vllum aliud remedium ſuperſit, tunc primum à Repub. vel Comitijs Regni, vel alio habente authoritatem eſſe deponẽdum, & hoſtem declarandum, vt in illius perſonã liceat quidquam attentare, tunc enim deſinit eſſe Princeps. Vide D. Thomam lib. primo, de regimine Principum cap. quinto, Caiet. & Sotum, vbi ſupra.

ARTICVLVS III.

Vtrum liceat inimicis optare incommoda ob priuatam vtilitatem.

SVppoſita diſtinctione de duplici bono, ſcilicet de bono ſpirituali, quo quis natus eſt attingere Deum; & de bono indifferenti, quod poteſt ordinari ad illud, & ad oppoſitum, quam explicauimus in ſuperiori artic. Pro huius difficultatis ſolutione obſeruandum eſt primo, quod inimici ſunt in duplici differentia, quidam enim ſunt æquè potentes, & à quibus homo licet aliquo labore ſe poteſt defendere; alij ſunt potentiores, à quibus manifeſtum, vel probabile periculum imminet, eſt ergo dubium ſi inimicus vult me interficere, an liceat optare tali homini mortem, vel aliud damnum temporale, ſcilicet paupertatem, infirmitatem &c.

Secundo obſeruandum eſt, quòd optare malum interdum idem eſt quod maledicere, vel malum imprecari; quod bifariam fieri cõtingit, vno modo ad alterius emendationem, altero modo in eius incommodum, & damnum; Priori modo optans inimico malum, vt puta infirmitatem, paupertatem, &c. vt per hoc emendetur, talis non eſt maledicus; Poſteriori verò modo, ſi quis iracundus, & commotus protinus maledicit, alteri malũ optando, vt pote Dæmon frangat tibi collum, vel tibiam, illud eſt peccatum, & fugiendum, 1. Corinth 6. Neque maledici, neque raptores Regnum Dei poſſidebunt, Chriſtus, & Sancti à maledictione ſummè abſtinebant. Vnde D. Petrus in 1. Canonica ſua c. 2. Nam Chriſtus cum malediceretur non maledicebat, & 1. Corinth. 4. Maledicimur, & benedicimus; & Iudas in Canon. ſua dicit. Cum Michael Archangelus cum Diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus inferre Spiritum blaſphemiæ, ſed dixit Imperet tibi Dominus. Diuus

D. Gregor. Gregorius ſecundo Dialog. refert, Cum famulus cuiuſdam Stephani presbyteri negligenter ei ſeruiret, clamauit Presbyter, Veni diabole diſcalcia me, De non ſtatim

D. Aug. adiuit, & id fecit. Refert D. Auguſt. lib. 21. de Ciuit. Dei, de quadam vidua nobili, & diuite ſeptem filios, & tres ſemellas habente, eis maledicente, & omnes tremore omnium membrorum terribiliter, ſunt percuſſi, & in orbem diſperſi omnibus ſpectaculum fecerunt miſerum; ex quibus patet quomodo, & quantum hæc maledictio ſit cauenda.

Bona temporalia ſe habent per accidẽs ad charitatẽ.

Tertio obſeruandum eſt, quod bona temporalia per accidens ſe habent ad charitatem, ſicut ſe habent per accidens ad vitam æternam: quia ſine eis poteſt illuc perueniri, atque ita poſſunt bona temporalia in diuerſis ſe impedire, quia proſperitas vnius inducit aduerſitatẽ alterius; & quia in charitate eſt ordo, & tenetur quiſquã ſe ipſum plus diligere, quam alios, & cognatos pluſquam non cognatos, & amicos, & notos, & bonos, pluſquam inimicos, & incognitos, & malos, poteſt quis manente charitate optare malum temporale alicui, & gaudere de malo temporali, ſi illi eueniat, atque de eius tẽporali bono triſtari. Cæterum cum gaudet quis de malo alterius non debet gaudere de illo in quantum malum eſt illius, ſed quatenus eſt impedimentum malorum alterius, ſcilicet, quia per hoc quod iſte mala patitur non poteſt mala inferre. Poteſt etiam quis gaudere de malo temporali alterius in quantum per illud, quod eſt malum pœnæ, excuſatur in eo malum culpæ, vt ſi quis gaudeat, quod latro occiditur, quia per hoc deſinit malum agere, & non offendetur Deus amplius ab eo. Cum verò triſtatur quis de bono alterius, non debet triſtari de bono illius in quantum eſt bonum eius, ſed in quantum eſt impedimentum bonorum alterius. Sicut poteſt quis iuſte triſtari, ſi inimicus eius temporaliter proſperatur, quia per hoc poteſt ipſum deprimere, ſecus eſt autem de bonis ſpiritualibus, nempe gratiæ, & gloriæ; Cum enim iſta bona non impediant bonum alterius, quia poſſunt omnes ſimul gratiam habere, & gloriam; nec minuitur bonum vnius per bonum alterius, quia ita abundanter omnes homines poſſunt habere gratiam, & gloriam, ſicut ſi vnicus iſtud haberet. Ideo quantum ad hoc nemo poteſt, manente charitate, optare alicui malum pœnæ æternæ, nec amiſſionem gratiæ; nec etiam poteſt gaudere de malo culpæ, vel de malo pœnæ æternæ, aut triſtari de gloria, & gratia eius.

In bonis autem temporalibus ſecus eſt in quantum ſe impediunt, vel impedire poſſunt, ſi quis tamen cupiat malum inimico ſuo temporaliter, vel triſtetur de bono eius non in quantum per iſta impediuntur bona ſua, ſed ſolum in quantum eſt inimicus, contra charitatem eſt: vt ſi quis habeat inimicum habitantem in terra remotiſſima, quem veriſimiliter nunquam timet, vel putat, quod aliquod malum ei, aut ſuis inde prouenire poſſit; gaudeat tamen de malo, & infortunio eius, quando illud aduenerit, vel triſtetur de eius proſperitate; Nam iſta cum charitate ſtare non poſſunt.

Et per hoc apparet, quando quis licite inimicum odit, & quando non. Vnde inquit Diuus Gregorius, Inimici dilectio tunc veraciter cuſtoditur, cum non pro eius profectu deijcimur, nec de illius ruina lætamur. Non enim amat aliquis eum, quem non vult eſſe meliorem ſtantemque eum odio proſequitur, quem cecidiſſe gratulatur. Euenire tamen plerumque ſolet, vt non amiſſa charitate inimici ruina nos lætificet, & rurſus eius gloria ſine inuidiæ culpa contriſtet; cum ruente eo quoſdam bene erigi credimus, & proficiente eo pleroſque iniuſtè opprimi formidamus. Sed ad hoc ſeruandum eſt diſcretionis examen, ne cum noſtra odia exequimur fallamur, ſub ſpecie vtilitatis alienæ. Oportet etiam penſare, quid debemus ruinæ peccatoris, & quid iuſtitiæ ferientis; Nam cum peruerſum quemquam omnipotens percutit, & congaudendum eſt iuſtitiæ iudicis, & condolendum eſt miſeriæ pereuntis, lege Diuum Gregorium libro 22. Moralium cap. 11. — D. Gregor.

His obſeruatis dico primo, quod inimico primi generis, qui ſcilicet eſt æque potens, neque mortem neque aliud damnum licet optare; probatur; totum damnum, quod licet modo, aut facere, aut optare inimico propter propriam vtilitatem, eſt per modum defenſæ; ſed in caſu poſito neque mors, neque aliud damnum temporale eſt neceſſarium ad meam defenſionem, vt ſupponimus; ergo &c. — 1. Concl.

Dico ſecundo, quòd inimicis ſecundi generis, videlicet, qui ſunt potentiores, & à quibus manifeſtum, vel probabile damnum imminet, licet optare, vel amiſſionem bonorum temporalium, vel etiam mortem, ſi id mihi neceſſarium eſt ad meam defenſionem, probatur; quia vnicuique licet ſe defendere meliori via, qua poteſt; & idem dicendum eſt de eo, qui vult accipere iniuſte bona alterius, & ille non habet modum, quo ab ipſo ſe defendat, vt ſi, verbi gratia, ſit aliquis Princeps, qui cum aliquo nõ — 2. Concl.

ita

ita potente corã iudice contendat de poſſeſſione alicuius patrimonij, & ipſe princeps habeat iudicem, & Magiſtratus ita propitios, vt alter probabiliter timeat, quod iniuſte condemnabitur, tunc licitum eſt ei, & mortem, & alia mala optare, quæ neceſſaria fuerint ad ſui defenſionem.

3. Concl. Dico tertio, quod non licet talem occidere, quia aliàs ſequerentur quam plurima homicidia in Repub. & daretur occaſio ad homicidia perpetranda. Et ſi dicas latroni inuadenti, & volenti accipere bona mea licitum eſt mortem inferre, ſed in caſu poſito: aduerſarius vult auferre à me iniuſte omnem meam ſubſtantiam, neque alia via poſſum ab illo me defendere, niſi mortem illi inferendo; ergo licitum eſt interficere illum. Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam; Nam latro actu infert vim, & vim vi repellere licet, ſed qui fraudibus agit contra aliquem non infert vim, licèt fraudes inferat, non licet autem vi propulſare fraudes.

4. Concl. Dico quarto, quod non licet præuenire inimicum occidendo illum; quia eſt mihi valde probabile, quod vult me interficere, & quod craſtina die interficiet me, quia eſt me potentior, vnde ſiue inueniam illum ſolum ſine armis, aut ſine famulis, vel dormientem, non licet illum interficere; quia tunc ego eſſem aggreſſor, & ille nullam actu inferret vim, & ſi hoc liceret daretur anſa homicidijs, & etiam, quia vt dixit Chriſtus Dominus 12. horæ ſunt in die, & exiſtimandum eſt, quod ſi hodie vult me interficere, cras mutabit ſententiam.

5. Concl. Dico quinto loquendo de bonis indifferentibus, quæ ſcilicet poſſum mihi recte velle, vel nolle, poſſum conſimiliter inimico recte nolle. hæc concluſio eſt Scot. in hac quæſt. ſub lit. B. §. Sed de alijs bonis indifferentibus &c. probatur. Tum quia poſſum ordinate illa odiſſe, vel nolle mihi; Tum quia ille poteſt ordinate illa ſibi nolle; ſed quæcunque ipſe poteſt ordinate nolle ſibi, vel ego mihi, ſi eſſem talis, qualis eſt ipſe, poſſum ei ordinate nolle; ſi enim poſſum talia ordinate nolle mihi, multo magis inimico, & ſi inimicus poteſt ordinate illa nolle ſibi, etiam ego poſſum eadem ordinate nolle ei. Aſſumpta patent, poſſum enim ordinate mihi nolle diuitias, ſanitatẽ, & neceſſaria ad vitam corporalem, & hoc ordinate dupliciter, vel contemnendo ea volũtarariè propter Deum, vt ſi fiam pauper voluntarius ingrediens religionem Fratrum Minorum; vel voluntate antecedente, volendo Deum ea infligere mihi propter peccata mea; vel voluntate conſequente ſi fuerint mihi inflicta, acceptando ea in pœnam meorum peccatorum, & gaudendo de eis inflictis.

Pari modo poſſum tot modis velle oppoſita eorum inimico; Vnde poſſum ordinate velle inimico paupertatem voluntariam; vt quod fiat pauper voluntarius intrãdo Religionem. Nam poſſum licite velle, quod inimicus ſit Religioſus, quo facto eſt incapax bonorum fortunæ, & poſſum efficaciter velle antecedens, & bonitatem conſequentiæ; ergo poſſum licite velle conſequens directe, vel indirecte; Item poſſum voluntate antecedente velle ſibi mala temporalia infligi à Deo pertinentia ad eius correctionem, & emendationem, quia iudico talia infala eſſe ſaluti ſuæ valde vtilia, quia multo plures in proſperitatibus cadunt, quam in aduerſitatibus iuxta illud. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, per latus aduerſitas, per dexteram proſperitas intelligitur, & Deuter. 32. Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit, & dereliquit Deum factorem ſuum, & Pſal. 15. Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum poſtea accelerauerunt, & Pſal. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine, & Oſeæ, 6 in Tribulatione ſua mane conſurgent ad te, id eſt, per morborum, & ærumnarum multiplicationem, repente ad Dominum current.

Item ſi mala ſint inimico à Deo inflicta poſſum ei velle ea, approbando iudicium diuinum, & gaudere de illis, & generaliter ſi credo eum per commoda extrinſeca corporalia peccata continuare, & peccatum peccato ſuperaddere poſſum ordinate ei illa odiſſe, & nolle, & oppoſita ei velle, per quæ emendetur, & quo ad hoc pari formiter dicendum eſt de bonis fortunæ, & de bonis corporis. Ex his poteſt ſic probari concluſio, id quod poſſum mihi recte nolle, poſſum etiam cuicunque recte nolle, ſed poſſum mihi recte nolle bona indifferẽtia ſiue fortunæ, ſiue corporis; ergo cuicunque alteri, & inimico.

ARTICVLVS IV.

Vtrum teneamur diligere inimicos ex charitate.

Duæ ſunt ſpecies honeſti amoris.

PRo explicatione huius quæſt. obſeruan. eſt primo, quod duæ ſunt ſpecies honeſti amoris proximi. Alter naturalis, & humanus; alter ſupernaturalis, & diuinus, qui charitas, vel charitatiuus appellatur. amor naturalis ſiue humanus ille eſt, quo proximum diligimus ea ratione, quod eſt homo, cognatus, vicinus, vel quocunque alio reſpectu, qui neque Deum ipſum ſuper omnia dilectum, neque æternam fœlicitatem, neque capacitatẽ ad illam in ſe continet, eſt autem huiuſmodi amor humanus duplex, ſcilicet concupiſcentiæ, quo proximum ipſum principaliter ad aliquod bonum noſtrum voluptuarium, commodum vel vtile amamus: & amicitiæ, quo principaliter proximum ad bonum eius voluptuarium, commodum, vel vtile diligimus, & vterque eorum poteſt eſſe bonus, & honeſtus ſi fuerit ordinatus, & vterque malus, & inhoneſtus ſi fuerit male ordinatus.

Alter autem eſt amor ſupernaturalis, & diuinus, ſeu charitatiuus, vel charitas infuſa, qua proximum amamus & eſt eiuſdem generis, & naturæ cuius eſt amor Dei charitatiuus, ſeu charitas, qua diligimus Deum. Nam licèt obiectum materiale amoris charitatiui proximi, ſit idem proximus, obiectum tamen formale, ſiue ratio, vel cauſa amoris eſt ipſa diuina, & infinita bonitas, quæ nihil aliud eſt, quam ipſe Deus ſuper omnia benedictus.

Amor naturalis, & humanus nõ eſt charitas.

Secundò obſeruan. eſt, quod amor ille concupiſcentiæ, quo proximum ad noſtram voluptatem, aut vtilitatem amamus, & etiam amor amicitiæ naturalis, quo ipſum diligimus ad bonum illius, eo ꝙ ſit cognatus, ſocius, vicinus, vel amicus, vel propter quamcunque aliam communicationem temporalem, non eſt charitas, ſeu charitatiuus amor, ſaltem in quantum talis, quod parum à multis aduertitur. Sed ſolus amor ille proximi, eſt charitas, ſeu charitatiuus, quo ipſum diligimus, eo quod eſt capax, & aptus, ſicut nos ad participandum nobiſcum illam æternam beatitudinem, quam diuina bonitas nobis dare, & communicare dignatur; atque ita etiam ad hoc, vt amor, quo nos met ipſos diligimus ſit charitatiuus, ſeu charitas, oportet, vt ea ratione nos diligamus, quòd Deus propter infinitam ſuam bonitatem nos fecit capaces æternæ fœlicitatis, quæ in intuendo eo ſemper, pariter, & amando, & fruendo conſiſtit. Verum eſt tamen, quòd quemadmodum omnis actus cuiuſcunque virtutis poteſt fieri actus charitatis imperatus, quandó fit intuitu charitatis; ſeu charitate imperante, ſic etiam amor concupiſcentiæ, & amicitiæ honeſtus fit actus charitatis imperatus, ſi fiat etiam ob finem Deo placendi, ſic actus amandi patrem eo ſolo, quod pater eſt, eſt actus virtutis pietatis non charitatis, fit tamen actus charitatis imperatus, ſi habetur etiam ob finem Deo placendi.

Quid ſit ꝓximum ex charitate diligere.

Tertiò obſeruan. eſt, quòd proximum ex charitate diligere, non eſt ipſum abſolute ſecundum ſe diligere; ſolus enim Deus eſt ex charitate hoc modo, nimirum abſolute ſecundum ſe, & nullus alius ab eo diligendus; omnis autẽ alius ab eo, debet ab altero diligi relatiuè, in ordine videlicet ad aliquod bonum ſibi appetibile ab illo non temporale, ſeu terrenum, ſed ſpirituale, & æternum. Cum enim amor charitatiuus, quo diligendus eſt Deus, ſit amor perfectus; amore autem perfecto diligens aliquod bonum commune, quale eſt Deus, diligit illud, volendo ipſum diligi à quocũque alio, cuius bonum poteſt exiſtere ſicut ſuum. Amor enim priuatus, vt præcedentibus fuit dictum, quo diligens nollet habere ſecum condiligentem dilectum, eſt amor imperfectus, qualis non debet, nec poteſt eſſe amor Dei charitatiuus, Nullus enim diligens charitatiuè Deum appropriat ſibi ipſum, nolendo habere condiligentem, imò ſic eum diligit, quod omnem

nem.

Digitized by Google

nem alium à Deo diligibilem, Deum ſecum diligere appetit, ſicut & ipſe diligit, nempe tam amore amicitiæ, ſcilicet propter ſe, quam etiam amore concupiſcentiæ, hoc eſt, vt proficuum diligenti. Et hoc eſt proximum ex charitate diligere. i. velle eum diligere Deum, tam in ſe bonum, quam vt ſibi proficuum ad præmium conſequendum æternum, vt nihil ſit aliud proximum amicum, vel inimicum charitatiuè diligere, quam velle Deum ab ipſo diligi, & præmium appetere ipſi debitum ſempiternum.

Dilectio inimicorũ põt bifariã conſiderari.

Quartò obſeruan. eſt, quòd dilectio inimicorum poteſt dupliciter conſiderari, vno modo in vniuerſali, & eſt ea dilectio, qua quis diligit omnes homines tanquam proximos non determinando ſe ſpecialiter ad aliquem eorum ſiue amicum, ſiue inimicum; ſed ſicut Deus vult omnem hominem ſaluum fieri, & ad agnitionem veritatis venire 1. Timo. 2. Ita & nos diligamus omnes homines in generali, cupientes, quod omnes homines ſaluentur; tunc ſi ab hac dilectione generali non excludamus inimicum, dicimur eum diligere ex charitate, & ad hoc non requiritur, quod diligamus illum ſpecialiter habentes affectum ad illum, ſed ſolum, quod non excludamus eum ab iſta dilectione, ſcilicet expreſſe illi mala cupiendo, & hoc non eſt ſpecialiter diligere, ſed ſpecialiter non odiſſe.

In quibus euentis teneamur ſpecialiter diligere ꝓximum.

Altero modo poteſt conſiderari dilectio inimicorum in ſpeciali, vt ſi quis ſpeciali motu dilectionis moueatur ad inimicum, volendo pro eo aliquod bonum, ſiue temporale, ſiue æternum; & iſtud non eſt abſolute de neceſſitate charitatis, niſi in quibuſdam euentis. Primo, quando inimicus qui nos offendit veniam à nobis poſtulat, quod ſaltem verum eſt, de amore aliquo naturali exhibendo, ſcilicet huius amoris aliqua ſigna, etiamſi amorem illum excellentem, & ſublimem charitatis minime corde concipiamus, quia contrarium nullo iure, & nulla efficaci ratione concluditur. Secundo, quando proximus eſt conſtitutus in extrema neceſſitate noſtri auxilij animæ ſuæ, qualis eſſet infans aliquis aut mente captus, aut etiam cordatus, qui ſine Baptiſmi Sacramento iam iã eſſet moriturus; qualis eſſet etiam, qui depoſceret aliquod conſilium, vel ſolamen, vel auxilium aliquod ſpirituale à nobis, ſine quo veriſimile eſſet eum condemnatum iri. Tertio, quando ad ſalutem animæ noſtro indiget auxilio; quoniam putamus non peccaturum eum, qui hunc amorem charitatiuum non conciperet erga eum, qui eam pateretur extremam neceſſitatem vitæ corporeæ, ſi modo alio amore naturali inferiori diuino, quo cognatum, amicum, ſocium, vel vicinum diligere ſolet ipſum proſequendo ei opitularetur. Nec quidquam obſtat dicere eamdem eſſe rationem illius, qui abſque amore charitatis ſolo amore naturali impulſus ſubuenit proximo in periculo ſpirituali conſtituto, quoniam rariſſime poterit euenire, vt huiuſmodi neceſſitati ſpirituali occurri poſſit, abſque deſiderio ſpiritualis ſalutis, quod formaliter, aut virtualiter amorem charitatis includit. Quarto generaliter, quod quoties q̃s videt proximum in periculo patiendi aliquod notabile damnum, à quo non poteſt, vel non creditur poſſe liberari, niſi ipſe illi ſubueniat, toties obligatur ad eum liberandum, ſub pœna noui peccati, modo id præſtare poſſit abſque damno, quod vir prudens iudicaret ſufficere ad excuſandum. Hi omnes caſus concludit Doct. ſub. articulo neceſſitatis.

1. Concl.

His obſeruatis ſit prima Cõcluſio. *Diligere inimicum actu poſitiuo dilectione generali eſt de neceſſitate ſalutis*; patet, quia diligens Deum, & proximum ex charitate, ab iſta generalitate dilectionis tenetur non excludere inimicum; & iſta dilectio generalis debet eſſe de bonis vitæ æternæ, ita vt quilibet velit omnes homines ſaluos fieri: nam velle bona temporalia etiam in hac generali dilectione non tenetur quis; quia temporalia non pertinent directe ad charitatem, ſed gloria, vt finis, & gratia vt medium, quod eſt ad finem; ideo nec amicis nec inimicis tenetur quis in generali dilectione velle niſi gloriam, & gratiam.

2. Concl.

Secunda Concluſio. Loquendo de actu poſitiuo dilectionis ſpecialis, nemo tenetur actu elicito, ſiue imperato poſitiuo diligere inimicum, quo ad bona ſpiritualia; probatur Concluſio à Sco. in hac quæſt. ſub litt. D. §. Sed loquendo de alio intellectu &c. Non tenetur quis cogitare de inimico; ergo nec circa ipſum actum dilectionis elicere; conſequentia patet, quia actus dilectionis præſupponit apprehenſionem obiecti: antecedens probatur, tũ quia non teneor quemlibet amicum in ſpeciali diligere; ergo nec inimicum. tenet conſequentia: quia non teneor per legem plus diligere inimicum, quam amicum, antecedens patet, non teneor cogitare de amico in ſpeciali forte in annò, vel in ſeptennio, vel forte nunquam; ergo nec de inimico. Tum quia ſi aliquis eſſet ita occupatus circa Dei contemplationem, vt non cogitaret de proximo cum plena deliberatione, quæ ſcilicet requirit ſaltem in nobis ſyllogiſmum perfecte practicum, vt docet Sco. in prologo, q. 4. non tenetur tunc ad actum dilectionis proximi, ſed poſſet habere huiuſmodi occupationem, ita vt non occurrat ſibi talis cogitatio; ergo &c. Et confirmatur: quia non tenetur cogitare de illo. Item etiam ſi occurrat talis cogitatio adhuc non tenetur ad talem actum. probatur; quia ſine tali actu poſitiuo dilectionis, poteſt quis habere actus ordinatos circa finem, & circa ea, quæ ſunt ad finem conſequendum neceſſaria; ergo non tenetur diligere proximum in particulari, & per conſequens nec inimicum.

Ex hac concluſione ſequitur, quòd de neceſſitate charitatis non tenetur quis velle aliquod bonum inimico ſuo nec æternum, nec corporale, ſed obligatur ſolum, non excludere eum à generali amore, id eſt, quod non habeat determinate odium contra ipſum; Vnde ſi quis nunquam cogitet de proximo ſuo bonum, aut malum dicitur eum diligere, quia ſi nunquam de eo cogitet, nunquam poteſt eum ſpecialiter odio habere. Et idem eſt communiter de alijs hominibus, quia non tenemur cogitare de illis, nec habere aliquem actum affectionis determinate ad illos, & hoc habentes dicimur eos diligere in quantum non deteſtamur eos. Quod vtique verum eſt, niſi reſpectu quorundam, quibus pro beneficio, vel contractu, aut aliàs tenemur, quod ſpecialem memoriam ipſorum habeamus, & diligamus eos ſpeciali amore.

Et ſi dicatur, præceptum dilectionis Dei obligat nos ad dilectionem Dei poſitiuam; ergo ad dilectionem etiam proximi poſitiuam. probo conſequentiam, quia hæc eſt vna propoſitio copulatiua. Diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum &c. Sed prima pars intelligitur de actu poſitiuo; ergo & ſecunda, quia hoc requiritur ad veritatem propoſitionis copulatiuæ, ſcilicet, quod vtraque pars ſit vera, & in eodem ſenſu. Reſpondetur, quod tempus, quo tenemur diligere Deum actu poſitiuo iam explicatum eſt, & in ſcriptura, & per Eccleſiam, vt pote, quando quis tenetur audire Miſſam, vt ſupra docuit Scotus; Non eſt autem tempus determinatum, quo teneamur diligere proximum in particulari, atque ita licet ſecunda pars illius propoſitionis copulatiuæ intelligenda ſit in ſenſu poſitiuo, ſicut & prima, tamẽ quo ad tempus, cum non ſit explicatum, obligat dumtaxat in neceſſitatis articulo, vt docet Doct. in ſequenti concluſione.

Tertia Concluſio. *In caſu neceſſitatis tenetur quilibet* 3. Concl. *inimicum ſuum diligere, quo ad bona ſpiritualia, ſi ſine ipſo non poteſt habere ſibi neceſſaria ad diligendũ Deũ*, verbi gratia, ſi eſt infidelis, vel male ſentiens de fide, velut hæreticus, indigens doctrina, per quam conuerti poſſet ad veritatem, ſi poteſt ille, cuius eſt inimicus, præſtare doctrinam, nec ſit alius, qui illum poſſit informare, & ipſe inimicus informationem recipere velit, & optet, tenetur non ſolum velle, ſed etiam efficaciter tradere. Item ſi inimicus, eſt malus, & ſine correctione eius, cuius eſt inimicus, non poteſt ad bonum conuerti, ita vt ſine correctione procedet in aliquod peccatum mortale, in quo decedet, & damnabitur, & non eſt alius, qui ſit idoneus ad liberandum illum à peccato, tenetur quis non ſolum velle bonum finale ſpirituale proximo; imò tenetur etiam velle ei bona neceſſaria, ad conſequendum finale bonũ, & non ſolo hoc velle tenetur, ſed etiam tenetur exequi operatione efficaci, ſi adeſt facultas.

Sed quid ſi inimicus morbo peſtifero, atque lethali ſit

infectus

infectus, & non habeat ſacerdotem, cui confiteatur peccata ſua; teneor ne ego cum periculo vitæ meæ audire illum in confeſſione? Dico, quod ſi es illius curatus, & tibi competit ex officio, teneris, aliter non: quia talis non eſſet in extrema neceſſitate ſalutis conſtitutus, quia poteſt cóteri de peccatis ſuis. Si tamen feceris opus perfectiſſimũ ages, & ſi occubueris Martyr Chriſti eris, quia facis opus ex charitate perfecta; ponis enim vitam corporalem pro vita, & ſalute proximi tui; Maiorem autem hac dilectione nemo habet &c.

Ex his ſequitur, quòd neceſſarium eſt ſecundum præparationem animi, vt homo. ſ. habeat animum paratum ad hoc, nimirum, quod ſpecialiter inimicum diligeret, ſi neceſſitas occurreret, vt poté ſi eſſet in periculo, quo non poſſet niſi per inimicum ſuum liberari, tenetur eum liberare, ſi commode poteſt. i. ſine damno, & non præiudicando æquitati; Quoniam ſi nolit eum liberare ſpecialiter ipſum odit; Si verò ipſum liberat ſpeciali affectu ipſũ diligit: quia non poteſt eum liberare, niſi velit prout illud bonum, quod eſt liberatio; ergo tunc tenetur eum in ſpeciali diligere. Quod tamen ſine art. neceſſitatis quis diligat inimicum ſpeciali affectu non eſt de neceſſitate charitatis, ſed de perfectione.

ARTICVLVS V.

Vtrum diligere inimicum ſit præceptum, vel Conſilium.

Gloſſa.

VIdetur quod non ſit præceptum; Quia Lucæ 9. ſuper illud verbum Diligite inimicos veſtros. dicit Gloſſa hoc perfectorum eſt; ſed ad ea, quæ ſunt perfectionis non tenentur omnes; ergo non eſt præceptum diligere inimicos.

D. Amb.

Item D. Ambroſius Lucæ 6. inquit, non ſufficit inimicos non odiſſe, ſed quod vltra humanam naturam eſt p̃cipimur diligere; ſed quod eſt vltra humanam naturam eſt impoſſibile; ergo non eſt præceptum, probatur conſequentia ex D. Hieronymo.

D. Hieron.

Anathema ſit, qui dixerit Deum præcepiſſe aliquod impoſſibile. Et confirmatur, quia natura non mouet niſi ad diligendum amicum, imò natura inclinat ad deſtructionem contrarij, quælibet. n. res naturalis odit contrarium, patet in elementis, & in brutis; ſed inimicus eſt contrarius bono, cui debet eſſe amicus; ergo &c. Et ſi dicas, quòd et ſi natura inclinet in odium inimici, charitas tamen inclinat in eius dilectionem. Contra charitas perficit naturam; ergo non inclinat contra naturæ inclinationem, quia tunc deſtrueret non perficeret naturam.

Præterea quilibet tenetur ex præcepto charitatis diligere proximum, ſed inimicus non eſt proximus, ergo non tenetur aliquis ex præcepto charitatis inimicum diligere. Maior patet per illud Matth. 19. & 22. Dilige proximũ tuum ſicut te ipſum. & Min. probatur Lucæ 10. Vbi Phariſæo interroganti. Quis eſt meus proximus, reſpondit Dominus, qui fecit miſericordiam cum illo; ergo videtur his verbis determinaſſe, quod ille habendus eſt proximus, qui facit miſericordiam, ſed inimicus non facit nobis miſericordiam; ergo inimicus non eſt proximus, atq; adeo non eſt ex charitate diligendus.

Quartò non tenentur homines ad plura in lege noua, quam in veteri; ſed in lege veteri non tenebatur quis diligere inimicos; ergo &c. Maior patet ex Gloſſa Matth. 13. ſuper illa verba accipiens panes, vbi dicit, q̃d non alia, quam quæ ſcripta erãt præcepit; ſed legem, & prophetas grauia eſſe demonſtrat. Tum ẽt quia legis 10. præceptis Dñs omnia, quę facere debemus expreſſit, vt dicit Gloſſa 3. Reg. 7. ſuper illud fecit quoq; mare fuſile decem cubitorum à labio vſque ad labium; ſed ibi non eſt aliquod præceptum de diligendo inimicum; ergo &c.

Gloſſa.

Gloſſa.

Præterea, ſi quilibet tenetur inimicum odiſſe, ergo nullus tenetur inimicum ex præcepto diligere. conſequentia patet, & antecedens probatur, odiſſe inimicum erat præceptum morale in lege veteri; ergo quilibet tenetur illum odiſſe in lege noua; conſequentia patet, quia præcepta moralia remanſerunt in lege noua; Nam dicebat Chriſtus. Non veni ſoluere legẽ, ſed adimplere, antecedens patet Matth. 5. Dictum eſt antiquis diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.

Præterea. Ego teneor ex charitate diligere amicum; ergo ex charitate teneor odiſſe ſuum inimicum. patet conſequentiam per locum à contrarijs ex 2. Top. c. 30. *Ariſt.*

Pro ſolutione huius quæſtionis obſer. eſt, quod etiam Iudæi in lege veteri tenebantur diligere inimicos; ſicut nunc nos obligamur: quia iſtud non eſt præceptum cæremoniale, vel iudiciale, ſed morale; Moralia autẽ, quia ſunt de iure naturæ omni tempore obligauerunt; Tum etiam, quia Iudæi obligabantur ad legem implendam Deut. 30. & tamen lex tota conſiſtit in charitate, ad Roma. 13. & ad Gala. 5. ergo ad charitatem obligabantur. Charitas verò non ſolum dirigit erga amicos, ſed etiam erga inimicos, vt patet Leuit. 19. Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum; non quærere autem vltionem, nec recordari iniuriæ ad charitatem pertinet, quia ex æquitate poterat quis petere vltionem, dum tamen agere ex debito fine, vel etiam ſi intelligatur ſola iniuſta vltio vetita, adhuc pertinet ad charitatem non deſiderare illam, cum quis poſſit illam habere.

Iudæi in lege veteri tenebãtur diligere inimicos.

Et prouer. 24. dicitur. Si ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, & hoc expreſſe ad charitatem cum inimicis pertinet. Imò non ſolum dilectio inimicorum iubebatur in veteri lege, ſed etiam oſtenſio ſignorum dilectionis. Nam Prouer. 25. dicitur. Si eſurierit inimicus tuus ciba illum, & ſi ſitit da illi bibere. & Exod. 23. dicitur. Si occurreris boui, aut aſino inimici tui erranti, reduc ad eum; & ſi inueneris bouem, aut aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſub leuabis cum eo; Iſtud autem eſt, quod Chriſtus dixit benefacite his, qui oderunt vos, ex quibus patet, quòd in lege veteri erat præceptum de diligendo inimicos.

Secundò obſer. eſt, quòd Iudæi tenebantur diligere inimicos ex charitate dilectione generali, ſicut & nos tenemur, & hoc ſolum quantum ad bonum gratiæ, & gloriæ; quia bona temporalia non tenebantur eis velle, ſicut nec nos tenemur. Grauius tamen nos peccamus odiendo inimicos, quam Iudæi eo, quod præceptum de diligendo inimicos non fuit tam expreſſum in veteri teſtamento, ſicut in nouo, in quo nihil aliud iubetur niſi charitas, & dicitur, quòd in hoc conſiſtit tota lex, & prophetæ. Matth. 7. & 22. & quod ille, qui habet charitatem impleuit legem. Matth. 22. & ad Rom. 13. & Gala. 5. Quemadmodum omnes gentes obligatæ fuerunt ſemper ad Decalogũ, eo q̃ Decalogus eſt de lege naturæ, & tamẽ Iudæi magis peccabant faciendo contra iſta præcepta, quãdo ſibi data erant per Deum in voce, & in ſcriptis, quam antequam darentur, & quam cæteræ gentes, quibus non data erant, eo quòd iam iſti habebant maiorem obligationem, & ignorantia eorum erat minus excuſabilis.

Grauius peccat chriſtianus nõ diligendo inimicum quam Iudæus.

Tertiò obſer. eſt, q̃ licet Deus iuberet Iudæis perſequi inimicos aliquos, vt Cananæos, Amalechitas, Amonitas, Moabitas, & cæteros, vt patet Deut. 20. 23. & 26. Num. 25. & 1. Reg. 15. tamen nõ iubebat Iudæos odiſſe aliquas gentes; quia poterat ſtare, quòd diligerent omnes gentes ex charitate; & tamen quod exercerent pęnas in illas ex mandato Dei, quia officia vindictæ bono animo impleri poſſunt, ſicut lex, & ſicut Iudex, vt patet 23. q. 5. cap. officia. Miniſter ẽt Iudicis reos puniendo bene facit, & diligit eos, quos occidit. Sic etiam miles præcepto Ducis occidens aliquos in bello iuſto, non peccat, & ex charitate agit, eadẽ q. cap. cũ miniſter. & c. miles, & hoc eſt: quia ſolum agunt iſtud in quantum iuſtum eſt, & in quãtum ei iubetur: Nam ſi ex deſiderio occidendi facerent peccarent eadem q. cap. lex æterna. Ita Iudæi poterant bono animo ſeruata charitate occidere gentes iſtas, imò tenebantur in quantum Deus iubebat eos hoc, per quod conſtituebat eos executores iuſtitiæ ſuæ. Nam Cananæi, & Amalechitæ, quos Deus occidi iuſſit, pro delictis ſuis merebantur mortem, & erat idem de Madianitis, Deus autem voluit committere executionem potius Iudæis; quam alteri genti: ideo tenebantur ex charitate Deo obedire, & cum proximo charitatem ſeruare poterant etiam occidendo iſtos; quia per mortem temporalem non tol-

Deus non p̃cepit Iudæis inimicos odiſſe, ſed perſequi.

Digitized by Google

litur gratia, nec gloria, nec impeditur quis ad iſta. De Ammonitis, & Moabitis non iuſtum eſt, vt Iudæi occiderent illos, ſed vt non facerent cum eis pacem, nec quærerent eis bonum. Hoc autem erat, quia communicatio Iudæorum cum Ammonitis, & Moabitis erat periculoſa, & etiam erat in contemptum Dei cum ipſi ſeduxerint Iudæos per mulieres, eos ad ſacrificia Idolorum deducendo, vt ad iram concitarent Deum Iſrael, & percuterer Iudæos. Num. 25. Non ergo debebant Iudæi facere cum illis pacem, nec componere aliqua fœdera; non tamen iubebantur perſequi eos inferendo eis aliquod malum, ſed ſolum quod non quærerent eis bonum, Deut. 23. & intelligitur de bono, id eſt, de proſperitate temporali, & iſtam non tenetur quis velle pro inimico, nec etiam pro nō inimico manente charitate; qa charitas directe eſt ad gratiam, & ad gloriam non autē ad bona temporalia. Ideo Iudæi poterant habere charitatem cum Moabitis, & Ammonitis, etiamſi obligarentur non quærere eis bonum, atque ita eſt de omnibus alijs gentibus.

Dilectio ē duplex. Quartò obſeruan. eſt, quòd duplex eſt dilectio, ſcilicet affectus, & effectus ſimul, & dilectio affectus tantum, dilectione affectus omnibus præcipitur diligere inimicum, dilectione etiam effectus extra caſum neceſſitatis omnibus eſt conſilium. Vide Alex. de Aleſ. 3. p. q. 59. m. 5. art. 2. & 3. *Alex. de Ales.*

1. Concl. His obſeruatis ſit prima Concluſio. Dilectio inimicorum eſt in præcepto, probatur ex illo Matth. 5. Ego autem: dico vobis diligite inimicos veſtros, & probat illud ibi. Quia ſi diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? quibus verbis non negat Chriſtus mercedem habituros quicunque amicos diligunt, cum amicos diligere charitatis ſit, ſed negat mercedem habituros, ſi vt publicani tantum id faciant, id eſt, non propter Deum, ſed aut propter naturalem in amicos propenſionem, aut propter vtilitatem ſuam faciunt; quiſquis autem inimicos non diligit, ſatis declarat ſe amicos, non propter Deū, ſed propter ſe diligere, ſi enim propter Deum diligeret, etiam diligeret inimicos, qui non minus, quam amici imago Dei ſunt, qui ergò amicos non inimicos diligit, quia non propter Deum diligit, vt ab amicis mercedem naturalis amicitiæ habeat, à Deo charitatis mercedem non habet; qui non ſolum amicos, ſed etiam inimicos diligit non ſolum charitatis erga inimicos, ſed etiam erga amicos dilectionis ſuæ mercedem habebit, quia Deus non naturam, ſed gratiam remunerat.

Secundò probatur ex illo Matth. 6. vbi in oratione Dominica dicimus, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, & ſubiungens probationem dicit. Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater veſter delicta veſtra. Igitur quilibet de neceſſitate ad hoc tenetur.

Tertiò probatur ex teſtimonio Matth. 18. in parabola de ſeruo, qui periit debitū, ſubiungit ibi Dominus. Sic, & pater meus cœleſtis faciet vobis ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris. Et confirmatur ex illo. 1. Petri 3. & Rom. 12. Non reddentes malum pro malo, ſed è contrario benedicentes; & infra ſi eſurierit inimicus tuus ciba illum, & ſi ſitit potum da illi, & ex communi ſenſu Sanctorum, & Eccleſiæ. lege D. Auguſtinum, de ſermone Domini in monte ſuper illa verba. Diligite inimicos veſtros, & ſuper 1. Can. Ioan. tract. 8. & in Pſal. 7. & lib. 1. de doctrina Chriſtiana c. 22. *D. Aug.*

Quartò probatur ratione. Præceptum eſt de dilectione proximi, ſed inimicus eſt proximus, vt patet Lucę cap. 10. ex parabola. Homo quidam deſcendebat; ergo &c. Confirmatur. Proximus eſt homo capax beatitudinis, ſed inimici dum ſunt in hac vita, poſſunt ſalutem conſequi; ergo &c.

2. Concl. Secunda Concluſio. Hoc præceptum pertinet ad legem naturalem. Sic Plato naturali lumine doctus docuit lib. vigeſimo octauo Dialogorum. Nulli faciendum eſt malum, etiamſi ab illo paſſus ſis iniuriam; & quamuis Cicero lib. primo officiorum cap de iuſtitia dicat. Primum munus iuſtitiæ eſt, ne cui quis noceat, niſi laceſſitus iniuria, intelligendus eſt, vt ex ſequentibus patet, quod ſecundum ordinem iuris poteſt laceſſitus vindictam ſumere. Aut enim in vlciſcendo, & puniendo eſt certus modus ſeruandus. Præterea ſi hoc præceptum non eſſet naturale, non eſſet præceptum: nam in lege Euangelica, nullum eſt præceptum obligans ad mortale ſuper præcepta moralia, ſeu naturalia, niſi præcepta fidei, & Sacramentorum. *Plato.* *Cicero.*

Ad argumenta in oppoſitum reſpondetur, & ad primum dico, quòd dictum Gloſſę intelligitur de perfectione ſufficienti ad ſalutem, non perfectione ſuper erogationis, imperfectio enim eſt quantum ad ſalutem diligere amicum; ſed perfectionis ſufficientiæ eſt diligere inimicum, & diligere inquam inimicum affectu, & effectu in caſu neceſſitatis eſt perfectionis ſufficientiæ, & ſaluti neceſſariæ; diligere verò effectu non in tempore neceſſitatis, eſt perfectionis ſupererogationis.

Ad ſecundum dico, quòd cum dicitur, quod ſuper humanam naturam eſt diligere inimicum dico, ꝙ pro tanto hoc dicitur: quia natura non mouet niſi ad diligendum amicum, tamen natura eſt ſuſceptibilis gratiæ cum qua poteſt diligere amicum; atque ita non eſt impoſſibile. Ad confirmationem dico, quòd natura non inclinat ad odiēdum inimicum niſi in quantū contrarius eſt, & nociuus; & non in quantū concordat nobiſcum in natura; inimicitia autem ſua non eſt diligenda, & ad hoc natura inclinat; quia malum eſſet, illius inimicitiā diligere, quia mala eſt, vel quod placeret nobis in quantum inimicus eſt; charitas etiam inclinat in odium inimicitiæ, ſed non in ſubſtantiam odium habentis, nam diligenda eſt ſubſtantia ad imaginem Dei creata, & odienda eſt eius iniquitas. Quantum ergo ad naturam quatenus eſt capax gratiæ, & gloriæ diligendus eſt inimicus, & ad hoc non repugnat natura, atque adeo charitas non inclinat contra naturam.

Ad tertium nego minorem, & ad probationem dicit Scotus, quòd reſponſio illa Chriſti ad Phariſæum debet ſic intelligi, proximus dicit relationem æquiparantiæ, ſicut amicus, vel frater, atque adeo non ſolum faciens miſericordiam eſt proximus, quod habetur ex reſponſione Phariſæi, ſed etiam illi cui facta eſt miſericordia; at ille cui facta fuerat miſericordia non erat generis ſuæ, nec ſibi ligatus ex natione, ſed extraneus, ex patria; igitur quilibet quantumcunque extraneus, cui ego poſſum ſeruire in neceſſitate, eſt habendus vt proximus, & hoc eſt, quod ibi dicit Saluator. Vade & tu fac ſimiliter, id eſt, habe pro proximo omnes, quibus potes benefacere, etiamſi ſit tibi extraneus. Non igitur benefaciens eſt tantum proximus ſed etiam omnis potens bene pati à nobis, id eſt, cui nos poſſumus aliquo modo bene facere, & hoc ſiue paſſione exteriori, nimirum beneficium ei conferendo, ſiue bona dilectione paſſiua, ſcilicet eum diligendo, quæ paſſio eſt motus interior, & hoc modo beati, quibus non poſſumus bene facere poſſunt bene diligi, & eſſe proximi; Deus autem licet bene diligatur non tamen dilectione alicuius poteſt addi ſibi aliquod bonum, & ideo non comprehenditur ſub proximo.

Et ſi dicas Chriſtus eſt Deus, & eſt meus proximus; ergo &c. Concedo quod eſt proximus quatenus homo; cōtra, nihil poſſum illi conferre beneficij, aut gloriæ. Dico, quòd in Chriſto duplex eſt gloria, vna intrinſeca, quam ipſe habet ex ſua beatitudine, ob ſummam ſuam gloriam & non poſſum ille huiuſmodi gloriam cōferre, altera eſt extrinſeca, quæ eſt in membris myſtici corporis ſui, & quantum ad hoc poſſum addere illi aliquid gloriæ accidentalis bene precando, & inſeruiendo corpori myſtico, vnde ad Epheſ. 1. dicitur, quod tunc erit conſummatū Regnum Chriſti, quando tota Eccleſia triumphans erit cōpleta: quia vſq; ad diem iudicij ſemper augebitur huiuſmodi gloria accidentalis Chriſto, atq; ita ei, & Angelis, & cæteris beatis aliquo modo beneficia præſtamus, cum ex noſtra bona conuerſatione illos lætificantes addimus gloriam accidentalē. Non ſic aūt Deus dicitur proximus: quia cum ſit ens infinitum ei non pōt fieri additio. Et ex hoc ſequitur, qđ Viatores, & animæ Purgatorij, & beati tū, ſunt noſtri proximi. Et ſi dicas, anima, quæ eſt in Purgatorio non pōt mihi bene facere. Concedo pro nunc, ſed bene poterit, poſtq̄ euolauerit in cęlū pręterq̄, qđ forte ēt nunc poſſunt orare pro nobis; & nos poſſumus eis beneficium conferre. Et ſi dicas ēt damnatis poſſumus conferre bene-

re bene-

re beneficium, vt patet ex verbis Epulonis Lucæ 6. Qui rogabat Abraham, vt mitteret Lazarum ad fratres ſuos, vt admoniti vitam emendatent, ne in illum locum irent tormentorum, & hoc rogabat, ne ſi damnarentur augerent ſibi pœnam, ergo ſi illi fuiſſent emendati, non fuiſſet ei aucta triſtitia accidentalis; ergo damnati erunt noſtri proximi, atque adeo ex charitate diligendi. Concedo antecedens, & nego conſequentiam; non enim ſequitur ex hoc, quòd Epulo ille eſſet illorum proximus; quia hoc non fiebat ratione proximitatis, ſed ex diuina iuſtitia ſic ordinante, vt quia ipſe malum præbuerat illis exemplum ſi ipſi cum eo fuiſſent dãnati, maiori triſtitia torqueretur.

Ad quartum dico, quod in nouo teſtamento non ſunt plura præcepta moralia quam in veteri: quia Chriſtus nõ poſuit ſpecialiter aliqua præcepta: Nam cæremonialia, & iudicialia nulla poſuit, ſicut erant in veteri teſtamento, moralia aũt obligant de iure naturæ, atque ita obligabant in veteri teſtamento ſicut & nunc; Chriſtus ergo nõ poſuit plura præcepta, quã erant, ſed abſtulit multa. ſ. cæremonialia, & iudicialia, quia per ipſum fuerũt impleta, & ceſſauerunt cum ſtatus legis per eũ ceſſauerit, vt oſtendemus infra d. 40. Declarauit tñ pcepta legis naturæ ſpecialiter, & ideo multa putatur addidiſſe non aſpicientib. nihil tñ addidit ſupra id, quod erat in veteri teſtamento, quo ad præcepta moralia atque adeo ſicut nũc tenentur diligere inimicos, ita etiam tunc Iudæi tenebantur, vt dictum ſupra notabili primo. Vnde inquit Scotus, in reſpõſione ad ſecundum principale, ꝙ omnia præcepta ſecundæ tabulæ explicant illud præceptum diliges proximum tuum &c. Quia ſpecificant illa, in quibus nõ debeo odiſſe inimicum: Nam non occidere includit, non odiſſe ſibi vitã corporalẽ: nõ mœchari, nõ furari includunt nõ odiſſe ei bonum fortunæ, vel famæ, atque ita de alijs; atq; adeo hoc præceptum de diligendo inimicum continebatur virtualiter, & implicite in præceptis ſecundæ tabulæ.

D. Aug. Ad quintum dicunt aliqui ſecundum D. Auguſt. lib. de ſermone Domini, quod lex Moyſis quemdam gradũ poſuit iuſtitiæ Phariſæorum, quæ erat diligere amicum, & odiſſe inimicum, cum eſſet omnino malum odiſſe inimicum, & etiam amicum, eſt autẽ perfectio diligere amicum, & inimicum. Ad deſignandum autem gradum iuſtitiæ Phariſæorum dixit ſcriptura, diliges amicum tuum & odio habebis inimicum tuum, & dixit, quod iſta vox non eſt tamquam iubentis iuſto, ſed tamquam permittentis infirmo.

Secundò reſpondet idem met D. Aug. lib. contra Fauſtum loquens contra Manichæos, qui dixerunt hoc eſſe proprium legis veteris, ꝙ homo odiſſet inimicum innuentes, ꝙ lex vetus mala eſſet, & à malo Deo. Sed dicit, ꝙ ſicut Apoſt. dixit quoſdã homines Deo odibiles, Chriſtus tamen dicit, ꝙ Deus facit oriri ſolem ſuum ſuper bonos, & malos, per quod intelligitur, quòd Deus diligit in nobis naturam bonam, quam fecit, & odit malitiam, quam nos facimus. Ita & nos debemus in quolibet homine facere. ſ. diligere bonũ, quod eſt, & odiſſe malum quod facit. Et hoc dicit D. Auguſt. intelligi in illis verbis, diliges amicum tuum &c. quod idem homo ſit amicus, & inimicus, amicus quidem propter bonum in quo nobiſcum conuenit. Inimicus autem propter malum, in quo non conuenit, ſed aduerſatur, & quantum ad vnum diligendus eſt, quantum ad aliud verò odio habendus eſt.

Doct. noſter ſub. dicit, quòd ſignanter loquitur Saluator, dictum eſt, & non ſcriptum eſt; quia & ſi erat ſcriptum diliges amicum tuum, non erat tamen ſcriptum, odio habebis inimicum tuum. Sed Iudæi peruertentes ſcripturam arguunt hoc per locum a contrario ſenſu, putantes hoc ex ſcriptura colligi, atque ita illam interpretabantur. Nam cum Deus iuſſerit amicum diligi, putabant ex oppoſito inimicum eſſe odio habẽdum, & ita ſeruabãt. Quod autem male intellexerint probat Saluator. Si. n. tantum diligitis eos, qui vos diligunt, q̃ mercedem habebitis? Sic ẽt male intellexerũt in pluribus alijs locis, ſic patet de illo præcepto Honora patrẽ tuum, & matrẽ tuam, de quo redarguit eos Saluat. Matth. 15. Quia interpretabantur, quod ſi quis offerret ſubſtãtiam ſuam in tẽplo, & non daret patri egeni, quod ſeruaret præceptum, quia Deus eſt Pater Spiritualis, Deus aũt hoc improbat. Irritum inquit feciſtis mandatũ Dei propter traditiones veſtras. Quando ergo dicitur odiſſe inimicum eſt præceptum morale falſum.

Et quia Doct. citat D. Aug. obſer. ꝙ D. Aug. in pſal. 118. concione 7. in fine. Nihil inquit eſt mirabilius in mãdatis Dei, q̃ diligere inimicos veſtros, hoc eſt, retribuere bona pro malis, & concione 9. paulo ante finem aſſerit in iuſtificationibus Dñi nullam rem eſſe difficiliorem, & mirabiliorem, q̃ vt ſuos quiſq; diligat inimicos. ex quibus verbis põt ſic argumentari. Actus heroici non videntur eſſe ſub præcepto, diligere inimicos eſt actus heroicus, ex verbis D. Aug. ergo &c. Dicit Scotus ad authoritates D. Auguſt. quærere. Dicas, ꝙ diligere inimicum dilectione generali, & in præparatione animi, non eſt multum difficile, comparatione ad difficultatẽ aliorum mandatorum, eo vel maximè, quod virtus eſt circa difficile, & hoc modo diligere inimicum eſt præceptũ, ſed in caſu extra neceſſitatem pertinet ad perfectionẽ Euãgelicã, & eſt Cõcilium.

Ad vltimũ dicit Scotus, ꝙ illa regula topica non intelligitur niſi de contrarijs præciſis; hoc eſt, vbi non ambo contraria ex vna parte ſubſunt vni extremo alterius cõtrarietatis; ſi. n. color haberet contrarium puta A. non ſequitur album eſt coloratũ, igitur nigrum eſt A. quia albũ & nigrum continentur ſub altero extremo contrarietatis, ſ. ſub colore. Ita in propoſito diligibile, & odibile ſunt cõtraria, & ſub rõne diligibilis continentur amicus, & inimicus, loquendo de inimico per accidens, quia eadem rõ diligibilitatis eſt in vtroque. ſ. poſſibilitas diligendi primũ obiectum charitatis, & in quãtum ſunt imago Dei; Ideo non ſequitur amicus eſt diligibilis; ergo inimicus eſt odibilis, cum ambo contineantur ſub diligibili. Tenet ergo regula, qñ vtrunque contrarium non continetur ſub altero extremorum, vnde non valet, illiberalitas eſt vitiũ; ergo prodigalitas eſt virtus, quia tam illiberalitas, quam prodigalitas continentur ſub altero extremorum, puta ſub vitio; eadem ratione non valet album eſt viſibile; ergo nigrum eſt inuiſibile.

ARTICVLVS VI.

Vtrum benefacere inimicis omnibus ſit præceptum.

VIdetur quod ſic: quia Matth. 5 & Lucę 6. dixit Dominus. Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros, quod pertinet ad affectũ, benefacite his, qui vos oderunt, quod pertinet ad effectum; ergo ſi in præcepto eſt dilectio affectus; ſimiliter, & dilectio effectus.

Item Exodi 23 Si occurreris boui inimici tui erranti reduc eum. Gloſſa, quaſi diligite inimicos veſtros. Et poſt ſi videris aſinum odientis te cecidiſſe ſub onere non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo. Gloſſa. Benefacite his, qui oderunt vos; ergo in lege præceptum eſt diligere inimicum effectum, atque adeo omnibus eſt præceptum. *Gloſſa.*

Item prouer. 25. Si eſurierit inimicus tuus da illi cibũ, & ſi ſitit potum da illi; ergo &c. Item nullus debet habere dilectionem ſimulatam, ſed dilectio non eſt vera, quæ non ſe oſtendit in opere, vt dicit D. Greg in hom. Probatio dilectionis exhibitio eſt operis, & 1. Ioan. 3 dicitur non diligamus lingua, vel verbo, ſed opere, & veritate; ſed quilibet tenetur inimicum ſuum vere diligere; ergo tenetur ei benefacere. *D. Greg.*

Præterea ex charitate amatur Deus, & proximus; ſed amor Dei non poteſt eſſe ſine oſtenſione in ſigno exteriori; ergo nec amor proximi. Minor patet ex D. Greg. in hom. paſchali. Amor Dei, inquit, non poteſt eſſe otioſus, magna enim operatur ſi eſt, ſi deſinit operari amor non eſt; ergo charitas, quæ habetur ad inimicum cum ſit eadem, quæ habetur ad omnem proximum, non poteſt eſſe ſine ſignis dilectionis. *D. Greg.*

De hac re fuit aliquorum ſententia, quod diligere inimicum præceptum eſt Prælatis, & perfectis, imperfectis verò & ſubditis non, atque adeo dicebant, quod oſtendere ſigna amicitiæ inimicis, ſemper eſt perfectionis, nunq̃ neceſſitatis, quod probabant ex Gloſſa ſuper Matth. c. 5. *Gloſſa*

dicen-

dicẽte, quod ſigna amicitiæ.ſ.benefacere inimicis, & orare pro eis perfectionis ſunt. Tum quia charitas ad inimicos erat ita neceſſaria in veteri teſtamento ſicut nunc, & tamen tunc non tenebantur Iudæi oſtendere ſigna dilectionis inimicis, cum iuberentur perſequi illos, & non habere cum eis pacem, nec quærere eis bonum, vt patet de Cananæis Deut. 20. de Madianitis. Nu. 25. de Moabitis, & Ammonitis Deut. 23. de Amalechitis Deut. 26. & 1. Reg. 15. ergo nec etiam nunc tenebimur ad ſigna dilectionis oſtendenda inimicis.

Item Eccleſia interdum fieri iubet bella contra Tyrannos, & infideles, iſta autem ſunt ſigna inimicitiæ; ergo à fortiori non erit neceſſe eis oſtendere ſigna dilectionis.

Item quia Chriſtus poſtquam dixit benefaciendum eſſe inimicis, & orandum pro eis ſubiunxit. Eſtote perfecti ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt; ergo indicatur, quod oſtendere iſta ſigna dilectionis pertinebat ad perfectionem.

Beda. Sed contra hanc ſententiam arguitur: Quia Dominus non ſolum diſcipulis, & Apoſtolis, hoc eſt, perfectis iſta proponebat, ſed ipſis turbis, & imperfectis Lucæ 6. Vnde dicit Gloſſa Bedæ, quòd in monte ſermo perfectus ad Apoſtolos Matth. 5. hic verò leuiori ſermone ad turbas temperatus per quatuor cardinales virtutes ſermo comprehenditur.

Pro ſolutione huius difficultatis obſer. eſt, quod effectus, & ſigna amoris procedunt ex interiori dilectione, & proportionantur ei, dilectio autem interior inimici cõſiderata in generali, eſt abſolute de neceſſitate præcepti; in ſpeciali autem conſiderata, non eſt abſolute de neceſſitate præcepti, ſed ſecundum præparationem animi, vt oſtenſum eſt ſupra art. 4.

Signa amicitiæ ſunt in duplici differẽtia. Ita dicendum eſt de effectu, vel ſigno dilectionis exterius exhibendo, videlicet, quod ſunt quædam beneficia, vel ſigna amicitiæ, quæ in communi exhibentur proximis, aliqua verò in ſpeciali; de primis, vt cum quis orat pro fidelibus defunctis, vel pro ſalute, & bono ſtatu fidelium, aut pro aliquo toto populo, vel cum impendit aliquis beneficium aliquod toti populo, vel communitati. De ſecundis, vt cum quis particulariter exhibet beneficium alicui, vel habet ſe bene ad illud grate, & delectabiliter communicando cum eo, & proficiẽdo ei in aliquib.

Articulus neceſſitatis dupliciter conſideratur. Secundò obſer. eſt, quando Theologi dicunt inimicos eſſe etiam actu diligendos in tempore neceſſitatis, quod duobus modis poteſt accidere neceſſitatis tempus; priori modo per ſe, & ex natura ipſius charitatis, ſcilicet cũ inimicus indiget ope noſtra, & beneficio, poſteriori modo per accidens, ratione videlicet ſcandali, aut ipſius inimici, aut aliorum, in quo caſu ob concurrentes circunſtantias tale ſcandalum ſecuturum videatur, niſi inimicum aliquibus beneuolentiæ & charitatis argumentis proſequamur; & vtroque neceſſitatis tempore ſine dubio ex charitate inimicus diligendus eſt etiam actu.

1. Concl. His obſeruatis pono aliquas Concluſiones, prima Cõcluſio. Loquendo de primis beneficijs, & amicitiæ ſignis, omnibus eſt de neceſſitate præcepti illa inimicis exhibere; probatur; quia cum quis talia faciat, cum directe ea faciat pro communitate, neceſſe eſt, quod proficiat etiam inimicis cum includantur in tali communitate. Vnde ſi quis diceret, proficiat hoc ad ſalutem omnium fidelium defunctorum, vel ad incolumitatem omnium viuorum fidelium, & excluderet ſpecialiter, & expreſſe inimicos, vt ſi diceret, niſi inimicorum meorum, vel omnium &c. niſi talium, & talium, qui ſunt inimici mei, mortaliter peccaret; quia ſpecialiter exciperet eos ab illo generali beneficio, quod eſt expreſſe illos odiſſe, & vindictam quærere; quod vetitum eſt Leuit. 19. Noli quærere vltionem, nec eris memor iniuriæ ciuium tuorum. Intelligenda eſt tamen hæc Concluſio, vt notat Abulen. ſuper Matth. c. 5. *Abulen.* quæſt. 348. quando beneficium datur multis, vt communitati, ita vt non quod non opportet magis apponi de labore, vel ſumptu pro multis, quam pro paucis; vt cum quis dicit oro pro toto populo Chriſtiano, non magis refert, quòd ſolum ſint centum Chriſtiani, quam ſi eſſent mille, & millia. Secus autem quando quis orat pro tota communitate nominando in oratione ſingulos de communitate expreſſe: Nam tunc ſi ſint in communitate illa aliqui inimici ſui, non tenetur illos exprimere, & ſi non exprimat non peccat: quia tũc licet toti communitati benefaciat, tñ non benefacit, vt communitati, ſed vt ſingulis, atq; ita eſt beneficium particulare, & non commune; q̃a magis apponit de labore, & attentione nominando mille, & decem quam mille ſolum. Eſſet tñ hoc aliquale ſignũ rãcoris, ſi nominatis omnibus de communitate duos, vel tres ſolos, qui inimici ſunt non nominaret. Secus aũt ſi cũ illis aliquos ẽt alios de eadem communitate, qui non ſunt inimici ſui omittat, quia tunc nõ erit ſignum rancoris, atque adeo ſi beneficiũ fiat multis de communitate, & relinquantur aliqui non inimici, poterunt ẽt relinqui inimici ſecluſo ſcandalo. Caueat tamen quis ne ſe ipſum fallat, putans quod non agit ex odio, & agat odio.

Idem etiam eſt dicendum, ſi aliquis inuitaret aliquam multitudinem ad prãdium, vel exhiberet ei ſimile beneficium, quod maiorum ſumptuum eſt, quãto fuerit in plures collatum: Nam tunc ſi quis omnibus de communitate beneficium præſtat, & ſolum inimicos excipiat, nõ peccat ſi plus expendere neceſſe erat, eos cum cęteris inuitando, quam alios ſolos, illis excluſis; Nam non tenetur hoc beneficium eis præſtare, quia particulare eſt, at ſi cõferat beneficiũ toti communitati, nec plus tempus intercedit, ſi omnibus nullis exceptis, quam aliquibus exceptis conferatur, inimicos tunc excipiẽdo peccaret mortaliter. Tũ quia ageret contra charitatem, quia inimicus ſcandalizabitur de nouo, tum quia faceret contra iuſtitiam diſtributiuam, quia auferret ab illis, quod eſt illis debitum in quantum ſunt pars communitatis, habent enim ius gaudendi beneficijs communibus.

Et ſi dicas, q̃ facimus ex liberali donatione poſſumus conferre quibus libuerit, ſed ego libere facio grãtiã aliq̃ cõitati, vel domui; ergo poſſum excipere inimicũ. Dico, q̃ multa non tenemur facere, quæ tñ ſi facimus debemus facere ſm ordinem virtutis. v.g. Non teneor inuitare proximum ad prandium, at ſi inuito debeo collocare illum in loco ſm ſuam dignitatem alioquin facio illi iniuriam. Ita dico in propoſito; Verum eſt tñ q̃ ſi qui facit beneficiũ eſt iudex, vel Prælatus, qui põt punire peccatorẽ excipiẽdo illum; & ſic Eccleſiarum Prælati excommunicant rebelles, tunc enim non facit illi iniuriam ſi delictum ſit tale, quia meretur priuari tali gratia.

Secunda Concluſio. Loquẽdo de particularibus beneficijs, vel dilectionis ſignis, q̃ aliquib. particulariter exhibentur, non tenetur quis de neceſſitate ea inimicis oſtendere, & exhibere, ſed ſolum ſm præparationem animi. i. debet eſſe paratus, quod ſi inimicus fuerit in articulo neceſſitatis, & non põt ei per alterum prouideri, ille ei ſuccurrat, extra verò neceſſitatem, quod quis exhibeat inimico iſta particularia beneficia, vel oſtendat ſigna dilectionis, ad perfectionem pertinet, per q̃ non ſolum vult aliq̃s euitare peccatũ faciendo ne ipſe malus ſit. ſ. per odiũ proximi, ſed ẽt vult inimicũ beneficijs ſuperare, vt eum bonũ efficiat, & iſta eſt ſuperabundans charitas, & ſub conſilio cadit. Sic dr Prouer. 25. & ad Rom. 12. Sic faciens carbones ignis congregabis ſuper caput eius, i. totum illum inflammabis, non ira aut odio, ſed amore. Vult enim Apoſtolus beneficijs obtinendum inimicum, quo tandem reſipiſcat, & meritis, lenitateque noſtra victus ex hoſte fiat amicus, & Dñs reddet tibi. i. pro hac ſuperabundanti charitate Deus tibi retribuet. ſ. quia ad iſta non eſt hõ obligatus, & ita eſt de quocunq; genere beneficij particularis. 2. Concl.

Ex hac concluſione ſequitur primo, qđ non tenetur q̃s poſitiue, & in particulari velle, inimico bona temporalia, vt diuitias ſanitatem, & huiuſmodi, quorum oppoſita poteſt ei iuſte velle, vt diximus ſupra; Tenetur tamen quilibet ſubuenire proximo actu poſitiuo interiori, & exteriori, quo ad vitam corporalem in caſu extremæ neceſſitatis. v. g. ſi inimicus perit fame, & nõ eſt alius proximus, qui det illi manducare, vel ſi ſubmergitur in fluuio, & non eſt, qui poſſit illum iuuare, niſi ego ſolus, tunc teneor pro viribus laborare ne pereat, quod patet auth. D. Ambroſij, fame paſce morientem, ſi non paſiſtis occidiſti. Inimicus autem eſt frater, & proximus, ideo non minori charitate teneor diligere inimicum quam amicum, vel non inimicum, quantum ad ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, ſicut in alijs. Vnde autem probetur iſta tentio, vel 1. Correl. *D. Amb.* *Scotus.*

obliga-

Digitized by Google

obligatio inquit Scotus in hac.q. ſub litt.F.§. Sed de vita corporali &c. non videtur manifeſtum ex ſcriptura, nec ex ratione, loquitur autem Doc. dubitatiue; quia videtur quod probari poſſit ex Scriptura ſacra, quod quis teneatur ſuccurrere vitæ corporali proximi, ſi abſque magno diſpendio rerum ſuarum, & ſine periculo propriæ vitæ poſſit illi ſuccurrere. Nam Lucæ.6. dicitur. Prout vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter. Et 1. Ioan. 3. Si quis habet ſubſtantiam huius mundi, & videt fratrẽ ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo, ſed inimicus eſt frater, & proximus ergo &c. Cæterum dico, quod eſto quod quis permittat proximum perire fame, quem poteſt iuuare, forte non peccat mortaliter, ſi hoc non faciat odio, vel aliqua cupiditate auaritiæ, ſed præciſè hoc faciat, quia credit, quod ſi moritur erit ſaluus, & hoc quia credit eũ eſſe iuſtum; vel ſi eſt malus permittit eum mori hac intentione, quia melius eſt ipſum mori, quam vſque in finem in peccatis perſeuerare, atque ita omnes authoritates, quæ viderentur eſſe contra hoc poſſent exponi, quod ſunt intelligendæ, quod tunc non ſubueniens morienti mortaliter peccaret, ſi odio, vel intuitu auaritiæ potius permittit eum mori, & fame perire, quam eleemoſynis ad iuuare, & hoc eſt quod vult dicere Scotus cum inquit. Quod ſi tunc periclitaretur poſito, quod eſſet bonus, pertingeret ad diligendum Deum perfecte in patria, & ſaluatus ad vitam corporalem forte fuiſſet poſtea lapſus in peccatum, & forte finaliter malus. Dicit tamen Scotus, quod pium eſt laborare pro vita proximi ſaluanda, quia ſupponendum eſt ſi eſt bonus, quod erit melior, & valebit ſibi, & alijs ſua bonitas, & ſi eſt malus ſupponendum eſt, quod corrigetur, hoc enim eſt pie iudicare, ſcilicet interpretari ſemper melius, quando non eſt oppoſitum manifeſtum.

2. Corol. Secundo ſequitur, quod loqui cum Inimico, illum ſalutare, communicare cum illo in emptione, & venditione, cum illoque conuiuere, nõ eſt de neceſſitate præcepti, quia exhibere illa ſigna amicitiæ huic perſonæ non ſunt actus, qui fiant ad communitates, ſed ad ſpeciales perſonas. Cæterum ex circunſtantijs aliud interdum poteſt ex poſtulare charitas. Nam ſi mea ſalutatione poſſum illum reconciliare Deo, & mihi; neſcio quomodo charitas non obliget ad hoc, & cum medium ſit facile, & ſine diſpendio mei honoris notabili, quomodo conueniet cum charitate illum non ſalutare? Item ego non puto ſigna ſpecialia eſſe, quæ ſecundum conſuetudinem patriæ fiunt tali perſonæ. v.g. ſi inimicus meus ſit notus mihi, cui ego alias exhibebam antea talia ſigna honorifica, maxime ſi eſſet Epiſcopus, ſeu prælatus meus, vix ego poſſum diſſimulare abſque peccato mortali, eſt enim vindicta quædam hæc.

Adde quod homines tam aſſueti ſunt ad ſalutandum occurrentes ſibi, vt qui non ſalutat alium occurrentem ſibi, niſi ſit incognitus, vel multum inæqualis in ſtatu, putabitur contemnere illum, vel eſſe inimicus eius, atque adeo ſalutatio eſt aliquo modo neceſſaria non propter ſe ipſam, ſed propter ſcandalum tollendum, ſcilicet vt non putetur quis inimicus alterius, vel ipſum contemnens. Multa autem propter ſcandalum vitandum faciẽda ſunt, quæ alias non erant neceſſaria, quia magna pœna eſt ſcandalizantis proximum. Matth. 18.

3. Corol. Tertiò ſequitur, quod ſi contingat, vt ſæpe accidit in rei veritate nullam eſſe inimicitiam inter duas perſonas ex vtraque parte, ſed quia præceſſit odium, vel offenſa, neuter vult ſe flectere, vt loquatur alteri, aut alter tantum recuſat loqui alteri, hoc abſolute loquendo non eſt contra charitatis præceptum propter eandem rationem, quia homo non tenetur ad hæc particularia ſigna beneuolentiæ ſingulis, & omnibus hominibus exhibenda, niſi in articulo neceſſitatis. Vnde ſi ſecundum patriæ conſuetudinem, vel ſecundum qualitatem perſonarum non loqui, non ſalutare, vel reſalutare, habeatur pro notabili contemptu ſalutantis, eſſet mortale peccatum, quod intelligo regulariter propter ſcandalum proximi, quod ſequitur, ſed niſi ſalutans inimicus eſt inferioris conditionis notabiliter, vt ſeruus reſpectu nobilis viri vel filius reſpectu patris, vel ſubditus reſpectu Prælati, in quibus iudicandis prudentia opus eſt, & diligenti examinatione intentionis, ſępe enim ſibi mentitur humanus animus. Silueſter verbo chari as.q.6. ait, quod ſi ſint alij homines cũ *Silueſter.* inimico eſt mortale ſalutare illos relicto inimico propter ſcandalum, & bene dicit, quia regulariter loquendo ſemper eſt tale ſcandalum. Vnde patet, quod cum Religioſi profiteantur vitam perfectionis, & ex hoc maiori charitatis vinculo ligati eſſe teneantur, minor occaſio erit ratio ſcandali, & mali exempli, ſi non ſalutent aut colloquantur. Quare cauenda eſt inter religioſos huiuſmodi animarum pernicies, præcipue cum eorum inſtitutio, & monachatus non eis ſolis datus ſit, ſed etiam in aliorum exemplo.

Tertia concluſio. Si inimicus oſtendit ſe vere, & ex ani- 3. Concl. mo dolere quod alterum offendit, ſi petit veniam tenetur offenſus remittere illi offenſam, & cum beneuolentia, & vera charitate eum ad pacem admittere, quod patet ex illo Matth. 18. Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis ſi nõ remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris, & Lucæ 17. ſi reuerſus fuerit ad te dicens, pœnitet me, dimitte illi.

Quarta concluſio. Citra odium poteſt offenſus petere 4. Concl. ab offendente damnum & ſatisfactionem honoris, & famę, & bonorum temporalium, quia habet ius ad hæc, & poteſt petere coram iudice, atque adeo nõ tenetur aliquis inimico veniam petenti ſic iniuriam ſemittere, vt etiam pretermittat actionem iniuriarum coram competenti magiſtratu aduerſus illum; dummodo hoc faciat non animo illi malum inferendi, quia hoc procederet ex odio, quod charitati repugnat, ſed vt ſibi fiat ſatisfactio. Intentio namque eius principaliter debet ferri in bonum, ſcilicet in emendationem peccantis, vel ad eius cohibitionem, & aliorum quietem, ad iuſtitiæ conſeruationem, atque ad Dei honorem.

Silueſter in ſumma in verbo charitas.q.6. videtur ſen- *Silueſter.* tire, quod ſi is, qui læſit non modo humiliter petat veniã, ſed offerat etiam ſufficientem ſatisfactionem pro illata iniuria, alter non poſſit inſtituere contra illum actionem iniuriarum coram Iudice. Dicit enim ibi Silueſter, quod non tenetur quis remittere actionem iniuriarum, niſi, inquit alter offerat ſufficientem ſatisfactionem. Bannes etiã 2.2.q.25.art.9.dub.5. dicit difficile valde eſſe, & vix mora *Bannes.* liter loquendo vſu venire, quod quis nolit condonare, pœnam corporalem abſciſionis manus, aut capitis, & quod careat odio, & appetitu vindictæ At vero caſus eſſe poſſet vbi, inquit, id liceret, verbi gratia, ſi familia offenſi manet infamis, niſi puniatur inimicus ſecundum leges. Sed quando aut nullum, aut leue damnum ſequitur, ex tali condonatione, ego non credam inquit Bannes talem hominem eſſe in bono ſtatu, niſi condonet quantum in ſe eſt talem pœnam. Idem ſentit Abulen. ſuper Matth. c.6.q. 115. Richardus hac.d.ar.1.q.2. dicit, quod offenſo compe tit de iure actio in iudicio contra iniuriantem, atque adeo *Richard.* non tenetur emendam remittere, niſi forte ſit homo talis ſtatus, ſeu ligatus tali obligatione, ratione cuius ſibi non conuenit experiri in iudicio.

Communiter tamen tenent Theologi, quod offenſus tenetur dimittere rancorem, qui comitatur appetitum vindictæ; ſed non tenetur dimittere punitionem, quam comitatur zelus iuſtitiæ. ita docet Alexand. de Aleſ.3.p. *Alex. de* quæſt.59.m.5.3.ad 2. Angelus in Summa, verbo Iniuria. *Ales.* numero ſexto, & Nauarr. in Manu. cap. decimo quarto, *Nauarr.* num.25.

Sed quid ſi Petrus offendat Ioannem, an teneatur Petrus adire Ioannem, & veniam petere, vt ei ignoſcat? Reſpondeo aut Petrus offendens, eſt notus quatenus offendens ipſi Ioanni offenſo, aut non; ſi primum, & Ioannes eſt præſens, Petrus debet eum adire, & veniam petere. Patet ex illo Saluatoris Matth. quinto, ſi offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, ſcilicet quod eum læſiſti, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade reconciliari prius fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum. Si non fuerit præſens ſufficit habere propoſitum petendi veniam, pro loco, & tempore. Si ſecundum, id eſt, ſi offenſio Petri, ſit Ioanni ignota, puta furto abſtulit res eius, vel ali-

ter occulte contra Ioannem peccauit, licet factum ſit patens, Petrus non tenetur veniam petere de hoc in particulari, nec ei vllo modo aperire, quia fortaſſe eſſet ſeminarium litis inter eos, & Petrus proderet ſuum peccatum occultum ſine neceſſitate, vel vtilitate, ſed ſufficit dolere de peccato, & velle efficaciter ſatisfacere de omni damno Ioanni illato.

Ad argumenta prioris ſententiæ reſpondetur, & ad primum dico, quod Gloſſa loquitur ibi de beneficijs particularibus extra caſum neceſſitatis exhibitis. Nam illud perfectionis eſt, ſicut diligere actu ſpeciali inimicos extra caſum neceſſitatis eſt perfectionis.

Ad ſecundum dico, quod Iudæi etiam debebant interdum oſtendere ſigna dilectionis inimicis, ſcilicet in neceſſitate, iuxta illud, ſi occurreris boui fratris tui erranti &c. Quod autem iuberet Deus quibuſdam gentibus nõ exhibere familiaritatem, erat propter periculum Iudæorum: quia ſi communicarent cũ eis erant proni ad idololatriã, hoc tamen non tollebat, quin Iudæi tenerentur inimicis oſtendere ſigna dilectionis in aliquo caſu: quia etiam nos non tenemur omnibus inimicis, & omni caſu oſtendere ſigna familiaritatis; & non ſolum inimicis, ſed etiam amicis quibuſdam, ſcilicet ſi communicatio eorum ſine dubio eſt nobis periculoſa, vt pote quia non poteſt quis cõmunicare cum amico ſuo ſine iniuria Dei, peccat ſi communicat cum eo.

Ad tertium dico, quod Eccleſia indicit bella interdum contra aliquos, vt iuſtitiam faciat de malis, qui perturbãt ſtatum pacificum, & maxime ſi turbant ſtatum fidei, quemadmodum ſunt hæretici, & fautores hæreticorum. Et ideo non eſt oſtendendum ſignũ dilectionis inimicis, ex quorum communicatione poteſt ſequi malum, & tales ſunt iſti. Ad quartum patet reſponſio ex ſupra dictis.

Ad argumenta in principio quæſt. poſita Reſpon. & ad primum dico, quod ſicut ad dilectionem in generali tenetur quis ex præcepto, ita tenetur ad beneficia generalia inimico exhibenda, id eſt, non debet eum ab illis excludere, vt ſupra declaratum eſt. Beneficia autem particularia, quæ procedunt ex liberalitate, & non ex debito, non tenetur quis inimico ſuo exhibere, niſi in caſu neceſſitatis, & per hoc patet ad 2. & 3.

Ad quartum dico, quod ſimulata dilectio eſt, quando non tantum exhibetur in opere, quantum oſtenditur in ſigno, ſiue quando non eſt tanta in corde, quanta oſtenditur in ſignis. Quod autem non exhibeat quis inimicis ſuis effectus, vel ſigna exteriora amicitiæ, ſicut oſtendit amicis non eſt ficta dilectio, cum non tantum diligat inimicos, quantum amicos: quia nec tenetur ad hoc. Oſtendit tamen in effectu, quantam habet dilectionem. Habet enim vel habere tenetur quilibet dilectionem ad inimicos in generali, & ita ſolum tenetur effectus generales dilectionis habere ad illos; particulares autem non, vt ſupra oſtenſum eſt. Et ſic eſt vera dilectio, quia eſt in opere, & veritate, & tamen non conſiſtit in oſtenſione ſignorum amicitiæ: quia iſta oſtenſio pertinet ad particularia beneficia, vel ſigna.

Ad quintum dico, quod charitas ſemper habet aliquẽ actum, ſcilicet in temporibus cõuenientibus. Nam nemo poteſt ſemper operari ſecundũ aliquam vnam virtutem: quia tunc nunquam dormiret, nec cibum ſumeret, ſed ad hoc, quod dicatur quis ſemper operans per virtutem aliquam, requiruntur duo. Primum eſt quod nunquam cõtra illã operetur, atque ita ille dicitur ſemper operari per charitatem, qui nunquã contra charitatẽ agit, & ſemper agere temperate, qui nunquam agit intemperate, licet nõ ſemper verſetur circa materiam temperantiæ, id eſt, circa delectabilia tactus, & guſtus. Secundum eſt quod temporibus conuenientibus ſemper operetur: quia iſta eſt conditio præcepti affirmatiui, quod non obliget ad ſemper agẽdum. Et ſic dicit D. Hiero. ad Ruſticum Monachum. Et de
D. Hiero. Conſe. d. 5. c. Nunquam, ſcilicet nunquam de manu tua
Gloſſa. aut oculis tuis liber Pſalterij diſcedat. Et dicit ibi Gloſſa Nunquam, id eſt, horis conſtitutis. Simile habetur. 36. d. c. Si quis. Erat Moſes indeſinenter in tabernaculo Domini, i. horis conuenientibus. Nam manifeſtũ eſt, quod aliqñ erat cũ populo cũ ipſe haberet curã de omnib. & ſtaret iudicando cauſas eorum. Exo. 18. & Num 11. & Deu. 1.

ARTICVLVS VII.

Vtrum teneamur pro inimicis orare.

PRO ſolutione huius difficultatis obſer. eſt, quod orare eſt bonum petere pro aliquo, quod poteſt eſſe tam in bonis animæ, quam corporis præcipue tamen orare eſt pro bonis animæ, eo quod oratio ad Deum fit. Ille autem promptior eſt ad dandum nobis bona animæ, quam corporis, quia illa ſunt meliora bona; & ex hoc ſequitur, quod aliquo modo obligatur quis magis ad orandum pro inimico, quam ad benefaciendum ei, quia benefacere eſt circa bona corporis; at cõtingit, quod bona corporalia inimici ſunt contraria noſtris, & tunc non ſolum non obligamur ei benefacere, ſed etiam poſſumus obuiare ne bona illa habeat, vt per hoc non aduerſetur nobis, bona autem animæ inimicorum noſtrorum, non poſſunt aduerſari nobis, ideo in his non licet eis obuiare, ſed poſſumus indifferenter bona velle, atque ita magis orandum eſt pro illis, quam benefaciendum eis.

Secundo obſer. eſt, quod orare pro inimicis interdũ eſt Orare pro
perfectionis, & de concilio, interdum eſt de præcepto, & inimicis
neceſſarium. Nam cum orare ſit quoddam benefacere, interdum
eadem ratio videtur de orando, & benefaciendo inimi- eſt præcep
cis. De benefaciendo dictum eſt in ſuperiori art. quando, tum, inter
& in quibus teneamur eis benefacere, ſcilicet oſtendendo dũ eſt cõ
eis ſigna amicitiæ. Orare vero aliquo modo eſt minus, cilium.
quam benefacere, aliquo modo maius. Eſt quidem minus; quia orare non requirit aliquem actum niſi velle, & non actum exteriorem, atque adeo cuilibet promptum eſt orare pro altero; benefacere autem dicit actum exteriorem, & interdum non occurrit homini poſſe alteri benefacere. Eſt autem maius, quia orare pro altero non poteſt eſſe niſi ſecundum virtutem animæ, benefacere autẽ exterius poteſt eſſe ſine virtute animi. Sæpe enim benefacit eis, quos non diligit, & oſtendit illis ſigna amicitiæ ex neceſſitate quadam, vel quia intelligit ſibi eſſe vtile. Orare autem cum fiat in corde noſtro, & non exhibeatur alteri in conſpectu eius non poteſt fieri ſine animi virtute. Vnde ſi quis pro alio orat, vere eum diligit; ſed non ſemper diligit, licet benefaciat exterius. Hoc etiã patet: quia orare pertinet ad bona animæ, & oratur principaliter pro bonis animæ, ſcilicet pro gratia, & gloria. Benefacere autem pertinet ad bona corporis; maiora autem ſunt bona animæ. Chriſtus etiam videtur hoc voluiſſe. Nam ponit ordinem inter iſta tria, ſcilicet diligere inimicos, benefacere illis, orare pro eis; & ſicut benefacere eſt maius, quam diligere, ita orare ſignatur eſſe maius, quam benefacere.

Tertio obſer. eſt, quod cũ oratio poſſit eſſe pro vtriſq; bonis, aut erit pro bonis animæ aut pro bonis corporis. ſi primo aut in generali, aut in particulari. Et hoc vel actualiter vel habitualiter. His obſeruatis ſit prima concluſio. 1. Concl.
oratione generali tenetur quilibet petere bona animæ pro inimicis, id eſt, tenetur non excludere eos ab illa oratione, in qua petit bona animæ generaliter pro omnibus; patet, quia quilibet tenetur orare Deum pro ſe, & pro tota Eccleſia Dei vt dicit Sc. in hac. q. ſub litt. F §. Quantum
ad bona ſpiritualia &c. & tenetur velle iſtam orationem *Scotus.*
valere bono, & malo ad bonum ſpirituale. Nam ſicut eſſet malus ſtomachus, qui nollet ſuſtentationẽ ſuam valere ſuſtentationi manus, ita non eſſet bonus in Eccleſia, qui nollet bonum actum ſuũ, ſi quem habet, valere omni mẽbro Eccleſiæ, pro quibus Deus illũ acceptat, & pro quãto põt valere ſibi, & alijs. Vnde ſi quis orans dicat, ꝙ orat pro animabus omniũ fidelium defunctorũ, vel pro gratia omnium fideliũ viuorum, non debet dicere niſi inimicorum meorũ, vel niſi taliũ, & talium, qui ſunt inimici mei, & ſicut non dẽt hoc dicere, ita nec dẽt habere in corde, ꝙ oratio non proficiat illis. Nam vtrunque eſt contra charitatẽ, quia expreſſe eſt eis velle malum. Non tenetur tamẽ orãs exprimere in oratione generali generaliter, nec ſpecialiter inimicos ſuos. Dico generaliter, vt cum quis in oratione ſo-

ne ſolet tangere multos ſtatus hominum, vt ſi dicat, proſit iſta oratio omnibus fidelibus viuis, & defunctis, prælatis, & ſubditis, Clericis, & laicis, cognatis, & amicis; non tenetur ibi addere, & inimicis, licet poſſet dici in generali amicis, & inimicis. Et a fortiori non tenetur quis exprimere inimicos in oratione, quando orat pro aliqua communitate, & exprimit nomina omnium de communitate. Nam ſi ibi ſint tres, vel quatuor inimici ſui, expreſſis nominibus ſolum de cõitate, non tenetur exprimere nomina illorum trium, vel quatuor, qui inimici ſunt, quia iſtud iam eſſet benefacere, & orare in particulari, de quo manifeſtum eſt, quod non tenetur quis inimico ſuo præſtare; quia nec etiam amicis illud exhibere tenetur, ſed ſatis eſt non excipere illos a generali oratione.

Ex hoc ſequitur, quod a generali oratione, qua quis orat pro tota Eccleſia, non poteſt excipere infideles dicens, proficiat iſta oratio omnibus hominibus, niſi infidelibus. Nam etiam ad infideles tenemur habere charitatem, vt ſupra oſtenſum eſt. Non licet etiam excipere peccatores, quia illos tenemur diligere ex charitate, peccat ergo, qui aliquem hominem viuentem excludit ab oratione ſua. Mortuos etiam in generali non licet excludere: quia multi in charitate deceſſerunt, & indigent orationibus noſtris, & auxilijs charitatiuis, & a fortiori peccat, qui aliquem mortuum ſpecialiter excipit ab oratione, quia iſtud pertinet ad verum odium. Illos tamen, qui in inferno ſunt excipere licet, eoque illi non ſunt proximi noſtri. Cęterum non oportet illos expreſſe excipere: quia per ſe intelliguntur excepti, cum oratio noſtra non poſſit eis proficere.

Vnde nota, quod cum dicit *Doctor*, quod quis tenetur velle bona ſpiritualia proximo, non vult, quod quis actu poſitiuo teneatur velle bona iſta proximo ſingillatim, & ſeorſum loquendo de proximo, puta de iſto vel illo particulari, niſi tantum in caſu neceſſitatis ſuperius expreſſo, nec intelligit, quod quis teneatur velle bona ſpiritualia proximo, actuali volitione, licet forte teneatur velle volitione habituali, id eſt, in pręparatione animi, quando poſtulat charitas. Et ſimiliter cum dicat, quod tenetur velle orationem valere bono, & malo ad bonum ſpirituale; non intelligit de volitione actuali, itavt actu velit orationem ſuam valere bono, & malo in ſpeciali, ſed ſi tenetur, hoc eſt tantum habitualiter; tenetur tamen non elicere actum nolitionis, id eſt, tenetur non excludere: quia ſi nollet orationem ſuã valere inimico, mortaliter peccaret.

2. Concl. Secunda Concluſio. Loquendo de oratione ſpeciali, nemo regulariter obligatur orare pro inimicis in ſpeciali, etiam pro gratia & gloria. Probatur. Non tenemur pro alijs hominibus ſpecialiter orare, niſi ex aliquo ſpeciali beneficio, vel conuentione, aut promiſſione, ergo a fortiori non tenemur orare in ſpeciali pro inimicis. Si tamen quis putaret inimicum eſſe in periculo pereundi æternaliter per peccatum mortale, & crederet, quod oratio ſua poterit illum liberare, teneretur pro eo expreſſe, & ſpecialiter orare. Quia ſi quis videret inimicum fame, aut ſiti periturum niſi ei ſuccurreret, teneretur facere ſi poſſet: ergo a fortiori in periculo animæ, quod eſt maius, quam corporalis mors, tenetur orare.

3. Concl. Tertia Concluſio. Si loquamur de bonis corporis, & de oratione generali, quilibet tenetur orare pro inimicis, id eſt, non excludere eos ab oratione; vt ſi oretur pro incolumitate omnium fidelium, non debent ab hac oratione excipi inimici; quia licet non teneamur petere pro eis incolumitatem, excludere tamen eos ab oratione eſt contra charitatem: quia ad odium pertinet. Exprimere, tamen illos in oratione generali, generaliter, vel ſpecialiter non tenemur, vt ſupradictum eſt.

4. Concl. Quarta Concluſio. Si loquamur de oratione ſpeciali, quantum ad bona temporalia, non tenemur pro inimicis orare; imo non eſt ſic orandum: quia etiam pro nobiſmet non debemus petere determinate bona temporalia, quia neſcimus an nobis conueniant, ſed cum conditione, ſi nobis expedit illa habere. ergo a fortiori pro inimicis non debemus in particulari petere aliqua bona temporalia. Et in hoc plus tenetur quis benefacere inimico, quam orare pro eo, quia ſi accidat articulus neceſſitatis, tenetur quis benefacere inimico ſuo, ſubueniendo in temporalibus, & tamen non tenetur orare pro eo ſpecialiter, quod habeat aliqua bona temporalia: quia primum eſt neceſſarium, ſecundum non apparet, an ſit conueniens: quia forte Deus iudicat magis illi expedire, quod indigeat, quam quod abundet. Debet tamen quilibet habere animum paratum ad orandum pro inimico, id eſt, quod ſic eſſet aliquis caſus, in quo neceſſe eſſet orare pro eo, ſiue in particulari, ſiue in generali, quod oraret.

Sed contra primam, & 3. Concluſionem arguitur, ex illo, id eſt, Ioan. vltimo. Eſt peccatum ad mortem non pro illo dico, vt roget quis; ergo pro inimico peccante ad mortem non erit orandum. Et confirmatur ex D. Auguſt. libro 1. de ſerm. Domini in monte. cap. 43. Vbi ſcribit eſt peccatum ad mortem; & eſt peccatum non ad mortem. Peccatum ad mortem eſt; cum poſt agnitionem Dei, quę per gratiam Dei data eſt, aliquis oppugnat fraternitatem, & aduerſus gratiam inuidentiæ facibus agitatur. Peccatum vero non ad mortem eſt, ſi quis non amorem a fratre alienauerit, ſed officia charitatis debita per aliquam infirmitatem animi non exhibuerit. Propterea Paulus credo, non orat pro Alexandro: quia iam frater erat, & ad mortem inuidentiæ facibus fraternitatem oppugnã do peccauerat. Sic enim dicitur. 2. Timo. 4. Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit, reddet illi Deus ſecundum opera eius, valde enim reſtitit noſtris ſermonibus. Pro his autem, qui non abruperant amorem ad mortem, ſed timori ſuccubuerant orat, vt eis ignoſcatur. Et ſubdit ibidem. In prima mea defenſione nullus mihi affuit, ſed omnes me dereliquerunt, non illis imputetur. Secundum hoc ergo dicit, quod ſic accipiatur orandum pro illis, qui nos perſequuntur, vt pro quibuſdam etiam fratrum peccatis intelligatur non præceptum eſſe, quod oremus. *D. Aug.*

Alexander de Ales. 3. p. q. 59. m. 5. art. 7. Reſpondens huic difficultati, dicit peccatum ad mortem dupliciter accipi, vno modo, quod in ſe habet diſpoſitionem ad non pęnitendum, & ideo peccatum, quod dicitur in Spiritũ Sanctum, vt inuidia fraternæ gratiæ, & huiuſmodi dicuntur peccata ad mortem, de quibus dicit D. Auguſt. quod tanta eſt labes iſtius peccati, quod deprecandi humilitatem ſubire non poſſit, id eſt, vix poſſit, hoc modo accipiendo peccantem ad mortem, adhuc eſt pro ipſo orandum, quia de nemine deſperandũ eſt dum eſt in via. Nam vt dicit diuus Auguſtin. in prologo ſuper pſalterium. Nulli quãtumcunque delinquenti de venia & miſericordia Dei diffidendum eſt, aſſumpta pęnitendi humilitate, cum enim cernimus Dauid homicidam, & adulterum. 2. Reg. 11. per pœnitentiam factum Prophetam, nulli pęnitentiam agenti locus diffidentiæ relinquitur, atque adeo cum de nemine quantumcunque peccante ſit deſperandum in vita, pro quolibet eſt orandum. Et confirmatur authoritate D. Auguſt. libro primo, de ſermone domini in monte. cap. 44. in fine, ſuper illa verba Matth. 7. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Duo ſunt, inquit, in quibus temerarium iudicium cauere debemus, cum incertum eſt quo animo quicquid factum ſit, vel cum incertum eſt, qualis futurus ſit, qui nunc malus apparet. Ponamus igitur aliquem peccantem ad mortem, incertum eſt ad huc qualis futurus ſit; ſed ſi pro eo non oraretur, iudicaretur malus futurus finaliter, ergo & temerarie, ſi ergo non eſt temerarie iudicandus pro ipſo erit orandum.

Alex. de Ales. Peccatum ad mortẽ dupliciter ſumitur. *D. Aug.*

Alio modo dicitur peccatum ad mortem, in quo eſt neceſſitas ad non pœnitendum, quale eſt peccatum mortale finaliter, & pro peccante ſic ad mortem, ſi conſtet, non erit orandum. Vnde in libro 1. Retract. cap. 19. poſt medium D. Auguſt. addendum fuiſſe dicit. Si in hac tam ſcelerata mentis peruerſitate finierit hanc vitam. Ita enim ibi ſcribit. Quod dixi non orandum pro quibuſdam, iuxta illud Ioan. Eſt peccatum ad mortem. &c. addendum fuit, ſi in hac tam ſcelerata peruerſitate finierunt hanc vitam: quoniam de quocunque peſſimo in hac vita conſtituto non eſt vtique deſperandum, nec pro illo impudenter exoratur, pro quo non deſperatur. Vnde ſi hoc modo peccatum ad mortem cum D. Augu. definiamus, in promptu ratio eſt, quare dixerit Ioann. ne pro eo quis deprecetur, ſi quidem qui impœnitenti corde moriũtur, damnari

Digitized by Google

certum eſt, at damnatis omnis ſpes veniæ eſt adempta, vbi autem ſpes veniæ non eſt, nec orationi locus eſſe poteſt. *Vega.* Hanc explicationem Andreas a Vega lib. 15. ſuper Conc. cap. 11. dicit eſſe veram, & genuinam eius loci D. Ioannis, quam & nos in lectionibus noſtris de peccatis lect. 10. ſecuti ſumus.

Verum licet hæc ſententia veriſſima ſit, hoc tamen incommodi nunc nobis habere videtur, quod nemo mortalium ſatis deprehendere valeat hanc vſque in finem impotentiam, cum Deus qui ſolus cor hominis ſcrutatur, etiam immutare illud ſubito poſſit. Quare & Eccleſia pro his, qui rabida mente cum fratre manus conſerentes occumbunt, aut alias in peccatis conſtituti ſubito hinc rapiuntur, orare non ceſſat. Sed neque admonendi hac de re erant, ad quos ſcribit Apoſt. Ioann. cum ipſos, vt videtur, id latere haud potuerit. Alia igitur via ſi forte ſuccedat hanc tenemur explicare ſententiam.

D. Hiero. D. Hieronymus lib. 2. aduerſus Iouinianum ex hoc loco Ioannis, docens inter peccata magnam eſſe diſtantiã, quæ ille paria faciebat Stoicorum in hoc ſectator, dicit peccatum ad mortem eſſe, de quo non facile impetratur venia, hoc autem peccati genus quodnã, vel quale ſit, *D. Bernar.* hunc ſequutus definit D. Bernardus in lib. de gradibus humilitatis dicens illud eſſe, quod ex inueterata peccandi conſuetudine, qua Dei metus amittitur, & contemptus incurritur, procedit.

Quod ſi rem accurate conſiderare voluerimus, videbimus rectiſſime id a D. Bernardo aſſertum. Nam is, qui nondum eo malitiæ deuenit, vt ex conſuetudine peccet, ſæpe vel laſſante ipſum iniquitate, vel ſtimulante conſciẽtia peccare deſiſtit, atque metu gehennæ terrefactus ad gratiam Dei implorandam cõfugit. At ille, qui in peccandi venit conſuetudinem abſque labore, ſedet abſque freno ſecurus perpetrat mala. Laborem in duriſſima peccati ſeruiture, vt non ſentiat conſuetudo facit. frœnum, hoc eſt, diuinorum iudiciorum timorem adimit toties iterata iniquitas; qua eius ita mens obduratur, vt iam dicere audeat, licet non ore, corde tamen, non eſt Deus. Quare tantum abeſt, vt precandi poſſit ſubire humilitatem, vt ne in mentem quidem ei veniat, atque adeo in morte vſque ad mortem ferè manet, & ecce qua ratione hoc peccatum ad mortem dictum.

Verum cum, & hunc Deus potenti dextera ſua (licet rarus ſit ille diuinæ miſericordiæ effectus) de vitiorum pro fundo educere valeat, ideoque nec hic deſperare ſemel liceat. Quid eſt quod ait Ioannes. Eſt peccatum ad mortem non pro illo dico, vt roget quis? An ſpei refugium eſſe poterit, vbi oratio locum non inuenit? Hoc facile diluitur, ſi ipſius Apoſtoli verba diligentius inſpiciamus. Ait enim, hæc eſt fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcunque petierimus ſecundum volũtatem eius, audit nos. Ex hac deinde iſtam infert ſententiam. Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Ac ſi dicat. Cum ea nobis ſit apud Deum impetrandi, quod petimus, fiducia, nequaquam omittere debemus, quin pro peccatis fratrum, quæ fragilitate humana, vel alias, non ex malitia, & conſuetudine committuntur, deprecemur plenè perſuaſi, quod veniam impetrabimus. Cæterum pro peccato ad mortem non dico, vt quis oret, hac nimirũ impetrandæ veniæ fiducia, quod ad ſuam petitionem mox illi reddetur vita. Quid ergo? quaſi diffidens confidat, & non oret, ſed gemat, plangat, ſaccũ adhibeat, & clamet in cœlum, ſi forte exaudiat Deus, & miſereatur. Non ergo abſolute orare vetat, ſed negat eam hac in re iuſtis poſſe eſſe fiduciam, quod ſi orent facile ſint exauditi. Hanc puto germanam eſſe ſententiam huius loci. Si lector cupit huiuſmet loci aliam interpretationem, legat D. Ambroſium lib. 1. de pœnitentia, capitulo nono. *D. Ambr.*

DISTINCTIO. XXXI.

ILLVD quoque non eſt prætereundum &c. Superius determinauit Magiſter de charitate qua diligimus Deum quantum ad eius eſſentiam, & de numero diligendorum ex charitate, & de charitate quantum ad ordinem diligendi, & quantum ad perfectionem meriti: hic determinat de eius duratione, & diuiditur in tres partes. In prima inquirit de permanentia charitatis pro ſtatu viæ. In ſecunda de eius permanentia in ſtatu patriæ. In tertia quærit an ordo charitatis fuit in Chriſti Saluatoris anima.

In prima parte ſtatuit Magiſter hanc concluſionem. Charitas, quæ amitti poteſt in via fide, & ſpe euacuatis, manet in patria. Hanc inſinuans proponit quoſdam ſenſiſſe charitatem ſemel habitam ab alio, nequaquam amitti poſſe; atque ita opinati ſunt nullum damnandum charitatem poſſe habere, quam ſententiam probabant authoritate Apoſt. 1. ad Cor 13 dicentis, charitas nunquam excidit, atque D. Auguſtin in Epiſto. ad Iulianum Comitem, quæ erat in antiquis exemplaribus, paulo poſt principium. vbi ita ſcribit. Charitas quæ deſeri poteſt nunquam vera fuit. quibus verbis innuere videtur, quod immutabilitas ſit de veritate charitatis, atque ita cum homo mutabilis ſemper ſit de bono in malum, & è contrario, videtur quod nunquam veram habeat charitatem. Item ſuper epiſto. Ioan tract. 3. in fine inquit Diuus Auguſtinus. Radicata eſt charitas? ſecurus eſto nihil mali procedere poteſt. Et multis alijs authoritatibus, quas breuitatis cauſa videndas vobis in textu dimitto. *D. Aug.*

Hanc opinionem refellit Magiſter per hoc, quod quidam ad tempus ſunt boni, qui poſtea efficiuntur mali, & è contrario; ſicut patet maxime per authoritatem Euangelij, de quibuſdam. quorum nomina dixit Deus in vitæ libro eſſe ſcripta, qui tamen poſtea abierunt retrorſum. At diceтis, non ergo in libro vitæ fuerunt illorum nomina ſcripta; quia ſalui minime facti. Huic tacitæ obiectioni occurrite dicentes, illorum nomina quidem in libro vitæ ſcripta fuiſſe, ſecundum præſentem iuſtitiam, ſeu gratiam, quam tunc habebant, at non ſecundum Dei præſcientiam, quod patet authoritate D. Ambroſij ſuper illud ad Romanos. 9. *D. Ambr.* *Quia maior ſeruiet minori, dicentis. Quibuſdam gratia data eſt in vſum, vt Sauli, Iudæ, & illis diſcipulis quibus Dominus dixit: Ecce nomina ve-*

Digitized by Google

na veſtra ſcripta ſunt in cœlis, & poſt abierunt retro. Si dicatis ille liber eſt immutabilis, ergo qui in illo ſunt ſcripti non videtur, quod abierint retrorſum, atque de illo ſint deleti.

Liber vitæ tribus modis ſumitur. Reſpondeo, quod ſicut liber militia tripliciter poteſt dici, ſcilicet in quo traditur ars militoris, vel in quo ſcripta ſunt illuſtrium militum facta, vel in quo ſcribuntur ad militiam electi ſeu deſignati. Ita liber vitæ tripliciter poteſt accipi, vno modo pro libro in quo ſcripta ſunt ea, quæ conducunt ad vitam æternam; atque ita liber vitæ eſt vetus, & nouum teſtamentum. Altero modo pro libro in quo ſcripta ſunt facta electorum, ad vitam æternam. & hoc modo liber vitæ erit in die Iudicij cuiuslibet hominis conſcientia, & ſic erunt multi libri, iuxta illud Apoc. 2. Vidi mortuos magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu Troni, & libri aperti ſunt, ideſt, ſingulorum conſcientiæ patefacta ſunt. Tertio modo pro libro in quo ſcripti ſunt electi ad vitam æternam, atque ita ſecundum Gloſſam, ſuper illud pſalm. 68. Deleantur de libro viuentium &c. liber vitæ eſt notitia Dei, qua prædeſtinauit ad vitam, quos præſciuit conformes fieri imagini filij ſui. Verum in hoc libro duobus modis poteſt dici, quod aliquis ſcribatur, vel ſecundum præſentis iuſtitiæ exiſtimationem vel reputationem vel ſecundum finalis gratiæ prauiſionem; priori modo dicuntur ſcripti in libro vitæ. quorſum merita ſcribi dicuntur, vel qui actualiter in gratia Dei exiſtentes meritoriè operantur. ſecundo modo non ſolum, quia eorum merita ſcribuntur, ſed etiam quia ipſi ordinantur ad vitam, ſecundum diuinam prædeſtinationem; qui primo modo ſcribuntur delentur, ſiue deleri poſſunt, quoad præſentem iuſtitiam, quia peccans mortaliter non reputatur amplius dignus æternæ vitæ. Qui vero ſcribuntur ſecundo modo, numquam delentur & de his dicitur Apoca. 3. Non delebo nomen eius de libro vitæ, vbi dicit Gloſſa. liber vitæ eſt præſcientia Dei in qua omnia ſunt conſtantia, hæc autem deletio non dicit mutationem aliquam circa Deum, ſed ſolum circa meritum, vel demeritum hominis.

Ad authoritates in oppoſitum reſpondens Magiſter dicit eſſe intelligendas de perfecta charitate quæ ſemel habita amitti non poteſt, & non de charitate incipiente, & proficiente. & ad authoritatem Apoſt. dicit eam eſſe intelligendam ſecundum finalem charitatis effectum.

Et ſi dicatur, quod multi viatores habent charitatem, quæ perducit eos ad vitam æternam, & tamen quamdiu viatores ſunt, poſſunt charitatem deſerere ergo iſta duo poſſunt ſimul ſtare, ſcilicet quod charitas poteſt deſeri, & quod ſit vera charitas. Item charitas via & patria ſunt eiuſdem rationis; ergo ſi de veritate charitatis eſt, quod ſit immutabilis, videtur ſimiliter, quod ſit de veritate charitatis via, atque ita videtur ſimpliciter ſentire D. Auguſtinus, quod charitas vera numquam amittatur, quod eſt ſimpliciter falſum.

Reſpondetur. quod verbum illud poteſt ſane intelligi, ſi fiat ius in duplici verbo. Primo ſi fiat ius in verbo a parte ſubiecti, in eo quod dicit, charitas, quæ deſeri poteſt; aliqua enim proprietas, vel qualitas deſeritur propter hoc, quia non poteſt reſiſtere impellenti; aliqua verò deſeritur, ex mera voluntate poſſidentis. Cum ergo dicit D. Auguſtinus, quod charitas non eſt vera, quæ poteſt deſeri, hoc intelligitur de illo amore, qui non habet efficaciam reſiſtendi; talis enim amor, qui poteſt a ſuperueniente tentatione, violentia quadam expelli. non meretur dici amor charitatis, cuius eſt Deum chariſſimum habere, & propter ſe, & ſuper omnia diligere, & propter amatum omnia faciliter tolerare. Alio modo poteſt intelligi, vt fiat ius, in eo quod dicit nunquam vera fuit; Nam virtus vera dupliciter dicitur, aut quia habet operationem ſibi debitam; aut quia perducit ad finem propter quem eſt, vt in propoſito verbo dicitur charitas non eſſe vera, quæ deſeri poteſt: quia ſi deſeritur finis debitus non acquiritur, atque adeo potius vana, quam vera eſt reputanda; nec loquitur hic D. Auguſt. de quacumque potentia deſerendi charitatem, ſed de potentia, quæ eſt actui coniuncta.

In Secunda parte habet Magiſter hanc concluſionem. Charitatis imperfectio in via, tolletur à beatis in patria. Quam inſinuans, quærit. Cum fides, & ſpes euacuentur in patria, eo quia ſunt ex parte; quare etiam charitas non dicitur excidere, cum & ipſa ſit ex parte, id eſt, hic in via imperfecta. Ex parte enim, id eſt, imperfecte diligimus, ſicut ex parte ſcimus. dicit Heſychius ſuper Leuit. Huic difficultati occurrens Magiſter dicit, quod charitas inquantum eſt ex parte, & imperfecta euacuabitur, quia tunc omnis imperfectio tolletur ab ea, & ipſa manebit quantum ad habitum, & quantum ad actum, fides verò, & ſpes tollentur, quoad vtrumque ſcilicet quantum ad habitum, & quantum ad actum. At dicetis quid de ſcientia? an euacuabitur in patria? Ad hoc dici poteſt, quod ſic, & quod non. deſtruetur enim quo ad modum imperfectum, quem nunc habet, & manebit ſecundum eſſentiam. 2.Concl.

In tertia parte habet Magiſter hanc concluſionem. Chriſtus in via ſecundum quod homo ordinē 3. Concl.

charitatis talem ſeruauit, qualem in patria beati ſeruant. hanc vt deducat Magiſter quærit vtrum Chriſtus ſecundum quod homo ſupradictum ſeruauerit charitatis ordinem. Et vi.'etur quod non. quia eſto quod ſeruaſſet, tunc omnes homines ſicut ſe ipſum dilexiſſet, atque ita omnes fieri ſaluos voluiſſet. at quia non omnes ſalui facti ſunt, videtur ſequi, quod Chriſtus aliquid optauerit, quod tamen factum non eſt, at hoc inconueniens valde eſt Non eſt itaque dicendum, quod ſupradictum charitatis ordinem ſeruauerit. Huic dubitationi occurrens Magiſter dicit, quod Chriſtus ſecundum quod homo ſemper ordinem charitatis ſeruauit, qui ſeruatur in patria, & non illum, qui ſeruatur in via. Nam beati in patria ita ſunt voluntati diuina conformes, & adeo iuſtitia Dei addicti, vt nihil eis placeat, niſi quod Deo placet, & ex conſequenti illos tantum diligunt, ſicut ſe ipſos, quos Deus vult efficaciter ſaluos fieri, atque ita Chriſtus electos tantum ſicut ſe dilexit, eorumque ſalutem optauit.

Etſi dicatur ſatior fuit charitas in Chriſto, quam in nobis, nos autem ne dum electos diligimus ſed etiam reprobos, & præſcitos, ergo & Chriſtus. Item illos dilexit Chriſtus, quos voluit ſaluos fieri; ſed ipſe vult omnes homines ſaluos fieri 1 Timo 2 ergo tam electos, quam reprobos dilexit. Item angeli non tantum ſeruiunt electis. imo etiam malis, & reprobis, & eos, quibus ſeruiunt volunt perducere ad beatitudinem, ergo diligunt eos ex charitate. atque adeo multo fortius videtur. quod Chriſtus ex charitate omnes dilexerit. Reſpondeo quod in Deo voluntas diſtinguitur ſecundum duplicem modum, eſt enim in Deo voluntas antecedens, & voluntas conſequens: voluntas antecedens eſt ſolummodo ex ipſo. voluntas vero conſequens pendet ex cauſa noſtra & per hunc modum duplex eſt diſtinguenda dilectio in Chriſto, ſcilicet dilectio ſecundum voluntatem antecedentem, & hac quidem omnes diligebat; quia omnes ad ſalutem peruenire cupiebat, quantum eſt ex ſe. Et dilectio ſecundum voluntatem conſequentem, & hac, quia reſpicit merita finalia, non omnes diligebat, nec omnes ad ſalutem peruenire cupiebat, ſed eos dũtaxat, qui finaliter erant in Dei gratia obituri & de hac dilectione loquitur Magiſter: & per hac patet ad obiecta, qua tantum de prima dilectione procedunt, & hac de tota hac diſtinctione dicta ſufficiant. Circa quam Scotus vnicam mouet quæſtionem.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum charitas maneat in patria, ita vt non euacuetur.

PRO explicatione huius tituli obſer. eſt primo, quod D. Thom. 1. 2. q. 67. quærit an virtutes morales maneant poſt hanc vitam; ſecundo an virtutes intellectuales, & tertio an virtutes Theologicæ: de qua re tractant Doctores Scholaſtici in 3. in hac diſt. De virtutibus moralibus erit nobis ſermo infra d. 36. de virtutibus intellectualibus, eſt dubium an ſcientia euacuetur in patria, de qua re fuit quorundam ſententia, quod ſcientia in patria ante corporum reaſſumptionem non manebit, quantum ad actum, ſed quantum ad habitum. Quod autem non remaneat quantum ad actum, ex eo deducunt: quia in nobis, vt dicunt nulla ſpecies intelligibilis conſeruatur in intellectu noſtro, niſi quamdiu actu intelligit, vt colligitur ex Auicen. 6. naturalium libro 5. cap. 6. vbi loquens de ſpecie intelligibili dicit, quod impoſſibile eſt dici hanc formam eſſe in anima in effectu perfecte, & non intelligi ab ea in effectu perfectè, quod videtur etiam affirmaſſe D. Auguſtinus 11. de Trinit. cap. 4. dicens, quod cum cogitantis acies id, quod in memoria tenebatur, deſtiterit intueri, nihil de forma, quæ impreſſa erat in eadem acie remanebit. Ariſt. etiam. 3. de anima. t. 30. dicit, quod phantaſmata ſe habent ad intellectum, ſicut ſenſibilia ad ſenſum; cum ergo in ſenſu in abſentia ſenſibilium, non remaneant ſpecies ſenſibiles niſi ad modicum tempus, videtur, quod nec in intellectu remaneant ſpecies intelligibiles, niſi quamdiu ad phantaſmata conuerſus eſt, cum ergo in animabus ſeparatis non remaneant phantaſmata; quia cum ea ſeparantur organa virium ſenſitiuarum, in quibus ſunt ipſa phantaſmata; videtur quod anima ſeparata nihil poſſit intelligere de his, quorum ſcientiam per ſenſibilia phantaſmata acquiſiuit.

D. Thom.

An ſcientia euacuetur in patria.

Auicen.

D. Aug.

Ariſt.

Quod tamen remaneat ſcientia quantum ad habitum, declarant ſic. Habitus ſcientiæ nihil aliud eſt, quam quædam qualitas intellectus illuminatiua, ad conſiderandum prompte, faciliter, & expedite illa, reſpectu quorum eſt, cum penes ſe eorum habeat ſpecies, vnde habitus ſcientiæ non eſt ipſa collectio ſpecierum; neque ab organo corporali, neque a phantaſmatibus dependet, atq; adeo cum de ſui ratione nihil importet repugnans gloriæ remanebit in patria ad ornatum animæ, & decorem.

Poſt corporum tamen reaſſumptionem, quia reſtituentur organa ſenſitiuarum virium, & phantaſmata, quæ neceſſaria fuerant ad conſiderandum, habebit ſcientiam actum ſuum, quamuis quaſi incorpolaritet modo nobiliori, & ſublimiori quam in via.

Cæterum hæc opinio ab omnibus Theologis communiter reijcitur, (vide Doc. in 4. d. 45. q. 1.) quia aperte videtur eſſe contra ſacram ſcripturam, quæ docet animas a corporibus exutas, quæ in verbo Dei ea, quæ hic geſſerint non conſpiciunt, vt ſunt animæ damnatorum, recordari eorum ſenſibilium, quorum hic notitiam habuerunt, vt patet de anima illius Diuitis, de quo habetur Lucæ 16. quod verum non eſſet niſi ſpecies intelligibiles in intellectu in abſentia phantaſmatum, & actus intelligendi remanſiſſent. Quod patet etiam ex D. Auguſtino 12. ſuper Gene. ad litteram verſus finem, vbi docet Animam gerere apud inferos ſimilitudinem non corporalem, ſed corpori ſimilem. Et in lib. de ſpiritu, & anima ſcribit, quod animæ, quæ in corporibus viuentes per dilectionẽ rerum viſibilium corporalibus imaginibus afficiuntur a corporibus exeuntes in eiſdem imaginibus tormenta patiuntur, quod haud verum eſſet niſi ſecum deferrent intellectuales imagines corporibus ſimiles. Et 10. de Trini. cap. 5. expreſſe ponit mentem, id eſt, rationalem intelligentiam informari ſimilitudinibus rerum factis in ſemetipſa de ſemetipſa, & illas animæ partes, quas cum beſtijs nos communes habere ſentimus, corporum ſimilitudinibus informari. Quomodo autem intelligantur autho-

Scotus.

D. Aug.

Scotus. authoritates Auic. D. Auguſt. & Ariſt. vide Doct. in 2. d.3.q.10.& in 4.d.45.q.1.& potiſſime in 1.d.3.q.6.in 1.q. quæ ponitur pro extra.

Dicendum eſt ergo, quod in animabus beatis etiam ante corporum reſumptionem, remanebit habitus ſcientiæ acquiſitæ, quia ad ſui rationem nihil eſt beatitudini repugnans; Remanebit etiam quantum ad actum, ſub alio tamen modo, quam in ſtatu viæ; quia anima exiſtens in corruptibili corpore, de lege communi nihil poteſt intelligere ſine phantaſmate, in patria autem intelligit ſine phātaſmate per ſpecies intelligibiles. Anima enim humana dum viuit vitam iſtam mortalem non intelligit niſi illa, quorum ſpecies relucent in phantaſmate, & hoc ſiue propter pœnam originalis peccati, ſiue propter naturalem concordiam potentiarum animæ in operando, ſecundum quod videmus, quod ſuperior potentia operatur circa idem, circa quod inferior: ſi vtraque habeat operationem perfectam; & de facto ita eſt in nobis, quod quodcumque vniuerſale intelligimus, eius ſingulare actu phantaſiamur

Cæterum iſta cōcordia, quę eſt de facto pro ſtatu iſto; non eſt ex natura intellectus vt intellectus eſt, quia tunc recurſus ad phantaſmata eſſet neceſſarius animæ ſeparatæ; nec etiam vt eſt corpori vnitus abſolutè; quia eſſet neceſſarius ſibi vnitæ corpori glorioſo poſt reſurrectionem quod falſum eſt. nec competit ei, quatenus viator eſt, vel coniunctus corpori in via, quia hoc etiam fuiſſet neceſſarium homini in ſtatu innocentiæ: quia tunc fuit viator; hoc autem eſt falſum cum anima eius, quantum ad actum eius proprium, in nullo fuiſſet corpori ſubiecta, ſed ſuper ipſum, & ſenſus ſuos tam quo ad apprehenſionem, quam quo ad appetitum habuiſſet plenum dominium, ita vt potuiſſet intellexiſſe ſine phantaſmate, vel cū phantaſmate, ſicut ſibi placuiſſet. Vndecumque igitur ſit iſte ſtatus, ſiue ex vera voluntate Dei, ſiue ex mera iuſtitia punitiua, ſiue ex infirmitate, quam cauſam innuit D.

D. Aug. Auguſt. 15. de Trinit. cap. vlt. Quæ cauſa, inquit, cur ipſam lucem acie fixa videre non poſſis? niſi vtique infirmitas. & quis eam tibi fecit? niſi vtique iniquitas. quibus verbis inſinuare videtur quod propter peccatum ineſt nobis neceſſitas hæc recurrendi ad phantaſmata, & hoc iuſtè: Nam ex quo anima ſe deordinauit dimittendo diuinum dominium, & ſe ab eius ſubtraxit ſubiectione; rationale fuit in pœnam hanc incidere, & amittere dominium proprium, quod habebat ſuper corpus ſuum, & ſuper ſēſum.

D. Aug. Et hæc ſententia eſt D. Auguſt. in pluribus locis. Hugo-

Hugo. nis ſuper Angelicam Hierarchiam. Euſtrarij 6. Ethico-

Euſtrat. rum, & Licontenſis lib. 1. poſt. ſuper illud Deficiente no-

Liconien. bis vno ſenſu neceſſe eſt nobis deficere ſcientiam ſecundū illum ſenſum. Siue inquam hæc ſit tota cauſa, ſiue aliqua huius concordiæ potentiarum pro ſtatu viæ. Cæterum anima ſeparata in ſtatu gloriæ ſicut habet alium modum eſſendi, ita habet alium modum intelligendi; atque etiam poſt reaſſumptum corpus, ſicut à corpore non dependet, quin potius corpus dependet ab ipſa, ſic vtitur ſpeciebus ſine dependentia à corpore, & intelligit per habitus ſcientiæ, quos hic comparauit. Quod patet ex D. Hierony. in

D. Hiero. prologo Bibliorū c.7. ad finē. Diſcamus, inquit, in terris, quorum nobis ſcientia remanebit in cœlis. Valde enim indi-

Scotus. gnum eſſet (inquit Scotus in 4.d.45.q.1. ſub litt. C. § Huic etiam conſonat &c.) tantùm laborare circa ſcientiam, & virtutes ſi deſinerent eſſe in morte, & valde irrationabile eſt, quod maneant, quin eorum actus poſſint haberi.

Secundò obſeruandum eſt, quod eiuſdem obiecti &

Actus diſtincti ſpecie poſsūt eſſe de eodem obiecto ſub eadem ratione. ſub eadem ratione poſſunt eſſe actus ſpecie diſtincti; Nā notitia intuitiua, & notitia abſtractiua de eodem obiecto differunt ſpecie, quia notitia intuitiua cauſatur ab obiecto realiter præſente, abſtractiua vero non, ſed ab obiecto præſente in ſpecie, & tamen ſunt de eodem obiecto ſub eadem ratione formali; ſed differunt ſpecie propter diuerſam eiuſdem obiecti approximationem; perfectio enim actus eſt à duobus. ſ. à potentia, & ab obiecto, & quando cauſæ partiales reſpectu effectus non ſunt ſufficienter approximatæ, tunc minus perfectæ agunt, atque adeo actionis & effectus perfectio variatur. Sic ad propoſitum, reſpectu actus viſionis, Deus eſt in ſe præſens in ratione intuibilis; ſed reſpectu actus credendi non eſt in ſe præſens hoc modo, atque ita actus fidei, & clara viſio reſpectu eiuſdem obiecti ſpecie diſtinguūtur. Similiter actus voluntatis, quo quis vult obiectum abſens, diſtinguitur ab actu voluntatis ſpecie, quo quis vult ſub ratione præſentis, atque adeo actus ſpei differt ſpecie ab actu tentionis, quem habent beati.

Tertiò obſeruandum eſt ſecundum D. Bonauen. quod *D. Bonau.* tribus actibus viæ correſpondent tres actus in patria. ſ. clara viſio, tentio, & dilectio; ſed difficultas eſt quid ſit iſta tentio. Breuiter dico, quod tentio nihil eſt aliud, quā *Tentio* actus, quo Beatus vult ſibi Deum, vt præſentem, ita vt *quid ſit.* Beatus in patria habet duos actus, vnum, qui eſt amor amicitiæ, quo diligit Deum in ſe & propter ſe, qui appellatur fruitio, & alterum, qui eſt amor cōcupiſcentiæ quo diligit Deum vt bonum ſibi commodum, non vt abſens, ſed vt præſens, & habitum; & iſte actus appellatur tētio, quo. ſ. voluntas conquieſcit in obiecto præſente; atque adeo ſicut actus fidei, & claræ viſionis non ſtant ſimul; ita actus ſpei, non ſtat cum ipſa tentione. Cæterum de actu charitatis dicunt communiter Doctores, quod actus charitatis viæ non habet repugnantiam cum actu charitatis in patria, & per conſequens charitas in patria minimè euacuatur. Vt autem exactior doctrina de hac re habeatur diuido hanc quæſtionem in tres articulos.

Art. 1. Vtrum actus fidei, & clara Dei viſio poſſint ſimul eſſe; ac etiam actus ſpei, & diuina tentio.

Art. 2. Vtrum habitus fidei, & ſpei maneant ſimul cum clara Dei viſione, & diuina tentione.

Art. 3. Vtrum remaneat charitas poſt hanc vitam in patria.

ARTICVLVS I.

Vtrum actus fidei & clara Dei viſio poſsint ſimul eſſe, ac etiam actus ſpei, & diuina tentio.

HÆc quæſtio intelligi poteſt vel de potentia Dei abſoluta, ſiue de poſſibili, vel de potentia Dei ordinata, vel de facto. Hac diſtinctione poſita.

Durandus in 3. hac d.q.4. in explicatione huius rei tria *Durand.* dicit. Primum eſt non eſſe contra fidem, nec contra traditionem ſcripturarum aſſerere quod actus fidei, & clara Dei viſio poſſint eſſe ſimul, nam non eſt aliquis ſcripturæ locus, qui hoc conuincat, ſcripturæ namque loquuntur de facto, non de poſſibili.

Secundò dicit. Non eſſe contra fidem, nec contra ſcripturam aſſerere, quod actus fidei, & clara Dei viſio de facto maneant ſimul in vita beata: Nam ſi probaretur oppoſitum, eſſet maxime ex illo 1. Corint. 13. ex parte cognoſcimus & ex parte prophetamus; Cum autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur, quod ex parte eſt. & ibidem dicitur. videmus nunc per ſpeculum in ęnigmate, tunc autē à facie ad faciem, ſed ex hoc loco, id non probatur; Nam præmiſerat Paulus de charitate dicens. Charitas nunquam excidit ſiue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur; ſed hoc non obſtante non eſt error aſſerere, quod donum prophetiæ maneat in patria; Quod enim maneat aſſerunt Doctores graues; & Chriſtus Dominus fuit vere Propheta, & tamen erat vere beatus & comprehenſor, certe ipſe Dominus appellat ſe Prophetam cum dicit Matth. 13. Nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua. Præterea donum linguarum, & eius vſus manet in patria, vt ſentiunt plerique Theologi; Denique ſcientiæ humanitus acquiſitæ permanent in vita beata vt etiam nos in explicatione tituli huius quęſtionis oſtendimus; Ergo cum dicit D. Paulus hæc omnia eſſe euacuanda, & deſtruenda, intelligendum eſt quantū ad vſum imperfectum quem in hac vita habent; ergo ſimiliter de actu fidei poſſumus dicere, quod eius imperfectio, & obſcuritas auferenda eſt, manebit tamen actus fidei, atque idem dicendum eſt de actu ſpei.

Tertiò dicit, quod actus fidei, & viſionis claræ non inter ſeſe repugnat, quapropter poſſunt eſſe ſimul, ſed probabilius eſt, quod non maneant ſimul. Prima pars probatur:

batur: Nam quando manet ratio formalis actus, & operationis, manet & ipſa operatio, & actus, ſed in vita beata, manet ratio formalis viſionis, & ſcientiæ, & fidei, ergo &c. probatur minor: quia ratio formalis viſionis eſt ꝙ obiectum ſit præſens potentiæ cognoſcitiuæ, hanc autem manere certius eſt, quam vt ſit oſtendendum, Ratio autem formalis ſcientiæ eſt ſcire concluſiones per principia, hanc autem manere liquet. Ratio vero fidei eſt aſſentiri propter authoritatem primæ veritatis; beati vero aſſentiuntur articulis fidei propter authoritatem Dei teſtificantis, quæ non minor eſt in cœlo, quam in terra, ergo in vita beata manet viſio, & actus credendi.

Præterea & eſt ratio Doct. in hac q. ſub litt. A. §. & eodem modo poteſt argui de actibus, quamdiu manet ratio formalis obiecti, eadem omnino inuariata, poteſt etiam manere idem actus, ſed ratio formalis actus fidei, & ſpei manet eadē in patria omnino inuariata, quę erat in via, ergo actus fidei & ſpei manent etiam in patria; Maior patet, & Minor probatur, ratio formalis obiecti fidei, non eſt Deus latens ſub ratione latentis, ſed Deus ſub propria ratione Deitatis, vt dictum d. 23. & 24. atque idem ponitur obiectum ſpei, vt diximus d. 26. ergo cum habeant in patria idem obiectum, & ſub eadem ratione formali, quod habent in via, ſequitur, quod actus fidei, & actus ſpei poſſunt manere in vita beata.

Pro reſolutione huius quæſtionis pono aliquas concluſiones.

1. Concl. Prima Concluſio. Actus fidei, & ſpei de potentia Dei abſoluta non poſſunt manere in vita beata. hæc concluſio eſt Doctoris in hac quæſt. ſub litt. A. in illis verbis, Quod ſi ſuccedant aliqui actus repugnantes illis, qui nūc habentur, vt videre, & tenere, ſuccedant credere, & ſperare &c. & S. Thom. 1. 2. q. 67. artic. 6. (D. Tho.) Eſt tamen contra Durandum loco ſupra citato, & contra Baſſolum hac d. q. 1. art. 2. & Maiorem eadem d. q. 1. conclu. 1. pro cuius explicatione obſeruandum eſt, quod actus fidei, eſt actus obiecti non apparentis, ſicut actus ſpei, eſt actus obiecti vt abſentis; atque adeo imperfectio non apparentiæ eſt de eſſentia actus fidei, & ſimiliter imperfectio abſentiæ obiecti in ſe, eſt de eſſentia actus ſpei; itaque actus fidei, & actus viſionis non ſolum diſtinguuntur ſpecie accidentali, ſed ſpecie eſſentiali, atque ita dicendum eſt de actibus ſpei, & tentionis, ex quo ſequitur, quod actus illi formaliter ad inuicem repugnant; & per conſequens actus fidei, & ſpei non poſſunt perfici manentes in ſe ſecundum eſſentiam. Quoniam ſi ſtante actu fidei in intellectu reſpectu obiecti non apparentis, ſi obiectum apparuerit, atque ita ſui viſionem cauſabit, iam actus fidei eiuſdem obiecti præexiſtens, non ſolum definit eſſe fides, ſed ſimpliciter deſinit eſſe, nam non appatentia obiecti, eſt de eſſentia actus fidei. Similiter ſi ſtante actu ſpei reſpectu deſiderati deſideratum fiat præſens ſperanti, & cauſabit in ſperante ſui fruitionem, vel tentionem; iam non ſolum actus deſiderij præexiſtens deſinit eſſe ſpei actus; ſed ſimpliciter deſinit eſſe. ex quibus manifeſtum eſt, quod cum viſione non poteſt ſtare actus fidei eiuſdem obiecti, nec cum actu tentionis actus ſpei eiuſdem obiecti; quia non poteſt idem cognoſci euidenter, & obſcure, nec idem teneri, vt præſens, & deſiderari vt abſens.

2. Concl. Secunda Concluſio. Qui aſſerit, quod actus fidei maneat ſimul cum clara Dei viſione, & actus ſpei cum diuina tentione periculoſe loquitur, & violentiam infert ſcripturis ſacris. probatur. Nam D. Paulus ad Heb. 9. ſic definit fidem. Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparentium. In qua definitione duo dicuntur, vnum eſt quod fides eſt fundamentum ſpei, ſed in vita beata non manet ſpes, ergo non manet fides. Deinde dicit quod eſt argumentum non apparentium, id eſt, perſuaſio de rebus, quæ non videntur. Dicit enim idemmet Paulus, Quamdiu ſumus in corpore peregrinamur à Domino. per fidem enim ambulamus. In qua ſententia conſiderandum eſt, quas diſpoſitiones ponat in nobis fides. Inprimis facit nos peregrinos, & exules à patria cœleſti, deinde facit nos viatores; Vnde dicit per fidem ambulamus, viſio vero beata facit nos domeſticos Dei, & comprehenſores diuinæ viſionis, ergo viſio beata, & actus fidei omnino repugnant.

D. Aug. Et confirmatur ex D. Auguſtino ſermone 27. de verbis Apoſt. Quid eſt fides niſi credere, quod non vides. Idem teſtatur D. Gregorius hom. 26. in Euang. explicans illud (D. Greg.) Ioan. 20. Quia vidiſti me Thoma &c. Item Durando poſſumus dicere. Quod videt quis, quid credit? Quemadmodum dicit Paulus. Quod habet quis, quid ſperat?

3. Concl. Tertia Concluſio. Actus ſperandi, & credendi non manent in patria. Probatur. Aſſenſus euidens & ineuidens reſpectu eiuſdem obiecti non ſe compatiuntur, vt dictum eſt in materia de fide; ſed beati in patria euidenter cognoſcunt Deum eſſe, & Deum eſſe Trinum & Vnum, ſicut dicit Apoſt. 1. Corint. 13. inquiens. ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus, cum autem venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur, quod ex parte eſt; & paulo poſt. Videmus nunc per ſpeculum in ęnigmate, tunc autem à facie ad faciem; Nunc cognoſco ex parte tunc autem cognoſcam ſicut, & cognitus ſum, hoc eſt, habebo notitiā intuitiuam, quæ cauſat iudicium euidens, quod actus fidei non compatitur. De actu ſperandi patet; cum autem venerit quod perfectum eſt euacuabitur, quod ex parte eſt, ſed actus ſperandi imperfectus eſt, cum dicat abſentiam ſui obiecti, ergo euacuabitur; & ex hoc ſoluuntur vniuerſa argumenta Durandi, & Baſſolis.

Nam ad illum locum D. Pauli 1. Corint. 13. Siue prophetiæ euacuabuntur &c. dicendum eſt, non eſſe eamdē rationem fidei, & cæterorum donorum; quæ prædicat Paulus eſſe euacuanda; nam fides habet obſcuritatem intrinſecam; nam vt diximus non apparentia eſt de eſſētia actus fidei; cætera vero chariſmata habent accidentariā imperfectionem pro ſtatu huius viæ, quæ proinde ab eis ſeparari valet.

Donum prophetię & linguarum non manet in patria. Secundò reſpondetur, quod donum prophetiæ non manet in vita beata ſecundum ſubſtantiam; Nam prophetia eſt ad aliquid futurum, & propheta eſt ille, qui fatur ea, quæ procul ſunt à cognitione audientium; in vita beata omnes beati intuentur omnia præſentia, & dicunt. Sicut audiuimus, ſic vidimus in Ciuitate Dei noſtri; Verū eſt tamen quod Chriſtus Dominus licet eſſet comprehēſor, & beatus fuit vere Propheta; nam prædicebat ea, quæ procul erant à cognitione audientium. De dono linguarum veriſimilius eſt, quod non maneat in vita beata. Nā ad perfectionem patriæ cœleſtis ſpectat, quod idipſum ſapiant omnes, & vno eodemque loquantur idiomate. De ſcientia iam dictum eſt, quomodo maneat, & quomodo non.

Ad ſecundum nego minorem: nam ratio formalis credendi non eſt aſſentiri veritatibus propter authoritatem dicentis, ſed aſſētiri obſcure, & ęnigmatice, propter quod dicit D. Paulus. Videmus nunc per ſpeculum, & in ęnigmate; & D. Petrus de lumine fidei dicit. Cum benefactis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco.

Et ſi dicas Beatus aſſentit huic, Dies iudicij erit, & huic, Chriſtus eſt incarnatus, & non aſſenſu euidenti, & non videtur quo alio aſſenſit, quam aſſenſu fidei. ergo beatus habet actum fidei. Reſpondeo, quod reſpectu talium credibilium, Dies iudicij erit, Antichriſtus erit, Chriſtus eſt incarnatus, paſſus, mortuus, &c. cauſatur iudicium euidens in Verbo quod iudicium non compatitur fidem. atque ita à fortiori de his, quæ ad beatitudinem immediate pertinent, vt de vnitate eſſentiæ, & Trinitate diuinarum perſonarum.

Ad tertium dico, quod licet actus fidei, & viſionis; actus ſpei, & tentionis ſit idem obiectum & ſub eadem ratione formali, nempe Deus ſub ratione Deitatis; tamē quia reſpectu actus viſionis eſt præſens potentiæ, & etiā reſpectu tentionis, reſpectu vero actus fidei, & ſpei eſt abſens, ideo cauſat actus ſpecie diſtinctos & repugnantes, hic & in patria, Nam fidei & ſpei actus includūt aliquid, quod neceſſario determinat ſibi imperfectionem, nimirū abſentiam obiecti; reſpiciunt enim obiectum præciſe vt abſens, & hoc eſt imperfectionis in actu: atque adeo tales actus imperfecti non manent in patria; Nam obiectum dum eſt actu in ſe preſens intellectui cauſat ſui viſionem, quæ incompaſſibilis eſt cum actu fidei, qui eſt obiecti nō apparentis; cum ergo ſui viſionem cauſat, actus fidei præexiſtens non ſolum definit eſſe fides, ſed deſinit eſſe ſimpliciter. Idem dicas de actu ſpei; Nam ſi deſideratum fiat

præſens

præſens ſperanti cauſat in ſperante ſui tentionem; atque adeo nō ſolum actus deſiderij præexiſtēs deſinit eſſe ſpei actus, ſed deſinit eſſe ſimpliciter.

ARTICVLVS II.

Vtrum habitus fidei & ſpei maneant ſimul cum clara Dei viſione & diuina tentione.

Durand. DVrandus hac diſt. q. 3. dicit in primis non eſſe contra fidem aſſerere, quod fides maneat ſimul cum viſione Dei clara. Deinde dicit hoc eſſe omnino incertum. Tertiò dicit probabilius eſſe quod ſint ſimul.
Richard. Aliqui dicunt vt refert Richard. hac d. art. 3. q. 2. quod in patria nulla virtus Theologica euacuabitur quantum ad habitum, ſed perficietur; tamen fides, & ſpes quantum ad actus, quos habent in via euacuabuntur. Quod explicans
D. Bonau. D. Bonauentura, eadem d. art. 2. q. 1. & 2. inquit, quod in ipſa fide duo eſt reperire, videlicet illuminationis habilitatem, & ænigmatis obſcuritatem; Quantum ad luminis habitum fides non euacuatur, ſed perficitur, & conſūmatur, quantùm vero ad ęnigmatis obſcuritatem cum ſit ex parte ſimpliciter tollitur, iuxta illud Gloſſæ in illud 1. Corint. 13. Cum venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. &c. Gloſ. Deſtruetur imperfectio, non id quod verum eſt euacuabitur, deſitio imperfectionis eſt quando illud, quod imperfectionis eſt impletur. Ita etiam in habitu ſpei eſt reperiri aliquid imperfectionis, & aliquid perfectionis, & complementi; Ad imperfectionem ſpei ſpectat illud, quod eſt expectatio quædam, & protēſio ad ea, quæ realiter non habentur; Ad complementum autem eius ſpectat confidentia, & certitudo, quæ facit cōfidere, & inniti ipſi ſummæ largitati. Et quantum ad primum tollitur ipſa ſpes, & euacuatur; quantum vero ad ſecundum perficitur, & ſaluatur. Poteſt hæc ſententia confirmari rationibus Doctoris. & primo quo ad habitum
D. Aug. fidei probatur authoritate D. Auguſt. lib. 83. q. q. 48. vbi ſcribit, quod quædam ſunt credibilia, quæ nunquā ſciuntur, ſed tantùm creduntur, ſicut hiſtoriæ, ſed talium quorum nunc habetur fides in via, aliqua cognitio poteſt haberi in patria, & non niſi fides; quia tantùm poſſunt credi cum non ſint præſentia, vt patet de hiſtorijs prædictis, & de multis alijs; ergo fides ſaltem quo ad illa non euacuatur & hæc ratio eſt tertium argumentum principale Doct.

D. Aug. Secundò probatur de habitu ſpei; eodem habitu concupiſco aliquid, & cōquieſco in habito iuxta illud D. Auguſt. 9. de Trinit. c. vlt. Appetitus inhians fit amor fruentis, & multo magis patet de habitu, ergo eodem habitu ſpei concupiſco Deum abſentem, & conquieſco in Deo præſente, & habito, ergo in patria manet ſpes. Nam idem habitus poteſt eſſe qui incliner ad deſiderandum abſens, & ad amandum præſens, cum ergo habitus ſpei inclinet ad deſiderandum bonum abſens, idemmet inclinabit ad amandum bonum præſens.

Tertiò probatur de habitu fidei & ſpei ſimul. Quandiu ratio formalis obiecti manet eadem omnino inuariata, poteſt etiā manere idem habitus, ſed ratio formalis obiecti fidei, & ſpei manet in patria eadem, & omnino inuariata, quæ erat in via, ergo ſicut fides, & ſpes manent in via, manent etiam in patria. Maior patet, & minor probatur. Ratio formalis obiecti fidei, non eſt Deus latens ſub ratione latentis, ſed Deus ſub propria ratione Deitatis, vt dictum eſt d. 23. & 24. & idem ponitur obiectum, & ſub eadem ratione habitus ſpei, vt dictum eſt diſtinct. 26 ergo &c.

Hæc quæſtio poteſt dupliciter intelligi: vno modo de poſſibili, ſiue de potentia Dei abſoluta, alio modo de facto, vel de potentia Dei ordinaria. loquendo de poſſibili
1. Concl. ſit prima Concluſio. Fides, & ſpes quo ad habitum de potentia Dei abſoluta poſſunt manere in patria cum clara Dei viſione, & firma Dei tētione. hæc Concluſio eſt Sco. in hac quæſt. ſub litt. A. in illis verbis. Illi actus. ſuccedentes. ſ. clara Dei viſio, & firma tentio non habent propriè incompoſſibilitatem, ad habitus fidei, & ſpei. Probatur, quia ſi non poſſent manere in patria, vel hoc proueniret propter habitus incompoſſibiles ſibi ſuccedentes, vel propter actuum incompoſſibilitatem eis ſuccedentium, ſed neutrum iſtorum eſt dicendum, ergo &c. quod non propter incompoſſibilitatem habituum ſuccedentium, probatur primo: quia non eſt neceſſe (quidquid ſit de facto) ponere, quod habitibus iſtis. ſ. fidei & ſpei ſuccedant in patria aliqui habitus incompoſſibiles, verbi gratia, quod habitui fidei, qui inclinat ad actum credendi, ſuccedat in patria habitus præciſè inclinans ad actum videndi, qualis eſt habitus luminis gloriæ; & habitui ſpei, qui tantùm inclinat ad actum ſperandi, ſuccedat in patria aliquis habitus, qui incliner ad actum tentionis. Probatur aſſumptū; quia habitus ponuntur in potentia, vt prompte, & faciliter operetur, ſed in patria potentia erit perfectiſſime diſpoſita, ergo non eſt ſimpliciter neceſſarium ponere aliquem habitum creatum in ipſa anima, qui ſit principium videndi, vel tenendi obiectum, ſaltem alium. niſi charitatem. Vult dicere Scotus, quod ipſa potentia in patria, puta intellectus, poteſt clare videre Deum ſub propria ratione, dummodo Deus ſe præſentem exhibeat potentiæ in ratione obiecti intelligibilis ſine aliquo habitu, vt oſtenſum eſt in prima parte huius 3. d. 14. de intellectu animæ Chriſti; itaque habitus ille luminis gloriæ & ſi de facto ponatur iuxta determinationem Clement. ad noſtram de hæreticis, tamen non ponitur habitus ille neceſſario ſimpliciter requiri ad actum videndi, nec vt cauſa totalis nec vt cauſa partialis vt ibi patuit, licet potentia ſine habitu non poſſit actum ita perfectum elicere, ſicut cum habitu, vt ſupra patuit d. 13. 14. 23. 26. & 27. & prolixius in 1. diſt. 17. Et quod dixit Doct. ſaltem alium niſi charitatem; non debet referri ad habitum fidei; quaſi fides poſſit eſſe in patria, cum actu ſuo; quia hoc eſt ſimpliciter impoſſibile; ſed debet referri ad habitum ſpei, quia reſpectu. ſ. tentionis non videtur neceſſarium ponere alium habitum ab habitu ſpei, vt infra patebit, ita vt habitus ſpei vt habet obiectum abſens ſit principium actus ſperandi, & vt habet obiectum pręſens, ſit principium actus tentionis; Quemadmodum charitas in via eſt principium actus merendi; & in patria vbi habet obiectum præſens eſt principium perfectæ fruitionis: Quia habitus, inquit, Scotus non ponitur in potentia niſi ad facilitandum, & habilitādum potentiam ad eliciēdum actum, & hoc tenēdo ſecūdum aliquos quod habitus non ſit cauſa partialis actus; quoniam ſi concurreret effectiue ad actum producendū vna cum potentia, vt tenet Doct. in 1. d. 17. nedum poneretur, vt habilitaret, & facilitaret potentiam, ſed etiam propter maiorem perfectionem actus, vt docet Sco. vbi ſupra; vel ſaltem ponitur habitus intellectualis, vt obiectum ſit præſens intellectui, ad hoc vt intellectus poſſit prompte operari circa illud, quod non poſſet ſi obiectum eſſet in quolibet actu de nouo adipiſcendum.

Cæterum hæc verba Doct. habent non paruam diffi- *Difficultas.*
cultatem; nam vt ipſe docet in 1. d. 3. & in 2. d. 3. per nullum habitum habetur præſentia obiecti, in ratione obiecti; & tamen hic oppoſitum docere videtur: Dico, quod *Solutio.*
obiectum in ratione obiecti actu intelligibilis nunquam eſt præſens potentiæ per aliquem habitum, vt ſubtiliter probat Doct. in 1. & in 2. locis citatis; quia nullus habitus eſt ratio formalis præſentiæ obiecti ſub ratione intelligibilis; Nam quod eſt ſic ratio talis præſentiæ, eſt etiam ratio cauſandi ſaltem partialiter notitiam talis obiecti, vt patet de ſpecie intelligibili; Verum tamen licet per habitum non habeatur abſoluta præſentia obiecti ſub illa ratione, qua obiectum eſt actu intelligibile; poteſt tamen per habitum haberi obiectum præſens, quo ad facilitatē, & promptitudinem operandi circa obiectum; Ita vt ſicut intellectus per ſpeciem intelligibilem habeat obiectum præſens in ratione actus intelligibilis; quia. ſ. talis ſpecies nedum repręſentat obiectum, ſed etiam eſt partialis cauſa producendi notitiam illius obiecti; ita per habitum intellectus habet obiectum præſens, quatenus per illum potentia facilius operatur circa obiectum; & hoc eſt quod dicit hic Doct. ſub. Sed in patria nec propter præſentiam obiecti, nec propter facilitandam, & habilitandam potentiam ad eliciendum actum, neceſſe eſt ponere aliquem habitum: quia obiectum ibi ſemper erit præſens, & ſem-

per

Digitized by Google

per agens in potentiam,& potentia,erit ſumme facilitata & inclinata;ergo fides & ſpes non euacuantur,quia ſuccedant eis aliqui habitus incompoſſibiles,cum non ſit ſimpliciter neceſſarium. ita vt eius oppoſitum implicet contradictionem, ponere habitum gloriæ ſuccedere habitui fidei,nec alium habitum ipſi ſpei.

Probatur ſecundò, quod hoc non proueniat propter incompoſſibilitatem actuum eis ſuccedentium; quia licet actibus fidei,& ſpei ſuccedant actus repugnantes, nimirum videre,& tenere ſuccedant credere,& ſperare; tamen illi actus ſuccedentes non habent proprie incompoſſibilitatem ad habitus fidei,& ſpei; id eſt, clara Dei viſio non repugnat habitui fidei,nec firma tentio habitui ſpei; atque adeo de potentia Dei abſoluta ſtare poſſunt habitus fidei,& ſpei cum clara Dei viſione, & firma Dei tentione;& quod non repugnent probatur. Quia D.Paulus in raptu habuit ſaltem actum viſionis. Nam ſecundum

D. Aug. D.Auguſtinum quæſt. penultima ad Oroſium, Paulus in raptu ſuo vidit diuinam eſſentiam; ſed non eſt probabile, quod tunc perdiderit habitum fidei, igitur habitus fidei ſtat cum viſione, & pari ratione habitus ſpei cum firma Dei tentione.

Sed huic argumento reſpondet quidam dicentes,quod ſi Paulus vidit diuinam eſſentiam in raptu,lumen gloriæ diſſipauit lumen fidei; ſed poſtea iterum infuſa fuit illi fides ad credendum. Sed hæc reſponſio nulla ratione probari debet,tum quia nouitia eſt,tum quia nullum fundamentum veritatis habet. Tum etiam quia non opportet maiori lumine adueniente cedere minus lumen, vel fieri vnum ex ipſis,nam duo lumina diſtincta eiuſdem rationis aliqui probabiliter ſuſtinent eſſe poſſe in eadem parte medij illuminabilis,nec altero adueniente lumine ſiue ſit maius, ſiue minus non opottere alterum cedere, vel fieri vnum ex ipſis. Idem poſſet dici de luminibus alterius rationis,cuiuſmodi ſunt lumen fidei, & gloriæ, nimirum quod non eſt neceſſe conſtitui vnum lumen ex ipſis, nec opottet quod alterum cedat,quia nullam habent incompoſſibilitatem,vel repugnantiam formalem.

Caietan. Caietanus 1.2.q.67.art.5. dicit quod D.Paulus vidit Diuinam eſſentiam ad horam,& in tranſcurſu,& ideo lumen gloriæ in illo potius habuit rationem diſpoſitionis quam habitus perfecti,propter quod potuit perſeuerare ſimul cum habitu fidei, ſicut diſpoſitio intemperantiæ poteſt eſſe ſimul cum habitu temperantiæ, cæterum perfectus habitus intemperantiæ, non perſeuerat ſimul cum habitu temperantiæ; Sed hæc reſponſio non tollit rationem,nam quod habitus fidei non permaneat cum clara Dei viſione non facit longitudo temporis, ſed natura oppoſitionis,ergo ſi in vno inſtanti non opponuntur,& perſeuerant ſimul, poterunt per longum temporis ſpatium perſeuerare,nec valet dicere,quod lumen gloriæ,& clara Dei viſio non fuerunt in intellectu D. Pauli per modum habitus,ſed per modum diſpoſitionis, quia ex hoc non tollitur,quod lumen gloriæ non fuerit vere habitus, nec eſt ſimile de modica paſſione iræ, quia vnus actus iræ nõ eſt habitus,& vnus actus intemperantiæ non eſt habitus intemperantiæ,atque adeo huiuſmodi actus,qui ſunt diſpoſitiones ad habitum,poſſunt eſſe ſimul cum habitibus oppoſitis.ſ.manſuetudinis,& temperantiæ; at habitus iræ & habitus intemperantiæ non ſtant ſimul cum habitibus oppoſitis; lumen vero gloriæ in quocumque gradu infundatur à Deo,eſt formaliter habitus, atque ita ſi per horã, aut per inſtans poteſt ſtare cum habitu fidei,quantum eſt ex ſe poterit etiam ſtare perpetuo.

Dubium. Ocham. Et ſi quæras,an D.Paulus in raptu fuerit beatus? poteſt dici ſecundum Ocham,quod non;quia illa viſio fuit alterius rationis à viſione beatifica; Nam viſio beatifica ſecundum eum cauſatur totaliter ab obiecto, & quietat potentiam,illa autem D.Pauli cauſabatur partialiter à potentia,& non erat ſimpliciter quietatiua potentiæ,& hoc etiam innuit Doct.noſter ſub. in 2.d.1.q.6.in reſponſione ad 1.princ.ſub litt.G. Secundò poteſt dici, quod licet D. Paulus habuerit claram Dei viſionem beatificam, non fuit tamen beatus, quia non habuit perfectionem perfectam patriæ,ſed viæ. Vel tertiò poteſt dici,quod non eſſet contra Scotum tenere partem affirmatiuam, imo magis ſecundum eum,vt patet ex his quæ docet in quol.q.a.

Secunda Concluſio. Habitus fidei,& ſpei de facto non manent in patria,probatur primo de fide. In vita beata nihil fruſtra ponendum eſt, ſed ſi remaneret fides eſſet fruſtra, ergo non remanet fides in vita beata. probo minorem;Ille habitus eſt fruſtra, cuius actus eſt impoſſibilis, huiuſmodi eſt actus fidei in patria, ergo &c. Minor probatur,quia in patria habetur clara viſio Deitatis, quæ repugnat cum actu credendi,vt oſtenſum eſt ſupra, ergo &c. probatur etiam maior: quia illud dicitur fruſtra, quod inclinat ad aliquid,quod eſt impoſſibile haberi, ſed habitus inclinat at actum,ergo quando inclinat ad actum qui non poteſt haberi,talis habitus eſt fruſtra, cum ergo fides incliner tantùm ad actum credendi, qui eſt circa verum latens, & in patria non poſſit haberi talis actus; quia ibi obiectum eſt præſens,& non latens,ſequitur quod ibi habitus fidei ſit fruſtraneus. 2. Concl.

Secundò probatur de ſpe. Spes inclinat ad actum, qui in patria haberi non poteſt, ergo ſi poneretur ſpes in patria eſſet fruſtra. antecedens patet: quia ſpes inclinat ad ſperandum bonum abſens iuxta illud Pauli ad Roma.8. Spes quæ videtur non eſt ſpes,accipiendo ſpem pro ſperato.i.pro obiectò, & eſt ſenſus,res ſperata ſi habetur, iam non ſperatur,ſed in patria bonum eſt præſens, & non abſens,ergo non ſperatur,& per conſequens ſpes inclinat ad actum,qui in patria haberi non poteſt.

Et ſi dicatur,licet actus ſpei haberi non poſſit in patria, tamen nõ ſequitur,quod ſi habitus eſſent in patria, quod eſſent fruſtra;quia etiam in patria erunt aliqui ſenſus, & aliquæ potẽtiæ ſine ſuis actibus, vt patet de ſenſu guſtus, & ſimiliter de potentia generatiua, & nutritiua; quæ tamen non ponuntur fruſtra.

Dico,quod ſi illi ſenſus,& potentiæ eſſent præcisè propter actus,& illi actus eſſent impoſſibiles,quod illi ſenſus atque potentiæ eſſent ſimpliciter fruſtra; ſed quia non ponuntur præcisè propter actus, ſed propter perfectionẽ naturæ in ſe;ideo non ponuntur fruſtra, eſto quod nunquam poſſent haberi actus, quia principaliter ſunt propter perfectionem,& decorẽ naturæ in ſe,vt docet Doct. in 4.d.49. ſed in propoſito habitus non ponuntur in potentijs niſi præcisè propter actus, vel vt actus potentiarũ ſint perfectiores,vel vt per eos potentiæ prompte & delectabiliter eliciant actus.

Et ſi dicas iterum,fides infuſa ponitur in intellectu, vt ipſum perficiat in actu primo,vt dictum eſt ſupra d. 23. & ſimpliciter ponitur ſpes in voluntate,vt per ipſam perficiatur in actu primo,vt etiam dictum eſt ſupra d.26. ergo non ponuntur præcisè propter actus ſecundos, atque ita non eſſent fruſtra in patria, ſicut nunc nõ ſunt fruſtra in via,ſi ſint ſine actibus. Dico,quod aliud eſt perficere aliquid abſolutè,& perficere vt in actu primo: Nam perficere in actu primo eſt reddere principium operatiuum magis diſpoſitum ad operandum,vt ſupra diximus,atque ita iſti habitus præcise perficiunt potentias in ordine ad actum,vt ſupra explicatũ eſt. Ex his ergo patet, quod habitus fidei & ſpei nõ manent in patria ſecundũ Apoſt. & Doctores,non propter incompoſſibilitatem, vel repugnantiam formalem ad ſtatum patriæ, ſed ex ordinatione diuina,quæ ſic diſpoſuit quod non maneant, licet poſſint manere; Tum quia eſſent ſuperflui ſi manerent.

Ad argumenta in oppoſitum, ad primum reſpondet Doct. quod credibilia ſunt in triplici differentia, quædã ſunt,quorum viſio pertinet per ſe ad beatitudinem, ſicut eſt viſio Trinitatis,non quod Trinitas(vt huiuſmodi) ſit ratio formalis beatitudinis;quia ſola Deitas eſt talis ratio vt docet Scotus in 1.d.1.q.2. ſed quia Deitas eſt formaliter in tribus perſonis,ideo tres perſonę ſunt per ſe obiecta fruibilia;& huiuſmodi credibilia ſunt ſcibilia,quia intellectus beati poteſt cognoſcere Trinitatem demonſtratiue,vt patet in prologo q.3.talia etiam credibilia, ſunt viſibilia,extendendo nomen videre, quia viſio propriè ſumpta accipitur pro actu potentiæ viſiuæ,ſed impropriè accipitur pro notitia intuitiua rei, & de iſtis credibilibus intelligendum eſt quod fidei ſuccedit viſio. Alia ſunt credibilia,quorum viſio aliquo modo pertinet ad beatitudinẽ, non tamen eſſentialiter; ſed concomitanter, quæ etiam non ſunt ſcibilia, quia ſunt quædam facta temporalia; ſicut ſunt credibilia de incarnatione. huiuſmodi enim nõ Credibilia ſunt in triplici differentia.

ſunt

ſût ꝓpriè ſcibilia, cû ſint côtingentia, ſcientia aût propriè ſûpta ē certa, & euidēs cognitio de obiecto neceſſario, vt diximus ſupra d. 24. & de huiuſmodi credibilibus propriè nō eſt verû ꝙ dicitur, fidei ſuccedit viſio, ſed ſolû côcomitanter; Non enim videbitur in patria Chriſtus in vtero Virginis, neque in Cruce, ſed præciſè in Verbo; Hæc autem credibilia dicuntur pertinere ad beatitudinem concomitanter: quia ad perfectam Deitatis viſionem concomitanter ſequitur. Alia demum ſunt credibilia, quæ nec viſibilia, nec ſcibilia ſunt, quippe quæ ſunt quædam facta temporalia non pertinentia ad beatitudinem principaliter, neque concomitanter; eiuſmodi ſunt aliqua vera pertinentia ad actus humanos, & de talibus, ſi quis viator habet fidem, verbi gratia, quod Paulus Quintus ſit rite aſſumptus ad Pontificatum, poteſt concedi, quod in eo in patria poteſt remanere fides; quia non eſt neceſſe in patriam illum videre Paulum Pontificem neque in ſe, neque in Verbo, & huius generis multa ſunt contingentia, quæ in patria neque in ſe, neque in Verbo videntur, & huiuſmodi nullo modo pertinent ad beatitudinem, vt docet Scotus in 4. d. 10. & 45. q. vlt. Et de iſtis credibilibus loquitur D. Auguſt.

Ad ſecundum de ſpe reſpondet Doct. in hac q. ſub litt. D. §. Quantum ad illud, quod tangitur &c. & primo ponit vnam concluſionem poſſibilem .ſ. quod poteſt eſſe vnus habitus præciſè inclinans ad bonum æternum, vt conueniens naturæ, qui habitus poteſt eſſe communis alicui habitui præciſè inclinanti ad idem bonum conueniēs naturæ, vt abſens, & alicui præciſè inclinanti ad illudmet bonum, vt actu præſens, & addit, quod ſi habitui cômuni poſſit ineſſe actus, vtpotè, quod potentia habens talem habitum poſſet vti illo cauſando actum, ad quem habitus præciſè inclinat; tunc potentia habens eiuſmodi habitum, poſſet elicere actum circa bonum conueniens naturæ abſolute conſideratum, id eſt, conſideratum nec ſub ratione qua abſens, nec ſub ratione, qua præſens, & talis habitus poſſet eſſe & in via, & in patria; quia inclinaret dumtaxat ab bonum conueniens naturæ abſolutè. Cæterum talis habitus non ponitur habitus ſpei; quia habitus ſpei præciſè inclinat ad bonum conueniens naturæ ſub ratione, qua abſens; Nec ſimiliter talis habitus communis eſt habitus ſuccedens ſpei; quia talis habitus ſuccedens, ſi ſuccederet, inclinaret præciſè ad bonum conueniens naturæ ſub ratione qua præſens.

Atque ita reſpondendo ad argumentum inquit Doct. quod ſi intelligatur quod idem habitus inclinet ad deſiderandum bonum abſens, ſub ratione, qua abſens; & ad amandum bonum præſens ſub ratione, qua præſens, talis habitus non videtur poſſibilis; Si vero ponatur habitus, qui inclinet ad deſiderandum bonum conueniens naturæ, & ad amandum illud conſiderando tale bonum in ſe abſolutè, non ſub ratione, qua abſens, vel præſens, ſed præciſè ſub ratione, qua bonum conueniens naturæ; talis habitus poſſet poni manere hic, & in patria; & hoc eſt quod dicit, ſed talis habitus non eſt habitus ſpei: quia ſpes ponitur habitus præciſè inclinans ad actum imperfectum, qui actus reſpicit obiectum, vt abſens; & ille actus eſt imperfectus imperfectione alterius rationis, quā ſupple imperfectionem facit abſentia obiecti reſpectu potentiæ tendentis. ita vt ille actus differat ſpecie ab actu perfecto, qui reſpicit obiectum vt præſens, vt mox infra dicemus. Breuiter hæc reſponſio in hoc conſiſtit, quod poſſibile quidem eſt, quod ſit idem habitus inclinans ad actum deſiderandi Deum, & tenendi Deum; Cæterum ob dicta Sanctorum, ac D. Pauli, ponitur prȩciſè ſpes ad actum deſiderandi, atque adeo non manet in patria, ſed euacuatur.

Ad tertium reſpondet Doct. in hac quæſt. ſub litte. C. §. Dico quod reſpectu eiuſdem obiecti &c. & dicit, quod reſpectu vnius, & eiuſdem obiecti, & ſub eadem ratione formali conſiderati, poſſunt eſſe multi actus, & non ſolum potentiarum ordinatarum, vt intellectus, & voluntatis; ſed eiuſdem potentiæ, non ſolum eiuſdem ſpeciei, differentes ſecundum magis, & minus perfectum; ſed etiam poſſunt eſſe plures actus alterius, & alterius ſpeciei, differentes ſicut diuerſæ ſpecies ſub eodem genere, quemadmodum media, & extrema in eodem genere, vt rubedo, & albedo, nigredo, & albedo, quæ ſunt diuerſæ ſpecies contentæ ſub genere coloris. Et ita reſpectu Dei ſub eadem ratione formali conſiderati, non ſolum ſunt actus cognoſcendi, & diligendi, qui ſunt actus ſubordinati, & ſpecie differentes; ſed etiam actus diligendi ſic, & ſic; id eſt, non tantùm differentes ſecundum magis, & minus in eadem ſpecie, quemadmodum dilectio vt ſex, & dilectio vt decem; ſed etiam differentes ſpecie, ſicut duæ ſpecies ſub eodem genere. Et ſimiliter poſſunt eſſe plures actus diligendi idem obiectum ſpecie diſtincti.

Et huius ratio eſt: quia quando perfectio actus eſt à duobus, ſcilicet à potentia, & ab obiecto, ſi variatur propria ratio iſtorum, vel alterius eorum; & hoc vel quia vna iſtarum cauſarum partialium magis, vel minus coniungitur cum altera, vel ſecundum approximationem ad reliquam cauſam, tunc effectus variantur; ita vt non ſolum ſint differentes ſecundum magis, & minus perfectum in eadem ſpecie, ſed etiam ſecundum ſpeciem; quia cauſæ partiales, quando non ſunt ſufficienter approximatæ & coniunctæ minus perfectȩ agunt.

Ita eſt in propoſito. reſpectu enim actus tentionis, obiectum voluntatis eſt in ſe præſens, reſpectu vero actus deſiderij eſt in ſe abſens, & ſecundum rationem formalem talis actus obiectum non eſt in ſe realiter coniunctum potentiæ; atque adeo reſpectu illius, actus ille eſt imperfectus, & hoc in alia ſpecie, quæ eſt vt media ad extremum; non propter aliam rationem in obiecto, ſed propter approximationem obiecti ad reliquam cauſam partialem, quæ ſufficit ad diſtinguendum ſpecie reſpectu illarum duarum cauſatum. ſicut, verbi gratia, ad producendum aliquem effectum requiritur virtus Solis, vt pȩciſè prȩſens ſecundum radium reflexum; & ad alium effectum requiritur actio eiuſdem Solis præſentis ſecundum radium rectum. Equidem eadem ratio formalis agentis præciſè variata ſecundum diuerſam approximationem cauſaret effectus ſpecie diſtinctos. Ita in propoſito, licet obiectum ſit idem, ſcilicet Deus, & ſub eadem ratione formali; tamen quia reſpectu actus viſionis eſt præſens potentiæ, atque etiam reſpectu tentionis, reſpectu vero actus fidei, & ſpei eſt abſens, ideo cauſatur actus ſpecie diſtinctus hic, & in patria. Pro ampliori huius litterȩ Doct. intelligentia obſeruandum eſt primo. Quod Doct. in hac reſponſione ſupponit, quod obiectum beatificum ſi eſt in ſe præſens tantùm partialiter concurrit ad actum viſionis, atque ita viſio beatifica, cauſatur ab obiecto beatifico, vel à ſupplēte vicem obiecti beatifici, atque etiam ab intellectu beati; & licet eiuſmodi viſio dependeat ab intellectu partialiter, habet tamē ſpecificā vnitatem ab obiecto prȩciſè,

Cognitio abſtractiua diſtinguitur ſpecie à cognitione intuitiua.

Secundò obſer. eſt, quod cognitio abſtractiua, quam pro nunc appello omnem cognitionem non cauſatam ab obiecto præſente in ſe differt ſpecie à cognitione intuitiua eiuſdem obiecti; vt docet Doct. in 2. d. 25. nec poteſt aſſignari alia ratio; niſi quia obiectum in ſe prȩſens non poteſt cauſare notitiam ſui, niſi intuitiuam, & ſpecie diſtinctam à cognitione reſpectu eiuſdem obiecti non prȩſentis in ſe, id eſt, à cognitione eiuſdem obiecti non in ſe præſentis ſed in aliquo reprȩſentatiuo.

Approximatio obiecti ad potentiam ē duplex.

Tertiò obſer. eſt, quod approximatio obiecti ad potentiam bifariam conſiderari poteſt. Nam quȩdam eſt approximatio, quȩ eſt eiuſdem rationis cum alia; quȩdam vero quȩ eſt diuerſȩ rationis. v. g. Si obiectum realiter & in ſe eſt prȩſens potentiȩ cauſat notitiam ſui intuitiuam, quȩ poteſt eſſe perfectior, & imperfectior, ſecundum ꝙ obiectum eſt magis vel minus prȩſens; & notitia hoc modo perfectior non eſt ſpecie diſtincta à notitia imperfectiori; Quemadmodum ignis magis, vel minus approximatus paſſo non cauſat diuerſos calores ſpecie diſtinctos, licet vnum perfectiorem altero. Cȩterum ſi approximatio ſit diuerſȩ rationis, idē obiectum cauſabit actus ſpecie diſtinctos. Velut ſi obiectum idem ſit prȩſens potentiȩ in ſpecie intelligibili dumtaxat, cauſabit notitiam ſui abſtractiuam, ſi vero ſit in ſe realiter prȩſens, cauſabit notitiam intuitiuam, quȩ duȩ notitiȩ ſpecie diſtinguuntur: Nam licet obiectum ſit idem, & ſub eadem ratione

cogni-

Digitized by Google

cognitum, tamen approximatio diuerſæ rationis eſt cauſa, quod actus ſint diuerſæ rationis; & de hac ſecunda approximatione loquitur hic Scotus.

Ex hoc ſequitur, quod omnes notitiæ eiuſdem obiecti non in ſe præſentis vndecũque cauſentur, ſiue ab obiecto in ſe non præſente, ſiue à ſpecie intelligibili illius, vel a ſupplente vicem, aut ſpeciei intelligibilis, aut obiecti in ſe non præſentis, ſunt eiuſdem rationis. Similiter omnes notitiæ intuitiuæ eiuſdem obiecti ſunt præciſè eiuſdem rationis vndecumque cauſentur, ſiue immediate ab obiecto in ſe præſente, ſiue à ſupplente vicem obiecti præſentis. Et quod dictum eſt de viſione reſpectu intellectus, dicatur de fruitione reſpectu voluntatis; videlicet quod ſecundum aliam, & aliam approximationem alterius rationis obiecti fruibilis ad voluntatem, cauſatur actus fruitionis alterius, & alterius rationis. Secundum vero aliam & aliam approximationem eiuſdem rationis, cauſantur ab obiecto eodem actus fruitionis eiuſdem rationis.

Quando ergo arguitur idem eſt obiectum, & ſub eadem ratione formali, hic & in patria; concedo, ex hoc tamen non ſequitur, quod actus ſint eiuſdem rationis; quia poſſunt eſſe diuerſi ſpecie actus eiuſdem potentiæ, ſi per ſe ſint circa idem obiectum diuerſimodè præſens potentiæ. Et ſimilis diſtinctio poteſt poni habituum inclinantium ad eiuſmodi actus. hoc eſt, quod ſicut actus diſtinguuntur ſpecie, ita habitus inclinantes ad tales actus ſpecie diſtinguuntur; Nam ad omnem actum alicuius ſpeciei in natura rationali, qui poteſt frequenter elici, poteſt eſſe aliquis habitus realiter inclinans ad tales actus; atque ita licet fides habeat Deum pro obiecto, & ſimiliter viſio in patria; tamen quia Deus non realiter in ſe præſens eſt obiectum fidei, ſicut eſt viſionis; actus cognitionis Dei procedens à fide differt ſpecie ab actu cognitionis Dei, qui eſt viſio; quia idem obiectum ad vtramque cognitionem partialiter concurrit ſecundum approximationē diuerſæ rationis; atque adeo quia ratio formalis non manet omnino eadem inuariata; ſiquidem aliter, & aliter coniungitur cum potentia hic, & in patria; non probat argumentum, quod maneat idem habitus.

ARTICVLVS III.

Vtrum remaneat Charitas poſt hanc vitam in patria.

PRo explicatione huius art. obſer. eſt, quod aliud eſt quærere an charitas ſemel habita poſſit amitti, & quærere an charitas, quam iuſti habent in via, remaneat in patria. Nam certum eſt, quod quicumque poteſt mortaliter peccare, inueniri ſine charitate poteſt, atque adeo charitas ſemel habita poteſt amitti; Nam vt norunt docti, charitas amitti dicitur per actus contrarios .i. per peccata mortalia; ex peccato .n. ſiue ex peccati demerito, Deus influentiam ſuam ſubtrahit, per quam in nobis fit, & conſeruatur charitas.

Ex altera parte certum eſt, quod charitas manet in beatis in patria, & quo ad habitum, & quo ad actũ. Quantũ ad habitũ; quia beati sũt Deo formaliter chari, & quo ad actũ, quia diligunt Deũ, & proximum; quæ dilectio perfectior eſt in beatis, q̃ in viatoribus, quoniã ex toto corde Deum diligunt. In hoc ergo art. non quærimus an charitas ſemel habita poſſit amitti, ſed vtrũ charitas, quam iuſti habent in via remaneat in patria.

D. Hieron. Circa primum quæſitum fuit error Iouiniani, teſte D. Hieron. lib. 1. & 2. contra eumdem, qui arbitratus eſt iuſtitiã, atq; adeo charitatem ſemel habitã nõ poſſe amitti; dicebat .n. quod qui peccat poſt Baptiſmum ſignũ eſt, quod non recepit gratiam, ſeu charitatē in Baptiſmo. contra hanc hęreſin ſcribit D. Hieron. loco ſupra citato. & D.

D. Aug. Auguſt. in lib. de hęreſibus ad Quod vult Deũ hęreſi 88. vbi ait hunc errorē ex parte fuiſſe quoq; Pelagij. Itē Begardi, & Reguinæ, vt conſtat ex Clement. ad noſtrũ de hęreticis cenſuerunt reddi homines in hac vita impeccabiles.

Andreas Vega. Item Vuiclefus vt notat Andreas Vega lib. 12. ſuper Concilium c. 2. docuit neminem poſſe perdere ſemel acceptam iuſtificationis gratiam, lege omnino Vegam loco citato, & per multa capita ſequentia.

Lutherus vero etſi credidit acceptam gratiã amitti poſſe, cenſuit tamen ſolũ amitti per peccatũ infidelitatis. quo .ſ. quis non certo credit, ſe eſſe in Dei gratia (hæc .n. eſt Lutherana fides, vt .ſ. id quiſq; certo apud ſe ſtatuat) nec poſſe alias hominē per vllũ peccatũ dãnari. Contra quã veſaniã obijci poſsũt manifeſtiſſima ſcripturæ teſtimonia, quę generatim affirmant per qualecũque peccatum mortale amitti diuinã gratiã, atq; adeo charitatē. Vt Ezechiel 18. & 33. Anima quæ peccauerit, ipſa morietur, & ad Rom. 6. Stipendiũ peccati mors, & 1. Corint. 6. Neq; adulteri, neq; auari, &c. regnũ Dei poſſidebunt, & Iacobi 2. Qui deliquerit in vno factus eſt oĩum reus &c. Nec diſſimiliter loquuntur paſſim Patres. Vnde D. Auguſt. lib. de fide, & operibus c. 15. Nõ video, inquit, cur Dominus dixerit. *D. Aug.* Si vis ad vitã ingredi ſerua mandata, & cõmemorauit eo, quæ ad bonos mores pertinent, ſi etiã his non ſeruatis ad vitã veniri poteſt per ſolã fidem, quæ ſine operibus mortua eſt. Iacobi 2. Vnde merito damnatus eſt ille Lutheri error in Concilio Trident. ſeſſ. 16. c. 15. Nec ſuffragatur Luthero ſcriptura cum pollicetur ſalutē credentibus, non .n. excludit alia virtutũ opera ad ſalutem neceſſaria, ſicut neq; excludit fidem, quando charitati, ſpei, & pœnitentiæ ſalutē promittit; Adde quod illa fides Lutherana minime eſt ea, quam ſcriptura commendat vt alias diximus.

1. Concl. His præmiſſis ſit prima Concluſio. Hæreticũ eſt dicere, quod ſemel baptizati, vel iuſtificati, non poſſunt amittere charitatē. hanc probat D. Hieron. lib. 2. contra Iouinianũ & definita eſt in Clement. ad noſtrũ de hæreticis, *D. Hieron.* & in Concilio Trident. ſeſſ. 6. cano. 23. his verbis. Si quis *Concilium Trident.* hominē ſemel iuſtificatũ dixerit amplius peccare nõ poſſe, neq; gratiã amittere, atque ideo eũ, qui labitur & peccat, nunquã vere fuiſſe iuſtificatũ, aut contra poſſe in tota vita peccata oĩa, etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei priuilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Eccleſia, anathema ſit. & cano. 27. in hæc verba. Si quis dixerit, nullum eſſe mortale peccatum, niſi infidelitatis, aut nullo alio quantũuis graui, & enormi, præterquam infidelitatis peccato, ſemel acceptam gratiã amitti, anathema ſit. lege Vegam loco citato, qui hæreticorum argumenta c 8. ſapienter diluit.

2. Concl. Secunda Concluſio. Charitas patriæ ſemel habita nunquã excidit, hęc cõcluſio eſt de fide, & probatur ex D. Paulo 1. Corint. 13. Charitas nunquã excidit; eſtq; cõtra Origenē, *Origenes.* qui dicebat quod neq; beatitudo, neq; miſeria erat æterna, ſed ſubalterna. Vnde homilia 23. ſuper Lucam docet, quod non ſolum angeli beati poſſunt peccare, verum etiam, quod aliquando peccant. Nam interdum Angeli cuſtodiæ hominum deputati ſunt in culpa, & negligentia, & ideo reprehenduntur à Deo; refertur q; hæc ſententia inter errores Origenis, quod aſſeruit angelos, & animas beatorum poſt beatitudinem, iterum poſſe in miſeriam deuenire. de qua re vide Caſtrum contra hæreſes *Alphõſus à Caſtro.* verbo beatitudo hæreſi 3

3. Concl. Tertia Concluſio. Eadem charitas, quam habet iuſtus in via, manet in patria. ita Scotus in hac q. ſub litt. D. §. Viſio de fide & ſpe, quomodo euacuantur &c. probatur. habitus charitatis inclinat ad actum, qui poteſt haberi in patria, licet ſit perfectior in patria, quam in via; ergo idē habitus charitatis manet hic, & in patria; probatur conſequentia; quia tunc ille habitus non ponitur fruſtra, quando eius actus non eſt impoſſibilis, ſed actus charitatis, quæ modo eſt in via, non eſt impoſſibilis in patria, ergo charitas non erit fruſtra, & per conſequens eadem manet. Quod autem actus, ad quem charitas inclinat poſſit haberi in patria, inde patet; quod charitas indiſtinctè inclinat ad amandum Deum in ſe, ita vt non inclinat diſtinctè ad amandum Deum abſentem imperfectè, vel pręſentem perfectè, quia hoc eſt de ratione charitatis; inclinare ad amandum Deum propter ſe indiſtinctè, ſiue ſit abſens, ſiue præſens, & quod actus ſit perfectus, vel imperfectus accidit actui charitatis ex hoc, quod obiectum eſt abſens, vel præſens. Hæc in ſententia Scotus.

Cæterum quia littera habet aliquam obſcuritatem explico eam. Dicit itaque Doct. Suppono, quod hæc ſit ratio charitatis, ſcilicet quod eſt amicitia Dei, vt in ſe bonũ,

id eſt,

Digitized by Google

id eſt, ſuppono, quod charitas ſit amicitia habitualis inclinans ad amorem Dei, vt eſt bonum in ſe, & propter ſe, & iſte habitus non diſtincte inclinat ad actum imperfectum amandi Deum, qualis eſt amor Dei abſentis; nec præciſe inclinat ad actum perfectum, qualis eſt amor Dei, vt præſentis, ſed in diſtincte inclinat in amorem Dei in ſe, & propter ſe, & hoc eſt de ratione formali charitatis; & quod talis actus charitatis ſit perfectus, vel imperfectus, eiuſmodi perfectio, vel imperfectio accidit actui charitatis; dicitur enim imperfectus propter obiectum diligibile abſens, quod non eſt perfecte coniunctum potentiæ, & dicitur perfectus, quia obiectum præſens, & perfecte potentiæ coniunctum: atque; adeo præſentia, & abſentia obiecti dicuntur accidere actui, ad quem charitas inclinat.

Et ſubdit Doct. & quod talis habitus poſſit haberi patet ex dictis, nunc de ſpe Quod nos in ſuperiori articulo explicauimus. Nam diximus ibi, quod poteſt eſſe vnus habitus communis præciſe inclinans ad bonum conueniens naturæ, abſolute conſiderando bonum illud, id eſt, neque vt abſens, neque vt præſens; & ſi talis habitus poteſt haberi in via, etiam in patria multo fortius poteſt haberi habitus charitatis: quia rationabilius eſt ponere habitum tendentem in Deum, vt bonum in ſe, quam ponere habitum tendentem in Deum, vt bonum mihi; patet, quia non variatur actus ille, vt tendit in Deum, vt eſt in ſe bonum ex præſentia perfecta vel imperfecta Dei, ſicut ille, qui tendit in Deum, vt in bonum commodum; quia prima variatio, vel non eſt ſm ſpeciem, vel ſi eſt, non eſt tamen ſecundum ſpeciem ita remotam ſicut ſecunda. Vult dicere Doct. quod actus, qui tendit in bonum commodum, vt abſens, eſt alterius ſpeciei, ab actu, qui tendit in bonum commodum, vt præſens, vt diximus in ſuperiori art. Cæterum actus, qui tendit in bonum in ſe, ſed abſens, velut eſt fruitio viæ, & actus, qui tendit in ſe bonum, vt præſens, qualis eſt fruitio patriæ; iſti duo actus, ſcilicet fruitio viæ, & fruitio patriæ non differunt a ſe inuicem ſpecie, vel ſi differunt ſpecie; non eſt tamen differentia ſecundum ſpeciem remotam, ſicut differunt illi duo actus, qui ſunt reſpectu boni commodi abſentis, vel præſentis. Doct. tamen in quarta diſt. 49. quæſt. quinta expreſſe, & abſolute tenet, quod actus diligendi Deum in via, & actus diligendi Deum in patria differunt ſpecie. Sequitur, ex quo enim inclinatio manebit in patria, ad diligendum Deum in ſe; manebit etiam inclinatio ad actum illum, qui ponitur eſſe charitatis, vt actus eius; atque ita habitus ille poterit manere in patria.

Contra hanc tertiam cõcluſionem arguitur. Ad actus ſpecie diſtinctos poſſunt eſſe habitus ſpecie diſtincti inclinantes ad huiuſmodi actus, ſed dilectio Dei in ſe, vt abſentis, & dilectio Dei in ſe, vt præſentis, ſunt actus ſpecie differentes, vt probat Scotus in quarta diſtin. 49. quæſt. quinta; ergo ſequitur, quod alius habitus erit inclinans ad dilectionem Dei in ſe, vt abſentis, & alius ad dilectionem Dei in ſe, vt præſentis, atque ita iſte ſecundus manebit in patria, & alius euacuabitur.

Præterea illud, quod eſt ex parte, vel imperfectum, euacuabitur in patria; ſed charitas viæ eſt imperfecta, & ex parte; ergo euacuabitur in patria; Maior probatur ex illo D. Pauli 1. ad Corinth. 13. Cum autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Minor patet: quia charitas viæ imperfecta eſt. Imperfectum meum viderunt oculi tui, inquit Pſal. Et ſicut ex parte cognoſcimus, ita ex parte diligimus. Tum etiam, quia ſi charitas in via eſſet perfecta, cum in ea conſiſtat beatitudo, aliquis hic exiſtens in via eſſet perfecte beatus. Et ſi dicas, quòd beatitudo formaliter conſiſtit in actu, & non in habitu, adhuc ſtat ratio, ſcilicet quòd habens perfectam charitatem ſit æque beatus in via, ſicut in patria; patet, quia actus proportionatur principio elicitiuo, ſi enim principium elicitiuum erit perfectius, erit actus perfectior; atque adeo cum charitas ſit principium elicitiuum actus fruitionis, & ſit penitus eadem charitas in via, & in patria, ſequitur, quòd in via erit fruitio æque perfecta, ſicut fruitio in patria.

Præterea tertio fides ideo euacuatur, quia eſt circa obiectum latens, ſed charitas in via eſt circa obiectum latens; ergo etiam charitas euacuatur; maior patet, & etiam minor: quia obiectum diligibile, nempe Deus, in via eſt præſens tantum in ænigmate.

Ad primum reſpondet Doct. in hac quæſt. ſub littera E. §. Concedo, quod duo tales habitus &c. prænotando duo; primo, quod habitus tendendi in Deum ſiue vt eſt bonum commodi, ſiue vt eſt bonum honeſtum, duplex eſſe poteſt. Alter quo ſic tendimus in Deum, vt bonum commodi, quod indiſtincte, & abſolute reſpiciat Deum ſiue præſens ſiue abſens ſit. Alter, quo ſic tẽdimus in Deum, quod reſpiciat Deum, vt abſentem, & diſtinguatur ab altero habitu, qui præciſe tendat in Deum, vt bonum commodi, tamen vt præſens; & ſimiliter habitus, quo tendimus in Deum, vt bonum honeſtum, poteſt reſpicere Deum abſolute ſiue præſens, ſiue abſens, vel põt reſpicere Deum præciſe, vt abſens, vel prçciſe, vt prçſens. Habitus tendendi ĩ Deum eſt duplex.

Prænotatur ſecundo, quod ſi daretur habitus tendendi in Deum, vt eſt bonum commodi abſolute ſiue præſens, ſiue abſens; talis habitus poſſet manere in patria, qui inclinaret ad dilectionem Dei, non propter ſe, ſed vt bonum commodi, ſiue vt bonum naturæ, cuius eſt habitus; quod autem actus talis habitus eſſet imperfectus ratione abſentiæ, obiecti, vel perfectus ratione prçſentiæ, illa perfectio, vel imperfectio accideret actui, vt dictum eſt ſupra. Propriè tamen eiuſmodi habitus non eſſet ſpes: quia ratio ſpei eſt, quod ſic tendat in Deum, vt tendat in ipſum, vt abſens; atque adeo non ponitur ille habitus ſpei generalis; ſed iſte ſpecialis, cuius actus, cum ſit circa obiectum abſens, quando obiectum eſt præſens ceſſat actus, & ſimiliter habitus.

Habitus tamen tendendi in Deum, vt bonum honeſtum, ſi eſt charitas, de ratione ſua habet, quod ſit habitus generalis; Non enim ratio habitus charitatis eſt, vt ſit prçciſe principium actus imperfecti, circa obiectum latens. Si enim habitus charitatis prçciſe tenderet in Deum latentem, ſub ratione latentis; tunc talis habitus non eſſet in patria; quia non poſſet habere actum ad quem inclinaret, nam vt ſic tantum inclinaret ad actum reſpectu boni in ſe, vt latentis; atque ita fruſtra poneretur, ſicut ſupra diximus de fidei habitu; poſſet tamen eſſe in patria abſolute, at non cum actu, vt etiam dictum eſt de fide: de ratione ergo habitus charitatis eſt, vt ſit principium tendendi in Deum indiſtincte, vt eſt in ſe bonum, ſiue latens ſiue præſens; reſpicit enim Deum abſolute, & indiſtincte ſiue præſens, ſiue abſens, atque adeo talis habitus poteſt manere, & manet in patria. Si tamen daretur vnus habitus tendendi in Deum, vt bonum honeſtum prçciſe, vt in abſens, & alius habitus, vt in obiectum præſens; tales ſic habitus diſtincti non eſſent habitus charitatis, neque habitus, qui inclinaret in Deum, vt bonum honeſtũ abſens poſſet manere in patria; quia tunc eius actus eſſet incompoſſibilis in patria. Nam ſi darentur huiuſmodi duo habitus inclinantes ad dilectionem Dei in ſe, & propter ſe, vt Deus eſt præciſe bonum honeſtum, non conſiderando ipſum, vt eſt bonum commodi, ſiue vt eſt bonum conueniens naturæ, tunc vnus habitus eſſet in via, qui inclinaret dumtaxat ad actum dilectionis Dei imperfectum propter latentiam obiecti, & alter eſſet in patria, qui inclinaret ad actum dilectionis Dei perfectum, & hoc propter præſentiam obiecti; & habitus in via euacuaretur in patria, quia ille habitus non poſſet eſſe cum actu illo imperfecto, ad quem præciſe inclinaret.

Cæterum ſupponimus, inquit Doct. ex dictis Sanctorum, & præciſe D. Pauli, diſtinctionem illorum habituũ, ſcilicet ſpei, & charitatis; atque adeo dicimus, quòd ſpes euacuatur in patria, charitas autem manet, & ratio eſt, quia ſpes in hoc à charitate diſtinguitur, quòd ſpes non inclinat ad actum tendendi in bonum commodi abſolute, ſed præciſe ad actum imperfectum ex obiecti abſentia, quæ imperfectio non accidit illi actui, quatenus eſt actus ſpei; ſed eſt de ratione eius, ſicut imperfectio non apparentiæ eſt de eſſentia actus fidei, ita vt ſicut actus viſionis, & actus fidei non ſolum ſpecie accidentali diſtinguuntur, ſed ſpecie eſſentiali, ita dicendum eſt de actibus ſpei, & tentionis, in tantum

Digitized by Google

quod ſi talis imperfectio, quæ eſt ex abſentia obiecti nõ ineſſet actui ſpei, nunquam ille actus eſſet ſpei actus; inclinat ergo ſpes diſtincte, & determinate ad actum imperfectum; atque adeo non poteſt actus ſpei ſtare cum actu fruitionis reſpectu eiuſdem obiecti; Non poteſt enim idem obiectum teneri, vt præſens, & ſimul deſiderari, vt abſens. Charitas verò eſt principium tendendi in Deum, vt eſt in ſe bonum abſolute, & indiſtincte, ita vt inclinet ad actum dilectionis Dei in ſe, vt in ſe; Et licet talis dilectio ex præſentia obiecti dicatur perfecta, & ex obiecti abſentia imperfecta huiuſmodi tamen perfectio, & imperfectio accidũt actui charitatis, quoniam ſi talis actus per poſſibile, vel impoſſibile eſſet ſine tali perfectione, quæ eſt ex præſentia obiecti, vel imperfectione, quæ eſt ex obiecti abſentia, adhuc verè eſſent actus charitatis, alioqui charitas inclinaret; atq; patet, quomodo, & quare ſpes euacuatur in patria, charitas autem minime.

Obſerua tamen, quòd dicit Doct. quòd perfectiõ, & imperfectio accidunt actui charitatis, intelligendum eſt, non de actu charitatis in particulari, ſiue de actu charitatis ſignato, quia neceſſario fruitio viæ eſt circa obiectum ænigmaticum, & fruitio patriæ requirit neceſſario obiectum clarè viſum, ſed intelligendum eſt de actu fruitionis vago, ſiue in genere, prout ſcilicet eſt indifferens ad actum fruitionis viæ, & patriæ.

Ex his reſpondetur ad argumentum, quòd licet actus charitatis in via, & in patria differant ſpecie, quod vt probabilius tenet Scotus loco ſupra citato, ad hunc tamen non requiritur alius habitus diſtinctus ad illum actum amandi Deum in patria; ſicut neque requiritur aliud obiectum, ſed diuerſa approximatio eiuſdem obiecti, quæ fit per viſionem, quæ eſt in cauſa, quod ille actus ſit diſtinctus ſpecie ab actu amandi Deum in via; quia approximatio diuerſæ rationis facit, vt idem obiectum, & eadem potentia cum eodem habitu producant diuerſos actus ſpecie. Nam ad actum fruitionis patriæ concurrit notitia intuitiua obiecti; ſiue obiectum approximatur potentiæ, nempe voluntati, mediante notitia intuitiua obiecti; Ad actum verò fruitionis viæ concurrit notitia abſtractiua, ſiue ænigmatica obiecti, vel obiectum approximatur potentiæ mediante ænigmatica notitia obiecti; ſed certum eſt, quod huiuſmodi approximationes ſunt alterius rationis, quemadmodum viſio intuitiua, & abſtractiua, ſiue notitia clara, & ænigmatica eiuſdem obiecti ſunt alterius rationis; atque adeo ſunt in cauſa, quod effectus ſint alterius rationis formalis.

Ad ſecundum, quod eſt primũ principale huius queſt. reſpondet Doct. & primo ad teſtimonium D. Pauli, quod illi habitus euacuantur in patria, quorum actus ad quos inclinant ibidem haberi nequeunt: quia alias eſſent illi fruſtra; Actus autem illi haberi non poſſunt in patria, qui in ſua ratione formali imperfectionem includunt, quemadmodum ſunt actus fidei, & ſpei, vt dictum eſt ſupra; Illi ergo habitus ex parte appellantur, ſiue imperfecti; non in ſe formaliter, ſed quia præciſe inclinant ad actus imperfectos, qui haberi non poſſunt in patria, atque adeo euacuantur. Charitas autem, vt explicatum eſt, inclinat indiſtincte, ad dilectionem Dei in ſe, ita vt nec diſtincte inclinet ad actum dilectionis perfectum, vel imperfectum; atque adeo quia actus charitatis, qui eſt dilectio Dei in ſe abſolute, manet in patria, ideo charitas haud euacuatur, ſed manet in patria. Nec poteſt dici charitas ex parte ſiue imperfecta; quia non inclinat præciſe ad actum imperfectum.

Cum itaque fides, & ſpes eſſentialiter includant in actibus ſuis aliquid, quod neceſſario determinat ſibi imperfectionem: Actus enim fidei, & ſpei includit in ſua ratione abſentiam obiecti, reſpiciunt enim obiectum præciſe, vt abſens, & hoc eſt imperfectionis in actu, ideo tales actus imperfecti non manent in patria. Charitas verò non neceſſario inclinat ad actum dilectionis imperfectum; ſed indiſtincte inclinat ad amandum Deum propter ſe, ſiue ſit abſens ſiue præſens, & ſi eſt actus imperfectus, quando obiectum eſt abſens, hoc accidit actui charitatis, & non eſt de intrinſeca eius ratione, ac proinde manere poteſt in patria.

Ad aliam inſtantiam contra illam ſolutionem datam ibi, quæ bona eſt quatenus negat beatitudinem poſſe hic haberi, dicit Doct. quod ſi aliquis haberet hic æqualem charitatem ſicut in patria, non eſſet propter hoc hic beatus, tum quia beatitudo non conſiſtit in habitu, ſed conſiſtit in operatione, & ſpecialiter in fruitione Deitatis, vt probat Scotus, in quarta diſtin. 49. quæſt. quinta, Tum quia beatitudo formaliter non correſpondet præciſe charitati, ita vt habens tantam charitatem habeat præciſe tantam fruitionem: quia ſtat aliquem habere minorem charitatem, & maiorem beatitudinem alio habente maiorem charitatem; maximè tenendo, quod beatitudo correſpondeat meritis, vt videtur tenere Doct. in quarta diſtin. 22. quæſt. vnica, artic. ſecundo, ſub littera F. Conceſſo ergo quòd beatitudo conſiſtat formaliter in fruitione, cum arguitur, quod eſſet æqualis fruitio hic, & in patria. Dicit Doct. quòd ſi charitas eſſet totale principium elicitiuum fruitionis, quod tunc poſſet eſſe æqualis fruitio hic, & in patria; vel ſi etiam voluntas habens charitatem eſſet principium partiale fruitionis adhuc voluntas habens eamdem charitatem hic, & in patria, poſſet habere æqualem fruitionem hic, & in patria, Cæterum in patria concurrit eſſentia diuina diſtincte, & intuitiue viſa, vt aliud principium partiale fruitionis, ac proinde fruitio in patria eſt perfectior fruitione in via. Et ſi dicas, quòd etiam in via concurrit obiectum cognitum, ſiue cognitio obiecti; ergo ſi idem obiectum concurrit in via, & in patria, erit æqualis fruitio in via, & in patria.

Dico, quod ſi teneatur obiectum concurrere partialiter ad actum voluntatis, quamuis ſit idem obiectum, & ſub eadem ratione formali reſpectu fruitionis viæ, & patriæ, non eſt tamen eodem modo voluntati approximatum; quia in patria eſt in ſe præſens per claram viſionem, in via autem eſt tantum præſens non in ſe, ſed per actum credendi. At obiectum ſecundum aliam, & aliam approximationem diuerſæ rationis, cauſat in potentia actum diuerſæ rationis.

Si verò teneatur, quòd ad actum fruitionis concurrat cognitio obiecti, vt partialis cauſa; Dico, quod ſicut cognitio obiecti intuitiua eſt perfectior cognitione abſtractiua eiuſdem obiecti, & alterius rationis formalis; ita fruitio partialiter cauſata à notitia intuitiua Deitatis, erit perfectior, & ſpecie diſtincta à fruitione cauſata partialiter à cognitione ænigmatica eiuſdem Deitatis.

Et quando dicit Doct. quòd obiectum beatificum ſecundum quod magis, vel minus videtur, perfectiorem, vel imperfectiorem cauſat fruitionem; hoc dictum poteſt bifariam intelligi; primo tenendo, quod obiectum ſit partialis cauſa fruitionis, & non ſit in ſe præſens voluntati, niſi per cognitionem intuitiuam, quanto cognitio intuitiua eſt perfectior, tanto magis obiectum eſt in ſe præſens, & quanto magis eſt præſens, tanto perfectiorem fruitionem cauſat non tamen alterius ſpeciei, ſed intra eamdem ſpeciem: quia obiectum, vt in ſe præſens licet ſit magis, vel minus præſens non cauſat actum fruitionis alterius rationis formalis, ſed bene perfectiorem, vel imperfectiorem in eadem ſpecie.

Si verò teneatur, quod viſio obiecti ſit partialis cauſa fruitionis, quanto illa viſio eſt perfectior, tanto fruitio erit perfectior, quæ tamen fruitiones tantum numero differunt, & non ſpecie. Et quando ſubdit, quod in via de lege communi non poteſt eſſe obiectum præſens ſicut in patria etiam præſentia eiuſdem ſpeciei. Vult dicere, quòd loquẽdo de lege communi, Deus ſub ratione Deitatis non eſt alicui viatori in ſe præſens. Poſſet tamen eſſe ex priuilegio ſpeciali, ſicut fuit in ſe præſens D. Paulo in raptu; atque etiam D. Virgini, quando peperit Chriſtum Dominum, & quem genuit adorauit. Nec etiam de lege communi eſt præſens alicui viatori per ſpeciem intelligibilem diſtincte Deum repræſentantem ſub ratione Deitatis; ſicut fuit præſens angelis per ſpeciem intelligibilem à Deo infuſam, qua potuerunt diſtincte cognoſcere Deũ ſub ratione Deitatis loquẽdo de cognitione abſtractiua, vt docet Doct. in 2. d. 3. q. 9. Sed eſt præſens viatori de lege communi, tantum ænigmatice, & per actum credẽdi.

Poſſet

Digitized by Google

Poſſet etiam forte dici ad rationem illam, quod eſto, quod ſit æqualis fruitio hic, & in patria, fruitio tamen patriæ eſt actus beatificus, in via verò nequaquam, & ratio diuerſitatis eſt; quia de ratione actus beatifici eſt, quod terminetur ad obiectum beatificum, vt in ſe præſens, fruitio autem viæ non terminatur, niſi ad obiectum ænigmatice præſens.

Ad tertium, quod eſt ſecundum principale, Reſpondet Doct. quod etſi abſentia non ſit formalis ratio in obiecto fidei, & ſpei; tamen actus fidei, & actus ſpei, ſunt tales per ſe, vt neceſſario concomitetur ipſos imperfectio, atque adeo fides ita determinate inclinat ad actum talis ſpeciei, ad quem non poteſt eſſe determinatio in patria. Charitas verò, etſi nunc ſit determinata ad actum circa illud, quod latet, & per conſequens ad actum imperfectum, non tamen neceſſario inclinat ad actum ſic imperfectum, ſed ad actum cui accidit imperfectio. Vult dicere Doct. quòd quamuis abſentia obiecti non ſit formalis ratio obiecti fidei, vel ſpei; quia Deus ſub ratione Deitatis ponitur obiectum vtriuſque virtutis; tamen actus fidei, & ſpei includunt talem imperfectionem ſua ratione formali, vel ſi eam non includunt, ſaltem talis imperfectio neceſſario cõcomitatur illos actus; atq; ideo fides determinate inclinat ad actũ talis ſpeciei, ad quem non poteſt eſſe determinatio in patria, non ſic autem charitas, vt explicatum eſt.

DISTINCTIO XXXII.

PRamiſſis adijciendum eſt de dilectione Dei, qua ipſe Deus diligit nos &c. Hæc eſt diſtin. 32 huius tertij libri, in qua Magiſter poſtquam egit de charitate creata, qua nos diligimus Deum agit de charitate increata quæ realiter eſt ipſe Deus, & qua ipſe Deus diligit nos, & diuiditur in tres partes, in prima determinat de dilectione Dei communiter reſpectu creaturarum omnium in ſecunda agit de dilectione Dei ſpecialiter reſpectu hominum, & in tertia adhuc ſpecialius reſpectu reproborum. Continetur tamẽ breuiter littera Magiſtri in tribus concluſionib.

1\. Concl. *Prima Concluſio. Eadem eſt charitas, & hæc increata, qua nos diligimus Deum, & qua Deus diligit nos. Hanc concluſionem inſinuans Magiſter altius exorditur dicens, quod eadem eſt dilectio, qua Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ſe diligunt, & qua diligunt nos. & hæc dilectio eſt, ſcil. id eſt, diuina eſſentia, & quod eadem eſt dilectio, qua nos diligimus Deum. Quamuis enim dilectio Dei immutabilis ſit, & æterna, alium tamen magis, & alium minus diligere dicitur, vt patet ex D. Auguſt. tract. 110 ſuper Ioan. dicente* D. Aug. *Incomprehenſibilis eſt dilectio Dei, atque immutabilis, qua Deus in vnoquoque noſtrum amat quod fecit. ſicut & odit, quod fecimus. & ſubdit, quòd miro & diuino modo, etiam quando odit diligit nos. Nec obſtat, quia oẽs diligit creaturas; Nam inter oẽs, rationales plus diligit creaturas & inter rationales creaturas amplius illos, qui ſunt vnigeniti ſui membra, & multo magis vnigenitum in quantum homo. Nec dicendum eſt, quòd hæc inæqualitas dilectionis mutationem includat aliquam in ipſo Deo, qui immobilis eſt dans cuncta moueri, ſed ideo dicitur inæqualiter diligere, quo ipſos ad bona diligit inæqualia.*

Cæterum cauendum eſt ne dicamus eamdem eſſe dilectionem, qua nos diligimus Deum. & qua Deus diligit nos: Nam in hac parte minime tenetur Magiſter; eo quòd charitas, qua nos diligit Deus, increata eſt, ſcilicet Spiritus Sanctus appropriate, vel diuina eſſentia; charitas verò qua nos diligimus Deum, eſt habitus, & forma accidentalis creata, qua nos formaliter Deum diligimus, voluntatem diligentis realiter informans, atque perficiens. Poſſet tamen Magiſter pie exponi, ſi dicamus quod ipſe non loquitur de charitate, qua nos formaliter diligimus Deum, ſed de ea, qua eſt ſimpliciter, & abſolute neceſſaria, vt Deum meritorie diligamus, & hæc eſt Spiritus Sanctus; Nam ſimpliciter neceſſarium eſt ad hoc, quod dilectio noſtra qua diligimus Deum nos ipſos, & proximum, ſit meritoria per Spiritum Sanctum inhabitantem acceptari ad præmium retribuendum, ita vt oppoſitum contradictionem inuoluat; atq; ita Spiritus Sanctus eſt, quo Deum meritorie diligimus. non autem formaliter; quia ipſe eſt, qui acceptando noſtram dilectionem meritoriam reddit ſed de hoc tractatur in 1. d. 17.

Secunda Concluſio Dilectio Dei ſecundũ eſſentiã non ſuſcipit magis neq; minus ſed bene ſecundũ diſtributionẽ, & efficientiã Hanc concluſionẽ declarans Magiſter dicit q̃d dilectio Dei qua nos diligit, duobus modis accipi põt; vno modo ſecũdũ eſſentiã; Alio modo ſecũdũ efficientiã & diſtributionem. Si primo ſumatur modo nec magis, nec minus admittit ſecũdũ ſe, et in ſe q̃a vt ſic eſt ipſe Spiritus Sanctus; At ſecundo modo quantũ ad diſtributionem, hunc magis & illum minus diligere dicitur, ita vt magis illi dilecti nuncupentur, quibus magis ex dilectione ſua bonum ab æterno præparauit, & in tempore tribuit Ex quibus occaſionem nactus Magiſter dubitat, an vnus, & idẽ homo poſſit magis diligi à Deo in vno tempore, quam in alio. Cui dubitationi reſpondens dicit, hoc non eſſe poſſibile loquendo de eius eſſentiali dilectione, at ſi fiat ſermo de dilectione eius effectiua tunc, quin poſſit, nulli dubium erit. 2. Concl.

Tertia Concluſio. Deus ab æterno, ſimpliciter loquendo reprobos non dilexit. pro cuius explicatione quærit, An Deus reprobos ab æterno, quos præſciuit damnandos dilexit, vt puta an dilexit ab æterno Cayn, & Iudam, & reſpondet, q̃ ſicut de electis ſimpliciter eſt concedendum. quod Deus ab æterno eos dilexit; ita de reprobis ſimpliciter eſt concedendum, quòd Deus ab æterno 3. Concl.

Digitized by Google

quod ſi talis imperfectio, quæ eſt ex abſentia obiecti nõ ineſſet actui ſpei, nunquam ille actus eſſet ſpei actus; inclinat ergo ſpes diſtincte, & determinate ad actum imperfectum; atque adeo non poteſt actus ſpei ſtare cum actu tentionis reſpectu eiuſdem obiecti; Non poteſt enim idem obiectum teneri, vt præſens, & ſimul deſiderari, vt abſens. Charitas verò eſt principium tendendi in Deum, vt eſt in ſe bonum abſolute, & indiſtincte, ita vt inclinet ad actum dilectionis Dei in ſe, vt in ſe; Et licet talis dilectio ex præſentia obiecti dicatur perfecta, & ex obiecti abſentia imperfecta huiuſmodi tamen perfectio, & imperfectio accidũt actui charitatis, quoniam ſi talis actus per poſſibile, vel impoſſibile eſſet ſine tali perfectione, quæ eſt ex præſentia obiecti, vel imperfectione, quæ eſt ex obiecti abſentia, adhuc verè eſſent actus charitatis, alioqui charitas inclinaret; atq; patet, quomodo, & quare ſpes euacuatur in patria, charitas autem minime.

Obſerua tamen, quòd dicit Doct. quòd perfectiò, & imperfectio accidunt actui charitatis, intelligendum eſt, non de actu charitatis in particulari, ſiue de actu charitatis ſignato, quia neceſſario fruitio viæ eſt circa obiectum ænigmaticum, & fruitio patriæ requirit neceſſario obiectum clarè viſum, ſed intelligendum eſt de actu fruitionis vago, ſiue in genere, prout ſcilicet eſt indifferens ad actum fruitionis viæ, & patriæ.

Ex his reſpondetur ad argumentum, quòd licet actus charitatis in via, & in patria differant ſpecie, quod vt probabilius, tenet Scotus loco ſupra citato, ad hunc tamen non requiritur alius habitus diſtinctus ad illum actum amandi Deum in patria; ſicut neque requiritur aliud obiectum, ſed diuerſa approximatio eiuſdem obiecti, quæ fit per viſionem, quæ eſt in cauſa, quod ille actus ſit diſtinctus ſpecie ab actu amandi Deum in via; quia approximatio diuerſæ rationis facit, vt idem obiectum, & eadem potentia cum eodem habitu producant diuerſos actus ſpecie. Nam ad actum fruitionis patriæ concurrit notitia intuitiua obiecti; ſiue obiectum approximatur potentiæ, nempe voluntati, mediante notitia intuitiua obiecti; Ad actum verò fruitionis viæ concurrit notitia abſtractiua, ſiue ænigmatica obiecti, vel obiectum approximatur potentiæ mediante ænigmatica notitia obiecti; ſed certum eſt, quod huiuſmodi approximationes ſunt alterius rationis, quemadmodum viſio intuitiua, & abſtractiua, ſiue notitia clara, & ænigmatica eiuſdem obiecti ſunt alterius rationis; atque adeo ſunt in cauſa, quod effectus ſint alterius rationis formalis.

Ad ſecundum, quod eſt primũ principale huius queſt. reſpondet Doct. & primo ad teſtimonium D. Pauli, quod illi habitus euacuantur in patria, quorum actus ad quos inclinant ibidem haberi nequeunt: quia alias eſſent ibi fruſtra; Actus autem illi haberi non poſſunt in patria, qui in ſua ratione formali imperfectionem includunt, quemadmodum ſunt actus fidei, & ſpei, vt dictum eſt ſupra; Illi ergo habitus ex parte appellantur, ſiue imperfecti; non in ſe formaliter, ſed quia præciſe inclinant ad actus imperfectos, qui haberi non poſſunt in patria, atque adeo euacuantur. Charitas autem, vt explicatum eſt, inclinat indiſtincte, ad dilectionem Dei in ſe, ita vt nec diſtincte inclinet ad actum dilectionis perfectum, vel imperfectum; atque adeo quia actus charitatis, qui eſt dilectio Dei in ſe abſolute, manet in patria, ideo charitas haud euacuatur, ſed manet in patria. Nec poteſt dici charitas ex parte ſiue imperfecta; quia non inclinat præciſe ad actum imperfectum.

Cum itaque fides, & ſpes eſſentialiter includant in actibus ſuis aliquid, quod neceſſario determinat ſibi imperfectionem: Actus enim fidei, & ſpei includit in ſua ratione abſentiam obiecti, reſpiciunt enim obiectum præciſe, vt abſens, & hoc eſt imperfectionis in actu, ideo tales actus imperfecti non manent in patria. Charitas verò non neceſſario inclinat ad actum dilectionis imperfectum; ſed indiſtincte inclinat ad amandum Deum propter ſe, ſiue ſit abſens ſiue præſens. & ſi eſt actus imperfectus, quando obiectum eſt abſens, hoc accidit actui charitatis, & non eſt de intrinſeca eius ratione, ac proinde manere poteſt in patria.

Ad aliam inſtantiam contra illam ſolutionem datam ibi, quæ bona eſt quatenus negat beatitudinem poſſe hic haberi, dicit Doct. quod ſi aliquis haberet hic æqualem charitatem ſicut in patria, non eſſet propter hoc hic beatus, tum quia beatitudo non conſiſtit in habitu, ſed conſiſtit in operatione, & ſpecialiter in fruitione Deitatis, vt probat Scotus, in quarta diſt. 49. quæſt. quinta. Tum quia beatitudo formaliter non correſpondet præciſe charitati, ita vt habens tantam charitatem habeat præciſe tantam fruitionem: quia ſtat aliquem habere minorem charitatem, & maiorem beatitudinem alio habente maiorem charitatem; maximè tenendo, quod beatitudo correſpondeat meritis, vt videtur tenere Doct. in quarta diſt. 22. quæſt. vnica, artic. ſecundo, ſub littera F. Conceſſo ergo quòd beatitudo conſiſtat formaliter in fruitione, cum arguitur, quod eſſet æqualis fruitio hic, & in patria. Dicit Doct. quòd ſi charitas eſſet totale principium elicitiuum fruitionis, quod tunc poſſet eſſe æqualis fruitio hic, & in patria; vel ſi etiam voluntas habens charitatem eſſet principium partiale fruitionis adhuc voluntas habens eamdem charitatem hic, & in patria, poſſet habere æqualem fruitionem hic, & in patria, Cæterum in patria concurrit eſſentia diuina diſtincte, & intuitiue viſa, vt aliud principium partiale fruitionis, ac proinde fruitio in patria eſt perfectior fruitione in via. Et ſi dicas, quòd etiam in via concurrit obiectum cognitum, ſiue cognitio obiecti; ergo ſi idem obiectum concurrit in via, & in patria, erit æqualis fruitio in uia, & in patria.

Dico, quod ſi teneatur obiectum concurrere partialiter ad actum voluntatis, quamuis ſit idem obiectum, & ſub eadem ratione formali reſpectu fruitionis viæ, & patriæ, non eſt tamen eodem modo voluntati approximatum; quia in patria eſt in ſe præſens per claram viſionem, in via autem eſt tantum præſens non in ſe, ſed per actum credendi. At obiectum ſecundum aliam, & aliam approximationem diuerſæ rationis, cauſat in potentia actum diuerſæ rationis.

Si verò teneatur, quòd ad actum fruitionis concurrat cognitio obiecti, vt partialis cauſa; Dico, quod ſicut cognitio obiecti intuitiua eſt perfectior cognitione abſtractiua eiuſdem obiecti, & alterius rationis formalis; ita fruitio partialiter cauſata à notitia intuitiua Deitatis erit perfectior, & ſpecie diſtincta à fruitione cauſata partialiter à cognitione ænigmatica eiuſdem Deitatis.

Et quando dicit Doct. quòd obiectum beatificum ſecundum quod magis, vel minus videtur, perfectiorem, vel imperfectiorem cauſat fruitionem; hoc dictum poteſt bifariam intelligi; primo tenendo, quod obiectum ſit partialis cauſa fruitionis, & non ſit in ſe præſens voluntati, niſi per cognitionem intuitiuam, quanto cognitio intuitiua eſt perfectior, tanto magis obiectum eſt in ſe præſens, & quanto magis eſt præſens, tanto perfectiorem fruitionem cauſat non tamen alterius ſpeciei, ſed intra eamdem ſpeciem: quia obiectum, vt in ſe præſens licet ſit magis, vel minus præſens non cauſat actum fruitionis alterius rationis formalis, ſed bene perfectiorem, vel imperfectiorem in eadem ſpecie.

Si verò teneatur, quod viſio obiecti ſit partialis cauſa fruitionis, quanto illa viſio eſt perfectior, tanto fruitio erit perfectior, quæ tamen fruitiones tantum numero differunt, & non ſpecie. Et quando ſubdit, quod in via de lege communi non poteſt eſſe obiectum præſens ſicut in patria etiam præſentia eiuſdem ſpeciei. Vult dicere, quòd loquẽdo de lege communi, Deus ſub ratione Deitatis non eſt alicui viatori in ſe præſens. Poſſet tamen eſſe ex priuilegio ſpeciali, ſicut fuit in ſe præſens D. Paulo in raptu; atque etiam D. Virgini, quando peperit Chriſtum Dominum, & quem genuit adorauit. Nec etiam de lege communi eſt præſens alicui viatori per ſpeciem intelligibilem diſtincte Deum repræſentantem ſub ratione Deitatis; ſicut fuit præſens angelis per ſpeciem intelligibilem à Deo infuſam, qua potuerunt diſtincte cognoſcere Deũ ſub ratione Deitatis loquẽdo de cognitione abſtractiua, vt docet Doct. in 2. d. 3. q. 9. Sed eſt præſens viatori de lege communi, tantum ænigmatice, & per actum credẽdi.

Poſſet

Poſſet etiam forte dici ad rationem illam, quod eſto, quod ſit æqualis fruitio hic, & in patria, fruitio tamen patriæ eſt actus beatificus, in via verò nequaquam, & ratio diuerſitatis eſt; quia de ratione actus beatifici eſt, quod terminetur ad obiectum beatificum, vt in ſe præſens, fruitio autem viæ non terminatur, niſi ad obiectum ænigmatice præſens.

Ad tertium, quod eſt ſecundum principale, Reſpondet Doct. quod etſi abſentia non ſit formalis ratio in obiecto fidei, & ſpei; tamen actus fidei, & actus ſpei, ſunt tales per ſe, vt neceſſario concomitetur ipſos imperfectio, atque adeo fides ita determinate inclinat ad actum talis ſpeciei, ad quem non poteſt eſſe determinatio in patria. Charitas verò, etſi nunc ſit determinata ad actum circa illud, quod latet, & per conſequens ad actum imperfectum, non tamen neceſſario inclinat ad actum ſic imperfectum, ſed ad actum cui accidit imperfectio. Vult dicere Doct. quòd quamuis abſentia obiecti non ſit formalis ratio obiecti fidei, vel ſpei; quia Deus ſub ratione Deitatis ponitur obiectum vtriuſque virtutis; tamen actus fidei, & ſpei includunt talem imperfectionem ſua ratione formali, vel ſi eam non includunt, ſaltem talis imperfectio neceſſario cõcomitatur illos actus; atq; ideo fides determinate inclinat ad actũ talis ſpeciei, ad quem non poteſt eſſe determinatio in patria, non ſic autem charitas, vt explicatum eſt.

DISTINCTIO XXXII.

PRamiſſis adijciendum eſt de dilectione Dei, qua ipſe Deus diligit nos &c. Hæc eſt diſtin. 32 huius tertij libri, in qua Magiſter poſtquam egit de charitate creata, qua nos diligimus Deum agit de charitate increata quæ realiter eſt ipſe Deus, & qua ipſe Deus diligit nos, & diuiditur in tres partes, in prima determinat de dilectione Dei communiter reſpectu creaturarum omnium in ſecunda agit de dilectione Dei ſpecialiter reſpectu hominum, & in tertia adhuc ſpecialius reſpectu reproborum. Continetur tamẽ breuiter littera Magiſtri in tribus concluſionib.

1. Concl. *Prima Concluſio. Eadem eſt charitas, & hæc increata, qua nos diligimus Deum, & qua Deus diligit nos. Hanc concluſionem inſinuans Magiſter altius exorditur dicens, quod eadem eſt dilectio, qua Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ſe diligunt, & qua diligunt nos, & hæc dilectio eſt, ſcil. id eſt, diuina eſſentia, & quod eadem eſt dilectio, qua nos diligimus Deum. Quamuis enim dilectio Dei immutabilis ſit, & æterna, alium tamen magis, & alium minus diligere dicitur, vt patet ex D. Auguſt. tract. 110 ſuper Ioan. dicente* D. Aug. *Incomprehenſibilis eſt dilectio Dei, atque immutabilis, qua Deus in vnoquoque noſtrum amat quod fecit. ſicut & odit, quod fecimus. & ſubdit, quòd miro & diuino modo, etiam quando odit diligit nos. Nec obſtat, quia oẽs diligit creaturas; Nam inter oẽs, rationales plus diligit creaturas & inter rationales creaturas amplius illos, qui ſunt vnigeniti ſui membra, & multo magis vnigenitum in quantum homo. Nec dicendum eſt, quòd hæc inæqualitas dilectionis mutationem includat aliquam in ipſo Deo qui immobilis eſt dans cuncta moueri. ſed ideo dicitur inæqualiter diligere, quo ipſos ad bona diligit inæqualia.*

Cæterum cauendum eſt ne dicamus eamdem eſſe dilectionem, qua nos diligimus Deum & qua Deus diligit nos: Nam in hac parte minime tenetur Magiſter; eo quòd charitas, qua nos diligit Deus, increata eſt, ſcilicet Spiritus Sanctus appropriate, vel diuina eſſentia; charitas verò qua nos diligimus Deum, eſt habitus, & forma accidentalis creata, qua nos formaliter Deum diligimus, voluntatem diligentis realiter informans, atque perficiens. Poſſet tamen Magiſter pie exponi, ſi dicamus quod ipſe non loquitur de charitate, qua nos formaliter diligimus Deum, ſed de ea, quæ eſt ſimpliciter, & abſolute neceſſaria, vt Deum meritorie diligamus, & hæc eſt Spiritus Sanctus; Nam ſimpliciter neceſſarium eſt ad hoc, quod dilectio noſtra qua diligimus Deum nos ipſos, & proximum, ſit meritoria per Spiritum Sanctum inhabitantem acceptari ad præmium retribuendum, ita vt oppoſitum contradictionem inuoluat; atq; ita Spiritus Sanctus eſt, quo Deum meritorie diligimus non autem formaliter; quia ipſe eſt, qui acceptando noſtram dilectionem meritoriam reddit ſed de hoc tractatur in 1. d. 17.

Secunda Concluſio Dilectio Dei ſecundũ eſſentiã non ſuſcipit magis neq; minus ſed bene ſecundũ diſtributionẽ, & efficientiã Hanc concluſionẽ declarans Magiſter dicit qđ dilectio Dei qua nos diligit, duobus modis accipi põt; vno modo ſecũdũ eſſentiã; Alio modo ſecũdũ efficientiã & diſtributionem. Si primo ſumatur modo nec magis, nec minus admittit ſecũdũ ſe, et in ſe qa vt ſic eſt ipſe Spiritus Sanctus; At ſecundo modo quantũ ad diſtributionem, hunc magis & illum minus diligere dicitur, ita vt magis illi dilecti nuncupentur, quibus magis ex dilectione ſua bonum ab æterno præparauit, & in tempore tribuit Ex quibus occaſionem nactus Magiſter dubitat an vnus, & idẽ homo poſſit magis diligi à Deo in vno tempore, quam in alio. Cui dubitationi reſpondens dicit, hoc non eſſe poſſibile loquendo de eius eſſentiali dilectione, at ſi fiat ſermo de dilectione eius effectiua tunc, quin poſſit, nulli dubium erit. 2. Concl.

Tertia Concluſio. Deus ab æterno, ſimpliciter loquendo reprobos non dilexit. pro cuius explicatione quærit, An Deus reprobos ab æterno, quos præſciuit damnandos dilexit, vt puta an dilexit ab æterno Cayn, & Iudam, & reſpondet, quod ſicut de electis ſimpliciter eſt concedendum, quod Deus ab æterno eos dilexit; ita de reprobis ſimpliciter eſt concedendum, quòd Deus ab æterno 3. Con.

eos odio habuit, & reprobauit; & non eſt concedendum, quod eos ab æterno dilexerit, ita vt prædeſtinati fuiſſe exiſtimentur, at cum determinatione concedi poteſt, quod ab æterno eos dilexit, ſcilicet cum hac determinatione in quantum futuri erat eius opus, vel in quantum eis aliqua bona temporalia, vel etiam gratuita ad tempus confert. Et hæc de præſenti diſtin. circa quam mouet Scotus vnicam quæſtionem videlicet.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum Deus diligat ex charitate omnia æqualiter.

Amor vnde dicatur & quid ſit. *Plato.*

PRo explicatione tituli obſeruan. eſt primo, quòd amor Græce vocatur Eros, quod ſignificat deſiderium boni, aut pulchri; deduciturque ſecundum ſententiam Platonis à verbo quodam, quod ſignificat prædari, ſiue furari, eo quod res amata cor amantis deprædatur. Quamuis alijs placeat, quod deriuetur à verbo ſignificante vincere, & ligare, eo quod amor amantem vinciat, & liget. Et licet de nomine parum referat, an ab hoc, vel ab illo deriuetur, tamen circa amoris definitionem, eſt pluris difficultatis, quid ſit amor: nam varij vario modo explicant naturam amoris. Stoici enim dicebant, quòd amor eſt cupiditas boni, & pulchri. Academici autem docent, quod amor eſt deſiderium fruendi eo, quod quis iudicat bonum, & pulchrum. Alij autem definiunt, quod amor eſt impetus, & inclinatio ad id, quod pulchrum, & formoſum eſt. Theophraſtus ſentit amorem eſſe animi concupiſcentiam, quæ celerem habet ingreſſum, tardum verò regreſſum. Sanctus Auguſtinus docet, quod amor eſt principium omnium noſtrorum affectuum, & actionum, & habet clauem, & gubernaculum noſtræ voluntatis, quod nihil aliud eſt, quam prima immutatio, quæ in animo noſtro imprimitur de re appetibili, & deſiderabili, & ideo Græci vocant amorem Hymeros, quoniam impellit animum impulſu, & impetu ſuo, vt vehementer ad rem amatam deferatur. Tandem ſecundum alios amor eſt ignis quidam ardentiſſimus, qui tanto magis inflammatur, & ardet, quanto de re amata plus guſtamus. Propter quam cauſam Socrates ſcripſit amorem eſſe mortalem, & immortalem; iuuenem, & ſenem; rem nouam, & veterem.

Stoici. Academici. Theophr. D. Aug. Socrates.

Amor eſt triplex.

Secundò obſeruan. eſt, quod triplex eſt amor, quidam eſt amor naturalis, qui nihil aliud eſt, quam inclinatio quædam naturalis ipſius rei ad id, quod eſt ſibi conueniens ſecundum ſuam naturam, quomodo amoris impetu lapis mouetur deorſum, & ignis ſurſum. Alter eſt amor ſenſitiuus, qui eſt inclinatio in id, quod ſenſus iudicat eſſe bonum. Tertius eſt amor intellectualis, qui ſequitur iudicium rationis, & arbitrium. Eſt autem differentia inter hos tres amores; Nam amor naturalis conuenit omnibus rebus, & non eſt operatio, neque actus elicitus, ſed eſt determinatus ad vnum, & neceſſarius, & eodem modo ſemper ſe habens. Amor verò ſenſitiuus ſequitur formam præconceptam, & non prorumpit in actum, niſi præcedente cognitione, & eſt operatio, & actus elicitus. In brutis verò eſt varius, & inconſtans, vt patet in oue, quæ modo carpit hanc herbam, modo aliam, modo cupit bibere, modo comedere, nunc amat hoc, & ſtatim odit ex amore ſui. Amor intellectualis, qui ſequitur rationis arbitrium eſt actus elicitus, & operatio à voluntate progrediens, & eſt liber, quia ſequitur ex deliberatione, & conſultatione rationis.

D. Bonau.

Tertiò obſeruan. eſt, ex D. Bonauentura in prima Sen. diſt. in. 10. dubio 1. circa litteram Magiſtri, quod hæc tria amor, dilectio, & charitas differunt aliquo modo: Quamuis enim de vna, & eadem affectione poſſint dici; tamen alia, & alia ratione. Vnde Dionyſius, capit. quarto, de diuinis nominibus amorem mutuum dicit. Dilectio verò vltra hoc addit electionem, iuxta illud Cant. 5. Dilectus meus electus ex millibus. Charitas autem vltra iſta addit magnam appreciationem; charum enim dicitur illud, quod magni precij æſtimatur, iuxta illud Apoſtol. 2. ad Timot. primo, vbi vocat fideles chariſſimos, id eſt, magno precio habitos. Cæterum quamuis hæc differentia vera ſit, ſæpiſſime tamen apud Patres confunduntur iſta, vt conſtat ex eodem Dionyſio loco citato qui reprehendit eos, qui dicebant dilectionem eſſe illam, quæ procedit ex voluntate ordinata; amorem verò e. ea affectionem libidinoſam. Quod quidem eſt etiam contra Sanctũ Auguſt. ſuper Ioan. 20. Imò contra Canonem Sacræ Scripturæ. Nam Dominus ibidem primo quæſiuit à Petro, Simon Ioannis diligis me plus his? & poſtea dicit amas me? ex quo clare conſtat, quod pro eodem accipitur diligere, & amare, & ideo in titulo quæſtionis idem eſt quærere. An Deus diligat creaturas, vel an amet illas; atque ita Scotus aliquando loquitur in hac quæſt. de amore, & aliquando de dilectione Dei.

Amor dilectio, & charitas differunt. D. Diony. D. Aug.

Amor qd ſignificat.

Quartò obſeruan. eſt, quòd quamuis à principio hoc nomen amor impoſitum fuerit ad ſignificandam paſſionem appetitus ſenſitiui, tamen iam vſu ſapientium translatum eſt hoc nomen amoris ad ſignificandum primum, & immediatum actum voluntatis reſpectu boni, atque ita propriè eſt in Angelis, & Deo, vt docet S. Dionyſius, 4. cap. de diuinis nominibus. Vnde Deo non tribuitur amor, quatenus dicit paſſionem, ſed quatenus dicit actũ voluntatis. Eſt tamen differentia inter amorem Dei, & noſtrum; quod amor noſter ſupponit bonitatem in re amata, & eam appetit conſeruare, amor verò diuinus non ſupponit bonitatem in rebus amatis, ſed potius eſt cauſa bonitatis illarum. Vnde Deum amare aliquem eſt illi benefacere, & quia Deus omnibus benefacit, hinc eſt, quod dicitur diligere omnia, quamuis non omnia æqualiter diligat, vt dicemus in 4. art. quia non omnibus rebus æqualiter benefacit.

D. Diony. Differentia eſt inter amorẽ Dei & noſtrũ.

D. Bonau. Verba, quæ dicũtur de Deo ſunt in duplici differẽtia.

Quintò obſeruan. eſt, ex D. Bonauentura hac. diſt. art. 1. quæſt. 1. quòd verba, quæ dicuntur de Deo, ſunt in triplici differentia, quædam dicuntur de Deo reſpectu creaturæ, quæ connotant effectum in actu, ſicut verbum creandi. (Connotare autem eſt aliquid præter principale ſignificatum importare,) vt creare, quod ſignificat diuinam actionem, connotando effectum in actu. Vnde cum dicitur Deus creat, ſignum eſt, quod creatura eſt in actu; Quædam verò ſunt, quæ connotant effectum in habitu, vt prædeſtinare, quod ſignificat electionem Dei connotando effectum in habitu, id eſt, propoſitum conferendi gratiam, & gloriam prædeſtinato ſuo tempore. Cum enim dicitur Deus prædeſtinat, non denotatur prædeſtinatum eſſe in actu, ſed ſolum in habitu. Quædã quæ indifferenter dicuntur vtroque modo, velut eſt hoc verbum diligere, quod connotat vtrunque, & propoſitũ communicandi alicui bonum, & actualem communicationem, Nam cum dicitur Deus diligit creaturam, huiuſmodi locutio poteſt habere veritatem, vel pro creatura actu exiſtẽte, vel dumtaxat in habitu; Dicitur enim Deus aliquid diligere, vel quia actu communicat ei bonum, vel quia proponit communicare, & quoniam communicatio effectus eſt in tempore, propoſitum verò communicandi eſt ab æterno, hinc eſt, quod diligere dicitur de Deo interdum ab æterno, aliquando in tempore.

Totũ, qd. libet, & omne differunt.

Sextò obſeruan. eſt, quod hæc tria, totum, quodlibet, & omne, ex vi vocabuli differunt. Totum enim de rigore ſermonis propriè ſumitur reſpectu partium integralium; Nam cum dicitur totus homo moritur, non fit diſtributio pro partibus ſubiectiuis, ſed pro partibus integralibus alicuius ſingularis contenti ſub homine, nempe Petri, vel Ioannis. Quodlibet autem maximè eſt diſtributiuum reſpectu partium ſubiectiuarum non integraliũ. Nam cum dicitur, quodlibet animal currit, diſtribuit pro qualibet animalis ſpecie, nec reſpicit partes integrales,

eo quod

Digitized by Google

eo quod non ſolemus eo vti collectiue, ſed tantum diſtributiue. Omne etiam ſicut quodlibet ſolet magis aſpicere partes ſubiectiuas, quam integrales, & in hoc differt à toto; ſed aliquando ſumitur etiam collectiue, & in hoc differt, à quodlibet; Nam dicimus omnes Apoſtoli Chriſti ſunt 12. at non cõgrue dicitur, quilibet Apoſtoli Chriſti ſunt 12. Ceterum ſecundum Phil. 1. Cœli ad hoc, quod hoc ſignum omne verè poſſit poni in propoſitione, vel congrue poſſit addi termino communi in propoſitione oportet, quod ſint ad minus tria indiuidua ſub ſubiecto, pro quibus veritatem habeat propoſitio, vnde iſta non eſt vera, omnis homo currit, niſi tribus datis in curſu hominibus.

Diſtributio eſt duplex. Septimò obſer. eſt, quod hoc ſignum omnis aliquando diſtribuit pro generibus ſingulorum, vt in hac propoſitione, omne animal fuit in Arca Noè. Interdum verò pro ſingulis generum, ſicut cum dicitur, omnis homo eſt animal rationale, vel omnis ſubſtantia eſt ens, accipitur autem in titulo quæſt. provt diſtribuit pro ſingulis generum, & non ſolum pro generibus ſingulorum.

Charitas ẽ duplex. Octauò obſer. eſt, quòd charitas eſt duplex, ſcilicet creata, & increata. Charitas creata eſt habitus perficiens voluntatem, & inclinans eam ad diligendum finem propter ſe, & cætera propter finem. Increata verò eſt propriè eſſentia diuina, qua Deus formaliter diligit ſe, & alia; appropriatur autem Spiritui Sancto ex vi productionis ſuæ: quippe, qui per modum amoris à patre filioque procedit.

Aliquid diligi ex charitate dupliciter cõtingit. Nonò obſeruan. eſt, quòd aliquid ex charitate diligi dupliciter intelligi poteſt, provt illa præpoſitio, ex, dupliciter accipi poteſt, vno modo vt tantum dicat principium motiuum, & productiuum omnium rerum, & tunc facit hunc ſenſum, Deus diligit omnia ex charitate, id eſt, charitas Dei eſt principium, quod mouet Deum ad diligendum, & producendum omnia: & ſic eſt vera illa propoſitio; quia quicquid Deus facit ex charitate, & propter charitatem facit. Altero modo poteſt ſummi illa præpoſitio, ex, vt non ſolum dicat principium motiuum, & productiuum; ſed etiam principium exemplare; & hoc modo Deus non diligit omnia ex charitate: quia non omnibus communicat charitatem creatam, cuius illa charitas Dei increata eſt exemplar: charitas enim Dei non ſolum eſt principium motiuum, & productiuum, ſed etiam eſt exemplar noſtræ charitatis, & quia non omnibus infundit charitatem, ideo non omnia ex charitate diligit, tanquam ex exemplari charitatis, ſed tantum homines, & angelos, qui ſunt capaces charitatis; ex hoc ſequitur, quod in Deo idem ſunt amor, dilectio, & charitas; quia Deus omnia facit ex amore, ex dilectione, & ex charitate tamquam ex principio motiuo, & productiuo omnium. Verum etſi propriè loquendo Deus dicatur omnia diligere, & amare, quia omnibus cõmunicat aliquod bonum naturale; non dicitur tamen ex charitate diligere omnia, nec habere charitatem ad omnia, niſi erga homines, & angelos, quibus illam communicat, qui ſunt capaces charitatis, & poſſunt Deum redamare, quos enim Deus ex charitate diligit, amore amicitiæ diligit, charitas enim eſt amor amicitiæ.

Vel dicatis, quod aliquid ex charitate diligi biſariam intelligi poteſt, vno modo preſſe, vt idem eſt, quod diligere ex gratia tamquam amicum, in beatitudine ſecum communicatiuum; altero modo fuſe pro omni diligere ad quod charitas inclinat, qualis eſt omnis dilectio meritoria; Quod poteſt etiam ſuo modo ad propoſitum applicari, vt dicatur Deus ex charitate diligere, vel quia diligit, vt amicum, qui charitatis eſt capax, & amicitiæ, vel ex charitate, quæ eſt principium boni voliti creaturæ. Priori modo Deus tantum creaturas rationales, Deum potentes redamare, ex charitate diligit; Poſteriori modo diligit etiam creaturas irrationales, diligere haud valentes.

Diligere æqualiter aliqua bifariã contingit. Decimò obſeruand. eſt, quòd diligere aliqua æqualiter dupliciter intelligi poteſt; quia illud æqualiter, vel refertur ad bona volita, atque ita æqualiter diliguntur aliqua, quibus æqualia bona tribuuntur, vel refertur ad actum diligendi, id eſt, ad actum, quo voluntas vult formaliter alicui bonum, atque ita æqualiter diliguntur, quæ eodem actu, vel actibus æque intenſis, & eodem ordine diliguntur. dixi eodem ordine; quia licet interdum eodẽ actu diligatur aliquod medium propter finem, non tamen æqualiter diligitur tali actu medium, & finis, quia non eodem ordine diliguntur, quia vnum propter aliud, & alterum propter ſeipſum diligitur; eſtq; ibi ordo quidam non temporis, neque perfectionis actus ad actum; quia vnicus actus eſt, ſed eſt ordo cuiuſdam principalitatis, & appreciationis, quo illud dicitur prius diligi, quod principaliter diligitur, ſiue, quod magis appreciatur, aut propter quod aliud diligitur. Illud verò poſterius diligitur, quod minus principaliter, & non propter ſe diligitur. Ex his patet titulus quæſtionis, cuius reſolutio eſt, quod Deus formaliter loquendo, ſcilicet, quoad actum diligendi, omni æqualiter diligit. Diuiditur autem hæc quæſt. in ſequentes articulos.

Art. 1. Vtrum Deus diligat omnia.
Art. 2. Vtrum Deus diligat omnia ex charitate.
Art. 3. Vtrum actus diligendi, quo Deus diligit, & omnia alia, ſit proprius alicui perſonæ diuinæ.
Art 4. Vtrum Deus æqualiter diligat omnia.

ARTICVLVS I.

Vtrum Deus diligat omnia.

HÆc quæſtio ſupponit in Deo eſſe amorem. Certum eſt enim ex ſcripturis ſacris Deum diligere creaturas, quæ etiam ab eo actu Deũ ipſum charitatem appellant 1. Ioan. 4. Vnde obſer. eſt, quòd inter paſſiones animi, ſeu voluntatis affectus, quidam ſine cõtrouerſia Deo non conueniunt. Vt deſiderium, & fuga quatenus ad proprium bonum referuntur non reperiuntur in Deo, cum habeat omne bonum, & nullum ſit ei futurum. dixi, vt ad proprium bonum refertur, quia ſi comparentur deſiderium, & fuga bono, & malo aliorum; ſic vterque affectus poteſt Deo tribui. Nobis enim ardenter deſiderat bonum, hoc eſt, vt iuſte, & pie viuamus, & fugit oppoſitum, ſcilicet ſceleratam, & flagitioſam vitam, quam in nobis videt futuram. Deſideriũ & fuga, quo pacto sũt in Deo.

Item ſpes, & deſperatio nullo modo Deo conueniunt, tum quia ſecundum aliquos ſpes eſt circa arduum, & difficile, Deo autem nihil eſt huiuſmodi; tum quia ſpes non eſt circa id, quod euidenter cognoſcitur eſſe futurum; Vt enim ait D. Paulus ad Rom. 8. Spes autem, quæ videtur non eſt ſpes. Nam quod videt quis, quid ſperat? ſi autem quod non videmus ſperamus per patientiam expectamus. Deus autẽ euidenter nouit omne futurum. Tum demum, quia ſpes reſpicit illum, à quo res aliqua ſperatur tamquam ſuperiorem, & potentiorem, qui poſſit præſtare id, quod ſperatur; Deus autem nullum huiuſmodi reſpicere poteſt. Spes, & deſperatio non ſunt in Deo.

Tertiò timor, & triſtitia non reperiuntur in Deo, hæ namque paſſiones ſunt circa malum proprium, timor circa malum futurum, quod aliquo modo creditur, aut dubitatur futurum, triſtitia verò circa malum præſens. Et quamuis timor etiam, & triſtitia eſſe poſſit de malo proximi ex amore, & charitate erga illum: In Deo tamen adhuc hoc modo eſſe non poteſt, eo quod in nobis timor, & triſtitia etiamſi ſint de malo amici futuro, aut præſenti; ſunt tamen de illo ita apprehenſo, ac ſi eſſet proprium, ac proinde talis naturæ in nobis eſt, vt etiã paſſionem appetitus excitet, & moueat. Deo autem, quãuis diſpliceat malum noſtrum futurum, aut præſens; nunquam tamen ipſe apprehendit illud, ac ſi proprium eſſet, quod videtur neceſſarium ad rationem timoris, & triſtitiæ de bono amici. Diximus autem in Deo eſſe deſiderium de bono noſtro futuro, & fugam de malo; quia ad rationem horum affectuum neceſſarium non eſt bonum aut malum, vt proprium apprehendi. Inter timorem etiã, & fugam futuri mali hoc eſt diſcrimen, quod fuga eſſe poteſt de malo, quod apprehenditur, vt futurum, licet non credatur futurum; timor autem eſſe debet de malo futuro, quod creditur eſſe futurum. Timor, & triſtitia nõ competũt Deo. Diſcrimen timoris, & fugæ.

Secundò obſeruan. eſt, quòd affectus, qui nullam in ſua ratione formali imperfectione n includunt Deo ſine controuerſia tribuuntur, talis eſt ſecundum omnium ſen-

Amor qd ſit. tentiam amor, qui formaliter ſolum eſt affectus, quo volumus alicui bonum non conſiderata ratione futuri, neque præſentis; ſed rem ſolum ſecundum ſe conſiderando, qui quamuis eſſentialiter in omni affectu proſecutionis quodammodo includatur, per ſe tamen poteſt eſſe actus re ipſa diſtinctus ab omnibus alijs, quatenus tendit in rem ſecundum ſe abſtractam à præſenti, & futu-

Competit Deo. ra; Hic igitur non minus Deo tribuendus eſt, quam ratio voluntatis, & intellectus; Nam ex ſententia Ariſt.

Ariſt. 2. Rethor. c. 4. Amare eſt velle alicui bonum, & complacentiam illius habere; ergo amare non minus propriè Deo conuenit, quam velle.

Amor eſt duplex. Tertiò obſeruan. eſt, quòd in Deo duplex poteſt conſiderari amor, vnus qui dicitur amor ſimplicis complacentiæ, & alius, qui dicitur amor efficax.

Quartò obſeruan. eſt, quòd cum Deum aliquid diligere non ſit aliud, quam ipſum illi aliquod bonum velle, & bonum ſit duplex, videlicet naturale, quo quodlibet ens creatum eſt formaliter id, quod eſt; & ſupernaturale, ſcilicet bonum gratiæ, & gloriæ, cuius boni ſupernaturalis non eſt capax niſi natura rationalis, ſequitur, qd Deum aliquid diligere poteſt dupliciter intelligi; Vno

Deum aliquid diligere duobus modis poteſt intelligi. modo, quia vult ipſum exiſtere aliquod bonum naturale, quo eſt formaliter id, quod eſt. Alio modo dicitur aliquid diligere, quia vult illi bonum ſupernaturale prædictum, quomodo non poteſt diligere niſi naturam intellectualem. Non enim poteſt velle alicui, quod ipſi impoſſibile eſt; ſed huiuſmodi ſupernaturale bonum eſt impoſſibile cuicunque creaturæ, niſi ſoli intellectuali; Ipſa enim ſola, & nulla alia eſt capax Dei, atque adeo ſola ipſa eſt diligibilis à Deo iſto modo.

1. Concl. His obſeruatis ſit prima Cõcluſio. Deus omnia diligit. Hæc concluſio eſt de fide, vt patet ex illo Sap. 2. Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti, eorum quæ feciſti, & probatur ab Scoto hac ratione, Deus eſt formaliter intelligens, & volens; ergo eſt beatificabilis, antecedens modo ſupponitur ex diſtin. 2. quæſt. 1. lib. 1. vbi probatur à Scoto quatuor rationibus, & quod ſit formaliter volens patet: quia eſſe volentem eſt perfectio ſimpliciter, ſed omnis perfectio ſimpliciter eſt formaliter in Deo; ergo &c. probatur maior. Quia in omnibus diuidentibus ens membrum nobilius diuidens ens dicit perfectionem ſimpliciter; ens autem diuiditur per voluntarium, & inuoluntarium, id eſt, per ens habens voluntatem, & non habens voluntatem, & nobilius membrum eſt voluntarium; ergo eſſe voluntarium eſt perfectio ſimpliciter.

Probatur modo conſequentia, quia ſola natura intellectualis eſt beatificabilis, vt probatur à Scoto in 4. diſt. 49. quæſt. 8. rurſus Deus eſt beatificabilis; ergo eſt actu beatus; probo conſequentiam, quia in Deo quicquid poteſt eſſe, ineſt actu neceſſario, & in vltima actualitate; ergo ſi Deus eſt beatificabilis neceſſario eſt actu beatus. Tunc vltra non poteſt eſſe beatus niſi intelligendo, & volendo, ſeu diligendo; ergo Deus amat ſe; antecedens patet, quia ſolus Deus eſt obiectum beatificans, conſiſtit enim beatitudo in fruitione Deitatis.

Et quod Deus diligat non ſolum ſe, ſed omnia probatur ex hoc, quod Deus intelligit ſe, & eius intellectio eſt formaliter infinita, ſequitur concomitanter, quod ſit omnium intelligibilium, vt docet Doct. in 1. diſtin. 2. quæſt. 1. ergo etiam ſequitur, quod ex quo Deus diligit ſe, & eius dilectio eſt formaliter infinita, quòd concomitanter ſit omnium diligibilium, atque ita ſicut Deus intelligendo ſe infinite intelligit ſe, & omnia alia à ſe; ita diligendo ſe infinite diligit ſe, & omnia alia à ſe.

1. Difficul. Sed circa hanc rationem Doct. ſunt duæ difficultates, prima eſt circa illa verba; non præcedit in eo potentia actum, quia tunc eſſet imperfectus. Contra. Potentia, quæ poteſt producere Antichriſtum, diſtat ab actu; ergo eſt imperfecta; ergo Deus eſt imperfectus. Dicatis

Solutio. quod non eſt ſimile, quando comparatur ad ea, quæ ſunt extra, & quando comparatur ad ea, quæ ei conueniunt ad intra, prima enim comparatio eſt libera, & contingens; Secunda verò eſt neceſſaria, atque adeo ſi in comparatione eorum, quæ ei conueniunt ad intra potentia diſtaret ab actu, eſſet imperfecta, quia quicquid poteſt eſſe in Deo ad intra de neceſſitate eſt ibi.

Secunda difficultas eſt circa iſta verba. In omnibus 2. Difficul.
diuidentibus ens nobilius diuidens eſt perfectio ſimpliciter &c. Contra ex hoc videtur ſequi, quod intellectus diuinus nõ ſit perfectio ſimpliciter, quia non eſt potentia libera. Si enim diuidatur ens per naturale, & liberum, intellectus eſt potentia naturalis, voluntas verò libera, & cum liberum ſit nobilius naturali, ſequitur, quòd intellectus diuinus non ſit perfectio ſimpliciter. Solutio.

Dico, quòd quando ens diuiditur per voluntarium, & inuoluntarium, vel per naturale, & liberum, membra diuidentia accipiuntur pro ente, cui competit voluntarium, ſeu liberum, vt ſunt Deus, angelus, & homo, & non accipitur pro ſola potentia volitiua. Per naturale verò, & inuoluntarium accipitur natura non intellectualis. Obſeruan. eſt tamen, quod licet dilectio Dei in ſe ſit formaliter perfectio ſimpliciter, quia eſt formaliter infinita, tamen reſpectus ille, quo tranſit ſuper aliud obiectum diligendo illud, non poteſt dici perfectio ſimpliciter formaliter loquendo, ſed eſt tantum perfectionis ſimpliciter; Aliud enim eſt aliquid eſſe perfectionis ſimpliciter, & aliud eſt eſſe perfectio ſimpliciter, & quid per vtrumque importetur, vide Doct. in quol. q. 1. art. 1.

Secunda Concluſio. Deus amore ſimplicis complacen- 2. Concl.
tiæ ab æterno diligit omnia diligibilia, vel entia; non ſolum ea, quæ aliquando fuerunt, vel ſunt, vel erunt in actu, ſed omnia poſſibilia. probatur, Deus ab æterno intellexit omnia talia perfecte per rationem ſuæ eſſentiæ, quantum ad entitates ſimplices ipſorum; ergo voluntas ſua complacuit in ipſis eadem ratione qua dilexit ſuam eſſentiam; nam talia eminenter, & perfectionaliter continentur in diuina eſſentia, atque ita diligendo ſuam eſſentiam placuit ſibi bonum conueniens omni creaturæ poſſibili, ac proinde dilexit eam. Quod autem ſic creaturam ab æterno dilexerit, ex eo patet, quia in ipſo ab æterno eſt actus diligendi, qui non poteſt eſſe de nouo alicuius obiecti, cum Deus ſit immutabilis; mutabilis autem eſſet, vt docet Doct. in primo diſtin. 8. quæſt. vlt. & in 2. diſtin. 1. quæſt. ſecunda ſi modo diligeret aliquid, quod prius non dilexiſſet. Dilexit ergo omnia ab æterno, volendo eis bonum, atque ita complacendo in bono eorum. Non dilexit tamen omnia pro æterno, quantum ad bonum reale ipſorum: quia non complacuit ſibi talem bonitatem realem, vel tale bonum reale eſſe ab æterno, vel pro æterno, ſicut nec aliquid aliud ab ipſo eſt æternum, vel ab æterno in eſſe reali: Cæterum quantum ad bonitatem ſecundum quid, vel entitatem ſecundum quid, etiam omnia dilexit ab æterno, & pro æterno, quia omnia ab æterno, & pro æterno habent entitatem, & bonitatem ſecundum quid, & complacuit Deo, & voluit, quod illa ſic ſe haberent.

Tertia Concluſio. Deus non dilexit omnia ab æter- 3. Concl.
no amore efficaci, ſed illa ſolum, quæ diſpoſuit futura, & fore bona bonitate reali pro aliqua differentia temporis; probatur, quia reſpectu talium præciſe dicitur eſſe amor efficax, qui eſt amor diuinus, quo voluit efficaciter res ipſas produci in eſſe reali, & voluit hoc ab æterno, licet non voluerit eas producere, vel produci pro æterno, ſed in tempore.

Quarta Concluſio. Deus (ſumendo diligere primo 4. Concl.
modo iuxta quartum notabile) diligit omnes tam electos, quam reprobos. probatur, quia cum Deum diligere creaturam, non ſit aliud quam illi aliquod bonum velle; ergo omne illud diligit, cui bonum appetit, ſeu vult, ſed Deus cuicunque creaturæ bonum naturæ, quod eſt, quo formaliter eſt, vult, quod quidem bonum ipſi contulit, quod nec exiſteret niſi vellet; ergo &c.

Quinta Concluſio. Sumendo diligere ſecundo modo 5. Concl.
iuxta idem notabile. Deus præciſe diligit electos. probatur, quoniam ſolos illos dicitur diligere illo modo, quibus vult bonum ſupernaturale gratiæ & gloriæ; ſed ſolis electis vult bonum huiuſmodi perfectum, quod addo propter paruulos ſolo originali peccato damnatos, quibus & ſi vult aliquam gloriam ſeu complacentiam non

tamen

Digitized by Google

tamen perfectam in viſione, & fruitione ſuæ diuinæ eſſentiæ conſiſtentem, ergo &c. Et hoc modo dicitur communiter in ſcriptura, quod Deus peccatores non diligit, ſed odit: quia videlicet non vult eis bonum gratiæ, & gloriæ, & vult etiam malum pœnæ; vt autem non vult gratiam, & gloriam dicitur non diligere, vt verò vult eis pœnam, dicitur odiſſe, cum hoc tamen ſtat, quod primo modo videlicet, vt vult eis illud bonum, quod ſunt exiſtere, quod ſi vellet poſſet deſtruere, dicitur eos diligere; & hoc eſt quod dicit D. Anſelmus in lib. Meditationum, vbi ita ſcribit. Conſidera anima mea quantum debeat Deo tota ſubſtantia mea. Certè Deus quia feciſti me, debeo amori tuo me ipſum totum; imò tanto debeo amori tuo, pluſquam me ipſum totum, quanto tu es maior me. Itē Bernardus in libro de diligendo Deum. Si totum me debeo pro me facto, quid addam iam pro me refecto? Sed contra primam concluſionem arguitur. Si Deus poteſt ſimul diligere omnia alia à ſe, ergo ſimul diligit contraria. conſequentia probatur, quia vtrumque contrariorum eſt diligibile.

D. Anſel. *D. Bernar.*

Præterea Amor, vt dicit Hugo de Sancto Victore transformat amantem in amatum, & quanto perfectior eſt amor, tanto magis conformat vnum alteri; cum ergo amor Dei ſit perfectiſſimus, nihil diligit, niſi quod eſt ei conformabile per ſe, hoc autem non eſt niſi creatura rationalis, quæ facta eſt ad imaginem ſuam; ergo videtur, quod Deus non diligat omnem creaturam, ſed ſolum rationalem.

Hugo.

Contra quartam Concluſionem arguitur, & videtur quod non diligat omnem creaturam rationalem, Quia quidam ſunt reprobi, & quidam electi, quidam boni, & quidam mali, ſed impios, & reprobos Deus non diligit iuxta illud Malachiæ 1. Iacob dilexi, Eſau autem odio habui, & Sap. 14. ſimiliter abominabilis eſt Deo impius, & impietas eius; ſi ergo Deus non diligit impietatem, videtur quod non diligat impios, atque adeo non diligit omnes, & ſingulos.

Præterea videtur, quod quinta Concluſio contradicat quartæ: Nam in quarta dicitur, quòd Deus diligit omnes tam iuſtos quam peccatores, & in quinta quòd præciſe diligit iuſtos, ergo videtur quod ſimul diligat iuſtum, & odiat peccatorem, atque adeo contraria, imò contradictoria eſſent ſimul, ſcilicet amor, & odium; diligere & non diligere; Et ſi dicas, quod non ſunt contraria niſi reſpectu eiuſdem, modo in peccatore Deus diligit naturam, & odit culpam; Contra ſequeretur, quòd ſaltem in Deo eſſet mutatio ſi, Verbi gratia, Deus modo diligat iuſtum, quando eſt in gratia, & poſtea odio habeat eumdem, quando eſt in peccato, ergo iam Deus mutaretur ab amore ad odium.

Scotus. Ad primum dico cum Scoto in hac quæſt. ſub litt. B. §. Hæc concluſio eſt concedenda, &c. diſtinguendo conſequens, diligere ſimul contraria poteſt intelligi dupliciter, vel in ſe ipſis vt duæ naturæ ſunt, Verbi gratia, album, & nigrum, ſecundo modo diligere duo contraria eſſe ſimul in vno eodemque ſuſceptiuo; primo modo Deus diligit ſimul contraria, quia vnus actus diuinæ dilectionis ſine ſui mutatione tranſit in diuerſa, & oppoſita obiecta: ſecundo modo non diligit Deus contraria, quia impoſſibile eſt quod duo contraria ſint ſimul in eodem, & ſic talis ſimultas contrariorum non eſt diligibilis.

Alex. de Ales. Ad ſecundum Reſpondet primo Alex. de Ales. 1. par. quæſt. 31. m. 4. quòd illa authoritas Hugonis, ea eſt vis amoris &c. propriè intelligitur vbi amans eſt minus nobile amato, vel ſimpliciter vel ſecundum quid, ſicut eſt in hominibus, aliquis enim homo amans aliud, quamuis ſit minus nobile ſimpliciter ſicut eſt nummus, vel aliquid tale; tamen in eo quod illud affectat, & circa illud afficitur ſupponit ſe ipſum amato, & ſic quodammodo transformatur in illud, ſic autem non eſt in Deo, vnde non oportet, quod transformetur in amatum.

Secundo reſpondet idem Alex. quod verbum Hugonis intelligitur de dilectione, quæ eſt affectio, non de illa, quæ eſt voluntas boni, qualis eſt dilectio Dei; amor enim qui eſt affectio transformat quodammodo amantem in amatum. Quam reſponſionem explicans D. Bonauentura hac diſt. artic. 1. quæſt. 2. ad ſecundum dicit, quòd dictum Hugonis intelligitur de amore affectionis, quo amans tendit in amatum, & trahitur ab illo; ſed non eſt verum de amore diuino, quo Deus trahit, & inclinat rem amatam in ſe ipſum: Quia amor diuinus habet hanc proprietatem, quod conformat, & aſſimilat ipſa amata Deo amanti; Et quia duplex eſt aſſimilatio ad Deum ratione veſtigij, & ratione imaginis; Ideo Deus per generalem dilectionem aſſimilat omnia ſibi, quia omnia ſunt veſtigium Dei; per ſpecialem autem dilectionem charitatis Deus aſſimilat ſibi homines in ratione imaginis viuæ, & illos ſibi vnit, & transformat per charitatem vnione maxima ſecundum quam Deus manet in homine, & homo in Deo.

D. Bonau.

Sanctus Thomas 1. par. quæſt. 20. artic. 2. ad primum, reſpondet huic argumento ex Dionyſio cap. 4. de diuinis nominibus; vbi dicit, quod Amor amantem extra ſe ponit, & eum quodammodo in amatū transfert, quod Deo conuenire non poteſt. Reſpondet inquam S. Thomas, quòd amans ſic fit extra ſe in amatum translatum, in quantum vult amato bonum, & operatur per ſuam prouidentiam, ſicut & ſibi. Vnde dicit ibidem Dionyſius. Audēdum eſt & hoc pro veritate dicere, quod ipſe Deus omnium cauſa per abundantiam amatiuæ bonitatis extra ſe fit ad omnia exiſtentia prouidentis; Vbi docet S. Thomas, quòd Deus ita extra ſe fieri dicitur, & in amatum transferri, in quantum confert aliquod bonum amato, & illud per ſuam prouidentiam gubernat, & ad ſe trahit, at quia Deus cuilibet creaturæ aliquod bonum confert, omneſque gubernat, ſequitur quod omnes diligit creaturas.

D. Thom. *D. Dionyſ.*

Ad tertium concedo, quòd Deus malos, & reprobos non diligit dilectione ſpeciali, de qua eſt ſermo in quinta concluſione, quia non habent gratiam, ſed potius odit illos propter culpam, quam habent, diligit tamen illos dilectione generandi, de qua eſt ſermo in quarta concluſione, ſcilicet quo ad bona naturæ. Nam vt docet Sanctus Thomas loco ſupracitato, ad quartum, nihil prohibet vnum, & idem ſecundum aliquid amari, & ſecundum aliquid odio haberi, Deus autem peccatores in quantum ſunt naturæ quædam amat, ſic enim ſunt, & ab ipſo ſunt. In quantum verò peccatores ſunt non ſunt, ſed ab eſſe deficiunt, & hoc in eis à Deo non eſt. Vnde ſecundum hoc ab ipſo odio habentur. Idem dicit Richard. in 3. diſt. 32. art. 1. quæſt. 1. ad primum, quòd Deus in reprobis diligit naturam, & odit culpam.

D. Thom. *Richard.*

Et per hoc patet reſponſio ad quartum. Nam odium, & amor de eodem ſubiecto ſub diuerſis rationibus poſſunt eſſe in eodem, quia non ſunt contraria, Deus enim diligit naturam Petri, & odit culpam ipſius. Et ad replicam dico breuiter, quòd etiamſi Deus modo diligat iuſtum, quem poſtea peccatorem odit, vel è contra, nulla eſt mutatio in Deo, ſed in creatura, quæ mutatur ex gratia in culpam, ſicuti ſi aliquis vnica viſione videret cuncta, quæ corā ſe ſunt illuminata, videretque modo vnum, modo alterum tranſeuntem, nullam poneret in vidente mutationem, ſed in re viſa. Ita amor diuinus æternus, & vnus actus eſt, ſub quo continetur omne bonum, & magis bonum magis diligitur. Vnde non eſſe ſub illo actu, & poſtea eſſe; vel auerti ab illo, & poſtea redire, quo ad amorem vel non amorem, vel odium ſpectat, nullam ponit in Deo mutationem, ſed in rebus mutatis, eodem enim actu quo diligit te cum es in gratia, odit te cum es in peccato, atque ita non mutatur Deus, ſed tu.

ARTICVLVS II.

Vtrum Deus diligat omnia ex charitate.

RAtio dubitandi eſt; quia videtur, quod Deus nihil ex charitate diligat, atque adeo non diligit omnia ex charitate. conſequentia eſt de ſe nota, & antecedens probatur. In Deo non eſt ponendus habitus charitatis; ergo Deus nihil ex charitate diligit. probatur antecedens, potentia ex ſe perfectiſſima, qualis eſt diuina voluntas, non indiget habitu, habitus enim non eſt

perfectio

Digitized by Google

perfectio niſi potentiæ ex ſe imperfectæ, quæ nō eſt ſuus actus, ſed voluntas Dei eſt ex ſe perfectiſſima, & eſt eſſentialiter ſuus actus, ergo &c.

Prætereа non omnia ſunt ex charitate diligibilia; ergo Deus non diligit omnia ex charitate, antecedens patet, quia diligere ex charitate, eſt diligere ad beatitudinem; modo inanimata, & irrationabilia non ſunt capacia beatitudinis, ergo &c.

Item diligere ex charitate eſt diligere amore amicitiæ, ſed Deus creaturas irrationales non diligit amore amicitiæ; ergo non diligit illas ex charitate; Maior patet, quia charitas eſt amicitia, vt diximus ſupra. Minor probatur authoritate Philoſ. 8. Ethic. cap. 2. dicentis. Inanimatorum amor non dicitur amicitia.

Richard.

De hac re, vt notat Richard. hac diſt. art. 1. q. 1. ad ſecundum eſt triplex ſententia. Prima eſt eorum qui dicunt, quod large accipiendo amorem cōcupiſcentiæ, quæ eſt non tantum reſpectu rei, quam amans vult ſibi, ſed etiam reſpectu rei, quam vult amico; poteſt dici quod Deus diligit creaturas inanimatas amore concupiſcentiæ; non quia vellet eas ſibi, ſed quia vult eas habere illam bonitatem, quam habent propter electos.

Secunda opinio eſt aliorum, qui dicunt, quòd Deus diligit creaturas inanimes amore concupiſcentiæ non propter dictam rationem, ſed quia Deus vult eas habere bonitatem, quam habent ad ſuæ potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis manifeſtationem.

Tertia opinio eſt ipſius Richardi, qui tenet, quod propriè loquendo ille amor, quo Deus amat inanimata, nec eſt amor concupiſcentiæ, nec amicitiæ; non quidem concupiſcentiæ, quia Deus nullum bonum creatum optat, neque indiget vlla creatura: nec amor amicitiæ, quia inanimatorum amor non dicitur amicitia; vt docet Philoſ. 8. Ethic. cap. 2.

D. Thom.

D. Thomas in 1. par. quæſt. 20. art. 2. ad 3. tenet, quod Deus amat creaturas rationales amore amicitiæ, irrationales verò amore concupiſcentiæ.

S. Bonau.

S. Bonauentura, in hoc 3. diſt. 32. art. 1. quæſt. 2. in ſolutione ad primum, & ſecundum, idem videtur ſentire cum S. Thoma, quia dicit, quod Deus diligit creaturas rationales ex charitate exemplari; quia communicat illis charitatem creatam, per quam vnit, & conformat illas ſibi; reliquas verò creaturas diligit ex charitate: quia charitas Dei eſt principium boni voliti creaturæ. Idem ſentit Doct. noſter ſub. in hac quæſt. ad ſecundum.

Scotus.

Amicitia addit aliquid ad amorem.

Pro ſolutione huius dubij obſeruandum eſt primo; quod amicitia addit aliquid ſupra amorem, quia ad rationem amoris ſufficit, quod homo velit aliquod bonum alicui; ad rationem autem amicitiæ oportet, quod aliquis velit ei hoc bonum, quod vult ſibi, videlicet velit conuerſari cum ipſo, & conuenire cum illis, quos maxime amat. Vnde amicitia non eſt niſi cum illis, in quibus contingit eſſe redamationem, & communicationem in operibus vitæ æternæ; & quibus contingit bene euenire, vel male ſecundum fortunam, & fœlicitatem. Denique cum illis poteſt eſſe amicitia ad quos propriè eſt beneuolentia; nam amor beneuolentiæ eſt inchoatio quædam amicitiæ, vt docet Ariſt. 9. Ethic. cap. 5. vt ſunt creaturæ rationales, quæ poſſunt Deum redamare, & communicare cum illo in bono intellectuali æternæ vitæ. Differt autem beneuolentia ab amore amicitiæ; quia amor poteſt eſſe ex altera parte tantum circa illum, cum quo amicitia conciliari poteſt; at amicitia eſt mutuus amor vtrinque notus, & beneficijs confirmatus, ſicut tradit Ariſt. nono Ethicor. cap. 5.

Beneuolētia differt ab amicitia.

Amor duplex amicitiæ, & concupiſcentiæ.

Secundo obſeruandum eſt, quod vt conſtat ex Ariſt. 8. Ethic. capitulo ſecundo, amor diuiditur in amorē amicitiæ, & amorem concupiſcentiæ; Nam cum amare ſit velle alicui bonum, motus amoris poteſt tendere vel in bonum, quod quis vult alteri, vel in illum, cui vult illud bonum: quando quis amat bonum, quod vult alteri, dicitur amor concupiſcentiæ; amor verò qui fertur in illum, cui vult bonum, dicitur amor amicitiæ; Nam id quod amatur amore concupiſcentiæ, amatur propter aliud, ſi illud verò quod amatur amore amicitiæ, amatur propter ſe; vt ſiquis vellet dare amico pecunias, amicum diligit amore amicitiæ propter ſe; pecunias verò diligit amore concupiſcentiæ, propter amicum.

In Deo eſt amor amicitiæ, & concupiſcentiæ.

Tertio obſeruandum eſt, quòd cum in eodem actu amoris Dei ſit duplex reſpectus alter ad rem, cui vult bonum, & alter ad bonum ipſum quod vult; ratione prioris dicitur amor amicitiæ, ratione verò poſterioris dicitur amor concupiſcentiæ; non quidem duplex actus amoris, ſed in eodem actu duplex amoris reſpectus ſequitur, quòd duplex hic amor Deo etiam conueniat; ſiquidem integra ratio amoris Deo conuenit. Cæterum difficultas eſt, vtrum amor Dei quatenus dicitur amicitiæ referri poſſit ad creaturas irrationales, an ſolum quatenus eſt amor concupiſcentiæ ad eas terminetur; Et ratio dubitationis eſt: Quoniam illud dicitur amore amicitiæ per ſe amari, cui volumus bonum, vt bonum ipſius eſt; creaturæ autem irrationali vult Deus bonum, vt bonum illius eſt, ergo diligit eam amore amicitiæ.

Aliquid ex charitate diligi cōtingit dupliciter.

Quarto obſeruandum eſt, vt etiam diximus in explicatione tituli quæſt. notabili nono, quod aliquid ex charitate diligi ſumitur dupliciter, vno modo preſſe ſecundum deſcriptionem obiecti charitatis, quę eſt talis obiectum adæquatum charitatis eſt Deus, & omne quod Deus vult à nobis propter ſe diligi, natum participare Deum beatifice de potentia ordinata. In qua deſcriptione ponitur Deus, vt obiectum principale, & primarium charitatis, quod ſolum propter ſe diligitur tamquam finis vltimus, & ſummum diligibile, & in eo quod ſubditur, & omne quod Deus vult propter ſe diligi, tangũtur obiecta ſecundaria, vt creaturæ rationales, quę non propter ſe finaliter, ſed propter Deum principaliter ſunt diligendæ, & in illo quod ſubiungitur, natum participare Deum beatifice de potentia ordinata, excluduntur creaturæ irrationales, quæ non ſunt capaces beatitudinis, & dæmones, & damnati, qui de potentia Dei ordinaria nunquā erunt beatitudinis participes, & hoc modo diligi ex charitate, eſt aliquid diligi ex gratia tanquam amicum ſecum in beatitudine communicaturum. Secundo modo accipitur fuſe pro omni diligere ad quod charitas inclinat, qualis eſt omnis dilectio meritoria, atq; ita poteſt dici, quòd Deus altero illorum modorum creaturam aliquam ex charitate diligat, videlicet, vel quia diligit vt amicum, qui eſt capax charitatis, & amicitiæ, vel ex charitate, quę eſt principium boni voliti creaturę.

His obſeruatis ſit prima Concluſio. Deus dicitur amare creaturas rationales amore amicitiæ. Probatur: quia homo eſt amicus Dei, quia amat Deum per charitatem, ſed charitas eſt amicitia inter Deum, & hominem, ergo homo eſt amicus Dei, & Deus amicus hominis, atq; adeo amat hominem amore amicitiæ. Preterea amicitia dicit relationem mutuam, vt in vtroque ſit charitas in dilecto, & in diligēte, ſed, inter Deum, & hominem eſt mutua charitas, quia homo poteſt redamare Deum, ergo eſt amor amicitiæ. Deinde inter Deum, & hominē eſt communicatio in eiſdem bonis vitæ æternę; homo enim eſt capax beatitudinis, ergo Deus diligit homines amore amicitiæ, & quod de hominibus dixi de Angelis beatis intelligatis. 1. Concl.

Secunda Concluſio. Deus diligit ſolas rationales creaturas ex charitate primo modo iuxta quartum notabile, hęc concluſio eſt Scoti in hac quęſt. ad ſecundum ſicut & pręcedens. probatur, diligere ex charitate eſt diligere ad beatitudinem, vel reſpectu beatitudinis, ſed ſic eſt quod ſolas creaturas rationales Deus diligit hoc modo; certum eſt enim quod ſolis creaturis rationabilibus Deus poteſt velle virtutem, & bonos actus, non autem creaturis irrationabilibus: quia Deus non poteſt velle alicui, quod eſt ei impoſſibile, ergo Deus non poteſt diligere ex charitate primo modo niſi creaturas rationales. 2. Concl.

Tertia Concluſio. Deus creaturas irrationales non diligit amore amicitię. Hęc concluſio eſt Sco. loco citato. S. Thomę prima parte quęſt. 20. articulo ſecundo, ad tertium D. Bonau. vbi ſupra Durand. hac diſt. quęſt. 1. & Gab. eadem diſt. quęſt. 1. articulo primo, not. 2. & artic. 2. 2. concl. 3. & probatur aperte ex doctrina Ariſt. 8. Ethic. capitulo ſecundo, vbi docet nos non amare res irrationales amore amicitię etiamſi illis velimus bonum, vt vitæ conſeruationem, quia res irrationales, & bonum, illius 3. Concl.

D. Thom. D. Bonau. Durand. Gabriel. Ariſtot.

dili-

diligitur, vt bonum rationaliū, quibus natura ſua ſeruiūt irrationales, & ideo ait Ariſt. omnes res irrationales per accidens ſemper amari; ergo relatæ ad diuinam voluntatem non poſſunt eſſe obiectum amoris amicitiæ, aut beneuolentiæ. Cum enim amor beneuolentiæ ſit inchoano quædam amicitiæ, vt diximus ſupra ex Ariſtot. & res irrationales non poſſint eſſe obiectum amicitiæ, nequeunt etiam eſſe obiectum beneuolentiæ. Vnde libro ſeptimo Ethicorum ad Eudemum, capitulo octauo, docet Ariſt. amorem beneuolentiæ eſſe initium amicitiæ; eſt enim, inquit, affectio quædam, qua quis alteri bonum deſiderat propter illius virtutem, non propter ſuā vtilitatem, vel voluptatem; Neque enim inquit pro hiſce beneuolentia fit, alioquin ſequeretur, inquit Ariſtot. nos diligere beſtias amore beneuolentiæ; id quod merito reputat abſurdum. Quod autem id ſequatur manifeſte patet, quia aliquando beſtijs certantibus afficimur, & tamen non ob id illas amore beneuolentiæ, aut amicitię diligimus, quia ipſis afficimur ob noſtram vtilitatem, aut commoditatem; Cum igitur Deus omnia inanimata, & irrationalia diligat non propter ipſa, ſed ob noſtram vtilitatem aut commoditatem, ſequitur eas non eſſe obiectum amoris amicitiæ, & beneuolentiæ, ſed concupiſcentiæ ſolum, vt dicemus ſequenti concluſione.

4. Concl. Quarta Concluſio. Deus omnia inanimata, & irrationalia amat amore concupiſcentiæ. hęc Concluſio eſt Scoti, & aliorum Doctorum locis ſupracitatis. probatur. Tum quia irrationalia propriè non ſunt diligibilia ex charitate, vt dictum eſt concluſione ſecunda, ſed charitas eſt amicitia, ergo ad irrationalia non eſt amicitia, quia non ſunt charitatis capacia. Tum quia Deus amat irrationalia non propter ſe ipſa, ſed propter creaturas rationales ordinando illa ad creaturas rationales, & ad ſe ipſum; non quia eis indigeat, ſed propter noſtram vtilitatem, & propter manifeſtationem diuinæ bonitatis. ergo diligit illa amore concupiſcentiæ. Tum demum quia ſol, & cætera inanimata, & irrationalia tantum ſunt bona propter aliud; Nam ſol non eſt bonum honeſtum, & delectabile, ſed tantum vtile in vſum hominum, ergo tantum amatur amore concupiſcentiæ, quo amamus bona vtilia, vel nobis, vel amicis.

5. Concl. Quinta Concluſio. Deus creaturas irrationales diligit ex charitate iuxta ſecundam ſignificationem poſitam in quarto notabili. hęc Concluſio eſt Sco. & Gabrielis locis ſupra citatis. *Scotus. Gabriel.* probatur; quia licet inanimata, & irrationalia non ſint propriè diligibilia ex charitate, quæ eſt amicitia; quia Deus non diligit lapidem diligere Deum in ſe, ſiue non vult lapidem diligere Deum in ſe, & propter ſe, quæ dilectio dicitur amicitia, cum lapis nō ſit capax huius dilectionis, poteſt tamen habere ad ipſa irrationabilia aliquod velle ex charitate, quale ſcilicet habendum eſt ad ea; Nam ſicut ego poſſum velle ex charitate arborem eſſe, & arborem mihi ſeruire ad talem actum, quatenus ille actus iuuat me vlterius ad diligendum Deum in ſe; ita poteſt concedi, quòd Deus ex charitate diligat omnia, non volitione amicitiæ, vt ſupra dictum eſt, ſed tali, qualis reſpectu eorum eſt habenda, Verbi gratia, quia vult cibum eſſe, & vult ipſum eſſe in adiutorium mihi, quatenus adiuuat me ad dilectionem Dei in ſe, & propter ſe.

Amor ergo, quo Deus diligit creaturas intellectu minimè prędıtas, ſi ſpectetur quatenus per eum vult, vt habeant bonitates, & perfectiones, quas illis communicat, dicunt Scotus, Durandus, Gabriel, & alij in 3. diſtin. 32. *Scotus. Durand. Gabriel.* non eſſe quidem amorem concupiſcentiæ, ſed eſſe amorem non propriè amicitiæ, ſed quaſi amicitiæ. Poſſumus tamen appellare amorem beneuolentiæ quo illis ea bona, ac perfectiones vult; ſi verò ſpectetur, quatenus vult creaturas illas ita perfectas in vſum hominum, ſimulque in gloriam ſuam, ad manifeſtationem ſcilicet ſuæ ſapientiæ, bonitatis, & potentiæ, eſt amor concupiſcentiæ, quo eas ſibi, & nobis ita vult eſſe.

Et ſi dicas, quod eadē ratione Deus amaret nos amore concupiſcentię, & non amicitię: quia amat nos propter ſe. Reſpōdeo, quòd vtique Deus amat nos propter ſe, id eſt, propter vltimum finem, ordinādo ſcilicet nos ad ſe ipſum vt ad vltimum finem, at hoc non eſt amare nos amore concupiſcentiæ, ſed amicitiæ, quia eſt amare nos propter noſtram vtilitatem. Summa enim vtilitas noſtra eſt conſequi vltimum finem; At Deus non diligit nos propter ſe, id eſt, propter ſuam vtilitatem, qui eſt amor concupiſcentiæ, quia bonorum noſtrorum non indiget.

Ad primum argumentum dico, quòd habitus habet aliquid perfectionis, & quoad hoc, inquit Scotus in hac q. in reſponſione ad primum, ponitur in Deo: quia charitas in Deo eſt perfectio ſimpliciter, ſicut & alia attributa, ſed non ponitur quantum ad illud, quod eſt imperfectionis, quod eſt eſſe perfectiuum ſuſceptibilis; nā quod habitus requirat imperfectionem in perfectibili, hoc eſt per accidens. Charitas autem in Deo eſt perfecte idem cum diuina voluntate, inter perficiens autem, & perfectibile eſt diſtinctio realis.

Vel dicatur, quòd argumentum concludit de habitu finito, & limitato; at charitas in Deo eſt infinita, & illimitata. Nam diligit nos Deus charitate increata, quæ eſt eſſentialiter eſſentia diuina.

Ad ſecundum dico, quòd ſi accipiatur diligi ex charitate primo modo quarti notabilis, non omnia diliguntur à Deo ex charitate, ſed nego ſecundo modo.

Ad tertium reſpondeo, quòd Deus creaturas rationales diligit amore amicitiæ, reliqua vero oīa diligit amore concupiſcentiæ, non quia illis indigeat, ſed propter noſtram vtilitatem, & ſuam bonitatem, vt nos illis vtamur ad ipſius gloriam, & honorem.

Et ſi dicatur, omnis amor amicitiæ eſt fruitio, ſed Deus non fruitur nobis, ergo non amat nos amore amicitiæ. Nego maiorem; non enim omnis amor amicitiæ eſt fruitio: Nam Deus licet amet nos amore amicitiæ non fruitur nobis, ſed nos maximè fruimur illo, nam frui eſt amore inhęrere alicui, propter ſe irreferibiliter; Deus autem vtitur nobis ad ſuam gloriam manifeſtandam, & propter ſe ipſum infinite dilectum, vt optime docet D. Bonauentura hac diſt. art. 2. quæſt. 1. in ſolutione ad vltimum. *D. Bonau.*

ARTICVLVS III.

Vtrum actus diligendi, quo Deus diligit ſe, & omnia alia, ſit proprius alicui perſonæ diuinæ.

Diligere in Deo alia à ſe, atque etiam ſe ipſum, eſt actus eſſentialis, & perfectio ſimpliciter, atque adeo nulli perſonę proprius, quia ſicut Pater non ſapit ſapientia genita, ita nec diligit dilectione ſpirata, nihil enim recipit perſona producens à producta: Pater ergo, & Filius diligunt ſe, & Spiritum Sāctum amore eſſentiali, qui eſt eſſentia diuina. Diligunt autē ſe Spiritu Sancto, quia diligendo ſe dilectione eſſentiali ſpirant Spiritum Sāctum, de quo latius in primo. eadem ratione probatur, quod actus dilectionis quo Deus diligit alia à ſe non ſit proprius alicui perſonæ, quia tunc vna perſona eſſet ſimpliciter perfectior alia, conſequens eſt falſum, ergo & antecedens; probatur conſequentia, actus diligendi omnia in Deo, non eſt actus perſonalis, ſed eſſentialis, eſtque perfectio ſimpliciter, ergo ſi eſſet proprius alicui perſonæ, aliqua perfectio ſimpliciter eſſet in vna perſona, quæ non eſſet in alijs; ac proinde, vna perſona eſſet ſimpliciter perfectior alijs.

Sit ergo hæc concluſio reſponſiua ad queſtionem. Cōcluſio. Actus quo Deus diligit omnia non eſt proprius alicuius perſonæ diuinæ, ſed communis tribus perſonis. Probatur, quia ſi eſſet proprius alicui perſonę, eſſet proprius Spiritui Sancto, ſed conſequens eſt falſum, ergo & antecedens; conſequentia patet, quia ſicut Filio ex quo producitur per modum intellectus attribuūtur, ſeu appropriantur illa, quæ per intellectum ſunt elicita, vel quaſi elicita, vt ſcientia, ſapientia, cognitio, notitia, & huiuſmodi, ita etiam Spiritui Sancto, quia producitur per modum voluntatis appropriantur pertinentia ad voluntatem, ſicut charitas, & dilectio, falſitas conſequentis probatur, quia ſi actus diligendi creaturam eſſet proprius Spiritui Sancto, alterum ex duobus maximis inconuenientibus ſequeretur, nimirum, vel quod Spiritus Sanctus

Digitized by Google

ctus non neceſſario procederet; vel quod Deus amaret neceſſario, aliquod aliud à ſe, quorum vtrumque eſt falſum, & impoſſibile. Probo ſequelam, ſi diligere creaturam eſt proprietas Spiritus Sancti, aut diligit creaturam neceſſario aut contingenter: ſi contingenter, ergo talis proprietas ineſt Spiritui Sancto contingenter; ſed hanc proprietatem habet à patre, & filio per proceſſionem; & per ſe eſt contingenter producta, ergo etiam Spiritus Sanctus eſt contingenter productus; conſequentia patet: quia talis proprietas eſſet idem cum Spiritu Sancto, vel eſſet ipſe Spiritus Sanctus; atque adeo ſi proprietas eſt contingens, & ipſe Spiritus Sanctus ſimiliter eſt contingens, quod eſt falſum. Si verò dicatur, quòd diligat creaturam neceſſario, tunc ſequitur aliud impoſſibile, ſcilicet quòd Deus neceſſario diligat aliquid aliud à ſe, quod eſt ſimpliciter impoſſibile, vt ſubtiliter probat Scotus in 1. diſt. 8. quæſt. vltima.

Scotus.

Digreſſio Scoti.

Ex hac cõcluſione digreditur Doctor valde ſubtiliter, & oſtendit, quod etiam Verbum diuinum non dicat reſpectum aliquem proprium ad creaturam. pro cuius explicatione.

Verbum quid dicat de formali, & de cõnotato.

Obſeruandum eſt primo, quod Verbum de ſua ratione formali dicit relationem expreſſi ad exprimentem, id eſt, perſonæ productæ ad perſonam producentem, quæ eſt relatio realis; & connotat notitiam eſſentialem, quæ eſt communis tribus perſonis, & quia talis notitia eſt declaratiua omnium obiectorum, quæ per illam cognoſcuntur, ideo ex conſequenti Verbum connotat relationem declarantis ad rem declaratam, quæ eſt tantum relatio rationis, & ſicut connotat notitiam illam eſſentialem, non vt ſibi proprium, ſed vt appropriatum; ita etiam connotat illa relationem rationis, non vt propriam ſibi, ſed vt appropriatam.

Diſcrimen inter proprium, & appropriatum.

Secundo obſeruandum eſt, quod eſt diſcrimen inter proprium, & appropriatum, quia propriũ eſt, quod conuenit præciſe vni perſonæ, vel duabus ad ſummum; exemplum primi, vt generatio actiua, quæ conuenit ſoli Patri; generatio paſſiua, quæ tantum Filio, & ſpiratio paſſiua, quæ conuenit ſoli Spiritui Sancto. exemplum ſecundi, vt ſpiratio actiua, quæ conuenit patri, & filio. Appropriatum verò eſt, quod quantum eſt de ſe conuenit tribus, & eſt eis commune, ſed propter modum proceſſionis, vel propter aliquid aliud attribuitur vni perſonæ. Quemadmodum potentia, quæ eſt communis tribus perſonis, ſed propter plenam fœcunditatẽ potentiæ actiuæ in patre, attribuitur patri. Sapientia etiam eſt communis tribus, & tamẽ propter modum productionis paſſiuæ filij, qui producitur per modum intellectus, & eſt notitia genita Patris, filio attribuitur. Similiter amor eſt communis tribus, at quia pertinet ad voluntatem, quę eſt principium proceſſionis Spiritus Sancti, qui procedit ſicut datus, & per modum voluntatis, appropriatur Spiritui Sancto.

Verbum quomodo eſt declaratiuum.

Tertio obſeruandum eſt, quòd ex eo, quod Verbo attribuitur notitia cuius eſt declarare, ideo Verbũ à Theologis appellatur creaturæ declaratiuum, verum talis declaratio non dicit in Verbo niſi reſpectũ rationis ad obiectum declaratum, atque adeo ſicut quando ego intelligo lapidẽ, intellectio lapidis eſt declaratiua, ſiue expreſſiua ipſius lapidis, quia per talem intellectionem declaratur mihi, & exprimitur eſſe lapidis: Ita Deus intelligẽs quodcumque obiectum notitia illius obiecti, quæ appropriatur Verbo, eſt declaratiua, & expreſſiua obiecti cogniti, atque ita Verbum dicitur illius declaratiuum, & expreſſiuum.

Dicere ſumitur quatuor modis.

Quarto obſeruandum eſt, quod dicere ſumitur quatuor modis: primo modo ſumitur eſſentialiter, vt patet ex D. Anſelmo Monolog. c. 12. & 64. atque ita quælibet perſona diuina dicit formaliter, & nulla dicit alia ablatiue, nam quælibet perſona formaliter intelligit, id eſt, intellectione, quæ eſt formaliter in ipſa, quodlibet intelligibile, & quælibet ſuo modo dicit illam intellectionem eſſentialem. Secũdo modo ſumitur dicere perſonaliter, & ſic denotat relationem originis, quæ eſt gignentis genitum, & hoc modo ſolus Pater dicit, quia ſolus Pater generat Verbum, & ſolus Pater dicit non quidẽ Verbo, ſed Verbum. Tertio modo dicere poteſt ſignificare illam relationem rationis, quæ eſt declarare, & hoc formaliter, atq; ita Verbũ dicit formaliter omne declarabile, & ſe ipſum ſe ipſo formaliter, & hoc modo dicere eſt eſſentiale, nã quælibet perſona declaratur ſua intelligẽtia, quæ eſt in ipſa formaliter, appropriatur tamen filio ex modo ſuæ proceſſionis, vt diximus ſupra. Quarto modo poteſt dicere, denotare illam relationem declaratiui non formaliter, ſed principiatiue, & hoc modo conuenit Patri, qui ſic dicit Verbo.

Ex hoc ſequitur primo, quod Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, dicunt verbum ſumendo dicere eſſentialiter, quia hoc pacto dicere idem eſt quod intelligere, & ſumendo ſimiliter Verbum eſſentialiter, quod idem eſt, quod notitia declaratiua. Secũdo ſequitur, quod ſolus Pater dicit Verbum ſecundo modo, id eſt, notionaliter, quia ſolus Pater generat Verbum. Tertio ſequitur, quod Filius, & Spiritus Sanctus non dicunt verbum accipiendo dicere perſonaliter. Quarto ſequitur, quòd Pater Verbum, & Spiritus Sanctus dicunt Verbo accipiendo tam dicere, quam Verbum eſſentialiter.

Dilectio in diuinis tripliciter ſumitur.

Poſtremo obſeruandũ eſt, quòd dilectio in diuinis tripliciter ſumitur, vno modo mere eſſẽtialiter, & ſic Pater Filius, & Spiritus Sanctus dilectione eſſentiali ſe diligũt, & non Spiritu Sancto. Secundo modo capitur mere notionaliter, & ſic eſt idem, quod ſpiratio actiua, atque ita eſt falſum, quod Pater, & Filius diligãt ſe Spiritu Sãcto; nam eſſet ſenſus, quod pater, & filius ſpiratẽt Spiritu Sancto, atque ita Spiritus Sanctus eſſet antequam eſſet. Tertio modo accipitur partim eſſentialiter, & partim notionaliter, vt nimirum dicit ſpirationem actiuam, & relationem producti ſpiratione actiua ad obiectum amabile, quod eſt eſſentia diuina: atque ita Sancti concedũt iſtam Pater, & filius diligunt ſe Spiritu ſancto, id eſt, ſpirãt Spiritum Sanctum, qui eſt amor amabilis eſſentiæ, & ille amor amabilis eſſentiæ eſt communis tribus; atque adeo notatur ibi duplex relatio, vna realis ſcilicet ſpiratio actiua, & altera rationis, quæ eſt ad ipſum amatum ipſo Spiritu Sancto, qui tamẽ reſpectus rationis, qui eſt verè communis tribus perſonis, ſicut amor eſſentialis, quo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus diligunt ſe & creaturas, eſt communis tribus; appropriatur tamen Spiritui Sancto ex modo ſuæ productionis.

Cõcluſio.

His obſeruatis ſit hæc concluſio. Verbum non dicit aliquem reſpectum proprium ad creaturam. Probatur, quia ſi Verbum diceret reſpectum proprium ad creaturam ſequeretur, vel quod Verbum non produceretur neceſſario: vel quod Deus intelligeret aliquid aliud à ſe neceſſario: primum patet, quia ſi intelligere creaturam pro vt habet eſſe exiſtentiæ (quod dico quia bene Deus intelligit neceſſario omnia in eſſe poſſibili, vel in eſſe obiectiuo, imò neceſſario tam in eſſe poſſibili, quam cognito, vt patet ex Doc. in 1. diſt. 3. quæſt. 4. & in 2. diſt. 1. quæſt. 1. & ſpecialiter in quol. quæſt. 14.) eſſet proprietas Verbi, & contingenter ineſſet, tunc Verbum haberet illam à patre contingenter, & per conſequens eſſet genitum contingenter, quod eſt impoſſibile. Si autem intelligere omnia eſſet proprietas Verbi, & neceſſario ſibi ineſſet, tunc Deus neceſſario intelligeret creaturam in eſſe exiſtentiæ, quod tamen eſt manifeſte falſum, quia cognitio creaturæ in eſſe exiſtentiæ ſequitur actum diuinæ voluntatis, ita vt voluntas diuina prius vult creaturam exiſtere, quã Deus intelligat illam exiſtere, & quia Deus vult creaturam exiſtere mere contingenter, ideo cognitio ſequens illam volitionem non eſt ſimpliciter neceſſaria, vt docet Scotus in 1. diſt. 39. & in quol. quæſt. 14. Patet ergo quod intelligere creaturam non eſt proprium Verbo.

Scotus.

Præterea, quod Verbum, & Spiritus Sanctus non dicant aliquem reſpectum ad extra ſimpliciter neceſſarium, & intrinſecum, ſibique proprium, probatur ſecundo: quia ſi reſpectus aliquis neceſſario terminatus ad creaturam, Verbi gratia, reſpectus cognitionis diuinæ terminatus ad creaturam in eſſe exiſtentiæ, vel reſpectus dilectionis diuinæ terminatus ad creaturã etiam in eſſe exiſtentiæ, eſſet ſimpliciter neceſſarius, tunc creatura in eſſe exiſtentiæ eſſet ſimpliciter neceſſe eſſe. probatur conſequentia, quia reſpectus neceſſario præexigit extrema, ergo ſi reſpectus eſt neceſſarius, etiam extrema erunt neceſſaria, reſpectus enim non poteſt eſſe

magis

Digitized by Google

magis neceſſarius extremis; ſed nihil aliud à Deo in quocumque eſſe eſt ex ſe ſimpliciter neceſſarium, ergo nullus reſpectus ad quodcumque aliud à Deo eſt ſimpliciter neceſſarius, atque adeo nequit eſſe intrinſecus alicui perſonæ diuinæ, quatenus habet naturam diuinam determinato modo habendi, ſcilicet per intellectum, & voluntatem.

Præterea tertio arguitur ſpecialiter de Verbo. Si Verbum diceret proprium reſpectum ad creaturam, vt declaratiuum; aut hoc eſſet in quantum creatura habet eſſe in memoria paterna, & ſic exprimit Verbum ſui, ſed hoc eſt falſum multipliciter; nam ſic talis reſpectus in eſſet Verbo, quatenus creatura haberet eſſe in memoria patris, id eſt, quatenus ipſa creatura pertinet ad memoriam patris; ſicut dicimus, quod reſpectus notitiæ lapidis, quo ſcilicet lapis declaratur eſt à lapide, vt lapis habet eſſe in memoria mea, id eſt, vt lapis eſt pars memoriæ, ſiue vt eſt præſens intellectui ſub ratione actu intelligibilis, ita vt memoria accipiatur hic pro principio totali notitiæ declaratiuæ, atque ita notitia declaratiua lapidis eſt à lapide, vt lapis habet eſſe in memoria; Ergo ſi iſte reſpectus, qui eſt notitiæ declaratiuæ lapidis eſt proprietas Verbi, & eſt à lapide, vt habet eſſe in memoria Patris, ſiue, vt eſt pars memoriæ, ſequitur, quòd ipſa notitia declaratiua, quæ per ſe eſt proprietas Verbi, erit expreſſa à lapide; probatur: quia quicquid pertinet ad memoriam fœcundam eſt productiuum notitiæ declaratiuæ ſui; Notitia autem declaratiua obiecti, dicitur Verbum obiecti, vt probat Doct. in 1. diſt. 27. atq; ita creatura, vt in memoria patris, ſiue vt pars memoriæ exprimeret Verbum ſui, id eſt, ſaltem partialiter produceret in intellectu diuino notitiam declaratiuã ſui; ſed hoc eſt manifeſte falſum. Tũ quia nulla creatura habet propriè eſſe in memoria diuina, vt memoria eſt; quia tunc verè eſſet productiua notitiæ ſuæ in intellectu diuino, vt patet de quocũque obiecto pertinente ad memoriam, vt memoria eſt; imò nulla creatura præcedit notitiã intellectus diuini, quinimo creatura fit actu intelligibilis per actum diuini intellectus, per quem in tali eſſe producitur: Cum ergo intellectus diuinus producat creaturam in eſſe intelligibili, quod eſt eſſe ſecundum quid, nullo modo creatura pertinet ad memoriam productiuam. Tum quia ſi creatura haberet eſſe in memoria patris eſſet ratio mouendi intellectum infinitum ad verbum exprimendum in quantum eſt eius, id eſt, ad notitiam ſui declaratiuam, atque ita finitum moueret intellectum infinitum, & ſic vileſceret iſte intellectus, quia talem notitiam reciperet à creatura.

Saltem ſi per impoſſibile in memoria diuina eſſet vnus lapis. Qui ſcilicet eſſet præſens intellectui diuino in ratione obiecti actu intelligibilis; tunc lapis ille vna cum eſſentia in memoria eſſet ratio exprimendi, ſeu producendi Verbum diuinum; patet, quia Verbum diuinum producitur de his, quæ ſunt in memoria patris; id eſt, quæ pertinent ad memoriam, vt memoria eſt. Et tunc ſequeretur propoſitum, quòd ens finitum eſſet ratio intelligendi intellectui infinito, id eſt, eſſet ratio producendi notitiam ſui intellectu infinito, & non tantum hoc, ſed eſſet etiam ratio producendi notitiam infinitam: quia Verbũ, quod eſt notitia infinita, producitur de omnibus obiectis exiſtentibus in memoria Patris, vt memoria eſt, quod eſt manifeſte falſum.

Præterea illud quod non eſt formaliter infinitum, nec in memoria, nec in intelligentia non videtur poſſibile, quod fundaret relationes originis oppoſitas; ſed lapis cũ non ſit ex ſe formaliter infinitus etiam exiſtens in memoria, non eſt ex ſe formaliter infinitus; nec etiam, vt eſt in intelligentia patris, id eſt, vt actu intelligitur ab intellectu patris eſt formaliter infinitus, ergo non videtur probabile, quomodo poſſet fundare relationes originis oppoſitas. Nam eſſentia diuina, quæ pertinet ad memoriam fœcundã Patris, fundat relationes originis oppoſitas, ſcilicet generationem actiuam, & paſſiuam; & ſpirationem actiuam, & paſſiuam, ſiue paternitatem, & filiationem, &c. ex hoc quod eſt formaliter infinita, vt probat Doc. in 1. diſt. 28. ergo ſi lapis pertineret ad memoriam Patris, neceſſario fundaret huiuſmodi relationes, quod videtur *Scotus.* impoſſibile, cum præciſe ſit formaliter ens finitum, ſiue in ſe conſideratus, aut in memoria, vel in intelligentia Patris.

Præterea videretur ſequi, quod eſſent tot verba, id eſt, notitiæ declaratiuæ, quot eſſent intelligibilia in memoria Patris, eſſentque verba illa diſtincta; patet: quia ſi ipſa intelligibilia eſſent in memoria, quodlibet natum eſſet exprimere verbum ſui, ſiue notitiam ſui, quod eſt inconueniens: quia in Deo eſt tantum vnus actus intelligendi reſpectu cuiuſcumque obiecti.

Quod ſi detur alius intellectus prius dicti, ſcilicet quod Verbum declarat omnia in quantum alia habent rationem termini reſpectu actus declarationis in quodam eſſe intelligibili; id eſt, quòd reſpectus notitiæ declaratiuæ eſt proprietas Verbi; quatenus Verbum declarat alia à ſe, non vt habent eſſe in memoria patris, ſed vt habent rationem termini, hoc eſt, vt ſunt termini producti in eſſe intelligibili, hoc modo eſſe declaratiuum non eſt proprium Verbi: quia tota Trinitas producit ea in eſſe intelligibili; Nam quælibet perſona ſibi meminit cuiuslibet.

Qualiter autem concedatur Pater dicere Verbo propriè, dictum eſt diſt. 32. primo, quia dicere ibi importat duplicem reſpectum (& hoc accipiendo dicere ſecundo & tertio modis explicatis in notabili quarto) vnum realem originis, qui eſt expreſſi ad exprimentem, id eſt, filij geniti, ad patrem generantem, & alium rationis, qui eſt declarantis ad declaratum; Nam Verbum: quia eſt infinitum habet reſpectum declaratiui ad ſe, ad Patrem, ad Spiritum Sanctum, & ad omnia alia, & iſta relatio eſt tantum rationis, quia non tantum eſt ad creaturam, ſed ad ſeipſum; Vnde per illud ſcilicet per dicere connotetur, & expreſſum à dicente ipſo, id eſt, cõnotetur Verbum vt expreſſum, id eſt, genitum à patre dicente, hoc eſt generante, & connotetur declarans, id eſt, Verbum declaratiuum, dictum, hoc eſt genitum, per ipſum, ſcilicet dicere, formaliter loquendo; Nam Verbum generatione formaliter generatur. Et ille reſpectus, qui eſt declarare, tantum eſt appropriatus Verbo, quia de ſe eſt communis tribus, appropriatur tamen Verbo, quia producitur per modum notitiæ genitæ, & ita declaratiuæ, eſt tamen vt dixi communis tribus accipiendo declarare formaliter; Nam quælibet perſona notitia infinita exiſtente in ipſa, eſt formaliter declaratiua ſui, & omnium intelligibilium, ſed accipiendo declarare principiatiuè poteſt ille reſpectus eſſe proprius Patri, quia Pater principiatiuè declarat quatenus exprimit notitiam genitam. Qui duplex modus accipiendi declarare ſcilicet formaliter, & principiatiuè, patet in alijs relatiuis, ſicut in aſſimilare, & adæquare, forma enim qua aliquid eſt ſimile, formaliter aſſimilat ipſum alteri, ſed agens dans formam illam, aſſimilat effectiuè, vel principiatiuè.

Eodem modo poteſt concedi, quod pater diligit Spiritu Sancto, modo quo expoſitum eſt in 1. diſt. 32. quæſt. 1. & hoc eſt appropriatum Spiritui Sancto, non proprium, & notatur ibi duplex relatio, realis ſcilicet ſpiratio, & alia rationis ſcilicet inſpiratio ad amatum ipſo, qui reſpectus rationis eſt appropriatus Spiritui Sancto, vere tamen communis eſt tribus.

Et ſi quæras vtrum iſta ſit concedenda, Pater, & filius diligunt creaturas Spiritu Sancto, & ita quælibet perſona diligit nos Spiritu Sancto. Reſpondet Bargius cũ Richardo in 1. d. 32. quæſt. 1. quod ſi diligere capiatur eſſentialiter, tunc eſt verũ, quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus diligunt nos Spiritu Sancto appropriate, quia amor eſſentialis, quo diligũt nos appropriatur Spiritui Sancto. *Bargius. Richard.* Secundo dicit, quod ſi diligere capiatur notionaliter, vt idem eſt quod ſpirare, tunc dicit quod diligunt nos Spiritu Sancto, quia ſpirant in nos Spiritum Sanctum tamquam in obiectum; ſicut enim Pater vnum Verbum producit, quo ſe & omnia alia dicit; ſic Pater & filius ſpirant amorem, quo ſe, & omnia alia diligunt.

Ex quo infertur, quod Spiritus Sanctus non diligit nos Spiritu Sancto amore notionali, ſed tantum eſſentiali, quia diligere notionaliter eſt amorẽ ſpirare in dilectum, vt in obiectum: Concedi tamen debet, quòd Spiritus Sanctus, qui eſt amor perſonalis diligit nos ſe ipſo amore eſſen-

Digitized by Google

eſſentiali, ſic intelligendo, quod diligit nos per eſſentiam ſuam, quæ realiter idem eſt quod ipſe.

Et ſi dicatur Deus eodem amore diligit omnem creaturam, quia eodem modo ſe habet ad omnes res, vt habetur 24. propoſitione de cauſis, ſed non diligit creaturam irrationalem Spiritu Sancto, quia non ſpirat in eam Spiritum Sanctum, ergo nec diligit nos Spiritu Sancto. Reſpondet Richard. vbi ſupra artic. 1. quæſt. 2. ad ſecundum, quod minor eſt falſa: quia quamuis Pater, & Filius non ſpirent in creaturam irrationalem Spiritum Sanctum, vt in ſubiectum; ſpirant tamen ipſum in eã vt in obiectum, quod intelligendum eſt ratione effectus connotati, qui appropriatur Spiritui Sancto.

Addit tamen Bargius in ſolutione ad vltimum ex mente Richardi, D. Thomæ, & Marſilij aſſerentium, quod Pater, & Filius diligunt creaturam Spiritu Sancto, & ſimiliter, quòd Spiritus Sanctus diligit ſe ipſo creaturas, cuius contrarium videtur docere Doctor noſter ſub. ibi. Quod iſta contradictio poteſt ſolui ex illis verbis Doctoris in illa ſolutione, quando ſic dicit. Et ita poſſet concedi, quod pater non diligit creaturas Spiritu Sancto, eo modo quo filium. Nam in hac propoſitione cum dicatur Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto importatur ratio principij, nam Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto principiatiuè; quia Pater, & Filius ſunt principium Spiritus Sancti; Nam Spiritus Sanctus ex vi productionis ſuæ eſt neceſſario amor Patris, & Filij. Cæterum Spiritus Sanctus ex vi productionis ſuæ non eſt neceſſario amor creaturarum, atque adeo creaturæ non ſunt principium Spiritus Sancti, Vnde infertur hanc propoſitionem eſſe veram Pater, & Filius diligunt ſe, & omnia quæ ſunt in natura diuina Spiritu Sancto, quia omnia quæ ſunt formaliter in eſſentia diuina ſunt neceſſario amata, & ſi dicunt perfectionem ſimpliciter concurrunt cum eſſentiam ad productionem Spiritus Sancti, atque ita vera eſt illa propoſitio principiatiuè. Sed eodem modo, ſcilicet principiatiuè hæc propoſitio non eſt vera, Pater, & Filius diligunt creaturas Spiritu Sancto, quia creaturæ in nullo eſſe habent rationem principij reſpectu Spiritus Sancti, eſt tamen illa propoſitio vera formaliter, & appropriate. Sed obijcies, ſi Spiritus Sanctus ſolum eſt amor illius obiecti, de quo ſpiratur; ergo non eſt amor Patris, & Filij, vt obiecti: quia ſecundum Sco. diſt. 12. 1. quæſt. 1. Spiritus Sanctus de ſola eſſentia, vt de obiecto producitur. Dico, quòd Spiritus Sanctus, ex vi ſuæ productionis eſt primo amor eſſentiæ, & concomitanter trium perſonarum in ratione obiecti: quia perſonæ diuinę ſunt in eſſentia diuina primo amata, ex neceſſitate illius naturæ; non ſic autem creaturæ, atque adeo conceditur iſta; Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto; hæc verò negatur, Pater diligit creaturam Spiritu Sancto, quia Pater non producit amorem, qui ex vi productionis ſuæ ſit amor creaturæ, nec primo, nec concomitanter: quia completa productione Spiritus Sancti neceſſaria, & ſimpliciter, adhuc eſt contingentia, quòd iſte amor, qui eſt Spiritus Sanctus ſit amor creaturæ: quia poteſt Deus non diligere eam, loquendo de amore efficaci, qui res in actu exiſtentiæ reſpicit, quod bene nota.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Deus æqualiter diligat omnia.

Aliqua diligi inæqualiter contingit tribus modis.

PRo explicatione huius difficultatis obſeruandum eſt, quod aliqua diligi ab aliquo inęqualiter vel odiri poteſt intelligi dupliciter, vel fortè tripliciter; primo modo ſic, quòd huiuſmodi inæqualitas ſe teneat ex parte dilectionis, vt videlicet actu diligendi intenſiori vnum, & actu remiſſiori alterum diligatur. Secundo modo, quod huiuſmodi inæqualitas ſe teneat ex parte dilectorum, ſiue bonorum, quæ dilectis appetuntur, vt ille magis diligi dicatur, cui maius bonum appetitur, licet maius bonum vni, & minus alteri eodem actu indiſtincto ſubſtantialiter appetatur. Tertius modus intelligendi inæqualitatem huiuſmodi fortè poſſibilis eſt vt ipſa inæqualitas ſe teneat non ex parte actus diligendi, vel obiecti dilecti, ſed ex parte diligẽtis, videlicet maiori affectu licet eodem actu volentis vni, quam alteri idem bonum, ſeu æquale, ſicut poſſet poni exemplum de Chriſto, vel de quolibet aliorum beatorũ, ſuppoſito quod eodem actu, quilibet fruatur Deo, & diligat omnia alia in ipſo, vel propter ipſum. Non enim eſt veriſimile Chriſtum non plus dilexiſſe vnum, quam alium non tantum maius bonum, ſed etiam affectuoſius illi, quam alteri appetendo. Quicquid enim poſſet aliquis facere mediantibus actibus pluribus, poteſt immediatè vnico illos plures perfectionaliter continente, ſed mediantibus pluribus actibus poteſt quis magis vnum, quam alterum diligere, vel ipſi maius bonum, vel ęquale affectuoſius appetendo, ergo & hoc facere poterit mediante vnico actu illis omnibus perfectiori, qualis poteſt eſſe actus beatificus diligendi cuiuslibet beatorum. Et confirmatur, quia potens diligere, & non diligere actu inexiſtente poteſt diligere plus vel minus, ſed Chriſtus inexiſtente actu beatifico ſi ipſe alia dilexit in Deo libere ipſa dilexit non neceſſario, quia alioquin nullius fuiſſet in eo meriti actus aliquis diligendi, ergo ſi libere dilexit, etiam libere quodlibet aliud à ſe quantum voluit dilexit, & per conſequens vnum magis, ſeu affectuoſius, & alium minus.

Præterea quicquid ſit de alijs ſaltem conſtat (vt videtur) quemlibet beatorum, magis, & affectuoſius diligere Deum, quam aliquid aliorum, non obſtante, quod omnia diligant, vt ſupponitur vnico actu, ergo &c. Si tamen hic tertius modus videatur impoſſibilis ſi, vt & impoſſibile albedine æquè intenſa idem ſubiectum eſſe magis, & minus album; ſaltem primi duo modi ſunt euidentes.

1. Concl.

Hoc ſuppoſito ſit prima Concluſio. Deus quodammodo diligit omnia æqualiter; pro explicatione huius concluſionis obſeruandum eſt, quòd eſſentia diuina in ratione obiecti eſt totalis ratio agendi reſpectu intellectus, & voluntatis diuinæ: quia nihil aliud ab eſſentia diuina poteſt eſſe ratio mouendi intellectum, & voluntatem diuinã, in ratione obiecti intelligibilis, vel diligibilis, ſed præciſe ſola eſſentia diuina in ratione obiecti intelligibilis, & diligibilis eſt tota ratio mouendi intellectum diuinum, & diuinam voluntatem ad ſui, & omnium aliorum intellectionem, & dilectionem; ad intellectionem tamen, & dilectionem, concurrunt etiam intellectus, & voluntas, vt cauſæ quaſi partiales. Ita vt ſicut ſola eſſentia diuina in ratione obiecti intelligibilis eſt totalis ratio mouẽdi intellectum diuinum ad ſui, & oĩum aliorum cognitionem, & intellectus diuinus eſt totalis ratio in ratione potentiæ intellectiuæ notitiæ eſſentiæ, & omnium aliorum; ita voluntas diuina in ratione potentiæ eſt totalis ratio cauſandi dilectionem eſſentiæ diuinæ, & omnium diligibilium, & eſſentia diuina in ratione obiecti diligibilis eſt totalis ratio motiua voluntatis diuinæ ad dilectionem ſui, & omnium diligibilium.

Eſſentia diuina eſt primum obiectum motiuum diuinæ voluntatis.

Secundo obſeruãdum eſt, quòd Doctor in probatione huius concluſionis præſupponit Deum eadem dilectione diligere ſe, & creaturam, quod ſuppoſitum examinant Alex. de Ales. 1. par. quæſt. 31. m. 1. & 2. Richar. in 3. d. 32. art. 1. quæſt. 4. & D. Bonauen. eadem diſt. art. 1. q. 1. & 3.

Deus eadem dilectione diligit ſe, & creaturã.

Pro cuius intelligentia, obſeruandum eſt tertio, ex Richard. quòd de dilectione Dei poſſumus loqui dupliciter, vno modo quãtum ad eſſentiã ſui, & ſic idem eſt dilectio Dei, ac Deus ipſe, & hoc modo eadem dilectione, qua diligit ſe, diligit creaturam. Alio modo poſſumus loqui de dilectione Dei ratione boni optati per eam, & hoc pacto non eadem dilectione Deus diligit ſe, & creaturam; quia Deus vult ſibi bonum infinitum, & increatum, & creaturæ bonum finitum, & limitatum, quæ quidem bona differunt; atque ita concedendum eſt, quod eodem actu, quo vult ſibi bonum increatum, vult creaturæ bonũ creatum, differunt tamen ſecundum diuerſas relationes rationis. Ille enim idem actus dilectionis Dei refertur ad creaturam vna relatione rationis, & alia relatione rationis refertur ad Deum, & in hoc ſtat differentia ex parte boni optati. Hæc Richardus.

Alex. de Ales. Richard. D. Bonau.

Quarto obſeruandum eſt ex Alex. loco citato membro primo, & ex D. Bonau. locis citatis, quòd dupliciter poſſumus loqui de dilectione Dei, vno modo ſecundum principale ſignificatum, quod eſt Dei voluntas, vel actus ipſius,

Dilectoi Dei bifariam conſiderari poteſt.

& hoc

Digitized by Google

& hoc modo eadẽ dilectione diligit creaturã, qua vna perſona diligit alteram, quia eadẽ voluntate, & eodẽ actu Pater diligit creaturã, qua diligit filium. Si autẽ loquamur de dilectione Dei rõne connotati, ſic connotatur aliquis effectus in creatura, & quo ad hoc non eſt eadẽ dilectio, qua Pater diligit filiũ, & qua diligit creaturã, quę quidẽ diſtinctio eadem eſt cũ diſtinctione Richardi ſecundum rem, & eadem eſt cũ alia diſtinctione, quam idẽ Alex. ponit ibidem in ſolutione ad primũ, vbi dicit quod dilectio Dei poteſt conſiderari dupliciter, vno modo ex parte diligentis, & ſic eadem eſt vbique dilectio; Alio modo ex parte dilecti, & ſic non eſt eadem dilectio, qua Pater diligit Filium, & qua diligit creaturam, quia in prima diligit bonum æternum, & in ſecunda diligit bonum temporale.

Durand. Idem ſentit etiam Durandus in 3. diſt. 32. q. vnica nu. 7.

Deus plus diligit ſe, quã creaturam.

Ex hoc ſequitur primo, ꝙ licet Deus eodem actu dilectionis diligat ſe, & creaturam, tñ plus diligit ſe quã creaturã rõne obiecti voliti; nam ſibi diligit bonũ ęternum, & increatum, creaturæ verò bonum creatũ, & temporale. Secundo ſequitur, ꝙ dilectio, qua Deus diligit creaturã ex parte diligentis eſt ſumma, ex parte verò creaturæ nõ probatur ſecundũ Alex. loco citato memb. 2. quia dilectio ex parte diligentis Dei eſt ipſa Dei eſſentia, ergo eſt finita, & ſumma; ex parte verò creaturę dicit reſpectũ ad volitum, & vt ſic põt eſſe maior, & minor, quia volitum põt eſſe maius vel minus. Vnde optime colligit Alex. quòd cũ dicitur Pater diligit Filium, vel è conuerſo, hæc dilectio eſt ſumma tam ex parte voluntatis diligentis, quã ex parte voliti: quia Pater non põt velle Filio maius bonũ, quam vult. Sed cum dicitur Deus diligit creaturã; hæc dilectio eſt ſumma per comparationem ad voluntatem diligentis, quia non põt maior eſſe, nec intendi nec remitti, ſed per comparationem ad volitum non eſt ſumma: quia poteſt eſſe maior: Nam Deus poteſt velle huic creaturę maius, & maius bonum, quam vult. Hæc Alexander.

Dilectio qua Deus diligit creaturam eſt ſumma.

His obſeruatis probatur concluſio Dilectio Dei in ſe conſiderata, eſt tantũ vna, & formaliter infinita, quia talis dilectio perfectiſſimè adęquatur obiecto primo. ſ. deitati, & potẽtiæ volitiuæ primæ. ſ. voluntati diuinæ; ergo ſicut obiectum primũ eſt diligibile amore infinito, ita volũtas prima eſt nata diligere ipſum amore infinito, atq; adeo talis amor ſiue cõparetur obiecto primo, ſiue voluntati primæ eſt formaliter infinitus. Tũc vltra ex quo dilectio diuina eſt huiuſmodi, ideo concomitãter eſt omniũ diligibilium, quia perfecte tendit in primum obiectũ, atque ita etiam perfecte tendit in omnia, circa quæ primum obiectum eſt totalis ratio agendi tam intellectio, quam voluntati diuinæ; ergo accipiendo dilectionem Dei in ſe, æqualis eſt, quia eſt formaliter infinita, & neque intendi, neq; remitti poteſt, & per conſequens cuicumque comparetur ſemper erit æqualis, & ita dicitur Sap. 6. Puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualiter, eſt ei cura de omnibus.

Contra hanc concluſionem arguitur. Deus non omnes diligit, ſed quibuſdam iraſcitur, vt damnatis, & peccatoribus, quos punit, & odio habet, ergo electos, & quibus iraſcitur, non æquè diligit.

Prætetea Deus nõ dat omnibus bona, ęqualia, atq; non in oĩbus impletur volũtas beneplaciti eius, igitur nõ oĩbus vult bona ęqualiter, atq; adeo non oĩa æqualiter diligit.

Ad primũ reſpondetur, ꝙ licet Deus iraſcatur peccatoribus, nõ quod in ipſo ſit ira, quæ eſt paſſio, ſed q̃a ad modũ irati comminatur, & infligit eis pęnas, & licet etiam aliquo modo impropriè odiat eos, quantũ ad hoc quod non vult eis efficaciter bona gratiæ, & gloriæ; non tñ propriè odit eos, tunc. n. vellet eos nõ eſſe, vel nollet eos eſſe, & ſtatim adnichilarẽtur; diligit ergo eos, quia vult eis ſaltẽ bonũ naturæ, atq; adeo & æqualiter eos diligit, & inæqualiter eos odit; Diligit eos ęqualiter, quia pro tanto dicitur dãnatos diligere pro quãto vult eis aliquod bonũ, videlicet naturale, ſed huiuſmodi bonũ eſt æquale, in his, qui sũt eiuſdẽ ſpeciei, & inæquale in his q̃ ſunt diuerſarũ ſpecierũ, atq; adeo ſicut iſtos inęqualiter diligit quo ad dilectionis cõnotatũ, ita illos diligit æqualiter, oẽs tñ ſiue ſint eiuſdẽ, ſiue diuerſæ ſpeciei æqualiter diligit ex parte dilectionis, ſiue actus volẽdi; odit verò oẽs reprobos inæqualiter, quia Deũ aliquẽ odiſſe eſt ei velle aliquod malũ pœnæ, ergo inæqualiter illos odit, quos voluit, & ſtatuit inæqualiter punire, ſed damnati licet puniantur æqualiter extenſiuè, quia in æternum; puniuntur tamen inæqualiter intenſiuè, ergo &c. & hoc quod ad connotatũ odij.

Ad ſecundũ dico, ꝙ argumentũ cõcludit inæqualitatẽ quantũ ad bona volita ipſis dilectis, non. n. vult reprobis tanta bona, quãta vult prædeſtinatis, nec illis quibus dicitur iraſci vult tãtum bonum pro tunc, q̃n iraſcitur, quantum vult alijs quibus dicitur nõ iraſci, & iſta inæqualitas dilectionis, hoc eſt effectus dilectionis concedẽda eſt non ſolum quantum ad gradus ſpecificos, ſed etiam in indiuiduis eiuſdem ſpeciei, quo ad bona ſuperaddita naturæ, & ratio huius inæqualitatis non eſt natura in iſto, & in illo; ſed ſola diuina voluntas.

Secũda Cõcluſio. Deus nõ diligit oĩa æqualiter cõparando dilectionẽ Dei ad obiecta ſecũdaria, Nã vt ſic põt eſſe duobus modis inæqualitas, primo quia talia obiecta volita ſunt inæqualia, vel inæqualia bona ſunt eis volita. Nã ideo bona quia volita, quia ergo eiuſmodi bona ſunt effectus diuinæ dilectionis; & inter ſe inæqualia, dilectio Dei ratione illorum dicitur inæqualis. 2. Concl.

Secũdo eſt inęqualitas ẽt ex parte actus diligẽtis, quia ille actus dilectionis trãſit ſuper volita ſecundũ quemdã ordinẽ, Nã diuina dilectio primo trãſit ſuper primũ diligibile, qđ eſt eſſentia diuina, ſecundo ſuper diligibilia immediatiora illi, nõ quantũ ad eſſe naturæ, ſed quantũ ad eſſe gratuitũ, quia oĩs ordinate volẽs prius vult finẽ in ſe, & ſecũdo proximiora fini attingibili per illa, & poſtremo remota, ſed Deus eſt ordinatiſſimè volẽs, ergo vult ordine prædicto, ac proinde in eius dilectione eſt inæqualitas, probatur hæc cõſequẽtia, quia vt diuina dilectio tranſeat ordine præſcripto ſuper diligibilia. Primo trãſit ſuper primũ diligibile, qđ eſt diuina eſſentia, ſecũdo ſuper diligibilia propinquiora, & immediatiora illi; ſ. ſuper creaturas beatificabiles, tertio ſuper illa, quæ ſunt neceſſaria ad attingendum illum finem, ideſt ſuper media ad conſequendam beatitudinẽ, quarto ſuper alias creaturas pp priores, vt ſuper hunc mundũ ſenſibilem pp homines, & cæteros prædeſtinatos, ergo non æqualiter vult, & diligit omnia.

Cũ ergo Deus inquit, Scotus rõnabiliſſime velit, & ordinatiſſime omnia, licet non diuerſis actibus, vnico tñ actu diuerſimode tẽdit in obiecta ordinata. Primo. n. vult finẽ, & ideo primo amat ſe ipſum, & in hoc eſt actus eius perfectus, & volũtas eius beata. Secundo vult illa, quę immediate ordinantur in ipſum, prædeſtinãdo. ſ. electos, & ita amat electos prædeſtinãdo illos ad vitã eternã, qui electi immediatè attingunt ipſum, & hoc quaſi reflectendo, volendo alios diligere idem obiectũ ſecũ, ſicut ſuperius dictũ fuit de charitate d. 28. huius, qui. n. amat ſe primo ordinate, atq; adeo nõ inordinate zelãdo, vel inuidendo iſto modo, ſecundo vult habere alios condiligentes, & hoc eſt velle alios habere amorẽ ſuũ in ſe, & hoc eſt prædeſtinare eos ſi velit eis hoc bonũ finaliter. Voluntas ergo diuina actu recto diligit primo eſſentiã diuinã in ſe, & pp ſe, & actu quaſi reflexo vult non tantũ ſe diligere eſſentiã, ſed etiam vult alios eſſentiam ſuã diligere in ſe, & propter ſe, & ſi vult illos finaliter diligere eſſentiã ſuã in ſe, & pp ſe, hoc velle, idẽ eſt, qđ illos prędeſtinare ad fruitionẽ Deitatis, quæ eſt dilectio Dei in ſe, & pp ſe. Tertio vult illa, quæ ſunt neceſſaria ad attingendũ hunc finem. ſ. bona gratiæ. Quarto pp illos vult alia, quæ ſunt remotiora. ſ. hũc mundum ſenſibilẽ, qui ſeruiat electis, vt ſit verũ illud dictum 2. Phiſ. nt. c. 24. Homo quodãmodo eſt finis omnium, ſenſibilium. ſ. quia pp ipſum volitũ à Deo quaſi in 2. ſigno naturæ, ſunt omnia ſenſibilia volita, quaſi in quarto ſigno.

Illud ẽt quod eſt propinquius fini vltimo cõſueuit dici finis eorum, quæ ſunt remoti. Siue igitur quia Deus vult mundũ ſenſibilẽ in ordine ad hominẽ prædeſtinatũ, ſiue quia quodãmodo immediatius vult hominem amare ſe, quã mundũ ſenſibilẽ eſſe, homo erit finis mũdi ſenſibilis.

Patet igitur inæqualitas volibilium quantum ad ipſa volita, non vt volitio eſt ipſius voluntatis, quia vt ſic eſt omnino æqualitas, ſed vt tranſit ſuper obiecta modo prædicto, nec tamen illa inæqualitas eſt propter bonitatem præſuppoſitam in obiectis quibuſcunq; alijs à ſe, quæ ſit quaſi ratio ſic, vel ſic volendi; quia ideo ſunt bona, quia volita, & accepta, & non extra, vt patet à Doct. in 2. diſt. 37. & in 3. diſt. 29. & in quol. quæſt. 17. & alibi ſæpe, ſed

ratio eſt in ipſa voluntate, quia ſicut voluntas diuina acceptat, talia obiecta in tali, & tali gradu, ita ſunt præciſe bona in tali gradu, & non e contra. Vel ſi detur quod in eis, vt oſtenſa ſunt ab intellectu diuino, oſtéditur aliquis gradus bonitatis eſſentialis, ſecundum quem rationabiliter debet complacere voluntati; hoc ſaltem eſt certum, quod complacentia eorum quantum ad actualem exiſtentiam eſt mere ex voluntate diuina, abſque alia ratione determinante ex parte eorum.

Creatura poteſt tripliciter cōſiderari.

Pro intelligentia huius litteræ obſeruandum eſt, quod creatura poteſt tripliciter conſiderari, vno modo quatenus eſt in actu, & in effectu, actualiter exiſtens, ſecundo modo quatenus eſt in potentia ordinata ad actum, ſiue in potētia obiectiua, tertio modo quatenus eſt intellecta, vel, vt habet eſſe cognitũ, & ſic conſequēter pōt tripliciter dici, & eſſe bona, aut quatenus eſt iã in effectu producta, & exiſtens; aut quatenus eſt in potentia producentis, aut quatenus eſt in eſſe intellecto, ſcilicet, vt eſt cognita à Deo.

Deus aliter amat, quã nos.

Secundo obſeruandum eſt, quod aliter Deus amat, quam nos; nam Deus amat cauſando bonum, dum enim amat bonum facit, at verò nos à bono facto incitamur ad amandum, ideſt ad volendum tale bonum in eſſe amato; vel ad deſiderandum illud. Quod quidem ſic intelligendum eſt, quòd Deus prius natura bonos facit voluntate ſua, & factos amat; non quod ipſum facere bonũ ſit formaliter amare Dei; ſed quia volendo bonum nobis communicari, cōicat illud, & conſeruat, atq; ita amat nos iam factos bonos; amat enim eum qui eſt gratia dando illi gratiam, & conſeruando illam in ipſo. Noſter verò amor non pōt conferre bonum, ſed præſupponit illud in eſſe amato.

Ex his ſequitur primo, quòd creatura fuit prius à Deo dilecta, quam fuerit bona in actu, & effectu exiſtēs, nam creatura bona eſt quia à Deo volita, & amata amore efficaci; actus enim creandi, & producendi creaturam, eſt actus voluntatis, & amoris efficacis, quo Deus vult creaturam eſſe, vel fore pro tali tempore, atque ita creatura eſt bona, quia volita, & amata, & non è conuerſo, ſicut eſt ens, quia creata, & producta eſt, & non è contra.

Secundo ſequitur, quòd creatura prius ſecundũ rationem intelligendi fuit bona in potētia Dei, quam fuerit à Deo dilecta; Tum quia prius eſt creaturam poſſe fieri bonam, quod eſt eſſe bonam in potentia, quam illam eſſe dilectam à Deo; Nō enim quia Deus voluit poſſe fieri creaturam bonam, ideo potuit à Deo fieri creatura bona, ſed è contra; quia creatura potuit à Deo fieri bona ideo Deus voluit ipſam fieri bonam; atque adeo ſecundũ noſtrum modum intelligendi, prius eſt creaturam eſſe bonã in potentia, quam eſſe dilectã à Deo. Tum quia ſicut prius eſt ſecundum noſtrum modum intelligendi, quod res ſit vera in ſua cauſa, quam quod cognoſcatur in ſua cauſa; ita prius eſt, quod ſit bona in potentia ſuæ cauſę, quam quod à Deo diligatur in potentia ſuæ cauſæ.

Tertio ſequitur, quòd creatura prius fuit bona in eſſe intellecto, quam fuerit dilecta à Deo in illo eſſe volo dicere: quod prius, ſecundum rationem intelligendi, intellexit Deus bonitatem creaturæ, quod eſt ipſam eſſe bonam in eſſe intellecto, quam Deus vellet, & illud bonum ſecundum rationem; atque adeo creatura ſecundũ hanc bonitatem rationis; nō eſt bona quia volita, vel dilecta à Deo, ſed magis quia intellecta: nam per actum voluntatis non producitur creatura in tali bonitate, nec in tali entitate rationis; ſed magis per actũ rationis, ideſt intellectus; atq; ita poteſt dici, quod creatura nō eſt bona, quia à Deo volita, ſed magis è conuerſo, & hoc eſt quod vult dicere in hac littera Doct. ſub.

Contra hanc concluſionē arguitur. Deus omnia æqualiter intelligit, ergo omnia æqualiter diligit, conſequentia eſt nota, quia dilectio ſequitur intellectionem, antecedēs probatur, quia Deus vnico actu omnia intelligit, ergo omnia intelligit æqualiter.

Præterea omnia intelligit per vnã rationē formalem, ſcilicet rōne diuinę eſſentiæ, quę eſt intellectus diuini primum obiectũ motiuũ, & primo terminatiuũ, ergo ęqualiter oīa intelligit, ergo parimodo omnia ęqualiter diligit.

Præterea Sap. 6. dicitur Puſillũ, & magnũ ipſe fecit, & ęqualiter eſt ei cura de omnibus, ſed eo modo diligit, quo modo eſt ei cura, ergo videtur, quòd oēs ęqualiter diligat.

Ad primum, quod eſt argumētum ad oppoſitũ reſpondet Doct. in calce huius q. ſub. litt. L. §. Ad argumentũ in oppoſitum; dicens quod non concludit æqualitatē niſi, vt actus eſt operantis, nō autē, vt tranſit ſuper obiecta, id eſt, vt inquit D. Bona. q. 3. ad quartũ, quod ſi diligere accipiatur pro actu dilectionis, verũ eſt quod infertur, quia ſicut vnico actu cognoſcit omnia, ita vnico actu diligit omnia; ſi vero accipiatur diligere pro connotato effectu, ſic nō eſt verum; quia cognoſcere non connotat effectum, ſicut diligere, atque adeo non magis cognoſcit Deus vnam rem, quam aliam, ſed magis diligit vnam rem, quam aliam; quia magis bonum vult vni, quam alteri eodem modo reſpondet D. Thomas loco citato 1. par. art. 3. ad 3.

D. Bonau.

D. Thom.

Alex. de Ales.

Alex. de Ales. loco citato m. 3. dicit, quòd duplex eſt cognitio Dei, vel notitia; eſt enim notitia ſimplex, & eſt notitia beneplaciti; notitia ſimplex dicitur per modũ intellectus ſpeculatiui, & de hac verũ eſt quod æquè nouit omnia, quia nouit ea pro vt in ipſo relucent, & de hac nō eſt verum, quod quantum quis nouit tantũ diligit, ſecunda aũt cognitio eſt beneplaciti, & hęc eſt per modũ intellectus practici, & de hac, quę eſt cōiuncta cũ actu beneplaciti verum eſt, quod quantum quis nouit tantũ diligit, ſed non eſt verum de hac cognitione, quod Deus æquè nouit omnia. Sicut enim non æquè diligit oīa, ita nō æquè nouit oīa, imò meliora magis nouit, ideſt magis approbat, & minora bona minus, quod quidem intelligendũ eſt quantum ad connotatum, quia quantũ ad principale ſignificatum ſunt æqualia, & hoc modo dicitur Deus neſcire mala, vt Matth. 25. Neſcio vos, ideſt non approbo. Hęc Alex.

D. Bonau.

Ad ſecundum. Reſpondet D. Bonau. loco citato ad primum, quod illa authoritas, qua dicitur Deum ęqualē habere curã de omnibus, vult dicere, quod Deus non eſt acceptator perſonarum itaque habeat curam vnius, & non alterius, quod quidem alienum eſt à prouidētia Dei; non tamen negat quin Deus ordinatiſſime communicet dona ſuis creaturis, alijs maiora, & alijs maiora; Alex. de Ales loco citato, reſpondet primo, quòd Deus æqualiter habet curam de omnibus, quia quantum eſt ex parte Dei, æquè omnia conſeruat, quia quãtum in ſe eſt omnibus dat, vel offert effectum conſeruationis, ſed non omnia ęquè recipiunt iſtum effectũ, neque omnia ſunt capacia illius; quia res quædam habent eſſe defectibile, quædam verò indefectibile, ex parte ergo Dei æqualiter conſeruantur, ſed ex parte ipſarum rerũ prouenit, quod nō æquè conſeruetur.

Alex. de Ales.

Secundo reſpōdet Alex. quod ibi æqualiter dicit ſimilitudinem non menſurã, in hoc ſenſu, æqualiter eſt illi cura de omnibus, ideſt ſimiliter eſt illi cura de oībus, de hoc ſcilicet, & de illo, quia de omnibus habet curã, non tñ habet tantam curã de vno ſicut de alio: ſicut demonſtratis duobus pannis bonis, vno tñ altero meliore, poteſt dici, quod ſicut iſte pannis eſt bonus, ſimiliter ille, non tamen eſt tantum bonum iſte, quantum ille, ita in propoſito, Hęc Alex.

Quãuis Doc ſub. diligentiſſime, (licet laconice, vt ſolet) omnia pertractauerit in hac quæſt. quæ ſpectant ad dilectionem Dei, reſtant tamen aliqua dubia diſputanda, circa hanc materiã, de quibus tractant Alex. de Ales 1. par. q. 32. m. 2. & 3. D. Thom. 1. p. q. 20. per plures art. in ſolutionibus argumentorum D. Bona. hac d. art. 1. per multas quæſtiones, & Richardus eadem d. q. 2. & 3. &c.

DVBIVM I.

Vtrum Deus dilexerit Chriſtum Dominum pluſquam totum genus humanum.

D. Thom.
Bonauen.
Richard.

De hac re tractant D. Thom. 1. p. q. 20. art. 4. ad primum D. Bonau. hac diſt. art. 1. q. 5. & Richar. eadem d. art. 2. q. 4. & reſpondent affirmatiuè, cōcludentes excellentiam Chriſti Domini ſupra totũ genus humanum, imò ſupra totum vniuerſum. In qua re S. Bonauentura excedit omnes, qui de hac materia diſputant, cuius Doctrina eſt Sanctiſſima, & deuotiſſima, & ab omnibus flexis genibus ſuſcipienda; eo quod Deus tantum amauerit genus humanum, quod dedit nobis vnum hominem cunctis Angelis, & hominibus præſtantiorem. Talis enim, vt inquit D. Paulus ad Hebr. 7. decebat, vt nobis eſſet Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus

Digitized by Google

tus à peccatoribus;& excelſior cœlis factus,cuius celſitudini omnes creaturæ, omnes prophetæ, omnes Angeli, imò,& tota Trinitas teſtimonium perhibent, de qua repleta eſt Scriptura Sacra.

Aſſumptum autem probatur, quia ſi attendatur eſſe naturæ humanæ in Chriſto ipſa eſt vnica Verbo diuino, atque ita ille homo eſt Deus, quod eſſe non fuit datum toti mundo,atque adeo ratione perſonæ cui eſt vnita,habet nobilitatem quandam,& dignitatem inextimabilem, quæ excedit omnes alias gratias, & dignitates creaturarum, ergò Chriſtus, qui eſt perſona diuina in duabus naturis ſubſiſtens, eſt incomparabiliter magis dilectus à Deo, quam totum genus humanum, imò quam omnes creaturæ vniuerſi.

Rurſus ſi natura humana Chriſti attendatur in bonis gratiæ;Chriſtus in quantum homo eſt caput totius creaturæ rationalis, de cuius plenitudine omnes accipimus; Nam humana natura in Chriſto ratione gratiæ vnionis habuit Spiritum non ad menſuram, atque ita quaſi improportionabiliter excedit totum genus humanum, imò etiam omnes Angelos; Nam gratia,& gloria eius, excedit gratiam, & gloriam omnium Sanctorum hominum, & Angelorum,etiam ſimul,& collectiuè ſumptorum,atque adeo in bonis gratiæ fuit magis dilectus,quã omnes creaturæ rationales.

Contra propter vnum quodque tale, & illud magis 1. poſt tit. cap. 17. Sed Deus dedit filium pro mundo, ergo plus dilexit mundum, quam filium. Reſpondetur cum D.Bonauentura, & Richard.quòd illa propoſitio Philoſ. intelligenda eſt,quando illa particula, propter dicit habitudinem cauſæ finalis, non tamen prout dicit habitudinem cauſæ inducentis, vel congruitatis, minus enim bonum bene poteſt inducere ad faciendum maius bonum; etiam in nobis, vt eleemoſina inducit Sacerdotem ad Celebrandum, quod eſt maius bonum; at totum genus humanum, non fuit cauſa finalis incarnationis filij Dei: quia cum ſit caput noſtrum, noſque eius membra, non ordinatur finaliter ad nos, ſed nos potius ordinamur ad illum; non enim caput propter membra,ſed membra propter caput,ſed Chriſtus eſt caput noſtrum,ergo nõ Chriſtus propter nos, ſed nos propter Chriſtum; Item minus bonum,non eſt cauſa finalis, maioris boni, & ſi poſſit inducere aliquem ad faciendum maius bonum, ſed è contra.Cum ergo incarnatio Chriſti ſit maius bonum,quam redemptio totius generis humani,ſequitur quod non ordinatur ad illam tamquam ad finem ſui, ſed ſolum redemptio noſtra eſt ratio inducens ad faciendam incarnationem non ſimpliciter,ſed in carne paſſibili, atque mortali. Cauſa verò finalis, & principalis noſtræ redemptionis,& iuſtificationis, eſt gloria Dei, & Chriſtus, vt docet Concilium Tridentinum ſeſſ.6.cap 7. Si quidem vniuerſa propter ſe operatus eſt Dominus.

Contra nullus ſapiens dat rem magis dilectam pro re minus dilecta,ſed Deus dedit Chriſtum,pro ſalute humani generis iuxta illud Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. ergo magis dilexit genus humanum,quam Chriſtum.Reſpondeo, quòd excellentia Chriſti nihil perdidit ex hoc, quod eum Deus in mortem pro ſalute humani generis tradidit, quin potius ex hoc factus eſt Victor glorioſus, quia vt dicitur Iſaiæ. 9.Factus eſt principatus ſuper humerum eius, Quamuis enim Deus Pater plus dilexerit Chriſtum, & vitam eius temporalem,quam totum vniuerſum, quia vita eius præponderabat toti mundo, imò mille mundis, vt ait D.Anſelmus in lib.cur.Deus homo, propter vnionem humanitatis ad Verbum;nihilominus tradidit illum in mortem pro ſalute humani generis,vt inquit D.Paulus ad Roma. 8. Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.Quod quidem ideo factum eſt:quia ex ipſa morte maiorem gloriam, & honorem ſibi, acquiſiuit Chriſtus; non quidem apud Deũ, apud quẽ ſemper fuit æqualiter beatus,& æquali honore habitus,ſed apud creaturas intellectuales, quatenus meruit vt cognoſceretur eius nomen,quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur;Nam vt dicit Richard.loco citato ad 3.Sic Deus dedit vitam Chriſti pro humano genere,vt per hoc ei ſubijceret genus humanum,& vt nomen quod eſt ſuper omne nomen,quod Chriſtus iam habebat in re,haberet in hominum manifeſtatione,& fide, atq; ita patet,quomodo ex Chriſti morte nihil gloriæ,& excellentiæ perdidit Chriſtus,ſed potius,vt inquit Paulus ad Philip.2.propter ſuam mortem Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen,quod eſt ſuper omne nomen.

Anſelm.

Richard.

Sed contra hoc videtur D.Bernar. in Sermone de Maria Magdalena,& in Serm.de triplici cuſtodia manus, linguæ,& cordis,atque in Ser.57.paruo,& 12.ſuper Cantic. vbi affirmat Chriſtũ plus dilexiſſe corpus Eccleſiæ,quam ſuum proprium corpus,propriamque vitam, quãdoquidem illã tradidit pro Eccleſia,vnde in Ser.57.citato,Corpus eccleſię amabilius eſſe,ipſo corpore, Chriſti affirmat, & confirmari poteſt ex eo, quod Chriſtus eſt bonitatis finitæ, & genus humanum cum ſit in infinitum multiplicabile, eſt bonitatis infinitæ, atque adeo magis diligitur à Deo, quam Chriſtum, & Chriſtus magis diligit corpus Eccleſiæ,quam ſe ipſum. *D. Bern.*

Nihilominus tamen dicendum eſt Chriſtũ magis dilexiſſe ſe ipſum,quam totum corpus Eccleſię,& totũ genus humanum, Nã Chriſtus offerendo,atq; ad breue tempus vitam corporalem pro ſalute generis humani amittẽdo; maius bonum honeſtum tam præclaro, humilitatis, obedientię,& charitatis opere ſibi voluit,& cõparauit,quam ſit bonum vitæ,quod ad breue tempus amiſit, vltra exaltationem, honorem, & laudem, quæ ea ratione ſuit adeptus,copioſiſſimumque fructum, qui humano generi inde reſultauit.Etenim licet homo liberalis, & magnificus, ſua bona in aliorum vtilitatẽ diffundat,maius eſt tamen bonum honeſtum liberalitatis,& magnificentiæ,quod ſibi comparat,ac vult,quam ſint bona,quæ in aliorum vtilitatem diffundit quare licet alios diligat in quos liberalis,ac magnificus eſt, plus tamen ſe ipſum diligit, bonum honeſtum, ac virtutis ſibi eligendo.

Neque refert ſi quis dicat, humanitatem Chriſti in triduo non habuiſſe bonum vnionis cum Verbo, quia interim dũ non exiſtebat, vnita non erat verbo; Non inquam id refert, quoniam quantum bonũ fuiſſet humanitatem in triduo vnitam fuiſſe Verbo diuino,tantum bonum honeſtum, & meritorium laude ampliſſima dignũ ex morte propter Deum,atque in ſalutem humani generis tollerata,& ex voluntate carendi ob eumdem finem prædicta vnione redundauit, cum tamen illo eodem triduo partes humanitatis Verbo diuino vnitæ permanſerint.

Ad Confirmationem reſpondetur negando totũ.Chriſtus enim in primis quamuis ſit vnus ſingularis homo eſt dignitatis infinitæ,tum ratione gratiæ vnionis, tum ratione gratiæ habitualis,quæ data eſt illi abſque menſura,de cuius plenitudine omnes nos accepimus, quæ extẽdi etiã poteſt ad infinitos homines,ſi poſſent dari. Genus autem humanum quamuis ſit in infinitum multiplicabile per generationem,ſi mundus duraret in infinitũ, nunquam tamen eſſet actu infinitum nec perfectionis infinitæ, ſed ſemper eſt finitæ bonitatis,atque ita Chriſtus incomparabiliter excedit genus humanum. Hæc S. Bonauentura, vbi ſupra ad ſecundum.

DVBIVM II.

Vtrum Deus poſt Chriſtum Dominum magis dilexerit Beatam Virginem Mariam, quam vniuerſas creaturas rationales.

DE hac re egimus in prima parte huius 3.in diſt.14. Quando locuti ſumus de gratia, & gloria B.Virginis ideo breuiter,reſpõdemus prænotãdo,quod dilectio Dei erga creaturas, aut intelligitur reſpectu eſſe naturę,aut reſpectu gratiæ,& beatitudinis,& hoc ſecũdo modo ſæpe accipitur in ſcriptura, vt Malachiæ 1. & ad Roma.8.Iacob dilexi.Eſau autem odio habui.& Roma. 8.In his omnibus ſuperamus propter eũ qui dilexit nos.

Hoc ſuppoſito dico primo, quòd in bonis naturæ plus dilexit Deus quemlibet Angelum, quam Beatam Virginem Mariam, patet quia perfectiorem naturam tribuit Angelis. 1. Concl.

Digitized by Google

Dico ſecundo, quod in bonis gratiæ plus dilexit Virgi-
2. Concl. nem, quam aliam puram creaturam, etiam ſupremum Angelum, imò quam omnes creaturas rationales collectiue ſumptas; probatur, quia maiorem illi cōtulit gratiam,
Effrem. & beatitudinem, & ita ait Effrem in oratione de laudibus B. Virginis. Sanctior Cherubin, & Seraphin, & nulla comparatione cæteris omnibus ſuperis exercitibus glorioſior, & in his omnes conueniunt.

3. Concl. Dico tertio, probabile eſſe, quòd Deus dilexit B. Virginem, in bonis gratiæ, & beatitudinis, pluſquam omnes Angelos, & homines ſimul ſumptos. probatur. probabile eſt, quod contulit Beatæ Virgini maiorem gratiam, & maiorem gloriam, quam contulit omnibus Angelis, & Sanctis ſimul, & collectiuè ſumptis, ita vt ſi mente concipiamus, quod ex multitudine gratiarum Sanctorum Angelorum, & hominum, vna intenſiſſima gratia conſurgeret; non adæquatet gratiam Diuæ Virginis, ergo plus illam omnibus dilexit: antecedens probatum fuit à nobis ſupra in prima parte, huius tertij loco citato.

D V B I V M III.

Vtrum Deus magis diligat Angelum, quam hominem.

Alex. de Ales. De hac re tractat Alex. de Ales. 1. par. quæſt. 32. m. 1. vbi huic quæſito dupliciter reſpondet primo, quod ſi comparatio naturæ Angelicæ cum humana fiat, quatenus natura humana deſcendit ad indiuidua, maximè quatenus includit indiuiduum naturæ humanæ, quæ eſt in Chriſto, ſic natura humana eſt magis dilecta à Deo, quam Angelica; quia Chriſtus eſt excellentior cunctis Angelis. Si autem loquamur de natura humana abſolute, vt abſtracta ab indiuiduis, ſic natura Angelica eſt magis dilecta, quam natura humana.

Secundo reſpondet, quod natura Angelica, & humana poſſunt dupliciter conſiderari: Vno modo in ſtatu creationis, & ſic præſtantior eſt natura Angelica, quam humana, & conſequenter magis dilecta à Deo, quia maiora bona naturalia accepit. Si autem loquamur de ſtatu recreationis, ſeu reparationis, ſic natura humana excedit naturam Angelicam propter Chriſtum Deum, & hominem. Cui enim Angelorũ (vt dixit D. Paulus) dixit Deus filius meus es tu, ego hodie genui te? ad Hebræos. 1. Habemus nos inter homines vnum hominem Deum, qui eſt caput hominum, & Angelorum, ipſi verò Angeli non habent vnum Angelum Deum. Hanc ſecundam reſponſionem ſecutus eſt D. Bonauentura loco citato art. 4. Sed
D. Bonau. Sanctus Thomas ſecutus eſt primam reſpōſionem 1. par.
D. Thom. quæſt. 20. art. 4. ad ſecundum, addit tamen, quòd etſi Angelus quo ad conditionem naturæ ſit melior homine, atque adeo magis à Deo dilectus, cæterum quãtum ad gratiam, & gloriam æqualitas inuenitur; cum eadem menſura ſit Angeli, & hominis, vt dicitur Apoc. 20. ita tamen vt quidam Angeli erunt ſuper quibuſdam hominibus, & è contra. Nec tamen Deus ideo naturam humanam aſſumpſit, quia hominē abſolute plus diligeret; ſed quia plus indigebat. Sicut bonus Paterfamilias aliquid precioſius dat ſeruo ęgrotanti, quod non dat filio ſuo; eodem modo etiam reſpondet in 3. diſt. 32. quæſt. 1. artic. 5. quæſtiuncula tertia, vbi dicit, quòd quantum ad bonum naturæ, plus diligit Deus Angelum, quam hominē, ſed quantum ad bonum gloriæ, ſe habent ſicut excedentia, & excesſa, quia quoſdam homines plus, & quoſdam Angelos plus, & quoſdam æqualiter glorificabit, quia homines erunt æquales Angelis, & quidam etiam ſuperiores Angelis, & vnicuique prouidit Deus ſecundum exigentiam naturæ, & ſtatus ſui. Hæc S. Thomas. Eodem prorſus modo reſpondet Richardus eadem diſt. art. 2. q. 1. vbi ita ſcri-
Richard. bit De dilectione Dei poſſumus loqui dupliciter, aut ratione actus diligendi, aut ratione boni voliti dilecto à diligente, primo modo Deus non magis diligit Angelum, quam hominem, nec è conuerſo, nec quamcumque creaturam: quia eodem actu diligendi ſimpliciſſimo, qui eſt idem, quod ipſe diligit ſe, & creaturã: ſecundo modo magis diligit quoſdam homines, quã Angelos, vt Chriſtum, & B. Virginem, quia maius bonum gratiæ & gloriæ vult eis, quam quibuſcumque Angelis, vt in pluribus tamen magis Angelos diligit, quam homines, quia Angelis vult maius bonũ naturæ, & plures ſunt Angeli ſuperiores hominibus, quantum ad bonum gratiæ, & gloriæ. Reſolute tamen iuxta doctrinam Seraphici Doct. pono tres conclusiones.

Prima Concluſio. Deus magis dilexit Angelos, quam 1. Concl.
homines, quantum ad effectum creationis. probatur primo: quia in creatione Angelorum meliora bona naturalia dedit Angelis quam hominibus, quia fecit eos incorruptibiles, & ſpirituales, & potentiores hominibus, atq; ita magis manifeſtatur potentia Dei in creatione Angelorum, quam hominum, ergò magis dilexit illos. probatur conſequentia, quia vt dictum eſt ſupra art. 4. maior, vel minor dilectio attenditur ex parte effectus, & boni voliti. Secundo hæc concluſio probatur, quatuor rationibus D. Bona. factis in principio 4. art. quæ ſolum probant Angelos eſſe meliores, quantum ad naturam, vide ibi.

Secunda Concluſio. Si loquamur de effectu repara- 2. Concl.
tionis Deus magis dilexit homines, quam Angelos. probatur primo, quia Angelos non ſeparauit, ſed deſeruit, homines autem reparauit aſſumendo naturam humanam, ſecũdo probatur quatuor alijs rationibus D. Bona. quæ ſunt in argumento, ſed contra vide ibi.

Tertia Concluſio. Si quis quærat, quæ iſtarũ dilectio- 3. Concl.
num magis excedat aliam? reſpondēdum eſt, quod ſecundum ſtatum præſentē dilectio Angelorũ eſt maior, quam dilectio hominum, ſed ſecundum ſtatũ futuræ gloriæ dilectio hominum eſt maior, quia tunc ibi reparatio hominis erit conſumatã: ſecundo, quia tunc de pluribus habebit homo vnde gratias agat Deo; primo, propter beneficium incarnationis, nunquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ ad Hebr. 2. Secundo propter beneficium redemptionis: quia mortuus eſt pro hominibus, & non pro Angelis. Tertio propter beneficium eminentis glorificationis: quia homines exaltauit ſuper omnes Angelos, ſcilicet Ieſum, & eius nobiliſſimã Matrem, & multi homines maiorem gloriam habebunt, quam Angeli. Quarto propter magnitudinem, & nimietatem diuinæ charitatis erga nos, vt dicitur ad Epheſ. 2. Deus qui diues eſt in miſericordia propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, cum eſſemus mortui peccato, conuiuificauit nos Chriſto; atque dilexit nos nõ ſolum in ſtatu amicitię, ſed etiam inimicitiæ, nempe cum eſſemus mortui peccatis; Angelos verò malos numquam dilexit, nec eorum procurauit conuerſionem, quæ omnia abſq; dubio maiora dona ſunt in illo ſtatu, quam omnia dona naturalia data Angelis in creatione.

D V B I V M IV.

Vtrum Chriſtus magis dilexerit Petrum, quam Ioannem.

Alex. de Ales. 1. par. quæſt. 32. m. 4. abſolute docet *Alex. de*
Petrum fuiſſe magis à Chriſto dilectum, probat *Ales.*
ex illo Prouer. 8. Ego diligentes me diligo; ergo eos etiã magis diligit, à quibus magis diligitur. Et quamuis locus ille Prouerb. de ſapientia in vniuerſum intelligatur, eo quod qui diligunt ſapientiam, ipſa etiam illos diligit, hoc eſt, illis ſe præbet, nihilominus aliunde id ipſum probari poteſt. Qui enim diligit Deum diligitur à Deo Ioan. 14. Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum; & alibi, qui diligit me diligetur à Patre meo, ergo qui magis diligit magis diligitur. Petrus autem dilexit Chriſtum plus, quam cæteri Apoſtoli. Nam Ioan. vigeſimoprimo, interrogatus à Chriſto an plus diligeret ipſum, ter illud affirmauit, cui trinæ reſponſioni Dominus reſpondit dicens; Paſce oues meas ac ſi diceret. Quia plus diligis me, paſce oues meas. ergo Petrus magis fuit dilectus à Domino. Item D. Auguſtinus ſuper illa verba, ait ideo

Chriſtum

Digitized by Google

Chriſtum hoc interrogaſſe: quia ſciebat Petrum plus *Caietan.* alijs Chriſtum dilexiſſe, & ita ait Caietanus ibidem, quod Chriſtus fecerit ibi comparationem inter charitatem Petri, *Sotus.* & aliorum Apoſtolorum. & Sotus in 3. de iuſt. & iur. quæſt. 6. articulo ſecundo, in probatione nonę concluſionis affirmat tanquam certum, quod quando Chriſtus Ioan. 12 eligit Petrum in ſuum Vicarium, erat tunc temporis Petrus omnium Apoſtolorum præſtantiſſimus, & idcirco interrogauit eum de charitate; quia præcipuum in quo iudicatur aliquis dignior alijs, vt eligatur in prælatum, eſt charitas, & vt omnibus conſtaret *D. Thom.* ter ipſum de charitate interrogauit. Et D. Thomas in 3. par. quæſt. 45. ad quartum ex Chryſoſtomo hom. 57. in Matth. ait quod Chriſtus aſſumpſit ſecum Petrum ad transfigurationem ſuam videndam, quia excellens fuit *Gabriel.* inter alios in dilectione. Vnde rectè Gabriel in 3. diſt. 32. quæſt. 1. art. 3. dub. 3. ſub conditione concedit, Petrum à Chriſto plus cæteris fuiſſe dilectum, ſi ipſe etiam plus *Greg. Naz.* Deum amauit. Fauent huic ſententiæ Nazianzenus, in oratione ad Iulianum tributorum exequutorem, quæ eſt 9. vbi Petrum appellat Apoſtolum Deo chariſſimum; *Cyrillus.* cũ pro eo Dominus ſoluit didrachma; Et Cyrillus Alex. lib. 12. in Ioan. capit. 64. cum ait, Petrum maiorem erga Dominum cæteris Apoſtolis amorem habuiſſe.

D. Hieron. Contra vero D. Hieronymus libro primo contra Iouinianum, ex multis titulis probat Ioannem Euangeliſtam *Dionyſ.* fuiſſe magis dilectum à Deo; & ita Dionyſ. libro de *Tertullia.* Eccleſiaſt. Hierarch. 3. parte, & Tertullianus libro de præſcriptionibus aduerſus hæreticos capit. 22. appellant Ioannem chariſſimum, ſeu dilectiſſimum. Quod vero Petro dederit claues regni Cœlorum, & primatum Eccleſiæ ſuæ non mirum, inquit Hierony. ætati n. delatum eſt, vt cęteri tanquam ſeniori auſcultarent.

D. Aug. Auguſtinus tamen tract. vlt. in Ioannem non audet litem dirimere, & decernere, cuiuſnam eorum ſanctitate, & charitate præſtiterit; ſed myſticis quibuſdam interpretationibus vtramque ſententiam conciliare conatur. Sic *D. Thom.* etiam S. Thomas 1. par. quæſt. 20. artic. 4. ad tertium, & *D. Bonau.* D. Bonauentura hac diſtinct. quæſtione vltima, nihil de hac re definiunt. ſed loca ſcripturæ, quæ vni aut alteri fauere videntur, ita interpretantur, vt Petrus fortius Chriſtum dilexerit, Ioannes vero familiarius, vtrius autem ſanctitas maior fuerit non decernunt. imo D. Thomas dicit præſũptuoſum videri hoc diiudicare: quia vt dicitur prouerb. 16. Spirituum ponderator eſt Dominus & non alius; Quod etiam notauit Sanctus Bonauentura dicens in calce illius quæſtionis. Quis eorum apud Deum finaliter fuerit charior, hoc melius eſt expectare, ſ. vſque ad gloriam, quam hic temere definire.

Cæterum quamuis abſolutè in hac vita hæc quæſtio definiri non poſſit, nihilominus tamen probabiliter loquendo ex coniecturis abſque præſumptione ſeu temeritate dicere poſſumus præſtantiſſimum omnium Apoſtolorum fuiſſe Petrum, vt conſtat ex his quæ adduximus in confirmationem ſententiæ Alex. Alen. & inſuper confirmari poteſt ex communi vſu, quem Deus ſeruat in Scriptura Sacra. Quando enim Deus aliquem elegit ad aliquod munus ſemper ſolet eligere meliorem, vt patet in Noe, quem elegit ad fabricandam arcam, quia erat omnium iuſtiſſimus, & in Moyſe, quem elegit ad gubernandum ſuum populum, quia erat vir omnium mitiſſimus, & in Saule, quem elegit in Regem, de quo dicitur primo Regum 9. quod non erat melior illo in toto populo Iſrael. Cum ergo Chriſtus Petrum elegerit ad tantum munus gubernandi ſuam Eccleſiam, & illum præpoſuerit alijs Apoſtolis ſignum magnum eſt, quod erat alijs præſtantior, atque ita abſque temeritate poſſumus probabiliter affirmare Petrum in charitate excelluiſſe cæteros Apoſtolos; Quod ſi vt dicit Diuus Bonauentura ille altior eſt in Cœlis, qui finaliter maiorem charitatem habet in terris, conſequens eſſe videtur Petrum cunctis Apoſtolis eſſe præferendum in charitate, & dilectione Dei, licet Sanctus Ioannes in alijs priuilegijs maioris familiaritatis erga Chriſtum ſit B. Petro anteponendus, vt optimè determinat Alexander de Ales, & Diuus Bonauentura, cuius rei in Cœlis certiſſimam habebimus cognitionem; atque adeo quis in Cœlis eorum ſit ſanctior, melius eſt, vt expectemus determinate videre in Cœlis, quam temere hic determinate definiamus in terris. Non enim ipſi de hoc altercationem habent in Cœlo; ergo neque nos de eis habeamus in terra. Sed tantùm probabiliter, quod probabilius videtur exiſtumemus.

D V B I V M V.

Vtrum Deus magis diligat innocentem, quam pœnitentem.

Hanc quæſtionem tractant ex profeſſo Alexander *Alexand. de Ales.* de Ales loco citato membro tertio. Sanctus Thomas *D. Thom.* in tertia diſtinct. 32. quæſt. 1. articulo quinto quæſtion. 2. & Richard. eadem diſt. art. 2. q. 3. Vnde ad *Richard.* quæſtionem ſit

1. Concl. Prima Concluſio. Quantùm ad præmium eſſentiale, ſi habent æqualem charitatem, Deus æqualiter diligit pœnitentem, & innocentem; & illum magis diligit, qui habet maiorem charitatem ſiue ſit pœnitens, ſiue innocens. Hęc concluſio eſt communis iſtorum Theologorum, & illam expręſsè tenet Sanctus Bonauentura in *D. Bonau.* quæſt. 6. Sanctus Thomas tenet illam non ſolum in tertio ſentent. ſed etiam in prima parte queſt. 20. articul. 4. ad 4. & probatur, quia pręmium eſſentiale, quod conſiſtit in viſione, & fruitione Dei, diſtribuitur iuxta menſuram charitatis; ergo habentibus æqualem charitatem, ęquale premium dabitur ſiue ſit pœnitens ſiue innocens.

2. Concl. Secunda Concluſio. Quantùm ad pręmium accidentale magis diligit Deus innocentes, quam pœnitentes. Hanc concluſionem tenent prędicti patres; & probatur primo, quia cęteris paribus, dignior eſt innocentia, quam pœnitentia, ergo eſt magis dilecta à Deo. Secundò quia innocentes in vita ęterna habebunt ſpeciale gaudium accidentale de hoc, quod nunquam fœdus initum cum Deo violauerint, quod tamen non habebunt peccatores pœnitentes, ergo plus diligit Deus quantum ad iſtud pręmium accidentale innocentiam, quam pęnitentiam. Tertiò quod eſt diuturnius eſt magis eligendum, & diligendum, ſed bonum innocentis eſt diuturnius, ergo magis diligendum à Deo. Quartò reſurgens à peccato nunquam redit ad tantam dignitatem, quamuis poſſit redire ad tantam, & maiorem charitatem, quam innocens; ſicut virgo corrupta nunquam poterit redire ad integritatem deperditam, quamuis poſſit tantam pęnitentiam agere, vt in charitate excedat alias virgines; ergo quantùm ad hoc plus diligit Deus innocentem, quam pęnitentem.

Contra primam concluſionem arguitur. Lucę 7. dicitur. Cui minus dimittitur minus diligit, ſed minus dimittitur innocenti, quam pęnitenti, ergo minus diligit Deum innocens, quam pęnitens; ſed qui minus Deum diligit minus diligitur à Deo, ergo &c.

Pręterea gaudium erit in Cęlo ſuper vno peccatore pęnitentiam agente, quam ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pęnitentia, vt dicitur Lucę 15. Sed de bono rei magis dilectę habetur maius gaudium; ergo à curia Cœleſti magis diligitur vnus pęnitens, quam multi innocentes, quod non eſſet verum, niſi Deus magis diligeret pęnitentem, quam innocentem.

Richard. Ad primum dico cum Richardo, quod ille locus Lucę 7. Cui minus dimittitur &c. intelligitur quando cętera ſunt paria; ſi tamen illi, cui minus dimittitur multo plus datur, quam alij, cui magis dimittitur, ille prior cui minus dimittitur habet rationem plus diligendi. Innocenti autem habenti æqualem charitatem cum pęnitente plus boni datum eſt, quia à Deo accepit continuitatem, & perſeuerantiam ſuę bonitatis, quam pęnitens habuit interruptam. Vnde cum per illam parabolam Dominus declarare voluit Magdalenam plus diligere, quia plus erat ei dimiſſum, non intendebat eam comparare ad ſe ipſam, vel ad aliam, æqualem bonitatem ſemper ſeruantem ſine interruptione, ſed ad aliam pœnitentem, cui non eſſet facta ita perfecta re-

miſſio, ſicut facta erat Magdalenæ. Vnde non licet arguere. Cui minus dimittitur minus diligit: Beatæ Virgini Mariæ nihil fuit dimiſſum, ergo minus eam diligit, non valet, quia non fit comparatio ibi, niſi inter pœnitentes; & præterea Beatiſſimæ Virgini fuit maius donum datum quam Mariæ Magdalenæ, & ideo plus diligebat, quam Magdalena.

Alexan. Ad ſecundum dico primo cum Alexandro, quod Deus plus dicitur gaudere de pœnitente, quam de innocente, quia plerumque pœnitentes cautiores, humiliores, & feruentiores reſurgunt. Vnde D. Greg. hom. 34. in Euangelia dicit; *D. Greg.* quod Dux in prælio eum militem plus diligit, qui poſt fugam conuerſus, hoſtem fortiter premit, quam qui nũquam fugit, nec vnquam fortiter pugnauit. Aliud exemplum eſt de igne, qui ſi apponitur in illum aqua, & illam ſuperat, magis poſtea feruet, quam prius. Vnde quo ad hoc, melior eſt iſte pœnitens, quam ille iuſtus, & magis à Deo diligitur.

D. Tho. Secundò dico cum D. Thoma; quod ideo Deus magis gaudet in Cœlo de vno peccatore, quam de multis iuſtis, quia æquale donum gratiæ comparatum pœnitenti, qui meruit pœnam, plus eſt, quam comparatum innocenti, qui non meruit pœnam. Sicut centum marchæ argenti maius bonum eſt, ſi dentur pauperi, quam ſi dentur Regi, ita in propoſito.

Richard. Tertiò dico cum Richardo, quod maius gaudiũ aliquã do ſuſcipitur de re minus dilecta, quam de re magis dilecta; quãdo ſcilicet euaſit magnum periculum, & aliquod magnum malum, quod nunquam incurrit res magis dilecta; & ſic intelligitur illud Lucæ 15. vbi Pater dicit filio maiori. Fili tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt, epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus mortuus fuerat, & reuixit; perierat, & inuentus eſt. Sicut aliquis Paterſamilias plus gaudet de ſanitate ſerui ægrotantis, quam de ſalute filij ſani.

DVBIVM VI.

Vtrum Deus magis diligat iuſtum præſcitum, quam peccatorem prædeſtinatum.

Alex. de Ales. IN hac quæſtione ferè omnes Doct. Theologi conueniunt. Nam Alex. de Ales loco citato, m. 2. reſpondet, quod prædeſtinatus ſimpliciter loquendo magis diligitur, præſcitus autem vt nunc magis diligitur, quia prædeſtinatio reſpicit tempus ſimpliciter, non tempus nunc.

D. Tho. Sanctus Thomas loco citato art. 5. quæſtio. 1. & 1. p. q. 20. art. 4. ad 5. reſpondet eodem modo, quod Deus ſimpliciter loquendo magis diligit prædeſtinatum, quam præſcitum, quia maius bonum vult peccatori prædeſtinato, quam iuſto præſcito; ſed vt nunc maius bonum vult iuſto præſcito. *Richard.* Richar. loco citato q. 2. reſpõdet prorſus eodem modo, ac Sanctus Thomas.

D. Bonau. *Dilectio Dei eſt duplex.* D. Bonauẽtura circa litteram Magiſtri hac d. dubio 3. reſpondet diſtinguendo, quod duplex eſt dilectio, quedã eſt dilectio approbationis, alia eſt dilectio electionis, prior dilectio cum ſit temporalis reſpicit præſentem ſtatum, poſterior dilectio cum ſit æterna reſpicit ſtatum futurum, in quo homo debet æternaliter permanere. Dilectione igitur approbationis magis diligit Deus iuſtum præſcitum, quam peccatorem prædeſtinatum: quia illa dilectio reſpicit ſtatum præſentis iuſtitiæ; dilectione autem electionis magis diligit Deus peccatorem prædeſtinatum. Quod ſi quæras ſimpliciter loquendo quem Deus magis diligit? Reſpondet, quod ſimpliciter magis diligit eum, quem prædeſtinat, quam eum, quem reprobat; quia non eſt quæſtio de homine, quantum ad qualitatem culpæ, ſed quantum ad ordinem naturæ reſpectu gratiæ, & glorię. Hæc D. Bonauent. Quibus ſuppoſitis reſpondetur ad queſtionem tribus concluſionibus.

1. Concl. Prima Concluſio. Abſolutè, & ſimpliciter loquendo, Deus magis diligit quemlibet iuſtum, quam quemlibet peccatorem. Hæc Concluſio eſt communis, quia hic tantùm comparamus iuſtum cum peccatore; imo eſt abuſiua comparatio dicere, quod Deus magis diligat iuſtum, quam peccatorem, quia peccatorem Deus odio habet. probatur concluſio primo ex Concilio Conſtantienſi ſeſſione 15. vbi damnatur tanquam error, quod prædeſtinatus nunquam eſt membrum Diaboli. *Concilium Conſtan.* Et certè ſi Deus magis diligeret peccatorem prædeſtinatum, quam iuſtum pręſcitum, videtur ſequi, quod prædeſtinatus nunquam eſſet membrum Diaboli, quod eſt manifeſtè falſum; quia quamdiu eſt in peccato, eſt membrum Diaboli. Secundò probatur prouer. 8. Ego diligentes me diligo; ſed iſte peccator non diligit Deum; ergo non diligitur à Deo. Tertiò, in hac propoſitione. Deus magis diligit quemlibet iuſtum, quam quemlibet peccatorem ſignificatur, quod Dei dilectio reſpiciat iuſtum pro tempore, quo iuſtus eſt; & peccatorem pro illo tempore, quo eſt peccator, ſed pro tunc Deus odio habet peccatorem, & diligit iuſtum; ergo abſolutè loquendo illa propoſitio eſt vera. Deus magis diligit iuſtum, quam peccatorem. Quartò, in iuſto eſt duplex bonum. ſ. bonum naturæ, & bonum gratiæ; in peccatore autem tantùm eſt bonum naturæ, ergo Deus magis diligit iuſtum, quam peccatorem: quia plurima bona illi communicat.

2. Concl. Secunda Concluſio. Abſolutè, & ſimpliciter loquendo Deus magis diligit quemlibet prædeſtinatum, quam non prædeſtinatum. Hæc Concluſio etiam eſt communis. probatur, illum Deus plus diligit, cui vult maius bonum, ſed prædeſtinatio eſt maximum bonum, & illud vult Deus huic peccatori, puta Petro in peccato mortali exiſtenti, ergo iſtum peccatorem prædeſtinatum magis diligit, quam iuſtum præſcitum; minor patet, quia finalis gloria eſt incomparabiliter maior quacunque gratia pręſenti. Pręterea in hac propoſitione ſignificatur, quod Deus ſua dilectione reſpicit bonum, quod in tempore futuro eſt communicandum prędeſtinato; nam reſpicit perſeuerantiam in gratia, vſque ad exitum vitę, & hoc bonum ſemper eſt maius in comparatione ad bonum, quod communicatur non prędeſtinato; ergo abſolutè loquendo Deus magis diligit prędeſtinatum, quam non prędeſtinatum.

3. Concl. Tertia Concluſio. Hęc propoſitio, Deus magis diligit peccatorem prędeſtinatum, quam iuſtum pręſcitum, non eſt abſque diſtinctione concedenda. Nam ſi dilectio Dei referatur ad pręſentem ſtatum .i. ad tempus quo aliquis eſt iuſtus, etiam ſi alias ſit pręſcitus; & ad tempus, quo alius eſt peccator etiam ſi alias ſit prędeſtinatus; falſa & erronea eſt illa propoſitio: quia pro tunc eſt membrum Chriſti viuum ille, qui iuſtus eſt, & alter eſt membrum Diaboli. Si autem dilectio Dei referatur ad vltimum vitę tempus, vera eſt propoſitio: quia tunc ipſe prędeſtinatus erit in gratia, & pręſcitus in peccato. & ita Alexander. D. Thomas. D. Bonauent. & Richar. diſtingũt illam propoſitionem.

Bannes. Sed ſi queras, an ſimpliciter loquendo ſit concedenda. Reſpondet Bannes 1. p. q. 20. art. 4. quod ſimpliciter loquẽdo magis eſt neganda, quam diſtinguenda; quia illud verbum Magis diligit. potius connotat tempus pręſens, quã futurum. Nec inquit reputo tutum talem propoſitionem coram populo proferre, quia ſtatim ſcandalizatur, putans quod prędeſtinatus quidquid fecerit, nunquam cadat à gratia, pręſertim ſi adhibeatur tale exemplũ, quod ſicut mater plus diligit proprium filium veſtimentis ſordidis indutum, quam filium ancillę eleganter, & pulchre veſtitum; ita Deus ſemper plus diligit prędeſtinatos quãtumlibet peccatis ſordidos, & immundos, quam pręſcitos quantumlibet iuſtos. Quod quidem exemplum multum ſapit hereſin condemnatam in Concilio Cõſtantiẽſi, vbi ſupra. Ideo ſapienter D. Bona. non concedit ſimpliciter iſtam propoſitionem huius tertiæ concluſionis, ſed illam ſecundæ concluſionis, ſcilicet Deus magis diligit prædeſtinatum, quam non prædeſtinatum, quia prædeſtinatio, vt ſic, tãtum connotat tempus futurum, in quo iſte finaliter erit in gratia, & ſaluabitur. Atque hæc dicta ſint de Theologicis virtutibus.

Digitized by Google

DE VIRTVTIBVS MORALIBVS.

DISTINCTIO. XXXIII.

POST prædicta de quatuor virtutibus, quæ principales vel Cardinales vocantur diſſerendum eſt. &c. Mirabili equidem ordine procedit Magiſter Sen. in diſponendis ſiue ordinandis diſtinctionibus huius libri tertij. Nam poſt tractatum de virtutibus Theologicis, agit de virtutibus moralibus cardinalibus, videlicet Iuſtitia, Prudentia Fortitudine, & Temperantia. Et diuiditur hæc breuis diſt. in quatuor ſecta: quorum primum definitiones quatuor virtutum Cardinalium, iuxta D. Auguſt. continet. In ſecundo docet quare virtutes Cardinales appellentur. In tertio oſtendit, quod iſtæ virtutes pleniſſime fuerunt in Chriſto. Et in quarto demonſtrat iuxta aliquorũ ſententiam, tres iſtarum virtutum in beatis in patria haud remanere, ſed ſolam iuſtitiam quæ tũc perficietur. Circa primum ſit hæc concluſio.

1. Concl. *Cardinales virtutes quatuor ſunt. Iuſtitia, Prudentia, Fortitudo, & Temperantia.*

D. Aug. Iuſtitia quid ſit. *Iuſtitia ſecundum D. Aug. lib. 14 de Trinit. c. 9. eſt virtus in ſubueniendo miſeris; quæ definitio intelligenda eſt, prout Iuſtitia dicit habitudinem ad Chriſtum Dominum, in quo fuit in maximo ſtatu ſicut & cæteræ virtutes. Nam generalior quidem eſt actus Iuſtitiæ quam ſit ſubuenire miſeris; quippe cum actus eius ſit reddere vnicuique, quod ſuum eſt; cæterũ excellentiſſimus Iuſtitiæ actus eſt ſubuenire miſeris quippe qui excellens eſt in merito, & nos Chriſto maxime conformat, qui noſtram miſeriam ſuã fecit, & vt noſtris ſubueniret miſerijs Redemptor noſter factus eſt.*

Prudentia quid ſit. *Prudentia eſt virtus in præcauendis inſidijs. Hic etiam definitur prudentia in ſummo quæ eſt per cautelam inſidiarum, quæ virtuti, & vitæ beatæ inſidiantur, atque adeo prudentia, ſicut & iuſtitia, definitur per actum vnius partis prudentiæ quæ eſt prouidẽtia; quia omnes partes prudẽtiæ ordinantur ad iſtam ſicut imperfectum ad perfectũ: nam memoria præteritorum ordinatur ad cautelam futurorum, parum enim valet eſſe circunſpectum in his, quæ facta ſunt, niſi per hæc homo fiat circunſpectior in his, quæ facienda ſunt.*

Fortitudo quid ſit. *Fortitudo eſt virtus in perferendis moleſtijs; Nam quamuis ferre moleſtias videatur pertinere ad actum patientiæ, tamen plus dicit actionem, quam paſſionem. Ille enim vere dicitur moleſtias perferre, qui perfecte eas fert. hoc eſt, qui iis non ſuccumbit. ſed qui eis ſuper effertur, & talis vere dicitur fortis; quia non ſolum non deducitur, verum etiam magis agit, quam agatur, & hoc eſt proprium ipſius fortitudinis. Nam & ſi omnis virtus circa triſtitias, & delectationes conſiſtat per modum electionis, & fugæ; ſola tamen virtus fortitudinis conſiſtit per modum ſupportationis, & tolerantiæ.*

Temperantia eſt virtus in coercendis prauis delectationibus. Et hæc definitio datur de Temperantia ſecundum ſtatum naturæ lapſæ, in qua delectationes prauæ oriuntur, & per virtutem tẽperantiæ refrenantur & circa hoc maxima conſiſtit difficultas temperantiæ in viatoribus; & in hoc conformamur Chriſto, licet non omnino: quia Chriſtus eiuſmodi delectationes non ſenſit. nec eis conſenſit. Nos autem, & ſi eis non conſentimus, eos tamen ſentimus, atque ita aliquo modo eidem conformamur, cum delectationes huiuſmodi coercemus. coercere autem poteſt dicere vel reſiſtentiã quandam reſpectu huiuſmodi delectationum, quæ conſiſtit in earum repreſſione, & hoc competit homini in ſtatu naturæ lapſæ; vel poteſt dicere, omnis inordinatæ delectationis abſentiam, & priuationem, & ſecundum hanc rationem, temperantia, & homini in ſtatu innocentiæ, & Chriſto Domino conuenit. Temperã tia q̃d ſit.

In ſecunda parte habet Magiſter hanc concluſionem. 2. Concl. *Quatuor iſtæ virtutes Cardinales nuncupantur, quia per eas in hac vita mortali bene viuimus, & poſt hanc vitam ad æternam peruenimus. Vnde ſicut cardines oſtij dicũtur ſuper quib. poſtes vertuntur; ita in quatuor prænominatis virtutibus vertitur vita ſtudioſa. Vel Cardinales ſeu morales dicuntur ſecundum quoſdam, quaſi cordiales, ad differentiam corporalium virtutum: nam ſecundum Iſidorum cardo à corde dicitur, ſeu deriuatur; à Philoſophis autem cardinales dicuntur, quia in his ſicut in cardine eſt reuolutio totius vitæ humanæ.* Iſidorus.

In tertia parte, eſt tertia concluſio. 3. Concl. *Iſtæ virtutes pleniſſime fuerunt in Chriſto, & ſunt, atque in ipſo eoſdem actus, & vſus habuerunt, quos in patria habebunt, & etiã quoſdam quos in via habẽt.*

In quarta parte, eſt quarta concluſio. 4. Concl. *Licet quidam opinati ſint ex his quatuor virtutibus ſolam iuſtitiam in beatis remanere, veriſimilius tamen eſt etiam tres alias eſſe in patria remanſuras. Probatur primo authoritate D. Auguſtini lib. 14. de Trinit. c. 9. ubi dicit, quod in patria erit prudentia ſine vllo iam periculo erroris fortitudo ſine moleſtia tolerandorum malorum, Temperantia ſine repugnantia libidinum, vt prudentia ibi ſit nullum bonum Deo præponere, vel æquare; Temperantia nullo defectu noxio delectari; fortitudi-* D. Aug.

nis ei

Digitized by Google

nis ei firmiſſime cohærere. Quod uero nunc agit Iuſtitia in ſubueniendo miſeris, quod prudentia in præcauendis inſidijs, quod fortitudo in perferendis moleſtijs, quod temperantia in coercendis delectationibus prauis; non erit ibi omnino, vbi nihil mali eſt. Iſta ergo virtutum opera huic mortali vitæ neceſſaria, ſicut fides, ad quam referenda ſunt, in præteritis habebuntur. Ecce aperte hic dicit Auguſtinus, quod prædicta virtutes in futuro erunt, ſed alios vſus tunc habebunt quam modo.

Beda. *Secundo probatur authoritate Bedæ in Gloſſa ordinaria ſuper Exodum. c. 26. Vbi inquit. Columnæ ante quas expanſum eſt uelum, poteſtates cæli, ſunt, quatuor eximijs uirtutibus præclara, id eſt, Fortitudine, Prudentia Temperãtia, Iuſtitia, quæ aliter in cælis ſeruantur ab angelis, & animabus ſanctis, quam hic a fidelibus. Et conſequenter aſſignat Beda uſus illarum uirtutum, ſecundum præſentem ſtatum, & futurum. imitans Auguſtinum in præmiſſis aſſignationibus. Circa hãc diſt. mouet Scotus vnicam quæſtionem, ut uidebimus. Sed primo aliqua breuiter explicanda ſunt. & circa uirtutem in ſe; & circa ſingulas Cardinales uirtutes.*

DE VIRTVTE IN COMMVNI.

Virtus multipliciter ſumitur. NON vno modo apud Philoſophos ſumitur virtus: Nam primo capitur, vt ſe extendit ad naturam, ſeu ad potentiam aliquam, & ſic accipit Ariſt. virtutem in 1. cœli. t. 131. 132. & 137. & 138. ex quibus locis elicitur illa famoſa authoritas, virtus eſt vltimum de potentia. Secundo modo ſumitur pro quacunque diſpoſitione bona ordinante ad finem, & ſic de ea loquitur Ariſt. 7. Ethic. c. 17. Vbi dicit, q̃d virtus eſt diſpoſitio ad optimum, atque ita habitus corporales, habitus intellectuales, & habitus morales dicuntur virtutes. Tertio modo capitur virtus pro virtute morali, & ſic definitur ab Ariſt. 2. Ethi. c. 5. Virtus eſt habitus, qui perficit habentem, & eius opus bonum reddit, quam etiam ibidẽ ſecundo etiam definit. Virtus eſt habitus electiuus in mediocritate conſiſtens, quo ad nos ratione terminata, & vt ſapiens terminaret; & cap. 5. eiuſdem. 2. docet ſuas paſſiones, ſcilicet quia conſiſtit circa difficilia, & eſt moderatiua paſſionum, & in cap. 9. dicit, quod virtus conſiſtit in medio.

Ariſt.

Virtus alia intellectualis alia moralis. In principio autem 2. & 6. Ethi. diuidit virtutem in intellectualem, & moralem, & dicit quod ſcientiæ ſpeculatiuæ, & etiam practicæ, quæ non dictant, vt bene viuamus, non ſunt virtutes morales, tamen lato vocabulo omnes ſcientiæ poſſunt dici virtutes intellectuales. Vnde apud Philoſophos duplices ſunt virtutes, quædam mentis, & rationis, cuiuſmodi ſunt diſciplinæ, & artes; quædam vero moris, quales ſunt illæ, quæ Cardinales dicuntur, Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia.

Virtutes itellectuales ſunt quinque. Virtutes mentis, ſeu intellectuales ſecundum Phil. 6. Ethi. c. 4. ſunt quinque, ſcilicet intellectus, ſcientia, ſapientia, prudentia, & ars. Quarum ſufficientia poteſt ſic accipi, quia habitus ſui diuiſione prima diuiditur in practicum, & ſpeculatiuum, ſi eſt ſpeculatiuus eſt duplex, quia vel eſt de per ſe notis, vel non de per ſe notis; ſi primo modo eſt intellectus, ſi ſecundo modo, vel eſt de cauſis inferioribus, & ſic eſt ſcientia, vel de ſuperioribus, & ſic eſt ſapientia. Si autem eſt habitus practicus, aut eſt de agibilibus, & ſic eſt prudentia; aut eſt de factibilibus, & ſic eſt ars. Vel poteſt aliter iſtorum habituum ſufficientia ſic aſſignari: quia omnis habitus aut eſt de vniuerſalibus, aut de particularibus, ſi de vniuerſalibus, vel de per ſe notis, & ſic eſt intellectus, vel non de per ſe notis, & hoc vel de inferioribus, vel de ſuperioribus, ſi de inferioribus eſt ſciẽtia, ſi de ſuperioribus ſapientia. Si de particularibus vel de agibilibus, vel de factibilibus, de agibilibus prudentia, de factibilibus ars. Dicuntur autem huiuſmodi virtutes intellectuales, quia ſunt in intellectu poſſibili ſicut in ſubiecto.

Sueſſanus. Virtus heroica. Alia eſt virtus heroica, quæ a Sueſſano in proœmio primi Phy. ſic definitur virtus heroica nihil aliud eſt niſi plena, & perfecta rationis cum appetitu concordia, & de iſta tractat Ariſt. in ſeptimo Ethi. & ibi dicit, quod ille dicitur heroicus, qui eſt plenus omnibus virtutibus, & caret omni vitio, ita vt in omnibus regatur ratione, & talis dicit Ariſt. non inuenitur: quia ſi inueniretur potius diuinus, quam humanus deberet appellari, & ex hoc virtus heroica dicitur diuina, dato quod reperiatur in homine. Et ex hoc patet error Sueſſani vbi ſupra, qui vult, quod virtus heroica ſit diſtincta a diuina. Et ibidem dicit etiã Ariſt. quod oppoſitum virtutis heroicæ, quod dicitur beſtialitas ſiue incontinentia non inuenitur, talis enim eſſet, qui haberet omne vitium, & careret omni virtute, & dicit quod tales ſi reperiantur, quod ſunt pauci, & ſunt in parte auſtrali in Aethyopia, & in Eſclauonia, oppoſitũ tamen negatiue bene datur, ſaltem quo ad hoc, quod eſt carere omni virtute; licet non quo ad hoc, quod eſt habere omne vitium.

Virtus heroica quid ſit. Quid autem ſit virtus heroica eſt duplex modus dicendi, vnus eſt quod virtus heroica eſt aggregatio omnium virtutum moralium in ſummo, atque ita virtus heroica eſt ens per accidens; Alius eſt modus dicendi qui eſt Scoti in hac 3. d. ſequẽti in fine vbi vult, quod virtus heroica eſt quęcunq; virtus in ſummo, & in gradu perfectiſſimo. Vnde ſi quis haberet oẽs virtutes in ſummo in gradu perfectiſſimo ille haberet tot virtutes heroicas, quot eſſẽt illę virtute. Vnde bene dicit Franciſcus Maronus, quod virtus heroica eſt culmen, & faſtigium cuiuſcunque virtutis, & quod non eſt vna virtus.

Franciſc.

Virtutes morales ſunt operandi cauſa, & cur dicantur morales. Virtutes morales ſunt cauſa operandi, & morales vocantur, tum quia aſſuetudine comparantur, & conſeruantur, & roborantur; tum quia rectos vitæ mores tanquam rem obiectam, & materiam in qua verſantur habent, inſuper quæ recta ratione, & prudentia tanquam regula diriguntur, vt Ariſt. tradidit lib. 2. Ethi. c. 6. & de his virtutibus eſt pertractandum.

Virtutes Theologicæ. Præter has ſunt tres virtutes Theologicæ, quas ex ſacris litteris didicimus, ſcilicet fides, ſpes, charitas, de quibus egimus in ſuperioribus, quibus addi poteſt pœnitentia virtus diuinitus infuſa, quatenus in ijs, quos ſuorũ peccatorum pœnitet, vt oportet, conſequitur charitatem. Differũt autem Theologicæ virtutes a virtutibus moralibus primo obiecto, materia, & fine. Nam theologicarum obiectum, finis, & materia proxima eſt Deus, at moralium eſt res ratione recta præſcripta. Et ſi dicas obedientia, pietas, & religio in Deum, ſunt virtutes ad mores pertinentes, & tamen habent Deum, vt obiectum, vt & pœnitentia, qua Deo pro peccatis ſponte commiſſis ſatisfacimus, reſpondeo. prædictas virtutes non verſari circa Deum tanquam proprium obiectum. Nam religionis obiectum eſt cultus, qui Deo debetur, pietatis honor, & reuerentia, quæ Deo defertur, obedientiæ obſequium, quod Deo præſtamus, & quo ei tanquam Domino paremus; pœnitentiæ vero officium eſt opus, quo Deo pro peccatis charitatis impulſu, & imperio ſatisfacimus. Et ſi iterum dicas, quod fides, ſpes, & charitas acquiſitæ hac ratione erunt virtutes Theologicę, quia habent Deum pro obiecto; Reſpondeo quod virtus Theologica ſecundum Scotum ut vidimus ſupra d. 26. tres conditiones requirit. prima, quod aſpiciat Deum immediate. ſecunda quod habeat pro regula primam regulam humanorum actuum, non autem regulam acquiſitam. tertia quod ſit infuſa immediate a Deo, atque adeo fides, ſpes, & charitas acquiſitæ: quæ tantum habent duas primas conditiones, & non tertiam, non ſunt proprie virtus Theologicæ, ſed uirtutes mediæ appellari poſſunt. Deinde differunt uirtus Theologicæ a moralibus; quia Theologicæ virtutes regulæ diuinæ innituntur

Nam

Digitized by Google

Nam fides credit res provt ſunt à Deo reuelante prædictæ, ſpes vitam æternam, diuinam gratiam, & alia bona, quibus ad præmia cæleſtia peruenitur expectat, provt ſunt diuinitus promiſſa. Charitas Deum, vt amicum noſtrum propter ipſum diligit, & cæteros omnes amat, vti Deus ipſe voluit, tamquam amicos, diuinæ gratiæ, & æternæ felicitatis compotes, at verò virtutes morales recta ratione, & prudentia tamquam regula diriguntur, vt diximus ſupra.

Quid ſit virtus moralis, & quotuplex.

Ariſt.

STOici Socratem ſecuti, vt tradit Ariſt. 6. Ethic. c. vlt. definierunt omnem virtutem eſſe ſcientiam. Prudẽtiam quidem rationem, ſiue ſcientiam recte eligendi. Fortitudinem ſcientiam aduerſa, & acerba, & mala ſtrenue perferendi. Temperantiam, ſcientiam moderate fruendi delitijs, & voluptatibus. Iuſtitiam ſcientiam ius ſuum cuique tribuendi.

Ariſt. verò inquit partim errauit Socrates, partim, qđ verum eſt dixit. Peccauit, quia dixit virtutem eſſe rationem, ſiue ſcientiam recte agendi, ſiue viuendi; In eo verò non errauit, quod ad virtutem ſcientiam requiri docuit; quia licet virtus ſcientia non ſit, ſine ſcientia tamen, hoc eſt, ſine prudentia eſſe non poteſt. Certe Socrates virtutem definiuit non per formam, ſed per cauſam, originem, & regulam ſuam, ita etiam multa Philoſophi ſæpe definiunt, vt ira eſt quidam aſcenſus ſanguinis in cor; linea quædam puncti in longum deductio. Sic prudentia non eſt forma, ſed origo, norma, & regula virtutis. Vnde

Ariſt. lib. 2. Ethic. c. 6. definiuit virtutem eſſe, quæ eum, cuius eſt, bonum, & opus etiam eius bonum reddit. Sunt quidam opinati hac definitione Ariſt. haud definire virtutem moralem, ſed virtutem in vniuerſum acceptam quatenus partes ſubiectiuas habet tum virtutes moris tũ mentis, & naturæ, quod probant: quia Ariſt. hiſce exemplis definitionem probauit. Nam oculi, inquit, virtus ea eſt, quæ oculum ad intuendum reddit idoneum; & equi virtus eſt, quæ ipſum facit aptum ad curſum. Cæterum eo loco non contendit Ariſtot. agere de virtutibus provt virtus cõplectitur quãlibet virtutẽ eſſe vim ſiue equi ad currendum, ſiue oculi ad videndum, ſed de moralibus ſolum, quæ ſunt in affectu: nam cum præmiſiſſet cap. 1. eiuſdem libri, quaſdam eſſe virtutes intellectus, & appetentis facultatis, deinde in ſequentibus vſque ad quintum librum ſolum agit de virtutibus moralibus, de intellectualibus verò diſputat libro 6. Prædicta igitur definitio ſolum traditur de virtute morali, & per bonum intelligi debet id, quod in moribus reperitur, & ſolet appellari ſtudioſum, dignumque eſt laude. Manifeſtat autem Ariſt. illam definitionem per ea, quæ in naturalibus patent; Nam virtus oculi, quæ eſt potentia viſiua, facit oculum eſſe bonum: Ad nihilum enim valet oculus ſine potentia viſiua, & facit opus oculi, id eſt, viſionem, eſſe bonam: nam per potentiam viſiuam videmus, & bene videmus; ſimiliter virtus equi, quæ eſt potentia portatiua, facit equum bonum, & opus ſuum bonum, quod eſt deferre bene ſeſſorem, & bene currere, & bene ſe habere in expectando bellatorem. Si igitur hoc eſt verum in virtutibus naturalibus, vt in exemplis patuit, erit etiam verum in homine; vt dicatur, quod virtus hominis eſt habitus, quo fit homo bonus, & quo redditur opus ſuum bonum, verbi gratia, iuſtitia eſt virtus hominis, quia eſt habitus, quo fit homo bonus; eſſe enim iuſtum eſt bonum, & opus procedens à iuſtitia eſt bonum: quia eſt laudabile, & meretur præmium.

Altera autem, & ſatis celebris definitio virtutis eſt. Virtus eſt bona qualitas mentis, qua recte viuitur, & qua nullus male vtitur, quam Deus in nobis ſine nobis operatur, quæ eſt D. Aug. vel potius elicitur ex D. Aug. lib. 3. de lib. arb. cap. 18. & 19. Sed hæc definitio, vt recte animaduertit D. Thomas, 1. 2. quæſt. 25. art. 4. & Gabriel. in 3. diſtin. 33. quæſt. 1. art. 3. dub. 2. eſt ſolum virtutis diuinitus infuſæ, non moralis, quæ vſu, & conſuetudine comparatur.

D. Aug.
D. Thom.
Gabriel.

Definitio verò virtutis moralis acquiſitæ ſine controuerſia eſt ab Ariſt. tradita 2. Ethic. c. 6. vbi ait virtutem eſſe habitum, quo poſſimus eligere bonum, in mediocritate conſiſtens, provt recta ſapientis, id eſt, prudentis ratio præſcribit. Hæc autem ſunt verba Ariſt. Virtus eſt habitus electiuus in mediocritate conſiſtens ea, quæ eſt ad nos definita ratione, & vt definierit ipſe prudens. Ait eſſe habitum: quia virtus nec eſt ipſa animæ facultas, quoniam virtus acquiritur, facultas autem eſt naturæ inſita; nec eſt affectus animi: quia affectus virtute corriguntur, nec eſt actus, quia virtus etiam cum ab opere deſiſtitur in animo permanet. Dicitur electiuus, id eſt, ſecũdum electionem: quia virtus non operatur, ſiue ſtudioſus per virtutem niſi per electionem, & deliberationem. Dixit in mediocritate conſiſtens; quia omnis virtus moralis, quæ in animi perturbationibus cohibẽdis verſatur, ordinem, & modum conſtituit inter duos affectus animi alterum nimium, & immodicum; alterum verò exiguũ, & minimum, vt videbimus infra. Dixit provt ſapiens præſcribit, quia modus certus, quem in affectibus eligit virtus recto prudentiæ iudicio definitur. Nam contingit rationem interdum eſſe rectam, quandoque erroneã, atque adeo ad hoc explicandum dicit, vt ſapiens iudicabit, vel determinabit. Sapiens enim quatenus ſapiens non iudicat, nec determinat niſi ſecundum rectam rationem.

Ariſt.

Eſt igitur virtus habitus bonus animi iudicio, & electione ſuſceptus, in mediocritate conſiſtens; ſic ratione rectus, vt prudens præſcripſerit. Eſt habitus non inſuſus à Deo, non à natura inſitus; ſed vſu, & conſuetudine, ſeu exercitatione comparatus; non malus, ſed bonus; non corporis, ſed mentis; non temeritate, non caſu, non vi; ſed iudicio, conſilio, ſponte, & voluntate ſuſceptus; non in exceſſu, aut defectu; ſed in medio, tam vitiorum, quam affectuum conſtitutus; non perturbatione, ſed ratione, & prudentia directus, hoc eſt, non vt quiſpiam ſibi, ſed vt prudens cuique agendi modum, & circumſtantias præſcripſerit D. Auguſtinus lib. 1. de moribus Eccleſiæ c. 15. omnem virtutem Cardinalem dixit eſſe amorem, Tẽperantiam amorem, quo quis ſe integrum, & incorruptum Deo ſeruat. Fortitudinem amorem, omnia propter Deũ facile perferentem; Iuſtitiam cæteris propter Deum ſua tribuentem. Virtus amor eſt, non quidem quòd amor ſit virtutis forma, ſed cauſa, & origo.

D. Aug.

Circa numerum virtutum moralium. Quidam innumeras eſſe tradiderunt, alij verò vnam tantum; alij quatuor. Aureolus quolib. 14. enumerat 83. virtutes morales; 18. ſub Prudentia; 22. ſub Iuſtitia. 15. ſub Fortitudine 25. ſub Tẽperantia. Ariſt. tñ vndecim videtur conſtituiſſe, videlicet Temperantiam, Liberalitatem, Magnificentiã, Magnanimitatem, Fortitudinem, Iuſtitiam, Manſuetudinem, Gratiam, Humanitatem ſeu Affabilitatem, Vrbanitatem, Integritatem.

Numerus virtutum moraliũ.
Aureol.

Vnde obſeruan. eſt ex communi Philoſophorum, & Theologorum conſenſu, quatuor eſſe præcipuas virtutes morales, quæ Cardinales vulgo nominantur. Prudentiam, Iuſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam, Quorum numerus, ex parte facultatum animæ quas efficiunt, aperte colligitur. Nam virtus aut eſt in mente, & ratione, quæ cum quadam animi ſolertia, quid in rebus agendis, tenere, & ſequi debeamus perſpicit, & hæc eſt prudẽtia: aut eſt in appetitu rationis, quæ alteri tribuit, quod ſuum eſt, & hæc eſt iuſtitia: aut eſt in appetitu iraſcendi, ne per vim lædamus alterum, & vt ardua, & magna, & moleſtia libenter, & prompte ſuſcipiamus, ne quis rei difficultate deterritus officium recuſet, aut deſerat, & hæc eſt fortitudo; aut eſt in appetitu concupiſcendi, vt quiſque in appetendis voluptatibus modum, & ordinem ſeruet, & hæc eſt temperantia.

Quatuor ſunt præcipuæ virtutes morales.

Idem numerus virtutum moralium, ex officio virtutis recte deducitur; Nam vt Cicero docet lib. 1. de officijs, omne vitæ humanæ officium ex partibus quatuor oritur; aut ex ea, qua quis, quid in rebus agendis verum, quid faciendum, quid fugiendum perſpicit; aut ex ea, quæ in hominum ſocietate tuenda, tribuendoque ſuum cuique, & in rerum contractarum fide ſeruanda verſatur; aut ex ea, quæ in animi excelſi, & inuicti magnitudine, & robore conſiſtit; aut ex ea, quæ in omnium, quæ fiunt, quæque dicuntur modo, & ordine, conſtituta eſt.

Cicero.

Præte-

Digitized by Google

Præterea ratione affectuum, qui virtutibus corriguntur idem quatuor virtutum numerus comprobatur; Nã affectus animi præcipui ſunt quatuor. Cupiditas, Voluptas, Metus, & Dolor. cupiditates, & voluptates, quæ corpus, & ſenſus oblectant, emendat, & corrigit temperantia: metus, & dolores, qui nos moleſtia, & triſtitia afficiunt, refrenat, & temperat fortitudo. Prudentia verò præſtat ne ſimus in agendo inconſtantes, leues, temerarij, & præcipites inconſtantia eſt, qua quis facile conſilium mutat. Temeritas verò eſt, qua quis facile nullo adhibito conſilio credit, Præceps verò eſt is, qui ſine conſideratione, ac modo, quippiam agit; ſtudium, & amorem, ac cupiditatem lucri, & pecuniæ compeſcit liberalitas, vt iuſtitia, æquum in commercijs, & contractibus ordinem teneas, & Fortitudo eſt veluti columna ciuitatis, aut domus. Temperantia veluti frenum, & habena affectuum ſeu morum. Prudentia eſt veluti norma, & regula rationis; Iuſtitia eſt veluti trutina æquitatis. Hoc veluti quadrigarum curru vita hominis ſapienter, & rectè vehitur ad finem rationi congruentem.

An virtutes Cardinales ſpecie differant. Sed dubium eſt, an virtutes Cardinales ſpecie differunt, an potius ſint vna virtus modis quatuor, ſiue quatuor officijs, aut functionibus diſtincta? hoc eſt an diuiſio virtutis ſit partitio generis in ſpecies; an verò potius eiuſdem virtutis in quatuor modos, ſiue accidentia.

Aureol. Quidam enim vt refert Aureolus loco citato ſenſerunt vnam eſſe virtutem, quatuor officia obeuntem. De omni namque actu ſtudioſe elicito vnum eſt dicere, quod in eo eſt ratio debiti, & iuſti; Nam faciens actum virtutis, facit quod debet; & iterum ratio fortitudinis, quia difficultatem quandam, quam habet actus virtutis, contra quam ſtudioſus ſe ſtabilit. ſimiliter ratio temperantiæ; quia in omni actu virtutis neceſſe eſt obſeruare temperiem, & modum; Et rurſum ratio prudentiæ in quolibet actu ſtudioſo relucet. Quo circa iſta nomina, vt ſignificant has conditiones generales, non ſunt propriè virtutes, ſed omnium virtutum circunſtantiæ. Aliquando verò appropriantur hæc nomina virtutibus, quę ſunt circa materias in quibus præcipue relucent conſiderationes illæ, vt quia temperies, & modus relucet maximè circa delectationes guſtus, & tactus idcirco temperantia appellatur illa virtus, quæ perficit hominẽ circa iſtam materiam; Et ſimiliter fortitudo dicitur illa virtus, quæ perficit hominem circa timores mortis, vbi difficilius eſt homini ſe figere, & ſtabilire, & ſimile eſt de ratione debiti in actionibus ad alterum; quia ibi magis relucet, quã in quacunque alia materia. Bonum etiam rationis maximè relucet in actionibus rationis practicæ, quæ ſunt conſiliari, iudicare, præcipere, & ſecundum hoc Prudentia, Iuſtitia, Temperantia, Fortitudo, ſunt virtutes ſpecificæ conſiſtentes circa determinatas materias.

Dixerunt ergo iſti, quod ratio Cardinalitatis attribuitur iſtis quatuor prout ſunt virtutes ſpeciales; pro eo qd eſſe Cardinale in virtutibus nihil aliud eſt, quam habere rationem aliquam virtuoſam per excellentiam, & principaliter; quæ tamen reperiatur in pluribus alijs virtutibus participatiue, & minus principaliter.

D. Ambr. Et hæc ſententia confirmari poteſt. Primo teſtimonio D. Ambroſij, lib. 2. officiorum cap. 9. dicentis, eſt ergo indiuiduum ſapientiæ, atque iuſtitiæ contubernium, ſed vulgi vſu diuiditur; vna quædam forma virtutum ſit nobis, communis opinionis gratia, quadripartita facta diuiſio. Secundo authoritate D. Gregorij lib. 22. moral. c. 1. *D. Gregor.* Qui ait. Vna itaque ſine alijs, aut nulla eſt virtus, aut imperfecta, quia neque prudentia vera eſt, quæ iuſta, temperans, & fortis non eſt, nec temperantia, quæ fortis, iuſta, & prudens non eſt; Nec fortitudo integra, quæ prudens, & iuſta, & temperans non eſt; Nec vera iuſtitia, quæ prudens, tẽperans, & fortis non eſt. *Ariſt.* Ariſt. lib. 2. Ethic. cap. 4. in omni virtute, requirit, vt ſit prudens, vt ſit conſtans, & fortis, vt ſit moderata, & temperans; vt rectum in omnibus ordinem tenens cuique tribuat, quod illi debetur. Accedit his, quod vna virtus hominem ſimpliciter bonum non reddit, niſi fuerit prudens, fortis, temperans, & iuſta; ergo quatuor primarię virtutes potius ſunt quatuor vnius virtutis modi quidam, & conditiones, quam ſpecies vni generi ſubiectæ.

Cæterum conſtans eſt Philoſophorum, & Theologorum opinio, quatuor virtutes primarias ſpecie, & genere differre; Nam habitus ex rebus obiectis diſtinguuntur. Præterea certum eſt ab omnibus virtutibus; quæ communicant in vna ratione generali poteſt abſtrahi vnus conceptus quidditatiuus communis, & per conſequens vna ratio generis ſubalterni, verbi gratia, à ſobrietate, caſtitate, manſuetudine, clementia, & eutrapelia poteſt accipi vna ratio generalis, qua omnes conueniunt in temperie; non ſunt enim aliud, quam diuerſæ temperies circa diuerſas materias, & idcirco temperantia eſt genus ad omnes. Similiter à Religione, quæ reddit Deo, quod ſuum eſt, & pietate, quæ hoc reddit parentibus, & ſic de omnibus alijs poteſt abſtrahi vna communis quidditatiua ratio: quia omnes ſunt quædam redditiones debiti circa diuerſas materias, & ideo iuſtitia eſt vnum genus commune omnibus. Et idem intelligẽdum eſt, quod ab eubulia, quæ eſt rectitudo conſilij, & Syneſi, quæ eſt rectitudo iudicij, & præceptiua prudentia, quæ eſt rectitudo imperij, poteſt abſtrahi communis ratio, & quidditatiua; quia omnes ſunt rectitudines actuum rationis circa agibilia; & ideo prudentia erit genus ad omnes.

Et pari ratione à patientia, magnanimitate, & longanimitate poteſt abſtrahi ratio fixionis, & ſtabilimenti; quia omnes iſtæ ſunt quædam firmitates animi circa diuerſas materias, propter quod fortitudo genus erit ad eas; Non attribuitur ergo Cardinalitas, vel eſſe Cardinale virtutibus propter participare principaliter aliquam rationem, quæ modo minus principali participatur ab alijs; ſed ideo appellantur virtutes Cardinales: quia ſunt principales; nam cardo idẽ eſt, quod principalis, hæ quatuor virtutes ſunt tanquam omnium aliarum fontes, & cardines, & vt fores circa cardines vertuntur, ſic omnes vitæ noſtræ rationes, & officia in illis verſantur, & vniuerſi boni operis ſtructura in ipſis innititur. Vnde D. Ambroſius lib. 5. in Lucam in illa verba deſcendit cum illis, *D. Ambr.* & ſtetit in loco campeſtri, haſce quatuor virtutes Cardinales, & D. Gregorius homilia 3. in Ezechielem principa les appellat. *D. Gregor.*

Ambroſius verò, Gregorius, & Ariſt. ſolum dicere voluerunt eas ſibi inuicem colligatas, non tamen eſſe vnam virtutem, cum in rebus genere, & ſpecie diuerſis verſentur; quomodo autem virtutes ſint inter ſe colligatæ ſiue connexæ videbimus diſt. in ſequenti.

Quo pacto Virtutes morales acquirantur, in qua re, & materia obiecta verſentur, & quo modo in mediocritate conſiſtant.

Circa primum cum virtus ſit habitus, & habitus generetur ex actibus, ideo primo videndum eſt quid ſit actus ſtudioſus generans habitum, qui appellatur virtus. Vnde obſeruan. eſt, quòd Scotus in quolib. *Scotus.* quæſt. 18. Sic definit actum moralem. Bonitas actus moralis eſt integritas eorum omnium, quæ recta ratio operantis iudicat debere ipſi actui conuenire, vel ipſi agenti in ſuo actu conuenire, & explicando hanc definitionẽ dicit, quod ſi actus eliciatur ſecundum rationem non rectam, quæ tamen ab operante iudicatur recta, non eſt ex hoc moralis actus, deinde dicit, ꝙ quinque circunſtantiæ actui conueniunt, vt ſit moraliter bonus, prima eſt circunſtantia obiecti, ſecunda finis, tertia modi, quarta temporis, & quinta & circunſtantia loci, & ibi etiam declarat, quomodo iſte actus pro formali, ideſt quatenus ſtudioſus, nihil eſt niſi comparatio quędam, atq; adeo actus moralis pro ſubſtrato, eſt aggregatum, ſeu ens per accidens, & pro formali eſt reſpectus realis, & nota quod actus moralis tres ſunt cauſæ, ſcilicet prudentia, potentia, & habitus, qui eſt virtus moralis.

Secundo obſeruan. eſt, quòd quando debet actus bonus moraliter elici, ratio, ideſt intellectus prius debet cognoſcere ſubiectum huius actus obiectum eiuſdem, & actum ipſum in ſe; & ex illis tribus debet elicere modum operandi, & tempus operandi, finem, & locum & cauſam; ita quod ſi à fortuna, & non ex deliberato conſilio, vel

Digitized by Google

vel ex intentione actus eliceretur, qui omnia præfata haberet, ipſe non diceretur bonus moraliter; ſed ſi ex certa ſciẽtia, & ex deliberatione, vel ex deliberato cõſilio actus eliceretur, tunc actus ille dicitur moralis; Vnde ſi recta ratio dictat, & actus conformiter ellicitur illi dictamini, actus dicitur moraliter bonus; ſi autem non ineſt rectum dictamen, tunc actus non dicitur bonus, quod ſi difformiter recto dictamini eliciatur, tunc non ſolum non eſt bonus, ſed poſitiue malus.

Ex his ſequitur primo, quod obiectum ſolum conueniens non ſufficit ad hoc, quod actus dicatur moraliter bonus, ſed neceſſario requiritur, quod omnia dictata à recta ratione debere conuenire actui, adſint. Secundo ſequitur, quòd nullus actus eſt bonus moraliter niſi habeat omnia, quæ recta ratio dictat debere actui neceſſario ineſſe. Tertio ſequitur, quòd nullus actus eſt propriè moraliter bonus, ſi ratio non plene dictat, & non plene inquirit de illis; quæ debent cõuenire, vel in eſſe actui. Quarto ſequitur, quòd idem actus numero, antequam eliciatur, eſt in potentia ad malitiam moralem, & bonitatem moralem, & non malitiam: ſiue indifferentiam; ſicut commedere poteſt eſſe bonum moraliter; poteſt etiam eſſe moraliter malum; atque etiam poteſt eſſe indifferens, & hoc dupliciter. primo, ſi ratio nihil dictat, ſecundo ſi ratio dictat, ſed non plene, vel voluntas non plene proſequitur: atque adeo non eſt idem non malum, & bonum; ſimiliter non eſt idem non bonum, & malum: quia non malum, & non bonum dicunt indifferentiam; ſed bonum, & malum dicunt poſitiuum aliquem reſpectum.

Bonitas moralis ẽ reſpectus intrinſecus adueniẽs.

Tertiò obſeruan. eſt, quod bonitas moralis eſt reſpectus intrinſecus adueniens, qui oritur ex natura extremorum: huiuſmodi autem extrema ſunt, vnum dictamẽ rectæ rationis, & alterum extremum ſunt omnia alia; conuenientia autem illa, vel proportio, quæ dicitur bonitas moralis ex natura eorum oritur, atque ita eſt reſpectus intrinſecus adueniens, qui reſpectus non cauſatur propriè: Nullus enim reſpectus intrinſecus adueniens cauſatur propriè, ſed præciſe reſultat ab extremis, atque adeo bonitas moralis nullam cauſam actiuam habet propriè dictam, ſed ſi aliqua cauſa eſt reſpectus intrinſecus aduenientis, illa debet poni vtrunque extremum; licet verius cauſa vtriuſque extremi, vel virtus poſſit remote dici cauſa reſpectus.

Ex hoc ſequitur primo, quod bonitas moralis eſt accidens actus, quia ſolum reſpectum dicit ſuper actum, ſecundo ſequitur, quod licet idem actus numero non poſſit ſimul, & ſemel eſſe moraliter bonus, & moraliter malus, poteſt tamen idem actus, qui primo fuit moraliter bonus. Secundo eſſe moraliter malus, & è conuerſo, vt ſi quis pſallat in choro per integram horam, & in principio intendat Deum pro fine, & in medio laudem humanam, vel ècõtra. Tertio ſequitur, quod nihil abſolutum in actu non moraliter bono demitur, vel acquiritur ex hoc, quod ſit moraliter bonus; atque adeo ſine mutatione abſoluta, quæ eſt ad formam abſolutam actus poteſt effici moraliter bonus, vel malus, ſed non ſine mutatione reſpectiua, quæ eſt ad formam reſpectiuam.

Actus moralis quomodo cauſat habitũ, & ècõtra.

Quarto obſeruan. eſt, quòd nulla relatio ſiue reſpectus eſt phyſice actiuus, atque adeo actus moralis pro formali non cauſat habitum moralem, ſed actus moralis pro materiali, cauſat habitum pro materiali; habitus enim de genere qualitatis, ideſt quatenus qualitas eſt, cauſatur ex actibus, quatenus qualitates ſunt; ratio autem virtutis in habitu oritur ex natura extremorum, quemadmodum ratio actus ſtudioſi oritur in actu ex natura extremorũ: Nam virtus moralis ſolum dicit reſpectum ſuper actum, & habitum: actualem quidem in actu, habitualem autẽ, ideſt potentialem in habitu, ita quod actus, & habitus ſunt fundamenta reſpectus, ſed recta ratio eſt terminus; atque adeo habitus de genere qualitatis ex eo appellatur virtus, quia de ſua natura aptus natus eſt conformari prudentiæ, ideſt dictamini recto, ita quod illa conformabilitas ad prudentiam, eſt ratio virtutis. Eſt tamen diſcrimen inter actum, & habitum moralem; quia actus, vt moralis dicit reſpectum intrinſecus aduenientem, ſed habitus moralis dicit tantum reſpectum extrinſecus aduenientẽ; nam dicit tantum reſpectum habitualem, ſi autem eſſet reſpectus intrinſecus adueniens diceret reſpectum actualem; Tum quia poſitis extremis, ideſt illa qualitate, quæ dicitur habitus, & prudentia non ſequitur neceſſario illa relatio, quæ dicitur habitus moralis, vt docet Scotus in 1. diſtin. 17. ſub littera Q. Ex his ſequitur primo, quod actus moralis, pro formali, nullius habitus moralis eſt cauſa, quia relatio non eſt actiua, Secundo ſequitur, quòd habitus moralis pro formali cum ſit relatio non poteſt per ſe primo produci, ſiue effici cum ſecundum Ariſt. 5. Phy. 10. ad relationem nõ ſit per ſe motus intellige primo. Tertio ſequitur, quòd actus moralis pro materiali, eſt cauſa habitus pro materiali. Quarto ſequitur, quòd etiam habitus moralis pro formali nullius actus moralis eſt cauſa, & quod actus moralis pro formali non poteſt per ſe primo produci, ſed habitus moralis pro materiali, eſt cauſa actus moralis pro materiali. Et ex his patet primum, quo pacto, ſcilicet, virtus moralis acquiratur.

Ariſt.

Ariſt. autem 2. Ethic. c. 1. Primo docuit virtutes morales nequaquam per naturã exiſtere; In hoc.n. à facultatibus differunt; quæ ſunt natura nobis innatæ, & inſitæ; virtutes autem ſunt habitus, noſtra diligentia comparati. Deinde tradit Ariſt. virtutes morales more, & aſſuetudine acquiri; hoc enim intereſt inter eas, & virtutes intellectuales, quod hæ, doctrina, diſciplina, aut multa experientia comparantur, cuiuſmodi ſunt artes, & ſcientiæ, at virtutes morales aſſuetudine, & more acquiruntur. Mos verò ab experientia differt, quod experientia eſt tum alienarum actionum, tum propriarũ obſeruatio; mos verò & aſſuetudo non in alienis factis conſiſtit, ſed eſt propriarum actionum exercitatio; Nec dictis obſtat, quod virtutes, naturales homini dicantur; ſunt enim naturales; quia rationi conſentaneæ: ſicut vitia ſunt cõtra naturam, quia contra rationem; eſt etiam virtus naturalis; quia ſunt homini indicta ſemina, & principia virtutum; ſic intelligitur id, quod ait Bernardus de vita ſolitaria ad Fratres de Monte Dei. Nullum vitium naturale eſt, virtus verò omnis naturalis eſt. Nam alibi lib. 2. de conſideratione ad Eugenium cap. 11. ait. Virtutes non natura, ſed vſus facit.

Mos differt ab experientia.

D. Bernar.

Quo ad ſecundum videlicet in qua materia, & re obiecta virtus moralis verſetur S. Thomas, 1. 2. q. 60. artic. 3. & 4. & 2. 2. quæſt. 58. art. 9. D. Bonauentura, in 3. d. 33. art. 1. q. 4. Richardus eadem d. art. 3. q. 3. Durandus q. 5. Baſſolus eadem d. q. 3. art. 1. docent iuſtitiam circa actiones, operationesvè, non autem circa animi affectus verſari; Fortitudinem verò, & temperantiam totam in affectibus occupari; Quod ex eo probant; quia iuſtitiæ eſt diſtribuere bona omnia pro cuiuſque meritis, aut debitis pœnis delicta punire, aut in commercijs, & contractibus ius ſuum cuique reddere, quæ tria actiones ſunt. Nec vllos iuſtitia affectus coercet, & comprimit. At verò fortitudo tota verſatur in cohibendis affectib. appetitus iraſcentis, videlicet audacia, & timore, ſpe, & deſperatione, & temperantia in moderandis appetitus concupiſcentis, deſiderijs, voluptatibus, doloribus, atq; moleſtijs; ita vt vtriuſq; effectus, ſiue obiectũ, ſit mediocritas in affectibus conſtituta.

D. Thom.
D. Bonau.
Richard.
Durand.
Baſſolus.

Buridanus verò lib. 5. Ethic. quæſt. 1. & lib. 2. quæſt. 9. Martinus, quæſt. 1. de fortitudine, & Almayn. in moralibus tract. 3. capit. 5. tradunt omnem virtutem moralem etiam iuſtitiam circa anim: affectus verſari; omnem etiã virtutem moralem habere actiones ſibi obiectas tanquã materias, quod ex eo probant: quia Ariſt. in vniuerſum ait omnem virtutem moralem circa voluptates, & dolores verſari, hoc eſt circa ea, quæ delectationem, & triſtitiam pariunt; Deinde quia etiam iuſtitia ſuos habet affectus quos debeat temperare, ſcilicet amorem, deſideriũ, & delectationem lucri, ſpẽ, metum, & triſtitiam, inquerendo, & amittendo lucro; nam ſi huiuſmodi affectus dominentur in diſtributionibus bonorum, aut alieni reſtitutionibus, aut in commercijs, & contractibus fieri bene electio non poterit.

Hæc opinio quibuſdam probabilis videtur, ſi ſic intelligatur fortitudinem, & temperantiam magis in affectibus, quã in actionibus occupari, contra verò iuſtitiam potius in actionibus verſari, quam in affectibus cõprimẽdis. Cæterum non videtur ratio efficax, quæ nos moueat, vt opinionem communi omnium conſenſu receptam relinquamus

Buridan.
Martin.
Almay.

quamus

Digitized by Google

quamus. Nam fortitudo, & temperantia habitus ſunt, qui appetitus nimios, & immodicos affectus moderantur, & temperant; ſunt etiam habitus, quibus voluntas poſt ſedatos appetitus affectus, bonum elegit, & operatur, nec hoc authores prioris ſententiæ inficiantur. Contra verò iuſtitia habitus eſt, qui in actionibus, & operationibus ad alterum verſatur, videlicet iuſtitia; bona communia diſtribuit, merita remunerat, malefacta punit, ac viridicat, cuique ius ſuum tribuit; quod ſi in hæc appetitus affectus irrepſerint, non per iuſtitiam, ſed per alias virtutes corriguntur; crudelem clementia temperat, iratum manſuetudo mitigat, auarum, ac tenacem, & reſtrictum liberalitas moderatur, prodigum, & profuſum frugalitas; ſi quis itidem caſtus non ſit, non ſit temperans, non ſit fortis, liberalis; iuſtus quoque non erit, & leges, & iura perſtringet, & quemadmodum actus eſt fortitudinis velle patriam tueri, etiam cum nihil cogitatur de affectibus, & actus temperantiæ eſt velle ieiunium colere, etiam vbi nulla eſt cogitatio de affectibus; Sic iuſtitiæ actus eſt in commercijs æquum, & iuſtum, ſeruare, at pecuniæ, & lucri amorem, & cupiditatem liberalitas temperat.

Virtus moralis quō in mediocritate conſiſtat.

Quo ad tertium, ſcilicet, quomodo virtus moralis in mediocritate conſiſtat. Non eſt eadem ratio de iuſtitia, fortitudine, atque temperantia. Nam de iuſtitia dubium eſt apud Doct. an conſiſtat in medio rei, an rationis; De fortitudine, autem, & temperantia, certum eſt apud omnes, quod non in medio rei, ſed rationis conſiſtunt, vnde pro huius rei explicatione.

Duplex eſt medium.

Obſeruan. eſt primo, quòd duplex eſt medium, quoddam eſt medium rei, quod æqualiter diſtat ab vtroque extremorum, vt ſex inter decem, & duo, & hoc medium conſiſtit in Arithmetica proportione, & hoc medium idē eſt apud omnes, ex quo ſequitur, quod extrema medij ſecundum rem ſunt determinata, alioquin, non poſſet ſumi medium ſecundum rem æque diſtans ab extremis. Aliud eſt medium, quo ad nos, & eſt medium ſecundum rectā rationem, quod nec eſt plus debito, nec minus debito, verbi gratia, in virtute Temperantiæ, quando aliquis ita comedit, & bibit, quod non capit plus debito, nec minus, ſed capit ſufficienter ad nutriendam ſuam naturam, & ad hoc, quod exerceat ſuas operationes debitas, & honeſtas; illud medium conſiſtit in medietate geometrica, nec eſt idem apud omnes; ſed qualis eſt proportio inter varios homines, talis debet eſſe latitudo eius medij, vt Ruſticus, vel Baiulus, in quadruplo vigoroſior in digerendo, quam Ludi Magiſter; in quadruplo plus comedit, atque ita illud medium non eſt idem apud omnes, ſed in virtute temperantiæ variatur ſecundum complexiones, & ita in alijs virtutibus, ac proinde illud medium non habet determinata extrema ſecundum rem cum medium non ſit ſecundum rem determinatum.

Virtutes eſſe in medio pōt intelligi quadrupliciter.

Secundò obſeruan. eſt. Virtutem eſſe in medio poteſt intelligi quadrupliciter. Nam quædam virtutes conſiſtunt in medio tam ex parte obiecti, quam ex parte circunſtantiarum, vt temperantia, tum quia quis poſſet nimis comedere; Tum quia quando, vel vbi non oportet. Sicut Princeps, qui mane comederet, vel in abſcondito deuoraret; Quædam ſunt, quæ ex parte obiecti habent ſuperabundantiam; ſed ex parte circunſtantiæ ſunt in medio, vt fortitudo, tum quia vltimum terribilium reſpicit pro obiecto, tum quia debet circunſtantionari circunſtātia finis vltimi, vnde ſi pro inani gloria, non diceretur fortis, ſed audax. Quædam ſunt virtutes, quæ ſunt in defectu ex parte obiecti, in medio tamen ex parte circunſtantiæ, vt virginitas, tum quia negat omnem actum circa tactum; tum quia ſeruat bonum Reipub. Quædam ſunt virtutes, quæ neque ex parte obiecti, nec ex parte circunſtantiæ ſunt in medio, vt Latria, tum quia ipſam habet vltimum bonum pro obiecto, vt Deum; tum quia nō poteſt nimis in ipſum ferri. Niſi dicamus Latriam non habere Deum immediate pro obiecto, ſed aliquid creatum, videlicet cultum reuerentiæ in ordine ad Deum, vt ſunt oblationes, genuflexiones &c. atque adeo cum iſtud ſit aliquid creatum, & poſſit homo in talibus excedere ſecundum Ariſt. ſaltem in actu exteriori; vt ſit vbique, & ſemper vellet offerre Deo, & genufleſtere, & ſimilia facere, habent enim iſta tempus ſuum, & modum, & locū. Vnde licet populus offerret Deo libamina in excelſis 1. Reg. 9. & 3. Reg. 3. & 2. Paralip. 33. tamen peccauit, quia non erat debita circunſtantia vbi, quia offerre ei debebat in templo; actu tamen intentiori ſemper tenetur eſſe paratus ad talia quantū in ſe eſt, & vt ſic dicere poſſumus Latriam conſiſtere in medio. Ex hoc ſequitur, quòd quædam ſunt virtutes, quæ habent ſuperabundantiam, & non defectum, vt fortitudo, quædam è conuerſo, quæ habent defectum, & non ſuperabundantiam, vt Virginitas, quædam, quæ plus habent de ſuperabundantia, vt latria quædam, quæ plus habent de defectu, vt temperantia.

Iuſtitia duplex.

Tertiò obſeruan. eſt, quòd duplex eſt iuſtitia, ſcilicet, diſtributiua, & commutatiua. Iuſtitia diſtributiua conſiſtit in medio rationis, quia non tantum debet diſtribui de honore vni militi, qui militauit vno anno; ſicut alteri, qui viginti annis ſtrenue ſe habuit; nec ſimplici Principi ſicut Regi, quia debet honor diſtribui ſecundum proportionem meriti; proportio autem, quæ non eſt medium reale æqualitatis eſt medium rationis; ergo &c. De iuſtitia verò commutatiua diſtinguitur, quia quædam eſt de lege talionis, vel de contrapaſſo, de quibus ad præſens nō intelligitur: quia cuilibet poteſt eſſe iniuſta; Non enim eſt iuſtum, quod ſi manus pro manu ponatur inter ſimplices homines, quod debeat poni inter ruſticum, & Regem, quia Rex ex eo, quod eſt perſona communis non debet manu ſua pro manu ruſtici priuari; Nec ruſticus pro manu regis debet priuari tantum manu ſua, ſed occidi. De contrapaſſo etiam patet: quia Ioculator ex intentione ſua non cantat, vt ſibi cantetur, ſed vt per cantum ſuum acquirat ſibi aliud, quam cantum.

D. Thom. Richard.

Eſt igitur quæſtio de iuſtitia commutatiua propriè dicta, per quam res in rem commutatur, ſi talis iuſtitia conſiſtat in medio reali, vel rationis D. Thomas, 2. 2. quæſt. 58. art. 10. & 1. 2. quæſt. 63. art. 2. & Richard. diſtinct. 33. art. 3. q. 4. affirmant iuſtitiam conſiſtere in medio inter nimium, ſcilicet, & parum rei, & non rationis, quia tantum debes ſoluere, quantum accepiſti, & non maius, nec minus item totidem oportet te reddere, quod debes, vt iuſtitiæ æquitatem ſerues, at verò temperantia non eſt in medio rei, ſed rationis conſtituta; Nam quod parciſſimo Diogeni multum erat, voraci Miloni, qui vt eſt in fabulis, integrum edebat bouem erat paruum, atque adeo non quantum Diogenes ex cibo, & potu ſumebat, tantundem Milo ſumere debet; Nec ſi Vlyxes iuxta fortitudinis regulam fugere pericula, & aduerſa, & mala debet. Ideo Aiax Thelamonios eadem mala iuxta prudentiæ præſcriptum vitabit, quoniam, quod eſt medium debitæ rationis in vno, non eſt in alio; Nam ſi Vlyxes ſtaret, vbi Aiax expectat, temerarie ageret, & non fortiter, & tamen Aiax fortiter agit ſic expectando.

Solinus.

Franciſc. Buridan. Maior.

Franciſcus verò de Mayronis in 3. d. 37. q. 2. Buridanus lib. 5. Ethic. q. 13. & Maior in 3. d. 56. quæſt. vltima tenent omnem virtutem moralem etiam iuſtitiam in medio rationis conſiſtere. Quia teſte Ariſt. generatim omnis virtus, eſt habitus eligendi, quod in mediocritate conſiſtit, quatenus prudentiæ ratio determinat; Tum quia in commercijs, & contractibus, vt puta in venditionibus, vt emptionibus pretia variantur habita ratione perſonarum; Nam vni poſſum ego vendere rem meam minoris, quam alteri; quia amicus meus, vel vicinus, aut propinquus eſt, & ob copiam, vel paucitatem emptorum, vel venditorū ſolet precium mercium creſcere, vel minui; tū quia eadē res pro varietate emptorum, vel locorum, vel pecuniæ, vel indigentiæ humanæ, pluris minoriſve æſtimari, ac vēdi ſolet, & tamen omnes gnari in arte emendi, & vendendi dicent non fefelliſſe emptorē, nec èconuerſo; ergo vterque contractus manet in latitudine iuſti precij, quod non eſt idem realiter, & punctaliter. Tum quia medium rei eſt idem apud omnes, & omni tempore, ſed medium iuſtitiæ commutatiuæ non eſt idem apud omnes aliquæ enim res viliori precio veneunt in vna prouincia, vel loco, quam in alia, vel alio; ſimiliter modium frumenti hoc anno venditur dimidio aurei, & præteritis annis aureo vno; ergo &c. Demum ſi iuſtitia commutatiua haberet medium reale, ceſſaret omnis commutatio, & omnis mercatio iuſta, nec in perpetuum poterit vnus equus emi

iuſte,

Digitized by Google

ſuſte, quia ſecundum medium rei totum aureum mundi, non valet vnum equum, ſicut tota lana mundi non valet vnam ouem, nec omnes panni valẽt vnum panem, igitur fruſtra homines portabunt pannos, & lanas ad alienas partes, pro alimentis emendis, vel pro vino; quia cum toto labore ſuo, & cum toto auro, ſolum vnum bouem ſecundum medium rei non poterunt comparare. Et ſi dicas, quod iſta fiunt ſecundum iuſtitiam in habitudine ad neceſſitatem humanam habeo propoſitum.

In hac controuerſia vtraque opinio eſt probabilis, ſed prior eſt communior: Secũda verò videtur rationabilior, ideo quam vultis ſequimini. Ego vero dicendum puto, omnem virtutem moralem in mediocritate conſiſtere, non quod ſit ea mediocritas inter duos habitus vitioſos; hanc enim aliquæ virtutes tantum habent, non omnes, v.g. liberalitati duo extrema vitia opponuntur, Auaritia, quæ minus dat, quam oportet; & prodigalitas, quæ plus dat, quam decet: Iuſtitię tamen vnum tantum aduerſatur iniuſtitiæ. Deinde mediocritas virtutis moralis eſt modus inter nimium, & parum; hoc eſt inter conditiones, & circunſtantias, quæ cõueniunt fini, & rectæ rationis, ſ. vbi oportet, quando oportet, quantũ oportet, & quõ oportet.

Præterea mediocritas virtus moralis, ſemper eſt certus quidam modus, & ordo præſcripto rationis in affectibus animi, vel actionibus conſtitutus; nam vt ſupra dixi omnis virtus moralis in affectibus, & actionibus verſatur. Cum ergo virtus moralis ſit habitus eligendi, provt ſapiens decernit, in mediocritate actionum, vel affectuum conſiſtit. Quare ex dictis ſequitur, quod omnis virtus moralis in medio rationis ſubſiſtat, vt prima opinio tradit ex Ariſt. 3. Ethic. c. 6. virtus conſiſtit in medio rationis videlicet, quam dirigit, in medio affectionis, quam ſupprimit, in medio vinoſitatis, quam extinguit, & tollit; Eſt enim virtus norma, & regula actionis, habena affectionis, vitiorum fuga; & itidem virtus, qua mediocritatem certam eligimus, vt prudentiæ regula, & norma definit.

An medium virtutum moralium conſiſtat in indiuiſibili, & an maius peccatum ſit in virtute morali ſuperabundantia, quam defectus.

Quõ medium virtutis conſiſtat in indiuiſibili.

QVantum ad primum obſer. eſt, quòd medium conſiſtere in indiuiſibili poteſt intelligi quatuor modis, vel comparando medium ad rationem formalem, & quidditatem, vel quantum ad circunſtantias, vel comparando illud ad extrema vitioſa, vel in habitudine ad extrema ſtudioſa, & iuxta hoc reſpondetur quatuor concluſionibus.

1. Concl.

Prima Concluſio. Mediũ virtutis in habitudine ad rationem formalem, & quidditatiuam conſiſtit in indiuiſibili, quia hoc generale eſt omni formæ, in qualibet enim parte ſui ſaluatur tota ratio, quidditatiua, & ſpecifica ipſius; igitur in qualibet parte cuiuslibet virtutis ſaluatur tota ratio diffinitiua, & ſpecifica virtutis; ſed illa ratio conſiſtit in indiuiſibili, quia ſecundum Authorem ſex principiorum, forma eſt in variabilis eſſentia, ſicut, & vnum.

2. Concl.

Secunda Concluſio. Medium virtutis in comparatione ad circunſtantias conſiſtit in indiuiſibili; quia ſublata vna ſola circunſtantia mutatur medium virtutis moralis, eo quod bonum virtutis conſtat ex integra cauſa.

3. Concl.

Tertia Cõcluſio. Mediũ virtutis in habitudine ad extrema vitioſa nõ conſiſtit in indiuiſibili: quia ſicut facultates terminos ſuos à ſe proijciunt, ſic, & virtutes, vnde & illiberalis, liberalem reputat prodigum, ſed hoc non eſſet niſi liberalitas ſuum medium à ſe extenderet.

4. Concl.

Quarta Concluſio. Medium virtutis in habitudine ad extrema ſtudioſa non conſiſtit in indiuiſibili: quia aliter nunquam fieret acceſſus medij ad extrema ſecundum magis, & minus, ſed virtus, quandoque accedit ad alterum extremũ, quod magis habet rõnem virtutis, & plus accedendo magis ab altero extremo recedit. Et ſi dicas, ergo quanto magis, quis ad extremum ſtudioſum accederet, tanto minus eſſet ſtudioſus. Dico, quod medium virtutis nunquam eſt inter duo extrema ſtudioſa, ſed alterum tantum appropinquat ad virtutem, atque adeo quanto medium virtutis recedit ab altero, tanto medium virtutis intenditur.

Ex hoc ſequitur primo, quod nunq̃ deuenitur ſm rem ad gradum indiuiſibilem liberalitatis per comparationẽ ad prodigalitatem, ſed ſolũ ſm rationem rectam; pōt. n. liberalis ſemper amplius, & amplius dare, & gradum virtutis intendere ſecundum dona ſibi cõpetentia, quouſq; iudicaret ſm rectam rõnem ſe excedere, & iſte gradus indiuiſibilis eſt, quia ſi vltra iſtã rõnem daret, prodigus eſſet.

Secundo ſequitur, quod in intenſione virtutum non eſt procedere in infinitum, ſed datur ſtatus ex parte ſubiecti, ac ẽt ex parte formæ ſecundum Scotum, licet oppoſitum ex parte formæ teneat Franciſcus: Tertio ſequitur, ꝙ quamdiu actus imperatus poteſt ſtare cum actu elicito ſequitur actum elicitum neceſſario, & ideo ſi intendatur actus elicitus, & imperatus, quantum poteſt ſe extendere facultas exequendi, ſed quia actu poteſt deficere facultas, ideo poteſt remanere actus elicitus imperato non exiſtente, atque ita actus virtutis elicitus intendi poteſt ſine actu imperato.

An in virtute morali maius peccatũ ſit ſuperabũdantia, vel defectus.

Quo ad ſecundum obſer. eſt, quod ſicut ſunt quatuor virtutes Cardinales, vel principales quarum tres ſunt morales, ſcilicet Fortitudo, Iuſtitia, Temperantia, & vna intellectualis, ſcilicet prudentia; ita ſunt quatuor genera virtutum; quia quædam ſunt virtutes, quæ dantur appetitui ad intendendum actum circa ſuum obiectum: quia minus pronus eſt appetitus ad ferendum in ipſum, vt fortitudo, quæ eſt circa arduum; quia circa terrorem mortis. Quædam autem dantur ad actum remittendum, quia appetitus nimis pronus eſt ad imergendum ſe in obiectũ, vt temperantia, quæ eſt circa tactus, & motus brutales. Item quædam ſunt virtutes, quæ dantur ad vtrunque, ſcilicet ad actum intendendum, & remittendum, vt iuſtitia diſtributiua, quæ diuiditur in punitiuam, & remuneratiuam, homines enim proni ſunt ad reſiſtendum, & per conſequens nimis rigidi ad puniendum, & idcirco indigent habitu remittente actum puniendi. Item homines ſunt proni ad cupiditates rerum temporalium, & ad diligendum ſua, & per conſequens ad remunerandum citra condignum, atque adeo indigent habitu actum remunerandi intendente, vnde iuſtitia diſtributiua verè vtrique deſeruit. Quædam demum virtutes ſuntj, quæ dantur non ad actum remittendum, nec intendendum, ſed ad actum dirigendum, vt prudentia, quæ eſt recta ratio agibilium, & regulat actus aliarum virtutum.

1. Concl.

Hoc ſuppoſito dico, quod quando virtus datur ad actũ intendendum, defectus in tali virtute peior eſt, quam ſuperabundantia; Vnde timidus magis eſt vituperandus, quam audax. Et ſi dicas, quod magnanimitas datur ad actum intendendum, & tamen ſuperabundans eſt vituperabilis, quia eſt ſuperbus. Dico, quod aſſumptum eſt falſum: nam magnanimitas datur ad actum remittendum, quia magis proni ſunt homines ad appetendum honorem, quam ad fugiendum. Et ſi iterum dicas, quod liberalitas datur ad actum intendendum, & tamen ſuperabundans peior eſt; quia prodigus, qui omnia ſine ratione expendit peior eſt, quam qui deficit in expendendo. Dico, quod aliquid interdum dicitur magis malum quod tamen magis laudabile eſt, ſicut eſſe audacem eſt magis laudabile, q̃ eſſe timidum, quia eſſe timidum magis recedit à virtute, ſic prodigalitas licet ſit magis malum, quia rei temporalis magis damnum, tamen minus eſt vituperabilis, quam auaritia.

2. Concl.

Dico ſecundo, quod quando virtus datur ad actum remittendum ſuperabundantia in virtute peior eſt defectu. Vnde magis vituperabilis eſt intemperatus, quam inſenſibilis, & eadem ratio in virtute Eutrapeliæ peior eſt irriſor, qui ſuperabundandat, quam ſolitarius, qui deficit, & nunquam ridet. Nam Eutrapelia, quæ eſt virtus bene conuiuendi, & conuerſandi cum hominibus, datur ad actum remittendum.

3. Concl.

Dico tertio, quòd quando virtus datur ad vtrunque ſimul, peior eſt, qui ſecundum aliam, & aliam comparationem magis à medio recedit, vnde magis vituperabilis eſt vindicatiuus, quam miſericors, item magis deficiens in remittendo, quam ſuperabundans.

Digitized by Google

Et ſi quæras an virtus, quæ datur vni homini ad actū intendendum, detur alteri ad remittendum, verbi gratia, liberalitas. Nam quidam homines, de natura ſua, & propria complexione naturali ſunt adeo liberales, quod nullum actum illiberalitatis facere poſſunt; Alij è contra ita prodigi, quod vix poſſunt medium liberalitatis tenere, Item alij ita auari, quod nullum actum liberalitatis efficere queunt, atque ita in alijs virtutibus, quidam enim ſunt naturaliter timidi, alij autem audaces; Quidam temperati, quidam è contrario. Impoſſibile autem videtur, quod forma eiuſdem rationis inclinet ad oppoſitos actus, vel etiam diuerſos, ergo videtur, quod idem habitus virtutis ad illos inclinare, non poſſit, atque adeo opportet habitum fortitudinis in vno homine differre ſpecie ab habitu alterius, cum in vno inclinet ad actum intenſum, & in altero ad actum remiſſum; actus autem intenſus, & actus remiſſus ſunt termini diuerſi, illatum autem eſt inconueniens, quia ſequeretur; quòd illi duo homines non eſſent vniuoce ſtudioſi.

Dico primo, quod ſicut intellectus circa idem obiectum continet actum affirmandi, & negandi in propoſitione; ſic habitus duos actus continet virtualiter, ſcilicet intenſum circa vnum; & remiſſum circa aliud, ſecundum diuerſas hominum complexiones, nec oportet ponere alium, & alium habitum virtutis; quia actus non eſt totaliter, nec principaliter ab habitu, ſed ab obiecto, & potentia, idem autem obiectum, & eadem potētia remanet ideo nō pōt actus per habitū ſpecie variari.

Dico ſecundo, & forte melius, quod habitus virtutis, vel ipſæ virtutes dantur per ſe ad medium attingendum per actum; ex conſequenti autem per accidens ad actum intendendum, & remittendum, ſecundum quod appetitus hominum differenter ſe habent circa obiecta virtutum. Vnde habitus virtutis per ſe reſpicit actum attingendi medium; per accidens verò reſpicit illius actus intenſionem, vel remiſſionem.

Si iterum quæras, quomodo quis poſſit de extremo reduci ad medium virtutis? De hac re Tullius in Topicis opinatus eſt, quod ille, qui eſt illiberalis debet ſe reducere ad medium per actus minimos liberalitatis incipiendo, & continue in maiores actus progrediendo verſus liberalitatem; quo vſque perueniat ad medium liberalitatis Ariſt. verò 2. Ethic. cap. vltimo dicit, quod illiberalis debet facere magnos actus liberalitatis, vt citius ad medium perueniat, & dat exemplum de eo, qui vult lignum curuum rectificare; Nam vertit lignum ad contrariam curuitatem, vt inde poſtea redeat ad medium. Intentio Tullij, vt reor non eſt, quod illiberalis debeat incipere à minimis actibus prodigalitatis, ſed à minimis actibus liberalitatis, vt paulatim creſcat vſque ad vltimum gradum liberalitatis, quia forte eſſet ſibi difficile à maiori gradu liberalitatis incipere, ſicut prodigus debet incipere à minimis liberalitatis actibus, & nō a minimis, actibus auaritiæ. Item Ariſt. intentio fuit non, quod illiberalis à maiori actu prodigalitatis incipiat, ſed a maiori liberalitatis actu, vt citius virtutis habitus inducatur, atque ita ex vtraque parte habitus ſtudioſus, ex actibus ſtudioſis acquiritur, & nunquam ex actibus vitioſis, alias autem nunquā aliquis poſſet ad virtutem deuenire; nam actus omnes prodigalitatis ſiue minimi, ſiue maximi, ſiue intenſi, ſiue remiſſi, ſunt eiuſdem rationis, atque ita ſunt omnes vitioſi, & per conſequens non poſſunt per ſe generare niſi habitus vitioſos.

Et ſi quæras quis modus eſt melior, Tullij, an Ariſt. Dico, quod modus Tullij eſt facilior, ſed modus Ariſt. eſt vigoroſior, & efficacior; facilius enim eſt incipere à gradu minimo virtutis, quam a maximo, ſed incipere a maximo eſt modus vigoroſior, & efficacior, & citius inducitur habitus virtutis.

De Prudentia.

POſtquam egimus de quatuor virtutibus Cardinalibus in genere, ſupereſt, vt de vna quaque in ſpeciali diſſeramus, & primo de Prudentia cæterarum virtutum auriga, & regula; de qua tria explicanda ſunt, primum, quid ſit prudentia. Secūdum, quæ ſint eius functiones, & officia. Tertium, quot ſint eius partes.

Prudentia vnde dicatur.

Iſidorus.

Prudentia ſumitur dupliciter.

D. Ambr.

Quo ad primum. Prudentia ſecundum nominis interpretationem dicitur à porrò videndo, teſte Iſidor. lib. 10. Ethym. c. 15. Prudētia inquit dr, quaſi porrò videns, perſpicax. n. eſt, & incertorum videt caſus. Et ſumitur bifariam primo generatim pro omni notitia veri, præſertim quæ aliquo modo ad rectè viuēdum pertinet, & hoc modo D. Ambr. lib 1. de officijs c. 24. dicit Prudentiam in ueri inueſtigatione verſari, & ſcientiæ plenioris infundere cupiditatem, & hoc modo accepta cōprehendit ēt fidem, & vniuerſam Theologiā, & ſæpe in ſcripturis vocatur ſapiētia.

Quid ſit prudētia.

Ariſt.

Secundo ſumitur ſpeciatim, & propriè pro virtute intellectus proximè morum directrice, & hoc modo eſt virtus Cardinalis de qua hic tractamus. Nam Ariſt. 6. Ethic. c. 5. ita definit Prudentia eſt habitus cum ratione vera circa bona humana actiuus, vbi quidam legunt eſt habitus verus. Alij ex eodem Ariſt. ſic definiunt. Prudentia eſt recta ratio agendorum. Dicitur aūt ſm Ariſt. Prudentia habitus verus: quia eſt per ſe, & ex ſua natura verus non autem per accidens dumtaxat, vt opinio; nam Prudentia eſt certa notitia honeſti, & turpis; Ita enim Prudentia fertur in ſuum obiectum, vt ex modo iudicandi falli, non poſſit circa proprium obiectum, quia euidenter cognoſcit eſſe honeſtum, vel turpe; cuius ſignum eſt, quod is, qui iudicat ſibi aliquid eſſe honeſtum, vel licitū, de quo dubitat, vel formidat, an in eo, non peccet, ſit imprudens, & imprudenter iudicet; nempe, quia iudicium prudentiæ debet eſſe euidens, & certū excludens omnem rōnabilem formidinem, dico rōnabilē; quia nō ſemper excludit ſcrupulum, hic. n. ſæpe perſeuerat cū iudicio prudentiæ; tn̄, vt iudicium ſit prudens debet reputari ſcrupulus, & ſic ēt ſcrupulum quodammodo excludit Prudentia. Et ſi enim imaginario peccati perſeueret cum quadam anxietate, tn̄ per Prudentiam, reputatur vmbra, nō veritas; ex his ſequitur opinionem honeſti, non eſſe iudicium prudentiæ, quia non ita fertur in ſuum obiectum, vt non poſſit eſſe falſa, quam ob cauſam non eſt virtus, vt recte docet Ariſt. 6. Ethic. c. 3. Nec obſtat, quod interdum opinio ſit vera; quia id non habet ex intrinſeco modo tendendi in ſuum obiectum, ſed per accidens, & fortuito; Nam ſicut eſt vera, ita poterat eſſe falſa nulla facta in ipſa variatione.

Ratio autem quare Prudentia in ſuo iudicio falli non pōt, eſt, quia iudicium prudentiæ ſupponit diligentem, & iuxta capacitatem humanam, ſufficientem rei conſiderationem, qua poſita, ēt ſi opus fortaſſe in ſe non ſit abſolute honeſtum; tamen reſpectu huius hominis ſic affecti eſt honeſtum, atque ita iudicatur cum his circunſtantijs prudenter, & abſque errore eſſe honeſtum, & ſic patet quomodo Prudentia eſt habitus verus.

Secundo dr cum rōne actiuus. i. per iudicium rōnis, iudiciū. n. rōnis eſt proprius actus prudētiæ, per quem actū Prudentia operatur actus aliarum virtutum, illas in ſuis actibus dirigendo; Prudentia. n. verſatur circa actiones ſingulas. Nā nō eſt prudens, qui nouit in genere, quid nā ad quamq; virtutem requiratur, & in ſingulis actionibus obeundis non nouit determinare circunſtantias neceſſarias ad honeſtatem, v. g. locum, tempus, modum, &c. quod ſcire debet non in vno tantum genere actionum, ſed in omni; alioqui non eſt abſolute prudens, ſed ſolum in certa materia, & ſm, quid. Quod aūt illud, cum ratione, ita intelligēdum ſit, vt ſit idem, quod per rationē tāq̄ per proprium actum, probatur; Quia alioqui Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia, dicentur virtutes cum ratione actiuæ, vt quæ non poſſunt agere ſine iudicio rationis; hoc tamen eſt contra mentem Ariſtot. qui illa parte vult excludere alias virtutes à definitione prudentiæ.

Ariſt.

Tertio dicitur circa bona humana, id eſt, circa honeſtum, & turpe, nempe, vt honeſtū agatur, turpe fugiatur, quibus verbis explicatur obiectū, & effectus, & finis prudentiæ. Agere. n. honeſte eſt obiectū prudentiæ, ſicut ædificare domū eſt obiectum artis, quod obiectum prius natura, quā exiſtat conſideratur à prudentia per modū obiecti; eſt etiam opus ſiue effectus prudentiæ, ſicut ædificare eſt effectus artis quatenus Prudentia dirigit voluntatem in eligendo, & potentias executrices in exequendo; Denique eſt etiam finis prudentiæ; quia Prudentia

non

Digitized by Google

non eſt ob cognitionem honeſti, ſed ob actionem vide Ariſt. 6. Ethic. c. 6. Dixi, & quid turpe; quia ſicut virtutis eſt facere bonum, & vitare malum; ita prudentiæ eſt noſſe bonum, vt agatur; & malum, vt vitetur. Vnde D. Auguſtin. lib. 83. qq. quæſt. 30. prudentiam dicit eſſe ſcientiam rerum appetendarum, & fugiendarum. & Ariſt. dicit prudentiam verſari circa ea, quæ bona, vel mala ſunt homini; nempe iudicando in particulari, quid homini amplectendum, & quid vitandum in agendo, & ratio eſt, quia contrariorum eadem eſt ſcientia; Nemo enim perfecte poteſt ſcire quomodo recte viuere debeat, niſi ſciat, quidnam in moribus ſit vitandum.

D. Aug. Ariſt.

Prudentia eſt ſcientia practica.

Ex his ſequitur primo, Prudentiam eſſe ſcientiam practicam circa operationes humanas: quia prudentia quantum ad actus elicitos eſt de vniuerſalibus licet dirigat ſingularia, eſt etiam de impoſſibilibus aliter ſe habere, quantum ad quidditates, & veritates quas demonſtrat.

Et ſi dicas ſcientia, & prudentia ſunt habitus diſtincti; ergo &c. Dico, quod propriè loquendo in generali ſunt tantum duo habitus diſtincti, ſcilicet intellectus, & ſcientia; qui poſtea ſecundum aliquas rationes formales, & ſpeciales diſtinguuntur; atque ita ſcientia, & prudentia, ſub ſcientia, quatenus eſt habitus generalis continentur; inter ſe tamen ſpecialibus, & formalibus proprijs rationibus diſtinguntur.

Prudentia eſt virtus.

Secundò ſequitur Prudentiam eſſe virtutem; quia non dicitur habitus faciens rectam conſiderationem rationis tantum, non habitu reſpectu ad voluntatem; ſed in comparatione ad rectitudinem voluntatis, quam dirigit; Non enim dicitur homo prudenter agere, quia dictat aliquid eſſe eligendum, vel fugiendum, niſi ſuum dictamen ſic coniunctum electioni recte, quæ eſt per rectitudinem voluntatis.

Prudentia eſt virtus moralis.

Tertiò ſequitur Prudentiam eſſe virtutem moralem; quia, & ſi prudentia ſit eſſentialiter virtus intellectus, quatenus eſt in ratione ſicut in ſubiecto, & quatenus reſpicit ſuum obiectum ſub ratione veri; tamen ratione materiæ, & finis magis eſt virtus moralis, quam intellectualis, non enim eſt in intellectu in quantum eſt ſpeculatiuus, ſed in quantum practicus, nec eſt reſpectu cuiuſcunque veri, ſed reſpectu veri agibilis per nos, præterquã, quod prudentia reſpicit ſuum obiectum, ſcilicet opus honeſtum dupliciter, primo tanquam obiectum cognoſcibile, & ſic reſpicit illud ſub ratione veri; ſecundo, vt finem operabilem, & ſic reſpicit illud ſub ratione boni; Non enim prudentia conſiderat, quid honeſtum, vt in illa veritate cognita ſiſtat, ſed vt p virtutes morales illud operetur: quia bonum, atque adeo tota verſatur in conſideratione, & directione morum; dicitur itaque moralis, non quod ſit electiua morum, ſicut Iuſtitia, Fortitudo, & Temperantia; ſed quia morum directiua.

Prudentia eſt virtus ſpecialis.

Quartò ſequitur, quod prudentia eſt virtus ſpecialis ab alijs virtutibus ſpecifice diſtincta; A cæteris enim diſtinguitur, primo ratione ſubiecti; quia prudentia eſt in intellectu, atque eius actus elicitus eſt eſſentialiter notitia, cæteræ autem virtutes morales ſunt in voluntate, earumque actus elicitus eſt eſſentialiter volitio, vel nolitio, ſecundo, quia prudentia eſt velut menſura, & regula, qua cæteræ virtutes morales regulantur, & diriguntur: quia actus voluntatis diriguntur per intellectum, tertio, quod prudentia pro obiecto reſpicit honeſtas actiones ſub ratione veri; Nam eius eſt conſiderare, quæ nam verè ſint honeſtæ, quæ autem ſolum videantur tales, & quæ apertè inhoneſtæ; cæteræ autem virtutes morales reſpiciunt eas ſub ratione boni; quia inclinant in eas tanquam in proprium bonum naturæ rationalis. Virtutes autem reponuntur in ſpecie per earum obiecta non materialia, ſed formalia, cum ergo formale obiectum prudentiæ ſit diſtinctum à formali obiecto, cuiuſcunque alterius, virtutis ſequitur prudentiam eſſe diſtinctam virtutem, & ſpecialem, ab alijs virtutibus moralibus diſtinctam.

Prudentię tria ſunt munera.

Quo ad ſecundum, ſcilicet, quæ ſint functiones, & officia prudentiæ. Dico, quod ab Ariſt. 6. Etic. cap. 7. generatim tres enumerantur nempe bene conſultare, bene iudicare, & præcipere executionem. Nam ad prudentem ſpectat bene conſiliari, quod pertinet ad inuentionem conſiliando enim inquirunt homines vias, per quas pertingere poſſint ad finem intentum. Vnde Phil. 3. Ethic. c. 6. Conſiliamur non de finibus, ſed de his, quæ ſunt ad finem; Neq; enim Medicus conſilibitur ſi ſanabit, nec Rethor ſi ſuadebit, nec Politicus ſi pacẽ faciat, ſed ponentes finem aliquẽ; qualiter, & per quæ erit intendunt, & parum poſt dicit. Qui conſiliatur videtur, quærere. Primum igitur prudentiæ munus eſt bene conſultare, inquirẽdo, quæ media, & quæ circunſtantiæ neceſſariæ ſint, vt opus fiat honeſte, & ſm virtutem operari. n. ſecundum virtutem eſt opus prudentiæ; & ad hunc finem quærit, in ſingulis negocijs idonea media per conſultationem. Vnde Ariſt. 6. Ethic. ca. 7. Prudentis maximè opus eſt, recte conſultare.

Prudentis ẽt eſt bene iudicare de conſiliatis, & inuentis, & hoc eſt ſecundum munus prudentiæ. Hoc autem fit, qñ poſt diligentem inquiſitionem, & conſiderationem rei, concluditur, quid, quoue modo, loco tpe, quibuſque alijs circunſtantijs ſit agendum, vt opus ſm virtutem fiat; Et per iſtos duos actus, prudentia dicitur inuenire, & præſcribere medium virtutibus moralibus. i. quid nam in ſingulis functionibus menſuræ rationis ſit commenſum nõ exorbitans per exceſſum, aut defectum, v. g. in iuſtitia, quid, quantum, vbi, qñ cui, reſtituendum ſit. In temperantia, quantum, quomodo, vbi, quando vtendum cibo, vel vxore. Præſcribit autem medium iudicando id eſſe medium, ſeu honeſtum, & per hoc iudicium oſtendendo, ſeu obijciendo illud voluntati, vt per virtutem moralem amplectatur, an autem prudentia præſcribat etiam finem virtutibus moralibus videbimus, infra diſtin. 36. cum Scoto.

Tertio prudentis eſt etiam conſiliata, & inuenta, & iudicata applicare ad operationem; nam ille, qui inueniret conſiliando viam ad finem moralis virtutis, & bene iudicaret non eſſet prudens, niſi applicaret ad opus; Hanc autem applicationem non poteſt facere intellectus per prudentiam niſi motus à voluntate recta. Vnde hæc applicatio eſt ipſius ratione voluntatis, vt mouentis; & eſt ipſius rationis per prudentiam, vt formantis intellectualiter præceptum de faciendo applicationem prædictam, & hic eſt principalis actus prudentię; obſerua tamen hoc imperium non eſſe actum omnino diſtinctum à iudicio, vt Thomiſtæ tradũt: patet, quia, vel ille actus, qui eſt preceptum, vt fac hoc, vel illud; eſt ſimplex apprehẽſio, vel complexa apprehenſio non iudicatiua, vel iudicatiua; non ſunt plures operationes intellectus ſecundum philoſ. ſub nullo autem iſtorum membrorum continetur, non ſub iudicatiua; quia ſyneſis recte iudicat de medio inuento, nec ſub apprehenſiua non iudicatiua; quia ſyneſis eſſet illo præcepto perfectior; quod ipſi negant. Cum ergo dicitur prudentiæ eſſe imperare, vel præcipere non intelligitur imperium proprie dictum; ſed dicitur præcipere; quia prudentiæ eſt præſcribere quid, & quomodo agendum, & mouere voluntatem ad conſenſum, & ad opus; præcipuus enim effectus atque adeo finis prudentiæ eſt, vt opus fiat, vt docet Ariſt. 6. Ethic. cap. 10. diſtinguens prudentiam à ſyneſi, id eſt, perſpicacia; perſpicaciæ enim ſolum eſt iudicare, ſed prudentia non ſiſtit in iudicando, verum dictat vlterius, ſeu mouet voluntatem, vt opus faciat mouet quidem non phyſice, ſed moraliter.

Ariſt.

Hinc ſequitur hoc imperium non fieri per aliquem actum diſtinctum à iudicio, ſed formaliter per actum iudicij, quo prudens iudicat hoc opus cum talibus circunſtantijs eſſe faciendum; Nam hoc iudicium omnino ſufficit ex parte intellectus ad mouendam voluntatem, non tamen habet rationem principij efficacis, niſi ſe ipſa moueat voluntatem; Non quod intellectus voluntati imperet; nullum enim imperium habet intellectus ſuper voluntatem, niſi iudicando, ſeu dictando, quid faciendum, quid vero fugendum.

Tres ſunt partes prudentiæ.

Quoad ad tertium obſeruan. eſt Phyloſophos conſtituere triplices partes Prudentiæ nempe ſubiectiuas, potentiales, & integrales. Partes ſubiectiuas vocant ſpecies, ſeu inferiora, quomodo homo, & brutum ſunt partes ſubiectiuæ animalis. Potentiales vocant virtutes, quaſdam adiunctas, quæ ordinantur ad aliquos ſecundarios actus, vel materias, ita, vt non habeant totam vim principalis virtutis, quõ potentiæ animę dicuntur animæ

Digitized by Google

partes ſecundum Philoſophos. Integrantes, vel quaſi integrantes vocant ea, quæ neceſſe eſt concurrere ad perfectum actum virtutis.

Partes ſubiectiuæ prudẽtiæ.

Partes ſubiectiuæ prudentiæ, ſunt prudentia qua homo regit ſe ipſum tantum, quæ dicitur Monaſtica, quæ eſt prudentia, qua, quis in ſingulis actionibus ſpectat, quid agere debeat, proprium intendens bonum, & quæ ſola abſolute appellatur prudentia, quia is ſolum abſolute prudens eſt dicendus, vt tradit Ariſtot. ſexto Ethic. cap. octauo, quia ſua præ cæteris omnibus curat, ſe ipſum omni virtute exornans, prudentia enim per ſe primo curat bonum ſuum, id eſt, ſui ſubiecti. Et prudentia multitudinis, ſeu gubernatrix, quæ diuiditur in quatuor ſpecies œconomicam, ciuilem, legislatricem, & militarem. Oeconomica, eſt, qua, quis recte gubernat familiam, eius bonum ſolum ſpectans.

Ciuilis ſeu politica eſt, qua, quis recte adminiſtrat ciuitatem legeſque ſeruari curat, quæ reſpicit Ciues, & ſubditos; non tamen conuenit eis ſub ratione, qua ſubditi ſunt, quia ſicut dicit Philoſ. tertio politicorum ſubditi non eſt prudentia, ſed conuenit eis, quatenus rationales ſunt, bene ſcientes ſe habere circa rationes, & actiones in comparatione ad Ciuitatem, vel Regnum, & ad bonam obſeruantiam legis poſitæ à bono Principe.

Legislatrix, ſeu Nomothetica eſt, qua quis idoneas leges condit, & hæc præcipue eſt in Rege, ſeu principe; quod autem iſtæ duæ prudentiæ ſpecie differant expreſſe colligitur ex ſnia Philoſ. 3. Politicorum & 6. Ethic. c 9.

Militaris eſt qua militia recte adminiſtratur. Iſtæ autem vltimæ quatuor prudentię ſpecies, non vocantur abſolute nomine prudentiæ, quemadmodum prudentia perſonalis; ſed ſecundum quid, ſeu cum adiuncto, vt prudentia Oeconomica, vel Ciuilis, vel Legislatrix, vel Militaris, quia non ſpectant bonum ſuum, ſed alienum; Vnde neque neceſſario poſtulant neque faciunt affectum habentis rectum, ſed potius affectum alienum; maximè œconomica, Ciuilis, & Legislatrix, quia intendunt bonum communitatis, nempe, vt familia, vel Reſpub. ſecundum virtutem degat. Militaris verò, quæ ab Ariſtot. inter ſpecies prudentiæ non connumeratur, potius videtur eſſe ars quædam diſponendi exercitum ad prælium, quam ſpecies prudentiæ ſicut ars Nautica, Ars negotiandi, & ſimiles. Poteſt tamen poni ſpecies prudentiæ, quatenus diſponit, & curat, vt milites fortiter, & cum virtute militari functiones obeant. Hoc enim videtur proprium officium prudentiæ militaris, vnde ſupponit artem militarem, eique addit rationem dirigendi milites ſecundum virtutem.

Ex his ſequitur, prudentiam perſonalem, quodammodo complecti omnes alias prudentiæ ſpecies, quia poteſt ſe extendere ad omnes illarum functiones dictando de iiſdem actionibus, de quibus, ipſæ, ſed ſub alia ratione. Quicquid enim ordinat Pater familias, vel iubet per prudentiam œconomicam ſpectans bonum familiæ, poteſt ordinare, & iubere per prudentiam perſonalem ſpectando bonum honeſtum ſuæ actionis, nempe, vt officio ſuo ſatisfaciat, quatenus enim in agendo ſpectat, vt familia recte ſit diſpoſita dirigit ſuam actionem prudentia œconomica; vt verò intendit ſatisfacere ſuo officio, vel agere id, quod decet ſuam perſonam; dirigit eam prudentia perſonali. Idem dicendum eſt de Ciuili Legislatrice, & Militari; Itaque prudentia perſonalis omnino completa, qua quis in omni ſtatu atque officio poteſt ſe gerere, vt decet, includit illas prudentias tanquam partes, ſuper addens illis reſpectum ad proprium bonum, quod eſt honeſte agere. Neque enim Rex poteſt habere prudentiam ſuæ perſonæ neceſſariam, & facere omne id, quod ex ſe decet, niſi norit leges vtiles ferre, & ita requirit prudentiam Legislatricem; atque ita de alijs dicatur. Si tamen prudentia perſonalis accipiatur, vt dirigit hominem conſtitutum extra publicum officium; ſic non includit illas, ſed eſt ſpecies omnino diſtincta à cæteris.

Partes prudentiæ potentiales.

Partes autem potentiales prudentiæ tres enumerantur, videlicet Eubulia, ſyneſis, & Gnomen; Eubuliæ eſt conſultare, ideſt inuenire bonum conſilium in rebus ambiguis, & perplexis. Ad Syneſim pertinet recte iudicare de conſultatis ſecundum leges communes. Ad Gnomen verò ſpectat iudicare per rationes naturales vbi deficiunt leges communes; quam S. Thomas 2. 2. quæſt 51. confundit cum epijkia, appellantur autem partes potentiales prudentiæ; quia prudentia his vtitur ad ſuum finem, veluti membris quibuſdam ſuis, vel vt anima vtitur ſuis potentijs ad ſuum finem; ſicut enim in ſingulis animę potentijs elucet vis, & conditio animæ, & ſi non plenè, ita in illis facultatibus, & earum functionibus elucet natura, & conditio prudentiæ, & ſi non adæquate.

D. Thom. Caietan.

Et ſi quæras an ſint habitus diſtincti ab habitu prudentiæ. Dico quòd S. Thomas 1. 2. quæſt. 57. artic. 6. & 2. 2. quæſt. 47. artic. octauo, & quæſt. 51. per totam, & Caiet. & Iuniores Thomiſtæ, docet ſolum actum præcipiendi eſſe actum prudentiæ; conſultationem autem, id eſt, ebuliam; & iudicium, id eſt, ſyneſim eſſe aliarum virtutum intellectus, quas dicit eſſe comites prudentiæ, & ideo eas vocat partes prudentiæ. Cæterum hæc ſententia cum Ariſt. ſententia ſtare non poteſt. Probatur, quia prudentiæ proprium eſt inquirere media ad finem idonea, ſed hoc fit bona conſultatione; ergo bona conſultatio eſt actus proprius prudentiæ; vnde recte Ariſt. ait lib. 6. Ethic. cap. 7. Prudentiæ maximè opus eſſe dicimus recte conſultare, quod etiam recte iudicare ex ipſis legibus, & earum finibus, quod facit ſyneſis, ſiue ex altiori conſideratione, quod facit Gnome ſit actus prudentiæ elicitus ex eo patet, quia per hunc actum prudentia dictat voluntati, eamque, & potentias inferiores in executione dirigit, vt ſupra oſtenſum eſt, lege Giraldum Odonis lib 6. Ethic. q. 15.

Geraldus Odonis.

Præterea ſi ſententia Thomiſtarum eſſet vera ſequeretur nullam ſtudioſam electionem eſſe dictatam à virtute prudentiæ, ſed tantum à partibus Prudentiæ, ſcilicet ab Ebulia, & Syneſi, electio enim ſtudioſa nihil aliud poſtulat ex parte intellectus, quam bonam conſultationem, quæ ex ſententia D. Thomæ fit per ebuliam, & rectum Iudicium, quod fit per Syneſim; cumque iuxta communẽ ſententiam imperium ſit poſt electionem ad executionem eius, quod electione aſſumptum eſt, efficitur actum prudentiæ ſolum eſſe neceſſarium ad opus ipſum exequendum, non autem ad ſtudioſam electionem; & ita, id, quod maioris momenti eſt in virtute, nempe electio ſine prudentia fiet, quod videtur abſurdum.

Dicendum eſt ergo, Ebuliam atque Syneſim non eſſe diſtinctos habitus a prudentia, ſed eſſe actiones prudentiæ, vt patet ex Ariſt. 6. Ethic. c. 9. ait enim in fine capituli, Quod ſi bene conſultare prudentium eſt, conſultatio bona rectitudo eſt, qua ratione conferenti (hoc eſt medij) ad aliquem pergitur finem, cuius ipſa prudentia eſt exiſtimatio vera, hoc eſt cuius medij conferentis ad finem rationum iudicium eſt ipſius prudentiæ. Cenſet igitur Ariſt. tam conſultare, quam iudicare per conſultationem eſſe actiones prudẽtię, ac proinde nõ eſſe diſtinctos habitus.

Et ſi dicas Ariſt. per Syneſim non videri ſignificare partem aliquam prudentię, ſeu iudicium prudentiæ præcedẽs executionem, ſed perſpicaciã quandam ingenij in alio, qui de iudicio, & facto prudentis acute iudicat, vt exponit Euſtratius in cap. 10. lib. 6. & Donatus Acciaiolus. Eſt enim officium Syneſis, (vt docet Ariſt. ibi) bene, & recte perſpicere, & intelligere iudicando, quæ per prudentiam inuenta ſunt, & præcepta iam, vt fatit. Nam ſe habet ſyneſis, vt dicit Ariſt. ſicut perſpicacitas in diſcipulis ad recte intelligendum, & iudicandum ea, quæ Magiſter docet, & opponitur tarditati, ſeu habetudini.

Euſtrat. Acciaiol.

Reſpondeo verum eſſe Ariſt. quidem hoc pacto ſyneſim ibi accipere: Non tamen negat quin ſimilis facultas prudentiæ, in prudente requiratur circa inuenta per conſultationem. Imo ipſemet Ariſt. lib. 1. magnorum moralium capite 35. expreſſe docet ſyneſim eſſe prudentiæ partem, quamuis interdũ eſſe poſſit in eo, qui non eſt prudẽs.

Gnomen verò iuxta Ariſt 6. Ethic. capit. 11. eſt rectum Iudicium æqui, & boni; æquum autem, & bonum nõ eſt iudicium de agendis ſecundum rationem naturalem, vbi leges communes deficiunt; vt explicat D. Thomas, hæc enim potius eſt Epijkia, ſed Gnome ab Ariſtot. cap. illo. 11. dicitur conſenſio quædam æqui, & boni viri, ad ignoſcendum aliquãdo, nec ſecundũ ſeueritatẽ viris iudicandum;

Digitized by Google

candum; nam veniam aliquando concedere, bonum, & æquum eſt, verba Ariſt. ſunt. Bonum, & æquum virum ad ignoſcendum procliuem eſſe dicimus, & veniam in aliquibus dare bonum, & æquū e ; at venia ſententia quædam eſt indicatiua recti, & boni. Dicitur igitur Gnome Latine ſententia, non quaſi iudicium, quod nomine ſententiæ, ſeu opinionis ſignificamus, ſed quia ſit ſenſus quidam conformis delinquenti ad ignoſcendum, quod Latine conſenſio dici poteſt.

Ex his ſequitur prudentiam non differre ab ebulia, & ſyneſi ſecundum aliquid abſolutum, quia ſunt idem: nam ſunt actus prudentiæ, ſed tantum ſecundum relationem: quia ebulia, & ſyneſis, de ſui ratione non includunt earū cōiunctionem cum virtutibus moralibus, nec earū actus cum actu earum. Sed prudentia prædictam relationem de ſui ratione includit: Non enim qui bene conſiliatur, & bene de conſiliatis iudicat prudenter dicitur agere, niſi bene conſiliata, & iudicata executioni applicentur, vt eſt poſſibile per electionem rectam, ad quam determinat voluntatem virtus moralis. Cum ergo dicit Philoſ. 6. Ethic. cap. 11. quod non eſt idem ſyneſis, & prudentia, ſic intelligendum eſt, quod ideo non ſunt idem, quia prudentia comprehendit ſyneſim, & ebuliam, & relationem prædictam; & cum ibidem dicit, quod prudentia eſt præceptiua non autem ſyneſis, ſic intelligi debet; quia de ſui ratione eſt coniunctio cum morali virtute per quam iudicium rationis recte applicatur ad opus.

Partes integrales prudentiæ. Poſtremo partes integrales prudentiæ poſſunt dupliciter poni, primo vt partes integrantes dicantur illæ ex quibus veluti membris prudentia tota propriè conſtat; non enim prudentia eſt ſimplex aliquis habitus; ſicut neque ſcientiæ ſpeculatiuæ, ſed conſtat multis partibus inſtar totius etherogenei reſpicientibus diuerſam rationem honeſti, quæ eſt in diuerſis virtutibus; Alijs enim regulis diriguntur functiones iuſtitiæ, alijs temperantiæ, alijs fortitudinis, & patientiæ, quæ tamen omnes neceſſariæ ſunt ad integram, & abſolutam prudentiam. Dicitur autem prudentia vna virtus, ſicut Theologia, & Phyſica dicuntur vna ſcientia, nempe, quia reſpicit vnum obiectum generale, quod eſt viuere ſecundum virtutem.

Secundò, vt partes integrantes prudentiæ dicantur, quædam functiones, ſine quibus non habetur perfectus vſus prudentiæ, & hoc modo ponuntur octo partes prudentiæ, ſcilicet memoria, intelligentia, docilitas, ſolertia, prudentia, ratio, circunſpectio, cautio. Quarum

Macrob. ſex ponit Macrobius lib. primo, de ſomnio Scipionis, quæ

Cicero. ſunt ratio, intellectus, circunſpectio, pruidentia, doci-

Ariſt. litas, cautio, vnam aſſignat Cicero 2. Rethor. 5. memoriam, & alteram Philoſ. 6. Ethic. c. 10. ſcilicet Euſthochiam ſiue ſolertiam.

Iſtarum, quinque pertinent ad prudentiam in quantum eſt cognitiua, ſcilicet memoria, intellectus, docilitas, ſolertia; ratio. Tres verò aliæ pertinent ad eam in quantum eſt præceptiua, ſcilicet prudentia, circunſpectio, cautio. Item ſolertia, & docilitas maximè viuant ad acquirendam prudentiam. Memoria, intelligentia, prouidentia, ratio; potiſſimum viuant ad vſum prudentiæ in conſultando, & iudicando; cautio, & circunſpectio ad executionem operis, quæ dicitur fieri imperio prudentiæ, modo ſuperius explicato.

Quid ſit memoria. Memoriam vocat recordationem eorum, quæ legimus, audiuimus, vidimus, aut aliter experti ſumus ex his enim ſæpe numero facile colligimus, quid in præſenti negocio expediat, plurimum enim valent tum exempla aliorum, tum experientia ipſa ad prudentiam.

Intelligentia. Intelligentiam vocat notiam præſentium ſiue contingentium, ſiue neceſſariorū, vt. n. prudenter iudices, neceſſe eſt p̄ſentē ſtatū rei tibi eſſe probe perſpectū; pōt ē̄t hoc nomine ſignificari notitia principiorum moralium.

Ratio. Ratio dr̄ promptitudo quædam rōcinandi, & aliud ex alio colligendi. Ex quo ſequitur, ꝙ memoria intellectus, & rō, ſecundum, quod poſitæ ſunt partes prudentiæ non ſunt nomina potentiarum; ſed accipitur memoria pro quædam diſpoſitione, qua homo bene recordatur de preteritis, & intellectus pro habitu principiorum agibiliū, & ratio pro diſpoſitione qua homo bene diſpoſitus eſt ex quibuſdam cognitis diſcurrere ad alia cognoſcenda.

Prudētia. Prudentia dicitur conſideratio futurorū euēnuum, qui poſſent ſequi ex opere; Nam prudēs per memoriam præteritorum, & intelligentiam præſentium ſibi prouider contra futura, commode aliqua ordinando ad finem.

Docilitas. Docilitas accipitur pro affectu, & promptitudine ad adiſcendum, credo tamen, ꝙ docilitas non accipiatur pro ſimplici poſſibilitate ad recipiendum cognitionem per doctrinam, ſed pro quadam naturali aptitudine ad recipiendum faciliter per doctrinam cognitionem maximè agibilium. Vnde forte, quod hic vocatur docilitas. Philoſ. 6. Ethic. c. 16. Democicam vocat de qua dicit in illo c. quod ſine illa non eſt prudentia.

Solertia. Solertia, quæ etiam Latine dicitur ſagacitas eſt ſpecies bonæ coniectationis, eſt enim Solertia, ſeu ſagacitas, medij, (id eſt, rationis alicuius cur res ſit probanda, vel improbanda) inuentio, tempore breuiſſimo, vt idem Ariſt. docet lib. 1. poſt analiticorum.

Circūſpectio. Cautio. Circunſpectio eſt conſideratio circunſtantiarum, ne qua deſit in opere. Cautio eſt cura, vt vitentur incommoda, quibus res eſt expoſita, v. g. ne proximus offendatur, ne incidas in aduerſam valitudinē: poterat hęc ſub circunſpectione cōprehendi; ab ea tn̄ diſtinguitur, quia circunſpectio eſt per quam homo diligenter attendit circunſtātias negotij, cautio verò per quam vitat impedimenta. Dicuntur aūt hæc octo, partes prudentiæ ad ſimilitudinē partium integralium: quia non pōt dici, quod ſint verè partes integrales; Non. n. ſunt octo habitus, ex quibus cōſtituatur virtus prudentiæ, ſed pro tanto partes integrales dicuntur, quia de neceſſitate concurrunt ad perfectū actū ipſius prudentiæ; ſine prædictis, n. non pōt prudētia eſſe perfecte præceptiua, aut dictatiua, ſeu directiua operis. Neq; oēs hij actus à diuerſis habitibus proficiſcuntur. Cautio. n. circunſpectio, prouidentia, & intelligentia, ſunt actus prudentiæ: quia intrinſece includuntur in prudenti iudicio, & executione. Memoria, rō, ſolertia, & docilitas, tn̄ requiruntur ad acquirendam prudentiam, vel ad acqſitæ perfectiorem vſum. Hactenus de prudentia.

De Fortitudine.

Circa Fortitudinem tria vidēda ſunt, primū quid ſit fortitudo, ſecundum quot ſint fortitudinis functiones, tertium quot ſint fortitudinis partes.

Fortitudo tripliciter ſumitur. Qun ad primum obſer. eſt, quod Fortitudo tripliciter accipi pōt, primo modo pro corporis robore, & ſic vulgus vocabolo fortitudinis vtitur, & hoc modo non eſt virtus, nec vitium, quia conſiſtit ſolum in neruorum, & oſſium robore, quod natura dedit, robur autem eſt potentia mouendi alterum, vt vult Philoſ. 1. Rethor. ſecundo modo capitur fortitudo pro firmitate animi in bono honeſto, & hoc mō nō eſt virtus ſpecialis, ſed eſt, vel virtus generalis, nimirum obiecto, & extenſione materiæ; vel certe eſt conditio omnis virtutis, nam omnis virtus facit nos firmiter inhærere ſuo obiecto ſi tamen perfecta ſit, qui enim perfecte temperatus eſt, ita amat bonum temperantiæ in opere ſuo, vt nullis malis impelli poſſit ad illud violandum: Dixi ſi perfecta ſit in gradu heroico; quia, & ſi omnis virtus, qua habitus, aliquam firmitatem tribuat, vt docet Ariſt. ſecundo Ethic. hæc tamen facile expugnabitur niſi alia perfectio accedat, qua bonum ſuum omnibus commodis, & incommodis anteponat, idque cum firmo, & inexpugnabili propoſito; quo cum peruenerit dicitur eſſe in gradu heroico.

Tertiò capitur pro firmitate mentis circa mortem in bello, ſiue ſit contra pugnatio, ſiue non, & hoc modo ſumit fortitudinem Ariſt. tertio Ethic. licet magis loquatur de bello, vbi eſt contra pugnatio, virtus ergo, quæ ſuſtinet, & repellit ea in quibus difficillimum eſt animum regere, & ſtatum rationis retinere, vt ſunt pericula mortis, fortitudo appellatur, ex analogia ad robur corporis; Nam ſicut magno robore corporis opus eſt, vt immotus ſuſtineas, vel etiam repellas id, quod corpus tuum valide impellit, ita magno animi robore opus eſt, vt pericula mortis, quæ animum, mediante apprehenſione, vehementer concutiunt, ſuſtineas, aut repellas, immotus in honeſto permanens.

Digitized by Google

Fortitudo eſt circa pericula mortis.

Ex his ſequitur primo, quod Fortitudo eſt circa mala ſuſtinenda, ſed non quæcunque, ſed circa mortem, non quamlibet, ſed in bello; hoc patet ex Ariſt. 3. Ethic. c. 6. vbi dicit. Fortis verſatur circa maxima terribilia, vt circa mortem; ſed non circa omne genus mortis, non enim circa mortem eam, quæ fit in mari, aut quæ euenit morbis: & paulo poſt dicit. Is igitur homo fortis propriè dicitur, qui circa honeſtam mortem; & ea omnia, quæ repente eueniunt, atque afferunt ipſam interritus eſt, huiuſmodi verò ſunt ea, quæ in bello contingunt.

Fortitudo cum contrapugnatione ē virtus.

Secundo ſequitur, quod Fortitudo belli cum contrapugnatione eſt virtus, id eſt, actus voluntatis, quo quis vult pugnare in bello in quo eſt contrapugnatio ſecundum dictamen rectæ rationis eſt actus bonus, & virtus fortitudinis generatiuus.

Nō eſt virtus Cardinalis, ſed pars ſubiectiua.

Tertiò ſequitur, quod Fortitudo hoc modo ſumpta non eſt virtus Cardinalis, ſed pars ſubiectiua eius, de qua etiam Ariſtot. loquitur: Probatur Ariſt. dicit fortitudinem eſſe circa difficillima, vtpote mortem repentinam, in bello illatam; ſed ſic eſt, quod Petrus pro cauſa honeſta mortem violentam ab hoſte appoſitam vellet fugere, ſed vult deſerere actum honeſtum non obſtante conditione mortis appoſita, licet non contrapugnet, habet illam difficultatem circa mortem; ergo ipſe Petrus eſt fortis fortitudine bellica, de qua loquitur Ariſt. Et confirmatur omnis actus, quo quis amore honeſti ſecundum dictamen rectæ rationis contemnit mortem in bello in quo eſt contrapugnatio eſt actus fortitudinis, & fortitudinis virtutis Cardinalis, de qua loquitur Ariſt. & quanto ſuſtinere eſt difficilius ſecundum rectam rationem, tanto Fortitudo eſt maior, ſed ſic eſt, quod ſuſtinendo mortem ſine contrapugnatione in corporis viribus eſt multo difficilius, quam contrapugnando; ergo talis non contrapugnans eſt fortis cupiendo fortitudinem ſicut capit Ariſt. Præterea nihil aliud impedit, quin ſit fortitudo, ſicut Ariſt. loquitur; niſi, quia (vt dicit Martinus quæſt. 3. de fortitudine) non eſt bellum: quia ad bellum requiritur contrapugnatio in corporis viribus; ſed hoc eſt falſum. Quia ad bellum, vt in propoſito capitur non requiritur contrapugnatio, quod patet ad Hebræos 11. vbi Apoſt. de Martyribus loquens dicit fortes facti ſunt in bello. Item eſt bellum inter ſenſum, & rationem; ratio pugnat pro expectatione, ne actus virtutis deſeratur, ſenſualitas fugam petit, quatenus vita ſeruetur, & intelligo ſemper in illo, qui fugere poteſt; Nam vbi homo non pōt euadere, ibi nō eſt actus fortitudinis, ſed patiētię.

Martin.

Inſuper Ariſt. dicit fortitudinem eſſe circa maximè terribilia, vtpote circa mortem, quæ eſt omnium terribiliſſima 3. Ethic. cap. 6. vbi, ſic inquit. Circa qualia igitur terribilia fortis verſatur? An circa maxima; nemo enim tollerantior malorum eſt; mors autem maxime omnium rerum eſt horribilis, quippe cum terminus ſit, nihilque amplius homini mortuo neque bonum, neque malum eſſe videatur. Hęc Ariſt. ſed vbi quis ſtat conſtans in opere iuſtitiæ nolens ipſum deſerere non obſtante quocunque genere mortis illatæ, licet non contra pugnet, eſt terribiliſſimum, & circa mortem, ergo talis eſt fortis ſicut Ariſt. fortitudinem capit.

Fortitudo eſt virtus Cardinalis.

Quartò ſequitur. Quod habitus, quo quis mortem prompte ſuſtinet pro opere honeſto ſiue cum contrapugnatione, ſiue ſine contrapugnatione eſt virtus Cardinalis, & fortitudo bellica cuius ſpecies eſt fortitudo bellica cum contrapugnatione, adeo ꝙ fortitudo, vt eſt virtus Cardinalis, eſt genus ad fortitudinem, quæ fit cum contrapugnatione; & ad eā, quæ fit ſine cōtrapugnatione.

Quintò ſequitur, quòd excellentior eſt fortitudo pro iuſtitiæ defenſione mortem perpeti ſine contrapugnatione, quam cum contrapugnatione; patet, quia Martyres ita fecerunt, & tamen ipſi fuerunt heroice fortes.

Fortitudo eſt ſpecialis virtus.

Sextò ſequitur, quod fortitudo tertio modo accepta eſt ſpecialis virtus. Tum quia eſt vna de virtutibus Cardinalibus. Tum quia habet ſpecialem materiam, & ſpecialem finem, à fine, & materia aliarum virtutum, quæ non ſunt fortitudinis; Tum quia habet extrema ſpecialia inter, quę mediat, habet enim exceſſum in expectando, & defectum in exepectando; Nam aliquis poteſt expectare, vbi non oportet, vt ſi vnus expectaret decem, quorum quilibet eſt notus ei æqualis, poteſt etiam eſſe defectus, vbi quis contra rectum dictamen rationis fugeret, ſtat; ergo in mediū, qui expectat, quando oportet, vbi oportet, & qualiter oportet.

Functiones fortitudinis.

Quoad ſecundum officium, vel functio fortitudinis in duobus conſiſtit ſcilicet in aggrediendo, & in ſuſtinendo; nam fortitudo immediate verſatur circa paſſionem timoris, & audaciæ in periculis mortis debitā rationis menſuram ſibi inſitam, illis imprimendo, vt reſpondeant fortitudinis virtuti, & deceant virum fortem. Omnis enim virtutis habitualis finis eſt imprimere ſimitudinem ſui in actionem, vel paſſionem animi, tanquam in propriam, & proximam materiam.

Modus aūt rationis primo, & eſſentialiter exiſtit in virtute prudentiæ, ab actu autem prudentiæ tranſit, & quaſi imprimitur actui interno voluntatis, qui alioquin, vt à voluntate procedens erat indifferens, capax illius, & contrarij. Ab actu voluntatis interno. i. elicito tranſit in habitum, qui per actum in voluntate generatur, habitus verò genitus hanc rectitudinem intendit immediate imprimere, vel actioni externæ ſi circa eam immediate verſetur, vel paſſioni ſi hæc eius proxima ſit materia; mediate tamen etiam actioni extremæ: nam huius moderatio eſt finis principalis virtutis illius.

Ex hoc patet primo, quomodo bonum prudentiæ, & rectitudo, quę eſt in prudentia veluti in regula, deſcendat in vim appetitiuam, id eſt, in voluntatem, & ibi habeat rationē virtutis, & à vi appetitiua in actiones, & paſſiones.

Quę ſit materia fortitudinis.

Secūdo patet actiones externas, & paſſiones animi internas ad virtutem ſe habere inſtar materię ſicut lignum, & ęs ad artē ſtatuariam, ſicut. n. ſtatuaria intendit æri, vel ligno, ſui quandam ſimilitudinem imprimere, ita virtus moralis actionibus externis, & affectionib. animi intendit ſui ſpeciem iuxta materiæ capacitatem inſerere. Rurſus ſicut proprium opus artis ſtatuariæ nō eſt lignum, vel ęs, ſed formam ſtatuæ impreſſa illi materiæ, & ipſum compoſitū ex forma, & materia, (quod ēt eſt proprium obiectū, & proprius finis illius artis) ita propriū opus fortitudinis, non eſt timere abſolute, vel audere, vel aggredi periculū, ſed qn̄ timendum, vel audendum eſt ponere in his rectitudinem rationis, & conſequenter opus eius eſt compoſitū, ex paſſione, & illa rectitudine, quod eſt timere, & audere moderate ſicut fortem decet. Inſinuat hæc Ariſt. 3. Ethic. c. 7. Conſentanæe. n. habitui, & vt ratio præſcribit patitur, & agit fortis, finis autē operationis omnis eſt congruere habitui. Porro ſicut moderatur timorem, & audaciam anteq̄ malū euenerit, vel qn̄ ſuperari pōt, ita poſtq̄ euenit, & ſuperari nequit moderatur paſſionem triſtitię, ne quis nimium ſe affligat, aut aliquid indecori ex mœrore agat.

Tertio patet proximam fortitudinis materiam, eſſe timorem audaciam, & triſtitiā in periculis mortis in his. n. moderationē, & rōnis menſurā imprimere ante omnia conatur. Remotiorē externam actionē, & compoſitionem, vt fugam, permāſionem, aggreſſionem, totumq; corporis motum, & geſtum: Nam conatur hæc omnia moderari, vt conſentanee viro forti fiant, non. n. ſolam aggreſſionem fortitudo temperat, ſed etiam fugam, quando ratio fugiēdum eſſe dictat, & totam externam conſtitutionem; Remotiſſimam ipſa pericula.

Oſer. eſt tamen, hæc pericula debere eſſe talia, vt honeſte ſuſcipi, vel ſuſtinere poſſint, vt ſunt ea, quæ pro ſalute Reipub. vel proximi, pro honore Dei, aut virtutis defenſione ſuſcipiuntur. Vnde Ariſt. lib. 3. Ethic. c. 7. ait. Qui ea, quæ oportet, & cuius cauſa oportet, & vt oportet ſuſtinet, ac timet, & ſimili modo etiam confidit, fortis eſt. Ratio eſt, quia materia virtutis non poteſt eſſe inhoneſta, alioquin rationi virtuti repugnaret, & eius capax non eſſet, ſicut materia, quæ repugnat figurationi, non eſt capax figuræ ſtatuæ. Vnde latrones, Graſſatores, duella ineuntes, & iniqua bella gerentes, non ſunt dicendi fortes, ſed temerarij, feroces, crudeles, quia eorum audacia, & aggreſſio eſt iniqua, plenaque temeritatis, & beluinæ immanitatis, ac proinde in capax honeſti, & decori fortitudinis. Vnde talis actus erit temeritatis, & proiectæ audaciæ, non fortitudinis. Ex dictis perſpicuum eſt, quid ſit fortitudo. Eſt enim virtus, quæ motus animi, in rebus terribilibus præſertim periculis mortis ſuſtinēdis, vel repellēdis moderatr.

Fortitudo, quid ſit.

Et ſi

Digitized by Google

Et ſi quæras quis ſit fortitudinis principalior actus ſuſtinere, vel aggredi? Reſpondeo, quod principalior actus fortitudinis eſt ſuſtinere, & ratio eſt, quia in malo arduo futuro, quod eſt fortitudinis obiectum duo conſiderari poſſunt, vnum quod ei per ſe conuenit, quod eſt malum; Alterum quod ei conuenit per accidens ſi ſuperetur ſcilicet aliquod bonũ, vt victoria; fortius autẽ mouet vnumquodque ratione eius, quod ei conuenit per ſe, quã eius, quod ei conuenit per accidens cæteris paribus. Vnde & ipſum terribile, quod eſt obiectũ fortitudinis fortiorem cauſat in appetitu reſilitionem à malo arduo, quod eſt timorum quam inſurrectionem contra malum arduum, quod eſt audacia, atque adeo difficilius eſt moderare paſſionem timoris, quam audaciæ.

Quis ſit principalior actus fortitudinis.

Aggredi autem eſt actus fortitudinis in quantum moderatur audaciam; ſuſtinere verò eſt actus eius quatenus moderatur timorem, vel triſtitiã de arduo malo. Malum enim arduum propter ſui præſentiam rationem mali ardui non amittit; imò cæteris paribus magis eſt arduũ præſens, quam abſens atque ita difficilius eſt ſuſtinere terribilia, quam ipſa aggredi ob ſpem victoriæ, ſeu alicuius gloriæ, vel læſionis inimici obtinendæ, quæ aggrediens apprehendit, vt ſibi delectabilia, & ſic dicit Philoſ. 3. Ethicorum, cap. 11. quod difficilius eſt triſtia ſuſtinere, quam à delectabilibus abſtinere, patet ergo quod ſuſtinere eſt principalis fortitudinis actus.

Fortitudinis partes.

D. Thom. Richard.

Quantum ad tertium, Doctores virtuti triplices partes aſſigant, nempe ſubiectiuas, integrantes, & potentiales; ſubiectiuas fortitudo propriè non habet, vt docet D. Thoma. 2. 2. quæſt. 128. art. & Richar. in 3. diſt. 33. art. 4. quæſt. 4. quia ipſa eſt ſpecies ſpecialiſſima, cum verſetur circa pericula mortis, quæ omnia ſunt eiuſdem generis, & ſi alia ſint alijs meliora, & hoc intelligas loquendo propriè de fortitudine, vt de illa loquitur Ariſt. tertio Ethicorum capite ſexto, Nam cum fortitudo non ſit reſpectu terribilis cuiuſcũque, ſed eius principale, & formale obiectum ſit repentinum mortis periculum in bello communi, ſeu particulari, propter honoris Principis, & Reipub. iuſtam defenſionem, & hoc obiectum in plura obiecta differentia ſecundum ſpeciem non diſtinguatur, ſaltem loquendo de ſpeciebus in genere moris; quod ideo dico, quia ſicut interdum duo actus ſecundum numerum ſecundum eſſe naturæ, ſunt vnus actus in genere moris, ſicut ſe habet actus voluntatis interior, & actus exterior ab illo cauſatus, ſic aliquando aliqui actus ſunt diuerſi ſecundum ſpeciem in eſſe naturæ, & tamen non differunt ſpecie in genere moris, quia non habent diuerſos ordines ad rationem, & voluntatem, ſecundum ſpeciem differentes, cuius actus ſunt, iugulatio, lapidatio, perforatio capitis obtruncatio, ſeu abſciſio, & cætera huiuſmodi, ergo, &c.

Partes integrales fortitudinis.

Partes fortitudinis integrales cenſeri poſſunt quędam perfectiones, quas habere cõuenit fortitudinis opus, quæ his nominibus ſignificari poſſunt nimirum fiducia, magnanimitas, ſecuritas animi; magnificentia, Patientia, longanimitas, perſeuerantia, Conſtantia. ita quidem vt nomine fiduciæ intelligamus promptitudinem quandam in ipſo opere fortitudinis, quo rem arduam aggredimur periculo contempto. Per magnanimitatem intelligamus eamdem promptitudinem, cum fuerit inſigniter magna. Per ſecuritatem, quandam operis fortis perfectionem, quæ indicet illud proficiſci ab interiore animo minimè perturbato. Per magnificentiam autem ſplendorẽ quemdam eiuſdem operis, cum per illam intenditur effectus aliquis inſignis. Per patientiam verò quandam eiuſdem operis alacritatem minimè ſuccumbentem triſtitiæ propter periculum, aut malum vrgens. Per longanimitatem verò, quandam in opere fortitudinis æqualitatem, & ſi non cito finem intentum aſſequatur. Per perſeuerantiam autem quandam eiuſdem operis continuationem. Et denique per conſtantiam quandam illius firmitatem minimè cedentem vllis obſtaculis.

Partes potentiales fortitudinis.

Fidentia.

Partes potentiales poſſunt his ipſis nominibus ſignificari; ſi ſpectentur in quibuſdam alijs materijs minus difficilibus, quatenus fortitudinem immitantur; licet eius perfectionem non aſſequantur. atque ita fidentia eſt virtus quædam perficiens animum, vt ſit promptius ad aggrediendum opera ardua, circa præſens tamen periculum mortis.

Magnanimitas.

Securitas.

Ariſt.

Magnanimitas eſt quæ verſatur circa maxima, hoc eſt, circa præſentia mortis pericula, eaque ſplendide exequitur. Securitas placat, & firmat animum aduerſus nimias anxietates, & curas ſollicitas, quas ſolet timor concitare, iuxta illud Ariſt. lib. 2. Rethor. c. 5. Timor facit homines conſiliatiuos, quatenus nimirum ſolicitos reddit, circa modum, quo effugiant imminentia mala, tunc enim ſecurus eſt animus, quando ita confidit, vt nõ amplius timeat vinci à malo, vel excidere à bono, item quando malum eſt ſuperatum. atque adeo ſub fidentia poteſt comprehendi, quemadmodum, & magnanimitas, quatenus facit quod id, quod arduum eſt videatur confici poſſe, & ſimul eius deſiderium inijcit.

Magnificentia.

Magnificentia rectè afficit animum, vt quis pro vt expedit, & pro vt res, aut inſtitutum opus exigit faciat etiam magnos ſumptus, id quod arduum quiddam eſt, & ſic etiam magnificentia immitatur aliquo modo fortitudinem, quatenus ſtrenuitatem in executione tribuit.

Patientia.

D. Aug.

Patientia animum firmat aduerſus triſtitias, ne ab illis oppreſſus deſciſcat ab officio rationis rectè conſentano iuxta illud D. Auguſt. lib. de patientia cap. 2. Patientia inquit, hominis eſt, qua mala æquo animo (ideſt ſine perturbatione triſtitiæ) tolleramus, ne animo iniquo bona deſeramus, per quæ ad meliora perueniamus, & lib. 83. quæſtionum quęſt. 31. ex Cicerone libro de inuentione dicit patientiam eſſe perpeſſionem rerum arduarum, ac difficilium honeſtatis, vel vtilitatis cauſa; itaque etiã immitatur fortitudinem, quatenus triſtitias, & dolores moderatur animumque continet ne hiſce paſſionibus victus à recto, & decoro decidant.

Longanimitas.

Longanimitas perficit animum, vt moderate, & ſine anxietate tendat per ſpem, & expectationem in id, quod diu differtur, ne videlicet contra, atque expedit habeat in animo locum, illud Sapient. 13. Spes quę differtur affligit animam, atque ita etiam longaminitas habeat aliquid affinitatis cum fortitudine, ſiquidem ſuperat difficultatem, & moleſtiam, quam diuturna dilatio rei ſperatæ ſolet ad ferre.

Perſeuerantia.

Cicero.

D. Aug.

Perſeuerantia animum perficit, vt non obſtante moleſtia, quam afferre ſolet ipſa diuturnitas temporis neceſſarij in perficiendo aliquo difficili opere bono, aut in acquirenda virtute perſiſtat in officio, vſque ad operis conſummationem; de qua perſeuerantia Cicero lib. 2. de Inuentione, & D. Auguſt. lib. 83. quęſtionum quęſt. 31. Perſeuerantia inquiunt eſt in ratione bene conſiderata ſtabilis, & perpetua permanſio; vbi etiam apparet aliqua cum fortitudine ſimilitudo in ſuperanda ſcilicet difficultate, quę exiſteret ex operis diuturnitate.

Conſtãtia.

Conſtantia denique animo tribuit, vt firmiter perſiſtat in bona contra difficultates prouenientes ex quibuſcunque alijs circunſtantijs, ſiue impedimentis operis boni, & ad perſeuerantiã reduci poteſt, quid enim eſt aliud perſeuerantia, quam conſtantia vſque in finem? eodem etiam pertinet longanimitas, quę ob mali diuturnitatem non ſinit animum à recto deſciſcere.

D. Aug.

D. Thom.

Obſerua tamen quòd D. Auguſt. loco citato ex Cicerone quatuor tantum enumerat fortitudinis partes fortitudo, inquit, eſt conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio, cuius partes magnificentia, fidentia, Patientia, perſeuerantia; quarum ſufficientiam probè aſſignat D. Thomas 2. 2. quæſt. 128. articulo primo, in corp. & ad quinta. Nam officium fortitudinis in duobus ſitum eſt in aggrediendo, & in ſuſtinendo, ad aggrediendum duo requiruntur. Primo promptitudo animi ad periculum ſuſcipiendum, & hanc præſtat fidentia. Secundo ſtrenuitas in executione, & hanc tribuit magnificentia. Similiter ad ſuſtinendum duo requiruntur, primum eſt ne animus difficultate, & aſperitate malorum frangatur, & ad hoc valet patientia Alterum eſt ne diuturnitate malorum deficiens, cępta bona abrumpat, & deſinat, & ad hoc eſt perſeuerantia, quæ virtutes ſi conſiderentur, vt verſantur in propria fortitudinis materia, ideſt in periculis mortis, dicuntur fortitudinis partes integrantes, ſic enim ad integrum illius officium concurrunt, & ſunt veluti quędam illius membra; Si verò ſpectentur in quibuſdam alijs mate-

materijs minus difficilibus, dicuntur fortitudinis partes potentiales: quia fortitudinem immitantur, licet eius perfectionem non aſſequantur.

Macrobius. Andronicus.

Macrobius verò libro primo, de ſomnio ſcipionis prædictis addit alias tres ſcilicet magnaminitatem ſecuritatem, & conſtantiam. Andronicus verò longanimitatem; Verum magnamnitas, & ſecuritas ſub fidentia poſſunt comprehendi, conſtantia verò, & longanimitas ad perſeuerantiam pertinent, vt terigimus ſupra.

Secundo obſerua non omnes prædictas partes eſſe virtutes diſtinctas, ſed ſatis eſſe, vt ſint actus diſtincti, eiuſdem enim habitus eſt præbere ſe magnanimum, & confidentem in periculis, & ſecurum abſque anxietate. Item eiuſdem virtutis eſt efficere patientem, conſtantem, longanimen, & perſeuerantem. Hactenus de fortitudine.

De Iuſtitia.

DE Iuſtitia tria explicanda ſunt primum, quid ſit & an ſit virtus ſpecialis, ſecundum quod ſit eius ſpeciale officium, ſeu functio, & tertium quot ſint eius partes.

Iuſtitia ſumitur quatuor modis.

Quoad primum obſeruandum eſt primo iuſtitiam quatuor potiſſimum modis accipi primo pro complexione omnium virtutum, hoc eſt pro qualibet rectitudine animi, & hoc modo quælibet virtus eſt iuſtitia quędam; quia quælibet virtus eſt animi rectitudo aliqua; eſtque idem quod ſanctitas, cuius rationem inſinuat D. Hieron. *D. Hiero.* in capitulo 66. Iſaiæ, quia proprium eſt iuſtitiæ actiones, & contractus humanos in quadam æqualitate conſtituere, & hoc ipſum omnes virtutes præſtant, cum conſiſtant omnes in quadam æqualitate, & debita proportione ſecundum regulam rectè rationis, à qua ſiue per exceſſum, ſiue per defectum recedatur vitium eſt, vt in fortitudine cuius manus eſt pro magnitudine, aut paruitate periculi iuxta rectam rationem res aggredi, ita vt ſi ab illa recedatur vitium ſit timoris, vel audaciæ. Vnde iuſtitia dicitur ea affectio, quæ efficit hanc commenſurationem, & adæquationem, quare cum collectio omnium virtutum ſiue actu, ſiue habitu, formaliter conformet, ac veluti commenſam reddat voluntatem ſuæ regulæ, legi diuinæ rectè vocatur iuſtitia, & quæ vis virtus pars iuſtitiæ, præſertim cum hac ratione ordinetur ad alterum, quod notio iuſtitiæ poſtulat, vt docet Ariſt. 5. Ethic. capitulo primo, nempe ad Deum, cuius legi conformatur, per omnem enim virtutem reddit anima Deo, quod ei debet. Sic accipitur paſſim in Scripturis, vt cum dicitur Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam; Qui faciunt iuſtitiam. Sic *D. Chriſ.* D. Chriſoſtomus homil. 12. in Matth. ait. Iuſtitia nihil aliud eſt, quam omnium mandatorum plena cuſtodia, & *D. Anſel.* D. Anſelmus dialogo de veritate cap. 13. Iuſtitia eſt rectitudo voluntatis ſeruata propter ſe ipſam.

Et in hoc ſenſu vocantur in Sacris litteris viri honeſti, & ſtudioſi iuſti. Matth. 1. Ioſeph cum eſſet vir iuſtus, ideſt ſtudioſus, & pius 1. ad Timoth. 1. Iuſto non eſt lex poſita, ideſt viro probo, & ſtudioſo non eſt neceſſaria lex: agit enim virtutis amore quicquid ipſum deceat, etiam ſi nulla lex ad id compelleret, & Matth. 6. Attendite ne iuſtitiam veſtram, &c. ideſt ne opera veſtra ſtudioſa oculis hominum auram popularem captantes offeratis. Sunt alia innumera loca in vtroque teſtamento, quæ omnia mirifice confirmauit Zacharias Lucæ. 1. illis duobus verbis. In Sanctitate, & iuſtina.

Secundo modo ſumitur iuſtitia pro rectitudine per quam homo iuſtificatur in conſpectu Dei, & ſic accipitur pro charitate: quia charitas voluntatem reddit conformem toti legi diuinæ, vt quæ omnium virtutum complexionem quodammodo contineat, iuxta illud Apoſt. Charitas eſt vinculum perfectionis, & hoc etiam modo videtur eam accepiſſe Auguſtinus libro de natura, & *D. Aug.* gratia cap. 38. Charitas Dei qua vna iuſtus eſt, quicũque iuſtus eſt, &c. vltimo charitas inchoata, inchoata iuſtitia eſt: charitas magna, magna iuſtitia eſt: charitas perfecta, perfecta iuſtitia eſt, & lib. 83. quæſtionum q. 61. Iuſtitia, quæ per cętera diffunditur eſt dilectio Dei, & proximi.

Tertio modo ſumitur iuſtitia, pro qualibet virtute ordinata per legalem iuſtitiam ad bonum commune cum enim omnis Reſpub. ſit corpus quoddam ciuile, & miſticum, ſicut in corpore naturali, quæ vis pars habet duas habitudines, vnam ad aliam partem, alterum verò ad totum corpus, ad quod omnes partes ordinantur, ita in qua vis Repub. quilibet Ciuis habet duas ſimiles habitudines, vnam ad quemcũque alium ciuem, vt priuatum hominem, alteram verò ad totam Rempub. & communitatem, vnde ſequitur, quod duplex habet debitum, ex quo duplex orta eſt iuſtitia vna generalis, & communis, quæ omnes Ciues ordinat in bonum commune, de qua modo loquimur, altera verò particularis, quæ vnum ciuem ad alium ordinat, velut vnum partem ad alteram.

Sumitur itaque hoc tertio modo iuſtitia pro actu cuiuſcunque virtutis, non qua talis eſt, ſed quatenus ordinatur ad commune bonum multitudinis cuius pars eſt ille, qui eum exercet, ſeu, (& in idem redit) quatenus emanat ab homine non vt in ſe quædam perſona ſingularis eſt, quæ per prudẽtiam monaſticam conformiter ad rectam rationem operatur, ſed vt pars Reipub. quæ eo modo operando optime ſe habet ad ſuum totum, bonumque commune, & hoc modo ſortitur rationem formalem iuſtitiæ latæ ſumptæ, quæ omnibus virtutibus eſt cõmunis, non quidem per eſſentiam quaſi ſit virtus quædam ab alijs diſtincta, & de intrinſeca ratione cuiuſque earum, ſed quia communiatur actus cuiuſque virtutis, quatenus in commune Reipub. bonum ordinantur. atque ita iuſtitia eſt realiter idem cum qualibet virtute, non tamen ſecũdum rationem, & ſic loquitur Philoſ. quinto. Ethicorum capitulo primo, vbi dicit, quod eſt eadẽ omni virtuti, ſed non idem eſſe, ideſt non idem ſecundum rationem. Verba autem Ariſtot. ſunt hæc. Quid verò virtus, & iuſtitia hæc differat ex his, quæ diximus iam patet, vtraque enim eadem eſt, eſſe tamen vtratumque non eſt idem, quod patet per litteram ſequentem, quæ eſt. Nam quatenus ad alterum ſpectat iuſtitia, quatenus talis quidam eſt habitus, virtus ſimpliciter eſt.

Quarto modo ſumitur Iuſtitia pro habitu determinante voluntatem ad firmiter volendo ſeruare rectitudinem debitam, in operationibus, quæ ſunt ad alterum, & ſi ad alterum, quod eſt ſingularis perſonæ, ſic eſt particularis iuſtitia per eſſentiã ab alijs virtutibus diſtincta, nec debet virtualiter dici generalis ad omnẽ virtutem; ſi autem eſt ad alterum, quod eſt communitas, ſic eſt legalis iuſtitia, quæ eſt in Principe Rectoribuſque Principaliter, & quaſi Architectonice, quatenus per leges ea præcipiunt, & ſtatuunt, quæ ad commune bonum, optimamque Reipub. adminiſtrationem pertinẽt, vt vnuſquiſque ita ſe gerat, vt commune bonum, Reipub. quæ perfectio poſtulat. In ſubditis verò ſecundario, & quaſi adminiſtratiuè tanquam mandantibus executioni, quæ per Rectores conſtituta ſunt, dum legibus ad eumdem finem ſe accomodant, eaque de cauſa virtus hæc legalis appellatur.

Huius autem Iuſtitiæ docet Ariſt. 5. Ethicorum cap. 1. & ſecundo obiectum eſſe iuſtum, non vt eſt idem, quod æquum, opponiturque iniquo, quo iniuriam inuoluit, eo enim modo conſideratum, obiectum eſt iuſtitiæ particularis, quæ virtus eſt Cardinalis, ſed vt eſt idem, quod legitimum, hoc eſt, quod lege præceptum, atque legi conformat; cui aduerſatur iniuſtum, in ea ſignificatione, qua is, qui à lege diſcedit iniuſtus dicitur, vt ibidẽ affirmat Ariſtot. Et hæc etiam quamuis ſit generalis omni virtuti, quatenus opera exteriora cuiuslibet virtutis præcipit referri ad bonum commune, vt colligi poteſt ex ſententia Philoſ. loco citato, quapropter ab eodem cap. 3. præclariſſima virtus dicitur; tamen in eſſentia eſt vna ſpecialis virtus diſtincta a qualibet virtute alia, vnde non eſt alijs generalis per prædicationem, ſed quantum ad virtutem, in ſe autem eſt vna virtus formaliter, ſed eſt omnes virtutes virtualiter tantum; Quod autem ſit vna virtus patet, quia aliæ virtutes perficiunt hominem in ſe iuſtitia verò legalis perficit hominem in ordine ad bonum commune, & dirigit actus eius circa bonum commune tanquam circa finem vltimum humanum. Item ſecundum Ariſt. ad iuſtitiam legalem pertinet omnium virtutum vſus, & in-

Obiectũ iuſtitię legalis.

Iuſtitia legalis eſt diſtincta virtus.

terdum

terdum ad procurandam fœlicitatem in ciuili communicatione, vſus vnius virtutis eſt magis neceſſarius, quam alterius; ideo ad ipſam pertinet prudentia collatiua inter diuerſas operationes virtutum, quæ earum eſt communitati magis neceſſaria, & ſecundum hoc dictare quid agendum, quid verò reſpuendum; Ad iuſtitiam legalem pertinet inclinare ad illud, quod eſt rectè dictatum, bonum commune bono particulari præferendo; atque ita præcipuus actus eius ſpecie diſtinguitur ab actibus aliarum virtutum, quia alium obiectum habet, & alium finem, & actus virtutum dirigit circa bonum commune; ſicut charitas licet in ſe ſit particularis quædam virtus, in eo tamen ſenſu poteſt in viro iuſto, quia omnia ſua actu in Deum refert, appellari vniuerſalis, & quodammodo tota virtus, quod in omni virtutis actu eo modo in Deũ relato inuenitur ratio formalis charitatis. Nec obſtat id, quod Ariſto. dicit in quinto. Ethicorum capitulo primo, quod iuſtitia non eſt pars virtutis, ſed tota virtus; Quia non vult negare Ariſt. iuſtitiam legalem eſſe partem ſubiectiuam virtutis, ſed vult dicere, quod non eſt aliqua de prioribus virtutibus, de quibus habita eſt mentio in 2. 3. & 4. Ethicorum vel dicas, quòd ex eo dicitur omnis virtus nõ identicè, ſed relatiuè, quatenus ſcilicet refert actus omnium aliarum virtutum in commune bonum, vel iterum dicas, quod Ariſtot. loquitur ibi de iuſtitia tertio modo accepta. In propoſito autem hic loquimur de iuſtitia particulari, qua voluntas inclinatur ad cuiquè reddendum ius ſuum ad æqualitatem. Quomodo de ea quid ſit quærimus.

Iuſtitiæ tres definitiones.

D. Aug.

Variæ à diuerſis ſolent iuſtitiæ definitiones aſſignari, & potiſſimè ſunt tres, quæ eamdem vim habent. Prima eſt quam ponit Beatus Auguſt. lib. 19. de Ciuit. Dei cap. 21. ſic. Iuſtitia eſt virtus, quæ ſua cuiquè diſtribuit, quam definitionem ex aliorum ſententia memorat quoque D. Gregorius. Nyſſenus oratione 4. de beatitudinibus Paululum immutatis verbis cum ait. Non nulli qui huiuſmodi res ſcrutati ſunt aſſerere, iuſtitiam eſſe habitum tribuentem vnicuique id, quod æquum eſt, & quo quiſque dignus eſt.

D. Gregor.

Ariſt.

Altera eſt, quam communi Philoſophorum ſententia ponit Ariſt. quinto. Ethicorum capitulo primo, illis verbis. Videmus omnes eiuſmodi habitum appellare iuſtitiam ſolere, ex quo ad agendas res iuſtas homines idonei efficiuntur; ex quo itẽ iuſtè agunt, voluntque iuſta. Quod idem ex alijs verbis repetit, capitulo quinto, cum ait, Iuſtitia eſt qua iuſtus dicitur iuſti operator ex electione, ac diſtributor, tam ſibi ad alterum, quam alteri ad alterum.

Vulpian.

Tertia, eaque magis recepta eſt, quam aſſignauit Vulpianus in leg. iuſtitia. ff. de iuſtitia & iure. Iuſtitia inquit eſt conſtans, & perpetua voluntas ius ſuum cuique tribuendi; cuius definitionis ſenſus eſt, Iuſtitia eſt virtus inclinans, & firmans voluntatem ad perpetuo cuique tribuendum ius ſuum, idque ad æqualitatem. Dicitur primo conſtans voluntas, quia eſt propoſitum habituale deliberatum, & firmum, & ex hoc quod dicitur voluntas ſignificatur eam habere actum voluntarium, & ex electione, quod eſt de ratione virtutis, vt docet Ariſtot. libro ſecundo. Ethicorum capitulo quinto, eſtque hæc prædicatio, Iuſtitia eſt voluntas, non identica, ſed cauſalis ſecundo perpetua voluntas, quia ad perpetuo reddendum, qui enim tantum ſemel, aut bis, non autem ſemper & in omni euentu vellet cuique ius ſuum reddere, non eſſet verè iuſtus, nec haberet hanc virtutem, & ex hoc ſignificatur conuenire iuſtitiæ alias duas conditiones habitus virtutis, nempe quod habet actum firmum, & minimè inſtabilem, ac vaccillantem, quod eſt operari conſtanter, & immobiliter, vt operatur virtus authore Ariſtot. 2. Ethic. capitulo quarto, & quod non in hac, vel illa materia tantum, ſed in omnino materia iuſtitiæ habeat eundẽ quaſi tenorem operandi rectè, & iuſte, propter quod iuſtitia eſt voluntas perpetua. Tertio dicitur ius ſuum, ideſt quod cuiquè ſtricta obligatione eſt debitum, debet autem reddi hoc ius ad æqualitatem, alioquin non perfectè redditur, ac proinde non erit perfecta iuſtitia, quia iuſtitia æqualitas quædam eſt, vel certè æqualitatem inuoluit, vt nomen inſinuat, & per hoc inſinuatur etiam iuſtitiæ obiectum, nempè iuſtum per æqualitatem aliquam propriè dictam; nam iura alia ſecundum quid dicta, vt paternum, dominatiuum &c. non ſunt obiecta iuſtitiæ de qua hic loquimur, ſed eius obiectum eſt ius legale ſeu legitimum, quod ſcilicet communi aliqua lege, eſt determinatum, atque adeo debitum, vel quod ex particulari pacto, & conuentione aliquorum determinatum, & debitum eſt, vt quando duo inter ſe paciſcuntur de alicuius rei prætio, quod neque lege conſtitutum ſit, neque legi contrarium, & illud extimant rei eſſe æquale.

Iuſtitia eſt virtus.

Ex his ſequitur primo. Iuſtitiam eſſe virtutem; Nam reddere cuique ius ſuum, & conſtituere vbique in actionibus, quibus homines inter ſe communicant, debitam proportionem, & æqualitatem eſt per ſe honeſtum, & rectæ rationi conſentaneũ, ac proinde virtutis opus, præterea vbicũque poteſt exceſſus eſſe, & defectus poteſt eſſe medium, ſed circa iuſtitiam poteſt eſſe exceſſus, & defectus, ergo &c. de defectu notum eſt, & de exceſſu patet per illud Eccleſiaſtici. Noli eſſe iuſtus nimis; & Terentius. Summum ius ſumma iniuria, & qui nimis emungit elicit ſanguinem. Qui nimis punit hominem crebiter durum, & oſtinatum facit, & eum frangit, quemadmodum qui ſine ſciſſura pellis caſtaneam in ignem mittit, vides caſtaneam eijci ab igne cum ſono corticem totum frangendo.

Terent.

Iuſtitia eſt præclara virtus.

Secundo ſequitur Iuſtitiam præclaram eſſe virtutem. Nam virtus eſt circa difficile; difficilius autem eſt bene ſe habere in ordine ad alterum, quam in ordine ad ſe, at iuſtitia eſt in ordine ad alterum, vt patet quinto. Ethic. capitulo primo, ergo ſequitur iuſtitiam eſſe præclaram virtutem, Vnde Ariſto. inquit, atque perfecta maxime virtus eſt, quia perfectæ virtutis eſt vſus, Perfecta autem, quia, qui eam habet non ſolum ſecum, ſed cum altero etiam virtute vti poteſt. Multi enim ſunt qui in priuatis quidem rebus virtute vti poſſunt, in cæteris, quę ad alios ſpectant non poſſunt. Vnde rectè illud Biantis dictum videtur. Principatus virum oſtendet, quippe cum ad alterum iam, & in ſocietate Princeps verſatur. Hæc Ariſt. Item ille eſt peſſimus, qui ad ſe ipſum vtitur prauitate, ergo ille eſt optimus, qui ad alium vtitur virtute. Hæc ratio eſt Ariſt. vbi ſupra, vbi ita ſcribit, Peſſimus igitur eſt qui, & ſecum, & cum alijs, prauitate vtitur; optimus autem non qui ſecum, ſed qui cum alijs virtutem exercet. quippe cum id difficile admodum ſit. Et in eodem cap. inquit Philoſ. Atque hæc quidem iuſtitia virtus perfecta eſt, non abſolute tamen, ſed ad alterum, vt propterea ſæpe iuſtitia virtutum præſtantiſſima eſſe videatur, & neque heſperus, neque lucifer ſit adeo admirabilis; adde quod in prouerbium dicimus. Iuſtitia in ſe virtutes complectitur omnes, & in fine cap. concludit his verbis. Itaque neque hæc iuſtitia pars virtutis, ſed integra virtus eſt; neque huic oppoſita iniuſtitia pars vitij, ſed integra eſt vitioſitas.

Iuſtitia nõ eſt ſpecies ſpecialiſſima.

Tertio ſequitur quod Iuſtitia non eſt ſpecies ſpecialiſſima circa omnia iuſta, quia multa ſunt obiecta iuſtitiæ ſpecie diſtincta, atque adeo habitus ipſi diſtinguuntur ſpecie ex 2. de anima.

Iuſtitia eſt virtus moralis, & Cardinalis.

Quarto ſequitur Iuſtitiam eſſe virtutem moralem, atque etiam Cardinalem, at primum patet, quia eſt habitus electiuus in mediocritate conſiſtens, pro vt prudentia definierit, ſecundum etiam patet ex his quæ ſupra explicauimus de virtutibus Cardinalibus in commum.

Munus Iuſtitiæ quid ſit.

Iudicium eſt quadruplex.

Quo ad ſecundum, Proprium Iuſtitiæ munus, atque officium eſt præſtare vnicuique quod eſt ei debitum, ſiue iudicare diſponendo ea, quæ ſunt iuxta dictamen ſententiæ iuſtæ. Vnde obſeruandum eſt quod quadruplex eſt iudicium. Quoddam enim eſt iudicium vſurpatum ſcilicet cum homo iudicat inter homines ſibi non ſubditos, quoddam eſt iudicium temerarium, ſcilicet quando homo ſententiat de dubijs, vel de occultis per aliquas leues coniecturas. Quoddam eſt iudicium peruerſum, vt quando homo contra rectitudinem ſententiat, & eſt quoddam iudicium iuſtum, & licitum, quod eſt ex inclinatione iuſtitiæ, & præſidentis authoritate ferre ſententiam ſecundum rectam rationem prudentiæ. Iudicare quocunque trium primorum modorum non eſt actus iuſtitiæ. Sed quarto modo iudicare, quid iuſtum, &

quid

quid iniuſtum, eſt munus iuſtitiæ, vt inclinantis, & diſponentis, & mouentis ad dictamen ſententiæ iuſtæ, Prudentiæ autem ſicut Iudicium proferentis, dictare enim, & definire actus rationis eſt.

Huiuſmodi autem Iuſtitiæ munus ſiue actus verſatur primo circa ſolas actiones rite ad alterum diſponendas, & circa res vt ſunt actionum materia, non autem circa paſſiones, vt temperantia, & fortitudo. Secundario tamen poteſt etiam verſari circa paſſiones, atque illas moderari, quatenus illa moderatio eſt medium neceſſarium ad finem ipſius intrinſecum, qui eſt reddere cuique ius ſuum; nam poſſum velle moderari iram, amorem pecuniæ, & timorem, ne alicui faciam iniuriam, & ex vi huius intentionis ſequetur moderatio illarum Paſſionum abſque interuentu intentionis, quæ ſit alterius virtutis, atqui intentio illa neminem lædendi, eſt actus iuſtitiæ, atque adeo iuſtitia ſecundario etiam Paſſiones moderatur.

Partes iuſtitiæ ſunt triplices.

Quo ad tertium Partes iuſtitiæ quædam ſunt integrales, quædam ſubiectiuè, quædam potentiales, Partes integrales, vel quæ ſe habent ad modum partium integralium, ſunt, quæ concurrunt ad perfectum actum iuſtitiæ, & iſtæ ſunt declinare à malo, & facere bonum; ideſt reddere proximo debitum, & non ſibi ſubtrahere, quod ſuum eſt.

Partes ſubiectiuè.

Partes verò ſubiectiuè ſunt, Iuſtitia quæ dicitur generalis, & legalis, per quam habituatur homo ad firmiter volendum ſeruare rectitudinem ex neceſſitate debitam, in operationibus, quæ ſunt ad alterum, quod eſt communitas, per illam enim redditur debitum communitati, & Iuſtitia particularis; per quam habituatur homo ad firmiter volendum ſeruare rectitudinem ex neceſſitate debitam in operationibus, quæ ſunt ad alterum, quod eſt ſingularis perſona. Cuius ſunt duæ ſubiectiuè partes ſcilicet iuſtitia diſtributiua, per quam proportionaliter diſtribuendo bona communia cuilibet ſecundum, quod dignus eſt redditur cuilibet ſingulari perſonæ, quod ſibi debetur de communibus bonis; hominibus enim ſecundum, quod ſeruiunt communi vtilitati, debetur potius de bonis communitatis ſecundum menſuram, qua communitati ſunt vtiles, huiuſmodi autem diſtributio fit ſecundum proportionem geometricam, vt dicit Philoſ. 5. Ethicorum cap. 3. vbi dicit quod iuſtum diſtributiuum conſiſtit in proportionalitate geometrica, ſed iuſtũ commutatiuum conſiſtit in proportione arithmetica.

Ariſt.

Proportio quid ſit.

Vnde obſeruandum eſt quod proportio eſt duorum terminorum ad inuicem habitudo; proportionalitas verò eſt ſimilis duarum proportionum habitudo, & quia impoſſibile eſt proportionalitatem conſiſtere in pauciori bus terminis, quam in tribus, in quibus oportet eſſe medium, Ideo proportionalitas etiam medietas nominatur.

Quid proportio Geometrica.

Secundo obſeruandum eſt quod in proportionalitate geometrica proportiones ſunt æquales, ſed illud in quo terminus vnius proportionis differt à termino alio non eſt æquale illi, in quo terminus alterius proportionis differt ab alio, Verbi gratia, Quaternarij ad binnarium eſt proportio dupla, & octonarij ad quaternarium eſt proportio dupla, ſed illud in quo differunt quaternarius, & octonarius inæquale eſt illi, in quo differunt. Quaternarius, & Binarius. Quia octonarius excedit Quaternarium in quatuor, ſed Quaternarius non excedit Binariũ niſi in duobus binarius autem, quaternario non æquatur, ſimiliter dico ſi proportionalitas geometrica ſit in quatuor, terminis, vt ſi ponatur, quòd termini vnius proportionis ſint ſexdecim, & octo, & termini alterius ſint 4. & 2. proportiones ſunt ęquales, quia vtraque dupla, ſed differentia terminorum vnius proportionis eſt inæqualis differentiæ terminorum alterius proportionis. Dicit etiam Philoſ. quæ eſt proportio partium ad partes, eadem eſt proportio totius ad totum; Verbi gratia, ſicut ſe habent ſex ad tria, ita quatuor ad duo; ſi autem ſumas partes excedentes, & ſimul iũgas, atque etiam partes exceſſas, & eas ſimul iungas, in qua proportione totum excedit totum; in eadem proportione pars excedit partem; patet Nam ſex, & quatuor ſimul iuncta ſunt Decem, & tria, & duo ſunt quinque inter quæ eſt proportio dupla, ſicut erat à principio inter ſex, & tria, quatuor, & duo.

Proportio Arithmetica quid.

Tertio obſeruandum eſt, quòd in proportionalitate arithmetica proportiones ſunt inæquales, ſed differentiæ terminorum æquales ſunt, vt patet in proportione, quæ conſiſtit in proportione ternarij ad binarium, Nam proportio ternarij ad binarium eſt ſexquialtera, ſed proportio Quaternarij ad ternarium eſt ſexquitertia, & illud in quo quaternarius excedit ternarium, æquale eſt illi in quo Ternarius excedit binarium.

Dicit ergo Philoſ. quòd per iuſtitiam diſtributiuam ſic diſtribuuntur bona communitatis perſonis vtilibus communitati, quod proportio bonorum diſtributorum inter ſe æqualis eſt proportioni perſonarum inter ſe, quibus diſtribuuntur, nec tamen oportet, quod differentiæ terminorum ſint æquales, Verbi gratia, ſit. A. decem millia aureorum, & B. aureorũ quinque millia, C. ſit Aiax, qui duobus annis laborauit in Repub. militando, & d. ſit Vlyxes, qui vno anno laborauit. Tunc ſic, ſicut ſe habet. A. ad. B. ita ſe habet. C. ad. D. quia vtrobique inuenitur proportio dupla; ergo permutatim ſicut ſe habet. A. ad. C. ita ſe habet. B. ad. D. Nam ſicut Aiax in duplo fuit vtilior Reipub. quam Vlyxes, ita in duplo plus diſtribuitur ei de bonis communitatis, quam alteri, vt pote vni decem millia, & alteri quinque millia, & ſic patet, quod iuſtitia diſtributiua, ſeruat æqualitatem ſecundum proportionalitatem geometriam, eodem modo deducere potes, ſi duo ſeruierint Reipub. per æquale tempus, ſed opera vnius eſt vtilior Reipub. in duplo, quam opera alterius, vel duæ ſunt perſonæ peccantes in Rempub. ſecundum proportionem duplam, vel aliquam aliã ſimilem, oportet præmia, & pęnas ſimiles irrogare eiſdem.

Iuſtitia cõmutatiua.

Iuſtitia autem commutatiua eſt, per quam habilitatur homo ad firmiter volendum ſeruare rectitudinem ex neceſſitate debitam in operationibus, quæ ſunt ad alterum commutando, & per hanc iuſtitiam ſeruatur æqualitas ſecundum quantitatem valoris rei inter acceptum, & redditum; Vnde ſi à te accepi, quod valet quinque tibi debeo reddere per iuſtitiam commutatiuam, quod valet quinque, & hæc æqualitas dicitur ſecundum proportionem arithmeticam, pro tanto; quia in illa proportionalitate differentiæ terminorum ſunt æquales, ſecundum quantitatem.

In Repu. eſt triplex habitudo.

Quod autem hæ partes iuſtitiæ ſubiectiuè ſint iuſtitiæ diuerſæ ſpecies, ex eo patet, quod in Republ. eſt triplex habitudo. Prima partis ad partem. Secunda totius ad partes. Tertia partium ad totum. Virtus autem quæ ſingulas partes diſponit ad bonum totius Reipub. eſt iuſtitia legalis, quæ verò diſponit ad partem eſt iuſtitia particularis; porro ad partem eſt duplex habitudo, nempè totius ad partem, & partis ad partem, Virtus, quæ dirigit partem ad partem ſcilicet ciuem ad ciuem, vt conſtituatur ęqualitas inter partes in actionibus quibus inter ſe communicant dicitur iuſtitia commutatiua, quę verò dirigit totum ſeu congregationem ad partes in diſtribuendis per ciues rebus communibus officijs, & oneribus iuxta proportionem inter ipſos repertam, dicitur iuſtitia diſtributiua, quę propriè, & principaliter reſidet in Principe, vel Magiſtratu, ad quem pertinet huiuſmodi diſtributiones, & in priuatis ſecundario, quatenus eos diſponit, vt iuſtam diſtributionem ament, eaque legitime facta acquieſcant.

Itaque diſtinguuntur hę tres ſpecies; quia alterius rationis ſecundum ſpeciem eſt debitũ, quod debetur communitati, quod debitum eſt obiectum legalis iuſtitiæ, quam illud quod debetur ſingulari perſonę, quod debitum eſt obiectum iuſtitiæ particularis; Et debitum illud quod debetur ſingulari perſonę, de bonis communitatis, quod eſt obiectum iuſtitię diſtributiuè, alterius rationis eſt, quam illud quod debetur ſingulari perſonę, vt ſibi proprium, quod eſt obiectum iuſtitię commutatiuè. Et quia alterius rationis eſt debitum, quod debet Princeps communitati, quam illud, quod debetur communitati à ſubdito, Ideo iuſtitia legalis in Principe eſt alterius ſpeciei à iuſtitia legali in ſubdito, vt docet Ariſt. 3. Politicorum capitulo ſecundo. Differunt itaque iuſtitia diſtributiua, & commutatiua. Primo quod iuſtitia commutatiua diſponit priuatum hominem ad priuatum, vel eos qui ſe inſtar priuatorum habent. Iuſtitia autem diſtri-

Ariſt.

butiua

Digitized by Google

butiua Communitatem, vel eum, qui Communitatem repręſentat ad priuatum. Secundo quod illa dirigat commutationes, hæc diſtributiones. Tertio quod illa ſpectet conditionem rei alterius, vt ei reddat æquale; hæc conditionem perſonæ, (vt ſit ne Diues an Pauper; nobilis an ignobilis: Doctus an indoctus: idoneus ad officium an ineptus) vt ſecundum proportione illarum conditionum fiat diſtributio. Quarto finis intrinſecus illius eſt, conſtituere æqualitatem inter datum, & acceptum; huius finis eſt conſtituere æqualitatem inter proportionem, & proportionem, vt eadem ſit proportio inter res, quæ diſtribuuntur, quæ eſt inter conditiones perſonarum, quibus fit diſtributio, Verbi gratia, eſt aliquid diſtribuendum ſecundum dignitatem perſonarum, ſi is cuius dignitas eſt vt duo, accipiat tres aureos: is cuius dignitas eſt vt quatuor, accipiat vt ſex: cuius vt octo, accipiat 12. &c. Vide Ariſt. libro quinto. Ethicor. cap. 3. & 4. Hinc patet quando militi datur ſtipendium, vel operarijs publicis merces à Repub. pro cuiuſcunque merito non dari per Iuſtitiam diſtributiuam, ſed per commutatiuam, quia non ſpectatur conditio perſonarum, ſed operarum, quas præſtiterunt, & nihil aliud intenditur, quam vt ſingulis conſtituatur æqualitas rei ad rem ſcilicet mercedis ad operas. Vnde Reſpub. non comparatur tunc ad illos, vt totum ad partem, ſed vt pars ad partem, vt Ciuis ad Ciuem; ſubit enim rationem vnius perſonę conducentis operas ſingulorum. Vtrum autem iſtæ tres ſpecies Iuſtitiæ in alias partes ſubiectiuas diuidantur, vel non; dimitto cauſa prolixitatis vitandæ.

Partes potentiales iuſtitiæ.

Partes Iuſtitiæ potentiales ſunt multæ, ſed generatim ſunt illæ in quibus cernitur aliquod debitum ad alterum. Illud autem vel eſt adeo magnum, vt illi non poſſit ſatisfieri ad æqualitatem, vel eſt ita paruum, vt non inducat obligationem legalem, & ſtrictam, ſed ſolũ moralem, quę ex quadam honeſtate virtutis procedit, eſtque talis, vt niſi illi ſatisfiat honeſtas morum conſeruari non poſſit, vel non commode, & decore poſſit.

Prioris generis ſunt, Religio, Pietas, obſeruantia, obedientia; Poſterioris verò. Gratitudo, Vindicatio, Veritas, Amicitia, liberalitas, & epitica, ſiue ęquitas, de his breuiter agendum eſt, vt ſolum ſingularium ratio conſtet; fuſior enim tractatio non eſt hic neceſſaria.

Religio.

Religio, nomen ductum eſt vel à relegendo, quod ea quæ ad Dei cultum pertinent ſæpe numero ſint reuoluenda, & veluti relegenda, vt vult Iſidorus libro decimo. Ethymol. cap. 17. ex Cicerone, vel à reeligendo, quod per eam Deum, quem per peccatum reiecimus reeligamus, vt inquit *D. Auguſt.* lib. 10. de Ciuit. cap. 4. vel à religando, quod Deo nos aſtringat, & alliget; ita Lactantius lib. 4. de diuin. Inſtit. cap. 28. D. Auguſt. lib. 1. Retract. cap. 13. & D. Hierony. in cap. 9. Amos, quæ deriuatio maxime videtur nomini, & rei conſentanea. Definitur autem à D. Auguſt. lib. 83. quæſtionum quæſt. 31. ex Cicerone hoc modo. Religio eſt virtus quæ ſuperioris cuiuſdam naturæ, quam diuinam vocant, cultum, cæremoniamque adfert, Planius ſic. Religio eſt virtus, quæ debitum cultum Deo, tanquam primo rerum omnium principio exhibet.

Iſidorus. D. Aug. Lactant. D. Aug. D. Hieron. Cicero.

Pietas.

Pietas, hoc nomen tripliciter, accipi poteſt, vt colligitur ex D. Auguſt. libro 10. de Ciuit. capitul. 1. primo, vt idem ſit quod Gręcis Euſebia, & theoſebia, & ſic non diſtinguitur à Religione, & idem eſt eſſe pium, quod eſſe Religioſum, ſeu cultui diuino addictum, & hoc modo accipitur paſſim in Scripturis, vt 1. ad Timoth. 4. Exerce te ipſum ad pietatem, pietas. (Euſebia) ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quę nunc eſt, & futuræ; vbi nomine pietatis videtur intelligere ſtudium internæ deuotionis, & affectum erga Deum, & proximum, vt rectè exponit Anſelmus; eodem modo, ſæpe accipitur in eadem Epiſt. & Iſaiæ 11. Spiritus ſcientiæ, & pietatis, & 2. Machab. 12. Qui cum pietate dormierunt, & alibi ſæpe. Hinc cultores Dei paſſim vocantur Pij: Idolatræ, & peccatores impij.

Anſel.

Secundo accipitur pro miſericordia, ſeu benigno affectu præſertim circa filios opis noſtræ egentes, & hoc modo pietas ſæpe tribuitur Deo, vt quando dicitur Pius Pater, Pius Saluator. Eccleſiaſtici. 2. Quoniam pius, & miſericors; 2. Paralip. 30. Pius enim, & clemens eſt Dominus vbi græce eſt οἰκτίρμων; quod miſericordem ſignificat.

Tertio pro ſpeciali virtute, qua colimus parentes, tanquam vitæ, & educationis noſtræ ſecundum Deum authores, & hoc modo ita definitur à D. Auguſt. libro 83. quæſtionum quęſt. 3. ex Cicerone. Pietas eſt per quam ſanguine iunctis, patriæque beneuolis officium, & diligens tribuitur cultus. Vnde ſequitur pietatem primo, & principaliter reſpicere parentes; quia hi poſt Deum ſunt præcipui authores ortus, & educationis. Secundo patriá, quæ etiam aliquo modo eſt generationis Principium, tum quia parentes fouet, tum quia oportuna ad ortum, & educationem ſuggerit; Patriam voco, opidum, vicum, Prouinciam, cum habitantibus ſuis. Tertio alios conſanguineos non quod illi ſint ortus principium, ſed quia in illis quodammodo repræſentantur nobis parentes, qui mediate vel immediate nobis ſunt ortus principium, & in hoc ſenſu Pietas eſt iuſtitiæ pars, quatenus reſpicit debitum illud, quod habemus erga parẽtes, & erga patriam prout ſunt nobis principium ortus, & educationis.

D. Aug.

Obſeruantia.

Obſeruantia (ſicut virtus pietatis defert cultum parentibus, quia ſunt authores vitæ & educationis) ita defert cultum omnibus ſuperioribus, quia ſunt authores noſtræ gubernationis; Quicunque enim nos aliqua in re gubernant; aliquo cultu digni ſunt, & cultus eis ratione huius eminentiæ coniunctæ cum beneficio gubernationis eſt debitus; ſic honor, & obſequium debetur Magiſtro à diſcipulo, Duci à Milite, Magiſtratui à Ciue, Principi à ſubdito, Abbati à Monacho, Epiſcopo à Clericis, Domino à ſeruis, In his enim omnibus eſt excellentia, quędam, & authoritas per quam gubernant alios.

Et ſi dicas, Non ſolum eos, qui nos gubernant obſeruantiæ cultu proſequimur, ſed etiam eos, qui ſapientia, ſanctitate, virtute, vel authoritate ſunt inſignes, quamuis nullam in nos iuriſdictionem habeant, aut nulla in re nos dirigant. Reſpondeo negando conſequentiam, quia & ſi iſti actu nulla in re nos gubernent, tamen idonei ſunt gubernare ratione excellentiæ, quam habent, & ideo cultus illis debetur; Itaque obſeruantia reſpicit tanquam obiectum cui id quod eſt principium gubernationis actu vel potentia; ſed primario id reſpicit, quod actu gubernat, ſecundario quod aptum eſt gubernare quare cũ omnis virtus ad hoc rectè diſponat hominem facit eum obſeruantiæ cultu dignum, vt notant Richard. in 3. diſt. 33. artic. 3. quęſt. 8. & Caiet. 2. 2. quæſt, 103. artic. 4. quamuis debitum circa hunc hominem non ſit tantum, quantum erga illum, qui actu gubernat cuius ſignum eſt, quod ſi omittas cultum debitũ ſuperiori, poſſis puniri per leges, ſecus ſi cultum alijs debitum negligas, quamuis in hac omiſſione peccatum eſſe poſſit.

Richard. Caietan.

Ex his facile intelligi poteſt definitio illa, quam ex Cicerone refert D. Auguſt. libro 83. quæſtionum quęſt. 31. Obſeruantia eſt per quam homines aliqua dignitate antecellentes cultu quodam, & honore dignamur. Qua definitione, explicatur actus obſeruantiæ virtutis. obiectum quod, obiectum cui, & ratio obiectiua; Actus enim eſt deferre cultum, ideſt honorem, & obſequium, quando ratio poſtulat. obiectum quod, eſt idem cultus, cũ ſit opus externum virtutis, quod virtus intendit; obiectu cui eſt ſuperior, & quæ vis perſona excellens; ratio obiectiua in obiecto cui, eſt excellentia, vt eſt principium gubernationis actu, vel poteſtate, & hinc oritur ratio obiectiua proxima, quæ cernitur in obiecto quod, nempe ratio debiti ob talem cauſam.

D. Aug.

Obſeruantię ſpecies.

Multæ autem ſunt obſeruantiæ ſpecies; Nam quędam eſt obſeruantia politica, quædam religioſa, & hæc eſt duplex ſcilicet naturalis, & ſupernaturalis. & ſupernaturalis diuiditur in duliam, & hyperduliam; de quibus non eſt hic locus diſſerendi.

Obedientia. Obedientia materialis.

Obedientia (quę eſt obſeruantiæ pars) dicitur quaſi ab audientia, quod vox, & præceptum ſuperioris audiatur, & admittatur; accipitur autem hoc nomen tum pro obedientia formali, tum pro materiali, Materialis obedientia eſt omne opus virtutis, quo impletur pręceptũ, etiam ſi non ea intentione expreſſim fiat, ſatis eſt enim illa intentione fieri potuiſſe, quæ intentio ſi adeſſet illi formalem obedientię rationem ſuper adderet. Hęc obedientia

non

Digitized by Google

non eſt ſpecialis virtus, ſed omnes virtutes complectitur, quæ aliquem actum cadentem ſub præceptum habent, atque adeo Franciſcus de May. in 3. diſt. 37. quæſt. 9. art. 2. dicit eamdem eſſe virtutem cum iuſtitia legali.

Franciſcus de Mayronis obediẽtia formalis.

Obedientia formalis eſt, quæ ideo expreſſe aliquid facit, quia præceptum eſt, hæc eſt virtus ſpecialis; quia & ſi ad omnis virtutis materiam ſe extendat, tamen ſub ſpeciali ratione honeſti id facit, videlicet quatenus opus eius debitum eſt ratione præcepti. ita quod obiectum, quod huius virtutis eſt omne opus præceptum, obiectum cui ſuperior, ratio obiectiua in obiecto quod eſt debitum ſuperiori ratione præcepti; obedientia enim facit opus, quia ratione præcepti cœpit eſſe certo modo debitum ratio obiectiua in obiecto, cui eſt præceptum factum authoritate illa, per quam eſt ſuperior; per hanc enim habet poteſtatem obligandi, & debitum certi operis ſubdito imponendi. Huiuſmodi virtutes partes potentiales Iuſtitiæ appellantur, quia in aliquo cum iuſtitia conueniunt, & ad plenam iuſtitiæ rationem non attingunt; cum iuſtitia conueniunt in hoc, quod ſunt circa operationes, quæ ſunt ad alterum; A perfecta autem iuſtitiæ ratione deficiunt: quia perfecta iuſtitiæ ratio in hoc conſiſtit, quod alteri reddatur, quod ei debetur ſecundum æqualitatem; explicatæ autẽ virtutes à ratione æqualis deficiunt, quia per illas æquale non redditur. Nam per religionem reddit homo debitum Deo ex legis neceſſitate, ſed nõ poteſt ei reddere æquale, Per pietatem autem reddit homo parentibus, & patriæ debitum ex legis neceſſitate, ſed non reddit æquale; per obſeruantiam verò, & obedientiam, reddit homo ſuperioribus in dignitate aliqua conſtitutis debitum ex legis neceſſitate, ſed nõ reddit ęquale: Quod patet ex ipſo Ariſt. Nam quinto. Ethic. cap. 9. in fine & 8. c. 14. vbi dicit quod Dijs, & parentibus nemo dignam gratiam referre poteſt, ſed qui pro viribus colit is eſſe probus videtur, & 4. Ethicorum capit. 9. inquit. Virtuti perfectè non vtique fiet dignus honor, ſed tamen, & adhuc recipit in non habendo ipſos maiora ipſi tribuere, quaſi dicat, quod maximũ, quod ſtudioſi poſſumus reddere eſt honor; nec tamen honor à nobis redditus poteſt eſſe æquale præmium virtuti.

Ariſt.

Gratitudo.

Virtutes autem Iuſtitiæ annexæ in quibus eſt ſolum debitum morale ſunt, vt diximus, Gratitudo, Vindicatio, Veritas, Amicitia, liberalitas, æquitas. Gratitudo generatim eſt virtus, quæ reſpicit debitum ex beneficio accepto natum, & vt illi, aliquo modo ſatisfaciat rependit aliquid benefactori, vt actionem gratiarum, obſequiũ, cultum, vel aliud beneficium, ita quæ extendit ſe ad omnes à quibus aliquid beneficij accepimus, nimirũ ad Deum, parentes, ſuperiores, & homines priuatos. Ex hoc ſequitur gratitudinem ſi erga Deum ſpectetur non eſſe habitum à virtute Religionis diſtinctum, ſi erga parentes non diſtingui à pietate, ſi erga ſuperiores non diſtingui ab obſeruantia. Cæterum ſi conſideretur, vt reſpicit priuatum benefactorem, & debitum ex eius beneficio proueniens; hac ratione virtus eſt ſpecialis à ſupradictis diſtincta, quia hac ratione reſpicit ſpecialem rationem debiti, quæ non eſt tam ſtricta, quam in prædictis virtutibus, nimirum erga Deum, parentes, & ſuperiores; non enim eſt debitum legale, ſed morale tantum; atque ita iuxta hanc ſignificationem gratitudo eſt ſpecialis virtus, quæ ſolum propriè reſpicit benefactorem particularem.

Vindicatio.

Cicero.

Vindicatio, vt inquit Cicero. 2. Rethor. eſt per quam ius, & iniuria, & omne quod futurum eſt defendendo, aut vlciſcendo propulſatur, vnde patet quod per vendicationem, defendendo, aut vlciſcendo propulſatur violentia, & iniuria moderate, non intendendo malum iniurianti, ſed eius emendationem, vel cohibitionem, vel aliorum quietem ad iuſtitiæ conſeruationem, & Dei honorem. Ex quo ſequitur, quod ſi vendicatio fiat ea intentione, vt ei, qui te læſit male ſit, nihil aliud ſpectando, eſſet actus odij, & contra charitatem proximi; ſi verò fiat vt emendetur, quomodo pater vindicat delicta filij, & Magiſter diſcipuli, hoc modo eſt actus charitatis proximi. Pie enim ſolet charitas, (vt inquit Diuus Bernardus Epiſt. 2.) ſæuire, ſine dolo mulcere, patienter nouit iraſci, humiliter indignari, & Prouerb. 3. Quem diligit Dominus corripit. Vt ergo Vindicatio ſit ſpecialis virtus ea intentione fieri debet, quia per ſe decens eſt malefactorem puniri, & pœna per ſe congruit, & quodammodo debita eſt malefactori ſicut laus benefactori, idque vt rectus ordo ſeruetur, & quod extra ordinem recti prolapſum eſt ad ordinem reuocetur; atque etiam, vt fiat aliqua reparatio iniurię; Dum enim ille punitur propter iniuriam illatam, reſtituitur ex parte honor parti læſæ, eique aliqua ſatisfactio exhibetur, qui enim lædit plus iuſto, ſuo affectui indulget, ſibique ſumit, & alteri detrahit: dum autem punitur, illud ei quodammodo adimitur cum contra voluntatem patiatur, & quia id agitur in gratiam læſi cenſetur ei donari, & ſic fit non nulla compenſatio, vt experientia probat, tunc enim animus leſi acquieſcit, & ſibi ſatisfactum putat, atque adeo in vendicatione eſt quædam moralis reſtitutio honoris, & iniuriæ reparatio.

D. Bernar.

Veritas.

Veritas propriè eſt conformitas iudicij ad rem iudicatam, vel ſigni ad rem ſignificatam, ſed hoc loco accipitur pro veritate, quatenus eſt virtus, quæ procurat vt in ſermone, ſcriptura, geſtibus, alijſque ſignis, quibus aliquid ſignificare intendimus ſit veritas ſaltem ſecundum noſtram conſcientiam, ſeu pro vt eam nouimus. Vnde non ſumitur hic veritas ſecundum, quod eſt obiectum intellectus; nec pro veritate, qua dicitur verum in confeſſionibus, de qua loquitur Philoſ. 4. Ethicor. capitulo 14 illud enim ſpectat ad perfectam rationem iuſtitiæ, ſed accipitur pro habitu. quo homo promptus eſt ad actum prædictum abſque aliqua legis neceſſitate.

Ex quo patet primo veritatem eſſe virtutem ſpecialem à cæteris diſtinctam, quia ſpeciale bonum rationis ſpectat; videlicet veritatem in dictis, & factis; curat enim vt ſit conformitas, & conſenſio linguæ & mentis, ſignorum externorum, & internæ conſcientiæ; ob id namque hęc virtus veritas appellatur, quia veritatem in ſignis, quibus aliquid ſignificare volumus affectat, & procurat, facitque nos rectè vti ſignis, quæ nobis data ſunt ad mentem alteri patefaciendam, qui rectus vſus in eo conſiſtit, vt ſigna ſint menti conformia, & ſpecialis laus eſt in oratione, & vita colere veritatem.

Secundo patet, eſſe virtutem annexam iuſtitiæ, tum quia verſatur circa ea, quæ diriguntur ad alterum, nimirum circa ſigna, quibus alteri intendimus aliquid ſignificare; tum quia ſpectat in his rationem debiti, non legalis ſeu ſtricti, ſed moralis. Eſt itaque huius virtutis obiectũ materiale ſigna externa, quibus mentem noſtra patefacimus proximo. Ratio obiectiua eſt eſſe verum, ſeu conforme menti, quatenus ideſt quodammodo debitum proximo, debitum inquam non ex parte ipſius, ſicut benefactori debetur compenſatio, ſed ex parte noſtra, ne nos inopes ſimus, & parum ad vitam ciuilem idonei, atque adeo hoc debitum eſt ſolum morale, & ex honeſtate virtutis proueniens, quod intellige de debito veritatis per ſe conſideratæ, ſepoſito omni alio vinculo, nam in contractibus debetur ex iuſtitia in iureiurando ex lege religionis. obiectum cui eſt proximus, huic enim debetur hæc veritas, quia talis eſt, cum quo conuerſatio, & amicitia haberi poſſit.

Amicitia, vel affabilitas.

Amicitia ſeu potius affabilitas eſt virtus, quę procurat, vt conuerſatio noſtra cum proximis in rebus ſerijs ſit grata, & talis, qualem eſſe decet ſpectata conditione noſtra perſonarum, quibus cum agimus, negotiorum, & reliquis circunſtantijs, ita vt neque nimis blande, neque nimis aſpere in congreſſibus nos geramus: Dixi in rebus ſerijs; nam vt in iocis ſit noſtra conuerſatio grata præſtat alia virtus, quam Ariſt. libro quarto. Ethicorum capitulo nono, vocat Eutrapeliam Dixi amicitiam, ſeu affabilitatem, quia ſecundum Ariſt. affabilitas ſimilis eſt amicitiæ; nam exterius ita ſe ad omnes gerit tanquam ad amicos, differt tamen ab amicitia propriè dicta: quia hęc nihil eſt aliud, quam mutua beneuolẽtia, in peculiari quadam communione fundata, quę communio, & conſociatio cauſa eſt amandi alterum, ſicut ſe ipſum, & comiter cum illo tractandi, ſic inter milites eſt amicitia ratione ſocietatis, & communionis militię, inter eruditos ratione communionis in eruditione, inter conſanguineos ratione cõmunionis ſanguinis, inter Religioſos ratione ſocietatis vitæ religioſę, &c.

Ariſt.

At

Obiectũ affabilitatis.

At affabilitas non requirit talem communionem; neque ideo benigne cũ alio tractat, quod illi ſit amicus, aut ei bene velit, ſed quia ita congruit ad vitam ſocialem, obiectum igitur materiale affabilitatis eſt tota conuerſatio hominis cum proximo, conſiſtens in colloquijs, cõuictu, & actionibus quibus cum illo tractamus, hoc omnia nititur affabilitas, ita moderari, vt proximo noſtra conuerſatio grata ſit, & delectabilis; Idque ideo, quia hoc debitũ eſt, non quidem ex parte proximi, quaſi ipſe aliquo beneficio id meruerit, vel ad hoc aliquod ius habeat, ſed ex parte noſtra, quia naturæ ſocialis ſumus, & ſine hac moderatione non ſumus bene idonei ad vitam ſocialem; atque ita hoc debitum ſolum eſt morale, ſicut ex honeſtate virtutis, & minus quam debitum gratitudinis, vel obſeruantię, obiectum formale eſt attemperatio noſtræ conuerſationis cum proximo, qua ita ſit ei accomodata ſecundum regulam rationis, vt ſit ei grata; obiectum cui eſt proximus, huic debemus affabilitatem, quia nos, & ipſe ad vitam ſocialem, & amicitiam apti ſumus.

Liberalitas.

Ariſt.

Liberalitas eſt virtus, quæ moderatur amorem pecuniæ, & reddit nos faciles, & promptos ad eas expendendas, quando ratio dictat, vt docet Ariſt. lib. quarto. Ethicorum capit. 1. Pecuniam vocamus non ſolum nummos, ſed omnia quorum prætio pecunia metitur, vt Ariſt. ibidem ait verſatur itaque liberalitas immediatè circa æſtimationem, & affectum diuinarum vtrique modum imponendo, & faciendo eas æſtimari, & amari in ſuo gradu, non ſupra, nec infra, Mediate verò circa eorum vſum, & hoc dupliciter primo tollendo impedimentum recti vſus. Secundo inclinando directè ad earum elargitionem, vel potius ad certum in elargiendo modũ. Liberales enim maxime ex eo vocantur, quod libenter, & hylariter de rebus ſuis largiantur alijs; idque nõ quia hi egent, hoc enim eſt miſericordiæ; nec quia amici, hoc enim amicitiæ; neque ob beneficia, quia hoc gratitudinis, nec intuitu compenſationis, quia hoc amoris concupiſcẽtiæ, qui maxime repugnat liberalitati, ſed quia hic modus elargiendi in vita politica, & ſociali decet hominem, & conſentaneus eſt eius affectui, & habitui. Itaque inclinat propriè in modum, qui in largiendo ſeruandus eſt, quatenus hic congruit illius affectui, ſiue vt effectus illius, ſiue vt ſignum, & vitæ ſociali.

Ex quibus patet primo hanc virtutem eſſe magni momenti, quo ad primum eius officium attinet; Nam res eſt ſumme vtilis, & neceſſaria in hac vita cupiditatem diuitiarum eſſe compreſſam, & ſecundum rationis regulam temperatam, Quo verò ad ſecundarium officium, qui eſt elargitio, & modus debitus in ea ſecundus, quatenus pręciſe declarat hunc moderatum affectum, & quandam vilipenſionem diuitiarũ eſt minoris momenti, & ſi per hanc liberalitas ſe maxime oſtendat, & quo ad hoc ſecundum officium liberalitas non omnibus conuenit, cum non omnes habeant, quæ largiantur; at penes primũ munus omnibus competere poteſt etiam pauperibus; imò in nullis magis, quam in ijs, qui voluntariæ pauperes ſunt, qui minimè cupiditate diuitiarum tenentur.

Obiectũ liberalitas.

Secundo patet obiectum materiale, & immediatũ huius virtutis, ſeu materiam proximam eſſe cupiditatẽ pecuniæ; huic enim cupiditati modum imponere eſt primarius finis huius virtutis, & conſequenter modus ille eſt obiectum formale; Mediatum eſt erogatio pecunię; nam & huic modum imponere debet, vt libenter, hylariter, & copioſe, pro vt ratio decori in vita ciuili poſtulat fiat. Hęc autem ergotio, quia tendit in alium eſt quodammodo debita ex honeſtate huius virtutis, vt per eam affectus internus ſe prodat, facit vt hæc virtus ex parte ſit ſimilis iuſtitiæ, & numeretur inter eas, quæ iuſtitiæ dicuntur annexæ. Materia remotiſſima huius virtutis eſt pecunia, circa huius enim elargitionem, & vſum verſatur, quæ intellige non de ingenti ſumma hæc enim ad magnificentiam pertinet.

Equitas.

Epikia, ſeu æqualitas eſt quando aliquid agitur contra verba legis, eo quod bonũ commune, vel rõ virtutis id poſtulet, cum enim leges vniuerſaliter proponantur, & regulæ vniuerſales multas patiãtur exceptiones, ſæpe caſus incidunt in quibus malũ eſſet verba legis ſequi, Verbi gratia, Lex ſit, depoſitum eſt reddendum, accidit autẽ, vt quis gladium depoſitum repetat cauſa pugnandi cũ inimico; non eſt parendum verbis legis, ſed contra faciendũ. Hoc igitur eſt officiũ huius virtutis, quę Grecis Epikia, latinis æquitas dici põt. Iudicium, quo dirigitur hæc virtus vocatur gnome, ſicut iudiciũ quo diriguntur ea, quæ fiunt ſecundum verba legis vocatur ſyneſis, vt dictũ eſt ſupra, de prudentia. Eſt aũt æquitas virtus inclinans ad recedendũ à verbis legis, qñ ob vniuerſale bonum deficit à recto, vt intentioni legiſlatoris nos accomodemus. Ex quibus patet hanc virtutem eodem fere modo iuſtitiæ annexam eſſe, quo obedientia, quia ſicut hæc ſatisfacit legi, & præcepto eius verbis ſe conformando, ita illa ſatisfacit intentioni à verbis legis recedendo.

Equitas quid ſit.

Et ex his omnibus patet ſupradictas virtutes debitum morale reſpicientes, eſſe partes potẽtiales Iuſtitiæ, quemadmodũ ſunt illæ, quæ debitũ legale reſpiciunt nimirum quia in aliquo cum iuſtitia conueniunt, & ad plenã Iuſtitiæ rõnem non attingunt. Conueniũt cum iuſtitia in hoc, quia ſunt circa operationes, quæ ſunt ad alterũ; à perfecta ratione deficiunt, quia perfecta ratio iuſtitię requirit, vt alteri reddatur quod ei debetur ex legis neceſſitate; Nam & ſi per iſtas virtutes reddatur aliquo modo debitum illud non eſt debitum ex legis neceſſitate, quod eſt ſimpliciter debitum, ſed ex quadam morum honeſtate. Hactenus de Iuſtitia.

De Temperantia.

Circa Temperantiam eadẽ methodus ſeruanda eſt. Vnde videndum eſt, quæ & quotuplex ſit temperantia, ſecundo quid eius munus, atque officium, tertio quot ſint eius partes.

Temperãtia tripliciter ſumitur.

Richard.

Quod ad primum attinet Temperantia tripliciter põt accipi, vt notat Richar. in 3. diſt. 33. art. 5. quæſt. 2. primo ſecũdum amplitudinẽ ſuæ ſignificationis pro virtute, quę refrenat affectum ab his, quæ ipſum contra rationis præſcriptum alliciunt, vel pro habitu temperante actũ appetitus ſecundum regulam rõnis, Temperantia enim inſinuat quandam temperiem, & moderationem, quã ratio actionibus, & affectibus humanis imponit, & hoc modo non eſt virtus ſpecialis ab alijs diſtincta, Temperare enim actũ appetitus modo prædicto conuenit cuilibet morali virtuti. Iuſtitia enim retrahit affectũ à furtis, à rapinis, ab iniquis contractibus, & ſimilibus, quæ ipſum ratione lucri ad ſe trahũt, fortitudo à fuga, Magnanimitas à ſectandis rebus caducis, & honoribus humanis, &c.

Secundo modo poteſt accipi pro habitu cuius principalis actus eſt retrahere moderate appetitũ ab his, quæ contra rationem ipſum alliciunt, & ſic quamuis diſtinguatur à fortitudine, quatenus principalis actus fortitudinis eſt moderate impellere appetitum ad firmiter ſuſtinendum mala ardua, ne propterea vitanda refugiatur rationis bonum; tamen hoc modo non diſtinguitur ab alijs virtutibus, quæ ſunt reſpectu boni delectabilis.

Tertio modo poteſt accipi ſpecialiter, & proprie ſcilicet pro habitu moderante delectationes ſenſibiles, quæ ſunt reſpectu venereorum, & quæ ſunt reſpectu cibi, & potus, & ſic eſt ſpecialis virtus Cardinalis ab alijs diſtincta. Principalius tamẽ eſt circa delectationes venereorũ, quam circa illas, quę ſunt reſpectu cibi, & potus. Vnde dicit Ariſt. 3. Ethic. cap. 10. quod Temperati videntur guſtu in parum, vel in nihil vti, quod intelligendũ eſt quantum ad delectationem, quæ eſt in ſapore cibi, & potus.

Temperãtia qd ſit.

Eſt ergo temperantia virtus quædam moralis moderatrix paſſionum appetitus concupiſcibilis, quæ verſatur circa delectabilia corporis ſecũdum ſenſum tactus in vſu cibi, & potus, & venereorũ ita tradit Phyloſ. 3. Ethic. c. 10.

Temperãtiæ materia.

Ex hoc ſequitur primo huius virtutis materiam eſſe delectationes corporales non omnes, ſed quæ tactu percipiuntur, ex eſculentis, & poculentis, & rebus venerei; dixi circa delectationes corporales: quia vt docet Ariſtotel. loco citato, delectationes quædam ſunt ſpirituales, quædam corporales. Spirituales dicuntur, quæ ſequuntur operationem mentis, vel phantaſiæ, vt ſunt omnes, quæ ex contemplatione rerum diuinarum, vel naturalium, vel, cuiuſcunque veritatis naſcuntur,

Item ex honoribus, & ſabularũ narratione &c. circa huiuſmodi non eſt propriè temperantia; Nemo enim dicitur temperans, aut Intẽperans, quod huiuſmodi oblectationes moderate, vel præter modũ quærat, ſed vel curioſus, vel ambitioſus, vel alio nomine; Impropriè tamen, & methaphotice poſſunt dici intemperãtes, qui in rebus ſpiritualibus ſenſibilem quandam ſuauitatem nimium ſectantur, quaſi hæc ſit præcipuus illius fructus, nõ quod talis delectatio ſit mala, vel prohibita, ſed quia pluris quam oportet æſtimatur, & ſolidæ virtuti præponitur.

Corporales ſunt, quæ capiũtur per ſenſus externos, ſed neque circa has oẽs verſatur hæc virtus: quia nemo iudicatur temperans, aut intemperãs, quod aſpectu cęlorum, & figurarũ, aut cantu, aut odoribus moderate, aut immoderatę delectetur, niſi quatenus hæc incitant ad delectationes guſtus, & tactus. Primario igitur verſatur tẽperantia in voluptatibus guſtus, & tactus moderandis. Secũdario verſatur circa oblectationes aliorum ſenſum, nimirũ quatenus horum obiecta ad voluptatem tactus, vel guſtus mediante imaginatione incitant, eiuſdem enim virtutis eſt moderare finem, & ea quæ ſunt ad finem.

Ariſt. Obſerua tamen, vt docet Ariſt. 3. Ethic. cap. 10 quòd delectatio guſtus ſi per ſe, & ſolitarie ſpectetur non eſt ſufficiens temperantiæ materia; tum quia hęc nõ magni æſtimatur, neque magnã difficultatẽ adfert, vt patet in ijs, qui vina probãdi cauſa deguſtãt, aut obſonia condiunt; tum, quia non dicitur quis intemperatus, quod in delicijs saporum, & ciborum oblectamẽtis excedat, ſi in alijs modum ſeruet, ſed delicatus. Tum quia præcipua oblectatio cibi, & potus non eſt in guſtando, ſed in fruẽdo, quæ fruitio fit per contractum; maximè dum traijciuntur per oeſophagũ. Vnde Phyloxenus Eryxius vt refert ibi Ariſt. optabat ſibi collũ longius collo Gruis, vt qui contactu cibi, quam guſtatu magis delectaretur. Itaque hęc voluptas non ſufficit, niſi accedat ea, quæ eſt per ſenſum tangendi. Verum quia etiam ex ſaporibus per ſenſum guſtus magna voluptas capitur, & propter hanc multi intemperanter edunt, & bibunt, vtramque ad materiam temperantię dicimus pertinere, maximè cum guſtatio fiat per contactum, & Ariſt. dicat guſtum eſſe quendam tactum.

Secundo ſequitur proximam temperantiæ materiã eſſe appetitionem, & delectationem delectabiliũ tactus, ideſt cibi, & potus, & rerum venerearũ; his enim animi affectibus immediatè modum rõnis imponit eos frenando, & coercendo ne debitum modũ excedant, ne vim menti inferant, ſed tales ſint vt animum ſui compotẽ, ſuæque ſponti relinquant. Remotior eſt ipſe externus vſus huic quoq; modum imponit faciẽdo vt talis ſit, qualis temperantẽ virũ decet. Remotiſſima aũt ſunt ipſa obiecta delectabilia.

Temperãtia eſt virtus ſpecialis. Tertio ſequitur Temperantiã eſſe virtutẽ Cardinalem ſpecifice ab alijs diſtinctam. probatur. Contingit immoderate delectari in delectationibus ſenſualibus, atq; ita delectando peccare, quia põt homo nimis vel ſcienter, vel ex ignorantia vincibili cõmedere vel bibere; Item poteſt deficere circa delectationes guſtus, & tactus; Nam põt minus comedere, vel bibere quam oportet, & miniſtrare cibum, vel potum ſufficienter corpori, adhoc quod ſit bonũ inſtrumentum animæ, & ſic deficiendo peccare, ergo eſt dabilis habitus in medio conſiſtens inclinans ad delectandum in ſenſu guſtus, & tactus ſicut oportet, nimirum non magis, quam oportet, nec minus, probatur ſequela; quia vbicunque contingit dare exceſſum, & defectũ, contingit dare medium, & virtutem 2. Ethic. Illud autem mediũ in propoſito vocatur temperantia. Item ſecundum

Dionyſi. Dionyſium cap. 4. de diuinis nominibus. Bonũ hominis eſt eſſe ſecundum rationem, & difficile eſt ſecundum rõnem eſſe.

Cicero. Vnde ſecundũ Ciceronem. 2. Rethor. habitus in modum naturę rationi cõſentaneus virtus eſt. Sed talis habitus eſt

Ariſt. tẽperantia, vt docet Ariſt. 3. Ethic. cap. 9. vbi declarat temperatum per temperantiam medio modo ſe habere ad delectationes per comparationẽ ad rectum iudicium rationis. Non eſt tñ intelligendum, quod tẽperantia hoc modo accepta ita ſit ſpecialis virtus ab alijs diſtincta, quod ſit ſpecies ſpecialiſſima, & nõ diſtinguatur in plures ſpecies, quia plures ſunt ſpecies temperantiæ, vt inferius patebit.

Munus & officiũ tẽperantię. Quo ad ſecundum Munus, & officiũ temperantiæ eſt moderate ſe habere circa delectabilia guſtus, & tactus, non ſolum in vſu, & actu externo, ſed etiã affectibus internis, nimirum interius appetẽdo tantũ, quale, vbi, quando, & quomodo oportet, & ſimiliter exterius vſurpando. Sicut principale officiũ fortitudinis eſt fortiter agere non ſolum exterius in opere, ſed etiam interius in affectibus; Regula autem qua in moderãdis delectabilibus temperantiæ virtus vti debet, in ipſa rerum ad hanc vitã, & huius vitæ officia pertinentiũ neceſſitate ſita eſt. Ita D. Aug. *D. Aug.* lib. de moribus Eccleſiæ cap. 21. Habet, inquit, vir temperans in huiuſmodi rebus mortalibus, & fluẽtibus vitæ regulam vtroque teſtamento firmatam, vt eorũ nihil diligat, nihil per ſe appetendũ putet, ſed ad vitæ huius; atque officiorum neceſſitatem, quatenus ſatis eſt vſurpet, vtentis modeſtia, nõ amantis affectu. Item D. Hierony. in cap. *D. Hiero.* 44. Ezech. explicans illud. Et dices ad exaſperantem; Caro ſimiliter circunciditur, vt nequaquam faciamus terrena opera, quæ pro neceſſitate corporis facere compellimur, cibum capere, & potum, & ſomnum, & vti veſtibus, quæ tunc circuncidimus, ſi non ad delitias, & ad luxuriam, & ad inertiam, ſed ad neceſſitatem naturæ, & corporis iſtius ſuſtentaculum cũcta facimus, qui bibit vinum modicum propter ſtomachũ, & frequẽtes infirmitates, & odit ebrietatem circuncidit carnem ſuam, &c. Idem tradunt alij.

Hic tñ ſub neceſſitate intelligunt etiam vtilitatẽ, & conuenientiam: Non enim illud ſolũ dicitur neceſſariũ vitæ humanæ eiuſq; officijs ſine quo viuere, aut ea officia obire non poteſt, ſed etiã ſine quo non potes cõmode, & conuenienter tuo ſtatui ſpectata conditione loci, perſonarum cũ quibus viuis, & negociorũ occurrentiũ; eodẽ ſpectat illud Eccleſiaſt. 29. Initiũ vitæ hominis aqua, & panis, & veſtimentũ, & domus protegens turpitudinẽ. Initiũ, ideſt caput, & ſumma eorũ, quę vitæ hominis ſunt neceſſaria.

Cęterum vt clarius, quę ſit temperãtiæ regula intelligatur obſer. eſt, aliam eſſe eius regulã, vt verſatur in eſculen- *Temperãtiæ Regula.* tis, & poculentis, aliam, vt in venereis; Nã alius debet eſſe finis in horum vſu, alius in illorum. Nã pro vt verſatur circa cibũ, & potũ, eius regula ſumenda eſt ex fine, ob quem illa vſurpãtur, hic aũt eſt bona corporis valetudo, & mentis ad ſuas functiones idonea diſpoſitio, quorũ vtrunque indicauit D. Aug. illis verbis ad vitæ, & officiorũ neceſſitatem, ob hanc enim cauſam, & quatenus adhunc finẽ expedit ſecundum rectam rõnem eſt edendum, & bibendum, non amplius nec alio modo nec etiam minus. Qua verò parte verſatur in re venerea Temperantiæ regula extra coniugium eſt ab his penitus abſtinere; In coniugio eatenus vti, quatenus expedit prolis cauſa, non voluptatis. Vide D. Auguſt. lib. de bono coniugali cap. 6. & 7. *D. Aug.*

Ex hoc ſequitur Temperantiæ actum eſſe reſpectu delectabilis præſentis in re ideſt actu, vel in ſpe; principali- *Temperãtiæ actus.* ter tñ non eſſe niſi reſpectu delectabilis præſentis in re. Vnde obſeruandum eſt, quod dupliciter põt delectabile eſſe præſens ſcilicet, vel in re, vel in ſpe, & vtroque modo cauſat delectationem. Nã vt inquit Phyloſ. 3. Ethicor. 10. odoribus leporum canes non gaudẽt, ſed comeſtione ſenſum enim odor prębuit neque leo Bouis voce, ſed eſu lętatur, ex voce autem propè eum eſſe cũ ſenſerit, ea videtur oblectari, ſimili modo neq; ſi viderit, aut inuenerit Ceruũ, vel Syluestrem Caprã voluptate aliqua afficitur, niſi quia cibum inde habebit. Cuius ratio eſt quia canibus per odorem Leporum, & Leoni per vocem bouis, aut viſum Cerui, vel Capre, delectabile ſecundum guſtum iam eſt præſens in ſpe, quia tamen verior eſt pręſentia in re, quam in ſpe; Ideo delectatio quam cauſat delectabile præſens in re, eſt fortior, & purior, quam illa, quã cauſat præſens in ſpe, hec enim eſt admixta cum aliqua afflictione propter abſentiã realis præſentiæ, iuxta illud Prouer. 13 Spes quę differtur affligit animam. Atq; adeo actus temperantiæ non eſt principaliter niſi reſpectu delectabilis pręſentis in re; ex conſequenti tamen eſt reſpectu delectabilis præſentis in ſpe, & in imaginatione, quatenus ſperatum, cauſat aliquam concupiſcentiam, & delectationem.

Quo ad tertium. Quemadmodum aliarum virtutum *Temperãtiæ triplices sũt partes.* Cardinalium etiam Temperãtiæ triplices partes aſſignantur integrantes, ſubiectiuas, & potentiales; Integrantes alias Verecundiã, & honeſtatem; Nã integrum officium temperantiæ duabus partibus conſtat; fuga turpitudinis *Partes integrantes.* Intemperantiæ, & amore decoris tẽperantię ad fugã tur-

pitudi-

Digitized by Google

pitudinis iuuat Verecundia, ad amorē decoris honeſtas.

Verecundia de qua hic eſt ſermo nō eſt propriè virtus ſed paſſio quædā, late tñ poteſt appellari virtus, quatenus laudabile eſt ſugere turpia, & probro digna, quod facit hęc paſſio. Eſt enim timor probri ex cōſideratione rei, vel facti turpis, ſeu probroſi; itaque cum probrū fugiat facit etiam vt vitemus ea, quæ probro ſunt digna; qualia maximè ſunt peccata intemperantiæ, eſtque aliqualis ad eam diſpoſitio; Richardus tamen vbi ſupra q. 7. dicit verecundiam interdum eſſe paſſionem, aliquando virtutem. Nam habitus inquit paſſionē verecūdiæ modificans virtus eſt.

Richard.

Honeſtas.

Honeſtas, vt hic ſumitur eſt virtus per quā temperans amat temperantiæ pulchritudinē. Vnde obſeruandū, eſt quod honeſtum in moralibus dupliciter accipitur, primo generatim, & ſic cōuenit omni operi virtutis; nam rō honeſti moralis conſiſtit in conformitate cū iudicio rectę rationis, tanquā regula operationis naturæ rōnalis, & cū ipſa natura rōnali, vt fundamēto illius regulæ; hæc aūt conformitas rōnem virtutis conſtituit in operibus humanis, ac proinde reperitur in omni actu virtutis. Secundo capitur honeſtū ſtrictè pro eo in quo peculiariter relucet decor temperantiæ. Hic autem decor elucet primo in operibus temperantiæ. Secundo in ipſo habitu virtutis, quatenus ad opera temperantiæ inclinat. Tertio in quadā inclinatione ſpeciali, quam quidā habent ad caſtitatem, & alia temperantiæ opera; videntur enim quidā natura caſti, & ſobrij; ſi primo modo ſpectetur, eſt conditio quædā operū temperantiæ; ſi ſecundo modo ſic pōt dici pars temperantiæ, quia re ipſa non videtur diſtingui ab habitu, ſed eſſe idemmet habitus tēperantiæ in adæquate conceptus, quatenus nimirum inclinat ad honeſtum ſui generis. Sicut enim ſunt duo officia huius virtutis, fugere turpia, & proſequi honeſta; ita etiam poſſunt duæ eius partes ſtatui, vt ad hæc ſe extendit. Si tertio modo ſic etiam poteſt dici pars temperantiæ, quia iuuāt ad ſectandū temperātię decus, ſicut verecundia, iuuat ad fugiendū eius turpitudinē.

Partes ſubiectiuę.

Partes ſubiectiuæ, ſeu ſpecies temperantiæ ſunt. Abſtinentia, ſobrietas, caſtitas, & pudicitia, quarū ſufficientia ſic haberi poteſt, ſpecies enim virtutum diſtinctionē accipiunt, ex ordine ad diuerſa obiecta, vel materias; Materia autem temperantiæ ſunt delectationes tactus; quarum duo ſunt genera, quædam enim pertinent ad alimentum, quod cōſtat cibo, & potu, & in his, quo ad cibū eſt Abſtinentia, quæ eſt virtus cupiditates, & delectationes eſculentorum refrenans, & in ipſo vſu debitā moderationem conſtituēs, quæ moderatio debita in vſu requiſita eſt, quę valetudini, & officijs mentis congruit. Vnde D. Aug. libro 10. Confeſſ. c. 31. Hoc me docuiſti, vt quemadmodū medicamenta, alimenta ſumpturus accedam, vel certe quę congruit caſtigationi corporis, & carni ſubiugandæ ſpiritui.

Abſtinentia.

D. Aug.

Quo ad potum eſt ſobrietas, quæ eſt virtus, quæ actum & vſum potionis inebriare valentis debite moderatur; affectum, quia cum ſit ſpecies temperantiæ verſatur immediatè circa paſſiones; Vſum, quia in vſu externo materiæ perficitur opus virtutis moralis, potus inebriare valentis, hæc enim eſt propria materia, & ſi remota huius virtutis; Nam ſi inebriare nequeat non pertinebit ad hanc virtutem, neque exceſſus erit contra ſobrietatem, ſed cōtra virtutem abſtinentiæ, vt ſi quis excedat in potu æquè ob voluptatem, quam percipit, vel ex refrigerio, vel eius dulcedine ſi ſit ſaccarata, Debite moderatur, vt hæc moderatio debito modo fiat, debet congruere ſerenitati mentis, & iudicij, ita vt eam nullo modo lædat, aut notabiliter obtenebret hoc enim propriè eſt officium huius virtutis ea menſura vti potu inebriante, quando eo vtendum eſt quę mentis functiones non impediat, vel offendat.

Aliæ delectationes pertinent ad vim generatiuā, quarum alia eſt principalis ex ipſo actu coniunctionis, & circa hanc verſatur caſtitas; Aliæ ſecundariæ ex oſculis, tactibus, amplexibus, & circa has eſt pudicitia.

Caſtitas.

Caſtitas propriè ſignificat puritatem quandā à voluptatibus, & actibus carnalibus in quibus eſt peculiaris quædam turpitudo, & impuritas, quæ ſicut abſtinentia moderatur affectū, & vſum in eſculentis, ſobrietas in poculētis, ita caſtitas in venereis, ne plus alio tēpore loco modo illis delectemur, vel vtamur, quam rectè rōnis præſcripto ſecundum præſentem ſtatum congruit. Eſt autem caſtitas alia perfecta, alia imperfecta. Perfecta eſt quæ ab omnibus voluptatibus carnis tam licitis, quam illicitis perpetuo abſtinere proponit, vnde etiam affectum nuptiarum excludit, cuiuſmodi eſt Virginitas.

Caſtitas du, les.

Imperfecta eſt quę ſolum ad tēpus id proponit, vel ſolū ab illicitis abſtinere, & licitos moderate vti, ſicut in matrimonio, Hæc aūt moderatio cōſiſtit in debito, loco, tēpore, modo & fine; qui enim cū hiſce circūſtantijs matrimonio vtitur, ab alijs abſtinet, caſtitate cōiugali prędituſ eſt. De laude caſtitatis vide D. Auguſt. ſer. 249. de tempore.

Ex dictis facile intelligitur, quæ ſit caſtitatis materia, & quod officiū. Proxima enim materia ſunt interni concupiſcentię motus; hos enim, vel cōprimit, vel ſecundū rōnis normam cōponit. Remotior ſunt actus externi, qui vel ſunt præuij coniunctionis, vt aſpectus oſcula tactus, vel ſunt ipſa coniunctio. Et quidem, vt hęc virtus circa ipſam coniunctionem verſatur affectum ab ea auocando, vel debito modo ea vtendo, vocatur caſtitas. Vt verò circa actus præuios ſimili modo ſe habet pudicitia.

Caſtitatis materia, et officium.

Dicūtur aūt hæ quatuor virtutes partes ſubiectiuæ tēperantiæ, quia quælibet recipit prædicationē totius; pudicitia tñ magis videtur pertinere ad eſſentiā caſtitatis, vel ſaltem ad eius perfectionem, quā eſſe virtus ab ea diſtincta. Nam cum ad virtutē moralē pertineat conſeruare bonum rōnis circa ea, in quibus pōt impediri, non eſt ſpecialis virtus niſi vbi eſt ſpecialis rō difficultatis quātis autē ſit ſpecialis rō difficultatis in ſeruando bonum rōnis circa cibum, & potū, quæ nō eſt circa delectabilia venereorū, & è conuerſo, & aliqua reſpectu cibi, quæ nō eſt reſpectu potus inebriare valentis, & è conuerſo, tñ non eſt aliqua ſpecialis circa amplexus, & oſcula, quæ nō ſit circa venerea. Vnde perfectè habituatus ad ſeruandū bonum rationis circa venerea, & ipſe habituatus eſt ad ſeruandū bonū rōnis circa amplexus, & oſcula. atque adeo vna eadēque virtus eſt circa præuia, & circa principale, & quatenus eſt circa principale dicitur caſtitas, at circa præuia pudicitia; vel certè dicitur caſtitas, quatenus in ordinatū affectum, & vſum venereorum, reſecat, pudicitia vero quatenus pudori, qui in vſu eorum eſſe ſolet, eſt conformis.

Pudicitia.

Demum partes potentiales Temperantiæ ſunt. Continentia, Manſuetudo, Clementia, & Modeſtia. Nomen continentia, dupliciter accipitur primo vt ſignificet virtutē quandā, qua quis ſe ab omni delectatione venerea cohibet, quomodo paſſim accipitur in Scriptura Sacra, & apud Sāctos Patres nec differt à caſtitate, & hac rōne tres continentiæ gradus à Doctoribus ponuntur. Virginalis, Vidualis, Coniugalis, & hoc modo non eſt pars temperantiæ potentialis, ſed magis ſubiectiua. Secundo modo vt ſignificet formitatē animi cōtra imperū paſſionum, & de hac ſicut de eius oppoſito fuſe tractat Ariſt. toto lib. 7. Ethic. & hoc modo eſt Tēperātiæ pars potentialis, quę nihil eſt aliud, quā firmū propoſitū animi, quo quis ſe continet in bono rōnis contra impulſus concupiſcentię, quibus ad voluptates tactus, & præſertim venereas impellitur.

Partes potētiales tēperantiæ. Continentia.

Ariſt.

Manſuetudo eſt virtus irarum moderatrix. Sicut enim temperantia moderatur cupiditates delectatione gulæ, & Veneris appetitum inferiorem ita rationi ſubijciens, vt etiam oblatis occaſionibus non plus quam par eſt concupiſcat; ita manſuetudo, moderatur iram ſubijciens rationi appetitum inferiorem; ita vt oblatis irritantibus in motum iræ non prorumpat, vel ſaltem iuſtum modum in eo teneat. Proxima igitur huius virtutis materia eſt ira, cui modum à ratione præſcriptum veluti formam quandam imponit, nimirum, vt iraſcamur, quando, & cui oportet, quam ob cauſam, quantum, & quomodo oportet, & cum non iraſcendum, iram omnino comprimamus.

Manſuetudo.

Clementia eſt virtus Manſuetudini affinis non tamen eadem, diſtinguitur .n. obiecto formali, & materia proxima; manſuetudo enim proximè verſatur circa iram, Clementia circa vindictam externā; Nam vt inquit Tullius 1. Rethor. Clementia eſt per quam animi, temere in odiū alicuius concitati benignitate retinetur. Frenat itaque Clementia paſſionem iræ tendentis in vindictam; atque adeo officium Manſuetudinis eſt iræ imponere moderationem, & cum recta ratione conformitatem. Clementiæ verò officium eſt, diminuere ſeu mitigare externā puni-

Clemētia.

Tullius.

Digitized by Google

tionem, quantum iuſtitiæ ratio patitur; Illa pertinet non minus ad ſubditos, & infimos, quã ad ſuperiores, hęc propria eſt virtus ſuperiorũ, & maximè Principum. Vnde patet has virtutes diuerſas rõnes formales ſpectare, Manſuetudo enim vindictã mitigat, ne obtẽperet iræ, & quia conſentaneũ animo iræ dominãti; Clemẽtia verò quia id conſentaneum, & decorum homini poteſtate in aliũ prædito.

Modeſtia.

Tullius.

Modeſtia ſecundum Tullium eſt virtus per quam pudor honeſtus charam, & ſtabilem cõparat authoritatem, per modeſtiam enim pudicitia charior efficitur, & ſtabilitur, & authenticatur. Vnde Modeſtus vocari ſolet, qui intra modum, & limites ſui ſtatus, ingenij, & fortunæ ſe continet ſuo modulo contentus. atque adeo Modeſtia eſt virtus, qua quis hanc mediocritatem in ſe amat, & præſtat, motus ſuos internos, & externos, & omnẽ rerum ſuarum apparatum intra menſuram ſibi congruam coercens; Hinc patet Modeſtiam eſſe affinem, & annexam temperantiæ. Sicut enim temperantia moderationem adhibet in iis, in quibus difficillimum eſt adhibere nimirum in delectationibus tactus; ita modeſtia in alijs quibuſdam modum ponit, vbi id minus quidem eſt difficile, tamen ad rectè præſtandum opus eſt virtute.

D. Thom.

Modeſtiæ quatuor ſpecies.

Huius virtutis D. Thomas. 2.2.q. 160. quatuor ſtatuit ſpecies, humilitatem, ſtudioſitatem, modeſtiam motuum exteriorum, & modeſtiam externi apparatus. Moderatis enim delectationibus carnis per temperantiam, & impetu iræ per manſuetudinem, quatuor ſupererant, quæ potiſſimum moderatione quadam, & intra certos limites reſtrictione egere videbãtur, Inter quæ primum eſt motus animi ad excelſa, ad quem coercendũ eſt humilitas. Secundum nimiũ deſideriũ cognitionis præſertim curioſæ, hoc refrenat, ſtudioſitas. Tertiũ motus, & geſtus externi corporis hos cõponit modeſtia motum, Quartum externus cultus, & apparatus in veſtibus, Conuiuijs ſupellectili hunc moderatur alia quædã Modeſtiæ ſpecies, quæ modeſtia cultus dici põt. atq; hæc de Tẽperantia dicta à nobis ſint.

Quæ virtutes aliæ ſint alijs Præſtantiores

D. Thom.

Seneca.

COmparatio fieri põt, vel inter virtutes intellectuales, & morales, vel inter virtutes morales inter ſe; & quoquo modo cõparatio fiat. Stoicorũ ſnia fuit oẽs virtutes eſſe ęquales, vt refert *D. Thom.* 1.2.q.66.art. 1. ac nominatim Seneca Epiſt. 72. Virtus inquit nõ poteſt fieri maior, aut minor vnius ſtaturæ eſt, Quæ ſnia ſi ſimpliciter intelligat̃, ita vt nullo modo virtutes ſint inęquales oĩno falſa eſt. Sunt enim virtutes varijs modis inęquales Tam, & ſi in ſuo genere tã excellit, vt quę nã alteri pręferẽda ſit nõ ſit facile iudicare Vnde rectè in oratione de paupertate fouenda D. Greg. Nazian. ait. Nequaquã inuentu facile eſt, quæ nã virtutibus excellat, vt ei palma victorię tribuatur; quemadmodũ nec in prato odorifero, ac varijs floribus diſtincto, floſculũ diſcernere pulcherrimũ, & flagrantiſſimum, cũ alius aliter aſpectũ, & odoratum ad ſe rapiat, atq; vt primũ decerpatur ſuadeat. Verũ ſi fiat comparatio inter virtutes intellectuales, atq; morales D. Thom. vbi ſupra art. 3. affirmat virtutes intellectuales antecellere non tm̃ in rõne habitus, & entis, vt Caiet. illum explicat, ſed etiam in rõne virtutis, tum rõne ſubiecti cui inſunt; inhęrent enim rationi, quę eſt potior facultas, quã appetitus; Tum rõne rei obiectæ, & materiæ; quia in ſpeculatione veri verſantur, at ratio veri eſt cõior, & magis à materia remota, quã rõ boni. Morales enim virtutes cum ſint in parte appetitiua, quæ fere ſolet tendere in bonũ aliquod particulare pro vt eſt in re, nõ habet obiectũ vniuerſale, niſi vt ab intellectu diriguntur, vt ibi explicat Caiet.

D. Greg. Naz.

D. Thom.

Caietan.

Scotus.

Gabriel.

Maior.

Oppoſitã ſniam docent Doct. noſter ſub hac d. 33. Gabriel eadem d.q. 1. art. 3. dub. 1. & Maior eadẽ d. 33. q. 32. quę eſt. ſ. de iuſtitia, vbi docẽt virtutes morales eſſe potiores primo, quia reddunt hoĩem ſimpliciter bonũ, quod tñ virtutes rõnis non præſtãt, cuiuſmodi ſunt diſciplinæ, & artes. deinde qa virtutes morales in honeſtate verſantur; at virtutes rõnis in toto occupatæ ſunt in bono vtile, iucũdo, pulchro, laudabili, honorabili, ſed inter huiuſmodi bona potiſſimũ eſt bonũ honeſtum. Præterea, quia pręſtantior eſt recti viuendi volũtas, & regula, quã pręb et virtutes morales, quã notitia, & ſciẽtia veri. Poſtremo quia virtutum moralium habitus ſunt ſimpliciter virtutes, at verò habitus virtutũ rõnis quales ſunt diſciplinæ, & artes; non ſunt abſolute ſimpliciter, & ex toto virtutes, ſed ex parte nempe virtutes rõnis. Abſurdum itidẽ eſt dicere artes illas cuiuſmodi ſunt mechanicæ, ex eo quod ſint artes, & virtutes rõnis, pręcellere virtutibus morum fundamenta prioris ſententiæ non ſubſiſtunt; ſupponunt enim intellectum eſſe præſtantiorem potentiam voluntate, atq; morales virtutes eſſe in appetitu ſenſitiuo, vt in ſubiecto, quorum vtrunque eſſe falſum ſtatim apparebit.

An prudẽtia ſit præſtantior alijs virtutibus moralibus.

Si aũt fiat cõparatio inter ipſas virtutes morales inter ſe enumerãdo inter virtutes morales prudentiã ipſam, dubiũ eſſe põt, An prudentiã alijs virtutibus moralibus præſtet? Thomiſtę defendũt partẽ affirmatiuam, Tũ quia in rõne eſt, quę eſt nobilior facultas voluntate: Tum quia eſt lux, dux, magiſtra, moderatrix, Regina, & imperatrix oĩum virtutum moraliũ, Tum ẽt quia finẽ omni virtuti morali pręſtituit, ex quo eſt regula, & norma, qua virtutes morales dirigũtur. Scotus verò tenet quod virtus eliciens ſecũdũ dictamen prudẽtię principalior ſit ipſa prudẽtia. Tum quia melius eſt bene agere, quã noſſe, & ſcire bene agere, & pręſtat velle bene viuere ẽt ſi ignoretur, quemadmodũ id fieri oporteat, quã ſcire, & noſſe bonam vitã abſq; hoc quod bene viuatur. Tũ quia peius eſt male agere, & viuere, quã bonã vitã neſcire, & tñ bene viuere. Deinde quia ex hoc, quod prudẽtia dirigat oẽs virtutes morales nõ inde fit vt pręcellat ceteris; Nã fides, ſpem quoq; & charitatem dirigit, nec tñ eſt charitate dignior, atq; pręſtantior. Item Phyloſophia moralis virtutes etiã dirigit, quibus tñ minimè excellit, pręterea omnis cognitio, quę ad actionẽ refertur, velut eſt cognitio practica eã dirigit, nec tamen actione nobilior eſt: quoniã tota eiuſmodi cognitio eſt gratia actionis, proinde actio tanquã finis cognitioni pręſtat.

Scotus.

Gabriel.

Gabriel hac d.q. 1. art. 3. dub. 1. dicit has opiniones non differre niſi verbaliter, & cõuenire in ſnia, quia prudẽtia eſt nobilior tanquã regulatiua, Tum quia eſt naturaliter prior, Tum quia pręſupponitur ab alijs virtutibus moralibus tanquã id ſine quo habitus nõ eſſet virtus, & abſolute, & ſimpliciter alię virtutes morales ſunt perfectiores. Sed hoc nihil eſt. Quia ſciebant oẽs loquentes de Prudentia, quod eſt prius naturaliter, ſed quęſtio eſt de perfectione ſimpliciter vter illorũ habituũ demonſtrãdo duos habitus quorũ alter eſt intellectus, & alter volũtatis ſit perfectior. Quidã Modernus Thomiſta has duas opiniones ita cõciliat, quod virtutes morales dicãtur vtiliores, & fructuoſiores virtute rõnis, & hac rõne ſint præſtantiores virtute rationis, ſed virtus rõnis præſtat, & eminet, mentis cui ineſt nobilitate, & dignitate, ceterũ ſupponit falſum, ſcilicet intellectum pręſtantiorẽ eſſe voluntate. Nã voluntas eſt potentia nobilior, quã intellectus; Tũ quia nobiliorẽ ſuſcipit qualitatem, quã intellectus, nempe charitatẽ. Tum quia voluntas meretur, alijs potentijs imperat, & eſt libera, non ſic intellectus, ſed de hoc prolixior erit ſermo in quarto in materia de Beatitudine d. 49. quæſt. 4.

A Torius.

Iuſtitia eſt excellẽtiſſima omnium virtutũ moralium.

Vnde dicendũ eſt Inter oẽs virtutes morales Iuſtitiam eſſe præſtantiſſimã virtutem, Tũ rõne obiecti materię, & officij, quia eſt ad bonum alterius, quod eſt difficile, & arduum cũ ſimus ad propria cõmoda noſtra propenſi, Item bona noſtra cũ alijs cõicare eſt quid diuinũ, vnde iuſtitia nõ ſibi ſoli nata eſt, ſed alijs ẽt; Deinde ex effectis, quia Iuſtitia concordiam, pacem, ſocietatẽ inter hoĩes tuetur, & ſeruat. Item quia principatur omnibus alijs virtutibus, & imperat actus omnium aliarum virtutũ moraliũ; Tũ Demũ, quia ſm̃ D. Ambr. ſuper Lucã Iuſtitia cõis eſt virtus.

D. Ambr.

Fortitudo poſt iuſtitiã eſt præſtantior in alijs.

Difficultas in actu virtutis ex quatuor prouenit.

Secundo dico fortitudinẽ poſt iuſtitiã ſecundũ locum inter virtutes Cardinales appetitiuas obtinere, tẽperantiã verò nouiſſimum locũ: pro huius explicatione obſeruandum eſt, (quia excellentia cuiuslibet virtutis aliquo modo ex eius actus difficultate declaratur,) quod difficultas in actu ex quatuor ſumi poteſt. Primo ex pronitate operãtis: atq; ita actus continentiæ eſt difficilis, quia homines proni ſunt ad incontinentiã. Secundo ex parte habitus, vt intemperatis, qui ab intemperantia retardatur ne actum temperantiæ delectabiliter eliciat propter habitũ contrarium. Tertio ex parte circunſtantiæ, vt interficere amicum pro executione actus iuſtitiæ, quam tuncũ magis eſt difficile, quod tamẽ ſtudioſum interdũ facere oportet.

Quarto.

Quarto ex parte obiecti, vt Impauidus circa mortẽ. Vnde qñ eſt difficultas in actu virtutis ex parte potẽtiç ſenſitiue operantis, quia nimirũ potentia inclinat ad contrarium, difficultas facit actum laudabilẽ, & per conſequens habitum, à quo elicitur talis actus. Qñ autem eſt difficultas ex parte habitus, tunc eſt vitiũ, & per conſequẽs facit actum vituperabilẽ, quia habitũ acquiſiuit vitioſum qui eſt cauſa talis difficultatis. Qñ vero difficultas eſt ex parte obiecti, vel circunſtantiæ laudabilis eſt ſemper, atque ita fortitudo eſt excellenter laudabilis tã ex parte potentiæ, quam obiecti, & circunſtantię; Nec tñ ex hoc ſequitur quòd ſit pręſtantior, quã iuſtitia, Tum quia iuſtitia eſt de ſuperiori obiecto; continet enim obiectũ fortitudinis vt ſupra dictum eſt loquendo de iuſtitia legali; ſi aũt loquamur de iuſtitia particulari, cũ iſta diuidatur in diſtributiuam, & commutatiuã, & diſtributiua ſit perfectior, quã cõmutatiua, quia eſt de nobiliori, & altiori obiecto, quia circa honores, cõmutatiua verò circa res per negociationem cõmutabiles, ſic iuſtitia diſtributiua, & fortitudo ſe habent ſecundum nobilitatẽ ſecundum excedentia, & exceſſa, quia ex parte obiecti iuſtitia diſtributiua eſt nobilior, ſed ex parte circunſtantiæ fortitudo põt excedere iuſtitiam diſtributiuã, quatenus fortitudo pro patria, pro legibus, pro Deo mortẽ ſubijt, quod eſt nobiliſſimũ virtutis officium; niſi dicamus hanc nobilitatem officij aliũde prouenire quã à virtute fortitudinis; nempe vel ex charitate in Deũ, vel ex Religione, vel ex pietate in patriã, vel deniq; ex dignitate perſonæ pro qua mortẽ fortiter ſuſtinemus, quę ad iuſtitiam velut partes potentiales reducuntur, quod autem fortitudo ſit præſtantior temperãtia, ex eo patet, quia habet obiectum difficilius, quam temperantia.

Et ſi dicas dabilis eſt aliquis actus fortitudinis ita excellens; ſicut hic actus iuſtitiæ; patet demonſtrando vnum actum martyrij, qui vnum paruum actum iuſtitiæ excedit Item dabilis eſt vnus actus virginitatis excellentis nobilior, quam hic actus fortitudinis pugnando in bello.

Dico verũ eſſe, ꝙ datur aliqua fortitudo nobilior hac iuſtitia, & aliqua tẽperantia nobilior hac fortitudine; ſed hoc nihil contra nos, qui intendimus comparare optimũ indiuiduũ vnius virtutis, optimo indiuiduo alterius, vel totã multitudinẽ toti, reſpectu multorũ nobiliũ actuum.

Quatuor gradus virtutum.

Vnde obſeruandũ eſt, quod primũ circa Temperantiã eſt perſeuerantia; ſecundum continẽtia, tertiũ temperantia. quartũ virtus heroica, perſeuerans enim pugnat cum paſſionibus, nec vincit, nec vincitur, & ideo nec eſt ſtudioſus ſimpliciter, nec ſecundũ quid. Continens aũt pugnat cum paſſionibus, ſed cũ difficultate vincit, Ideo imperfectus eſt, & non ſtudioſus ſimpliciter, ſed ſecundum quid, Temperatus autẽ faciliter paſſiones vincit, atq; adeo eſt ſtudioſus. Heroycus autẽ nihil patitur nec ſentit aliquid paſſionis, ac proinde eſt in ſummo gradu virtutis temperantiæ. Et quod dictum eſt de temperantia de qualibet virtute morali dici poteſt, in qualibet enim poſſunt huiuſmodi quatuor gradus reperiri; Nam circa fortitudinem, quidam eſt perſeuerans, quidam continens, quidam fortis, & quidam heroycus, atque ita de alijs.

Vitij quatuor ſunt gradus.

Eodem modo circa vitium è contrario ſunt quatuor gradus prædictis correſpondentes. ſ. imperſeuerantia, incontinentia, intemperantia, & beſtialitas, (vt de vitio intemperantię exemplariter loquamur. Inperſeuerans non pugnat, ſed ita eſt debilis quod occurente paſſione ſtatim vincitur. Incontinens cum paſſione pugnat, ſed à paſſione vincitur, Intemperatus autem non expectat paſſionẽ, ſed præuenit eam, ideo peior eſt incontinente, Beſtialis verò, vel Brutalis,) vt qui opponitur heroyco, vltra modum humanum excedit, naturæ iura violans, & infra limites naturæ non ſe continens, ſicut ſunt homines carnem humanam comedentes, ſed vt diximus ſupra, beſtialitas, quæ virtuti heroycæ opponitur, non inuenitur, ſi ſumatur virtus heroyca, quæ omnes virtutes complectitur, ſicut heroycus eſt, vt inquit Ariſt. 7. Ethicor. qui eſt plenus omnibus virtutibus, & caret omni vitio; Nam beſtialis eſſet, qui haberet omne vitium, & careret omni virtute. Sed loquimur hic de virtute heroyca; ideſt de ſupremo gradu, cuiuslibet virtutis. atque ita oppoſito modo de beſtialitate. Patet ergo quod poteſt dari aliqua fortitudo, vt puta in gradu heroyco, quæ ſit nobilior hac iuſtitia, quæ non eſt in tali gradu.

Ariſt.

Et ſi dicas ex Ariſt. 3. Topicorum, quod ſi optimus homo, eſt melior optimo equo, quilibet homo eſt melior quolibet equo, ergo ſi optimum indiuiduum iuſtitiæ, eſt melior optimo indiuiduo fortitudinis, quodlibet indiuiduum iuſtitiæ erit nobilius quolibet indiuiduo fortitudinis, & eodem modo argumentabor, quodlibet indiuiduũ fortitudinis erit nobilius quolibet indiuiduo temperantiæ, vel quolibet indiuiduo temperantiæ erit melius. Dico quod Regula Topica eſt vera in rebus eiuſdẽ ſpeciei ſpecialiſſimæ entitatiuę; Ideſt ſi vna ſpecies ſpecialiſſima ad aliam comparetur, ſi perfectiſſimi indiuidui vnius, eſt perfectius in entitate, & eſſentia optimo alterius, quodlibet indiuiduum vnius, erit in entitate, & eſſentia perfectius quolibet alterius, alioquin non oportet, atque hoc in propoſito non contingit.

Temperãtiã eſt infima inter virtutes appetitiuas.

Dico tertio. Temperantiam infimum locum tenere inter virtutes morales appetitiuas, patet, quia cum Iuſtitia, & fortitudo ſint virtutes Cardinales appetitiuæ, & etiam temperantia, & non ſint plures virtutes morales Cardinales, quam hæ tres in hac potentia, conſequens eſt, quod temperantia ſit earum infima.

Prudentia eſt infima omnium virtutum moraliũ.

Dico quarto. Prudentiam eſſe infimam omnium virtutum moralium Cardinalium. probatur quia voluntas eſt nobilior potentia, quam intellectus ergo actus, & Principales habitus eius ſunt perfectiores. Atque ita de virtutibus Cardinalibus in hunc modum definitum ſit. Explicanda eſt modo quæſtio Doct. noſtri ſub. in qua quęri de ſubiecto virtutum moralium, quam more ſolito, in ſequentes diſtinguimus articulos.

Art. 1. Vtrum virtutes morales ſint in appetitu ſenſitiuo.
Art. 2. Vtrum virtutes morales ſint ſubiectiue in voluntate.
Art. 3. Vtrum Virtutes morales ſint in voluntate quatenus eſt libera, vel quatenus eſt deliberatiua.
Art. 4. Vtrum in appetitu ſenſitiuo hominis ſint aliquæ virtutes.
Art. 5. Vtrum virtutes morales formaliter ſint in Deo.
Art. 6. Vtrum in Angelis ſint virtutes morales.
Art. 7. Vtrum in parte corporali, & in Brutis ponendi ſint habitus.
Art. 8. Vtrum virtus moralis ſit nobilior, quam prudentia.

ARTICVLVS I.

Vtrum virtutes morales ſint in appetitu ſenſitiuo.

CONtrouerſia hæc non Theologiæ, ſed Phyloſophiæ eſt; quatenus circa morales virtutes verſatur; Cum autem multiplex ſit virtus, nemo hactenus putauit vnicum tantum eſſe ſubiectum omnium; ſed de quibuſdam, quidem virtutibus certum, & extra controuerſiam apud omnes eſt, quod nã ſibi ſubiectum vendicent, de alijs verò adhuc in queſtione poſitum eſt.

Primum itaque fatentur omnes intellectiuas virtutes eſſe in intellectu, & non in voluntate: id, quod nulla indiget probatione. Deinde multas virtutes morales eſſe ſolum in voluntate, nullus hactenus negauit, huiuſmodi ſunt Iuſtitia, & partes eius potentiales; quinimo, & partes aliquæ potentiales temperantiæ illæ nimirum, quæ circa delectationes ſpirituales, & intellectiuæ partes moderandas verſantur, quales ſunt humilitas, & ſtudioſitas.

Tota igitur Controuerſia inter Doctores eſt, de virtute fortitudinis, & temperantiæ, & de alijs, ſi aliæ ſunt, quæ verſantur circa moderandas paſſiones appetitus irrationalis, & ſenſitiui; Vtrum eiuſmodi habitus virtutum ſint in voluntate an ſolum in appetitu ſenſitiuo; nam de alijs potentijs ſenſitiuis, & corporalibus, nulla quæſtio eſt, an in aliqua illarum poſſit

Digitized by Google

eſſe virtus; omnes enim fatentur in nulla alia virtute eſſe.

Gregor. de Valen. In qua quidem Controuerſia Greg. de Valent. Commentariorum Theologicorum. Tomo. 2. diſp. 5. quæſt. 2. punct. 2. Tres refert ſcholaſticorum ſententias. Prima *D. Thom.* videtur eſſe D. Thom. 1. 2. quæſt. 56. art. 4. vbi docet duas virtutes, nempè Temperantiæ, & fortitudinis eſſe in appetitu ſentiente, alteram in parte iraſcibili, nempè fortitudinem, & alteram in concupiſcibili, ſcilicet temperantiã. In art. autem 6. docet in voluntate eſſe iuſtitiã; & conſequenter partes illius potentiales nempè Religionẽ, & reliquas, quæ ſunt ad alterum, vt autem conſtat ex toto illo art. 6. ſi conſeratur cum ſolutionibus argumentorũ docet in voluntate non eſſe habitum Temperantiæ, & fortitudinis.

Gabriel. Secundam ſententiam dicit eſſe Gabrielis in 3. diſt. 23. q. 1. art. 3. dub. 1. propoſitione. 5. & in corrolario proxime addito, qui affirmat quod virtutes circa bonũ proprium, ſunt etiã in voluntate, at non negat in appetitu ſenſitiuo habere rõnem virtutis, & hanc ſuam ſequitur ipſe Greg.

Scotus. D. Bonau. Richard. Tertia ſententia, quę eſt ſecunda apud Greg. eſt Scoti in hac dicta quæſt. vnica D. Bonauenturæ eadem diſtinctione art. vnico q. 3. & Richar. ibidem art. 1. q. 1. qui arbitrantur virtutes eiuſmodi eſſe in voluntate collocãdas, quãuis concedant etiã in appetitu ſenſitiuo ponendos eſſe habitus, qui verſantur circa bonum proprium, quos tñ dicunt in eo appetitu non habere propriè rationem virtutis.

Ego tamen apud eos duas tantum ſententias inuenire potui; Nam & ſi Gabriel in eo art. proportione 4. & 5. & corrollario poſt quintam propoſitionem concedat habitus in voluntate ad idem ad quod eos concedit in appetitu, & rurſus in appetitu ad idem, id quod eos concedit in voluntate, tamen non docet aperte habitum in vtraque potentia habere veram rationem virtutis, imò circa hoc nec verbum quidem, & cum in hac materia ſequatur Ochani Doctrinam conſequenter cum ipſo tenet habitus in appetitu ſenſitiuo non eſſe propriè virtutes.

Duæ ergo ſunt circa hanc cõtrouerſiam opiniones, prima *D. Thom.* eſt D. Thomæ qui virtutes fortitudinis, & temperantiæ collocat in appetitu ſenſitiuo, quam probat authorita*Ariſt.*tibus, & rationibus. Prima authoritas eſt Ariſto. 1. Ethic. cap. vltimo vbi dicit, quod virtutes ſunt in parte irrationali animæ. i. in ea parte, quæ eſt rationalis per participationem, & Comentator ibi dicit, quòd per rationale per participationem intendit medium inter plantatiuum, & ratiocinatiuum; ideſt inter plantam, & rõnale, vel inter potentiam vegetatiuam, & rationalem, talis autem non eſt voluntas, ſed appetitus ſenſitiuus ergo &c. Item 3. Ethicorum cap. 10. in principio vbi poſt quam egit de fortitudine, inquit poſt hanc de temperantia dicamus, eæ namque virtutes partium earum eſſe videntur, quæ ſint rationis expertes; nempe fortitudo, & temperantia; per partes autem rationis expertes intelligit iraſcibilem, & concupiſcibilem in appetitu ſentiente.

Secundo probatur rõne, fortitudo, & temperantia dicuntur eſſe in iraſcibili, & concupiſcibili, ſed iraſcibilis, & concupiſcibilis non diſtinguuntur in voluntate, ſed in appetitu ſenſitiuo, quia conditiones obiecti, quas reſpiciunt, ſcilicet bonum arduum, & bonum delectabile; nõ variat per ſe obiectum voluntatis, ſed tantum bonum ſenſibile, quod obijcitur appetitui ſenſitiuo, Nã ſicut iraſcibilis eſt circa bonum arduum, ita & fortitudo, & ſicut concupiſcibilis eſt circa bonum delectabile, ita etiam temperantia.

Præterea vbi ſunt extrema, ibi eſt, & medium, ſed in appetitu ſenſitiuo ſunt extrema, ſcilicet paſſiones excedentes, vel deficientes, ergo in ipſo erit medium, ſcilicet virtus, quæ eſt moderatrix earum.

Et confirmatur authoritate D. Pauli ad Rom. 7. vbi docet, quod tota difficultas in humanis operibus prouenit à violentia, & paſſionibus appetitus ſenſitiui; ſic enim ait Condelector legi Dei ſecũdum interiorem hominẽ, ideſt ſecundum appetitum rõnalem, ſed video in mẽbris meis aliam legẽ repugnantẽ legi mentis meę, & ad Gal. 5. dicit. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritũ, vt non quęcunq; vultis illa faciatis, ex quibus authoritatibus ſic arguitur; Virtus verſatur circa difficile, ſed tota difficultas, quã patitur voluntas in electionibus circa propriũ bonũ virtutis, eſt ab appetitu ſẽſitiuo, & paſſionibus eius; ergo virtutes morales debẽt ſubiectari in appetitu ſenſitiuo, vt moderent eius paſſiones, conſequẽtia cũ maiore patet, & minor eſt D. Pauli.

Contra hanc ſententiã arguit Doc. ſub. validiſſimis rõnibus, quibus dilucide probat virtutes morales eſſe ſubiectiuè in voluntate, & primo authoritate Phy. 1. Polit. c. 3. *Ariſt.* Vbi inquit Neceſſe eſt Principantem. i. imperantẽ habere virtutem vt rectè imperet, & principaliorem, quã in ſeruo, vt rectè famuletur, & explicat hanc ſimilitudinem ad partem ſuperiorem, & inferiorẽ in anima. ita videlicet, quod ſicut in imperante, oportet, quod ſit virtus, vt rectè imperet, & principalior, quã in ſeruo, vt obediat, ita ẽt in anima oportet eſſe virtutẽ, qua rectè imperet corpori; Vnde Phyloſ. ſic dicit. Animal cõſtat primũ ex anima, & corpore, quorum alterũ imperat ſecũdum naturã, alterũ paret, oportet aũt conſiderare naturam non incorruptis, ſed in his quę magis ſe habent ſecundum naturã, & parum infra, Eſt igitur, vt dicimus in animali proſpicere imperium dominicum, & Ciuile; Nam animus quidẽ in corpus dominicum habet imperiũ, mens verò in appetitũ ciuile, & regium, in quibus clarum eſt ſecundum naturam, & vtilitatem Imperij ab animo corpori, & ab ea parte, quę habet rationem ei parui, quæ ſubiacet perturbationi, &c. Vbi expreſſe patet quomodo virtus requiritur in parte intellectiua, adhoc quod habeat rectum dominium, (quale habet Princeps, ſiue Rex in Ciues,) ſuper partẽ ſenſitiuam.

Pręterea In ea potentia nõ videtur collocãdus habitus virtutis, quę nullo modo põt attingere actione ſua formalem rõnem, & finẽ in materia, & obiecto virtutis, nã cum habitus ſit propter actionẽ propriã illius, vbi non põt eſſe actio, fruſtra eſſet habitus; actio aũt eſſe non põt in ea potẽtia, quę circa formale obiectũ rõnis operari nequit. Sed appetitus ſentiens actione ſua nullo modo attingere põt formalem rõnem, & finẽ in materia, & obiecto virtutis, quia formalis rõ obiecti ad quam fertur affectus virtutis ſtudioſus, eſt honeſtas in materia, & in ipſa mediocritate obiecti, Nam vt aliqua actio ſit virtus, debet eſſe propter ipſam honeſtatem expreſſe, at qui appetitus ſentiens non poteſt ferri in ipſam honeſtatem, ſed ſolum circa delectabile, aut commodum operatur; ergo appetitus ſentiens actione ſua non poteſt attingere formalem rationem, & finem in materia, & obiecto virtutis, atque adeo licet appetitus obediat rationi, & voluntati, tamen ſolum ei obedire poteſt, vt feratur, aut non feratur in proprium ſuum obiectum; non autem vt feratur in alienum, ergo nunquam obedit voluntati, vt appetat honeſtum ſub ratione honeſti, quod eſt proprium obiectum voluntatis non ipſius appetitus.

Verum quia ſententia Thomiſtarum videtur habere fundamentum in dictis Ariſt. antequam eorum motiua ſoluamus explicanda eſt Ariſtot intentio, ex quo apparebit, quam ruinoſo fundamento nitantur. Vnde obſeruandum eſt, quòd Ariſt. in fine primi. Ethic. diuidit primo partes animæ dicens Eſſe igitur irrationalis quoque hęc duplex videtur: nam vegetalis nullo modo cum ratione communicat, concupiſcibilis autem, & omnis appetibilis particeps rationis quodammodo eſt, quatenus ipſi obedit, imperioque eius obtemperat, & infra poſt modicum. Quod ſi dicendum eſt, hãc quoque partem rationem habere duplex erit ea, quæ rationem habet; Altera enim propriè, & in ſe eam habebit; altera ita vt is, qui dicto Patris, audiens eſt. Quo in locò, illis verbis, nullam facit Phyloſ. mentionem de iraſcibili niſi ſub illo, quod dicit, & vniuerſaliter appetibile. per quod nos dicimus indifferenter intelligi volitiuum, & iraſcibile, vt per rationem habens in ſe ipſo intelligamus ſolummodo cognitiuam virtutem, in qua ſtatim dicit eſſe virtutes intellectuales; per irrationale, & audibile, quemadmodum à patre, voluntatem, & concupiſcibilem, & iraſcibilem virtutes, in quibus omnibus ponimus diuerſimode virtutes morales, vt iam dicetur. *Sententia Ariſto. explicatur.*

Quod autem ſub audibili habente rationem comprehendat voluntatem, patet per eundem, quia ſi ſolum intelligeret, per obedibile rationi ſentientem appetitum inſufficienter diuideret animam in quantum eſt capax virtutis moralis, & quatenus in Ethycis tractat de ipſa. Nam ſolum in Ethycis tractat de anima; quatenus ſuſceptiua eſt virtutis moralis; vt ipſemet docet. 1. Ethicorum cap. 13. in principio, at in voluntate ponit iuſti-

Digitized by Google

iuſtitiam propter, quam ſaltim eſt ſuſceptiua virtutis moralis: quia iuſtitia nec eſt in ratione, id eſt, in intellectu, nec in obedibili rationis, ſcilicet in appetitu ſentiente, vt ipſi Thomiſtæ intelligunt illa duo membra.

Præterea 1. Ethic. c. 7. vbi Philoſ. inquirit fœlicitatis definitionem, excludit primo partẽ ſenſitiuam: quia in iſta non eſt operatio hominis, ſecundum quod homo, qualis eſt operatio virtutis, atque adeo virtutes morales, non ſunt ponendæ principaliter in parte ſenſitiua; ſed in parte intellectiua, quæ ſecundum ipſum diuiditur in intellectum, & voluntatem. Ita enim inquit ibi Philoſ. vnde nutriendi, augẽdique vita omnis, ſeparanda eſt; ſequitur ſentiendi vita; ſed ea quoque cum equo, & boue, & omnibus demum animalibus communis videtur, reliqua eſt igitur actiua quædam vita eius, quod ratione præditum eſt. Id autem partim rationi obtemperat, partim eam habet atque intelligit, ſed cum duobus modis etiam hæc dicatur, ea, quę eſt in operatione ſtatuenda eſt.

Quibus verbis patet, quod diuidit partes animæ in quibus non ſunt operationes hominis inquantum homo, & diuidit primo vegetatiuum contra ſenſitiuum, & ſenſitiuum contra rationem habens, & hoc in ſuadibile, & intelligens, dicitque ſeparandum nutritiuam, & augumentatiuam vitam, ſequens autem ſenſitiua, videtur autem hæc communis equo, & homini, & omni animali. Vnde relinquitur quædam operatiua rationem habentis, huius autem hoc, vt bene per ſuaſibile ratione, hoc verò, vt habens, & intelligens. Conferendo ergo litteram iſtam illi; ſub audibili, ſiue ſuadibili comprehendit voluntatem cum iraſcibili, & concupiſcili. Eſt igitur intentio Philoſ. quod ſolum cognitiua eſt in ſe rationem habens propter, quod poſuit in ea principalem actionem hominis, ſecundum quod homo, cum ergo Phy. poſuit virtutes morales in eo, quod non eſt principaliter habens rationem in ſe ipſo, ſed in eo, quod eſt ſuadibile à ratione, diſtinguẽdo hanc partem ab illa, quæ eſt habens in ſe ipſa rationem cuiuſmodi eſt pars intellectiua, ſub illa parte comprehendit voluntatem. Aliter enim aut diminuta eſſet eius diuiſio, aut ſolum diuiſiſſet partes animæ, quæ ſunt ſubiectum virtutum; & ſic ſecundum Philoſ. nulla virtus omnino, & neque etiam iuſtitia ponenda eſſet in voluntate, cuius contrarium ſentiunt Thomiſtæ, qui negant in voluntate ponendas temperantiam, & fortitudinem. Excludit ergo Ariſt. partem ſenſitiuam, quia in iſta non eſt operatio hominis, ſecundum quod homo, qualis eſt operatio ſecundum virtutes morales, atque ita virtutes morales non ſunt principaliter in hac parte ſenſitiua collocandæ. Quare illud, quod relinquitur, ſcilicet operatiua huius, id eſt, habentis rationem, eſt per ſe excellens ſuper totam partem ſenſitiuam; hoc eſt, pars intellectiua excellit, totam partem ſenſitiuam. Partem autem intellectiuam diuidit ipſe in intelligens, & in bene perſuaſibile à ratione, ex quo manifeſte patet, quod perſuaſibile à ratione, voluntatem intelligit, quia per intelligens conſtat, quod intellectum accipit. Atque ita patet expreſſe ex dictis eius, quod obedibile rationi appellat interdum ſenſitiuum, interdum voluntatem, ſicut in fine primi Ethic. cap. 13. prope finem, atque ita obedibile rationi dupliciter accipitur, ſicut etiam rationale duobus modis ſumitur, vno modo præſſe, & primario, & ſic ſoli intellectui competit; altero modo, nec præſſe nec primario, ſed ſimpliciter, & abſolute, atque ita conuenit etiam voluntati at tertio modo ſumi etiam poteſt rationale, pro appetitus ſenſitiuo, at non proprie, nec ſimpliciter, ſed tranſumptiue; atque adeo medium, quod eſt voluntas, quæ mediat inter rationale per eſſentiam, & primo, & inter rationale per tranſumptionem; Nunc ab vno extremo rationale appellatur, nempe ab intellectu; nunc obedibile rationi ab altero extremo, ſcilicet ab appetitu ſentiente. Nam ſumendo rationem ſtricte, nimirum pro intellectu, voluntas ipſa eſt ſuaſibilis à ratione; accipiendo etiam rationem ſule; nimirum prout ratio diuiditur contra ſenſum, voluntas rationalis appellatur; verum appetitus ſenſitiuus non eſt à ratione ſuaſibilis, ſed eſt præciſe obedibilis rationi, quæ verba poſſunt bene ponderari, Quia liberum eſt bene perſuaſibile, at non propriè obedibile; appetitus verò ſenſitiuus, quia non eſt liber non eſt proprie ſuaſibilis, ſed obedibilis, quia propriè ſubijcitur voluntatis imperio. Hæc explicatio eſt Doct. in hac quæſt. ante litera A. §. Hæc opinio improbatur. Pro cuius ampliori intelligentia obſeruan. eſt, quòd rationale tripliciter accipitur communiter, large & ſtricte, communiter dicitur rationale quicquid ad hominem pertinet per ſe mouens ad actum rationis, & ſic rationale dicitur in homine anima humana quoad intellectiuum, & volitiuum, & ſenſibile appetitiuum. Large dicitur rationale id, quo homo diſtinguitur a bruto; ſtricte verò dicitur rationale cognitiuum ſiue intellectiuum tantum, ita quod ſtricte non dicitur rationale niſi pars intellectiua, & hoc, quia nata eſt rationabiliter diſcernere. Large verò dicitur rationale pars volitiua, & hoc, quia nata eſt rationabiliter mouere. Cõmuniter verò dicitur rationale pars appetitiua, quia nata eſt rationi obedire. Quorum primum dicitur rationale ſimpliciter, & nullo modo irrationale, atque adeo dicitur rationale per eſſentiam, & hoc ideo, quia ſe ipſo de cognito iudicat rationabiliter, & nullo modo eius iudicium ab altero dependet. Tertium dicitur irrationale ſimpliciter, quia nec de ſe rationabiliter iudicans de cognito, nec mouens rationabiliter ad ipſum; ſed impetu tantum, & naturaliter magis, & ſolum dicitur rationale per participationem, quia natum eſt obedire imperio, & iudicio rationis, iudicio, ſcilicet intellectus, & imperio volũtatis. Secundum verò dicitur ſimpliciter per eſſentiam rationale, quia rationabiliter natum eſt intellectum ad diſcernẽdum mouere, antequam moueat ad bonum cognitum proſequendum, & completa diſcretione rationabiliter natum eſt ſe ipſum ad volendum libere determinare, & vires inferiores ad motum impellere, dicitur autem participans rationem, & irrationabile, quatenus eius rationis electio, & motus in proſequendo dependet à rationabili iudicio, & diſcretione intellectus. Non quod propter hoc voluntas ad dijudicatum determinetur, vt oporteat ipſam eligere, & proſequi, quod dijudicatum eſt, quaſi in hoc ſolo conſiſtat libertas arbitrij, quod ratio hoc modo, vel illo poteſt dijudicare; ſed quia voluntas ex ſe cæca eſt, nec poteſt circa quidquã moueri amore niſi fuerit prius cognitum. Et quo ad hoc, quod voluntas eſt rationalis per eſſentiam, diſtinguit eam Philoſ. 1. Ethic. c. 7. vt dictũ eſt, vbi determinat, quod morales virtutes habent eſſe in irrationali, rõnali tñ per participationem, inſinuando per hoc, quod habent eſſe in vtroque rationali per participationem, ſcilicet ſenſibili, & rationali. In eodem etiam cap. determinat, quod in ſenſibili irrationali non poteſt eſſe proprium opus hominis, ſecundum quod homin, ſed in duplici rationali prædictis, ſcilicet voluntate, & intellectu. Quibus verbis ſatis inſinuat, cum operatio moralium virtutum ſit hominis, ſecundum quod homo, quod vno modo poteſt eſſe in voluntate ſola, alio etiam modo in appetitu ſentiente. Quod expreſſius determinat in 1. Polit. vbi comparans rationale, & ſenſibile Domino, & ſeruo, determinat, quod virtus moralis Temperantia. Fortitudo, & Iuſtitia, eſt in Domino, & in ſeruo, ſicut eſt in rationali, & ſenſibili.

Scotus.

Rationale ſumitur tripliciter.

Vbi ſic dicit. Neceſſe eſt vtraſque participare virtute, & hoc ſtatim explicatur ſecundum animam. In hac enim eſt natura, hæc quidem participans, hoc autem principatum, quam alteram dicimus eſſe virtutem, puta rationem habentis, & irrationalis, ſed conſtans eſt, quod rationem habens, quod principans eſt; non eſt niſi voluntas. Intellectus enim ſiue ſit practicus ſiue ſpeculatiuus principari non habet, ſed ſolum iudicium dare, & hoc ſtatim explicat attribuendo principanti virtutes morales cum dicit. Principem perfectam oportet habere virtutem moralẽ; & non eſſet ſimile niſi de principante in anima loqueretur, ad quod pertinent morales virtutes, quod nullo modo eſt pars intellectiua, vt manifeſte dicit in fine primi, & principio 2. & 6. Ethic. Eſt igitur intelligendum, quod cum receptum in aliquo, eſt in eo ſecundum recipientis, & non rei receptæ, vt dicit quædam propoſitio libri de cauſis, & ſecundum determinationem in fine primi Ethi. moralis virtus non eſt niſi in quodammodo rationem habenti, ſecundum modum igitur, quo voluntas differenter rationem habet ab appetitu ſentiente, ſecundum hoc differenter ſunt in eis virtutes morales.

Quia

Digitized by Google

Quia ergo voluntas, vt dictum eſt, licet ſit quodammodo participans ratione ſimpliciter, tamen eſt rationalis per eſſentiam, appetitus autem ſentiens eſt rationalis per participationem tantum; Ideo dicendum eſt, quod virtus moralis ſimpliciter, & eſſentialiter eſt in voluntate, & eſſentia habituum eius; per participationem autem, & impreſſionem, quandam in appetitu ſentiente, vt infra magis explicabitur. Et ſecundum hunc modum procedit determinatio Ariſt. de virtute morali, & maxime es definitione, quã inueſtigat de ea 2. Ethic. quòd eſt habitus voluntarius in medietate conſiſtens, determinatus ratione, prout ſapiens determinabit.

Ex his ergo reſpondetur ad rationes primæ ſententiæ. Ad auth Ariſt. 1. Ethic. patet, quod Philoſ. non dicit expreſſe virtutes morales ſubiectari in appetitu ſentiente, imo potius oppoſitum innuit, vt explicauimus ſupra. Vnde per rationale per participationem, intelligit Philoſ. voluntatem, quæ cum non ſit ratio formaliter, ſed appetitus ratione ſuaſibilis poteſt hac ratione, rationale per participationem appellari, licet alia ratione ſit etiam rationalis per eſſentiam, vt diximus ſupra.

Ad illud 3. Ethic. dico Ariſt. non dixiſſe temperantiam, & fortitudinem ineſſe parti irrationabili, vt ſubiecto, ſed eſſe earum partium, quæ ſunt rationis expertium; non quidem alia ratione, niſi, quia circa moderandas earum paſſiones præcipue verſantur; cum tamen aliæ circa operationes, & circa temperandos affectus ſpirituales omnino verſentur, vt conſtat ex eodem Ariſt. in eo capite, preterquam, quod in appetitu ſentiente, eſſe quaſdam ſemiuirtutes morales nequaquã negamus, quia in eo appetitu eſt quædam qualitas inclinans, quæ virtus appellari poteſt licet minus proprie, quam illa, quæ eſt in voluntate, inclinans ad electionem, vt explicabimus infra.

Ad rationem dico, quòd Philoſ. non loquitur ibi. (ſ. 3. Ethic.) de fortudine, & temperantia, quæ ſunt in appetitu ſentiente concupiſcibili, & iraſcibili, prout formaliter, & eſſentialiter ſunt virtutes, ſed ſecundum participationem quandam, & potius, ſecundum quid; nam quatenus ſunt formaliter, & eſſentialiter virtutes, ſunt in appetitu intellectiuo, non appetitu ſentiente, dico etiam quod nõ dicit temperantiam, & fortitudinem eſſe in appetitu irrationali, vt in ſubiecto, ſed eſſe earum partium, ſcilicet iraſcibilis, & concupiſcibilis, quia circa moderandas earum paſſiones verſantur, vt dictum eſt ſupra. Vel dicas, quod per iraſcibilem intelligit facultates voluntatis: nam iraſcibilis, & concupiſcibilis ne dum ſunt in appetitu ſentiente, ſed etiam in voluntate. Et cum obijcitur de obiecto arduo, & delectabili, ſiue illa ſint obiecta, ſiue non, de quo erit ſermo ſequenti diſtin. ita poteſt inueniri eiuſmodi diſtinctio ex parte obiectorum comparando ea ad voluntatem, ſicut comparando ad appetitum ſenſitiuum, quia obiectum iraſcibilis eſt offendens, concupiſcibilis vero conueniens ſiue delectans ita in appetitu intellectiuo, ſicut in appetitu ſenſiuuo, vt videbimus infra.

Ad aliud argumentum dico ad maiorem, quod non oportet ponere virtutem formaliter, vbi eſt paſſio moderata, ſed magis in voluntate moderante ibi, & imperante appetitu ſenſitiuo. Secundo dico, quod in voluntate bene ſunt paſſiones ſecundum D. Auguſt. 14. de Trinit. &
D. Aug. quæſt. de Ciuit. cap. 4. per totum, & cap. quinto in principio, ſicut gaudere, & triſtari, & huiuſmodi; imo naturale eſt voluntati congaudere, & contriſtari appetitui ſenſitiuo, licet non ſit alteratio in voluntate ſecundum tales paſſiones, ſicut eſt in appetitu ſenſitiuo, vel eius organo, quæ ibi fiunt, vt dicitur 7. Ethic. Ad Confirmationem ex D. Paulo, concedo, quod maxima violentia ad operationes morales exequendas infertur, rationi ab appetitu ſenſitiuo, & hoc docet Paulus, non tamen propter hoc in tali appetitu ſunt ponendæ virtutes morales: quia operationes bonæ morales procedentes à virtutibus moralibus, propter quas homo laudatur, & eſt bonus non ſunt operationes appetitus ſenſitiui, tales enim niſi per rationem regulentur non ſunt digne laude, ergo potius ſunt ponendæ tales virtutes in potentia imperante, cui obediat appetitus ſenſitiuus.

ARTICVLVS II.

Vtrum virtutes morales ſint ſubiectiue in voluntate.

De hac difficultate ſunt duæ ſententiæ extremæ prima eſt, quod nulla virtus moralis acquiſita, ſimpliciter loquendo, debet poni in voluntate, ſed omnes debent poni in appetitu ſenſitiuo. Cuius fundamenta ſunt iſta in illa potentia, quæ neceſſario, & determinate ſequitur iudicium rationis, & determinatur ad bonum iudicatum non eſt ponenda aliqua virtus, quia fruſtra poneretur, nec enim determinaret, nec facilitaret ad actum, ſed voluntas eſt talis potentia, ita quod ſufficit prudentia in intellectu, ergo &c.

Præterea in illa potentia, quæ maximè deuia eſt, & deordinata à bono ſimpliciter propter ſui conuerſionem ad bonum ſimpliciter, debet poni virtus, & habitus rectificans ipſam, ſed appetitus ſenſitiuus eſt talis potentia, non autem voluntas, quia ipſa reſpicit bonum ſimpliciter pro obiecto, ad quod eſt determinata, non autem bonum, vt nunc ergo &c.

Alia opinio extrema eſt, quod omnes virtutes morales eſſentialiter, & principaliter ſunt in voluntate, & hæc eſt opinio Doct. noſtri ſub, quam explicabimus in hoc art.

Eſt autem alia opinio media, quæ conuenit cum ſecunda quatenus ponit iuſtitiam in voluntate, & cum prima, *Scotus.* quatenus omnes alias virtutes morales à iuſtitia; ſicut fortitudinem, & temperantiam ponit in appetitu ſentiente, & hæc eſt opinio D. Thom. 3. ſent. diſtin. 33. art. 1. quæſt. 4. & 1. 2. quæſt. 56. art. 4. & 6. Pro cuius explicatione no- *D. Thom.* tant Thomiſtæ ex D. Thom. in 1. par. quòd rationalis anima habet plures potentias, intellectum, memoriam, voluntatem, appetitum ſenſitiuum, qui diuiditur in iraſcibilem, & concupiſcibilem, potentias, ſenſitiuas, atque etiam executiuas. Secundo notant, quod virtus verſatur circa difficile, vt teſtatur Ariſt. & conſtat manifeſta experientia. Tertio notant, quòd illa potentia, quæ eſt determinata ad ſuum actum, & nullam in ſuo opere patitur difficultatem, nullius indiget virtutis. Quarto notant, quod quando duæ potentiæ concurrunt ad aliquam operationem, vt operatio perfecta ſit, neceſſe eſt, vt vtraque potentia perfecta ſit. vltimo notant, quod quando duæ potentiæ concurrunt ad eãdẽ operationem, in ea potentia collocanda eſt virtus, in qua ſubſtantia operationis conſtituitur, verbi gratia, quoniam credere ſecundum ſuam ſubſtantiam eſt actus intellectus fides, quæ ponitur ad credendum; in intellectu eſt collocanda non in voluntate, licet ad credendum requiratur actus voluntatis, nemo enim credit niſi volens.

Ex his probat virtutes morales, excepta iuſtitia, minime collocandas eſſe in voluntate, & eorum ratio præcipua eſt, qa habitus virtutis, ea dũtaxat rõne ponẽdus eſt, vt tollatur, aut extenuetur aliquo modo difficultas potentiæ ad operationem, atque adeo quoties potentia ex ſe ſumma promptitudine, & abſque vlla difficultate inclinata eſt in obiectum, non indiget nouo aliquo habitu, determinante ipſam, atqui voluntas ex ſe ſummẽ prompta eſt ad bonum rationis; quod eſt ad ipſum operantem, & non ad alterum, nullamque ad illud difficultatem habet in ſe, ſed totam difficultatem habet ex parte appetitus ſentientis; ergo ad tale bonum non indiget in ſe ipſa habitu virtutis, ſed tantum ille neceſſarius eſt in appetitu: huiuſmodi autem bonum eſt temperantiæ, & fortudinis; ergo habitus temperantiæ, & fortitudinis in ſolo appetitu non in voluntate conſtitui debet. Contra verò ad bonum iuſtitiæ, quod eſt ad alterum, voluntas ex ſe non eſt ſumma promptitudine inclinata, etiam ſi nullam ad hoc ſentiat difficultatem ex parte appetitus, ac proinde ad tale bonũ ipſa voluntas ſecundum ſe indiget habitu; atque ita habitum iuſtitiæ, & earum virtutum, quæ ſub iuſtitia continentur conſtituit S. Thomas in voluntate, at vero in appetitu non conſtituit talem habitum, fortaſſis ea ratione; quia appetitus non reſpicit bonum, quod aliquo modo

eſt

Digitized by Google

eſt ad alterum, ſed bonum, quod eſt omnino ad ipſum operantem.

Item, & redit in idem, virtus ponitur in potentia, vt ſit determinatiua potentiæ ad ſtudioſe agendum, ſed voluntas eſt ex ſe determinata ad recte agendum, quia obiectũ voluntatis præciſe mouet voluntatem, ſicut eſt apprehenſum, ſufficit ergo, quod intellectus ſit ſufficienter perfectus ad recte oſtendendum obiectum eſſe volendum cum omnibus circunſtantijs requiſitis ad actum moralem.

Præterea voluntas eſt libera; ergo poteſt ſe determinare ſufficienter ad ſtudioſe agendum, atque adeo non requiritur aliqua virtus determinatiua voluntatis ad ſtudioſe agendum; probatur conſequentia; quia virtus inclinat, & determinat ad agendum per modum naturæ, voluntas autem non poteſt ſic determinari; repugnat enim libertati voluntatis determinari per modum naturæ.

Item virtutes morales ſunt in appetitu ſenſitiuo, ergo non ſunt in voluntate, conſequentia patet, & antecedens probatur ex Ariſt. 1. Politicorum cap. 4. vbi dicit animam duplicem habere principatum; vnum quo principatur corpori, qui appellatur principatus deſpoticus, ſeu dominicus, quem principatum habet Dominus ſuper ſeruum; qui non habet ius, nec vim repugnandi, vel rebellandi, & hoc principatu dominatur anima corpori; quia ſicut ſeruus non habet ius rebellandi Domino, neque ei reſiſtendi, ita corpus non habet vnde reſiſtere poſſit animæ; atque ita in corpore non debet poni aliqua virtus, qua inclinetur ad obediendum, & obtemperandum animæ. Alterum principatum habet, quo dominatur anima viribus inferioribus, & nuncupatur principatus politicus, & ciuilis; quo Rex Principatur Baronibus, atque Ciuibus ſuis, & ſicut Barones, & Ciues aliqua ex cauſa poſſent Regi contradicere; ita vires inferiores, (quæ ſecundum Philoſ. 5. Ethic. cap. 20. diſciplinantes appellantur) rationi, ſeu animæ contradicere queunt, atque adeo indigent virtute, qua obedire cogantur recto dictamini rationis. Quia ergo appetitus ſenſitiuus poteſt rationi repugnare ponendi ſunt in eo habitus virtutum moralium, & vt prompte, & faciliter moueatur ſecundum imperium rationis, & non inuoluntate.

Deinde ibi eſt aliquid formaliter, vbi eſt ſuum materiale, vel ſua materia, ſed materia virtutũ moralium, nimirum paſſiones, ſunt in appetitu ſentiente, non autem in voluntate; ergo &c. ſubinde oppoſita nata ſunt fieri circa idem, niſi alterum ſit determinatum à natura; ſed vitium eſt in appetitu ſenſitiuo, vt patet ſaltem de primis motibus vitioſis, qui ſunt in appetitu ſenſitiuo ſecundum Gloſſam ad Rom. 8. ergo, & virtus moralis, quæ opponitur vitio. *Gloſſa.*

Refellitur prima ſententia. Contra primam ſententiam arguitur ducendo rationes eius ad oppoſitum, & primam ſic. In illa potentia ſunt ponendæ virtutes moderatiuæ paſſionum in qua ponuntur illæ paſſiones ſecundum eos, ſed hæc eſt voluntas; quia in voluntate ponitur triſtitia, & gaudium, & timor, & huiuſmodi paſſiones, non ſolum in appetitu ſenſitiuo, licet non eodem modo, quo ibi, vt dicetur infra.

Præterea in illa potentia, quæ non eſt determinata ex ſe ad bonum ſimpliciter eligendum prompte, & faciliter non obſtante, quod ſit iudicatum à ratione ponenda eſt virtus moralis ſecundum eos, ſed hæc eſt voluntas; quia alioquin, vel eſſet impeccabilis, vel non poſſet aliquid contra iudicium rationis, quod eſt falſum, vt magis ſequenti diſt. videbimus.

Præterea ſi ratio opinantis concluderet, probaret etiã, quod in voluntate nulla virtus infuſa eſſet ponenda. Item in potentia obliquabili, & deuiabili à bono ſimpliciter, & potenti eligere bonum apparens, & vt nunc, dimittendo bonum ſimpliciter, & quæ nata eſt conformiter inclinari cum appetitu ſenſitiuo, & congaudere ſibi, & contriſtari; ponendus eſt habitus virtutis, & modo quo ſecundum te ponitur in appetitu ſenſitiuo, ſed talis potentia eſt voluntas; ergo &c. ex his ſequitur, quod impoſſibile eſt omnes virtutes morales eſſe in appetitu ſenſitiuo, & nullo modo in inuoluntate, vt apparet præcipue de iuſtitia, & ideo probabilior eſt, quo ad hoc, ſententia D. Thomæ.

Cæterum contra eius opinionem de fortitudine, & Temperãtia poſſunt eius rationes retorqueri. Nam ſicut ponit iuſtitiam in volũtate ad bonum reſpectu aliorum; ita etiam debet ponere temperantiam, & alias virtutes morales ad bonum proprium; nec eſt maior ratio de iuſtitia, quam de alijs virtutibus moralibus: patet; quia vel voluntatis eſt, quod ſit determinata ad bonum, & ratio virtutis eſt, quod determinet potentiam; quæ eſt indeterminata ad bonum, vel non; ſi ſic ergo ratio virtutis moralis repugnat voluntati, & per conſequens neque iuſtitia poteſt eſſe in voluntate; at ſi voluntas poteſt à iuſtitia determinari; ergo ratio voluntatis non eſt, quod ſit determinata, ſiquidem per iuſtitiam determinatur atque adeo etiam alijs virtutibus determinari poteſt. *Impugnãt ſent. D. Th.*

Et ex hoc patet, quod rationes eius ſunt ad oppoſitum. Nam potentia, quæ eſt indeterminata ad recte agẽdum, & non recte agendum indiget habitu virtutis illam determinante ad recte agendum, hæc propoſitio conceditur ab eis, ſed voluntas eſt huiuſmodi; ergo &c. Minor probatur, quia voluntas non ſolum eſt indeterminata, ad oppoſita obiecta, & ad oppoſitos actus, ſed etiam eſt indeterminata in modo agendi, ſcilicet ad recte, & non recte agendum; patet, quia voluntas poteſt velle ſibi quodcunque bonum, in quo oſtenditur ratio ſui primi obiecti; atque ita in volendo tale bonum poteſt excedere, vel deficere, atque ita à rectitudine deuiare; ergo indiget aliquo inclinante, & determinante ad recte agendum, & illud eſt virtus, ad hoc enim ponuntur virtutes in potentijs, vt potentiæ, quæ poſſunt de ſe recte, & non recte agere regulentur per illas.

Et ſi dicas, quod ſufficit rationem recte oſtendere ad hoc, quod voluntas poſſit recte, velle, atque adeo non requiritur virtus in voluntate; ſed præciſe in ratione, ſcilicet in intellectu. contra; Quia tunc oporteret prius rationem errare in oſtendendo, quam voluntatem male eligere; atque ita ante primum peccatum voluntatis, erit error in intellectu, quod eſt in rationabile; quia tunc pœna eſſet ante peccatum, quod eſt abſurdum, vt ſubtiliter probat Scotus in 2. diſtin. 22. vbi probat peccatum primi hominis non fuiſſe ex ignorantia. *Scotus.*

Præterea eſt, quod voluntas poſſet ſufficienter determinari per intellectum ad recte eligendum, (quod vtique verum eſt etiam ſecundum Doct. in Prolog. q. 4. & in 1. d. 17. & in 4. diſtin. 4. quæſt. 2.) tamen non ſequitur, quod non generetur in ea habitus virtutis ex frequentatis electionibus, & probatur per argumentum à minori ad maius, intellectus magis determinatur ad recte iudicandum, quam voluntas ad recte eligendum, patet; quia intellectus quatenus habet operationem præuiam actui voluntatis mere naturaliter agit, atque ideo magis ex ſe determinatur, quam voluntas, quæ libere agit; & tamen non negatur in intellectu ex frequentatis actibus generari habitum ad recte iudicandum, ſcilicet prudentiam; ergo à fortiori in voluntate, quæ non ita ex ſe eſt determinata ad vnum, ſicut intellectus, ex actibus frequẽter recte elicitis generantur virtutes morales.

Præterea habitus non tantum ponitur in potentijs, vt per eas potentiæ agant recte, ſed vt delectabiliter, & prompte, quia recte poteſt agere quis ſine habitu acquiſito, ſicut patet in vitioſo nouiter conuerſo ad bonum; cui ſi recta ratio dictat, aliquid oppoſitum vitio conſueto eſſe eligendum, licet iſtud eligat, non tamen delectabiliter; non. n. ſtatim in primo actu corruptus eſt habitus totus vitioſus; imo, vel nihil, vel parũ remiſſus, hoc patet per experientiam, quia talis difficulter eligit bonum honeſtum, & delectabile ſibi eſſet eligere oppoſitum, iuxta malam conſuetudinem præcedentem, igitur ad hoc, quod voluntas delectabiliter agat dictatum à ratione; requiritur habitus ad eliciendum actum conformiter illi habitui. *Scotus.*

Eſt ergo tertia ſententia, quæ eſt Doctor. ſub. in hac c. D. Bonauentura in 3. diſtin. 33. artic. 1. quæſt. 3. Richard. eadem diſtin. artic. 1. quæſt. 1. Quam ſequuntur Ocham, in 3. quæſt. 13. Franciſcus de Mayronis, eadem d. q. 2. artic. 3. Baſſolus. Henr. quol. 4. quæſt. 22. Ioan. Bauo, in 3. diſtin. 33. quæſt. 3. Gabr. eadem diſtin. q. 1. art. 2. concl. 3. & 4. Almay. eadem diſtin. & in Moral. tract. 3. quæſt. 6. *D. Bonau. Richard. Ocham. Mayr. Baſſolus. Henric. Bauo. Gabriel. Almay.*

Buridanus

Buridan. Maior. Buridanus lib. 1. Ethic. q. 22. Maior. in 3. d. 36. q. 1. & 2. Et omnes Doct. de Societate Ieſu ſup. 1. 2. D. Thomæ.

Explicatur autem ſententia Scoti tribus Concluſionib.

1. Concl. Prima Concluſio. Voluntas ſine omni habitu poſſet elicere actum rectum moraliter bonum. Probatur. Actus conformiter elicitus rectæ rationi eſt actus verè moraliter rectus; ſed voluntas poteſt ſine habitu talem actum elicere, ergo &c. probatur minor, quia habitus moralis generatur ex actibus moraliter rectis ergo antequam in voluntate generetur habitus moralis temperantiæ, vel fortitudinis debet voluntas habere plures actus, vel vnũ intenſum priorem, ex quibus, vel ex quo generetur habitus. Idem etiam dici poteſt de iudicio recto intellectus; quod ſcilicet antequam in ipſo generetur habitus prudẽtiæ debet præcedere actus rectus ſine habitu, ex quo actu, vel actibus generetur habitus, & ex hoc infert Scotus, quòd in voluntate, vel ex vno actu morali valde intenſo generatur habitus moralis, vel ſaltem ex pluribus actibus rectis etiam remiſſis.

2. Concl. Secunda Concluſio. Prius generatur habitus moralis in voluntate, quæ eſt virtus recta inclinans voluntatem ad recte eligendum, quam imperet aliquid appetitui ſenſitiuo. Probatur. Voluntas prius naturaliter eligit, quam ipſa, vel intellectus aliquid imperet appetitui ſenſitiuo ergo in illo priori poteſt voluntas generare in ſe ipſa habitum inclinantem ad recte eligendum; conſequentia patet: quia ex multis rectis electionibus generatus habitus inclinans ad recte eligendum, eſtque virtus, & antecedens ſic probatur, intellectus non attingit appetitum ſentientem niſi mediante voluntate, quæ eſt proprie appetitus rationalis; voluntas autem prius vult aliquid in ſe, quam imperet potentiæ inferiori, vt agat circa illud; quia non ex hoc vult aliquid: quia imperat potentiæ inferiori; ſed potius prius vult, & poſtea imperat; ergo voluntas prius naturaliter eligit, quam imperet appetitui ſenſitiuo, atque adeo prius datur aliquid, quo generari poteſt virtus moralis in voluotate, quam ſit aliquid in appetitu ſentiente.

3. Concl. Tertia Concluſio. In voluntate tanquam in ſubiecto ſunt virtutes morales, quę propriſſime ſunt virtutes. Probatur in ea potentia ponitur virtus moralis tanquam in ſubiecto, in qua, vt in ſubiecto ponitur operatio ſecundum virtutem, vel virtutis operatio, ſed operatio virtutis ponitur in voluntate tanquam in ſubiecto; ergo in ea ponitur virtus moralis. Maior patet, & minor probatur operatio virtutis eſt electio conſeſſe ſe habens ad rationem rectam, ſed electio eſt, actus voluntatis, & eſt actio immanens; ergo ponitur in voluntate tanquam in ſubiecto; atque adeo virtus, quæ eſt habitus electiuus ex 2. Ethic. c. 6. eſt ſubiectiue in voluntate.

Præterea virtus habet pro obiecto bonum honeſtum, ergo eſt ſubiectiue in voluntate; conſequentia patet, quia bonum honeſtum eſt obiectum voluntatis.

Item actus virtutis eſt laudabilis; ergo eſt in voluntate; probatur conſequentia: quia nulli debetur laus niſi voluntarie agenti; ergo eius eſt laudabiliter, & ſtudioſe operari, cuius eſt per ſe libere agere, eiuſmodi autem eſt voluntas; ergo actus laudabilis eſt in voluntate. Tunc vltra in eadem potentia ſubiectiue eſt habitus, in qua ſubiectiue eſt actus, ſed actus laudabilis eſt ſubiectiue in voluntate; ergo, & habitus, qui eſt principium actus laudabilis eſt ſubiectiue in voluntate.

Item in actu virtutis conſiſtit fœlicitas hominis; ergo virtutes morales collocandę ſunt in voluntate, conſequentia probatur, fœlicitas hominis non poteſt conſiſtere in aliquo, quod pertinet ad irrationalem partem, ſed in aliquo, quod pertinet ad partem rationalem, & non in eo, quod ſpectat ad partem rationalem per eſſentiam, nimirum ad intellectum; ergo conſiſtit in eo, quod ſpectat ad partem rationalem per participationem, eiuſmodi eſt voluntas; ergo in voluntate ponuntur virtutes morales:

Fœlicitas è duplex. Obſeruan. eſt tamen, quòd duplex eſt fœlicitas, quadam eſt contemplatiua, & iſta non eſt in actu virtutis, ſed in contemplatione altiſſimarum cauſarum, alia eſt fœlicitas actiua, vt fortis Politicus cum ſe exponit morti pro Reipub. eſt fęlix, & illa fęlicitas eſt in illo actu heroico, & de hoc ſcdo fęlicitatis genere loqtur hic Doct. ſub. ex Ariſt.

Præterea virtus videtur eſſe propria hominis, vt homo eſt; ergo in ea potentia non poteſt conſtitui virtus quæ non eſt propria homini, vt homo eſt, atqui appetitus ſentiens non eſt propria potentia hominis, vt homo eſt; ergo neque ſubiectum eſſe poteſt proprie virtutis.

Præterea eſto voluntatem noſtram eſſe ex ſe ſummæ promptam ad bonum ad ſe, vt vult D. Thomas, quod tamen etiam difficile eſt, tamen propter coniunctionem cum appetitu, qui repugnat bono Temperantiæ, & Fortitudinis, non poteſt ipſa voluntas aliquam non pati difficultatem ad proſequendum tale bonum, tam ſimplici affectu, & inefficaci, quam efficaci; ergo ad ſuperandam hanc difficultatem, & vt facilius in dies operetur neceſſarius eſt habitus aſſuetudine, & exercitatione comparatus; talis autem habitus actione ſua attingit materiam, & obiectum virtutis ſub ratione formali honeſtatis, quam attingere nequit appetitus; ergo eſt virtus potentiæ volitiuæ.

Et confirmatur ex D August. in lib. de moribus Eccleſiæ cap. 15. vbi vult, quod virtutes morales non ſunt niſi amor ordinatus, vel amoris ordinati; nam inquit, quod illud, qđ virtus dicitur, ab ipſius amoris vario quodã affectu dicitur & 14. de Ciuit. cap. 5. & 6. multa dicit quibus, docet voluntatem eſſe ſubiectum virtutum moralium, & ſuper titulum Pſal. 31. inquit. Quid enim in quoq; homine etiam malum operatur niſi amor? dilectio vacare non poteſt. Num vobis dicitur nihil ametis? abſit. Amate, ſed quid ametis videte. Purga amorem tuum aquam fluentem in cloacam conuerte ad ortum. Dicimus ergo ſimpliciter propter iam dictam rationem, quod omnes morales habitus ſunt in voluntate, & pertinent ad voluntatis amorem circa bonum ſimpliciter, vel apparens; ita quod virtus moralis nihil aliud ſit, quam habitus inclinans voluntatem ad amorem boni ſimpliciter. Vitium autem eſt habitus contrarius inclinans ad amorem boni apparentis. Quod nobis maxime ex hoc apparet: quoniam cum virtus moralis ſecundum Philoſ. 2. Ethic. ſit moderatrix paſſionum, & actionum vndecunque inſurgant, & à qua in primo oriantur; in omnibus, (vt dicit in fine libri illius) maximè obſeruandum delectabile, & delectationem, quæ eſt paſſio in amante amori annexa: ita quod (vt dicitur in eodem) oportet generati habitus ſignum facere ſuperuenientem delectationem, ita quod bona delectatio de bono ſimpliciter, eſt ſignum boni habitus, & delectatio de bono apparenti eſt ſignum mali habitus. Arist. Vbi ergo nata eſt eſſe delectatio bona, ibi habet eſſe virtus, & non alibi, & hoc eſt voluntas rationalis, non pars aliqua ſenſitiua; ergo &c. Minor declaratur per illud, D. Aug. quod dicit D. Auguſt. ſuper illud Pſal. 7. Scrutans corda, & renes Deus. Cogitationes nomine cordis ſignificatæ ſunt, & delectationes nomine renum; & ſuper illud. Qui ſaluos facit rectos corde, dicit. Non ſicut ſcrutatur corda, & renes, ita ſaluos facit rectos corde, & renibus; quia cogitationes, & malæ ſunt in prauo corde, & bonæ in recto corde; Delectationes autem non bonæ ad renes pertinent, bonæ autem non ad renes, ſed ad ipſum cor. Quod autem per renes intelligat partem rationalem, clarum eſt.

Ad fundamenta prioris ſententiæ reſpondetur. Et ad primum dico, quod voluntas prompte, & faciliter non eligit bonum iudicatum à ratione ſine habitu, & ideo ponendus eſt habitus acquiſitus in ipſa ſecundum vnamquamque materiam virtutis; nec ſufficit prudentia in intellectu; ſicut etiam ponendus eſt habitus acquiſitus in appetitu ſenſitiuo, licet ſit de ſe determinatus, & neceſſario per bonum apprehenſum per ſenſum, & non poſſit in aliud niſi in bonum apprehenſum per ſenſum, & multo magis in voluntate, quæ ſecundum veritatem non neceſſario eligit, nec vult bonum iudicatum à ratione, ſed ipſum poteſt non velle, & oppoſitum diligere, vt probat Doct. in 2.

Ad ſecundum dico, quòd in appetitu ſenſitiuo, qui deuiat à bono ſimpliciter, quod eſt bonum rationis rectæ, & poteſt rebellare rationi, ponendus eſt habitus, ſed non virtus principaliter nec eſſentialiter, ſed magis in voluntate, quæ non eſt etiam determinata ad faciliter eligendum bonum ſimpliciter, prout bonum ſimpliciter diſtinguitur

Digitized by Google

guitur contra bonum apparens, ſed poteſt eligere bonum apparens, & conuerti ad bonum, vt nunc etiam contra iudicium rationis.

Ad primum, pro ſententia D. Thomæ. Reſpondet Doct. in hac quæſt. ſub littera C. §. Ad rationem igitur primam &c. & dicit, quòd cum dicitur, voluntas eſt ex ſe determinata ad bonum ſimpliciter: quia illud eſt proprium obiectum voluntatis, æquiuocatur de bono ſimpliciter; Quia tale bonum biſariam ſumi poteſt. Vno modo pro bono diſtincto à bono apparente; alio modo pro bono communi diſtincto contra bonum ſingulare, ſi ſumatur priori modo, vt ſic, non eſt obiectum primum, id eſt, adæquatum voluntatis, quia alias, voluntas non poſſet habere actum, circa aliquod bonum apparens; quia bonum apparens non contineretur ſub obiecto voluntatis adæquato; Nulla enim potentia poteſt habere aliquem actum, circa illud in quo non ſaluatur ratio ſui obiecti primi, id eſt adæquati, atque ita voluntas viatoris, ex obiecto ſuo, eſſet confirmata in bono, ſic, quod peccare non poſſet, quod eſt falſum, & erroneum: nam bonum hoc modo acceptũ, id eſt, vt diſtinguitur contra bonum apparens, eſt illud, in quo nullus eſt defectus bonitatis, nec aliqua ratio malitiæ.

At ſecundo modo ſumendo bonum ſimpliciter, nimirum prout diſtinguitur contra bonum ſingulare, bene conceditur, quod bonum in communi eſt voluntatis adæquatum obiectum; ita quod voluntas poteſt velle quodcunque bonum, ſiue, vt nunc, ſiue præteritum, ſiue futurum, quia bonum in vniuerſali ſub ratione boni eſt obiectum potentiæ appetitiuæ, ſcilicet voluntatis, & ſuæ propriæ cognitiuæ, ſcilicet intellectus. Senſus (autem ſecundum communiter loquentes) cognoſcit ſingulare, & intellectus vniuerſale, ideo appetitus ſenſitiuus habet pro obiecto bonum, vt nunc, id eſt, bonum ſingulare cum cõditionibus indiuiduantibus. Voluntas autem habet pro obiecto bonum oſtenſum ab intellectu, quod eſt bonum vniuerſale, ſiue bonum ſimpliciter prout bonum ſimpliciter diſtinguitur contra bonum, vt nunc.

Et cum dicitur, quod ſufficit rationem rectam oſtendere bonum ſimpliciter: quia obiectum voluntatis præciſe mouet voluntatem, ſicut eſt apprehenſum; atque ita cum intellectus ſit ſufficienter rectus ad recte oſtendendum obiectum eſſe volendum, & tunc voluntas ſine habitu virtutis ipſum diligit, hoc negatur tanquam falſum: ſequeretur, quod voluntas, non poſſet in oppoſitum illius, quod oſtenſum eſt eſſe rectum ab intellectu: Nam ſi voluntas determinaretur à ratione recta ad volendum tale bonum, ſequeretur, quod ſtante tali ratione recta, nõ poſſet velle oppoſitum atque ita in actu ſuo non eſſet libera; Hoc autem aſſerere eſt error, vt patet extra de Hæreticis, cap. ad Abolendam; & art. 9. Pariſienſi condemnatur, vt erronea hæc propoſitio, ratio eſt recta; ergo voluntas eſt recta: quia voluntas eſt libera, & quamuis ratio ſit recta, poteſt tamen voluntas ab illa declinare, atque adeo indiget habitus virtutum, vt inclinetur ad bonum à ratione recta oſtenſum prompte, & delectabiliter.

Ad ſecundam rationem dicit Scotus, quod eſt magis ad oppoſitum: quia potentia, quæ eſt libera habens in poteſtate ſua actionem, & modum agendi magis indiget diſponi per virtutem ad recte, & laudabiliter agendum, quam non habens: quia potentia, quæ non habet in poteſtate ſua operationem non operatur laudabiliter, vel vituperabiliter; huius conditionis eſt ſenſus; at voluntas, quæ habet in ſua facultate operationem, atque ita operari poteſt laudabiliter, vel oppoſito modo, potius indiget habitu, & virtute ad operandum, quam ſenſus.

Concedo ergo, quod voluntas eſt libera, & quod ex libertate ſua poteſt ſe determinare ad recte agendum, negatur tamen, quod ex inde ſequatur non poſſe in ea generari virtutem. Et certe (inquit Doct.) videtur valde mirabile, quod illud propter, quod homo in operando laudatur ſit præciſe in appetitu ſentiente, qui eſt homini, & bruto communis. Neque eſt negandum a nobiliſſima potentia, (quod conceditur inferioribus potentijs,) quod ornat, & eſt perfectio illius potentiæ; Temperantia autem, & Fortitudo ponuntur in appetitu ſentiente, qui eſt potentia inferior, ergo fortitudo, & temperantia non ſunt negandæ à voluntate; Et ſi dicas, quòd propter perfectionem potentiæ voluntas non eget habitu, potentiæ autem inferiores egent. Contra intellectus per te eſt perfectior voluntate, & tamen in intellectu ponitur habitus; ergo perfectio intellectus non concludit non eſſe in voluntate ponendum habitum virtutis. Item iuſtitia eſt nobilior virtus, quam Temperantia, vel Fortitudo, & tamen iuſtitia ponitur in nobili potentia, ſcilicet in voluntate, ergo propter perfectionem habitus, vel potentię non eſt negandus habitus virtutis Temperantiæ, vel Fortitudinis à voluntate.

Et ſi iterum dicas, quod ratio propter, quam negantur Temperantia, & Fortitudo virtutes à voluntate non eſt nobilitas potentiæ, vel habitus, ſed quia voluntas determinatur ſufficienter ad proprium ſuum bonum in ordine ad ſe, hoc eſt ad ſuum bonum naturale; Contra, hoc iam improbatum eſt. Tum quia intellectus ſufficienter determinatur ad verum, & tamen reſpectu talis veri generatur in eo virtus intellectualis, ſcilicet ſapientia, & prudentia, vt patet 6. Ethic. Tum quia dabilis eſt virtus, & habitus in intellectu, ad quem intellectus eſt ſic determinatus, quod non poteſt ei diſſentire, imo ſi apprehendit terminos oportet, vt illi aſſentiat, vt patet de principio per ſe noto. atq; adeo, & ſi voluntas determinetur ad ſuũ bonum naturale oſtenſum ab intellectu, hoc non obſtante in ea ponitur habitus virtutis. Tum demum, quia eſto, quod voluntas ſufficienter determinetur ad bonum, non tamen ſufficienter determinatur ad prompte delectabiliter, & ad intenſe velle tale bonum; ergo ad hoc præſtandum indiget habitu.

Nec valet hic arguere, quod naturale agens determinatur ad agendum, igitur, & voluntas cum non ſit potentia actiua naturaliter; Nam à puris agentibus naturalibus omnes remouent habitus, quia ex ſe ſunt ſummæ inclinata; In intellectu tamen, qui magis naturaliter agit, quam voluntas non negatur habitus: quia non eſt de ſe ſummæ determinatus, nec inclinatus; neque iſta indeterminatio, ſcilicet ad agendum, & non agendum, eſt ex imperfectione actiui, ſed ex illimitatione, quæ eſt actiui perfectio. Cætera enim mere naturalia ſic ad vnum determinantur, quod non poſſunt in oppoſitum contrarie, vel ſaltem contradictorie ſicut lapis ita eſt de ſe determinatus ad vbi deorſum, quod non poteſt in oppoſitum contrarie, id eſt, eſſe ſurſum, vel ſaltem contradictorie id eſt, remoto impedimento non deſcendere deorſum. Voluntas verò non ſic determinatur: quia eſt libera, & contradictorie, & contrarie, id eſt, ad volendum, & nolendum; & ad volendum, & non volendum, vt dictum eſt in ſecunda diſt. 25.

Et ad illud, quod dicitur in argumento, quod repugnat libertati voluntatis inclinari per modum naturæ, & habitus inclinat per modum naturæ. Dico, quod ſi hæc probatio concluderet, probaret etiam, quod charitas, & ſpes non eſſent ponendæ in voluntate, quod eſt communiter contra omnes Theologos, quia charitas, & ſpes inclinant etiam per modum naturæ.

Et cum dicitur, quod voluntas ex ſua libertate poteſt ſe determinare ad agendum, dicit Doct. eſto hoc eſſe verum; tamen ex actione ſua, ſiue ex frequentatis actibus eſt receptiua alicuius habilitatis derelictæ, inclinantis ad conſimilem actionem; Illa enim determinatio ad agendum non eſt per formam naturalem, qualis eſt in igne ad operandum, vel in lapide ad deſcendendum deorſum, quæ forma ita eſt ad vnum oppoſitũ determinata, quod nullo modo poteſt in aliud contrarium, ſiue contradictorium. Determinatio autem voluntatis prouenit ex libera eius actione, quæ procedit à potentia indeterminata, nimirum à voluntate, quæ ex ſe poteſt in oppoſita contradictoria; atque ita voluntas eſt determinabilis per habitum. Et ex his, quæ docuit Doct. in 1. diſt. 17. & in 2. d. 25. patet qualiter cauſa ſecunda naturaliter agens, poteſt concurrere cum cauſa priori libere agente, & quomodo effectus adhuc dicitur liber propter libertatem cauſæ principalis, habitus autem ſi eſt cauſa ſubſtantiæ, actus, (quod dicit Sco. propter opinionem Gotfer. quol. 9. q. 4. *Gotf.*
qui opinatur actum ſecundum ſubſtantiam eſſe à potentia, at ſecundum intenſionem, ab habitu, quæ opinio improbatur

probatur

Digitized by Google

probatur ab Sco. in 1. diſtin. 17. Tum etiam, quia ſecundum aliquos habitus nullo modo eſt cauſa actus, quam opinionem non tenet Doct. vbi ſupra) eſt cauſa tantum ſecunda reſpectu voluntatis; quando autem concurrunt ad eumdem effectum cauſa libera prior, & cauſa ſecunda naturaliter agens, effectus dicitur liber propter libertatem cauſæ principalis.

Henric. de Gand.

Ad tertium, quod eſt vltimum principale Doct. Reſpondet primo Henr. de Gand. quol. 4. quæſt. 22. & dicit, quod ideo Philoſ. poſuit aliquo modo virtutes morales in appetitu ſenſitiuo, quia credidit hunc ſtatum, in quo natura nunc eſt, eſſe ſtatum eius naturalem, ſed non eſt verum, quia pro ſtatu naturæ inſtitutæ ſub perfecta obedientia, & promptitudine erant naturaliter vires inferiores ſub ſuperiori abſque omni potentia ad bellandum, ita quod nullus motus in eis fuiſſet niſi à ratione imperatus, nec præuenire potuit regimen rationis ſubreptitiæ, ſicut modo ſine præcedente peccato, & negligentia rationis. Vnde, & licet modo non obediant propter peccatum, pro quo ſunt in pœnam motus earum irrationabiles, quibus poſſunt rebellare contra rationem, tamen natæ ſunt naturaliter obedire, ita quòd ſi inſtet voluntatis imperium omnino reſiſtere non poſſunt, & ſolum per quandam impreſſionem, & aſſuefactionem prompte, & ſine murmure obediunt. Adeo, quòd ſecundum Hen. licet modo pro ſtatu culpæ iures inferiores ſuperioribus ſint rebelles, & propter hoc videatur aliquibus illis neceſſarios eſſe habitus, vt de facili obediant, tamen huiuſmodi habitus, qui admittuntur in appetitu ſenſitiuo, non ſunt virtutes morales ſecundum quidditates ſuas; ſed ſunt virtutum moralium quædam impreſſiones, quæ poſſunt virtutes per participationem appellari.

Cæterum de hoc inquit Doct. aliter dictum eſt in 2. diſtin. 29. vbi oſtenſum eſt, quomodo in ſtatu naturæ inſtitutæ appetitus inferior natus erat habere ſuam delectationem, & qualiter potuit concorditer ad voluntatem moueri; ita tamē, quod potuit poni aliqua virtus in vtroque appetitu. Niſi forte iuſtitia originalis faceret in voluntate perfectius dominium reſpectu appetitus ſenſitiui, ita, vt poſſet ſtatim vti appetitu ſenſitiuo ſeruiliter, adeo quod voluntatis ſuper appetitum ſenſitiuum eſſet dominium diſpoticum, ſed hoc poſito adhuc non ſaluaretur inquit Doct. quod appetitus ſenſitiuus delectabiliter moueretur, quantumcunque voluntas dominaretur ſuper eum; niſi in ipſo appetitu eſſet aliquis habitus inclinans ad talem actum eliciendum; ſicut ego volens te recte eligere circa paſſionem aliquam, poſſem ex hoc generare in me virtutem moralem.

Ad argumentum ergo dico, quòd bene in appetitu ſenſitiuo, & in anima ſecundum ipſum ſunt paſſiones, & habitus aliqui, ſed non virtutes principaliter. Vel per irrationalem partem poteſt accipi voluntas, quæ non eſt rō ipſa, nec rationalis per eſſentiam, ſicut eſt intellectus, & eodem modo poſſet dici ad illud dictum Ariſt. magnorū moralium, quod ſi virtutes intellectuales, & morales eſſent eædem deſtrueretur in anima pars irrationalis, ſcilicet voluntas, quia tunc ſequeretur, quòd eſſet eadem potentia cum intellectu.

Ad tertium dico, quod paſſiones non ſunt materia in qua, vel ex qua reſpectu ipſarum virtutum, ſed materia circa quam ſe tenens ex parte obiecti, atque ita non oportet, quod virtutes ſint formaliter in appetitu ſenſitiuo, dato etiam, quod in ipſo ſolo ſint paſſiones.

Ad quartum dico, quòd vitium, vel potius peccatum formaliter, & principaliter eſt in volūtate, eſt enim peccatum voluntarium, & adeo voluntarium, quod ſi non eſt voluntarium non eſt peccatum ſecundum D. Auguſt. de lib. arb & D. Anſel. de conceptu virginali. Vnde, & primi motus, qui ſunt in appetitu ſenſitiuo, non ſunt peccata, ſed potius materia virtutis, vel peccati in voluntate.

D. Aug.
D. Anſ.

Caietan.

Caietanus, 1. 2. quæſt. 56. artic. 4. miratur quomodo Scotus ponat fortitudinem, & temperantiam in voluntate, cum Ariſt. 2. Ethic. aperte eas poſuerit in parte irrationali, & quare non reſponderit Ariſtot. ſecundo miratur, quomodo Sco. aſſumat pro fundamento ſuæ ſententiæ argumentum quarto loco factum à D. Thoma, & ſolutum, & quod Sco. non confutauerit reſponſionem.

Cæterum ſi Caiet. conſideraſſet, quæ docet Scotus in hac quæſt. nullam habuiſſet admirationem; nam primo vidiſſet Doct. ſub. optime, & ſapienter explicaſſe mentem Ariſt. vt patet ſub littera A. §. Ex iſta littera patet. Nec ſolum argumentum ſolutum à D. Thoma eſſe fundamentum opinionis Scoticæ; ſed illud, atque aliud nēpe, quod virtus videtur eſſe propria hominis, vt homo eſt, atque adeo in ea potentia ſtatuenda eſt, quę homini eſt propria, vt homo eſt. Tum quia omnis virtus moralis habet actus quos corrigat ac temperet; ergo neceſſe eſt, vt in appetitu rationis habitus acquiratur, qui poſſit eos affectus moderari. Tum quia omnis virtus moralis in bono rationis eligendo verſatur, ergo neceſſe eſt, vt voluntate cuius eſt eligere habitus etiam comparetur, quo facile prompte, & conſtanter fieri poſſit electio, hæc, & conſimilia ſunt fundamenta Scoti. Non impugnat autem formaliter ſolutionem allatam à D. Thma, quia virtualiter ex dictis in hac quæſt. eſt ſufficienter improbata; Nam ſicut actus temperantiæ generat habitum temperantiæ in appetitu ſenſitiuo, ita actus eliciti temperantiæ à voluntate, generant habitum temperantiæ in voluntate, cum actus voluntatis, qui eſt formaliter electio ſit perfectior actu appetitus ſenſitiui, & voluntas ſit capax talis habitus, & cū non ſit ſtatus in eius cremento ad crementum actus in voluntate generatur virtus temperantiæ, & fortitudinis, & eo maximè cum electiones, quæ ſunt actus eliciti voluntatis ſint actiones immanentes, ergo in eadem potentia generant habitum, in quo recipiuntur ſubiectiue, nec intelligibile videtur, quod ex electionibus circa materiā temperantiæ, aut fortitudinis generentur habitus in appetitu ſenſitiuo, & non in voluntate.

Et ex his patet quomodo ſolutiones Caiet. quibus art. 6. conatur ſoluere rationes Scoti inualidæ ſint; Nam ad primam, qua Doct. ſub. probat ducendo rationes pro ſententia D. Thomæ ad oppoſitum, quod nec etiam iuſtitia eſſet in voluntate ſtatuenda. Dicit Caiet. quod rationes militantes de moralibus virtutibus circa paſſiones non militant de iuſtitia; quia bonum illarum eſt proprium volentis, iuſtitiæ verò ad alterum, ſed ad rationes, quæ fundamentum hoc D. Thomę euertunt nihil dicit Caiet. Præterquam, quod eſto, quod voluntas noſtra eſſet ex ſe ſummæ prompta ad tale bonum ad ſe, & ſibi proprium, vt vult D. Thomas, tamen propter coniunctionem cum appetitu, qui vt diximus ſupra repugnat bonorū harum virtutum, ſcilicet temperantiæ, & fortitudinis non poteſt ipſa voluntas non pati aliquam difficultatem ad tale bonum, atque ita indiget habitu eam facilitante.

Refelluntur reſponſiones Caiet.

Ad ſecundam rationem qua Doct. probat in voluntate eſſe virtutes morales; quia voluntas eſt indeterminata non ſolum ad oppoſita obiecta, ſed ad oppoſitos modos agendi. Dicit, quòd quia bonum rationis in paſſionibus eſt medium ſecundum rationem, & non ſecundum rem, vt patet 3. Ethic. & medium rationis non attenditur ſecundum quantitatem intenſiuam ſolam, ſed ſecundum omnes circunſtantias, ſcilicet, quando oportet, quomodo, vbi, &c. & in hoc manifeſte includitur recte eligere, & ideo voluntas determinata ex propria ratione ad bonum ſecundum rationem in paſſionibus eſt eo ipſo eodem modo determinata ad recte eligere, eiuſdem enim rationis eſt inclinatio ad vtrunque, & defectus in altero alteri defectum inducit. Sed quid ad rationem, quæ oppoſitum probat, nempe voluntatem ſuapte natura non eſſe inclinatam ad bonum temperantiæ, aut fortitudinis, ſicut non eſt determinata ad bonum iuſtitiæ, qua propter reſponſio Caiet. eſt fuga, & non ſolutio.

Ad tertium qua Doct. probat voluntatem ex frequentibus rectis electionibus generare in ſe ipſam virtutem; ſicut intellectus, qui eſt magis determinatus ad vnum, ex frequentibus actibus generat in ſe habitum. Dicit Caiet. quod eſt manifeſte Sophiſma. Conceſſo enim ſicut verū eſt, quod in voluntate ex frequentibus rectis electionibus fit habitus virtutis, non ſequitur; ergo ex frequentibus electionibus rectis circa talem materiam, ſcilicet paſſiones proprias, fit in voluntate habitus virtutis, vt patet, & ratio Phyſica eſt; quia voluntas non eſt determinabilis ex ſe, ſed determinata ad tale bonum, quod frequenter eligit, habitus autem talis virtutis, non eſt natus fieri niſi in

ſubiecto

Digitized by Google

ſubiecto apto nato, ſcilicet determinato, ſed quare ex frequentibus rectis electionibus circa materiam temperantiæ, & fortitudinis non fit in voluntate habitus virtutis temperantiæ, & fortitudinis? Quia inquit Caiet. voluntas eſt determinata de ſe ad tale bonum, ſed hoc ſupra improbatum eſt à Doct. ſub. Et Caiet. improbationes non ſoluit.

Medina. Medina duas adhibet reſponſiones, prior eſt, quod hic actus eſt elicitus temperantiæ, ſed non eſt neceſſe, quod habitus ſit in eadem potentia; in qua eſt actus elicitus; Nam elicitur iſte actus voluntatis, volo credere à fide, quæ eſt in intellectu. Rurſus iudicare ex æquo, & iuſto cũ ſit actus ĩtellectus eſt actus elicitus à virtute iuſtitiæ, quæ eſt in voluntate; atq; oratio, quæ eſt in intellectu elicitur à virtute Religionis, quæ eſt in voluntate. Nam ille actus, inquit, dicitur elicitus ab aliqua virtute, qui intrinſece pertinet ad illam virtutem, & ad eius obiectum, & regulam; Ille autem dicitur imperatus, qui extrinſece ordinatur ad finem, & obiectum alterius virtutis. Sed bone Deus, quis vnquam hanc docuit Phyloſophiam, quod habitus generentur ex actibus vnius potentiæ in aliam potentiam, ita quod electiones voluntatis generent habitum in appetitu ſentientem; eruat ergo actus voluntatis actiones tranſeuntes; Quis etiam vnquam audiuit, quod actus iſte, volo credere, ſit actus elicitus à fide; Credo, vtique eſt actus, qui ab intellectu vna cum habitu fidei elicitur; at volo credere eſt actus voluntatis, vel elicitus, vel imperatiuus ſi voluntas intellectui imperet, vt credat. Item quis vnquam concedet, quod iudicare ex æquo, & iuſto, ſi eſt actus intellectus ſicuti eſt, ſit elicitus à virtute Iuſtitiæ, quæ eſt in voluntate? niſi ignoret, quid ſit elicere; eſt enim producere, efficere, cauſare actum, ſi volumus verbis iuxta propriam ſignificationem vti.

Altera ſolutio eſt, quod iſte actus non elicitur à virtute temperantiæ, ſed ab ipſa voluntate, quæ ſua natura ſat eſt inclinata ad bonum temperantiæ. Sed hæc reſponſio nulla eſt, Nam, & ſi actus ex quo generatur habitus temperantiæ, non ſit actus temperantiæ, id eſt, elicitus ab habitu temperantiæ; quia alias habitus temperantiæ eſſet antequam eſſet, poteſt tamen appellari actus temperantiæ, quatenus verſatur circa materiam temperantiæ, & ex eo habitus temperantiæ generatur, nec voluntas eſt de ſe determinata ad bonum temperantiæ, ita, quod neceſſario velit illud, atque adeo cum poſſit illud velle, & non velle, & cum non nullam, ſaltem ex coniunctione cum appetitu ſenſitiuo, patiatur circa materiam temperantiæ difficultatem, indiget habitu, qui eam faciliter, vt prompte, & delectabiliter operetur, vt explicatum eſt ſupra.

Ad quartam rationem de vitioſo nuper conuerſo, qui nec prompte, nec facile, nec delectabiliter ſe habet ſine virtutis habitu. Reſponder Caie. quod nuper conuerſus, quantum eſt ex parte voluntatis ſecundum ſe prompte, faciliter, & delectabiliter eligeret bonum in paſſionibus; ſimpliciter autem ipſe volens difficile eligit propter habitus priores derelictos.

In hac reſponſione ſicut in alijs concedit Caiet. hominem ipſum difficultatem habere circa bonum ſenſibile honeſtum propter appetitum ſenſitiuum, qui in contrarium inclinatur, vel etiam propter habitus priores derelictos, atque adeo voluntatem quoque habere eam difficultatem ſi conſideretur quatenus eſt coniuncta cum appetitu ſenſitiuo, & quatenus eſt appetitus totius hominis. Sed hoc ipſum ſatis eſt, vt intelligamus voluntatem virtutibus indigere circa huiuſmodi obiecta. Nihil enim intereſt vnde diſſificultas naſcatur; ſatis namque eſt, quod omnibus conſideratis difficultatem habeat potentia quæpiam ad aliquas actiones, vt cenſeamus ipſam indigere habitu.

ARTICVLVS III.

Vtrum virtutes morales ſint in voluntate quatenus eſt libera, vel quatenus eſt deliberatiua.

Henric. de Gand. HÆc difficultas mouetur propter Henr. de Gand. qui quolib. 4. quæſt. 22. dicit omnes virtutes morales eſſentialiter, & principaliter eſſe in voluntate; Cæterum voluntas poteſt tripliciter conſiderari, & accipi, videlicet, vt natura, vt deliberatiua, vt arbitrio libera, vt natura inclinatur naturaliter in bonum ſimpliciter, quia bonum; propter quod dicit D. Auguſt. 7. ſuper Gen. cap. 25. *D. Aug.* Naturale eſt nobis velle bene viuere; Male autem viuere iam non eſt naturæ, ſed peruerſæ voluntatis; *Damaſ.* Vnde Damaſcenus loquens de voluntate, vt natura dicit de eodem, quod eſt præter voluntatem, & etiam cõtra voluntatem. Vt autem eſt deliberatiua bono præſentato in cognitiua ſub ratione veri retinet naturalem motum differens proſecutionem illius boni, & impellendo cognitiuam, ad perſcrutandum de circunſtantijs an proſequendum ſit, vel non, quod ex parte voluntatis appellatur deliberatio, ex parte verò rationis dicitur conſiliatio; & quia in tali deliberatione voluntas indeterminata eſt ad vtrũlibet ſe habens, ita etiam, quod data ſententia rationis, adhuc poteſt ſe tenere in ſua indeterminatione, & præferre in electione ſua contrarium eius, quod eligendum ſententiauit ratio, ideo, vt velit aſſentire completa delibetatione ei, quod iudicatum eſt recta ratione, multum indiget habitu ipſam inclinante, vt velit illud. Nec ſufficit adhoc illa inclinatio, qua inclinatur, vt natura, imo requiritur virtus cooperans per modum naturæ ſecundum definitionem Tullij. *Tullius.* Virtus eſt habitus voluntarius in modum naturæ rationi conſentaneus, vt in hoc differenter mouere, & inclinare dicamus voluntatem habitum naturalem, & moralem, ſiue deliberatiuum: quia naturalis inclinat ad bonum ſimpliciter, & ad bonum concluſum à ratione in quantum in eo relucet bonum ſimpliciter.

Virtus autem inclinat, & mouet ad bonum in quantũ hoc bonum circa tale obiectum; & alia, & alia virtus moralis circa aliud, & aliud obiectũ, & mouet in modũ naturæ, q̃a ſicut natura ſubito mouet præueniẽdo deliberationem, & ſubreptitiè, ita mouet, & virtus iam generata. Vnde quod quis ſic repẽtine, ſiue ſubreptitie mouetur, ſignum eſt maximum in eo generati habitus iuxta illud Philoſ. de fortitudine in 4. Ethic. *Ariſt.* Principaliter dicetur fortis, qui circa bonam mortem impauidus, & quæcunque mortem inferunt repentina, exiſtentia. Vbi Commentator dicit. *Auerr.* In repetine enim accidentibus ſufferentia eius, qui circa fortitudinem habitus ſignum: quia & non fortis aſſuetus aliquando, & præparatus ad periculum ſuſtinebit vtique ipſum.

Voluntas autem, vt eſt arbitrio libera, poſt plenam deliberationem, non obſtante habitu naturali inclinante voluntatem, vt natura eſt, neque habitu morali inclinante voluntatem, vt deliberatiua eſt ad hue tenet motum vtriuſque, & differt libere ſui ipſius deliberationem, ſeu determinationem, quo aliquid velit, & ſi velit libere eligit contra rationis determinationem, & contra vtranque inclinationem, nec eſt aliquo habitu determinabilis voluntas inquantum eſt arbitrio libera; quia hoc eſt contra naturam libertatis; Si enim à ſua libertate poſſet in modum naturæ inclinari circa aliud, quam circa primum bonum nudum, & apertum, poſſet contra ſuam libertatem naturalem neceſſitari.

Hoc ergo modo loquendo de voluntate, ſcilicet in quantum eſt naturalis, aut arbitrio libera, non indiget ordinante, dirigente, vel inclinante in finem, quia ſe ipſa naturæ neceſſitate, & propria poteſtate ordinatur in ipſum, in quantum tamen deliberatiua bene indiget habitu; vt dictum eſt: nec ſufficit ſibi ſine habitu, vt ipſa in quantum libera expedite, & faciliter actus ſui complementum operetur, licet abſolute poſſet habi-

tu ſolo iudicio rationis ante generationem habitus virtutis moralis illud complementum actione ſua in ſe acquirere. Non tamen ſic, quod propoſito iudicio rationis ſtatim inclinetur, & moueatur in illud, quemadmodum auditus mouetur à ſono percepto. Voluntas enim ſemper habet liberam electionem contra ſententiam rationis, vt dictum eſt. Hactenus Henricus.

Hanc Henric. ſententiam tangit Doct. in hac quæſt. in reſponſione ad vltimum principale ſub littera N. §. Tenendo igitur viam illam &c. Dicit ergo Doct. (epilogando ſententiam Henric.) quod tenendo illam viam, ſcilicet, quod nulla ponitur virtus in appetitu ſenſitiuo, ſed ſolum in voluntate, prout tenet etiam ipſemet Henricus, diſtinguitur de voluntate, vt natura, vt libera, & vt deliberatiua, primo modo, ſcilicet conſiderando voluntatem, vt natura, negatur ab ea virtus, nam vt ſic conſiderata, cum naturaliter feratur, & determinetur in bonum, vel ad bonum non indiget aliquo habitu, aut virtute inclinante eam in bonum; quia vt ſic tendit in finem, vel in bonum quodcunque oſtenſum, vt in ipſo relucet finis, & propter talem determinationem non requiritur in ea virtus.

Nec etiam requiritur in ea virtus, vt libera eſt: quia virtus inclinat per modum naturæ, & ipſa, vt libera non eſt nata moueri naturaliter; ſi enim poſſet inclinari naturaliter, poſſet neceſſitari, vt libera, quod eſt contra rationem libertatis; atque adeo, vt ſic etiam habita deliberatione plena de eligibili; non obſtante cum hoc etiam inclinatione habitus, vel virtutis, quæ ponitur in ipſa, vt deliberatiua; nec etiam naturali inclinatione, quam habet ad bonum ſimpliciter, adhuc poteſt tenere motum vtriuſque, & non eligere id, quod iudicatum eſt à ratione, & ad quod habitus virtutis etiam determinat, quantum eſt ex ſe, vel inclinat, atque ita in ea non ponitur virtus, nec aliquis habitus: quia hoc ſuæ libertati repugnat. Cum enim virtus, & habitus inclinet, & determinet per modum naturæ, & voluntas, vt arbitrio libera non poſſit agere per modum naturæ, neque neceſſitari, circa aliud bonum quam circa bonum diuinum clare viſum (ſecundum Henr.) videtur, quod in ipſa, vt ſic, nullus habitus ſit ponendus neque aliqua virtus.

Tertio modo igitur, ſcilicet, vt deliberatiua non eſt reſpectu finis, ſed reſpectu eorum, quæ ſunt ad finem, & reſpectu huius erit in ea habitus moralis; nam voluntas, vt ſic conſiderata, ſe habet ad obiectum ſuum, vt ad bonum apprehenſum, ſic, quod poteſt imperare intellectui, de conſiliando ſuper obiecto volibili, ſeu eligibili, & circunſtantijs eius, vt nimirum videat, & diſcutiat, vtrum tale bonum ſit eligendum, vel non; & quomodo, atque ita de alijs circunſtantijs; & facta diſcuſſione, & data ſententia circa tale obiectum, adhuc poteſt voluntas ex libertate ſua ſe ipſam ſiſtere, vel proſequi tale obiectum, id eſt, ferri in tale obiectum ſic apprehenſum, vel non ferri. Vnde vt ſic dicitur deliberatiua; ſicut etiam intellectus dicitur conſiliatiuus, vel ratio practica dicitur conſiliatiua; & ſic indiget habitu determinante, & inclinante in bonum ad bene eligendum; quia vt ſic indeterminata eſt, & quaſi indifferens ad quālibet partem, & hoc modo ponendæ ſunt in ea virtutes morales omnes eſſentialiter, & formaliter, quia vt ſic conſiderata non fertur in bonum naturale neceſſitate, ſicut ipſamet, vt natura.

Contra hanc ſententiam Henrici arguit Doct. loco ſupra citato, & primo improbat eius primum dictum, & per conſequens oſtendit diſtinctionem illam de voluntate, vt natura, & libera, vanam eſſe. Tum quia voluntas, vt natura nullum actum elicit, vt dictum eſt in prima parte huius tertij diſt. 15. igitur, vt natura non tendit in aliquod obiectum neque in finem, nec in aliud per actum elicitum, ſed tantum tendit per inclinationem naturalem ſicut graue dicitur tendere deorſum, etiam ſi quieſcat ſurſum; quia ſurſum exiſtens habet naturalem inclinationem, vt tendat deorſum. Tum quia natura voluntatis non eſt niſi libertas, & in omne illud, quod fertur libere fertur.

Secundo arguit alia duo dicta, & oſtendit, quod alia duo membra coincidunt, quia vnum videtur includere aliud; nā vt eſt deliberatiua, eſt libera; probatur, quia aut dicitur deliberatiua, quatenus præcipit deliberationem, aut quatenus præuia deliberatione eligit; atqui vtrunque conuenit ſibi in quantum libera; quia libere imperat illam deliberationē, & libere eligit, igitur negādo in ea eſſe virtutem, vt libera; & concedendo in ea virtutem, vt deliberatiua eſt contradictio; Præterea ſecundum Henr. pro tanto ponendus eſt habitus in voluntate, vt deliberatiua; quia voluntas deliberatiua non eſt naturaliter determinata ad bonum, ſicut voluntas, vt natura, ſed indifferens eſt; ergo cum hoc non minus conueniat voluntati, vt libera eſt, oportet in ea, vt ſic ponere virtutem.

Præterea probatur, quod etiam in voluntate, vt natura ponendus ſit habitus, & quod ratio Henr. oppoſitum non probet. Nam ſecundum ipſum ex eo virtus, vel habitus non ponitur in voluntate, vt natura, quia eſt determinata naturaliter ad bonum ſimpliciter; ſed intellectus ita eſt determinatus ad verum, ſicut voluntas ad bonum, & tamen communiter in ipſo ponitur habitus etiam reſpectu primorum principiorum, vel ſaltem concluſionum euidenter deductarum, & reſpectu ſummi veri Dei ponitur lumen gloriæ in patria, & charitas ipſa in voluntate reſpectu primi boni, reſpectu cuius ſe habet voluntas, vt natura ſecundum Henricum, ergo vel ratio ſua non concludit, aut à voluntate, vt natura nequaquam negandus eſt habitus. Similiter appetitus ſenſitiuus etiam determinatus eſt naturaliter ad bonum, vt nunc apprehenſum per ſenſum, & tamen in ipſo ponitur habitus ad hoc, quod recte ſe habeat ad ipſum, vt etiam ipſemet docet Henr. atque ita, vt prius.

Nec illa probatio, quod non poſſit eſſe virtus in voluntate, vt libera, quia tunc poſſet neceſſitari, concludit, quia agens ſuperius in cuius poteſtate eſt actio inferioris agentis, non poteſt neceſſitari ab inferiori agente; Virtus autem ſi aliquo modo eſt agens ad actum eſt inferius agēs, vt dictum eſt diſt. 17. I. Vbi etiam dictum eſt, quod habitui non repugnat, quod libere agat, & quomodoq; quamuis habitus agat per modum naturæ; & ratio eſt, quia principalior cauſa eſt voluntas, non habitus; Nec oportet, quod talis habitus neceſſitet voluntatem, ſicut etiam non neceſſitat voluntatem, vt deliberatiua; ſicut nec etiā charitas eam neceſſitat. Voluntas enim ſemper manet libera, nec diminuitur aliquid de ſua libertate per quemcunque habitum informantem, vel ſuperuenientem, poſito, quod quilibet inclinet per modum naturæ, quia nullus habitus liber eſt, ſed ſola voluntas.

Et ſubdit Doctor, quod poſſet conſimiliter probari, quod non ſit virtus in ea, vt eſt deliberatiua; ſi illud ſit verum, quod virtus ſit repentine præueniens deliberationem; Nam voluntas, vt repentina, non videtur deliberatiue agere, ſed præuenire deliberationem; Tamen non oportet huic dicto Philoſ. 5. inniti; quia oportet, quod illud verbum exponatur. Abſolute n. nullus vitioſe, vel ſtudioſe agit, niſi agat ex deliberatione; ſicut n. homo non humane agit niſi agat intelligēdo; ita circa illud, quod eſt ad finē non humane bene agit niſi intelligendo illud propter quod agit, & iſtud intelligere eſt deliberare; Vnde ſtudioſus non ſic agit repentine, & ſine deliberatione ſicut agit natura ex 2. Phy. t. c. 86. Debet igitur ſic intelligi dictum Phil. quod ſtudioſus, obiecto oſtenſo inclinatur ad recte agendum ex recto habitu, ita etiam per prudentiam ordinatus eſt ad ſtatim recte dictandum circa illud eligibile, & quaſi imperceptibiliter deliberat propter promptitudinem eius in ſyllogizzando practice; Alius autem imperfectus, cum difficultate, & mora ſyllogizzat practice, & ſi tande recte eligat non dicitur repentine agere, ſed moroſe, & alius perfectus, quaſi repentine agere reſpectu illius; quia agit quaſi in tempore imperceptibili.

Ex his ergo, quæ in his tribus articulis dicta ſunt patet virtutes morales omnes eſſentialiter, & principaliter collocandas eſſe in appetitu intellectiuo, qui eſt voluntas. Tum quia voluntas eſt rectificabilis reſpectu propriæ operationis, & non eſt de ſe recta; Tum quia eſt indeterminata, & determinabilis, non minus, quam intellectus, à quo non negatur habitus; Tum quia eius eſt principalitas in operādo operationes humanas, quia libera eſt; & ope-

Digitized by Google

& operationes humanæ requirunt in principali agente virtutem ratione cuius habetur finis; Tum quia proprie nata eſt delectari in ſua operatione, atque ita habere habitum, quo delectabiliter operetur. Tum quia voluntas magis poteſt per habitum moderare paſſiones debito modo, quam appetitus ſenſitiuus, ſi eos haberet. Nam etiam in voluntate ſunt paſſiones ſecundum D. Auguſt. 14. de Ciuit. cap. 5. & 6. atque adeo ſi propter moderationem paſſionum ponenda eſt virtus in ſupremo illius potentiæ in qua eſt paſſio, (& dico in ſupremo illius potentiæ, ſcilicet ſenſitiuæ: quia cum quæritur, an virtutes ſint ponendæ in voluntate, aut in appetitu ſenſitiuo, non intelligitur de hoc appetitu ſenſitiuo correſpondente potentiæ cognitiuæ viſiuæ, vel auditiuæ, & huiuſmodi; ſed intelligitur de appetitu ſenſitiuo correſpondente potentiæ cognitiuæ ſenſitiuæ, quæ eſt ipſa imaginatiua, vel cogitatiua) ſequitur, quod cum in ſuprema parte animæ, hoc eſt in voluntate, ſint aliquæ paſſiones, quod ibi ſtatuenda eſt virtus.

D. Aug.

Paſſiones duob. modis moderari poſſunt.

Præterquam quod moderatio paſſionis poteſt dupliciter fieri, videlicet, aut paſſionis exiſtentis, aut futuræ. Paſſionem inexiſtentem duobus modis moderari contingit, priori modo minuendo paſſionem, quæ nata eſt fieri ab obiecto ſecūdum ſe, ne ſit immoderata, ſicut obiectum natum eſſet delectare potentiam ſenſitiuam ſibi derelictam; poſteriori modo paſſionem illam referendo in finem rationi rectæ conſentaneum; ad quem ex ratione abſoluta obiecti appetitus ſentientis minime refertur. Vnde obſeruetis, quod non poteſt paſſio minui per habitum, vel ab aliqua potentia naturali; ſed à libertate voluntatis ſegregantis, ſeu diuidentis coniunctionem prolis cum parente, ad ſit; impedientis coniunctionem potentiæ cum obiecto, poteſt autem ex ea parte minui, qua cauſatur à potentia. Nam poſſum ego commedere, cum tanta affectione, auiditate, & conatu; cæterum ex ea parte qua ab obiecto cauſatur minui non poteſt, quia actio obiecti non eſt in facultate potentiæ.

Paſſionem etiam futuram moderari, poteſt bifariam intelligi, priori modo fugiendo obiectum, quod natum eſt immoderate delectare potentiam; poſteriori autem modo ſolum illa obiecta admittendo, quæ moderate nata ſunt delectari, & tunc paſſio futura non moderatur in ſe, ſed ne immoderata inſit præcauetur. Verum quocunque iſtorum modorum intelligatur moderatio paſſionis, magis poteſt voluntati competere, quam appetitui ſenſitiuo, ſi paſſio ineſt, vel inerit tali appetitui ſenſitiuo.

Nam de paſſione inexiſtente, ſi poſſibile eſt minui, magis poteſt eam minuere voluntas, quæ libere agit, quam appetitus ſenſitiuus, qui patitur ab obiecto, vel qui coagit ſibi quantum poteſt; magis etiam poteſt voluntas referre ad finem conſonum rectæ rationi, quam appetitus ſentiens: quia voluntas eſt propriè appetitus rationalis, atque ita propriè collatiua in finem, quem ratio oſtendit; Vti enim quod eſt referre aliquid ad finem debitum, non eſt actus appetitus ſenſitiui, ſed voluntatis; propriè enim non conceditur conferre appetitui ſenſitiuo conuenire, vel cuicunque ſenſui, ſicut volūtati, & intellectui; ex hac littera habetur à Doct. quod vis ſenſitiua non eſt propriè collatiua. Sed vide ea, quæ diximus circa hoc in formalitatibus articu. ſecundo de identitate, & diſtin. rationis.

Senſus nō eſt uis collatiua.

Si autem intelligatur de paſſione, quæ immoderata debet præcaueri, & moderata aſſumi, ſatis videtur planum hoc eſſe officium voluntatis, quia circa futurum, magis videtur voluntatem poſſe habere actum rectum, quam poſſit appetitus ſenſitiuus; quia cognitiua voluntatis, quæ eſt ratio, id eſt, intellectus magis poteſt conſiliari de futuris, quam ſenſus.

Ex his contra Thomiſtas arguitur. Si ſecundum eos in ſtatu innocentiæ non eſſet aliqua paſſio repugnans rationi rectæ, non eſſet neceſſarium ponere virtutem in illo appetitu, & tamen virtutes tunc fuiſſent, quia tunc fuiſſet homo perfectus ſecundum eas, ſicut patet per Magiſtrum in littera; & ex D. Auguſt. in epiſt. 35. vel 36. & in ſoliloq. virtus perfecta eſt ratio in anima perueniens ad finem, & 1. de Ciuit. cap. 15. Item Magiſter aſſignat in littera actus virtutum in quos poſſunt, & qui poſſunt remanere in patria, & in illi non ſunt appetitus ſenſitiui, ergo in voluntate ſtatuendæ ſunt virtutes morales.

Magiſter ſent.

D. Aug.

Et ſi dicas voluntas ſufficienter perficitur per virtutem Theologicam; ergo non debet perfici per virtutem moralem. Reſpondet Doct. in hac quæſt. ſub littera N. Quod voluntas ſufficienter perficitur per virtutem Theologicam reſpectu boni diuini, id eſt, reſpectu Dei in ſe, & reſpectu nullius alterius niſi in ordine ad diligere Deum, id eſt, reſpectu eorum, quæ immediate ordinantur ad Deum, ita quod nullus actus elicitur ex charitate, niſi cuius obiectum, ad quod finaliter ſiſtitur eſt Deus, licet per alia obiecta media: quia vt dictū eſt ſupra charitas actu recto immediate tendit in Deum, & actu reflexo mediate, adeoquod omnis actus charitatis finaliter in Deum ſiſtitur, & in Deū terminatur; at proinde reſpectu Dei in ſe, & reſpectu eorum, quę immediate ordinantur in Deū ſufficienter voluntas perficitur charitate. Sed non ſolum poſſum ordinate velle Deum, vel hoc bonum in ordine ad Deum; ſed etiam bonum hoc in quantum habet talem bonitatem conuenientem mihi ſecundum propriam rationem, atque ita recte velle hoc bonū eſt ex alio habitu.

Et ſi dicas. Si virtus moralis non perficit voluntatem in ordine ad vltimum finem, ergo non eſt ordinata, neq; recta, neque iuſta; conſequentia probatur: quia actus virtutis ordinatus debet referri ad vltimum finem; ſed actus virtutis moralis non refertur ad vltimum finem, vt tu dicis; ergo actus virtutis moralis erit frui aliqua creatura, atque adeo non erit rectus, quia fruitur vtendis conſequentia patet, quia frui eſt diligere, ſeu velle aliquid irreferibiliter.

Reſpondet Doctor, & inquit, quod habitus inferior non habet de ſe actum habitus ſuperioris; Charitas autē, quæ eſt habitus ſuperior habet referre hunc actum immediate in Deum, & ideo nullius alius habitus habet propriè ex ſe ſic referre, ſed tātum habet ex ſe ſuum actū proprium diligendi hoc bonum, quod bonum debet vlterius referri per charitatem. Ita quod habitus fortitudinis cuius actus eſt ſuſtinere terribilia, non habet huiuſmodi actum referre in Deum, ſed ſolum habet in hunc actū inclinare, & eum, vt bonum virtutis abſolute diligere. Charitatis poſtea eſt illum actum in Deum referre.

Neque ex hoc ſequitur inquit Doctor, quod inferior actus, ſcilicet fortitudinis ſit malus, neq; ꝙ per habitus fortitudinis ſit principium fruendi bono creato: quia & ſi nō referat tantum negatiue fruendo, non tamen non refert contrarie, ſcilicet repugnando relationi, & hoc non eſt frui, ſcilicet non referre negatiue: quia frui non tantum includit non referre negatiue, ſed oppoſitum eius, quod eſt non referre contrarie, ſcilicet vti, ſicut dictum eſt diſt. 1. primi.

Pro huius litteræ intelligentia obſer. eſt, quod aliquis dicitur frui aliquo dupliciter, ſcilicet negatiue, & contrarie; ille dicitur frui aliquo bono negatiue, qui actu vult illud bonum, & actu non refert illud ad aliquid aliud, adeoquod in illo actu eſt negatio huius, quod eſt referre ad aliud. Ille vero dicitur frui aliquo bono contrarie; qui habet actum circa bonum aliquod cum aliqua conditione repugnante huic, quod eſt referre, vt auarus fruitur pecunia; quia ne dum non refert amorem eius, ſed habet aliquod contrarium huic, quod eſt referre: quia appreciat illam tanquam ſummum bonum, & hoc modo ſancti, & iuſti fruuntur Deo.

Frui aliquo contingit dupliciter.

Secundò obſeruan. eſt, quod ſi aliquis fruitur aliquo bono negatiue, non oportet, quòd actus ille ſit inordinatus, ſicut ille, qui dat eleemoſinam pauperi, ex ſola virtute liberalitatis nihil de Deo actualiter cogitans, ſed præciſe conſiderat ſubuenire illi egeno ex liberalitate, etiam fortis Politicus cum ſe exponit morti pro ſalute Reipub. nihil de Deo actualiter cogitat, ſed præciſe cogitat Rēp. eo actu fruitur negatiue, & tamen ille actus eſt ordinatus, qa eſt actus virtutis. ſ. fortitudinis, vt patet ex Ariſt. 6. Ethic. c. 5. Ex hoc ſequitur, quod actus, cui eſt frui contrarie; ſi ſit circa Deum eſt actus rectus, & ordinatus; ſi vero ſit circa aliud a Deo eſt inordinatus & malus. Dico ergo ad rationem, quod licet actus virtutis nō referatur in vltimum finem ab ipſo virtutis habitu, tamen non ſequitur, quod ſit malus, quia hoc eſt tantum negatiue, & non contrarie.

Ariſt.

Digitized by Google

ARTICVLVS IV.

Vtrum in appetitu ſenſitiuo hominis ſint aliqua virtutes.

Aureol. DE hac re eſt opinio Domini Aureoli in 3. ſenten. d. 33. quæſt. 1. art. 3. & quol. 12. art. 2. & 3. qui ponit omnes virtutes morales eſſe ſecundum eſſentiam ſimul, & ſemel in vtroque appetitu. ſ. in ellectiuo, & ſentiente. Modus autem ponendi eſt talis, virtus moralis includit, & ligat qualitatem exiſtentem in appetitu ſenſitiuo inclinando ipſum ad exequendum electionem voluntatis: atque ita virtus moralis ſubiectatur partim in voluntate, & partim in appetitu ſenſitiuo. Virtus enim moralis conſtituitur ex pluribus inclinationibus fundantibus vnam conformitatem reſpectu materiæ, quæ inclinationes ſunt in duabus potentijs, vnam, ſcilicet in voluntate, & alteram in appetitu ſenſitiuo.

Probatur: quia in homine non ſunt duæ virtutes morales reſpectu eiuſdem materiæ; ſed ſi inclinatio illa, quæ eſt in voluntate, & illa, quæ eſt in appetitu ſenſitiuo non conſtituerent vnam virtutem moralem indiuiſibilem, ſic, quod iſta ſine illa non eſſet virtus, nec è conuerſo, ſequeretur, quod duæ virtutes morales in homine eſſent reſpectu eiuſdem materiæ: quælibet enim de iſtis inclinationibus eſſet diſtincta virtus moralis per ſe, nam quælibet eſſe habitus in medietate conſiſtens, & inclinans ſecundum determinationem rectæ rationis; ergo neceſſe eſt, quod iſtæ duæ inclinationes concurrant ad rationem vnius modi indiuiſibilis virtutis moralis.

Et ſi dicatur, quod in voluntate hæc inclinatio nulla eſt virtus moralis; quia voluntas non eſt ſubiecta paſſionibus, nec contra tendit, vel contendit rationi, atque adeo non indiget virtute. Contra, quia non magis reſiſtit rationi voluntas reſpectu operabilium in quibus eſt iuſtitia, quam reſpectu paſſionum, reſpectu quarum ſunt aliæ virtutes. Sed ſecundum Philoſ. quinto Ethic. reſpectu operabilium oportet ponere in voluntate virtutem iuſtitiæ. Dicit enim, quod talem habitum volumus dicere iuſtitiam à quo volumus iuſta, & iuſta operamur, & per conſequens in voluntate eſt iuſtitia, qua volumus iuſta, igitur reſpectu omnis alterius materiæ, eſt ſtudioſa inclinatio in voluntate.

Secundo arguit ad principale. In omni eo, quod eſt rationale, non quidem per eſſentiam, ſed per participationem, neceſſe eſt ponere virtutem obedientialem, quæ dicitur moralis, vt patet per Philoſ. primo Ethic. in fine. 1. capit vltimo, vbi dicit Auer. quod virtus prima ſui diuiſione in ſuas partes diuiditur, quarum vna eſt intellectualis, & eſt apprehenſiua, altera verò obedientialis, & eſt virtus moralis, ſed conſtat, quod voluntas non eſt idem per eſſentiam, nec virtus ſecundum veram definitionem ſecundo, & ſeptimo Ethic. Item conſtat, quod omnis virtus, vel eſt corporalis, vel moralis, vel intellectualis: quia de pluribus non fit mentio in illo ſeptimo; cum igitur iſta inclinatio non ſit pure virtus corporalis, nec etiam intellectualis, neceſſe eſt dicere, quod includatur eſſentialiter in virtute morali.

Et ſi dicatur, quòd non eſt inconueniens vtranque inclinationem eſſe virtutem moralem per ſe, & diſtincte; atque ita erunt duæ virtutes morales reſpectu eiuſdem materiæ.

Inquit Aureolus hoc ſtare non poteſt, tum quia Philoſ. non agit de duplici fortitudine, & duplici temperantia; Tum quia carens altera non dicitur abſolute temperatus, propter quod patet, quod vna ſine altera non ſufficit ad virtutem, ſicut nec tectum ſine parietibus ſufficit ad domum, eſt igitur vna virtus ex his duabus inclinationibus indiuiſibiliter conſtituta; ſicut domus indiuiſibiliter conſtituitur, ex pariete, fundamento, & tecto.

Tertio principaliter arguit. Vnum eſt perfectibile per virtutem in ordine ad vnam materiam, quod patet: quia circa rationalem materiam ſunt duo modi ſe habendi hominem, ſecundum quod homo, vnus, vt bene ſe habeat ſecundum rationem, & per eſſentiam in cogitando, & in diſponendo de materia iſta. Alius verò, vt bene ſe habeat in obediendo rectæ rationi circa illam, nunc autem ſi appetitus non habet in ſe obedientialem virtutem, nunquam bene obedit voluntati nec etiam è conuerſo voluntas ei, quia appetitus trahit appetitum, ſicut rota trahit rotam, vt dicitur 3. de anima tom. cap. 57. & ob hoc dicitur Daniel decimoquarto. Concupiſcentia ſubuertit cor tuum, & primo Iacob. primo. Vnus quiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus, ex quo patet, quod bonum rationis, quod conſiſtit in obediendo ſuaſioni rationi, non autem in cogitando; Hoc vtique bonum non eſt perfecte in homine ſecundum alterum appetitum ſine altero, & per conſequens eſt vnum perfectibile hoc ſecundum vtrumque appetitum per virtutem obedientiale; ergo neceſſe eſt, quod ſit virtus vna obedientialis, & per conſequens moralis in homine, ſecundum vtrunque appetitum.

Sed contra haoc ſententiam arguitur, & primo probatur, quod plures inclinationes, ſiue plurium, ſiue vnius potentiæ, non poſſunt conſtituere vnam virtutem. Nam virtus habens ſpecificam vnitatem, cum ponatur in prima ſpecie qualitatis, ſi ex iſtis inclinationibus conſtituatur; vel eſt aliquid abſolutum conſtitutum ex iſtis inclinationibus per modum cuiuſdam tertiæ rei reſultantis ex ipſis, vel eſt præciſe illa multa inter ſe aggregata, vel eſt illa multa habentia præciſe vnitatem ordinis ad inuicem. Sed non poteſt dici, quod ſit aliqua tertia res ex iſtis inclinationibus conſtituta; Tum quia inclinationes iſtæ ponuntur in diuerſis potentijs. Tum quia vna eſſet tunc alterius actus, quod non eſſet, ſed quælibet actus; Tum quia quælibet videtur vnum diſtinctum indiuiduum ab alio in genere habitus, & per conſequens non poſſunt conſtituere vnum habitũ, nec vnam rem ſimplicem, quæ ſit virtus.

Nec poteſt dici ſecundum, quia vnitas acerui non ſufficit ad vnitatem ſpecificam vnius qualitatis ſimiliter, nec vnitas ordinis, cum talis ſit in toto vniuerſo, ergo impoſſibile eſt, quod diuerſæ inclinationes concurrant ad conſtitutionem vnius virtutis.

Præterea arguitur in ſpeciali, quòd impoſſibile ſit, quod duæ inclinationes, quarum vna eſt in voluntate, & altera in appetitu ſenſitiuo, conſtituant vnam ſpecificam virtutem, & primo ſic, ſicut ſe habet potentia ad potentiam, ita habitus ad habitum, ſed voluntas, & appetitus ſenſitiuus non poſſunt conſtituere vnam potentiam, ergo habitus vnius, & alterius, vnum habitum, ſeu vnam virtutem conſtituere nequeunt.

Præterea magis conueniunt voluntas, & intellectus, quam voluntas, & appetitus ſenſitiuus, ſed prudentia, quæ eſt in intellectu reſpectu vnius moralis materiæ, nullo modo eſt eadem virtus cum inclinatione, quæ eſt in voluntate ad eandem materiam, ergo inclinatio, quæ eſt in voluntate, & illa, quæ eſt in appetitu ſenſitiuo non conſtituunt vnam virtutem. Et confirmatur: Tum quia pari ratione diceretur, quod omnes inclinationes in quibaſcunq; potentijs ponantur circa vnã materiã cõſtituent vnam virtutem; atque ita potentia executiua, & in appetitu exteriori, & in appetitu interiori, & in voluntate, & in intellectu eſt vna virtus moralis, quia in omnibus ſunt inclinationes partiales circa vnam materiam. Tum etiam quia omnes inclinationes, quæ ſunt circa diuerſas materias morales, videntur reſpicere hominem ſicut vnum perfectibile, & per conſequens conſtituent vnam virtutem, quod eſt abſurdum.

Præterea eſto, quod inclinationes multæ concurrant ad vnam virtutem, vna ſcilicet in voluntate, & alia in appetitu ſenſitiuo; tamen iſte concurſus non eſt per ſe, ſed per accidens probatur; quia quando aliqua per ſe, & eſſentialiter vniuntur, & exiguntur ad conſtitutionem alicuius, altero dempto non manet; ſed in anima ſeparata manent virtutes, in qua non manent inclinationes appetitus ſenſitiui, ſed præciſe voluntatis, igitur ad eſſentiam virtutis moralis non facit per ſe vtraque inclinatio.

Has

Modi diuerſi vnitatis. *Ariſt.* *Aure.*

Has rationes, vt ſoluat Aureolus, quol. 12. art. quarto. Præmittit, quod inter modos vnitatis poſitos à Philoſ. 5. Meth. t. cap. 11. Vnus eſt vnitas totalitatis; qui quidem modus diſtinguitur ab vnitate continuationis, & ab vnitate ſimplicitatis. Vnde Comentator. ibidem com. 11. dicit, quòd differentia eſt inter vnum ſecundum continuationem, & vnum ſecundum totum, quia vnum ſecundum totum, & perfectum, non dicitur vnum ſecundum continuationem partium, ſed per ſuam formam; quia, nihil diminuitur ab eo; id eſt, quia habet omnia, quæ pertinent ad integrationem, verbi gratia, ſotular dicit vnum per ſuam formam completam, non per continuationem partium. Ex quo patet, quod quando plura concurrunt ad aliquod vnum, dato, quod non ſint habentia vnitatem ſimplicitatis, vel continoitatis habent tamen vnitatem totalitatis, ſic, quod iſta totalitas in indiuiſibili conſiſtit, ita quod non poteſt fieri additio, vel diminutio quin mutetur nomen, & definitio. Hæc autem vnitas, non eſt alicuius aceerui, & ſufficit ad vnitatem quarumdam ſpecierum directe ordinabilium in prædicamento. Oratio nanque, quæ eſt menſura diſcreta ſyllabæ longæ, vel breuis, non habet vnitatem niſi totalitatis, & tamen ponitur ſpecies quantitatis, & idem eſt de numero. Similiter etiam ſyllogiſmus habet vnitatem cuiuſdam totalitatis; quia conſtat ex duabus propoſitionibus, nec pluribus, nec paucioribus. Et ſecundum hoc in propoſito inclinationes iſtæ, quarum vna eſt in voluntate, & altera in appetitu ſenſitiuo, concurrunt ad vnam totalem inclinationem perfectam, & ad vnam totalem congruentiam ad rectam rationem, & ad vnum totale bene eſſe, & quale eſſe ſecundum bene eſſe.

Hoc præmiſſo reſpondet ad primam rationem, & dicit, quod illæ duæ partiales inclinationes concurrunt ad vnitatem ſpecificam, ſic, quod vna ſine altera non habet nomen, nec definitionem illius ſpeciei, quæ dicitur virtus. Et cum additur vel exiſtis ſit aliqua res tertia conſtituta, vel remanet ſolus aceruus, & multitudo; Dicit, quod ſit res tertia, non quidem per modum mixtionis, quemadmodum ex elementis ſit mixtum, ſed per modum totalitatis conſtituenobus remanentibus actu diſtinctis, ſicut dictum eſt de oratione, quæ eſt menſura diſcreta in prolatinne. Et cum additur, quod talis totalitas videtur aceruus. Dicit, quod non: Quia vnitas totalitatis conſiſtit in ratione cuiuſdem indiuiſibilis; quia in hoc non poteſt fieri diminuoo, vel additio ſecundum Com. quinto Met. vbi ſupra. Vnde ſi diminuatur vna pars non habetur totum, aut ſi addatur habetur aliud totum; Ratio autem aceerui non conſiſtit in indiuiſibili; imo aceruus, vt aceruus non importat formaliter vnitatem; ſed multitudinem, & aggregationem.

Et cum additur, quod pari ratione totum vniuerſum poterit poni vna ſpecies in vno determinato prædicamento, cum habeat vnitatem ordinis, & totalitatis. Dicit, quod non eſt verum; ſed ſolum concedendum eſt in his, quæ concurrunt ad inuicem ſecundum debitam propoſitionem in quodam eſſe indiuiſibili, ita quod quocunque eorum deficiente, ipſum non eſt tale, ſicut ad vnam qualitatem, quę vocatur pulchritudo, concurrunt, color, figura, & magnitudo, vnde ea, quæ pertinent ad primam ſpeciem qualitatis, & etiam ad ſecundam non ſunt formæ ſimplices.

Hominis rõnalis duplex eſt pfectio.

Ad ſecundum dicit, quod cum bonum hominis proprium conſiſtat in eſſe rationali ſecundum diuiſionem perfectionis rationalis oportet, quod accipiatur diuiſio boni humani. Eſt autem quædam perfectio rationalis ex hoc, quod diſponit ad actum ratiocinandi per eſſentiam.

Alia verò ex hoc, quòd diſponit ad ratiocinari per conformationem, & obedientiam. Vnde duplex eſt rationalis perfectio, quædam quæ dicitur cognoſcitiua eſſentialiter, quædam verò obediua; & hoc totum patet primo Ethic. capit. nono. Sic impoſſibile eſt, quod concurrant ad vnum bonum humanum, iſtæ duæ perfectiones, quæ ſunt duæ primæ differentiæ, quæ diſtinguunt bonum hominis ſecundum rationem. In homine verò ſunt duo, quæ ſunt apta nata recipere perfectionem obedientialem, voluntas, ſcilicet, & appetitus, & in obediendo ſic aduniantur, quod impoſſibile eſt vnum eſſe in perfecta obedientia rationis, altero exiſtente rebelli, & ideo concurrunt in ratione vnius apti nati obedire, propter quod inclinationes vtriuſque conſtituunt vnum bonum rationis in eſſe obedibili.

Ad rationem ergo dicit, quod non eſt ſimile de perfectionibus, & potentijs, niſi tamen in eſſe perfectibili. Quamuis autem voluntas, & appetitus non ſint vna potentia ſecundum naturam in ratione tamen perfecti obedibilis rationi, ſunt vnum perfectibile, vt dictum eſt, & ideo inclinationes vtriuſque conſtituent vnam obedientialem perfectionem.

Et ad id, quod additur de prudentia &c. Dicit, quod prudentia in intellectu eſt bonum rationis, quaſi quædam perfectio rationalis per eſſentiam, virtus verò moralis eſt tantummodo rationalis per obedientiam, propter quod Auerroes ſemper vocat virtutes morales virtutes obedientiales. Et ita patet, quod ſecundum perfectiones diuerſi generis, & bonum rationis diuerſimode propter quod non concurrunt ad vnum indiſibile quale ſecundum bonum humanum; ſed inclinationes quarum vna eſt in voluntate, alia in appetitu ſenſitiuo concurrunt ad vnum perfectibile obedientiale. Vnde ſicut non cõcurrit ad ſanitatem cõſtitutiue medicina, quæ dirigit ad ſanitatem, nec ad pulchritudinem ſpeculum, licet per ipſum dirigatur ad faciem ordinandam, ſic nec prudentia concurrit ad virtutem, quamuis ſit præceptiua, & directiua reſpectu eius. Auerroes.

Ad primam confirmaoonem dicit, quod motiua potentia non eſt obediens immediate rationi, ſed mediante voluntate, & appetitu, quæ mouent, & determinant potentiam executiuam ad agere, & ideo non eſt capax virtutis obedientialis, reſpectu rationis. Ratio namque mouet per modum finis, & cuius gratia, vt dicitur ſexto Ethic. cap. 3. & ideo non mouet niſi per modum obiecti. Mouet igitur voluntatem, & appetitum obiectiue, & idcirco in eis ponitur virtus obedientialis reſpectu rationis, non autem in potentia executiua, quæ non mouetur obiectiue, nec etiam in appetitu exteriori.

Ad ſecundam Confirmationem dicit, quod licet omnes virtutes morales ſint connexe ratione vnius prudentiæ; non tamen connectuntur in vnico actu ſimplici ſtudioſo, ſicut connectuntur voluntas, & appetitus reſpectu vnius determinatæ materiæ; & idcirco hæc duæ inclinationes concurrunt ad vnam per ſe rationem virtutis indiuiſibilis; non autem inclinationes omnium, quæ ſunt reſpectu omnium materierum moralium.

Et ſi dicatur, quod vnus actus vnius virtutis non elicitur firmiter, vt puta iuſtitiæ, niſi conſiſtat alia virtus, ſcilicet caſtitas: quia non caſtus ratione pulchritudinis poſſet à iuſtitia deuiare. Reſpondet, quod iuuat vtique remouendo prohibens, non autem elicitiue per ſe.

Et ex hoc patet ad confirmationem, qua dicebatur, quod homo eſt vnum perfectibile per omnes actus omnium moralium virtutum; Non eſt enim in hoc per ſe vnitas, ſed magis connexio per modum remouentis omne prohibens.

Ad tertium dicit, quod perfectio debet proportionari perfectibili. Sicut igitur anima ſeparata non eſt homo perfecte, ſed pars hominis; ſic inclinatio remanens in anima ſeparata in voluntate, non eſt perfecte virtus moralis humana, ſed pars ipſius; & per hoc patet, quod inclinationes, quæ conſtituunt virtutem moralem humanam in quantum humana eſt, non vniuntur per accidens, imo per ſe, & ideo inſtantia non procedit.

Ex his tandem concludit Aureolus, quod virtus moralis ſecundum aliquid ſui per eſſenuam eſſe in voluntate & ſecundum aliquid ſui per eſſentiam eſt in appetitu ſenſiouo, quia vna virtus obedientialis conſtituitur in eſſe indiuiſibili virtutis ex inclinationibus exiſtentibus hic, & ibi; ſicut vna pulchritudo faciei conſtituitur ex debita figura naſi, labiorum, oculorum, & varietate colorum.

Cæterum iſtæ ſolutiones nõ tollunt rationes, quia iſtæ diuerſæ inclinationes in diuerſis potentijs exiſtentes ſunt præciſe vnum vnitate per accidens: nam quæ ſubiecto diſtinguuntur; non faciunt vnum per ſe; Virtus autem eſt vnum vnitate per ſe, probatur, quia genus qualitatis eſt vnum per ſe, igitur quælibet eius ſpecies atq; adeo licet diuerſæ inclinationes poſſet facere vnum totũ per accidens, ſicut multæ ſyllabæ inter ſe ordinatæ dictionem, quæ eſt ens per accidens, & multæ pulchritudinis. ſ. oculorũ, naſi, & faciei, faciunt vnam pulchritudinem, quæ eſt vnũ per accidens reſultans ex diuerſis pulchritudinibus ſecundũ ſpeciem, tamen virtutem, quæ eſt ens per ſe non poſſunt conſtituere. Vnitas enim totalitatis eſt vnitas per accidẽs; quando partes ſubiecto, vel ſpecie diſtinguuntur, vt patet de ſotulari, & oratione de quibus exemplificat, & maxime loquendo de oratione pro materiali.

Præterea quæro an virtus moralis, quæ per Aureolũ conſtituitur ex illis inclinationibus, ſit præciſe illæ inclinationes, vel quid ab illis diſtinctum; ſi primum; ergo virtus non erit niſi vnum per aggregationem, ſicut aceruus. Si eſt, quid diſtinctum, vel ergo eſt in voluntate, vt in ſubiecto, vel in appetitu ſenſitiuo; in vtriſque enim ſimul eſſe non poteſt: quia vnum, & idem accidens numero non poteſt eſſe ſimul in diuerſis ſubiectis, ergo erit, vel in apppetitu ſentiente, vel in voluntate, atque ita ruit opinio Aureoli.

Dicendum eſt ergo, quod in appetitu ſenſitiuo ſunt ali-
Concluſio Scoti. qui habitus generati ex actibus appetitus ſenſitiui imperatis à voluntate recta, qui actus dicuntur recti, vt ſi ſint actus moderationis paſſionum, vel proſecutionis, aut fugæ alicuius obiecti; Ex iſtis in quam actibus ſic imperatis à voluntate recta, poteſt generari in appetitu ſenſitiuo aliquis habitus inclinans appetitum ſenſitiuum, vt delectabiliter moueatur ad imperium voluntatis circa ſenſibilia, talis tamen habitus non eſt propriè virtus. Hæc Concluſio eſt Sco. in hac quæſt. ſub littera H. §. Poteſt tamen concedi &c. prima pars patet, quia quæcunque pars corporis frequenter mota ex imperio voluntatis acquirit habilitatem ad conſimiles actus, vt patet in manu ſcriptoris, & Citharedi. Item cum homo aſſuetudine cohibet appetitum, & non ſinit ipſum moueri in delectabilia tactus, & guſtus niſi in mediocritate, circa talem mediocritatem delectabilis, quotidie appetitus fit promptior attingens præciſe tale obiectum ſub ratione delectabilis; licet forte ſit alia ratio circa materiam fortitudinis.

Secunda pars probatur: quia virtus eſt habitus electiuus, ſed ille habitus generatus in appetitu ſentiente non eſt electiuus, ergo talis habitus non eſt virtus; quare neque actus eſt actus virtutis, quia non eſt primo regulabilis à recta ratione, ſed ſolum imperabilis à voluntate. Actus enim voluntatis eſt primo regulabilis à ratione recta, atque ita poteſt eſſe actus virtutis.

Nam ad hoc, quod aliquis actus, ſit actus virtutis neceſſario requiritur, quod ſit conformis actu rectæ rationi, id eſt, quod ratio recte dictet talem actum ſic eſſe eliciendum, quæ recta ratio non poteſt immediate dirigere talem actum; niſi prius dictet actum eliciendum a voluntate, quæ voluntas imperat poſt, actum appetitui ſenſitiuo, vt conformem rectæ rationi atque ita requiritur, vt ſit elicitus imperio voluntatis.

Et addit Doctor, quòd licet talis habitus derelictus in appetitu ſenſitiuo, non ſit propriè virtus: quia non habitus electiuus, nec inclinans ad electiones. Virtus enim formaliter ſumpta eſt habitus electiuus, vt patet 2. Ethic. cap. 5. vel quia eſt generatus ex electionibus rectis, vel quia inclinat ad electiones rectas, electio autem eſt formaliter ipſius voluntatis, atque ita talis habitus in appetitu ſenſitiuo non poteſt dici formaliter virtus. Nihilominus poteſt concedi, quod aliquo modo ſit virtus, pro quãto inclinat ad alia, quæ ſunt rectæ rationi conſentanea; atque ita poteſt appellari virtus materialiter, quemadmodum, & vitium ſiue peccatum, formaliter ponitur in ſola voluntate, & materialiter in appetitu ſenſitiuo, vt oſtendit Doct. in 2. d. 42.

Vnde pro ampliori intelligentia huius concluſionis Obſer. eſt primo, quod negare omnes virtutes morales eſſe in rationali parte animæ comprehendente intellectũ, & voluntatem contra rationem eſt, & contra D. Auguſt. *D. Aug.* 9. de Ciuit. c. 6. vbi loquens de dæmonibus dicit, quod ipſa mens eorum. ſ. pars animæ ſuperior, qua rationale ſunt, in qua eſt virtus, & ſapientia, ſi vlla res eſſet, paſſionibus turbulentis inferior animi partium regẽdis moderandiſque dominaretur. Vnde patet, quod virtutes moderatiuæ paſſionum ſunt in rationali parte animæ, atque adeo multo fortius aliæ. Item 12. de Trinit. c. 14. Quicquid prudenter inquit fortiter, temperate, & iuſte agimus ad eam pertinet ſcientiam, ſeu diſciplinam, quam in euitandis malis boniſque appetendi actio noſtra verſatur. Sed ſicut patet per ea, quæ ante dixit eodem cap. illa ſcientia, de qua ibi loquitur eſt in inferiori portione rationis, ergo, & ipſæ virtutes morales. Negare etiam eſſe aliquos habitus in appetitu ſenſitiuo, per quos faciliter obtemperet rationi, eſt contra experientiam. Negare etiam illos nullo modo habere qualemcunque rationem virtutis eſt contra Philoſ. dicentem 3. Ethic. cap. 13. de fortitudine, & temperantia, quod videntur irrationabilium partium eę eſſe virtutes.

Secundo obſer. eſt, quod virtus poteſt tripliciter acci- Habitus
pi, vno modo pro quolibet habitu conueniẽti naturæ rei, põt accipi
& ſic virtus accipitur communiſſime, & impropriiſſime, tribus mo-
& hoc modo virtus non ſolum dicitur eſſe virtutis appe- dis.
titiuæ, iraſcibilis, & concupiſcibilis, ſed, & ſenſus particularis, vt oculi, vel auris, & non ſolum huiuſmodi, ſed etiã inſtrumenti inanimati, quatenus eius motus regitur ad quandam impreſſionem rationis, ſecundum quod dicit Ariſt. 2. Ethic. omnis virtus cum vtque fuerit virtus id bene habens perficit, & opus eius bonum reddit, puta oculi virtus, & oculum ſtudioſum facit, & eius opus; oculi enim virtute bene videmus. Similiter equi virtus equum ſtudioſum facit, & bonum ad currendum, & ad ferendũ aſcenſorem, & expectandum bellatores, & in hac ſignifi- *Ariſt.* catione loquitur etiam Ariſt. de virtute 7. Phy. t. c. 17. Eſt etiam virtus in corpore, vt ſanitas habituata.

Alio modo ſumitur virtus pro quolibet habitu determinante potentiam ad bonum actum, ad quem non eſt per ſe determinata; & ſic accipitur communiter nec plene proprie, & hoc modo illi habitus per quos appetitus ſenſitiuus obtemperat rationi virtutes appellari poſſunt.

Tertio modo ſumitur virtus pro habitu conuenienti naturæ, & determinante potentiam ad actum laude dignum, & ad illius laudabilem vſum; atque ita nulla virtus moralis eſt in appetitu ſentiente, ſed præciſe in voluntate; quia ſola voluntas libere intendit applicationem ſui actus ad finem debitum, ratione cuius applicationis eſt laude dignus. Et quia intellectus eſt voluntati propinquior, quàm appetitus ſentiens, ideo habitus intellectuales, qui ſunt in intellectu, quatenus eſt mobilis à voluntate, plus habent de ratione virtutis, quam habitus boni, qui ſunt in appetitu ſenſitiuo. Poſſet ergo dici, quod Fortitudo, & Temperantia, quatenus ſunt in voluntate ſint proprie virtutes, habitus vero eis correſpondentes in appetitu ſenſitiuo, magis appellari debent impreſſiones virtutum, ſeu materia virtutum, quã virtutes, cum actus eorum non ſint laude digni, niſi quatenus aliquo modo ſunt à voluntate; quod autem huiuſmodi habitus ponendi ſint in appetitu ſenſitiuo videtur dicere Ariſt. primo Politicorum, vbi docet, quòd in Domino, vel Principe requiritur virtus ad principandum & in ſeruo, vel ſubdito ad obediendum; & maxime in ſubdito, qui habet vis, & vim repugnandi, cuiuſmodi eſt appetitus ſenſitiuus reſpectu voluntatis, & rationis.

Ad argumenta pro opinione Aureoli. Reſpondetur, & ad primum cum dicit, quòd duæ virtutes non poſſunt eſſe eiuſdem materiæ; tranſeat, ſed nego minorem; quia illud moderatiuum paſſionum, quod ponitur in appetitu intellectiuo eſt virtus eſſentialiter, & quidditatiue, quod autem ponitur in ſenſitiuo, eſt tantum virtus participatiue, ſeu materialiter; vel eſt quædam virtutis impreſſio, vt dicit Henricus, quol. quarta quæ- *Henric.*
ſtion. 22.

Per idem patet ad ſecundum. Quando enim dicitur, quod homo ſecundum vtrunque appetitum eſt vnum perfectibile morale, dico quod verum eſt; ſed ordinate,

ita

Digitized by Google

ita quòd ſecundum appetitum intellectiuum eſt perfectibile per virtutem, ſecundum eſſentiam eius, & per eius impreſſionem ſecundum appetitum ſenſitiuum.

Ad tertium quando dicitur, quod omnes illæ inclinationes pertinent eſſentialiter ad virtutẽ vnam à qua actus ſtudioſus coelicitiuè dependet. Dico quod verum eſt loquendo de illis inclinationibus, quibus actus ſtudioſus principaliter eſt ſtudioſus; non eſt autem verũ de his quibus conſequenter, & per redundantiã, vel impreſſionem à principali, actus eſt ſtudioſus. Nunc autem principaliter actus eſt ſtudioſus, per inclinationes, quæ cauſantur in voluntatem per rectam electionem, & rectum imperium.

Ad quartum quando dicitur remota inclinatione appetitus ſenſitiui conformi rectæ rationi non manet virtus, verum eſt quantum ad illud quod eſt eſſentialiter, & inſimul quantum ad illud quod eſt concomitanter, & per redundantiam; manet tamen eſſentialiter.

Secundo poſſum omnia argumenta Aureoli ſolui vnico verbo, In omnibus enim argumẽtis præter illud quod ponitur, oportet addere, quod hoc quod aſſumitur verum eſt, ſi cum aſſumpto ſtare poſſit vnitas virtutis per ſe; ſed tunc deficit minor.

ARTICVLVS V.

Vtrum Virtutes morales formaliter ſint in Deo.

VIdetur quod non, quia nihil includẽs imperfectionem eſt ponendum in Deo, ſed virtutes morales includunt imperfectionem, & quod ſunt circa paſſiones, ergo &c.

In oppoſitum tamen ſcriptura diuina videtur Deum commendare de virtutibus moralibus, vt Iuſtus es Domine; Deus fortis, Deus miſericors, &c.

Vnde pro ſolutione huius difficultatis obſeruandũ eſt primo, quòd ſi virtus moralis, ex eo dicitur moralis, quia conformis rectæ rationi, fortè in Deo non eſt talis virtus; quia voluntas diuina reſpectu eorum, quæ ſunt ad extra, nullo modo regulatur ab intellectu diuino; Imò quicquid Deus vult ad extra, prius vult illud, quã intellectus
Scotus. diuinus cognoſcat eſſe volendum, vt docet. Doctor in prologo quæſt. 4. & in 1. diſt. 38. & 39. & in quol. quæſt. 14. Nam ſimpliciter prima rectitudo actus voluntatis diuinæ reſpectu eorum, quæ ſiunt ad extra; eſt à ſola voluntate diuina, quia talis actus, vt præciſe eſt à voluntate eſt ex ſe formaliter rectus, atque ita in Deo non poteſt poni virtus moralis, ſub illa ratione, qua ponitur in Angelis, quia in Angelo, vt videbimus art. ſequenti eſt præciſe virtus moralis pro quanto eſt conformis rationi rectæ. Cæterum ſi virtus moralis, non requirat neceſſario actualem conformitatem ad rationem rectam, ſed ſufficiat aptitudinalis tantum, ita quod licet non ſit actu conformis rectæ rationi, vt priori, in ratione regulæ, ſi tamen volũtas reſpectu actus talis virtutis, poſſet habere rationem priorem, vt regulam tunc talis actus poſſet dici actus virtutis moralis, quia & ſi illum recta ratio actualiter non præcedat, tamen ſi præcederet dictaret talem actum ſic eſſe eliciendum; hoc pacto poſſet in voluntate diuina poni virtus moralis, quia actus voluntatis diuinæ, quo vult me ieiunare ſiue quo vult me temperate viuere, poteſt dici actus moralis.

Secundo obſeruandũ eſt, quòd ſi velle aliquod bonum vt in ordine ad bonum æternum, eſt actus charitatis, tunc voluntas diuina non poteſt habere actum moralem, quia omne volitum ab ea eſt ſimpliciter volitum in ordine ad bonum æternum, quia quicquid vult, vult propter vltimum finem. Poſſet tamen dici, quod velle aliquid in ordine ad bonum æternum poteſt dupliciter intelligi; Vno modo quod velit illud in ordine ad bonum æternum ordinando illud tanquam ad præmium, cum actus charitatis ſit verè præmiabilis bono æterno; licet primo inclinet ad bonum in ordine ad Deum in ſe, & propter ſe diligendum, & hoc modo non omnis actus voluntatis diuinæ, quo vult me temperate viuere, eſt actus charitatis; patet, quia vult peccatorem temperate viuere, & tamen non ordinat bonum temperantiæ ad bonum æternum, vt ad præmium cum non ſit in charitate, & licet tale bonum ordinet ad ſe tanquam ad finem, non tamen, vt ad præmium correſpondens; atque ita talis actus (licet impropriè) poteſt appellari actus temperantiæ.

Alio modo, quod velit illud in ordine ad bonum æternum, ordinando illud ad ſe tanquam ad finem, ſed non vt ad præmium correſpondens, & hoc modo poſſet dici, quod actus voluntatis diuinæ, quo vult me velle bonum temperantiæ, vt eſt in ſe bonum, eſt actus temperantiæ: quia vt ſic non vult me velle tale bonum in ordine ad vltimum finem, licet voluntas diuina velit tale bonum in ordine ad vltimum finem.

Tertio obſeruandum eſt, quod licet ratio virtutis moralis poſſet poni in voluntate diuina, ſecundum quod eſt perfectio, non ponitur tamen in ea aliquis habitus directiuus ex actibus moralibus; cum hoc ſit imperfectionis, nec habitus inclinãs ad actum moralem, vt docet expreſſe Doct. in 4. diſt. 46. quæſt. 1. ad ſecundum principale. Et hoc eſt quod dicit Doct. in hac quæſt. ſub litt. H. §. Hoc modo conſequenter, &c. vbi dicit quod poſſet poni in Deo eſſe rationem virtutum moralium, ſicut in eo conceditur charitas ſine accidentalitate eius.

Ponendæ ſunt ergo in Deo virtutes morales non ſecun 1. Concl.
dum illud imperfectionis, quod eſt in eis, ſed ablato eo quod eſt imperfectionis. Et ex his dico primo, quod in Deo formaliter eſt iuſtitia, quia in quocunque iuſto legiſlatore eſt iuſtitia legalis, ſed Deus eſt iuſtus legiſlator, vt patet Pſal. 83. Etenim benedictionem dabit legiſlator ibunt de virtute in virtutem Iuſtitia enim in Deo eſt remuneratiua ſtudioſe operantis, & punitiua delinquentis; Vtrum autem iuſtitia ſit formaliter à diuina voluntate diſtincta, & quaſi regula eius, vel tantummodo ſit voluntas ſub ratione primæ regulæ ſe ipſam determinantis inquit Doctor. in quarto, vbi ſupra dubium eſt, ſi ſecundum ponatur magis ſaluatur ratio, quia tunc non eſt ibi ſub ratione virtutis moralis. Et ſi dicatur Iuſtitia eſt circa paſſiones, & triſtitias iraſcibilis, ſed in Deo non ſunt tales paſſiones, ergo &c. Dico quod Deus habet virtutem iraſcibilem quantum ad poſitiuum perfectionis, quod dicit, ſed non habet paſſionem conſequentem actum.

Dico ſecundo, quòd in Deo eſt miſericordia formali- 2. Concl.
ter, quia Deus penes ſe habet indulgentiam, qua citra condignum punit. Et ſi dicas. Miſericordia eſt paſſio laudabilis, ſed in Deo nulla ponitur paſſio vel habitus ergo &c. Dico, quod Miſericordia eſt in Deo non ſecundum, quod dicit habitum, ſed ſecundum quod eſt perfectio vide Sco. in 4. diſt. 46. quæſt. 2.

Dico tertio. In Deo non eſt formaliter virtus fortitu- 3. Concl.
dinis, quia Deus non eſt mortalis, nec mortis pauidus; Poteſt tamen dici, quod actus voluntatis diuinæ, quo vult me impauide ſuſtinere mortem pro Dei honore, vel pro ſalute Reipub. eſt actus ſpectans ad virtutem fortitudinis. Et eodem modo dicendum eſt de virtute temperantiæ; Nam cum in Deo non ſint paſſiones tactus, & guſtus, quas habet refrenare, nec inordinatæ delectationes, non eſt formaliter in Deo virtus temperantiæ, cæterum actus voluntatis diuinæ, quo vult me velle bonum temperantiæ, vt eſt in ſe bonum, poteſt dici actus temperantiæ, vt ſupra explicatum eſt.

Dico quarto, quod in Deo eſt liberalitas; Nam libe- 4. Concl.
ralitas non ſolum eſt circa pecunias, ſed etiam circa quæcunque bona, ſed Deus nobis concedit quæcunque bona nobis competentia, ergo Deus liberalitas eſt, atque adeo in Deo eſt liberalitas ad extra.

Dico quinto, quod in Deo reſpectu creaturæ eſt ma- 5. Concl.
gnificentia, quia magna dona nobis concedit, nempè gratiam, & gloriam. Vnde in Deo reſpectu creaturæ eſt liberalitas quantum ad dona fortunæ, & naturæ. Magnificentia verò quantum ad dona gratiæ, & gloriæ.

Dico ſexto, quod Deus eſt magnanimus: quia Deuter. 6. Concl.
ſexto, & Matth. vigeſimoſecundo, præcipit ſe honorari, quantum poteſt, & diligi, & hoc dignum eſt, ergo, &c.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS VI.

Vtrum in Angelis ſint virtutes morales.

Ariſt. RAtio dubitandi eſt, quia Ariſt. 10. Ethic. cap. 8. Inquit, inconueniens eſt laudare ſubſtantias ſeparatas ex operatione virtutum, vt deducit ibi de Iuſtitia, fortitudine, liberalitate, ac temperantia. Ad oppoſitum verò facere videntur, quæ ſupra determinata ſunt de ſubiecto virtutum moralium. Nam ſi virtus moralis poteſt eſſe in voluntate, quia pôt habere rectas electiones circa ea, quæ appetitus ſenſitiuus natus eſt paſſionari, ſequitur in Angelis eſſe poſſe virtutes morales, conſequentia probatur, quia Angelus poteſt habere rectum velle circa obiecta appetitus ſenſitiui, ergo multis talibus electionibus, in eo generabitur virtus.

Et confirmatur: Quia non ſolum circa paſſiones inexiſtentes in parte ſenſitiua conuenit rectè eligere moderando eas, ſed circa paſſiones oſtenſas ab intellectu, etiam ſi nunquam inſuerint, vel inerunt: patet quia liberalitas poteſt generari in voluntate, vbi eſt defectus pecuniæ ita vt quis habere poteſt verum habitum liberalitatis nullo actu in exiſtente in appetitu ſenſitiuo, nec paſſione aliqua inexiſtente. Vnde ſi quis ſæpe eliceret velle dare pecunias, eſto quod eas non haberet, non minus generaretur in eo habitus liberalitatis, quia pecuniæ dum ſunt in phantaſmate, vel in ſpecie intelligibili, poſſunt mouere intellectum, & voluntas ſequens dictamen rectæ rationis poteſt eligere velle dare liberaliter, ex quo ſequitur, quod frater minor poteſt fieri liberalis, & quicunque quantumcunque pauper, ſed quod non fiant tales liberales, eſt, quia non eliciũt, vel ſi eliciunt, eliciũt tenuiter, vt docet Doct. in prologo quæſt. 4. ſub litt. N. § Non ſolum falſum, &c.

Frater Minor poteſt eſſe liberalis.

Præterea in eadem queſt. 4. prologi oſtenſum eſt quod Angelus poteſt habere notitiam practicam de praxi eliciendа reſpectu alterius perſonæ, vt cum Angelus cognoſcit eſſe pœnitendum de peccato, & vult me pœnitere de peccato; talis volitio eſt recta, quia conformis rationi rectæ; atque ita ſimiliter cum vult me temperate viuere, & ex talibus electionibus rectis verè generatur habitus moralis.

Solutio quæſtionis. Huic difficultati reſpondet Doct. in hac quæſt. ſub. litt. I. §. Ad primum concedi poteſt. Et primo concedit in Angelis eſſe virtutes morales. Vnde dicit. Quod ſi Angelus fuiſſet creatus in puris naturalibus, poſſent generari in eo virtutes morales ex multis rectis electionibus nõ circa paſſiones in appetitu ſenſitiuo inexiſtentes, cum tales paſſiones ſibi repugnẽt, ſed ſolum circa tales paſſiones in vniuerſali per intellectum oſtenſas, qua oſtenſione poſita, & dictato quid eſſet eligendum, ſi poſſibile foret eas habere, tunc voluntas eius eiuſmodi dictamini conſentanea, ex multis electionibus poſſet habere habitum moralem rectum.

Hoc probatur: quia omnem voluntatem non neceſſario carentem perfectione conueniente voluntati conuenit habere quãcunque perfectionem voluntatis, ſed velle bonum circa agibile non ſolum ſibi, ſed etiam alteri, & hoc non tantum in ordine ad bonum diuinum, ſed quatenus eſt quoddam bonum proprium, eſt quædã perfectio voluntatis, & voluntas Angeli non eſt neceſſario imperfecta; ergo poteſt ſibi comparare habitum quo velit mihi bonum temperantiæ, in quantum eſt mihi bonũ conueniens. Habitus iſte non poteſt dici charitas, quia vt dictum eſt, iſte habitus non eſt tantum bonum, vt aliquid ordinatum ad diligendum Deum, ſed ſub ratione propriè bonitatis in eo; nec eſt alius habitus, quam temperantia: quia propter mihi, & tibi, non variatur ratio formalis habitus, igitur ſicut habitu temperantiæ formaliter eligo mihi hoc bonum, ita habitu eiuſdẽ rationis poteſt mihi quilibet velle hoc bonum. atque ita voluntas Angeli poteſt velle mihi bonum temperantiæ, quatenus eſt tale bonum, quod velle eſt proprius actus temperantiæ ergo ex habitu temperantiæ poteſt illud mihi velle, at per conſequens ponitur in eo temperantia, & quòd dictum eſt de temperantia, idem dicatur de fortitudine, & Iuſtitia.

Ad rationem dubitandi ex Ariſtot. Reſpondet Doctor quòd Phyloſ. fortè negaret ab eis omnem habitum accidentalem ſi ſecundũ aliquos poneret eos naturaliter beatos. Vult dicere Scotus, quod Phyſice loquendo, & ſecundum principia Ariſt. in Angelis non ſunt ponendæ virtutes morales, & maxime cum ſecundum aliquos (nempè Henricum de Gandauo) ponat eos naturaliter beatos, & quod eorum eſſentia eſt ſua intellectio, & volitio, ſed ſecundum veritatem ponendæ ſunt in Angelis virtutes morales.

Secundo reſpondet Doct. ad quæſtionem negatiuè, atque iuxta aliorum ſententiam, Ad argumentum in oppoſitum negat conſequentiam Non enim ſequitur Angelus habet rectum velle, ergo ex pluribus volitionibus rectis generatur in eis virtus moralis, quia poſſet dici, quod non omnis actus rectus voluntatis eſt actus moralis, ſed vltra requiritur, quod talis actus rectus ſit circa difficile. In propoſito autem, bonum, quod ponitur obiectum virtutis non eſt difficile niſi habẽti appetitum ſenſitiuum, qui natus eſt ferri in oppoſitum illius boni ſaltem quantum ad aliquam circunſtantiam, & ex hoc, quod appetitus ſenſitiuus ita inclinatur, voluntas in eodem nata eſt ſibi condelectari, & ex hoc difficile eſt voluntati tendere in bonum debite circunſtantionatum, vt patet de bono temperantiæ. Sed voluntas Angeli, quæ non eſt coniuncta appetitui ſenſitiuo non eſt nata condelectari ſibi, atque ita ſine difficultate tendit in bonum moralem ideſt rectè circunſtantionatum.

Et ſi dicatur, quod in Angelo poteſt eſſe bonum difficile, quia volũtas, vt natura ſummè inclinatur ad ſummum bonum, vt ſummum ſibi commodum, & in alia bona in ordine ad illud ſummum commodum, vt ſupra patuit in prima parte huius tertij diſt. 15. Sed voluntas vt exijt in actum contra inclinationem boni commodi, vel ſaltem ſecundum aliquam, circunſtantiam, tale bonum videtur difficile; Talis autem affectio commodi ſuit in Angelo, vt docet Scotus in 2. diſt. 6. quæſt. 2. & 23. vbi probat, quod Deus non poteſt facere rationalem creaturam impeccabilem per naturam ex hoc quod habet naturalem inclinationem ad ſummum commodum ſibi; Cum ergo Angelus potuit rectè velle aliquid contra naturalem eius inclinationem, ſequitur quod illud bonũ potuit eſſe ſibi difficile, Nam difficile videtur velle aliquid contra naturalem inclinationem, imò maior difficultas, videtur, quam ſit, quando voluntas vult aliquid contra inclinationem appetitus ſenſitiui, cui per accidens coniungitur. Hanc difficultatem tangit Leuchetus, & alijs ſoluendam relinquit.

Leuchetus.

Volitio eſt duplex. Alio modo poteſt dici (inquit Doctor) quod duplex eſt volitio; Vna ſimplex quæ eſt quædam complacentia obiecti, ſine executione, ſicut deſperans de ſanitate vult ſanitatem, non tamen proſequitur eam acceptando media ordinata ad illam. Alia eſt volitio efficax, qua ſcilicet volens proſequitur ad habendum volitum ſi non impediatur, & hæc ſecunda dicitur propriè electio, eo modo quo Phyloſ. loquitur 3. Ethic. cap. 2. Volũtas ideſt volitio ſimplex eſt impoſſibilium; Quod quomodo habeat intelligi ſapienter explicat Doct. in 2. diſt. 6. quæſt. 1. Sed reſpectu impoſſibilium non eſt electio, quia nullus efficaciter vult aliquod impoſſibile. Poteſt igitur dici, quod in habentibus appetitum ſenſitiuum, voluntas poteſt eſſe principium multarum electionem reſpectu obiecti moralis, & iſta volitio efficax eſt electio, quæ ſola nata eſt generare habitum, qui licet ſit prior omni habitu in appetitu ſenſitiuo, tamen natus eſt eſſe principium imperandi appetitui; In Angelo autem poteſt eſſe volitio ſimplex non nata imperare; atque ita in ipſo non erit virtus moralis.

Medina. Ex his patet quam irrationabiliter Medina 1. 2. quæſt. 61. articulo quinto, reprehendat Doct. ſub. dicat quę eum abſolutè tenere partem affirmatiuam huius difficultatis, cum vtranque partem defendat. Dicit Item Medina quod ſententia Scoti pro parte affirmatiua eſt abſurda Ariſtot. 10. Ethic. cap. 8. vbi dicit eſſe ridiculum Dijs temperantiam, vel fortitudinem tribuere. Sed abſurdius vtique eſt Theologo diſcordanti à Phyloſopho in principio, propter quod tenet aliquam concluſionem, & conuenire cum eo in concluſione, quam nõ tenet niſi per illud principium.

Digitized by Google

cipium. Nam diſcordare ab eo in principio, propter quod ipſe errauit, & conuenire cum eo in concluſione, nec eſt Phyloſophari, nec Theologice ſentire. atque adeo Doct. ſub. diſcordans à Phyloſ. aſſerente Angelos Deos, neceſſe eſſe, & naturaliter beatos, atque ita negante ab eis virtutes, ſapienter ab eo diſcordat in concluſione.

Ariſt.

Præterea Ariſt. ne dum ab Angelis negat temperantiā, vel fortitudinem, ſed etiam iuſtitiam; Vnde quæro à Medina an ponat Iuſtitiam in Angelis? ſi ſic; ſicut ponere debet, Tum quia ſunt miniſtri iuſtitiæ legalis, Tum quia boni diſtribuunt ſtudioſe operantibus diſpēdia meritorum: peccatoribus autem mali vitiorum, ſeu peccatorum pœnam, Item gaudent ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, ergo in eis eſt miſericordia, quæ eſt pars iuſtitiæ, ergo non debet negare habitum fortitudinis in eis; Non enim videtur quare negandi ſint habitus in Angelo, & in quacunque potentia, in qua ponitur actus, quæ quidem potentia poteſt facilius exire in actum, poſt actuum frequentationem; Hoc autem non contingit in Deo; cū velle, & intelligere Dei ſit ſua ſubſtantia; atque ita ſi Phyloſophus, ita ſentiret de Angelis, quod eius eſſentia, eſſet ſua intellectio, & volitio, debet conſequenter ab illo negare habitus.

Patet etiam falſum eſſe id quod Medina, tribuit Scoto, nempè, quod per deſideria imperfecta, & inefficacia generentur habitus virtutis. Cum Scotus totum oppoſitum hic doceat, cū dicat, quod ſoli volitio efficax, quæ eſt electio, nata eſt generare habitum, & per hoc ruunt argumenta Medinæ de Patre intemperato, & Matre impudica; quorum alter filio deſiderat temperantiam, & altera filiæ pudicitiam, & tamen non generant in ſe temperantiam, nec pudicitiam; Nam ratio eſt, quia non deſiderant in eis efficaciter Temperantiam, & pudicitiam, nam ſi efficaciter amarent has virtutes, eſſent & ipſi temperati, atque pudici.

ARTICVLVS VII.

Vtrum in parte corporali, & in Brutis ponendi ſint habitus.

Habitus trifariam ſumi pōt.

HAbitus trifariam ſumi poteſt. Vno modo dicitur habitus diſpoſitio qua diſponitur diſpoſitum ſecundum ſe, vt conſtat ex Ariſt. 5. Meth. capit. 20. vbi dicit habitum eſſe diſpoſitionem ſecundum, quā bene vel male diſponitur diſpoſitum, veluti ſanitas quæ diſponit animal ſecundum ſe, vt bene ſe habeat, & hoc modo ſine controuerſia habitus ponitur in brutis, & in creatura rationali, Nam ſanitas eſt in vtroque.

Altero modo dicitur habitus diſpoſitio, qua diſponitur diſpoſitum ad aliud, nempè ad operationem, & hoc modo in Brutis, hominibus, & Angelis, eſt habitus aliquo modo: nam ſpecies ſenſibiles, & intelligibiles habent rationem habitus, vt docet Doct. in 1. diſt. 3. quæſt. 6. & in 2. diſt. 3. quæſt. 10. & 11. ſenſibiles autem ſunt in brutis, & hominibus, intelligibiles autē in Angelis, & hominibus.

Scotus.

Tertio modo ſumitur habitus propriè, vt eſt diſpoſitio qua diſponitur diſpoſitum ad aliud, nempè ad operationem, qui habitus conſuetudine, & aſſidua exercitatione acquiritur, & eſt habitus quædam ad operandum, & de habitu in hac ſignificatione loquimur in hoc articulo, & de huiuſmodi habitu dubium eſt, an ſit ponendus in brutis, & in parte aliqua corporali.

Ocham.

De qua re Ocham. in quol 2. quæſt. 16. dicit, quod non poteſt ſufficienter probari in eſſe habitus appetitu ſenſitiuo hominis, ne dum brutorum animantium, quod enim experiamur in nobis maiorem facilitatem, & promptitudinem in appetim animali, dicunt accidere poſſe ex vario temperamento qualitatum, quod exercitatione aſſidua immutari poteſt: nam affectus appetitus commouent in nobis temperamentum qualitatum, & immutant. Nam ſi calore abundet facile ad libidinem excitatur, cōtra verò ſi frigeat, Item qui abundant ſanguine, vel atrabile, vel flaua, vel phlegmate, pro varietate humoris, ad hæc vel illa mouentur. Deinum poſt nimium cibum, ac potum, vel inædiam facile ad certa quædam opera nos ipſi inclinamus, & flectimus; medicamentis itidem illis, vel his ſumptis, ſic vel aliter corpus afficitur, & appetitus ſenſus facile excitatur. Non poteſt ergo, euidenter probari in appetitu ſenſitiuo habitus.

Medina.
Azorius.

Non negat tñ Ocham, vt falſo ſibi imponunt Medina 1. 2. q. 50. art. 3. & Azorius lib. 3. Inſtitutionū moraliū cap. 21. q. 5. habitus in appetitu ſenſitiuo, imò expreſſe eos ponit, tum in eadem q. 16. 2. quol. Tum in 3. q. 11. dub. 2. Vnde Gabriel in 3. diſt. 23. q. 1. art. 3. dub. 1. ſequens Ocham poſt quam, propoſitione tertia dixit, quod non poteſt ſufficienter, & euidenter probari, quod aliquis habitus ſit in appetitu ſenſitiuo, quia omnia, quæ videntur arguere habitus poſſunt ſaluari per qualitates corporales. propoſitione quarta inquit probabile eſſe, & authoritatibus cōſonū in appetitu ſenſitiuo ponere habitus ex actibus appetitiuæ potentiæ immediate genitos ad actus ſimiles inclinantes. Idem docet Almayn. in 3. diſt. 23. quæſt. 1. art. 3. dub. 1. concl. 3. & 4.

Gabriel.

Almayn.

D. Thom.

D. Thomas 1. 2. quæſt. 50. art. 1. & quæſt. 51. art. 3. ad 2. Negat vllos habitus in membris, aut externis ſenſibus corporis, quia naturaliter mentis imperio parent, & ab anima naturaliter mouentur; Nullus quoque in brutis verè, & propriè habitus, niſi quadam ex parte conſtituit, & ponit, bene tamen in ſenſibus hominum internis, ad facile recordandum, cogitandum, & imaginandum, & in ſenſibus brutorum internis, quibus ipſe belluæ conſuetudine facile recordantur multarum rerum, multa diſcunt, multa factitant, quamuis nullo voluntatis imperio, vt homines hiſce quaſi habitibus vtantur, In illis enim manent impreſſæ non ſolum rerum abſentiū imagines, ſed etiam quædam qualitates, quæ ſunt actionum præteritarum ſimulacra, quibus recordantur belluæ ſe hoc, vel illud ſæpius feciſſe, ſe verberare, vel fuſte percuſſa frequenter fuiſſe, ſic vel aliter membra corporis agitaſſe, ſaltaſſe, cucurriſſe.

Caietan.

Caietanus 1. 2. quæſt. 50. art. 1. In primis dicit, quod ſi loquamur de habitu in generali ſignificatione, inuenitur etiam in rebus in animatis, vt pulchritudo. Secundo dicit, quòd ſi loquamur magis propriè de habitu. Ad cognoſcendum in quo ſubiecto ſit collocandus, oportet animaduertere, quod habitus acquiritur per conſuetudinem, & habituari eſt aſſueſcere. Ex quo colligit Caietanus, quod vbi non eſt conſuetudo non eſt habitus, & vbi eſt conſuetudo habitus eſt. Ex quo ſtatim ſequitur, quod vbi eſt natura ſine voluntario non eſt habitus; nam licet lapidem infinities proijcias ſurſum, vt aſſerit Ariſt. non generatur habitus. Ex eodem principio colligit perfecte Caietan. quod vbi eſt perfecte voluntarium, propriè, & perfecte habitus inuenitur, ſcilicet in creatura rationali, In alijs verò quæ participant voluntarium ſecundario inuenitur habitus, vt in membris exterioribus, in quibus conſtituendi ſunt habitus, tum quoniam obediunt rationi, tum verò quoniā conſuetudine, & exercitatione promptius operantur. Vltimo concludit, quod in brutis inueniuntur habitus, tum quia obediunt homini, tum verò quoniam aſſueſcunt. Imò generaliter dicit Caiet. quod quicquid relinquitur ex operis conſuetudine habet rationem habitus, vt cum quis ex frequentibus minutionibus iam inclinatur ad minutionem in tali tempore faciendam.

Scotus.

Scotus verò in hac quæſt. ſub litt. M. §. ad tertium conceditur cenſet habitum quidem in eſſe non poſſe in potentijs naturalibus ad vnum determinatis, vt in lapide ad deſcendendum deorſum, & in viſu ad videndum, in potentijs verò non determinatis ad vnum, & quæ varijs modis operari poſſunt, quales ſunt potentiæ motrices ſecundum locum tam in nobis, quam in brutis animantibus in eſſe habitus. Vnde pro ſolutione huius difficultatis ſit hæc prima Concluſio. Neceſſe eſt ponere habitus in potentia executiua corporali hæc concluſio eſt Doct. hic loco citato, Ocham in quol. 3. quæſt. 17. Gabriel in 3. diſt. 23. art. 3. dub. 1. propoſitione prima. Maioris eadem diſt. quæſt. 2. corrolario tertio, vbi dicit, quod in pede textoris in manu citharedi, & ſcriptoris ponendus eſt habitus.

1. Concl.

Scotus.
Ocham.
Gabriel.
Maior.

Probatur primo generali ratione, In qualibet potentia, quæ poteſt facilitari ad ſuam operationem poſt actuum frequentationem ponitur habitus, ſed potentia executiua

corporalis

Digitized by Google

corporalis poteſt facilitari ad ſuam operationem poſt actuum frequentationem, vt experientia docet, ergo in potentia executiua corporali ponendus eſt habitus. Maior probatur. habitus eo vel maximè ponitur, vt facilitetur potentia ad hoc, vt exeat in actus ſuos, ergo quacunque potentia data, quæ in actuum fine promptius, & expeditius exit in ſuum actum, quam in principio, in illa ponendus eſt habitus, patet quia hoc fundamento negato non remanet via, qua poſſit probari habitus. Et confirmatur, quia potentia executiua corporalis poſt multos actus corporales elicitos poteſt in conſimiles actus facilius, quam ante huiuſmodi actus elicitos, vt manifeſtum eſt in ſcriptoribus, & citharedis, & ſimiliter in alijs artificibus ergo in illis potentijs executiuis, nimirum corporalibus membris, eſt aliquid additum vel ablatum per quod iam poſſunt, quod prius non potuerunt. Nihil autem eſt ablatum vt patet, ergo aliquid additum, ſed illud non poteſt eſſe niſi habitus; nulla enim corporis diſpoſitione, aut medicina, ſine frequentatione actuum poteſt induci, qualitas autem ex actibus genita non eſt niſi habitus. Non enim niſi citharizando citharedi ſimus inquit Ariſt. 2. Ethic. quaſi per totum.

Præterea aſſuetus crebiter percutere citharã promptè, & expedite eam percutit in tenebris, ſimiliter patet de ſcriptore, & hoc non niſi ratione habitus. Manus enim mea inquit Scotus inhabilis eſt in illa facultate, quæ eſt ad citharizandum; exercitata autem eſt habilis, quod non eſt niſi habilitate inhærente manui, ergo in talibus potentijs ponendus eſt habitus.

2. Concl. Scotus. Henricus de Gand. Maior. Secunda Concluſio In brutis ponẽdus eſt habitus, hæc concluſio eſt Scoti loco citato. Henrici de Gand. quol. 4. quæſt. 22. Maioris vbi ſupra, & d. 36. quæſt. 1. patet, quia Equus ad ſtabulum, Bos ad ſuum præſepe redit nullo ductore poſt frequentationem actuum, & iſtud non poteſt ſaluari ſine habitu, alioquin omnis habitus tibi negabitur. Item cum Canis iuuenis applicatur lanio in bouis diuiſione, & occiſione famę perteſus ad carnem currit, ſtat vir cum virga Canem dure feriens, habituat eum ad oppoſitum, nempè ad fugam illius carnis, timor virgæ, & conſeruatio vitæ plus mouet Canem ad fugam, quam fames ad proſecutionem carnis, atque ita habituat eũ, quod non accedit, nec carnem vllam capit, niſi fruſtum ipſi particulariter proiectum, & ego vidi interdum inter tranſeundo ante lanios eorum Canes humi poſitos Dominos intueri in partitione carnium venaliũ quouſque eis proijciant. Similiter de Catto, ſeu felice iuuene experimur, qui non eſt ita diſciplinabilis ſicut Canis, cum animam ſenſitiuam inferiorem habeat, docemus Cattum, vt ad menſam accedere non audeat, ſed cibum appoſitum expectet in loco conſueto, quod non videtur fieri poſſe ſine aſſuetudine atque habitu.

Tertia Concluſio huiuſmodi habilitates ſeu habitus,
3. Concl. qui ſunt in potentijs executiuis exterioribus conceduntur eſſe virtutes quædam, quia ſunt quædam qualitates habilitantes ad opus virtutis moralis. hæc concluſio eſt Scoti vbi ſupra. Nam virtus, vt Inquit Ariſt. 2. Ethicor.
Ariſt. eſt habitus voluntarius in mediocritate conſiſtens determinatus ratione pro vt ſapiens determinabit. Vnde dicit ibidem, quod virtutes ſunt electiones quædam, vel non ſine electione, vbi dicit alia tranſlatio voluntatis, vel non ſine voluntate, & eſt vtrunque eorum verum, quia ſunt voluntatis in quantum ſunt in voluntate per actum voluntatis: non ſunt autem ſine voluntate, quatenus quædam impreſſio earum eſt in appetitu ſenſitiuo, ſecundum quod obedit rationi, & per hoc actio earum procedit ſecundum regulam virtutis, & rectæ rationis, & ideo dicitur, quod ſit bona, & quod ſit actio virtutis, & non ſolum dicitur actio virtutis appetitiuæ, ſed etiam ſenſus particularis, & non ſolum huiuſmodi, ſed etiam inſtrumenti inanimati, inquantum eius motus regitur ad quandam impreſſionem rationis. Ita quòd non ſolum virtus per participationem quandam, & impreſſionem dicitur eſſe in appetitu ſenſitiuo, ſed in potentia executiua exteriori, & in Bruto omnino irrationali, ſecundum quod per quandam impreſſionem factam in illis relucet actus virtutis; quæ verè eſt in hominibus, pro vt dicit Ariſtot. ſecundo Ethicorum, omnis virtus cum vtique fuerit virtus id bene habens perficit, & opus eius bonum reddit: puta manus virtus, & manum ſtudioſam facit, & eius opus, Manus enim virtute bene citharizamus. Similiter, & equi virtus, equum ſtudioſum facit, & bonum ad currendum, & ferendum Aſſeſſorem, vt diximus ſupra. Eo ergo modo, quo diximus ſupra in appetitu ſenſitiuo eſſe virtutem, nempè per impreſſionem, vel per participationem; ita in potentia executiua exteriori, atque in bruto ponitur virtus, licet in appetitu ſenſitiuo ſit per impreſſionem maiorem; nam quanto appetitus ſentiens coniunctior eſt rationi, quam manus, aut equus; tanto per maiorem impreſſionem eſt virtus in appetitu ſentiente; quam in manu, aut equo, & etiam per maiorem impreſſionem in manu, quam in equo, quatenus potentia motiua in manu eſt ius naturalis ab anima in organo, equus autẽ non, ſed habet vires ſuas ſeparatas domabiles, & aſſuefactibiles ab homine. Obſerua tamen, quod manus, aut equus dicitur ſtudioſus; non quia manus habeat potentiã motricem expeditam, & equus vires magnas, ſed quia ad nutum rationis ex aſſuefactione promptè, & abſque difficultate manus pulſat citheram, & equus motum, ita vt domeſtice, & non irrefrenate ſeſſorem ferat. Non ſunt ergo in potentia executiua corporali, & in equo habitus alicuius virtutis propriè loquendo, ſicut neque vitij: Sed quædam virtutis refulgentia per quandam naturalem impreſſionem; ad quam recipiendam per aſſuefactionem nata ſunt obedire rationi, & voluntati, mediante habitu, ex actibus acquiſito, & in hoc ſenſu concedit Doct. huiuſmodi habilitates eſſe virtutes quaſdam: præterquam, quod poſſumus dicere quod etiam in potentia viſiua nempè in oculo per aſſuefactionem ex imperio voluntatis, acquiritur habilitas quædam, qua promptè, & abſque difficultate temperet aſpectum, ne libidinoſe aſpiciat, imò à libidinoſo aſpectu ſe retrahat, quæ habilitas eſt quædam qualitas habilitans ad opus virtutis moralis, nempè temperantiæ, & caſtitatis.

Quarta Concluſió in rebus inanimatis non ponitur habitus, hæc concluſio eſt Scoti vbi ſupra, & eſt communis 4. Concl.
omnium ſententia. Non enim ex conſuetudine proijcitur facilius lapis ſurſum; id eſt non facilius aſcendit lapis ſurſum, ex eo, quod frequenter ſurſum proijcitur.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum virtus moralis ſit nobilior, quam Prudentia.

VIdetur quod ſic. Virtus alijs nobilior non eſt in ſubiecto minus nobili, ſed prudentia eſt in ſubiecto minus nobili, quã aliæ virtutes morales, quia eſt in intellectu practico, aliæ ſunt in voluntate, vt probatum eſt ſupra in 2. art. & intellectus eſt minus nobilis, quã voluntas, ergo virtus moralis eſt nobilior, quam prudentia.

In oppoſitum arguitur. Illa virtus eſt alijs dignior, quæ eis præcipit, ſed prudentia eſt huiuſmodi. Dicit enim Phyloſ. ſexto. Ethicorum cap. 11. quod prudentia præceptiua, eſt alijs dignior. Item virtus ſine qua aliæ eſſe non poſſunt videtur alijs dignior, ſed ſecundum Phyloſ. ſexto. Ethicorum cap. 17. Non eſt poſſibile bonũ eſſe ſecundum virtutem moralem ſine prudentia, ergo prudẽtia eſt omnibus virtutibus moralibus dignior.

Item ſecundum D. Bernardum in quodam ſermone de *D. Bern.*
Circumciſione Domini, diſcretio eſt mater virtutum, ſed Mater eſt filiabus dignior, ergo prudentia, quam intelligit per diſcretionem eſt dignior omnibus virtutibus moralibus.

Ad hanc difficultatem Reſpondent Thomiſtæ, quòd *Thomiſtæ.*
prudentia dignior eſt quacunque virtute morali; quia ſecundum ipſos intellectus nobilior eſt voluntate, & in ente ratio veri, eſt nobilior, quam ratio boni, & naturalis cognitio boni nobilior eſt quam naturalis eius dilectio.

Sed hæc ſententia falſis nititur fundamentis, quia vo- *Scotus.*
luntas eſt nobilior intellectu, vt ſubtiliter probat Doct.

in

Digitized by Google

In 4. diſt. 49. quæſt. 4. & omnia tranſcendentia denominant ſe mutuo, atque adeo æqualis perfectionis eſt eſſe eſſentialiter verum, ſicut eſt eſſe eſſentialiter bonum, eſt amor ſeu dilectio, eſt perfectior cognitione, vt docet Doc. vbi ſupra, & in prologo quæſt. 4.

Richard. Prudentia ſumitur tripliciter.

Ricardus in 3. diſt. 33. art. 1. quæſt. 8. Dicit quod prudentia tripliciter poteſt accipi; Vno modo pro habitu in intellectu practico, quo inclinatiuè determinatur ad rectè dictandum, quid eligendum, vel fugiendum non in vniuerſali tantum, ſed etiam circa ſingularia, circa quæ eſt actio ſecundum Phyloſ. 6. Ethic. cap. 8. Alio modo pro tali habitu non abſolutè, ſed vt virtutibus moralibus coniuncto, ſeu per eas formato.

Tertio modo impropriè, ſcilicet pro coniuncto ex prędicto habitu, & forma eius; & extendendo nomen formæ: quia propriè loquendo nulla virtus eſt forma alterius virtutis; niſi charitas. Quod autem non tantum accipiatur priori modo probari poteſt per Phyloſ. 6. Ethic. 1. cap. 6. dicentem, quod magis opponitur prudentiæ peccare ſcienter, quam ignotanter, quod non eſſet verum; ſi ex hoc ipſo eſſet homo prudens, quod eius intellectus practicus inclinatiuè determinaretur ad rectè dicendum circa ſingularia agibilia, quid eſt eligendum, vel fugiendum. Ex his dicit Richard. quod ſi accipiatur prudentia primo modo non eſt dignior omnibus alijs virtutibus Cardinalibus; imò iuſtitia eſt dignior maximè iuſtitia legalis: ratio enim boni quam formaliter reſpicit iuſtitia, dignior eſt quam ratio veri, quam formaliter reſpicit prudentia.

Præterea, principia naturalia, quæ ſunt naturalis cognitio boni, & naturalis eius amor (& accipit naturale, pro vt diſtinguitur contra ſupernaturale, non contra liberum) quæ præſupponuntur ad acquiſitionem virtutum Cardinalium, ſic ſe habent inter ſe, quod cognitio ordinatur ad amorem; ex quo patet, quòd amor eſt principalior; Iuſtitia ergo, quæ principalius reſpondet amori naturali boni, quam naturali ius cognitioni dignior eſt, quam prudentia primo modo dicta, quæ principalius reſpicit naturalem boni cognitionem, quam naturalem boni amorem.

Præterea cum voluntas ſit nobilior intellectu, probabile videtur, quod nobiliſſima virtus acquiſita in voluntate reſpectu agibilium nobilior eſt, quam nobiliſſima virtus in practio intellectu.

Si autem accipiatur prudentia ſecundo modo adhuc inquit Richard. quamuis ſit nobilior ſecundum, quid alijs virtutibus, ſcilicet inquantum eis oſtendit medium in quod tendunt, tamen ſimpliciter non eſt dignior legali iuſtitia, ſicut nec fides formata dignior eſt quã charitas, quæ eſt forma eius. Si autem accipiatur tertio modo ſic planum eſt prudentiam eſſe nobiliorem, quacunque morali virtute.

Scotus.

Ad argumentum pro prima parte dicit Richard. quod concludit de prudentia primo modo dicta. Scotus in hac quæſt. ſub. litt. L. §. Ad ſecundum, &c duplicem adhibet reſponſionem, & primo dicit, quod non oportet omnem perfectionem nobilioris perfectibilis perfectiorem eſſe quacunque perfectione perfectibilis minus nobilis, ſed ſufficit ſupremam nobilioris excedere ſupremam minus nobilis. Virtus autem moralis non eſt ſuprema perfectio voluntatis, nec prudentia intellectus, ſed charitas voluntatis, & fides intellectus, & charitas videtur excedere fidem iuxta illud Apoſt. 1. Corinth. 13. Maior autem horum eſt charitas.

Cæterum hæc reſponſio non videtur ſufficere: quia reſpectu eiuſdem obiecti nobilior potentia videtur nobiliorem actum, quando vtraque agit ſecundum totam virtutem ſui: quia ibi non eſt exceſſus ex parte obiecti, quia idem eſt ergo ex parte potentiarum tantum, & eatenus nobilior excedit. Cum igitur circa bonum morale, quod eſt idem obiectum, ſit actus intellectus practici, & voluntatis, ſi vtraque perfectè agat hæc dictando, ſcilicet intellectus, & illa eligendo ſcilicet voluntas; ſimpliciter nobilior erit electio recta, quam dictamen rectum: nam dignius eſt rectè eligere, quam ſcire rectè eligere, & per conſequens habitus generatus ex electionibus rectis erit nobilior habitu generato ex dictaminibus rectis, atque ita virtus moralis dignior eſt, quam prudentia, quia per virtutes morales homo eligit rectè, per prudentiam autem ſcit eligere rectè, quod concedo inquit Doctor ſcilicet, quod virtus moralis eſt dignior, quam ſit prudentia. Virtus moralis eſt dignior quã prudẽtia.

Et ad Phyloſ. præferentem prudentiam dicit, quòd prudentia eſt quodammodo regula aliarum virtutum pro quanto ipſa, vel actus eius præcedit generatione habituum, & actum virtutis moralis, & ex iſta prioritate habitus, & actus virtutis moralis conformatur ſibi tanquam priori, & non è conuerſo. Similiter hæc prioritas apud Phyloſ. videtur concludere rationem regulæ, & menſuræ, & in hoc dignitatem, ſed non ſequitur ergo ſimpliciter dignior.

Prudentia ergo poteſt biſariam conſiderari, vno modo in ratione habitus virtutis, & hoc modo non eſt nobilior virtute morali; alio modo in ratione regulæ, & hoc modo Ariſtot. eam cæteris virtutibus præfert. Prudentia biſariã cõſiderari poteſt.

Ad primum ergo argumentum dico, quod prudentia dicitur præceptiua, ſecundum quod præceptum accipitur pro intellectuali locutione imperatiuo modo, ſed ad tale præceptum non de neceſſitate ſequitur operatio recta, niſi inquantum ad ſic imperandum mouetur intellectus per voluntatem virtutibus moralibus perfectam.

Ad ſecundum dico, quod maior non eſt vniuerſaliter vera. Charitas enim in viatore ſine fide eſſe non poteſt, & tamen fides non eſt charitatę dignior, & dilectio boni non poteſt eſſe ſine eius cognitione, & tamen cognitio boni non eſt dignior eius dilectione præterea ſicut virtus moralis non poteſt eſſe ſine prudentia, ita prudentia non poteſt eſſe ſine morali virtute Vnde Ariſtot. ſexto. Ethicorum capitulo 17. Manifeſtum eſt quoniam non poſſibile eſt bonum eſſe principaliter ſine prudentia neque prudentem ſine morali virtute. *Ariſt.*

Ad tertium dico, quod fortè ibi accipit Bernard. diſcretionem pro vt comprehendit naturalem boni cognitionem, & amorem, quæ ſunt principia acquiſitionis Cardinalium virtutum.

Vel poteſt dici, quod ſi accipit diſcretionem pro prudentia, non tantum accipit eam pro eo, quod habet in intellectu præciſe, ſed cum forma ſua, quam habet in voluntate.

DISTINCTIO XXXIV.

NVNC de ſeptem donis Spiritus Sancti agendum eſt, &c. Hæc eſt trigeſima quarta diſtinctio huius libri. In quo poſtquam Magiſter hactenus de virtutibus eſt locutus, conſequenter agit de donis Spiritus Sancti & diuiditur hæc diſtinctio in tres partes, in prima agit de donis in communi, in ſecunda de timore in ſpeciali, & in tertia ex determinatis quadam corrolaria infert. Continuatio. Diuiſio.

1. Concl. *In prima parte probat Magiſter hanc concluſionem. Septem dona Spiritus Sancti, quæ à virtutibus non differunt, nec in patria ceſſabunt in Chriſto fuerunt. Hanc Magiſter inſinuans proponit tres quæſtiones. Prima eſt, an dona Spiritus Sancti idem ſint quod virtutes? Secunda An in patria maneant in beatis? Tertia, & vltima. An fuerint in Chriſto?*

Ad primas duas quæſtiones ſimul reſpondet

cum

Digitized by Google

D. Ambr. cum D. Ambroſio lib. 1. de Spiritu Sancto, cap. 20. & vltimo, in principio capitis vbi oſtendit hæc dona virtutes eſſe, nec in futuro deſitura, & in Angelis abundantiſsime eſſe; Nam poſt quam dixit, quòd Ciuitas Dei illa Hieruſalem cæleſtis, non meatu alicuius fluuij Terreſtris abluitur ſed ex fonte vitæ procedens, Spiritus Sanctus, &c. Sanctificationem exponens addit. His autem Sanctificationibus ſignificatur plenitudo ſeptem Spiritualium virtutum, quas enumerat, Iſaias dicens ſpiritui ſapientiæ, & intellectus; ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & ſpiritus timoris Domini. Hic expreſſe traditum eſt inquit Magiſter ſeptem dona, & virtutes eſſe, ſanctificationeique fidelium mentium, & in futuro non deſitura, cum ſint & in Angelis.

Ad tertiam reſpondet affirmatiuè, nempe quod iſta dona fuerunt in Chriſto, quod patet per illud Iſaiæ vndecimo. Egredietur virga de radice Ieſſe. & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, Spiritus ſapientiæ, & intellectus, Spiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini. In qua quidem authoritate pluries repetitur ſpiritus, quod non ideo fit, eo quia Spiritus Sancti plures ſint in diuina natura, ſed ſolum ad multiplicē deſignandum fore vnius Spiritus Sancti effectum.

Sed contra determinata inſtat Magiſter authoritate Bedæ ſuper parabolas Salomonis dicentis, quod in futuro omnis timor ceſſabit. D. etiam Auguſt ſuper illud Pſalm quinto, Adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo; timorem Dei deſiturum dicit his verbis. Timor Domini eſt magnum præſidium proficientibus ad ſalutem. ſed peruenientibus foras mittitur; Non enim timēt iam amicum, cum ſcilicet ad id quod promiſſum eſt perducti fuerint, ex his authoritatibus ſignificatur, quod timor non erit in futuro; ſi ergo timor non erit in futuro, ergo nec ſeptem dona erunt, nec modo ſunt in Angelis, ſiue in animabus Sanctis.

Beda.

D. Aug.

Has authoritates explicans Magiſter dicit, quod dona Spiritus Sancti erunt in futuro; at minimè ibi illos vſus habebunt, quos hic in via habent. Quod ſpecialiter declarat de dono timoris. Nam timor filialis facit timere ne offendamus quem diligimus, ſecundo facit timere ne ab eo ſeparemur. Tertio facit nos ipſum revereri. Quo igitur ad duo prima donum timoris ne quaquam remanebit in patria, & hoc volunt authoritates in oppoſitum allegatæ. Nihilominus quantum ad tertium ibi manebit, quia ibi per maxime vſus reuerentiæ, quæ eſt dilectio cum ſubiectione erit, qualiter etiam in Chriſto fuit, ſicut dicit Apoſt. ad Hebræ. cap. quinto, vbi loquens de Chriſto dicit. Qui exauditus eſt pro ſua reuerentia, & ſubdit Magiſter quoſdam ſenſiſſe in Chriſto, & in Angelis eſſe donum timoris ſecundum effectum dumtaxat ſed non ſecundum habitum. Cæterum communiter à Theologis hæc opinio non tenetur; nec Magiſter illam probat.

In ſecunda parte habet Magiſter hanc concluſionem. Timor qui quatuor modis ſumitur nō qualitercunque ſumptus à charitatis conſortio excluditur. Hanc Magiſter inſinuans dicit quatuor eſſe timores. Quorum primus timor mundanus ſiue humanus, ſeruilis ſecundus, initialis tertius, caſtus, & filialis, ſeu cordialis quartus. Per primum timorem pericula carnis, & bonorum mundanorum amiſsionem timemus. & propter hoc peccamus quia talis timor eſt malus, & in Euangelio prohibetur Nolite timere eos qui occidunt corpus &c Matth. 20. & Lucæ 10. 2. Concl. Timor eſt quadruplex.

Per ſecundum à peccatis ceſſamus timore pænæ, & hic bonus eſt ſed non ſufficiens ad ſalutem id eſt ad vitam æternam obtinendam. Vnde D. Auguſt. ſuper Pſal. 127. In illa verba. Beati omnes qui timent Dominum, &c. Timor inquit ſeruilis eſt, cum per timorem gehennæ continet ſe homo à peccato quo præſentiam iudicis, & pænas metuit, & timore facit quicquid boni facit, non timore amittendi bonum æternum, quod non amat, ſed timore patiendi malum, quod formidat, &c. D. Aug.

Per tertium timorem, ſcilicet initialem, peccare partim timemus timore gehēnæ, partimque amore patriæ, & iſto timore adueniente ſimul aduenit charitas, & timor ſeruilis incipit per charitatem excludi; atque ita hic timor ſtat cum charitate.

Per quartum, & vltimum vt puta filialem peccare timemus, ne à Deo, quem diligimus ſeparemur. & hic prouenit ex amore ſuceditque initiali, & permanet in æternum; ſeruilis autem non permanet ſed deficit.

Et ſubdit Magiſter, quod Beda Ven. duplicē tantum timorem diſtinxit. Seruilem ſcilicet & amicalem. quia ſub ſeruili initialem intellexit, humanum verò timorem prætermiſit. Beda.

D. Auguſt etiam nō diſtinxit apertè niſi duos timores, nimirum Caſtum, qui eſt in charitate perfecta & ſeruilē, qui non eſt in charitate Nā tract. 85 ſuper Ioan & in lib de ſpiritu & lite. capit. 32 explicans illa verba D Pauli ad Rom. 8. Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterū in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorū Dei, ita dicit. Duo timores inſinuantur hic, vnus qui eſt in perfecta charitate ſcilicet timor caſtus. alter qui non eſt in charitate. ſcilicet ſeruilis, In quo D. Aug

quam-

quamuis Deo credatur, non tamen in Deum; & ſi bonum fiat, non tamen bene. Nemo enim inuitus bene facit, etiam ſi bonum eſt, quod facit.

Proprietates timoris ſeruilis.

His præmiſſis ponit Magiſter timoris ſeruilis proprietates, dicens, quod licet timor ſeruilis in charitate minime ſit, locum tamen charitati præparare dicitur: quia niſi timor prius occuparet mentem, vnde charitas intraret non eſſet; qua tamen adueniente timor expellitur, & foras mittitur, quod exemplo, à ſeta, & filo deſumpto declarat; Nam quando aliquid ſuitur, ſeta prius intrat, & niſi exeat, non ſuccedit linum; ita euenit de timore ſeruili, & charitate: Nam timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor: quia ideo intrauit, vt introduceret charitatem. exemplum eſt D. Auguſt. tract..... in epiſt. Cano. 1. D. Ioannis. c 4.

Sed his determinatis aduerſari videntur ea, quæ habentur apud D. Ioan epiſt. 1. Cano c 4. vbi ita ſcribit: Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem. & id quod habetur Pſal. 18. Timor Domini caſtus permanēs in ſæculum ſæculi: Nam cum in æterna beatitudine, de qua pſal. loquitur ſit perfectiſſima charitas, videtur ob id pſal dictum Apoſtoli dicto contrarium; Nam D. Ioan. dicit, quod perfecta charitas, quæ eſt beatitudo, foras mittit timorem; & Dauid inquit, quod timor caſtus manet in ſæculum ſæculi.

Duplex eſt timor.

Huic contradictioni reſpondens Magiſter inquit. quod ex quo Ioan in ſua Canonica, & Dauid in Pſal. vno ſpiritu repleti ſunt locuti, nequaquam diſcordare poſſunt, ſi vtrinſq; dictum recte intelligatur: Nam duplex eſt timor, caſtus ſcilicet, & ſeruilis. Seruilis, vt diximus, non ſtat cum charitate, & de illo loquebatur Apoſtolus Caſtus autem remanet in patria, de quo loquitur Propheta. Hoc patet ex his quæ dicta ſunt: Nam timor ſeruilis eſt, quo quis propter pœnam timet Deum, non ex eo, quod Deum diligat; atque adeo timor ille non ſtat cum charitate. Timor autem caſtus eſt, quo quis timet Deum ne ipſum offendat, ſed ſic timere eſt amare, ideo timor iſte ſemper cum charitate manet.

Timor ſeruilis, & caſtus quomodo differant.

Quomodo autem differant hi duo timores explicat Magiſter exemplo de duabus mulieribus maritatis. quarum vna deliberat adulterari, ſed timet ne damnetur a marito. Timet maritum, quia adhuc amat nequitiam, huic non grata eſt, ſed oneroſa mariti præſentia, & ſi forte viuit nequiter, timet maritum ne veniat. Tales ſunt, qui timent diem iudicij. Altera vero diligit virum, caſtos eius amplexus deſiderat; virique optat præſentiam, nulla ſe adulterina immunditia maculare vult, & iſta optat præſentiam viri. Illa timet, & iſta timet; Iam ergo interrogentur quare timeant. Illa dicet, timeo virum ne veniat. Iſta dicet, timeo virum ne diſcedat. Illa dicet, timeo virum ne damnet. Iſta dicet, timeo virum ne diſcedat, ne deſerat. Prima timor eſt ſeruilis qui non ſtat cum charitate. Timor ſecunda eſt caſtus, qui ſtat cum charitate. Deinde comparat Magiſter timorem initialem ad caſtum, & ſeruilem. & dicit, quod initialis eſt medius inter hos habens aliquid de vtroque quia partim facit ſeruire Deo timore pœnæ & partim timore iuſtitiæ; qui etiā eſſe poteſt in charitate inchoata, licet nequeat eſſe in charitate perfecta & ſeruilis non: Vterque tamen ipſorum poteſt dici ſapientiæ initium, ſed differenter: nam ſeruilis timor ſapientiæ, & charitati locum præparat, at ipſa adueniente foras mittitur. Timor autem initialis ſapientiæ principium dicitur; quoniam cum inchoata ſapientia ſimul incipit, atque cum ipſa manet. Et ſubdit Magiſter quod vterque etiam timor interdū ſeruilis dicitur quia & ipſe initialis qui eſt in charitate inchoata, aliquid habet de ſeruili, ſcilicet pœnæ angorem; ſicut & aliquid habet de caſto, ſcilicet, quod timet offendere & ſeparari.

Timor initialis quomodo ſe habeat ad ſeruilem, & caſtum.

3. Concl.

In tertia, & poſtrema parte ponit Magiſt. hāc concluſionem. Donum timoris extitit in Chriſto ſecundum uſum patriæ cum timore quodam alio. Ad quam inſinuandā infert ex determinatis aliqua corollaria Primū quod donum timoris manebit in patria ſicut alia dona, ſed nō habebit ibi omnem vſum, quem hic habet. vt patet ex prima concluſione. Secundū, quod timor ille fuit in Chriſto ſecundū illum vſum, quem habet in Sanctis ſecundum actum ſ. reuerentiæ, vt etiā ibi dictū eſt Et ex hoc incidentaliter quærit, an timor pœnæ, qui fuit in Chriſto tēpore ſuæ paſſionis fuerit mūdanus vel ſeruilis, aut initialis Reſpondet quod non fuit aliquis de prædictis nā timor mundanus malus eſt, & cū mūdo deſeritur; ſeruilis vero vel initialis in perfecta charitate non eſt. Cum itaque Chriſtus mundum deſeruit, & charitatē perfectā habuerit, ſequitur quod timor pœnæ quē Chriſtus habuit nullus iſtorum fuit. Sed fuit timor humanus, ſeu naturalis, quo naturaliter quilibet homo timet mortem, & talis ineſt omni homini a natura; non quia acceſſerit homini a natura, ſecundū quod prius fuit inſtituta quia non fuit iſte timor concreatus homini, nec de bonis naturalibus, ſed quia ex corrupta natura per peccatū omnibus aduenit cui corruptio inoleuit tanquam eſſet naturalis, & eſt iſte timor effectus peccati. Hic tamen timor per Chriſtum contractus minime fuit, ſed voluntarie aſſumptus & hæc ſatis de hac diſtinctione: Circa quam Scotus vnicam mouet quæſtionem ſub hoc titulo, videlicet

QVAESTIO VNICA

Vtrum virtutes, dona, & beatitudines, & fructus ſint ydem habitus inter ſe.

Donum accipitur tripliciter.
Bruliſer.

PRO explicatione tituli obſer. eſt primo, quod donũ, (quid enim ſit virtus patet ex ſuperius dictis) diuerſis modis accipitur in ſacris litteris, vt notat Bruliſer hac. d. q. 1. primo communiter, pro quocunque munere, libere liberaliter, voluntariè, & gratuite diuinitus hominibus concesſo. atque ita omnia naturalia, & gratuita noſtra dicuntur dona. iuxta illud Iacobi, 1. omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcenders a patre luminum. & iuxta hanc acceptionem virtus ipſa fidei dicitur donum Dei Epheſ. 2. & alibi aliæ virtutes. Inde Apoſt. Quid habes, quod non accepiſti? Secundo accipitur, pro quibuſdam diuinis muneribus ſuperaddius ipſi creaturæ rationali, quæ propriè dici ſolent gratiæ gratys datæ, & tribuuntur quibuſdam. vt cõmodius aliorum ſaluti ſpirituali prodeſſe queant. de quibus. 1. Corint. 12. vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem, alij quidem datur ſermo ſapientiæ &c. Tertio dona in ſcripturis dicuntur pecculiari ratione ornamenta quædam ſpiritualia, quibus creduntur affici iuſti, ſicut etiã Chriſtus Dominus (cuius imagini pios oportet eſſe conformes Roman. 8.) illis ornatus fuit, ad illũ enim accomodant ſancti patres locum illum Iſaiæ. 11. Et requieſcet ſuper eum Spiritus ſapientiæ, & intellectus, &c. quo loco commemorantur a Propheta ea dona, de quibus propriè quærimus in hac quæſtione, an a virtutibus diſtinguantur: nam de bonis primo, & ſecundo modo acceptis nunc non agimus. Nam dona Spiritus Sancti, de quibus hic agimus, notãt faſtigium quoddam virtutum.

Donum quid ſit.

Vnde ſic definiri poteſt. Donum eſt datio irredibilis ſimpliciter. In qua definitione tria tanguntur, primum eſt genus doni, dum dicitur datio; Aliqua enim dantur ſecundum Auic. quæ dona dici non merentur; Qui enim dat, vt accipiat, quæſtus eſt non donum, qui verò dat vt liberetur, redemptio eſt. ſecundo tangitur eius differentia, cũ dicitur irredibilis; Nullum enim eſt donum, quod ſpe rehabendi tribuitur, ſed dicitur accomodatio. Ideo additur tertio ſimpliciter, vt donans tempus non limitet ei, cui donatio facta eſt, ad reddendum.

Beatitudo ſumitur dupliciter.

Secundo obſer. eſt, quod beatitudo interdum ſumitur pro vltimo fine formali, ſcilicet, fruitione, & viſione Dei: vel obiectiuo, ſcilicet, pro ipſo Deo, & ſic non capitur in propoſito. Secundo ſumitur beatitudo, pro ut dicit quẽdam habitum, qui inclinat ad eliciendum actus, qui ſunt meritorij beatitudinis finis, & aſſignantur octo, ſcilicet, Paupertas ſpiritus, luctus, miſericordia, cordis munditia, mititas, pax, patientia, & ſufferentia perſecutionum pro Chriſto, & hoc modo ſumimus hic beatitudinem.

Fructus quid, & quotuplex ſit.

Tertiò obſer. eſt, quod fructus dicitur a fruendo, & frui eſt vltimus voluntatis actus, quo quis vltimo inhæret fini propter ſe, ſicut fructus vltimum eſt, quod expectatur ab arbore, & in ſpiritualibus eſt id, quod de bonis operibus vltimo venit; iuxta illud ſapientis. Bonorum operum glorioſus eſt fructus. Solet etiam fructus tripliciter accipi; primo dicitur fructus fruitionis obiectum, & hoc modo eſſentia diuina eſt fructus noſter, iuxta illud Pſal. Filij merces fructus ventris: ſecundo dicitur fructus quidam gradus actus intenſior, ex quibuſdam conſurgẽs priuilegijs, & hoc modo diuidimus fructum in centeſimum virginibus, ſexageſimum viduis, & trigeſimum vxoratis. tertio dicitur fructus illc facer duodenarius, de quo loquitur D. Paulus ad Gal. 5. videlicet Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas, atq; ita ſumitur fructus in titulo huius quæſtionis.

Senſus q̃ſtionis.

Senſus ergo huius tituli eſt, an virtutes, quæ ſunt ſeptẽ, ſcilicet fides, ſpes, charitas, iuſtitia, fortitudo, temperantia, & prudentia; & dona Spiritus Sancti, quæ ſunt ſeptem; beatitudines, quæ ſunt octo; & fructus, qui ſunt duodecim, ſint ijdem habitus, adeo vt dona, beatitudines, & fructus, ſint eſſentialiter idem, quod virtutes; vel ſint habitus inter ſe eſſentialiter diſtincti. Reſolutio eſt, quod ſunt ijdem habitus. Ceterum, quia hæc quæſtio Doct. referta eſt multis difficultatibus, ideo more ſolito, pro eius clariori explicatione in ſequentes diuidimus articulos.

Art. 1. Vtrum Spiritus Sancti dona ſint ſeptem.
Art. 2. Vtrum ſeptem dona Spiritus Sancti ſint neceſſaria ad ſalutem, permaneantq; in vita beata.
Art. 3. Vtrum in voluntate ſint facultates iraſcibilis, & concupiſcibilis, & penes quid diſtinguantur.
Art. 4. Vtrum tres virtutes morales acquiſita, ſ. fortitudo, temperantia, & iuſtitia ſint genera intermedia, ſiue ſubalterna, vel ſpecies ſpecialiſſima.
Art. 5. Vtrum ad perficiendum hominem ſufficiant virtutes Theolog. infuſa, & quatuor morales acquiſitæ.
Art. 6. Vtrum virtutes diſtinguantur a donis: quia virtutes perficiunt hominem modo humano, & dona modo ſuper humano.
Art. 7. Vtrum virtutes diſtinguantur, a donis, quia per virtutes homo rectè agit, & per dona agit perfectè.
Art. 8. Vtrum virtutes diſtinguantur a donis: quia per virtutes diſponitur voluntas, quatenus eſt mobilis a recta ratione; & per dona, prout eſt mobilis a Spiritu Sancto.
Art. 9. Vtrum virtutes, & Spiritus Sancti dona ſint ijdem habitus.
Art. 10. Vtrum virtutes, & dona diſtinguantur à beatitudinibus.
Art. 11. Vtrum fructus ſint habitus diſtincti a virtutibus, donis, & beatitudinibus.

ARTICVLVS I.

Vtrum Spiritus Sancti dona ſint ſeptem.

IN huius difficultatis elucidatione, quæ fundamẽtum habet ex verbis Iſaiæ c. 11. variant ſanctæ ſcripturæ interpretes. Nam Atha. li. de fidei vnitate ſeptiformẽ ſpiritum apud Iſaiam deſcribi ait, & numero hoc ſepte- *Athanaſ.*
nario ſignificari plenitudinem diuinitatis Spiritus Sancti in Chriſto fuiſſe. Idem habet Tertullianus lib. 5. aduerſus Marcionem, & Origenes hom. 6. in Numeros, & Ite- *Tertullian.*
næus lib. 3. c. 10. videtur igitur voluiſſe prophetam horũ *Origenes.*
ſpirituum appellatione ſignificare Chriſtum habiturum *Irenæus.*
omnem plenitudinem ſpiritus, ſicut cum præcipitur, vt Deum amemus toto corde, tota anima, omnibus viribus, omni mente, nihil aliud videtur voluiſſe, quam id, quod alibi dicitur. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius. Sic hoc loco dicit omnes virtutes ſpiritus, quotquot vſquam in Chriſto reperiuntur, in Chriſto futuras eſſe.

Ceterum vbi nos legimus ſpiritus pietatis, & timoris, apud Hebræos vnicum vocabulum eſt ſignificans timorem. Ideo noua verſio ex Hebraico apud Franciſcum Foreriumita legitur. Et quieſcet ſuper eum ſpiritus Iehoua, *Forerius.*
ſpiritus ſapientiæ, & prudentiæ, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & timoris, & olfacere ipſius cũ timore Iehoua. Quare ex hoc loco, Vatablus, & Pagninus tantum numerãt ſex Spiritus Sancti dona. Nam pro *Vatablus.*
eo, quod ad finem huius ſententiæ dicit Iſaias. Et replebit *Pagninus.*
eum ſpiritus timoris Domini, vertunt iſti noui interpretes, odorari faciet eum omnes in timore Domini, vt ſit ſenſus, quod Chriſtus cito odoretur eum, qui timet Dominum, id eſt, cognoſcet bonos, & malos. vel vt eſt apud Forerium, & olfacere ipſius cum timore Iehoua, id eſt, reſpirare ipſius erit in timore, vel cum timore Iehoua; hoc eſt, nihil niſi timorem, religionem, ac pietatem ſpirabit. Cum enim zelus domus dei viſcera eius depaſceret, & ex abundantia cordis os, & oculi, & manus loquantur, quid aliud ſpiraret? & hunc ſenſum voluit vulgata ſequi, dum eum replendum ſpiritu timoris Domini dixit.

Sed nobis non licet relicta ſanctorum Patrum authoritate, ad iſtorum ſententiam deflectere, qui amplectuntur Rabinorum, & Iudæorum ſententiam, ſanctorum Patrũ prætermiſſo conſenſu. Siquidem ſancti Patres ex hoc loco

Iſaiæ

Nazianz. Baſilius. Hierony. Auguſt. Iſychius. Cyprian. Hylarius.

Iſaiæ efficaciter colligũt, ſeptem Spiritus Sancti dona, vt Gregor. Nazian. in Sanctam Pentecoſt. D. Baſilius contra Eunomicum lib. 5. cap. 14. D. Hieron. lib. 4. in Iſaiam cap. 11. D. Aug. contra Fauſtum lib. 12. cap. 15 Iſychius in Leuit. lib. 1. cap. 14. Cyprianus lib. 1. aduerſus Iudæos cap. 20. & Hilarius in Matth. cap. 15. & Eccleſia canit. Tu ſeptiformis munere, &c. Sit ergo exploratum, & certũ apud virum Theologum, quod ex hoc loco efficaciter colligun tur ſeptem dona Spiritus Sancti, nec plura nec pauciora.

Varia ſufficientia ſeptẽ donorum Spiritus Sãcti.

Quare autem præciſe ſeptem enumerẽtur, in huius rei reddenda ratione variant Doctores. Nam aliqui dicunt, quod ſunt ſeptem, quoniam dantur tanquã ſeptem remedia contra ſeptem vitia capitalia; Alij verò dicunt, quod ideo ſunt ſeptem, quia perficiunt vitam cõtemplatiuam, & actiuam, excellentius, quã habitus intellectuales, & morales: Ipſa enim dona cõparantur ad virtutes, ſicut perfectiones ſuperadditæ, ita vt multo magis perficiunt hominem ad vitam actiuam, & contemplatiuam quã ipſæ; ex quibus ita deducunt numerum donorum, Dona enim quæ ſunt perfectiones virtutibus ſuperadditæ, vel perficiunt virtutem pertinentem ad vitam contemplatiuã, aut virtutem pertinentem ad vitam actiuã. Si quo ad vitam contemplatiuã perficiant virtutes, aut perficiũt ipſam virtutem per modũ experientiæ, & guſtus, & hoc fit per donum ſapientiæ, aut per motum intimæ penetrationis, aut ſpeculationis, & hoc fit per donũ intellectus. Si verò quo ad vitam actiuam perficiant, aut perficiunt ipſam virtutem, quantum ad receſſum à malo, & hoc fit per donũ timoris, quo peccatum homo timet, non quidẽ propter pœnam, ſed ex Dei dilectione, vel perficiunt virtutem, quantum ad operandũ bonũ, & hoc duobus modis, quoniam, vel illud bonum oẽs tenentur operari, vel non omnes. Si omnes, duobus iterum modis põt euẽnire: quoniam vel donum in ipſa operatione virtutem perficit tanquã opus ipſum exequens, & hoc fit per donum pietatis: vel tanquã opus ipſum dirigens, & hoc fit per donũ ſcientiæ; ſi quantum ad operationem boni, ad quod non oẽs tenẽtur, duobus iterum modis contingit: quoniam vel donũ perficit virtutem in operatione tanquam opus ipſum arduũ exequens, & hoc fit per donũ fortitudinis, vel tanquã ipſum opus arduum dirigens, & hoc fit per donum conſilij; atque ita patet eſſe ſeptem dona Spiritus Sancti. Et hic modus dicendi eſt iuxta ſententiam Thomiſtarũ diſtinguentium dona à virtutibus, & nihil continet abſurditatis.

Cæterum multo melius alij dicunt, rõnem ſeptem donorum accipi ex eo, quod opponũtur ſeptem vitijs, quæ cauſantur in potentijs animæ, ſcilicet iraſcibili, & concupiſcibil, & rationali ex peccato. Nam in concupiſcibili ex peccato cauſatur duritia, quia non flectitur homo ad ſubueniendum proximo indigenti, contra quam infunditur donum pietatis. In iraſcibili autem ex peccato cauſatur timiditas aggrediendi, & ſuſtinendi ardua pro Deo, & pro bono virtutis cõtra quam fortitudo infunditur. Cauſatur etiam præſumptio, & temeritas, qua aliquis pluris, quam æquum ſit, ſe ipſum æſtimat, cui ſubuenitur per donũ timoris; In parte inſuper rationali efficitur hebetudo reſpectu finis, qua homo à cognitione vltimi finis retrahitur; Contra eam verò infunditur donum intellectus; Cauſatur etiam ex peccato ſtultitia, quando homo retrahitur à deſiderio, & amore vltimi finis, & contra eã donũ ſapientiæ infunditur. Reſpectu verò eorum, quæ ſunt media ad vltimum finem, ex peccato prouenit ignorãtia, qua neſcit homo ea media eligere, quæ maxime ad vltimum finem conducunt, & contra eam infunditur donũ ſcientiæ. Cauſatur tandẽ ex peccato præcipitatio, qua homo magis ducitur paſſione, quam electione, & contra eam donum conſilij infunditur. Septem igitur ſunt Spiritus Sancti dona.

Figuræ ſeptẽ donorum Spiritus Sancti.

Hæc autẽ dona multiplici ſeptenario in ſcripturis ſunt figurata. Iudicum 14. per ſeptem crines in capite Samſonis, quibus manentibus præualere non poſſunt Philiſtei, eis verò abraſis debilis homo redditur, & ad reſiſtendum hoſtibus infirmus, eo quòd eis ſublatis, ab anima pignorum dominus ſimul cedit. Item ſeptẽ filijs Iob. Iob. 1. pro vt exponit D. Greg. 1. Moralium. Septem quippe nobis filij naſcuntur, cum per conceptionẽ bonæ cogitationis in nobis virtutes ſeptem oriuntur. Item ſeptẽ gradibus, quibus aſcendebatur ad portam templi, Ezech. 40. ſicut ait D. Greg. hom. 10. ſuper Ezech. Septem gradibus ad portam aſcenditur, quia per Sancti Spiritus ſeptiformem gratiam aditus nobis vitæ celeſtis aperitur. Item in Apoc. 1. ſeptem ſtellis in dextera Chriſti, quæ præſentem vitã illuminant, quæ nocti rectè comparatur, & propter aduerſitates quibus plena eſt, & propter tenebras duplices, ſcilicet culpæ, & ignorantiæ, quibus abundat. Hæc autem in dextera Chriſti eſſe dicuntur, quia in ſua poteſtate eſt dare cui voluerit, & dona, donorumque auctorem Spiritũ Sãctũ, ſicut ipſe ait Ioan. 15. Spiritum paraclitum, quem ego mittam vobis à patre. Vnde & Chriſtus dextera Patris dicitur Spiritus Sanctus autem huius dexteræ digitus. Dextera enim immediatè à corpore depẽdet digitus ab eo mediante dextera, ita Filius à ſolo Patre eſt, Spiritus Sanctus autem à Patre, & Filio. Multæ ad idem poſſent aptari figuræ, ſed iſtæ exemplariter poſitæ nunc ſufficiant.

D. Gregor.

ARTICVLVS II.

Vtrum ſeptem dona Spiritus Sancti ſint neceſſaria ad ſalutem, permaneantque in vita beata.

DE aliquibus donis videtur eſſe expreſſa ſcripturæ ſententia, quod neceſſaria ſint ad ſalutis conſequutionem. Nam Sapiẽtię 7. ſcribitur. Neminem diligit Deus niſi eum, qui cum ſapientia inhabitat. & Eccleſiaſt. cap. 1. Qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari.

De omnibus autem ſic per Theologicas rationes probari poteſt. Deus vt optimus Rector, & Prouiſor vnicuique naturæ prouidet de medijs conſentaneis, quibus propriũ conſequatur finem, ſed homo duos fines habet, videlicet naturalem, & ſupernaturalem; Naturalis quidem, vt viuat ſecundum rõnis normam, & regulam, & vt rerũ naturas intelligat, & ad hunc finem conſequendum indidit ei intellectum, & voluntatem, & primorum principiorum euidẽtiam, in quibus omnibus ſciẽtia innititur, & incumbit. Vt igitur homo hunc finem naturalem cõſequeretur, neceſſum fuit ei conferre virtutes intellectuales atque morales, quibus rectè inſtitueret vitam ſecundũ rationis regulam: ſupernaturalis verò finis eſt, vt vniatur per viſionem, & fruitionem ſummæ, ac primæ veritati; ad hanc autem vnionem obtinendam non ſufficiunt virtutes intellectuales, & morales humanitus acquiſitæ: quoniam cum finis ſit ſupernaturalis, oportet omnino media eſſe ſupernaturalia. Vt igitur homo finem ſuũ ſupernaturalem conſequeretur neceſſum fuit Deum in animam deſuper infundere virtutes tres Theologicas, fidem, ſpem, & charitem, quibus homo rectè diſponitur ad conſequendã æternam beatitudinem; huiuſmodi autem virtutes non diſtinguũtur eſſentialiter à donis, vt videbimus art. 9. ergo, &c.

Præterea dona eſſe neceſſaria ad ſalutem poteſt confirmari ex illo Pſal. 142. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Item ex illo Apoſt. ad Rom. 8. Qui Spiritu Dei aguntur hi ſunt filij Dei, & ex illo, quod in eodem loco dixerat Apoſt. Qui Spiritum Chriſti non habet hic non eſt eius, ille autem Spiritum Chriſti propriè habere videtur, in quo idem Spiritus requieſcit, qui requieſcit in Chriſto, atque adeo in quo eſſe Spiritus ſapientiæ, & intellectus, &c. Sicut fuit in Chriſto iuxta illum locũ Iſaiæ. 11. atque huc etiam pertinet illud, quod ad Rom. 5. dixerat Apoſt. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. Non enim mouetur aliquis perfectè à Spiritu Sancto per dona, niſi perfectè Spiritus Sanctus ipſi vnitus ſit, quod fit per charitatem. Ex quibus locis ſequi videtur, dona ſaltẽ quo ad habitum eſſe hominibus neceſſaria, vt perueniant ad beatitudinem. Dixi ſaltem quo ad habitum, quia vſum iſtorum donorum minimè ſentiendũ eſt eſſe neceſſarium, vt enim paruulos omittamus, qui abſque vllo actu proprio poſſunt per Chriſti merita conſequi ſalutem; ex adultis certè compertes ſunt, qui actibus tantum virtutum ordinarijs promerentur, & adipiſcuntur beatitu. finem. Vnde Apoſtol. ad Roman. octauo, non dixit. Qui Spiritu Chriſti nõ agitur, hic non eſt eius, ſed qui Spiritu Chriſti

non habet, vt nimirum indicaret habitus ipſorum donorum Spiritus Sancti non etiam vſum eſſe neceſſarios.

Dona Spiritus Sancti quomodo maneant in patria.

Quod autem huiuſmodi dona in vita beata permaneant, his, quæ diximus explicando litteram Magiſtri, nihil ſupereſt addendum, niſi quod donum ſapientiæ eundem actum habebit in patria, quem habet in via, ſed in patria erit perfectior, & hic actus eſt Deum contemplari ſecundum ſe, & eſt intelligendum de principali actu ſecundum ſe. Actus autem doni intellectus erit ſimplici intuitu Deum videre in creaturis vnico actu, & omnia, quæ de Deo refulgent in creaturis. Actus conſilij, cui ſecundum Greg. 1. Moralium, tribuitur, quod ratione animum repleat, & mentem illuminet, & id quidem perfectiſſimè in beatitudinis ſtatu conſeruabitur. Cæterum actus conſilij, qui in via eſt inuenire quid agendum per inquiſitionem, non remanebit in patria, quia vt dicit D. Damaſ. Hoc eſt ignorantis naturæ, ſed actus eius erit per conuerſionem mentis in Deum videre, quomodo homo debeat ſe ad quemlibet habere. Actus fortitudinis erit de plenaria euaſione terribilium perfectè gaudere; Vel quia fortitudini tribuitur conſtanter, & inuictè bono inhærere; actus eius erit perfectiſſimè in vita beata inſeparabiliter adhætere Deo ex perfectiſſima Dei dilectione. Timores verò, & audacia à vita beata procul erũt. Actus ſcientiæ erit rectè iudicare, quomodo homo ſe habere debeat ad quemcunque, nam dono ſcientiæ tribuitur rerum omnium humanarum, & temporalium certa, & exacta cognitio, quæ omni dubio procul permanebit in patria. Actus pietatis erit, Deo ſicut ſummo patri mentalem cultum exhibere, & cuilibet alij modo ſuo in quantum eſt inſignitus Dei imagine: Nam dono pietatis multa opera attribuuntur, ſed potiſſima pietatis officia in vita beata erunt cultus Dei, atque Sanctorum.

D. Greg.

D. Dam.

De actu timoris poſſumus bifariam loqui iuxta duplicem modum dicendi: Quidam enim dono timoris duplicem aſſignãt actum, vnum qui eſt timere Dei offenſam, & alium, qui eſt gaudere de euaſione diuinæ offenſæ ſub ratione, qua diuina offenſa eſt arduum malũ, & hic actus ſecundus (vt dicunt) in patria perfectiſſimè permanebit.

Quidam verò dicunt, quòd timor filialis, (qui ſolus eſt donum Spiritus Sancti) in ſtatu præſentis vitæ habet tres actus. Primo facit nos timere, ne Deum, vt patrem peccato offendamus; Secundo, ne ex offenſa repellamur, & ſeparemur ab eo; Tertio facit nos eum vt patrem reuereri, & voluntati ſubijci. Donum timoris quantum ad primum, & ſecundum officium, non remanet in patria, ſed dumtaxat ſecundum tertium officium, quoniam ex charitate perfecta Deo reuerentiam, & honorem, & voluntariam ſubiectionem beati, vt filij dilectiſſimo Patri exhibent. Iuxta illud Apoc. 7. Sancti in cęlis Deum colunt dicentes: Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſæcula. Amen.

Poſſet etiam dici, quod omnia dona remanebunt in patria quantum ad habitum, ſed non omnia quantum ad actum; Nam dona perficientia vitam actiuam quantum ad actum euacuabuntur in patria; at perficientia hominem in contemplatiua vita, non ſolum quo ad habitum, ſed etiam quo ad actum remanebunt, nec id mirum, quia hoc nõ repugnat gloriæ. Et ſi dicatur, in Chriſto, qui fuit Beatus, fuerunt omnia dona, & quo ad habitum, & quo ad actum, ergo & in beatis remanere poſſunt vtroq; modo: Inſuper aliquæ virtutes remanebunt in patria, igitur, & dona. Reſpondeo, quod non currit ſimilitudo de Chriſto, & de beatis, quia Chriſtus fuit comprehenſor, & viator, & ideo potuerunt eſſe dona in ipſo perficientia ipſum non ſolum quantum ad vitam contemplatiuam, quæ ad beatitudinem pertinet, ſed quo ad vitam actiuam in qua degunt viatores. Beati verò ſimpliciter comprehenſores erunt, & nullo modo viatores; ideo in ipſis dona minime erunt perficientia in vita actiua, ſed ſolum illa, quæ in vita contemplatiua perficiunt.

Ad Secundum dico, quod remanebunt quantũ ad habitum, ſicut virtutes, & non quantum ad actum niſi illa tantum, quæ ad vitam contemplatiuam pertinent.

ARTICVLVS III.

Vtrum in voluntate ſint facultates iraſcibilis, & concupiſcibilis, & penes quid diſtinguantur.

De hac re agit Doct. in hac quæſt. ſub. litt. F. §. Quarum diſtinctio, vt aliqualiter videatur, &c. Vbi docet, quod vis cõcupiſcibilis reſpicit illud, quod ex ſe natum eſt eſſe conueniens, vel diſconueniens; ita, vt nullo alio poſito circa ipſum niſi ſola apprehenſione facta, natus eſt ſequi actus delectandi, & triſtandi, ſiue proſequendi, vel fugiendi, quantum eſt ex parte eius; Talia non reſpicit iraſcibilis; actus enim iraſcibilis eſt iraſci, quod ſecundum Philoſ. 2. Rhetor. eſt apprehendere vindictam ſecundum rationem apparentem, propter apparentem paruipenſionem; igitur obiectum iraſcibilis eſt vindicare, vel verius (ſi hoc eſt actus eius) vindicabile, ſeu punibile, quod poſſet dici iraſcitiuum, vel vſitatiori modo loquendi, offendens, &c.

In hac littera oſtendit Scotus, quod appetitus iraſcibilis, & concupiſcibilis diſtinguũtur penes obiecta, & ſimiliter penes actus, & primo oſtendit hoc in parte ſenſitiua; ſecũdo in parte intellectiua. Oſtẽdit itaque primo, quod in appetitu ſenſitiuo iraſcibilis, & concupiſcibilis diſtinguũtur ex obiectis, quia aliud eſt obiectum concupiſcibilis, & aliud iraſcibilis. Nam obiectorum appetibiliũ quædam ex ſe primo ſunt appetibilia, quæ videlicet ex ſe ſunt conuenientia, vel diſconuenientia, ita vt apprehenſa (omni alio circumſcripto) moueant potentiam ad proſecutionem, vel fugam; quia ſtatim delectant, vel contriſtant. Alia ſunt appetibilia non primo, vel ex ſe; ſed quaſi ſecundario, propter illa primo appetenda, vel fugienda, vtpote quia impediunt appetitum circa primo conuenientia, vel diſconuenientia; impediunt quidem in proſequendo, vel fugiendo, atque ita impediendo offendunt appetentem, Verbi gratia, cibus proportionatus eſt primo, & per ſe conueniens appetitiui animalis, ideo nullo alio poſito, animal ipſum proſequitur, præuia tamen eius apprehenſione; Impediens verò animal ne cibum aſſequatur, ſcilicet cibum auferendo, vel animal ab eius proſecutione prohibendo, diſconuenit animali, & offendit, nõ quidem primo, & ex ſe, vt tale ens in ſe præſens, ſed quia impedit proſecutionem cibi, vnde ſi non impediret, quantumcunque eſſet præſens, non offenderet, nec appetitum moueret.

Primum appetibile pertinet ad concupiſcibilem, quia concupiſcibilis, inquit Doct. reſpicit illud, quod ex ſe natum eſt eſſe conueniens, vel diſconueniens, ita vt nullo alio poſito circa ipſum niſi ſola apprehenſione eius, natus ſit ſequi actus delectandi, vel triſtãdi, ſiue proſequendi, vel fugiendi, quantum eſt ex parte eius.

Secundum appetibile pertinet ad iraſcibilẽ, cuius obiectum non eſt illud, quod eſt primo cõueniens, vel diſconueniens, ſed quod impedit illud, quod eſt primo conueniens, ſcilicet vindicabile, ſeu punibile, quod poſſet dici iraſcitiuum, vel vſitatiori modo loquendi, offendẽs, quod offendens, vt diximus, non dicitur ſtatim diſconueniens concupiſcibili, ſed quia impedit illud, quod eſt primo conueniens appetitiui; offendens itaque eſt obiectum iraſcibilis, & conueniens, aut diſconueniens ſunt obiectum concupiſcibilis.

Et ſi dicas, offendens eſt diſconueniens; ergo diſconueniens eſt obiectum iraſcibilis, & concupiſcibilis, atque adeo non diſtinguuntur ex obiectis. Dico quod illud, quod eſt primo obiectum iraſcibilis, ſcilicet offendẽs, vel diſconueniens, non eſt primo obiectum concupiſcibilis, & hoc ſufficit Doctori.

Diſtinguuntur etiam ij appetitus per actus: quia actus cõcupiſcibilis eſt proſequi, vel fugere delectans, vel contriſtans, ſed actus iraſcibilis eſt iraſci; Iraſci autẽ eſt appetere vindictam (vt docet Philoſ. 2. Rhetor) ſecundũ rõnem apparentem, propter apparentẽ paruipenſionẽ. Vnde non ſatis eſt animali fugere offendens (quod ad concupiſcibilem ſpectat reſpectu primo diſconuenientis) ſed appetit

repel-

Digitized by Google

repellere, & ſe vindicare: Non enim iratus appetit dumtaxat amouere impediens, ſed amouere, & vltra punire; in tantum, quod nonnunquam omiſſo primo concupiſcibili, in cuius proſecutione impeditus eſt, etiam impedimento ceſſante, tendit in vindictam offendentis; atque ita iraſcibilis eſt quaſi propugnatrix, & deſenſatrix concupiſcibilis, dum inſurgit contra ea, quæ impediunt conuenientia, quæ concupiſcibilis appetit, & ingerunt nociua quæ concupiſcibilis refugit.

Iraſcibilis autem circa offendens habet quoddam nolle, non quidem propriè refugientis; ſicut concupiſcibilis nolens refugit, ſed magis reſpuentis, ſiue repellentis: quia iraſcibilis nolens repellit: non enim concupiſcit amouere tantum impediens, ſed etiam vltra punire, vt dictum eſt.

In appetitu duplex eſt nolle.

Vnde obſeruandũ eſt quod in appetitu duplex eſt nolle, primum eſt nolle refugientis. Secundum eſt nolle repellentis, Verbi gr. Canis primo nõ vult carere ſuo cibo, & hoc nolle pertinet ad concupiſcibilem. ſecũdo nõ vult offendens, & iſtud pertinet ad iraſcibilẽ, quod nolle non eſt tantum refugientis, ſed magis repellentis, patet de cane, qui videns alium canonem venientẽ, qui vult ei auferre carnem, vel os; dimittit os; & illum repellendo, facit eum fugere, ita vt non tantum concupiſcit amouere impediens, ſed etiam punire, atque ita actus iraſcibilis eſt velle vlciſci, vel nolle impediens, & quando obiectum nolitum non punitum eſt ad huc præſens, ibi iraſci eſt cum triſtitia, ne dum concupiſcibilis, ſed etiam cum triſtitia iraſcibilis; nam ſicut ad poſitionem obiecti noliti in concupiſcibili ſequitur triſtitia; ita ad poſitionem obiecti noliti in iraſcibili ſequitur triſtitia, & hoc contingit quando iraſcibilis habet actum imperfectum, quando ſcilicet deſiderat vindicare, ſed non poteſt, velut quando canis videt ſe non poſſe ſuperare offendens, relinquit ei carnem, & tũc in eius iraſcibili eſt propriè triſtitia, & dolor; quando autem appetit vindicare, & actu vindicat, tunc habet actum perfectum, & actus eius ex parte concupiſcibilis, aſſimilatur fruitioni, & tunc iraſci in facultate iraſcibili eſt ſine triſtitia, imò cum vehementi propria delectatione, ſicut quando canis videns alium canem venientem, qui vult ſibi carnem auferre, dimittit carnem, mordet illum, & fugat, & ad illum actum ſequitur delectatio, vt dicit Ariſt. 2. Rethor. Ira viri quaſi mel.

Sicut ergo cõcupiſcibilis indiget ordinati, circa ea quæ ſunt nata primo appeti, ne illa inordinate appetat, ſed ſecundum moderamen rectæ rationis; ita etiam iraſcibilis indiget moderari per habitum ne immoderate velit propellere offendens, & vlciſci de illo, ſed moderate velit propellere propellenda. Habitus autem quo diſponitur ad repellendum propellenda, nõ eſt nominatus, poſſet autem dici bellicoſitas, vel aliquid tale; habitus verò quo diſponitur ad non repellendum repellenda, ſed ad ſuſtinendum dicitur patientia, & quia difficilius eſt non repellere offendens, quam repellere, ideo patientia eſt nobiliſſima fortitudo, iuxta illud Poetæ Perſij. Nobile vincendi genus eſt patientia, Vincit enim qui patitur.

Perſius.

Iraſcibilis ergo non habet pro obiecto arduum ſiue appetibile, quod eſt obiectum concupiſcibilis, vt dicebat Henr. de Gand. quol. 8. quæſt. 15. ſed ipſum offendens; ita vt actus eius adæquatus eſt velle vindicare, vel nolle offendens, vt eſt quid commune ad actum imperfectum ipſius iraſcibilis, quando ſcilicet iraſcitur ante repulſionẽ, vel ſuſtinentiam, & aſſimilatur ei, quod eſt deſideriũ ex parte concupiſcibilis, & ad actum perfectum, qui aſſimilatur fruitioni in concupiſcibili, quando bene ordinate repellit, vel moderate ſuſtinet: atque adeo obiectum eius eſt vindicabile, vel offendens, & non eſt bonum arduum.

Henr. de Gan.

Et ſi dicas, quòd cuius eſt velle vnum oppoſitum, eius eſt velle alterum oppoſitum, ſed concupiſcibilis eſt velle vnum oppoſitum, ſcilicet conueniens, ergo ipſius eſt nolle alterum, ſcilicet refugere diſconueniens, & offendens; atque ita iraſcibilis, & concupiſcibilis non diſtinguũtur per obiecta. Reſpondet Doct. quod ſemper quando iraſcibilis habet actum ſuum, ſunt ibi duo nolita; aliud concupiſcibilis, & aliud iraſcibilis, vt patet in exemplo poſito de cane, nolitum concupiſcibilis eſt carere cibo, ex qua nolitione ſequitur in cõcupiſcibili triſtitia, ſi nolitum ponatur in eſſe, & hac nolitione concupiſcibilis quaſi refugit nolitũ, ſed non repellit. Eſt etiam ibi aliud nolitum, ſcilicet illud, quod auferi cibum, & illud eſt nolitum ab iraſcibili, non actu refugitiuo, ſed repulſiuo, & dum actualiter non repellitur eſt triſtitia iraſcibilis, & concedo, quòd ſicut concupiſcibilis habet velle conuenientis nempè cibi, ita habet nolle diſconuenientis, nimirum carentiæ cibi. Sed nolitum ab iraſcibili non eſt carentia cibi, ſed offendens, id eſt, auferens cibum.

Pro ampliori intelligentia huius litteræ obſeruandum eſt primo, quod quatuor paſſiones, ſcilicet delectationem, vel gaudium, dolorem, ſpem aut deſiderium, & timorem quidam diſtinguunt quantum ad ſubiecta, dicentes delectationem, vel gaudium, & dolorem, pertinere ad concupiſcibilem, ſpem ſiue deſiderium, & timorem, ad iraſcibilem, quod non eſt intelligendum cum præciſione. Nam quatuor illæ paſſiones inueniuntur in vtraque facultate: Nam iſtæ quatuor paſſiones poſſunt eſſe circa bonum delectabile concupiſcendum, poſſunt etiam eſſe circa offendens vindicandum. Sunt enim circa cõcupiſcibile hę quatuor paſſiones diuerſimode apprehenſum, quantũ ad habere, vel carere, præſentialiter, vel in futuro: Nam apprehenſionem boni præſentis, ſequitur delectatio ſeu gaudium, & apprehenſionem boni abſentis ſequitur ſpes, vel deſiderium; malum verò præſentialiter affligens ſequitur dolor, futurum autem timor. Nam ſicut concupiſcibilis proſequitur bonum apprehenſum, vt conueniens, ita refugit malum contrarium.

Quatuor paſſiones appetitus ſenſitiui quomodo diſtinguãtur.

Similiter in iraſcibili, quæ licet ſit reſpectu offendentis noliti, volita tamen eſt vindicta, & punitio offendentis; quam ſi iraſcibilis perfecte, & præſentialiter exercet, ſequitur delectatio, vt diximus ſupra ex Philoſ. Ita viri quaſi mel. Si vindicta non ſit præſens, ſed deſideratur, ſequitur ſpes, ſi deſperatur punitio offendentis, ſequitur timor; ſi vindicans ab offendente vincitur, ſequitur dolor.

Secundo obſeruandum eſt, quòd hæ paſſiones iraſcibilis ſpecie differunt à paſſionibus concupiſcibilis, quia vt dictum eſt ſunt obiectorum diſtinctorum ſpecie: Nã delectatio concupiſcibilis eſt de bono ſecũdum ſe, & primo conueniẽte, & adepto; Delectatio autem iraſcibilis eſt de vindicta, & punitione offendentis, quæ punitio nõ eſt ex ſe conueniens, ſed quaſi ſecundario propter remotionẽ impedientis concupiſcibilem à conſecutione primi conuenientis; Ita ſpes cõcupiſcibilis eſt reſpectu conſequutionis boni abſentis primo, & ex ſe conuenientis, ſpes iraſcibilis eſt reſpectu obiecti ſecundario conuenientis, id eſt, vindictæ, & punitionis; Pari modo dolor concupiſcibilis eſt de malo primo, & ex ſe affligentis, ſed dolor iraſcibilis eſt de reſiſtentia offendentis præualentis, quaſi ſecundario affligente propter impedimentum conſequendi ex ſe delectabile, vel fugiendi ex ſe afflictiuum. Timor concupiſcibilis eſt de malo futuro ex ſe nociuo; timor, & deſperatio iraſcibilis eſt de reſiſtentia, ac impedimento vincente.

Paſſiones iraſcibilis, & cõcupiſcibilis ſpecie differunt.

Ex his duobus notabilibus infero duo corollaria. Primum corollariũ eſt, quòd vtraque vis concupiſcibilis, & iraſcibilis haud nominantur à paſſione adæquata; Nã timere in concupiſcibili non eſt formaliter cõcupiſcere, nec timere in iraſcibili eſt formaliter iraſci; imò qui multũ timet, ſcilicet deſperans repellere, aut vincere offendẽs, non iraſcitur: Non enim appetit vindictam ſaltem efficaciter, nec inſurgit contra offendentem, ita nec dolor in hac vel illa facultate, eſt formaliter concupiſci vel iraſci; licet oriatur à concupiſcere, & iraſci, Nõ denominatur ergo à paſſione adæquata, ſed denominatur à principaliſſima paſſione, quæ eſt concupiſcere, & iraſci.

Primũ corollariũ.

Secundum corollarium. Spes iraſcibilis minuit dolorem concupiſcibilis; Nam minus timet, minusq́; dolet de malo præſenti, vel futuro, dum adeſt ſpes huiuſmodi malum repellendi; Timor autem perfectus iraſcibilis, vel dolor eius auget dolorem concupiſcibilis; Vnde summè dolet appetitus patiens nociuum ſummum præſens, & deſperans nociuum illud repellere; Quod intelligas extenſiuè non intenſiuè, quia licet anima, vel appetitus plus doleat, quando ſecundũ vtranq; vim dolet, tñ vnus dolor alium ſimpliciter non minuit, cũ ſint compaſſibiles, imò ſecunda paſſio oritur ex prima, & effectus nõ minuit, nec auget cauſam, ſed extenſiuè minuitur, vel augetur, quia minus

Secũdum corollarium.

dolet, qui ſecundum vnam facultatem præciſe dolet, & magis extenſiue, qui ſecundum vtranque dolet.

Dolor cõcupiſcibilis diſtinguitur à dolore iraſcibilis.

Ex his patet litera Doctoris cum dicit Patet autem, quod iſti dolores ſcilicet iraſcibilis, & concupiſcibilis non ſunt idem dolor, hoc eſt dictũ, dolor qui ſequitur actum concupiſcibilis modo ſupra explicato, & dolor, qui ſequitur actum iraſcibilis, ſunt duo dolores propter duo nolita poſita in eſſe, quod patet tripliciter. Primo propter intenſionem, quia ſtat quòd dolor in concupiſcibili intẽdatur, & non in iraſcibili, quia ſi offendens offeratur ſub ratione impoſſibilis, ad repellendum, erat maior triſtitia in concupiſcibili, & tamen nõ erit propriè ira; Nullus enim maxime timens iraſcitur, vt docet Phyloſ. 2. Rethor. & tamen timens quanto magis timet, tanto maiorem habet dolorem ipſius concupiſcibilis refugiẽtis, quod timetur. Secundo differunt ex obiectis, quia licet aliquando doleat iraſcibilis de non poſſe vindicare; quando ſcilicet non eſt poteſtas vindicandi; tamen de alio dolet concupiſcibilis, ſcilicet de carentia obiecti concupiti; iraſcibilis verò de præſentia offendentis, quod non poteſt repellere. Tertio differunt; ex parte organi; nam dolor concupiſcibilis fit cum alia immutatione organi in parte ſenſitiua, quã dolor iraſcibilis, Dolor enim concupiſcibilis eſt cum reſtrictione cordis ſicut delectatio oppoſita fit cum dilatatione, dolor autem iraſcibilis, fit cum calefactione, & ebullitione ſanguinis circa cor.

Et ex hoc infert Doct. quod iraſcibilis, & concupiſcibilis in parte ſenſitiua habent diuerſa organa: quia idem non poteſt moueri ſimul diuerſis motibus talibus, atque adeo in parte ſenſitiua iraſcibilis, & concupiſcibilis tripliciter diſtinguuntur, ſcilicet ex obiectis, ex actibus, & ex organis; atque ita patet quomodo in appetitu ſentiente hæ duæ facultates, ſcilicet concupiſcibilis, & iraſcibilis ſedem habeant, & quomodo diſtinguantur.

Iraſcibilis, & concupiſcibilis. Quomodo diſtinguãtur in volũtate.

Et ex his, facili negocio videre poſſumus quomodo diſtinguantur in appetitu rationali; Vnde inquit Doctor, quòd in parte rationali, ſcilicet in voluntate, diſtinguuntur dumtaxat ex actibus, & ex obiectis. Nam voluntati eſt aliquod primo delectabile; nempè bonum ſibi conueniens ſecundum ſe, nimirum beatitudo, vel conueniens appetitui ſenſitiuo, cui coniungitur in eodem ſuppoſito, & cui propter huiuſmodi coniunctionem, nata eſt condelectari, & contriſtari. Poteſt etiam habere voluntas obiectum offendens, & ſecundum rectam rationem, & contra rectam rationem, & reſpicere illud vt offendens; actu nolendi repulſiuo, & imperioſo, vt præſentato per intellectum obiecto valde conuenienti voluntati, vt puta beatitudine voluntas illud deſiderat, & proſequitur. Tunc ſi veniat diabolus, & tenet de fornicatione; voluntas nolens ipſi cedere, fugit ipſum, ipſumque repellit, vt offendens, quod eſt ſecundum rectam rationem. Item voluntas reſpicit inimicum, vt offendens, & licet recta ratio dictet inimicum eſſe diligendum, tamen vult ipſum, imò repellit, & de eo ſi poteſt vindictam ſumit, quod eſt contra rectam rationem.

Non eſt autem iſtarum facultatum in voluntate tertia diſtinctio, ſcilicet ex organis, quia voluntas non eſt organica. Nec oportet dicere, quod alterum iſtorum magis ſit vis, & alterum potentia, quam è cõuerſo; ſicut dicebat

Henr. de Gan.

Henr. vbi ſupra qui volebat, quod concupiſcibilis ſit principalis potentia, iraſcibilis autem quædam vis eius; non enim ſic diſtinguũtur, ſed ſicut ratio, ideſt intellectus diſtinguitur in portionem ſuperiorem, & inferiorem per comparationem ad diuerſa obiecta: Prout enim reſpicit æterna, dicitur portio ſuperior, pro vt autem reſpicit temporalia, portio inferior appellatur, & tamen eſt ſimpliciter eadem potentia; Ita iraſcibilis, & concupiſcibilis ſunt penitus eadem potentia, ſed diuerſas ſortiuntur appellationes, propter actuum, & obiectorum diuerſitatem. De vi autem inquit Doctor. neſcio quid oporteat loqui; eſt enim verbum ſuperfluum, atque adeo ſicut eſt ſimpliciter eadem potentia, quæ operatur circa obiectum ſuperius ſcilicet, æternum & inferius, nempè temporale, ſicut dictum eſt in 2. diſt. 16. & 24. eodem etiam modo poteſt dici, circa primo, & ſecundo delectabilia, vel triſtabilia, quod eadem potentia, vel vis omnino eſt ratio operandi; nam potentia eſt illud, quo potens eſt potens, & quo potens eſt fortis: in ſpiritualibus enim idem eſt eſſe potentem, & fortem. Non erit igitur hic diſtinctio niſi ex parte obiectorum in quæ tendit; ſicut ſi diceremus (inquit Scotus) intellectum diſtingui in principia, & concluſiones, in quantũ tendit in cõcluſiones per principia, ſed propter talem diſtinctionem principiorũ, & concluſionũ, nullus diſtinguit intellectum, nec in potentias, nec in vires.

Ex his ergo patet, quòd in vtroque appetitu ſcilicet ſenſitiuo, & rationali, diſtinguuntur iraſcibilis, & concupiſcibilis, ſed non ſicut diuerſæ potentiæ, ſed præciſe ſecũdum rationem; Nam eadem potentia quatenus tendit in bonum, vt in eo delectetur, & quieſcat, dicitur concupiſcibilis, (non diſtinguendo modo concupiſcentiam ab amicitia, quia ad concupiſcibilem in appetitu intellectiuo poteſt pertinere vterque amor) ſed eadem potentia vt tendens in idem obiectum, vt ipſum tueatur, & defendat atque adeo repellens, vel propulſans impediens, ſeu offendens dicitur iraſcibilis. Et poteſt dici quod vbique ſunt eadem potentia in eodem, quia vbique habent eundem modum tendendi in obiectum, & hoc libere, vel non libere. Appetitus autem liber, nempè voluntas, vbicunque eſt, videtur eſſe vnus numero, & ita eiuſdem rationis, & libere tendere in quodcũque obiectum. Appetitus etiam ſenſitiuus in quocunque videtur eſſe vnus; nec apparet neceſſitas ponendi plura, vel plures, vt videtur.

ARTICVLVS IV.

Vtrum tres virtutes morales acquiſitæ, ſcilicet fortitudo, temperantia, & iuſtitia ſint genera intermedia, ſiue ſubalterna, vel ſpecies ſpecialiſſimæ.

Circa huius art. explicationem non eſt quid amplius dicamus, præter ea quę diximus loquentes de virtutibus moralibus ante diſt. 33. huius tertij, & ea quæ addit Doct. ſub. in hac quæſt. ſub litt. K. §. Vlterius ad videndum de beatitudinibus, &c. Vbi inquit Scotus, quod tres virtutes morales acquiſitæ, ſcilicet fortitudo, temperantia, & Iuſtitia ſunt genera intermedia ſiue ſubalterna. Vult dicere Doct. quod licet enumerentur ſecundum ſe quatuor virtutes Cardinales in genere; tamẽ ſunt plures, quam quatuor ſecundum ſpeciem, quia nõ eſt tantum vna iuſtitia, ſed plures ſecundum ſpeciem, ita etiam non eſt tantum vna temperantia, nec vna fortitudo. Vnde in hoc articulo tres concluſiones explicandæ ſunt.

Prima Concluſio. Temperantia non eſt vna virtus ſecundum ſpeciem ſpecialiſſimam, hanc concluſionem probat Doctor ex obiectis temperãtiæ ſpecie diuerſis. Nam prima concupiſcibilia videntur eſſe duo ſcilicet honor, vel voluptas, vel delectatio ſtrictè ſumpta: Nam omne id, quod alicui eſt primo bonum ideſt, conueniens; aut eſt bonum honeſtum, vel bonum vtile, vel etiam delectabile; Bonum honeſtum eſt id, quod ſecundum ſe eſt appetibile, vt honor; bonum vtile, & delectabile eſt id, quod allicit quidem, ſed non eſt propter ſe appetibile, ſed propter aliud; atque adeo bonum vtile non poteſt eſſe primo motiuum ad concupiſcendum, quia non concupiſcitur niſi in ordine ad aliud, quare non eſt computandũ inter primo appetibilia, quia ſemper alteri cõcupiſcitur. Auarus enim diligit pecuniam, verũ ſibi, aut alteri, ſed primo appetibile ſemper delectat, & ſua vi allicit, abſque hoc, quod illud ſibi, vel alteri cõcupiſcat, quia eſt ex ſe appetibile; Ex quo ſequitur quod bonũ delectabile, & bonum vtile; non ſunt primo concupiſcibilia, quia non concupiſco delectabile, niſi quatenus me delectat, atq; adeo non eſt primo appetibile, ſed appetibile propter me Quando itaq; dicit Doc. hic quod delectabile eſt primum concupiſcibile; intelligendum eſt non ſimpliciter, quia tantũ bonũ honeſtum eſt ſic primo appetibile, ſed bonũ delectabile cũ additione ſcilicet in ſe; non cõparando illud mihi, & hoc quidẽ modo bonum delectabile eſt primũ concupiſcibile: Nã ſi accipiatur bonũ delectabile quatenus habet rõnem boni delectabilis mihi, iam nõ habet rationem primi appetibilis,

1. Concl.

Prima cõcupiſcibilia ſunt duo.

Quod

Digitized by Google

Quod autem bonum vtile non ſit primo appetibile, probat Doct. ex D. Ioann. 1. Cano. cap. 2. dicente. Omne, qđ eſt in mundo, aut eſt cõcupiſcentia carnis aut cõcupiſcẽtia oculorũ, aut ſuperbia vitæ: Nã cõcupiſcentia oculorũ, quæ reſpicit diuitias, non põt eſſe primũ concupitũ, loquendo de diuitijs quatenus ſunt bonũ vtile, & non bonum delectabile, quod intelligitur per concupiſcentiam carnis. Quoniam ſi loquantur de diuitijs, quatenus ſunt pulchræ, hoc eſt quatenus ſunt bonum delectabile, ſic poſſunt primo concupiſci; ſicut aliquod pulchrum viſibile.

Ita, quod prima concupiſcibilia à natura rationali, vt dictum eſt ſunt duo, ſcilicet honor, & delectatio ſtricte ſumpta, igitur primæ ſpecies temperantiæ, quæ moderantur circa concupiſcibilia ſunt duæ; illa, quæ moderatur circa honores dicitur humilitas, quæ verò circa voluptates retinet nomen generis, ſcilicet temperantiæ, & quot poſſunt eſſe voluptates diſtinctæ ad quas voluntas inclinatur, & quas moderari poteſt temperantia, tot poſſunt eſſe ſpecies temperantiæ, puta altera circa guſtabilia, & altera circa tangibilia, & non ſolum de voluptatibus ſenſitiuis de quibus delectatur voluntas coniũcta, ſed etiam de voluptatibus proprijs ipſi voluntati, vt voluntas eſt: Quoniam, & voluntas Angeli poteſt appetere bonum delectabile, licet non habeat appetitum ſenſitiuum, ipſi voluntati coniunctum.

Quod autem illæ temperantiæ diſtinguantur, & ſint ſpecies diſtinctæ probatur per ſeparationem; quia circa aliqua poteſt eſſe ſumma delectatio, & circa alia nulla. Nam poteſt quis temperatus eſſe ſimpliciter circa venerea, vt volens vti tantum ſua, vel ſimpliciter nolens vti, ſed volens ſimpliciter continere, & intemperatus eſſe circa guſtabilia, volens comedere non comedenda, vel nolens comedere comedenda; poteſt etiam aliquis eſſe temperatus circa ſenſibilia; & intemperatus circa ſpeculabilia; puta ſi voluntas eius delectetur in hoc, quod intellectus ſummæ ſpeculatur intelligibilia, cuius ſpeculatio non eſt multum vtilis ſecundum ſe; ſicut eſſet nimia delectatio circa notitiam curioſam aſtrorum cœli, & motuum eius, impediens ſtudium rerum ſalutarium, & neceſſariorum; atque ideo moderanda eſt cum ſecundum ſe ſit immoderata; & ſecundum multiplicitatem delectationum ſpiritualium moderamine indigentium multiplicantur ſpecies temperantiæ.

Nam dicit D. Paulus, non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, vbi etiam tranſtulit D. Hieronymus; ſed ſapere ad temperantiam; ergo videtur, quod ne dum temperantia ſit circa paſſiones appetitus ſentientis; ſed etiam circa paſſiones ſpirituales. Vnde & D. Petrus inquit, ſtate ſuccincti lumbos mentis veſtræ. & D. Paulus. Actorum... Non inſanio optime Feſte, ſed verbo ſobrietatis loquor. atque ita patet, quomodo temperantia eſt vnum genus ſub alternum habens ſub ſe multas ſpecies: Quia ſi perficit hominem in ordine ad bonum honeſtum, ſcilicet in ordine ad honores; eſt vna ſpecies temperantiæ, quæ appellatur humilitas, quatenus verò perficit hominem, in ordine ad bonum delectabile ſi perficit circa voluptatem veneream; eſt vna ſpecies temperantiæ, quæ poteſt appellari caſtitas; ſi circa appetibile, & delectabile guſtus, eſt alias ſpecies, quæ appellatur ſobrietas, atque ita de alijs.

D. Hiero.

2. Concl. Secunda Concluſio, Fortitudo, quæ eſt vnica ſecundũ genus habet ſub ſe plures ſpecies, hæc concluſio ex his, quæ diximus ſupra loquentes de hac virtute ſatis patet. Nam licet propriè loquendo de Fortitudine, vt de illa loquitur Phil. 3. Eth. c. 9. non ſint fortitudinis plures ſpecies eo, quia fortitudo nõ eſt reſpectu terribilis cuiuſcunque, ſed eius principale, & formale obiectum eſt repentinum mortis periculum in bello communi, ſeu particulari propter honoris Principis, & Reipub. iuſtam defenſionem, quod quidem obiectum in plura obiecta differentia ſecundum ſpeciem non diſtinguitur, loquendo ſaltem de ſpeciebus in genere moris, vt explicauimus ſupra, & ob quam cauſam dicit Doct. quod non oportet ſpecies fortitudinis explicare; tamen poſſumus ipſius fortitudinis duas aſſignare ſpecies quarum vna ſit fortiter ſuſtinere terribilia, quæ vocatur patientia; quæ vt ſupra diximus eſt nobiliſſima fortitudo, quippe, quæ non repellit repellenda, hoc eſt, quæ inclinat ad non repellendum triſtia, & terribilia, & illud non repellere eſt quidem actus poſitiuus, id eſt, velle non impedire, quod eſt nolle impedire aduerſa terribilia, ſeu pati alia. Alia eſt fortitudo in aggrediendo, & repellendo terribilia, & aduerſa, quæ retinet nomen fortitudinis; vel poteſt appellari bellicoſitas, vt diximus ſupra; & vtraque vincit, ſed longe nobilius patientia; quam repellens fortitudo.

Tertia Concluſio. Iuſtitia habet ſub ſe multas ſpecies atque adeo eſt genus ſubalternum probatur. Cum enim iuſtitia ſit virtus dirigens appetitum, ſcilicet voluntatem in ordine ad alterum: poteſt aliquis ſe habere ad alterum dupliciter, primo communicando ſe alteri, quantum poteſt ſe illi communicare. Secundo communicando illi aliquid aliud quam ſe, vt puta communicando ſua. Virtus inclinans ad primum actum, ſcilicet ad communicandum ſe alteri quantum poteſt ſe communicare illi, dicitur amicitia, quia quis dat ſe ipſum proximo, quantum poteſt ſe communicare illi, & quantum proximus poteſt eum habere, & hæc eſt perfectiſſima virtus moralis; quia virtus iuſtitiæ, quæ ordinat ad alterum eſt ſimpliciter perfectior, quam ſit virtus recte ordinans hominem ad ſeipſum; amicitia autem eſt perfectiſſima ſpecies iuſtitiæ. Vnde ſequitur ſecundum Doct. amicitiam eſſe excellentiſſimam omnium virtutum moralium. 3. Concl.

Amicitia eſt perfectiſſima omniũ virtutum moralium.

Si autem communicet proximo aliud à ſe; aut communicat ei bona extrinſeca, vel bona intrinſeca; vt bona pertinentia ad conuictum humanum, ſiue ad vitam humanam. Iuſtitia ordinans circa bona extrinſeca, reſpectu quorum homines indigent communicatione, dicitur Iuſtitia commutatiua, & frequentius dicitur iuſtitia pro tanto, quod ea, quæ ſic communicantur, communicantur illi, à quo recipitur aliquod æquiualens, vt patet in emptione, & venditione.

Si verò communicat ei aliquod neceſſarium ad conuictum, id eſt, ad ſimul in aliqua communitate ciuili, vel domeſtica conuiuendum; aut ergo eſt regimen, & hoc conuenit præſidenti, & hæc ſpecies iuſtitiæ eſt innominata, poſſet tamen dici præſidentia, vel dominatio iuſta; aut communicat ei ſubiectionem iuſtam; & hæc denominatur a ſubijci; & poteſt appellari obedientia. Vlteriores virtutum Cardinalium ſubdiuiſiones pro nunc reſcinduntur, Tum quia de eis egimus ſupra loquentes de virtutibus Cardinalibus; Tum quia illæ, quæ dictæ ſunt ſufficiunt ad propoſitum.

ARTICVLVS V.

Vtrum ad perficiendum hominem ſufficiant virtutes Theologicæ infuſæ, & quatuor morales acquiſitæ.

QVæſtio propoſita in hoc art. requireret explicationem illius controuerſiæ, an præter virtutes infuſas Theologicas, & morales acquiſitas, ſint aliæ morales ſuapte natura infuſæ, ſed quia illam tangit Doct. infra diſtin. 36. ideo vſque ibi differatur. Pro explicatione autem huius quæſtionis ponit Doctor hanc Concluſionem. Non ſunt neceſſarij in via niſi illi habitus, qui ſunt virtutes morales, intellectuales, & theologicæ; quã concluſionem dicit ſe tenere ſine aſſertione, & ante quã illam probet præmittit aliqua notabilia. Concluſ.

Primum notabile eſt, quod ratione naturali concluditur neceſſitas habitus intellectualis perficiens intellectũ, circa ſpeculabilia, & habitus perficientis intellectum circa operabilia, atque ita probatur neceſſitas habitus ſpeculatiui, & practici; vt patet ex Ariſt. 6. Meth. Conſimiliter ratione naturali concluditur neceſſitas habitus perficientis appetitum, circa ea, quæ ſunt appetibilia in ordine ad ſe; & vlterius circa appetibilia in ordine ad alterum; atque ita habetur diſtinctio virtutis appetitiuæ ordinantis euiuſmodi potentiã, in ordine ad ſe, & ad alterum, vt infra magis explicabimus. *Ariſt.*

Secundum notabile eſt, quod præter iſtos habitus, licet

Digitized by Google

cet forte concludatur per rationem naturalem, quod homo non perficitur ſufficienter iſtis habitibus, ſicut nititur oſtendere ſolutio 1. q. prologi neceſſitatem alterius cognitionis, quam acquiſitæ, (& dicit forte, quia non oſtenditur, nec oſtendi poteſt ratione naturali neceſſitas ſcientiæ ſupernaturalis) tamen ratio naturalis non ſufficienter concludit, quis habitus intellectus diſtinctè, & quis appetitiuus ſit neceſſarius alius ab illis. Sed rationabiliter tenetur propter illas perſuaſiones, quæ poſitæ ſunt in illa 1. q. prologi, quod præter iſtos habitus, ſcilicet naturales ſpeculatiuos, & practicos, eſt neceſſarius ille habitus cognitiuæ, & illi habitus appetitiuæ, quos Eccleſia Catholica docet eſſe neceſſarios, & fide tenemus tres virtutes Theologicas eſſe neceſſarias perficientes immediate animam, id eſt, intellectum, & voluntatem reſpectu obiecti increati.

Ex iſtis notabilibus ſic probat Doct. concluſionem, illi habitus dumtaxat in viatore ſunt ponendi, quibus perficitur circa omne obiectum, quantum in via perfici poteſt, ſed huiuſmodi ſunt præciſe ſeptem virtutes in genere, præter ſcientias ſpeculatiuas acquiſitas, quas pro nunc miſſas facimus; ergo præter ſcientias ſpeculatiuas acquiſitas, nullus eſt habitus in viatore ponendus alius ſimpliciter à ſeptem virtutibus. Probatur minor. Obiectum circa quod perfici poteſt viator, vel eſt Deus, vel creatura. Sed circa Deum ſufficienter perficitur tribus virtutibus Theologicis; & hoc perfectiſſimè quantum perfici poteſt; illi tres habitus ſint perfectiſſimi in ſuo genere, hoc eſt, ſi habet illas virtutes in habitu valde intenſo, nam ſecundum hoc dicuntur perfectiſſimæ.

Circa creaturam verò (non loquendo de ſpeculatiuis acquiſitis) intellectus perfectiſſimè perficitur per prudentiam, ſi prudētia ſit perfectiſſima, hoc eſt, in ſupremo gradu intenſa; Ipſa enim eſt de omni agibili, & quantum ad omnem conditionem agibilis perfectiſſima notia. Similiter quantum ad appetitum, ſcilicet voluntatem, perfectiſſimè perficitur tribus virtutibus moralibus, ſi ſint perfectiſſimæ, id eſt, in ſupremo gradu intenſæ; quia tam circa alium, & appetibile alteri; quam circa ſe, & appetibile ſibi; & hoc, vel primo, & directe, id eſt, circa proprium, & immediatum actum, vel ſecundario propter illa prima, id eſt, circa actus aliarum virtutum; & hoc intelligendo de iſtis quatuor virtutibus Cardinalibus, ſcilicet Prudentia, Iuſtitia, Temperantia, & Fortitudine, quod non ſint in aliquo vnus habitus numero, qui ſit ſibi vniuerſalis Temperantia, vel vniuerſalis Iuſtitia, hoc eſt, circa omnia; adeo vt Iuſtitia non ſit vnus habitus numero, & ſic de alijs, ſed ſit vnus habitus genere continens ſub ſe plures ſpecies, quæ ſunt in anima, ſcilicet in voluntate, in ſuis proprijs ſingularibus; ſunt enim plures, verbi gratia, ſpecies temperantiæ, quæ ſunt vnus habitus genere, & prædicatione, ſed non vnus numero; Alia eſt enim temperantia circa materiam Virginitatis, alia circa materiam caſtitatis coniugalis, alia circa caſtitatem vidualem, alia circa ſobrietatem, &c. Et ſimiliter alia eſt prudentia circa temperantiam, alia circa fortitudinem: & idem dicatur de fortitudine, & iuſtitia.

Cæterum iuſtitia eſt duplex, vna legalis, quæ eſt communis omnibus virtutibus, de qua dicitur in Euangelio: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra &c. Et altera eſt iuſtitia moralis, quæ ordinat hominem ad alterum, vel ad ſe ipſum quaſi ad alterum, quod dixi propter pœnitentiam,
Scotus. quam Scotus, in 4 diſtin. 14. quæſt. 2. dicit eſſe ſpeciem iuſtitiæ; quæ etſi non ordinet ad alterum, ordinat tamen ad ſe ipſum quaſi ad alterum; omnes autem ſpecies iſtarum quatuor virtutum ſunt in anima in ſuis ſingularibus.

Per tres autem virtutes Theologicas ſufficienter perficitur Viator circa Deum immediate; quia alios actus ordinatos circa Deum habere non poteſt Viator, quam intelligere, & diligere Deum in ſe, & appetere Deum, vt bonum commodum ſibi; ſufficienter ergo perficitur Viator quoad Deum, ſi perficiatur quo ad intelligere Deum, & quo ad ipſum diligere, vt bonum in ſe, & propter ſe, & vt bonum commodum viatori; Sed quantum ad primū, ſcilicet circa Deum, vt immediate cognoſcendum in via, ſufficienter perficit fides; quia de Deo in via non poteſt haberi, niſi cognitio fidei, ſicut dictum eſt ſupra diſt. 24. Quo ad ſecundum, ſcilicet circa Deum, vt diligibilem in ſe, & propter ſe, ſufficienter perficit charitas: & quo ad tertium, ſcilicet, vt appetibilem, & commodum mihi, ſufficienter perficit ſpes, vt determinatum eſt ſupra in quæſtionibus de ſpe, fide, & charitate; ergo circa Deum non ſunt alij habitus neceſſarij, pro conſequenda ſalute niſi fides, ſpes, & charitas perficientes viatorem in ſtatu viæ.

Pari modo circa omne aliud bonum à Deo, quod viator reſpicit, vt obiectum, ſufficienter perficitur habitibus intellectualibus, & appetitiuis, ſcilicet Prudentia, quæ eſt habitus intellectualis, & Iuſtitia, Temperantia, & Fortitudine, qui ſunt habitus appetitiui. Sed iſti habitus intellectiui, id eſt, diuerſæ ſpecies prudentiæ perficientes intellectum ſunt virtutes intellectuales, & illæ ſufficienter perficiunt Viatorem, quantum poſſibile eſt, ad conſiderandum, & ſyllogizandum practice: Nam intellectus per ſpecies prudentiæ cognoſcit omnia agibilia circa creaturas quantum ad omnem conditionem agibilis. Habitus etiam appetitiui, ſunt virtutes appetitiuæ, quæ ſufficienter perficiunt viatorem, ad appetendum ſiue ad diligendum proſequendum, vel ſugiendum, ſiue in ordine ad ſe per temperantiam, & fortitudinem, quo ad concupiſcibilem, & iraſcibilem; ſiue in ordine ad aliud per iuſtitiam. Ideo homo perfectus tribus virtutibus Theologicis, & virtutibus ſpeculatiuis, & practicis intellectualibus, atque etiam virtutibus moralibus ordinantibus ad ſe, & ad alterum, perficitur, quantum poteſt competere viatori, & hoc quo ad actus ad ſalutem neceſſarios. Quia præter illos ſeptem habitus, plures ſunt habitus ſpeculatiui, & practici, vt Metaphyſici, Mathematici, naturales, rationales; & ſimiliter habitus factiui artium Mechanicarum, loquendo de habitibus acquiſitis, ſed iſtorum habituum actus non ſunt neceſſarij ad ſalutem.

Loquendo etiam de habitibus infuſis, multi alij ſunt habitus ab iſtis ſeptem: Nam 1. ad Corint. 12. dicit D. Paulus. Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiritu; Alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu; Alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum &c. Sed non omnes ſunt neceſſarij ad ſalutem ſingulari, & priuatæ perſonæ: Nam bene poteſt quis ſaluari ſine dono prophetiæ, & ſine dono interpretationis ſermonum, & ſine gratia miraculorum &c. Sed ſolum illi tres habitus Theologici, ſcilicet fides, ſpes, charitas, ſunt omnibus ſimpliciter neceſſarij ad ſalutem; Adultis verò videntur etiam neceſſarij quatuor habitus virtutum moralium.

Cæterum vt magis explicet Doct. ſuam concluſionem, ponit ſufficientiam omnium habituum, iuxta duplicem modum, & primo ſic. Habituum alius intellectiuus, alius appetitiuus; Intellectiuus duplex; acquiſitus, & infuſus. Acquiſitus ſpeculatiuus, practicus, ſpeculatiuus, realis, rationalis; Realis Metaphyſicus, Mathematicus, Phyſicus. Rationalis Logicus, Rhetoricus, Grammaticus. Practicus circa agibile,
vel circa factibile: circa agibile, prudentia;
circa factibile, lana, nemus, miles, na-
uigatio, rus, Medicina, ars fabri-
lis. Infuſus, fides. Appetitiuus
acquiſitus, infuſus, acqui-
ſitus in ordine ad ſe,
Fortitudo, Tem
perantia:
in ordine ad aliud Iuſtitia. In-
fus in ordine ad ſe ſpes, in
ordine ad alterum
charitas.

Habituum

Digitized by Google

- Habituum alius.
  - Intellectiuus.
    - Acquiſitus.
      - Speculatiuus.
        - Realis.
          - Metaphyſicus.
          - Mathematicus.
          - Phyſicus.
        - Rationalis.
          - Logicus.
          - Rhetoricus.
          - Grammaticus.
      - Practicus.
        - Circa agibile. Prudentia.
        - Circa factibile.
          - Lana.
          - Nemus.
          - Miles.
          - Nauigatio.
          - Rus.
          - Medicina.
          - Ars fabrilis.
    - Infuſus. Fides.
  - Appetitiuus.
    - Acquiſitus.
      - In ordine ad ſe.
        - Fortitudo.
        - Temperantia.
      - In ordine ad alterum. Iuſtitia.
    - Infuſus.
      - In ordine ad ſe. Spes.
      - In ordine ad alterum. Charitas.

Secundò ſic. Habituum alius infuſus, alius acquiſitus; Infuſus, intellectualis, Fides; appetitiuus in ordine ad ſe; Spes in ordine ad alterum Charitas. Acquiſitus, Intellectualis, appetitiuus. Intellectualis ſpeculatiuus, Practicus; ſpeculatiuus realis, Metaphyſicus, Mathematicus, Phyſicus; Rationalis Logicus, Rhetoricus, Grammaticus. Practicus circa agibile, Prudentia; circa Factibile, Lana, Nemus, Miles, Nauigatio, Rus, Medicina, Ars Fabrilis. Appetitiuus in ordine ad alterum, Iuſtitia; in ordine ad ſe, Fortitudo, Temperantia.

- Habituum alius.
  - Infuſus.
    - Intellectualis. Fides.
    - Appetitiuus.
      - In ordine ad ſe; Spes.
      - In ordine ad aliud. Charitas.
  - Acquiſitus.
    - Intellectualis.
      - Speculatiuus.
        - Realis.
          - Metaphyſicus.
          - Mathematicus.
          - Phyſicus.
        - Rationalis.
          - Logicus.
          - Rhetoricus.
          - Grammaticus.
      - Practicus.
        - Circa agibile. Prudentia.
        - Circa factibile.
          - Lana.
          - Nemus.
          - Miles.
          - Nauigatio.
          - Rus.
          - Medicina.
          - Ars fabrilis.
    - Appetitiuus.
      - In ordine ad alterum Iuſtitia.
      - In ordine ad ſe.
        - Fortitudo.
        - Temperantia.

Dicit ergo Doctor notandum vlterius, quod ſicut habitus in genere qualitatis eſt quoddam genus intermedium, adeo vt ſicut non eſt ſpes ſpecialiſſima, ita nec eſt genus generaliſſimum; ſed eſt genus ſubalternum habens ſub ſe multas ſpecies, & multa genera intermedia, antequam veniat ad ſpecies ſpecialiſſimas; ſiue enim diuidatur primo, per intellectualem, & appetitiuũ (ſecundum primam diuiſionem ſupra aſſignatam) quod videtur probabile, & vlterius vtrunque horum per acquiſitum, & infuſum; ſiue è conuerſo primo

diuidatur

diuidatur per acquiſitum, & infuſum (iuxta ſecundam diuiſionem ſuperius aſſignatam) & vtrunque per intellectualem, & appetitiuum, ſaltem vlterius intellectuale acquiſitum, diuiditur per ſpeculatiuum, & practicum; & appetitiuum acquiſitum in ordine ad ſe, & ad alterũ. Acquiſitum autem ſpeculatiuum diuiditur per realem, & rationis; vel quia eſt circa ens reale, vel rationis; & hoc ideo dicit: quia omnis habitus intrinſece, & formaliter eſt realis; ſed vltra hoc poteſt dici extrinſece, & obiectiue realis, vel rationis, ſi verſatur circa ens reale, vel rationis. Habitus, qui eſt circa ens reale diuiditur diuiſione illa, quæ habetur 6. Met. t. c. 2. nimirum in Mathematicum, naturalem, & diuinum, & quodlibet membrum ſubdiuiditur forte multis ſubdiuiſionibus antequam perueniatur ad ſpecies ſpecialiſſimas; ſed illis dimiſſis, quia ſcientia ſpeculatiua, non perficit hominem ad bene moraliter viuendum. Habitus practicus acquiſitus, diuiditur in eum, qui eſt circa agibile, & in eum, qui eſt circa factibile, & qui eſt circa agibile habet ſubdiuiſiones antequam deueniatur ad ſpecies ſpecialiſſimas, vt viſum eſt ſupra; Qui autem eſt practicus circa agibile diuiditur multiplici diuiſione: quia neque ſcientia practica, neque prudentia eſt vna circa omnia agibilia. Diuerſorum enim agibilium tanquam diuerſorum obiectorum, diuerſi ſunt habitus; imo, vt videbimus infra diſtin. 36. de connexione virtutum, quælibet virtus moralis habet ſpecialem prudentiam ſibi connexam, ſiquidem alia ſpecies eſt prudentia, quæ eſt circa obiectum fortitudinis, alia, quæ eſt circa obiectum temperantiæ; atque alia, quæ verſatur circa obiectum iuſtitiæ, vnde ſecundum diuiſionem virtutum moralium poſſet ſubdiuidi prudentia.

De tota autem hac diuiſione habitus intellectiui, non accipitur in numero virtutum, niſi vna virtus infuſa, quæ eſt fides; & quoddam genus intermedium ad multas practicas, quæ dicitur prudentia; atque ita connumerando, ſpecies ſatis communes poſſunt haberi, ſcilicet fides, prudentia, & ſcientia ſpeculatiua. Verum quia ſcientia ſpeculatiua, nõ perficit hominẽ ad bene operandum; ideo non connumeratur inter virtutes cardinales: minus enim eſt neceſſaria homini ad recte viuendum, quam prudentia; & etiam quam fides ad recte viuendum politia Eccleſiæ.

Appetitiuæ etiam poſſunt poni quatuor, duæ acquiſitæ, & duæ infuſæ, ſtando in ipſis ſpeciebus ſub habitu appetitiuo infuſo, & acquiſito; ſub infuſo quidem primo ſunt ſpes, & charitas; ſub acquiſito autem, virtus diſponens appetitum ad ſe, & ad alterum; quæ ad alterum vocatur nomine communi, quod eſt iuſtitia, quæ autem ad ſe ipſum, non habet nomen commune; & forte illa eſt ratio quare non ſtatur in illa numeratione bimembri virtutum cardinalium, ſcilicet ad ſe, & ad alterum, ſed deſcenditur ſub illa ad alias proximas ſub eis. Appetibilium enim ad ſeipſum, quædam ſunt appetibilia ex ſe, quæ ſecundum ſe nata ſunt ſtatim conuenire appetitui; & quædam etiam ſunt primo fugibilia, quæ ſcilicet ſtatim ſunt nata diſconuenire. Alia ſunt appetibilia non primo, & alia non primo fugibilia; ſed ſecundario, propter illa primo appetibilia, & primo fugibilia. Virtus enim in communi, quæ diſponit circa prima, vocatur temperantia, quæ circa ſecunda, fortitudo, & prima pertinet ad concupiſcibilem, & ſecunda ad iraſcibilem.

Appetibile eſt duplex.

Pro ampliori huius literæ intelligentia obſeruan. eſt, quòd duplex eſt appetibile, ſcilicet ad alterum, & hoc eſt obiectum iuſtitiæ: & ad ſe, & hoc eſt duplex; Vnum quod poſita prius obiecti apprehenſione eſt natum conuenire appetitui, vt præſentato potentiæ viſiuæ pulchro viſibili ſtatim conuenit, & apprehenſo à potentia cognitiua, ſtatim appetitur a facultate appetitiua; & huic contrarium eſt primo fugibile, quia ſtatim præſentatum, & apprehenſum natum eſt diſconuenire, & odio haberi ab apprehendente; quemadmodum eſſet turpe viſibile.

In voluntate primum appetibile eſt Deus, & primum fugibile, eſt ſumma miſeria; hæc duo, ſcilicet primum delectabile eſt primum triſtabile, ſunt obiecta temperantiæ, & fortitudinis, quæ ſunt virtutes moderatiuæ inordinate delectabile, & inordinate triſtabile, & actus circa iſta obiecta ſunt in facultate concupiſcibili, quæ habet duos actus, ſcilicet delectari ex præſentia obiecti delectabili, & contriſtari de obiecto triſtabili præſente.

Aliud eſt appetibile non primo, ſed ſecundario, quod non eſt appetibile propter ſe, ſed propter aliud, vt Petrus non eſt primo conueniens cani; ſed ſecundario, quia ſcilicet dat illi panem, vel carnem; Aliud eſt etiam fugibile ſecundarium, quod non ſtatim præſentatum eſt diſconueniens, ſed propter aliud, vt Petrus, vel baculus, poſita ſola apprehenſione ipſorum, non ſunt diſconuenientes cani, ſed quia arcent eum à carne, vel à cibo, quod eſt ei primo conueniens; & iſta ſunt obiecta fortitudinis, & actus illorum ſunt in facultate iraſcibili, quæ ſimiliter habet duos actus ſicut concupiſcibilis, ſcilicet nolle repellendo, id eſt, velle poſitiue repellere; quod ſi faciat ſequitur lætitia, & delectatio; ſin autem triſtitia, habet etiam aliud nolle negatiuum, id eſt, nolle repellere repellenda; vt quando poſitiue non repellit reppellenda; ſed actu poſitiuo tolerat illa, quod pertinet ad patientiam, vt diximus ſupra.

Ex his ſequitur primo, quod proprius habitus perfectiuus concupiſcibilis eſt temperantia, & ſi loquamur de temperantia, vt eſt proprie virtus, intelligendum eſt de concupiſcibili in parte rationali: Nam vt diſtinctione præcedenti dictum eſt, loquendo proprie de virtutibus ſunt ſubiectiue in voluntate; ponitur tamen temperantia, ſed nõ quatenus eſt virtus, etiam in appetitu ſenſitiuo.

Secundo ſequitur, quod proprius habitus perfectiuus iraſcibilis eſt fortitudo in communi; loquendo tamen de fortitudine, & iraſcibili; ſicut dictum eſt de temperantia, & cõcupiſcibili, ſcilicet, de iraſcibili in appetitu rationali; & de fortitudine prout eſt, proprie virtus moralis.

Tertio ſequitur, quod duæ virtutes infuſæ; ſcilicet ſpes, & Charitas perficiunt concupiſcibilem, ſpes ſecundum affectionem commodi, charitas verò ſecundum affectionem iuſtitiæ: quia Deus, quem iſtæ virtutes infuſæ habet pro obiecto, eſt tantum volibilis, non autem nolibilis; atque adeo non ponitur ſpes in iraſcibili; vt dicebat Henr. de Gand. quia iraſcibilis reſpicit pro obiecto aliquod nolitum, at Deus non poteſt eſſe nolitus.

Quarto ſequitur, quod licet iſtæ duæ virtutes, ſcilicet fortitudo, & temperantia maneant indiuiſæ, tamen diuidi poſſunt per multas ſpecies, quia non dicitur duplex fortitudo, duplex temperantia &c. Tamen in connumeratione virtutum cardinalium remanent indiuiſæ.

Quinto ſequitur, quod in connumeratione omnium virtutum, ſunt tres Theologicæ, & quatuor cardinales, de Theologicis habetur ab Apoſt. 1 Corint. 13. de moralibus Sap. 8. vbi legitur. Sobrietatem, & Prudentiam docet, iuſtitiam, & virtutem, id eſt, fortitudinem, quibus in vita nihil vtilius eſt hominibus. Et iſte numerus ſeptenarius ſimpliciter perficit viatorem; ita vt ſecundum gradus iſtarum virtutum in ſpecie ſua ſit ipſe perfectus: ſecundum enim, quod iſtæ ſunt intenſiores, & remiſſiores, ſecundũ hoc eſt magis, vel minus perfectus, & ſi ſint intenſiſſimæ quantum poſſunt eſſe in via, eſt homo ſimpliciter perfectus, quantum poteſt eſſe in via; Nam aliquis habet iuſtitiam in gradu heroico; aliquis in gradu infimo; & aliquis in gradu medio; Aliquis eſt temperatiſſimus, aliquis minus, & aliquis mediocriter; & qui habet iſtas virtutes in gradu heroico, eſt ſimpliciter perfectus quantum poteſt eſſe in via. Non curando modo de perfectione, quæ habetur per virtutes ſpeculatiuas acquiſitas, quæ prius ſunt excluſæ, quia illæ non faciunt hominem moraliter bonum.

Per iſtas igitur ſeptem virtutes intelligendo de eis, & earum ſpeciebus neceſſarijs, de quibus dictum eſt ſupra, ac etiam dicemus magis infra; ſi ſint in ſe perfectiſſimæ eſt homo ſimpliciter perfectus, & circa Deum in ſe, & circa omnia alia à Deo, vt intelligibilia ratione practica, & vt appetibilia, vel ſibi, vel alteri, & hoc in ordine ad ſe, in quem poſſunt ex ſe virtutes acquiſitæ; vel in ordine ad finem vltimum, in quem poſſunt virtutes acquiſitæ cum charitate, mediante regula fidei.

Articulus

Digitized by Google

ARTICVLVS VI.

Vtrum virtutes diſtinguantur à donis, quia virtutes hominem perficiunt modo humano, & dona modo ſuper humano.

Henricus. HEnricus de Gādauo quol.4.queſt.23.docet ſeptē dona Spiritus Sācti eſſe habitus diſtinctos à virtutibus, quā ſententiā hoc modo explicat. Sicut hō ſpiritualis carnē ſuā nutrit & fouet, vt ſaluetur Dei creatura, & in deſiderijs ſuis implendis eam negligit, ne offendatur diuina iuſtitia, ſic e contra homo carnalis carnem ſuam per vniuerſa vitia effluere ſinit, cōtemnendo diuinam iuſtitiam, ne offendantur eius deſideria. & dicit Henr. quod tam in viris ſpiritualibus, quam carnalibus, quidam modo humano faciunt; quidam modo ſuper humano, & quidam modo inhumano, & ſecundū hoc tanquam ex operibus nobis notis ſecundū gradus perfectionum per ordinem diſtinctos diſtinctionem ponimus ſecundum gradus, & ordinem in habitibus laudabilibus, & ſimiliter in vitijs eis oppoſitis.

Hoc declarat ſumendo exemplum ex parte ſpiritus quoad habitum ſtudioſum, ſcilicet fortitudinem, & quo ad habitum vitioſum ex parte carnis, ſcilicet luxuriam. Modo humano carnem ſuam negligit in deſiderijs ſuis explendis, qui, ne offendat iuſtitiam, carnem ſuam etiam mortis periculo exponit, & hoc facit homo ſpiritualis proprie per virtutem fortitudinis, vt virtus eſt, & præciſam rationem virtutis habet, cuius eſt mediare inter audaciam, & timiditatem: Nam audax temeritate quadā carnem ſuam non pauleſcit exponere maximo periculo mortis, & tali periculo, quod terribile eſt omni homini intellectum habenti. Timidus vero puſillanimitate quadam carnem ſuam periculo mortis exponere formidat in minimo timendo, ſcilicet non terribilia, vt terribilia; vt ſi quis timeret muris ſonum timidus eſſet; ſicut audax & temerarius, qui terræmotus, fulgura, exuſtiones, quæ vere terribilia ſunt, non timeret, vt docet Commentator. 3.Ethic.cap.5. fortitudo autem, quæ virtus eſt, curam gerit carnis, non exponens eam mortis periculo niſi quando, & quomodo oportet, & hoc ne offendat iuſtitiam, & bonum virtutis. Qui tamen fortis eſt ſecundum fortitudinem, quæ eſt virtus, cum triſtitia, & cum dolore ſuſtinet aſpera carnis, & vellet non ſuſtinere; & nollet adeſſe opportunitatem ſuſtinendi talia, ſed cum adſunt, quaſi conditionaliter mauult talia ſuſtinere, quam bonum virtutis oſtendere, vt docent Ariſtot. 3.Ethic.& D.Auguſtin.13. de Trinit. cap.7.

Contra autem modo humano carnalis homo curam habet carnis ſuæ in deſiderijs ſuis explendis; quando hoc facit quærendo delectationes modo naturali, & intra limites naturæ; quemadmodum illi, qui cum ſingulis mulieribus nullam diſcernendo, modo tamen conuenienti, carnis voluptate fruuntur. ſecundum quod dicit Phil.7. Ethic. Malitia, quę eſt ſecūdum hominem, ſimpliciter dicitur malitia; vt circa Venerea hominibus conuenientia, id eſt, cum mulieribus commiſceri, vt dicit ibi Commentator.

Modo ſuper humano homo ſpiritualis carnem ſuam in explendis deſiderijs ſuis negligit, qui ne offendat iuſtitiam, & uirtutis bonū, modo ſuper humano carnē ſuam periculo mortis exponit, quod facit per donum fortitudinis, quod tamen non facit niſi quādo, & quomodo oportet, &c. ſicut dictum eſt circa fortem per virtutem fortitudinis, hoc excepto, quod fortis uirtute fortitudinis ſubit mortis periculum cū anxietate & dolore; fortis uero dono fortitudinis cum gaudio, & exultatione, quemadmodū fecerunt plures ex ſanctis martyribus Chriſti. Vnde legitur quod B. Laurētius in articulo mortis ſuper craticulam poſitus dixit, Gaudeo planè quia hoſtia Chriſti fieri merui; attendens illud Lucæ 6. Gaudete, & exultate &c.

E contra modo ſuper humano homo carnalis curam carnis ſuæ habet in deſiderijs ſuis explendis, quando hoc facit modo ſupernaturali, & ſupra limites naturę; quemadmodum ille, qui circa Venerea non quærit delectationes, niſi per malitiam exquiſitas, non ad quas per ſe natura inſtigat, ut eſt delectatio coitus in corrumpendo paruulas puellas, ut dicit Commentator 7.Ethic.

Modo inhumano ſpiritualis homo carnem ſuam in deſiderijs ſuis explendis negligit, qui eidem inhumaniter uaide, uelut aſino, uix neceſſaria uictus, & ueſtitus adminiſtrat, quemadmodum faciebat Seraphicus Pater noſter Franciſcus, qui corpus ſuum frequenter Aſinum appellabat, & omnibus miſerijs illud exponebat, deſiderans & affectans quantum in ſe erat, ut ipſum pro bono uirtutis, & proximi, morti exponeret, & dolebat ac triſtabatur, quia tardabat, quaſi odio habens uitam præſentem præ deſiderio uitæ futuræ, attendens illud Ioan.12. Qui odit animam ſuam in hoc mundo &c. Vnde dicebat etiā D.Paulus ad Philip.1. Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto, ubi dicit Gloſſa. Qui cupit diſſolui, & eſſe cum Chriſto non patienter moritur, ſed patienter uiuit, delectabilius moritur. Vide hic Apoſt. non amare uitam. ſed tolerare, tædium illi erat manere in carne, unde paſſioni appropinquans uehemēter exultabat, & gloriabatur. Quod facit fortis per fortitudinem, quæ eſt beatitudo illa, de qua Matth. 5. Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. *Gloſſa.*

E contra modo quodam inhumano carnalis homo curam ſuæ carnis habens contra modum naturæ, & contra naturæ limites eam libidine commaculat, ut exerceat Venerea cum beſtijs, uel cū maſculo maſculus, uel ut ponamus exemplum circa gulam, cum delectatur ueſci humanis carnibus, & potari humano ſanguine; de quo Philoſ. ſufficienter & expreſſe tract.7. Ethic. uocando malitiam hanc beſtialitatem quandam, ſub qua etiam comprehendit malitiam ſuperhumanam, & per huiuſmodi malitiā ſuper humanam & inhumanam coniectat a cōtrario, tanquam per nobis notius, habitus cōtrarios, ut dicit ibidem Commentator. quos ſub uno habitu comprehendit, quē appellat uirtutem heroicam; diuinam ſcilicet quandam, & ſuper nos uirtutem, qua ut dicit ex hominibus fiunt Dij propter uirtutis excellentiam. unde Commentator.7. Ethic. cap.1.

Ex his patet inquit Henr. quomodo adinuicem ſe habeant uirtutes, dona, & beatitudines; quod uidelicet ſemper dicitur eſſe opus uirtutis, ut uirtus eſt in quolibet genere uirtutis, cum illud agat ut homo, & modo humano. Dicitur uero opus doni, ut donum eſt, cum illud agit ut homo, ſed modo ſuperhumano. Opus uero beatitudinis dicitur, ut beatitudo eſt, cum illud agit non ut homo, ſed ut iam Deus quidam factus eſt, & ideo modo non humano tanquam non exiſtens homo, & nihil curans de carne hominis.

Bene ergo agentes ſecundum uirtutes quatenus uirtutes ſunt boni homines ſunt, ut homines ſecundum communem ſtatum bonorum conuerſantur. Bene autem agentes ſecundum dona quatenus dona ſunt, boni homines ſunt inquantum homines, ſuper cæteros homines tamen; at bene agentes ſecundum beatitudines boni homines ſunt, non ut homines, ſed ut Dij, non ſolum ut homines ſuper cæteros homines ſeſe erigentes. Ad quem ſtatum nos uocat Deus ſecundum D. Auguſt. ſuper Ioan. ſermone primo exponens illud.1.Corint.10. Cum ſint in uobis ſchiſmata non ne homines eſtis? Dicit D.Auguſt. noluit quod eſſēt Dij, ſicut dicitur in pſal.81. Ego dixi Dij eſtis. Adhoc ergo nos uocat Deus ne ſimus homines. *D. Aug.*

Ad hunc tertium modum eſt uirtus heroica quam uirtutem coniecturat Philoſ. opponi beſtialitati, quæ eſt inhumana malitia circa delectationes, & talis uirtus eſt hominibus iam Deo unitis & ſemideis admirabilis quędam & ſupernaturalis, cum ad ſummum uirtutis attingunt, & ſuper omnes homines uirtutem dirigens, & Deos homines faciens;

Et tandem ad queſtionem reſpondens dicit Henricus, quod uirtutes dona, & beatitudines habitus ſunt; Virtutes uero acquiſite ut acquiſitæ, differunt à donis, & beatitudinibus non ſolum ſecundum gradum, ſed ſecundum finem. Virtutes enim acquiſitæ vt morales, & ſimiliter ſpeculatiuæ vt ſunt acquiſitæ, habent finem boni operationem, vel veri cognitionem, vt eſt conſiſtens intra limi-

tes na-

Digitized by Google

tes naturæ, & modo naturali; Dona autem, & beatitudines, ac etiam virtutes acquiſitæ, vt ſunt gratuitæ, habent finem, non operationem, vel cognitionem circa bonum, & verum, niſi ſuper limites naturæ conſtituta, & modo ſupernaturali. Similiter virtutes infuſæ, ſcilicet fides, ſpes, charitas differunt à donis, quia inferior ſemper in illis habitibus ad actionem propriã ſuperioris nullo modo poteſt attingere, ſicut nec aliqua moralium virtutum ſecundum genus ſuum ad actionem magnanimitatis, neque virtus ſerui, vt ſeruus eſt, ad virtutem domini, vt dominus eſt, quæ vt dicit Philoſ. in 1. Politicæ, non differunt ſecundum magis & minus, ſed ſecundum gradus naturæ, vt inferius nunquam poſſit attingere ſuperius, propter quod oportet vt ſemel principans ſemper principetur, & ſemel naturaliter ſeruus ſemper ſit ſeruus, ſicut ibi determinat. Vult ergo Henric. quod virtutes, & dona ſunt habitus differentes, quoniam donum poteſt in id, in quod non poteſt virtus.

Ariſt.

D. Thom. Hanc eandem ſententiam videtur docere D. Tho. 1. 2. q. 68. artic. 1. vbi vult, dona eſſe habitus per hoc à virtutibus differentes, quod potentias animæ perficiunt ad actiones quaſdã heroicas, non quatenus eiuſmodi actiones actiuè eliciuntur ab ipſis potentijs, ſiue per vim naturalem ipſarum, ſiue per vim aliquam ſupernaturalem ipſius additam, ſed qua ratione peculiariter procedunt ex diuino quodam Spiritus Sancti inſtinctu, quo mens noſtra plerunque mirabiliter ſolet agi, & impelli ad quædã opera præſtantia & rara, quarum rationem aliquis vix poteſt aliquando reddere, neque ſcire quo pacto fuerit ad ea impulſus. Virtutes autem concurrunt ad hæc, & ad alia etiam ordinaria opera ea ratione peculiari, qua proficiſcuntur actiuè ex ipſis potentijs: atque ita in vſu donorum homo potius agitur, in vſu autem virtutum habet ſe potius, vt agens. Quæ differentia (inquit Valentia. tom. 2. diſputat. 5. q. 8. puncto 1.) formaliter loquendo etiam tunc cerni poteſt, quando eadẽ actio heroica procedit, & ab habitu virtutis, & ab habitu doni, poſſumus enim in eiuſmodi etiam actione conſiderare, & quod peculiariter proficiſcitur ab inſtinctu Spiritus Sancti, quo pacto conſiderata, referenda eſt in donum, & quod procedit etiam ab homine, vt ab agente quodã ſecundario, quo pacto propriè elicitur à uirtute.

Scotus. Contra hanc opinionem arguit Doct. in hac q. ſub litt. P. §. Sed cõtra hoc obijcitur &c. Et primo contra id, quod dicit Henr. quod virtutes perficiunt hominem modo humano. Contra. Charitas perficit modo inhumano, & charitas eſt virtus, ergo virtutes non diſtinguũtur, quia perficiunt modo humano, & dona modo ſuper humano, cõſequentia eſt nota: quia charitas eſt uirtus. & antecedens patet, quia charitas perfectiſſimo modo perficit, ergo perficit modo ſuper humano, vel inhumano: quia tam perfectè perficit, quam perfectè quiuis alius habitus perficere poteſt. conſequentia eſt nota, quia ille habitus perficit modo inhumano, qui perficit modo perfectiſſimo. antecedens probatur ex D. Auguſt. 15. de Trinit. cap. 19. dicente, quod charitas eſt excellentiſſimum donum Dei. & ſecundum Apoſt. 1. ad Cor. 13. Si fortitudinem habuero, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam &c. (quod uidetur eſſe modo inhumano uelle ardere pro Deo) charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt, igitur non uidetur eſſe aliquod donum, quod excellentius perficiat, quam charitas.

Carthuſ. Nec ualet reſponſio Dionyſij Carthuſiani in 3. diſ. 34. queſt. 1. dicentis quod D. Tho. & Henr. quando dicunt dona uirtutibus eminere, non loquuntur de uirtutibus Theologicis, ſed intellectualibus atque moralibus, quoniam non aſſignaſſent ſufficientem rationem diſtinctionis inter uirtutes & dona; cum abſque controuerſia charitas ſit uirtus.

Præterea ſecundo circa terribilia per ſolam uirtutem fortitudinis, poteſt aliquis rectè agere, rectius, & rectiſſime, atque adeo modo humano, ſuper humano, & inhumano, ergo per hoc non diſtinguuntur uirtutes à donis, & beatitudinibus. conſequentia eſt nota, & antecedens probatur: quia actus uirtutis moralis poteſt eſſe remiſſus, intenſus, & intenſior, ac proinde habitus ipſe uariari poteſt per intenſum & remiſſum, qui gradus non uariãt ſpeciem, ergo idem habitus ſpecie diſponit ad ſuſtinendũ modo perfecto, & ſupremo, ſicut & infimo. Cum enim rectè agit per uirtutem fortitudinis, agit modo humano, cum rectius, modo ſuper humano, cũ rectiſſimè, modo inhumano. Et ſi dicas, quod non eodem habitu, ſed alio, id eſt, quod alia eſt fortitudo ſpecie per quam agit quis rectè, ab illa, per quam agit rectius, & rectiſſimè. Contra ergo ille habitus, qui diſponit ad ſuſtinere in infimo gradu, ſcilicet modo humano, de neceſſitate eſt imperfectus quantum ad actum ſuum & obiectũ; quia ad hoc, quod perfectè ſe habeat circa ſuſtinere terribilia; non poteſt habere perfectiorem, ſed ad hoc quod perfectè ſe habeat ad illud oportet quod habeat habitum aliũ in ſpecie; atque ita omnis uirtus moralis de neceſſitate eſſet imperfecta; quia non poſſet diſponere niſi ad actum imperfectum; ſed pluralitas ſpecierum non uidetur ponenda ſine neceſſitate manifeſta, ubi ſcilicet una ſpecies non ſufficeret, quod non apparet in propoſito.

Carthuſianus ubi ſup. dicit, quòd circa terribilia, imo circa aliarum obiecta uirtutum, poteſt ſe homo habere bene, & melius, ac optimè per uirtutes; imò per eamdem uirtutem ſucceſſiuè ſecundum triplicem gradum uirtutum, triformemq; ſtatum ſeruientium Deo, puta incipiẽtium, proficientium, & perfectorũ, & hoc in ordine certo intra limites dignitatis uirtutum manere; dona uero perficiunt in gradu, & ordine altiori, per comparationẽ quoque altiorem, ac ſuper naturalem motorem. Sed hæc reſponſio nulla eſt, nec tollit rationem Doctoris; nulla eſt quidem, quia ex ea ſequitur, quod fortis uirtute fortitudinis, poterit operari modo humano, ſuper humano, & inhumano ſecũdum triplicem gradum uirtutis, ergo per hoc non diſtinguuntur uirtutes à donis, & beatitudinibus: & ſi dicas, quod hoc uerum eſt ſtando intra limites dignitatis uirtutum. Contra, ergo alterum ex duobus ſequitur, uel quod omnis uirtus moralis de neceſſitate erit imperfecta, quia non poſſet diſponere, niſi ad actum imperfectum; uel quod pluralitas ſpecierum ſine neceſſitate multiplicaretur, ſi uirtus nempe ſufficit ut ſtudioſus operetur optime, id eſt, perfectiſſimo modo.

Et ſi dicas, quod dona ſunt altiores perfectiones, quæ non ſolum infunduntur à Deo, ſed talis naturæ ſunt ut diſponant hominem ad hoc, ut facile, & prompte moueatur ab inſpiratione Diuina. Contra, omnis uirtus infuſa, imò etiam acquiſita, habet ut reddat hominem habilem ad hoc ut inſpirationi diuinæ reſpondeat, & ei conſentiẽs efficiat opus ſuum. Quod ſi iterum dicas, Virtutes morales infuſas non præſtare facilitatem & promptitudinem, ſed dari ſimpliciter ad operandum, habitus autem donorum ad ſolam promptitudinem, & facilitatem deſeruire. Contra, primo: quia non omnes iuſti hanc promptitudinem, & facilitatem, experiuntur in ſeipſis; & tamen omnibus iuſtis ſecundum D. Thomam, & Henr. dantur hæc dona. Secundò, quia ſi uirtutes infuſæ, uel acquiſitę non præſtant facilitatem, & promptitudinem, cur dicimus habitus donorum infuſos eam præſtare? Quæ eſt ratio, ut hanc facilitatem, & promptitudinem tribuamus donis, & negemus uirtutibus? certè nulla. Tertiò, arguit Doct. Chriſtus triſtabatur in paſſione ſua, ſicut dictum eſt in 1. par. huius 3. diſt. 15 & uniuerſaliter omnis Martyr ſibi dimiſſus, id eſt, niſi fiat circa ipſum miraculũ, quãtumcunque ſuſtineret uoluntarie, non ſine triſtitia quacunque ſuſtinuit; ſicut probatur per D. Aug. 13. de Trinit. cap. 7. Vbi arguit contra Philoſophos dicentes ſe eſſe beatos, quia habuerunt quicquid uoluerunt: quia ſi proſpera acciderunt, illa uoluerunt; ſi aduerſa ſimiliter, quia patienter ſuſtinebant. Arguit autem contra eos dicens, quod in aduerſis non habuerunt, quod uoluerunt: quia quantum erat ex ſe noluerunt ea accidere, ſi tamen accidebant uoluerunt ea patienter portare, ne amiſſa patientia miſeriores eſſent; & hoc uniuerſaliter perſuadetur, quia patientia non poteſt eſſe circa ſecundum ſe appetibilia. miſeri ergo erant in hac uita, quia ſuſtinendo aduerſa habuerunt aliquid, quod non omnimodo uoluerunt: quia obiectum patientiæ ipſorum non erat abſoluta ratione uolibile, ſed ſupportandum patienter.

Ex hac littera Doct. poteſt ſic argui contra Henric. In Chriſto fuerunt uirtutes, dona, & beatitudines. & tamen

Chriſtus

Digitized by Google

Chriſtus nõ egit modo ſuper humano, nec modo inhumano tpe paſſionis, ergo non diſtinguuntur ab inuicem per prędicta. ſcḍ virtutes perficiant modo humano, dona modo ſuper humano, & beatitudines modo inhumano. prima pars antecedentis patet; quia ſi virtutes, quę nullã de ſe imperfectionem dicũt, dona, & beatitudines fuerunt in aliquo, certe perfectiſſime fuerunt in Chriſto. ſecunda pars probatur: quia ille circa terribilia perficitur modo ſuper humano, qui non ſolum ſuſtinet, ſed gaudet, & modo inhumano, qui deſiderat, optatque mortem ſm Henr. at Chriſtus in paſſione ſua triſtatus eſt, & vere doluit, ergo tantum egit modo humano, & tamen Chriſtus dona, & beatitudines habuit. Item Martyres doluerunt, & triſtati ſunt, & ſi aliqui in tormentis gaudebant, hoc fuit per miraculum; ergo &c.

Carthuſianus, vbi ſupra dicit, quod Chriſtus in ſua paſſione habuit triſtitiã, & timorẽ, prout ſunt naturales paſſiones diſpenſatiuè, & ſpontaneè, & ex præuio rõnis iudicio poteſtatiuè, non ex defectu alicuius virtutis, aut doni, aut beatitudinis, de quibus eſt ſermo. Nec obuiat inquit ſi Sancti Martyres nihil aut aliquid talium paſſionũ in ſuis martyrijs ſunt perpeſſi: quoniam actus virtutũ, donorũ, & beatitudinũ in propriis prædominabantur in eis, ſicut de Beatiſſimis Andrea, Laurentio, Vincentio, Agatha clariſſime conſtat; Vnde de glorioſo Andrea, teſtatur S. Bernardus, quod viſa eminus cruce ſeipſum præ lætitia non cepit, nec continere prævaluit. Nec obſtat, quod talia miraculoſe fiebant, cũ oĩa iſta virtutum infuſarum, donorum, beatitudinum, fructuumq; charisinata ſint ſupernaturalia concurrente, & cooperante admirabili gratioſa cooperatione, & inſtigatione Spiritus Sancti.

D. Bernar.

Sed hæc reſponſio nulla eſt; tum quia & ſi Chriſtus Dñs voluntarie aſſumpſit paſſiones conſequentes naturã humanã, quæ ex ſe nullam dicũt imperfectionẽ, vt dictum eſt in prima parte huius tertij, eo facto primo miraculo, quod gloria animæ non redundaret in inferiorem portionem, & in corpus, vere & naturaliter triſtatus fuit, atque doluit, atq; adeo non egit in ſuſtinendo mortẽ niſi modo humano, ergo &c. Tum etiam quia & ſi martyres aliqui cum lætitia, & exultatione tormenta ſint perpeſſi, hoc p ſolas virtutes efficere potuerunt; Nã delectabiliter aggredi, & ſuſtinere triſtitia, ſola fortitudo virtus præſtare põt, vt docet Phil. 2. Ethic. vbi dicit, ꝙ ſignum generati habitus eſt ſuperueniens delectatio. Et D. Greg. 1. Moralium dicit, quod fortitudo donũ dat confidentiã trepidanti; & hoc idem attribuit Ariſt. fortitudini virtuti 3. Ethic. vbi dicit, quod fortitudo facit impauidum in periculis; facere autem impauidum in periculis eſt præſtare confidentiam, atque adeo non ſunt habitus diſtincti. Et ſi dicas, quod imo: quia fortitudo virtus facit cum triſtitia, ſed fortitudo donum cum delectatione, & gaudio, ſicut etiã dicit Philoſ. 3. Ethic. de fortitudine virtute, quod actus eius eſt cum triſtitia. Ad hoc reſpondet Lycon. ibidem, quod quantum eſt ex parte obiecti, & materiæ, actus eſt triſtis: quia obiectum eſt triſtabile, vel contriſtans; ſed quantum eſt ex parte fortis, & perfecte ſtudioſi præcipue actus eſt delectabilis, vt dicit Philoſ. 2. Ethic. Præter quam quod, vt dicit Scotus, ſi aliqui martyres in tormentis gaudebant, hoc fuit per miraculum. Nec obſtat quod dicit Dionyſius, quòd chariſmata virtutum infuſarum, donorum, beatitudinum, & fructuum ſunt ſupernaturalia. Nam eſto, quod ita ſit, tamen habens illa, naturaliter operatur, ſicut miraculoſe illuminatus naturaliter videt, non poſſet itaque fortis fortitudinis dono, (eſto quod eſſet habitus diſtinctus à fortitudine virtute) operari niſi naturaliter, ſi verò recurras vltra hoc ad ſupernaturalem concurſum, cooperationem atque inſtigationem Spiritus Sancti: iam non erit operatio doni, aut fortis fortitudinis dono, ſed miraculoſe proueniet à Spiritu Sancto, quod eſt, quod dicit hic Scotus.

Ariſt.
D. Gregor.
Lyconien.

Quarto arguitur. Si virtutes perficerent tantum modo humano, dona modo ſuper humano, & beatitudines modo inhumano, ſequeretur, quod virtutes dona, & beatitudines eſſent incompoſſibiles; vel quod vnus habitus impediret actum alterius habitus; vel quod poſitis virtutibus, non eſſet neceſſe ponere dona, & beatitudines. Primum conſequens eſt inconueniens: quia omnia hæc fuerunt in Chriſto ſecundum etiam & tertium conſequens eſt abſurdum, ſuppoſita lege Chriſti, quæ ponit æqualem neceſſitatem omnium iſtorum quo ad hominis perfectionem. Conſequentia probatur ſupponendo vnum; nẽpe quod actus omnium iſtorum non poſſunt eſſe ſimul. Impoſſibile enim eſt eumdem hominem agere ſimul eũdem actum, modo humano, ſuper humano, & inhumano, ergo acquiſito dono euacuabitur virtus prius acquiſita, vel infuſa in baptiſmo, vel ſi maneat, impoſſibile erit, quod exeat in actum ſuum, vel non erit neceſſaria: quia ex perfectiori dono poterit exire in actum ſuum, atque adeo adueniente fortitudine, quæ eſt donum, euacuabitur fortitudo virtus. Et eſto, poſſet exire in actum, ſaltem ſequitur, quod virtus fortitudinis non erit neceſſaria; quia fortis poterit exire in actum fortitudinis, ex habitu fortitudinis, quæ eſt donum, eodem modo beatitudines euacuabunt virtutes, & dona; vel ſaltem neceſſitatem eorum, quod videtur inconueniens, & eo maxime ſi ſit ſermo de Theologicis virtutibus; quia charitas non euacuabitur in patria, nec fides, neque ſpes in via.

Carthuſianus, vbi ſupra reſpondens huic rationi dicit, quod non eſt inconueniens, nec abſurdum, eumdem numero actionem ex diuerſis oriri virtutibus, ex virtute quoque dono, & beatitudine; ſicut oratio procedit ex charitate, obedientia, Latria, pietate, iuſtitia, pœnitentia; ex ſapientia quoque, conſilio, pietate; vt donis ſunt; ex cordis munditia, luctu, pace, beatitudinibus. Rurſus idem actus poteſt in principio ſui eſſe minus feruens, & iucundus, deinde feruentior, atque iucundior; ac demum iucundiſſimus, & feruentiſſimus. Denique dato, quod iſta non eſſent, nihilominus dona, & beatitudines ſtarent ſimul, nec vnum euacuaretur per aliud: quoniam non oportet, imo nec naturaliter poſſibile eſt hominem virtuoſum, vnum quemque actum bonum æque perfecte producere. Hæc Dionyſius.

Verum hæc reſponſio non tollit argumentum: nam licet idem actus numero ſecundum diuerſas conſiderationes poſſit ad diuerſas virtutes pertinere, vt verbi gratia, decantatio ſymboli ſi conſideretur, vt quædam Muſica eſt, pertinet ad artem cantandi, ſi verò conſideretur, vt ordinata ad diuinum cultum, ſpectat ad virtutẽ religionis; ſi autem exerceatur ad vitandam hypocriſim, proficiſcitur à virtute veracitatis, ſi denique fiat ad aſſentiendum Deo reuelanti etiam in voce, quæ ſignum eſt eorum, quæ ſunt in mente, tunc ipſa confeſſio fidei, eſt virtutis fidei actus: cæterum ſm viam, & eamdem conſiderationem, vel ſm vnum & eumdem finem proximum impoſſibile eſt, quod idem actus ſit à diuerſis virtutibus; nam actus morales ſpecie diſtinguũtur ex ꝓximis finibus. Præterea actus fortitudinis v.g. ſemper elicitur à fortitudine, licet interdum imperetur ab alijs virtutibus, nempe charitate, Iuſtitia, Religione &c. Nã actus ſemper elicitur ab illo habitu à quo immediate habet regulari, & dirigi; atque adeo impoſſibile eſt, quod idem actus eliciatur immediate à duobus habitibus diuerſis.

Et qñ dicit, quod idẽ actus in principio ſui põt eſſe minus feruens, & iucundus &c. Dico, ꝙ verũ eſt, ſed huiuſmodi diuerſitas non arguit diuerſos habitus: Nã ad actũ perfectiſſimum operandi circa materiam virtutis, ſufficit virtus perfectiſſima, ſic ad actum perfectum perfecta virtus, ad actum perfectiorem perfectior, ad actum perfectiſſimum perfectiſſima, quod poteſt confirmari per Ariſt. qui virtutem heroicam, vel perfectam non diſtinxit à virtute imperfecta, vel minus perfecta, tãquam inter habitus diuerſos, & alterius rationis, vel ſicut inter perfectum, & perfectum: quia & in actu perfectæ virtutis poſuit ſtare fœlicitatem. Nec poſuit alium habitum neceſſarium ad actum fœlicitatis viæ, niſi prudentiam, quantum ad fœlicitatem politicam, & ciuilem, vel ſapientiam, quantum ad fœlicitatem ſpeculatiuam.

Præterea ex ſenten. Dionyſij, & Henr. (Cum circa materiam cuiuslibet particularis virtutis contingat agere illis tribus modis, ſcilicet humane, ſuper humane, & inhumane) ſequitur quod circa quamlibet materiam cuiuslibet virtutis erit donum aliquod, & beatitudo aliqua, atque itaque quot erunt virtutes in ſpecie, tot erunt dona, & è contrario, quod nullus concedit.

Et cum dicit poſtremo, quod beatitudines, dona, & virtutes ſtant ſimul: quia non oportet, imo non eſt poſſibile hominem virtuoſum vnumquemq; actum bonum &c. Hoc nihil eſt; quoniam cum circa eamdem materiam non poſſit homo ſimul operari modo humano, ſuperhumano, & inhumano: Nec ſit neceſſarium ſi poteſt operari modo ſuper humano, quod operetur modo humano; vel ſi poteſt modo inhumano, quod operetur modo ſuper humano, vel humano; ſequitur euidenter, quod virtutes non ſtarent cum donis, & beatitudinibus, ſed omnino ſuperfluerent.

Quinto arguit Doct. Iſta vocabula ſuper humane, & inhumane, ſunt metaphorica; Nam omnis actus hominis proprie loquendo eſt humanus, ſicut enim neceſſariũ eſt actum rectum conuenire obiecto, fini, & alijs circumſtantijs; ita eſt neceſſarium, quod conueniat ipſi operanti; non enim conuenit mihi agere, quod conuenit Regi; & multo minus, quod conuenit angelo; igitur neceſſe eſt ad rectum actum hominis, quod agat illum modo humano, ergo quicumque habitus diſponit hominem ſimpliciter ad agendum modo humano; diſponit ipſum abſolute ad agendum circa quodcunque; atque adeo virtutes, dona, & beatitudines, non poſſunt aliter perficere, quã modo humano, & non ſuper humano, & inhumano.

Carthuſianus dicit, quod non eſt ineptum, neque inſolitum interdum metaphorice loqui, quo modo Sacra Scriptura ſæpiſſime vtitur, & Philoſophi, ac poetæ. Præſertim Plato. Nihilominus dico, quod Henricus in iſta materia proprie vſus eſt terminis iſtis. Homini namque conuenit eſſe rationalem; cumque ratio naturalis in eo perficitur per ſupernaturalia chariſmata gratiarum, virtutum, donorum, conſiliorum, fructuum, & heroicarum perfectionum, ac iuſtitiæ Theologicæ, tunc vere, & proprie eleuatur ſuper ſeipſum, & deiformis efficitur, adoptiuus filius Dei, & Deus per participationem, præſertim cum & (teſte Philoſopho) homo contemplatiuus ſit amatiſſimus deo; & in primo Thimei Plato teſtetur, quo cum ſummo Deo, & immortalibus, ac diuinis ſubſtantijs ſit nobis appellationis parilitas, ac Deitatis conſortium: Quod ſi tanti Philoſophi hoc dixerunt de homine propter naturales perfectiones, quanto magis veri, & vere ſubtiles Theologi debent ita fateri propter prætacta ſupernaturalia præclariſſima ornamenta ei deſuper impertita; quemadmodum Sacratiſſimus Princeps Apoſtolorum in 2. ſua ſcribit Canonica cap. 1. Gratia vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei, vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ.

Hoc quod dicit Dionyſius, verum eſt, nempe, quod per chariſmatum dona efficitur homo Dei filius adoptiuus, Deus per participationẽ, & conſors diuinæ naturæ, at per huiuſmodi ſupernaturalia chariſmata homo ſemper humane operatur, quia operatur vt homo. Quandoquidem quicquid recte agit homo, & ſecundum rectam rationem humane agit, & ſecundum quod homo; atque adeo ex illis modis agendi parabolicis non debet accipi diſtinctio prædictorum habituum.

Sexto arguit Doct. Si quis ſemper oraret, & daretur ei donum intellectus, & non exercitaret ſe circa credibilia, quia non haberet fidem acquiſitam, ſine qua fides infuſa non exit in opus, poſſet operari modo ſuperhumano per ſe; quia haberet donum intellectus, ideo poſſet excellentius agere circa credibilia, quam alius exercitatus in Scriptura Sacra, quod non experimur, imo quicunque talis, ſcilicet habens donum intellectus, & nõ exercitatus circa credibilia, forte facilius circa credibilia erraret, quã alius bene exercitatus in ſcriptura.

Præterea iſti modi agendi, ſcilicet humane, ſuper humane, & inhumane, poſſunt eſſe ſecundum eumdem habitum, ergo iſti modi non ſunt ſufficientes ad diſtinguendum circa prædicta.

Poſtremo ſuppoſito, quod actus charitatis ſit actus beatitudinis. Tunc ſic; ſi eſſet verum quod dicis, ſequeretur, quod charitas conſummata nõ eſſet actus beatificus; patet, quia actus beatificus eſt inhumanus; & charitas cũ ſit virtus non dat actum inhumanũ, ergo nec beatificum, quod eſt falſum. His argumẽtis non reſpõdet Dionyſius.

ARTICVLVS VII.

Vtrum virtutes diſtinguantur à donis, quia per virtutes homo recte agit, & per dona agit perfecte.

ALexander de Ales, 3. parte q. 62. m 2. Vbi quærit, *Alex. de*
An virtutes, dona, fruct⁹, & beatitudines idẽ ſint; *Ales.*
Reſpondens ad quæſtionẽ dicit, quod hæc quatuor. ſ. Virtutes, dona, fructus, & beatitudines, dupliciter ſumi poſſunt, nempe cõiter, & proprie; Si cõiter accipiantur omnia, non eſt inconueniens, q̃ oĩa omnibus conueniant, ſm. n. quod virtus dicitur bona qualitas mẽtis, qua recte viuitur, qua nullus male vtitur, quã Deus in nobis ſine nobis operatur, quæ definitio cõiter dr̃ eſſe D. Aug. colligitur nãque ex D. Auguſt. lib. 1. Retractationum c. 2. & 2. de lib. arbit. cap. 18. & 19. Vel diſpoſitio perfecti ad optimum, quæ eſt Ariſt. lib. 7. Phy. t. c. 17. Sic ẽt dona poſſunt dici virtutes; ſimiliter ſi donum dicatur rõ irreddibilis, non eſt dubium quin oĩa poſſunt dici dona: ſimiliter ſi fructus dicatur omne illud, quod propter ſe eſt appetendum, non eſt dubium, quin oĩa ſunt fructus; Vnde ſi accipiatur fructus ab eo, quod eſt frui, ſecundum, quod definitur frui in principio Sentẽtiarũ, & in lib. 10. de Tri. frui eſt cognitis in quibus voluntas delectata conquieſcit, vel iſtud, quod dr̃ frui eſſe vti cum gaudio, ſic omnia poſſunt dici fructus, eodem modo eſt de beatitudine; Si. n. beatitudo viæ dicatur cõiter omne illud, cui ſuccedit beatitudo patriæ, ſic omnes ſunt, & poſſunt dici beatitudines. Vnde in Pſal. Beati omnes qui timent Dñm; &c. Ecce quod hic donum dicitur facere beatum communiter dicendo.

Si autẽ accipiantur hæc omnia in rationibus proprijs, vel appropriatis, tunc nullum iſtorum erit alterum, & ſic differunt, & ſortitur quodlibet illorum nomen proprium ex congruitate ſuæ rationis: eiuſmodi autem differentia quadrupliciter aſſignatur. Quidam. n. iuxta parabolam illam, quæ legitur Lucæ 10. Homini venienti à Hieruſalem in Hiericho duo facta sũt: fuit enim ſpoliatus, & vulneratus. Secundum ergo comparationem iſtorum duorum defectuum, dicunt, quod differunt dona, & virtutes; nam in reſtitutione ſpoliorum ſunt virtutes; in ſeparatione autem vulnerum ſunt ipſa dona.

Ceterũ hunc modũ dicẽdi impugnat optime ipſe Alexander, ex eo, quod ſicut virtutes indumenta poſſunt appellari, ita & dona; & eo maxime ſi ſint habitus diſtincti à virtutib. Vnde cũ dr̃ Apoc. 16. Beatus, qui cuſtodit veſtimenta ſua, &c. nõ ſolũ intelligitur de virtutibus, ſed ẽt de donis, ſimiliter Eccleſiaſtes 9. Omni tp̃e ſint veſtimenta tua candida &c. Præterea quod dr̃ vulneratus, & ſpoliatus, ſic exponitur, vt dicatur vulneratus in naturalibus, & ſpoliatus in gratuitis. Si ergo dona ſimiliter ſint gratuita, ſicut virtutes: non differrent ſic adinuicem, nec diſtinguentur, vt alterũ ſit ad reparationẽ vulnerũ, alterũ ad reſtitutionẽ ſpoliorũ; imo vel vtrũq; ad vtrumq;, vel neutrũ ad neutrũ: oportet ergo querere aliam viam diſtinguẽdi.

Ideo alij dixerunt, quod virtutes, & dona diſtinguuntur per comparationem ad ſua oppoſita. Nam poſt hominis peccatũ non potuit amplius quælibet potentia, ſeu vis procedere ad ſuum actum, imo inflicta erant ipſi homini quædam impedimenta, à quibus impeditæ vires, non poterant ad actus ſuos procedere. Peccatum. n. (vt inquit D. Bona. hac d. art. 1. q. 1. explicans hunc modum dicẽdi) duo *D. Bonau.*
mala facit, primũ eſt, quod tollit rectitudinẽ iuſtitiæ, ſecundum eſt, quod debilitat vigorem naturæ, & cã dr̃ vulnerare; Vnde ſicut in morbo duo ſunt, ſ. ipſa humorũ inæqualitas, & ſymptomata quædã, ſiue ſequelę ipſius morbi; ſic intelligendũ eſt in morbo ſpirituali; Cum ergo duo ſint in ipſo morbo ſpirituali, videlicet ipſe morbus deordinans, & ſymptoma cõcomitãs, ipſa culpa, & eius ſequela, ipſum telum, & vulnus ex telo derelictum, à quibus impeditæ vires ad actus ſuos procedere nequaquam poſſunt, habitus virtutum ſunt contra ipſos morbos peccatorum, ſed dona ſunt contra ſequelas ipſorum, ita vt per virtutes expelluntur tela, & diriguntur vires in actus proprios eliciendos; & per dona expelluntur,

vulnera ſiue ſymptomata derelicta, & remouentur inflicta impedimenta, Vnde iuxta hunc modum dicendi ipſa dona ſunt quaſi remedia contra illas difficultates, virtutes verò ſunt virium directiuæ. Et occaſionem ſui dicti
D. Greg. accipiunt ex eo, quod dicit D. Gregorius ſuper illud 1. Iob. Ventus vehemens irruit &c. Vbi loquens de donis dicit, quod dona opponuntur peccatis. Contra ſtultitiam inquit, eſt Sapientia; contra hebetudinem intellectus; cõtra præcipitationem conſilium; contra timorem fortitudo; contra ignorantiam ſcientia; contra duritiam pietas; contra ſuperbiam timor; Hæc autem non ſunt peccata, ſed magis ſymptomata quedã, ex peccatis derelicta;
D. Aug. & quoniam (ſicut dicit D. Auguſt.) aliud eſt extrahere telũ, aliud ſanare vulnus; hinc eſt, quod habitus virtutum, & donorum ab inuicem differunt ratione eorum, contra quæ ſunt; nam ad remotionem impedimentorum inflictorũ propriè ſunt dona, quæ ſi remotis impedimẽtis, dirigunt ipſas vires in actus proprios eliciendos, virtutes ſunt.

Sed contra hunc modum dicendi inſtat Alex. vbi ſupra. Quoniam quando homo peccauit, tam virtutibus, quam donis indiguit, & indiſpoſitus, & inhabilis fuit ad vtrumque. Præterea ſicut ex ipſis virtutibus eliciuntur actus, ita ex ipſis donis, quod patet; per donum enim timoris elicitur actus, qui eſt timere, per donum pietatis actus, qui eſt miſereri, vel compati; ergo ſi dona ſunt habitus diſtincti à virtutibus, nedum erunt remedia contra impedimenta, imo erunt etiam directiua in actus: atque adeo nulla eſt ratio quare magis ipſa dona debeant appellari remedia contra ſymptomata, vel ſequelas peccatorum, quam virtutes, vel quod virtutes ſunt remedia contra morbos peccatorum potius quam dona. Item omnes huiuſmodi defectus tolluntur p virtutes, ſicut p dona, ſapientia enim & intellectus ſiue accipiantur, vt dona, ſiue vt virtutes æqualiter tollũt ſtultitiã, & hebitudinẽ, itẽ p̃nitus ad peccandũ eſt ſequela peccati, iſta autem pronitas tollitur per aſſuefactionem actibus ſtudioſis: quare &c.

Eſt alius dicendi modus, quorumdam dicẽtium, quod vires rationales ordinatę erant ad mouere, & moueri; ad agere, & pati; Nam & ſi vires rationales motiuæ ordinatæ ſint ad agendum, nihilominus tamen ordinatæ ſunt etiam ad patiendum; atque adeo cũ haberi poſſent actus, vel paſſiones ex ipſis viribus, & elici poſſent bene, & non bene, indigent diſpoſitionibus directiuis in vtraque via. Quæ ergo dirigunt vires ad agendum, virtutes ſunt; & rectè competit hoc nomen huic diſpoſitioni, ſeu habitui; Dicitur namque vnaquęque res eſſe magnæ virtutis per relationem ad magnam actionem. Quæ verò diſponunt illas vires ad rectè patiendum, dona dicuntur; & cõgruit huic habitui rectè nomen doni: Ita enim dicitur communiter de aliquo, qui aliquid poteſt excellenter pati, quod hoc eſt magnum donum; Vnde quaſi illud, quod dicebat virtus in agendo, dicit donum in patiendo. Hic
D. Bonau. modus dicendi eſt tertius quem refert D. Bonauentura, vbi ſupra. Vbi inquit tertius modus aſſignandi differentiam attenditur per comparationem ad fines proximos. Habitus. n. gratuiti nobis dantur, vt conformemur Chriſto. Chriſtus aũt omnimodam perfectionem habuit, & in agendo, & in patiendo; & ideo ſunt aliqui habitus nobis dati, quibus cõformamur Chriſto in agendo, & hi ſũt habitus virtutũ, qui ſunt ad rectè operandũ, & ad hoc finaliter ordinantur, vt per illos habitus ſic ordinantes ad rectam operationem in agendis, conformemur Chriſto.

Sunt præterea, & alij habitus dati nobis, vt conformemur ei in patiendo, & huiuſmodi habitus ſunt dona per quæ Chriſtus erat diſpoſitus ad ſuſtinendam rectiſſime paſſionẽ ad gloriã Dei, & noſtrã vtilitatẽ, & p habitus huiuſmodi donorum debemus ei conformari in patiendo.

Hunc modũ dicendi non reprobat Alex. D. verò Bonauentura dicit eũ deficere, qm̃ illa differentia non eſt ſm omnẽ ſtatũ naturæ: quia non ſm ſtatũ naturæ inſtitutæ, nec ſm ſtatũ gloriæ, in quibus fuerunt, & erunt dona, & virtutes, & tñ non ordinabantur, nec ordinabuntur ad patiendũ. Nihilominus illa differentia inquit D. Bon. rectè aſſignatur ſm ſtatũ, in quo nunc ſumus. Sed nec ſm hũc ſtatũ bene aſſignatur, quia ne dũ per virtutes diſponitur homo ad rectè agendũ, ſed ẽt ad ſtudioſe patiendum, & è contra per dona ſi ſunt habitus diſtincti à virtutibus diſponitur homo non ſolum ad patiendum, ſed etiam ad agendum. Nam ſicut ex ipſis virtutibus eliciuntur actus, ita etiam ex ipſis donis; vt dictum ſupra.

Quare reſpondens Alex. ad q. ex intentione dicit, qđ virtutes, dona, fructus, & beatitudines diſtinguuntur, ſm quod eſt diſtinguere actus viriũ cõpletos ab incõpletis, & completos à completiſſimis, atq; adeo appropriato nomine virtutis, virtutes reſpiciũt primos actus, dona ſequẽtes, fructus completiores, beatitudines completiſſimos. *Alex. de Ales.*

Hunc modũ dicendi Alexandri explicans D. Bonau. *D. Bonau.*
inquit. Quartus modus aſſignandi differentiã attenditur penes cõparationẽ ad actus proprios; ſunt. n. quidã actus primi, & quidã medij, & quidã vltimi, ſiue perfecti; ſicut, v. g. poſſumus videre in actu cognoſcendi, quod primũ eſt credere; ſecundo intelligere, tertio mũdo corde videre, & ſm illã trinam differentiã actus, ſunt in nobis tres differẽtiæ habituũ gratuitorũ. ſ. virtutũ, donorũ, & beatitudinũ, ita vt virtutes ſunt ad actus primos, vt patet; q̃a fides eſt ad credẽdũ, dona ad actus medios; quia donũ intellectus eſt ad intelligendũ; beatitudines verò ad actus vltimos, quia munditia cordis eſt ad videndũ Deũ: & qm̃ in primis actibus potentiæ rectificantur, in ſecundis expediuntur, & in tertijs, & vltimis perficiũtur, hinc eſt, qđ habitus virtutum ſunt ad agendum recte, habitus donorum ad agendum expedite, actus beatitudinum ad agendum, ſiue patiendum perfecte.

Et ſubdit D. Bonau. qđ habitus rectificantes recte dicũtur virtutes, pro eo, qđ virtus de rõne ſui nominis dicit, q̃ ad agendũ erigit, & vigorat. Habitus verò expedientes rectè dicũtur dona, pro eo, quod dñt quandã vlteriorẽ abũdantiam bonitatis ad agendum, ac per hoc magis atteſtantur diuinæ liberalitati, & pp hoc recte cenſentur nomine doni. Habitus verò perficientes, recte dicuntur beatitudines, pro eo quod tales habitus faciũt hominem proximũ Deo, & cõformẽ ipſi glorię ſummę, & beatitudini in qua eſt reperire ſummã perfectionẽ. Et hic modus dicendi parum, vel nihil differt ab opinione Henrici de Gand.

Hũc modũ dicẽdi Alex. & D. Bona. refert Sco. ĩ hac q. *Scotus.*
ſub litt. A. §. Aliter dr̃, quẽ vnica rõne refellit, q̃ eſt talis. Oẽs iſtę cõditiones ſunt eiuſdẽ habitus ĩ potẽtia ad actus ſuos, ergo nõ oportet ponere illos habitus diuerſos in eadem potentia. Probatur ſequela: Quia fruſtra fit per plura, quod põt fieri per pauciora, & æque bene; ſed per virtutes potẽtia æque bene operatur recte, expedite, & perfecte, ergo &c. Probatur minor, & ſimul antecedens: Quia eadem virtute ago recte, quia virtus eſt rectitudo potentiæ, & perfecte ago; quia virtus eſt perfectio habentis in ſe; & expedite ago: quia virtus eſt habitus faciens expedite, & faciliter operari.

Sed huic rõni poſſet reſponderi ex ipſo Alex vbi ſupra m. 3. qđ virtus põt regulare potentiã ad eliciẽdũ actũ recte, perfecte, & expedite loquẽdo de oĩ actu ſui generis, ſed non eſt verũ de oĩ actu, quẽ põt elicere potentia: quia ſm diuerſos habitus põt eadẽ potentia diuerſos actus elicere, in quos vtroſq; nõ ſufficeret alter illorũ habituum, quod explicat tali exẽplo: In genere fidei vltimũ. i. perfectiſſimus actus fidei eſt aſſentire primæ veritati pp ſe; tñ q̃a aſſentire dicit motũ formatũ propriè ex affectu, req̃ritur vlterius vltimum ex parte cognitionis, videlicet, vt videat, & guſtet, & hoc fit per dona intellectus, & Sapiẽtię, iuxta illud Iſaiæ, 7. Niſi credideritis nõ intelligetis, credere eſt actus fidei, quæ eſt virtus; intelligere eſt actus intellectus, qui eſt donum. Non ergo ſequitur, quod dona ſuperfluant, ſed hoc verũ eſſet, ſi non eſſent ad alios actus, vel alio modo eliciendos, quam ſint actus virtutum.

Cęterũ hęc reſponſio non euacuat rõnem Doct. Tum quia non vr̃ q̃uo oĩa dona diſponant ad eliciendos actus ſpecie diuerſos ab actibus, ad quos diſponũt virtutes, Tũ quia eſto, quod ita eſſet, ſequeretur hoc abſurdum, nẽpe charitatẽ nõ eſſe excellentiſſimã omniũ habituũ ſupernaturaliũ, qđ eſt contra D. Paulũ. 1. ad Corint. 13. & cõtra D. Aug. 15. de Trin. ꝓbatur cõſequẽtia, q̃a ex hac reſponſione, & ex modo dicẽdi Alex. & D. Bon. ſequitur, qđ dona ſint habitus perfectiores, q̃ virtutes, & ſimiliter beatitudines perfectiores habitus, q̃ dona, & per conſequẽs, q̃ virtutes, atq; adeo dona; & beatitudines erunt excellẽtiores habitus, quam ſit charitas, quod eſt abſurdum.

Digitized by Google

ARTICVLVS VIII.

Vtrum virtutes diſtinguantur à donis, quia per virtutes diſponitur voluntas, quatenus eſt mobilis à recta ratione, & per dona, prout eſt mobilis à Spiritu Sancto.

D. Thom. Diuus Thomas, 1 2. q. 68. art. 1. Poſtquam confutauit multos modos diſtinguendi virtutes à donis, in fine ponit propriam ſententiam dicens, quod ad inueſtigandum quomodo differant dona à virtutibus debemus modum loquendi Sacræ Scripturæ ſequi, in qua re cenſentur hæc dona non ſub nomine donorum, ſed ſub nomine ſpirituum, & impulſuum; dicitur enim Iſaiæ, 11. Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & intellectus &c. Ex quo datur intelligi, quod hæc dona inſunt nobis ex inſpiratione diuina, Inſpiratio verò diuina ſignificat rationem ex exteriori principio prouenientem. Eſt enim conſiderandum, quod in homine eſt duplex principium mouens, Vnum interius, quod eſt ratio, Alterum exterius, quod eſt Deus. Sic docet Ariſt. 7. Ethic. ad Eudemum cap. 18. loquens de bona fortuna.

In homine eſt duplex principiũ mouens.

Secũdo dicit, quod omne, quod mouetur, vt recte moueatur neceſſarium eſt, quod ſit proportionatum motori, & perfectio mobilis, quatenus mobile eſt, quod ſit recte diſpoſitum, vt recte à ſuo motore moueatur, & quanto motor fuerit altior atque ſublimior, tanto in mobili maior diſpoſitio neceſſaria eſt, quod aperte videmus: Nam in diſcipulo maior diſpoſitio, & excellentior requiritur ad excellentiorem doctrinam percipiendam.

Tertio dicit, quod virtutes humanæ perficiunt hominem, ſecundum quod natus eſt moueri, & gubernari per rationem in omnibus, quæ agit tum interius, tum exterius: oportet ergo ineſſe alias perfectiones ſecundũ quas diſponatur, vt diuinitus moueatur, & iſtæ perfectiones vocantur dona Spiritus Sancti, non ſolum, quia ab Spiritu Sancto inſpirantur, ſed quoniam ſunt diſpoſitiones quædam, quibus anima diſponitur, vt recte, & prompte moueatur ab inſpiratione diuina, iuxta illud Iſaiæ, 50. Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorſum non abij. Et Ariſt. loco citato dicit expreſſe, quod ei, qui mouetur per inſtinctum diuinum, non expedit conſiliari per rationem humanã; ſed ſequi eius ductũ: mouetur enim à nobiliori principio q̃ ſit rõ humana.

Ex his infert D. Thomas, quod ex eo virtutes diſtinguuntur à donis: quia virtutes perficiunt hominem, vt eſt natus moueri à ratione; dona verò perficiunt hominem, vt eſt natus moueri à Deo. Vnde dona reddunt hominem prompte mobilem à diuina inſpiratione, virtutes verò reddunt mobilem à prudentia, & à ratione. Sane ratio mouet hominem, atque etiam Deus, vt Ariſt. teſtatur in capitulo de bona fortuna ſuperius allegato. Cum ergo motus oporteat, quod ſit motori proportionatus, & perfectio mobilis ſit diſpoſitio, vt recte moueatur, quanto motor altior fuerit, tanto magis mobile perfectiori indiget diſpoſitione. Potiſſima ergo cauſa quare dona à virtutibus diſtincta conſtituantur ea eſt, vt bene, & recte afficiant hominem, vt prompte à diuino ſpiritu concitetur, & moueatur. Hanc ſenten. ſequitur Richard. hac d. art. 1. quæſt. 1.

Richard.

Cõtra ſententiam D. Thomæ.

Contra hanc ſententiam arguit Scotus tribus rationibus, & primo ſic contra ſuppoſitum, ſcilicet, quod ratio moueat voluntatem: hoc enim eſt falſum: quia voluntas ſe ipſam mouet; atque adeo falſum eſt, quod virtus non ſit niſi diſpoſitio mobilis in voluntate.

Caietan. Caietanus, 1. 2. q. 68. art. 1. dicit, quod veriſſimum eſt rationem mouere voluntatem ex parte obiecti regulando, ac præcipiendo, virtuteſq; non omnes, ſed morales eſſe diſpoſitiones appetitus, vt mobilis à ratione; quoniam ſunt in eo, vt rationalis eſt per participationem; appetitus aũt non eſt pure mobilis, ſed motũ mouens, vt dicitur in 3. de Anima; & propterea non eſt fidelis interpretatio niſi ad bonum ſenſum, dicere, virtutes non eſſe niſi diſpoſitiones mobilis; Etenim virtutes, & dona, ſic ſunt diſpoſitiones mobilis à ratione, & Spiritu Sancto, vt ſunt perfectiones mouentis; ſunt enim inſtrumenta, ſeu partialia mouentia ſecundum ſe ipſa vires animæ vtentes virtutibus, & donis. Eodem modo reſpondet Medina ibidem. *Medina.*

Sed in hac reſponſione Caiet. & Medina, dicunt eſſe veriſſimum, quod eſt omnino falſum, hoc eſt, volũtatẽ à ratione moueri; Nam omne quod mouetur ab aliquo, recipit à mouente aliquam formã, ex eo enim dicitur moueri, quia aliquid in ſe recipit, at voluntas à ratione nihil recipit; quia nec actum intelligendi, cum ille ſit actio immanens, & in ipſomet intellectu recipiatur; neq; electionem, ſeu volitionem, cum illa non cauſetur à ratione, ſed totaliter in ratione potentię ab ipſa voluntate, vt ſubtiliter probat Sco. in 2. d. 25. q. 1. nec habitum, quia habitum ſupernaturalem recipit immediatè à Deo; & habitum acquiſitum producit in ſe ipſa proprijs electionibus; Quid ergo à ratione recipit, vt ab ea moueri dicatur? certe nihil, ergo à ratione nequaquam mouetur.

Caietani, & Medinæ reſponſio refellitur.

Dices, q; mouetur à ratione, quia ratio pręcipit voluntati, illuminat, atque regulat eã; ſed hoc etiam eſt falſum, quoad præceptum; Nam imperium eſt voluntatis, non intellectus: quia imperare eſt ſuperioris, ſicut famulari inferioris, cuius ſuperioris nutu cæteri mouentur: at in nobis cæteræ facultates mouentur nutu voluntatis tanq̃ ſuperioris, & ipſa nõ mouet̃ nutu alterius, Quare imperare eſt actus voluntatis. Porro voluntatem eſſe principem, & ſuperiorem inter omnes potentias, probat Sco. in 4. d. 49. q. 4. & confirmatur authoritate Themiſtij 3. de Anima c. 59. quod eſt in tex. 46. vbi inquit Themiſtius. Practicum intellectum non eſſe Dominum motus, ſed ſolum appetitum eſſe Dñm; ergo imperare nõ eſt practici intellectus, neque intellectus eſt princeps, & ſuperior potentia, ſed appetitus: idemque videtur docuiſſe Ariſt. eodem loco; Adde quod qui imperat compellere poteſt eũ, cui imperat, vt exequatur imperium; Intellectus autem non poteſt cõpellere voluntatem, aut alias potentias, ergo nec voluntati, nec alijs potẽtijs imperare põt; cumque volũtas cõpellere poſſit intellectum ipſum, & cæteras facultates, vt operentur id, quod ipſa vult, efficitur ad eam potius, quam ad intellectum imperium pertinere. Illuminare autem, vel voluntatẽ dirigere, non eſt ipſam mouere, ſed eſt iter oſtẽdere, quo oſtenſo voluntas ſe ipſam ad agendum mouet. *Ariſt.*

Quod aũt dicit virtutes, & dona non eſſe præciſe diſpoſitiones appetitus, ſed ẽt inſtrumenta ſm ſe ipſam mouẽtia vires vtentes virtutibus, & donis, eſto quod hoc ſit verum, non eſt tñ contra Doct. & forte non ſm intentionẽ D. Thomæ, diſtinguentis virtutes à donis, quia virtutes ſunt diſpoſitiones, ſm quas homo diſponitur, vt moueatur à ratione; dona verò ſunt diſpoſitiones, ſm quas diſponitur, vt moueatur ab Spiritu Sancto; atq; adeo non loquitur de virtutibus, & donis niſi quatenus ſunt diſpoſitiones mobilis, a ratione, vel à Spiritu Sancto; Vnde Medina inquit abſque vlla diſtinctione, quod veriſſime dicitur, virtutes morales eſſe diſpoſitiones appetitus, vt mobilis à ratione.

Secundo arguit Doct. Hic modus dicendi D. Thomæ non eſt ſufficiens; quia diſtinctio beatitudinum à donis, & virtutibus non eſt ſic; atque adeo per hunc modum dicendi non apparet diſtinctio beatitudinum à donis, & virtutibus.

Caietanus dicit, quòd non eſt ſimilis ratio de beatitudinibus, & donis; quoniam beatitudines ſunt tantum actus, dona verò ſunt habitus. Nos autem dicimus beatitudines eſſe habitus, ſed non diſtinctos habitus à virtutibus, vt videbimus infra.

Tertio arguit Doct. Ex quo Deus dedit habitum volũtati ſemper aſſiſtit voluntati, & habitui ad actus ſibi conuenientes; ſicut poſtquam illuminauit cæcum miraculoſe ſemper aſſiſtit illuminato, vt poſſit mouere illam potẽtiam; igitur per idem eſt aliquid proportionatum mouẽti primo, & ſecundo: igitur ſi per habitum proportionatur potentia ſibi ipſi; per idem ſufficienter proportionatur Spiritu Sancto, vt alij mouenti; non igitur propter iſtam motionem oportet ponere neceſſario alios habitus.

Caietanus

Digitized by Google

Caietan. Medina. Caietanus, & Medina, vt reſpondeant huic rationi multa dicunt, & primo dicit Caiet. quòd hæc ratio aut aſſumit falſum, aut non concludit ad propoſitum; Nam propoſitio dicens, quod per idem aliquid eſt proportionatum ſecundo, & primo mouenti, poteſt habere duos ſenſus: primus eſt, quòd eadem eſt forma, qua mediante aliquid fit à ſecundo, & primo motore, & hic ſenſus eſt verus, & intenſus videtur à Scoto, vt patet in probatione de cæco illuminato, & de habitu in voluntate, conſtat enim quod per eamdem formam viſio fit à vidente, & Deo, ſcilicet per potentiam viſiuam, & ſimiliter reſtitutio per habitum iuſtitiæ à voluntate mera, & à Deo. Sed iuxta hunc ſenſum, inquit Caiet. nihil concluditur contra nos, ſed potius pro nobis; non contra: quia nulla virtus eſt talis forma qua ſecundum mouens, puta homo, poteſt in actum, qui elicitur à Spiritus Sancti dono, & ſic falſa eſt minor, ſcilicet quod virtus habitus reddat potentiam proportionatam ſecundo mouenti, puta ſibi ipſi potentiæ, vel homini ad habendam talem perfectionem, ſcilicet actum talem, qualis natus eſt eſſe à dono Spiritus Sancti; vnde in hoc ſenſu maior nõ eſt ad propoſitum; & minor nihilominus eſt falſa.

Secundus autem ſenſus eſt, quod eadem diſpoſitio eſt alicuius mobilis, vt moueatur ab inferiori, & ſuperiori motore; & ſic eſt ad propoſitum directè; ſed non eſt vera formaliter, quoniam quemadmodum diuerſis formis oportet præeſſe diuerſas diſpoſitiones, ita pro diuerſis agentibus. Forma namque ex parte agentis ſe tenet, & è conuerſo, cum communicatio agentis ſit, & hoc ſenſu vera eſſet minor rectè ſubſumpta, ſcilicet quod virtutes ſunt diſpoſitiones virium animæ, & ad hoc, vt moueantur ab inferiori motore, ſcilicet ratione humana.

Quam reſponſionem, vt vberius explicet inquit. Scito, quod imaginamur, quod in homine eſt triplex: ſubordinatum mouens ad actus bonos, ſcilicet mens humana prædita lumine naturali, & prudentia; mens humana prædita lumine gratiæ, & fidei; & mens humana pulſata inſtinctu Spiritus Sancti; & ad hoc, vt vires animæ obediant primo motori, ſcilicet menti humanæ præditæ lumine naturali, & prudentia; ponuntur virtutes morales acquiſitæ tendentes ad media, & fines ab ipſo motore præſtitutos. Ad hoc autem, vt eædem virtutes obediant ſecundo motori ſuperiori, ſcilicet menti humanæ præditæ gratia, & lumine fidei, ponuntur virtutes morales infuſæ tendentes ad media, & fines ab illo motore præſtitutos. Ad hoc autem vt non ſolum eædem, ſed omnes vires animæ obediant ſupremo motori, ponuntur dona tendentia in fines proprios à tali motore oſtenſos. Neceſſitas autem diſtinguendi duos ordines habituum infuſorum ad obediendum in littera aſſignatur ex imperfecta participatione motoris ſupernaturalis per habitus virtutum Theologicarum. Si namque motor ſupernaturalis perfectè in nobis, per illos habitus haberetur, ſicut habetur per lumen naturale, & prudentiam motor naturalis, ſufficeret forte vnicus ordo obſequentiũ, habituum infuſorum ſicut ſufficit vnus ordo naturalium: ſed quoniam, inquit *Medina.* Medina, per infuſas virtutes, & Theologicas imperfectè participatur motio ſupernaturalis, cogimur dona diſtincta à virtutibus conſtituere; innumera enim ſunt opera, ad quæ nos Deus per inſtinctum Spiritus Sancti mouet, quæ ſub virtutibus infuſis non cadunt.

Cæterum, vt oſtendamus hanc reſponſionem, non euacuare rationem Scoti, ſupponendum eſt dona eſſe egregios aliquos actus virtutum: Nam fidei poſſumus tribuere dona intellectus, & ſcientiæ, Prudentiæ donum Concilij; charitati donũ ſapientiæ, vel timoris filialis &c.

Hoc ſuppoſito dico, quod propoſitio Scoti eſt vera in vtroque ſenſu; & quando dicit, quod in primo ſenſu minor eſt falſa: quia nulla virtus eſt talis forma, qua ſecundum mouens, puta homo, poteſt in actum, qui elicitur à dono Spiritus Sancti, patet hoc eſſe falſum, cum dona vltra habitus virtutum nihil dicant, niſi aliquos egregios actus earumdem virtutum; atque adeo quælibet virtus poteſt in quemlibet actum ſibi proportionatũ, quæ quatenus egregium quẽdam actũ producit, donũ appellatur.

In ſecundo etiam ſenſu maior Doct. ſub. eſt vera, & quando dicit, quod non: Quoniam quemadmodum diuerſis formis &c. Dico primo, quod actus, ratione cuius virtus appellatur donum, & actus virtutis, non ſunt diuerſi actus ſpecie, ſed tantum ſecundum magis, & minus perfectum; Nam virtus prout habet rationem doni, perfectiorem actum elicit, quam eliciat quatenus virtus eſt, atque adeo idem habitus ſiue eadem virtus eſt ſufficiens diſpoſitio, vt mobile moueatur ab inferiori, & ſuperiori motore. Et quando dicit, quod quemadmodum diuerſis formis oportet eſſe diuerſas diſpoſitiones, ita pro diuerſis agentibus. Dico, quod vtique verum eſt, quod diuerſæ formæ ſpecie requirunt in mobili, ſiue in materia diuerſas diſpoſitiones, ſed in propoſito actus virtutis, & actus doni non ſunt diuerſæ formæ ſpecie differentes, vt dictũ eſt, atque ita non requirunt diſpoſitiones ſpecie differentes: falſum eſt etiam ſimpliciter, & abſolute, quod reſpectu diuerſorum mouentium requirantur in mobili diuerſæ diſpoſitiones. Ideo diſtinguendum eſt, quod mouentia ſe habeat in duplici differentia; nam quædam ſunt ſubordinata, & quædam diſparata: mouentia ſubordinata, quæ ad eamdem formam mouent, non requirunt in mobili diuerſam, ſed eamdem diſpoſitionem; nam diſpoſitio non requiritur in mobili niſi reſpectu formæ recipiendæ ab ipſo mouente. Mouentia etiam diſparata ſi ad eamdem formam mouent ſucceſſiue idem mobile, non requirunt in mobili diuerſam diſpoſitionem, cum eadem diſpoſitio ſufficiat. In propoſito autem ſiue Spiritus Sanctus, & potentia, vel homo, ſint mouentia ſubordinata, ſiue diſparata, mouent, vt diximus, ad eamdem formam, atque adeo non requiritur in mobili diuerſa diſpoſitio; atque ita patet quomodo ratio Scoti in vtroq; ſenſu intellecta optime concludit.

Quod autem dicit de neceſſitate duorum habituum infuſorum, quantam veritatem contineat, videbimus diſtin. 36.

Medina vero reſpondens rationi Sco. dicit, verum eſſe quod per eamdem formam, qua apti, & prompti efficimur, vt moueamur à ſecundo motore, apti certe efficimur, vt mouamur à primo; Verum non eſt neceſſe, quod per eamdem formam, & diſpoſitionem, qua efficimur apti, vt moueamur à primo motore, efficiamur ex conſequẽti apti, vt moueamur a ſecundo. Itaque quando Deus, & ratio ſimul mouent per eamdem diſpoſitionem, & virtutem mouent, & quando Deus ſolus mouet, & impellit ad operandum, tunc per donum Spiritus Sancti mouet non per virtutem; ſicut ſi Deus ſolus calefaceret aquam, non faceret per calorem ignis.

Verum hæc reſponſio voluntaria eſt, & abſque vllo fundamento: quia omnis virtus infuſa, imo etiam acquiſita, habet, vt reddat hominem habilem ad hoc, vt inſpirationi diuinæ reſpondeat, & ei conſentiens efficiat ſuum opus. Quod ſi dicas virtutes infuſas morales non præſtare facilitatem, & promptitudinem, ſed dari ad ſimpliciter operandum, habitus autem donorum ad ſolam promptitudinem, & facilitatem deſeruire. Contra hoc ſunt duæ rationes, altera quod non omnes iuſti hanc promptitudinem, & facilitatem experiuntur in ſe ipſis, vt diximus ſupra, & tamen omnibus iuſtis iuxta ſententiam D. Thomæ dantur hæc dona, altera verò eſt, quod ſi virtutes infuſæ non præſtant facilitatem, & promptitudinem. Cur dicemus habitus donorum infuſos eam præſtare?

Quod verò dixit D. Thomas ex 7. Ethic. ad Eudemum nihil ei fauet: quoniam Ariſtot. ipſe non nouit hæc dona Spiritus Sancti, ſed agnouit primam quandam cogitationem in nobis, quam dixit eſſe ex bona fortuna directa à Deo in omni bono euentu, & operatione, quæ non proueniat ex conſultatione, & ſit initium boni operis, & fœlicis euentus. Hæc tamen non debet reduci in peculiarem habitum, ſed omni habitui accidere poteſt: nec ſolum nos Chriſtiani eam agnoſcere debemus in ipſis donis Spiritus Sancti, ſed in omni etiam bono opere virtutis. ſed de hoc aliàs.

Digitized by Google

ARTICVLVS IX.

Vtrum virtutes, & Spiritus Sancti dona ſint ijdem habitus.

HÆc quæſtio ſupponit dona eſſe habitus, quemadmodum virtutes, quod probari poteſt ex modo loquendi ſcripturæ, & Patrum; Nam Iſaiæ 11. dicitur, Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, & Ioan. 14. Apud vos manebit, & in vobis erit; nam requieſcere, & manere, non denotant actus, ſed habitus. Et Cyrillus Alex. lib. 2. in Iſaiam in principio inquit, in hoc germine ex ſtirpe Ieſſe acquieturum, ait, Spiritum Dei multis virtutibus, & viribus pollentem.

Cyrillus. Quod autem ſint diſtincti habitus à virtutibus. Probatur eiſdem verbis Cyrilli; Nam dicit, Spiritum Dei acquieturum in Chriſto multis virtutibus, & viribus pollentem, vbi per uires denotantur dona diſtincta à virtutibus, & denotantur eſſe habitus.

D.Gregor. Idem probatur ex Gregorio lib. 1. Moralium cap. 28. alias 12. vel 13. in tertia expoſitione, vbi explicans illa verba, Nati ſunt ei ſeptem filij, & tres filiæ &c. Per ſeptẽ filios, quos habuit Iob, intelligit ſeptem dona Spiritus Sãcti enumerata ab Iſa. 11. cap. per tres autem filias Iob intelligit tres virtutes Theologicas, fidem, ſpem, & charitatem, & 2. Moralium cap. 36. alias 26. diſtinguit ſeptem dona Spiritus à quatuor cardinalibus virtutibus; nam cardinales virtutes comparat angulis domus, quibus quaſſatis, & dirutis, tota domus ruit, & opprimit ſeptem filios Iob, hoc eſt ſeptem dona Spiritus.

Ariſt. Præterea ſecundum Philoſ. lib. 7. Ethic. cap. 1. præter communes virtutes, ſunt aliæ heroicæ, quæ efficiunt homines quadam ratione diuinos ad ſingularia quædam opera ſuſcipienda; Et confirmatur, quia vitium beſtialitatis, quo quis operatur modo inhumano, eſt alterius ſpeciei à vitio, quo quis operatur modo ſuper humano; ergo & virtus qua quis operatur modo humano eſt alius habitus à dono, quo quis operatur modo ſuper humano, & à beatitudine, qua quis operatur modo in humano; ergo dona, beatitudines, & virtutes ſunt habitus diſtincti.

Quod autem non ſint diſtincti habitus probatur primo, ex definitione virtutis. Nam virtus eſt bona qualitas mentis, qua recte viuitur, qua nullus male vtitur, & quam Deus in nobis ſine nobis operatur, quocunque autem modo hæc definitio interpretetur conuenit donis; nam ſi poſtrema pars auferatur, nempe illa, Quam Deus in nobis ſine nobis operatur, reliqua, quæ ſuperſunt, conueniunt omni virtuti morali tam acquiſitæ, quam infuſæ, vt docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 55. artic. 4. ſi verò adda-
D.Thom. tur pars illa vltima, definitio conuenit ſolum virtutibus infuſis; nam illarum cauſa eſt ſolus Deus, cum non comparentur actibus noſtris, ſed à ſolo Deo infundantur; id quod poſtrema illa verba denotare videntur, quæ particula poſtrema; licet nullibi apud D. Auguſt. inueniatur, quemadmodum aliæ particulæ, quæ ex varijs locis D. Auguſt colliguntur, vt diximus ſupra; tamen conſentanea eſt doctrinæ, quam ipſe paſſim inculcat in ſuis operibus: Nam de quouis opere gratiæ ipſe ait, Deum illud operari in nobis ſine nobis; imo etiam illud à Deo nobis infundi; Quod intelligit rõne gratię operãtis, & p̃uenietis nẽpe ſanctæ cogitationis, & primi motus voluntatis, quẽ Deus in nobis dicitur operari ſine nobis, hoc eſt, ſine noſtro libero conſenſu, iuxto quem modum Auguſt. paſſim docet Deum operari in nobis velle, & perficere pro bona voluntate, vt ſcribit Apoſt. ad Philip. 4. Non dicit cooperari, ſed operari, vt denotet opus eſſe ſolius Dei; non quia in conſenſu libero non ſit cooperatio noſtra; ſed quia vt conſenſus liber eſſet, Deus ſolus gratia ſua præueniente operatus eſt in nobis ſanctam cogitationem, & primum motum non deliberatum ſine nobis. Quare illa poſtrema pars, Quam Deus in nobis ſine nobis operatur, ſecundum phraſim D. Auguſt. non de habitu; ſed de actu virtutis intelligenda eſt, atque adeo prædicta definitio cum omnibus ſuis partibus, non eſt habitus virtutis infuſæ, aut acquiſitæ, niſi ſecundum phraſim ſcholaſticorum eam intelligamus, ita vt ſolus Deus ſine vlla noſtra cooperatione infundat nobis habitum virtutis, & hac ratione definitio ſolum conueniet habitibus infuſis virtutum, qui aſſuetudine & actibus noſtris non acquiruntur; in qua ſignificatione optime conuenit etiam donis; Nam etiam donum eſt bona qualitas mentis, qua recte viuitur, & qua nullus male vtitur, quam Deus in nobis ſine nobis operatur, cæteræ quoque definitiones non minus conueniunt donis, quam virtutibus. Nam donum eſt, quod bonum facit habẽtem, & opus eius reddit bonum; & eſt diſpoſitio perfecti ad optimum; eſtque habitus electiuus in mediocritate conſiſtens, ea quæ eſt ad nos definita ratione, & vt definierit ipſe prudens, quod ſaltem verum eſt de donis appetitiuis, vel ſpectantibus ad voluntatem. Nam qui ſecundum donum operatur, vel iudicat ſecundum intellectum, & rationem aliquid eſſe agendum, vel non: ſi primum; ergo operatur, vt ipſe prudens definierit. Si ſecundum, ergo temeraria eſt motio, & operatio; imo ſequeretur, quod non eſſet bona, & ſtudioſa operatio, ſiquidem non eſſet conformis rectæ rationi; ergo dona ſunt virtutes per locum à definitione ad definitum.

Præterea. Vt dona Spiritus Sancti dicantur eſſe habitus peculiares diſtincti à cæteris virtutibus, oportet peculiarem aliquam rationem ſubeſſe, ne ſine neceſſitate habitus multiplicemus, at nulla ratio ſubeſſe videtur, vt id aſſeramus, vt patet ex improbatione rationum D. Thomæ, D. Bonauent. & Henrici de Gand. ergo non debemus tot habitus in nobis multiplicare. Probatur etiam minor; Quoniam vt ſint diuerſi habitus, neceſſe eſt etiam vt ſint diuerſi actus, vt autem actus ſint diuerſi, opus eſt aſſignare ex parte obiecti voluntatis diuerſam rationem boni, & honeſti, quod moueat; ex parte verò obiecti intellectus, aut diuerſam veritatem, aut diuerſum modum cognoſcendi: hoc autem aſſignari non poteſt in donis: nã dona, quæ pertinent ad intellectum, quia ſunt dona intellectus, & ſcientiæ ſi ſint de obiectis ſupernaturalibus non poſſunt nõ inniti teſtimonio Dei, quod eſt obiectum formale fidei: ſimiliter dicendum eſt de ſapientiæ dono, hoc enim (ſecundum communiter loquentes) differt à ſcientia: quia eſt circa veritates increatas, ſcientia autem circa res creatas; atque ita hæc tria dona inniti debẽt teſtimonio diuino ſicut fides, & ideo non poteſt aſſignari diuerſum obiectũ formale, aut modus cognoſcendi, ex quo diſtingui debeant habitus horum donorum ab habitu fidei. De dono autem conſilij non videtur qua ratione diſtinguatur ab habitu, vel actu prudentiæ, qui ad rationem practicam ſpectat.

In alijs etiam donis, quæ pertinent ad voluntatem, idẽ omnino conſtat: afferamus tamen in exemplum donum timoris, quod ſane eſt timoris filialis non ſeruilis, timor autem filialis eſt actus vere charitatis: Nam timor filialis eſt cum quis timet à Deo ſeparari ex reuerentia, & amore, quem habet erga ipſum, vt diximus ſupra.

Et confirmatur ex Doct. quoniam dona ad rectas operationes aliquas tribuuntur, ſed virtutes ſufficienter perficiunt potentias animæ ad eliciendas quaſcunque actiones; ergo ſuperuacaneum eſt ponere dona, quæ ſint habitus re ipſa a virtutibus diſtincti. Minor probatur: Nam actiones, quæ verſantur circa Deum, ſufficienter exerceri poſſunt virtutibus Theologicis, quæ verò circa alia obiecta virtutibus alijs intellectualibus, & moralib. vt patet diſcurrenti per ſingula genera obiectorũ. Nec valet reſpõſio Caietani, dicentis, q̃d minor eſt diminuta; quia ad- *Caietan.*
dere oportet circa omne obiectum, & omnimodo; & ratione ſcilicet, vt actiones piæ peculiariter procedere poſſint à Spiritus Sancti inſtinctu, atque adeo, vt poſſint attingere obiecta modo quocunque excellenti; & vt Henricus, & Durandus dicunt, modo ſuper humano. Licet enim dona non ſint circa alia obiecta; ſunt tamen alio modo circa illa: quia ſunt circa illa, vt actus oriuntur ex inſtinctu Spiritus Sancti. Itaque actio aliqua excellens, inquit Valentia, dupliciter conſiderari poteſt; Vno mo- *Valentia.*
do vt abſolute attingit obiectum; & ſic eſt à virtute; Altero modo, vt ſic, fit ex peculiari Spiritus Sancti inſtinctu,

& mo-

Digitized by Google

& motione, ad quam ſuſcipiendam proximè, & immediatè diſponit donum, & ſic talis actio eſt mediatè à dono. Hæc reſponſio, inquam, non tollit rationem Scoti, vtpote, quæ reſragata fuit à Docto. impugnando ſententiam Henrici, & D. Bonauenturæ. Præterquam, quod ſi vera eſſet diſtinctio Valentiæ, fides, ſpes, charitas, & cæteræ virtutes non diſtingerentur à donis niſi tantum ratione: Nam poteſt homo moueri ad credendum, ſperandum, & diligendum Deum, ex peculiari inſtinctu, & motione Spiritus Sancti; ſicut etiam ad iuſte, temperatè, & fortiter agendum, ergo hac ratione fides, ſpes, charitas, & aliæ virtutes, erunt dona; Quatenus verò feruntur abſolute in proprium obiectum erunt virtutes, atque adeo ijdem habitus diuerſa ratione erunt virtutes, & dona. Nam omnis virtus ſiue infuſa ſiue acquiſita, vt diximus ſupra, habet, vt reddat hominem habilem ad hoc, vt inſpirationi diuinæ reſpondeat, & ei conſentiens efficiat opus ſuum. Nec videtur ratio, quare virtutes dentur ad ſimpliciter operandum, dona autem ad patiendum.

Dicendum eſt ergo ad quæſtionem, quod Virtutes, & dona non ſunt diſtincti habitus. Et licet in enumeratione donorum Spiritus Sancti non enumerentur omnes virtutes, tamen enumerantur dona in virtutibus ſecundum ſe, vel ſecundum ſuas ſpecies. Hanc concluſionem inſinuans Scotus in hac quæſt. ſub. litt. O. §. De donis dico, &c. inquit, quod in donis enumerantur quatuor virtutes cardinales, & tres Theologicæ. Prudentia exprimitur per donum conſilij, quia prudentia habitus eſt conſiliatiuus de omni agibili; eſt enim habitus rectè ſyllogizandi practicè; ſyllogizare autem practicè eſt conſiliari, atque adeo habitus, quo quis eſt conſiliatiuus, eſt prudentia: fortitudo exprimitur ſuo nomine inter dona, & eſt habitus, quo nos bene habemus reſpectu offendentium, & contra terrorem periculorum. & maximè mortis.

Donum autem timoris ad temperantiam pertinet, quia Idem omnino eſt timor, quod humilitas, licet alio nomi-
D. Aug. ne nominetur; ſicut patet per D. Aug. ſuper illud Matth. 5. Beati pauperes ſpiritu. Frequenter enim numerantur non nominibus proprijs. Ideo ſcriptura frequenter commendat timorem. Vnde illud Initium ſapientiæ timor Domini Pſal. 110. & Prouer. 1. nihil aliud eſt niſi humilitas, quæ eſt principium virtutum, & rectè, quomodo eo quis timet, quo humilis; humilitate nos ipſos paruos, inſufficientes, & defectuoſos cognoſcimus, & ideo fortiora timemus. Humilitas autem ad temperantiã pertinet tanquam ſpecies ad genus: nam moderatur circa concupiſcentias honorum. Vel ſi hoc placet, vt timor identificetur humilitati, nihilominus ad temperantiam pertinet: Nam vt dicit Lyranus ſuper Iſaiam, contra concupiſcen-
Lyranus. tiam inordinatam delectabilium ordinamur per donum timoris, ſicut ſcriptum eſt Prouerb. 16. Per timorem declinat omnis à malo.

Pietas verò ſiue ſit habitus ad cultum Dei nos perfi-
Magiſter. ficiens, quæ theoſebia græce dicitur, ſicut dicit Magiſter diſt. ſequenti; ſiue miſericordia, qua proximus compatimur miſerias eorum ſubleuando, vt hic dicit Scotus, & Lyranus ſuper Iſaiam cap. 11. manifeſtum eſt quod ad iuſtitiam pertinet: quia nos bene ordinat ad alterum, dando alteri, quod ſuum eſt, Deo honorem, proximo iuuamen. Exprimuntur ergo inter dona quatuor virtutes cardinales, duæ quidem, vt prudentia per conſilium; fortitudo proprio nomine ſuo: Duæ autem aliæ non ſub ratione illarum ſpecierum intermediarum, quæ enumerantur in illo alio ſeptenario, ſed in quibuſdam ſpeciebus earum, puta temperantia in timore, & iuſtitia in pietate.

Duæ infuſæ nempè charitas, & ſpes, exprimuntur per ſpiritum ſapientiæ. Nam donum ſapientiæ duas complectitur Theologicas virtutes, charitatem ſcilicet, & ſpem. Eſt enim ſapientia dicta quaſi ſapida ſcientia, & communiter in ſcriptura accipitur pro habitu charitatis, quia ſapiẽtia eſt habitus, quo ſapit habenti obiectum ſummum, & æternum, quod in ſe eſt ſapidum, id eſt, quo placet illud bonum in ſe, & illud volo mihi, & hoc eſt quod dicit Magiſter ſequenti diſt. Sapientia non modo capimus ſuperiora, ſed etiam incognitis delectamur. Sapit autem, ſiue diligitur Deus ſapientia, vt dictum eſt, & quia in ſe bonus, qua dilectione volo Deo bonum, & quantum ad hunc actum perficit charitas; hac enim Deum in ſe, & propter ſe diligimus, volendo ei ſummum bonum. Verum qui ſapit bonum, & ſaporem in ſe approbat, etiam ſibi id bonum appetit tanquam commodum ſuum, & ad ſic appetendum perficit ſpes. Sapientia ergo generaliter accepta, qua ſummum bonum mihi ſapit in ſe, & appeto mihi, charitatem comprehendit ſimul, & ſpem.

Donum autem intellectus, & donum ſcientiæ ſimul fidem exprimunt ſecundum eius perfectionem, & imperfectionem: Nam in naturalibus ſexto Ethicorum intellectus dicitur notitia principiorum, ſcientia verò concluſionum. Ita in propoſito per intellectum intelligitur fides imperfecta, id eſt, notitia primorum articulorũ, quæ eſt fides ſimplicium, quibus ſpeculamur implicite ſaltem creatorem, & creaturas. De vtriſque enim articuli faciunt mentionem. Per ſcientiam verò intelligitur fides perfecta, & explicita, ne dum primorum articulorũ, ſed etiam eorum, quæ in eis latent, & ex eis deduci poſſunt quaſi concluſio ex principijs; & hac ſcientia non ſolum articuli primi creduntur, ſed etiam fides eorum nutritur, defenditur, ac roboratur: atque ita loquitur D. Auguſt. lib. 14. de *D. Aug.*
Trinit. Illud tantum huic ſcientiæ tribuo, quo fides ſaluberrima, quæ ad veram ducit beatitudinem, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur, qua ſcientia non pollent fideles plurimi, quamuis polleant plurimum ipſa fide, ſcilicet imperfecta. Aliud eſt enim ſcire tantum, quid homo debeat credere, propter adipiſcendam beatam vitã; Aliud eſt ſcire hoc ipſum, & quomodo pijs opituletur, & contra impios defendatur, quæ proprio vocabulo appellatur ſcientia.

Ex his ergo patet, quod in donis numerantur tres virtutes Theologicæ, & quatuor cardinales. Charitas, & ſpes in ſapientia, fides in intellectu, & ſcientia; Prudentia intelligitur per conſilium, iuſtitia in ſua ſpecie, ſcilicet in pietate, quæ eſt miſericordia; Temperantia ſimiliter in ſua ſpecie, ſcilicet in timore, qui eſt humilitas; & fortitudo proprio nomine. Atque ita patet, quod virtutes, & dona non ſunt diſtincti habitus.

Sed dices, quod hæc Scoti ſententia vix poteſt abſurdum illud effugere, quod ex ea ſequeretur, Chriſtũ Dominum, aut caruiſſe aliquo dono, aut habuiſſe virtutem fidei, quorum primum pugnat cum illo loco Iſaiæ. 11. alterum cum communi ſententia Theologorum, qui in 3. diſt. 27. docent, Chriſtum Dominum, quoniam ſemper fuit beatus, nunquam habuiſſe fidem.

Deinde cum Scotus neget dari virtutes morales per ſe infuſas, conſequens ex illius ſententia eſt, vel omnibus iuſtis infundi diuinitus virtutes morales tales, quales poſſunt ipſi acquirere, id quod videtur eſſe contra experientiam: vel non omnibus iuſtis tribui omnia dona Spiritus Sancti, quæ ipſe putat eſſe eiuſmodi virtutes, quod omnino falſum eſt. Hæc ſunt argumenta Gregorij de Valen- *Valentia.*
tia contra Scotum tom. 2. diſp. 5. quæſt. 8. puncto 1. & Me- *Medina.*
dinæ 1. 2. quæſt. 68. art. 1.

Ad primum dico, in Chriſto Domino fuiſſe quidẽ omnia dona Spiritus Sancti, & tamen in eo nõ fuiſſe fidem; Dices, fides ſecundum Scotum eſt idem habitus cum intellectus, & ſcientię donis. Dico, quod fides dicit notitiam diuinorum myſteriorum, ſed cum quadam imperfectione, nempè cum obſcuritate, & ineuidentia: at in Chriſto donum intellectus, & ſcientiæ nullam includebant imperfectionem beatitudini repugnantem, quia huiuſmodi dona in Chriſto non includebant obſcuritatem, non quidem ex ſe, ſed ratione ſtatus, quia nempè erat comprehenſor, & beatus, ſed eo modo quo ſcientia iudicat de diuinis myſterijs, quod ſint creditu digna, vel Deo conſentanea, vel aliquid huiuſmodi certo, & euidenter iudicat, Intellectus verò ſi eſt ad iudicandum, aliquem modum claritatis, & euidentiæ habet, vel ſi tantum eſt ad perfecte concipiendum, ſeu apprehendendum ſupernaturalia myſteria propriè nec claritatem, nec obſcuritatem habet, ſed perfectionem quandam, quæ has conditiones non requirit. Non fuit ergo fides in Chriſto, quatenus eſt virtus, quia vt ſic includit imperfectionem, quia obſcuritatem, & ineuidentiam, ſed quatenus eſt donum, quia vt ſic nullam imperfectionem includit, cum vt ſic dicat in Chriſto notitiam certam, & euidentem diuinorum myſteriorum.

Dices

Digitized by Google

Dices ergo, hoc donum non fuit eiuſdem rationis in nobis, & in Chriſto; concedo, ſed hoc proueniebat non ex ratione ſui formali, ſed ratione ſtatus.

Ad ſecundum dico, quod tria dona Spiritus Sãcti, quæ ſunt habitus trium virtutum Theologicarum, ſunt habitus infuſi, & alterius ſpeciei ab acquiſitis habitibus, & ab eis te ipſa diſtincti, quatuor verò reliqua dona ſunt habitus quatuor virtutum cardinalium, ac proinde aliquando diuinitus infunduntur, ſed non ſemper, quia licet Dei munere nonnunquã vnam cũ charitate conferantur, non tamen ſunt habitus cum ea neceſſario connexi; & cum ſint eiuſdem ſpeciei, cuius ſunt virtutes cardinales acquiſitæ, poſſunt noſtris actibus comparari, augeri, & conſeruari; ſicut ſi Dei munere diſciplina humana, vel ars alicui conferatur, quæ naturæ vi poſſet acquiri, eſſet eiuſdem ſpeciei, cuius fuiſſet acquiſita, ac poſſet deinde humanis actibus conſeruari, augeri, & perfici, Deus enim interdum tribuit, quod alioqui magno ſtudio, & diligentia poteſt aliquis adipiſci, cuiuſmodi eſt donum aliquarum linguarum. Concedo ergo, quod omnibus iuſtis infunduntur diuinitus virtutes cardinales, quales poſſunt ipſi acquirere, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei cum acquiſitis.

Magiſter.

Nec tamen ſuperfluunt dona, quoniam vt dicit Magiſter in hoc 3. diſt. 35. per hæc dona illa naturalia reformantur, & adiuuantur, ſunt denique perfectiora, quam virtutes, quas naturaliter acquirimus: quia à perfectiſſimo principio, ab eo vtique, cuius perfecta ſunt opera. Denique Spiritus Sanctus ſubito hæc infundit, quæ ſecundũ naturam non niſi longiſſimo temporis exercitio acquiruntur: Neſcit enim tarda molimina Spiritus Sancti gratia, vt dicit D. Ambroſius ſuper Lucam.

D. Ambr.

Ad argumenta in principio articuli poſita reſpondetur, & ad primum dico, quod Teſtimonia illa ſcripturæ, & Cyrilli, ſi probant dona Spiritus Sancti eſſe habitus, non probant eſſe diſtinctos habitus à virtutibus. Nam de eiſdem habitibus virtutum potuerunt ſcriptura, & Cyrillus ita loqui, vt eos dona Spiritus Sancti vocarent. Adde quod modus ille loquendi Requieſcendi, & Manẽdi non ſolum locum habet in habitibus, ſed etiam in actibus: nam etiam per actus ipſos dicitur homo manere iuſtus, & Spiritus Sanctus in eo manere, ſicut contra dicitur homo manere iniuſtus, & Diabolus manere in anima, & habitare in illa ſicut in domo, per actum peccati nõdum deletum per iuſtificationem, etiamſi ex actu peccati nullus habitus remaneat.

Ad ſecundum ex D. Gregorio, dico, quòd etſi lib. primo Moralium, diſtinguat ſeptem dona à fide, ſpe, & charitate; non conſtat tamen vtrum diſtinguat tanquam diuerſos habitus, an verò tanquam diuerſos actus; Nam & dona ſpiritus appellat ipſe virtutum ſenſus, & capit. 28. exponens illud Iob. Nati ſunt ei ſeptem filij, ſic ſcribit. Septem nobis naſcuntur filij cum per conceptionem bonæ cogitationis Sancti Spiritus ſeptem in nobis virtutes oriuntur, & adducit illud, quod habetur Iſaiæ 11. Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, &c. Fidem autem, ſpem, & charitatem vocat ſorores horum donorum. Cum inquit Virtutum ſenſus; non diſtinguit à virtutibus, ſed tanquam ipſarum virtutum opera appellat ſenſus, hoc eſt effectus, quomodo autem illæ vſurpet ſcientiam, & intellectum, vtrum ſint actus fidei innitẽtes diuino teſtimonio, an alio modo, mihi non conſtat.

In ſecundo verò libro dona diſtinguit, nõ ab omnibus virtutibus, ſed à cardinalibus, Sed vtrũ à cardinalibus acquiſitis, an ab infuſis, quis iudicabit? & ſolum de dono fortitudinis difficultas eſſe poterat, an eſſet diſtinctus habitus à virtute fortitudinis. Doctrina autem Gregorij rectè conſtare poteſt, etiamſi non diſtinguatur donum fortitudinis à virtute fortitudinis tanquam diuerſus habitus: quoniam ſublata virtute fortitudinis cum alijs cardinalibus, effectus illius, qui eſt donum fortitudinis, dicitur opprimi, ſicut diruto angulo domus oppreſſi fuere filij Iob intra domum; De alijs verò donis nulla manet difficultas, etiamſi à Gregorio diſtinguantur à virtutibus cardinalibus, vt conſtat.

Ad tertium ex Ariſt. libro ſeptimo Ethicorum capitulo primo, dico, quod non probat eſſe diuerſos habitus, alterum virtutis ſimpliciter, alterum virtutis heroicæ, ſed eſſe eumdem habitum magis perfectum; aut ab habitu virtutis aliquando fieri aliquod heroicum opus, ex quo non licet colligere, dona, & virtutes infuſas in Chriſtianis eſſe diuerſos habitus.

Ad confirmationem reſpondet Doct. in calce huius q. ſub litt. R. §. Ad illud Philoſ. & dicit, quòd Philoſ. in omni bonitate, id eſt, virtute aſſignat quatuor gradus, qui ſunt eiuſdem habitus in ſpecie, ſcilicet perſeuerantiam, continentiam, temperantiam, & heroicam. Primus gradus dicitur perſeuerantia, in qua cum paſſiones appetitus ſenſitiui inſurgunt contra rationem, puta ira, aut concupiſcentia, fit pugna inter hominem exteriorem, & interiorem, & tunc interior nec vincit, nec vincitur, ſicut in agoniſticis ei, qui prouocatur, ſufficit, quod ſe ipſum defendat, & talis dicitur perſeuerans, Verbi gratia, in virtute temperantiæ primus gradus eſt perſeuerantia, id eſt, debet homo ſi vult temperantiam acquirere in actibus temperantiæ perſeuerare, & non vnum actum temperantiæ efficere, & poſtea tentatione pulſatus deficere.

Gradus virtutis moralis quatuor.

Secundus gradus ponitur continentia, quando inſurgentibus ſic paſſionibus, homo exterior ab interiori vincitur, ſed cum modeſtia, & difficultate; ſicut in agoniſticis, qui non ſunt multum fortes ſuperant aduerſarios, ſed cum difficultate; & talis dicitur continens, quia continet ſe intra limites, & terminos temperantiæ, non declinans ad extrema, & in hoc gradu ſtudioſus habet habitum virtutis, quo ſtudioſe agit ſecundum rectum dictamen rationis, & eſto quod inſurgant paſſiones nedum non ſuccumbit, imò (etſi cum moleſtia) vincit, continens ſe intra virtutis terminos.

Tertius gradus ponitur quando inſurgente tali pugna homo interior faciliter ſuperat exteriorem, & tenet ipſum ſubiectum ſine moleſtia, & talis dicitur temperatus, quia temperate agit, adeo vt non excedat, nec deficiat, & in hoc gradu non inſurgunt paſſiones difficiles, & notabiles, etſi in hoc gradu habens virtutem non ſit adhuc illis omnino expoliatus.

Quartus gradus ponitur, & ſummus, qui appellatur heroicus, quando homo interior tenet exteriorẽ, & eius vires ita ſubiugatas, vt nullatenus ei bellum audeant attentare, nec velint, ita vt in hoc gradu habens virtutem, ſit ita ſedatus, vt ſit paratus agere & producere actum quaſi tranſcendentem facultatem humanæ naturæ, quia in hoc gradu ne dum paſſiones notabiles non inſurgunt, ſed nec etiam minimæ; ita vt homo omnino ſedatus paratus ſit potius mori, quam bonum virtutis omittere, & in hoc gradu virtus dicitur heroica, quaſi diuina: quia tranſcendit bonitatem humanam, & ideo dicebat Priamus Rex Troianorum de Hectore filio, eo quòd valde erat bonus, & habebat excellentiam illius virtutis. Non hominis mortalis filius ille Iſte videbatur, ſed magna ex ſtirpe Deorum, vt ex Homero refert Ariſto. ſeptimo Ethicorum capitulo primo, Iſtam virtutem habuit ſimiliter B. Pater Franciſcus, cuius dum ſpiritus niteretur ad omnem ſanctitatem, caro ipſius, quę dicitur homo exterior, non ſolum non repugnare, ſed etiam præcurrere conaretur.

Franciſcus heroicus, & ſimiliter Hector ſed vario modo.

Huiuſmodi gradus virtutis, inquit Scotus, non differunt ſpecie, ſed præciſe ſecundum magis, & minus perfectu in eadem ſpecie, quia ſunt circa idem obiectum, & circa eamdem materiam. Perfectiſſima igitur virtus in eadem ſpecie manens eſt heroica; atque adeo metaphorice loquuntur aliqui, dicentes virtutem heroicã perficere hominem modo in humano, quia videlicet non eſt communiter hominis ad illum gradum attingere, licet ſit eiuſdem ſpeciei; atque adeo eſto, quod dona perficerent modo ſuper humano, virtutes modo humano, & beatitudines modo inhumano, cum hoc tamen ſtat, quod non ſint diſtincti habitus, ſed quod ſint iidem habitus, quia eodem habitu dicitur aliquis agere rectè, rectius, & rectiſſimè.

Etſi dicas. *Habitus quicunque facit prompte, & delectabiliter operari*, ſed talis gradus virtutis hoc nõ præſtat, imò cum magna difficultate, quia in primo gradu homo agit ſecundum virtutem, verum nimis remiſſe, in ſecundo minus remiſſe ad huc, in tertio cum maiori intenſione, in quarto autem perfectiſſimè. Dico, quod

difficul-

Digitized by Google

Vnde proueniat operandi ſtudioſe difficultas.

difficultas operandi interdum prouenit ex cõditione naturæ, & non ex conditione virtutis, velut quando homo elicit actum ſtudioſum ante virtutis habitum ſe diſponit ad virtutem, licet nec prompte, nec delectabiliter hoc efficiat, quod quidem ex parte diſpoſitionis non prouenit, ſed ex conditione naturæ; Ita licet virtus quælibet quantum ex ſe faciat prompte, & delectabiliter operari; ſi interdum hoc non præſtet, hoc prouenit ex parte naturæ, non ex parte habitus.

Ex his ad argumentum. Cum dicitur vitium beſtialitatis, quo quis dicitur operari modo inhumano, &c. negari poteſt antecedens: quia ſecundum eumdem habitum vitioſum, poteſt quis agere male, peius, & peſſimè, vt patet in vino luxuriæ, iuxta illud D. Pauli ad Roman. primo, Commutauerunt vſum naturæ, &c. & eſſet in gradu ſupremo vitij, correſpondente gradui heroico virtutis: In quo vitio darentur quatuor gradus proportionales gradibus virtutis oppoſitæ, & primus gradus eſſet mollities, ſecundus incontinentia, tertius intemperantia, & quartus beſtialitas; atque ita primus faceret operari in vitio delectabiliter remiſſe, ſecundus magis intenſe, tertius adhuc intenſius, & quartus intenſiſſimè ſine freno. Sed melius poteſt dici, quod beſtialitas ſit vitium alterius ſpeciei, à vitio, quo quis operatur modo ſuper humano, & humano, quia eſt ex ſe circa aliud obiectum, vt ſi quis eſſet adeo intemperatus, vt veſceretur humanis carnibus, vitium illud differret ſpecie ab intemperantia, qua quis veſcens communes cibos limites temperantiæ excederet, propter obiectorum diſtinctionem. atque adeo admiſſo antecedente negatur conſequentia, quia circa multa contingit errare, & vitioſe agere, ſed circa vnum tantum perfecte circumſtantionatum contingit rectè agere, rectius, & rectiſſimè. Licet ergo beſtialitas ſit alius habitus à communi vitio humano: quia habitus beſtialitatis eſt circa aliud obiectum à vitio humano; non ſequitur heroicam virtutem eſſe alterius ſpeciei à virtute humana; quia heroica ordinat circa idem obiectum, ad quod ordinat virtus humana, etſi in gradu excellentiori, nec eſt manifeſtum hanc excellentiam non poſſe eſſe per alium gradum eiuſdem ſpeciei.

ARTICVLVS X.

Vtrum virtutes, & dona diſtinguantur à beatitudinibus.

DOctrina de beatitudinibus præcipua eſt, & maxima pars legis Euangelicæ, quam Chriſtus Dominus in monte tradidit ore ſuo Sacroſancto, in qua præcipuè traditur, quid Chriſtiana Iuſtitia vltra fidem complectatur, & poſtulet. Deinde quomodo iuſtis corona iuſtitiæ (vt Paulus vocat) vel merces plena, æternaque non ſine labore obueniat.

Numerus beatitudinum.

Atq; Euangelicæ legis beatitudines apud Matth. Euangeliſtam octonario numero recenſentur in hũc modum. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam ipſi filij Dei vocabuntur. Beati qui perſecutionem patiuntur, propter iuſtitiã, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.

Circa hanc doctrinam de beatitudinibus diuina, & recõdita myſteria obſeruarũt Patres, Chryſoſtomus, Hieronymus, Theophilactus in Matth. D. Auguſt. lib. 1. de ſermone Domini in monte, Chromatius Epiſcopus in declaratione de octo beatitudinibus, D. Ambroſ. in Lucam, & Bernardus ſermone primo in feſto omnium Sanctorum.

Sed Doctores Scholaſtici multa de beatitudinibus diſputant in 3. diſt. 34. ſed potiſſimum vtrum beatitudines diſtinguantur à virtutibus, de qua re non eſt vna eorum ſententia. Nam Henricus de Gand. quol. 4. quæſt. 23. docet, beatitudines eſſe habitus eſſentialiter, & ſpecifice diſtinctos à virtutibus, & donis, atque ex eo diſtingui à donis, & virtutibus, quia virtutes perficiunt hominem modo humano, dona modo ſuper humano, & beatitudines modo inhumano, cuius ſententia ſatis diffuſe fuit impugnata ſupra art. 6.

Henricus.

D. Bonauentura hac diſt. art. 1. quæſt. 1. & ipſe tenens beatitudines eſſe habitus, diſtinguit illos à virtutibus, & donis, quia habitus virtutum ſunt ad agendum rectè, habitus donorum ad agendum expedite, habitus verò beatitudinum ad agendum ſiue patiendum perfecte.

D. Bonau.

In Breuiloquio autem parte 5. cap. 4. 5. & 6. ponẽs ſufficientiam virtutum, donorum, & beatitudinum loquens de virtutibus inquit, quòd licet vna ſit gratia, gratificans animam, ſeptem tamen ſunt virtutes gratuitæ, quibus regitur vita humana, tres quidem Theologicæ, ſcilicet fides, ſpes, charitas; & quatuor cardinales, ſcilicet Prudentia, temperantia, fortitudo, & iuſtitia, quæ vno modo eſt virtus communis, & generalis, alio modo ſpecialis, & propria. ſufficientiam autem ſeptem virtutum hoc modo aſſignat; Nam anima debet rectificari ſecundum duplicem faciem, ſcilicet ſuperiorem, & inferiorem; & reſpectu finis, & reſpectu eorum, quæ ſunt ad finem; quo ad faciem ſuperiorem, in qua conſiſtit imago Trinitatis æternæ, rectificatur per tres Theologicas virtutes, vt ſicut imago creationis conſiſtit in trinitate potentiarum cum vnitate eſſentiæ; ſic imago recreationis conſiſtit in trinitate habituum cum vnitate gratiæ, per quos anima fertur rectè in ſummam Trinitatem ſecũdum tria appropriata tribus perſonis. itaque fides dirigit in ſummè verum, credendo, & aſſentiendo; ſpes in ſummè arduum imitando, & expectando; Charitas in ſummè bonũ deſiderando, & diligendo.

Sufficientia ſeptem virtutum.

Quo autem ad inferiorem faciem, neceſſe eſt animam rectificari per quatuor virtutes cardinales. Nam prudentia rectificat rationalem, fortitudo iraſcibilem, temperantia concupiſcibilem; Iuſtitia verò rectificat omnes has vires in comparatione ad alterum. Et quia illud alterũ determinate poteſt eſſe proximus, poteſt etiam idem homo comparari ad ſe ipſum, vt ad alterum, poteſt etiam eſſe ipſe Deus; hinc eſt, quod iuſtitia circumire dicitur omnes vires. Dicitur etiam non tantum virtus cardinalis, verum etiam generalis comprehendens totius animæ rectitudinem, cum ipſa dicatur rectitudo volũtatis. Vnde ipſa non tantum comprehendit virtutes ordinantes ad proximum ſicut eſt æquitas, liberalitas; verum etiam ad ſe ipſum, ſicut eſt pœnitentia, & innocentia; nec non ad Deum, ſicut latria, pietas, & obedientia.

Loquens autem de donis in cap. 5. Inquit, quod anima noſtra indiget ſeptiformiter expediri: Ideo ex ſeptiformi cauſa neceſſe eſt Spiritus Sancti dona eſſe ſeptiformia.

Sufficientia ſeptuplex donorum Spiritus Sãcti.

Primo indiget expediri contra vitiorum obliquitates, & ad hoc ſunt ſeptem dona Spiritus Sancti; vtpote timor contra ſuperbiam, pietas contra inuidiam; ſcientia contra iram, quæ eſt quaſi quædam inſania; fortitudo contra acediam, quæ mentem reddit ad bona inualidam; conſilium contra auaritiam; intellectus contra gulam; & ſapientia contra luxuriam.

Secundo indiget expediri quantum ad virtutes naturales, quæ expedita redditur per ſeptem dona Spiritus Sancti. Nam iraſcibilis indiget expediri ad bona tam in proſperis, quam in aduerſis, in proſperis expeditur per timorem; in aduerſis per fortitudinem. Concupiſcibilis autem indiget expediri, quantum ad affectionem reſpectu proximi, & hoc fit per pietatem, & quantum ad affectum reſpectu Dei, & hoc fit per guſtum ſapientiæ. Rationalis verò indiget expediri, in veritatis ſpeculatione, electione, & executione; per donum autem intellectus expeditur ad verum ſpeculandum, per donum conſilij ad verum eligendum, per donum ſcientiæ ad electum exequendum, per donum enim ſcientiæ rectè conuerſamur in medio nationis prauæ, & peruerſæ.

Tertio indiget expediri quoad ſuperadditas virtutes, hoc eſt, propter expedienda ſeptem virtutum officia, & ad hoc præſtandum ſeptem debent eſſe Spiritus Sancti dona; Nam timor expedit ad temperantiam; Timor

enim

Digitized by Google

enim carnes configit, iuxta illud Pſalm. 118. Confige timore tuo carnes meas. Pietas ad veram iuſtitiam: ſcientia ad prudentiam; fortitudo ad fortitudinem, ſeu patientiam; Conſilium ad ſpem; intellectus ad fidem; ſapientia ad charitatem. Vnde ſicut Charitas eſt mater, & conſummatio omnium virtutum, ſic ſapientia omnium donorum. ita vt verè dicat ſapiens. *Sap. 7.* Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius.

Quarto debet expediri in patiendo conformiter ad Chriſtum, & hoc præſtant ſeptem dona. Chriſtum autem ad patiendum mouit paterna voluntas, humana neceſſitas, & virtutis ſtrenuitas; Patris volũtas mouit, vt cognita per intellectum, vt amata per ſapientiam, vt in reuerentia habita per timorem. Mouit etiam noſtra neceſſitas ad quam cognoſcendam neceſſaria eſt ſcientia, ad quam miſerandam ſuperadditur pietas. Mouit nihilominus virtutis ſtrenuitas, vt prouida in eligendo per conſilium, vt vigoroſa in perferendo per fortitudinem.

Quinto expediri indiget in agendo, quod præſtant ſeptem dona Spiritus Sancti; Nam ad actionem expediendam neceſſe habemus expediri ad declinandum à malo, quod fit per tim...em, Ad proficiendum in bono duplici, vel neceſſitatis, vel ſupererogationis; circa primum expedimur per ſcientiam, & pietatem; ita vt vnum ſit dirigens, & aliud exequens; circa ſecundum expedimur per conſilium dirigens, & fortitudinem exequentem. Neceſſe etiam habemus quieſcere in optimo, & hoc quantum ad intellectum veri, & quantum ad affectum boni; primum fit per donum intellectus; ſecundum per donum ſapientiæ, in quo eſt quies.

Sexto debet expediri in contemplando, & ad hoc dantur ſeptem dona à Spiritu Sancto. Nam ad vitam hierarchicam, & contemplatiuam, neceſſarium eſt animam purgari, illuminari, & perfici; Purgari autem oportet à concupiſcentia, à malitia, ab ignorantia, ab infirmitate, ſeu impotentia. Primum facit timor. Secundum pietas. Tertium ſcientia. Quartum fortitudo. Illuminari autem indigemus in operibus reparationis, & primariæ conditionis; primum dat Conſilium, ſecundum intellectus. Perfici autem habemus per acceſſum ad ſummum, quod conſiſtit in vno, & hoc per donum ſapientiæ, & ſic arcanum contemplationis à Lato conſummatur, quaſi in cubiculo.

Septimo indiget expediri in actione, & contemplatione ſimul, & ad hoc præſtandum dantur ſeptem dona Spiritus Sancti. Nam contemplatiua, propter conuerſionem ad Trinitatem tria debet habere dona expedientia, ſcilicet quantum ad reuerentiam maieſtatis timorem; quantum ad intelligentiam veritatis intellectum; quantũ verò ad ſapientiam, ſiue guſtum bonitatis, ſapientiam. Actiua verò, quæ verſatur in agendis, & ſuſtinendis, debet habere quatuor, ſcilicet pietatem ad agendum, & fortitudinem ad ſuſtinendum, & directiua horum duorum, ſcilicet ſcientiam, & conſilium. Vnde quia ad expeditionem neceſſaria eſt directio, ideo ſit ...orum combinatio, & plurima ſunt dona ad intellect... ſpectantia, quia lux cognitionis vehementer expedit ad dirigendos pedes in viam rectam, & pacis. Luce. 1. Aliam ſufficientiam donorum ponit D. Bonau. in 3. diſt. 34. art. 2. quæſt 1. quam omnino videbis, quia pulcherrima eſt.

Demum loquens de beatitudinibus, inquit, quod ſunt ſeptem, ſcilicet paupertas ſpiritus, mititas, luctus, eſuries iuſtitiæ, miſericordia, munditia cordis, & pax, quas dicit eſſe habitus perficientes, qui cum fini approximent, recto vocabulo nuncupantur ex nomine beatitudinum, quarum ſufficientia, numerus, & ordo colligitur ex integritate perfectionis, & ex modis perfectionum, & ex diſpoſitionibus ad perfectionem.

Sufficiẽtia & numerus beatitudinum.

Primo ad integritatem perfectionis requiritur neceſſario perfectus receſſus à malo, perfectus proceſſus in bono, & perfectus ſtatus in optimo. Quoniam autẽ malum aut procedit ex timore ſuperbiæ, aut ex rancore malitiæ, aut ex languore concupiſcentiæ: Ideo ad perfecte elongandum ab hoc triplici genere mali, tres ſunt neceſſariæ beatitudines, ſcilicet paupertas ſpiritus elongans à malo timoris; mititas elongans à malo rancoris; & luctus elongans à malo libidinis, & languoris cõcupiſcientialis. Quia verò perfectus proceſſus in bono attenditur, ſecundum diuinam imitationem, & vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas. Pſalm. 24. hinc eſt, quòd duplex eſt beatitudo ſecundum has duas vias, ſcilicet eſuries, ſiue zelus iuſtitiæ, & affectus miſericordiæ. Quoniam autem ſtatus in optimo eſt, vel per limpidam cognitionem, vel per tranquillam affectionem; hinc eſt quod ſunt duæ vltimæ beatitudines. ſcilicet munditia cordis ad Deum videndum, & pax mentis ad perfecte fruendum.

Secundo etiamſi modi perfectionum attendantur, debent eſſe ſeptem habitus beatitudinum. Nã eſt perfectio religionis, prælationis, & internæ ſanctitudinis; Ad perfectionem autem religionis neceſſario requiritur abdicatio boni priuati, acceptatio boni fraterni, & acceptatio boni æterni. Primum fit per paupertatem ſpiritus, ſecundum per mititatem affectus, tertium per amaritudinẽ luctus. Ad perfectionem verò prælationis, duo neceſſario requiruntur, ſcilicet zelus iuſtitiæ, & affectus miſericordiæ. Miſericordia enim, & veritas cuſtodiunt regem. Prouer. 20. ſecundum hæc duo diſponi debet regimen prælationis in Eccleſia militanti. Ad perfectionem autem internæ ſanctitudinis, neceſſario requiritur puritas conſcientiæ, & tranquillitas totius animæ per pacem Dei omnem humanum ſenſum exuperantem.

Tertio ſi attendãtur diſpoſitiones præambulæ, ſeptem debent eſſe beatitudines. Timor enim facit recedere à malo, & à mali occaſione, & quia radix malorum omnium eſt cupiditas, ideo timor diſponit ad ſpiritus paupertatẽ, in qua ſimul iungitur humilitas cum paupertate, vt ſic elongetur vir perfectus à fonte omnis culpæ; ſcilicet à ſuperbia, & cupiditate. Et hinc eſt quod paupertas ſpiritus eſt fundamentum totius perfectionis Euangelicæ. Vnde primo oportet hoc fundamentum ſternere, qui vult ad culmen perfectionis peruenire. Iuxta illud: Si vis perfectus eſſe vade, & vende omnia, quæ habes, ecce perfecta paupertas, quæ ſibi nihil prorſus retinet. Et ſequere me, ecce humilitas, quæ facit, quod homo abnegando ſe ipſum tollat crucem ſuam, & ſequatur Chriſtum, qui eſt totius perfectionis principaliſſimum fundamentũ: diſponit ergo timor ad ſpiritus paupertatem. Pietas autem ad mititatem; nam qui piè ad aliquem afficitur, nec illum irritat, nec ab illo irritatur. Scientia verò diſponit ad luctum: quoniam per ſcientiam cognoſcimus nos à ſtatu beatitudinis relegatos in hanc vallem miſeriæ, & lacrimarum. Fortitudo autem diſponit ad eſuriem iuſtitiæ; qui enim fortis eſt tam auide ſe tenet cum iuſtitia, vt malit à vita corporali, quam à iuſtitia ſeparari. Conſilium verò diſponit ad miſericordiam; Nihil enim Deus magis conſulit in ſcriptura, quam facere miſericordiam, quam ſuper omnia reputat holocauſta. Intellectus autem diſponit ad cordis munditiam: nam ſpeculatio veritatis mundat cor noſtrum ab omnibus phantaſijs. Sapientia verò diſponit ad pacem; nam ſapientia iungit nos ſummo vero, & bono, in quo eſt finis, & tranquillitas totius noſtri rationalis appetitus.

Septem autem tantum enumerat D. Bonau. beatitudines, quia octaua beatitudo, (vt inquit Gabriel ſermone quarto in feſto omnium Sanctorum) ignis perſecutio eſt, quo ſeptupliciter probatur argumentum. Hæc enim examinat, & clarificat, & quod perfectum eſt demonſtrat. *Gabriel.*

Ex his ergo patet, quomodo ſecundum D. Bonauent. beatitudines ſint habitus diſtincti à donis, & virtutibus. Nam cum quædam ſint (vt inquit ipſe) opera moralia primaria, ſcilicet credere; quædam media, ſcilicet intelligere credita; quędã vero poſtrema, ſicut videre intellecta; & in primis anima rectificatur, in ſecundis expeditur, in tertijs perficitur: Ideo gratia gratum faciens diſtinguitur in habitus virtutum, quorum eſt animam rectificare; in habitus donorum, quorum eſt animam expedire, & in habitus beatitudinum, quorum eſt animam perficere, quæ ſententia fuit ſupra improbata art. 7.

D. Thomas 1. 2. queſt. 69. articulo 1. docet beatitudines Euangelicas, nec eſſe dona, nec virtutes, ſed eſſe actus virtutum ſeu donorum, per quos certa cum ſpe ad beatitudinis conſecutionem ferimur: atque adeo beatitudines ſecundum ipſum à donis, & virtutibus diſtinguuntur, non *D. Thom.*

ſicut

ſicut habitus diſtincti ab eis, ſed ſicut actus. Nam finem dicitur aliquis iam habere, propter ſpem finis obtinendi, ſpes autem de fine conſequendo conſurgit ex hoc, quod aliquis conuenienter mouetur ad finem, & ad ipſum appropinquat, quod fit per aliquam actionem; ad finem autem beatitudinis appropinquat aliquis per operationes virtutum, & maxime per operationes donorũ, ad quam beatitudinem non ſufficit ratio, ſed in eam inducit Spiritus Sanctus, ad cuius ſequelam per dona perficitnur, & hanc ſententiam ſequitur Baſſolus hac diſt. quæſt. 1. articulo ſecundo.

Baſſolus.

Sed Doct. noſter ſub. in hac quæſt. ſub litt. M. §. His intellectis dico, &c. cenſet beatitudines eſſe eoſdem habitus cum donis, & virtutibus. Ita vt idem habitus dicatur virtus in comparatione ad actum; dicatur donum quatenus à Spiritu Sancto gratuito datum, vel datus; quia omne datum optimum, & omne donum perfectum, &c. Iacobi 1. dicatur beatitudo pro quanto ad beatitudinẽ nos diſponit. Vnde quo ad hunc art. ponit Doct. hanc concluſionem. Et ſi beatitudines, quæ enumerantur à Saluatore Matth. quinto, ſint ijdem habitus cum habitibus virtutum; tamen aliquando nominantur ſpecies ſpecialiores virtutum, quam ſumantur in numero illo ſeptenario virtutum prius aſſignato. Hæc concluſio probatur inductiuè diſcurrendo per ſingulas beatitudines: Nam duas ſpecies temperantiæ enumerat Saluat. inter beatitudines, ſcilicet humilitatem, quæ moderatur circa primum delectabile, ſcilicet honorem, & hanc exprimit ibi. Beati pauperes ſpiritu, vbi ſecundum D. Auguſt. rectè intelliguntur pauperes ſpiritu, recti ac timentes Deum, non habentes inflatum ſpiritum. Aliam ſpeciem moderantem voluptatem in communi, exprimitur per hoc. Beati mundo corde, munditia enim cordis eſt immunitas voluntatis ab omni inordinata affectione, vel delectatione, tam rationeſui, quam ratione appetitus ſenſitiui, cui coniungitur.

D. Aug.

Fortitudinem exprimit in ſua ſpecie perfectiſſima, quę eſt patientia ibi. Beati qui perſecutionem patiuntur, propter iuſtitiam, &c. Iuſtitiæ exprimit tres ſpecies, vnã quidem, quæ eſt in communicando ſe ipſum per amicitiam, & hanc exprimit cum dicit Beati mites; Quamuis enim amicitia plus ſit, quam beneuolẽtia, id eſt, plura includat, quam beneuolentia, addit enim aliquid ad beneuolentiam ſecundum Philoſ. 8. Ethic. cap. 2. Quia amicitia eſt non latens in contrapaſſis, hoc eſt, amor non latens, & reciprocus per effectum exteriorem, & beneuolentia plus ſit, quam mititas, id eſt, plus dicat, quam mititas: quia mites ſunt qui non offendunt nec reſiſtunt in malo; tamen hoc minimum, quod eſt quaſi infimum in amicitia, explicat illam, qua quis ſe ipſum communicat proximo: & hinc patet differentia inter amicitiam, & beneuolentiam, quia non conuertuntur; non enim omnis beneuolentia eſt amicitia, quia poſſum alicui bene velle, id eſt, optare bonum, & tamen ille ignorabit. Similiter mititas poteſt eſſe ſine beneuolentia: quia poſſum nec amare, nec odiſſe, ſed neutro modo me habere, quæ eſt mititas. Aliam ſpeciem, quæ diuiditur in dominationem iuſtam, & obedientiam, exprimit per hoc quod dicit. Beati pacifici. Pax quippe ſeruatur in hoc, quod Princeps rectè regit, & ſubditus rectè obedit. Tertiam ſpeciem iuſtitiæ, quæ eſt quo ad exteriora communicanda exprimit ibi. Beati miſericordes. Nullo enim alio modo poteſt aliquis eſſe perfectè diſpoſitus circa exteriora communicanda proximo, quam per miſericordiam. Miſericors enim communicat, non vt re habeat, nec vt prius rebeneficatus ab eo, cui cõmunicat. Liberalis namque, etſi communicet aliqua amico, tamen poteſt eſſe liberalitas aliqua inferior, quam ſit miſericordia, expectat enim interdum liberalis pro benefactis gratitudinem, atque ita liberalitas eſt imperfectior ſpecies iuſtitię, quam miſericordia: hanc autem iuſtitiam, quæ eſt circa temporalia communicanda expreſſit Saluat. Lucæ 8. Cum facis conuiuium, &c.

Amicitia, & beneuolentia differunt.

Liberalitas eſt imperfectior ſpecies Iuſtitię, quã miſericordia.

Sic igitur habemus tres virtutes morales expreſſas in ſe, vel in ſuis ſpeciebus. Duas autem Theologicas exprimit, Charitatem ibi. Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam: eſurire quidem non eſt ſine miſeria, id eſt, indigentia; ſed habitus quo elicitur eſt charitas: propriiſſime enim charitas vię eſt habitus, quo eſurimus iuſtitiá, quod eſt diligere Deum in ſe, qui eſt vera iuſtitia. Spem exprimit per illud. Beati qui lugent. Luctus enim eſt habitus deſiderandi illud. Sic ita vt in octo beatitudinibus duæ exprimuntur virtutes appetitiuæ Theologicæ, ſcilicet charitas, & ſpes, & tres morales, ſcilicet fortitudo in ſe, & temperantia in duabus ſpeciebus, & iuſtitia in tribus ſpeciebus; Duæ autem virtutes intellectuales, vna acquiſita vt prudentia, & altera infuſa, vt fides, non exprimuntur in ſe, nec in ſuis ſpeciebus, ſed dantur ſatis intelligi per appetitiuas, quia non eſt voluntas optime diſpoſita ſine virtute correſpondente in intellectu. Ex his ergo patet quomodo beatitudines non ſint habitus diſtincti à virtutibus, & per conſequens neque à donis, ſed ſunt iidem habitus.

Contra hanc ſententiam Docto. arguit Medina 1. 2. q. 69. artic. 1. his argumentis: In primis Ariſtot. 1. & 3. Ethic. expreſſe docet, quod beatitudo non conſiſtit in habitu, ſed in actu, & operatione, alias dormiens eſſet fœlix, & beatus. ergo beatitudines Euangelicæ non conſiſtunt in habitu, ſed in actu. Deinde beatitudo in ſpe eſt moueri ad illam per meritum, & egregiam operationem, hoc verò in actu conſiſtit. Ad hæc Beatitudo in patria cœleſti non in habitu, ſed in actu conſiſtit, ergo beatitudo in hac vita inchoata in actu, non in habitu collocatur. Item beatitudo dicit, quid excellentiſſimum, & gradum heroicum in actu virtutis; non enim dicuntur beati liberales, aut qui non furantur, vel obſeruant iuſtitiam, ſed qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, non ergo quælibet virtus eſt beatitudo, quia licet vniuerſus actus virtutis ſit meritorius, non tamen facit certam ſpem beatitudinis, hanc ſolam generat actus egregius, & heroicus, quem qui habet regulariter in gratia moritur. Hæc Medina.

Medina.

Præterea licet vna beatitudo, puta Beati, qui perſecutionem patiuntur, &c. non diſtinguatur à virtute morali, nimirum à fortitudine, quæ eſt patientia, tamen bene diſtinguitur ab alijs ſpeciebus fortitudinis, ſcilicet à fortitudine, quæ eſt bellicoſitas, vel ab illa, quæ eſt velle mori pro Chriſti nomine. Item licet iſta beatitudo. Beati Pauperes ſpiritu, id eſt, humilitas Euangelica, non diſtinguatur à virtute temperantiæ pro vt dirigit voluntatem circa honores; tamen videtur diſtingui ab alijs ſpeciebus temperantiæ, nempe ab illa, quæ eſt circa guſtabilia, & circa caſtitatem coniugalem, & vidualem, & virginalem; atque ita non erunt tot beatitudines, quot virtutes, nec è conuerſo.

Hæc argumenta facili negocio tolluntur. Vnde obſeruandum eſt, quòd ea, quæ enumerantur à Chriſto Domino Matth. quinto, non dicuntur beatitudines, eo quia habitus illi, vel actus eorum ſint beatifici in re; ſed in merito: quia per actus eorum meremur beatitudinem; ſicut in pleriſque locis loquitur ſcriptura de beatitudine in ſpecie ſiue in merito, vt ibi beatus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem; dicuntur ergo beatitudines pro quanto ad beatitudinem nos diſponunt; non quia formaliter, & in actu nos beatos efficiant, ſed quia, vt dixi, meritoriè quaſi ad beatitudinem nos diſponunt, & ordinant. Argumenta Medinæ concludunt de beatitudine formali, & in actu, &c.

Quare virtutes dicãtur beatitudines.

Ad aliud dici poteſt, quòd licet beatitudines expreſſæ in Euangelio non coincidant cum omnibus virtutibus, ſeu ſpeciebus virtutum, ſatis eſt, quod coincidant cum aliquibus ſpeciebus, vt virtutes poſſint appellari, vt deductũ eſt; aliæ verò beatitudines, quæ non exprimuntur ibi, bene communicant cum alijs ſpeciebus temperantiæ, vt exemplariter loquamur; Nam licet pauperes ſpiritu, id eſt, humiles, non ſint beati ab omni voluptate, & copula carnali, atque delectatione mentali carnis; Non tamen ſequitur, quod Virginitas non ſit beatitudo; Sicut enim dixit Dominus beatum eſſe pauperem ſpiritu; ſic etiam poteſt dici beatus, qui eſt caſtus, qui continens, qui Virgo, &c. Si exactiorem notitiam deſideras, de virtutibus, donis, & beatitudinibus lege D. Bonau. tomo 6. in prima, & ſecunda parte opuſculorum in omnibus his locis, ſcilicet in opuſculo de quatuor virtutibus cardinalibus. In opuſculo de ſeptẽ donis Spiritus Sancti Ser. 2. & 3. in Hexameron, in Breuiloquio parte 5. cap. 4. 5. & 6. in Centiloquio parte tertia à ſect. 36. vſque ad 47. excluſiuè, & in opuſculo, quod Diæta ſalutis inſcribitur, titulo 5. 6. & 7.

D. Bonau.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS XI.

Vtrum fructus ſint habitus diſtincti à virtutibus, donis, & beatitudinibus.

D. Bonau. DE fructibus Spiritus Sancti diffuſe tractat D. Bonauentura in opuſculo, quod Diæta ſalutis inſcribitur, titulo 8. Quomodo autem fructus à Beatitudinibus, donis, & virtutibus diſtinguantur, vel ſint ijdẽ habitus, non conueniunt inter ſe Doctores ſcholaſtici.

Alex. de Ales. Alex. de Ales. 3. par. queſt. 62. m. 2. & 3. dicit fructus eſſe delectationes conſequentes actus virtutum, & donorum. Nam inquit, quòd poſitis actionibus virtutum, & donorum, ſequitur ex ipſis delectatio, & hoc eſt duobus modis: quia aut eſt delectatio in ipſo actu, & hoc propriè dicitur fructus: hoc enim ſonat ratio ipſius fructus, ſcilicet delectationem, in ipſo actu virtutis, vel doni, vnde charitas dicitur delectatio prout eſt fructus, quę quidem delectatio, eſt in actu charitatis, vt virtus eſt; prout ille actus eſt reſpectu Dei; dicitur gaudium reſpectu ſui, pax verò reſpectu proximi, & ſimiliter poteſt dici de quolibet aliorum fructuum.

Eſt autem alia delectatio in fine actus, & hæc eſt perfecta delectatio poſt feciſſe, vel factum eſſe ſecundum perfectionem, quæ eſt poſſibilis in via; & hæc propriè dicitur beatitudo, prout eſt in via; dicitur enim Beatitudo ſtatus perfectus congregatione omnium bonorum. Vnde rectè conuenit nomen illud, vt beatitudo ſit in fine actus delectatio, quemadmodum fructus erat delectatio in ipſo actu; Et ideo ad Gal. 5. rectè dicit Gloſſa, quod fructus ſunt opera propter ſe appetenda: frui enim dulce eſt ipſis, in quibus voluntas propter ſe delectata conquieſcit.

D. Bonau. Idem ferè dicit D. Bonau. hac diſt artic. 1. quæſt 1. Vbi poſtquam dixit, quod habitus rectificantes dicuntur virtutes, habitus expedientes appellantur dona, & habitus perficientes beatitudines, inquit, quod poſtquam illi ſunt in anima, eſt conſequenter in ea ſtatus quidam, quietationis, & delectationis. In qua delectatione duo, inquit, concurrunt, videlicet quædam ſpiritualis refectio, & ipſius refectionis ſpiritualis perceptio. atque adeo ad iſta tria genera habituum. ſcilicet virtutum, donorum, & beatitudinum adduntur fructus, & ſpirituales ſenſus, qui non dicunt hic nouos habitus, ſed habituum præcedentium exprimunt perfectum ſtatum, & vſum. Status autẽ in quo eſt refectio rectè dicitur fructus; fructus enim à frui dictum eſt. Vſus verò ſecundum quem illa perceptio ſuſcipitur rectè dicitur ſenſus ſpiritualis; quoniam ſenſus eſt cognoſcere rem, vt præſentem. Non ſunt ergo ſecundum Alex. & D. Bonau. fructus habitus diſtincti a virtutibus, & donis, nec ſunt ijdem habitus; ſed delectationes conſequentes actus virtutum, & donorum.

Henricus. Eamdem ſententiam docet Henricus de Gand. quol. 4 quæſt. 23. Vbi ita ſcribit. Cum homo donis, & beatitudinibus perfectus fuerit, tunc fructus ex finis adeptione, & coniunctione cum ipſo quantum præſens vita patitur percipit, tanquam verè beatus fœlicitate, qua fœlices ſumus non vt homines, nec ſolummodo vt ſuper homines cæteros excellentes, ſed vt iam non homines, ſed quodam modo Dij facti ſunt, vt dictum eſt. Eſt autem fructus iſte dulcedo, ſiue refectio, ſeu prægustatio quædam in præſenti delectationis vitæ futuræ ineffabilis, ſubſequens in vita beata ex adeptione finis, de quo fructu dicitur in Canticis. Et fructus illius dulcis gutturi meo. In quo quidem fructu tolerabilior fit præſens miſeria, & feruentior fit homo in operatione bona, coauget enim operationem propria delectatio, vt dicitur decimo Ethicorum. Et ſotius fini adhæret ſubtractus ab omni malo, vt dicit

Auicena. Auic. in vltimo lib. Met. ſuæ Animæ Sanctæ coniunguntur ſuæ perfectioni per ſe, & immerguntur in delectationem veriſſimam, & liberantur à ſpeculatione eius, quod eſt poſt ipſas, & à ſeruitute in qua erant, omnimoda liberatione. Seruitus iſta peccati eſt: Qui enim facit peccatum ſeruus eſt peccati.

Ab iſta ſeruitutè liberauit fructus iſti. Et ideo vt dicit Auguſt. ſuper hunc locum in originali, cum enumeraſſet opera carnis, quibus homo ſeruit peccato, ſubiecit fructus Regnãt autem, inquit, iſta bona in homine, ſi tãtum delectant, vt ipſa teneant animum in tentationibus ne in peccati conſenſionem ruat, quod enim amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt. Hos fructus enumerat Apoſt. Gal. 5. dicens. Fructus autẽ ſpiritus eſt. Charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia caſtitas, & ſunt duodecim, quos profert lignum vitę imperfectos, & immaturos in ſtatu præſentis miſeriæ; ſed perfectos, & maturos in ſtatu gloriæ; quos non ſecludit ab inuicem niſi fluuius mutabilitatis præſentis mortalis vitæ Apoc. 22. Ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim. Qui citra flumen ſunt, ſunt iuſtorum perfectorum in præſenti vita, qui verò vltra flumen ſunt, ſunt beatorum in patria. Vnde concludit Henricus, quod virtutes, dona, & beatitudines habitus ſunt; fructus verò delectationes ex actionibus illorum circa obiectum prouenientes. Adeo vt Alexand. Bonau. & Henricus conueniunt, ponentes virtutes dona, & beatitudines diuerſos habitus; fructus autem eſſe delectationes, videtur tamẽ differe Alex. a D. Bonau. & Henrico, quia Alex. videtur dicere beatitudines non eſſe habitus, ſed delectationes in fine actuum virtutum, & donorum, vel delectationes poſt feciſſe, vel factum eſſe.

D. Thom. Diuus Thomas 1. 2. quæſt. 70. artic 1. & 2. dicit primo, quod fructus nõ ſunt habitus, ſed actus iuxta illud Matt. 12. omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor fructus malos facit, igitur ex fructibus arbor cognoſcitur, id eſt, ex operibus ſuis homo, vt exponitur à Sãctis Patribus; igitur ipſi actus humani dicũtur fructus. Quemadmodum enim operatio hominis, quæ ab homine procedit ſecundum facultatem rationis, dicitur eſſe fructus rationis; ſic operatio, quæ ab homine procedit ſecundum altiorem virtutem, quæ eſt virtus Spiritus Sancti, dicitur eſſe operatio hominis, & fructus Spiritus Sancti, quaſi cuiuſdam diuini ſeminis; dicitur enim primo Ioan. tertio omnis qui natus eſt ex Deo peccatum non facit, quia ſemen ipſius in eo manet. Et confirmatur ex metaphora ipſa ex fructibus accepta; fructus enim non ſunt flores, nec folia, ſed vltimum, quod ex arbore percipitur cũ delectatione; Vnde habitus virtutum producunt fructus, ſed non ſunt fructus, fructus nãque verè, & propriè ſunt operationes, & actus virtutum, qui ex habitibus proficiſcuntur, qui nos velut frugiferas arbores in Eccleſiæ agro commendant, atque oſtendunt.

Secundo dicit beatitudines, & fructus à virtutibus, & donis differre, ſicut actus ab habitibus.

Tertio omnem beatitudinẽ eſſe fructus Spiritus Sãcti, non tñ è contrario, quoniam idem actus præſtãs, qui proficiſcitur à Domino, & eſt beatitudo, ſi conſideretur vt quidam vltimus effectus hominis proficiſcens à gratia Spiritus Sancti, eſt etiam fructus, ſed non omnis actus virtutis, procedens aliqua ratione à gratia, (qua ratione eſt fructus) poteſt cenſeri beatitudo.

Quarto beatitudines propriè eſſe aſcribẽdas donis Spiritus Sancti, fructus autem virtutibus. Sed hic modus explicandi rationem beatitudinum, & fructuum non eſt ita probabilis, vt ille, quem ponit Scotus in hac quæſt. ſub. litt. P. §. De fructibus dico, &c.

Quo in loco habet Doc. ſub. hanc concluſionem ex fructibus, quos enumerat D. Paulus ad Gal. 5. quidam enumerantur in virtutibus ſecundum ſe, quidam in ſuis ſpeciebus, quidam verò vt paſſionem conſequentes actus virtutum. Hanc concluſionem explicans Doc. inquit. de fructibus dico, quod quidam illorum ſunt virtutes, ſecundum illam regulam, ſecũdum quam enumeratę ſunt in illo ſeptenario, quidam autem ſunt ſpecies virtutum ibi enumeratarum, quidam nec ſic, nec ſic, id eſt, nec ſunt virtutes, nec ſpecies virtutũ, ſed delectationes conſequentes actus, Verbi gratia, Charitas exprimitur ibi proprio nomine, & ſimiliter fides, ſpes autem in hoc, quod dicitur longanimitas. Vnde legitur de Patriarchis, longanimes in ſpe, quaſi in longum animoſe expectantes, dicitur enim longanimis, quaſi in longum animoſe expectans. Scotus.

Vir-

Virtutes morales exprimuntur ibi, fortitudo quidem in patientia, quæ eſt principalior ſpecies fortitudinis. Iuſtitia in ſua ſpecie, quæ eſt miſericordia; in hoc quod dicitur bonitas, ſicut communiter dicitur bonus, qui communicat ſe proximo, & in alia ſpecie, quæ eſt amicitia exprimitur ibi benignitas, quæ eſt quaſi beneuolentia, & bona igneitas; nam benignus dicitur quaſi bene ignitus. In tertia ſpecie, quæ pertinet ad regimen, vel ad ſubiectionem ibi manſuetudo, vel per manſuetudinem ſpecialiter exprimitur obedientia. Manſuetus enim eſt, qui exequitur iniuncta ſine murmure. Temperantia exprimitur in duabus ſpeciebus ſuis, ſcilicet in continentia, & caſtitate; ſi placeat dicere continentiam circa alia delectabilia, & circa Venerea caſtitatem, vel poteſt poni vna ſpecies temperantiæ, vt continentia, & caſtitas dicatur vna ſpecies circa quæcunque delectabilia; quomodo Philoſ. 7. Ethic. c. 5. ponit caſtitatem eſſe quemdam gradũ in qualibet virtute. Prudẽtia exprimitur per modeſtiam. Modeſtus enim eſt, qui modum debitũ tenet in agendo, & prudẽtia eſt inuenire modum in actione, & præfigere, & determinare.

Sic igitur habemus tres Theologicas virtutes in ſe, fortitudinem in vna ſpecie, ſcilicet Patientia. Iuſtitiam in tribus ſpeciebus; Temperantiam in vna ſpecie, vel duabus, Prudentiam in vna ſpecie; atque ita in fructibus habentur omnes ſeptem virtutes Theologicæ, & Cardinales.

Alia quædam enumerantur ibi, quæ ſunt delectationes concomitantes, vel conſequentes, vt gaudium, quod propriè eſt delectatio in voluntate, & pax quæ eſt ſecuritas habendi obiectum ſine repugnantia. Sic igitur patet, quod ſuſtinendo ſeptem virtutes ſufficienter perficere hominem in ſtatu viæ, vel in ſe, vel in ſuis ſpeciebus, non erunt neceſſarij alij habitus, qui nec ſunt illi, nec ſpecies earum; nec enumerantur alij, in donis, nec in beatitudinibus, nec in fructibus, & licet numerus ſit alius explicitus beatitudinum, & donorum, hoc eſt; quia aliquę ſpecies illarum virtutum aliter exprimuntur hic, id eſt, in donis, quam ibi, hoc eſt, in beatitudinibus, & non quia ſint alij habitus, qui non ſint illarum virtutum ſpecies. Si etiam tantum ponderetur ſcriptura, quæ ponit alicubi octonarium, alicubi ſeptenarium, vt oporteat eos diſtinguere, vt diuerſos habitus. Quare igitur nõ ponũtur diſtincti habitus illi, de quibus facit mentionẽ Apoſt. 1. Corint. 12. Ponens eorum nouenarium numerum; ab illis quos enumerat D. Petrus Epiſt. 2. c. 1. Nam D. Paulus ita ſcribit.

Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, &c. D. verò Petrus ſic. Vos autem curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam; in ſcientia autem abſtinentiam; in abſtinentia autem patientiã, in patientia autem pietatem; in pietate autem amorem fraternitatis; in amore autem fraternitatis charitatem. Frequenter igitur ſcriptura eadem realiter exprimens exprimit ſub alijs verbis, nunc omittens quędam, nunc autẽ explicans ſic omiſſa: ſentẽtia ergo Doctoris in hac quæſtione eſt, quod virtutes, dona, beatitudines, & fructus non ſunt diuerſi habitus, eſſentialiter, & ſpecifice diſtincti.

Sed contra. Non eſt idem numerus virtutum, donorum, beatitudinum, & fructuum, & numerata nõ concordant, quia aliquid eſt beatitudo, quod non eſt donum, & è conuerſo, & aliquid eſt donum, quod non eſt virtus, ergo ſunt diuerſi habitus. Antecedens patet, quia beatitudines ponuntur octo, quarum nulla eſt aliquod donorum, nec aliqua virtutum, vt apparet; Inter fructus etiam nec dona, nec virtutes, nec beatitudines numerantur, vt patet ad Gal. 5. ergo, &c. & ſunt numero duodecim. Prætetea illa, quę non ſimiliter diuiduntur non ſunt idẽ; ſed virtutes diuiduntur in infuſas, & acquiſitas; dona aũt non ſic diuiduntur: Nã omnia dona ſunt infuſa, vt videtur, ergo &c.

Præterea in Concilio Trident. ſeſſ. 6. cap. 2. affirmarunt Patres, hominem iuſtificari, renouari, & ſanctificari, per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum, quibus verbis videntur Patres innuere diſtinctionem gratię à donis; nam dicũt hominem ſanctificari, & renouari per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum.

Præterea fructus ſunt actus, ergo non ſunt habitus, vt patet ex metaphora ipſa ex fructibus accepta, vt diximus in opinione D. Thomæ.

Ad primum Reſpõdet Doc. in fine huius quæſt. ibi. Ad argumentum in oppoſitũ, & dicit, quod etſi numerus nõ ſit idem, hoc non eſt habituũ, ab habitibus, ſed ſpecierum intermediarum ſpecialiſſimarum contentarum ſub iſtis ſunt alij numeri: vult dicere Scot. quod non ſunt niſi ſeptẽ habitus ſpecifice diſtincti, qui tamen, vt diximus, non ſũt ſpecies ſpecialiſſimæ, ſed genera ſubalterna, quę habẽt ſub ſe multas ſpecies: atque adeo inter dona, & beatitudines aliquæ ſpecies virtutum enumerantur, atq; ita conſtituunt alium numerum. Vel ſi omittantur aliquæ illarum alicubi, & alicubi non, numerata tamen hic, & ibi ſunt eadem, vt declaratum eſt.

Vult dicere Doct. quod virtutes dona, & beatitudines diſtinguantur, põt dupliciter intelligi; Vno modo, quod ſint habitus diuerſi, ita vt ſit diuerſitas habituũ, & hoc eſt falſum: altero modo ſecundum vocem, quia aliqñ enumerantur virtutes ſecundũ dona, interdũ nominibus beatitudinum, & hoc eſt verum. Obſeruandum eſt tñ; quòd qñ Doc. dixit ſupra, quod tantũ ſunt ſeptẽ virtutes perficientes hominẽ in ordine ad Deũ, & Creaturã, intelligendum eſt in genere, id eſt, fructus, beatitudines, & dona appellantur, & denominãtur eodẽ nomine vniuoce, quo denominantur ſeptem virtutes, vel ſecundũ ſe, vel ſecundum ſuas ſpecies, & ad hanc cõem denominationẽ poſſunt reduci omnia dona, fructus, & beatitudines. Non vult tamen negare Doc. quin habitus infuſi à Deo, loquendo de habitibus per ſe infuſis, ſint diuerſi ſpecie ab habitibus acquiſitis; Non enim donum conſilij ſi eſt habitus per ſe infuſus eſt idem ſpecie cum prudentia; cum vnus ſit per ſe infuſus, & alius acquiſitus, ſed dicuntur idem, quia eodem nomine ſignificantur, vel poteſt reduci ad idem nomen, ſcilicet ad prudentiam, ſed loquendo de virtutibus moralibus per ſe infuſis ſi dantur, ſunt eiuſdem ſpeciei, imò realiter idem cum donis, atque ita dicendum eſt de virtutibus Theologicis, ſed de hoc infra diſt. 36.

Ad probationẽ antecedẽtis dico primo, quod illa octaua beatitudo non ponit in numerũ, ſed tantũ eſt declaratiua aliarum. Signum enim probatiuũ, & declaratiuum aliarum beatitudinum eſt, qñ homo ſuſtinet perſecutionem propter iuſtitiam. Fructus etiam non ſunt idẽ cum alijs penitus, ſed aliqua ſic, & aliqua non; Nec oportet, quod ſint ſub numero aliorum. Secũdo dico, quod ex eo plures enumerantur beatitudines, & fructus: quoniã in numero virtutum ſeptenario, non ponuntur, ſeu exprimuntur quatuor cardinales virtutes, niſi in ſuis generibus; In numero autem aliorum aliquæ ipſarum ſpecies (vt oſtenſum eſt ſuperius) explicantur.

Ad ſecundũ dico primo, quod ita diuidũtur dona per infuſum, & acquiſitũ ſicut virtutes, ſi teneatur quod dona ſint ijdẽ habitus cum ſeptẽ virtutibus, quarũ tres ſint habitus Theologici, & infuſi, & aliæ ſint quatuor cardinales acquiſitæ. Dico ſecundo, quòd ſi teneatur, quod oĩa dona ſint ijdẽ habitus cũ virtutibus acquiſitis, bene concludit rõ, quòd non ſunt ijdẽ habitus cũ virtutibus infuſis, vel Theologicis, ſed prior reſpõſio eſt melior, & magis ad aures Doc. ſub. ita vt tria dona Spiritus Sãcti, quę ſint habitus trium virtutũ Theologicarũ, ſint habitus infuſi, & alterius ſpeciei, ab habitibus acquiſitis, & ab eis re ipſa diſtincti. Quatuor verò reliqua dona ſunt habitus quatuor virtutum cardinalium, & proinde aliqñ diuinitus infundi, ſed nõ ſemper, quia licet *Dei* munere, (vt diximus ſupra) vna cũ charitate conferãtur, non tñ ſunt habitus cũ ea neceſſario connexi, & cũ ſint eiuſdẽ ſpeciei, cuius ſunt virtutes cardinales acquiſitę, poſſunt noſtris actibus comparari, augeri, & conſeruari, atque adeo ſi interdum infundantur non ſunt habitus per ſe infuſi, quemadmodum ſunt tria dona quę ſunt habitus virtutum Theologicarum, ſed tantum per accidens.

Ad tertiũ dico quod ex illis verbis Concilij nõ põt colligi diſtinctio gratię, & donorũ *Spiritus Sancti*: Nam qñ dicunt Patres hominẽ ſanctificari, & renouari, per volũtariam ſuſceptionem gratiæ, & donorũ, nomine donorũ fidem, & ſpẽ, quę præcioſa dona *Dei* ſunt intelligere poſſumus. Imò tantum abeſt (quicquid quidã ſentiant,) his vel alijs verbis vt Concilium approbauerit opininnẽ S. Thomæ, de diſtinctione virtutũ, & donorũ *Spiritus Sãcti*, vt merito potius videri poſſet contrariã opinionẽ cũ Doct.

Digitized by Google

ſub. approbaſſe illis verbis. Vnde in ipſa iuſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem; Nam fides niſi ad eã ſpes accedat, & charitas, neque vnit perfectè cũ Chriſto, neque corporis eius viuum membrum efficit. Cur enim de donis, & virtutibus moralibus hic tacitum eſſet, vbi locus hic poſtulabat explicari munificentia Dei in eos, quos iuſtificat, ſi verè illa diſtincta ſunt à fide, ſpe, & charitate, atque ea tum accipimus, cum iuſtificamur? Cur etiam ſicut requiſita eſt coniunctio ſpei, & charitatis, vt fides vniret perfectè cum Chriſto, non etiam requiſita eſt præſentia donorũ, & aliarum virtutum, ſi verè omnia iſta ſimul ad vnionem cum Chriſto concurrunt? Tacuerunt etiã Patres de his donis; cum mox addiderunt vitam æternam præſtari non poſſe, à fide ſine ſpe, & charitate. Verũ illud nobis magis fauet, quod ſtatim Chriſtianam iuſtitiam, & ſtolam datam pro ea, quam perdidit Adam, dicere videntur fidem, ſpem, charitatem, ſi autem præter fidem, ſpem, & charitatem, dantur etiam dona Spiritus Sancti, & virtutes morales in iuſtificatione; valde imperfecta eſt hæc Patrum doctrina. Spectant nimirum ad Chriſtianam iuſtitiam dona Spiritus Sancti, & virtutes morales infuſæ, ſiquidẽ nobis hæc infundantur, (vt opinantur Thomiſtæ) faciunt enim, vt ipſi dicunt, nos idoneos, & potẽtes ad operandum iuſta, ſicut fides, ſpes, charitas. Quare ſi ſunt habitus re ipſa à virtutibus diſtincti omitti non debebant.

Cum ergo in principio 2. cap. ſupra relati dixerint Patres, ſanctificari, & renouari hominem per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum, & per illa hominẽ tradiderint ex iniuſto fieri iuſtum, ex inimico amicum, nunquam de donis tacuiſſent; niſi ſenſiſſent ea ſub fide, ſpe, & charitate cõprehenſa, præſertim cum meminerint remiſſionis peccatorum.

Ad quartum dico, quod virtutes dicuntur fructus, pro quanto ſunt aliqua bona delectabilia habentibus ipſa. Dicuntur ergo huiuſmodi habitus licet iidem, virtutes, dona, beatitudines, & fructus. Dicuntur primo virtutes, quia ad opera ſtudioſa inclinant. Secundo dona, quia à Deo liberaliter infunduntur, & conferuntur; Theologicę enim virtutes, ſunt habitus à Deo infuſi, & morales licet ex actibus generentur, nihilominus tamen dicuntur dona Dei pro eo, quod concurrit cum libero arbitrio, vt cauſa principalis per liberalem, & beneuolam cooperationem. Nemo enim (ſicut dicit ſapiens) poteſt eſſe continens, niſi Deus dederit. Tertio dicuntur beatitudines in ſpe, vel merito, quia per ipſas mediãtibus ſtudioſis operibus, ad quę inclinant finaliter, beatitudinem promeremur. Poſtremo dicuntur fructus, vel quia fructum ſalutiferum afferunt, & quia ſpiritualem refectionem, & dulcedinem habent annexam.

DISTINCTIO XXXV.

POST præmiſſa diligenter conſiderãdum eſt, &c. hæc eſt diſt. 35. in qua Magiſter poſt quam de donis eſt abſolute locutus, agit de ipſis comparatiuè ſiue reſpectiuè comparando nempè vnum ad aliud. & tria facit; Primo ponit differentiam inter ſapientiam, & ſcientiam. Secundo inter ſapientiam, & intellectum. Tertio inter ſcientiam, & intellectum.

In prima parte ponit Magiſter hanc concluſionem. 1. Concl. *Inter ſapientiam, & ſcientiam, prout ſunt dona Spiritus Sancti, certiſſimè conſtat eſſe differentiam. Ad quam inſinuandam ponit inter ſapientiam, & ſcientiam, triplex diſcrimen;*

Primum eſt, quod licet tam ſapientia, quã ſcientia poſſit dici humanarum, diuinarumque rerum cognitio; tamen propriè vtendo nominibus ſapientia eſt cognitio rerum diuinarum; ſcientia verò rerum humanarum. Ita vt iuxta diſtinctionẽ Apoſt. qua dixit. Alij datur ſermo ſapientiæ; alij ſermo ſcientiæ, definitio illa, qua Philoſophi definierunt ſapientiam, dicentes; Sapientia eſt rerum diuinarum, humanarumque cognitio, ex ſententia D. Auguſt. libro 14. de Trinit. capitulo primo, circa medium, diuidenda eſt, vt rerum diuinarum cognitio ſapientia propriè nuncupetur; D. Aug. *humanarum verò rerum cognitio propriè ſcientiæ nomen obtineat. Nec debet dici ſcientia de rebus omnibus humanis, ſed illud tantum quo fides ſaluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur, qua ſcientia non pollent fideles plurimi, quamuis polleant ipſa fide plurimum, &c.*

Secundum diſcrimen eſt, quod ſapientia ſecundum D. Auguſt. ſuper Pſal. 135. eſt pietas, quæ D. Aug. *gracè theoſebia appellatur, id eſt, Dei cultus, qui conſiſtit in dilectione Dei, & cognitione. Sciẽtia verò eſt abſtinere à malis & in medio prauæ nationis prudenter conuerſari.*

Tertium diſcrimen eſt, quòd ſapientia ad Dei contemplationem pertinet, ſcientia verò ad actionem qua bene vtimur rebus temporalibus & concludens Magiſter dicit: Ecce apertè demonſtratum eſt in quo differant ſpiritus ſapientiæ, & ſpiritus ſcientiæ ſcilicet vt ſapientia diuinis, ſcientia humanis attributa ſit rebus & vt dicit D. Auguſt. lib. 13. de Trinit. capitulo 19. circa medium vtrunque cognoſcimus in Chriſto ſcilicet, & rem diuinam, & rem humanam, & ideo de ipſo habemus ſapientiam & ſcientiam. Cum enim legitur. Verbum caro factum eſt. In Verbo intelligitur verus Dei filius, in carne agnoſcitur verus hominis filius Item cum dicitur Vidimus plenum gratia & veritatis gratiam referamus ad ſciẽtiam, & veritatem ad ſapientiam, quia in Chriſto ſapientia, & ſcientia fuit plenarie, & nos ſapientiam, & ſcientiam de eo habemus, qui eſt Deus, & homo.

In ſecunda parte habet Magiſter hanc con- 2. Concl. *cluſionem. Inter donum ſapientiæ, & intellectus duplex eſt differentia, quam inductiuè ſic probat: ſapientia eſt de rebus æternis, vt de Deo: quia veritati æternæ contemplandæ intendit; Intellectus verò eſt de rebus aliquibus ex tempore ortis, vt de creaturis, ac etiam de æternis; ita vt intellectus non modo de æternis ſit, ſed etiam de rebus inuiſibilibus, & ſpiritualibus temporaliter exortis. Nam per intellectum, & natura ſumma, quæ fecit omnes naturas,*

ia eſt,

id eſt, diuina conſideratur, & quæ poſt ipſum ſunt ſpirituales, & inuiſibiles natura, vt Angeli, & omnes animæ bonæ affectiones conſpiciuntur. Secunda differentia eſt, quod per intellectum in cognitione non delectamur, ſed tantum intelligibilia cognoſcimus ſine delectatione, ſed per ſapientiam etiam de rebus cognitis delectamur: atque ita ex omnibus iſtis colligitur iſtorum trium, ſcilicet ſapientiæ ſcientiæ, & intellectus differentiam in hoc extare, quod ſciẽtia valet ad rerum temporalium debitam adminiſtrationẽ, & bonum inter malos conuerſationem. Intellectus verò ad Creatoris, & creaturarum inuiſibiliũ ſpeculationẽ. Sapientia autem ad ſolius æternæ veritatis contemplationem, & dilectionem.

3. Concl.

In tertia parte ponitur hæc concluſio. Intellectus, & ſcientia prout ſunt Spiritus Sancti dona, differunt ab intellectu, & ſcientia prout, ſunt à natura. Hanc Magiſter inſinuans dicit, quod prout ſunt dona Spiritus Sancti, virtutes ſunt, quæ per gratiam infunduntur animis fidelium, vt per eas rectè viuant. Quatenus verò ſunt dona naturalia, inſunt homini ex beneficio creatoris, à Deo tamen. Et ſubdit, quod per dona Spiritus Sancti reformantur in homine illa, quæ naturaliter inſunt, atque adiuuantur: quia intellectus hominis per peccatum obtenebratus per ſpiritum intelligentiæ, id eſt, intellectus adiuuatur, & à peccato eripitur; per donum verò ſapiẽtiæ ad contemplationem, & æternæ veritatis delectationem erigitur. Addit poſtremo quod ſapientia, quæ eſt donũ Dei, de qua hic eſt ſermo; non eſt illa ſapientia, quæ Deus eſt, ſed eſt hominis ſapientia, quâ homo ſapit, quæ tantum Dei ſapientia cenſenda: ac nuncupanda eſt; non quod Deus ea ſapiens ſit, ſed quia à Domino Deo datur, ſicut dicitur iuſtitia Dei, quam Deus homini dat, cum impium iuſtificat. Et hæc ſunt breuiter, quæ habet Magiſter in hac diſtinctione. Circa quam mouet Scotus vnicam quæſtiunculam.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum ſapientia, ſcientia, intellectus, & conſilium ſint habitus intellectuales.

Ratio dubitandi eſt, quia in præcedenti diſtinctione dictum eſt, quod ſapientia eſt Charitas, adeo videtur, quod ſit habitus appetitiuus, ſubiectiue exiſtens in voluntate.

Sapientia ſumitur quatuor modis.

Vnde pro explicatione huius quæſtionis obſeruandum eſt primo, quod ſapientia quatuor modis accipi conſueuit tam à Philoſophis, quam à Sanctis, ſcilicet communiſſime, communiter, propriè, & maxime propriè; latiſſime ſumitur ſapientia, quatenus eſt cognitio quædam rerum generalis, in qua ſignificatione definit eam D. Auguſt. 14 de Trinit. capitulo primo, & Philoſ. primo Met. in proœmio, Nam D. Auguſt. inquit, quod ſapientia eſt cognitio diuinarum, humanarumque rerum, & Philoſ. inquit, quod ſapiens eſt qui omnia nouit ſecundum quod conuenit.

D. Aug.
Ariſtot.

Secundo ſumitur ſapientia communiter, prout dicit non quemcunque cognitionem, ſed cognitionem ſublimem, id eſt, cognitionem rerum æternarum, & in hoc ſenſu accipit eam Apoſto. primo Corinth. 12. Alij datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ; prout exponit D. Auguſt. 12. de Trinitate capitulo 14. dicens, quod ſapientia eſt cognitio æternorum, ſcientia verò eſt cognitio temporalium, ſiue rerum creatarum. atque ita dicit Philoſ. quod ſapientia eſt cognitio cauſarum altiſſimarum.

Tertio modo accipitur ſapientia propriè, & ſic nominat Dei cognitionem cum pietate, & hæc quidem cognitio eſt, quæ attenditur in cultu latriæ, quem exhibemus Deo per fidem, ſpem, & charitatem.

Quarto modo ſumitur ſapiẽtia maxime propriè, quatenus dicit cognitionem Dei experimentalem, & hoc modo eſt vnum de ſeptem donis Spiritus Sancti; cuius actus conſiſtit in guſtando diuinam ſuauitatem, & quoniam ad interiorem guſtum, in quo eſt delectatio, neceſſario requiritur actus affectionis ad coniungendum, & actus cognitionis ad apprehendendum; hinc eſt quod actus doni ſapientiæ partim eſt cognitiuus, partim affectiuus; itaque in cognitione inchoatur, & in affectione perficitur, & conſummatur, propter quod dicit D. Bernardus, charitatem in ſapientiam proficere, & D. Bonauentura dicit, quod ſapientia, vt eſt donum, in cognitione, & affectione æternorum conſiſtit, atque ita includit fidem tanquam præuium, ſicut actus voluntatis præſupponit actum intellectum, & ex conſequenti dat intelligere ſpem, & hoc quarto modo ſumitur ſapientia in titulo quæſtionis.

D. Bernar.
D. Bonau.

Scientia eſt quadruplex.

Secundo obſeruandum eſt, quòd ſcientia eſt quadruplex, quædam eſt, quæ conſiſtit in intellectu pure ſpeculatiuo, & eſt fundata ſuper principia rationis, & hæc eſt ſcientia acquiſita, de quacunque creatura, ſicut eſt ſcientia humanæ Philoſophiæ. Quædam eſt quæ conſiſtit in intellectu inclinato ab affectu, & hæc eſt fundata ſuper principia fidei, quæ quidem ſunt articuli, & eſt acquiſita, & hæc eſt ſcientia ſacræ ſcripturæ, quam nullus habere poteſt, niſi habeat ſaltem fidem informem. Quædam autem eſt, quæ conſiſtit in intellectu, ſiue ratione, quatenus inclinat affectum ad operationem, & hæc eſt fundata ſuper principia iuris naturalis, quæ ordinat ad rectitudinem, & honeſtatem vitæ, & huiuſmodi eſt ſcientia Iuriſprudentiæ. Quædam verò ſcientia eſt, quæ conſiſtit in intellectu, prout eſt inclinatus, & inclinans: inclinatus inquam à fide, & inclinans ad bonam operationem, & hæc fundatur ſuper principia fidei, & habet ortum à dono gratiæ, & talis eſt ſcientia, quę eſt donum Spiritus Sancti, & eſt cognitio practica dirigens actionem ſecundum regulam fidei, eſt namque cognitio ſpecialium articulorum, qui velut concluſiones, ex primis, & generalibus articulis deducuntur, & in hoc ſenſu ſumitur in titulo quæſtionis.

Cognitio de Deo tribus modis haberi poteſt.

Tertio obſeruandum eſt, quòd cognitio de Deo ſub ratione veri poteſt haberi ſecundum triplicem modum. Primo per ſimplicem aſſenſum. Secundo per rationis adminiculum. Tertio modo per ſimplicem contuitũ. Primum eſt virtutis fidei, cuius eſt aſſentiri; Secũdum eſt doni intellectus, cuius eſt credita per rationem intelligere; Tertium eſt beatitudinis munditiæ cordis, cuius eſt Deũ videre. In propoſito autem accipitur intellectus ſecũdo modo; vt nimirum dicit ſimplicem notitiam credendorum ſiue cognitionem principiorum, id eſt, primorũ articulorum fidei, ex quibus cætera credenda deducuntur; atque ita qui habet fidem implicitam de credilibus reuelatis, dicitur habere donum intellectus.

Conſiliũ tripliciter ſumitur.

Quarto obſeruandũ eſt, quod ſicut intellectus aliquando accipitur pro actu intelligendi; interdum pro ipſo intellecto, ſiue intelligibili, & interdum pro ipſo habitu intelligendi, qui dirigit intellectiuam potentiam in iudicando de veris, & falſis; ſic etiam conſilium tripliciter accipi conſueuit; aliquando pro actu conſiliandi; aliquando pro eo, ad quod terminatur actus ille, veluti cum dicimus hoc eſt conſilium meum; inter-

Digitized by Google

dum verò pro eo habitu, qui dirigit animam ad eligendum proſequenda, & ad ſugiendum vitanda, adeo vt conſilium ſit ipſa prudentia; qua ex regulis ſcientiæ, & intellectus homo in agendis dirigitur ad ſalutem, de quo latius ſupra dictum eſt. Senſus ergo tituli eſt, Vtrum ſapientia, ſcientia, intellectus, & conſilium, quatenus ſunt dona Spiritus Sancti, ſint habitus intellectuales, id eſt, exiſtentes ſubiectiue in intellectu.

D. Thom. Sanctus Thomas 1.2. quæſt. 68. artic. 4. ponit quatuor dona in intellectu, ſcilicet donum intellectus, ſapientiæ, ſcientiæ, & conſilij. Quia inquit, in omnibus viribus hominis, quæ poſſunt eſſe principia humanorum actuum, ſicut ſunt virtutes, ita etiam ſunt dona, ſcilicet in ratione, & in vi appetitiua; ratio autem eſt ſpeculatiua, & practica, & in vtraque conſideratur apprehenſio veritatis, quæ pertinet ad inuentionem, & ad iudicium de veritate; Ad apprehenſionem igitur veritatis perficitur ſpeculatiua ratio per intellectum; practica verò per conſilium. Ad rectè autem iudicandum, ſpeculatiua quidem per ſapientiam; Practica verò per ſcientiam perficitur.

At in 2.2. quæſt. 8. art. 6. alia ratione ponit eadem quatuor dona in intellectu. Nam intellectus, inquit, primo penetrat rem. Secundo iudicat rectè. Tertio applicat ad operationem. atque adeo circa ea, quæ proponuntur credenda; (cum fides primo, & principaliter ſe habeat ad veritatem primam; ſecundario ad quædam circa creaturas conſideranda, & vlterius ſe extendit etiam ad directionem humanorum operum, ſecundum quod per dilectionem operatur) duo requiruntur ex parte noſtra, primo quidem, vt intellectu penetrentur, vel capiantur, & hoc pertinet ad donum intellectus, ſecundo autem oportet, vt de eis homo habeat iudicium rectum, vt æſtimet his eſſe inhærendum, & ab eorũ oppoſitis recedendum; Hoc autem iudicium, quantum ad res diuinas pertinet ad donum ſapientiæ; quantum verò ad res creatas pertinet ad donum ſcientiæ. Quantum verò ad applicationem ad ſingularia opera, pertinet ad donum conſilij; atq; ita ſecundum D. Thomã, ſapientia, ſcientia, intellectus, & conſilium dona Spiritus Sancti, ſunt habitus intellectuales.

Scotus. Scotus verò reſpondens ad hanc quæſtionẽ ponit tres

1. Concl. concluſiones. Prima Concluſio. Sapientia, quę eſt donum Spiritus Sancti, non eſt habitus intellectualis, ſed appetitiuus, ſcilicet charitas, licet includat fidem tanquam præuium ſicut actus voluntatis actum intellectus. Hæc concluſio manifeſta eſt ex iam dictis de ſapientia in primo notabili. Nam ſapientia, vt eſt donum, in cognitione, & affectione æternorum conſiſtit, atque ita concludit fidem tamquam præuium; ſicut actus voluntatis præſupponit actum intellectus; quod poteſt dupliciter intelligi, quoniam ſapientia dicit habitum quo guſtamus Deum. at dupliciter poſſumus habere guſtum de Deo, primo modo in ſe, vt ſummum bonum, & hoc pacto reducitur ad charitatem; ſecundo modo guſtamus Deum, vt bonum nobis, & ſic reducitur ad ſpem; charitas autem, & ſpes ſunt habitus appetitiui, ergo ſapientia eſt habitus appetitiuus, & non intellectualis.

2. Concl. Secunda Concluſio. Scientia, & intellectus, quatenus ſunt dona Spiritus Sancti, pertinent ad intellectum, non ad voluntatem, atque adeo ſunt habitus intellectuales, non appetitiui: probatur: quoniam ſcientia & intellectus circumloquuntur habitum fidei perfectum, & imperfectum. Notitia enim de credibilibus dupliciter haberi poteſt, vno modo implicitè, ſicut ſimplices habent, alio modo explicitè, ſicut habent maiores, vel ſaltem debent habere, loquendo de fide, prout dicit, notitiam implicitam, ſic eſt intellectus; loquendo autem de fide, prout dicit notitiam explicitam credibilium, ſic eſt ſcientia, ſed fides eſt habitus intellectualis, ergo ſcientia, & intellectus ſunt habitus intellectuales.

Tertia Concluſio. Concilium acceptum pro habitu, &

3. Concl. vt eſt cogitatio practica dirigens in eligendis, & fugiẽdis ſecundum regulam diuini iuris, quæ eſt regula fidei: per fidem enim omnia diuina præcepta, & conſilia nobis innoteſcunt, vt eſt Spiritus Sancti donũ; pertinet ad intellectum: Nam vt diximus diſt. præced. conſilium eſt prudẽtia, qua ex regulis ſcientiæ & intellectus homo in agendis dirigitur ad ſalutem: Prudentia autem eſt habitus intellectualis: ergo conſilium eſt habitus intellectualis.

Sed hic eſt vna difficultas de intellectu, & ſcientia: quomodò dicantur eſſe fides, atque ita vnus habitus, & quod diſtinguantur, prout ſunt dona ſecundum perfectũ & imperfectum præciſè. Nam videtur hoc eſſe falſum: quia in notitijs acquiſitis ſcientia, & intellectus ſunt habitus diſtincti, & alterius rationis; nam alius eſt habitus principiorum, qui dicitur intellectus, & alius concluſionis, qui dicitur ſcientia; ergo à ſimili in cognitione infuſa, alius eſt habitus cognoſcẽdi articulos, & alius eſt habitus cognoſcendi conſequentia, & explicita ex articulis. Difficultas.

Solutio. Reſpõdet Doct. negãdo conſequentiã: quia intellectus & ſciẽtia in notitijs acquiſitis diſtinguũtur ſpecie, & ſunt alterius rationis: quia alia eſt euidentia principiorum, & alia concluſionis: principia enim habent ſuam euidentiã, à notitijs in complexis terminorum, & euidentia concluſionis eſt ab extrinſeco; in acquiſitis enim aſſentitur vero complexo, propter euidentiam ex ſuis terminis. Cęterum aliam euidentiam habet propriè principium ex terminis ſuis, & aliam concluſio ex ſuis, & alterius rationis: quia euidentia principij eſt immediata, & per ſe nota, euidentia autem concluſionis mediata, & ab extrinſeco nota, id eſt, ex euidentia principiorum, & euidentia concluſionis eſt cauſata ab illa, id eſt, ab euidentia principiorum: ideo poteſt eſſe alius habitus reſpectu huius, ſ. principij, & illius, ſ. concluſionis: quia reſpicit formalẽ rõnem veritatis hic, & ibi, quę alia eſt, & alterius rõnis, hic, ſ. in principio, & ibi, id eſt, in cõcluſione, quia vna immediata, altera mediata, vna per ſe nota, & altera nota per aliud vt dictũ eſt.

Sed in creditis non aſſentitur propter euidentiam crediti, ſed propter veritatem, ſeu veritatem reuelantis, cui aſſentitur, & illa eſt eadem reſpectu primorum articulorum, & reſpectu aliorum explicatorũ ex illis, & ideo non eſt alius habitus vnius & alterius; quia eſt idem obiectũ ſub ead. rõne formali. Intellectus ergo & ſcientia, quatenus dona ſunt, cũ hẽant vnã, & eamdem euidentiã, nimirum veracitatem reuelãtis, cui veracitati aſſentimus, (Nã tota fides vnam habet euidentiam) non ſunt diſtincti habitus ſpecie. Et hæc de donis beatitudinibus, & fructibus cum Doct. ſub. dicta ſufficiant.

DISTINCTIO XXXVI.

SOLET etiam quæri, vtrum virtutes ita ſint ſibi coniunctæ, vt ſeparatim non poſsint poſsideri ab aliquo? &c. In hac diſt. poſt quã Magiſter egit de virtutum, & donorum ad inuicem comparatione agit de virtutum connexione & diuiditur hæc diſtinctio in tres partes. In prima quærit an habens vnam virtutem habeat omnes? In ſecunda an habens vnam virtutem æqualiter habeat omnes. Et in tertia quærit de connexione præceptorum, quibus actus virtutum reparantur. Continuatio, & diuiſio.

1. Concl. *In prima itaque parte, habet Magiſter hanc concluſionem. Virtutes ita ſunt connexæ, vt vna ſine alijs haberi nequeat. Hanc Magiſter inſinuans quærit. An virtutes adeo connexæ ſint, vt ſeparari minimè poſsint, ſed qui vnam habet omnes habeat, & reſpondet affirmatiue, quod probat ex D. Hieronym. in commentario Iſaiæ cap. 56. in principio dicente. Omnes virtutes ſibi hærent, vt qui vna caruerit omnibus careat, & qui vnam habet omnes habeat; Nec id mirum, inquit Magiſter videri debet: quia cum charitas ſit omnium virtutũ mater in quocunque mater ipſa eſt ſcilicet charitas, & cuncti filij eius,* D. Hiero.

ia eſt,

Digitized by Google

id eſt, virtutes rectè fore creduntur. Vnde inquit D. Auguſt. in tractatu de laude charitatis, & ſuper Ioan. trac. 83 & in Epiſt. 29. Vbi charitas eſt quid eſt, quod poſsit deeſſe? vbi autem non eſt quid eſt, quod poſsit prodeſſe? Cur ergo non dicimus, qui hanc virtutem habet, habere omnes, cum plenitudo legis ſit dilectio, quæ quanto magis eſt in homine, tanto magis eſt virtute præditus, quanto verò minus, tanto minus ineſt virtus, & quanto minus ineſt virtus, tanto magis ineſt vitium? (D. Aug.)

2. Concl. *In Secunda parte habetur hæc cõcluſio. Quamuis virtutes inter ſe æquales eſſe cenſeri debeant, inæqualiter tamen à nobis poſſunt haberi. Vt hanc concluſionẽ probet Magiſter, quærit primo vtrum habens omnes virtutes habeat eas æqualiter, vel inæqualiter: pro cuius elucidatione præmittit quorumdam opinionem defendentium partem negatiuam; Aliquæ enim virtutes habentur magis, & aliquæ minus ab hominibus ipſas habentibus; Nam quidam ſancti commendantur excellenter ab vna virtute, & non ab alia. vti Iob. in quo viguit patientia, in Dauid humilitas. in Moyſi manſuetudo, in Abraham fides. Inſuper dicunt iſti, quod aliqui poſſunt plus mereri per vnam virtutem, quam per aliam, & vnam plenius habent, quam aliam, per nullam tamen poteſt quis plus mereri, quam per charitatem; nec aliquam plenius habere poteſt à quoquam quàm charitatem; alias ergo magis, & alias minus in aliquo eſſe dicunt, ſed nullam plenius charitate quæ cæteras gignit.*

Huic opinioni altera verior opponitur dicentium, quod eo modo, quo virtutes in aliquo ſunt ſimul, eodem modo ſunt etiam æquales, ita vt qui eſt par, vel æqualis alteri in vna virtute, eidem etiam ſit æqualis in omnibus, Verbi gratia, ſi detur quis æqualis alteri in fortitudine, oportet quod etiam ſit ei in prudentia æqualis, alioquin fortitudo vnius minus prudens eſſet, quam fortitudo alterius, atque ideo non eſſet æqualis fortitudo. atque ita idem in alijs poteſt deduci virtutibus, quod probatur ex D. Auguſt. lib. 6. de Trinit. cap. 4. dicente. Virtutes, quæ ſunt in animo humano, quamuis alio, & alio modo ſingulæ intelligantur, nullo modo tamen ſeparantur ab inuicem. vt quicunque fuerint æquales, Verbi gratia, in fortitudine, æquales ſint & prudentia, & iuſtitia, & temperantia. Si enim dixeris æquales iſtos in fortitudine, ſed illum præſtare prudentia. ſequitur, vt huius fortitudo minus prudens ſit, ac per hoc nec fortitudine æquales ſunt, quia eſt illius fortitudo prudentior; atque ita de cæteris virtutibus inuenies, ſi omnes eadem conſideratione percurras. (D. Aug.)

Ad illud, quod dicebatur pro prima opinione. Quod aliquis alium excellere dicitur in aliqua virtute, vt in fide Abraham, in patientia Iob, &c. Reſpondet Magiſter, quod hoc habet intelligi duobus modis vel quantum ad habitum, vel quo ad vſum: primo modo non, ſecundo modo ſic. Nam quantum ad vſum exterioris actus; vnus exequitur magis actum vnius virtutis, quam actum alterius virtutis, licet cum altera habitum æqualem habeat: vel intelligendum eſt in comparatione ad alios homines, & non in comparatione ad alias virtutes. Quod confirmat authoritati D. Auguſt. in Epiſt. ad Hieronym. quæ eſt 29. dicentis. Clariſsima diſputatione tua ſatis apparuit non placuiſſe authoribus noſtris, imò veritati ipſi, omnia paria eſſe peccata; etiamſi hoc de virtutibus verum ſit: Quia etſi verum ſit eum, qui habet vnam, omnes virtutes habere, & eum qui vnam non habet, nullam habere; non ſic peccata ſunt paria, &c. Sunt ergo, vt concludatur propoſitum. virtutes quantum ad ſubſtantiam, ſeu habitus eſſentiam æquales, ſi æqualiter habentur, at quantum ad actum vna certè magis, quam alia habetur. Ex his tamen non ſequitur, inquit Magiſter, quod peccata ſint æqualia: quia non æqualiter ſunt contra charitatem ſed vnum magis, & aliud minus. (D. Aug.)

3. Concl. *In tertia parte ponit Magiſter hanc concluſionem. Omnia præcepta Decalogi ad duo Charitatis præcepta referuntur, & per veram dilectionem Dei, & proximi adimplentur. Pro cuius explicatione quærit Magiſter. An illud verum ſit, quod in duobus præceptis charitatis de dilectione Dei, & proximi lex pendeat, & Prophetæ, cum in lege & in Prophetis multa cæremonialia mandata contineantur. quæ iam ceſſauerunt, vt Circumciſio & cæremonia ſacrificiorum, quæ nec ceſſaſſe debuiſſent ſicut nec charitas ceſſat; Ad quod reſpondens dicit, quod ex quo cæremonialia impoſita fuerunt in figura futurorum: Ideo adueniente veritate ceſſare debuerunt, Nihilominus dicuntur ad charitatem referri, ſecundum ſpiritualem intellectum, quem continent, quod ex eo patet: quia omnia, quæ ſunt in lege ſiue moralia, ſiue cæremonialia, ad decem præcepta Decalogi reducuntur, ex quibus cætera manant, & eodem modo ipſa decem ad duo Charitatis mandata tanquam ad ſuum finem referuntur quod pulchre declarat Magiſter authoritate Diui Auguſtini in tractat. de laud Charitatis dicentis. Totam amplitudinem & magnitudinẽ diuinorum eloquiorũ poſsidet charitas qua Deum & proximum diligimus quæ radix eſt omnium bonorum Vnde* (D. Aug.)

Veritas ait in his duobus mandatis vniuerſa lex pendet & prophetæ. Si ergo non vacat vniuerſas paginas ſanctas perſcrutari, omnia inuolucra ſermonum euoluere, tene charitatem vbi pendent omnia quia perfectio eſt, & finis omnium. Tūc enim & præcepta, & conſilia rectè fiunt cum referuntur ad diligendum Deum, & proximum propter Deum, quòd verò timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali fit, vt non referatur ad charitatem nōdum fit ſicut fieri oportet, quamuis fieri videatur. Inimicus enim iuſtitiæ eſt, qui pœna timore non peccat; amicus verò iuſtitiæ, qui eius amore non peccat. Omnium ergo hæc ſumma eſt, vt intelligatur legis, & omnium diuinarum ſcripturarum plenitudinem eſſe dilectionem Dei, & proximi. & hæc ſunt, quæ habet Magiſter in hac diſtinctio. Circa quam Scotus vnicam mouet quæſtionem.

QVAESTIO VNICA

Vtrum virtutes morales ſint connexæ.

Virtutes morales eſſe connexas multipliciter intelligi poteſt.

PRo explicatione tituli huius quæſt. Obſeruandum eſt, quòd virtutes eſſe connexas poteſt multipliciter intelligi, vno modo in obiecto, & hoc pacto virtutes connecti non eſt aliud, quam eſſe de eodem obiecto, atque ita non eſt quæſtio, quia certum eſt, quod virtutes morales non ſunt connexæ in obiecto: quia habent diſtincta obiecta. Secundo poteſt intelligi, quod ſint connexæ ſubiecto, & eſſet ſenſus, vtrum omnium virtutum ſit idem ſubiectum, & ſic certum eſt, quod non; quia aliquæ ſunt in intellectu, aliquæ in voluntate; niſi eſſet ſermo de ſubiecto remoto, quod eſt anima: quia vt ſic omnes ſunt ſubiectiuè in anima, ſed loquendo de ſubiecto propinquo non ſunt omnes in eodē ſubiecto, & ſic etiam non intelligitur quæſtio. Tertio modo poteſt intelligi an ſint connexæ in fine, & eſſet ſenſus vtrum omnium virtutum ſit vnus finis, & certum eſt quod ſic remote, quia omnes ordinantur ad beatitudinem, ſed propinque non. Quarto poteſt intelligi ratione cauſæ efficientis, & eſſet ſenſus, vtrum ab vno, & eodem agente oriantur virtutes omnes morales, & ſic etiam non eſt quæſtio. Quinto intelligi poteſt, quantum ad conſequentiam, ita vt ſit ſenſus an iſta conſequentia ſit bona, Petrus habet vnam virtutem moralem, ergo habet omnes alias, & in hoc ſenſu mouetur quæſtio.

Secundo obſeruandum eſt, quod virtutes eſſe connexas, vel non, poteſt bifariam intelligi, ſcilicet poſitiue, vel negatiue, ſiue contrarie, vel contradictorie; illa ſunt connexa contradictorie, quorum vnum non poteſt eſſe cum negatione alterius, vt homo & riſibile illa ſunt connexa contrarie, quorum vnum etſi ſtet cum negatione alterius, non ſtat tamen cum contraria affirmatione, ſicut forte ſe habent diuina fruitio, & delectatio: licet enim per diuinam potētiam poſſet eſſe fruitio ſine delectatione, ſuppoſito, quòd ab ipſa ſit realiter diſtincta, forte non poſſet ſtare cum cōtrario, ſcilicet cum dolore, & triſtitia de eodem obiecto, & in his duabus ſignificationibus virtutē vnam non eſſe alteri connexam poſſet intelligi, aut quod poſſit eſſe abſolute ſine illa, id eſt, cum eius negatione, aut quod poſſit eſſe cum vitio ſibi contrario, vt iuſtitia cum intemperantia, vel Iuſtitia ſine temperantia, & in vtroque ſenſu intelligitur quæſtio, adeo vt ſenſus ſit, Vtrum virtutes morales ſint connexæ, ita vt vna abſolute non poſſit eſſe ſine alia, vt iuſtitia ſine temperantia, vel cū vitio contrario alteri virtuti, ſcilicet iuſtitia cum intemperantia. Reſolutio ſecundum Doct. eſt negatiua, ſcilicet quod virtutes morales non ſunt connexæ; neque hoc, neque altero modo. Diuidit Scotus hanc quæſtionem in quatuor articulos. In primo tractat de connexione virtutum moralium inter ſe ſecundum genera, & ſpecies illarum generum. In ſecundo de connexione cuiuslibet virtutis moralis cum prudentia. In tertio de connexione virtutum moralium cum Theologicis. Et in quarto de connexione virtutum Theologicarum inter ſe. Nos autem pro ampliori elucidatione eorum, quæ hic diſputantur à Doctore, hos quatuor articulos in alios diuidimus, vt infra.

Art. 1. Vtrum virtus obliquari poſſit.
Art. 2. Vtrum virtutes morales ſint connexæ in gradu heroico, ſeu perfectiſſimo.
Art. 3. Vtrum virtutes morales ſint connexæ in gradu perfecto temperantiæ.
Art. 4. Vtrum virtutes morales ſint connexæ ſecundum proprietatem.
Art. 5. Vtrum habitus genitus ex rectis dictaminibus ſine virtute morali in voluntate ſit prudentia.
Art. 6. Vtrum malitia poſſit excæcare intellectum, atque in eo prudentiam corrumpere.
Art. 7. Vtrum Prudentia ſit connexa cum morali virtute.
Art. 8. Vtrum omnium agibilium ſit vna prudentia.
Art. 9. Vtrum qualibet virtus moralis ſit connexa cū ſua prudentia.
Art. 10. Vtrum habitus genitus ex rectis electionibus ſine prudentia ſit virtus moralis.
Art. 11. Vtrum virtutes morales ſint connexæ cum Theologicis.
Art. 12. Vtrum præter virtutes morales acquiſitas ponenda ſint virtutes morales infuſæ.
Art. 13. Vtrum Virtutes Theologicæ ſint cum moralibus connexæ.
Art. 14. Vtrum Virtutes Theologicæ ſint connexæ inter ſe.

ARTICVLVS I.

Vtrum virtus obliquari poſſit.

Intellectus articuli.

SEnſus huius tituli poteſt eſſe duplex. Primo poteſt intelligi; an virtus obliquabilis ſit elicitiue, id eſt, an quis poſſit male vti virtute, tanquam principio operis, ita vt poſſit eſſe principium mali operis ex fine adiuncto. Secundo poteſt intelligi, an virtus poſſit obliquari defectiuè, id eſt, an ex defectu alterius virtutis poſſit vna virtus obliquari, ita vt in actum proprium virtutis exire nō poſſit, & in hac ſignificatione propriè loquendo intelligitur titulus huius articuli.

Caietan.

Examinandus eſt tamen in vtroque ſenſu, propter Caietanum, & Henricum de Gand. Caietanus enim 1. 2. q. 55. art. 4. in explicatione definitionis virtutis ex D. Aug. Virtus eſt bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nemo male vtitur, &c. explicans illam particulam qua nemo male vtitur; intelligit illam duobus modis. Primum vt ſolum conueniat virtuti formatæ, nempe coniunctæ cum charitate, ita vt nullo modo quiuis ea male vtatur etiam propter malum finem extraneum: Nam virtute non formata charitate rectè poteſt ſecundū Caietanum, quiſque male vti tanquam principio operis, quod malum reddatur ex malo fine, vt cum quis ex malo fine vtitur arte, aut fide, aut etiam temperantia; ita vt hæc particula, qua nemo male vtitur, intellecta vt ſonat, ſoli virtuti formatæ, aut quæ non poteſt eſſe informis, conuenit; Contingit enim virtute intellectuali practica, vt arte; & morali, vt temperantia; & infuſa Theologali, vt fide, male vti, etiam vt principijs, applicando eas ad actus proprios, propter malum finem extrinſecum. Ex quo patet Caietanum hanc doctrinam intellexiſſe de quauis virtute, non ſolum intellectuali, ſed etiam morali.

Dein-

Digitized by Google

Deinde eamdem partem explicat Caiet. de omni virtute etiam non formata, ita vt nulla virtus poſſit eſſe principium mali operis ex obiecto proprio, bene tamẽ poſſit eſſe principiũ mali operis ex fine adiuncto, ita vt ſi ly male vti importat actum proprium virtutis, hæc particula conuenit omni virtuti, inquit Caiet. & ponitur ad differentiam habituum, qui ſunt ad bonum, & ad malum; & ſic intelligendo diceretur, quod vtens arte, aut fide, propter malum finem; non facit actum fidei, aut artis malum, ſed actum ordinantem illas facit malum; ac per hoc virtute nullus male vtitur, vt principio mali actus; quãuis vtatur ipſa principiante bonum actum, ordinando ad extraneum malum finem. Quod tamen eſt impoſſibile in virtutibus, quæ non poſſunt eſſe informes: quia aut ordinantur in bonum, aut deſinunt eſſe ſi ordinarentur ad malum. Quod eſt dicere, (vt diximus ſupra) quod nulla virtus poteſt eſſe principium mali operis ex obiecto, licet poſſit eſſe principium mali operis ex fine adiuncto.

Vaſquez. Cæterum vtroque modo Caiet. aperte aduerſatur doctrinæ D. Thomæ (vt inquit Vaſquez) ſibi ipſi, & manifeſte rationi. Primum quidem doctrinæ S. Thomæ, quia in eo art. 4. ad quintum, ſolum concedit poſſe aliquẽ vti male virtute tamquam obiecto, vel quia male ſentit de virtute, vel quia ei eſt occaſio ſuperbiæ; non tamen tamquam principio, ita vt actus virtutis ſit malus: intelligi autem quocumque modo, ſiue ex obiecto, ſiue ex circumſtantijs. Nam reſpondens huic argumento, (Quicumque ſuperbit de aliquo, male vtitur eo; ſed multi ſuperbiunt de virtute; dicit enim Auguſt. in regula, quod ſuperbia etiam bonis operibus inſidiatur, vt pereant, falſum eſt, ergo quod nemo virtute male vtatur) dicit. Ad quintum dicendum, quod virtute poteſt aliquis male vti tamquam obiecto, puta cum male ſentit de virtute, cum odit eam, vel ſuperbit de ea; non autem tamquam principio vſus, ita ſcilicet, vt malus ſit actus virtutis.

Deinde Caietanus aduerſatur ſibi ipſi: Nam ſi virtus non formata charitate, hoc eſt, in peccatore, poſſet elicere ſuum actum propter malum finem, poſſet etiam virtus formata, hoc eſt, in homine iuſto idem efficere. Quod enim homo ſit iuſtus, nihil obſtat, quo minus efficiat opus temperantiæ ob vanam gloriam, quamuis non poſſit facere illud opus ob finem malum mortalis peccati, perſeuerans in gratia, non enim omnis inordinatus appetitus gloriæ eſt peccatum mortale, & tamen actus elicitus ob vanam gloriam venialem eſt malus. Ergo ſi ſemel cõcedat Caietanus poſſe opus temperantiæ elici à virtute temperantiæ ob malum finem, eodem modo dicere debet poſſe dici in homine iuſto, atque in peccatore. Cum ergo aliter philoſophatur de virtute formata atque informi, non ſatis ſecum conſtare videtur.

Poſtremo prædicta doctrina Caiet. tam in priori, quã in poſteriori ſolutione eſt contra rationem; Quoniam habitus virtutis inclinat ad opus ſuum propter ipſam honeſtatem in obiecto apprehenſum, tamquam propter finem, quod autem appetitur propter ſe, non poteſt eodem affectu appeti propter aliud, ergo nulla virtus poteſt inclinare affectum ad opus ſuum propter malum finem; quinimo hac ratione oſtendimus ſupra, non poſſe opus vnius virtutis, habens bonitatem propriam illius, fieri propter finem alterius virtutis. Adde quod cum Caiet. art. 1. illius quæſt. pro viribus defendat (vt ipſe credit cõtra Scotum) eſſe quoſdam habitus eſſentialiter bonos ſemper inclinãtes ad bonum, & hos eſſe habitus virtutis; Nulla ratione dici poteſt, poſſe aliquem male vti virtute, vt principio. Et quamuis Scotus exiſtimet habitus ex ſe indifferentes eſſe ad vſum bonum, & malum, tamen de virtute id non docet, quia putat virtutem eſſe habitum illum, quatenus natus eſt cum recta ratione operari.

Henricus. Henricus de Gand. quol. 5. quæſt. 17. vt oſtendat virtutes morales eſſe connexas inter ſe, inquit, quod vna virtus ſine alia non eſt perfecta virtus, quia in contrarium ſuo fini obligare poſſet. Pro cuius explicatione obſeruat primo, quod in qualibet virtute duo ſunt conſideranda, ſcilicet finis proprius, (præter finem illum vnicum, ad quẽ finem propriè ordinantur, qui finis vltimus eſt fœlicitas ſecundum Ariſt. 1. & 10. Ethic.) & ea, quæ ſunt ad finem; Quemadmodum finis fortitudinis bellicæ eſt pax Ciuitatis, vel patriæ in obtenta victoria; & generaliter finis fortitudinis eſt pacis tranquillitas; ad hoc enim ſolum modo debemus belligerare, vt poſſimus in pace viuere. In caſtitate verò finis eſt munditiæ puritas, in iuſtitia autem finis eſt proportionalis æqualitas; finis verò prudentiæ eſt proportionis operabilium infallibilitas, & hoc in qualibet virtute, vel hominis ſecundum monaſticam; vel domus ſecundum œconomicam, vel Ciuitatis ſecundum politicam, in quantum iiſdem virtutibus habent regi homo, domus, & Ciuitas. Ea verò, quæ ſunt ad finem in fortitudine ſunt, tolerare dura, & aſpera, & aggredi terribilia. In temperantia finis eſt opera carnalis delectationis reſpuere; In iuſtitia ſuum vnicuique tribuere; In prudentia opera operandorum diſcernere.

Secundo obſeruat, quòd ad hoc, vt virtus quælibet firmiter, & impermutabiliter operetur ea, quibus finem adipiſcatur, & non contraria, quibus eo fruſtretur; aut cadat ab eo, ſed conſeruetur in ipſo quantum in ſe eſt, quod, ſufficit ei, vt delectabiliter operetur, quæ ſibi ſunt propria, quibus finem ſuum adipiſcitur, & in finem ſuo cuſtoditur, & abhorreat contraria, vt caſto, vt operetur caſta, & abhorreat incaſta.

Tertio obſeruat, quod ex eo, quod voluntas, quæ eſt domina operationum, quæ ſunt ſecundum virtutes, vt dicit Phil. 2. Ethic. bono vnius virtutis non eſt alligata, neque bono virtutis acquiſitæ omnino, ſed liberam habet electionem talis boni ſimpliciter, & vt nunc, ſiue ſit finis ſiue ad finem; cum hoc igitur, quòd delectabiliter operatur, quæ ſibi ſunt propria, quibus in fine ſuo ſtat, vel adipiſcitur ipſum, vt ad ipſum perfecte perueniat, & perſiſtat, requirit alia ad victoriam, licet enim quælibet virtus voluntatem ſic afficiat, & ad finem ſuum inclinet, vt per ſe delectetur in eis, quæ congruunt ſuo fini, & per ſe abhorreat contraria, per accidens tamen præferendo aliud bonum, vt nunc, fini ſuo non directe contrarium, ſed diſparatum ab eo, à quo non per ſe retrahit virtus illa, ſed alia cuius fini directe opponitur, ne appetendo illud agat actionem contrariam ſuo fini, & impediatur ne ipſum attingat, vel deijciatur ab eo; neceſſario eget ſe iuuari, & fulciri, per illam virtutem, quæ voluntatem ipſam ſic per ſe afficiat, & in finem ſuum inclinet, vt in operabilibus fini ſuo congruentibus delectetur, & omne contrarium ei abhorreat, & contrariam actionem; & per hoc firmetur voluntas, ne per illud bonum, vt nunc, ipſum appetendo impediatur illa alia virtus, uel cadat ab ipſo. Et quia bonum contrarium fini cuiuſque virtutis, ſi fuerit ſola poſſet dicto modo per accidens retrahere voluntatem à fine cuiuſque virtutis ne finem ſuum proſequatur, aut vt cadat ab ipſo, idcirco, inquit, quod quælibet virtus, vt tuta ſit, & ſecura ne impediatur à finis proſecutione, vel ne deijciatur à fine adepto, debet habere quamlibet virtutem aliam ſibi annexam.

Explicat exemplo, quod dictum eſt, verbi gratia. Si quis habens virtutem caſtitatis, & per ſe delectetur in operibus caſtitatis, & diligat mentis, & corporis puritatẽ, & abhorreat per ſe contraria, ſi non ſit fortis, & offerantur ei terribilia ſuſtinenda, niſi adulterium committat, timore pœnæ, contra quem non caſtitas, ſed fortitudo firmat voluntatem, præferendo corporis læſionem puritatis bono committet adulterium, & cadet à virtute caſtitatis; ex quo patet, quod habens temperantiam, & non fortitudinem, non firmatur circa terribilia ſuſtinenda; atq; adeo ſi præſententur terribilia, puta, vel quod fornicetur, uel mortem ſuſtineat, poteſt obliquari circa terribilia, & per conſequens circa ea, quæ ſunt temperantiæ: nam talis potius eliget non ſuſtinere mortem, quam non fornicari, quia non eſt firmatus circa illam paſſionem terribilem. Nunc autem non eſt uera uirtus, inquit Henricus, quæ in contrarium fini ſuo obliquari poteſt, & deficere, & ſic patet quomodo ſecundum Henricum virtus obliquari poteſt.

Contra hanc ſentẽtiam Henrici oſtendit Doct. in hac q. ſub littera C. §. Per hoc patet, quod nulla virtus obliquari poteſt. Nam uirtus non obliquatur, ſed habẽs uirtutem ex defectu alterius uirtutis obliquatur reſpectu alterius uirtutis; nec ex hoc eſt uirtus illa imperfecta, quia nõ eſt eius dirigere hominem circa omnia, ſed circa pro- *Scotus.*

pria

Digitized by Google

pria obiecta: nam actus temperantiæ non eſt circa terribile; Vnde quod iſte ſit puſillanimis, vel timidus, nõ prouenit, quia eius temperantia non ſit perfecta, ſed quia temperantia non eſt circa terribile, ſed fortitudo; & quia non habet fortitudinem moderantem circa terribilia, ideo per accidens efficitur intemperatus, ex hoc tamen non ſequitur, quod temperantia obliquetur, vel quod non ſit perfecta virtus in genere ſuo. Ex his ergo patet, quod nullo modo virtus obliquari poteſt.

ARTICVLVS II.

Vtrum virtutes morales ſint connexæ in gradu heroico, ſeu perfectiſſimo.

D. Bonau. Richard. D. Bonauentura in 3.d. 36.artic.1.quæſt 3. & Richar.ibidem art.1.quæſt.1. docent virtutes morales in ſtatu perfecto eſſe ſibi inuicem connexas, quamuis non ſatis aperte explicent, vtrum hic ſolus ſtatus perfectionis ſit ſtatus veræ virtutis, ita vt verum ſit, virtutes ſecundum veram, & propriam rationem virtutis eſſe inuicem connexas, an præter hunc ſtatum ſit alius, in quo non ſint inuicem connexæ, habeant tamẽ veram, & propriam rationem virtutis; tametſi ex Richar.colligi videatur eſſe alium ſtatum virtutis ſimpliciter, in quo ſunt veræ virtutes, & non ſint inuicem connexæ: nam in eadem d.art.1.quæſt.5. quærit. Vtrum qui ſũt æquales in vna virtute, ſint æquales in alia, & reſpondet in ſtatu imperfecto, æquales in una virtute non ſemper eſſe æquales in alia virtute, eo quod ſtatus virtutis latitudinem habeat, & vnus homo exerceri poſſit magis in vna, quam in alia, at verò in ſtatu perfecto, cum perfectio earum in indiuiſibili conſiſtat, oportet omnes in eodem eſſe æquales æqualitate proportionis, quamuis non ſint æqualis quantitatis, ſicut digiti manus quamuis non ſint æqualis quantitatis, tamen ſunt æquales æqualitate proportionis, in quantum quilibet tantum habet de eo, quod ſibi debetur, quantum alius maior eo, de hoc, quod ſibi debetur; & ideo illam in qua aliqui duo ſunt æquales, aliæ non plus poſſunt excedere, vel ab ea excedi in vno, quam in alio, ad quod ſequitur, quod qui ſunt æquales in vna, oportet, quod in alijs ſint æquales. Intelligere, ergo videtur de ſtatu illo heroico virtutum non de ſtatu medio: nam ſtatus medius latitudinem habet, & eſt ſtatus veræ virtutis.

Henric. Huic ſententiæ conſentit expreſſe Henricus de Gand. quol.5.quæſt. 17. Nam quamuis initio dicat virtutes eſſe connexas, idque vſque ad medium quæſtionis proſequatur, poſt medium tamen inquit eſſe quatuor ſtatus virtutis, primum inchoationis. ſecundum profectus. tertium perfectionis. quartum exceſſus: & in primis duobus habitus non eſſe vere, & proprie virtutem, ſed tantum in tertio, & quarto, adhuc tamen in tertio aliquo modo eſſe imperfectas uirtutes.

Vnde pro ampliori intelligentia opinionis Henric. obſeruan. eſt, quod ipſe in eodem quol. quæſt. 16. dicit ſecundum Philoſ.7.Ethic.cap.1. in genere bonitatum, uel malitiarum eſſe quatuor ſtatus, ſcilicet initium, progreſſum, perfectionem, & exceſſum, verbi gratia, in habilitatibus moralibus ad eliciendos actus morales, de quibus Philoſ. 7. Ethic. ponit exempla appellans illa genera bonitatum, & malitiarum, ſunt quatuor gradus, qui in bonitatibus ſunt perſeuerantia, continentia, temperantia, heroica; In malitijs verò incontinentia, imperſeuerantia, intemperantia, beſtialitas, quarum perſeuerantia, & imperſeuerantia pertinent ad bonitatum, & malitiarum initium; continentia, & incontinentia ad progreſſum; temperantia, & intemperantia ad perfectionem; heroica verò, & beſtialitas ad exceſſum.

Eſt autem perſeuerantia habilitas, qua quis occurrentibus fortibus triſtitijs, vel delectationibus malis, à quibus multi vincuntur, ſe tenent, ne ab eis ſtatim vincantur, & ſuccubant. Vnde dicit Philoſ. Perſeuerare eſt in eo, quod eſt detinere, id eſt, non laxare, vt exponit Auerr. Cõmentator, continentia autem, vt dicit Philoſ. eſt in eo, quod eſt vincere; propter quod eligibilior eſt continẽtia, quam perſeuerantia, vbi dicit Cõmentator detinens, & non relaxans non iam ſuperat, vnde bonum perſeuerantiæ eſt in eo, quo quis tolerando detinet ſe, ne ſtatim laxet, & eſt infimus gradus bonitatis; quem ſequitur ſtatim gradus continentiæ, quæ vincit, & repellit tentationes, licet cum dolore, & labore; & in hoc differt à temperantia, quæ ſequitur in tertio gradu: Quoniam vt dicit Phil. Continens habet fortes, & prauas concupiſcentias, temperatus autem non; Vbi dicit Commentator. Tẽperatus nequaquam habet turpes delectationes vexantes ipſum, ſed ratione præcipiente detinere à turpibus delectationibus, ſtatim habet concupiſcentiam ſequentem, & manet quietus; Continens autem habet rationem contendẽtem non ſequi vexatus à concupiſcentijs, & ſequitur heroica, quæ eſt in quarto, & vltimo gradu bonitatis, de qua dicit Philoſ. quod eſt ſuper nos, & quædam diuina virtus. Et ſubdit Henr. quod initium, & inchoatio cuiuſlibet virtutis, dicitur perſeuerantia, cum autem ceperit aliquantulum augmenti fit continentia, quæ per vlterius augmentum fit temperantia, illud autem augmentum ampliori augmento tranſgrediens fit heroica. Ita vt quando eſt habilitas actibus bonis generata, in gradu perſeuerantiæ, & continentiæ vocatur diſpoſitio; quando verò in gradu temperantiæ, & heroicæ, vocatur habitus, adeo vt in 3. gradu eſt virtus communiter dictat in quarto verò eſt virtus in gradu præexcellenti. Hæc Henr. vbi ſupra.

In quæſt. autem 17. dicit, quod in duobus primis gradibus, in quibus virtutes omnino imperfectæ ſunt, nec merentur dici habitus, aut virtutes, ſed tantum diſpoſitiones ad virtutes, non eſt connexio, quia poteſt aliquis exercitari in actibus unius virtutis, & non alterius, & ita acquirere tam perſeuerantiam, quam continentiã vnius, & non alterius In tertio gradu diſtinguitur, quia aut eſt uirtus imperfecta, aut mediocris, aut perfecta; in primis duobus gradibus, cum vt ſic habent ſtatum imperfectum non oportet eſſe connexionem propter idem quod prius: quia ſcilicet aliquis poteſt exercitari in actibus alicuius virtutis, & non alterius, In tertio autem gradu huius tertij gradus, qui eſt gradus conſũmatæ perfectionis. (Nam virtus poteſt conſiderari, vt perfecta abſolute, quæ perfectio ſufficit ad hoc, ut appelletur virtus, & habentem bonum faciat, uel ut perfecta perfectione conſummata citra tamen heroicam, adeo vt uirtus de perfectione ſimpliciter dicta tendat in conſummationem, quã ſi excedat ſubintrat ſtatum uirtutis heroicæ.) In hoc tamen, tertio gradu tertij gradus, & multo magis in quarto gradu, ſcilicet heroicæ eſt connexio, & hæc ſententia Henric. de Gand. idem ſentire videtur, quod docent D. Bonauen. & Richar. Durandus, etiam in 3. diſtin. 36. q. 3. docet uirtutes in ſtatu perfecto eſſe connexas, non tamen in ſtatu imperfecto, quis uero ſit ſtatus perfectus, & an in eo ſolo ſint virtutes ſimpliciter, ipſe non explicat. Durand.

Hanc opinionem probat Henr. rationibus, & authoritatibus. Prima ratio eſt talis, illa virtus non eſt vere perfecta, quæ in contrarium fini ſuo obliquari poteſt; ſed ſi virtus moralis eſſet ſola ſine alijs, poſſet obliquari circa alios fines, igitur non eſt uere uirtus. Maior probatur ex D. Auguſt. in ſermone de operibus miſericordiæ, dicente. Charitas, quæ deſeri potuit nunquam uera fuit. D. Aug. probatur minor: quia una uirtus non firmat voluntatem circa illa appetibilia, quæ non per ſe reſpicit; ergo ſi voluntas non habeat niſi illam virtutem, poteſt obliquari circa alia appetibilia ſibi præſentata, ſed ex obliquatione circa alia, poteſt obliquari circa obiectum illius virtutis, quam habet, vt patet de caſto carente fortitudine, ſi proponantur terribilia niſi fornicationem committat, vt dictum eſt in ſuperiori articulo.

Præterea illa non eſt perfecta virtus, quæ non facit delectabiliter operari, vt patet ex 2. Ethic. ſed virtus, non habens ſecum aliam connexam, non facit delectabiliter operari; ergo non eſt uera virtus; Minor patet in exemplo prædicto: nam tentatus de intemperantia, ſi non ſit fortis, non delectabiliter fugiet, quæ pertinent ad intemperantiam, & per conſequens non eſt perfecte temperatus:

ratus: nam poteſt impediri, & difficultatem cõtrahere ex paſſione circa materiã alterius virtutis, reſpectu cuius materiæ non habet virtutem; Nam ſi dicatur caſto, vel tu fornicaberis cum hac, vel morieris, ſi eligat mortem triſtabitur ſi non habeat fortitudinem; ergo temperantia in eo non eſt virtus perfecta; quia difficulter continebit timore mortis intentato, eodem modo poteſt poni exemplum, ſi quis ſit auarus, eliget ſeruare pecuniam plus quam tẽperantiam, eſto enim quod aliquis ſit temperatus, & auarus, proponat ei tyrannus, vel tu fornicaberis, vel dabis centum, ſi non fornicetur erit valde ei triſte, & tamen ſi haberet perfectam temperantiam, delectabiliter non fornicabitur.

Item tertio, illa virtus non eſt perfecta, quæ non perducit ad finem virtutis, nec aſſequitur ipſum, quia perfectio in moralibus, eſt perducere ad finem, ſed vna virtus ſine alia non perducit ad finem, nec virum politicum facit; ergo non eſt perfecta virtus. Minor patet, quia virtus compatiens ſecum vitium oppoſitum alteri virtuti, non poteſt conſequi finem virtutis, nec attingere efficaciter ad ipſum, puta ad fœlicitatem: quia alias vitioſus in vna materia poſſet conſequi beatitudinem: nec reſpectu finis indigeremus niſi vna virtute, quod eſt falſum.

Secundo arguit Henr. authoritatibus Sanctorum, & Ariſt. prima auth. eſt D. Greg. lib. 1. Moralium cap. 39. *D. Gregor.* Neq; .n. inquit vna virtus uera virtus eſt, ſi mixta alijs virtutibus non eſt, & lib. 22. c. 1. Quiſquis virtute aliqua pollere creditur, tunc veraciter pollet; cum vitijs ex alia parte non ſubiacet: nam ſi ex alio vitijs ſubiacet, nec hoc eſt ſolidum, vbi ſtare, putabatur. Vna enim virtus ſine alia aut omnino nulla eſt, aut imperfecta.

Commentator. Præterea Commentator ſuper 6 Ethic. cap. 6. Non exiſtente, inquit, temperantia, qualiter erit iuſtitia. Item ſuper illud 6. Ethic. Temperantiam hic appellamus nomine velut ſaluantem prudentiam, dicit ſic. Sorores adinuicẽ virtutes ſunt, & multam ferunt adinuicem ſimilitudinẽ. Item Gloſ. ſuper illud Apoc. 21. Ciuitas in quadro poſita eſt, dicit. *Gloſſa.* Quatuor latera quatuor principales virtutes ſunt, quarum vna non debet aliam excedere in homine.

Contra hanc ſententiam arguit Doct. vnica ratione, Refellitur ſententia Henrici. quæ eſt talis. In gradu imperfecto aliquis poteſt habere vnam ſolam virtutem ſine alijs, ergo & in gradu perfectiſſimo, & heroico, poteſt quis habere vnam ſine alijs, atque adeo virtutes morales etiam in gradu perfectiſſimo, non ſunt connexæ, antecedens eſt Henr. dicentis (vt vidimus ſupra) quod contingit duos gradus eſſe connexos, ſcilicet perſeuerantiam, & continentiam; & ſimiliter duos primos gradus tertij gradus, ſcilicet quãdo virtus eſt imperfecta, vel mediocris. probatur conſequentia ſuppoſito, quod virtus intendatur per actus ſicut ex actibus generatur, quod etiam concedit Henric. in eadem quæſt. & alibi. Hoc ſuppoſito pono caſum, quod quis per quatuor actus temperantiæ acquiſierit habitum temperantiæ imperfectum; volo quod non occurrat ei materia aliarum virtutum, ſed dumtaxat materia temperantiæ, & continue eliciat temperantiæ actus, ergo ſicut ex quatuor illis actibus acquiſiuit habitum imperfectum; ex actibus ſequentibus, habitum intendentibus, habebit habitum perfectum imperfectiſſimo gradu, & tamen ex hypotheſi nullam aliam habebit virtutem: quia potuit ſibi non occurriſſe opportunitas agendi circa materiam alterius virtutis, nec forte eſt inclinatus ad hoc, ſicut ad illud cuius habet habitum. Non enim minus eſt diſpoſitus aliquis habens habitum ad operandum circa iſta obiecta, quam alius nullum habens habitum; igitur ſi aliquis à principio potuit ſe exercitare ſecundum actum vnius virtutis, & non alterius, multo magis cum habuerit habitum vnius virtutis ſecundum duos gradus tertij gradus, poterit exercitari, circa obiectum illius virtutis, & non alterius, & ita poterit ſibi acquirere, vnam virtutem perfectam, & non aliam.

Et ſi dicatur, quod licet materia alterius virtutis, non occurrat exterius, occurrit tamen in phantaſmatibus, & circa illa oportebit recte eligere, vel virtus acquiſita non ſaluabitur in aliquo gradu. Contra, poſſibile eſt illa alia non conſiderare, ſed ſolum illa, ad quæ inclinat habitus virtutis; quia non contingit intelligere ſimul duo diſtincte, ſecundum communiter loquentes, igitur ſi occurrant alia, quæ pertinent ad aliam virtutem, non poteſt voluntas eligere circa illa nec bene, nec male, ſed præcipere non conſiderationem illorum, quæ pertinent ad virtutẽ, quam habet. Poteſt hæc ratio ſic clarius deduci.

Nam magis nullam habens virtutem poteſt ſe exercitare circa materiam vnius, & acquirere illam ſecundum eſſe imperfectum non acquirendo aliquid alterius, circa cuius materiam non ſe exercitat, quam habens vnam ſecundum eſſe imperfectum non habendo aliã poſſet exercitando ſe continue circa ipſam, cuius aliquem gradum habet acquirere eam perfecte abſque alia circa q̃ idẽ nõ ſe exercitat. Sed primum ſecundum Henr. eſt poſſibile, ergo & ſecundum. Maior apparet: quia ideo vna ſine alia poteſt in gradu imperfecto acquiri, quia poteſt quis in actibus vnius exercitari, non exercitando ſe in actibus alterius, & eis mediantibus aliquem gradum acquirere, ſed habens virtutem inchoatam, licet imperfectam, magis eſt inclinatus ad actus illius virtutis quam eſſet prius, antequam haberet aliquem gradum eius; ergo ſi prius nullum habens eius gradum ſe exercitare potuit in eius actibus, & eis mediantibus acquirere aliquem gradum, multo magis poſt hunc gradum acquiſitum poterit continuare eorum actuum exercitium ſine exercitio actuum alterius virtutis, atque ita continuando acquirere gradũ eius vltimum, & perfectum: Nam actus eiuſdem virtutis ſunt eiuſdem rationis, ſicut etiam gradus eiuſdem virtutis, per quos ipſa virtus intenditur, ergo in quemcumque gradum virtutis poteſt quis mediante vno actu, poteſt etiam mediante alio eiuſdem virtutis; ſed mediantibus primis actibus virtutis vnius, puta temperantiæ, in quibus incepit ſe exercitare, acquirere potuit, & acquiſiuit aliquem gradum temperantiæ; nullum fortitudinis, vel iuſtitiæ acquirendo, ergo etiam per actus, & ſequentes illum gradum temperantiæ acquiſitum, & eiuſdem rationis cum prioribus, & eis perfectiores, quia ex habitu procedentes, poterit alius, & alius gradus virtutis, vſque ad perfectum gradum naturaliter generari, & acquiri, nullo gradu alterius virtutis acquiſito: quia poſſibile eſt, quod materia alterius virtutis nũquam occurrat nec in re, nec in ratione, exercitanti ſe circa materiam vnius virtutis. Ponatur enim aliquis nutritus à puero in loco ſolitario, in quo nihil audiat de commutationibus, & diſtributionibus, nec vnquã vidit, nec audiuit bella; atq; ita nihil ſciat de materia iuſtitiæ particularis, & fortitudinis; Nutriatur tamen in magnis cibarijs, & frequentent eum pulchræ mulieres: iſte iudicio recte rationis poſſet moderate, & temperate comedere, & ab illicitis circa mulieres ſe abſtinere, & honeſte circa ipſas ſe habere; atque ita tẽperantiam acquirere, & tamen nunquam occurrit ei nec in re, nec in ratione materia iuſtitiæ particularis, & fortitudinis, & per conſequens nunquam acquiret ipſa, & tamen habebit perfectam virtutem temperantiæ, ergo &c. Præterea ſiue materia alterius virtutis occurrat, ſiue non; ſiue in re, ſiue in ratione, non videtur neceſſarium, quod voluntas eliciat aliquem actum circa illam, ac proinde poteſt frequentare actus circa vnam, & non circa aliam, & ita generare, & perficere virtutem circa vnam, & non circa aliam.

Ad argumenta Henr. reſpondetur à Sco. in hac q. ſub littera C §. Per hoc patet ad quædam tacta &c. Et ad primum dicit, quod Henr. in maiori ſupponit falſum; ſcilicet, quod virtus poſſit obliquari, nam virtus non obliquatur, ſed habens virtutem ex defectu alterius virtutis obliquatur reſpectu alterius virtutis, vt diximus in artic. præcedenti, atq; adeo dico, quod perfecta virtus iuſtitiæ poteſt ſecum compati obliquitatem, quæ non eſt ſibi oppoſita, puta obliquitatem circa materiam alterius virtutis, perfecta dico perfectione intrinſeca ſibi, licet non perfectione accidentali, & extrinſeca, & ſic de alijs. Reſpondetur ad rationes pro ſñia Hen.

Et ſi dicatur, qualitas, quæ eſt de facili amiſſibilis, non eſt habitus, ſed diſpoſitio; ergo non eſt virtus, ſed temperantia v. g. ſine fortitudine, & iuſtitia amiſſibilis eſt, ergo &c. Nego conſequentiam: quia licet contra eius inclinationem fiat; non tamen corrumpitur niſi multis acti-

bus

Digitized by Google

bus contrarijs, diſpoſitio, autem bona corrumpitur vno, vel paucis; Neque Philoſ. dicit habitum eſſe inamiſſibilem, ſed de difficili amiſſibilem, diſpoſitionem verò de facili.

Ad probationem maioris ex D. Auguſt. reſpondet Doct. ſub litteta D. §. Ad primum argumentum. Quod Philoſ. in prędicamentis cap. de Qualitate non dicit habitum eſſe inamiſſibilem, ſed de difficili amiſſibilem, licet igitur virtus poſſit amitti, & ita habens eam poſſit obliquari, non tamen virtus ipſa obliquatur, ſed habens eam recedit ab apice virtutis; nec tamen ſequitur eam non fuiſſe virtutem etiam perfectam ſecundum rationem habitus; quia non fuit inamiſſibilis. Et quod dicit de charitate oportet exponi: quia aliquis iure fuit in charitate, qui poſtea peccauit mortaliter; ſed non fuit vera charitas, id eſt, vere, & finaliter coniugens fini, ſcilicet beatitudini. Vnde nota ſecundum Alex. de Ales par. 4. quæſt. 14. m. 5. artic. 1. in ſolut. q. quod veritas virtutis dupliciter accipitur. Vno modo dicitur virtus vera, quæ habet verum virtutis opus, vel nata eſt habere quantum eſt de ſe, & hæc veritas eſt de eſſentia virtutis: alio modo dicitur virtus vera, quia perducit in finem, & hæc veritas non eſt eſſentialis virtuti, ſed dicit virtutis ſtatum ſiue continuationem; Et hoc eſt, quod diximus nos ſupra in explicatione diſtin. 31. quod charitas poteſt dici virtus vera dupliciter, vno modo formaliter, quia eſt vere habitus, qui eſt forma quædam, & ſic charitas viæ eſt ita vera ſicut charitas patriæ; alio modo quo ad effectum finalem, qui eſt inſeparabiliter, & immobiliter, coniungere vltimo fini, & quia charitas viæ, quæ amittitur non coniungit inſeparabiliter fini vltimo, ſicut charitas patriæ, quæ vltimo fini immutabiliter coniungit, ideo nõ eſt tam vera charitas, ſicut illa, quæ immobiliter coniungit, & ſic intelligi D. Auguſt.

Alex. de Ales.

veritas uirtutis ẽ duplex.

Charitas poteſt dici ſtitius vera dupliciter.

Ad ſecundum reſpondet primo Doct. ad materiam dicens, quod vnaquæque virtus dat delectabiliter operari circa ſuam materiam præciſe, vt temperato eſt ſibi delectabile abſtinere ab opere intemperantiæ; ſed non eſt ſibi delectabile ſubire terribilia, quia circa illa non eſt per temperantiam diſpoſitus. Exemplum, Suſanna habebat virtutem temperantiæ, dixerunt illi nequam ſenes. Tu commiſcere nobiſcum, vel dicemus, quod iuuenis erat tecum, & lapidaberis. Suſanna delectabiliter operabatur non adulterando, & delectabiliter operabatur nolendo committere actum intemperantiæ; at quia fortaſſe non habebat virtutem fortitudinis, vnde non delectabiliter per habitum temperantiæ ſuſtinebat mortem, quia talis habitus non dat delectabiliter ſuſtinere mortem; ſicut nec virtus fortitudinis dat delectabiliter operari circa hoc, quod eſt non fornicari. Triſtatur ergo temperatus cum committit actum intemperantiæ: quia ille actus eſt contra habitum ſuum, ſed triſtius eſſet ſibi ſubire terribilia. Nam committens actum intemperantiæ fugit triſtius, ſcilicet ſubire mortem, quod eſt ei triſtius, quam facere actum intemperantiæ; adeo vt eligat quodammodo minus triſte, ne incurrat triſtius. Concedo ergo quod talis eſt imperfectus, & triſtabiliter operatur; ſed non eſt imperfectus nec triſtabiliter operatur circa materiam illius virtutis, quam habet, niſi tantum per accidens: quia ſcilicet concomitatur alia materia, circa quam non eſt ſtudioſe diſpoſitus, vt circa ipſam laudabiliter, & delectabiliter operetur, atque adeo bene concludit argumentum, quod habens tantum vnam virtutem, quantumcumque perfectam ſine alijs, non eſt vndequaque perfectus circa totam materiam moralem. Eſt ergo quælibet virtus in ſe perfecta, quantum ad perfectionem intrinſecam, atque adeo dat faciliter operari per ſe loquendo ſine alia propriã materiam; licet per accidens impediri poſſit operans a delectatione ex defectu alterius virtutis.

Ad formam argumenti. Cum dicis omnis virtus dat delectabiliter operari; dico, quòd verum eſt circa propriam materiam; atque adeo temperato proponatur præciſe propria materia, delectabiliter operabitur circa illam; at ſi ei proponatur mors niſi fornicetur: quia mori, eſt ei magis triſte, quam fornicari; ideo eligit magis fornicari, quam mori, & ita faciendo contra temperantiã, eligit ſibi difficile ad difficilius euitandum, ſicut proijciens merces propter periculum euitandum.

Ad tertium dicit Doct. quòd vna virtus non perducit perfecte ad finem virtutum; ſicut nec vnus ſenſus perducit hominem ad perfectum actum ſentiendi; ſed quælibet virtus quantum in ſe eſt perducit ad finem, omnes autem requiruntur ad perfecte perducendum, conceditur ergo, quod vna non perducit ſufficienter ſimpliciter; ſed quantum ſufficit ad perfectionem talis virtutis. Vult dicere Doctor, quod duobus modis poſſumus loqui de virtutum perfectione, vno modo de earum perfectione intrinſeca, & formali, quam vnaquæque habet ex ſe ipſa intrinſece, & formaliter; alio modo de perfectione earum extrinſeca, & per accidens, quæ magis debet dici perfectio habentis eas, quam perfectio earum. Priori modo quælibet virtus in ſe perfecta quantum ad perfectionem intrinſecam attingere poteſt ad finem proprium ſibi præciſe correſpondentem, puta ad actum ſuum ſtudioſum; eo modo quo actus dicitur finis habitus; ſed ad finem totalem, & perfectum omnibus, vel pluribus correſpondentem attingere non poteſt ſine alijs, non obſtante, quod in ſe ſit perfecta; niſi penes ſecundariam perfectionem, ſecundum quam omnes virtutes ſimul compoſſibiles in eodem ſunt connexæ: quia ad hoc, quod habens virtutes ſit omnino perfectus, oportet, quod habeat omnes tales virtutes, & quanto habet pauciores, tanto eſt minus perfectus, & magis impediri poteſt ab actibus aliarum, quanto verò plures tanto perfectior. Et ideo bene concludit argumentum, quod ad perfectionem habentis omnimodam reſpectu finis conſequendi, non ſufficit vna virtus, ſed aliæ requiruntur: Nam ſicut ad vniuerſaliter poſſe ſentire requiruntur omnes ſenſus, quorum tamen quilibet ſine alio eſt perfectus in ſuo genere; ita ad perfecte eſſe ſtudioſum, qui eſt finis politicus virtutum, requiruntur omnes virtutes, quælibet tamen habet perfectionem in ſuo genere, & habentem perficit, & hominem ad debitum ſuum finem perducit. Ad formam ergo nego minorem, quia habens temperantiam poteſt temperate viuere, & habens fortitudinem poteſt fortiter agere, atque adeo omnis virtus moralis perducit ad finem ſuum proprium.

Perfectio virtutũ eſt duplex.

Ad authoritatem D. Gregor. inquit Doct. quod ipſe loquitur de virtutibus prout ſunt habitus, qui ſunt principia merendi; & hoc modo verum eſt, quod vna virtus moralis ſine alia non eſt virtus, quia non meremur per vnam ſine alia, vel non concomitãte alia, nam habens tẽperantiam moralem non meretur niſi concomitetur humilitas, vel ſaltem ſi oppoſitum vitium non inſit ei. Vult dicere Doct. quòd virtutes poſſunt bifariam conſiderari, vno modo vt ſunt principia merendi, id eſt, actus meritorij; alio modo, vt ſunt principia actus humani. primo modo, vt ſunt principia actus merendi, habent ſaltem aliquam maiorem connexionem: quia per temperantiam nullus poteſt mereri, iniuſtitia exiſtente in ipſo, ſaltem actuali, & ideo vna virtus, vt ſic, licet non exigat aliam, excludit tamen vitium, non habituale, ſed actuale illi cõtrarium. Nam ad hoc, quod aliquis mereatur per actum virtutis moralis, neceſſe eſt, quod ſit in gratia, quam non habet, qui eſt in peccato mortali. ex dictis tamen Sanctorum, non ſequitur, quod qui habet vnam virtutem moralem perfectam, debeat habere omnes, imo poteſt contingere, quod aliquis habeat habitum vnius virtutis, & ſit in gratia, cum habitibus vitioſis contrarijs cæteris virtutibus moralibus, vt ſi infidelis cõuertatur ad fidem, concipiatque in animo mortem perpeti pro Chriſto, acquiret habitum fortitudinis, & eſt in gratia Dei, non dum tamen habet temperantiæ habitũ; imo intẽperãtiæ.

Virtutes poſſunt bifariam cõſiderari.

Poteſt ẽt dici, ꝙ Sancti nõ intendunt dicere uirtutes eſſe neceſſario connexas, niſi, vel quantum ad modos generales appropriatos aliquibus ipſarum, vt dicemus infra, vel quantum ad perfectionem omnimodam habentis, atque ita quantum ad perfectionem earum extrinſecam, & accidentalem; Vel Sancti intelligi poſſunt de virtutibus moralibus infuſis, vt qui habet vnam virtutem moralem infuſam, habeat etiam alias infuſas; quia Dei perfecta ſunt opera, & quem ſanat perfecte ſanat.

Ad authoritatem Gloſſę, & Comment. concedit Doct. quod

Digitized by Google

quod virtutes ſunt ſorores, nihilominus, etſi mutuo ſe iuuent ad conſeruendũ, vna tamen non eſt altera, nec eſſentialiter perficit alterã; ita vt iſtæ virtutes bene iuuant ſe ad ſaluandum ſe mutuo; & iuxta hoc poteſt intelligi dictum quorumdam, quod vna non eſt tuta ſine alia; quia non ita bene ſaluatur ſine alia: Nam homini expoſito multis tentationibus circa diuerſas materias, imperfectio circa vnam materiam, eſt vna occaſio imperfecte agendi circa aliam. Nam habens iuſtitiam ſine temperantia, propter intemperantiam poterit facere contra iuſtitiam; & perfecta diſpoſitio agendi circa vnam, iuuat ad recte ſe habendum circa aliam. Iuuant ergo ſe mutuo ſicut ſorores, ſed nulla eſt requiſita ad perfectionem eſſentialem alterius; ſicut prior naſcitur vna ſoror, quam alia; & ſimiliter virtutes non poſſunt ſimul generari, non enim poſſunt haberi ſimul duo actus perfecti generatiui duarum virtutum.

ARTICVLVS III.

Vtrum virtutes morales ſint connexæ in gradu perfecto temperantiæ.

D. Thom. D. Thomas, in 3. Sent. diſt. 36. exiſtimat omnes virtutes morales perfectas ad inuicem eſſe connexas, ita vt habens vnam virtutem moralem perfectam, habeat etiã omnes virtutes morales; & qui caret vna, nullam habeat perfectam; Dicit tamen quod virtus moralis poteſt dupliciter conſiderari, vno modo, quatenus habitus, ſecundo modo in eo, quod virtus. priori modo virtutes morales conſideratæ in ratione habitus, non habent inter ſe connexionem: quia tũc ſequeretur, quod omnes habitus eſſent connexi inter ſe, quod eſt falſum. Verum poſteriori modo, ſcilicet in ratione virtutis ſunt neceſſario adinuicem connexæ; atque adeo poſſibile eſt ſecundum D. Thomam habitum quantumcunque perfectum in genere qualitatis acquiri, ex actibus frequẽter elicitis circa obiectum vnius virtutis, abſque acquiſitione alterius habitus; ſed ille habitus, quantumcunque intenſus, non habet rationem virtutis niſi ſit conformis alijs virtutibus acquiſitis, & ideo non eſt virtus; concordia enim habitus ad habitum neceſſaria eſt in quolibet habitu, qui eſt virtus. Adeo vt duo dicat D. Thomas: primum quod habitus quantumcunque perfectus, in genere qualitatis acquiri poteſt ex frequentatis actibus abſque acquiſitione alterius habitus, & in hoc dicto non diſſentit Sco. ab eo: ſecundo dicit, quod habitus quantumcunque intenſus non habet rationem virtutis niſi ſit conformis alijs virtutibus, & hoc dictũ impugnat Doct. ſub.

Cæterum hoc ſecundum dictum explicant Thomiſtæ in 1. 2. quæſt. 65. art. 1. vbi quærit D. Thomas an virtutes morales ſint adinuicem connexæ; & notant tres eſſe ſtatus virtutum moralium, primum continentę, in quo paſſiones adhuc vehementes ſunt, & homines vehementer eis reſiſtunt; Alterum temperantiæ, in quo paſſiones iam moderatæ ſunt, & ad ordinem redactæ. Tertium quem vocant heroicum, in quo paſſiones penitus ſunt expurgatæ, aut ſaltem quaſi ſopitæ. Dicunt igitur cum D. Thomas inquit, virtutes eſſe connexas, intelligendum eſſe nõ de virtutibus in gradu continentiæ: quoniam qui habet vnam virtutem imperfectam non eſt neceſſe, vt habeat omnes; nec de virtutibus in gradu heroico, & planè diuino: nam iſtæ virtutes vix reperiuntur in vita mortalium, ſed de virtutibus in gradu ſecundo, in quo habitus acquiſitus habet ſtatum virtutis: Nam homo in eo ſtatu operatur ſciens, & eligens propter ipſum, & firmo ac ſtabili animo, quæ tria conſtituunt verã rationẽ, & ſtatũ vir-
Ariſtot. tutis; iuxta Ariſt. doct. 2. Eth. c. 4. Ita Medina 1. 2. vbi ſupra.
Medina. Hanc ſententiam probant duplici ratione. Primũ quia prudentia eſſe non põ. ſine omnibus virtutibus; niſi n. qs ſit bene affectus circa fines virtutum, prudens eſſe non poteſt, nulla etiã virtus eſſe poteſt ſine prudentia, ergo in vna prudentia, vt recte dixit Ariſt. cæteræ connectuntur
Caietan. virtutes Vel ſic iuxta Caiet. Virtus moralis exigit prudẽtiam, prudẽtia autem exigit omnes tres virtutes morales, ergo omnes virtutes morales ſunt connexæ.

Deinde idẽ probatur hoc modo. Virtus temperantiæ inclinat hominẽ ad proſequendum bonũ, & honeſtũ, in omni euentu, & occaſione, hoc aũt efficere non poteſt ſine præſidio, & conſortio aliarũ virtutum: Nã ſi fœmina. v. g. propoſitũ habeat ſeruandi caſtitatem, niſi habeat virtutem liberalitatis contra auiditatẽ pecuniæ facile vincetur precio, & policitationibus; niſi verò habeat virtutem fortitudinis vincetur minis, & terroribus; ergo vna virtus indiget conſortio aliarum virtutum. Et quamuis mulier, quæ auiditate pecuniæ non ſeruat caſtitatem, magis ſit auara, quam intemperans iuxta doctrinã Ariſt. tamen reuera eſt intemperans, & ita vt conſeruet temperantiam ſeu caſtitatem, quæ eſt pars temperantiæ opus eſt illi liberalitate contra auaritiam, & fortitudine contra timiditatem, & ſic de alijs virtutibus.

Contra hanc ſñiam arguit Doct. noſter ſub. in hac q. ſub litt. A. §. Illud dictũ poſſet &c. Et primo dicit, ꝙ illud dictum ſm D. Thom. poſſet faciliter improbari, ſi virtus moralis eſſet per ſe ens, & per ſe vnum in genere qualitatis; nam tunc non includeret conformitatem, ſeu concordiam ad alias virtutes; ſed quia non credit Scotus, hoc eſſe verum, ſicut demonſtrabit infra, ideo aliter impugnat ſentẽtiam D. Thomæ, & primo ſic ex definitione virtutis. *Reijcitur ſententia. D. Thom.*

Virtus cum omnibus, quæ ſunt per ſe de ratione virtutis generatur ex actibus conformibus rectæ rationi, ita vt vltra naturam actus, vel habitus, rõ actus, vel habitus ſtudioſi non requirit niſi cõformitatem ad rectã rõne; eſt n. virtus habitus inclinans, & facilitans ad actum, ſm iudicium rõnis rectæ; atq; adeo, vt ſit perfecta virtus, habeatque perfectionem virtutis intrinſecã, non requirit neceſſario reſpectum aliquem ad aliam virtutem; Vnde nec in definitione virtutis ponitur aliqua habitudo virtutis moralis ad aliam, ſed ſolum ad prudentiam. Eſt. n. virtus habitus electiuus in medietate conſiſtens, quo ad nos determinata ratione, & vt ſapiens. i. prudens determinabit; ſed ſine concordia aliarum virtutũ concurrentium in eodem operante põt eſſe talis conformitas tam actus, quã habitus ad rectam rõnẽ circa illud, quod eligit, ergo &c. Maior patet ex definitione virtutis; & etiam minor, quia non recte eligit circa materiam temperantiæ, niſi recta ratione præcedente, & dictante de tali eligibili; poteſt autem præcedere dictamen rectum circa materiam vnius virtutis, abſque omni dictamine rationis circa materiam alterius virtutis; ergo &c.

Caiet. 1. 2. q. 65. art. 1. dicit, quod in definitione virtutis cadit recta ratio ſimpliciter, & non ſm quid, atque adeo ex definitione virtutis habetur plane, quod virtutes morales habent connexionem cum prudentia, & quod prudentia habeat connexionem cum omnibus virtutibus moralibus: nam prudentia ſecum ducit omnes virtutes morales; Scotus autem ſupponit in hac ratione, inquit Caiet. in definitione virtutis cadere rationem rectam ſm quid, ſiue ſpecialem prudentiam, quod eſt falſum, ſed hoc non eſſe falſum demonſtrabimus infra art. 9. 10. & 11. *Caietan.*

Secundo ſi virtutes morales ſunt connexæ inter ſe, ita vt virtus moralis in eo, quod virtus perficitur per concomitantiam aliarum virtutum, & conſtituitur in eſſe virtutis ex connexione ad alias virtutes, atque ita habitus vnius pendeat ẽt ab habitu alterius, vt habeat rõnem virtutis, ſequitur habitus ipſos ſibi eſſe mutuo cauſas, vt ſint, & vt habeant rõnẽ virtutis, conſequens aũt eſt falſum, ergo & antecedens; conſequentia probatur: quia ſi habitus temperantiæ non eſt virtus; niſi quia concomitatur alia virtus, puta fortitudo; ergo fortitudo virtus quatenus cõcomitans temperantiã eſt rõ illi habitui eſſendi virtutẽ, & pari rõne ẽ conuerſo, temperantia vt concomitãs erit fortitudini rõ eſſendi virtutem; igitur quælibet erit alteri rõ eſſendi virtutem, atq; ita erit circulus in per ſe dependendo virtutes ab inuicem, quod eſt impoſſibile.

Falſitas conſequentis probatur, quia data eius veritate ſequerentur tria abſurda. Sequeretur primo, quod alia virtus eſſet virtus anteq̃ eſſet virtus, ſecundo quod nulla erit prima virtus, & tertio, quod nulla erit virtus, ſequela primi abſurdi ſic probatur. Accipiamus habitũ illum de genere qualitatis, qui debet eſſe temperantia. Si habitus tẽperantiæ non põt eſſe virtus, niſi concomitante fortitudine, efficitur fortitudinem prius eſſe virtutem, quam tẽperantiam;

Digitized by Google

rantiam; cũque rurſus fortitudo non poſſit eſſe virtus niſi comitante temperantia, conſequitur etiam temperantiam prius eſſe virtutem, quam ſit virtus.

Per idem probatur ſequela ſecundi abſurdi. ſ. quod nulla erit prima virtus: quia non temperantia: quoniam illa non pōt eſſe virtus ſine concomitantia aliarum virtutum habentium rōnē virtutis; Nam ſicut temperantia eſt rō eſſendi virtutem moralem fortitudini; ita è conuerſo, ergo temperantia erit prima virtus, & eadem rōne fortitudo erit prima virtus, quia eſt ratio eſſendi virtutem temperantiæ, atque adeo quælibet erit prima virtus, ac proinde nulla erit prima virtus, & per conſequens nulla erit virtus, quod erat tertium abſurdum.

Quod ſi aliquis probabiliter reſpōdeat, inquit Scotus. Vnum habitum poſſe præcedere, & eſſe priorem alijs ſm rationem habitus, non tamen ſecundum rationem virtutis: quia omnes ſimul habent rationem virtutis ex mutua concomitantia, ſiue prius, ſiue poſterius fuerint acquiſiti.

Contra hoc obijcit iterum Scotus, quia ſequeretur ex vno actu virtutis generari omnes habitus in ratione virtutis; nempe in eo caſu, quo quis haberet reliquos habitus in ſtatu intēſionis ſufficiente ad virtutem, vnum autē habitum nondum haberet in ſtatu illo intenſionis ſufficiente, ille tamen vnico ſolum actu ad talem ſtatum peruenire poſſet: Nam diſpoſitio non in quolibet gradu habet rationem habitus, ſed in certo aliquo, & determinato, & nulla diſpoſitio habet rationem virtutis, niſi peruenerit ad ſtatum habitus; quia habitus eſt genus, aut quaſi genus virtutis. Ponamus modo quod aliquis habeat habitum temperantiæ generatum, & ſimiliter habitum fortitudinis ad ſimilem gradũ; nullus tñ iſtorũ habituum eſt virtus ſecundum D. Thomā, quouſque quilibet habitus ſit in eo gradu, in quo eſt virtus. Tunc ſic, aut quilibet habitus eſt ante alium virtus, vel eſſe pōt, & habetur propoſitum, quod vnus habitus pōt eſſe virtus ſine alio, atq; ita non eſt neceſſaria connexio virtutum: Aut non, ergo omnes habitus per vnicum actum conſtituuntur in eſſe virtutis, quod videtur abſurdum. probatur conſequentia, quia vltimo actu nempe fortitudinis, quo homo intenderet diſpoſitionem fortitudinis antea acquiſitam vſque ad talem gradum, in quo peruenerit iam ad ſtatum habitus, generaret illum habitum in ratione habitus, & virtutis, ex cuius etiam comitantia cęteri habitus inciperent habere rationem virtutis, ac proinde vnico actu generarentur omnes habitus in ratione virtutis, quod videtur abſurdum, abſurditas conſequentis probatur; quia ille actus eſt vnius virtutis; ergo ſicut eſt actus vnius virtutis, ita eſt tantum generatiuus vnius virtutis, atque adeo, non poteſt generare omnes virtutes, explico, quod dictum eſt, exemplo.

Nam ponamus, quod Petrus habeat fortitudinem, vt quatuor, in quo gradu eſt habitus, eſſetq; virtus ſi haberet eam in quinto gradu, ponamus etiam quod habeat tēperantiam, & iuſtitiam, vt quatuor, atque adeo non vt virtutes, ſed vt habitus, quia per hypotheſim habitus in quarto gradu non eſt virtus, ponamus vlterius, quod Petrus eliciat actum intenſiuum temperantiæ, vel ergo acquirit tunc temperantiam, & non fortitudinem, nec iuſtitiam, & ita habetur propoſitum, quod non eſt connexio virtutum, vel per iſtum actum intenſiuum temperantiæ acquirit fortitudinem, & iuſtitiam, & tũc ſequitur, quod actus temperantiæ generabit fortitudinem, & iuſtitiam, & quod ex vno actu virtutis generabuntur omnes habitus in ratione virtutis, quod eſt abſurdum. Caietanus, vt ſoluat hanc rationem multa dicit. *Caietan.*

Tertio arguitur, rationabilius videtur ſpecies eiuſdem generis in virtutibus moralibus eſſe connexas, quam duo genera: quia magis conueniunt duæ virtutes diſtinctæ ſm ſpeciem, quã duæ diſtinctæ ſm genus. Magis. n. inclinatur aliquis ad ſtudioſe agendum ex virtute, q̃ habet circa materiam magis coniunctam materiæ virtutis, quã habet, q̃ circa materiã magis remotã, atqui materiæ ſpecierum eiuſdē generis, ſunt magis cōnexę, quam materię diuerſorũ generũ. v. g. magis ſunt connexæ materia Virginitatis, & caſtitatis vidualis, q̃ materia tēperantię, & fortitudinis. Sed ſpecies eiuſdē generis, nō ſunt connexa; puta Virginitas, & caſtitas vidualis: qa continentia Virginalis non ſtat ſimpliciter cũ continentia viduali, & multo minus cũ cōtinentia coniugali, nec è cōuerſo; ergo multo minus duo genera in eſſe virtutis habent connexionem.

Ad rationes pro ſñia D. Thomæ reſpondetur, & ad primã nego maiorē; Nã eſto, quod omniũ virtutũ moraliũ ſit vna prudentia, qđ eſt falſum, vt videbimus infra, nõ eſt tñ neceſſe, vt vnaquæq; virtus eſſentialiter poſtulet prudentiam cōpletã, & extenſam circa omnē materiã virtutũ, ſed circa ſuã peculiarem; circa, q̃ ipſa verſatur, quare qui prudens eſt in aſſignanda mediocritate materiæ prudentiæ, ſufficientē prudentiã habet pro cōparanda virtute tēperantię; ac proinde non ſequitur, vt qui vnam habet virtutē connexã cũ prudentia, habeat, & reliquas connexas cũ eadē prudētia. Præterquã quod D. Thomas in hac prima rōne duo falſa aſſumit, vt manifeſtabimus infra, primum, qđ prudentia eſſe non poſſit ſine omnibus virtutibus moralibus: alterum, quod omnes virtutes morales ſint neceſſario connexæ cum vna ſpeciali prudentia. *ſoluuntur rationes D. Thomæ.*

Ad ſecundam rationem dico, mulierē quidē caſtã, auaram tñ facilius induci ad amittēdam caſtitatem ſi precio inducatur, q̃ ſi auara non eſſet; ex hoc tñ non ſequi caſtitatem ſine liberalitate, non habere vere, & proprie ſtatũ virtutis; quia tanta pōt eſſe caſtitas, vt facile ēt, & prompte vincat occaſionem, & tentationem illam auaritiæ ex vehemente affectu caſtitatis, ex quo ſi facile, & prompte operatur circa caſtitatē, & abhorret peccatum illi oppoſitum ex fine ipſo caſtitatis, facile ēt vincere poterit tentationem illam auaritiæ. Accedit quod tentatio inſurgens contra virtutem, vinci poteſt ex multis alijs finibus, vt ex timore inferni, neque enim oportet, vt ex amore oppoſitæ virtutis vincatur, ergo neceſſe non eſt cum caſtitate habere virtutem liberalitatis.

Adde quod nulla virtus eſſe poteſt etiam in quouis gradu perfectiſſimo, cui nō poſſit occurrere tentatio aliqua, quæ difficiliorem reddat actionē ipſius, aut ēt vincat hominem, ex hoc tñ non ſequitur virtutem, quæ eſt in illo homine, oblique agere, vt optime notauit Sco. in hac q. ſub littera C. §. Per hoc. aut eum qui habet illã, aut virtutem ipſam non eſſe in ſtatu vero virtutis. Nam ad ſtatum verum virtutis, quæ præſtat, vt prompte, & ſtabili animo operemur, non requiritur ita eſſe potentem, & perfectũ habitum, vt à nulla oppoſita tentatione vincatur homo, aut difficultatē habeat, hoc. n. impoſſibile videtur in hac vita, in qua peregrinantur à Domino, etiamſi in ea quis haberet omnes virtutes ſimul acquiſitas in gradu perfectiſſimo: nunquam. n. tolleretur libertas, quę allici poſſet aliquo obiecto contrario virtuti, vt difficultatem pateretur in victoria illius, aut etiam ei ſuccumberet; ſi Deus etiam non concederet vocationem congruam, qua à peccato detineretur. Quod enim quis non incidat in peccatum non tam habitui virtutis oppoſitæ, quam congruæ vocationi Dei tribui debet.

ARTICVLVS IV.

Vtrum virtutes morales ſint connexæ ſecundum proprietatem.

PRo explicatione tituli obſer. eſt, quod duobus modis intelligere poſſumus virtutes morales eſſe connexas. Vno modo participatione, altero modo proprietate, priori modo dicuntur virtutes connexæ ſimilitudine quadam, ſecundum generales quaſdam rationes. Etenim quatuor ſunt modi operãdi ſtudioſe, qui in qualibet virtute inueniũtur, diuerſis tñ virtutibus appropriãtur; nimirum quatuor cardinalibus. ſ. diſcretio, rectitudo, firmitas, & modus, vel moderatio. Prima conditio (vt docet Baſſolus, hac d. q. vnica art. 1. §. Quantũ igitur ad iſtũ articulum) appropriatur prudentiæ ſecunda iuſtitiæ, tertia, fortitudini, & quarta temperantiæ. Verum in quolibet actu cuiuslibet virtutis hæc quatuor reperiuntur, ita vt hac ratione idem actus videatur participare rationes quatuor virtutum, ſub quibus reliquæ continentur: Nam in quouis actu virtutis eſt diſcretio, in qua aſſimilatur prudentiæ, eſt firmitas animi in operando *Virtutes morales duob. modis dici poſſunt connexæ.* *Baſſolus.*

rando, in qua aſſimilatur fortitudini; eſt etiam rectitudo operationis, & æqualitas cum regula, in qua aſſimilatur iuſtitiæ; & denique moderatio, in qua aſſimilatur temperantiæ. Fortis igitur & operatur diſcretè, & ſic dicitur habere connexam prudentiam, quantum ad modũ, (an autem habeat eam connexam quantum ad habitum dicam inferius) & operatur rectè, & ſic dicitur habere iuſtitiam annexam, non quantum ad habitum, ſed quantum ad operandi modum: & denique operatur moderatè, atque ita dicitur habere quantum ad modum annexam temperantiam. Hanc cõnexionem vnico verbo participationis, indicauit Diuus Hieronymus, loco inferius allegando. *D. Hiero.*

Proprietate dicerentur virtutes connexæ, quæ ſecundũ earũ proprias rationes neceſſario ſe mutuo exigerent, ita vt neceſſe ſit eum, qui vnam habet virtutem, habere reliquas, ſecundum ipſarum propriam rationem: nam generales illæ rationes omnium virtutum, in vna & eadem omnino reperiuntur.

Senſus articuli. Secundo obſeruandum eſt, quod in hoc art. non quærimus, vtrum vna virtus eſſentialiter dependeat ab alia, ſicut omnes eſſentialiter pendent à prudentia: Nam, vt optimè docuit Durandus hac d. q. 3. art. 4. vna virtus moralis non dependet ab alia eſſentialiter, ſicut omnes pendent à prudentia, ſicut à proponẽte obiectum, quod eſſentialiter reſpicit vnaquæque virtus. Sed controuerſia eſt, an virtutes ſint ita inter ſe connexæ, vt vna ſine alia comparari non poſſit. *Durand.*

Opin. Stoicor. In hac autem controuerſia fuit communis opinio Stoicorum, teſte Cicerone in 2. q. Tuſc. & 1. lib. Officior. & 1. de Oratore, virtutes inter ſe ita connexas eſſe, vt qui vna caruerit, cæteris etiam careat virtutibus, quam poſtea ex Scholaſticis ſecuti ſunt Magiſter in 3. d. 36. cap. 1. & 2. Alex. de Ales 4. p. q. 15. in 3. art. 3. ad 3. D. Thom. Caiet. & plerique Thomiſtæ in 1. 2. q. 65. art. 1. atque in ea ſententia fuiſſe videtur Ariſt. 6. Ethic. c. 13. vbi docet, natiuas virtutes ſine prudentia eſſe poſſe. Vocat autem natiuas virtutes inclinationes quaſdam natiuas ad opera virtutis, vt natiuam inclinationem, & indolem ad temperantiam, & ad iuſtitiam; has verò inclinationes, inquit, non eſſe propriè virtutes, quia contingit eſſe ſine prudentia. Subiungit deinde, eam eſſe in moribus propriè virtutem, quæ non eſt ſine prudentia. De connexione autem earum poſt mediũ capios, poſtquam propoſuit quæſtionem, an virtutes ſeparari poſſint, inquit. Hoc enim in naturalibus virtutib. fieri poteſt. Dixerat enim, non eſſe omnes æquè aptos natura ſua ad virtutes, ſubiungit deinde, At in ijs, quibus abſolutè dicitur homo bonus, fieri nequit (nempe, vt ſeparentur inuicem) Sentit ergo diſcrimen eſſe inter natiuas virtutes, & virtutes, quæ propriè ſic appellantur: quia natiuæ ita vniuntur in vna natura, vt vna poſſit eſſe ſine alia, eoquod non omnes natura ſua inclinantur ad omnia opera virtutis, ſed quidam propenſi ſunt ad vnum; alij verò ad aliud genus virtutis, & boni operis: at verò virtutes propriæ, cum non poſſint eſſe ſine prudentia, neque prudentia ſine omnibus virtutibus, & prudentia ſit vna, hoc ipſo, quod quis habet vnam prudentiam, habebit etiã omnes alias virtutes. *Cicero. Magiſter. Alex. de Ales. D. Thom. Caietan. Ariſt.*

Eamdem ſententiam videntur docuiſſe Patres. Nam Diuus Ambroſius libro quinto in Lucam, ſuper illud Lucæ quinto: Beati pauperes, &c. ſub finem ita ſcribit, connexæ igitur ſunt, concatenataq. virtutes, vt qui vnam habeat, plures habere videatur. & libro primo Officiorum, cap. 27. ait. Liquet cognatas ſibi eſſe virtutes. Item Hieronymus in illud Iſaiæ 16. ſuper hoc Venter, &c. habet hæc verba, Philoſophorum ſententia eſt, hærere ſibi virtutes; idem docet in cap. 56. paulo poſt initium: & in epiſtola ad Fabiolam de quadraginta duabus manſionibus filiorum Iſraël, vbi circa manſionem 38. inquit de virtutibus. Hærent ſibi, & inter ſe ita connexæ ſunt, vt qui vna caruerit, omnibus careat. Item Diuus Auguſtinus libro ſexto de Trinitate, c. quarto, in principio, docet, non tantum connexas eſſe inter ſe virtutes: ſed etiam eos, qui æquales ſunt in fortitudine, æquales quoque eſſe in temperantia, prudentia, &c. & in epiſtola 29. qua eſt ad Hieronymum, in qua quærit, quomodo intelligatur illa Diui Iacobi ſententia. Qui offendit in vno, &c. loquens de Catilina dicit, quod fortitudo Catilinæ non erat virtus: quia ſi virtus eſſet, à cæteris virtutibus, tamquam inſeparabilibus comitibus, numquam relinqueretur, lege illam epiſtolam, quæ habetur in prima parte epiſtolarum Diui Hieronymi. Denique huic ſententiæ adſtipulatur Diuus Bernardus primo de conſid. ad Eugenium, ca. 6. vbi dicit, ſuauiſſimum quemdam eſſe complexum virtutum, atque alteram ex altera pendere. *D. Amb. D. Hieron. D. Aug. D. Bern.*

Oppoſitam ſententiam, ſ. virtutes morales in nullo ſtatu eſſe connexas inter ſe, ſed ſingulas in quouis ſtatu eſſe connexas cum prudentia, docent Albertus Magnus in 3. diſtinct. 36. art. 4. Occam in 3. quæſt. 12. in art. 3. Principali; citatur etiam quol. 4. quæſt. 6. at ibi nihil dicit, ſed in illa quæſtione quærit, vtrum audiens prædicationem articulorum fidei, & videns miracula fieri, pro illis acquirat habitum adhæſiuum, diſtinctum à fide, nec in toto libro quolibetorum Occæ potui inuenire hanc quæſtionem de connexione virtutum. Idem docent Franciſcus de May. in 3. diſt. 36. art. vlt. quæſt. 13. Baſſolus eadem d. quæſt. 1. art. 1. Guilelmus Rubion eadem diſt. quæſt. 1. artic. 1. Gabriel quæſtio. vnica, artic. 1. & 2. Almayn. tract. 3. moralium, cap. 8. & 9. & Doctor noſter in hac quæſtione, ſub litera B, §. Quantum ad iſtum art. Qui cum exiſtiment non eſſe vnicam, ſed plures prudentias, vt videbimus infra art. 6. docent, poſſe vnamquamque virtutem eſſe perfectiſſimam cum ſola prudentia ſibi propria, & neceſſaria, & ita in nullo ſtatu etiam perfecto, virtutes vniri inter ſe, etiam ratione vnius perfectæ prudentiæ. *Albert. Occam. Franciſc. Baſſolus. Rubion. Gabriel. Almayn. Scotus.*

Addunt tamen Occam, & Gabriel, omnes virtutes, & ſecundum actum, & ſecundum habitum eſſe ſibi coonexas in principijs quibuſdam communibus: nam omnes operantur eodem modo, nempe propter ipſam honeſtatem virtutis, & ita omnes ad hunc eumdem modum inclinãt, ac proinde qualibet virtus diſponit ad aliam: quia hoc ipſo, quod inclinat in honeſtatem ſibi propriam, inclinat ad hoc, vt eam retineat, etiam in occaſione peccati, contra aliam virtutem, & potius ſequatur homo illam honeſtatem, quam turpitudinem peccati contra aliam virtutem. Quod Almayno non placet, ſed non video qua ratione; Nam etſi actus vnius virtutis factus propter honeſtatem ipſius, poſſit eſſe peccatum contra aliam, & ita ad aliam non diſponere. Verum, quamuis hoc accidere poſſit, vt actus factus propter honeſtatem vnius virtutis, ſit contra aliam, tamen hoc non obſtat, quo minus actus vnius virtutis factus propter ipſam honeſtatem, & cum reliquis omnibus circumſtantijs bonis, & habitus inclinans ad tale opus, non diſponat ad vitandum peccatum contra aliam virtutem. ſed hoc prætermiſſo

Ad quæſt. reſpondeo quattuor concluſ. Prima Concluſ. loquendo de connexione virtutum eſſentiali, nulla virtus eſt connexa cum alia ſecundum rationem habitus, aut ſecundum rationem virtutis. hanc concluſionem optimè probat Durandus in 3. d. 36. q. 3. quia vna virtus non habet ſpeciem ſuam, & eſſentiam ex ordine ad aliam virtutem, ſed ſolum ex ordine ad obiectum per prudentiã propoſitum; ex hoc arguitur ſic. Illæ virtutes, quæ habent obiecta diuerſa in nullo à ſe dependentia, & diuerſos fines particulares, & proprios, qui dant ſpeciem virtuti, & actui eius, non ſunt connexæ eſſentialiter, & immediatè; ſed virtutes morales; ſicut iuſtitia, temperãtia, fortitudo, & aliæ huiuſmodi, habent diuerſa obiecta non connexa directè, & eſſentialiter, & diuerſos fines proprios, vt patet, ergo tales virtutes non ſunt ad inuicem connexæ eſſentialiter, & directè. Hanc concluſionem concedit etiam Caiet. 1. 2. q. 65. art. 1. & 4. vbi ingenuè fatetur, vnam virtutem non pendere ab alia eſſentialiter, quam eſſe etiam D. Thomæ affirmat Valentia tomo 2. diſp. 5. q. 7. puncto 2. 1. Concl. *Duran. Caiet. Valentia.*

Secunda Concluſio. Nulla virtus eſt alteri connexa, ſecundũ proprietatem, hoc eſt, ſecundũ propriam ipſius rationem, ita vt neceſſe ſit eum, qui vnam habet virtutem, habere reliquas, ſecundum ipſarum propriam rationem. Hæc concl. probatur 1. authoritate D. Hier. l. 1. contra Pelagianos, paulo poſt initium, vbi in perſona Critobuli interlocutoris, vt probet pro Pelagianis contra Atticum, q perſonam Hieron. & Catholicorum gerit, hominẽ vitare poſſe oĩa peccata; obijcit hoc modo. Et quõ legimus qui 2. Concl. *D. Hier.*

Digitized by Google

vnam habuerit,omnes videtur habere virtutes? Reſpondet Atticus. Participatione,non proprietate; Neceſſe eſt enim,vt ſinguli excellant in quibuſdam; & tamen hoc,ꝙ legiſſe te dicis,vbi ſcriptum ſit, neſcio. Cui iterum Critobulus ſic ait: Ignoras hanc eſſe Philoſophorum ſententiã? Reſpondet autem Atticus, ſed non Apoſtolorum: neque enim mihi curæ eſt, quid Ariſt. ſed quid Paulus doceat. Eodem etiam loco reſpondens ad illud Iacobi 2. Qui offendit in vno,factus eſt omnium reus,cenſet vt neque vitia connexa eſſe credantur,neque paria. Quo in loco,meo quidem iudicio contendit D. Hieron. Sanctos omnes nõ habuiſſe omnes virtutes ſimul,neque in ſtatu virtutis,ſed aliquas,in quibus excellebant.

D. Aug. Secundo probatur ex D. Aug. in epiſt. 29. vbi ex profeſſo hanc quęſtionem diſputat,ſi attentè legatur,docet virtutes haud eſſe connexas. Nam poſtquam dixit contra Stoicos, etiamſi virtutes connexæ eſſent,nihilominus nõ fore æqualia peccata,poſt medium epiſtolæ ſubdit. Si autem quod puto eſſe verius, ſacriſq. litteris congruentius, ita ſunt animæ intentiones,vt corporis membra,nõ quod videantur locis,ſed quod ſentiantur affectibus,& aliud illuminatur amplius,aliud minus, aliud omnino caret luce,& tenebroſo vmbratur obſtaculo,profecto ita vt quiſque illuſtratione piæ charitatis affectus eſt, in alio actu magis,in alio minus,in alio nihil, ſic poteſt dici habere aliam,& aliam non habere, aliam magis,aliam minus habere virtutem. Et paucis interpoſitis;& in ipſo vno homine,quod maiorem habuit prudentiam, quam patiẽtiam, & maiorem hodie, quam heri, ſi proficit,& adhuc non habeat continentiam, & habeat non paruam miſericordiam.

D. Bern. Tertio probatur ex D. Bernardo, qui ſermone 70. ſuper Cant. ſub finem oſtendens, quomodo ſponſus paſcatur inter lilia,inquit. Magnus eſt,qui tria,vel quatuor lilia ædificare poterit in tanta ſpinarum denſitate, id quod deinceps eleganter proſequitur; loquitur autem de virtutibus ſponſi,id eſt,Chriſti,& iuſtorum,affirmans in Chriſto omnes fuiſſe virtutes, ac proinde paſci inter lilia; in iuſtis autem,non omnes. Nam quem,inquit,dabis mihi de filijs captiuitatis,adeo innocentem,et ſanctum,qui totam terram ſuam florib. occupare potuerit, & iſtiuſmodi floribus. Nec infans certè vnius diei, ſine ſorde eſt ſuper terram,& ſtatim ſubdit verba proximè allegata, Magnus eſt qui tria, &c.

Deinde probatur ratione Sco. loco ſupra citato. Quia vna virtus eſt aliqua perfectio hominis non totalis: quia alias ſufficeret vna virtus moralis,& in vnica virtute conſtaret tota hominis perfectio. Tunc ſic quandocumque ſunt plures perfectiones partiales eiuſdem perfectibilis, poteſt idem perfectibile eſſe ſimpliciter perfectum ſecundum vnam perfectionem in ſummo, & ſimpliciter imperfectum ſecundum aliam, ſed virtutes morales ſunt perfectiones partiales hominis, ergo poteſt homo eſſe perfectus ſecundum vnam ſimpliciter in ſummo, & ſimpliciter imperfectus ſecundum aliam,atque adeo virtutes morales non ſunt connexæ.

Maior patet in homine, cuius eſt habere plures perfectiones organicas, qui poteſt habere vnam perfectionem in ſummo,nihil habendo de alia, vt eſſe ſummè diſpoſitũ ad viſum,vel guſtum, nihil habẽdo de olfactu,& auditu, igitur poteſt aliquis habere perfectionem reſpectu materiæ temperantiæ, nihil habendo de perfectione, quæ requireretur reſpectu materiæ alterius virtutis, atque ita poteſt eſſe ſimpliciter temperatus,etiã quantum ad quẽcumque habitum temperantiæ, etſi non ſit fortis.

Caietan. Caietanus reſpondens huic rationi,dicit, maiorem eſſe falſam, ſi eſt vniuerſalis, vt eſſe debet. Sunt enim multæ perfectiones partiales connexæ, licet non omnes ſint connexæ. Intellectus enim & voluntas connexa ſunt, viſus, & auditus non: Cæterum hæc reſponſio nulla eſt: quia Scotus loquitur de perfectionibus, quæ natura ſua ſeparari poſſunt à proprio ſubiecto: intellectus autem & voluntas ſunt perfectiones ab anima, & à ſe inuicem inſeparabiles,cum ſint idem realiter cum anima, & inter ſe, atque ita non poteſt anima carere perfectione intellectus, volũtate retenta,nec è conuerſo; ſed dicit Valentia,quod

Valentia. in hoc ſenſu intellecta ratio Scoti tantum concludit vnã virtutem poſſe eſſe ſine altera, atque adeo afficere potentiam ſecundum eſſentiam ſuam,nõ autem ſecundum ſtatum perfectum virtutis,qui ſtatus in hoc conſiſtit,vt virtus ob nullius generis difficultatem, ſiue in materia propria, ſiue extranea deficiat ab officio recto ſecundum rationem formalem ſui obiecti, ſed immutabiliter, & certo illud quouis in caſu exequi valeat. Sed contra poteſt aliquis ſe exercere circa materiam vnius virtutis, atque ita circa illam acquirere habitum virtutis; cum virtus moralis ideo dicatur, quia acquiritur ex more,& tamen poteſt numquam ſe exercere circa materiam alterius virtutis, vel quia ſe numquam obtulit occaſio, vel quia non poteſt,vt qui ſe exercet circa caſtitatem coniugalem,qui nõ poteſt ſe exercere circa virginitatem;& ſimiliter Religioſus, qui vixit in Religione per triginta annos in caſtitate ſumma, iam adeptus eſt habitum caſtitatis,ſaltem in gradu perfecto temperantiæ, & tamen non habet virtutem iuſtitiæ, nec circa commutabilia, nec fortè circa gradus, & honores diſtribuendos, ſi non fuit Prælatus, atque adeo ex parte ſaltem, qua iuſtitia habetur in præſidentia, illam non habet, ergo nec etiam ſecundum ſtatum perfectum ſunt connexæ virtutes.

Reſpondent,quod vna virtus ſine alia non faciliter inclinat ad ſtudioſè operandum in omni euentu,& ideo nõ eſt perfecta virtus. Nam ſecundum hanc opinionem non dicuntur virtutes morales ex eo, quod requiratur certa intentio habitus, quæ non poſſit haberi ſine alijs virtutibus,ita vt minor intenſio non dicatur virtus,quia talis intenſio etiam ſi requiratur ſumma, poteſt haberi per frequentiſſimam operationem,& exercitationem circa materiam vnius virtutis ſine alijs virtutibus, v. g. vt habitus temperantiæ ſit virtus,non requiritur neceſſario certa intenſio,quæ non poſſit haberi ſine habitu fortitudinis, & iuſtitiæ: imo poteſt acquiri tanta intenſio in habitu temperantiæ ſine habitu fortitudinis,ſicut cum habitu fortitudinis, vt Petrus in habitu temperantiæ poteſt peruenire ad ſummum illius habitus, qui tamen non diceretur virtus ſine alijs virtutibus. Sed dicuntur connexæ, quia ad eſſe virtutis requiritur,quod talis habitus in omni euẽtu faciat faciliter operari:ita.ſ.vt temperantia, v.g. non ſolum deuicta difficultate, quæ oritur ex concupiſcentia, (contra quam propriè pugnat) ſed etiam compreſſo & neglecto timore (quem fortitudo cohibet) præſtet officium ſuum in materia delectabili: quod vtique præſtare non poterit, niſi ſibi connectatur habitus fortitudinis & iuſtitiæ;atque adeo non ſtat,quod talis habitus ſit virtus, niſi connectatur cum altero habitu; ita explicat Valentia ſententiam D. Thomæ,an verò ad mentem ipſius D. Thomę iudicent Thomiſtæ. *Valentia.*

Cæterum contra hanc explicationem Valentiæ arguitur; quia ex ea ſequitur,ꝙ nullus habitus ſit virtus, niſi ſit iam in gradu heroico,& niſi habeat quemcumque habitum cuiuſcumque virtutis in gradu heroico,quod Thomiſtæ vix admittunt. Nam dicit Medina, quod virtutes *Medina.* in gradu heroico vix reperiuntur in vita mortalium. probatur conſequentia. Nullus eſt habitus faciens faciliter operari in omni euẽtu,niſi ſit in gradu heroico, ergo &c. probatur antecedens. Quicumque habitus,qui non eſt in gradu heroico,ſi eueniat caſus excedens communem hominum facultatem, non facit faciliter operari, quia ſi ſic iam erit in gradu heroico;nam gradum heroicum vocãt, in quo paſſiones penitus ſunt expurgatæ,aut ſaltem quaſi ſopitæ, at nulla virtus eſſe poteſt citra gradum heroicũ, etiam in quouis gradu perfectiſſimo, cui non poſſit occurrere tentatio aliqua, quæ difficiliorem reddat actionem eius, atque etiam vincat hominem, vt diximus ſupra. ergo ex ſententia Valentiæ, ſi ad eſſe virtutis requiritur quod dictum eſt, ſequitur illatum, ſcilicet, quod nullus habitus ſit virtus,niſi in gradu heroico, & niſi habeat ſecum habitus aliarum virtutum,&c. etiam in gradu heroico conſtitutos,quod eſt contra Ariſtot.& contra veritatem.

Sed reſpondebit fortè aliquis, ꝙ ad hoc, ꝙ habitus dicatur virtus,non requiritur,quod in omni euentu faciat quod nulla inſurgat paſſio, ſed quod in omni euentu non inſurgat paſſio, quam non ſit multum difficile ſuperare, ſed quod ſit facile. Contra ergo ad minus temperan-

Digitized by Google

petantia,& fortitudo non ſunt connexæ cum iuſtitia, probatur ſequela; quia illis habitis non eſt habilis caſus, in quo habitus iam habiti ſine iuſtitia non inclinēt ad faciliter operari circa materiam temperantiæ, & fortitudinis ſine iuſtitia, & quin faciliter in quocumque caſu operetur. At dicunt ipſi communiter, quod datur talis caſus, ſ. quando virgini offeruntur maxima munera, vt conſentiat libidini, ſimiliter quando forti offeruntur grādia munera, ne ſubeat pericula belli, tunc ſine iuſtitia eſſet iſtis valde difficile operari. Sed profectò, ſi talis virgo ſit temperata, & alter ſit fortis, facile erit eis non acceptare munera; vt notum eſt.

3. Concl. Tertia Concluſio. Non poteſt homo politicus eſſe perfectus vniuerſaliter, niſi habeat ſimul omnes virtutes morales. hæc concluſio eſt Scoti in hac q. loco ſup. allegato; & declaratur in naturalibus; Nam ſicut nullus eſt perfectus ſecundum perfectionem potentiarum organicarum niſi habeat omnes; quia non eſt perfectè ſentiens ſimpliciter ſine omnibus ſenſibus, ita non eſt homo ſimpliciter moralis, niſi habeat ſimul omnes virtutes morales; Cæterum, ſicut non audiens, non eſt minus perfectè videns, licet ſit minus perfectè ſentiens, ita habens temperantiam, & non alias virtutes, non eſt minus perfectè temperatus, licet ſit minus perfectè moralis. Ex hoc ſequitur primo, quod loquendo de virtutibus moralibus, ſecundum earum rationes formales, & in ſtatu virtutis ſimpliciter, non ſunt neceſſario connexæ: quia vna etiam in gradu perfecto virtutis haberi poteſt ſine alijs: ſi verò loquamur de virtutibus moralibus in ordine ad perfectibile, & ſecundum earum perfectionem extrinſecam, & accidentalem, quę magis debet dici perfectio habentis eas, quam ipſarum perfectio, ſi perfectibile debeat dici perfectum ſimpliciter in genere moris; virtutes morales ſaltem compoſſibiles in eodem ſunt connexæ: quia perfectibile non eſt perfectum in genere moris, niſi ſit perfectum ſecundum omnes virtutes.

Secundo ſequitur cæteris paribus multo perfectiorem eſſe virtutem cum comitatu aliarum omnium, quam aliquarum tantum, aut quam ſi ſola eſſet: quia virtutes omnes, vt dixit Scotus, mutuo ſe iuuant ad ſuperanda cōtraria, & ita hoc modo vnaquæque minora, & pauciora habet impedimenta, & in hoc ſtatu cæteris parib. perfectiſſimo, oēs virtutes connexas eſſe, nemo eſt, qui ambigat; & in hoc ſenſu quidam interpretantur ſententiam D. Tho.

4. Concl. Quarta Concluſio. Omnes virtutes participatione cōnexæ ſunt. hæc concluſio eſt D. Hier. & in principio art. explicata fuit.

Ad ea, quæ poſita ſunt pro oppoſita ſententia, dico, ꝙ ex eo Stoici dixerunt, omnes virtutes morales eſſe connexas: quia exiſtimabant, virtutes non poſſe eſſe, niſi in diuiſibili, & quod per abſentiam vnius virtutis in homine eſt in ipſo vitium, & quodlibet vitium impedit virtutem, ne ſummum attingat, quod attingit virtus attingendo pūctale medium, atque adeo dixerunt, virtutem non poſſe eſſe cum carentia alterius. Cæterum hæc poſitio Stoicorum falſa eſt, quia nullus hoc modo haberet virtutē; falſum eſt etiam, quod per abſentiam alicuius virtutis in homine, neceſſe ſit eſſe in eo vitium.

Ad teſtimonium Ariſt. reſpondeo, ipſum ſolum dixiſſe, Virtutes omnes connexas eſſe cum vna prudentia: quo modo autem debeat intelligi, explicabimus infra art. 10. vbi eſt proprius locus.

Ad teſtimonium D. Ambr. dico, illum non affirmaſſe, eum qui habet vnam virtutem, habere etiam omnes, ſed habere plures, eo quod vna maximè diſponit ad alias, vt
Io. Maior. docet Io. Maior. in 3. d. 36. q. 4. conc. 1. & 2. loquebatur autem D. Amb. de beatitudinib. ex hoc tñ non ſequitur, oēs virtutes eſſe neceſſario connexas; ita vt vna ſine alijs, non poſſit ad ſtatum veræ, & perfectæ virtutis peruenire.

Ad D. Hieronymum reſpondetur, aut illum non fuiſſe locutum in illis locis ex propria ſententia, ſed Philoſophorum, quam ibi exactius examinare non curauit; aut ſolum illud intellexiſſe de connexione virtutum participatione, non proprietate, cum diſputans de ea ex profeſſo, lib. 1. contra Pelagianos, dixerit, Virtutes quidem connexas eſſe participatione, non proprietate, vt ſup. vidimus id, quod nos etiam conceſſimus.

Ad D. Aug. Henricus pro viri bus contendit reſpōdere. Verum locus ille ex lib. 6. de Trinit. vix poteſt explicari, quin ſentiat virtutes connexas eſſe. Verum ibi obiter id dixiſſe videtur, cū oppoſitū ex intentione doceat Epiſt. 29. vt vidimus ſupra. Quare exponendus eſt, vt expoſuimus Hieronymum, ne etiam ſibi contraria diceret.

Ad D. Bernardum eodem modo dicimus, ipſum non loqui de connexione virtutum ſecundum proprietatem ſed ſecundum participationem, hoc eſt, de connexione ſecundum quaſdam communes rationes virtutum, quæ in vno eodemque actu reperiuntur; non autem ſecundum proprias, & peculiares rationes earum: Ipſas verò ſecundum proprietatem, hoc eſt, ſecundum proprias rationes non eſſe connexas manifeſte videtur docuiſſe ſermone illo 70. ſuper Cant. ſuperius allegato.

ARTICVLVS V.

Vtrum habitus genitus ex rectis dictaminibus ſine virtute morali in voluntate ſit prudentia.

SEnſus tituli eſt. Poſito quod intellectus Petri frequenter dictet eſſe caſte viuendum, Petrus tamen perſeueret incontinēs, & intemperans; atque adeo in eius voluntate non eſt virtus temperantiæ; an habitus genitus in intellectu Petri ex illis pluribus dictaminibus inclinans intellectum ad dictandum de caſte viuendo ſit prudentia. Senſus articuli.

Vnde obſeruandum eſt, quod prudētia biſariam ſumi poteſt, vt diximus ſupra de prudentia loquentes. Primo generatim pro omni notitia veri, præſertim quæ aliquo modo ad rectè viuendū pertinet, & hoc modo D. Ambr. lib. 1. officiorum cap. 24. dixit, Prudentiā in veri inueſtigatione verſari, & ſciētiæ plenioris infundere cupiditatem, & hoc modo acceptā comprehendit etiam fidē, & vniuerſam Theologiā, & ſæpe in ſcripturis ſapientia appellatur, & in hac ſignificatione non loquimur de prudētia in hoc art. Secūdo ſumitur ſpeciatim, & propriè pro habitu intellectus proxime morū directiuo, & hoc modo ſumitur hic. Prudentia biſariā ſumitur. *D. Amb.*

Hoc ſuppoſito de hac re fuit ſententia D. Thomæ 1. 2. q. 58. art. 5. & Hen. de Gand. quol. 5. q. 16. quod prudētia non eſt ſine virtute morali; atque adeo iuxta ſententiā D. Thomæ. Nullus habitus dictatiuus de quouis agibili dicitur eſſe prudentia niſi in voluntate ſit electio bona, & recta, conformis illi habitu ex rectis dictaminibus generato; atque ita ſine virtute morali in voluntate. *D. Thom. Henricus.*

Pro intelligentia opinionis D. Thomæ obſeruandū eſt, quod D. Thomas aſſignat prudētiæ tres actus, qui cōiter appellātur eubolia, ſyneſis, & gnome. Eubolia, inquit, eſt actus, quo bene conſiliamur; ſyneſis eſt iudiciū de agendis ſecundum cōem legem; gnome eſt præcipere ſecundum ipſam rationem naturalē in his, in quibus deficit lex cōis. Ita vt primus actus prudentiæ ſit conſiliari, ſecundus iudicare, tertius eſt præcipere, & iſte vltimus actus. ſ. præcipere ſecundū D. Thom. vocatur propriè prudentia, vnde 1. 2. q. 52. art. 6. dicit, quod iſti tres actus diſtinguuntur realiter ab inuicē, & ſic ſe habent, vt ſemper poſterior ſit principalior priore; Quare eubolia, id eſt, rectè conſiliari ſeu rectè inquirere, eſt actus prudentiæ minus principalis, quā iudicare, etenim ille actus non eſt niſi propter ſecundū, id eſt, propter iudicare, imo qñ habetur iudicium nō eſt amplius opus inquiſitione, atq; adeo primus actus eſt propter ſecundum, id eſt, propter iudicare. Vltra aūt hunc actum ſecundum ponitur tertius perfectiſſimus, ſcilicet præcipere, cuius ratio eſt, quia cū actu ſecūdo ſcilicet cū iudicare ſtat peruerſitas in affectione, alias non poſſet quis agere contra conſcientiam, & iſte eſt proprius actus prudentiæ, ſcilicet præcipere, cum quo non ſtat peruerſitas, & habitus inclinans ad iſtum actum eſt habitus principalis prudentiæ, qui connectitur cū virtutibus moralibus, quem non ſtat eſſe ſine virtute morali.

Secundo obſeruandum eſt, quod tota controuerſia in hac quæſt. inter Scotum, & D. Thomam pendet ex vario, & diuerſo modo accipiendi prudentiam. Nam prudētia biſariam accipi poteſt. Primo modo pro recta ratione agibilium, id eſt, pro iudicio practico oſtenſiuo tantum ſeu indicatiuo dictante vere, & rectè de agibilibus, Nodus cōtrouerſiæ.

non curando, an ſit cõforme recto appetitui, an nõ modo ſit vniuerſale, modo particulare, habitum per ſyllogiſmũ practicum, aut per experientiam, aut per alium quemcũque modum, vt eſt iſta propoſitio, Omne mendacium eſt fugiendum, & huiuſmodi. ſecundo modo capitur prudẽtia pro recta ratione agibilium conformi recto appetitui, vt habetur 6. Ethic. id eſt, prout eſt iudicium actuale practicum de agibilibus rectum vniuerſale, vel particulare, habens ſibi coniunctum appetitum rectum, id eſt, rectam electionem.

Si ſumatur prudentia priori modo, D. Thom. & ſequaces dicunt, quod non eſt propriè prudentia: quia ſicut nõ eſt propriè virtus moralis, ita nec propriè dicitur, nec eſt prudentia, quæ eſt vna de virtutibus moralibus propriè ſumptus, ſed potius dicitur ſcientia moralis, quam prudẽtia, de quo Caieta. 1. 2. q. 58. ar. 5. & q. 66. ar. 3. vbi latè tractat hanc materiam. Scotus verò in hac q. Occam. in 3. q. 12. Gab. in 3. d. 36. q. 1. dub. 3. Baſſol. ead. d. q. 1. ar. 2. Rub. ead. d. q. 2. ar. 1. Angeſtus in mor. c. 11. & Almayn in mor. tract. 3. c. 4. & alij dicunt, quod ſic, quia eſt principium regulatiuum actuum, ſeu virtutum moralium, quamuis ipſa non ſit propriè, & formaliter, ſed tantum materialiter virtus.

Caietan. Scotus. Occam. Gabriel. Baſſol. Rubion. Angeſt. Almay.

His obſeruatis ſententia D. Thom. põt 5. concl. explicari. Prima Concl. Habitus dictatiuus de aliquo agibili ſine virtute morali in voluntate, non poteſt appellari prudentia. Probatur concl. ex Ariſt. 6. Ethi. c. 2. vbi definiens quid ſit prudentia, inquit. Prudentia eſt recta ratio confeſſè ſe habens appetitui recto; appetitus autem non eſt rectus ſine virtute morali, vt patet ibi, ergo habitus dictatiuus nõ eſt prudentia, niſi ſit concors appetitui recto, id eſt, virtuti morali. Et ſi hoc eſt verum, non tantum prima dictamina circa principia agibilium eſſent recta, & tamen non eſſent prudentiæ, ſed quaſi quædam ſeminaria prudentia; ſed etiam circa media neceſſaria ad finem præſtitutum à voluntate, eſſet aliquis habitus rectè dictatiuus, & tamen non eſſet prudentia; poſſet ergo poni duplex habitus, dictatiuus rectus circa agibilia, & neuter eſſet prudentia. Vnus quidem, qui præcederet rectam electionem finis in particulari, & ille non eſſet prudentia. Poſt aũt finis boni electionem, nedum in communi, ſed & in particulari, poſſet eſſe alius habitus rectè dictatiuus de his, quæ ſunt ad finem, ſed non habẽs ſecum electionem rectam, tamquam concomitantem, vel etiam cauſantem ſecundum D. Th. & ille habitus quantum eſt ex parte obiecti, eſſet prudentia: eſſet enim recta ratio circa ea, quæ ſunt ad finem, ſed deficeret et altera conditio, quia non eſſet concors appetitui recto circa idem obiectum.

1. Concl.

Sequitur ergo ſecundum D. Thomam, quod quicumque habitus generatur in intellectu, licet practicus & rectus, & hoc ſiue circa finem vniuerſalem, ſiue particularem, ſiue circa media neceſſaria ad conſequendum finem illum particularem electum; ſi non concomitetur recta electio voluntatis circa eadem, non eſt prudentia.

Et ſi arguatur contra hoc, ſicut argutum eſt contra connexionẽ virtutum moralium, nempe, quod in iſta concordia habitus dictatiui cum recta electione ſequeretur, prudentiam conſtituere virtutem moralem, & è conuerſo, atque ita per vnum actum vltimatè generaretur vterque habitus, ſ. prudentia, & virtus moralis; atqui ille actus nõ poſſet eſſe intellectus, & volũtatis ſimul; ſed præcisè alterius, ergo non poſſet eſſe vtriuſque habitus productiuus. Hoc quod dictũ eſt, explicatur exẽplo. Sit v. g. in intellectu Petri rectum dictamen, vel habitus dictatiuus, quod eſt caſtè viuendum, abſque temperantia in voluntate; ille habitus iuxta hanc ſententiam, non eſt prudentia; ſit ex altera parte habitus temperantiæ in voluntate, ſine prudẽtia in intellectu eiuſmodi habitus nõ eſt virtus moralis, ſed pono, quod exiſtente habitu dictatiuo in intellectu, accedat bona electio in voluntate, ſequitur, quod illa bona electio faciet habitum illum eſſe prudentiam, atque etiam temperantiam eſſe virtutem. Nam volo, quod temperantia in voluntate ſit in quarto gradu, in quo non eſt virtus, ſed in quinto. ergo illa electio, quæ intẽdit temperantiam vſque ad quintum gradum, conſtituet temperantiam in eſſe virtutis, ac etiam habitum dictatiuum in intellectu, in eſſe prudentiæ, & è contra dicatur de habitu dictatiuo intellectus, v. g. ſit in voluntate temperantia in 5. gradu ſine prudentia in intellectu, temperantia non eſt virtus; accedente autem recto dictamine intellectus erit virtus; ergo per vnicum dictamen rectum intellectus, conſtituitur habitus dictatiuus in eſſe prudentiæ, & temperantia in eſſe virtutis moralis, quod videtur abſurdum.

Reſpondet Doct. & primo dicit ad materiam, quod nõ eſt neceſſaria conformitas vnius virtutis moralis ad aliam; quia nulla eſt reg. alterius, ſed cuiuslibet virtutis eſt neceſſaria conformitas ad prudentiam, quia in definitione virtutis ponitur, quod eſt habitus electiuus ſecundum rectã rõnẽ: Nã prudentia in intellectu, & virtus moralis in voluntate, ſe habent ſicut regula eſt regulatum: habitus. n. dictatiuus de caſtè viuendo, & reg. caſtitatis, & ideo poteſt eſſe conſtitutio per modum concomitantis, tam ipſius habitus moralis per prudentiam, quam è conuerſo, ſed hoc fieri nequit reſpectu virtutum moralium inter ſe: quia vna non eſt regula alterius, vt fortitudo non eſt regula tẽperantiæ, nec è conuerſo.

Et tunc concederetur, quod ſimul generaretur aliquis habitus in ratione prudentiæ, & alter habitus in rõne virtutis moralis per actum vnum, qui generaret vltimatè, tam virtutem moralem, quam prudentiam. Inconueniens quidem eſt in moralib. virtutib. quod vnus actus vltimatè generet duas virtutes morales: ſed hoc non eſt incõueniens in temperantia, & prudẽtia, quia ille actus, qui generat prudentiam in ratione regulatiui, generat temperãtiam in ratione regulati: Non hẽt autem rõnem virtutis, niſi in rõne regulati. i. niſi ſit conformis rectæ rõni, & ideo generat temperantiam in rõne virtutis. Non poteſt autem ſic dici comparando eam. ſ. temperantiam ad fortitudinem; quia fortitudo non eſt reg. eius, atque adeo non obſtat, quod idem actus per concomitantiam generet prudentiam, & ex cõſequenti virtutem moralem in eſſe virtutis; licet benè repugnet, quod idem actus generet duos habitus in ratione habitus, & qualitatis. Quemadmodum, etſi ego exiſtens Arretij non poſſum producere album Romæ in ratione albi, poſſum tñ producere album in rõne ſimilis; producẽdo Arretij vnum album. Et eſt aliud exemplum in doctrina Scoti. Pono, quod Petrus habeat iudicium erroneũ in intellectu. v. g. Non eſt à me caſtè viuendum, & ſit continuum iudicium illud per mediam partem horæ, & tamẽ eius voluntas oppoſitum eligat, ſ. caſtè viuere, & cõtinuet hanc voluntatem per totam horam, electio illa per primã mediam horæ partem non eſt virtus; quia non habet iudicium rectum dictans intellectui de caſtè viuendo: deinde pono, quod pro 2. parte horæ habeat iudicium rectum, quod eſt ſibi caſtè viuendum; tunc pro illa 2. parte horæ electio illa erit virtus: quia eſt concors recto iudicio dictanti illã: ergo vnus & idem actus conſtituet virtutem moralem caſtitatis, & habitum prudentiæ in eſſe prudentiæ per concomitantiam. Et hoc poſito diceretur, quod non conſtituunt ſe mutuo in eſſe virtutis per aliquam prioritatem, quaſi vna ſit prius virtus, quam faciat aliam eſſe virtutẽ, ſed ſimul natura eſt habitus intellectualis prudentia, & habitus moralis virtus.

Et ſi quæratur tunc, per quid generantur iſti habitus, in eſſe perfecto, concedo, quod per vnum actum, ſiue actus ille ſit recta electio, quia abſque recta electione finis habitus intellectualis nõ eſt concors appetitui recto, ideo nec prudentia, ſiue actus ille ſit intellectus, id eſt, rectum dictamen intellectus; quia abſque recto dictamine, nõ eſt electio concors rationi rectè, ac proinde nec ſtudioſa, nec generatiua virtutis moralis; atque adeo, tam actus intellectus, ſ. rectum dictamen, quam actus voluntatis, id eſt, recta electio generando aliquid per ſe in eſſe naturæ, poteſt concomitater generare illud in eſſe relatiuo, & vlterius concomitanter ſuum correlatiuum, verbi gratia, Si ſit in intellectu Petri habitus dictatiuus ſine temperantia in voluntate, quia volo, quod in eius voluntate ſit temperantia in quarto gradu, in quo gradu non eſt habitus, qui poſſit eſſe virtus, ſi voluntas iterum èligat temperatè viuere; illa noua electio conſtituet temperantiam in eſſe naturæ, ſ. habitus, qui poteſt eſſe virtus, ac etiam in eſſe relatiuo, id eſt, in eſſe virtutis per ſe, et concomitanter habitum illum dictatiuum in eſſe correlatiui, quia ſicut conſtituit temperantiam in eſſe regulati,

quod

Digitized by Google

quod eſt eſſe virtutis, ita habitum illum dictatitum in eſſe regulatiui, & ita in eſſe prudentiæ. atque adeo vnus actus generabit ſimul natura, virtutem moralem, & eius prudentiam.

Et ſi quæratur. Ille habitus dictatiuus exiſtens in intellectu, ſine virtute morali in voluntate, ſi non eſt prudentia, quomodo appellabitur. Dicit Scotus, quod vterque habitus præcedens electionem rectam, id eſt, habitus dictatiuus de fine eligendo, & habitus dictatiuus de medijs ad finem; eſſet quidam intellectus ſcientiæ moralis, ſiue quædam ſcientia moralis. Sicut in factibilibus Artifex differt ab Experto: quia Artifex ſcit propter quid, & Expertus tantum quia; vt patet, primo Met. in proœmio. Artifex non eſt promptus in agendo; Expertus autem promptus eſt, vt habetur ibidem. v.g. Sit aliquis, qui dedit operam Medicinæ, ſed numquam exiuit in actu practico, atque adeo non eſt expertus. hic habet vtique notitiam aut ſcientiam Medicinæ, ſed neſcit promptè iudicare de morbis; habitus ille experimentum appellari non poteſt, ſed diceretur ars, vel ſcientia practica. Ita in propoſito, in moralibus habens habitum rectum principij, vel concluſionis, non autem exercitatus in operando, vel dirigendo circa agibilia, licet habeat habitum directiuum remotũ, qui habitus poteſt dici intellectus, vel ſcientia moralis; intellectus, ſi eſt principiorum; vel ſcientia, ſi eſt concluſionũ; non tamen habet habitum directiuum propinquũ, qualis eſt prudentia, & qualis in factibilibus eſt habitus experientiæ. exemplum, Petrus habet plura dictamina, quod eſt caſtè viuendum; ſed tamen intemperatè viuit, in intellectu eius ex illis dictaminibus generatur habitus quidã, qui tamen non eſt prudentia, ſed ſcientia practica: quia non habet virtutem moralem ſibi correſpondentem.

2. Concl. Secunda Concluſio D. Thomę eſt. Habitus dictatiuus de fine in vniuerſali non eſt prudentia, probatur. Prudentia eſt habitus conſiliatiuus, & diſcurſiuus, at conſilium non eſt de fine, ſed de his, quæ ſunt ad finem, ſimiliter & diſcurſus, ergo habitus dictatiuus de fine in vniuerſali non eſt prudentia, quia prudentia eſt circa ordinata ad finem, cum ſit habitus conſultiuus, & diſcurſiuus.

3. Concl. Tertia Concluſio. Habitus dictatiuus de fine in particulari, non eſt prudentia. probatur ſicut præcedens concluſio: quia prudentia non eſt de fine in particulari, ſed de medijs ad finem; quia eſt habitus conſiliatiuus, & conſilium non eſt reſpectu finis.

4. Concl. Quarta Cõcluſio. Habitus dictatiuus de medijs in intellectu, cui in voluntate non correſpondet virtus moralis, non eſt perfectè prudentia, quia non eſt concors appetitui recto, cũ appetitus nõ ſit rectus ſine virtute morali.

5. Concl. Quinta Concluſio. Habitus dictatiuus de medijs ad finem in intellectu, cui in voluntate correſpondet virtus moralis, eſt verè prudentia, & in hac concluſione concordat Scotus cum D. Thoma; in alijs verò ab eo diſſentit.

Opin. Scoti explicatur. Vnde in hac qu. ſub lit. H, & I, §. Aliud dubium eſt, & vbi refert & impugnat hanc ſententiam D. Thomæ, licet dicat illam eſſe probabilem, oppoſitum tamen dicit eſſe probabilius. Pro intelligentia opin. Scoti obſer. eſt 1. Non eod. modo Scholaſt. & Ariſt. de elect. fuiſſe loquutos. Ariſt. n. 6. Ethi. c. 9. 12. & 13. voluntatẽ finis, quam Doctor. communiter appellant intentionem, appellauit propoſitũ & eamdem 3. Ethi. c. 2. vocauerat voluntatem. Finem aũt circa quem dicit verſari propoſitum, ſumit Ariſt. non pro ratione boni contracta in materia ſingulari, ſed vt abſtracta ab omni materia, nempe pro honeſtate temperantiæ, ſecundum ſe, & cuiuſcunque alterius virtutis. Docet. n. eod. c. 12. Ariſt. propoſitum rectum fieri à virtute, rectã verò electionẽ à prudentia; quare prius putat eſſe bonũ propoſitum profectũ ex ſolo bono affectu virtutis, quam prudentiã. Cum verò dicit Ariſt. electionem rectam fieri à prudentia, eamq. diſtingui à recto propoſito, per electionem non intelligit ſolum voluntatem mediorum, in quib. non eſt bonitas finis primariè, & tamquam in propria materia: ſed intelligit voluntatem materiæ ipſius, in qua honeſtas, aut bonitas finis primariè ponenda eſt, vt eam conſequamur; hanc doctrinam expreſſe tradit Scotus in hac. q. §. Licet iſtud videatur. Ariſt. igitur vocat electionem, quam dicit fieri ex conſultatione prudentiæ, tũ voluntatem circa ordinata ad finem, ſicut dixit 3. Ethic. c. 2. electionem eſſe eorum, quæ ſunt ad finem. Tum etiam vocat electionem voluntatem circa materiam ſingularem propriam virtutis, in qua primariè reperitur honeſtas virtutis, vt voluntatẽ bibendi, & comedendi in hac menſura: quia ita per conſultationẽ prudentiæ iudicatũ eſt. Scholaſtici verò per electionẽ intelligũt ſolã voluntatẽ eorũ mediorũ, q̃ iudicãtur vtilia ad talem finẽ, etſi nõ ſint propria materia virtutis, nec in eis reperiatur primariè bonitas, & honeſtas eius, ſed ſecũdariè, tanq̃ in re vtili ad talẽ finẽ.

Electio apud Ariſt. quomodo vſurpatur.

Electio qd ſit. Secundo obſeruandum eſt, electionem eſſe actum elicitum voluntatis, connotari tamen hoc nomine ordinẽ ad intellectum conſultantem de re, de qua eſt electio. Ita docet Alex. de Ales. 1. p. q. 30. in 1. Albertus in 2. d. 24. art. 7. D. Thomas. 1. 2. q. 13. art. 1. D. Bonau. in 1. d. 4. 2. p. diſt. q. 1. Scotus in 2. d. 6. q. 1. & ipſemet Ariſtot. 3. Ethic. c. 2. vbi poſtquam dixit electionem non eſſe idem cum eo quod ſponte fit: quia multa ſponte fiunt, vt in pueris, & in brutis ſine electione, nec eſſe idem cum voluntate. i. cum affectu, qui dicitur voluntas, quia hæc eſt impoſſibilium, electio verò non, nec eſſe opinionem, id quod multis modis confirmat, ſubiungit. Quid igitur, aut quale quid eſt electio, cum nihil ſit eorum, quæ diximus; videtur quidem ſponte à nobis fieri, attamen non omne quod ſponte agimus eſt eligibile, ſed id, cuius conſultatio anteceſſit, electio namq; cum ratione eſt, atque mente. Sentit igitur id eſſe eligibile, quod conſultatione deducimus, & ipſam cõſultationem priorem eſſe, nihil autem poſtea ſequitur niſi affectus eius, quod conſultatione iudicatum eſt, atq; ob eam cauſam dicit electionem eſſe cum ratione, & mente, & c. 3. eiuſdem libri ait. & ipſa electio deliberatiua appetitio rerum erit earum, quæ in noſtra ſunt poteſtate. Ex hoc ſequitur falſum eſſe, quod quidam Thomiſtarũ dicunt, nempe actum electionis præcipue ad rationem pertinere: quia formaliter eſt actus intellectus, materialiter autem & ſecundum ſubſtantiam eſt actus voluntatis: Abſurdum namque eſt formale intrinſecum huius actus eſſe in vna potentia nempe intellectu; materiale autem ſeu ſubſtantiale illius eſſe in altera; nempe in voluntate, quod ſi per formale intelligant terminum extrinſecum ordinis, qui conuenit huic actui tanquam ratio formalis, perperam dixerunt electionem præcipue ad intellectum pertinere, ſiquidem non ſolum id, quod materiale, & ſubſtantiale eſt in hoc actu, ſed etiam ratio formalis intrinſeca, nempe ordo ad rationem, eſt in ipſa voluntate & ab ea efficienter procedit, id autem quod extrinſecũ eſt, & vt tale reſpicitur ab electione, ſolum eſt in intellectu.

Alex. de Ales. Albert. D. Thom. D. Bonau. Scotus. Ariſtot.

Conſultatio non tãtum eſt de medijs, ſed etiam de ipſa materia finis. Tertio obſeru. eſt, quod conſultatio, quæ eſt actus prudentiæ, & inquiſitio practica, non ſolum verſatur circa medium, ſed etiam circa finem, non quidem abſtractum a materia, ſed prout in mediocritate materiæ conſtitutũ; conſtat. n. prudentiam verſari circa finem virtutis contractum in ſingulari materia præſcribendo modum debitũ ſecundum virtutis regulam; & præſupponere rectum propoſitum circa finem virtutis ſecundum ſe, & à materia abſtractum, vt docuit Ariſt. 6. Ethi. c. 12. atq; ideo illud propoſitum circa finem virtutis abſtractum, inquit Ariſt. nõ procedere ex prudentia, cum potius illam præcedat, ſic procedere ex habilitate quadam ad proponendum finẽ virtutis abſtractum quę in bonis laudabilis eſt, & nomine caret, in malis autem verſutia dici conſueuit, nec tñ eſt prudentia, & in hoc ſenſu intelligi poteſt. D. Thom. cũ dicit. 2. 2. q. 47. art. 6. alijs virtutibus non præſtitui finem a prudentia. Nam ſi intelligeret de fine contracto in materia ſingulari, vt de fine temperantię in hoc cibo, & potu, non rectè dixiſſet finem non præſtitui à prudẽtia: mediocritatem. n. materiæ propriæ aſſignat prudentia omnibus virtutibus; Non verſari autem prudentiam circa finem vniuerſalem à materia abſtractũ ex eo patet: quia vt docet Ariſt. 3. Ethi. c. 3. de non dubijs non eſt conſultatio, nec inquiſitio: nam harum vtraque circa materiã dubiam verſatur; eſt enim ad inueſtigandum id, quod ad huc incertum eſt. Quo circa rectè dixit Ariſtot. loco citato. Atque circa exactas quidem ſcientias, & ſufficientes, non eſt conſultatio: non enim ambigimus quomodo litteræ ſcribendæ ſint, & infra: conſultatio autem in his verſatur, quæ plerumque quidem fieri poſſunt, incerta tamen ſunt, qm̃ euenient modo, & in quibus eſt indeterminatio. De

D. Thom.

Digitized by Google

fine autem ſecundum ſe conſideratum,hoc eſt de ratione boni appetibilis propter ſe conſiderati ſine materia, dubitatio eſſe non poteſt,aut ſaltem non poteſt eſſe practica, ſed tantum ſpeculatiua dubitatio: Nam quamuis poſſimus dubitare, an hæc, aut illa res ſit honeſta, aut ſit tantum delectabilis, quod tantum eſt conſiderare has rationes finis,contractas in materia ſingulari; tamen de ipſa ratione honeſti,& de ipſa ratione delectabilis,ſecundum ſe abſtracta à materia,non poteſt eſſe vlla dubitatio, ſed per ſe vtraque patet appetibilis.

Ex hoc primo ſequitur, quod de fine, ſecundum ſe abſtracto,ſiue honeſto,ſiue delectabili, non poteſt eſſe prudentia;quia prudentiæ opus eſt conſultatio, & iudicium, ſeu ſententia ex conſultatione deducta; at de fine, ſecundum ſe abſtracto,vt diximus,non poteſt eſſe conſultatio, quia de illo non eſt dubitatio,quare de eo nequit eſſe prudentia.

Secundò ſequitur, conſultationem non tantum eſſe de medijs vtilibus ad aliquem finem,in quibus nõ eſt bonitas finis, vt in propria materia; ſed etiam de ipſa materia finis. Explico id exemplo; habet aliquis propoſitum honeſtatis temperantiæ; hanc autem conſequi quidem debet,ſicut in propria materia,in abſtinentia in cibo,& potu moderato;videt tamen quorundam hominum conſortium ſibi eſſe occaſionem immoderatè bibendi, & comedendi, & ideo eorum familiaritatem, & conuentum declinat. Certè in tali opere declinandi hos homines,non eſt honeſtas temperantiæ, tamquam in propria materia primariè: familiaritas enim ſolum eſt materia vrbanitatis, non temperantiæ, eſt tamen in tali opere eos fugiendi, honeſtas temperantiæ, tamquam in medio quodam vtili ad ſeruandam,& conſequendam honeſtatem temperantiæ; at vero in ipſa mediocritate cibi,& potus,ſicut in propria materia. Conſultatio igitur non tantum eſt de medijs vtilibus ad aliquem finem,in quibus non eſt finis honeſtas,ſicut in propria materia,ſed etiam de ipſa materia finis, de qua diximus ſupra,eſſe etiam electionem, vt expreſsè tradit Scotus in hac quæſtione, §. licet iſtud videatur.Quare cum ait Ariſt.3.Ethic.cap.3.Conſultamus autem non de finibus,ſed de his, quæ ad fines ipſos perducunt, per ea, quæ perducunt ad finem, non intelligit ſolum media vtilia, ſed etiam ipſam materiam finis. Rectè igitur addit Ariſt. Nec Medicum conſultare,an ſanet,nec Rhetorem vt perſuadeat,nec Gubernatorem,an rectis legibus inſtituat Rempublicam. Hi namque ſunt fines proprij abſtracti à materia, de quibus non eſt conſultatio, ſed de medijs, & de materia finium. Hanc autem conſultationem eſſe inquiſitionem practicam, qua inueſtigamus, an ratio honeſti, aut delectabilis (hæc enim duplex ratio boni ſolum poteſt habere rationem finis) proſequenda reperiatur in hac materia; & an tale medium ſit vtile ad talem finem nemo eſt, qui ambigat.

Inquiſitio quõ ſe habeat ad cõſilium.

Quarto obſeruandum eſt,inquiſitionem ſe habere, vt genus reſpectu conſilij;nam inquiſitio tam in ſpeculatione poſita eſt,quam ad praxim refertur, ac proinde poteſt eſſe eorum, quæ non ſunt in noſtra poteſtate; conſilium autem ſolum eſt practicum,& ita ſolum eſt eorum, quæ ſunt in noſtra poteſtate,ſicut docet Ariſt. 3. Ethic. cap.3. & Greg.Nyſſe.5.philoſ. cap. 5. ſpectat autem conſilium, ſeu conſultatio ad duas facultates, quemadmodum electio,nempe ad intellectum,& voluntatem,ordine tamen contrario.Nam electio ſubſtantialiter pertinet ad voluntatem,cum ſit actio eius elicita, ſed connotat ordinem ad rationem conſultantem,cum electio ſit poſt conſultationem,vt ſupra diximus.Conſilium vero ſubſtantialiter pertinet ad intellectum, quia eſt actio ab eo elicita,habet tamen ordinem ad voluntatem,à qua mouetur intellectus, vt conſultet. Voluntas enim ex intentione, ſeu deſiderio finis mouet intellectum ad inquirenda media in genere. Vnde nota, quod finis communis.ſ. caſtè eſſe viuendum, fortiter pugnandum, iuſtè agendum à ſynderesi, (quod eſt lume quoddam naturale & habituale intellectus practici) prudentiæ proponitur,quo propoſito,& oſtenſo,voluntas ex intentione finis mouet intellectum ad inquirendum media in genere, deinde prudentia ea perquirit, & de ijs conſultat, iudicat, & dictat,in quibus ſpecialiter,& ſingulariter caſtitatis,fortitudinis, & iuſtitiæ officium reperitur,& hic eſt finis ſingularis,& ſpecialis in mediocritate conſiſtens,quem prudentia virtuti morali præſtituit.

Ariſt. *Nyſſen.*

Quinto obſeruandum eſt, voluntatem noſtram moueri poſſe in obiectum interdum ſola ſimplici cognitione apprehenſum ſine iudicio compoſitionis, aut diuiſionis; interdum vero licet ſufficiat ſimplex apprehenſio,aut boni,aut mali ad aliquod genus appetitus,ad aliquod tamẽ requiri iudicium compoſitionis. Priorem partem huius ſententiæ apertè docet Doc.in 2.d.6.q.1.ad 1.2.& 3. ſi attentè legatur,licet perperam,& abſque vllo fundamento quidam recentiores aliter ipſum interpretentur. Secunda pars patet in omni electione medij ad finem, nam in ea ſemper præcedere debet iudicium compoſitionis.

Qũo volũtas in obiectũm moueatur.

Scotus.

Ex hoc ſequitur t in omni actu ſufficere iudiciũ enunciationis abſque ea enunciatione,quæ dicit imperium,volo dicere,non eſſe neceſſarium in quouis actu dictamen illud per modum imperij, Fac hoc, vt dicunt Thomiſtæ. Quod experimento ipſo probari poteſt: quotidie enim experimur mille effectus delectationis,& iuſtitiæ abſque eo,quod dicat intellectus,delectare,aut triſtare;tum quia dictamen illud, Fac hoc,ſi habet rationem imperij (quod nos ſupra negauimus attribuentes imperium voluntati non intellectui) non præcedit omnem actum voluntatis, imo non poteſt præcedere illum actum præter vſum,niſi per reflexionem quandam, vt etiam Thomiſtarum quidam affirmant. Et quamuis Ariſto.6.Ethic.cap.10.dicat, quod prudentiæ eſt præcipere. Et verba Ariſt.ſunt. Non eſt autem idem ſagacitas, & prudentia: prudentia namque præceptiua eſt: finis enim ipſius eſt, quidnam ſit agendum,aut non agendum præcipere,ſagacitas autem vis iudicandi dumtaxat. Cæterum eo in loco per præceptum non intelligit Ariſt.propriè actionem imperandi,ſed iudicium, quo prudentia præſcribit id, quod agendum eſt; quod ex eo patet,quia ibi agit Ariſt. de iudicio,& præcepto prudentię,quod eſt ante electionem,& quo dirigitur voluntas vt eligat, hoc autem non poteſt eſſe imperium, quod Thomiſtæ,adſtruere moliuntur,quin potius imperium ſi aliquod eſt,ipſa electione poſterius eſt,neque præcipuus actus prudentiæ cenſeri debet;tota enim difficultas virtutis in bona electione conſiſtit.Ideo autem inquit ſagacitatis non eſſe præcipere, quia ipſa non deducit per conſultationem iudicium de agendis,ſed de illo per prudentiam deducto promptè iudicat quaſi reflexè, an iuxta regulas prudentiæ rectè fuerit ita iudicatũ.Vnde talis eſt ordo circa praxim imperatam. Poſtquam voluntas voluit efficaciter conſequi aliquem finem, ſtatim ſequitur in intellectu inquiſitio malorum,& inquiſitionem ſequitur iudicium; iudicium autem conſequitur ex libertate voluntatis electio,nec opus eſt,vt volito ſemel fine efficaciter,proponatur voluntati iterum finis volitus,ſed requiritur tantum continuatio eiuſdem propoſitionis,vt perſeuerante voluntate finis, intellectus inquirat media: poſtremo poſt electionem voluntas imperat potentiæ exequenti, nempe pedi vt ambulet, manui vt apprehendat,&c.

Ariſt.

Secundo ſequitur,rectè dixiſſe Caiet. 1.2.q.14.artic.1. Conſilium inchoatiuè non eſſe inquiſitionem cum iudicio concluſionis,ita vt conſiſtat ex integro ſyllogiſmo practico,id enim non eſt contra Diuum Thomam,qui in illo art.aſſerit Iudicium eſſe poſt conſilium, nec contra D. Damaſ.lib.2.de fide,cap.22.& Nyſſenum lib.5. Philoſophiæ,cap 5.circa finem,dicentem Conſultationem eſſe in ijs,quæ adhuc quæruntur, hoc eſt, de quibus adhuc non eſt lata ſententia, & iudicium,nec contra ipſummet Ariſtot.6.Ethic. cap.9. Et quidem,ſi nomina Græca, quibus vtuntur Ariſt.Damaſcenus, & Nyſſenus attendamus,diuerſum eſt conſilium à iudicio.Nam quod Latinè reddimus conſilium,Græcè dicitur buleuſis,ſiue buli; hæc autem nomina non ſignificant iudicium & decretum, ſed conſultationem & inquiſitionem, quæ nondum ad iudicium peruenit, ſed in inquiſitione adhuc verſatur, & de hoc loquuntur Ariſto.& alij cum ipſo allegati. Iudicium autem ſeu ſentẽtia idem eſt Latinis,quod Græcis gnomi, quæ nondum includitur in conſultatione,ſed conſultatione elicitur.Verum eſt tamen conſilium non raro vſurpari à Latinis pro iudicio ipſo elicito per conſultationem. Definitur enim in Cicerone 2. de Inuentione hoc modo.

Caietan.

Cicero.

Con-

Digitized by Google

Conſtlium eſt aliquid faciendi, non faciendivè excogitatatio.

Sententia Scoti explicatur et comprobatur.

His obſeruatis explicanda eſt modo ſententia Doct. dicit ergo. licet iſtud videatur probabiliter dictum, de diſtinctione ſcientiæ practicæ, & prudentiæ, tamen prudentia non ſolum eſt circa media ad finem vltimum .ſ. virtutis, ſed etiam dictando de ipſo fine ſaltem particulari, id eſt, contracto ad particularem materiam, puta de caſtitate, modo ſupra explicato in 3. notab.

Vnde in hac littera intendit probare Doct. contra Diuum Thomam, quod omnis habitus dictatiuus in intellectu de aliquo agibili, ſiue dictet de medijs ad finem, ſiue de ipſo fine ad particularem materiam contracto, eſt vere prudentia, & ſi non correſpondeat ſibi virtus moralis in voluntate, Quod præſtat duplici ratione, quarum prima deſumitur ex prioritate, habitus dictatiui ad virtutem moralem; ſecunda ab vnitate eiuſdem habitus.

Et primo arguitur ſic: Omnis habitus practicus in intellectu, cui nata eſt conformari virtus moralis in voluntate eſt prudentia; ſed omnis habitus dictatiuus in intellectu eſt cui nata ē cõformari virtus moralis in voluntate, ergo omnis habitus dictatiuus in intellectu, ſiue de medijs ad finem, ſiue de ipſo fine in particulari materia contracto eſt, prudentia. Maior patet, quia virtus moralis ſemper ſequitur ordine naturæ prudentiam aliquam: nam virtus moralis ex rectis electionibus generatur; electio autem cum ratione eſt, atque mente, id eſt, conſultationem ſequitur, vt diximus ſupra notabili 2. & ex hoc patet etiam minor propoſitio; Nam ſi ex electione finis particularis, puta caſtitatis, generatur virtus moralis, igitur iſtam electionem præcedit aliqua prudentia, atque adeo non eſt prudentia ita propriè reſtringenda, vt tantum ſit habitus circa media ordinata dictata ad conſequendum finem particularem electum.

Præterea arguitur ſecundo ex vnitate habitus. Si habitus dictatiuus diceretur prudentia præcisè, quia eſſet mediorum ad finem, & non reſpectu finis, ſequeretur, quod non eſſet vna prudentia correſpondens vni virtuti; conſequentia probatur à ſimili, virtus moralis eſt vna vnitate finis, ad cuius electionem principaliter inclinat; at qui ſi ad dictandum de illo fine nulla eſſet prudentia, ſed tantũ eſſet prudentia de medijs ordinatis ad illum finem, nullũ eſſet obiectum vnum, à quo eſſet vnitas prudentiæ dictatiuæ, ſed eſſent multæ prudentiæ de multis medijs dictatis, ad finem ordinatis, vbi tamen eſſet vna virtus moralis ex vnitate finis. Igitur, tum propter prioritatem naturalẽ prudentiæ ad virtutem moralem, tum propter vnitatem prudentiæ reſpectu vnius virtutis moralis, videtur eſſe concedendum, quod ille habitus, qui eſt verè dictatiuus de fine particulari, ſit propriè prudentia. Et confirmatur, quia prius non dependet à poſteriori, dictamen autem rectum eſt prius, & eſſentialiter eſt prudentia, appetitus verò rectus, id eſt, virtus moralis, eſt in voluntate, & eſt quid poſterius, ergo ſine appetitu recto in voluntate, cum in intellectu maneat integratio prudentiæ, abſolutè dicenda eſt prudentia.

Ad rationes in oppoſitum, ad primã cum dicitur; Prudentia eſt recta ratio confeſſè ſe habẽs appetitui recto. Dico primo, quod Ariſt. in illo cap. 2. non tractat de prudentia, ſed de principijs agendi, & præmittit, quod tria ſunt in anima, quæ videntur eſſe principium operationis .ſ. ſenſus intellectus, & appetitus; ſenſus autem nullius operis poteſt eſſe principium, eo .ſ. modo, vt dominetur ſuæ operationi: quia ſic bruta haberent dominium ſuorum actuum, quod eſt falſum: non enim ducunt, ſed ducuntur impetu paſſionum appetitus ſenſitiui; reliquitur ergo, quod alia duo ſunt principia actuum humanorum, ſcil. intellectus, & appetitus. Intellectus autem in iudicando habet duos actus .ſ. affirmationem, qua conſentit vero, & negationem, qua diſſentit falſo, quibus proportionabiliter alia duo correſpondent, in appetitu .ſ. proſecutio, qua appetitus tendit in bonum, quæ correſpondet affirmationi, & fuga, qua recedit à malo, quæ correſpondet negationi; & quando illa ſic concordant, vt quod ratio verè affirmat, appetitus rectè proſequitur, & quod illa negat, ille fugit; tunc eſt electio ſtudioſa & bona; atque ita bonum intellectus practici, non eſt verum ſimpliciter, ſed verum confeſſe, id eſt, conformiter ſe habens appetitui recto; ex quo patet, quod Ariſt. non de prudentia virtute (nam de ea loquitur in cap. 5.) ſed de notitia practica loquitur, ſed quid quid ſit de hoc, Reſpondetur, quod quando Ariſtot. dicit, (prout communiter citatur) Prudentia eſt recta ratio conſeſsè ſe habens appetitui recto, & quod appetitus non eſt rectus ſine virtute morali, hæc ratio non mouet, inquit Scotus: quia prius naturaliter, nõ videtur habere aliquid de ſua ratione dependens à poſteriori. Prudentia autem eſt naturaliter prior virtute morali, tum quia eſt prior electione, vt oſtenſum eſt ſupra, tum quia definit ipſam, vt patet ex definitione virtutis. Ad authoritatem Ariſt. dicit Doct. ita eſſe intelligendam; Prudentia eſt confeſsè ſe habens appetitui recto, id eſt, eſt notitia confirmatiua praxis rectæ ſibi ipſi, id eſt, notitia practica talis eſt cognitio, cui quantum eſt de ſe praxis recta, debet conformari, id eſt, conformiter elici, ad hoc, quod ſit recta: & talis cognitio eſt prudentia, ſiue in eodem dictante ſequatur electio recta, ſiue non; ita vt intelligatur dictum Ariſtot. actiuè, non paſſiuè, quia intellectus non conformatur appetitui, ſed appetitus ad hoc, quod ſit rectus, debet conformari recto dictamini rationis; huiuſmodi autem conformatio ex parte prudentiæ poteſt eſſe actualis, vel aptitudinalis: ita vt habitum intellectiuum eſſe concordem appetitui recto, id eſt, eſſe cui appetitus rectus habet conformari, poſſit intelligi dupliciter, vno modo in actu, altero modo in aptitudine. Secundo modo intelligit Ariſtot. non primo modo, atque ita ad rationem prudentiæ ſatis eſt, quod ſit talis cognitio, cui electio recta nata ſit eſſe conformis.

Ad ſecundum cum dicitur, quod prudentia eſt habitus cõſiliatiuus, & ita ad fines diſcurſiuus. Dicit Scotus, quod de finibus proprijs virtutum moralium dictatur diſcurrẽdo à principio practico ſumpto à fine vniuerſali ad particulares fines, & ille diſcurſus eſt prima conſultatio, licet communius dicatur conſilium, de medijs virtutum.

Pro intelligentia huius reſponſionis obſeruandum eſt, quod iudicium dictans de aliquo fine, tamquam de medio, eſt prudentia, atque adeo iudicium dictans de fine omnium virtutum in particulari, id eſt, contracto ad particularem materiam, v.g. de fine caſtitatis, vt quod ſit ſeruanda perfecta harmonia, & concordia animæ, & corporis cum actibus Venereis, eſt prudentia: quia cum talis finis ordinetur ad vlteriorem finem, vel proprium virtutis & intrinſecum, vel vltimatum & extrinſecum .ſ. ad fœlicitatem, habet rationem medij, velut ſi diceretur, illa ſunt ſeruanda, quæ conducunt ad adeptionem vltimi finis, ſed caſtitas, ſobrietas, humilitas, & huiuſmodi, ſeu caſtè viuere, ſobriè, & humiliter, &c. conducunt ad conſequendum vltimum finem. ergo, &c. atque ita prudentia nedum dictat de medijs ad finem particularem, & intrinſecum cuiuſq. virtutis, ſed de ipſiſmet finibus in particulari, quatenus ordinabiles ſunt ad vltimum finem, qui eſt finis extrinſecus ipſarum virtutum.

Secundo obſeruandum eſt, quod prudentia biſariam ſumitur, vno modo præcisè pro habitu concluſionis practicæ, & vt ſic non eſt habitus conſiliatiuus, ſed eſt iudicium ſequens conſilium: alio modo pro toto diſcurſu practico, quo .ſ. diſcurritur à premiſſis ſumptis ab obiecto practico ad concluſionem, & hoc pacto eſt habitus conſiliatiuus. vnde ex hac littera Doc. poteſt Conſilium biſariam ſumi, vno modo communiter, & fusè, & ſic diſcurſus practicus poteſt appellari conſilium, vt ſi dicatur: omnis ſeditioſus eſt extirpandus à Repu. Octauianus eſt ſeditioſus: ergo eſt à Republ. extirpandus, iſte diſcurſus poteſt fusè appellari conſilium; Altero modo ſumitur conſilium propriè, & preſsè, & eſt habitus conſiliatiuus de medijs ad finem. Cum ergo dicitur, quod habitus dictatiuus de fine, non eſt prudentia; quia prudentia eſt habitus conſiliatiuus, & de fine non eſt conſiliũ. Dico q́ d fine in vniuerſali accepto, & non contracto ad particularem materiam, nõ eſt conſilium propriè, & preſsè, atque ita diximus de fine hoc modo accepto non eſſe prudentiam, niſi fusè, & communiter accipiendo prudentiam; cæterum de fine contracto ad particularem materiam, poteſt eſſe conſilium, & per conſequens prudentia.

Cõſilium põt ſumi biſariam.

Digitized by Google

ARTICVLVS VI.

Vtrum malitia poſsit excæcare intellectum, atque in eo prudentiam corrumpere.

Gotfred.
Henricus.

DE hac re fuit ſententia Gotfredi de fontibus quol. 5. quæſt. 12. quol. 8. q. 16. & quol. 12. quæſt. 2. Et Henrici de Gand. quol. 5. quæſt. 17. Vbi docent voluntatis malitiam excæcare intellectum. Nam licet (inquiunt) ſimul tempore ſit error in intellectu, & in voluntate, tamen poſterius natura eſt error in intellectu, quam in voluntate, ita vt conſiderando intellectum ſecundũ illud, quod eſt prius natura in uoluntate, actus intellectus eſt rectus; ſed voluntate libere errante intellectus excæcatur, & ſi ſimul tempore, poſterius tamen natura. Vnde Henr. loco ſupra citato, & quol. 10. quæſt. 10. prolixe ſatis, & obſcure contendit defectum priorem eſſe in voluntate, quam in intellectu, imo à voluntate in intellectum deriuari: Nam affirmat ex duobus obiectis altero bono, & altero malo æque perfecte, & exacte propoſitis, poſſe voluntatem proſequi vnum relicto altero, atque ita docet nullum defectum præcedere in intellectu, quoties aliquis peccat; addit tamen, quod ſtatim atque homo conſentit in peccatum, ex malitia voluntatis deriuari in intellectum defectum, nempe, (vt ipſe loquitur) obſcurationem quandam, atque ita dicit malitiam voluntatis excæcare intellectum: hoc autem probant primo authoritatibus. Secundo ratione. Prima authoritas eſt D. Auguſt. ſuper illud Pſal. 2. Tunc loquetur ad eos in ira ſua. Ira Dei, inquit, ipſa eſt mentis obſcuratio, quæ conſequitur eos, qui legem Dei tranſgrediuntur. Item Dionyſius, 3. de diuinis nominibus. Nullus, inquit, operatur malum, ad malum aſpiciens. Item 3. Ethic. cap. 3. q. & 13. omnis malus ignorans. Cui concordat illud Sapientiæ 2. excæcauit eos malitia eorum.

D. Aug.
D. Diony.
Ariſt.

Secundo idem probant ratione, ſi prima mala electio voluntatis non excæcaret intellectum, ergo nulla alia id efficeret, conſequens falſum, ergo & antecedens: conſequentia probatur, quia prima malitia voluntatis, poteſt eſſe æque mala, ſicut quæcumque alia; atque ita ſi non excæcat, quando eſt mala, igitur nunquam, & per conſequens quotcunque malitiæ actuales in voluntate, nunquam excæcarent intellectum, atque adeo poſſet eſſe aliquis quantumuis malus, abſque omni errore intellectus, quod videntur negare authoritates ſupra relatæ.

Angeſt.
Buridan.
Corduba.

Hieronymus de Angeſto, in moralibus cap. 1. & 3. & Buridanus in 3. 6. & 7. Ethic. quos ſequitur Corduba lib. 2. quæſt. Theolo. quæſt. 15. propoſit. 2. tenent, quod in primis principijs practicis, corruptio affectionis corrumpit iudicium rationis, & contingere poteſt error, & deceptio circa ea; ne dum quia voluntas poteſt conuertere intellectum ad conſiderandum alia, ita vt non apprehendat primum principium practicum diſtrahendo ipſum, ne ſufficienter aduertat illa principia; ſed etiam deprauari poteſt, etiam apprehenſis clare terminis primi principij practici ei præſentati, ita vt quod producat diſſenſum actualem primi proprij practici, & eius oppoſito aſſentiat ad tempus, licet non ad ſemper, nec irrecuperabiliter; & addit, quod poſſunt etiam ad tempus generari deprauati habitus oppoſitorum ex actibus prædictis deprauatis, qui corrumpat habitus oppoſitos principiorum iam generatos, ex ſuis ſimilibus actibus.

Probat Corduba hanc ſententiam lib. 3. q. 11. his rationibus. Aliqua paſſio vehemens, aut voluntatis malitia, ſeu deprauatio, aut alia indiſpoſitio magna, poteſt id efficere; quia aliqua paſſio delectationis, triſtitiæ aut iræ, vel timoris, & huiuſmodi, vel aliqua infirmitas, vel indiſpoſitio, vel læſio tanta, & tam vehemens poteſt adeſſe, ſeu aduenire corpori, aut eius organo, vel potentiæ, aut phantaſiæ, & inde in intellectum redũdare, quod perturbet ipſam rationem, aut eam abſorbeat ad tempus, ne tunc poſſit clare apprehendere terminos primi principij, vt ne poſſit ſe conuertere ſufficienter ad bene circa ipſum aduertendũ, & per conſequens ne producat aſſenſũ ipſius, vt patet in amẽtibus, & phreneticis; ergo idẽ poteſt efficere malitia voluntatis, quia ſicut deprauata volũtas, cum aliquo motiuo, poteſt imperare intellectui, vt diſſentiat primis principijs per ſe nobis ſpeculatiuis, etiam clare terminis apprehenſis, & aſſentire eorum oppoſitis non explicantibus cõtradictionem, ergo id à fortiori poteſt contingere in intellectu practico, quo ad principia practica: quia reſpectu eorum voluntas habet maius imperium; ſicut & cum voluntate habent illa maiorem connexionem. Ad hoc facit Ariſt. 3. Ethic. Qualis vnus quiſque eſt, talis ei finis videtur. Finis namquam in operabilibus principium practicum eſt. Item 6. Ethicorum Malitia corrumpit principia practica prudentiæ, & facit ea non apparere. Item ſecundo Rhet. amantibus, & obedientibus non eadem videntur.

Ariſt.

Pro explicatione huius difficultatis obſeruandum eſt primo, quod hæc difficultas aliam præſupponit, id eſt, Vtrum ſyndereſis, & conſcientia poſſint extingui, deprauari, aut impediri? Vnde videndum eſt breuiter, quid ſit ſynderesis, & conſcientia, & quomodo differant à prudentia, & quomodo deprauari poſſint, ex horum enim notitia pendet quomodo malitia voluntatis poſſit excæcare intellectum.

Synderiſis quid ſit.

Synderesis ſtrictè, & propriè accepta eſt lumen connaturale ſeu inclinatio naturalis inclinans intellectum ad aſſentiendum naturaliter principijs practicis euidentibus ex terminis dictantibus in vniuerſali aliquid laudabiliter proſequendum, vel fugiendum eſſe. Dixi, quod ſynderesis eſt lumen, ſeu inclinatio naturalis diſiunctiue; quia circa hoc ſunt opiniones. Nam S. Thomas 1. par. quæſt. 79. artic. 12 & Doct. noſter ſub. in 2. diſt. 39. tenent, quod ſynderesis non eſt ipſa potentia aut ratio intellectiua, neque paſſio aut actus ipſius intellectus aut voluntatis, ſed quidditatiue eſt quidam habitus naturalis ſeu lumen naturale intellectus, & accipiunt nomen habitus luſe pro virtute ſeu qualitate perfectiua potentiæ. Ocam autem in 3. quæſt. 12. & in 2. quol. quæſt. 17. & Gabriel in 2. diſt. 39. & cæteri Nominales, quia non ponunt tales habitus, ſeu lumina animæ, vel intellectui ſuperaddita, dicunt quod ſynderesis eſt ipſa potentia intellectiua, quatenus inclinata, & nata eſt ad aſſentiẽdum principijs practicis. ita vt ſecundum Nominales ſynderesis de materiali ſupponit pro ipſa potentia intellectiua, & connotat de formali, quod ſit naturaliter inclinata aſſentire principijs practicis, & non dicit habitum, ſeu lumen diſtinctum ab eſſentia animæ.

D. Thom.
Scotus.
Ocam.
Gabriel.

Conſcientia q d ſit.

Conſcientia ſtrictè accepta, & propriè eſt notitia iudicatiua, vel adhæſiua actualis, vel habitualis acquiſita conclusionis deductæ ex ſupradictis principijs practicis vniuerſalibus, dictans in particulari aliquid bene vel male moraliter agendum, vel actum eſſe. Dicitur notitia, quia pertinet ad intellectum non ad voluntatem. Dicitur adhæſiua, quia nõ ſufficit, quod ſit apprehenſiua: cæteræ particulæ patent.

Synderiſis, conſciẽtia, ratio, prudẽtia, lex, & liberum arbitrium diſferunt.

Secundo obſeruandum eſt, quod eſt diſcrimen inter ſynderesim, conſcientiam, rationem, prudentiam, legem, & liberum arbitrium. Nam ratio eſt potentia ipſa intellectiua; ſynderesis enim eſt lumen, ſiue habitus naturalis ſuperadditus; Item ratio in cognoſcendo, deliberando, & iudicando poteſt errare, ſynderesis autem non; quia rectè ſemper dictat, & inclinat. Rurſus ſynderesis differt à prudentia, quia ſynderesis eſt ſolum reſpectu principiorum vniuerſalium, prudentia autem, ſeu recta ratio agibilium eſt maxime reſpectu particularium; Tum quia prudentia eſt habitus etiam acquiſitus, ſynderesis autem non, vt patet ex dictis. Niſi dicamus cum Leucheto in 2. diſt. 39. notitiam actualem primi principij practici eſſe ſynderesim actualem, & habitum cauſatũ ex talibus notitijs eſſe ſynderesim habitualem, quia tunc oporteret dicere ſynteresim non diſtingui à prudentia. hac ſecunda ratione; quod tamen non credo verum. Item ſynderesis differt à lege naturali, quia ſynderesis eſt prædictus habitus, vel lumen naturale ad ſtatim aſſentiendum principijs, & dictaminibus practicis ſtatim, vt proponitur; lex autem naturalis eſt ipſum dictamen productum de illis principijs: atque ita dicitur lex naturæ nobis impreſſa, & indita à natura; quia apprehenſis terminis ſtatim virtute

Leuchet.

ſynde-

Digitized by Google

ſynderesis intellectus format iudicia, & dictamina hæc. Item ſynderesis differt à libero arbitrio, quod eſt facultas rationis, & voluntatis, & quatenus dicit aliquid pertinens ad intellectum eſt reſpectu particularium & poteſt errare; ſynderesis autem non, vt dictum eſt ſupra.

Conſcientia autem differt à ratione; quia ratio eſt potentia aut cognitio intellectiua abſolute, & communiter eſt reſpectu ſpeculabilium, & practicorum vniuerſaliũ, & particularium &c. Conſcientia autem eſt ſolum notitia iudicatiua. Similiter differt à prudentia & recta ratione: quia ſecundum Angeſtum in moralibus.c.7. conſciẽtia eſt tam verorum, quam falſorum, prudentia autem eſt ſolum verorum practicorum; & recta ratio eſt etiam reſpectu verorum ſpeculatiuorum. ſimiliter differt à libero arbitrio: quia liberum arbitrium eſt potentia ſeu facultas naturalis ad libere eligendum &c. Conſcientia autem eſt actus, vel habitus acquiſitus intellectus.

Angeſtus.

Synderesis poteſt conſiderari dupliciter.

Tertio obſeru. eſt, quod de ſynderesi poſſumus loqui, dupliciter, vel quantum ad id, quod eſt, vel quantum ad actum eius, quantum ad, primum ſynderesis vel eſt ipſa potentia intellectiua, quatenus nata eſt aſſentire principijs practicis, iuxta ſententiam nominalium, quam ſequitur etiam Baſſolus in 2.d.39. q. vnica art. 2. vel eſt lumen connaturale intellectus inclinans intellectum ad aſſentiendum primis principijs practicis. Quantum ad actũ poſſumus loqui dupliciter, vel quantum ad actum immediatum, & hic eſt aſſenſus practicus principij euidentis ex terminis, vel quantum ad actum mediatum.i. quantũ ad actus deductos ex principijs deliberatione media, qui actus ſunt actus immediati conſcientiæ.

Baſſolus.

1. Concl. His obſeruatis ſit prima Concluſio. Synderesis proprie ſumpta non poteſt quo ad ſuam eſſentiam extingui, nec auferri neque deprauari. In hac concluſione omnes communiter conueniunt. probatur: quia manente re, non poteſt auferri ab ea, id quod eſt de intrinſeca ſua ratione, aut quod eſt ipſi rei connaturale: ſed ſynderesis vel eſt ipſamet potentia intellectiua naturaliter inclinata, vel ipſa eius inclinatio naturalis, quod idem eſt, ſecundum nominales, vel eſt lumen vel habitus naturalis animæ &c ſecundum reales; ergo manente homine ſeu anima eius, non poteſt ab ea auferri, vel extingui naturale lumen, vel hæc inclinatio.

Secundo probatur, quia manet in damnatis in inferno qui habent remorſum conſcientiæ, qui non poteſt eſſe ſine ſynderesi, ergo à fortiori manet ſemper in uiatoribus. Et cõfirmatur authoritate D. Hieronymi, in Gloſſ Ezech. 1. dicentis quòd ſynderesis eſt ſcintilla rationis non extinguibilis. Idem docet D. Auguſt. lib. 2. de Ciuit. Dei. Vbi dicit quod vitiũ non debet extrema naturæ veſtigia, & Gloſſa ſuper illud Luc. 10. Abierunt ſemiuiuo relicto. Immortalitaté, inquit, exuere, ſed rationis ſenſum omnino abolere non poſſunt, quin homo poſſit ſapere, & Deum cognoſcere. Quod autem deprauari non poſſit patet: quia per nullam potentiam naturalem poteſt conuerti aut mutari in oppoſitam inclinationem naturalem, eadem ratione qua & non poteſt auferri: quia non poteſt eſſe illa inclinatio intellectus practici talis, quod naturaliter inclinet ad aſſentiendum malo, & diſſentiendum principijs practicis euidentibus. Et forte propter præfatam naturalem inclinationem ſynderesis ab ea inauferibilem, dixit D. Ambroſius relatus à Magiſtro in 2.d.39. quod noſtra voluntas naturaliter vult bonum.i. conformiter ad naturalem inclinationem ſynderesis ad bonum inclinatur, quamuis propter libertatem ſuam non neceſſitetur ad illud, & ſine ſpeciali auxilio, vel gratia Dei non poſſit illud efficaciter velle, vt ibi dicit Magiſter.

D. Hieron.

D. Aug.

Gloſſa.

D. Ambr.

Magiſter.

2. Concl. Secunda Concluſio. Synderesis quoad actum ſuum immediatum non poteſt extingui, abſorberi, & deprauari. hæc concluſio eſt Scoti in hac quæſt. ſub litt. E. §. Præterea, quod mala electio. &c. & eſt contra Angeſtum, & Cordubam vbi ſupra. Probatur concluſio, quia notitia principiorum non dependet ex voluntate, ſed ex notitia terminorum, quibus complexis non poteſt intellectus nõ aſſentire principio, vel complexioni; ergo malitia voluntatis non poteſt extinguere, abſorbere, & deprauare ſynderesim quoad actum eius immediatum, atque adeo intellectum excæcare. probatur antecedens: quia termini ſunt cauſa totalis notitiæ primi principij ita in practicis, ſicut in ſpeculatiuis ex. 1. Poſt. t. c. 6. Principia cognoſcimus in quantum terminos cognoſcimus, & forma ſyllogiſtica eſt euidens omni intellectui, per definitionem ſyllogiſmi perfecti ex. 1. Priorum. c. 1. vbi inquit Ariſt. Perfectum itaque voco ſyllogiſmum nullo alio indigentem præter aſſũpta, vt neceſſarius appareat: igitur terminis apprehenſis & compoſitis, & facta deductione ſyllogiſtica, neceſſe eſt intellectum acquieſcere concluſioni, cuius notitia dependet præciſe ex notitia principij & ex notitia deductionis ſyllogiſticæ. exemplum in ſpeculabilibus, omne totum eſt maius ſua parte, manus eſt totum, & digitus eſt eius pars, ergo manus eſt maior digito, intellectus apprehendens principium, & cognoſcens minorem eſſe optime ſubſumptam de neceſſitate aſſentit concluſioni, cum veritas concluſionis dependeat ex veritate principij, & ex notitia deductionis ſyllogiſticæ. Exemplum in practicis. omne ſummum bonum eſt ſumme diligendum, Deus eſt ſumme bonus, ergo Deus eſt ſumme diligendus; ſi intellectus diſtinctè apprehendat hoc principium, ſummum bonũ eſt ſumme diligendum; & ſciat ſyllogiſmum eſſe conſequentiam neceſſario illatiuam, tunc neceſſario aſſentiet concluſioni; igitur impoſſibile eſt voluntatem intellectum conſiderantem principia, & deductionem ſyllogiſticam facere errare circa concluſionem ſic deductam, & multo minus circa principia. igitur nullo modo excæcabitur intellectus vt erret. Hac ratione concludit Doctor, quod nedum malitia in voluntate non eſt corruptiua iudicij de principio practico, ſic vt faciat intellectum errare circa principium agibile, ſicut nec circa principium ſpeculabile; ſed nec etiam circa concluſionem euidenter deductam ex principio.

Ariſt.

Et confirmatur, quia ſicut per primum actum malum voluntatis non corrumpitur neceſſario iudicium rectum intellectus; quia ſecundum Articulum Pariſienſem ſtante recto iudicio, voluntas poteſt in oppoſitum iudicati, ita nec per aliquem alium ſequentem: primus. n. poteſt eſſe ita malus ſicut alicuis ſequens.

Probatur ſecundo: Nullus in via (ſtante ſtatu viæ) eſt ſimpliciter incorrigibilis, ergo nullus poteſt omnino errare circa prima principia practica. antecedens patet & conſequentia probatur: quia errans circa prima principia practica, nihil habet per quod poſſit reuocari ad bonũ; quia negabit omnia, quæ proponentur ſibi pertinentia ad illã materiam, reſpectu cuius habet corruptum principium: quia nihil poteſt aſſumi notius primo principio practico, atque adeo, ſi errando negat primum principium practicum, multo magis omne aliud aſſumptum negabit.

Præterea tertio volo quod intellectus damnati dictet iſtud. Deus eſt odiendus, tunc quæro vel voluntas eius acquieſcet, vel non: ſi acquieſcet, ergo delectabiliter odiret Deum, & ſine remorſu conſcientiæ, quod eſt falſum & contra illud Iſaie vltimo. Vermis eorum non morietur; ſi non acquieſcet habeo propoſitum, quod poteſt ſtare error in intellectu, abſque errore in voluntate, ſicut ſtat intellectum eſſe rectum & voluntatem malam.

Et confirmatur: quia ſi in aliquo poſſet deprauatio voluntatis impedire prædictum effectum, maxime id fieret in damnatis, in quibus eſt deprauatio ſumma voluntatis: ſed ibi non impeditur, quia Demones, & damnati, apprehenſis principijs, & eorum terminis, quod non eſt, vel non fuit male agendum aſſentiunt eis, & diſſentiũt oppoſitis: quia ſi non aſſentirent non remurmurarent conſcientiæ eorum, remurmurare. n. nihil aliud eſt niſi cognoſcere cõtrarium principij practici fieri non debere, ſicut inſtigare ad bonum nihil aliud eſt, quam aſſentire, & cognoſcere principium dictans aliquam operationem bonam eſſe faciendam. hoc autem bene nouerunt damnati; quia nouerunt ſe praue egiſſe, & praue velle, & conſentire, ideo enim remordentur & accuſantur a conſcientijs ſuis; ergo neque in eis, neque in alijs poteſt talis effectus impediri, & per conſequens neque ſynderesis a ſuo actu immediato impediri, neque terminis clare apprehenſis extingui poteſt. hanc concluſionem ante Scotum docuerunt Alex. de Ales. 2. p. q. 13. m. 4. & D. Bonau. in 2. d. 39 & poſt Scotum Occam in 3. qu. 12. & 2. quol. quæſt. 17. Almayn. in moralibus tractat. 3. cap. 4. Baſſolus in 3. diſt. 36. quæſt. vnica,

Alex. de Ales.

D. Bonau.

Occam.

Almayn.

Baſſolus.

& in

Gabriel. & in 2.diſt.39.& Gabr.in 2.diſt.39.quæſt. 1. dub 1.

3. Concl. Tertia concluſio. Synderesis quo ad actum eius immediatum, licet non poſſit extingui per errorē, poteſt tamen impediri per auerſionem, ſed hoc non eſt excęcare intellectum. hæc concluſio eſt Scoti vbi ſupra, & habet tres partes, prima quod ſynderesis quoad actum eius immediatum non poteſt extingui per errorem, & hæc probata eſt in ſuperiori concluſione. Secunda quod poteſt impediri per auerſionem, & hæc probatur, quia poteſt non præſentari principium practicum ipſi intellectui, etiamſi ipſi termini ei proponantur, & per conſequens tunc non fiet apprehenſio terminorum, neque iudicium aliquod, probatur antecedens. quia intellectus non ſemper aduertit ad quæcunque euidentia per ſe nota ei propoſita, etiam quia poteſt voluntas imperio ſuæ libertatis diſtrahere intellectum, ne ſufficienter aduertat circa illa principia, & poteſt etiam conuertere ipſum ad conſiderandum alia, vt dicit Scotus in hac quæſt. ſub litt. G. § Priuatiue quia auertit. &c. Tum etiam quia poteſt ratio turbari tantum pęnis, & delectationibus aut alia indiſpoſitione, vt infirmitatis, & lęſionis organorum, quod terminos principij clare apprehendere non poſſit, aut ſe ad ipſum principiū conuertere ipſum aduertendo, atque ita impediri quantū ad aſſenſum, poteſt namque aliqua paſſio delectationis triſtitiæ, aut timoris, aut iræ, & huiuſmodi, aut aliqua infirmitas vel indiſpoſitio, vel læſio tanta & tam vehemens poteſt adeſſe, ſeu aduenire corpori, aut eius organo, vel potentiæ, aut phantaſiæ, & inde in intellectum redundare, quod perturbet ipſam rationem, ne poſſit tunc clare apprehendere terminos primi principij, aut ne poſſit ſe conuertere ſufficienter ad bene circa ipſum aduertēdum, & per conſequens ne producat aſſenſum ipſius, vt patet in amentibus & phreneticis.

Tertia pars concluſionis eſt, quod ſic auertere ſeu impedire intellectum, non eſt excęcare. hanc particulam probat Scotus in hac. quæſt. ſub littera E. § Si concedas concluſionem, & dicas quod ideo voluntas intellectum excęcat: quia auertit intellectum à conſideratione recta, &c. (Scotus.) Hæc eſt vna euaſio quam poſſet adducere Henricus ad primam rationem ſecundæ concluſionis. nimirum quod duobus modis intelligi poteſt voluntatem prauam excęcare intellectum: vno modo per errorem; ita vt faciat intellectum errare circa primum principium practicum: altero modo per auerſionem. i. quod voluntas auertat intellectum à conſideratione recta. Secundo modo (diceret Henricus) intelligo voluntatem excęcare intellectum, non primo modo.

Contra auertere intellectum à conſideratione, non eſt excęcare intellectum, quia ſic poſſet auertere etiam ſtante ſynderesi, & prudentia; poſſibile eſt enim prudentem non ſemper conſiderare ea quæ ſunt prudentiæ; ſed voluntariè quandoque alia, ſed ſtante actuali ſynderesi, aut prudentia, ſeu recto dictamine in intellectu, non poteſt dici intellectus excęcatus, ergo ex hoc ſolum, quod voluntas auertit intellectum ab actuali conſideratione recta circa ea, quæ ſunt prudentiæ, non dicitur excęcare intellectum, cum vt ſic nullus ſit error in intellectu.

Præterea velle auertere ex parte voluntatis requirit in intellectu aliquod intelligere, quod eſt ſimul tempore & prius natura, quam ſit velle auertere in voluntate; ſed illud intelligere in intellectu eſt rectum dictamen rectæ rationis in intellectu exiſtens, à quo voluntas vult eum auertere; ergo ſequitur quod velle auertere in voluntate, non eſt peccatum per ſe: quia ſtat cum recto dictamine. Nam vult Henricus, vt videbimus inſequenti art. quod ſtante recto dictamine in intellectu voluntas non poteſt male velle. eſto ergo q intellectus dictet, Deum eſſe ſumme diligendum, & quod voluntas velit intellectum ab eo recto dictamine auertere, illud rectum dictamen, & velle, quo voluntas vult intellectum auertere, ſtant ſimul tēpore, licet rectum dictamen ſit prius natura quam velle, ergo ſequitur quod velle auertere intellectum non eſt peccatum, quia ſtat ſimul cum recto dictamine intellectus, & ſecundum Henricum ſtante recto dictamine in intellectu voluntas non poteſt male eligere, atque adeo cum non ſit error in voluntate, non poterit auertendo intellectum excęcare.

Et ſi dicatur, quod ille actus præuius ipſi velle auertere, eſt alius à dictamine recto; tunc quæro, aut ille actus præuius eſt rectus, & tunc ſequitur idem quod prius, ſ. quod velle auertere non ſit peccatum, atque ita ad ipſum non ſequitur excęcatio; aut ille actus præuius ipſi velle auertere non eſt rectus, ergo non erit excęcatio in intellectu ſequens ipſum velle auertere in voluntate, quia præcedit illud velle; atque adeo non excęcatur intellectus à voluntate.

Præterea aut ſtante recto dictamine voluntas male eligit, & ita habetur propoſitum; ſ. quod ſtat rectum dictamen in intellectu cum mala electione in voluntate, atque ita deprauata voluntas non excęcat intellectum; aut ſi male eligit, & iſto non ſtante eligit; id eſt, aut non exiſtente recto dictamine in intellectu voluntas male eligit, ergo male eligit præuio aliquo alio actu intellectus, & non recto: quia ſi eſſet rectus per ſe voluntas non peccaret eligendo, quia ſtante recto dictamine in intellectu dicis qđ voluntas non poteſt male velle, ergo ille actus alius non rectus, erit præuius ipſi malo velle, & non erit non rectus per aliud malum velle: quia non eſt circulus nec proceſſus in infinitum in cauſis & cauſatis; ſed per ſe dictamen non rectum intellectus eſt cauſa malæ electionis in voluntate; ergo mala electio in voluntate non poteſt eſſe cauſa dictaminis, vel actus non recti in intellectu; & per conſequens non excęcat ad illud malum dictare: quia per ſe ſequitur ad illud velle malū, id eſt, malum velle ſequitur ad illud malum dictare, & malum dictare præcedit malam electionem.

Quarta Concluſio. Synderesis quantum ad actum mediatum, ſcilicet quantum ad actus deductos ex principijs deliberatione media, qui actus ſunt actus immediati conſcientiæ, impediri poteſt, ſicut & conſcientia poteſt errare; ita vt quantum ad actum mediatum ita eſt dicendum de ſynderesi, ſicut de conſcientia, quia actus mediatus ſynderesis eſt actus immediatus conſcientiæ. probatur, quia conſcientia dicit notitiam concluſionis particularis, ſicut dictum eſt ſupra, ſed talis notitia dependet ex maiore vniuerſali, & minore particulari, circa quam intellectus poteſt errare, vel quia minor illa eſt contingens, & non neceſſaria, vel quia dato quod ſit neceſſaria, non tamen eſt per ſe nota; ſed intellectu errante circa minorem, neceſſario errat circa concluſionem, quam deducit ex tali minore: ergo &c. 4. Concl.

Præterea de eodem obiecto in particulari poſſunt haberi oppoſiti actus credendi, vel oppoſitæ fides, nimirū de Chriſto credit Chriſtianus quod eſt Deus. Saracenus, vel Iudæus quod nō eſt Deus, & conſequenter ſunt diuerſę conſcientiæ; nēpe conſcientia Chriſtiani, quod eſt adorandus, & conſcientia Saraceni quod non eſt adorandus, & per conſequens altera eſt erronea; alioquin contradictoria eſſent ſimul vera. ergo &c.

Item intellectus ad quem pertinet conſcientia dependet in actu ſuo, & mouetur ſaltem remote a phantaſmate, phantaſia autem eſt mater erroris circa illa, quæ non ſunt per ſe nota, circa quæ verſatur conſcientia, ergo conſcientia poteſt errare, vel eſſe erronea, ſiue ſit in actu, ſiue in habitu.

Et ſi dicatur, quod conſcientia errare non poteſt, tum quia eſt lex naturalis mentis noſtræ, tum quia eſt quædā ſcientia, in ſcientia autem non eſt error. Tum quia ſi conſcientia erraret, hoc præcipue contingeret ex vehementia paſſionis; ſed hoc eſt falſum: quia etiam ipſa remurmurat in paſſione.

Reſpondeo, quod conſcientia non eſt talis lex, quæ non poſſit eſſe obliqua, & non recta, ſed tantum ſynderesis in mente noſtra eſt eiuſmodi lex. Ad ſecundum dico, quod non ſemper conſcientia eſt vera ſcientia, ſed exiſtimata, & eſt erronea frequenter, quia non ſemper concluſio euidenter deducitur ex principijs practicis, quia poteſt intellectus errare in ſubſumendo minorem. Ad tertium dico, quod circa paſſionem poteſt aliquis ſe bene habere, & male; nec oportet quod paſſio inducat errorem; quia aliunde poteſt induci, atque ita & cum paſſione, & ſine paſſione, ita vt conſcientia poſſit eſſe erronea, & approbatiua falſorum pro ueris, vel reprobatiua verorū pro falſis. Reijcitur ſententia

Ex his patet falſum eſſe id, quod dicit Corduba loco ſupra Cordubæ.

pra

pra allegato, nempe quod malitia voluntatis poteſt extinguere ſynderesim quo ad actum eius immediatum, ita vt deprauata voluntas poſſit imperare intellectui, vt diſſentiat primis principijs per ſe notis, etiam terminis clare apprehenſis, & aſſentire eorum oppoſitis: quia habita notitia terminorum principij practici, aut poteſt intellectus habere notitiam veritatis illius principij aut non; ſi non, ergo nihil poſterius poteſt cognoſcere, quia amota prima notitia, amouetur poſterior, & destructis primis ſubſtantijs impoſſibile eſt aliquid aliorum remanere, & ignoratis primis principijs nihil ſcitur, vt docet Ariſt. 1. Poſt. Aut poteſt habere talem notitiam, & tunc vel ex terminis ipſius, & habetur propoſitum, vel ex alio principio magis noto, atque ita illud non eſt principium, & erit proceſſus in infinitum in principijs, quem negat Ariſt. vbi ſupra, vel habet eam à poſteriori magis noto, & hoc eſt impoſſibile: quia in principio concurrunt & notius ſimpliciter, & notius quo ad nos. i. primum principium, & eſt notius ſimpliciter, & eſt notius quo ad nos. In ſynderesi ergo reſpectu primorum principiorum per ſe notorum non contingit error, quod verum eſt ita in practicis ſicut in ſpeculabilibus. Tum quia talia ſunt manifeſta, & patentia de ſe ſicut ianua in domo. Tum quia ſi in principijs contingeret error, & per conſequens de eis contingeret dubitare, nihil poſſet ſciri: quia principium tale per ſe notum non poteſt ex alio demonſtrari. Tum quia circa concluſionem euidenter deductam ex principio non contingit errare, ſed intellectus tali concluſioni naturaliter aſſentit, & veraciter, ergo nec multo minus circa principium: Tum quia prima principia ſunt talia, vt nullus poſſit ea mente negare. 4. Met. & 1. Poſt. Vnde ſi error eſt in principijs aliquibus, non eſt in principijs primis, ſed in principijs ſecundarijs, quæ non ſunt per ſe nota, ſed concluſiones ex alijs principijs dependentes. & quod hoc habeat veritatem in principijs practicis patet.

Non ſolum enim in ſpeculabilibus. ſunt aliqua principia per ſe nota, verum etiam in agibilibus; alioquin non eſſet aliqua ſcientia de moralibus, ſed vel eſſet proceſſus in principijs, vel nullum eſſet notum; imo nec aliqua concluſio. Nam principia agibilium non poſſunt eſſe nota ex principijs ſpeculabilium, ſed ſolum ipſæ concluſiones ſpeculabilium notę ſunt ex illis tanquam dependentes ex eis, oportet ergo dare in agibilibus principium, vel principia per ſe nota naturaliter, de quibus non contingat aliquem dubitare, & quorum termini ſint naturaliter noti vt videtur, ſicut & terminus entis in communi, nec accipitur notitia eorum ex alijs.

Voluntas, enim pro omni inſtanti poteſt velle bonum, vel nolle malum, ſic quod intellectus poteſt cognoſcere voluntatem bene, vel male velle, vel bene velle, vel nolle, alioquin non vellet, vel nollet meritoriè, ſed planum eſt, quod hoc poſito, oportet, quod volens habeat notitiam diſtinctam boni, vel mali. Tunc quæro, aut illud bonum eſt per ſe notum intellectui ſub ratione boni, vel non, ſed ex alio: ſi per ſe & naturaliter, habeo propoſitum; ſi non, tunc quæritur de illo alio bono, & eſt proceſſus in infinitum, vel oportet ſtare ad aliquod per ſe notum bonum, vel ad bonum per ſe notū naturaliter, bonum ſaltem in communi, ſicut & ens; igitur oportet intellectum habere naturaliter notitiam boni conuenientis intellectuali naturæ, & ſimiliter mali diſconuenientis, & per conſequens notitiā primi principij agibilium. v. g. quod bonum eſt proſequēdū, & malum eſt fugiendum, & talis notitia ad ſynderesim pertinet. circa quam per errorem excęcari non poteſt.

Ad authoritates, quæ videntur probare malitiam excæcare intellectum, optime reſpondet Doct. in hac quæſt. ſub litt. G. §. Et ſi tunc quæritur quomodo malitia &c. vbi dicit quod dupliciter intelligi poteſt malitiam voluntatis excæcare intellectum, vno modo priuatiue, alio modo poſitiue. Priuatiue quia auertit à conſideratione recta: Voluntas, enim eligens oppoſitum alicuius dictati, non permittit intellectum diu ſtare in illo recto dictamine, ſed auertit ipſum ab illo, & conuertit ad conſiderandum rationem pro oppoſito, ſi quę poſſunt eſſe ſophiſticæ, vel probabiles; aut ſaltem auertit intellectum à prædicto ſuo recto dictamine, ad conſiderandum aliud impertinens; ne ſtet illa actualis diſplicentia, quæ ſtat in remorſu illo, qui habetur in eligendo oppoſitum dictati: exemplum, intellectus dictat, quod eſt caſte viuendum, & voluntas eligens oppoſitum, ſcilicet velle fornicari, auertit intellectum ab illo recto dictamine, & præcipit ei vt inueniat rationes probabiles, vel ſophiſticas, probantes fornicandū eſſe; vel ſaltem conuertit intellectum ad conſiderandum aliquod impertinens, ne ſtet in voluntate, illa actualis diſplicentia, quam patitur ex remorſu illo, quem habet voluntas eligendo oppoſitum dictati. ſ. fornicari, atque ita ſtante defectu rationis, ſiue conſiderationis debitæ, iam voluntas eligit malum ſub aliqua conſideratione boni ſaltem apparentis, fitq; omnis ignorans malus, i. inconſideratus priuatiue.

Malitia duob. modis poteſt excęcare intellectū.

Poſitiue autem excæcat ſic: Nam ſicut voluntas rectè eligens finem præcipit intellectui conſiderare illa media, quæ ſunt neceſſaria ad illum finem, & intellectus ſic inquirendo media ordinata ad illum finem rectum, generat in ſe habitum prudentiæ. Ita voluntas eligens ſiue præſtituēs ſibi malum finem (poteſt n. ſibi præſtituere malum finem, vt dictum eſt in 1. d. 1. q. 1.) ſub ſpecie boni alicuius, vtilis, aut delectabilis, vel honeſti, imperat intellectui conſiderare media neceſſaria ad conſequēdum illum finem; de quo bene dicit D. Auguſt. de Ciuit. Dei, quod voluntas habet ſuas virtutes ſicut ibi pertractat. i. voluntas, præſtituens ſibi malum finem, præcipit intellectui inuenire media neceſſaria, ad delectabilia proſequenda, & triſtia oppoſita fugienda. Et ſicut ex imperio voluntatis bene eligentis generatur in intellectu bene dictante circa media ad illum finem bene electum perquirendum habitus, qui eſt prudentia; ita ex voluntate male eligente, habitus acquiſitus ex dictamine circa ea, quæ ordinantur ad malum finem electum, eſt error, & habitus directe oppoſitus habitui prudentiæ, & poteſt vocari imprudentia, & ſtultitia, quo in ſacra Scriptura omnis peccator vocatur ſtultus, & omne peccatum ſtultitia, & imprudentia; vt patet Prouerb. 1. & alibi ſæpius; & hoc non tantum priuatiue, ſed poſitiue, & contrarie: quia. ſ. eſt habitus, quo prompte talis imprudēs inueniat media ordinata ad malum finem à mala voluntate præſtitutum. Quia ſicut prudens habet habitum, quo rectè eligit ordinata ad finem debitum; ita imprudens vel ſtultus habet habitum, quo prompte eligit ordinata, ad finem præſtitutum à mala voluntate, & talis habitus generatur ex imperio malæ voluntatis malę eligentis. Pro tanto igitur verum eſt quod voluntas mala excæcat intellectum; non quidem faciendo errare circa aliqua complexa, ſed faciendo intellectum habere habitum conſiderandi aliqua media ordinata ad malum finem, & totus ille habitus eſt error in agibilibus, licet non ſit habitus deceptiuus quantum ad conſiderationem ſiue ſpeculationē. hoc eſt. error ille licet non ſit deceptiuus quo ad ſpeculationē: quia non eſt error in cognitione veri, nam illa media inuēta ad finem malum præſtitutum, ſunt vera media ad illū finem conſequendum. exemplum. Ad malum conſequendum, vtendum eſt malis medijs, ſed volo de inimico meo vindictam ſumere, ergo oportet quod inueniam mala media pro hoc fine conſequendo, at medium congruum etſi moraliter malum pro hoc malo fine conſequendo eſt propinare illi venenum: ergo debeo illi venenum propinare; patet quod iudicium intellectus de veneno propinando eſt malum practice, & tamen eſt verum ſpeculatiue: quia verum eſt quod ad hoc, quod homo conſequatur malum finem, requiruntur mala media. Eſt tamen illud iudicium malum in moribus & ignorantia electionis; quia cum finis præſtitutus malus ſit, & malitia dicitur error in moribus, omnia quæ ad hunc finem ordinatur mala ſunt, atq; ita erronea in moribus iuxta illud Prouer. 14. Errant omnes qui operantur malum. Et hoc eſt quod ſatis obſcure vult dicere Scotus, cum inquit, & totus ille habitus eſt error in agibilibus, licet nō ſit error deceptiuus, quantum ad conſiderationem, ſiue ſpeculationem. Et huius habitus fecit mēntionem Apoſt. ad Epheſ. 5. Propterea nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes, quæ ſit voluntas Dei &c. & Moyſes in Cantico Deut. 32. Vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent, Quibus verbis tangit tres partes conſtituentes prudentiam, nempe conſiderationem præteritorum in eo verbo ſaperent, præſentium in illo verbo intelligerent, & futurorum per illud verbum, &

D. Auguſt.

nouiſ-

Digitized by Google

nouiſſima prouiderent, indicans per hoc illos de quibus ibi loquitur fuiſſe imprudentes.

Et per hoc patet ad authoritates in oppoſitum, ad primã D. Auguſt. cum inquit, quod obumbratio mentis ſequitur eos &c. dico quod verum eſt priuatiue, vel poſitiue, ſed non quod voluntas obſcuret intellectum per errorem, i. quod faciat illum errare circa principia agibilium, & concluſiones, quæ euidenter ex illis principijs deducuntur, ſed modo ſupra explicato.

Ad D. Dionyſium cum dicit, quod nullus operatur malum, ad malum aſpiciens, dico ꝙ dictum Dionyſij poteſt intelligi dupliciter, primo ad malum aſpiciens in ratione iudicantis. Secundo ad malum aſpiciens ſub ratione apprehenſi, & cogniti: primo modo eſt verum, quod nullus peccat ad malum aſpiciens, quia intellectus non iudicat malum, vt malum, eſſe eligendum. Secundo modo non: quia poteſt intellectus apprehendere malum ſub ratione mali, & voluntas poteſt illud eligere, & tunc peccat ex certa malitia.

Ad aliud cum dicitur ex Philoſ. 3. Eth. omnis malus eſt ignorãs, quæ oportet operari, & reſpui; ſed malus eſt, malum eligens, ergo omnis mala electio præſupponit ignorãtiam agendorum, at vbi eſt rectum dictamen non poteſt eſſe ignorantia, ergo nec mala electio, nec per conſequens ab ipſo dictamine diſcordans. Dico primo quod Philoſ. loquitur ibi de ignorantia voluntaria, quia qui vult ignorare, malus eſt. Dico ſecũdo, quod omnis malus eſt ignorãs nõ formaliter, ſed interpretatiue, quia agit ac ſi eſſet ignorans, vnde non credo, quod Diabolus ſiue ante, ſiue poſt peccatum ſit ignorans formaliter de peccato ſuo. Dico tertio ꝙ auth. non eſt contra nos: quia etſi malus eſt ignorãs, non conſiderando vera bona finis, aut mediorũ, ſed apparentia amplectendo pro veris; non tamen ſequitur quod omnis bene iudicans de agendis, & ita prudens, ſit nõ malus ſiue bonus. Dico quarto, & magis ad mentem Doct. ꝙ non eſt intelligendum, quod omnis malus eſt ignorans, ſic vt illa mala electio corrumpat dictamen verum faciens exiſtimari eſſe falſum quod prius reputabatur verum, ſed malus dicitur ignorans priuatiue; quia vt liberius, & ſine triſtitia maneat in peccato deſinit dictare, quia voluntas auertit intellectum ab actu intelligendi, & dictandi illud verum practicum, cuius contrarium prælegit. Nam actu verum non conſiderans, dicitur negatiue ignorans. falſum eſt ergo quod ratio aſſumit. ſ. quod omnis mala electio præſupponat ignorantiam eius, cuius eſt, non. n. pręſupponit ignorantiam niſi peccatum ex ignorantia, ſed ipſam conſequẽter efficit, vel priuatiue, vel etiam poſitiue, & contrarie. Intelligendum eſt ergo omnem malum eſſe ignorantem, non antecedenter, ſed conſequenter; non. n. ignorantia malam electionem, vel malitiam præcedit, ſed conſequitur priuatiue vel contrarie poſitiue.

Omnis malus ignorans quomodo intelligatur.

Ad illud ſapientiæ. 2. excęcauit eos malitia eorum, dico quod verum eſt negatiue, vel contrarie, & poſitiue, ſed non per errorem.

Ad rationem vero cum dicitur, quod ſi prima mala electio non excęcaret intellectum &c. dico, quòd ſi intelligat quod malitia voluntatis excęcat intellectum, conſequenter verum dicit, ſi autem intelligat antecedẽter, dico quòd eſt falſum.

Argumẽta Cordubę ſi aliquid concludunt faciunt pro tertia Concluſione. ſolum explicandæ ſunt duæ primæ authoritates Ariſt. Vnde quando dicit Ariſt. 3. Eth. Vitioſus qui iam habitum acquiſiuit habet ignorantiam finis. Vnde & qualis vnus quiſque eſt &c. Dico quod vitioſus nõ habet ignorantiã finis in vniuerſali, ſed in particulari ſuppoſito tamen, quod omnis malus ſit ignorans, de quo ſatis dictum eſt ſupra, finis autem in communi, & bonum, ad principium primum agibilium pertinet, non autem hic, vel ille in particulari; habet ergo rectum iudicium habituale de principio, & actuale quando occurrit, ſi non abſorbeatur à paſſione, & tunc omnino non intelligit nec per conſequens errat, ita vt vel intelligat principium, & tunc circa illud non errat, quia eſt ſibi per ſe notum; vel omnino non intelligat, & tunc etiam non errat.

Ad illud. 6. Eth. Malitia corrumpit principia practica prudentiæ, & facit ea non apparere, dico quod verum eſt priuatiue, vel poſitiue, & contrarie, modo ſupra explicato.

Authoritas. 2. Rhetor. facit pro tertia Concluſione. Pręterquam quod has duas vltimas authoritates in Ariſt. reperire non potui

ARTICVLVS VII.

Vtrum Prudentia ſit connexa cum morali virtute.

Senſus Articuli.

SEnſus huius articuli eſt, an ſtante recto dictamine in intellectu quod dicitur prudentia neceſſario ſequatur actus virtutis, vel electio recta in voluntate, ſi habituali, habitualis, ſi actuali actualis, adeo vt ſicut ad rectam electionem ſequitur rectum dictamen, (ſequitur enim, eſt actus virtutis, ergo præceſſit rectum dictamen) ita ſequatur eſt rectum dictamen in intellectu, ergo eſt actus virtutis in voluntate.

D. Thom.

De hac re fuit ſententia D. Thomæ. 1. 2. q. 58. art. 5. vbi docet prudentiam eſſe non poſſe ſine virtute morali, & q. 77. art. 2. vbi ſcribit, quod impoſſibile eſt peccatum eſſe in uoluntate ſine errore ex parte intellectus. Quam ſententiam ſecuti ſunt Hẽricus de Gand quol. 5. q. 17. & Gotfredus de Fontibus. quol. 5. q. 12. quol. 8. q. 16. quol. 19. qu. 13. & quol. 12. q. 2. quibus in locis dicunt quatuor: primo dicunt quod voluntas non poteſt male eligere; niſi intellectus male dictet. Secundo dicunt quod ſtante dictamine recto intellectus voluntas non poteſt male eligere. Tertio dicunt quod ſtante errore in intellectu neceſſario eſt error in voluntate; poſtremo dicunt quod licet ſimul tempore ſit error in intellectu, & in voluntate, tamẽ poſterius natura eſt error in intellectu, quam in voluntate, quia ſecundum eos (vt vidimus in ſuperiori art.) malitia voluntatis exca cat intellectum.

Henricus. Gotfredus.

Ariſtot.

Primum dictum probant per Ariſt. 6. Eth. 15. vbi docet, quòd ſi voluntas male eligit intellectus male dictat. Item in lib. de motu animalium. ſi maior, inquit, practica proponatur ab intellectu, & minor ſumatur à ſenſu, vel phantaſia concluſio erit operatio, ita vt neceſſario eſt operari ſecundum eam ſi non impediatur, ergo ſecundum eum nũquam eſt operatio contraria dictamini rationis. Item 6. Eth. c. 15. inquit, licet quis poſſit agere contra ſcientiam in vniuerſali, & in habitu non tamen in actu, & in particulari. Vnde dicit quod habentem intellectum de aliqui, & exiſtimationem in vniuerſali, & cum hoc in particulari neceſſe eſt potentem nõ prohibitum operari. v. g. ſi omne dulce oportet guſtare, & hoc, puta vinum, eſt dulce, ergo potẽtem, & non prohibitum neceſſe eſt guſtare, ſed hoc non eſſet verum, ſi voluntas poſſet eligere diſformiter dictamini præcedenn. ergo &c.

Buridan.

Eandem ſententiam ſecutus eſt Buridanus. 7. Eth. q. 7. vbi quærit. Vtrum voluntas poſſit ferre in oppoſitum illius, quod eſt dictatum per rectam rationem, ad quam difficultatem reſpondet per aliqua dicta. Primum voluntas non poteſt ferri in obiectum vt voluntas, niſi iudicet intellectus illud eſſe bonum ſecundum rationem vniuerſalem boni, vel ſecundum rationem particularem bonitatis, puta delectabilis, vel vtilis, vel honeſti. Hanc ſententiam tenet etiam Adam Godam in 1. d. 1. quod ex ſimplici apprehenſione voluntas, vt voluntas, non poteſt ferri in obiectum, & quemcumque actum habet ex ſimplici apprehẽſione, talis eſt naturalis, & Caiet. 1. 2. q. 77. art. 2. ſed oppoſitum tenet Scotus in 2. d. 6. q. 1. & in quol. q. 17.

Adam.

Caietan. Scotus.

Secundum dictum. Quamuis ſit iudicatum bonum in ſe, & non ſit iudicatum bonum ſibi, voluntas non neceſſario fertur in illud, dat duo exempla; primum latro iudicat iuſtitiam bonam, & iudicem bonum, ſed quia non iudicat iuſtitiam fieri eſſe ſibi bonum, ideo non amat iudicem neque iuſtitiam, aliud exemplum eſt de demone.

Tertium dictum, quamuis intellectus iudicet obiectum eſſe ſibi bonum, ſi iudicat præciſe eſſe ſibi bonum ſecundum vnam rationem bonitatis, & non ſecundum omnem, vel ſolum iudicat ſibi vtile, vel delectabile, non neceſſario tunc voluntas fertur in illud obiectum, patet: quia tunc ad nihil deſeruiret libertas voluntatis, & eſſet potentia pure naturalis ſicut ſenſus; Nam ſi ad omne iudicium oſtendens aliquid eſſe bonum alicui, voluntas neceſſitaretur ad illud, ipſa non eſſet libera.

Quar-

Digitized by Google

Quartum dictum. Si obiectum iudicetur ſolum ſecundum rationem vniuerſalem bonitatis, & non ſecundum aliquam rationem particularem; non neceſſario ſequitur operatio in voluntate, ſeu voluntas non neceſſario fertur in illud, vt ſi oſtenditur eſſe bonum, non tamen ſub ratione boni vtilis, delectabilis, vel honeſti; probat: quia ratio particularis plus mouet quam vniuerſalis; ſed particularis ratio boni non neceſſitat voluntatem, vt dictum eſt in tertio dicto, igitur à fortiori nec ſola ratio vniuerſalis ipſius boni neceſſitat voluntatem, vt feratur in illud.

Quintum dictum. Quando intellectus iudicat obiectum eſſe bonum ſecundum omnimodam rationem bonitatis, etiam in ſpeciali, at non certitudinaliter, ſed opinatiue; adhuc voluntas non neceſſario fertur in illud, ſed poteſt diſcutere, vt efficiatur certus, hoc eſt ſi iudicat illud eſſe bonum ſecundum vniuerſalem rationem bonitatis pariter, & particularem, ſcilicet quod ſit honeſtum, vtile, & delectabile, cum hoc tamen dubitat an ita ſit, non neceſſario fertur voluntas in obiectum ſic ſub dubio oſtenſum.

Vltimum dictum in quo iacet tota difficultas eſt, quandocumque intellectus certitudinaliter, & ſine dubio aliquo iudicat aliquod obiectum eſſe bonum ſecundum omnimodam rationem bonitatis, tam in vniuerſali, quam in particulari, & nullam inuenit rationem mali, ſed iudicat illud eſſe ſimpliciter bonum, & ſimiliter ſecundum omnem rationem eſſe bonum, & nullo modo malum, tunc voluntas non poteſt non ferri in illud obiectum, & in iſto dicto ſatis concordat Buridanus cum S. Thoma, adeo vt ſententia Buridani ſit, quod ſi intellectus iudicet de tali obiecto certitudinaliter quod ſit bonum ſecundum omnimodam rationem bonitatis, tam in vniuerſali, quam in particulari, & nullam reperit rationem malitiæ; ad tale dictamen neceſſario ſequitur bene operari, in ipſa voluntate, & hoc expreſſe dicit D. Thomas.

Aliqui tamen gloſſant D. Thomam, imo ipſemet 1.2. quæſt. 10. artic. 2. ait, quod voluntas neceſſitatur quoad ſpecificationem actus, non tamen ad exercitium actus. ita, ſcilicet vt non neceſſario habeat actum, ſeu vt non neceſſario velit illud, ſed poteſt non velle illud, & ſuſpendere actum ſuum circa illud. tamen non poteſt nolle illud, & ideo neceſſitatur ad non nolendum, & hoc eſt neceſſitari ad ſpecificationem actus.

Probat Buridanus dictum ſuum: quia dicit quod vnuſquiſque experitur in ſe, quod quando videt, & iudicat aliquid eſſe ſibi ſimpliciter, & ſecundum omnem rationem bonum, & nullo modo eſſe malum nec ſibi, nec alteri, non poteſt non velle illud.

Item quando præſentantur per intellectum voluntati duo bona non poteſt voluntas velle minus relicto maiori bono, vt ipſe probauit in tertio, igitur illud quod oſtenditur ei ſimpliciter, & maxime bonum, & nullo modo malum, neceſſitabit eam ad illud volendum.

Item voluntas neceſſario fertur in finem, in particulari ſibi oſtenſum, igitur oſtenſio melioris finis neceſſitat voluntatem ad omittendum minus bonum finem, & ſimpliciter, & ſumme bonus finis neceſſitat ſimpliciter eam.

Corduba. Corduba lib. 2. quæſt. Theologic. quæſt. 12. Reſpondens ad quæſt. diſtinguit primo de prudentia dicens, quod duplex eſt prudentia, primo modo fuſe accepta, & eſt iudicium practicum rectum de agibilibus oſtenſiuum.

Secundo modo preſſe, & proprie, & eſt recta ratio ſeu iudicium practicum rectum de agibilibus, conforme recto appetitui; ita vt ſit dictamen præceptiuum includens rectum appetitum: hac diſtinctione poſita ponit quatuor propoſitiones, duas formaliter, & aliæ duæ elici poſſunt ex duabus reſponſionibus ad duo dubia.

Prima propoſitio eſt. Stante recto iudicio prudentiali actuali particulari ſtricte, & proprie ſumpto includente rectum appetitum, impoſſibile eſt aliter hominem agere, vel omittere; ſed ei neceſſario ſe conformat.

Secunda propoſitio. Stante iudicio proprie prudentiali prædicto actuali, & vniuerſali, cum iudicio oſtenſiuo tantū minoris, dictamen practicū concluſiuum prudentiale ſequitur, ipſumq. efficax volitio ei conformis. hanc dicit eſſe ſententiam Adriani quolibeto quarto, & in tractatu de pœnitentia. Et Caietani, prima parte Summæ. quæſt. ſexageſimatertia, vbi docet has tres propoſitiones. Prima. volitio efficax finis neceſſario cauſat volitionem efficacem omnium mediorum, quæ quis ſcit neceſſaria ad talem finem. Secunda volitio efficax maioris cum iudicio minoris ſubſumptæ neceſſario producunt volitionem efficacem concluſionis, vt volens efficaciter omnem furem ſuſpendi, & iudicans furem eſſe furem, neceſſitatur velle furem ſuſpendi. Tertia volitio efficax antecedentis cum iudicio, quod conſequens ſequitur ex antecedente, & cum volitione ſequelæ ipſius conſequentis ex antecedente, neceſſario producit volitionem ipſius conſequentis, vt volo habere filium, ergo volo eſſe patrem, volo eſſe Epiſcopus, ergo & ſacerdos. Cum ergo in iudicio propriè prudentiali vniuerſalis includatur volitio efficax ei conformis, iam cum iudicio minoris ſequitur iudicium prudentiale proprie de aliquo particulari, & volitio efficax eius, ſi non proueniat impedimentum, naturale, vel ſupernaturale. *Adriani. Caietan.*

Tertia propoſitio ſtante iudicio prudentiali vniuerſali proprie ſumpto ſine alio iudicio particulari, minoris, voluntas non ſe conformat illi neceſſario, imo poteſt ſe diſformare contrarie, & contradictorie in exercitio ſeu in executione. Verbi gratia. Habito tali dictamine præceptiuo, danda eſt eleemoſyna pauperi, ſi non adſit cognitio, quod iſte eſt pauper, non neceſſario ſequitur volitio efficax dandi ei eleemoſynam, aut alteri pauperi, & ratio eſt: quia cum operationes ſint ſingularium, ſi non adſint dictamina particularia ſibi reſpondentia proprie ſumpta, quæ ſunt formaliter, & immediate imperatiua executionis non ſequitur volitio efficax: nam vniuerſale dictamen quodcumque eſt ſolum virtualiter, & mediate, ſcilicet mediante cognitione minoris ſubſumptæ, & non aliter imperatiuum executionis.

Quarta propoſitio. Stante recto, & pleno iudicio ſeu dictamine prudentiali extenſe ſumpto, vel iudicio pleno oſtenſiuo tantum, quod idem eſt, quo videlicet quis tam in vniuerſali, quam in particulari, actualiter plene, & recte, & certo iudicat aliquid eſſe omnino bonum ſecundum omnem rationem boni honeſti, vtilis, & delectabilis, abſolute, & reſpectiue, ſcilicet tam in ſe quam in ordine ad aliud, id eſt, tam vt bonum ſimpliciter, quam vt bonum ſibi, vel alteri, vel etiam in ordinem ad quod quocumque aliud bonum, ita, vt nulla ratio mali alicuius appareat in eo, imo, & quod tunc omnibus alijs poſtpoſitis id eligendum eſt, tunc voluntas viatoris non neceſſario ſe conformat illi iudicio poſitiue illud volendo, ſed poteſt ſe illi diſformare priuatiue, ſeu, vt alij dicunt omiſſiue ſe habendo, quod Thomiſtæ dicunt quo ad exercitium actus; Non tamen poteſt ſe illi iudicio diſformare contrarie, ſeu poſitiue actum nolitionis illius obiecti producendo; imo ſi vult reſpectu illius obiecti actum producere, neceſſario producet actum volitionis conformem illi iudicio, & ex conſequenti ex ſuppoſitione hac vel quo ad ſpecificationem actus, vt alij dicunt, non autem abſolute neceſſario ſe illi conformabit. & hæc quarta propoſitio eſt de diametro contra Buridanum, quantum ad eius primam partem, & quoad ſecundam eſt contra Scotum, Occam, Bañolum, Rubioneu, Gabrielem, Almain, & alios, vt videbimus infra.

Vnde pro explicatione huius difficultatis obſeruandum eſt primo, quòd prudentia interdum accipitur preſſe, & ſtricte pro ratione recta agibilium, cui ſe conformat appetitus, quomodo dicit Philoſ. 6. Ethic. quod eſt recta ratio agibilium conſeſſe ſe habens appetitui recto; appetitus autem non eſt rectus ſine virtute morali. Alio modo accipitur fuſius, pro recta ratione agibilium, hoc eſt pro notitia habituali, vel actuali practica de agibilibus vere, & recte dictante non curando an voluntas conſentiat, vel non. Primo modo prudentia dicit duo, ſcilicet virtutem intellectualem, & aſſiſtentem moralem; & ſic non eſt dubium, quin prudentia coexigit virtutem moralem, *Prudentia ſumitur biſariam.*

Digitized by Google

ſem, nec de illo eſt aliqua diſputatio. quia ſic non eſt aliud quærere. An prudentia ſit connexa virtuti morali; quam quærere an prudentia habens coniunctam virtutem moralem ſit connexa virtuti morali; quod nihil eſt quærere cum ſit per ſe notum. Sed de prudentia, ſecundo modo eſt quæſtio; id eſt, vtrum intellectus poſſit recte dictare de agendis, dum nulla ſit virtus in voluntate; vel an ad rectum dictare intellectus ſequatur neceſſario recta lectio in voluntate.

Secundo obſeru. eſt, quòd maxima pars huius controuerſiæ inter nos, & Thomiſtas ex eo pendet, quod ipſi tenent proprium actum prudentiæ proprie, & ſtricte ſumptæ, eſſe præcipere circa agibilia, vt patet ex Caietan. 1. 2.
Caiet. quæſt. 17. art. 1. Nam vt ibi docet actus imperij ſeu præcepti componitur, ex aliquo quod eſt intellectus, & ex aliquo quod eſt voluntatis: quia ad rationem eius tria concurrunt, ſcilicet ordinatio alicuius ad aliquid, intimatio ſeu oſtentatio ordinati, & motio, v. g. cum pracipitur eſſe temperate viuendum. ordinatur quis ad temperate viuendum, & hoc ei intimatur, & mouetur ad hoc ab imperante; ex his autem primis actibus ordinatio, & intimatio ſpectant ad rationem, tertius autem actus, ſcilicet motio affectiua pertinet ad voluntatem, quo ad exercitium, ſeu productionem actus, quamuis ratio ſit primum mouens regulatiuum eſſe moralis, vt latius oſtendit Caiet. 1. 2. quæſt. 60. art. 1. Ex his concludit quod actus imperij, qui eſt proprius actus prudentiæ, componitur ex eo quod eſt intellectus, & ex eo, quod eſt voluntatis. Nam quatenus hoc imperium eſt actus regulatiuus, vel ordinatiuus, aut intimatiuus pertinet ad intellectum, quatenus autem eſt motiuus, & executiuus pertinet ad voluntatem. Addit tamen hoc dictamen præceptiuum eſſe eſſentialiter, & elicitiue actum rationis, non quidem abſolute, ſed vt mouetur à voluntate, principaliter tamen, & formaliter eſſe actum voluntatis. Nam ſecundum D. Thom. 1. 2. quæſt.
D. Thom 13. artic. 1. actus compoſitus ex duobus ſpectantibus ad diuerſas potentias; illius eſt potentiæ eſſentialiter, & elicitiue cuius eſt materialiter, ſeu quoad ſubſtantiam actus, verbi gratia, mori propter Chriſtum licet ſit à charitate, & fortitudine, tamen elicitiue eſt a fortitudine: quia ipſius eſt quoad materiale, imperate autem eſt à charitate. In propoſito autem cum in imperando concurrat voluntas, vt primum mouens ad exercitium, & quod eſt à ſuperiori potentia in actu compoſito ſe habet, vt formale, quod autem ab inferiori ſe habet, vt materiale, & vt ſubſtantia actus, atque adeo intimatio imperatiua in prædicto imperio prudentiæ ſe habet, vt materia, & motio ſe habet, vt forma; & ideo imperium elicitiue, ſicut & materialiter, & eſſentialiter, eſt actus rationis, voluntatis autem formaliter, & principaliter, quo ad formam motionis. Vnde quando Caietan. 1. 2. quæſt. 58. art 5. dicit, quod
Caietan. præcipere eſt actus intellectus formaliter, & eſt actus appetitus virtualiter; & electio e conuerſo eſt actus appetitus formaliter, intellectus autem virtualiter, intelligit formaliter, id eſt, eſſentialiter, ſeu quo ad ſubſtantiam actus, & virtualiter, ſcilicet cauſatiue, vt patet ex dictis, & ex Beato Thoma vbi ſupra, alioqui ſibi contradiceret. Ex his autem patet, quod ſi præcipere circa agibilia eſt proprius actus prudentiæ, & hoc imperium rectum includit rectam appetitus motionem, & appetitus non eſt rectus ſine virtute; quod dictamen rectum intellectus nõ ſtat ſine recta electione in voluntate.

Ceterum, vt ſupra diximus, præter iudicium conſultationis non eſt in intellectu tale præceptum ſeu imperium reſpectu noſtrarum operationum tam voluntatis, quam aliarum facultatum, & ſatis eſt ad hoc quod voluntas eliciat, quod recta ratio proponat, & oſtendat eligibile conſultatum, præterquam quod imperium, vt diximus, non ad intellectum, ſed ad voluntatem ſpectat.

His obſeruatis reſpondeo ad quæſtionem tribus con-
1. Concl. cluſionibus. Prima Concluſio. Stante recto dictamine intellectus, poteſt voluntas velle, vel nolle actu poſitiuo contra id, quod eſt dictatum à recta ratione; ita vt poteſt eſſe rectum dictamen in intellectu, & tamen voluntas male eligere. probatur hæc concluſio (quæ eſt Scoti in hac quæſtion. ſub littera E §. Contra hoc argutur &c. Occam. in tertia quæſtion. 12. Baſſoli in 2. diſt. *Scotus.* 25. quæſtion. 2. Rubionis in 3. diſt. 36. quæſtion. 2. *Occam.* Gabrielis eadem d. quæſt. vnica. artic. 3. dub. 2. & Al- *Baſſolus.* main in moralibus tractat. 3. capitulo quarto.) ratio- *Rubion.* nibus, & authoritatibus. Prima ratio eſt talis. Ad *Gabriel.* actum qui neceſſario ſequitur alium non oportet po- *Almain.* nere habitum aliquem inclinantem, alium ab illo habitu, qui ponitur ad actum antecedentem; ſed habitus electiuus moralis alius ab habitu prudentiæ dictatiuæ inclinante ad recte dictandum, ponitur, vt inclinans ad bene, & conformiter recto dictamini eligendum, ergo ad iuſtum dictamen non neceſſario bona ipſique conformis electio ſequitur. Confirmatur, quia omne inclinans ad antecedens inclinat, & ad conſequens, quod ſequitur neceſſario ad illud antecedens, ſed habitus prudentiæ inclinant ſufficienter ad recte dictandum quid eligendum; ergo ſi ad rectum dictamen neceſſario ſequitur bona electio, non oportet ponere aliquam virtutem moralem aliam à prudentia ad eligendum conformiter recto dictamini inclinantem, ſed hoc eſt falſum, ergo, &c.

Præterea. Secundo ſi neceſſario quilibet eligeret conformiter dictamini præcedenti, non magis eligeret libere ſi vellet, vel reſpueret, quam intelligat, vel ſentiat, & tunc etiam ſequeretur quod nullus poſſet peccare, vel ſi peccaret non niſi ex ignorantia peccaret, ſed iſta omnia ſunt abſurda, ergo &c. Conſequentia probatur: quia non eſt maior libertas in aliquo reſpectu alicuius conſequentis, neceſſario ſequentis antecedens, quam reſpectu ipſius antecedentis, ſed ad rectum dictamen neceſſario ſequitur bona electio, vt ſupponis, ergo nullus eſt liberior ad eligendum dictatum, quam ad dictandum eligendum, ſed quilibet intelligens quid eſt temperate, & iuſte viuere, acquieſcit huic, & dictat temperate, & iuſte eſſe viuendum; nec poteſt dictare contrarium niſi errore deceptus, ergo nec eligere, & ita neceſſario eligit ſicut dictat, ſed nullus meretur in hoc quod non libere, ſed neceſſario facit, nec demeretur in hoc, quod vitare non poteſt, ergo nullus peccare ſeu demereri poterit, nec mereri. Vel ſi dicas, quod imo peccare poterit; hoc ſemper erit ex ignorantia & errore, probo. quia aut electionem præcedit verum dictamen, aut falſum, ſi verum non eſt peccatum, nullus enim peccat in eligendo conformiter vero dictamini intellectus, ſi falſum, & erroneum, ſequitur propoſitum, videlicet quod ex ignorantia prouenit omne peccatum. hoc autem eſt falſum. ergo &c.

Et confirmatur: quia ſi oppoſita ſententia eſt vera, nullus peccat contra propriam conſcientiam volendo aliquid, vel nolendo: quia peccare contra conſcientiam eſt velle, vel nolle contra dictamen actuale propriæ conſcientiæ, & rationis practicæ ſtante tali dictamine, alioquin non peccat contra conſcientiam, ergo &c.

Præterea. Tertio ſi rectitudinem de eligibilibus in intellectu ſequitur neceſſario recta electio in voluntate, ſequeretur, quod ſcientia recta de agibilibus plurimum faceret ad rectam electionem, conſequens eſt contra Ariſtot. 2. Ethic. ca. 2. & 4. vbi dicit, quod ſcire parum aut nihil valet ad virtutem, & patet: quia *Ariſt.* multi ſunt, qui cognoſcunt agibilia recta, & tamen male agunt, & nihil de eis faciunt. conſequentia probatur, quia ſi rectitudo intellectus requiritur ad bene operandum modo prædicto, ita vt ea ſtante non poteſt voluntas ſe ei difformare contrarie, ſeu commiſſiue, ergo iam ſcire multum valeret ad virtutem contra Ariſtot. atque ita ſequeretur quod non oporteret perſuadere alicui, quod non eſſet vitioſus, ſed quod deberet conſiderare ſecundum habitum intellectus: nam per ſe conſiderando recte ſecundum habitum intellectus voluntas non poteſt ſimul non eſſe recta, & ita non oportet perſuadere alicui de recte volendo, ſed de recte conſiderando, quod eſt euidenter falſum, & contra D. Auguſt. 3. de libero arbitrio, quod qui exiſtimat hominem non eſ- *D. Aug.* ſe monendum de numero hominum exterminandus eſt. *Caietan.* Nec valet reſponſio Caietani dicentis, quòd Ariſtot. loquitur

Digitized by Google

quitur de ſcientia morali tantum diſtincta contra ſcientiam prudentiæ; quia de illa cum ſit vniuerſalium conſtat parum, vel nihil valere ad bene viuendum; de iſta autem ſcientia prudentiæ proprie ſumptæ conſtat eſſe formam, ſeu regulam virtutum, quia hæc pendet à recto appetitu, & ideo multum valet ad virtutem, & eſt valde ſuadenda. Sed certe iſta reſponſio Caietani non eſt ad rem, quia argumentum procedit de ſcientia morali, & de iudicio oſtenſiuo, & prudentiali.

Reijcitur reſponſio. Caietan.

Corduba. Nec valet etiam reſponſio Cordubæ dicentis, quòd Ariſtot. loquitur tantum de ſcientia abſolute ſeu ſpeculatiue, & non practice ſumpta, prout nullo modo ordinatur ad voluntatem, puta quando quis ſtudet ſcire ſolum vt ſciat, & non vt ſecundum ſcientiam operetur: quia licet illa ſcientia in ſe ſit practica, quia tractat de agibilibus, & de moribus, tamen in tali homine ratione ſubiecti parum valet ad virtutem, ex quo non intendit eam applicare ad recte viuendum; ſi autem ſcite ordinatur ad voluntatem, tunc certe multum valet ad virtutem; quia qui vult recte agere, neceſſe habet plene, & recte conſiderare de requiſitis, vt non male, ſed bene agat.

Refellitur reſponſio Cordubæ. Sed hæc reſponſio licet apparentior ſit reſponſione Caietan. non eſt tamen ſecundum mentem Ariſt. Nam in illo capit. 4. 2. Ethic. oſtendit Philoſ. quod non eſt ſimile de artibus, & virtutibus: quia opera, quæ fiunt ſecundum artem, habent in ſe bonitatem, & non requirũt bonitatem in faciente, nõ ſic de operibus virtutum; in quibus tria ſunt attendenda. Primum quod operans ſit ſciens, id eſt, quòd ſciat opera illa eſſe ſtudioſa, quod ſpectat ad intellectum per prudentiam. Secundo quod operetur ex electione propter bonitatem operis ſtudioſi, & non propter lucrum, timorem, aut vanam gloriam, quod ſpectat ad appetitum. Tertio quod operetur conſtanter, & immobiliter, ita vt ſit paratus operari, cum fuerit opportunum, quod ſpectat ad habitum. Hæc autem non requiruntur ad opera artis. ſed ad opus artis ſufficit primum, ſcilicet, quod operans ſit ſciens, quod tamen parum prodeſt ad opus virtutis, vnde patet quòd Ariſt. loquitur de ſcientia in ordine ad appetitum, cum dicat hæc tria requiri ad opus virtutis.

Verba autem Ariſt. ſunt hæc. Præterea, neque ſimile hoc eſt in artibus, & virtutibus, quæ enim ab arte fiunt id in ſeipſis habent, quod bene effectæ ſint, ſatis ſiquidem illud eſt, vt quoquo modo efficiantur; quæ vero ſecundũ virtutes fiunt non ſi aliquo modo ipſa ſeſe habeant, continuo iuſte, & temperate aguntur: ſed ſi etiam qui agit aliquo modo affectus agat, primum quidem ſi ſciens, deinde, ſi eligens, atque eligens propter ipſa; tertio ſi ſtabili, atque immutabili affectu praditus agat. Hæc vero ad alias artes conſequendas connumerari non ſolent, ſed ipſa ſola cognitio ſufficit, ad virtutes autem cognitio parum vel nihil valet, reliqua non parum, ſed multum, ac totum conferunt. Hactenus Ariſtot. Vnde patet quod eo modo loquitur de cognitione, cum dicit, quod cognitio ad virtutes parum aut nihil valet, ſicut quando loquitur de cognitione cum enumerat illam inter ea, quæ ſunt neceſſaria ad opus virtutis; ſed planum eſt, cognitionem neceſſariam ad opus virtutis eſſe cognitionem practicam prudentialem, quæ dicit ordinem ad volũtatem, ergo &c.

Præterea arguitur quarto ad principale. Stante recto dictamine in intellectu, voluntas poteſt nihil eligere: quia poteſt non eligere cum ſit libera; ergo non neceſſario ſequitur bona electio: quia nulla poteſt ſequi electio, ſi voluntas non eligat. ergo prudentia non habet neceſſariam connexionem cum ſua virtute morali: quia volo, quod intellectus dictet eſſe temperate viuendum, & voluntas ſuſpendat actum ſuum, & iterum atque iterum dictet, ex illis dictaminibus generabitur prudentia, vt probatum eſt ſupra; & tamen ſine virtute temperantiæ in appetitu, ergo &c.

Secundo probatur Concluſio auctoritatibus Sanctorũ, & Ariſt. Prima auctoritas eſt D. Auguſt. ſuper illud Pſal. 123. Forte viuos degluriſſent nos. vbi dicit. Hi ſunt qui viui ſorbentur, qui ſciunt malum eſſe, & conſentiunt, & viuunt, & abſorpti moriuntur. ex qua auctoritate ſic arguitur. Aliquis ſcit malum eſſe malum, & tamen conſentit *D. Aug.*

malo, & operatur malum per malam voluntatem, ergo ſtante recto dictamine in intellectu poteſt eſſe mala electio in voluntate. antecedens patet ex D. Auguſt. Item ſuper illud Pſal. 68. Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueũ. Quid eſt, inquit, vitijs conſentientes; niſi ſcientes non debere conſentire. Ecce norunt muſcipulam, & pedem mittunt. ex quo teſtimonio ſic arguitur. Aliquis vitioſus ſcit non eſſe conſentiendum vitio, & tamen conſentit, ergo abſque errore in intellectu ſtat mala electio in voluntate. antecedens patet ex D. Auguſt.

Item ſuper illud pſal. 118. Concupiuit anima mea deſiderare, inquit D. Auguſtin. præcedit intellectus, ſequitur tardus, aut nullus affectus. ex hoc arguitur. Stat intellectum dictare bonum eſſe eligendum, & tamen voluntatem non eligere illud bonum, ergo nullo exiſtente errore in intellectu ſtat mala electio, vel ſaltem nulla electio in voluntate Antecedens eſt D. Auguſt.

Item D. Auguſt. ſuper Gen. ad literam. cap. vltimo de Salomone dicit, quod non eſt credendum, quod ipſe ignoraret ſimulachra illa non eſſe adoranda, ſed amore mulierum tractus faciebat; quod ſciebat non eſſe faciendum. Idem dicit 14. de Ciuit. Dei. cap. 41. igitur faciebat contrarium eius quod dictatum erat ſibi per rationem, & quod ipſe ſciebat in actu non eſſe faciendum.

Item D. Bernardus de lib. arb. dicit quod voluntas, licet non ſine ratione, tamen contra rationem poteſt eligere minus bonum. Nec valet dicere, quod hoc eſt verum ceſſante iudicio priori, & adueniente alio. primo hoc nihil eſt dictu, quia de hoc nullus dubitat. Secũdo quia hoc eſt plane contra eius intentionem: quia tunc non eſſet contra rationem, ſi ceſſante priori iudicio, de maiori bono eligendo, & adueniente alio de minori bono, voluntas tunc eligeret illud, quare &c. *D. Bern.*

Tertio arguitur authoritatibus Ariſt. prima eſt 3. Eth. c. 2. vbi dicit, videtur autem non eligere optima, & opinari; ſed opinari quidem melius; propter malitiam autem eligere quæ non oportet; vel ſecundum tranſlationem, Feliciani. Videntur qoud non idem optima & eligere, & opinari; ſed nonnulli ſunt qui melius opinantur, ob vitium tamen ea, quæ non decet, eligere conſueuerunt. Vbi Cõmentator inquit. Et non videtur idem ipſi eſſe eligentes quod melius, & opinantes quod melius, multi quidem opinantur quod melius, propter malitiam vero ſuam eligunt id quod deterius eſt. Ergo ſecundum ipſum electio poteſt eſſe contraria opinioni, & iudicio rationis, nec oportet quod malitiam in voluntate præcedat error in ratione. *Auerroes*

Item 3. Eth. cap. 1. eſt authoritas expreſſa. Si autem, inquit, non ignorans operetur quis ex quibus erit iniuſtus, volens vtique iniuſtus erit. Non quod non ignorans operetur iniuſte, vel ex quibus iniuſtus eſt. Item 7. Eth. cap. 8. vbi ponit differentiam inter incontinentem, & intemperatum dicit, quod intemperatus eligibiliter errans operatur malum habens principium corruptum, incontinens vero eligibiliter vincitur à paſſionibus, nec habet in ſe corruptum principium, & Commentator in fine capituli dicit, quod magis ignoſcendum eſt incontinenti, quam incaſto, id eſt, intemperato, eo quod incaſtus natura facit actiones incaſti propter ratiocinationem peruerſam, quam videt in his actionibus ex parte occaſionis, quæ fit in ipſo, ſed facit eas propter malitiam, & hac de cauſa eſt ſpecies hęc non continentiæ melior non caſtitate; neque eſt malitioſa ſimpliciter, eo quod principium actionis in ipſo ſaluum eſt, & bonum, intendo rationem, & eſt quidem victus ab occaſione &c. Hæc Auer. Et in eodem. 7. inquit, Philoſ. quod incontinens ſequitur delectationes non perſuaſus, ideſt non errans nec deceptus, ſed intemperatus ſequitur eas perſuaſus, ſed ſi voluntas non poſſet velle contrarium eius, quod dictatum eſt à ratione, ita vt neceſſario præcederet error in ratione malitiam in voluntate in actu poſitiuo, omnia eſſent falſa quacumque dicit de incontinente. Ita enim haberet principium vel rationem corruptam ſicut intemperatus, atque ita eſſet perſuaſum vni, ſicut alteri, quod eſt falſum.

Præterea in eodẽ. 7. c. 2. vbi repellit opinionẽ Socratis, qui dicebat, omne peccatum contingere, in moribus propter ignorantiam, inquit Ariſt. ille ſermo Socratis, quo dicat, nullum exiſtimantẽ præter id quod optimũ eſt age-

Qq 2 re,

Digitized by Google

re ſed ex ignoratione, dubitar in his quæ manifeſte apparent. Videmus enim habentem extimationem mali non abſtinentem ab illo, ſed ſequuur paſſiones. Verba Ariſtot. ſunt hæc. Nam vt ſciens quiſpiam agat aiunt nonnulli fieri nullo modo poſſe. Abſurdum enim eſt ſi adſit ſcientia; vt exiſtimabat Socrates, aliud quid dominari, ac quaſi mancipium hominem trahere. Socrates enim aduerſus rationem omnino pugnabat, quaſi nulla eſſet incontinentia. Neminem ſiquidem aiebat exiſtimantem præter id, quod optimum eſt, agere, ſed ex ignoratione; quæ ſanè oratio iis aduerſatur, quæ euidenter apparent. Quærendum itaque eſt circa affectum, ſi ex ignoratione agit quiſpiam, quis ignorationis modus ſit. Nam non exiſtimare, qui incontinenter agit, antequam in affectu ſit conſtitutus manifeſtum eſt, ita Ariſt. vide ibi Auerroē. & io eodem cap. remouens dubium idem confirmat Ariſtot. Poſſet enim aliquis dicere, quod aliquis extimans optimum, poteſt operari præter illud optimum, dum tamen exiſtimatio ſit debilis, puta ſi ſit opinio tantum; ſed ſi ſit exiſtimatio certa ſicut ſcientia, hoc non contingit. Contra hoc dicit Ariſtot. quod opinio poteſt eſſe firma ſicut ſcientia; quidam enim non dubitant plus de eis, quę operantur, quam de eis, quæ ſciunt; ſed ſcientia demonſtratiua non cogeret: niſi quia remouet omne dubium, & determinat ad alteram partem. Cum ergo, & hoc facare poſſit opinio, quia firmiter aliquando facit adhærere, ſicut ſcientia, ita cogeret opinio optimi ad ſequendum optimum, ſicut ſcientia optimi. Ergo ſecundum Ariſtot. ſiue opinetur aliquis ſiue ſciat aliquid eſſe optimum, tamen poteſt operari præter optimum, & contra opinionem, vel ſcientiam optimi. ergo voluntas poteſt velle vel nolle contra dictamen, & iudicium rationis. Item in eodem 7. cap. 10. poſtquam dixit incontinentem comparari non contemplanti, ſed dormienti aut vinolento, ſubdit, malignus tamen non eſt, hoc eſt licet ſe habeat ſicut vinolentus, tamen nondum peruenit ad ſtatum maligni, per malignum enim intelligit quem ſcholaſtici dicunt peccantem per malitiam: reddit autem rationem ob quam ille malignus non ſit; his verbis, electio namque eſt bona. ita Argyropolus, & Felicianus; melius tamen Lambinus. Conſilium enim eius bonum eſt. Græce eſt proæreſis, quæ vox non ſolum electionem, ſed etiam conſilium & ſcientiam animi ſignificat. porro autem in hoc loco per proæreſim non intellexiſſe Ariſtot. electionem manifeſtum eſt. Quis enim dicat incontinentem, qui in ſua operatione comparatur vinolento, & dormienti, ac proinde peccat, habere bonam electionem? Ideo autem dixit incontinentem non dum eſſe malignum; quia adhuc retinet aliquod conſilium bonum, licet leui quadam conſideratione expenſum, ſiquidem reclamante conſcientia operatur, in leui tamen conſideratione aſſimilatur dormienti, & vinolento.

Et confirmatur: quia infra in eodem. capit. de incontinente ita loquitur. Similis eſt igitur incontinens ciuitati, quæ decernat quidem omnia, quæ ſunt agenda, & leges habeat bonas, ſed non vtatur, id quod non alia ratione dixit, niſi quia incontinens adhuc, vt diximus, retinet conſilium bonum; de maligno autem ſubiungit Malignus autem qui legibus quidem vtatur, ſed prauis. Et com. ibidem dicit. Ebrius ſimilatur ei, qui ſcit & non operatur per ſcientiam ſuam, operatur enim turpe, & videt quod turpe &c. vide ibi.

2. Concl. Secunda Concluſio. Ex duobus bonis ſecundum omnem conditionem æqualibus præſentatis, & oſtenſis per intellectum voluntati, poteſt voluntas ſe determinare ad alterum eligendum, non volendo aliud ſtante omnino eodem iudicio de æqualitate omnimoda eligendorum, atque etiam ſi duo bona inæqualia præſententur poteſt eligere minus bonum, contra iudicium & dictamen rationis, & poteſt ſe ad hoc determinare libere. Probatur Concluſio: quia voluntas in ſua libertate hoc habet, quod virtualiter per modum cauſæ æquiuocæ talem determinationem contineat; Non enim repugnar effectui diſtinctionis formalis contineri in aliqua cauſa æquiuoca; & per conſequens formaliter indeterminata, quantum eſt ex ſe ad talem diſtinctionem, vel actum determinatum.

Præterea in quolibet illorum non obſtante iudicio rationis reperitur ratio obiecti ipſius voluntatis ſiue in minori, ſiue in æquali, & vtrumque eſt apprehenſum, licet ratio iudicet vnum præeligendum, vel neutrum; ergo circa illud poteſt voluntas determinate habere actum ſuum, eſto quod non circa aliud, ergo &c.

Præterea ad hoc eſt authoritas expreſſa de duobus bonis æqualibus, & æqualiter præſentatis puta de duabus pulchritudinibus. D. Auguſt. 12. de Ciui. cap. 6. vbi ita ſcribit. Si enim aliqui duo æqualiter affecti in animo, & corpore videant vnius corporis pulchritudinem, qua viſa vnus illorum ad illicite fruendum moueatur, alter in voluntate pudica ſtabilis perſeuerat qd putas eſſe cauſam, vt in vno fiat, in alio non fiat voluntas mala? & cum multas cauſas, quas aliquis aſſignare poſſet adduxiſſet ceteris reiectis propriam expreſſit his verbis. Quid aliud apparet niſi vnum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere? diuerſitatem igitur euentus in libertatem vniuſcuiuſque refert non in iudicium prudentiale præcedens.

Similiter de maiori bono eſt authoritas Diui Bernardi ſupra adducta ad primam concluſionem. lib. 3. de libero arbitrio, quare &c.

Item eſt Articulus Pariſienſis ſecundus, de voluntate, vel de libero arbitrio, qui dicit. Quod voluntas manente paſſione, & ſcientia in particulari, & in actu, non poteſt agere contra eam error. Et planum eſt quod illud agere, eſt quoddam velle, ergo voluntas poteſt velle aliquid contra iudicium rationis ſtans in particulari, & in actu. Nec poteſt exponi articulus, quod voluntas poteſt agere contrarium priori iudicio ceſſante, & adueniente contrario. Tum quia hoc eſt directe contra articulum, qui ponit ſtare iudicium, in vniuerſali, & in particulari. Tum quia fatuum fuiſſet de hac re firmare articulum: quia nullum eſt de hoc dubium, nec aliquis vnquam diceret contrarium huius expoſitionis. Tum quia hæc reſponſio eſt contra verba, & contra mentem articuli. Dicit enim articulus, quod ſcientia manente recte in vniuerſali, & in particulari &c. Tunc igitur quæro à te, quando aduenit iudicium erroneum, (vel ex paſſione, vel aliunde, non curo) ſecundum quod voluntas poteſt eligere oppoſitum eius, quod prius iudicatum eſt, & non aliàs ſecundum ſe. aut manet primum iudicium rectum cum illo erroneo, aut non; ſi manet, tunc ſtant ſimul duo iudicia contraria de eodem & intellectus ſimul eſt verus, & falſus, rectus, & erroneus, & ſimul iudicat aliquid eſſe faciendum, & non eſſe faciendum; & cum voluntas per ſe neceſſario ſequatur iudicium, & determinationem rationis, ſequitur quod ſimul velit oppoſita, & quod ſimul velit, & non velit, quod eſt contradictio plana, vel quod nihil poteſt velle, quod eſt contra ſe.

Si non manet primum iudicium adueniente ſecundo, hoc eſt expreſſe contra articulum qui dicit, quod ſtante, & manente ſcientia recta &c. & planum eſt quod intelligit in actu, quia ſtante iudicio habituali non eſt dubium, quod voluntas poteſt in oppoſitum.

Et ſi dicas, quod ſtant ſimul duo iudicia, ſed non oppoſita: quia non ſunt iudicia omnino, & ſimpliciter determinata omnibus penſatis, ſed ſecundum quid ex diuerſis cauſis, vt quod fornicandum eſt, quid delectabile eſt; & quod non eſt fornicandum: quia contra legem Dei, & iſta poſſunt ſimul ſtare: quia non ſunt iudicia ſimpliciter, & omnibus modis penſatis determinata, & deliberata.

Contra aut iudicia vera ſunt æqualia, & efficacia æqualiter, & tunc neutrum eorum poteſt velle voluntas, vel neceſſario vtrumque: quia ſecundum te eſt pure paſſiua, aut ſunt inæqualia, & tunc voluntas neceſſario ſequitur alterum, ſcilicet illud quod præexcellit, aut ergo præexcellit primum iudicium, ſcilicet, quod non eſt fornicandum: quia eſt contra legem Dei; & tunc voluntas ſequitur illud neceſſario, quod eſt contra articulum, aut aliud præcellit, & illud neceſſario voluntas ſequitur per ſe, igitur non erit dare caſum.

Digitized by Google

caſum in quo voluntas poſſit ſequi rectum iudicium, & non neceſſario ſequatur ipſum, quod eſt contra articulum expreſſe. Et præter hoc cum iudicio deliberato ſimpliciter & firmiter de aliquo agibile ſtat iudicium ſecundum quid de oppoſito, ſcilicet, ex aliqua cauſa licet non ſimpliciter, igitur non poteſt adhuc voluntas velle oppoſitum: quia habet obiectum præſens cognitum, & non eſt impedita; nec oportet quod oppoſitum iudicetur ſimpliciter eſſe faciendum, vel eligendum, ſed ſufficit quod ſit cognitum, vel ſecundum quid iudicatum, ſicut patet de quocumque alio obiecto: quare &c.

3. Concl. Tertia concluſio. Voluntas non ſequitur neceſſario rationem; ita vt non poſſit velle, vel nolle niſi quod dictatum, & iudicatum eſt à ratione, vel quod etiam non poſſit non velle illud quod iudicatum eſt à ratione, ſtante iudicio tali, ſed quod oporteat eam velle; ſed poteſt velle & nolle, ne dum non velle id quod non eſt dictatũ à ratione, imo contrarium eius quod dictatum, & iudicatum eſt à ratione. Hæc concluſio, eſt directe contra Henricum, & contra Gotfredum, & quoad primam partem ſatis probata eſt in prima concluſione; & quoad ſecundam partem, ſcilicet, quod voluntas poſſit non velle illud, quod eſt iudicatum à ratione, probat optime *Corduba.* Corduba vbi ſupra, verum quia ipſe non concedit primam partem, videtur ſibimet contradicere; Nam ſicut ſtante primo iudicio voluntas poteſt non velle illud, quod dictatum eſt, ita poteſt reflecti ſuper illud non velle actu poſitiuo, volendo ſe non velle illud, ſed hoc poſito neceſſario habetur, quod voluntas poteſt aliquid velle poſitiue, quod non eſt a ratione, vel per rationem iudicatum eſſe volendum. Nam impoſſibile videtur, quod ſimul intellectus iudicet aliquid eſſe volendum, & cum hoc iudicet volendum non velle: quia ſimul iudicaret duo contradictoria de eodem.

Ideo dico quod non ſolum voluntas poteſt contra rationis iudicium non velle, ſed etiam velle, vel nolle actu poſitiuo; & puto quod nos & ipſi hoc frequenter experimur. frequenter enim dicunt multi ſe ſcire non eſſe vitioſe operandum, & tamen ſe velle facere malum, ſimiliter ſe ſcire bonum eſſe faciendum, & tamen nolle facere bonum.

Concluſio autem quoad vtramque partem, ita probatur, quia poſitio Gotſredi tollit peccatum non ſolum commiſſionis, ſed etiam omiſſionis contra propriam conſcientiam; Nam dicit quod voluntas non poteſt omittere illud, quod dictatum eſt à recta ratione faciendum ſtante dictamine; atque ita non poteſt peccare contra propriam conſcientiam; quia niſi ſter dictamen, non eſt peccatum contra dictamen conſcientiæ.

Tres articuli excõmunicati Pariſijs. Præterea contra Gotfredũ, ſunt tres Articuli Pariſienſes excommunicati, & expreſſi, ſicut poſſunt eſſe. *Primus.* Primus Articulus eſt talis. Quod ſi ratio eſt recta, & voluntas recta, error: quia eſt contra Gloſſam Diui Auguſt. ſuper illud Pſalm. 118. Concupiuit anima mea deſiderare &c. Non dicit (inquit) deſiderauit, ſed dicit concupiuit deſiderare. Videmus enim nonnunquam ratione quam vtiles ſunt iuſtificationes Dei, id eſt, opera iuſtitiæ, ſed infirmitate impediti aliquando non deſideramus, præuolat intellectus, ſequitur tardus, aut nullus effectus, ſcimus bonum nec delectat agere, & cupimus, vt delectet. ergo ſecundum Diuum Auguſtinum intellectu dictante quod iuſtificationes ſunt bonæ, & deſiderandæ, hoc non obſtante, voluntas poteſt non deſiderare.

Secundus. Secundus Articulus eſt talis. Quod voluntate exiſtente in tali diſpoſitione, in qua nata eſt moueri, & mouente ſic diſpoſito, quod natum ſit mouere impoſſibile eſt voluntatem non velle, error. Et planum eſt, quod hoc eſt ſtante iudicio rationis, & in vniuerſali, & in particulari.

Tertius. Tertius Articulus, quod voluntas neceſſario ſequitur quod firmiter creditum eſt à ratione, & quod non poteſt abſtinere ab eo quod ratio dictat, & quod hæc neceſſitas non eſt coactionis, ſed voluntatis, error. Nec *Henricus de Gand.* valet reſponſio Henrici de Gand. quol. 10. quæſt. 10. dicentis, quod iſta propoſitio ſtante ſcientia in intellectu &c. eſt diſtinguenda ſecundum compoſitionem, & diuiſionem, & in ſenſu diuiſionis eſt falſa, & eſt error, vt di-

cit Articulus, quia ſignificat quod voluntas nunquam habet poteſtatem volendi oppoſitum. In ſenſu autem compoſitionis adhuc eſt diſtinguenda, per hoc quod ablatiuus abſolutus, ſcilicet ſtante ſcientia, poteſt exponi per ſi, vel quia, vel dum; ſi exponatur per quia, facit propoſitionem cauſalem, & eſt ſenſus, quia intellectus dictat in vniuerſali, vel in particulari rectum, ideo voluntas non poteſt male eligere; & ſic propoſitio eſt falſa: quia ſignificatur, quod rectitudo in ſcientia, vel in intellectu ſit cauſa rectitudinis in voluntate. ſi autem exponatur per dum, facit propoſitionem temporalem, & eſt ſenſus, quando intellectus recte dictat, voluntas non poteſt male eligere, & vt ſic notat concomitantiam rectæ electionis ad rectum dictamen, & ſic propoſitio eſt vera, & vt ſic non condemnatur. ſi vero exponatur per ſi, facit propoſitionem conditionalem, & eſt ſenſus. Si intellectus recte dictat voluntas recte eligit, & vt ſic notat etiam concomitantiam non cauſalitatem, & poteſt propoſitio habere veritatem, nec etiam, vt ſic damnatur: vide Henric. in illo quol. quæſt. 9. & 10. vbi multa dicit de ſenſu diuiſo, & compoſito illius propoſitionis, & de neceſſitate conſequentis, & conſequentiæ. Sed breuiter vult dicere Henr. quod ſtante illo pleno iudicio in ſenſu compoſito voluntas neceſſario neceſſitate conſequentiæ producit actum, neque propter hoc perdit ſuam libertatem, ex quo quamuis immediate tunc non habeat iuxta poteſtatem ſuum actum producere, & non producere, bene tamen mediate, id eſt, in ſua cauſa; quia ſcilicet tunc poteſt imperare intellectui ne plene conſideret illud obiectum, ſed aliud, vel etiam nullum; & tunc conſequenter poterit non elicere illum actum ceſſante ſupradicto iudicio per imperium voluntatis.

Hæc reſponſio, inquam, non valet: quia pono quod illud primum dictamen etiam ſimul plene dictet, quod nullo modo tale iudicium eſt auertendum, neque tollendũ per imperium voluntatis, & tunc quæro, aut voluntas ſe neceſſario illi dictamini conformabit, aut non: ſi ſic, ergo iam voluntas non eſt libera etiam imperando intellectui ne id, ſed aliud conſideret, & per conſequens neque mediate neque immediate voluntas imperium ſuum libere poteſt elicere: ſi autem voluntas tali dictamini ſe neceſſario non conformat, tunc habetur intentum propoſitionis. Præterea in illa reſponſione videtur dicere Henric. quod voluntas non de neceſſitate vult illud, quod iudicatum eſt à ratione, ſed poteſt ipſum non velle pro alio inſtanti, pro quo non durat tale iudicium; quia dicit quod voluntas poteſt elicere actum ſuum contrarium dictamini vel iudicio rationis, ceſſante ſupradicto iudicio per imperium voluntatis; quæ reſponſio nulla eſt, & eſt expreſſe contra articulum, qui dicit quod ſtante &c. alias fatuũ fuiſſet de hoc feciſſe articulum de quo nullus dubitat, nec vnquam cecidit oppoſitum eius in mentem hominis, quãtumcunque infidelis, vel Hæretici, aut Saraceni. Quis enim vnquam dixit, quod voluntas illud, quod vult pro vno inſtanti, vult neceſſario pro omni inſtanti?

Gotfredus de Fontibus dicit, quod non poteſt videre, quod articuli ſint veri, & vt Epiſcopus Pariſienſis peccat non reuocando illos *Gotfredus,* Et ita oportet (inquit Baſſolus) quod homines contentioſi dicant, qui nolunt niſi proprio ſenſui, & proprio capiti adhærere. *Baſſolus.* Nam ſecundum Magiſtrum Sent. in prologo inter ueri aſſertionem, & placiti defenſionem pertinax pugna eſt, dum ſe veritas tenet, & ſe voluntas errore tuetur.

Caietanus. 1. 2. q. 77. art. 2. dicit Articulum Pariſienſem explicandum eſſe, vel de intellectu in vniuerſali, vel particulari ſecũdum ſe conſiderato, & tunc verus eſt, cum quo ſtat ignorantia particularis in comparatione, vel quod eſt verus de particulari in actu etiam relato, quoad actum iudicij, non præcepti, cum tali enim iudicio ſtat oppoſitũ iudicium præcipiens, in quo eſt defectus. *Caietan.*

Ceterum hæc reſponſio non ſatisfacit articulo: quia vt diximus ſupra, præter iudicium conſultationis non eſt in intellectu tale præceptum, ſeu imperium reſpectu noſtrarum operationum, tum voluntatis, quam aliarum facultatum, & eſto ꝙ tale præceptum aut imperium intellectus admittatur, non eſt tamen ante ſed poſt electionem voluntatis, vt docet etiam. S. Thomas. 1. 2. q. 17. art. 3. ad 1.

Supereſt modo, vt ſoluamus argumenta, quæ ab aduerſarijs proponuntur contra noſtras concluſiones. & contra primam vltra illa argumenta, quæ adducta fuere, pro
1 opinione Gotſt. & Henr. arguitur ſic: Nullus poteſt velle nec eligere niſi præintellectum, ſed eligens contrarium ei, quod eſt dictatum à ratione, vt temperate viuere, intellectu oppoſitum dictante, eligit, & vult non intellectum, quia nec contradictoria cuiuſmodi ſunt temperate eſt viuendum, & temperate non eſt viuendum, ſimul intelliguntur, nec contraria, ergo &c. Maior patet ex
Auguſt. D. Auguſtin. 4. de Trinitate inuiſa poſſumus diligere, incognita nequaquam, & pari ratione nec odiſſe, vel nolle poſſumus incognita.

2 Præterea, ſecundum Philoſ. 3. Eth. c. 2. omnis malus eſt ignorans, quæ oportet operari, et reſpui, ſed malus eſt malum eligens, ergo omnis mala electio præſupponit ignorantiam agendorum, ſed vbi eſt rectum dictamen, non poteſt eſſe ignorantia, ergo nec mala electio, nec per conſequens ab ipſo dictamine diſcordans.

3 Item omne indeterminatum ad aliqua oportet, quod ab aliquo determinetur ad hoc quod poſſit in alterum tantum illorum, magis quam in oppoſitum; ſed voluntas eſt indeterminata ad hoc eligendum, vel reſpuendum; ergo oportet ipſam determinari, ab intellectu dictante, & ordinante quid eligendum, & quid reſpuendum, ſed ſi poſſet eligere contra dictatum per intellectum, non exigeret ipſum dictantem, & determinantem, ergo &c.

4 Item ſi voluntas poſſet aliquid nolle, vel velle actu poſitiuo non iudicatum & oſtenſum à ratione, multo fortius ſine quocumque alio iudicio diſformi nolito, vel volito, ſed hoc eſt falſum & impoſſibile; quia tunc ſine omni cõſilio poſſet eligere contra rationem electionis, quia electio eſt appetitus præconſiliati, ergo &c.

5 Præterea voluntas nihil poteſt velle niſi præſupponendo actum ſuæ regulæ circa illud, vt patet, ſed regula voluntatis eſt ratio dictans, & iudicans practice hoc volendum, vel nolendum, ergo voluntas nihil poteſt velle, vel nolle niſi ſecundum iudicium rationis.

6 *Deinde*; quando aliqui duo appetitus æquali neceſſitate præſupponunt copulationem obiecti, inæquali neceſſitate conformantur in appetendo copulationem obiecti appetiti; patet, quia ſi non æquali neceſſitate conformantur, non pari neceſſitate præſupponunt, ſed appetitus intellectiuus, id eſt, voluntas, & appetitus ſenſitiuus pari neceſſitate præſupponunt notitiam ſui obiecti; quia vterque eſt appetitus ſequens cognitionem, igitur pari neceſſitate in appetendo ſequuntur iudicium de obiecto. Sed appetitus ſenſitiuus ſic neceſſario ſequitur iudicium rationis ſenſits, quod nihil poteſt appetere niſi ſecundum ipſum, nec aliquid contra ipſum, ergo ſimiliter nec voluntas contra iudicium rationis.

7 Subinde ex concluſione ſequitur, quod poteſt ſtare prudentia in intellectu, cum malitia, vel cum oppoſito virtutis moralis in voluntate, & e conuerſo, ſed hoc eſt falſum & impoſſibile 6. Ethic. Vnde & malitia corruptiua eſt principij. 3. Ethic.

Ad primum pro opinione Henric. & Gotfr. dico, quòd teſtimonia adducta ex Ariſtot. probant, quod vt plurimũ intellectu male dictante contingit, voluntatem male eligere, & è contra, ſed non ſequitur neceſſario, quod voluntas non poſſit male eligere, niſi intellectus male dictet; quia poteſt ſtare, quod intellectus dictet eſſe temperate viuendum, & tamen voluntas eligat fornicari, vt ſæpiſſime contingit. Vel dicas, quod verum eſt de voluntate quatenus eſt recte eligens, & ordinata, quia vt ſic oportet eam ſuæ regulæ conformari, vt ſit recta, & ordinata, ſed non concludit de voluntate abſolute, quin poſſit in oppoſitum eius, quod dictatum eſt per rationem.

• Ad illud ex libro de motu animalium, dico, quod authoritas Ariſtot. ſoluit ſe ipſam. Nam dicit quod oportet operari potentem non prohibitum, hæc autem prohibitio, vel impedimentum ne operetur eſt libertas voluntatis; quia poteſt non velle quicquid præſentat ratio, & quomodocumque ad ipſum præſentando ſe habeat. Imo hæc authoritas magis concludit oppoſitum; Nam per hoc, quod dicit Ariſtot. non prohibitum dat intelligere, quod cum iudicio ſtante in vniuerſali, & in particulari ſtat non operari, nec proſequi dictatum, vel iudicatum.

Poſſet etiam dici, quod non ſequitur confeſtim operari ex vi iudicij rationis ſic, vt neceſſario, niſi in incontinente, vel magis in intemperato male affecto circa dictatum: atque ita quia voluntas permittit ſe ſuccumbere, confeſtim ſequitur operari, non ad dictamen, vel ex vi dictaminis, ſed ex malitia voluntatis; vnde ſi voluntas non ſtaret non ſequeretur operari pro toto poſſe rationis: ſed quia voluntas corrupta eſt primo, vel circa finem, vel circa dictatum ad finem; ſtante iudicio, & iſta inordinatione ſeu corruptione voluntatis, neceſſe eſt confeſtim operari.

Ad illud 6. Ethic. patet reſponſio ex dictis. Vel dicas, quod præmiſſæ dictatiuæ, poſſunt præcedere electionem rei ſignificatæ per concluſionem ex præmiſſis talibus inferendam, vel ſequi; Volens, enim primo guſtare vinum, poteſt poſtea inquirere an ſit guſtandum, & inuento medio, puta: quia dulce; ſic arguere. omne dulce eſt guſtandum, ſed vinum eſt dulce, ergo &c. & in tali caſu, in quo ſcilicet voluntas ante præmiſſas formatas, quæ ſunt notitiæ dictatiuæ, rerum ſignificatarum per eas, rem ſignificatam per concluſionem ex præmiſſis illatam, voluit efficaciter, & elegit poſt notitiam habitam, neceſſario ſi poteſt accipit, & proſequitur quod elegit non per dictamen ipſum, ſed propter voluntatis præcedentis efficacitatem actus, & ſic eſt illud dictum Philoſoph. intelligendum; Non autem quando præmiſſæ dictatiuæ præcedunt volitionem, ſeu efficacem electionem rei ſignificatæ per concluſionem ex prædictis præmiſſis dictatiuis illatam.

Ad primum ex his, quæ modo adducta ſunt, dico primo, quod licet omne dictatum ſit intellectum, non tamen e conuerſo omne intellectum eſt dictatum; Vnde intellectu dictante temperate eſſe viuendum, licet contrarium, ſcilicet intemperate eſſe viuendum non ſit dictatum, eſt tamen intellectum; bene enim intelligitur quid ſit viuere intemperate, licet non dictetur ſic eſſe viuendum. Et licet nullus poſſit velle, vel eligere non intellectum, poteſt tamen velle & eligere non dictatum, dum tamen fuerit intellectum ſicut dicendum eſt in propoſito; & ita falsũ accipitur in minore, quando dicitur quod eligens contrarium dictato eligit non intellectum. Ad probationem cum dicitur, quod intellectus non poteſt intelligere contraria ſimul, nec contradictoria, dico quod falſum eſt; niſi, enim ſimul intelligeret ipſa non diſtingueret inter ea: atque adeo licet ſimul non dictet contraria nec contradictoria eſſe facienda ſimul, tamen intelligere poteſt ipſa, vel ſolum in vniuerſali, vel in ſimplici intelligentia non compoſita, quia dicatur hoc eſſe eligendum, vel fugiendum, aliquando ſub diſtinctione ad ſuum oppoſitum, hoc eſt eligendum, vel illud, interdum ſub negatione ad ſuum oppoſitum, vt hoc eſt intelligendum, vel volendum, & nõ illud, atque ita dictare vnum proſequendum, vel eligendum, & alterum reſpuendum.

Secundo dico, & forte melius, quod contraria eſſe eligenda differenter, & in ordine ad fines diuerſos poteſt intellectus ſimul intelligere, & dictare. Poteſt enim intelligere, & dictare temperate viuendum, eſſe bonum ſimpliciter, & ſimpliciter eligendum; & contrarium, videlicet intemperate viuere, eſſe bonum ſecundum quid: quia delectabile in præſenti, & ideo ſecundum quid, nempe in ordine ad delectationem eſſe eligendum; atque adeo licet male eligens, vt intemperate viuere, eligat non dictatum ſimpliciter, & contra taliter dictatum, ſcilicet ſimpliciter; non tamen eligit contra dictatum ſecundum quid eſſe eligendum, imo eligit ſic dictatum. Niſi enim intemperate viuere apprehenderetur, vt aliquod delectabile bonum, & vt eligendum, ad complacendum dictaretur, non eligeretur. Quod autem dicit noſtra concluſio, quod voluntas poteſt eligere contra dictamen prauium, eſt intelligendum quod non poſſet contra omne dictamen, ſed contra rectum; quod eſt actus prudentiæ, vel ſecundum ipſum contra dictamen ipſi contrarium ſupradictum.

Ad

Digitized by Google

Ad ſecundum, quando dicitur, quod omnis malus eſt ignorans, dico, quod hoc non eſt ita intelligendum, quaſi ipſa mala electio corrumpat dictamen verum faciens exiſtimari, eſſe falſum, quod prius reputabatur verum, ſed malus dicitur ignorans negatiuè, quia vt liberius, & ſine triſtitia maneat in peccato, deſinit dictare, vt diximus ſupra. Falſum eſt ergo, quod ratio aſſumit, videlicet, quod omnis mala electio præſupponat ignorantiam eius, cuius eſt; non enim præſupponit ignorantiam, niſi peccatum ex ignorantia, ſed ipſam conſequenter efficit altero prædictorum modorum. & hoc modo eſt intelligendum, omnem malum eſſe ignoranter, non antecedenter, (ignorantia, videlicet, malam electionem, ſeu malitiam præcedente) ſed conſequenter negatiuè, vel contrariè poſitiuè, ſicut dictum eſt ſup. art. 6.

Vel dicas, quod non oportet, omnem malum eſſe ignorantem verè, & realiter, ſed tantum interpretatiuè, quia agit quaſi ignorans, vt etiam diximus ſup.

Ad tertium dico, quod quando indeterminatum non poteſt ex ſe determinari ad aliquid illorum, ad quæ eſt indeterminatum; vt materia, quæ non poteſt ſe facere ſub forma aliqua; tunc taliter indeterminatum indiget determinante, ſicut materia indiget agente formam aliquam in ipſam introducente; Non autem quando indeterminatum eſt indeterminatum actiuè, potens ex ſe determinari quocumque alio circumſcripto, ſicut eſt in propoſito de voluntate, ſiue anima, volente, & eligente. Concedo tamen, electionem oportere præcedere determinationem non neceſſitantem, ſed oſtendentem, qualis determinatio eſt dictamen ipſum prauium rationis.

Ad quartum dico, quod voluntas poteſt aliquid velle, uel nolle, ſine omni conſilio rationis dictatiuo, quoniam hoc eſt volendum, uel nolendum, imo contra omne tale conſilium, dato, quod inſit; & quando dicis, quod non, quia electio eſt appetitus præconſiliati; dico, quod non ita deſcribitur electio, ſed electio, ſeu propoſitum cum ratione, ac cogitatione exiſtit; id quod ſignificare etiam ipſum nomen uidetur, quare id, quod eligitur, ſeu proponitur ex alijs legatur, ponaturue ante alia 3. Ethicorum, cap. ſecundo, in fine; inde eo loci non deſcribitur electio; ſed appetitus intellectiuus, qui pro tanto dicitur intellectiuus: quia aliquem actum præſupponit circa obiectum in ratione, ſaltem ſimplicis intelligentiæ ſecundum rationem propriam; ſed non talis actus indicatiuus hoc eſſe uolendum, uel eligendum.

Bene tamen eſt uerum ad hoc, quod electio ſit recta, & propriè uocata electio, eſt appetitus præconſiliati, ſed hoc non impedit propoſitum.

Ad quintum dico, quod voluntas bene præſupponit aliquem actum intellectus, circa obiectum, ſed non dictatiuum, uel ſi dictatiuum, modo tamen explicato in reſponſione ad primum. Vel dicas, ſicut dictum eſt etiam ad primum pro opinione Gotf. quod uerum eſt de uoluntate in quantum eſt rectè eligens, quam ut ſic oportet ſuæ regulæ conformari, ut ſit recta, ſed non eſt uerum de uoluntate, abſolutè conſiderata, quin ſtante regula nō poſſit uelle oppoſitum regulæ.

Ad ſextum dico, quod licet uterque appetitus, ſcilicet, intellectiuus, & ſentiens, præſupponat in ſuo actu aliquam notitiam de obiecto, non tamen oportet, quod ſic omnino obiectum cognoſcatur, ſicut appetitur; & eſto, quod oporteret hoc de appetitu ſentiente, non tamen oportet de voluntate ratione libertatis ingenitæ, quam nō habet appetitus ſenſitiuus.

Ad vltimum dico, quod non video, quin abſolutum prudentiæ poſſit ſtare cum malitia in voluntate, vt oſtenſum eſt ſupra articulo quinto. Et ſimiliter abſolutum virtutis cum imprudentia, vt probabimus infra articulo decimo: Sed tunc neutrum eſſet virtus perfectione omnimoda virtutis, & intrinſeca, & extrinſeca, ſiue concomitatiua. Ad Ariſt. dictum eſt ſupra.

Contra ſecundam Concluſionem arguitur. Non poteſt voluntas aliquid velle, & alteri præeligere, niſi dictatum ſit a ratione eſſe præeligendum, cuius oppoſitū ſupponitur in quæſtione.

Secundo, quia voluntas reſpectu duorum talium, eſt ex ſe indeterminata, nec poteſt ſeipſam determinare; vt docet Commentator ſecundo Phyſic. capit. de Fortuna, vbi dicit, quod contingens ad vtrumlibet, & æqualiter *Auerr.* indeterminatum, non inuenitur in potentijs agentibus per ſe, ſed in paſſiuis tantum, atque ita videtur dicere, quod potentia indeterminata ad aliqua duo, eſt purè paſſiua reſpectu illorum, & ita ſeipſam determinare non poteſt ad alterum illorum.

Tertio, Appetitus æqualiter ſe habens ad aliqua duo, ad neutrum poteſt determinari, ſtante æqualitate illorū, vt Ariſtoteles ponit exemplum tertio de Cœlo, de ſitiente, *Ariſt.* & eſuriente æqualiter; qui nec cibum, nec potum acciperet, ſed ſtaret immobilis inter vtrumque, & de terra ipſa, quæ ſtat immobilis inter latera cœli, ſic etiam in propoſito.

Et quod voluntas duobus bonis inæqualibus præſentatis, non poſſit eligere minus bonum, ſtante iudicio de maiori bono, quod ſit eligendum, probatur. Tum, quia nihil poteſt voluntas velle, niſi ſecundum iudicium rationis. Tum, quia minus bonum, ad maius bonum comparatum, habet rationē mali; Malum autem non eſt eligibile, vel volibile. Et confirmatur ex tertio Ethicorum, vbi dicit Philoſophus, quod deceptio propter delectationem videtur, & non exiſtens bonum, bonum videtur, deſiderant ergo delectabile, quia bonum apparet.

Item ſeptimo Ethicorum, cap. ſecundo, videtur approbare ſententiam Socratis dicentis, Omne malum contingere ex ignorantia; vnde & ſecundum ipſum pœnæ adhibentur in lege ad correctionem ignorantiæ; & tantum in hoc videtur Ariſtoteles conſentire, quod non contingit agere, vel operari, præter optimum, niſi per ignorantiam. Vnde dicit. Et optimum quærere circa paſſionem, ſi propter ignorantiam, quis modus ignorantiæ. Vnde non videtur dubitare, quin quæratur optimum circa paſſionem propter ignorantiam, & errorem, ſed quærit de modo ignorantiæ.

Ad primum dico, quod non oportet, quod ratio dictet alterum præeligendum, ſed volūtas, ſtante iudicio, quod æqualiter ſunt eligenda, poteſt vnum eligere, & non aliud.

Ad ſecundum dico, quod voluntas non eſt purè paſſiua reſpectu eorum, imo eſt actiua, habens in ſe virtualiter ſuam determinationem, ad quodcumque ſibi placuerit. & ad Commentatorem dico, quod ſi intelligit de merè paſſiuis, falſum eſt. De actiuis verò, quod in ipſis non inueniatur contingens ad vtrumlibet, dico quod non eſt verum, niſi de potentijs naturalibus, quæ ſunt determinatæ ad vnum, ſed in potentia actiua & paſſiua libera, dico quod eſt indeterminatio formalis, & determinatio virtualis; Et hoc etiam habet dicere Commentator, dicens, quod voluntas habet determinare intellectum, etenim planum eſt, quod non minus habet determinare ſeipſam.

Ad tertium dico, quod appetitus liber (quidquid ſit de ſenſitiuo, & naturali) non trahitur, neque neceſſitatur ab appetibili, nec determinatur, & ideo, ſtante æqualitate duorum appetibilium, dico, quod poteſt in alterum, dimittendo aliud, quidquid ſit de appetitu ſenſitiuo, vel naturali, de quibus ponuntur exempla Ariſt.

Ad primum de minori bono patet, quod falſum eſt, quod nihil poſſit voluntas eligere, niſi ſecundum iudicium rationis.

Ad ſecundum dico, quod minus bonum, quantumcumque maiori bono comparatum, habet rationem boni, per ſe loquendo, quia illa, inter quæ fit comparatio, participant, & communicant in forma. Verum eſt tamē, quod per accidens habet negationem maioris boni annexam, & ſic etiam aliquo modo rationem mali; & hoc etiam habet, eſto quod per intellectum, non comparetur maiori bono, & iſto modo omnia pariter ſunt aliquo modo mala: habet ergo per ſe rationem boni, licet ſit minus bonum; atque ita poteſt intelligi, non obſtante, quod malum, per ſe, non poſſit eligi, vel appeti.

Ad confirmationem dico, quod Ariſtoteles dicit, quod propter delectationem eſt deceptio, ſed illa deceptio non præcedit actum malum, ſed ſequitur, vel concomitatur, vt patet per ipſum, quod non præcedit in incontinente, quia agit malum non perſuaſus.

Ad aliud dico, quod non conſentit cum Socrate, ſed

magis

Digitized by Google

magis ab eo diſſentit, bene tamen quærit, ſi eſt optimum quærere propter ignorantiam, quis eſt modus ignorantiæ dubitatiuè inquirendo, an ſcilicet ſit ignorantia præcedens, vel conſequens; vel poteſt dici, quod illud dicit, non ſecundum propriam intentionem, ſed repetendo dictum Socratis, vt inquirat de ipſo.

Contra tertiam concluſionem, quoad ſecundam partem, ſcilicet, quod voluntas, ſtante recto iudicio rationis, poteſt non velle, arguitur ſic. Voluntas eſt purè paſſiua reſpectu obiecti præſentis, ſed in poteſtate puri paſſiui, non eſt non agere præſente actiuo ſufficienti, ergo voluntas non poteſt non velle iudicatum à ratione, ſtante tali iudicio perfecto practico, & in vniuerſali, & in particulari.

Præterea Ariſtoteles 7. Ethicorum dicit, ſi fuerit opinio vniuerſalis rationis, & altera particularis, cuiuſmodi eſt ſenſus, & in vnum conueniant, neceſſe eſt concluſum confeſtim operari, atque ita voluntas ſequitur neceſſario iudicium rationis, ipſo ſtante in vniuerſali, & in particulari, vt ſi arguatur ſic. Omne delectabile eſt proſequendum, fornicari eſt delectabile, ergo &c. & ſequitur fornicari confeſtim neceſſario, nec poteſt non ſequi, ſi iudicas, ſtante tali iudicio.

Ad primum dico, quod voluntas non eſt purè paſſiua, reſpectu obiecti præſentati, vt ſubtiliter probat Doct. in 2 d. 25. q. vnica.

Ad teſtimonium Ariſtotelis ſeptimo Ethicorum dico, quod Ariſtoteles ſoluit ſtatim, poſt dicens, quod oportet operari potentem non prohibitum: hæc autem prohibitio, vel impedimentum, vt diximus ſupra, ne operetur eſt libertas voluntatis, qua poteſt non velle quidquid præſentat ratio, & quomodocumque ad ipſum in præſentando ſe habeat. Vel dicas, quod qui ſequitur delectationem, oportet, quod iudicet ſc. illam eſſe proſequendum, non formaliter, & in actu, ſed interpretatiuè, quia facit malum, ac ſi eſſet ſic iudicans: ſicut quicumque peccat mortaliter, dicitur interpretatiuè Deum velle non eſſe: quia non vult ſibi obedire plus, quam ſi non eſſet. Vnde etiam Ariſtoteles per hoc, quod dicit non prohibitum, dat intelligere, quod cum iudicio ſtante in vniuerſali, & in particulari, ſtat nō operari, nec proſequi dictatum, vel iudicatum.

Ex his omnibus ſequitur, quod prudentiæ ad virtutem moralem, nulla eſt connexio, vt dicit Doctor in hac quæſtione, ſub littera K, §. Poteſt ergo aliter dici, quod ille habitus generatus ex dictaminibus, circa fines quoſdam particulares, ſaltem qui ſunt proprij fines virtutum moralium, ſiue circa media ordinata ad illos fines, eſt propriè prudentia, licet electio recta non ſequatur in eodem dictante; & ita, non erit omnino neceſſaria connexio prudentiæ ad virtutem moralem. Hæc Scotus.

Hæc Scoti ſententia patet: quia re vera, electionem voluntatis præcedit iudicium rationis, nec iudicium rationis ex neceſſitate voluntatis electio ſubſequitur, ſiquidem ſæpe bene iudicamus, nec tamen eligimus, facimus, aut operamur; ad rectæ autem rationis iudicium, ſufficit, appetitum eſſe per ſynderesim bene affectum, abſque vlla alia virtute morali: ſynderesis enim eſt, quæ præſcribit rectè eſſe viuendum, caſtè agendum, fortiter pro patria pugnandum, cuique ſuum ius tribuendum; Item ad prudentiæ præſcriptum ſufficit, ſi doctrina, diſciplina, inſtitutione, & experientia bene ſimus in rebus agendis affecti. Experientia enim oſtendit, iratum blando, & dulci ſermone placari, & beneficijs hominum animos, & voluntates conciliari, etiamſi nos manſuetudine, & gratia careamus. Nec obſtat in contrarium Ariſtoteles: quia cum docet, Prudentiam cum virtutibus moralibus ſociari, & coniungi, eam accipit latius, & fuſius, quam nos ſumamus in hac quæſtione, nempe, vt etiam ſynderesim continet, & omnem rectam rerum agendarum rationem, ſiue generaliter præſcribentem, bene agendum, ſiue ſpecialiter monentem in hac, vel in illa re, & materia, hoc loco, & tempore nobis obiecta, & ſic non aliter agendum eſſe. Prudentiā quidem hac ratione forte non inconuenit ponere connexam cum moralibus virtutibus.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum omnium agibilium ſit vna Prudentia.

HAec quæſtio ſupponit arduam illam difficultatem de vnitate ſcientiæ, & habitus, quam etſi diffusè explicauimus circa prologum Porphyrij, explicando quæſtionem primam Doct. ſub. non erit inutile, nec ſuperuacaneum, hic aliqua repetere, quæ ibi fuſius explicata fuere.

Vnitas habitus ē duplex.

Vnde obſeruandum eſt primo. Vnitatem habitus duplicem eſſe, intrinſecam, ſ. & extrinſecam; vnitas intrinſeca eſt, quæ conuertitur cum entitate, tāquam eius paſſio, & hoc pacto idem eſt quærere, an prudentia ſit vna, & an ſit vnum ens: & quia certum eſt, prudentiam eſſe in genere qualitatis, ideo hæc quæſtio diſputari ſolet ſub hoc titulo, an. ſ. prudentia ſit ſimplex qualitas. Vnitas extrinſeca, eſt vnitas in ratione habitus, quam ab obiecto habet, vnde ille erit vnus habitus, qui erit vnius obiecti.

Explicanda eſt ergo hæc difficultas, ſecundum duplicem intellectum, nempe quoad vnitatem intrinſecam, & quoad vnitatem extrinſecam.

Vnitas eſt triplex.

Quoad primum obſeruandum eſt ſecundo: Triplicem eſſe vnitatem intrinſecam, numericam videlicet, ſpecificam, & genericam, ſi quæſtio intelligatur de vnitate numerali prudentiæ, dicendum eſt, prudentiam eſſe vnam numero per ſuam indiuidualem differentiam intrinſecā, & extrinſecè eſſe vnam numero per ſubiectum, in quo eſt, ita vt alia numero ſit prudentia Petri, alia Franciſci, & de hac non eſt quæſtio: ſed vtrum ſit vna genere, ita vt plures ſpecies ſub ſe contineat, vel ſit ſola vna ſpecie, quo pacto erit vna ſimplex qualitas.

Prudentia eſt duplex

Tertio obſeruandum eſt, Prudentiam eſſe duplicem, ſ. actualem, & habitualē, id eſt, pro actu prudētiali, & pro habitu, hoc eſt, pro habilitate, & promptitudine ex actibus acquiſita; & vt certa ab incertis ſeparemus, de primo certum eſt, vnumquemque actum eſſe ſimplicem qualitatem, vnde tot erunt qualitates, quot actus: ſed loquendo de prudentia ſecundo modo ſumpta. ſ. pro habitu, eſt maxima difficultas, & controuerſia inter Scotum, & D. Thom. & Doctores, hunc & illum ſequentes.

D. Thom. Caietan. Sotus.

D. Thomas 1. 2. q. 54. art. 4. & ibi Caietanus. Sotus q. 3. proœmiali Logicæ aſſerunt, habitum eſſe ſimplicem qualitatem. i. eſſe vnum ſpecie, quam ſententiam ſic probant, habitus eſt perfectio potentiæ, ſed perfectio debet proportionari ſuo perfectibili: cum ergo eadem potentia ſe diffundat ad illa omnia, quæ in vna ratione formali conueniunt, ſequitur etiam habitum eſſe vnum ad omnia illa. Secundo probatur. Habitus infuſi à Deo, ſunt ſimplices qualitates reſpectu eorum omnium, quæ ſub vna ratione formali continentur, vt patet de fide, reſpectu eorum, quæ ſunt reuelata, ergo eadem erit ratio de habitibus acquiſitis. probo conſequentiam, quia Deus perficit eo modo, quo perfici ſolemus.

Sentit ergo S. Thomas, quod quando aliquis habēs aliquem habitum, acquirit notitiam alterius cōcluſionis cōtentæ ſub eodem obiecto, non manent in ipſo duo habitus diſtincti, ſed præcedens magis extenditur, & perficitur, ſi autem de nouo acquiſita notitia ſit eiuſdem concluſionis, intenditur præcedens ſine noua entitate. Et vt ſententia D. Thomæ melius intelligatur, aduertit Caiet. 1. 2. q. 52. arti. 1. Formas accidentales eſſe in duplici differentia, quædam habentes ſuam differentiam conſtitutiuā ſine aliquo extraneo, vt calor: quædam verò (inquit) ſunt neceſſario includentes extraneum, & de huiuſmodi eſt habitus, ex hoc autem, quod aliquod extraneum expoſcunt ad ſui ſpecificationem, nequit quidem hoc intelligi ſine acceſſu maiori, aut minori ad illud extraneum, atque ita ille habitus erit extenſior, qui magis accedit ad ſuum obiectum cognoſcendo de ipſo plures concluſiones; augetur igitur idem habitus per maiorem acceſſum ad ſuū obiectum, quod fit acquirendo notitiam alterius, & alterius concluſionis ſub eadem obiecti ratione, & tunc quidem

dem

Digitized by Google

dem abſque nouitate habitus, ſed extenſione præcedentis fit habitus perfectior.

Henricus Hanc ſententiam ſecutus eſt Henricus de Gandauo. 1. parte Summæ, ar. 6. q. 3. & ar 7. q. 1. & quol. 9. q. 4. Quibus in locis dicit, quod ſcientia eſt vna ſecundum ſpeciem ſpecialiſſimam, quæ eſt circa obiectum vnum, ad quod plura attribuuntur, quæ cum hoc habet vnam rationem formalẽ conſiderandi oia, quæ conſiderat, & talis in vna ſcia eſt vna numero ex multis actib. intelligẽdi generata, ſicut in vno appetitu eſt vna temperantia, licet ex multis actib. generata; & in vnica ſuperficie vna albedo intenſa, licet ẽt ſucceſſiuè ab eod. vel diuerſis generantibus vnica tranſmutatione, vel diuerſis tranſmutationibus inducta. Secundo dicit Hen. quod quædam formæ recipientes magis, & minus ſecundum gradum perfectionis, & completionis ſuæ inducuntur vnica tranſmutatione, vt albedo, vel pluribus actibus conformibus, vt temperantia, quædam autem pluribus difformibus, vt ſcientia. Tertio dicit, quod in generatione ſcientiæ ponitur talis proceſſus; quia ſecundum rectum ordinem acquirendi eam ex actu cognoſcendi primum principium talis ſcientiæ, habet ipſa primo generari, & tunc habetur totum eſſe illius habitus ſcientifici, licet in gradu infimo, & tunc iſte habitus dicitur eſſe intellectus illius principij. Deinde cognoſcendo alia principia, idem habitus qui dicitur eſſe intellectus illius principij, augetur & dicitur intellectus plurium principiorum illorum cognitorum. Quarto dicit, quod ex principijs deducẽdo concluſiones ampliùs ille habitus augetur, & dicitur eſſe ſcientia iſtarum concluſionum, ſemper tamen manet idem habitus, & non dicitur habere differentiam, niſi rationis tantum; adeo vt per ſequentes demonſtrationes, prior habitus dicatur intendi, nec alius inducitur habitus, ſed prior nouum acquirit reſpectum, ſeu extenſionem nouam, vt dicunt Thomiſtæ.

Scotus. Scot. q. 3. Prologi, & in 3. in hac q. ſub lit. L, §. Quantum ergo ad iſtum ar. &c. exiſtimat habitum non eſſe ſimplicẽ qualitatem. Tum quia corrupto habitu vnius concl. philoſophiæ, manet alius eiuſdem ſcientiæ. Tum quia ſcientia circa primam concl. non opponitur ignorantiæ prauæ affectionis circa decimam concl. quia in eodem ſubiecto eſſe poſſunt. Tum quia demonſtrationes ſunt cauſæ ſcientiæ, & in vna ſcientia totali ſunt multæ demonſtrationes. Tum quia ſequeretur, quod habens vnam concluſionem, aſſentiret concluſionibus non habitis: quia formæ eiuſdẽ ſpeciei differunt præciſè penes perfectum, & imperfectũ, ſicut color intenſus & remiſſius, atque adeo, ſi concluſiones eiuſdem ſcientiæ. v. g. Phyſicæ producunt eundem habitum, certè habitus vnius concl. efficit idipſum, quod habitus omnium concluſionum, licet remiſſius.

Vnde ad rationes oppoſitæ ſententiæ reſpondetur, & ad primam dico, habitum ſcientiæ proportionari intellectui, ſicut & cæteros, atque adeo, ſicut vna potentia ſe extendit ad omnia, quæ vnicam rationem formalem habẽt ita dari vnicam ſcientiam in genere, vel in ſpecie, ita vt totalis ſcientia ſit vna genere, partiales tamen habitus ſpecie differant, quæ ad omnia etiam ſe extendat. Non tamen inde ſequitur, quod omnes habitus, qui acquiruntur, efficiant vnã ſcientiam ſpecie, ſed in hoc proportionantur potentiæ, quod ſicut potentia ſe extendit, ita ſcientia ſe extẽdat, ad quę ſe extendere poteſt, ſiue vnum, ſiue multa ſint, & ita dicendum eſt de prudentia, vt videbimus ſtatim.

Ad ſecundum dico, diuerſam eſſe rationem in habitibus infuſis, & acquiſitis: fides enim. v. g. eſt vna, quia fertur in obiectum vt reuelabile eſt, & ſic, cum vna ſit ratio reuelatorum vna erit fides; ſcientia verò fertur in ea, quæ ſciuntur propter ſuas cauſas, ex quibus deducuntur, licet vt res ſcitæ ſunt, requirunt rationem ſcibilitatis.

Quoad ſecundum, ſcilicet, de vnitate extrinſeca habitus, obſeruandum eſt primo, rationem formalem obiecti duplicem eſſe, altera vt res eſt, quæ dici ſolet vt quæ; altera vt obiectum eſt, quæ dicitur ſub qua, prior eſt defini-

Ratio formalis obiecti eſt duplex. tio rei, quæ ponitur obiectum ſcientiæ, ſi habuerit definitionem; ſi verò non habuerit, erit illud abſtractum, a quo eſt tale concretum, vt entitas eſt ratio formalis entis, quod eſt ſubiectum Metaphyſicæ, & mobilitas in ente mobili, eſt ratio formalis, qua ens mobile eſt tale ens, de quo agit Phyſica, ſecundum Thomiſtas, ex hac ratione formali pullulant paſſiones ſubiecti; & ipſa eſt medium in demonſtratione potiſſima. Ratio autem formalis obiecti, vt obiectum eſt, id eſt, ſub qua eſt ratio ſcibilis; res autem non ſcitur, niſi abſtracta in vniuerſali à conditionibus materialibus, vnde ratio ſcibilis in genere eſt abſtractio à materia, & ſecundum diuerſas abſtractiones à materia, erit diuerſitas ſpecifica ſcientiarum, quæ abſtractio, quamuis nihil ponat in re ſcibili, ex quo naſcitur, quod neque genus, vel ſpecies eius vt ſit in prædicamento, tamen eſt conditio neceſſaria, ſine qua, etiamſi res ſint diuerſæ, non erit ſcientia diuerſa.

Secundo obſeruandum eſt, hanc eſſe differentiam inter rationem formalem, vt quæ, & ſub qua, quod cum illa, quę in aliqua ſcientia conſiderantur, contineri debeant ſub ſubiecto ſecundum ambas rationes formales, & prima ſit quidditatiua, debeatq. prædicari de omnibus contentis in ſcientia eſſentialiter, non eſt neceſſe, quod de omnibus directè prædicetur; ratio verò formalis, ſub qua cum ſit extrinſeca, & denominatiuè tantum dicatur, neceſſe eſt, ꝙ poſſit dici de omnibus contentis in illa ſcientia directè, & in hoc attenditur, quod ſub qua ſcientia contineatur; ſi videlicet ratio, ſub qua iſtius, vel illius ſubiecti, iſtius, vel illius ſcientiæ ineſt ſibi. Diuerſitas ergo ſcientiarum ſumitur ex diuerſitate rerum ſimul & diuerſitate rationũ formalium ſcibilis. ſ. abſtractionum. De quo aliàs.

Sententia ergo D. Thomæ & Hen. de Gand. quoad præſentem quæſtionem eſt, quod prudentia in vnico intellectu habet vnitatem numeralem ratione ſubiecti; eſt tamẽ vnicus habitus ſecundum ſpeciem, & in genere habitus, & in genere virtutis intellectualis, reſpectu omnium agibilium, ita docet S. Thom. 1. 2. q. 60. art. 1. ad 1. & ibi Caieta. Probatur primo authoritate Ariſt. 6. Ethic. c. 16. vbi prope fin. capitis, inquit. Etenim cum prudentia, quæ eſt vna, ſimul inerunt omnes. Item obiectum prudentiæ eſt verum ſed eadem eſt ratio veri in qualibet materia virtutis moralis, quam iudicat prudentia, ergo eadem virtus prudentiæ ad iudicandum de hac virtute conſtitui debet. Maior patet, & minor probatur; quia cum veritas conſiſtat in cõuenientia conceptus cum re, qua enunciat, & non ſit diuerſa ſpecie continentia intellectus, cum re, quam enuntiat, quamuis ſint diuerſæ res, de quibus iudicat, & enuntiat, non erit diuerſa veritas. Hæc eſt ratio S. Thomæ.

Præterea arguit Durandus ad idem hac d. 36. q. 3. nu. 5. *Durand.*
Prudentiæ correſpondet vnum obiectum ſub vna ratione formali, nempe, bonum humanum, quatenus humanum eſt, qđ eſt eiuſdem rationis in omnibus circa quamcũque materiam timoris, iræ, & concupiſcentiæ. Tum etiã, quia quemadmodũ eſt vna ſcientia medicinæ corporalis, quæ verſatur circa ſanitatem corporalem contra varias ægritudines, ita etiam eſſe debet vna prudentia circa ſanitatem ſpiritualem contra varia vitia; & per varias virtutes.

Caietanus 1. 2. q. 60. ar. 1. circa ſolutionem primi, ita pro- *Caietan.*
bat vnam eſſe prudentiam omnium agibilium: quia eſt vnus modus iudicandi de agibilibus, ſecundum quod expedit homini ad finem apprehenſum nempe in aſſignanda materia, & medijs ad talem finem; modus autem iudicandi eſt per conſultationem, inueniendo mediocritatem in materia, & conuenientia mediorum ad finem, & quãuis ſint varij fines apprehenſi, in quos prius fertur appetitus per voluntatem, aut propoſitum, non ſatis eſt, vt dicamus eſſe diuerſas prudentias: nam hi varij fines in apprehẽſione, & propoſito, ſunt veluti varia principia, ex quibus prudentia inchoat ſuam cõſultationem, vt tandem ad iudicandum perueniat. Eſt igitur vna prudentia circa aſſignandam mediocritatem, & media ad finem diuerſarum virtutum, quia eſt idem modus conſultandi, & iudicandi. Addunt tamen Thomiſtæ, cum dicit D. Thomas, prudentiam eſſe vnum habitum & vnam virtutem intellectiuam ſecundum ſpeciem infimam, intelligendum eſſe de prudentia, quæ eſt circa proprium bonum. Nam præter hanc ponuntur a S. Thoma 2. 2. quæſt. 50. articulo 1. 2. 3. & 4. diuerſæ quædam prudentiæ, nempe Regnatiua, Politica, Oeconomica, & Militaris, propter diuerſum modum conſultandi, & iudicandi de agibilibus circa ſe, & circa alios.

Oppoſitam docet Doctor noſter ſubtilis in hac quæſtione, ſub littera L, §. De alia parte huius articuli, & c.

Pro

Habitus duplex eſt vnitas.

Pro cuius explicatione obſeruandum eſt, duplicem eſſe vnitatem habitus, ſ. formalem, & virtualem, Vnitas formalis eſt vnitas habitus, qui eſt alicuius particularis concluſionis inclinans ad conſimiles actus; vnde ille habitus habet vnitatem formalem, qui eſt de aliquo complexo, cui conuenit eſſe vnum formaliter. Vnitatem autem virtualem habitus appello, quando habitus eſt de aliquo incomplexo multa virtualiter cōtinente, quæ virtute habitus illius nata ſunt de ipſo obiecto incomplexo cognoſci. Vnde cognitio habitualis, vel habitus huius concluſionis, omnis homo eſt riſibilis, habet vnitatem formalem, cognitio autem actualis, vel habitualis, quam hominem cognoſco, habet vnitatem virtualem: quia virtute ipſius, hoc eſt, per rationem formalem hominis poſſum cognoſcere omnes veritates, quæ virtualiter continentur in ipſo.

Secundo obſeruandum eſt, quod in ſcientia, v.g. de homine, habitus, quo cognoſco hominem, eſt formaliter ipſius hominis, & virtualiter omnium paſſionum, quæ virtualiter continentur in homine, volo dicere, quod ſpecies intelligibilis hominis, qua mediante, hominem cognoſco, eſt in ſe formaliter vna & virtualiter reſpectu omniū proprietatum, quæ continentur in homine, & reſpectu omnium inferiorum, quæ ſub homine continentur; Nam ſpecies hominis, nedum virtualiter continet hanc notitiam, omnis homo eſt riſibilis, aut diſciplinabilis, vel beatificabilis, ſed etiam iſtas, Petrus eſt riſibilis, Ioannes eſt riſibilis, & huiuſmodi. Et notitia omnium iſtarum propoſitionum dicitur vnus habitus, non formaliter, ſed virtualiter, quatenus eſt illarum, prout includuntur in eodem obiecto virtualiter omnes illas notitias continente. Nam ſicut cauſa continet virtualiter quoad eſſe omnes ſuos effectus, ita etiam quoad cognoſci, atque ita notitia illa, ſiue habitus ille, quo formaliter cognoſcitur homo, continet virtualiter notitiam demōſtrationis omnium paſſionum virtualiter incluſarum in homine, & poteſt omnium illarum notitiam producere; Nam per idem medium, nempe per definitionem hominis, quæ illarum cauſa, de homine, & de omnibus inferioribus ad hominem demonſtrantur.

Et ſi quæras quis eſt iſte habitus virtualis? dico, quod eſt ſpecies intelligibilis hominis. Nam certum eſt, quod non poteſt eſſe ſcientia alicuius concluſionis demonſtratæ de homine, id eſt, qua demonſtratur aliqua paſſio de homine: quia vna paſſio non continet virtualiter aliam, licet forte vna præſupponat quantum ad ſuum eſſe aliam, ſi ponatur ordo inter paſſiones. Nec poteſt eſſe habitus acquiſitus ex illis frequenter repetitis propter eamdem rationem. erit ergo habitus ille ſpecies intelligibilis hominis, quæ dicitur habitualis, & formalis notitia hominis, quia formaliter, & actualiter ipſum repreſentat, & quia actualem, & formalem hominis cognitionem cauſat, virtualiter autē eſt ipſarum paſſionum in homine incluſarum, quia cauſata cognitione hominis, per ſuam definitionem conſequēter acquirimus cognitionem omnium ſuarum paſſionū, atque ita à primo ad vltimum, ſpecies illa dicitur cauſare notitiam paſſionum, quæ in homine virtualiter continentur: nam primo cauſat hominis cognitionem definitiuam, ex qua concluduntur paſſiones de homine, dicitur autem ſpecies illa habitus, quia habet modum habitus, quia permanenter exiſtit in ſubiecto, & non quod ſit ex frequentatis actibus acquiſitus.

Habitus ē triplex.

Tertio obſeruandum eſt, quod triplex ponitur habitus, ſ. formalis, qui eſt ſpecies intelligibilis obiecti virtualis, qui eſt ipſamet ſpecies intelligibilis, quatenus eſt cauſa cognitionis paſſionum virtualiter incluſarum in obiecto, & quando obiectū eſt ſpēs ſpecialiſſima; ita vt eademmet ſpēs in ordine ad obiectū dicitur habitus formalis; in ordine aūt ad paſſiones & ad inferiora obiecti appellatur habitus virtualis, & potētialis, q eſt ſpecies intelligibilis alicuius obiecti, quod eſt genus: eadem tamen ſpecies obiecti habentis vnitatem genericam, eſt habitus formalis in ordine ad ipſum obiectum, virtualis in ordine ad paſſiones, quæ virtualiter primo continetur in illo; & potentialis in ordine ad paſſiones ſpecierum, quæ ſub illo obiecto continentur: atque ita notitia iſtarum concluſionum, omnis homo eſt riſibilis; omnis bos eſt mugibilis, omne animal eſt ſenſibile, dicuntur vnus habitus non formaliter, nec virtualiter, ſed vnitate potentialis continentiæ. Et hoc eſt, quod vult dicere hic Doct. cum inquit. Habitus enim ille, qui eſt de primo obiecto, eſt formaliter vnus, vt ſpecies intelligibilis hominis, & eſt virtualiter omnium, quæ virtualiter continentur in illo obiecto primo, id eſt, omnium paſſionum, quæ virtualiter continentur in homine, modo ſupra explicato, ſed non eſt formaliter omnium eorum, quorum cognitio practica virtualiter continetur in illo fine, ſed non eſt formaliter omnium illorum. Ita in propoſito ille habitus, qui eſt formaliter alicuius finis in aliquibus agibilibus, eſt virtualiter omnium eorum, quorum cognitio practica virtualiter continetur in illo fine; ſed non eſt formaliter omnium illorum. Ita vt omnes prudentiæ poſſunt dici vna vnitate virtuali, quia omnes continentur virtualiter in vno obiecto virtutum, qui eſt finis purè moralis. ſ. illa fœlicitas, quæ conſiſtit in debita harmonia animæ & corporis; & ſicut reſpectu illius finis omnes virtutes, ſeu habitus omnium virtutum poteſt dici vnus, ita etiam prudentię dirigentes illas virtutes poſſunt dici vna, non vnitate formali; ſed virtuali, v.g. hoc dictamen pro patria tuenda fortiter agendum eſt, & hoc caſtè viuendum eſt, &c. Et ſicut etiam dicimus, quod reſpectu finis omnes habitus dicibiles de creatura quoad Deū ſub ratione finis ſunt vnus vnitate virtuali; vt omnis homo ordinabilis eſt ad beatitudinem aliquando habendam per operationem; omnis natura intellectualis eſt apta nata videre Deum. & ſic de alijs, omnes iſtæ notitiæ virtualiter continentur in Deo; & hoc modo eſt vna prudentia virtualiter omnium virtutum, extendendo nomen prudētiæ ad habitum illum, qui eſt intellectus primi principij practici.

His obſeruatis, ſit hæc concluſio. Tot ſunt prudentiæ formales, & ſecundum ſpeciem diſtinctæ circa diuerſas materias morales, quot ſunt virtutes morales acquiſitæ circa ipſas, atque ita cuilibet virtuti morali ſua propria prudentia correſpondet. Ita vt prudentia in communi debet poni vna ſecundum genus remotum, ſicut etiam virtus moralis acquiſita eſt vna. hæc concluſio eſt Scoti in hac quæſtione loco ſupra relato. Occam in 3. q. 12. art. 3. Baſſoli d. 36. q. vnica, art. 2. Rubionis eadem diſt. q. 2. art. 2. Gabrielis q. vnica, art. 1. notabili quinto, & Almayn. tract. 3. moralium 7. & Maioris d. 33. q. 4. in quodam dubio. Franciſcus d. 33. q. 1. art. 13.

Scotus. Occam. Baſſol. Rubion. Gabriel. Almay. Io. Maior. Mayron.

Probatur hæc concluſio multipliciter, & primo ſic: Nō eſt eadem ſpecie prudentia monaſtica, oeconomica, architectonica, & politica ſimpliciter dicta, ergo &c. conſequentia patet, & antecedens probatur: quia monaſtica eſt illa, qua quis dirigit ſe in regimine ſui ipſius ſolius, ſecundum proprios actos ſuos mediantibus moralibus virtutibus, videlicet, temperantia, fortitudine, & iuſtitia, eligens ſibi bonum eligendum, & reſpuens malum reſpuendum. Oeconomica eſt directiua, & dictatiua regiminis familiæ, ſeu directiua hominis in tali regimine per dictas virtutes. Politica architectonica dicitur eſſe directiua hominis in regimine principis, reſpectu boni communis. Politica autem ſimpliciter dicta eſt illa, quæ eſt directiua ciuitatis in regimine ſui ipſius ad politiam bene ordinatam, in quantum videlicet eſt pars ipſius; ex quo patet, quod eiuſmodi prudentia reſpiciunt diuerſa contingentia, habentia ſpecialem rationem boni, & differenter operabilis: nam bonum proprium conſiſtens in paſſionibus moderatis, & bene ſe habere ad proximum, eſt quoddam bonum operabile bene, vel male, & cum difficultate, diſtinctum a bono familiæ, principis, & ciuitatis in comparatione ad politiam bene ordinatam, ergo reſpectu cuiuslibet iſtorum, eſt ponenda prudentia ſpecialis. Et confirmatur, quoniam ex diuerſis actibus ſpecie diuerſis, diuerſi habitus generantur, ſed actus dictatiui regiminis ſui ipſius, familiæ, principis, & ciuium, ſunt actus diſtincti ſpecie: Non enim omnis ſciens ſe regere, & per cōſequens habens ſcientiam monaſticam, ſcit alios regere, ergo &c.

Secundo probatur, quod prudentia monaſtica, quæ eſt cuiuslibet in proprio ſui ipſius regimine directiua, non eſt vnica ſecundum ſpeciem infimam, ſed plures ſub ſe continens, tot videlicet, quot ſunt morales virtutes, ad quarum actus elicitos, quibus regit quilibet ſemetipſum huiuſmodi prudentiæ ordinantur. Et primo ſic omnes habitus ſunt ſpecie differentes, qui ex actibus differentibus ſpecie gene

Digitized by Google

rantur, ſed actus dictandi, ex quibus prudentiæ dictatiuæ correſpondentes virtutibus tribus moralibus, generantur, ſpecie diſtinguuntur, nec enim actus directiuus circa terribilia, quorum eſt fortitudo, eſt idem ſpecie cum actu directiuo contra concupiſcibilia, reſpectu quorum eſt temperantia; nec cum actu directiuo circa iuſta, reſpectu quorum eſt iuſtitia, ergo prudentiæ non erunt eædem ſpecie, ſed diuerſæ ex talibus directiuis actibus generatæ.

Præterea ſecundo. Habitus, qui reſpicit plura obiecta formalia ſecundum diuerſas per ſe rationes formales non eſt unus, ſed plures ſpecie. Sed prudentia eſt huiuſmodi, ergo, &c. Maior conceditur a Thomiſtis, & eſt Ariſt. 3. de anima. Probatur minor. Diuerſorum obiectorum, quorũ appetitiui habitus ſpecie ſunt diſtincti, habitus intellectiui appetitiuis correſpondentes etiam ſpecificæ diſtinguuntur: ſed obiecta prudentiarum correſpondentium trib virtutibus appetitiuis moralibus ſpecificè ſunt diſtincta, propter quod ipſæ virtutes morales appetitiuæ ſpecie ſunt diſtinctæ, ergo & eis correſpondentes prudentiæ. Maior patet. Non enim diuerſitas obiectorum minus arguit diuerſitatem habituum intellectualium, quam appetitiuorum; ergo, qua ratione virtutes morales appetitiuæ arguuntur diſtingui ſpecie, quia ſunt diuerſorum obiectorum, eadẽ eis correſpondentes habitus intellectuales, videlicet prudentiæ dictatiuæ. Minor etiam eſt euidens, quia omnium virtutum moralium obiecta, quæ conſtat eſſe diuerſa, ſunt obiecta prudentiæ. Et confirmatur: quia in illud idem, in quod appetendum, ſeu eligendum inclinat virtus moralis electiua, dirigit prudentia dictatiua, & ſub eadem ratione, ſub qua per virtutem moralem quis inclinatur ad aliquid eligendum, dirigitur per prudentiam ad illud idem, & ſub eadem ratione; Hoc patet: quoniam illud idem, & ſub eadem ratione, quod prudentia dictat eligendum; homo eligit per virtutem moralem electiuam: quoniam ſi prudentia dictaret vnum, & virtus moralis inclinaret ad eligendum aliud; vel illud idem, ſed ſub alia ratione ab illa, ſecundum quam prudentia dictaret illud eligendum, nullus ex directione prudentiæ bene eligeret, quod eſt falſum, præter quam quod virtus moralis ferretur in aliquod obiectum formale, vel ſecundum aliquam rationem formalem obiecti, vel boni agibilis, circa quam non dirigeretur niſi per accidens, atque ita caſualiter tenderet in ſuum per ſe obiectum. Cum ergo virtutes morales ſint reſpectu diuerſorum obiectorum eligibilium, arguuntur diſtingui ſpecie, ita & prudentiæ eis correſpondentes, cum ſint penitus eorumdem obiectorum, diſtinguuntur ſpecie.

Item arguitur tertio. Vna regula ſpecie non poteſt eſſe reſpectu regulabilium ſpecie diuerſorum, ſed prudentia, vel eius actus eſt regula eligibilium directiua, ergo cum eligibilia, quorum ſunt morales virtutes, ſpecie ſint diſtincta, ſicut & ipſæ morales virtutes, per conſequens prudentiæ actuales & etiam habituales, ſpecie diſtinguentur. Et confirmatur: quia aliquis poteſt rectè dictare circa vnam moralem materiam, vt circa obiectum temperantiæ, deceptus circa aliam, & per conſequens falſum dictans, vel verum eligibile non cognoſcens: ita enim quæ ad morales virtutes pertinent, ſunt diuerſa intelligibilia, cum quorum vnius ſcientia poteſt ſtare alterius ignorantia, ſicut aliarum ſcientiarum ſpeculatiuarum diuerſarum obiecta: ergo ſicut poſſum ſcire ſpeculatiuè obiectum vnius ſcientiæ, ſcilicet, logicæ, ignorando obiectum alterius, ita poſſum ſcire practicè, quid eligendum ſit circa materiam vnius moralis virtutis, ignorando quid eligendum circa aliam, atque ita ex recto dictamine circa materiam vnius virtutis poterit generari habitus prudentiæ correſpondens illi virtuti, non generata prudentia virtuti alteri correſpondente, circa cuius materiã, ſeu obiectum, nullum eſt habitum dictamen rectum, quare &c.

Ex hoc arguitur quarto. Illi habitus ſunt eſſentialiter, & ſpecificè diſtincti, quorum vnus acquiritur in aliquo, nõ acquirendo alium, nec in aliquo gradu eius in eodem. Videtur enim, quod ſi eſſent idem habitus, quod vno acquiſito, acquireretur alius, vel ſaltem aliquis gradus ipſius, ſed acquiſita prudentia circa aliquam materiam moralem in ſpeciali, non acquiritur prudentia circa aliam materiã ſpecialem, nec aliquis gradus eius. probatur, quia experiẽtia apertè indicat, aliquos eſſe maximè prudentes in re militari, qui ſunt alioqui imprudentes in alijs, alios eſſe prudentes in Republicæ adminiſtratione, non in alijs, aliquos etiam eſſe prudentes in certa quadam materia; quia in ea ſunt probè inſtituti, educati, ſatis experti, diu verſati; & tamen in alijs rebus non ſunt.

Præterea ſicut ars eſt recta ratio factibilium, & artificialium, ſic prudentia eſt recta ratio agibilium, ſexto Ethicorum, igitur ſicut ars reſpicit factibilia, ita prudentia agibilia; ſed planum eſt quod reſpectu diuerſorum factibilium, alterius & alterius rationis diuerſæ ſunt artes ſpecie differentes: Alia eſt enim ſpecie ars Medicina, alia Sutoria, alia Carpentaria, alia Domificatiua, alia Frenifactiua, &c. ita alia eſt prudentia dictans de temperatè viuendo, alia de iuſtè operando, & alia de fortiter agendo. Vnde ſicut ars generaliter reſpicit omnia factibilia, qualiter ſcilicet eſt domus fabricanda, qualiter nauis conſtruenda, qualiter medicina diſponenda, &c. ita prudentia generaliter reſpicit omnia agibilia, vt qualiter eſt caſtè viuendum, qualiter vnicuique eſt tribuendum quod ſuum eſt, & qualiter terribilia ſunt viriliter ſuſtinenda. Et ſicut aliquis poteſt eſſe artifex circa aliquod factibile, & non circa aliud, ita aliquis poteſt eſſe prudens reſpectu alicuius agibilis, & non reſpectu alterius. atque adeo, quemadmodum reſpectu diuerſorum factibilium, ſunt ponendæ diuerſæ artes, ita reſpectu diuerſorum agibilium, ſunt ponendæ diuerſæ prudentiæ. Reſponſionem Caietani ad hoc argumentum reiecimus ſupra, quando oſtendimus virtutes morales, & materias, circa quas verſantur, nequàquam eſſe inter ſe connexas. *Baſſol.*

Ad argumenta oppoſitæ ſententiæ. Ad authoritatem Ariſtotelis ſexto Ethicorum Baſſolus dicit. Si intentio Ariſtotelis eſt oppoſita prædictis, nego eam. Si verò concordat cum prædictis, poteſt exponi, quod ponit vnam prudentiam vnitate nominis, & ordinis, & generis, pluſquam alias quoquo modo. Non ſic autem virtutes morales, quæ non ſic in vno nomine conueniunt. *Scotus.*

Doctor ſubtilis tribus modis explicat authoritatem Ariſtotelis. Primo, quod Ariſtoteles intelligit prudentiam eſſe vnam vnitate virtuali, non formali. Secundo poteſt dici, quod loquitur de vnitate generis, ſcilicet potentiali; quia prudentia dirigens circa obiectum fortitudinis, eſt vnum genus, ſicut ipſa fortitudo eſt vnum genus; etiam prudentia dirigens circa temperantiam, eſt vnum genus, & ſic de alijs; ſicut enim temperantia apud Philoſophum eſt vna virtus, & fortitudo alia, vtraque tamen illarum, eſt quoddam genus intermedium, habens ſub ſe multas ſpecies, ſicut dictum eſt ſupra, ita prudentia correſpondens iſti connumerationi, vel coordinationi generum intermediorum, poteſt dici vna propter vnitatem generis intermedij; licet contineat ſub ſe multas ſpecies, atque ita intelligendo vnitatem; vni prudentiæ ſecundum genus omnes virtutes ſunt connexæ, prout ſibi ſecundum vnamquamque ſpeciem aliqua virtus eſt connexa; & hoc ſupponendo connexionem cuiuſlibet virtutis ad ſuam prudentiam, ſicut oſtendemus in ſeq. art.

Tertio dici, quod ſi Ariſtoteles loquitur de vna prudentia formali, ita vt omnium agibilium ſit vna prudentia ſecundum ſpeciem infimam, tunc debet intelligi, quod illi exiſtenti vni perfectè, non tantum ſecundum intenſionem, ſed etiam ſecundum extenſionem omnes inerunt. Numquam autem eſt perfecta extenſiuè quantum poteſt eſſe, niſi ſit perfecta circa omnia illa, ad quæ poteſt ſe extendere, & illa ſunt omnia pertinentia ad quaſcumque virtutes morales. & hoc eſt quod docet Durandus in 3. *Durand.* d. 36. quæſtio. prima. Omnes virtutes connecti in vna prudentia perfecta; nempe quæ complectatur omnem materiam virtutis: Nam ſi eſt vna prudentia formalis, illa debet habere extenſionem quamdam ad omnes materias moris; atque adeo, ſi aliquis habet extenſam prudentiam ſecundum ſtatum veræ virtutis circa omnem materiam virtutis moralis, neceſſario ſequitur, ipſum etiam habere omnes virtutes morales, eaſq. in hac vna prudentia perfecta connexas eſſe: Cum igitur inquit Ariſtoteles, cum prudentia reliquas omnes eſſe virtutes, loquitur ſanè de prudentia, quæ non in vna materia, ſed in omni materia

vir-

virtutum extenſa eſt. Cæterum, cum vnaquæque virtus eſſentialiter oon poſtuler prudentiam completam & extenſam circa omnem materiam virtutum, ſed circa ſuam peculiarem, vt diximus ſupra, hinc non fit, quod habitus cuiuſcumque virtutis neceſſario connectatur cum alio ſecundum rationem virtutis, propter connexionem cum vna prudentia.

Ad rationem Diui Thomæ dico, quod ſi illa aliquid probaret, conuinceret etiam non poſſe eſſe plures ſcientias ſpeculatiuas rerum: quia eſt eadem veritas ſpeculatiua, cur erit eadem veritas practica tot diuerſarum rerum? Adde, quod ſcientiæ non ſumuntur ſpeciem a veritate, quæ eſt conuenientia intellectus cum re, ſed ex rebus ipſis quas conſiderat, & ex modo tractandi, & conſiderandi illas; veritas enim non eſt obiectum ſcientiæ & intellectus, ſed res ipſa, quam conſideramus, veritas autem eſt paſſio, vel quaſi paſſio intellectionis.

Ad primum Durandi dico, quod non oſtendit, quo pacto ſit vna ratio obiecti prudentiæ, cum verſetur circa varias materias ſingularium virtutum, quæ ſecundum ſe diuerſæ ſunt ſecundum ſpeciem in genere moris: vel dicas, quod non oportet quoſcumque habitus reſpicientes idem obiectum formale, vel ſecundum eamdem rationem formalem eſſe vnum habitum ſpecie, ſed poſſunt diuerſificari ſpecie, ſicut dictum eſt ſupra de fide, ſpe, & charitate. Si enim oporteret hoc, neceſſarium eſſet, prudentiam & virtutem moralem ſecundum aliquos eſſe eumdem habitum ſpecie: quia reſpiciunt eamdem moralem materiam, vel idem obiectum ſub eadem ratione formali; ſed quidquid ſit de hoc, dico, quod maior non eſt vera: licet enim habitus diſtinguantur ſecundum diſtinctionem primorum obiectorum formalium, non tamen vniuntur ſecundum vnitatem ipſorum; neque hoc dixit Ariſt. 3. de anima: ſed primum bene dicit.

Falſa eſt etiam minor: quia ſicut diuerſæ virtutes morales directæ a prudentia reſpiciunt diuerſa, & diſtincta obiecta formalia ſecundum proprias rationes, ita etiam prudentia ſecundum ſpecies ſuas, cum ſit directiua prædictarum virtutum moralium.

Ad aliud de medicina dico, quod non eſt ſimile: quia medicina corporalis agit de tuenda & acquirenda vna ſolum ſanitate; & licet agat etiam de remouendis varijs contrarijs morbis, poteſt eſſe vna; quia omnia hæc ad vnã valetudinem referuntur, que conſiſtit in vna humorum proportione; at vero prudentia moralis non agit de tuenda, aut acquirenda vna valetudine ſpirituali, ſed pluribus, & varijs ſecundum ſpeciem, nempe de acquirendis, & tuendis varijs virtutibus moralibus, cur ergo vnica ſolũ ſecundum ſpeciem eſſe debet Prudentia?

Ad argumentum Caietani Reſpondeo, quod non video, quare prudentia ex parte intellectus, quæ eſt per ſe directiua moralis virtutis, non reſpiciat obiectum agibile ſecundum proprias, & diuerſas rationes ſpeciales, ſicut & virtus moralis; & non video etiam, quod ad directionem neceſſariam circa bonum agibile, ſufficiat reſpicere bonũ agibile ſub ratione cõmuni, & generali; ſed oportet, quod ſub ratione ſpeciali, ſicut & virtus moralis tendit in ipſum ſub ratione ſpeciali. Modus autem ille iudicandi per conſultationem in inueniendo mediocritatem in materia moris, eſt valde communis, & generalis, qui non eſt ſufficiens ad neceſſariam directionem, circa omne bonum agibile in determinata materia ſpecialis virtutis. nimirum, temperantiæ, vel fortitudinis, aut iuſtitiæ, vt patet.

ARTICVLVS IX.

Vtrum qualibet virtus moralis ſit connexa cum ſua Prudentia.

Virtus moralis bifariam ſumi poteſt.

PRo explicatione huius difficultatis obſeruandum eſt quod virtus moralis bifariam ſumi poteſt. Vno modo quantum ad id, quod eſt abſolutum in ipſa. puta quantum ad habitum ipſum abſolutum de prima ſpecie qualitatis; alio modo poteſt accipi quantum ad reſpectum conformitatis ad regulam, vel dictamen rationis ſecundum prudentiam ipſam, & hoc ſiue ille reſpectus ſit actualis, ſiue aptitudinalis, ſiue realis, ſiue rationis; In præſenti articulo loquimur de virtute ſecundo modo.

Secundo obſeruandum eſt, quod dictamen rectum eſt actus prudentiæ; cum prudentia ſit habitus dictatiuus, & bona electio actus moralis virtutis, cum virtus moralis ſit habitus electiuus.

Tertio obſeruandum eſt, quod omnis actus interior moralis virtutis, vt completè bonus moraliter, præſupponit, & neceſſario exigit actum prudentiæ præcedentem: quia actus moralis virtutis interius elicitus eſt bona electio, ſed nulla poteſt eſſe electio moraliter bona, niſi ſit cõcors recto dictamini intellectus, quod dictamen eſt actus prudentiæ; Nam ſicut ſe habet electio in vniuerſali ad dictamen, ita bona electio ad rectum dictamen, electio autem vniuerſaliter ſumpta ſic ſe habet ad dictamen, vt omnis electio præſupponat aliquod dictamen, ſicut enim nullus poteſt diligere incognita; ita nec eligere, niſi dictata: vnde ſequitur, quod bona electio moraliter præſupponit rectum dictamen.

Quarto obſeruandum eſt, quod ideo dixi actum moralem non abſolutè ſumptum, vt bonum completè, præſupponere actum prudentiæ: quoniam licet aliquis poſſet eligere aliquid non cognitum, nec dictatum, & hoc electione non a ſe elicita ſeu producta effectiuè, ſed a Deo ſibi infuſa, & in ſe recepta tantummodo ſubiectiuè, cum ipſum dictamen & electio ſint actus diſtincti; & per conſequens licet habeant ordinem neceſſarium, & connexionem in ordine ad agens naturale, nullum tamen habent ordinem ad agens ſupernaturale; ſicut nec aliqua quæcumque realiter diſtincta, cum omnia talia ſint per diuerſam potentiam ſeparabilia: tamen huiuſmodi talis ſic infuſa electio ſine dictamine præuio non eſſet meritoria, nec etiam completè actualiter ſtudioſa; cum nulla electio ſit actualiter completè moraliter ſtudioſa, niſi ſit cõformis actualiter dictamini rectæ rationis.

Et ſi dicas, quod alius actus eſt actus dictandi aliquid eſſe eligendum, vel agendum, & alius actus abſolutè intelligendi eligendum: & ideo licet omnis electio, & volitio præſupponat actum intelligendi electum, ſeu volitum, nõ tamen actum dictandi.

Reſpondeo, quod eſto, quod aſſumptum ſit verum, de quo nihil modo, adhuc ſtat quod annotatum eſt: quoniam ad bonam electionem moraliter, non ſufficit, quod electum ſit abſolutè intellectum, ſed oporte: quod ſit non qualitercumque, ſed rectè dictatum: numquam enim electio aliqua poteſt eſſe moraliter bona, niſi ſit concors recto dictamini præuio intellectu. Vnde ſi electio naturaliter elicita eſt diſcordans à recto, & vero dictamine, eſt mala materialiter, & formaliter, vt illa qua quis eligit intemperatè viuere intellectu contrarium oſtendente, ſi autem eſt diſcordans a falſo, & erroneo dictamine, licet ſit materialiter aliquo modo bona, tamen formaliter eſt mala, vt illa, qua quis eligit temperatè viuere exiſtente oppoſito dictamine, videlicet quod eſt intemperatè viuendum. Si autem ſit electio, quam nullum præcedit dictamen de eligendo, vel fugiendo, ſed ſimplex, & abſolutus actus intelligendi electum, tunc aut electum ſecundum ſe eſt bonum, vt electio, qua eligo temperatè viuere, abſque dictamine præcedente, & talis nec eſt formaliter bona, nec formaliter mala, ſed poteſt fieri bona vero dictamine, vel mala, falſo, malo, & erroneo dictamine accedente. Si autem eligo malom, puta, intemperatè viuere, talis electio mala eſt, licet ſine dictamine ipſam contrario præcedente, dum tamen eligens ſit capax rationis.

Ex hoc ſequitur, quod nulla electio a Deo infuſa abſque dictamine exiſtente in recipiente poſſet eſſe moraliter bona: ſicut enim omnis electio a recto dictamine diſcordans eſt mala poſitiuè, ita & omnis non concordans, quia nullum dictamen cui poſſet concordare habens, eſt mala, vel poſitiuè, ſicut diſcordans, & hoc ſi electio mala eſt, vel ſaltem negatiuè, hoc eſt non bona, ſi electio eſt bona.

Concluſ. His obſeruatis, ſit hæc Concluſio. Virtus moralis accepta pro conformitate ſiue provt dicit reſpectum conformitatis ad rationem rectam, quod eſt dicere quatenus virtus eſt, non poteſt eſſe nec acquiri ſine prudentia, vel actu eius, atq; adeo eſt neceſſario ſuæ prudentiæ connexa. Hæc concluſio eſt Scoti, in hac quæſt. ſub littera K. §. Poteſt ergo aliter dici &c. Vbi habet iſta verba. Habitus, generatus ex dictaminibus, ſiue circa fines quoſdam particulares, ſaltem qui ſunt proprij fines virtutum moralium, ſiue circa media ordinata ad illos fines, eſt propriè prudentia, licet electio recta non ſequatur in eodem dictante, & ita non erit omnino neceſſaria connexio prudentiæ ad virtutem moralem tamen è conuerſo ſic: quia nulla electio poteſt eſſe recta moraliter, niſi ſit concors ſuæ regulæ, & ſuæ menſuræ, quæ eſt dictamen rectum. Dictamen autem rectum eſt natum generare prudentiā, etiamſi ſit vnicum, ideo è conuerſo poteſt concedi connexio, quia virtus moralis non poteſt eſſe ſine prudentia circa ſuam materiam. Hæc Scotus. Et aduerte quod textus Scoti, eſt corruptus: legas ergo ipſum provt nos correximus.

Probatur Concluſio. Sicut ſe habet actus vnius virtutis ad actum alterius, quantum ad connexionem ita ſe habet virtus ad virtutem, ſed actus virtutis moralis ſic ſe habet ad actum prudentiæ, vt ipſum neceſſario exigat, & ſupponat, ergo & habitus moralis virtutis præſupponit habitum prudētiæ dictatiuū, Et confirmatur: quia nō eſt in poteſtate elicientis actus alicuius habitus, non acquirere habitum, nec eſt in potentia habentis actus diuerſorum habituum acquirere illis mediantibus magis vnum habitum, quam alterum, ſed habitus generatiui virtutis moralis, nimirum electiones præſupponunt neceſſario dictamina vera prudentiæ productiua, ergo bene eligens circa aliquam materiam moralem, non magis ex electionibus poteſt naturaliter acquirere habitum moralem electiuum, quam ex præuijs veris dictaminibus habitum prudentiæ dictatiuum.

Præterea impoſſibile eſt, quod ſit reſpectus ſine termino, ſed prudentia iſto modo ex parte rationis eſt terminus talis reſpectus ſicut illud cui, vel cuius dictamini virtus conformiter ſe habet; ergo &c.

Item menſuratum in quantum menſuratum non poteſt eſſe, nec acquiri ſine menſura, & regula, ſed habitus virtuus moralis per illum reſpectum debet eſſe formaliter menſuratus, & regulatus à prudentia; ergo &c.

Deinde impoſſibile eſt eſſe, vel acquiri habitum electiuum, ratione recta, ſine recta ratione, ſed virtus quatenus virtus eſt habitus electiuus determinatus à ratione recta, ergo &c. Nam recta ratio illa, non eſt niſi prudentia. Nam poſtquam Philoſ. 2. Ethic. dixit, quod virtus moralis eſt habitus electiuus, conſiſtens in medietate determinans recta ratione, ſtatim ſubdit, ſicut ſapiens, id eſt, prudens determinauit. Patet ergo quod naturaliter loquendo virtutis moralis cuiuslibet ad ſuā prudentiam eſt neceſſaria connexio.

Dixi autem naturaliter: quia ſupernaturaliter aliter poſſet eſſe. Nam cum Deus poſſet ſuſpendere actionem cuiuſcunque cauſæ ſecundæ, eiuſque effectum ne eueniat impedire, & omnis habitus ſit quidam effectus ab actu realiter diſtinctus, in actu, vel in potentia, vel in vtroque virtualiter contentus, per conſequens poſſet fieri per diuinam potentiam, vt poſitis dictaminibus prudentiæ generatiuis nullus habitus prudentiæ ſequeretur, nec in dictante generaretur, generato ex electionibus dictaminibus conformibus in eliciente ipſos, morali habitu electiuo; cum enim habitus electiuus moralis ab habitu prudentiæ ſit diſtinctus, poſſet Deus impedire ne ſequeretur vnus alio naturaliter generato: quia nec impedito.

Ex quo ſequitur, quod maior aliquo modo connexio eſt actus moralis virtutis, ad actum prudentiæ, quam ipſius virtutis moralis ad habitum prudentiæ ſtudioſum; & hoc accipiendo iſta in genere moris, non vt in genere entis, ſeu qualitatis abſolute. Hoc apparet: quoniam nullo modo electio, quæ eſt actus virtutis moralis, poteſt eſſe moraliter bona (licet naturaliter, & materialiter) niſi recto dictamine, ſeu actu prudentiæ præcedente; Ipſe autem moralis virtutis habitus, & in genere entis, & in genere moris poſſet in caſu prædicto ſine habitu præuio prudentiæ generari.

Et ſi dicas, quod talis habitus electiuus ſine habitu prudentiæ generatus non eſſet moraliter ſtudioſus, ſicut nec electio eſt bona moraliter ſine dictamine præcedente. Contra omnis habitus eſt moraliter ſtudioſus, & bonus, qui eſt ex actibus bonis, & ſtudioſis moraliter acquiſitus, ſed omnis moralis habitus electiuus acquiſitus ex electionibus conformibus rectis, & veris dictaminibus intellectiuus eſt ex actibus bonis moraliter: quia omnis electio, & ſola eſt moraliter bona, quæ eſt concors vero præuio dictamini intellectus; ſed habitu prudentiæ ex veris dictaminibus non ſequente: quia Deus impedit, nihilominus electiones poſſent eſſe rectis dictaminibus conformes, ac proinde non minus moraliter ſtudioſæ, quam ſi ex eiuſmodi dictaminibus ipſis fuiſſet habitus prudentiæ generatus; ergo nec habitus electiuus ex talibus electionibus generatus, eſſet minus moraliter bonus, quam ſi fuiſſet inſimul cum habitu prudentiæ generatus. Ex quo ſequitur, quod virtus moralis licet exigat actum prudentiæ, ſine quo electio eius generatiua, non poteſt eſſe moraliter bona, non tamen neceſſario exigit habitum prudentiæ abſolute, ſed tantum ſecundum ordinem naturæ.

ARTICVLVS X.

Vtrum habitus genitus ex rectis electionibus ſine prudentia ſit virtus moralis.

SVppoſita diſtinctione de virtute morali in ſuperiori artic. explicata, obſeruan. eſt, quod in hoc artic. loquimur de virtute morali, quatenus eſt habitus abſolutus de prima ſpecie qualitatis: ſenſus autem tituli eſt, an virtus moralis poſſit ſtare non tantum ſine prudentia modo explicato in ſuperiori articulo, ſed etiam cum habitu contrario vitioſo.

Et primo probatur, quod non poſſit ſtare ſine prudentia, quia minus videtur connexa prudentia cum virtute morali, quam è conuerſo. Nam prudentia prior eſt, & regula ipſius virtutis moralis, ſed prudentia connexa eſt virtuti morali neceſſario, ergo multo fortius è conuerſo. Maior patet, & minor probatur, quia prudentia eſt recta ratio agibilium, ſexto Ethic. ſed impoſſibile eſt habere rectam rationem agibilium ſine virtute morali. Nam ſicut dicitur 6. Ethic. Malitia eſt corruptiua principij, & corrumpit iudicium rectæ rationis etiam de fine. Quia qualis vnuſquiſque eſt ſecundum virtutem, vel vitium talis ſibi finis videtur; ergo &c.

Præterea virtus moralis eſt habitus electiuus conſiſtens in mediocritate, determinatus recta ratione, ſecundo Ethic. Sed recta ratio illa non eſt niſi prudentia. Vnde & ſubdit, ſicut ſapiens, id eſt, prudens determinauit; ergo &c.

Item ſi virtus moralis non neceſſario connectitur cum prudentia, quæ eſt recta ratio agibilis, ſequitur quod ipſa poſſit ſtare, vel cum ratione corrupta de agibili, vel cum ignorantia de ipſo agibili, ſed hæc ſunt impoſſibilia; ergo &c. Probatur minor, quia ex principio, & iudicio corrupto, nullum bonum poteſt ſequi; & inuiſa poſſumus diligere, incognita nequaquam.

Deinde bonitas moralis in actu, vel habitu, ſicut dictum eſt ſupra, conſiſtit in reſpectu conformitatis ad rectum iudicium rationis dictantis circunſtantias debitas in eſſe actui; ſed illa ratio debita non eſt niſi prudentia, vel actus eius, ſicut igitur impoſſibile eſt relationem eſſe ſine termino, ita habitum bonum moralem ſine prudentia. Alias enim ſequeretur, quod idem habitus, vel actus poſſet eſſe ſtudioſus, & vitioſus adueniente, vel recedente conformitate ad prudentiam, quod non videtur.

Concluſ. His tamen non obſtantibus ſit hæc Concluſio. Virtus moralis accepta quãtum ad id, quod eſt abſolutũ in ipſa, id eſt, quantum ad habitum ipſum abſolutum de prima ſpecie qualitatis poteſt poni in re, & conſeruari ſine prudentia ſibi correſpondente, vel aliquo actu eius, atque adeo non eſt neceſſaria connexio eius ad prudentiã. Hæc Concluſio eſt Scoti, in hac quæſt. in reſpõſione ad 3. principale. Vbi dicit Doct. quod ratione exiſtente erronea, voluntas vtique poteſt elicere actum rectum contra iudicium eius, & ex frequentibus talibus electionibus, poteſt generari habitus moralis, etſi in intellectu non generetur prudentia: quia intellectus non recte dictat, verbi gratia, eſto quod ratio Petri dictet vindicandam eſſe iniuriam inimici, & voluntas eius eligat oppoſitum, nempe patienter ferre, & condonare iniuriam, tunc ex talibus frequentibus electionibus, generabitur in voluntate Petri habitus patientiæ, & tamen in intellectu eius non generatur prudentia; quia per hypotheſim intellectus non recte dictat. Ex frequenter ſic operari, inquit Scotus, generatur quædam qualitas, quæ nata eſt eſſe concors rationi rectæ, & eſſet virtus ſi haberet in operante rationem rectam; cui eſſet concors. Cæterum quia non rectũ dictamen in illo, deficit regula operationis rectæ; atque adeo electio, quæ nata eſt eſſe recta, non eſt recta: quia non regulata, & per conſequens, ſi generat qualitatem aliquam illa tamen non eſt habitus electiuus: quia non eſt conſeſſe ſe habens rationi rectæ; atque ita nec virtus. Nam virtus moralis ſe habet ad rationem rectam, ſicut regulatum ad regulam, & impoſſibile eſt regulatum, vel regulabile eſſe conforme regulæ ſine regula. Virtus autem formaliter loquendo conſiſtit in illa conformitate habitus ad rectam rationem, atque adeo virtus moralis quatenus eſt virtus, non poteſt eſſe ſine prudentia, vt probatum eſt in ſuperiori articulo. Cæterum qualitas illa habitualis ex illis electionibus generata, poteſt poni in re, & conſeruari abſque prudentia ſibi correſpondente, eritque habitus ille bonus, quia non vitioſus, non eſt tamen virtus; quia non habet regulam, cui conformetur.

Hæc Concluſio ſic explicata probatur primo ſic. Omne abſolutum eſſentialiter diſtinctum ab alio non includens ipſum intrinſece, poteſt Deus facere, & conſeruare ſine illo, ſed habitus virtutis ſic ſe habet ad habitum, vel actum prudentiæ; ergo &c.

Secundo non minus poteſt Deus facere, vel conſeruãre abſolutum virtutis ſine prudentia, quam effectum eſſe extrinſece ſua per ſe cauſa, vt videtur, ſed Deus poteſt iſtud, vt videtur; ergo &c.

Tertio non minus poteſt hoc Deus, quam facere fruitionem ſine viſione, ſed hoc poteſt Deus ita bene, ſicut etiam accidens ſine ſubiecto; ergo &c.

Idem probatur de agente creato, & primo ſic. Ratione errante circa aliquod obiectum, & dictante ipſum eſſe faciendum, puta eſſe fornicandum, voluntas ex ſua natura poteſt eligere oppoſitum, nimirum eſſe continendum, & poteſt frequentare talẽ actum, ſcilicet volo continere, atque adeo poteſt cauſare in ſe habitum continentiæ, vel volendi efficaciter continere fugiendo, & deteſtando fornicationem, ſed talis habitus videtur eſſe abſolutum virtutis; ergo &c.

Præterea ſicut ſtante prudentia, vel actu prudentiæ in intellectu, poteſt voluntas acquirere habitum vitioſum, eligendo quod non eſt eligendum, nec dictatum à ratione; Ita ſtante habitu, vel actu iudicij erronei in intellectu, poteſt voluntas eligere aliquid aliud ab illo, quod dictatum eſt, & quod debuit dictare recta ratio; ſed ſic eligendo frequẽter habetur abſolutum virtutis; ergo &c. Dices, quod pari rõne ſequitur, quod reſpectus conformitatis ad rationẽ in habitu virtutis poterit haberi ſine prudentia; ſicut ex parte vitij habet reſpectus difformitatis cũ prudentia. Dico, q̃d non ſequitur, quia exiſtente prudẽtia in intellectu, & vitiũ in volũtate, ponitur extremũ, ſ. terminus difformitatis, nimirũ prudentia; nã vitium difformiter ſe habet à rõne recta, qua difformitas fundatur in vitio, & terminatur ad rectã rõnem, ſeu ad prudentiã; at exiſtente abſoluto virtutis in voluntate, ſine prudentia in intellectu non ponitur terminus conformitatis, nempe prudentia, atque adeo neque conformitas.

Præterea ſicut abſolutum vitij non neceſſario habet difformitatem ad rationem, ſed poteſt habere conformitatem ad ipſam, ſi ratio ſit erronea; ita abſolutum virtutis non neceſſario habet conformitatem ad rationem rectã, ſed poteſt habere difformitatem ad rationem ſi ſit ratio erronea, vt videtur, ſed hoc poſito poteſt haberi, & acquiri habitus virtutis ſecundum id, quod eſt abſolutum ſine prudentia; ergo &c.

Ex his ergo patet, quod loquendo de poſſibili põt acquiri abſolutum virtutis ſine prudentia. Dixi de poſſibili; quia de facto, & de communi lege non acquiritur habitus virtutis pro abſoluto ſine relatione conformitatis ad prudentiam.

Ad primũ in oppoſitũ dico, quod aſſumit minorẽ falſam. ſ. quod prudentia cõnectatur neceſſario cum virtute morali ſibi correſpondente, & regulabili per ipſã. Ad probationẽ, dico, quod poteſt haberi recta ratio alicuius agibilis circa ipſum ſine morali virtute correſpondẽte, & ſine malitia, vnde non oportet, quod ſi virtus moralis non inſit, quod pp hoc malitia, quæ eſt habitus poſitiuus, inſit.

Voluntas enim in exiſtente recto iudicio poteſt iudicatum non eligere ſiue aliquid aliud, & per conſequens, nec virtutem, nec vitium, nec malitiam generare, atque ita eſto, quod malitia, eſſet corruptiua iudicij, vel principij eo modo quo intendit, adhuc poſſet eſſe prudentia ſine morali virtute, quomodo autem malitia voluntatis excæcare poſſit intellectum, dictum eſt ſupra.

Ad ſecundum patet ex dictis, quod virtus moralis quãtum ad reſpectum illum conformitatis ad rationem prudentiæ connexa eſt prudentiæ neceſſario manente tali reſpectu, ſed quia ille reſpectus accidentalis eſt habitui virtutis, vel ipſi abſoluto virtutis, ideo dico, quod abſolutũ virtutis poteſt eſſe ſine prudentia; ſicut & ſine tali conformitate, atque ita poteſt eſſe abſolutum virtutis, quod habitus eſt non determinatus, & regulatus actu à recta ratione, regulabilis tamen, & conformabilis rectæ rationi.

Ad tertium per idem dico, quod abſolutum habitus moralis virtutis, poſſet ſtare, & haberi, ſine conformitate actuali ad rationem rectam, vel prudentiam, & per conſequens ſine bonitate ſua morali actualiter in exiſtente; quia illa abſoluto virtutis eſt bonitas accidentalis; licet ſtante bonitate morali in actu, quæ conſiſtit in ipſa conformitate ad rationem rectam prudentiæ, oportet quod ſtet prudentia, vel ratio recta modo ſupra explicato. Per idem patet ad quartum.

Ex his ſequitur, quod idem habitus, vel actus ſecundum ſubſtantiam, & ſpeciem poſſet eſſe viciſſim moraliter bonus, & malus, cum talis bonitas, vel malitia moralis, ſit ſimpliciter accidentalis ſubſtantiæ actus, vel habitus; ſicut & conformitas ad prudentiam, vel carentia conformitatis, hoc patet exemplo. Aliquis poteſt eſſe habituatus in dando eleemoſynam, vel in aliquo tali propter vanam gloriam; & planum eſt, quod talis habitus eſt vitioſus propter defectum conformitatis ad rationem rectam vel potius propter difformitatem ad ipſam. Ponamus modo quod iſtum pęniteat de vana gloria, & velit dare, atq; etiam det eleemoſynam propter Deum; certum eſt, quod apud eum manet idem habitus ſecundum ſubſtantiam, præciſe mutatus ſecundum reſpectum: quod maneat idem habitus patet, quia ex eadem inclinatione, & facilitate, atque promptitudine operatur ſicut prius, & tamẽ ille habitus eſt modo ſtudioſus, quia conformis rationi rectæ ex eo, quod mutatus eſt ſecundum reſpectum. Et in hoc euentu ponitur variatio circa rationem, quæ eſt alterum extremum, quia de nouo habetur ratio recta, ex cuius poſitione conſurgit nouus reſpectus in habitu, vel actu ſtudioſo ex parte voluntatis nullo abſoluto acquiſito in ipſa niſi forte intenſiori gradu illius habitus, vel actus, quod nec etiam eſt neceſſarium. Quemadmodum præexiſtente albo, ſi producatur de nouo aliud album, acquiritur de nouo ſimilitudo in priori albo, ſolum facta mutatione in altero extremo, nullo autem abſoluto acquiſito in præexiſtenti albo, ſimiliter poteſt dici, quod actus moraliter bonus idem numero, & ſpecie, qui prius non erat meritorius, nullo abſoluto acquiſito in ipſo actu, ſed in haben-

te, poteſt

te, poteſt fieri meritorius, quia durante tali actu poteſt de nouo aduenire charitas in habente. Actus autem moraliter bonus cum charitate eſt meritorius, non autem ſine charitate, vt patet. Ex his ergo patet, quod vnaquæque virtus moralis quantum ad conformitatem, quam habet ad prudentiam tamquam ad ſuam regulam directiuam connexa eſt cum ipſa, vt probatum eſt in ſuperiori art. ſed non oportet quantum ad abſolutum habitũ ſtudioſi, vt probatum eſt in præſenti art. licet communiter, & regulariter ita ſit, vt præcedat prudentia in intellectu, & virtus moralis in voluntate eidem ſit connexa.

Dubium. Rubion. Solutio. Sed nunquid virtus moralis poteſt ſtare non tantum ſine prudentia modo ſupra dicto, ſed etiam cum habitu contrario vitioſo? Reſpondet Rubion, vbi ſupra, quod ſicut nunquam ex bonis electionibus generatur vitioſus, ſed ſtudioſus habitus electiuus, vel nullus Deo impediente; ita nec ex veris dictaminibus generatur habitus vitioſus prudentiæ contrarius: quia tamen actus ſtudioſus ſtat cum habitu vitioſo contrario, vt actus temperantiæ cum habitu intemperantiæ, ſicut è contrario habitus temperantiæ cum actu intemperantiæ. Et ideo ſi ſic ſimiliter poneretur, quod actus prudentiæ puta vera dictamina de eligendo, & fugiendo eſſent cum habitus ſtultitiæ prudentiæ oppoſito. Non video (inquit) hoc ſuppoſito, eſſe impoſſibile per diuinam potentiam, vel etiam per naturam virtutem moralem eſſe compoſſibilem tali habitui ſtultitiæ prudentiæ contrario; ſemper enim omnis electio conformis recto dictamini eſt bona moraliter, & ſtudioſa, & per conſequens ſtudioſi, & electiui habitus generatiua; ergo ſi verum dictamen ſtat cum ſtultitia, & etiam virtus moralis electiua, vt videtur, hoc tamen non poſſet fieri per naturam, ſed tantum per diuinam potentiam productionem habitus prudentiæ ex rectis, & veris dictaminibus præcedentibus ſuſpendentem.

Vt breuiter habeatur, quid ſentiat Doct. ſub. in hac quæſt. de connexione virtutum moralium inter ſe, & cum prudentia, obſeruandæ ſunt ſequentes Concluſiones.

1. Concl. Prima Concluſio. Loquendo de connexione virtutum eſſentiali nulla virtus eſt connexa cum alia ſecundum rationem habitus aut ſecundum rationem virtutis.

2. Concl. Secunda Concluſio. Nulla virtus eſt alteri connexa ſecundum proprietatem, hoc eſt, ſecundum propriam ipſius rationem, ita vt neceſſe ſit eum qui vnam habet virtutem habere reliquas omnes.

3. Concl. Tertia Concluſio. Non poteſt homo politicus eſſe perfectus vniuerſaliter, niſi habet ſimul omnes virtutes morales.

4. Concl. Quarta Concluſio. Omnes virtutes participatione connexæ ſunt, hoc eſt, ſimilitudine quadam ſecundum generales quaſdam virtutum rationes.

5. Concl. Quinta Concluſio. Omnis habitus dictatiuus in intellectu de aliquo agibili, ſiue dictet de medijs ad finem, ſiue de ipſo fine ad particularem materiam contracto, eſt vere prudentia.

6. Concl. Sexta Concluſio. Syndereſis proprie ſumpta non poteſt quo ad ſuam eſſentiam extingui, nec auferri, neque deprauari.

7. Concl. Septima Concluſio. Syndereſis quo ad actum ſuum immediatum non poteſt extingui, abſorberi, & deprauari.

8. Concl. Octaua Concluſio. Syndereſis quo ad actum ſuum immediatum licet non poſſit extingui per errorem, poteſt tamen impediri per auerſionem, ſed hoc non eſt intellectum excæcare.

9. Concl. Nona Concluſio. Syndereſis quantum ad actum mediatum, ſcilicet quantum ad actus deductos ex principijs deliberatione media, qui ſunt actus immediati conſcientiæ impediri poteſt.

10. Concl. 10. Concluſio. Stante recto dictamine intellectus pōt voluntas, velle, vel nolle actu poſitiuo contra id, quod eſt dictatum à recta ratione.

11. Concl. 11. Concluſio. Ex duobus bonis ſecundum omnẽ conditionẽ æqualibus præſentatis, & oſtenſis per intellectũ voluntati, poteſt voluntas ſe determinare ad alterũ eligendum, non volendo aliud ſtãte omnino eodem iudicio de æqualitate omnimoda eligendorum.

12. Concluſio. Voluntas non ſequitur neceſſario rationem, ita vt non poſſit velle vel nolle, aut etiam non velle id, quod iudicatum eſt à ratione ſtante tali iudicio. 12. Concl.

13. Concluſio. Nō eſt vna numero vel ſpecie prudẽtia omnium virtutum moralium. 13. Concl.

14. Concluſio. Vna prudentia particularis poteſt eſſe ſine prudentia alterius virtutis. 14. Concl.

15. Concluſio. Prudentia particularis pōt eſſe in intellectu ſine ſua virtute morali in voluntate atq; adeo prudentia nō eſt neceſſario connexa cum ſua virtute morali. 15. Concl.

16. Concluſio. Si virtus moralis accipiatur quantum ad id, quod eſt abſolutum in ipſa, id eſt, quatenus eſt habitus de prima ſpecie qualitatis poteſt poni in re, & conſeruari ſine prudentia ſibi correſpondente, vel aliquo actu eius, atque ita non eſt neceſſaria connexio eius ad prudentiam. 16. Conc.

17. Concluſio. Virtus formaliter accepta .i. pro conformitate, ſiue quatenus includit, vel dicit reſpectum cõformitatis ad rationem rectam, non poteſt eſſe nec acquiri ſine prudentia, vel actu eius, atque ita eſt neceſſaria connexio virtutis moralis cum ſua prudentia. 17. Concl.

ARTICVLVS XI.

Vtrum virtutes morales ſint connexæ cum Theologicis.

Senſus huius articuli eſt: An virtutes morales ſine Theologicis virtutibus habeant veram, & propriam rationem virtutis. Nam S. Thomas, 1.2.q.65.artic.2. & q.71.art.4. Docet habitus virtutum acquiſitarum, qui manent in homine peccatore, non habere veram rationem virtutis ſine charitate; exiſtimare enim videtur eos habitus ſortiri rationem virtutis ab ordine quem habent ex coniunctione cum charitate, qui ordo ipſis habitibus accidentarius, & extrinſecus eſt, quare exiſtimat in homine infideli, & peccatore, non eſſe veras virtutes: hanc ſententiam ſequitur Bannes, 2.2.q.23.art.7. *D. Thom.* *Bannes.*

D. Aug. Hæc ſententia probari poteſt primum ex quadam peruulgata doctrina D. Aug. qui multis in locis docet in infidelibus non eſſe veras virtutes, vt lib. 15. de Trinit. cap. vltimo ſub finem, & lib. 5. de Ciuit. c. 12. & lib. 19. c. 25. & 4. lib. contra Iulianum cap. 3.

Proſper. Secundo probatur ex Proſpero lib. 1. de vocatione gentium cap. 6. & in lib. Sentent. quas decerpſit ex Auguſtino Sententia 106. Verba Proſperi in priori loco ſunt hæc. Sine cultu veri Dei etiam quod virtus videtur eſſe, peccatum eſt. Poſteriori autem loco ſunt iſta. Omnis infidelium vita peccatum eſt, & nihil eſt bonum ſine ſummo bono, vbi enim deeſt agnitio æternæ, & incommutabilis veritatis, falſa eſt virtus etiam in optimis motibus. Idem docet lib. 3. de vita contemplatiua c. 1. lib. de gratia Dei, & lib. arb. contra Collatorem ſub medium, in lib. Epigrammaton Epigrammate 81.

Scotus. Gabriel. Oppoſitam ſententiam docet Doct. noſter ſub in hac quæſt. ſub littera M. & N. §. De tertio art. & omnes ſequaces, & Gabriel. hac d. q. vnica artic. 2. in 4. part. artic. concl. vnica, Qui omnes affirmant habitus virtutum acquiſitarum ſine charitate veram, & propriam licet non perfectam rationem virtutis habere. Pro cuius ſententiæ explicatione obſeruan. eſt primo, quod virtus moralis poteſt conſiderari dupliciter vno modo, vt eſt principium actus boni moraliter, alio modo vt eſt principium actus boni ſupernaturaliter, qualis eſt actus omnis meritorius. Virtutes moralis dupliciter ſumitur.

Secundo obſeruan. eſt, quod duplex eſt perfectio virtutis moralis, vna intrinſeca, altera extrinſeca: perfectio intrinſeca eſt, quam habet ex ſua ratione formali, vt eſt habitus determinatæ ſpeciei; perfectio extrinſeca eſt quatenus actu ſuo tendit in Deum, vt in finem vltimum ſuper naturalem. Perfectio virtutis moralis ē duplex.

His obſeruatis ſit prima Concluſio. Si fiat ſermo de virtute morali, prout eſt principiũ actus boni moraliter, & quo ad eius intrinſecã perfectionẽ, nulla eſt ipſarũ cõne- 1. Concl.

xio ad Theologicis, adeo vt virtutes morales ſũt veræ virtutes abſq; Theologicis. Probatur primo authoritate D. Aug. ſermone de patiẽtia, & eſt, 49. primæ partis, & refertur de pœnitẽtia d. 3. c. Si quis autem non habens charitatem, vbi loquens de hæretico, & ſchiſmatico, inquit. Si quis autem non habens charitatem, quæ pertinet ad vnitatem ſpiritus, & vinculum pacis, quo Catholica Eccleſia congregata connectitur in aliquo ſchiſmate conſtitutus, ne Chriſtum neget patitur tribulationes, anguſtias, famem, ſitim, perſecutionem, pericula, carceres, vincula, tormenta, gladium, vel flammas, vel beſtias, vel ipſam crucem timore gehennæ, & ignis æterni, nullo modo iſta culpanda ſunt, imo vero & hæc laudanda patientia eſt, igitur habet patientiam, & non fidem, nec charitatem.

D. Aug.

Præterea, quando aliqua ordinantur eſſentialiter ſicut diſpoſitio, & forma ad quam eſt diſpoſitio, licet forma non poſſit eſſe ſine diſpoſitione, diſpoſitio tamen poteſt eſſe ſine forma, ſed virtutes morales videntur eſſe diſpoſitiones quædam ad charitatem, ſicut fœlicitas naturalis ad ſupernaturalem; ergo virtutes morales poſſunt eſſe ſine Theologicis.

Præterea tota eſſentia virtutis moralis, poteſt haberi ſine charitate, ergo non eſt neceſſario ei connexa; conſequentia patet, & antecedens probatur; quia definitio virtutis moralis, poteſt perfecte ſaluari in aliquo ſine virtute Theologica; Nam fuerunt plures inter Philoſophos, qui nullam Theologicam habuerunt virtutem, ſed tantum morales virtutes, ſicut etiam reperiuntur modo multi infideles, ergo &c. Et confirmatur, quia Ariſt. a. Ethic. cap. 4. qui nullo modo nouit finem charitatis, neq; Theologicas virtutes, atque adeo nec ordinem virtutum moralium ad illum finem propter coniũctionem cum ea, opus ſimpliciter ſtudioſum, & non tantum iuſtum, ſed iuſte factum, hoc eſt, ſecundum modum proprium virtutis inquit eſſe ſi aliquis illud faciat ſciens, & eligens propter ipſum, & firmo, ac ſtabili animo, hoc autem poteſt eſſe ſine charitate, vt ille reuera putauit eſſe, ergo cum habitus virtutis manens ſine charitate poſſit eſſe principium actionis ſtudioſæ, hoc modo, ſequitur ex mente Ariſtotelis manere ſecundum veram, & propriam rationem virtutis.

Præterea charitas extrinſeca eſt forma virtutum moralium; & ſolum eis præſtat, vt ad vitam dirigantur æternã, quod autem ſint veræ virtutes, habent ex hoc, quod eligunt bonum rationis in mediocritate conſiſtens ex prudentiæ præſcripto.

Deinde in peccatore manent ſynderesis recta rõ, & prudentia, ſed ex his põt quiſq; honeſtatis officio fungi, ex quo virtus moralis acquiritur. Præterea quia ſi in peccatore poſſunt eſſe habitus moralium virtutum boni, & laudabiles, non eſt, cur in eo veras eſſe virtutes morales negemus: quia non eſt neceſſe, vt virtus moralis reddat hominem ſimpliciter bonum circa finem ſupernaturalẽ, ſed ſolum requiritur ad virtutem moralem, vt ſit habitus eligendi bonum in mediocritate conſiſtens provt ſapiens definit, ac præcipit. Item virtus moralis reddit hominẽ bonũ in eo genere, quod ipſi conuenit, nimirum in genere moris, & in actione, & officio honeſtatis; ergo &c.

2. Concl. Secunda Concl. Si fiat ſermo de virtutibus moralibus provt ſunt principia actus meritorij, & quo ad earũ perfectionem extrinſecam, habent neceſſariam connexionem cum charitate, atque adeo cum cæteris virtutibus Theologicis. Probatur, nulla virtus inclinat ad finem vltimum ſupernaturalem, niſi mediante illa, cuius eſt per ſe reſpicere finem vltimum; ſed ſola charitas reſpicit vltimum finem ſupernaturalem immediate, ergo virtutes morales non ordinant ad vltimum finem ſupernaturalem, niſi media charitate; atqui virtutes morales quatenus ſunt inſtrumenta quædã perficiendi hominẽ, debent eſſe inſtrumenta ordinandi ipſum ad vltimum finem, in quo eſt ſua perfectio, ergo ſine charitate ſunt imperfectæ, ſine qua nõ poſſunt ad eiuſmodi finem ordinare, atq; adeo quo ad earum extrinſecam perfectionem, habent neceſſariã connexionem cũ charitate. Cæterum quia iſta imperfectio, non eſt earum ſm propriam ſpeciem, quælibet poteſt eſſe perfecta in ſua ſpecie ſine charitate, & pro tãto dicuntur eſſe informes ſine charitate; & per charitatem formatæ, pro quãto charitas ordinat ipſas, & earum fines, in finem vltimum ſupernaturalem, in quo ordine conſiſtit earum vltima perfectio, licet extrinſeca, & accidentaria. Et confirmatur concluſio, nullus viator eſt Deo acceptus, nec per conſequens poteſt eſſe meritorius aliquis eius actus, niſi habeat fidem, ſpem, & charitatem infuſas, ergo actus virtutum moralium nequeunt eſſe meritorij ſine Theologicis virtutibus; atque adeo virtutes morales provt ſunt principia actus meritorij, neceſſario cum Theologicis ſunt connexæ.

In his duabus Concluſionibus conueniunt nobiſcum etiam præcipui Thomiſtarum, vt Caiet. 1. 2. queſt. 65. art. ſecundo, & Medina ibidem. Valentia tomo 2. diſp. 5. q. 7. Caietan. puncto 2. & Vaſquez 1. 2. tomo 1. diſput. 88. cap. 1. Nam Medina. vt dicit Caiet. quem cæteri ſequuntur, quæſtio non eſt Valent. rerum, ſed vocum, cum quæritur, an virtutes morales Vaſquez. ſine Theologicis ſint veræ virtutes. Nam phyſice loquendo ſunt veræ, & perfectæ virtutes in ſuo genere, ſcilicet moris, Theologice vero abſque charitate ſunt imperfectæ virtutes. D. autem Thomas loco ſupra relato, inquit Caiet. non eſt locutus, vt Philoſophus moralis, ſed vt Theologus, ad quem pertinet conſiderare vltimum finem charitatis, qui eſt finis hominis ſimpliciter vltimus, & ideo dixit hos habitus non eſſe veras virtutes, quatenus nimirum à Theologo conſiderari debent; quod eſt dicere, non eſſe perfectas virtutes quales eſſe debent; hoc tamen non obſtat, quo minus dicantur veræ ſimpliciter virtutes. Neque enim nos debemus alia nomina rebus imponere, quam Philoſophi, & antiqui Doctores impoſuerunt, omnes autem agnouerunt veras virtutes, eaſque definierunt ſine charitate, vt conſtat ex Ariſt. & alijs Philoſophis.

Et per hoc patet ad authoritates in oppoſitum D. Auguſt. & Proſperi; Nam virtutes morales eſſe veras virtutes abſque charitate poteſt dupliciter intelligi; Vno modo quo ad perfectionem earum extrinſecam, atque ita verum eſt, quod non ſunt veræ virtutes ſine charitate: quia non perducunt ad beatitudinem, altero modo quo ad perfectionem earum intrinſecam, & formalem, & ſic eſt falſum, quod non ſint veræ virtutes, nec ita intellexit D. Auguſtinus, vt dicit hic Scotus. Ariſt.

Vel dicas, quòd Sancti ex eo videntur dicere virtutes morales eſſe neceſſario connexus cum charitate, quia hoc ad perfectionem habentis requiritur, & in ratione meritorij oportes omnes ineſſe, vel ſaltem, quod vitium oppoſitum alicui virtuti, & peccatum ad quod inclinat, non inſit, quia cum peccato mortali non ſtat meritum de condigno, nec ſalus, vel quia ſibi inuicem ſuffragantur quantum ad perfectionem habentis.

Vel dicas, quod D. Auguſtinus, Proſper, Beda, & Fulgentius, cum diſputant contra Pelagianos, veras eſſe virtutes ſine charitate negant: primo quia ſunt ſine fructu, & præmio ſempiterno, hoc eſt, ſteriles, & infructuoſæ: qua ratione etiam Apoſt. 1. ad Corint. 13. dixit. Nihil bona opera ſine charitate nobis prodeſſe: ſecundo quia virtutes quamuis magnæ, ſine charitate hominem ſimpliciter, & omni ex parte bonum non reddunt; nec ipſum ad finem ſimpliciter vltimum explicite referunt: tertio, quia patres contra Pelagianum diſputabant, qui in hac re ſequutus eſt Stoicorum errorem impium, & ſtultum; qui dicebant dari a Deo imperia, opes, vires corporis, pulchritudinem, & his ſimilia; ſed non virtutes, non bonam mentem, non voluntatem, ſed ſibi quemque ſuis viribus per naturam datam à Deo comparare. Quare Auguſtinus, Hieronymus, Proſper, Fulgentius, Beda, contra Pelagianos docent, non poſſe hominem veras virtutes acquirere per ſolas naturæ vires, ſine auxilio gratuito Dei mouentis, & iuuantis hominem ad bonum cogitandum, volendum, & perficiendum. Hoc auxilium ipſi Patres contra Pelagianum gratiam Dei vocant, non quod ſit habitus gratiæ, & charitatis, vel aliquod aliud ſupernaturale donum; ſed quod ſit adminiculum Dei gratuitum, hoc eſt, ſine hominis merito datum.

Vel iterum dicas, ꝙ D. Auguſt. & Proſper illis in locis, & in multis alijs, vbi loquuntur de virtutibus infidelium gentilium, non agunt de habitibus, ſed de actibus, & contendunt opera infidelium, quæ videbantur eſſe virtutum fuiſſe peccata: Nam quia non fierent propter

Deum

Digitized by Google

Deum dilectum charitatem, ſed quia non fierent ex vero fine honeſto virtutis, ſed aut ob inanem gloriam, aut ex alio malo fine. Vnde inquit Proſper, lib. 3. de vita contemplatiua cap. 1. Itaque dupliciter rea eſt anima, ſi & bonum non faciat, vnde ſpiritualiter viuat; & appetat ſimilitudinem boni, ſub qua male viuat, & lateat. Superbus vult ſe credi conſtantem, prodigus liberalem; auarus diligentem, temerarius fortem, inhumanus parcum, guloſus humanum, ignauus quietum, timidus cautum; impudentia fiduciæ ſibi nomen adſcribit, procacitas appellationem libertatis oſtendit, eloquentiam fingit verboſitas, & curioſitatis malum ſub ſtudij ſpiritualis colote deliteſcit. Hæc & ſi poſſunt humano ingenio diſcerni, tamen ſine dono Dei quantum mihi videtur nec virtutes poſſunt appeti, vel haberi, nec earum ſimilitudines, quæ ſunt vitia virtutes imitantia declinari, in tantum, vt infidelibus nihil profuiſſe credamus, etiamſi ſunt aliquas per corpus operati virtutes, quod eas nec à Deo ſuo ſe accepiſſe crediderunt, nec ad eum qui eſt finis omnium bonorum referre voluerunt. Et quid dico, nihil profuerunt imo etiam nocuerũt dicente Apoſtolo, Omne, quod non eſt ex fide peccatum eſt &c. Hactenus Proſper.

Proſper.

Scholaſtici autem in hac controuerſia loquuntur de habitu virtutis acquiſitæ, qui eſt principium operandi ex recta ratione propter finem honeſtum, licet non ex charitatis amore erga Deum; & quamuis infidelis, aut peccator, non poſſet vllum habitum virtutis ex recto fine ſibi comparare, tamen recte contingere poteſt, vt homo iuſtus acquirat plures, aut omnes habitus virtutis ex bono fine virtutis, & amiſſa deinde gratia per peccatum maneant prædicti habitus ſine charitate; De his ergo dicimus veram habere rationem virtutis, & ad honeſtam actionem ſemper inclinare. Qua verò ratione D. Aug. dixerit non poſſe reperiri fructus bonos in arbore non bona, dicimus, ex hoc ipſum non negaſſe in peccatoribus, vel infidelibus reperiri poſſe opera bona, ſed tantum negaſſe reperiri poſſe opera vitæ æternę meritoria. Videas Andream à Vega, in opuſculo de iuſtificatione quæſt. 12.

Vega.

ARTICVLVS XII.

Vtrum præter virtutes morales acquiſitas ponenda ſint virtutes morales infuſæ.

Virtus duas tantũ hẽt cauſas.

PRo explicatione huius tituli obſeruan. eſt, duas tantum ſecundum veritatem virtutum cauſas excogitari poſſe nempe Deum per infuſionem; & exercitationem, ſeu conſuetudinem. Nam aſſerere virtutes in eſſe homini à natura, eſt contra omnes Philoſophos, & ex hoc ſequitur duplicem eſſe virtutẽ, ſcilicet, infuſam, & acquiſitam. Conſtans autem Scholaſticorum opinio eſt præter virtutes morales acquiſitas eſſe quaſdam alias à Deo infuſas, quas Theologicas vocamus, nimirum fidẽ, ſpem, & charitatem, & hoc receptum eſt apud omnes eſtque indubitata doctrina, & citra controuerſiam, Cæterum non leuis apud eoſdem quæſtio eſt, an præter virtutes morales acquiſitas, ſint aliæ morales ſuapte natura infuſæ, & qua ratione ab acquiſitis differant.

Virtus infuſa eſt duplex.

Secundo obſeruan. eſt, quod bifariam poteſt eſſe virtus infuſa: primum, ita vt ſuapte natura poſtulet à Deo ſolo infundi, quales ſunt fides, ſpes, charitas, quæ talis ſunt naturæ, vt à ſolo Deo, & à nulla creata cauſa poſſint produci, & acquiri; ac proinde nec per actus, & exercitationem noſtram poſſunt comparari, huiuſmodi autem dicuntur infuſæ per ſe, hoc eſt natura ſua poſtulantes infundi à ſolo Deo, vt à propria cauſa; Secundo poteſt eſſe virtus infuſa per accidens, & non natura ſua, & huiuſmodi poſſunt eſſe, omnes virtutes, quæ natura ſua dicuntur acquiſitæ, eo quod poſſunt ex accidenti à Deo cõmunicari, & infundi, ſicut nonnulli arbitrantur omnes habitus ſcientiales, & omnes virtutes primo parenti in ſtatu innocentiæ, & Chriſto Domino ante exercitationem, & conſuetudinem fuiſſe infuſas. Cum autem in præſenti quærimus an ſint aliquæ virtutes morales infuſa à Deo, loquimur de virtutibus ſuapte natura infuſis, non autem de his, quæ ſuapte natura dicuntur acquiſitæ.

Dicuntur autem, vt diximus, virtutes ſuapte natura, aut per ſe infuſæ, habitus quidam virtutum, qui ab alia cauſa produci non poſſunt, quam à ſolo Deo. Acquiſitæ verò virtutes dicuntur habitus, quorum propria cauſa eſt cõſuetudo, & exercitatio, licet huiuſmodi habitus à ſolo Deo infundi poſſint, & ideo dicãtur per accidẽs infuſi.

D. Thom. D. Bonau. Richard. Caietan.

De hac re eſt duplex ſententia, prima eſt D. Thomæ, 1.2. quæſt. 63. artic. tertio, & quarto, & Caiet. ibidem. D. Bonauent. in 3. diſtin. 33. artic. ſecundo quæſt. 5. Richard. artic. 1. quæſt. 2. citari etiam ſolet pro hac ſententia Occam in 3. quæſt. 12. ad 5. & Gabriel. in tertia diſtin. 33. quæſt. 1. artic. 3. dub. 2. ſed non recte, vt videbimus infra; hæc ſententia affirmat præter morales virtutes acquiſitas, concedendas eſſe morales ſuapte natura, & per ſe infuſas, quæ differant à moralibus ſuapte natura acquiſitis. Quam ſententiam ita veram, ſanctis Scripturis, concilijs, & Patribus conſentaneam eſſe dicit Medina, 1.2. quæſt. 63. artic. 3. vt negare virtutes morales infuſas ſit ingens temeritas; quod et affirmauerat prius, q. 51. art. 4. ad quod oſtendendo tribus potiſſimũ vtitur fundamẽtis.

Medina.

Primum eſt definitio Clementis V. in Concilio Viennen. quæ refertur in Clement. vnica, de Summa Trinit. & fide Cath. Vbi quamuis nihil decernat Pontifex tamquam dogma fidei, approbat tamen, vt magis probabilem opinionem, in Baptiſmo infundi gratiam, & virtutes, ex quo colligit temeritate non vacare eum, qui aſſerit, & tamquam probabilius defendit, non dari virtutes morales per ſe infuſas in Baptiſmo, & iuſtificatione. Quod ſi dicatur, ibi fieri ſermonem de virtutibus Theologicis, non de moralibus. Hoc eſt falſum, inquit Medina: Quia ibidem dicit Concilium, quod de iſtis virtutibus eſt magna contentio inter Theologos; ſed de virtutibus Theologicis eſt magna conſenſio inter Theologos, ergo Concilium agit de virtutibus moralibus infuſis.

Secundum fundamentum eſt definitio virtutis, quam ſupra retulimus ex D. Auguſt. Virtus eſt bona qualitas mentis, qua recte viuitur, qua nullus male vtitur, quam Deus in nobis ſine nobis operatur: nam poſtrema pars definitionis videtur ſolum virtutibus infuſis conuenire.

Tertium fundamentum deſumptum eſt ex aliquibus ſcripturæ, & Patrum teſtimonijs. Scripturæ autem teſtimonia hec ſunt. Primum eſt in Pſalmis, vbi paſſim Deus dicitur Deus, & Dominus virtutum, eo quod Deus eſt auctor virtutum, ſicut dicitur Deus ſalutis, quia & illius etiam eſt auctor Pſal. 23. 45. & 49. Secundũ teſtimonium eſt Sapientię 7. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius, nempe ſapientiæ. Tertiũ eſt Sapien. 8. ſobrietatem enim & prudentiam docet, & iuſtitiam, & virtutem. i. fortitudinem; in quib. verbis manifeſte ſignificatur, quatuor virtutes morales præcipuas nobis ex Dei munere conferri, & inſpirari. Quod ſi Theologo, inquit Medina, videtur nõ eſſe validum hoc argumentum, Deus docet hãc virtutem, ergo infundit eam diuinitus, ſciat optimum eſſe argumẽtum, & eo vſos eſſe Patres Concilij Mileuit. cap. 4. Nam ex illo Pſal. Qui docet hominẽ ſcientiam, & ex illo Beatus quem tu erudieris Domine, colligunt Patres ſcientiã ex Dei munere nobis infundi. Quartũ ẽ eodẽ c. in fine, vbi dicitur. Et vt ſciui quoniã aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapiẽtia ſcire cuius eſſet hoc donũ. Quintũ eſt ad Gal. 3. Qui ergo tribuit vobis ſpiritum, & operatur virtutes in vobis. Sextũ eſt ad Coloſ. 1. Non ceſſamus orare pro vobis, vt ambuletis digne, Deo p oĩa placentes, in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in ſcientia Dei in oĩ virtute confortati ſm potẽtiã claritatis eius, ex quibus locis ita certo colligere ſibi vr̃ Medina habitus virtutũ infuſarũ, eo ꝙ Deus dicatur author oĩs virtutis, & oratione ab eo eas virtutes obtineamus, vt notam temeritatis contrariæ ſniæ incurrat, quinimo ex illo quarto teſtimonio colligit de fide eſſe continentiã, ſeu caſtitatẽ eſſe habitũ virtutis infuſę, ſicut ex illo Pſal. Qui docet hominẽ ſcientiã, & iterũ Beatus quem tu erudieris Dñe. prudentiam; & ex illo ad Rom. 8. Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum filiorum, in quo clamamus Abba Pater, colligit religionem eſſe habitus infuſos.

Ambroſ. Primum teſtimoniũ ex Patrib. eſt D. Ambr. lib. 6. Hexameron. cap. 7. vbi inquit illam animam à Deo pingi, quæ habet in ſe gratiam virtutum.

Hierony. Secundũ eſt D. Hierony. in præfatione ad lamentationes Hieremiæ, vbi deplorans aïæ ſtatũ in peccatũ prolapſæ inquit, Animã ante peccatũ radiare; nõ metallo auri, aut argenti; ſed virtutibus, eaq; oĩa per peccatũ auferri, & nudari domũ Dñi omnibus ornamẽtis ſuis, nempe virtutum, id autem verum non eſſet de habitibus virtutum acquiſitis; quia hi manent poſt peccatum in homine.

Auguſt. Tertium teſtimoniũ eſt D. Aug. tract. 8. in 1. Epiſt. Ioannis parum à principio, vbi poſtquam multas animæ virtutes enumerauit, inquit his virtutibus vti Chriſtum tamquã miniſtris ſuis?

Quartum teſtimonium eſt eiuſdem D. Aug. in Pſal. 118. Concione 16. in illa verba. Feci iudicium, & iuſtitiã, vbi docet nomine iuſtitiæ, non ipſam virtutem, ſed opus virtutis denotari. Quis enim, inquit, infundit in homine iuſtitiam, niſi qui iuſtificat impium?

Gregor. Quintum teſtimonium eſt D. Greg. hom. 5. in Ezechielem, vbi ait. Spiritum S. in cordibus iuſtorũ iuxta quaſdam virtutes ſemper permanere, inter quas numerat fidẽ, ſpem, charitatem, humilitatem, caſtitatem, iuſtitiam; &c. Per alia autem dona, quales ſunt gratiæ gratis datę, & genera linguarum, prophetia &c Spiritum Sanctum non ſemper adeſſe ſuis fidelibus.

Rationes Thomiſtarum. Probant etiam Thomiſtę eamdem ſentẽtiam proprijs rationibus. Tum quia negari nulla ratione poteſt, pęnitentiam eſſe virtutem per ſe infuſam, & non acquiſitam, quæ tamen non eſt virtus Theologica. Tum quia negari etiam non poteſt, virtutem religionis eſſe virtutem moralem per ſe infuſam, eo quod aliquo modo reſpiciat Deum. Tum quia neceſſarium eſt aſſignare virtutes morales infuſas, quæ verſentur circa media relata ad finem ſupernaturalem: nam ſi ſolum eſſent virtutes infuſæ ſupernaturales, quales ſunt Theologicæ, & non eſſent aliæ eiuſdem ordinis circa media ad talem finem relata, completa in nobis non eſſet perfectio ſupernaturalis, quemadmodum ſi in ordine, & perfectione naturali ſolum eſſent virtutes circa finem naturalem, & nullæ aliæ circa media ad talem finem proportionata. Tum quia ſicut ſecũdum virtutes acquiſitas oportet hominem ordinari ad ciuilitatem, & politiam, iuxta ſe, & temporalem, ita per aliquas infuſas oportet eum ordinari ad ciuilitatem ſupernam, & ſupra ſe, ſcilicet ad politiam beatitudinis. Nam homo duobus modis poteſt conſiderari: primum quidem, vt ciuis humanæ Ciuitatis, nẽpe quatenus homo, & rationis capax eſt, deinde provt eſt ciuis, & domeſticus Dei, nempe quatenus eſt capax æternæ ſalutis, & vitæ, & ad hanc refertur; atqui iuxta has duas conſiderationes in materia cuiuslibet virtutis poſſumus conſiderare duplicem rationem honeſtatis, quæ moueat; alteram quæ decet hominem, quatenus homo, & rationis particeps eſt in humana ciuitate; alteram quæ decet hominem, quatenus eſt capax gloriæ æternæ, ciuis Dei, & domeſticus eius; ergo iuxta has duas honeſtates aſſignanda eſt actio duplex cuiuſuis virtutis diuerſæ rationis, cumque poſterior illa ratio honeſtatis ſola reuelatione ſupernaturali nobis conſtet, & coniunctionem cum Deo per gratiam, & gloriam reſpiciat; non immerito ſupernaturalis ordo eſſe dicitur, & eodem modo actu atq; habitu ei reſpondens, atque adeo ratione illius erit habitus moralis infuſus, & ſupernaturalis, ratione verò prioris erit acquiſitus, & ſupernaturalis, verbi gratia, temperantia verſatur circa paſſiones, & delectationes guſtus, & tactus, vt ipſas moderetur, atque in debita proportione, & mediocritate conſtituat, provt ſapiens, id eſt, prudẽs definierit, poteſt autem quiſque in hac materia conſiderare honeſtatem, quæ reſpondeat virtuti acquiſitæ, nempe quatenus prædicta mediocritas conuenit homini, vt rectum rationis vſum, & valetudinem debito modo tueatur, atque ita operatur homo temperatum, & temperate ex virtute morali acquiſita. poteſt præterea eamdem mediocritatem conſiderare, quatenus per illã redigitur corpus in ſeruitutem ſpiritus, vt ſeruiat vitę ſpirituali, ad quã ordinati ſumus, & hoc modo operatur opus temperantiæ per ſe infuſæ, & ſupernaturalis.

Hæc ſentẽtia licet ſit valde probabilis. Seueritas tamẽ, ne dicam audacia Medinæ, qui leuibus, & valde infirmis fundamentis, & parum viro Theologo dignis, oppoſitæ ſententiæ notam temeritatis inurere non veretur, mihi nulla ratione probatur.

Eſt ergo ſecunda ſententia, quæ docet præter virtutes infuſas Theologicas, & morales acquiſitas nõ eſſe aliquas morales per ſe, & natura ſua infuſas à ſolo Deo. Ita docuerunt Henricus quolib. 6. q. 12. Scotus in hac q. ſub litt. O. §. Licet de iſtis virtutibus moralibus infuſis, vbi & ſi ſub dubio videatur relinquere hanc quæſtionem, tamen ſi attente legatur declinat ad hanc ſentẽtiam. Durandus, in 3. d. 33. q. 6. Occam in 4. q. 3. ad 3, & 4. qui licet in 3. q. 12. ad 5. concedat virtutes morales infuſas propter rationem D. Thomæ, in 4. tamen inquit, nulla efficaci ratione conuinci poſſe eſſe has virtutes morales per ſe, & ſuapte natura infuſas, quem in hac parte ſequitur Gabriel. in 4. d. 4. q. 1. artic. 2. concl. 7. & 8. & art. 3. dub. 2. licet in 3. d. 33. q. 1. art. 3. dub. 2. prius conceſſerit has virtutes morales infuſas Baſſolus, in 3. d. 33. q. 2. art. 3. Rubion d. 36. q. 1. art. 2. §. Vtrum autem hæ morales virtutes, & Argentina, d. 33. q. 1. art. 1. concl. 1. Almay. in moralibus tract. 3. c. 9. *Henricus. Scotus. Durand. Occam. Gabriel. Baſſolus. Rubion. Argent. Almay.*

Probatur hæc ſententia, quia nulla ratio aut neceſſitas eſſe poteſt, vt aſſeramus eſſe virtutes morales per ſe infuſas, cum ſatis ſit concedere acquiſitas, ergo fruſtra ponerentur. antecedens patet, quia ſatis videtur concedere in Baptiſmo eas virtutes infundi, quæ ſunt ad ſalutem neceſſariæ; huiuſmodi autem ſunt fides, ſpes, charitas, ergo aliæ non ſunt conſtituendæ. Et confirmatur: quia ad hoc virtutes ſunt hominibus neceſſariæ, vt fines ſuos debitos conſequantur, ſed duplex eſt finis hominis, vnus ſcilicet naturalis, & alter ſupernaturalis; ad conſequendum finẽ ſupernaturalem ſufficiunt virtutes Theologicæ, quæ ſupernaturaliter infunduntur; ad conſequendum verò finem naturalem ſufficit virtus moralis acquiſita; ergo ſuperflue ponitur moralis infuſa.

Præterea hæ virtutes morales infuſæ, vel ſunt perfectiores acquiſitis, vel æque perfectæ cum eis, nam minus perfectæ eſſe nequeunt, vt conſtat; ſi ſunt præfectiores acquiſitis, aut æque perfectæ cum eis; & paruulis infunderentur in Baptiſmo cum Theologicis, ſicut Thomiſtæ affirmant, ſequeretur puerum poſt Baptiſmum, aut perfectius per has virtutes inclinari ad opera virtutum, aut ſaltem æque perfecte, atque inclinaretur per acquiſitas, atque adeò experiretur in ſe, aut maiorem promptitudinem ad virtutem, aut ſaltem æqualem, cum ea, quam haberet per virtutes acquiſitas; hoc autem nullus in ſe experitur, aut puer, aut adultus poſt Baptiſmum, ſed ita ſe ſentit difficilem ad virtutem ſicut antea, contra vero aſſuetudine operum, quæ comparantur virtutes acquiſitæ, ſentit ſe promptum, & facilẽ, ergo eiuſmodi virtutes infuſæ concedendæ non ſunt. Dicere autem habitus infuſos non dare facilitatem, & promptitudinem ad operandum, eſt dicere ipſos non eſſe habitus.

Pręterea tertio. Adultis ſaltem, qui aſſuetudine, & exercitatione compararunt ſibi aliquas virtutes morales, aut omnes, non debemus concedere alias virtutes morales infundi; Nam vel eiuſmodi virtutes morales infuſæ eſſent eiuſdem ſpeciei, vel diuerſæ cum acquiſitis; ſi eſſent eiuſdem ſpeciei infundi non poſſent. Tum quia duæ virtutes eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero differentes in eodem ſubiecto eſſe non poſſunt, quia duo accidentia ſolo numero differentia ſecundum eos in eodem ſubiecto eſſe nequeunt, Tum, quia fruſtra eſſent. Nec poſſunt eſſe diuerſæ ſpeciei; quia habitus morales, qui ſunt circa eamdem materiam, quorum actus ſunt eiuſdem ſpeciei, non differunt ſpecie, ſed ſi eſſent duæ temperantiæ vna infuſa, & altera acquiſita, eſſent circa eamdem materiam, & actus earum eſſent eiuſdem ſpeciei, ergo &c. Maior patet, quia ex diſtinctione actuum, & materiarum circa quas verſantur virtutes, innoteſcit nobis earũ diſtinctio. Minor etiam patet: quia vterque habitus tamquam circa propriam materiam, eſt circa paſſiones, & delectationes guſtus, & tactus; actus verò vtriuſque eſt attingere medium ſecundum dictamen rectæ rationis. Nam valet dicere, quod circa eamdẽ materiam conſideratur duplex honeſtas iuxta duplicem politiam, quia honeſtas ſupernaturalis,

naturalis, & bonum diuinum nullius temperantiæ eſt obiectum, quamuis à virtute ſuperiori, ſcilicet fide, & charitate poſſit dirigi, & ordinari ad honeſtatem illam ſupernaturalem, & ad bonum diuinũ, vel imperari propter bonum diuinum, vt dicemus reſpondendo ad rationes oppoſitæ ſententiæ.

Deinde quarto. Vel huiuſmodi virtutes morales per ſe infuſæ concedendæ ſunt hominibus ad ſubſtantiam operationis, vel ad illius facilitatem, & promptitudinem; non quidem ad ſubſtantiam: quia ad hanc ſufficit ipſa naturalis potentia nuda, ſiquidem antequam habeat nullam virtutis habitum, poteſt homo efficere aliqua opera bona moralia; Neque concedendæ ſunt huiuſmodi virtutes ad facilitatem, & promptitudinem; hanc enim ſecundum ipſos ſolum præſtant virtutes aſſuetudine, & exercitatione acquiſitæ.

Cum ergo nec ex Eccleſiæ definitione, nec ex ſcripturis, nec ex Patribus, vt videbimus reſpondendo ad fundamenta Medinæ, nec ratione vlla efficaci, (vt patebit ſoluendo Thomiſtarum rationes) virtutes morales infuſas ab acquiſitis natura, & ſpecie diuerſas conſtituere cogimur: (quoniam ſufficiunt virtutes acquiſitæ morales, quæ extrinſeco fidei diuinæ, & charitatis impulſu, & motu, ad finem vltimum ſupernaturalem diriguntur, ita vt fides, & charitas virtutibus morum acquiſitis præſtent, quo ſuas actiones, & officia ad finem ſupernaturalem, & alterius vitæ commoda dirigant, ac referant) nullo modo eſt hæc ſententia tanquam temeraria refellenda, cum efficaciſſimis rationibus, & multorum grauium Theologorum, quos iam ante citauimus grauiſſimo teſtimonio comprobetur.

Nec horum Authorum opinio negat ſimpliciter virtutes morales interdum diuinitus dari, & infundi, & eatenus eſſe dona Dei, ſed ſolum negant eſſe virtutes morales infuſas, ſpecie, natura, & ſubſtantia ab acquiſitis diſtinctas: fatentur namque dari virtutes morales infuſas, ſed per accidens.

Côuelluntur fundamẽta Medinæ.

Ad primum fundamentum Medinæ dico, quòd ipſe manifeſte fallitur: Nam de virtutibus Theologicis fuiſſe controuerſiam illam inter Theologos an in Baptiſmo infunderentur, apertè conſtat ex Innocẽtio 3. in capitulo Maiores de Baptiſ. & eius effectu, ait enim §. Illud verò; in hunc modum. Illud verò, quòd opponentes inducunt, fidem, aut charitatem, aliaſque virtutes paruulis, vtpotè non conſentientibus non infundi, à pleriſque non conceditur abſolutè; cum propter hoc inter Doctores Theologos quæſtio referatur, alijs aſſerentibus per virtutem Baptiſmi, paruulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non conferri; non nullis dicentibus dimitti peccatum, & virtutes infundi habentibus illas quoad habitũ, non quo ad vſum, donec perueniant ad ætatem adultam. Erat ergo tempore Innocentij controuerſia, an in Baptiſmo infunderentur fides, & charitas, quæ ſunt Theologicæ virtutes: quinimo controuerſia tunc erat, an infunderetur gratia, de infuſione autem virtutum nihil ibi definit Pontifex; vt legenti conſtare poteſt. Cum ergo poſtea Clemens in prædicto Concilio tanquam probabiliorem opinionem approbauit, in Baptiſmo infundi gratiam, & virtutes, de Theologicis virtutibus intellexit. Verba Clementis retulimus ſupra quæſt. 1. de fide art. 1. vide ibi, & videbis controuerſiam, quæ tempore Innocentij erat inter Theologos vſque ad tempora Clementis perſeueraſſe, illa autem erat de virtutibus Theologicis: atque adeo cum dicat Clemens controuerſiam ſuo tempore fuiſſe de ipſa gratia habituali an infunderetur in Baptiſmo; eodẽ modo in controuerſia erat ſuo tempore, an infunderentur cum gratia habituali virtutes Theologicæ, ſcilicet fides, & ſpes: Clemens ergo ſuo tempore, vt probabiliorem opinionem ſolum approbauit eã, quæ dicebat in Baptiſmo infundi gratiam, & virtutes Theologicas, ac proinde non conſtat per virtutes intellexiſſe Clementem morales per ſe infuſas.

At fortè obijciet aliquis verba illa Innoc. 3. Illud verò quod opponentes inducunt, fidem, aut charitatem, aliaſque virtutes paruulis vtpotè non conſentientibus, non infundi; Nam cum dicit Aliaſque virtutes, intelligere debet aliquas alias cum ſpe præter fidem, & charitatem, nõ autem ſolam ſpem; Nam ſi ſolam ſpem intelligeret præter fidem, & charitatem, non diceret aliaſque virtutes, ergo de alijs etiam erat cõtrouerſia, ac proinde vt probabilior opinio approbata fuit ea, quæ aſſerebat infundi etiam virtutes morales. Reſpondeo neque Inno. neque Clemen. dixiſſe controuerſiam fuiſſe inter Theologos de infuſione aliarum virtutum præter fidem, & charitatem, ſed Innocen. referens ſententiam negantem, ſolum dixit, quoſdam Theologos in ea fuiſſe opinione, vt dicerent fidem, aut charitatem, aut alias virtutes non infundi paruulis in Baptiſmo: quia nullum genus habitus infundi exiſtimabant; non tamen refert eos, qui oppoſitum affirmabant, nempè infundi paruulis in Baptiſmo gratiam, & virtutes dixiſſe præter fidem, & charitatem infundi alias virtutes; ſed tantum refert dixiſſe infundi virtutes, & gratiam, id quod etiam Clemens eodem prorſus modo commemorat. Hæc autem verba vera eſſe poterant, etiamſi prædicti Doctores aſſererent ſimul cum gratia infundi ſolum virtutes Theologicas fidei, & ſpei. Ex Innoc. igitur, & Clemen. nihil hactenus certi habet Medina de infuſione virtutum moralium, neque prædicta opinio à Summis Pontificibus, vt probabilior approbata eſt.

Secundum fundamẽtum valde leue eſt. Tum quia, vt notauimus ſupra, illa pars, quam Deus in nobis ſine nobis operatur nuſquam reperitur apud Auguſt. in definitione virtutis. Tum quia licet ſecundum phraſim, & modũ loquendi illius addi poſſit; tamen modus ille loquẽdi apud ipſum non denotat infuſionem alicuius habitus, ſed de ipſamet actione, & operatione virtutis dici poteſt, quam Deus in nobis ſine nobis operatur. Tum demum, quia etſi modus ille loquendi denotaret infuſionem habitus à ſolo Deo; tamen non liceret ſtatim inferre eſſe virtutes morales per ſe infuſas, quia ſatis eſſet concedere virtutes Theologicas per ſe infuſas, vt prædicta definitio intellecta de habitus infuſione vera eſſet.

Ad primum teſtimonium deſumptũ ex Pſal. ex Epiſt. ad Galat. & ad Coloſſ. In quibus locis Deus dicitur author, & Deus virtutum, nihil aliud demonſtratur, quam virtutes in Dei gratiam, tanquam in principium, & præcipuum fontem reducendas eſſe; hoc autem non ſolũ de ijs, quas ſcholaſtici infuſas vocant, ſed etiam de acquiſitis intelligendum eſt, cum omnes huiuſmodi virtutes Dei dona ſint: Deinde cum ſcripturæ locis allegatis virtutes Deo refert tanquam authori, non de habitibus, ſed de operibus earũ loquitur. Et eodem modo explicari debet quartum teſtimonium: ſi concedamus ibi ſermonem eſſe de continentia, quæ eſt virtus caſtitatis, in quem ſenſum D. Auguſt. vbique vtitur hoc teſtimonio; cæterum ibi non loquitur ſcriptura de continentia caſtitatis, ſed de continenda, & conſeruanda ſapientia, de qua antea multa locutus fuerat ſapiẽs, dicit ergo, & hoc ipſum eſſe ſapientiam; noſſe videlicet donum eſſe Dei ipſam ſapientiam conſeruare, ſicut & illam adipiſci.

Secundum verò, & tertium teſtimoniũ minus illi ſententiæ fauent; ibi enim ſapiens ſolum oſtendit ſapientiam eſſe matrem virtutum ſobrietatis, & iuſtitiæ, &c. quæ ſi de increata ſapientia Dei intelligantur, eodem modo exponenda ſunt, ſicut præcedentia, vt Deo authori per gratiam ſuam referantur omnia bona opera virtutum ſi verò de creata ſapientia, quam Deus nobis communicauit intelligantur; ſolum denotat ſapiens per ſapientiam generari in nobis omnis virtutis actionem, quia ſapientia ipſa allicimur ad operandum, nihil autem omnino referebat ad generationem habituum.

Ad primum teſtimonium ex Patribus dico, D. Ambroſium illis verbis ſolum ſignificaſſe virtutes animæ eſſe dona Dei, quibus anima ipſa à Deo ornatur, & quaſi depingitur, hoc autem de omni genere virtutũ, etiam quas vocant Theologi acquiſitas intelligendum eſt: nam & his etiam anima ornatur à Deo, & depingitur, neque verò de habitibus multum ſolicitus eſt Ambroſius, imò verò potius de operibus ipſis bonis, quibus homo indies magis, ac magis fit iuſtus.

De his etiam loquitur Hieronymus in 2. teſtimonio. Dicit autem, hæc omnia ornamenta amitti per peccatum; non quia amittantur habitus aliqui virtutum moralium, ſed quia amittitur iuſtitia, & ſanctitas, cuius magna pars ex bonis operibus proueniebant, ſicque nudatur

anima,

Digitized by Google

anima, & domus Dei ornamentis, nempe bonis operibus virtutum.

Ad tertium teſtimonium ex Diuo Auguſt. dico, quod non ſolum intelligi debet de virtutibus moralibus infuſis ſi tales ſunt, ſed etiam de omni genere virtutum etiam acquiſitarum: Nam etiam illis vtitur Chriſtus tanquam inſtrumẽtis ſuis, & miniſtris, per illas enim gratia ſua mouet nos ab bona opera. Cæterum non loquitur ibi D. Auguſt. de habitibus, ſed de bonis affectibus virtutũ, parum enim ſuo inſtituto conueniebat de habitibus verba facere: loquitur ergo de affectibus bonis quarumlibet virtutum, quas ipſe Chriſtus gratia ſuæ inſpirationis excitat in nobis, & inquit, Chriſtum vti illius bonis affectionibus tanquam miniſtris in exercitu, vt peragat bona opera in nobis, quæ ipſe contendit peragere, & ita paulo poſt ſubiungit. Per has virtutes inuiſibiles mouentur membra viſibiliter; pedes ad ambulandum, manus ad operandum. Sed quid? quod iuſſerit charitas, quæ inſpirata eſt intus à Spiritu Sancto, &c. conſtat autem inſpirationem non referri ad habitus, ſed ad actus, & per charitatem intelligi omnem amorem virtutis, & legis ſecundum modum loquendi ipſi ſatis familiarem.

Ad quartum teſtimonium ex eodem D. Auguſt. dico, quod perperam citatur; Neque enim dixit Auguſt. Quis enim infundit in homine iuſtitiam niſi qui iuſtificat impium? ſed Quis enim facit in homine iuſtitiam, &c. hoc enim fecit, vt oſtenderet in illo verbo; Feci iudicium, & iuſtitiam, non accipi iuſtitiam pro actu iuſtitiæ, ſed pro opere exteriori iuſtitiæ, quod eſt iudicium, & ita paulo inferius ait. Fecit ergo iuſtitiam, id eſt, opus iuſtitiæ, qui habet in ſe iuſtitiam, id eſt, opus iuſtitiæ, vel gratiæ, & per opus gratiæ non intelligit habitum, ſed affectum iuſtitiæ. Et eſto quod D. Auguſt vteretur verbo infundit, quid, ad oſtendendum virtutes morales per ſe à Deo infundi? nam ibi non ſumit Auguſt. iuſtitiam pro virtute morali, ſed pro gratia, & charitate, quæ paſſim à Patribus, & in ſcripturis iuſtitia appellatur, quam nullus negat à Deo infundi.

Ad quintum teſtimonium ex D. Greg. dicn', quòd minus probat intentum. Nam quod dicatur Deus iuxta quaſdam virtutes ſemper in Sanctis permanere, non intelligitur de habitibus, ſed de operationibus: quia iuſti homines quamdiu iuſti permanent, nunquam non operantur iuxta illas virtutes, nempè ad ſalutem neceſſarias, qualis eſt fides, ſpes, charitas, humilitas, &c. videlicet quando præceptum incumbit. At non ſemper manet Spiritus Sanctus in iuſtificatis ſecundum alias virtutes, nempè ſecundum gratias, quas vocant gratis datas, prophetiæ, linguarum, &c. quia hæ pleriſque iuſtis à Deo non conceduntur, cum eorum opera non ſint ad ſalutem neceſſaria, ſicut opera aliarum virtutum, & ideo omnes aliæ iuſtis conceduntur; de habitibus verò nihil curat S. Greg. præſertim ad hoc vt oſtendat aliquos à ſolo Deo infundi.

Soluũtur rationes Thomiſtarum. Ad primam rationem dico, eſſe valde infirmam: tum quia licet concedamus pœnitentiam eſſe virtutem per ſe infuſam diſtinctam à Theologicis, & acquiſitis, inde non licet inferre eſſe etiam virtutes morales infuſas diſtinctas ab acquiſitis. Neque enim duplex eſt virtus pœnitentiæ, altera infuſa, altera acquiſita, ſed vna tantum infuſa, ex eo igitur, quod ſolum ſit vna penitentia infuſa, non ſequitur eſſe virtutem infuſam moralem circa eamdẽ materiam, circa quam eſt acquiſita; Tum etiam, quia non ſatis certum eſt an pœnitentia ſit diſtincta virtus à charitate, quæ ſicut diligit Deum ſuper omnia, ita etiam dolet de peccatis quatenus ſunt contra Deum, vt in quarta videbimus diſtinct. 14.

Ad ſecundam rationem dico, parum habere momenti: Nam ſi ex eo ſolum, quod religio verſatur aliquo modo circa Deum licet colligere eam eſſe virtutem infuſam, ſequitur nullam eſſe virtutem religionis acquiſitam, quia omnis religio aliquo modo reſpicit Deum.

Ad tertiam, quæ eſt Caietan. dico, quòd falſum ſupponit, nempè virtutes morales eſſe circa media ad finem Non enim virtutes ſunt aſſignandæ, propter media; ſed propter fines honeſtos; neque vna virtus deſeruit alteri præparans illa media: quia omnis virtus eſt propter ipſam honeſtatem tanquam propter finem. Quod ſi ea ratione opera virtutum dicuntur eſſe propter Deũ tanquam propter finem: quia Deo placent, qui eſt finis noſter, & ad conſequendum illum nobis, conducũt, hoc non ſolum habent virtutes infuſæ morales, ſi tales ſunt in nobis, ſed etiam acquiſitæ, & adiutæ à Theologicis virtutibus in homine iuſto ſicut meritoriæ vitæ æternæ. Et quod ait Caiet. in alia ratione, virtutes infuſas referre hominẽ ad vitam diuinam, acquiſitas verò ad humanam, minus concludit: quia nulla eſt virtus etiam acquiſita, quæ non referat hominem ad diuinam vitam, cum ad illam vel diſponant, vt in homine peccatore, vel illam mereatur, vt in homine iuſto, preterquam, quod bonũ diuinum nullius virtutis moralis eſt obiectum, vt diximus ſupra, quamuis à fide, & charitate, actus virtutis moralis poſſit ad bonum diuinum ordinari, vel imperari, propter bonum diuinum.

Ad aliud dico, quod ad ordinandum hominẽ ad illam politiam cœleſtem, & ſupernaturalem, non ſequitur neceſſario aliqua virtus moralis infuſa, ſed ſufficiunt virtutes Theologicæ, quæ habent Deum pro obiecto immediato, & fine: Nec eſt ſimile de virtutibus Theologicis, & moralibus, quo ad infundi: Nam virtutes Theologicas infuſas conſtituere cogimur apertiſſimis ſacræ Scripturæ teſtimonijs, Eccleſiæ, & ſanctorum Patrum authoritatibus, vt quæſt. 1. de fide art. 1. latiſſimè oſtendimus, morales autem infuſas nulla nec Scripturæ, nec Eccleſiæ authoritas conuincit eſſe ponendas, & ſic patet ſolutum argumentum Caiet. & inſolutum nihilominus permanere argumentum Scoti negantis neceſſitatem virtutum moralium, quas infuſas appellant, quia acquiſitæ ſufficiunt reſpectu aliorum obiectorum, & finiũ immediatorum; Neque ad hoc quod homo ordinetur ad honeſtatẽ illam ſupernaturalem opus eſt prudentia infuſa, vel quod operetur iuxta illam, eſt opus, Verbi gratia, temperantia infuſa, quia ad hoc ſufficit doctrina ſacræ Scripturæ, vel habitus fidei, vel ipſa prudentia acquiſita aſſiſtentibus ſibi fide formata, & doctrina ſacra cum temperantia acquiſita.

Etſi dicas, quod pari ratione actus fidei acquiſitæ, & ſpei acquiſitæ poſſent eſſe meritorij ſine ſpe infuſa, & fide infuſa, atque ita ſine illis ordinari ad politiam ſupernaturalem, ſicut actus virtutis acquiſitæ poteſt eſſe meritorius, & ordinari ad illam ciuilitatem ſine moralibus infuſis, quia non minus actus fidei, & ſpei acquiſitæ continentur virtualiter in charitate, quam actus cuiuſcunque virtutis moralis acquiſitæ, quod eſt falſum: quia tunc ad ſalutem non eſſent neceſſariæ fides, & ſpes infuſæ; atque ita non baptizatus poſſet ſaluari, quia poſſet mereri. Conſequentiam nego; quia non eſt ſimile, quod in ea pro ſimili accipitur. Nam charitas nunquã reperitur in aliquo viatore ſine fide, & ſpe infuſis; atque adeo quia opus fidei acquiſitæ, ſine fide infuſa non cadit ſub imperio voluntatis informatæ charitate, ſequitur tale opus haud contineri virtualiter in charitate, propter quod non poteſt eſſe opus meritorium. Nec ſequitur quod aliquis ſine Baptiſmo poſſit mereri, vel ſaluari: quia charitas, quæ eſt principium noſtri meriti, & ſalutis; nulli datur niſi ſit baptizatus, vel Baptiſmo fluminis, vel flaminis, vel ſanguinis. Dato tamen, quod Deus per ſuam potentiam abſolutam, daret alicui charitatem, qui haberet tantummodo fidem, vel ſpem acquiſitam, tunc bene procederet illa ſimilitudo aſſumpta: Tunc enim rationabiliter dici poſſet, quod actus fidei acquiſitæ eſſet meritorius eodem modo, quo dictum eſt de actu virtutis moralis acquiſitæ.

Etſi iterum dicas, quod niſi ponantur virtutes morales infuſæ non eſſet ſufficienter prouiſum pueto baptizato, vel adulto quaſi neutrali ſecundum virtutem, vel vitium acquiſita: quia perfectus eſſet reſpectu finis tantum, ex quo nullam moralem infuſam aut acquiſitã haberet virtutem, atque ita non poſſet ſequi operatio perfecta in appetitu inferiori, quia ipſo exiſtente imperfecto operatio non poteſt ſequi perfecta, ſequitur enim deteriorem partem, vt concluſio in ſyllogiſmo.

Dico, quod ſufficientiſſimè prouiſum eſt, quia ad omnia ſupernaturalia ſufficit, quod intellectus per fidem perficiatur, & voluntas per ſpem, & charitatem, quantum ad portionem ſuperiorem, appetitus autem ſenſitiuus nõ verſatur immediatè circa aliquod ſupernaturale, nec etiam

morales

moralesvirtutes, ſed tantum circa paſſiones, vel operationes naturales, licet omnes reſpiciant finem remotum ſupernaturalem, quæ quidem virtutes morales acquiſibiles ſunt per actus, quantum ſufficit ad perfectionem vitæ humanæ. Sufficientiſſimè itaque prouiſum eſt quãtum ad ea quæ ſunt neceſſaria pro vita æterna conſequenda.

ARTICVLVS XIII.

Vtrum virtutes Theologicæ ſint cum moralibus connexæ.

D. Thom. DIuus Thomas 1. 2. quæſt. 65. artic. 3. Tenet charitatem eſſe connexam quo ad infuſionem, & quo ad eſſe cum virtutibus moralibus infuſis, & idem diceret de fide, & ſpe, quo ad infuſionem, ſed non quo ad eſſe; primum probat, quia charitas cum ſit principiũ omnium bonorum operum, quæ hominem in finẽ vltimum dirigunt, neceſſario ſimul cum ipſa infunduntur omnes virtutes morales, vnde patet quod ſunt connexæ quo ad infuſionem: & ſubdit, quod qui amittit charitatẽ per peccatum mortale amittit omnes virtutes morales infuſas. Ex quo patet charitatem ſecundum ipſum eſſe cum virtutibus moralibus infuſis connexam, etiam quo ad eſſe, hoc tamen non video, quia efficaci ratione probari poſſit.

Secundum ſequitur ex dictis eius, nam ſi cum charitate infunduntur virtutes morales, & quando infunditur charitas in Baptiſmo infunduntur etiam fides, & ſpes, vt videbimus in ſequenti articulo, ſequitur fidem, & ſpem quo ad infuſionem eſſe connexas cum virtutibus moralibus infuſis, ſed quia amiſſa charitate per peccatum amittuntur virtutes morales infuſæ, non autem fides, & ſpes; ſequitur ſpem, & fidem quo ad eſſe cum virtutibus moralibus infuſis haud eſſe connexas.

Sed an virtutes morales infuſæ ſint admittendæ iã explicatum eſt in ſuperiori articulo, atque adeo quæſtio in hoc articulo non eſt de connexione Theologicarum virtutum cum moralibus infuſis, ſed cum moralibus acquiſitis. Vnde quærimus, an virtutes Theologicæ præſupponant neceſſario virtutes morales, adeo vt ad hoc, quod habeantur virtutes Theologicæ neceſſe ſit habere morales, poteſt autem hæc quæſtio intelligi dupliciter, vno modo de actibus, altero modo quo ad habitus, an ſcilicet actus virtutum Theologicarum præſupponant actus virtutum moralium, ita vt non poſſit quis habere actum credendi, ſperandi, & diligendi Deum ſine actibus virtutum moralium, & in hoc ſenſu intelligendo quæſtionem, manifeſtum eſt, inquit Scotus, quod non ſunt connexæ. Si verò intelligatur quo ad habitus, an ſcilicet ad hoc, quod ponantur habitus Theologici neceſſe ſit ponere habitus morales, & reſolute dicit Scotus, quod non; Nã ſi aliquis prius vitioſus de nouo conuertatur, talis in pœnitentia habet omnes virtutes Theologicas, & tamen non habet virtutes morales, ſaltem acquiſitas: Tum quia non operatur delectabiliter aliquid eorum, ad quæ inclinat eius habitus ſtudioſus, niſi delectabiliter ſibi eſſet operari ſecundum habitum vitioſum prius acquiſitum, & triſtabile ſecundum oppoſitum. In vitioſo enim nouiter ad Deũ conuerſo, remanent qui prius ei in erant habitus vitioſi, quod patet: quia ad eoſdem actus vitioſos conſimiliter, ſicut prius remanet inclinatus, & tamen fidem, ſpem, & charitatem habet. Tum quia quocunque homine quantumcunque vitioſo dato, & in habitu, & in actu, ſtat talẽ conteri, quo facto ipſi infunduntur Theologicæ virtutes. Tunc ſic, iſte talis habet Theologicas virtutes, & nõ habet morales, quia per vnicum actum contritionis nõ generantur omnes virtutes morales, ergo virtutes Theologicæ nullis puris moralibus neceſſario connectuntur. Et confirmatur: quia conſtat, quòd nec ſtudioſus habitus poteſt in inſtanti naturaliter acquiri, nec vitioſus corrumpi, ſed nouiter ad Deum conuerſo in inſtanti ſuæ conuerſionis infunduntur fides, ſpes, & charitas, niſi ipſas antea præhabuerit, & ſtatim non poteſt acquirere habitum ſtudioſum, nec vitioſum acquiſitum amittere, ergo habitus Theologici non præſupponunt neceſſario habitus morales acquiſitos.

Reſpondent aliqui; Quod nouiter conuerſo ad Deum in pœnitentia infunduntur etiam virtutes morales, & conſimiliter paruulo in Baptiſmo: atque ita ſaluant prędictam connexionem; quia ſi non habet virtutes morales innatas, habet ſaltem infuſas. Quod in pœnitentia, & in Baptiſmo infundantur virtutes morales ex eo probant, quia habebit eas in patria ſecundum *D. Auguſt.* & ponitur in littera Magiſtri; Non videtur autẽ probabile, quod habeat eas in patria, niſi haberet eas in via; nec acquirit eas in via: quia pono, quod ſtatim poſt Baptiſmum, vel pœnitentiam moriatur.

Contra hanc reſponſionem arguit *Doctor*, & primo dicit, quod licet de iſtis virtutibus moralibus infuſis multa dicantur, ſcilicet quod videntur neceſſariæ propter modum, medium, & finem, &c. Vnde obſeruandũ eſt, quod virtutes ſecundum aliquos duo reſpiciunt, ſcilicet finem ad quem ſunt, & actiones per quas in finem dirigunt, & ſecundum hoc duplex eſt forma in virtute; vna quam habet à ratione formali ſui obiecti; alia quam habet à modo actionis in obiectum directæ. Primo modo dicunt, quod virtutes morales acquiſitæ diſtinguuntur inter ſe, & à Theologicis. Alius enim eſt finis Theologicarum, ſcilicet finis vltimus; alius virtutum moraliũ acquiſitarum: nam cum virtutes morales acquirantur modo humano habẽt finem humanum bonum ſub illo fine vltimo, & hunc diuerſum in diuerſis virtutibus moralibus.

Secundo ratione modi diſtinguuntur virtutes morales acquiſitæ ab infuſis; modus enim rationis eſt ratio medij, vt in concupiſcentijs circa temperãtiam, in timoribus circa fortitudinem. Cum autem neceſſe ſit hominem per virtutes ordinare actiones virtutum non ſolum ad fines ſuos naturales, ſed etiam ad finem vltimum ſupernaturalem; cum ordinantur ad fines naturales habent modum actionis, & rationem medij modo humano, puta in ſobrietate, quo ad actum edendi, ne lædatur vllo modo crapula, vel parcitate, & hoc competit virtutibus moralibus in quantum ſunt acquiſitæ; cum verò ordinantur ad finem ſupernaturalem habent modum actionis, & rationem medij modo ſuperhumano, puta in ſobrietate, quo ad actũ edendi, vt corpus in obedientiam animæ etiam cũ aliquo ſuo grauamine reducatur: quia virtus in infirmitate perficitur, & hoc conuenit virtutibus infuſis, quare cum huiuſmodi ratio medij in actione diuerſificatur in qualibet ſpecie virtutis moralis, quamlibet ergo virtutem moralẽ neceſſe eſt diſtingui penes acquiſitam, & infuſam, propter quod pręter morales acquiſitas propter modum, medium & finem diuerſum, dicunt oportere ponere alias infuſas, & tot infuſas, quot acquiſitas, atque ita ſaluant connexionem Theologicarum virtutum, cum moralibus infuſis.

Ceterum cõtra hanc ſñiam arguitur, primo quo ad diſtinctionẽ duplicis formæ in virtute, ex parte finis, & ex parte medij, & modi in actione: quia Philoſ. 6. Ethicor. determinat, quod de facto non eſt prudentia ſine virtute morali, nec è conuerſo: quia virtus moralis determinat, & præſtituit finem; Prudentia verò determinat modum, & medium in actione, quæ eſt ad finem; finem ergo habet virtus moralis ex ſe, modum autem, & rationem medij in actione, quæ eſt ad finem habet à prudentia. Virtutum autem diſtinctio non eſt niſi à forma, quam habet ex ſe; non autem à forma, quã habet ab alio; imò illud aliud à ſua forma, quam alteri imprimit, ab alio quod non habet eam, diſtinguitur. Moralium autem virtutum diſtinctio nullo modo habet ſumi niſi à ratione formali finis, & nullo modo à ratione formali in medio circa actionem, quæ eſt ad finem: imò talis differentia potius diſtingueret diuerſas prudentias in vnaquaque ſpecie moralis virtutis (quod ipſi non admittunt ponentes vnam prudentiam ſecundum ſpeciem infimam omnium virtutũ moralium) non autem diuerſas morales virtutes, quarũ vna ſit acquiſita, altera verò infuſa imò, quia homo ad nihil indiget virtute infuſa alia à morali, niſi vt actus ſui vltimum finem attingant; cum aliæ virtutes à prudentia, quæ ſunt circa actiones, per ſe determinant finem, ipſa ergo diſtinctio non debet ſumi ex parte finis. Quare cum ſuper

fines

Digitized by Google

fines virtutum moralium non ſit niſi vnius finis; ſupra virtutes ergo morales non debet eſſe niſi vnica virtus reſpiciens omnes aliarum actiones, & directiua earum in vltimum finem, cuiuſmodi eſt charitas.

Præter ergo virtutes morales ab homine acquiſitas, nõ eſt ponenda aliqua moralium infuſa, ſed tantummodo vna charitas, quæ eſt forma vna virtutum, quatenus ad finem vnum omnes perducat, & per hoc omnes facit eſſe gratuitas, & ſufficit cum acquiſitis ad eliciendas actiones omnium earum ſub ratione qua ſunt gratuitæ, & in finem vltimum ordinatæ, & ſicut prudentia regulam imprimit actionibus, & dat eis rationem medij, vt ordinantur in fines proprios ex ſe, & in vltimum finem, quæ eſt humana fælicitas, vt eſt prudentia humana; ita fides charitate formata, & ipſa charitas regulam imprimit actionibus, & dat eis rationem medij; prout ordinantur in finem vltimum ſupernaturalem; atque ita virtus moralis acquiſita in finem vltimum ſupernaturalẽ ordinatur, vt eſt directa à fide, & imperata à voluntate charitate formata, & per hoc facta eſt gratuita, ſicut patet in exemplo iam propoſito de ſobrietate.

Et hoc eſt quod hic dicit Scot. cum inquit ſub. litt. O. §. Licet de iſtis virtutibus moralibus infuſis. Quia tamen omnis finis quem non poſſunt habere virtutes morales ex ſpecie ſua determinatur ſufficienter ex inclinatione charitatis; Modus autem, & mediũ determinatur per fidem infuſam, quæ docet media ad conſequendum finem, & præbet modum conſequendi illum; Ideo non videtur neceſſitas ponendi virtutes morales infuſas, ſed acquiſitas tantum in illis, qui habeant eas acquiſitas, vel habere poſſunt; nec etiam in alijs, qui ſcilicet non poſſunt eas acquirere propter defectum vſus liberi arbitrij: quia non eſt maior ratio quare iſti debeant habere, & non illi; adeo vt ſolum illi, qui habuerunt virtutes morales acquiſitas in via, habebunt virtutes morales in patria; cum non ſit neceſſe ponere virtutes morales infuſas.

Contra per ſe virtutes morales acquiſitæ remanebunt in patria, & multæ ſunt, quę non remanebunt, niſi quo ad habitum, vt eſt patiẽtia, quæ quo ad vſum, & exercitium nullo modo ibi manet, ſed præciſe quo ad decorem, ergo a ſimili debẽt remanere fides, & ſpes, quo ad habitum, & ad decorem beati. Dico quod non eſt ſimile: quia illi habitus ex nobis acquiſiti remanebunt ad decorẽ, & etiam ad præmium, ratione laboris, quo ipſos acquiſiuimus, & ratione meritorũ, quæ per ipſos operati ſumus: quia ergo per actus proprios fuerunt acquiſiti, ideo faciunt ad decorem, virtutes autem infuſæ, quia non ex nobis, ſed à Deo nobis inſunt, ideo hac ratione non debent manere ad decorem.

Etſi dicas, quod eadem ratione etiam fides, & ſpes, acquiſitæ deberẽt manere in patria, quia actibus noſtris acquiruntur; dico quod non decet ratione ſtatus, vt diximus ſupra.

Ad illud de paruulis, inquit Doct. dici poteſt; quod nõ eſt neceſſe eos habere virtutes morales in patria, ſed ſufficit, quod bene diſponantur circa appetibilia per charitatem; charitas enim diſponit circa omnia volibilia in vna ratione volibilis; ſicut etiam non oportet, quod habeant omnem ſcientiam in genere proprio, ſed ſufficit habere eam in verbo, quæ eſt notitia perfecta, & ita poſſet dici: quod bene infunduntur aliquæ virtutes morales, ſed non omnes; non enim neceſſe eſt beatum habere virtutem fortitudinis, neque in genere, neque in ſpecie, puta patientiam; atque ita concedo, quod virtutes morales erunt in patria, & cum infertur, ergo habuerunt eas in via, nego conſequentiã, quia poteſt dici ſecundo quod infundãtur eis in inſtanti beatitudinis; non enim eſt magis neceſſe illa, quæ pertinent ad viatorem, ſi aliquando eſſet futurus viator, dari ſibi in Baptiſmo, puta fidem ſpem, & charitatem, quam ea quæ pertinent ad ſtatum comprehenſoris dari ſibi in inſtanti beatitudinis: imò magis rationabile hoc, quam illud, cum perfectior ſit ſtatus beatitudinis ſtatu viæ, & ita paruulis decedentibus ſtatim poſt Baptiſmum in inſtanti beatitudinis Deus infundit virtutes morales, ſicut in inſtanti Baptiſmi, infundit eis virtutes Theologicas.

Vel tertio poteſt dici, quod ſi virtutes morales pertinent ad aliquam perfectionem comprehenſoris, & non dentur in inſtanti beatitudinis poterunt eas acquirere per actus ſuos, Sicut enim non apparet ratio quare non poterunt addiſcere aliqua ſcibilia in genere proprio, quæ primitus non nouerunt, ita non apparet ratio, quare non poterunt ex bonis electionibus circa appetibilia ad finem non tantum, vt ſunt volenda propter Deum in ſe, ſed vt ſunt volenda in quantum commoda ſibi, acquirere ſibi vnum habitum inclinantem ad electionem talium appetibilium ſub propria ratione, atque ita virtutẽ moralem. Concedo ergo quod virtutes morales in paruulis erũt in patria, & cum infers, ergo fuerunt in via; nego conſequentiam, quia poſſunt eas in patria per actus ſuos acquirere, ſicut D. Franciſcus poteſt acquirere ſcientiam Geometriæ, quam nunquam habuit ſaltem acquiſitam. Quantum ergo ad iſtum articulum dicit Doct. quod ſicut virtutes morales non requirunt Theologicas ad hoc, quod ipſæ morales ſint perfectæ in ſua ſpecie, licet non ſint perfectæ vlteriori perfectione, quam poſſunt habere. ita etiam è conuerſo Theologicæ ſiue in via, ſiue in patria non requirunt neceſſario morales, ac proinde ſicut nõ eſt connexio virtutum moralium ad Theologicas; ita è conuerſo non eſt connexio Theologicarum virtutum cum moralibus.

ARTICVLVS XIV.

Vtrum virtutes Theologicæ ſint connexæ inter ſe.

Diuus Thomas 1.2. quæſt. 65. art. 4. duo dicit. Primum quod fides, & ſpes ſi conſiderentur ſecundum naturam, & eſſentiam ſuam, vt habent ſtatum virtutis imperfectum, non connectuntur charitati, quia poſſunt eſſe ſine ea; poteſt enim aliquis credere Deo, & ſperare, etiamſi Deum ex charitate non amet. Secundum, quod ſi fides, & ſpes conſiderentur ſecundũ ſtatum virtutis perfectum charitati connectuntur: quia vt ſic ſine charitate eſſe non poſſunt; Virtus enim perfecta non ſolum bonum operatur, ſed operatur bonum perfectè, fides autem, & ſpes non operantur bonum perfectè ſine charitate, ad debite enim credendum, & ad rectè ſperandum requiritur voluntas charitate perfecta, actus enim fidei à voluntate pendet: quia nemo credit niſi volens, atque adeo requiritur, quod vtraque potentia ſit perfecta voluntas charitate, & intellectus fide. Intellectus autẽ non eſt ſubiectum fidei abſolute, ſed vt à voluntate motus. *D. Thom.*

Cæterum quomodo fides informis, & ſpes informis dicendæ ſint abſolute, & perfectæ virtutes in genere ſuo diximus ſupra de fide, & ſpe loquentes, & videbimus etiam in hoc articulo quomodo autem voluntas, & habitus charitatis requirantur ad actum fidei explicauimus ſupra diſt. 25. quæſt. 1. artic. 1. & 2. atque adeo loquendo de virtutibus Theologicis abſolute ſecundum rationes formales, & non in ratione meriti, quærimus hic an ſint neceſſario inter ſe connexæ, Argentina in 3. diſt. 36. quæſt. 1. art. 2. inquit, quod virtutes Theologicæ poſſunt dupliciter conſiderari, vno modo, vt virtutes ſunt, alio modo vt habitus ſunt; primo modo non poſſunt ſeparari, quia quod charitas non poſſit eſſe ſine fide, & ſpe ſatis patet ex dictis ſupra de virtutibus Theologicis; nullus enim poteſt eſſe Deo charus, qui nec actualiter ſperat in Deo, nec credit in Deum, ſed omnis habens charitatem, eſt charus Deo, & non habens ſpem, & fidem, nec actualiter, nec habitualiter ſperat in Deo, nec credit in Deũ, ergo &c. quod autem fides, & ſpes, vt virtutes ſunt, non poſſint eſſe ſine charitate patet: quia omnis virtus Theologica ſecũdum, quod virtus eſt, ſic meritoria eſt, ſed fides, & ſpes nõ ſunt meritoriæ niſi aſſiſtente charitate ergo, &c.

Secundo modo conſideratæ, vt habitus ſunt, ſic fides & ſpes poſſunt eſſe ſine charitate, quia fides, & ſpes, vt informes ſunt, quamuis ſint habitus animæ inhærentes, tamen ſunt abſque charitate, atque ita manent in peccato mortali informes, vt habitus, non autem, vt virtutes.

Cæterum

Sententia Argentinę reijcitur.

Cæterum hæc ſententia Argentinæ falſum ſupponit, nempè fidem, & ſpem informes non eſſe virtutes. Ideo dicendum eſt, quòd de Theologicis virtutibus poſſumus loqui dupliciter: vno modo pro ſtatu patriæ, alio modo pro ſtatu viæ, & pro ſtatu viæ etiā dupliciter, vno modo quo ad eſſe earum, ſecundo quo ad fieri, vel quo ad infuſionem; dico quod poſſunt conſiderari quo ad eſſe: quia certum eſt quod ſunt habitus, & qualitates permanentes, & habent eſſe ſubiectiuè in intellectu, & voluntate, & vt manent in facto eſſe, habent rationē habitus. poſſunt etiam conſiderari quo ad fieri, vel quo ad infuſionē, & ita à ſolo Deo infunduntur immediatè, & non ab aliquo agente creato.

1. Concl. Ex his pono aliquas concluſiones. Prima concluſio. Virtutes Theologicæ pro ſtatu patriæ non ſunt connexæ. hæc concluſio eſt contra Argentinam, & probata fuit ſupra diſt. 31. vbi oſtenſum eſt, quod fides, & ſpes euacuantur in patria, & ſola charitas remanet.

2. Concl. Secunda Cōcluſio. Virtutes Theologicæ pro ſtatu vię, quo ad eſſe non ſunt neceſſario connexæ: patet, quia in peccatore lethali manent fides, & ſpes ſine charitate, quia charitas non ſtat cū peccato mortali, & ratio eſſe poteſt: quia charitas eſt habitus, quo diligimus Deum ſub ratione boni honeſti, & quodcunque lethale peccatum cū ſit turpitudo, honeſtati repugnat, atq; adeo per quodcumq́, peccatum mortale perditur charitas. Quod autem fides poſſit eſſe ſine charitate contra Lutheranos definitū eſt in

Concilium Trid. Cōcilio Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. & can. 28. his verbis. Si quis dixerit amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti, aut fidem, quæ remanet non eſſe veram fidē, licet non ſit viua, aut eum qui fidem ſine charitate habet non eſſe Chriſtianū, anathema ſit. Et colligitur ex illo Matth. 7. Multi dicent mihi in illa die Domine Domine, &c. & tunc confitebor illis, quia nunquam noui eos: Diſcedite à me qui operamini iniquitatē, & Ioan. 12. Ex principibus autem Iudæorum multi crediderunt in eum, ſed non audebant ipſum confiteri, ne extra ſynagogam eijcerentur; dilexerunt enim magis gloriam hominum, quā Dei. Vbi Euāgeliſta ſignificat illos tam etſi peccato mortali obſtrictos habuiſſe fidem, fides etiam conſiſtere poteſt ſine ſpe, ſicut ſpes ſine charitate; licet ſpes ſine fide eſſe nequeat; ſicut Charitas ſine fide, & ſpe conſiſtere nequit. Et quidem quod charitas pendeat ex fide, & ſpe, colligitur ex 11. cap. ad Hebræos, & Roman. 8. & 1. Ioan. 3. & ex definitione Concilij Tridentini ſeſſ. 6. cap. 7.

3. Concl. Tertia Concluſio. De potentia Dei abſoluta virtutes Theologicæ, quo ad infuſionem non ſunt neceſſario connexæ: quia vna poteſt infundi ſine alia, patet, quia quæcunque ſeparari poſſunt quo ad eſſe, poteſt Deus ſeparare quo ad fieri, at qui virtutes Theologicæ poſſunt ab inuicē ſeparari, quo ad eſſe, & de facto interdum ſeparantur, ſicut patet ex 1. & 2. Concluſione, ergo quantum eſt ex ſe non neceſſario connectuntur quo ad infuſionem.

Concilium Trid. Quarta Concluſio. Regulariter, & ſecundum leges diuinæ ſapientiæ virtutes Theologicæ ex liberalitate diuina, quo ad fieri connectuntur. hæc concluſio patet ex definitione Concilij Triden. ſeſſ. 6. cap. 7. vbi cum in iuſtificatione impij ſimul cū remiſſione peccatorū accipere eum fidem, ſpem, & charitatem definiuit ſancta Synodus, non obſcure inſinuauit has virtutes infuſas connexas eſſe quo ad infuſionem. Probatur etiā per illa verba Moyſi Deut. 32. Dei perfecta ſunt opera; Nec non per illa communia: Deus, quem ſanat perfectè ſanat, & per ea, quæ cap. 9. de vera, & falſa pœnitentia legimus, Neminē ſanauit, quem omnino non liberauerit. Sicut ergo Deus neminem ſanauit corporaliter niſi perfectè, ſcilicet quo ad corpus, & quo ad animam; ita etiam ſpiritualiter non ſanat hominem niſi perfectè ſanet; at perfecta ſanitas eſt, ſi quantum ad intellectum habeat fidem, & quantum ad voluntatem ſpem, & charitatem; Nam ſicut dictum eſt ſupra diſt. 23. homo per peccatum erat languidus quo ad intellectū, & quo ad voluntatem, atque adeo ſicut Deus ſanauit ipſum quo ad intellectum per fidem, ita quo ad voluntatē ſecundum affectionem iuſtitiæ ſanauit per charitatem, & ſecundum affectionem commodi per ſpem. Si enim virtutem aliquam, ſcilicet fidem ſine ſpe, & charitatem nobis Deus communicaret, ſanare videretur intellectum ab ægritudine ſpirituali infidelitatis, prælanguidn manente affectu.

Siquidem ipſe decurſus Euāgelicæ hiſtoriæ nos hæc luculenter docere poteſt. Nā Chriſtus Dominus neminem ab vno languore ſanauit, quin ſanauerit ab omnibus; Neminem pluribus dæmonibus obſeſſum ab vno duntaxat eripuit, ſed omnes prorſus fugauit, & expulit, eū qui ſurdus erat, cæcus, & mutus ab omnibus his incommodis ſimul eruit, quoſque à morbo corporeo liberos fecit, eoſdem ſi peccato obnoxij erant, eodem temporis momento gratiæ, & ſaluti ſpiritali reddidit. Quare, & quibuſdam dixit. Mihi indignamini, quod totum hominem ſanum feci in ſabbato? Ioan. 7.

Quod ſi ab vno, vel dæmonio, vel morbo corporis liberauit neminem, quem nō liberauerit etiam ab omnibus; neque ſalutem corpori præſtitit, quin præſtiterit, & animę, credendum profectò eſt, & tantundem eum facere in curandis ſpiritualibus infirmitatibus, neque largiri vnam virtutem ſine alijs. Par quippe de vtriſque ratio, & virtutes medicamenta ſunt, imò ſanitas animarum. Neque pro dignitate de infuſis virtutibus ſentit, qui ex donis adeo præexcellentibus, & eximijs, vel minimum putat Deū illis largiri, qui ex propoſito volunt perſeuerare in peccato aliquo. atque ita patet quomodo virtutes Theologicæ quo ad habitus, & quantum ad eſſe nō ſunt connexæ. Sed bene quo ad infuſionem ſuppoſita lege.

An actus Theologicarū virtutū ſint cōnexi.

Sed dubium eſt, an actus virtutum Theologicarū ſint connexi; dico quod actus ſpei neceſſario connectitur cum actu fidei: quia habet fidem pro regula. Ariſt. enim non potuit cognoſcere, quod Deus eſſet diligendus, vt bonum mihi commodum, ſed hoc tantum fides diuina docet; atque adeo actus ſpei actum fidei neceſſario præſupponit. Verum hæc connexio non eſt mutua; quia actus fidei poteſt eſſe ſine actu ſpei: De actu autem charitatis dicēdum eſt, quod actus charitatis non habet neceſſario connexionem cum actu fidei, quia non innititur illi regulæ neceſſario, ſicut ſpes. Nam ex puris naturalibus poteſt haberi illud iudicium ſine fide infuſa, ſcilicet diligendus eſt Deus ſuper omnia, atq; ita poteſt haberi electio, & actus ſequēs illud iudicium ſine tali regula præcedente, ſaltem pro ſtatu naturæ inſtitutæ, vt diximus ſupra diſt. 28. Non poteſt tamen eſſe actus charitatis pro ſtatu viæ ſine fide conſequenter, quia impoſſibile eſt ſine fide placere Deo.

An fides, ſpes ſine charitate ſine virtutes.

Secūdo dubitatur, an fides, & ſpes ſine charitate eſſent virtutes. Reſpondet Doct. quod dici poteſt ſicut dictū eſt de virtutibus moralibus, quod in ſpecie ſua poſſunt eſſe perfectæ; quatenus ſcilicet ſunt principia propriorum actuum, circa propria obiecta, ſed perfectionem illam, quam habent in attingendo finem, ad quem ordinantur ex charitate, non poſſunt habere ſine ipſa, & hæc quidem perfectio tam in moralibus virtutibus, quam in Theologicis, licet dicatur eſſe communiter in attingendo finem per aliquam operationem elicitam, ſiue per aliquem ordinem iſtorum, vel illorum actuū ad finem; Poteſt tn̄ dici eſſe præcipue in hoc, quod eſt acceptari adeo ordinando ad beatitudinem, & hoc quidem pacto nulla virtus nec eius actus acceptatur ſine charitate, quæ ſola diuidit inter filios regni, & perditionis.

Poteſt ergo ad difficultatem breuiter reſponderi, quod virtutes Theologicæ poſſunt bifariam conſiderari, vno modo ſecundum ſuas rationes formales, & in ſua ſpecie; atque ita fides, & ſpes ſunt virtutes Theologicæ etiā ſine charitate; alio modo poſſunt conſiderari in ordine ad finem, & ſic fides, & ſpes, non coniungunt Deo ſine charitate, quæ eſt forma virtutum non quoad inhærentiam, ſed quo ad acceptibilitatem. Quia per ſolam charitatem acceptantur: atque ita ſine charitate non ſunt virtutes gratuitæ, & meritoriæ.

An habitus intellectuales ſint connexi.

Iuxta hoc poteſt quæri. Vtrum habitus intellectuales connexionem adinuicem habeāt, vt ſunt Metaphyſica, Geometria, Arithmetica, Phyſica, Logica, Moralis, &c. ita quod vnus ſine alio haberi non poſſit. Pro cuius difficultatis ſolutione obſeruandum eſt, quod habitus intellectuales ſunt duplicis generis; nam quidam ſunt ſubalternati, quidam non; exemplum primi Intellectus, & ſcientia; Geometria, & Perſpectiua; Arithmetica, & Muſica; ſreni factiua, & Equeſtris, &c. Exemplum ſecundi; vt Ars, & Prudentia; Phyſica, & Metaphyſica, Mathematica, Logica, &

ca, &

ca, & Moralis, &c. hoc ſuppoſito pono duas cõcluſiones.

1. Concl. Prima concluſio. Habitus intellectuales, qui non ſunt ſubordinati ad inuicem, non habent inter ſe connexionem; Nam poteſt quis eſſe Phyſicus, & non Geometer, atque ita de alijs.

2. Concl. Secunda Concluſio. In habitibus intellectualibus ſubalternatis eſt neceſſaria connexio inferioris ad ſuperiorem, & non è contra, ſiue poſterioris ad priorem. Prima pars probatur: quia ſi ſint duo habitus, quorum vnus eſt prior, alter poſterior, vt Arithmetica, & Muſica, poſterior eſſe non poteſt ſine priori, vt Muſica, quæ eſt habitus poſterior non poteſt eſſe ſine Arithmetica, quæ eſt habitus ſuperior. Sed bene poteſt eſſe Arithmetica ſine Muſica, poteſt enim quis eſſe perfectus Arithmeticus, & non Muſicus, ſed non è contra, non poteſt quis eſſe perfectus Muſicus niſi ſit Arithmeticus. Pari modo dicendum eſt de intellectu, & ſciẽtia: Intellectus namque eſt habitus principiorum, & ſcientia eſt habitus concluſionum, habitus ſcientiæ non poteſt eſſe ſine habitu intellectus, habitus tamen intellectus poteſt eſſe ſine habitu ſcientiæ, & ſic patet etiam ſecunda pars. hæc quæ diximus in hoc art. docet Scotus in hac quæſt. ſub. litt. R. §. Quantum ad quartum artic.

DISTINCTIO XXXVII.

SED iã diſtributio Decalogi, quæ in duobus mandatis complectur conſideranda eſt, &c.

Continuatio. Hæc eſt 37. diſt. huius 3. ſent. In qua poſtquam ſatis abundè Magiſter verba fecit in ſuperioribus de virtutum, & donorum habitibus, tractat de iis, quæ conſiſtunt in actibus præceptorum, &

Diuiſio. diuiditur hæc diſtinctio in tres partes. In quarum prima quædam generalia præmittit de præceptis. In ſecunda determinat quædam de præceptis, quæ ſunt ad Deum ſpecialiter ordinata. In tertia explicat præcepta, quæ ſpecialiter ordinant ad proximum. Complectitur autem totam hanc diſt. tribus concluſionibus.

1. Concl. Prima Concluſio. Decem ſunt Decalogi præcepta nobis à Deo per Moyſen in duabus tabulis tradita. Hanc Magiſter explicans dicit conſiderandum eſſe de mandatis Decalogi; quæ in duobus mandatis, ſcilicet Dei, & proximi complentur. Nam Decalogus eſt volumen, quod decẽ præcepta continet; dici poteſt illud decachordum, id eſt, decem chordarum Pſalterium, de quo in Pſal. 32. dicitur. In Pſalterio decachordo pſallam tibi. & ſunt illa decem præcepta filiis Iſrael per Moyſen in duabus tabulis digito Dei ſcriptis tradita; ita vt tria. quæ ſunt in prima tabula ordinant hominem ad Deum, ſeptem autem, quæ ſunt in ſecunda tabula, ordinant ad proximi dilectionem.

2. Concl. Secunda Concluſio Quemadmodum tria præcepta primæ tabulæ ordinant hominem ad Deum, ita ſeptem præcepta ſecundæ tabulæ ordinant nos ad proximum. Hanc Magiſter inſinuans dicit, quòd trium præceptorum, quæ ordinant nos ad Deum primum eſt Non adorabis Deos alienos, non faciest tibi ſculptile, ſiue idolum neque omnem ſimilitudinem. Origenes hoc præceptum in duo diuidere videtur diſtinguens inter idolum, & ſimilitudinem; Nam cum quis imaginem rei alicuius in natura exiſtentis facit, vt hominis, ſerpentis, vel ouis, dicitur facere ſimilitudinem. Si verò facit imaginem alicuius, quod nunquam vidit oculus ſed tantum fingit hominis animus, eo quod natura ſimile non habet, vt ſi humanis membris caput canis, vel arietis formet, vel in imo habitu hominis duas facies, non imaginem, ſed Idolum facit, quia facit quod nõ habet in natura aliquid ſui ſimile. Ideo dicit Apoſt. 1. Corinth. 8. Idolum nihil eſt in mundo. Origenes.

Cæterum D. Auguſt. tract. 1. ſuper Ioan. dicit vnum tantum eſſe præceptum, quod his verbis exprimitur Non habebis Deos alienos. Illud verò, quod additur non facies ſculptile, non eſt aliud præceptum, ſed eiuſdem præcepti exactior explicatio, quæ B. Auguſt ſententia verior apparet. Ad authoritatem autem Apoſt. quam pro ſe Origenes adducit, ſcilicet Idolum nihil eſt in mundo, ita exponit D. Auguſt. Idolum nihil eſt in mundo, id eſt, inter creaturas mundi non eſt forma idoli: Materiam enim formauit Deus ſed ſtultitia hominum formam dedit. Quæcunque facta ſunt naturaliter facta ſunt per Verbũ ſed forma hominis in Idolo non eſt facta per Verbum, ſicut peccatum non eſt factum per Verbũ. ſed eſt nihil, & nihil fiunt homines cum peccant Nihil eſt ergo Idolum, quia forma eius per Verbum facta nõ eſt. D. Aug.

Sed contra hoc inſtat Magiſter, quia alibi in eodem, ſcilicet tract. paulo inferius dicit D. Auguſt. quod omnis forma, omnis cõpago, omnis concordia partium facta eſt per Verbum, ergo videtur, quod forma idoli ſit facta per Verbum. Ad hanc inſtantiam reſpondet Magiſt. dupliciter, primo ſecundum quoſdam dicentes, quod forma Idoli quatenus eſt à Deo eſt; vti etiam omne quod eſt in quantum eſt, à Deo dicitur eſſe, non tamen quatenus eſt forma Idoli, id eſt, poſita ad adorandum, ſic etenim creatura non eſt, ſed magis peruerſitas creaturæ.

Secundo dici poteſt ſecundum alios, quòd hæc propoſitio omnis forma eſt à Deo intelligenda eſt de forma, quæ naturaliter habet eſſe, qualis non eſt forma Idoli, eo quod vera iuſtitia, quæ Deus eſt non aſſimilatur.

Secundum præceptum primæ tabulæ eſt. Non aſſumes nomen Dei tui in vanum, id eſt, non iurabis pro nihilo per Deum, vel per nomen Dei. Vel ſecundum ſenſum allegoricum prohibetur hic Chriſtus eſſe creatura, vt ſit ſenſus mandati. Non aſſumes, id eſt, non putes Chriſtum eſſe creaturam.

Tertium

Digitized by Google

Tertiũ mandatũ primæ tabulæ eſt. Memẽto vt diẽ Sabbati ſanctifices. Quo ſecundũ litterã præcipitur Sabbati obſeruantia ſed allegorice mãdatur nobis, vt in præſenti à vitijs quieſcamus, vt in futuro Dei contemplationẽ à Spiritu Sancto expectemus, & dicitur, vt à Spiritu Sancto expectemus: non ideo quia Spiritus Sanctus iſta operetur ſine Patre, & ſine Filio ſed quia peccatorũ remiſſio Spiritui Sãcto appropriatur Hæc ſunt tria mãdata primæ tabulæ ad Deum pertinentia quæ tribus diuinis perſonis aptari poſſunt. Et primũ quidem, quod eſt de vno ſolo Deo colendo, pertinet ad patrẽ, in quo eſt vnitas, vel authoritas. Secundum ad filium in quo eſt æqualitas, & tertium ad Spiritum Sanctum in quo eſt vtriuſq; communitas.

3. Concl. *Tertia Cõcluſio Secũda tabula Moyſi data cõtinet ſeptẽ præcepta ad dilectionẽ proximi ordinata Horũ præceptorũ quinq; enumerat Magiſter in præſenti diſt & alia duo reſeruat ad ſequentẽ diſt. Primũ eſt de honore parentum corporaliũ Honora patrem tuũ, & matrẽ tuã, vt ſis longæuus ſuper terram ſ viuentiũ Parentes vero ita ſunt honorandi, vt eis debita reuerentia exhibeatur, & neceſſaria miniſtrentur Secundũ eſt de nõ occidendo. Vbi licet ſecundum litteram. ſ ſecundũ legem Moyſi prohibeatur tantũ actus occidendi, tamẽ ſecundum ſpiritum, id eſt ſecundũ legẽ Euangelicã etiam voluntas occidẽdi prohibetur, quod littera Euãgelij plane exprimit Matth. 5. Audiſtis quia dictũ eſt antiquis. Nõ occides, qui autẽ occiderit reus erit iudicio. Ego autẽ dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo reus erit iudicio, &c.*

D. Aug. *Tertium eſt. Non mœchaberis vbi ſecundũ B. Aug. nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atq; omnis illicitus membrorum prohibetur vſus. Quartum eſt. Non furtũ facies. Vbi nomine furti omnẽ illicitã vſurpationẽ rei alienæ voluit Dominus intelligi, & iſto præcepto prohibetur vſura, rapina. & ſacrilegiũ, quod tripliciter committitur.*

Sacrilegiũ tribus modis fit. *Dũ ſ ſacrũ de ſacro, vel nõ ſacrũ de ſacro, vel ſacrũ de non ſacro aufertur. Sacrũ aũt dicitur eſſe illud, quod diuino cultui exiſtit mancipatũ. Quintum eſt. Non loqueris contra proximum tuũ falſum teſtimoniũ. Quo præcepto mendacij, & periurij crimen prohibetur. & hæc de tota hac diſt. ſatis. Circa quam Scotus vnicam mouet quæſtionem.*

QVAESTIO VNICA.

Vtrum præcepta Decalogi ſint de lege naturæ.

Præceptũ quid ſit. PRo explicatione huius tituli obſer. eſt primo, quod præceptum eſt iuſſio, vel imperiũ faciendi aliquid, vel nõ faciẽdi; Iuſſio aũt, & imperiũ eſt ſuperioris, ſicut obedire inferioris. Vnde iuſſio propriè eſt volũtatis ſuperioris expreſſio de nõ faciẽdo, vel faciẽdo ei, qui inferior eſt; Hæc aũt iuſſio interdum fit à ſuperiori immediatè per ſe ipſum, & tunc habet propriè rõnem præcepti, interdũ fit à ſuperiori alio mediate, & tũc dicitur propriè mandatum. Frequenter tñ vnũ pro alio accipitur in ſcriptura.

Secundo obſer. eſt, quod preſſe hæc tria differunt, præceptum, mandatum, & prohibitio: Nam mandatum eſt cõe tam ad præceptũ, quã ad prohibitionẽ, vnde omne præceptum eſt mandatũ, & õis prohibitio eſt mandatũ, ſed non è conuerſo; Præceptum enim ſolum ad affirmatiua ſe extendit precepta; Prohibitio vero ſolum ad negatiua, at mandatum eſt tam de affirmatiuis, quã negatiuis: in propoſito autem ſumitur præceptum ſuſe, & communiter. Præceptũ, mandatũ, & prohibitio differunt.

Tertio obſer. eſt, quòd preceptorũ alia ſunt affirmatiua alia negatiua; affirmatiua ſunt quibus præcipitur aliquid faciendũ, vt Honora patrẽ tuũ, &c. Negatiua quibus aliquid faciendũ prohibetur, vt Non occides. Differunt aũt precepta affirmatiua à negatiuis effectu, quia affirmatiua obligant ſemper, id eſt, omni tempore, ſed non pro ſemper, id eſt, pro omni tempore, ſed pro loco, & tempore opportuno. Precepta, inquã, affirmatiua obligant ſemper, quia ſemp verũ eſt dicere Homo obligatur ad actũ precepti affirmatiui, ſed non pro quolibet tẽpore, Verbi gratia, Diligere Deũ, & honorare parẽtes ſunt duo precepta affirmatiua Decalogi, vnũ primæ tabulæ, alterũ ſecundæ; quocunq; tẽpore dato verũ eſt dicere homo tenetur diligere Deũ; ſicut caneſcere eſt propriũ homini, & quolibet tẽpore homo caneſcit, ſed canities ipſa determinato tẽpore à natura aduenit. Sic quolibet tẽpore homo tenetur diligere Deũ; licet non teneatur diligere Deũ pro quolibet tempore, quemadmodũ ſi promitterẽ tibi pro aliquo opere tuo ſoluere centũ in Paſchate, ita vt mihi ſufficiat in Paſchate ſoluere; ſemper ante ſolutionẽ dicor tibi debere centum, licet nõ teneor exequi ſolutionẽ niſi adueniente fine temporis, in quo promitto; Sic de reuerentia parentũ dando eis neceſſaria ſi egeant, & præbendo eis honorẽ; ſtat quod ſint remoti à me, & nunquã tenebor effectu eis ſuccurrere, vel honorẽ eis impendere; nõ obſtãte dicor ad hoc obligari, quia ſemper pro loco, & tpe ad hoc teneor. Pręcepta aũt negatiua obligãt ad ſemper, & pro ſemp, Verbi gratia, Nõ mœchaberis obligat ad ſemper, & pro ſemper, quia ſemper, & pro quolibet tẽpore teneor nõ mœchari. Præcepta alia ſunt affirmatiua alia negatiua, & quomodo differunt.

Quarto obſer. eſt, quòd Pręceptorũ ſiue affirmatiuorũ, ſiue negatiuorum; aliud eſt naturæ, aliud eſt diſciplinæ, aliud ſcripturæ, ſiue legis ſcriptæ. Præceptũ legis naturæ eſt in duplici differentia, quia aut eſt à Deo datum, aut eſt naturaliter innatum; Præceptum naturæ datũ à Deo eſt in duplici differentia, quia quoddam datũ eſt propter naturam conſeruandam, ſecundũ actum nutritiuæ; ſicut fuit illud Geneſ. 2. De omni ligno Paradiſi comede, &c. quoddam fuit datum, propter naturã conſeruandã ſecundum actum generatiuæ, vt Gen. 1. dictũ eſt Adæ, & Euæ Creſcite, & multiplicamini, & Gene. 9. Idẽ dictũ eſt Noe & filijs. Pręceptum naturæ innatũ eſt quod in corde cuiuslibet eſt à Deo impreſſum; iuxta illud Rom 2. Cum gentes, quę legem non habẽt, naturaliter ea, quę legis ſunt faciunt, eiuſmodi legem nõ habentes ipſi ſibi ſunt lex. & hoc præceptũ innatũ, id eſt, inſitũ conſcientiæ cuiuslibet ſecundum dictamen rõnis, de faciẽdo aliquid, aut non faciendo eſt in duplici differentia; Nã aliud eſt manifeſtatiuum ordinis in Deũ, vt diligere Deum ſuper omnia, & obedire ei in omnibus, & ipſum ſuper omnia reuereri inſertũ eſt conſcientiæ cuiuslibet à natura. Aliud eſt præceptum innatũ manifeſtatiuum ordinis in proximũ & hoc dupliciter, aut ſecundũ viã innocentiæ, vt eſt illud Tobiæ 4. Quod ab alio oderis tibi fieri, vide tu ne aliqñ alteri facias: aut ſecundum viã beneficentiæ, vt eſt illud Matth. 7. Oĩa quęcunq; vultis faciãt vobis hoĩes, & vos facite illis. Præceptũ tam affirmatiuum quã negatiuum eſt triplex.

Præcepta vero diciplinæ data fuerunt ad probationẽ, vt homo ſciret ſe debere obedire Deo, & hæc ſunt duplicis generis; Nam aliud fuit datũ homini ad probationem obedientiæ, vt illud negatiuum datum Adæ Gene. 2. De ligno ſcientiæ boni, & mali ne comedas. Aliud fuit datũ ad probationem verę fidei, vt illud datum Abrahæ Gen. 12. Tolle filium tuum, quem diligis Iſaac, &c. Præcepta diſciplinæ duplicia.

Præcepta autem legis ſcriptæ fuerunt in veteri lege in quadruplici differentia; Nam quædam fuerunt moralia, quæ ordinabant hominem ad perfectum ſtatũ, vt ſupra Decalogi, quæ habentur Exodi. 20. quæ per legẽ Euangelij non fuerunt euacuata, ſed potius per Chriſtũ magis explicata, vt patet Matth. 5. Quædam fuerũt iudicialia, quę per- Præcepta legis quadruplicia.

Digitized by Google

pertinebant ad directionem populi, vt illud Oculum pro oculo, &c. quæ habentur Exodi 21. Hęc ſunt iudicia, quę propones eis, & hæc omnia, vt legalia fuerunt remota, licet aliqua vt vtilia fuerunt ab Eccleſia recepta, ſicut illud quod Bigamus, & Homicida ſacerdos eſſe nõ poſſit. Quędam fuerunt Sacramentalia, quæ ordinabant hominẽ ad diuinum cultum; ſicut ritus ſacerdotij, & tabernaculi, de quibus Exodi. 25. Quæ omnia, vt cæremonia Iudæorũ remota, & reuocata fuerunt, licet aliqua, vt præcepta Eccleſiæ rationabiliter ſunt retenta; ſicut vnctio ſacerdotum. Quædam fuerunt cæremonialia, quæ pertinebant ad ritum humanum, vt non arabis cũ boue, & aſino, &c. quæ omnia per Chriſti legem ceſſauerunt. Nos autem in præſenti quæſt. de præceptis moralibus præciſe loquimur.

Decalogus quid ſit.

Quinto obſeruan. eſt, quod Decalogus dicitur à Deca, quod eſt decẽ, & Logos, quod eſt ſermo, quaſi ſermo decẽ verborum, ſeu mandatorũ; adeo vt Decalogi nomine nihil aliud, quam illa decem præcepta intelliguntur ab ipſo Deo conſcripta, & promulgata, & tradita in duabus tabulis lapideis, vt patet Exod. 20. & 31. & Deut. 4. 9. & 10. Dedit quoq; Dominus Deus Moyſi in monte Syna duas tabulas lapideas ſcriptas digito Dei. Quæ aũt pręcepta erãt ſcripta in vna tabula, quæ vero in altera non eſt concors Doctorum ſnia. Nã Heſychius, ſuper illud Leuit. 26. Ita vt decẽ mulieres in vno clibano coquant panes, quatuor in prima tabula ponit, & in altera tabula ſex. Vt primũ ſit illud affirmatiuum. Ego ſum Dominus Deus tuus. Secundum non habebis Deos alienos coram me. Tertiũ non facies tibi ſculptile. & quartum. Nõ aſſumes nomẽ Domini Dei tui in vanum. Illud aũt de obſeruatione Sabbati cenſet non cõnumerari inter pręcepta, neq; intelligendũ eſſe ſecundũ litterã; eo quod mutatũ fuerit inter Chriſtianos in diem Dominicam; atq; adeo non connumerat illud inter præcepta moralia; nam illa immota permanſerunt. In præceptis autem ſecundæ tabulæ nonum, & decimum coniungit in vnum, quare non facit niſi ſex.

Heſychius

Origenes etiam quatuor aſſignat primæ tabulæ paulo tamen differentius ab Heſychio. Illud enim Ego ſum Dominus Deus tuus non facit diſtinctum præceptũ, ſed pro eodem illud exiſtimat, ac ſubſequens Non habebis Deos alienos, &c Secundum vero arbitratur eſſe illud Non facies tibi ſculptile, & tertium non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanũ, & denique quartũ Memento, vt diem Sabbati ſanctifices Reliqua vero vt Heſychius enumerat.

Origenes.

Ioſephus vero lib. 3. Antiquitatũ cap. 6. arbitratur, in vtraq; tabula fuiſſe ſculpta quinq; pręcepta. Sic enim ſcribit Ioſephus. Illic inquam in vtraq; quina verba fuerunt ſcripta. In vna quatuor de dilectione Dei, (Nã ipſe etiam partitur in duo illud preceptum Ego ſum Dominus Deus tuus, & nõ facies ſculptile) & quintũ de honore parẽtum. In altera aũt quinq; præcepta negatiua. Nõ adulterabis, Non occides; Non furaberis. Non falſum teſtimoniũ dices. Non concupiſces. Verum cõior, & verior eſt D. Aug. ſnia q. 71. in Exodum. In prima tabula (ſiue in primo genere præceptorũ, quod myſticè dicitur prima tabula) conſtituit tãtũ tria pręcepta. Primũ Ego ſum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi ſculptile. Secundũ. Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum. Tertiũ Memento, vt diẽ Sabbati ſanctifices. In altera vero tabula ſeptem illa erga proximũ. Honora patrem tuum, & matrem tuã, ſicut cõiter iã enumeramus. Ex quo ſequitur, quod modus enumerãdi, & collocandi hęc pręcepta, quem Origenes ſequitur hom. 8. ſuper Exodũ nihil differt à modo D. Aug. Nã Origenes in prima tabula, vt diximus, ponit quatuor pręcepta circa Deum, & D. Aug. tria, quia in primo includit ſecundũ Origenis. In ſecunda aũt tabula ponit Origenes pręcepta ſex: qm̃ duo vltima, quæ D. Aug. ſeparat, ipſe propter ſubordinationẽ (cum eandem potentiã animæ reſpiciant) coniũgit, & enumerat vt vnũ vnitate ordinis. ſ. Non concupiſces rem proximi tui, & non concupiſces vxorẽ eius. Hos diuerſos modos numerandi dico in re nõ differre. Heſychius vero plus differt à D. Aug. quã in modo enumerandi ſiquidem ſimpliciter vnũ à Decalogo reijcit, in quo rectè refellitur à D. Tho. 1. 2. q. 100. art. 4. Nam quod ait præceptũ illud fuiſſe cæremoniale nõ obſtat quo minus etiã fuerit in Decalogo ſicut ſcripturæ textus plane indicat Exo. 20. Tum quia non erat pure cæremoniale, vt videbimus. Tum quia potuit ſimul annecti, tanquam determinatio naturalis præcepti de vacãdo rebus diuinis.

Ioſephus.

D. Aug.

D. Thom.

Secundo obſer. eſt, quod ſufficientia præceptorũ Decalogi accipitur ſecundũ Sanctos, penes differẽtiã finis, quæ eſt charitas 1. Timo 1. finis pręcepti eſt charitas; duo aũt ſunt charitatis actus, vnus erga Deũ, & alter erga proximum, quia homo ad ſe ipſum ſatis inclinatur, & ſecundũ Iſidorum ſuper Exo. c. 20. tria pertinent ad cognitionẽ, & dilectionem Trinitatis; ſeptẽ vero ad dilectionẽ proximi. Quæ ad dilectionẽ Dei pertinent tripliciter accipiuntur, vno modo ſic, vt primũ referatur ad Patrẽ cui appropriate attribuitur reuerentia maieſtatis ſummæ, quo prohibetur idololatria, & latria imperatur, cum dicitur, Nõ habebis Deos alienos, &c. Secundũ refertur ad Filiũ, cui per appropriationem attribuitur reuerentia veritatis, cũ dicitur Non aſſumes nomẽ Domini Dei tui in vanũ, id eſt, nõ iurabis ſine cauſa, quia hoc faciẽs nõ reueretur ſummã veritatẽ, quoniã ſine cauſa adducit Deũ in teſtem ſuę locutionis. Tertiũ refertur ad Spiritum Sanctum, propter ſanctificationis nomen, quod eſt declaratiuum diuinæ bonitatis, quæ attribuitur Spiritui Sancto, cum dicitur. Memento, vt diem Sabbati ſanctifices.

Præceptorum Decalogi ſufficientia.

Alio modo accipiuntur ſecundum ordinationẽ hominis in Deum ſecũdum charitatẽ, & dilectionẽ, quia homo tenetur diligere Deũ ſecundũ actũ cordis, oris, & operis. Primum præceptũ ordinat hominẽ ſecundũ actũ cordis. Cum dicitur. Ego ſum Dominus Deus tuus; non habebis Deos alienos, &c. Secundũ ordinat hoĩem ad Deũ ſecundũ actũ oris. Cũ dicitur. Non aſſumes nomẽ Domini Dei tui in vanũ. Tertiũ vero ordinat hoĩem ad Deũ ſecũdum actũ operis. Cũ dicitur. Memẽto vt diẽ Sabbati ſanctifices.

Septẽ alia præcepta, quæ ordinant hoĩem ad dilectionẽ proximi ſic accipiuntur; Nam quadã ordinant hoĩem ad proximum ſecundũ beneficentiã, & ſic ordinat primum præceptũ. Honora patrem tuũ, & matrẽ tuã, &c. In quo honoris nomine intelligitur omne genus beneficẽtiæ, & nomine Patris, & Matris intelligitur oĩs proximus, aut ordinat ſecundũ viã innocentiæ, iuxta quod dãtur ſex præcepta, quibus prohibetur oĩs motus, quo hoĩem moueri cõtingit in proximi nocumentũ: aut enim mouetur ſecundum actum interiorẽ, qui eſt cordis, aut ſecundum actum exteriorem, qui eſt operis, aut ſecundũ actum mediũ, qui eſt oris, qui cum interiori, & exteriori cõicat: contra nocumentũ, quo nocemus proximo ſecundũ actum operis dantur tria præcepta, quia contingit tripliciter nocere proximo, nimitũ in propria perſona, & cõtra hoc datur præceptum, non occides, In perſona coniũcta. ſ. vxore, & contra hoc eſt pręceptũ. Non mœchaberis: & in rebus ſuis, & cõtra hoc eſt ſeptimũ præceptũ Non furtũ facies. Cõtra nocumentum, quo nocetur proximo per actũ cordis dantur duo præcepta ſcilicet nonum, & decimum. Non concupiſces vxorem proximi tui, & Non cõcupiſces domum eius, &c. Contra nocumentum oris datur octauum præceptum. Non falſum teſtimonium dices.

Septimo obſer. eſt, quod alio modo põt aſſignari decẽ præceptorũ ſufficientia, ſecundũ quod triplex eſt ordo in vnaquaq; politia bene ordinata. Primus ordo eſt totius politiæ ad Deum. Secundus omnium inferiorũ ad Principem. & tertius cuiuslibet ad proximũ ſibi coniunctũ. Primi duo ordines ſunt imparium, quia inferiorũ ad ſuperiorem. Tertius aũt eſt pariũ, quia æqualiũ; huiuſmodi triplex ordo reperitur in tota humana politia; habet enim quilibet ordinem ad Deum, ad parentes, & ad proximos ſeu conſratres, & iuxta hunc triplicem ordinẽ in humana politia, diſtinguuntur Decalogi præcepta; Nam aliqua ſunt quibus ordinamur ad Deum, vt prima tria præcepta: alia, quibus ad parentes, vt quartum: & alia quibus ordinamur ad proximum, vt ſex vltima.

Alia præceptorum Decalogi ſufficiẽtia.

Tria prima præcepta, quę ordinant ad Deũ, ſunt de tribus, quæ tenetur quilibet reddere Deo. Nã quilibet tenetur Deum colere corde, ore, & opere, Primum mandatur primo præcepto. Non habebis Deos alienos, &c. Nam hoc præceptum non eſt præciſe negatiuum, ſed etiam aliquid includit affirmatiuũ, nempè corde colere Deũ verũ, atque adeo non impletur hoc pręceptũ, per hoc negatiuũ præciſe. ſ. non habere Deum alienũ, ſed ad ipſum implendum

Digitized by Google

dum oportet corde,& animo colere verum Deũ. Secundum præcipitur ſecundo præcepto, Non aſſumes nomen Dei tui in vanum, quod includit etiam aliquid affirmatiuum,ſcilicet laus vocalis, qua tenemur Deum vocaliter benedicere,& laudare; Non enim ſufficit nomen Dei inutiliter non aſſumere,ſed oportet ipſum reuerenter,& vtiliter inuocare. Tertium præcipitur tertio præcepto Memento,vt diem Sabbati ſanctifices,in quo præcipitur aliquis bonus actus ſanctitatis exterioris. Non enim ſanctificatio Sabbati conſiſtit in ceſſatione ab opere ſeruili principaliter,ſed in executione alicuius operis ſpiritualis,&c.

Secũdus ordo humanæ politiæ eſt cuiuslibet ad parentes ſuos,à quibus aliquomodo accepit eſſe,propter quod tenetur eos reuereri tam ſigno exteriori,quã etiã facto, eis ſi indigeant ſubueniendo,& de hoc eſt quartum præceptum,Honora patrem tuum,& matrem tuam, &c.

Tertius ordo humanæ politiæ eſt cuiuslibet ad ſuũ proximum,quem ordinẽ reſpiciũt ſex alia precepta,que ſunt omnia negatiua.Cuius ratio eſt,quia nullus tenetur proximo ſibi ſpecialiter, non cõiuncto niſi in neceſſitatis articulo, in quo tenetur ei ſubuenire virtute illius præcepti Non occides. In quo prohibetur actus homicidij nõ tantum poſitiuè,ſed etiam permiſſiue.Omnis aũt videns proximum in mortis articulo conſtitutũ,cui non vult ſubuenire cum poſſit,ipſum mori permittit,& ideo facit contra prædictum præceptũ,permiſſiue proximũ occidendo. Et licet alijs à parentibus nõ teneamur, nec Deus nos obligare voluit ad ſubueniendũ poſitiuè tẽporaliter, tenetur tñ quilibet alteri ad non lædendũ,& de hoc data ſunt ſex vltima præcepta.Nam põt quis alterũ lædere tripliciter, ſcilicet corde,ore,& opere: corde dupliciter,vno modo per concupiſcentiam poſſeſſionis eius, & hoc prohibetur illo præcepto Non concupiſces rẽ proximi tui;alio modo per cõcupiſcentiã vxoris eius,& hoc prohibetur illo precepto Non deſiderabis vxorem eius.Secũdo modo.ſ.ore proximus læditur per falſum teſtimonium, ad quod deducitur oĩs detractio,& qualiſcunq; læſio in aliquo ſpirituali bono poſſeſſo:que omnia prohibentur illo precepto.Nõ loqueris cõtra proximum tuum falſum teſtimoniũ. Tertio põt proximus lędi opere tripliciter, primo in propria perſona,& hoc prohibetur illo præcepto Nõ occides,in quo prohibetur non tantum homicidiũ, ſed omnis mutilatio, & quodcunq; corporis notabile nocumentũ. Secundo in perſona coniuncta, & hoc prohibetur illo præcepto Non mœchaberis, in quo omnis illicitus actus carnalis prohibetur. Tertio põt lædi proximus in aliqua re poſſeſſa.ſ.retinendo rẽ proximi eo inuito,vel ipſo ignorante totaliter, & nolẽte,vel ipſo ſciente,& volẽte,non tñ ſimpliciter,ſed ſecundum quid. Primo modo læditur quis rapina. Secundo modo furto. Tertio vſura,& hæc tria prohibentur illo præcepto. Non furtum facies.

Alex. de Ales. Octauo obſer.eſt, quod lex iuxta Alex.de Ales.3.p.q. 26.per totũ diuiditur in quatuor quaſi ſpecies, & partes. **Lex quadruplex.** In legem æternã,naturalẽ,humanã,& diuinã. **Lex æterna.** Aeterna ſumitur aut ſuſius,& latius;aut preſſius, & ſtrictius: latius ſumpta eſt mens,& rõ diuina,que cũcta ſapiẽter & rectè diſpoſita conſtãti, & certo ordine gubernat, vt cõſtitutos ac prefixos ſibi fines aſſequãtur,cui legi vniuerſa,quę ſunt ex nihilo cõdita, ſubijciũtur. Preſſius verò lex eſt rõ diuina,recta,& bona precipiẽs,praua,& mala prohibẽs,& ab hac vna lege vniuerſæ aliæ leges.ſ.naturalis, & humana proficiſcuntur, & hoc modo ſumpta eſt cũ dixit D.Aug. lib.22.contra Fauſtum c.23. (*D. Aug.*) Peccatũ eſt concupitũ,dictũ, vel factum contra legẽ æternã: qm̃ quicquid iuſtè,humana lex vel naturalis vetat,vel imperat, id quoque lex Dei æterna precipit,vel prohibet. **Lex naturalis.** Lex naturalis eſt rectę rõnis pręſcriptũ in bonis agẽdis,maliſq; fugiẽdis. **Lex humana.** Humana lex eſt certi alicuius hoĩs poteſtatẽ habẽtis iuſſũ,quod eſt vel Canonicũ,& Eccleſiaſticũ,quod cõſiſtit in rebus ad bonã Eccleſiarũ adminiſtrationẽ pertinẽtibus,vel Ciuile,quod cõſtat ex rebus,quę ad ciuilẽ Reipub. gubernationẽ attinent. **Lex diuina.** Diuina lex eſt quã Deus per ſe ipſum ad hoĩes tulit, & hæc quidẽ eſt duplex.ſ.vetus,& noua, de quibus alias.

Alia legis diuiſio. Nono obſer.eſt, quòd lex ſecũdo diuiditur, ſicut & ipſum ius,in legẽ naturæ,gentiũ,& Ciuilẽ: **Lex naturæ.** lex naturæ eſt id quod rõ hominis naturaliter præſcribit, cuius tñ aliquod veſtigiũ eſt in animantibus, vel cæteris etiã rebus, qui eſt inſtinctus à natura inſitus;qualia ſunt,vim vi repellere,ſe ipſum tueri;ſibi ſalutaria quærere,& cauere noxia, & cõtraria fugere,& vitare; prolẽ generare, educare, & alere. **Lex gentium.** Lex gentiũ eſt, quod rõ naturalis præcipit, vel prohibet, hoc eſt, quod recta ratio oẽs gentes docet; cuius veſtigiũ nullum eſt in brutis animantibus;qualia ſunt Religio, & cultus Dei, honor vel obedientia parentibus præſtanda, ac cætera Decalogi præcepta. **Lex Ciuilis.** Lex Ciuilis eſt ius ciuile ſcriptum,quæ ſex partibus conſtat. nempe Legibus, Plebiſcitis, Senatuſconſultis, Edictis Prætorum, Conſtitutionibus Principum, Reſponſis prudentum, vt colligitur ex l.ius ciuile ff.de Iuſtitia,& iure, & ex l.neceſſarium ff. de origine iuris.§.ita in ciuitate, & Inſtitut.de iure naturali gentium,& ciuili §.conſtat autem.

Lex vnde dicatur. Decimo obſer.eſt, quod lex Latine dicta eſt à legendo, hoc eſt, deligendo:(Nam verbũ legendi ſignificat ẽt teſte Varone lib.5.de lingua Latina deligere) (*Varro.*) eo quod lex ſit certa norma,& regula deligendi rectũ,vel quod ſit multorũ conſultatione,& conſenſione delecta,vel quod ex multis, que poſſent cõſtitui, vna lex ſit ad id, quod facto opus ſit delecta. Nã vt ait Cicero lib.2.de natura Deorũ. (*Cicero.*) Lex eſt recti preceptio,prauiq; repulſio,eo quòd recta eligat cõtrariaq; reijciat:vel vt alij volunt, lex dicta eſt à legendo,eo quod ſit ſcripto tradita, vt nota ſit omnibus, & ab omnibus obſeruata,leges enim tabulis inciſæ parietibus affigebantur, vt à populo legerentur: ſecundum alios vero lex dicta eſt à legando,eo quòd is,qui legem fert ita ſubditos obſtringat,vt agere cogat iuxta id,quod ſua lege cõſtituit.

Lex quid ſit. Poſtremo obſeruandum eſt,quod lex multipliciter à diuerſis definitur; Nos tamen in præſentia duas tantũ definitiones legis aſſignamus,vnã Iuriſperitorũ,Theologorũ alterã;eſt aũt lex ſecundũ Legiſperitos ſanctio ſancta percipiens honeſtũ,prohibenſq; cõtrariũ. In qua definitione tria tãgũtur. Primo actus cõis legis,cũ dicitur ſanctio ſancta;dicitur ſanctio tum rõne intellectus, vt dirigatur prudentia, & inde dicta eſt lex à legẽdo, quia conſultatione ſapientũ maxime dictari debet. Tum rõne affectus,& inde dicitur lex à ligãdo,quia plus amore,quã timore legia debent ſubditi legibus ligari. Dicitur ſanctio ſancta: quia lex maxime in Deũ homines ordinare debet & ex conſequenti ad proximum: Nã ſanctitas teſte ſene Andronico Peripatetico,eſt ſcientia faciẽs fideles, ecce quo ad proximum.& ſeruantes ea,que ad Deũ iuxta ſunt, & ecce ordinatio in Deũ. Secundo tãgitur finis legis principalis, cum dicitur precipiens honeſtum, id eſt, virtutis ſtatũ, ad hoc enim lex ciuibus datur,vt honeſte,& ſtudioſe viuãt,licet Plato ſenſerit, (*Plato.*) ꝙ finis principalis legis eſſet Ciuiũ perturbatio fugienda. Tertio tãgitur finis legis ſecũdarius, dum dicitur,prohibenſque contrariũ. Quapropter dicit Iſidorus lib.5. Etymolog. (*Iſidorus.*) Lex poſita eſt vt humana coerceatur audacia, & tuta ſit inter probos innocentia.

Theologi,Gabriel in 3.d.37.q.1.art.1. Almain, & Maior,eadem diſt. (*Gabriel. Almain. Maior.*) Gerſonẽ ſecuti legẽ in hunc modum definiunt. Lex eſt ſignum verũ Angelo,vel homini denuncians præſcriptum alicuius,obligans ad aliquid agendũ, vel fugiẽdum. Dicitur(ſignũ verum)quia quod falſum eſt vim legis habere non põt: Nã ſi conſcientia errans ſuo nos præcepto compellit ad aliquid faciendũ,non per ſe,ſed ex accidenti habet,nempè ex ignorantia,qua decepti putamus teneri nos lege. Dicitur(obligans)qm̃ ad legem nõ ſatis eſt ſi velit princeps, vt Ciues quippiam efficiant, ſed etiã neceſſe eſt vt velit eos ſua lege, quam decernit adſtringi, & obligari,ad naturam, & rationẽ legis pertinet, vt vim habeat obligandi;ſi nos non teneat, & alliget lex nõ eſt. An vero leges,que pœnales vocantur conſcientiã,& animam ligent,& an leges conſilium dantes,vel aliquid permittentes,ſint propriè,& ſimpliciter leges dicemus alias. Ex his patet titulus quæſtionis, cuius reſolutio eſt, quod præcepta primæ tabulæ ſunt de lege naturæ, & indiſpenſabilia,ſecus autem ſecundæ tabulæ præcepta. Hanc quæſtionem, quæ multas continet controuerſias, vt facilius, & exactius explicemus diuidimus in octo articulos.

Art. 1. Vtrum præcepta primæ tabulæ ſint de lege naturæ.

Art. 2. Vtrum tertium præceptum primæ tabulæ ſit de lege naturæ.

Digitized by Google

Art. 3. Vtrũ præcepta ſecũdæ tabulæ ſint de lege naturæ.
Art. 4. Vtrum præcepta primæ tabulæ ſint diſpenſabilia.
Art. 5. Vtrum præcepta ſecundæ tabulæ ſint indiſpenſabilia.
Art. 6. Vtrum Deus diſpenſauit cum Abraham in præcepto. Non occides.
Art. 7. Vtrum Deus diſpenſauit cum filijs Iſrael in præcepto. Non furtum facies.
Art. 8. Vtrum Deus diſpenſauit cum Oſſea in præcepto. Non mœchaberis.

ARTICVLVS I.

Vtrum Præcepta primæ tabulæ ſint de lege naturæ.

Thomiſtę tres gradus cõſtituunt iuris naturalis.

IN hoc articulo eſt controuerſia in aſſignando gradus in iure naturali. Nam Thomiſtæ 1.2. quæſt. 94. art. 4. conſtituunt tres gradus iuris naturalis. In primo collocãt illa prima principia oĩbus per ſe nota, & quę nullus ſanæ mentis põt inficiari. Vt bonum eſt amplectendũ, malum fugiendũ, quod tibi nõ vis, &c. Quod tibi vis, &c. In ſecundo gradu conſtituunt propoſitiones illas magis particulares, quæ deducuntur ex illis primis principijs conſequentia adeo neceſſaria, & facili, vt niſi quis ſtolidiſſimus ſit, illarum vim ſtatim habet perſpectam, vt cum ex illo principio, quod tibi non vis, &c. ſic inferimus, nolle bona tua ab alio te renuente accipi debes igitur, & tu ſimiliter bona alterius nõ accipere nec furari. Huius illationis vim nullus quantumuis ruſticus, & ſimplex ignorabit, quam primum ei proponetur. & in hoc gradu (inquiunt) continentur præcepta ſecundæ tabulæ: quia omnia ex illis primis principijs per ſe notis, quod tibi vis fieri, &c. neceſſario inferuntur.

In tertio autem gradu conſtituunt, quæ colliguntur ex principijs neceſſarijs, & in conſequentia neceſſaria; ſed ita vt illa conſequentia licet neceſſaria ſit, non tamen ſit perſpicua, & euidens, & quæ huius tertij generis, & gradus ſunt, adhuc (inquiunt) ſubdiuiduntur; ſunt enim in duplici differentia; quædam quæ adhibita cura, & diligentia ab acutis, & ſapientibus cognoſci poſſunt euidenter, vt vſuram eſſe iniquam, & ſimplicem fornicationem malam. Hæc enim periti, & ſapientes adhibito ſtudio, & diligenti diſcurſu poſſunt ex primis principijs ſolo lumine naturali deducere. Alia ſunt, quæ quamuis neceſſario quoque deducantur ex principijs naturalibus, non tamen poſſunt commode ab hominibus intelligi ſine aliquo ſuperiori lumine naturali, quo intellectus eorum illuſtretur, maxime ob cæcitatem, & tenebras, quæ nobis ex peccato originali contigerunt, qualia illa ſunt. Non habebis Deos alienos. Non facies tibi ſculptile, &c. Ad hæc enim ex acte cognoſcenda opus fuit ſupernaturali lumine, cum ſolo naturali (experientia teſte) pauciſſimis, & poſt longa tempora hæc præcepta, & eorum rationes innotuerint. Argumento eſt etiã diffuſa per omnes gẽtes Idololatria, donec ſupernaturalis Euangelicæ lucis ſplendor prædicatione Apoſtolorum mundo illuxit.

Thomiſtę contradicunt D. Thomæ.

Cæterum videtur Thomiſtæ in hac graduum iuris naturalis aſſignatione ipſi D. Thomæ contradicere, collocantes illa duo præcepta primæ tabulæ. Non habebis Deos alienos coram me; non aſſumes nomen Dei in vanum, &c. in 3. gradu; Nam ad ſecundum gradum pertinent iuxta D. Thomam, quæ ex principijs per ſe notis deducuntur in conſequentia facili, & neceſſaria, ſed ex illis principijs Deus eſt vnus, & ſuper omnia diligendus, ac colendus: ſequuntur apertè, & neceſſario iſta duo præcepta primæ tabulæ, quia ſi vnus, & ſuper omnia colendus; ergo nulla afficiendus iniuria; afficitur autem quam maxime, ſi alius quam ipſe habeatur pro Deo, aut nomen eius aſſumatur in vanum, vel afferatur ad confirmandum mendaciũ, vt optime argumentatur Scotus in hac quæſt. ſub litt. C. §. De præceptis autem primæ tabulæ, &c.

Quod autem ſit per ſe notum lumine naturali Deum eſſe colendum, & glorificandũ, conſtat ex D. Paulo Rom. 1. Qui propter ea facit inexcuſabiles illos veteres Philoſophos, quia cum Deum vel ſolo lumine naturali cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt. Quo etiam lumine compertiſſimum eſt cuiuis homini, dilectioni, & gloriæ Dei valde repugnare iniuriam, & contumeliam, maximãque Deo inferri ſi diuini honores alteri tribuantur, aut ſanctiſſimum eius nomen in vanum, vel cum mendacio aſſumatur.

Cicero.

Nec habet vim ratio illa, omnes fere gentes peccaſſe contra illa præcepta innumeris Idolorum cultibus: non enim errarunt ex ignorantia illius principij, ex quo iſta præcepta deducuntur, nempè Deus eſt ſummè diligẽdus, & colendus, fuit enim hoc omnibus perſpicuum; vt docet Cicero ſecundo de natura Deorum; neque ex defectu luminis naturalis ad inferenda illa præcepta ex huiuſmodi principio: ſed quia propter alia peccata, quæ committebant contra ius naturale, iuſto Dei iudicio, vt docet idem D. Paulus, permiſſi ſunt adeo errare circa Dei cultum, & tantas pati Idololatriæ tenebras.

Scotus.

Scotus autem in hac quæſt. loco ſupra relato ait, ius naturale eſſe in duplici differentia, in primo gradu ſunt principia practica per ſe nota omnibus, & concluſiones, quæ ex illis neceſſario inferuntur, vt ſummum bonũ eſt ſummè diligendum, omne malum eſt fugiendum, quæ ſunt principia practica nota ex terminis, & Deus eſt colendus, Deus eſt adorandus, &c. quæ ſunt concluſiones, & iſta dicuntur eſſe de iure naturæ ſtrictiſſimè, & in hoc gradu differt Scotus à Diuo Thoma, cum ille hæc duo præcepta conſtituat in tertio gradu, Scotus verò in primo, & ſupremo.

In ſecundo aũt gradu ſunt, quæ ſequũtur ex principijs practicis per ſe notis, nõ quaſi in conſequẽtia omnino, & ſimpliciter neceſſaria, ſed vt maxime conſona illis principijs, vt dominia eſſe diuiſa pro ſtatu naturæ lapſæ ad pacifice conuiuendum in politia, eſt conſonum primo principio naturali: hanc eamdem diſtinctionem habet Doct. in 4. diſt. 17. quæſt. 1. & diſt. 26. quæſt. 1.

Gradus in propoſitionibus ſpeculabilibus, & practicis.

Pro cuius ampliori intelligentia obſeruandũ eſt, quod gradus in propoſitionibus practicis accipiuntur penes gradus in propoſitionibus ſpeculatiuis, qui ponuntur primo Poſt. In primo gradu propoſitionum ſpeculabilium ſunt propoſitiones neceſſariæ immediatè, & per ſe notæ, vt de quolibet vera affirmatio, vel negatio; Non contingit idem de eodem ſimul affirmari, & negari, &c. In ſecũdo gradu eſt cõcluſio neceſſaria deducta ex illis principijs, vt homo eſt vel non eſt; homo eſt viſibilis, &c. In tertio gradu ſunt communes animi conceptiones, quæ ſunt tamen contingentes, & non neceſſariæ, quin per ſpeciale miraculũ poſſit oppoſitum eſſe, vt omnis ignis eſt calidus, motus eſt, omne molle frangitur ad durius, quæ ſunt propoſitiones in mente quieſcentes, vt patet in 1. diſt. 3. quæſt. 4.

Ita in propoſito lex naturalis practica tres gradus propoſitionum practicarum habet. In quorũ primo ſunt propoſitiones, quæ ex cognitione tantum terminorũ ſunt notæ per ſe, & immediatè, vt quod nõ ſunt habendi Dij alieni, quod vnicus ſit Deus adorandus, &c. In ſecũdo gradu ponuntur cõcluſiones, quæ neceſſario deducũtur, & euidenter ex illis principijs, vt ſi Deus eſt adorandus, ergo neceſſario ſequitur, quod ſit adorandus latria, tanquã ſupremus Dominus. In tertio gradu dicũtur eſſe propoſitiones illæ practicæ, quæ conſentaneæ ſunt principijs, & concluſionibus legis naturæ, in tantũ, quod ſtatim notũ eſt omnibus, illas conuenire tali legi, quæ tamẽ propoſitiones non ſunt adeo neceſſariæ, neque ex illis principijs ita neceſſario ſequentes, quin per ſpecialem Dei diſpenſationẽ poſſit aliter fieri. Propoſitiones primi, & ſecũdi gradus ſunt de lege naturę ſtrictiſſimè, ſed propoſitiones tertij gradus ſunt de lege naturæ lаſe. Ita docet Scotus in hac quæſt. & in 4. d. 17. q. 1. ſub litt. A. §. Illud autẽ, vbi ita ſcribit. Illud autem eſt verũ de iure naturali, cuius veritas eſt nota ex terminis, & tale eſt principium in lege naturę. Sicut & in ſpeculabilibus principium notum eſt ex terminis; ſiue quod ſequitur euidenter ex tali vero ſic noto, cuiuſmodi eſt concluſio practica demonſtrata, & ſtrictè loquendo nihil aliud eſt de lege naturæ niſi principiũ, vel cõcluſio demonſtrata. Sic tamen extendendo, quãdoque dicitur illud eſſe de lege naturæ, quod eſt verum practicum conſonũ principijs, & concluſionibus legis naturæ, in tantum quod ſtatim notũ eſt omnibus illud conuenire tali legi. Hęc Scot.

Scotus.

Secun-

Digitized by Google

Secundo obſeruandum eſt, quod præcepta primæ tabulæ ſunt tria, vt vidimus ſupra, In hoc autem art. loquimur tantum de primis duobus. His obſeruatis reſpondetur ad quæſitum vnica concluſione. Duo præcepta negatiua primæ tabulæ, nimirum Non habebis Deos alienos, & Non aſſumes nomen Dei tui in vanum, ſunt de lege naturæ, accipiendo legem naturæ propriè, & ſtrictè. Probatur concluſio. hæc duo præcepta ſunt in primo gradu iuris naturalis; ergo ſunt de lege naturæ propriè, & ſtrictè accipiendo legem naturæ. conſequentia patet ex dictis, & antecedens probatur.

Cōcluſio.

Ad primum gradum pertinent propoſitiones per ſe notæ, & quæ ex illis neceſſario manifeſta, & euidenti conſequentia deducuntur, ſed hæ propoſitiones, Non habebis Deos alienos, & Non aſſumes nomen Dei in vanum, ſequuntur neceſſario ex principijs practicis per ſe notis, ergo, &c. pertinent hæc duo præcepta ad primum gradum iuris naturalis. Maior patet, & minor probatur. Nam hæ propoſitiones Deus eſt, Deus eſt ſummum bonum ſuper omnia diligendum, & colendum, ſunt per ſe notæ lumine naturali, ex quibus ſequuntur in bona, facili, & cuiuis euidenti conſequentia illa duo præcepta primæ tabulæ: Nam neceſſario, & manifeſte ſequitur, Deus eſt ſummè bonus, & ſuper omnia amandus, & colendus, ergo cultus ipſius nulli alteri, quam ipſi ſoli eſt deferēdus, ergo non habebis Deos alienos. Similiter Deus eſt ſummè colendus, ergo cauendum diligenter ne aliqua afficiatur irreuerentia, afficitur autem, quando benedictum nomen ipſius aſſumitur in vanum; ergo non eſt eius nomen aſſumendum in vanum.

Vel ſic probatur concluſio. Hæc duo præcepta negatiua ſunt principia practica ex terminis euidentia, aut concluſiones ex eis neceſſario, & euidenter conſequentes, ergo ſunt de lege naturæ ſtrictè. conſequentia patet, & antecedens probatur: Nam ſuppoſito quod ſit naturaliter notum vnum tantum eſſe Deum, vt probat Philoſ. 12. Meta. ſequitur neceſſario alienum Deum non eſſe habendum, vt patet ſic arguendo: Nihil quod non eſt Deus eſt colendum, tanquam Deus: ſed Deus alienus nō eſt Deus: quia vnus tantum eſt Deus; ergo Deus alienus nō eſt colendus, & habendus tanquam Deus. Præmiſſæ ſunt naturaliter notæ, imò ex terminis notæ, & ſunt practicæ. ergo concluſio eſt naturaliter nota, & neceſſaria, & per conſequens eſt de lege naturæ propriè, & ſtrictè. Similiter iſta propoſitio, Deo non eſt facienda irreuerentia, eſto quod non ſit per ſe nota ex terminis, poteſt tamen deduci ex his quæ ſunt ex terminis per ſe nota, ſic arguendo. Illi cui ſumma debetur reuerentia, non eſt facienda irreuerentia, ſed Deo ſumma debetur reuerentia, quia ſummè bonus; ergo non eſt ei facienda irreuerentia. hæc concluſio ſic probata eſt Scoti in hac quæſt. ſub litt. C. §. De præceptis autem primæ tabulæ. Gabrielis diſt. 37 quæſt. 1. artic. 2. conclu. 2. & Almain eadem diſt. & eſt communis ſententia omnium Theologorum.

Ariſt.

Scotus.
Gabriel.
Almain.

Contra hanc concluſionem eſt tertium argumentum principale; lex naturæ obligauit in omni ſtatu, quia lex naturæ eſt immutabilis, & notum eſt in ea, quid ſit agendum vel non; ſed Decalogus non obligauit in omni ſtatu: quia non in ſtatu innocentiæ: quia eo ſtatu perdurante lex Decalogi non fuiſſet data, & antequam eſſet data non obligauit. ergo præcepta Decalogi non ſunt de lege naturæ, atque adeo nec duo prima præcepta.

Reſpondet Doctor ad hoc argumētum, & dicit, quod præcepta Decalogi in omni ſtatu ſeruabuntur, & ſeruari debent. In beatitudine quidem erit ſumma obſeruantia illorum affirmatiuorum, niſi fortè illius ſolius. Honora parentes: Non quod tunc ibi non ſit voluntas honorādi, ſed quia non erit neceſſitas impendendi actum huius præcepti, ſaltem prout honor ille extenditur ad ſuſtentationem neceſſariam, quia ibi nullus indigebit auxilio. In ſtatu autem innocentiæ, & ante legem ſcriptam tenebantur omnes ad iſta: quia erant ſcripta interius in corde, vel forte per aliquam doctrinam exteriorem datam à Deo, quam diſcebant parentes, & deriuabant in filios; Nec oportuit ea ſcribi in libro: quia potuerunt illa faciliter memoriæ commendare, vel retinere, quia populus illius temporis erat longioris vitæ, & fuit melioris conditionis in naturalibus, quam populus temporis poſterioris, quo tempore infirmitas populi requirebat legem dari, & ſcribi.

ARTICVLVS II.

Vtrum tertium Præceptum primæ tabulæ ſit de lege naturæ.

HAnc difficultatem mouet Scot. in hac quæſt. ſub litt. D. §. Tertium præceptum, quod eſt de Sabbato, &c. pro cuius explicatione obſeruandum eſt, quòd in hoc præcepto Sabbata ſanctifices tria includuntur, ſcilicet cultus diuinus; determinatio temporis ex parte illius cultus, quia in Sabbato: & prohibitio, id eſt, nō facies in eo opus ſeruile. atque adeo præceptū illud partim erat morale. ſ. exhibitio cultus latriæ ipſi Deo ſine pluri, & partim erat cæremoniale. ſ. exhibitio illius in die Sabbati actu exteriori. ſ. pſallendo, canendo, orando, vel meditando Deum, eratq; in eo præcepto aliquid quod erat partim morale, & partim cæremoniale. Nam tria ſunt in hoc præcepto, vt diximus. ſ. ſanctificatio, temporis aſſignatio, & obſeruatio. ſ. ceſſatio ab opere ſeruili. Sanctificatio conſiſtebat in cultu quo colebatur Deus, & hoc eſt pure morale. Temporis aſſignatio. ſ. ſeptima dies erat pure cæremoniale ſiue figurale. Vnde Exod. 31 dicitur. Videte vt Sabbatum meum cuſtodiatis: quia ſignū eſt inter me, & vos in generationibus veſtris, vbi dicit Gloſſa ſi vltra gloriantur Iudæi de Decalogi obſeruatione, apertè enim dicitur, quod eſt ſignum, ergo eſt figurale. Obſeruatio autē Sabbati partim eſt moralis, partim cæremonialis, quia ſi cōſideretur cauſa inſtitutionis, inuenietur, quod fuit inſtitutum ad ſignificandum quietem mentis, & pacē animarū; ſi vero cōſideretur ipſa res debita in obſeruantia operationis, ſic eſt morale: quia in aliquo genere virtutis moralis.

Tria includuntur in præcepto Sabbata sāctifices.

Gloſſa.

Secundo obſeruandum eſt, quod etiam modo, ſcilicet in lege Euangelica, hoc præceptum partim eſt morale, & partim cæremoniale, vt exhibitio Latriæ Deo ſine pluri indeterminate eſt morale; exhibere autem Deo huiuſmodi cultum in die Dominico eſt cæremoniale.

Tertio obſeruandum eſt, quod ſanctificare Sabbatum eſt diſtinctum preceptum, ab hoc alio præcepto, Opus ſeruile non facietis in eo, quamuis hoc negatiuum includatur virtualiter in affirmatiuo, eodem enim præcepto, quo præcipitur vnum, prohibetur etiā omne impedimentum, quòd illius executionem prohibet, atque adeo cum opus ſeruile maxime impediat animi in Deū recollectionem, quæ præcipitur per illud, Sabbata ſanctifices, etiam prohibetur illud Non facies opus ſeruile; Nam actus ille non prohibetur, niſi quia impediens, vel retrahens a cultu, qui affirmatiuo mandato præcipitur.

Tertium præceptū.

His obſeruatis difficultas in hoc artic. eſt. An exhibere Deo latriæ cultum, qui hoc tertio mādato præcipitur pro aliquo determinato tempore indeterminate tamen, ſit de lege naturæ ſtrictè, & videtur quod ſic. Quia ſi non eſt de lege naturæ ſtrictè, igitur abſolutè poſſet Deus diſpenſare, quod homo toto tempore vitæ ſuæ nullum haberet actum bonum, ſeu bonum motum circa Deū, quod non videtur probabile: quia ſine vllo bono velle vltimi finis non poteſt aliquis ſimpliciter habere bonum velle circa ea, quæ ſunt ad finem; atque ita nunquam teneretur ad bonum velle ſimpliciter; antecedens probatur: quia eadem ratione non ſequitur ex lege naturæ ſtrictè, quod nunc Deo cultus ſit exhibendus; pari ratione nec tunc; atque ita conſimiliter de quolibet tempore determinato, ac proinde preſſe loquendo, non videtur quomodo poſſit concludi, quod aliquis teneatur tunc, vel nunc Deo cultum exhibere, & pari ratione nec aliquando indiſtinctè, quia ad nullum actum tenetur aliquis pro aliquo tempore indeterminato, ad quem non tenetur pro aliquo tempore ſignato, aliquibus opportunitatibus occurrentibus.

Circa hanc difficultatem D. Thom. non patitur anguſtias, quia ipſe tenet hominem, quam primum peruenerit ad vſum rationis, vt Deum cognoſcat, teneri illico elicere actum dilectionis in Deum de lege naturæ. Verum quia Scotus hoc non approbat poſſet dici, vt dicunt ali-

D. Thom.

qui, quod Scotus admittit, quod ſuperiori ratione infertur, ſcilicet quod lege naturæ non tenetur homo Deum diligere pro aliquo determinato tempore. ita vt Scotus (vt dicunt iſti) admittit omnia illata per illam rationem.

Cæterum me iudice Scotus magis oppoſitum ſentit; quia ſoluit argumentum ſophiſticum alterius ſententiæ, dicens quod cõmittitur fallacia figuræ dictionis arguendo à pluribus determinatis, ad vnam determinatam, vt ſi argueretur, Hoc caput non habet Petrus, & idem caput non habet Ioan. & idem caput non habet Franciſcus, & ſic de ſingulis, ergo nullum caput habet omnis homo, ergo per conuerſionem ſimplicem nullus homo habet caput, nego vltimam conſequentiam. Ita in propoſito pro iſto tempore non teneor diligere Deum, nec pro iſto tempore, nec pro iſto, ergo pro nullo, concedo determinate; ergo pro nullo ſimpliciter, nego.

Poſſet etiam aliter reſponderi; nimirum, quod hæc propoſitio eſt falſa, ſcilicet pro iſto tempore teneor Deum diligere: quia ly teneor ſupponit pro tempore determinato determinate; Sed contra eſto, quòd Deus præcipiat Petro, vt Deum diligat pro aliquo tempore indeterminato in hora decima; non præſcribendo ei mandatum pro aliqua parte illius horæ in inſtanti terminatiuo horæ decimæ ſi non dilexerit Deum peccat mortaliter. Quæro qua parte horæ peccauit: non pro prima parte, quia non tenebatur, & eadem ratione nec pro ſecunda nec pro tertia, &c. ergo nunquam peccauit: quia non tenebatur pro aliqua parte determinata horæ diligere Deum, & tamẽ peccauit: quia contrafecit Dei præcepto: ergo in eadem hora peccauit, & non peccauit

Aliqui reſpondent, & dicunt, quod tale præceptum eſſet irrationabile, atque adeo caſus non eſt admittendus; verum hæc reſponſio eſt nimis dura. Nam Deus præcipit ſe diligi in die Dominica, & tamen non preſcripſit horam, nec mane, nec meridiem, nec veſpere; ergo fuiſſet iuxta hanc reſponſionem præceptũ illud irrationabile, quod non videtur dicendum.

Iacobus Almain hac diſt. quæſt. 1. Reſpondet, quòd quandocunque obligatio cadit ſuper aliquam partem, in ordine ad omnem partem diſiuncti, nulla omiſſio partis eſt ſufficiens ad contrahendum peccatum, ſed omiſſio totius eſt ſufficiens, & hoc capiendo totum categorematice, & ideo bene conceditur, quod in toto illo tempore eſt omiſſio ſufficiens ad contrahendum peccatum non pro tunc, ſed pro illo inſtanti in quo auſertur gratia, & non eſt ſufficiens ad contrahendum peccatũ pro toto illo tempore vult dicere Almain, quòd Petrus, Verbi gratia, tenetur diligere Deũ pro tota hora categorematice, ſed non ſyncategorematice, id eſt, pro qualibet determinata parte horæ. Contra, ergo pro tota hora categorematice erit in peccato, & in gratia; in gratia quidem, quia non tenetur niſi indeterminate: in peccato verò: quia per te peccat in illa tota hora: nam dicit, quòd in toto illo tempore eſt omiſſio ſufficiens ad contrahendum peccatum.

Ideo dicunt alij, quod non tenetur pro primis duabus partibus horæ, ſed pro tertia parte: quia tunc vero ſimilius eſt, quod tunc magis ſtimuletur, & ſollicitetur à propria conſcientia circa partem terminatiuam horæ ad diligendum Deum, quam circa partes initiatiuas, & tunc ſi tranſeat hora non peccat: quia omiſerit dilectionem Dei, ſed quia ſe expoſuit periculo, & qui amat periculum peribit in illo. Contra illa tertia pars terminatiua horæ diuiſibilis eſt, ponamus in tres partes, percunctor in qua parte tenetur Petrus diligere Deum, nõ pro prima parte, nec pro ſecunda, neque pro tertia, quia alias teneretur diligere Deum pro determinato tempore, & determinate. Reſpondent ſicut prius, quod tenetur circa partem terminatiuam, & maxime quando ſollicitatur à conſcientia.

Poſſet etiam alio modo reſponderi, quod debitum diligendi Deum poteſt dupliciter intelligi, vno modo vt debitum congruitatis; atque ita eſt neceſſarium, & eſt præceptum congruitatis, & legis naturæ: quia habet obligationem neceſſitatis ab intellectu diuino. Nam vt docet Scotus in prologo primi Sent. queſt. 4. notitia Dei ſimplex eſt virtualiter practica, id eſt, notitia ſimplex, qua Deus ſe cognoſcit eſt practica virtualiter: quia eſt de obiecto practicabili, id eſt, circa quod poteſt eſſe praxis, atque adeo oportet ſi debet continere in ſe virtualiter veritates neceſſarias de ſe dicibiles, quod illæ neceſſario ſint in eo, & ita hoc præceptum Deus eſt diligendus, vt dicit neceſſitatem congruitatis, eſt de lege naturæ, & neceſſarium ex obiecto; & per rationem Deitatis po. eſt cõcludi neceſſitas iſta congruitatis, ita arguendo: quia Deus eſt Deus, & ſummum bonum, ideo congruum eſt vt diligatur.

Vel poteſt dicere debitum neceſſitatis abſolute, atque ita non eſt de lege naturæ ſtrictè, quia ſic diligere Deum, id eſt, pro aliquo determinato tempore, eſt vnum contingens dependens nõ ab intellectu diuino, ſed à diuina voluntate. Vnde obſerua, quod aliud eſt dicere abſolute Deus eſt colendus, & amandus, & aliud eſt dicere Deus eſt diligendus à creatura, Deus eſt diligendus à Petro, Deus eſt diligendus pro aliquo tempore. Nam prior propoſitio eſt neceſſaria, & eſt de lege naturæ ſtrictè capta: quia Deus neceſſario eſt diligendus ab ipſomet Deo, & quia Deus eſt Deus ideo eſt diligendus, & habet rectitudinem ex obiecto, & de hoc non facit difficultatem Scotus, ſed de iſta, Deus eſt diligendus in aliquo tempore, quæ eſt contingens, & non per ſe nota; atque ita poteſt dici, quod non eſt de lege naturæ ſtrictè.

Poſſet iterum dici, & concedi ſimpliciter, quod eſt de lege naturæ ſtrictè diligere Deum pro aliquo tempore determinato indeterminate tamen; quod mihi quidẽ probabilius videtur. Etſi arguatur, Deus poſſet creare vnum hominem in puris naturalibus, & illum in eo ſtatu perpetuo conſeruare; quo dato homo ille nunquam teneretur diligere Deum, ergo diligere Deum pro aliquo determinato tempore non eſt de lege naturæ ſtrictè loquẽdo; conſequentia patet, & antecedens probatur, quia da oppoſitum, ergo teneretur ſe præparare ad habendam gratiam Dei, & per conſequens ad habẽdam gloriam: nam dilectio Dei ſuper omnia eſt diſpoſitio ad gratiã, & ſi eſt diſpoſitus habere gratiam, ergo habebit gloriã, atque adeo non erit in puris naturalibus, quod repugnat hypotheſi.

Reſpondeo, aliquem teneri diligere Deum poteſt biſariam intelligi, vno modo quod diligat Deum in ſe ſub ratione boni honeſti, & ſic dilectio Dei eſt neceſſaria ex obiecto, & eſt de lege naturæ, quia talis dilectio eſt actus intrinſece bonus, & neceſſario conformis iudicio recto, & de hac dilectione ex obiecto neceſſario intelligo, cum dico, quod diligere Deum pro aliquo determinato tempore indeterminate, eſt de lege naturæ ſtrictè. & ideo argumentum non concludit, quòd homo ille in puris naturalibus conſtitutus teneretur ad habendam gratiam, & gloriam: quia tantum teneretur diligere Deum in ſe, quatenus habet rationẽ boni honeſti, nec poſſet abſolui ab hoc præcepto. Et quando arguitur, quod non teneor in hoc determinato tempore, nec in iſto, nec in iſto, ergo in nullo, nego conſequentiam: quia tu arguis à pluribus determinatis ad vnam determinatam, vt diximus ſupra.

Et ſi quæras, a quo determinetur tempus huius dilectionis; non à Deo, nec à natura, neque à lege dico, quod ſicut præcepta affirmatiua, vt de ſubueniendo pauperi, non determinatur à lege, ſed tantum à neceſſitate immergente, vt quãdo iudico proximum ex me egere teneor illi ſubuenire, ita diligere Deum pro lege naturæ determinatur ab occurrente opportunitate dilectionis ipſius Dei, & ita illa opportunitas erit, quando aliquis actualiter cogitat de Deo; Nam tunc tenetur ſibi cõplacere in Deo, quod eſt idem, quod Deũ diligere, vt docet Scot. in 4. d. 49. q. 5. concluſione a. vide Nauar. in Manu. c. 11. nu. 7 & deinceps.

Alio modo poteſt intelligi aliquem diligere Deum, ſcilicet nõ ſolum, vt bonum honeſtum, & in ſe, ſed etiam vt bonum attingẽdum interdum per operationẽ perfectam beatitudinis, & hoc modo nõ eſt neceſſarium ex obiecto, neque de lege naturæ, vt talis ſic conſtitutus in puris naturalibus teneatur habere huiuſmodi dilectionem Dei.

Ex his ergo reſpondetur ad hũc art. his concluſionibus.

Prima Cõcluſio. Exhibitio cultus latriæ ſine pluri, quę in 1. Concl.
hoc precepto mandatur, & eſt quid morale, eſt de lege naturæ ſtrictè.

Secunda Concluſio. Cultus exhibendus actu exteriori,
pro determinato tẽpore, & determinate, Verbi gratia, in 2. Concl.
die Sabbati quo ad legem veterẽ; vel in die Dominica in lege Euangelica, non eſt de lege naturæ ſtrictè, ſed pro tũc

etat

Digitized by Google

erat præceptũ poſitiuũ legis Moſaicæ, & nunc eſt præceptum poſitiuum Eccleſiæ. probatur: quia ſi cultus Deo exhibendus, qui præcipitur hoc præcepto eſſet de lege naturæ ſtricte quo ad tempus determinatum, ſcilicet pro ſeptima die, non potuiſſet commutari dies Sabbati in diẽ Dominicam; quia quæ ſunt de lege naturæ ſtrictè ſunt immutabilia, & penitus indiſpenſabilia.

3. Concl. Tertia Concluſio. Præceptum de ſanctificatione Sabbati, quo ad prohibitionem operis ſeruilis, non eſt de lege naturæ ſtricte. probatur. Tum quia in hoc Deus interdũ diſpenſauit, vt patet in Exodo. Tũ quia opera ſeruilia nõ prohibentur in illo die niſi per accidens, quatenus ſcilicet
Scotus. retrahunt hominẽ à cultu diuino, vt docet hic Scotus. Sed ſtat, quod eſſe poſſit diuinus cultus ſimul cũ opere ſeruili, ergo &c. Iſtas concluſiones apertiſſime ponit Scotus.

Quarta Concluſio. Iſtud præceptum Sabbata ſancti-
4. Concl. fices quantum ad cultum, quem tenemur exhibere Deo pro aliquo tempore determinato indeterminate, eſt de lege naturæ ſtricte. hanc exiſtimo eſſe de mente Scoti, &
Almay. eam apertiſſime docet Almaynus loco ſupra citato. Et probatur, quia iſtud præceptum quo ad cultum quem dicit eadem neceſſitate concludimus, qua concludimus præceptum de non habendo Deos alienos; ergo eſt in conſimili gradu iuris naturalis, probatur antecedens: Nam eodem præcepto quo præcipitur mihi aliquod negatiuũ, ſimul etiam præcipitur, quod tenear habere aliquando actum poſitiuum oppoſitum illi negatiuo: quia negatiuum includit poſitiuum, & è contra. Per iſtud namq; præceptum non mœchaberis, non præcipitur mere negatiue habere ſemper non velle mœchari, vel quod non adhæream tentationi mœchandi, vel quod non mœcher. ſed etiam teneor ſub pœna peccati mortalis habere actum poſitiuum contrarium, ſcilicet nolo mœchari, non dico ſemper, ſed aliquando, ſcilicet quotieſcunque impellor ad mœchari per tentationis impulſum, atque ita ex iſto negatiuo nõ habebis Deos alienos, in quo prohibetur cultus falſis Dijs exhibendus, concluditur Deum eſſe colendum, & diligendum, quando ſcilicet aliquis per tentationis impulſum moueretur ad non adorandum Deum.

ARTICVLVS III.

Vtrum præcepta ſecundæ tabulæ ſint de lege naturæ.

D. Thom. SVppoſita diſtinctione de gradibus iuris naturæ, de hac re eſt controuerſia inter Scotum, & D. Thomã; Nam hic tenet omnia præcepta Decalogi eſſe de lege naturæ preſſe, & ſtricte accipiendo ius naturæ, ille vero ſolum præcepta primæ tabulæ ſic eſſe de lege naturæ affirmat, ſecundæ vero tabulæ præcepta eſſe tantum de lege naturæ fuſe, & communiter.

Fundamentum D. Thomæ eſt, quia præcepta tam primæ quam ſecundæ tabulæ neceſſario deducuntur ex principijs practicis per ſe notis. Vnde obſeruan. eſt tres eſſe gradus inter præcepta, quæ ſunt de lege naturæ. In primo gradu ſunt illa præcepta, quæ facili, & breuiſſimo tempore, & ſine multo diſcurſu colliguntur ex primis principijs practicis naturæ, & huiuſmodi ſunt omnia præcepta ſecundæ tabulæ, quorum bonitas facili negocio poteſt ab vnoquoque colligi ex principijs naturæ moralibus, ex hoc enim principio, Quod tibi non uis alteri ne facias poteſt colligi, quod parentes ſunt honorandi, & furta non ſunt facienda &c. In ſecundo gradu ſunt alia præcepta, quæ non ita facile poſſunt colligi ex illis principijs, ſunt tamen conformia rectæ rationi, qualia ſunt cætera præcepta moralia, quæ habentur extra Decalogum. In tertio gradu ſunt præcepta quædam de lege naturæ, quæ ratio naturalis ſuis viribus attingere non poteſt niſi adiuuetur diuina illuſtratione; & talia ſunt præcepta primæ tabulæ. Hoc notato dicit hæc opinio, quod præcepta moralia, quæ ſunt extra Decalogum, nõ ſunt de iure naturę. omnia tamẽ præcepta Decalogi tam primæ quam ſecundæ tabulæ ſunt preſſe de lege naturæ.

Nam lex naturæ eſt lex deſcendens ex primis principijs notis in agibilibus, & talia ſunt quædam principia practica nota ex terminis, quæ ſunt quædam ſeminaria, ad quorum veritatem ex ipſis terminis cognitam intellectus naturaliter inclinatur: Quoniam ſicut in ſpeculabilibus principia ex terminis cognoſcuntur, vt de quolibet eſt vera affirmatio, vel negatio; & omne totum eſt maius ſua parte.

Ita in agibilibus, & practicis ſunt quædam principia per ſe nota ex terminis, vt omnis ſeditioſus eſt exterminandus, & ſummum bonum eſt ſumme diligendum, ex quibus principijs practicis pullulat lex naturæ; & ad illi dictamini aſſentiendum voluntas naturaliter inclinatur ex talibus principijs; Nam dictameo intellectus eſt notitia concluſionis ex primis principijs practicis deductæ.

In propoſito quæcunque ſunt in Decalogo, ſunt talia, vel immediate, vel mediate: quia aliqua ſunt prima principia practica, & alia ex illis deducta: Nam omnia, quæ ibi præcipiuntur habent bonitatem formalem, quæ ſecundum ſe ordinata eſt ad vltimum finem, vt per illa homo conuertatur ad illum finem, & conſequatur ipſum: adeo vt præcepta affirmatiua: quia ſunt bona, ideo præcepta, vt præceptum eſt colere Deum; quia Deum colere eſt de ſe bonum, & formaliter; & non tantum de lege, id eſt, non ideo bonum, quia præceptum, ſed ideo præceptum quia bonum, ſic etiam honorare parentes. Similiter omnia, quæ in Decalogo prohibentur habent malitiam formalem auertentem ab vltimo fine: adeo vt ibi prohibita, ſunt mala, non tamen quia prohibita, ſed ideo prohibita, quia mala; vt occidere eſt prohibitum: quia eſt de ſe malum, ſimiliter fornicari &c. Et quia præcepta affirmatiua ſunt de ſe bona ideo natura dictat eſſe proſequenda, & quia negatiua de ſe malitiam habent inuolutam, ideo natura dictat eſſe fugienda.

Ex his arguitur pro ſententia D. Thomæ. Illa præcepta ſunt de lege naturæ, quæ ſunt vel prima principia practica, vel deducibilia neceſſario ex primis principijs practicis, ſed omnia præcepta ſecundæ tabulæ ſunt huiuſmodi, ergo omnia præcepta ſecundæ tabulæ ſunt de lege naturæ.

Oppoſitam ſententiam docet Doct. in hac quæſt. ſub littera C. §. Ad quæſt. igitur, vbi ponit hanc concluſionẽ. Præcepta ſecundæ tabulæ non ſunt de lege naturæ ſtricte loquendo. Probatur. Præcepta ſecundæ tabulæ non ſunt primæ veritates neceſſariæ practicæ, neque concluſiones neceſſario, & euidenter ex illis deductæ, ergo non ſunt de lege naturæ ſtricte loquendo. Conſequentia patet, & antecedens probatur dupliciter à Scoto, & prima probatio habetur ſub littera B. §. Præterea. Quæ ſunt vera ex terminis, ſiue quæ ſunt neceſſaria ex terminis, aut neceſſario deducibilia, ex talibus neceſſarijs præcedunt in veritate, id eſt, ſunt vera, antequam voluntas diuina ea uelit; ita vt non habent veritatem ex determinatione diuinæ voluntatis; vel ſaltem habent veritatem circunſcripto per impoſſibile omne velle. Ergo ſi præcepta Decalogi, & ea maxime, quæ ſunt ſecundæ tabulæ, vel propoſitiones practicæ, quæ poſſent formari ex eis haberent talem veritatem, verbi gratia, ſi hæc eſſet neceſſaria, Proximus non eſt occidendus, furtum non eſt faciendum; ita vt circunſcripto omni velle opus intellectum apprehendentem tales complexiones, eſſent ex ſe notæ, vel neceſſaria: Intellectus diuinus apprehendens eiuſmodi complexiones neceſſario apprehenderet illas, tamquam veras ex ſe; & tunc voluntas diuina, vel neceſſario illis apprehenſis concordaret, vel ipſa non eſſet recta, atque ita poneretur in Deo ſcientia practica, quod negatum eſt in primo, atque etiam eſſet dicendum, quod diuina voluntas neceſſario ſimpliciter determinaretur circa alia volibilia à ſe, cuius oppoſitum dictum eſt in primo, vbi oſtenſum eſt, quod voluntas diuina nihil ex ſe neceſſario vult, & in nihil aliud a ſe tendit niſi contingenter.

Pro intelligentia huius rationis obſeruan. eſt primo, quod de notitia practica ſunt duę opiniones. prima tenet quod tres conditiones neceſſario requiratur ad hoc, quod aliqua notitia ſit practica, prima quod ſit prior praxi, ſecunda, quod ſit conformatiua praxis, & tertia, quod reſpiciat potentiam aliunde regulabilem, id eſt, quæ non ſit ſumet regula, atque adeo ex ſe obliquari poſſit, & iſti — Duplex opinio de notitia practica.

dicunt,

dicunt, quod nulla notitia in intellectu diuino neque neceſſariorum, neque contingentium eſt practica: quia potentia cuius eſt praxis, ſcilicet volũtas diuina, non eſt aliũde regulabilis: quia eſt de ſe rectiſſima, & prima regula omnium. Secunda opinio tenet, quod tantum duæ conditiones ſunt neceſſariæ ad notitiam practicam, ſcilicet, quod ſit prior praxi; & quod ſit conſormatiua ſiue regulatiua praxis, modo ſit potentia cuius eſt praxis aliunde regulabilis, ſiue non, hoc enim nihil refert: quia poſterius non variat formalem rationem prioris, & hanc ſecundam opinionem ſequitur Scotus, vt patet in 1. diſt. 38. q. vnica ſub littera A.

Secundo obſeruan. eſt, quod Doct. in 1. quæſt. 4. Prologi non negat notitiam Dei reſpectu omnium obiectorum eſſe practicam, imo reſpectu neceſſariorum ponit eam eſſe practicam, pro quanto illorum notitia eſt neceſſaria, & neceſſario vera ante determinationem diuinæ voluntatis, atque adeo prior praxi, & quantum eſt ex ſe conſormatiua praxis. Sed bene negat ibi Doct. & diſt. 38. notitiam Dei reſpectu factibilium ad extra eſſe practicam; quia nulla notitia intellectus diuini circa obiectum creatum eſt determinate vera, vel falſa ante determinationem diuinæ voluntatis, nec rectitudinem, & veritatem habet ex obiecto creato, ſed à diuina voluntate, atque adeo ante omnem praxim, id eſt, ante omnem determinationem voluntatis diuinæ hæc notitia, puta diligendus eſt proximus, vel honorandi ſunt parentes, nõ eſt cõſormatiua praxis, nec prior praxi, & per cõſequẽs non eſt practica: & hoc eſt, qđ vult dicere Doct. in hac ratione: nam cum præcepta ſecundæ tabulæ ſint immediate circa creaturam, ſi eorum complexiones eſſent neceſſariæ, notitia reſpectu illorũ in intellectu diuino eſſet practica, quod negatum eſt in primo, ſcilicet notitiam Dei circa obiecta ſecundaria eſſe practicam. Conſequentia probatur: quia notitia neceſſariorum in intellectu diuino eſt prior quacunque praxi: quia complexiones neceſſariæ precedunt in veritate omnem actum voluntatis: nam veritatem habent non ex voluntatis diuinæ determinatione, ſed ex habitudine neceſſaria terminorum, & eſt conſormatiua praxis, quia dictat de praxi elicienda, vt patet de hac veritate, parentes honorandi ſunt; ergo eſt practica. Verum hoc conſequens eſt falſum, & abſurdum; ergo &c. Probatur aſſumptum: quia ex eo ſequeretur, vel quod diuina voluntas eſſet aliunde quam ex ſe ipſa regulabilis, vel quod poſſet obliquari, & eſſe non recta, vel quod neceſſario ab obiecto creato determinaretur, quæ omnia ſunt abſurda, & inconuenientia. Probatur conſequentia, & pono, quod intellectus diuinus dictet, quod parentes ſunt honorandi. Tunc quæro, vel diuina voluntas huic dictamini conſormabitur, vel non: ſi dicas quod ſic, ergo eſt regulabilis aliunde quam ex ſe ipſa; quia regulatur à dictamine recto circa ea, quæ ſunt ad extra; Si dicas, quod illi dictamini non ſe neceſſario conſormat, ergo erit non recta, vel poterit eſſe non recta, eſto, quod ſe non conſormet; & ſi dicas, quod neceſſario ſe illi conſormat, ergo determinatur ad volendum neceſſario ipſum dictatum; atque adeo determinatur ab alio à ſe quia illa veritates reſpiciunt aliquid ad extra; & voluntas non poteſt ſe non determinare ad illas, quia ſunt neceſſariæ per vos, & neceſſario veræ, quæ vt dixi ſunt abſurda. Sequitur ergo quod præcepta ſecundæ tabulæ non ſunt veritates per ſe notæ ex terminis, neque neceſſario deducibiles ex illis; atque adeo non ſunt de lege natura ſtricte loquendo.

Et ſi dicatur, voluntatem creatam neceſſario debere conſormare ſe iſtis, ad hoc, quod ſit recta, non tamen voluntatem diuinam oportet conſormiter velle iſtis veris: ſed quia conſormiter vult ideo ſunt vera. Hæc reſponſio (inquit Scotus) nulla eſt: quia negat concluſionem, & non reſpondet argumento, ratio enim probat oppoſitum: Nam intellectus diuinus prius apprehendit iſtos terminos, & poteſt apprehendere veritatem complexionis in eis; quam ſcilicet complexionem habet ex terminis, antequam voluntas ſua habeat aliquem actum circa ea; igitur in ſecundo ſigno naturæ, ſcilicet quando voluntas habet actum circa illa, oportet, quod neceſſario velit conſormiter illi dictamini; alias eſſet non recta, verbi gratia, In primo inſtanti naturæ præſententur intellectui diuino iſti termini, ſcilicet parentes, & honor, ſiue occiſio, & proximus; ſi huius prædicati, ſcilicet honor ad hoc ſubiectũ, ſcilicet parentes eſt neceſſaria habitudo atque connexio; ſicut inter iſtos terminos homo, & riſibile, ſtatim intellectus diuinus apprehendit veritatem huius complexionis, parentes ſunt honorandi; ſicut apprehendit complexionem huius homo eſt riſibilis ante omnem actum voluntatis diuinæ; ergo in ſecundo ſigno naturę, in quo voluntas habet actum circa eandem complexionem oportet, quod neceſſario velit cõformiter illi dictamini, alias eſſet non recta; quia illa notitia eſſet practica, vt probatum eſt ſupra: nam eſſet prior praxi, & conſormatiua praxis, quia ponis eam neceſſariam; quod non contingit de iſta homo eſt riſibilis: quia non eſt formaliter practica, ſed ſimpliciter ſpeculatiua.

Caietan. Et ex hoc patet nullam eſſe reſponſionem Caiet. 1. 2. q.
Ferdinand. 100. art. 8. & Ferdinandi Velloſilli lib. aduertentiarum Theologicarum in tomum 4. D. Auguſt. 3. quæſito, qua putant ſoluere hanc rationem Doctoris ſub. Dicunt enim Deum extra ſe aliquid velle ſtat dupliciter: vno modo, vt velit exiſtentiã illius rei, & hoc modo nihil neceſſario extra ſe vult: quia vniuerſa libere ſicut condidit ita ſuſtinet, ac ſeruat: alio modo, quod velit connexionem extremorum, & hoc pacto neceſſario fatendũ Philoſophis eſt, aliqua neceſſario velle, puta cuncta illa, quæ ſont perpetuæ veritatis, vt hominem eſſe animal rationale, & vti Auguſtinus ait, quatuor, & tria ſeptem; quæ etiam ſi mundus non fuiſſet, neque res extiterent, vera eſſent. Hoc ergo pacto non eſt occidendum, non eſt furandum, ſunt obiecta neceſſaria diuinæ voluntatis: quia perpetuæ veritatis; & ad horum rectitudinem, vel obliquitatem non inconuenit voluntatem diuinam, inquit Caiet. eſſe determinatã; & hoc oportet etiam ipſum Scotum, & omnes fater dicentes, dari aliqua præcepta per ſe bona, & prohibita per ſe mala, vt prima præcepta iuris naturæ, & prima præcepta Decalogi. Hæc, inquam, reſponſio nulla eſt; quia ſupponit præcepta ſecundæ tabulæ habere neceſſariam connexionem, cuius oppoſitum Scotus probat, & ad eius probationem nihil prorſus reſpondent, & quando dicit Caiet. quod ad rectitudinem, vel obliquitatem complexorum non inconuenit diuinam voluntatem eſſe determinatam; ſi intelligat vniuerſaliter reſpectu omnium cõplexorum falſum eſt, quia licet verum ſit reſpectu eorum, quæ ſunt ad intra, quæ ſunt ſimpliciter neceſſaria, reſpectu tamen contingentium, & factibilium ad extra eſt falſum, & inconueniens, quod diuina voluntas determinetur neceſſario ab intellectu diuino: quia tunc neceſſitaretur ad volendum dictatum; & quando dicit, quod idem habet concedere Scot. &c. Dico, quod vtique Scotus concedit, quod prima principia practica, & concluſiones neceſſario ex ipſis deducibiles, qualia ſunt præcepta primæ tabulæ, determinant ſuo modo voluntatem diuinam, vt velit ea neceſſario, quemadmodum ſunt iſtę veritates, Deus eſt diligendus, Deus non eſt afficiendus iniuria, Deus eſt ſumme colendus, quia ſunt neceſſariæ, & ſuam habent veritatem ante omnem actum diuinæ voluntatis, imo circumſcripto per impoſſibile omne velle voluntatis diuinæ adhuc huiuſmodi propoſitiones ſunt veræ, Deus eſt diligendus, Deus eſt ſumme colendus, Deo non eſt facienda iniuria; Quod non contingit de præceptis ſecundæ tabulæ, quæ cum reſpiciant creaturam, & res ad extra ſint contingentia, & nullam habeat neceſſariam connexionem niſi ex determinatione diuinæ voluntatis, quæ extra ſe nihil neceſſario vult, ſed contingenter.

Secundo probatur idem antecedens: præcepta ſecundæ tabulæ non dicunt bonitatem, quæ neceſſario requiratur ad finem, neque dicunt malitiam, quæ neceſſario auertat à fine; ergo non ſunt principia practica, neque concluſiones deductæ neceſſario ex illis: antecedens patet: nam quædam ſunt præcepta ſecundæ tabulæ præcipientia bonitatem, vt honora patrem tuum, & matrem tuam &c. Quædam prohibentia malitiam, vt non occides &c. Atqui præcepta affirmatiua non dicunt bonitatem, quæ neceſſario requiratur pro fine vltimo conſequendo; Tum quia termini eorum non habent inter ſe neceſſariã cõnexionem,

Digitized by Google

xionem, vt probatum eſt ſuperiori ratione; tum quia ſi bonum illud non eſſet præceptum, poſſet adhuc finis vltimus amari, & attingi; atque ita poſſet quis vltimum finem conſequi, eſto quod nunquam eliceret actum honorandi parentes. Pari modo præcepta negatiua non dicunt malitiam, quæ neceſſario auertat à fine; quia non ſunt ex ſe mala, ſed quia prohibita; atque adeo ſi illud malum non eſſet prohibitum non eſſet malum, & cum eo ſtaret conſequutio vltimi finis: non enim prohibitum quia malum; ſed ideo malum, quia prohibitum. Vnde ſi Abraham occidiſſet filium non male egiſſet ſtante præcepto illo de occidendo filium; atque ita ſicut occiſio Iſaac, non ideo præcepta, quia bona fuiſſet, ſed ideo bona quia præcepta: ita ex oppoſito occiſio hominis, non ideo prohibita, quia mala; ſed ideo mala quia prohibita.

Et ſi dicas, quotieſcunque tenetur aliquis conſequi finem aliquem, etiam neceſſario tenetur conſequi media ad illum finem, ſed homo neceſſario tenetur iure naturali ad habendum dilectionem Dei, ergo tenetur etiam habere media, quæ ſunt neceſſaria pro conſecutione finis iure naturali. Concedo, quando illa media ex natura rei ordinantur ad illum finem, cæterum obſeruatio mandatorum ſecundæ tabulæ non eſt neceſſaria ex natura rei pro vltimo fine conſequendo, ſed tantum quia ſic diuina voluntas determinauit: nam ſi iſta media non eſſent præcepta eſſent neceſſaria, rectitudo enim huius veritatis, Honora parentes, non conſurgit ex habitudine neceſſaria terminorum: ſed ex determinatione voluntatis diuinæ; atque ita de alijs præceptis ſecundæ tabulæ.

Caietanus, vbi ſupra reſpondens huic rationi dicit, ꝙ argumentum manifeſte peccat à bonitate, & malitia præ- *Caietan.* ceptorum in ſe ipſis, ad bonitatem, vel malitiam nobis neceſſatiam, quamuis etiam ſic non concludat intentum, Quod vt explicet, inquit, quod quemadmodum in ſpeculabilibus, primum principium, & concluſiones neceſſariæ ſic ſe habet, quod principij veritas non eget veritate concluſionis, ſed è conuerſo, & ad contradictoria concluſionum neceſſariarum ita ſe habet principium primum, quod cum ipſis non ſtat nec ſecundum ſe, nec quo ad nos, ſi nota eſt connexio ad inuicem. Ita in practicis moralibus, finis vltimus, & ea, quæ ſunt ſimpliciter neceſſaria ex illo, ſic ſe habent, vt finis bonitas non dependeat à bonitate aliorum nec in eſſe, nec in aman, ſed è cōuerſo, & ad oppoſita mala ſe habet vltimus finis ſic, vt tam bonitas, quam amor eius ab illis neceſſario diſcordet. Hoc notato dicit, quod cum arguit Scotus, quod in iſtis non eſt neceſſaria bonitas ad vltimum finem &c. Tripliciter intelligi poteſt, primo quod in iſtis non eſt bonitas neceſſaria connexionem habens cum vltimo fine, & ſimiliter malitia neceſſariam auerſionem habēs ab eodem, & ſic negatur aſſumptum: quia ſicut in concluſionibus neceſſarijs, eſt neceſſaria veritas neceſſario connexa primo principio, ita in iſtis eſt bonitas neceſſaria neceſſario connexa vltimo fini. Et ad probationem. Si iſta non eſſent præcepta poſſet amari, & attingi vltimus finis in eſſe, & amari ab iſtis, dicit, quod non probat contingentem connexionem; ex hoc enim quod principia prima ſunt vera, & ſcita abſque concluſionibus neceſſarijs non probatur, quod concluſiones non ſunt neceſſario connexæ principijs, & in ſe neceſſariæ, ſed quod nec veritas nec notitia principiorum pendet ex eis; ſic autem eſt in propoſito, vnde in dicto ſenſu nihil probatur: quoniam antecedens eſt falſum, & probatio non concludit aliud.

Secundo poteſt intelligi, quod in iſtis non eſt bonitas neceſſaria ad eſſe, vel amorem vltimi finis, & huiuſmodi ſenſus eſt verus, quia vltimus finis nec in eſſe, nec in amari dependet ab iſtorum bonitate, ſed è conuerſo, ſed ex hoc ſenſu non valet ſequela, ergo non ſunt concluſiones neceſſariæ, vt patet in ſpeculatiuis concluſionibus reſpectu principiorum primorum.

Tertio poteſt intelligi, quod in iſtis non eſt bonitas neceſſario conuertens ad vltimum finem, nec malitia neceſſario auertens ab illo, & in hoc ſenſu aſſumptum eſt falſum: quoniam ſicut in concluſionibus neceſſarijs eſt veritas neceſſario ducens à poſteriori in prima principia; ita in iſtis eſt bonitas neceſſario ducens in vltimum finem ex proportionatum. Et ad probationem: quia ſi non eſſent hæc præcepta, vel prohibita, nihilominus vltimus finis poſſet amari, & attingi. Dicit, quod eſt Sophiſma conſequentis: quoniam licet iſta ſint neceſſario conuertentia, vel auertentia; conuerſio tamen, vel auerſio, non dependet ab his ſolis, ſed aliunde eſſe poteſt, hæc enim vt dictū eſt à poſteriori conuertunt, vel auertunt, vt concluſiones reſpectu principiorum; & tamen cum his teneas, quod hæc ſunt adeo neceſſario connexa fini vltimo, vt ſaltem in præparatione animi conuerſio ad hæc bona, & auerſio ab his malis inſeparabilis ſit ab amore finis vltimi. Hactenus Caietanus.

Cæterum hæc reſponſio Caiet. non ſoluit rationem Scoti. Vnde obſeruan. eſt, quod illud principium Phil. *Refellitur* 2. Phy. t. c. 89. Sicut ſe habet principium in ſpeculabilibus *reſponſio* ita ſe habet finis in operabilibus, ſuper quod fundatur hæc *Caietani.* reſponſio Caiet. non continet omnimodam, & vniuerſalem ſimilitudinem; quia alias concluderet multa falſa, *Scotus.* vt docet Doct. in 1. d. 1. q. 4. ad 1. Hen. concluderet enim ꝙ ſicut aſſētimur neceſſario cōcluſioni propter principia, ſic neceſſario aſſentiremus illis, quæ ſunt ad finem propter finem, quod eſt falſum; & ideo eſt ſimilitudo quo ad duo. Primo quod ſicut in ſpeculabilibus omnes concluſiones demonſtrabiles ſumuntur à principijs ſpeculabilibus, ita in operabilibus omnes concluſiones practicæ ſumuntur à fine, & ſicut in ſpeculabilibus principia ſunt nota propter ſe, & concluſiones propter principia ita, in operabilibus finis eſt propter ſe notus, & ſimiliter omnia principia practica; & concluſiones practicæ ſunt notæ propter finem, ſecundo eſt ſimilitudo, vt iſta comparantur ad potentias, quod ſicut intellectus aſſentit principijs propter ſe, & concluſionibus propter principia, ita voluntas vult finem propter ſe, & ordinata ad finem propter finem, ſed non eſt ſimile quantum ad neceſſitatem, tum ex parte concluſionum, & mediorum ad finem, tum ex parte potentiarum, ita vt ſicut concluſiones, quæ ſequuntur ex principijs ſpeculabilibus, ſunt neceſſariæ; ita omnia media ordinata ad finem ſint neceſſaria pro fine conſequendo, niſi ſint media ex natura rei, & ſicut intellectus, qui eſt potentia naturalis neceſſario aſſentit cuicunque aſſentit, ita voluntas neceſſario velit, quidquid velit.

Secundo obſer. eſt, quod media pro aliquo fine conſequendo ſunt in duplici differentia, quædam ſunt media *Media ad* ex natura rei ſine quibus eſt ſimpliciter impoſſibile attin- *finem ſunt* gere finem, qualia ſunt præcepta primæ tabulæ, quædam *duplicia.* vero ſunt tantum media, quia ſic inſtituta, & ordinata ſunt pro tali fine conſequendo, ſine quibus tamen poſſet conſequi finis, atque adeo non ſunt ſimpliciter, & abſolute neceſſaria, ſed tantum ex ſuppoſitione, vtpote, quia ſic conſtituta, & ordinata ſunt: huius generis ſunt omnia præcepta ſecundæ tabulæ.

Tertio obſer. eſt, quod Caiet. in hac ſua reſponſione ſemper loquitur de medijs primi generis, & ſupponit præcepta ſecundæ tabulæ eſſe media ex natura rei, cuius oppoſitum probauit Doct. ſub. adeo vt Caiet. in hac reſponſiona negat præciſe concluſionem, & non reſpondet argumento; Quando ergo dicit, quod ſicut principium in ſpeculabilibus non ſtat cum contradictorijs concluſionum neceſſariarum; Ita bonitas finis in practicis, & moralibus neceſſario diſcordat ab oppoſitis malis eorum, quæ ſunt ad finem; dico quod verum eſt de medijs ex natura rei; ita vt bonitas finis non ſtet cum oppoſitis mediorum, quæ ex natura rei ordinantur ad finem, quia eiuſmodi oppoſita habent neceſſario inuolutam malitiam: nam odium Dei, cultus falſorum Deorum, & Dei irreuerentia, ſunt ex ſe formaliter mala; cæterum oppoſita mediorum ſecundi generis non habent neceſſario inuolutā malitiam, ſed ideo ſunt mala, quia prohibita. atque adeo concedo primum membrum ſuæ diſtinctionis. nempe, quod in præceptis ſecundæ tabulæ, non eſt bonitas neceſſaria connexionem habens cum vltimo fine, nec malitia neceſſariam auerſionem habens ab eodem, quod intelligo ex natura rei; & ad improbationem cum dicit, quod ſicut in concluſionibus neceſſarijs &c. *Dico*, quod verū eſt de medijs primi generis, de quibus etiam procedit reſpōſio ad probationem; præter quam quod ſi abſque iſtis medijs poteſt amari, & conſequi finis, non ſunt ergo hæc media neceſſaria pro finis conſecutione; quemadmodum

ſi priu-

Digitized by Google

ſi principia poſſunt cognoſci non cognitis concluſionibus non ſunt neceſſariæ concluſiones pro notitia principiorum.

Secundum membrum diſtinctionis Caiet. non facit ad propoſitum: quia non ita intelligit Scotus, ſed bene iuxta tertium membrum, & improbatio Caiet. procedit de medijs primi generis, neque in argumento Scoti eſt Sophiſma conſequentis, eſſet vtique ſi neceſſario ſimpliciter præcepta ſecundæ tabulæ conuerterēt ad vltimum finem, & ab eodem neceſſario auerterent, quod eſt dictum ex natura rei ſicut ſupponit Caiet. quod non eſt verum, ſed hoc tantum habent ex determinatione diuinæ voluntatis.

Scotus cõtra concluſionem.

Sed contra hanc concluſionem arguit Doct. in hac q. ſub littera E.§. Circa primum iſtorum arguo &c. Et probat quod præcepta ſecundæ tabulæ ſunt de lege naturæ ſtricte, & ratio eſt talis. Præcepta ſecundæ tabulæ ſunt concluſiones deductæ ex primis principijs neceſſarijs practicis, ergo ſunt de lege naturæ ſtricte loquendo; conſequentia patet, & antecedens probatur: ad dilectionem Dei ſequitur neceſſario dilectio proximi, & dilectionē proximi ſequūtur neceſſario præcepta ſecundæ tabulæ; ergo ſunt concluſiones neceſſariæ deductæ ex primis principijs practicis; atque adeo ſi præcepta primæ tabulæ ſunt ſtricte de lege naturæ: quia includuntur in primo præcepto primæ tabulæ, ſequitur quod præcepta ſecundæ tabulæ ſunt etiam ſtricte de lege naturæ: cum ſint concluſiones eiuſdem principij. Prima pars antecedentis, ſcilicet, quod ad dilectionem Dei ſequatur dilectio proximi, probatur ex dictis d. 28. vbi dupliciter probatum eſt, quod perfectus amor Dei nõ poteſt eſſe zelus appropriate loquendo: quia amor boni communis, vt appropriati, ſibi ſoli eſt inordinatus amor; & amor dolentis dilectum condiligi eſt imperfectus, ergo ſequitur, quod ſi Deus eſt perfecte, & ordinate diligendus, quod amans Deum debet velle proximum diligere Deum, & hoc volendo diligit proximum; Nam hoc modo ſolum diligitur proximus ex charitate, ſcilicet volendo proximum diligere Deum, vt dictum eſt ibi; ergo ad dilectionem Dei ſequitur neceſſario dilectio proximi: Nam non poteſt quis perfecte, & ordinate diligere Deum, niſi velit proximum diligere Deum, & per conſequens niſi diligat proximum: ſequitur ergo, Petrus diligit Deum, ergo diligit proximū. Secunda pars antecedentis probatur, ſcilicet, quod ad dilectionem proximi ſequantur neceſſario præcepta ſecundæ tabulæ. Quia ſecundum Apoſt. ad Rom. 13. Non mœchaberis, non occides &c. Et ſi quod eſt aliud præceptum in hoc verbo inſtauratur diliges proximum tuum ſicut te ipſum, ergo in iſto præcepto diliges proximum tuum includuntur neceſſario præcepta ſecundæ tabulæ, hoc enim videtur Apoſtolus ibi probare expreſſe. Vnde in fine concludit. Qui diligit proximum legem impleuit, & confirmatur authoritate Saluatoris Matth. 22. In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & Prophetæ.

Solutio argumenti.

Doct. ſub. huic argumento dat tres ſolutiones, prima, quod illud præceptum Diliges Dominum Deum tuum, ſi affirmatiue capiatur, non eſt ſimpliciter de lege naturæ; ſi vero negatiue exponatur, vt Deus eſt diligendus, id eſt, non odiendus, eſt de lege naturæ ſtricte loquendo. Adeo vt hoc præceptum Diliges Dominum Deum tuum poteſt dupliciter intelligi, vno modo poſitiue, actu elicito, alio modo negatiue, quatenus prohibet oppoſitum, ſcilicet non odiſſe; primo modo non eſt de lege naturæ ſtricte, ſed bene ſecundo modo: quia non odiſſe Deum, ſiue non facere Deo irreuerentiam eſt de lege naturæ ſtricte. An autem aliquando Deum diligere ſit de lege naturæ, dictum eſt in ſuperiori artic. In propoſito autem ex illa negatiua, ſcilicet Deus non eſt odiendus, non ſequitur iſta. Proximus eſt diligendus, id eſt, quod volendum ſit, proximum diligere Deum. Nam diligere proximum non eſt aliud, quam velle proximum diligere Deum. Nam licet ad hanc propoſitionem, Deus eſt diligendus, ſequatur iſta, ergo proximus eſt diligendus, ex iſta tamen, Deus non eſt odiendus, non ſequitur, ergo proximus eſt diligendus, & hæc ſecunda eſt de lege naturæ, de priori autem dubitatum eſt ſupra.

Secunda ſolutio eſt. Dato, quod illud præceptum affirmatiuum ſit de lege naturæ ſtricte, ſcilicet Deus eſt diligendus, vel diliges Dominum Deum tuum, tamen ex illo non ſequitur, ergo proximus eſt diligendus, vel quod velim proximum diligere Deum; & cum arguitur dilectio Dei eſt ſine Zelotypia; ergo ſi Deus eſt diligendus, proximus eſt diligendus, nego conſequentiam, quia diligens aliquod bonum commune, licet non debeat velle illud bonum eſſe vnius tantum, atque ita non amari ab alio: quia ſic eſſet amor inordinatus, & Zelotypus; tamen non tenetur velle actu poſitiuo bonum illud commune eſſe bonum alterius, verbi gratia. Ego diligo poſitiue, & actu elicito Deum, licet tenear velle Deum ne dum eſſe bonum mihi, ſed cuicunque, non tamen teneor actu poſitiuo velle, quod ſit bonum Petri, id eſt, non teneor actu poſitiuo velle, quod Petrus diligat Deum, ſed poſſum circa Petrum habere actum præciſe negatiuum. Sicut Deus prædeſtinans Petrum, & non Iudam, vult bonum eſſe prædeſtinati, id eſt, vult Petrum finaliter diligere Deum, & non Iudam: quia circa Iudam habet ſolum actum negatiuum; Ita ego diligens Deum, volo actu reflexo me diligere Deum, & ex hoc me ipſum diligo, & circa proximum poſſum habere actum negatiuum; ſcilicet non volendo poſitiue, neque nolendo poſitiue ipſum diligere Deum; Et ad illud, quod dicebatur, quod perfecte diligens Deum, vult dilectum condiligi, poteſt dici, quod verum eſt ab eo, ſcilicet cuius amicitia placet dilecto, atqui non eſt certum de lege naturæ de quocunque, quod eius dilectio ſit accepta Deo dilecto.

Tertia ſolutio eſt, quod dato, quod eſſet de lege naturæ ſtricte, proximus eſt diligendus, id eſt, volendum eſt proximum diligere Deum; tamen ad iſtam non ſequuntur neceſſario præcepta ſecundæ tabulæ, non ſequitur neceſſario volendum eſt proximum diligere Deum; ergo furtum non eſt committendum, ergo non eſt occidendum, ergo non eſt fornicandum &c. Nam hæc poſſunt ſimul ſtare, ſcilicet quod velim Petrum diligere Deum; & nolim ei vitam, quo ad bonum propriæ perſonæ, vel ſaltem non velim eum viuere, vt patet de Sancta Anaſtaſia, quę diligebat virum ſuū. i. volebat eum diligere Deū, & tamen oolebat eius vitam, vt dictum eſt ſupra diſt. 38. Vel quod velim adulterari, quo ad bonum perſonæ ſibi coniunctæ, vel quod velim furari bona ſua, quo ad bonum fortunæ, ſtat etiam ſimul quod ego diligam parentes meos, id eſt, quod velim eos diligere Deum, & habere vitam æternam, & tamen nolim eis exhibere honorem & vitæ ſuſtentationem; atque ita de alijs præceptis ſecundæ tabulæ. Quia poſſibile eſt me velle proximum diligere Deum, & tamen nolle, vel non velle vitam corporalem, vel ſeruare fidem coniugij, & ſic de alijs, & per conſequens poſſunt iſta duo ſtare ſimul, ſcilicet me velle proximum diligere Deum; ſicut ego debeo diligere Deū, vt quoddam verum neceſſarium concluſum ex principijs practicis, & me nolle proximo hoc bonum, vel illud cuius eſt expreſſiuum præceptum ſecundæ tabulæ; cum non ſit verum neceſſarium.

Et per hoc patet ad authoritatem D. Pauli, & Saluatoris. Nam poteſt dici, quod Deus nunc de facto explicauit dilectionē proximi vltra illud, quod includit, quatenus ſequitur ex principijs legis naturæ: ita vt licet vt concluditur ex principijs legis naturæ, non contineat niſi velle proximo ipſum diligere Deum in ſe, tamen vt explicatum eſt includit eſſe volendum bona illa; vel ſaltem eſſe non volendum proximo mala oppoſita, vt iniuſte auferre ei vitam corporalem, fidem coniugij, bona temporalia &c. Vult dicere Doct. quod hoc præceptum proximus eſt diligendus poteſt dupliciter conſiderari, vno modo, prout à Deo explicatum eſt; atque ita ſequitur neceſſario, proximus eſt diligendus; ergo non occides &c. Alio modo poteſt conſiderari, vt eſt à lege naturæ dictatum, & ſic non ſequitur neceſſario, proximus eſt diligendus, id eſt, volendum eſt proximum diligere Deum; ergo non occides, non mœchaberis &c. Verum eſt igitur, quod diligens proximum legem impleuit eo modo, ſcilicet quo lex explicata eſt debere ſeruari; licet non eo modo quo dilectio proximi concluditur ex primis principijs legis naturæ; & à ſimili tota lex quantum ad ſecundam

dam

dam tabulam, & Prophetæ pendent ex hoc præcepto, diliges proximum tuum ſicut te ipſum; intelligendo tale præceptum, non vt ſequitur ex primo principio practico legis naturæ, ſed vt legislator intendit debere illud ſeruari, prout explicatur in præceptis ſecundæ tabulæ.

Michael Salon contra Scotũ.

Cæterum contra hanc vltimam reſponſionem Doct. arguit tripliciter Michael Salon tomo primo de Iuſt. & iure q. 57. artic. 2. controuerſia 2. in 2. aſſertione, & primo ſupponit Chriſtum Dominum eodem omnino tenore verborum propoſuiſſe dilectionem Dei, & proximi; atque ita quemadmodum propoſuit dilectionem Dei ſimpliciter, & abſolute, ita profecto & proximi. Hoc ſuppoſito arguit primo ſic. Dilectio proximi quam connectit Chriſtus cum dilectione Dei, ita vt præceptum vnius ſequatur neceſſario ex præcepto alterius, eſt ſimplex, & abſoluta: Simplex autem & abſoluta dilectio non reſpicit quædam bona, & dimittit alia, ſed omnia quorum amicus ille eſt capax. Quis enim ſanæ mentis dicat me diligere proximũ, quẽ volo occidere, licet optẽ illum mori in gratia? ergo dilectio proximi, cuius præceptum ſequitur neceſſario ex dilectione Dei, omnia bona proximi reſpicit.

Secundo arguit 1. Ioan. 3. ex eo, quod non ſubueniatur proximo per bona temporalia, colligit Apoſtolus Ioannes defectum charitatis, & dilectionis Dei; Qui habuerit (inquit) ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuũ neceſſe habere, & non fuerint commota viſcera eius, quomodo charitas Dei eſt in illo? ergo apertiſſime iuxta hæc verba B. Ioannis, dilectio proximi, quia ſequitur ex dilectione Dei, non ſolum reſpicit bona ſpiritualia ipſius, verum etiam temporalia.

Tertio quando dicit Scotus ex dilectione Dei ſequi dilectionem proximi in hoc ſenſu, vt optemus Deũ diligi à proximo, percunctor (inquit) aut hoc optatur propter gloriam Dei, & bonum quoque ipſius proximi, aut propter ſolam gloriam Dei, vt Deus ab omnibus glorificetur: ſi dicat primum, iam igitur præter gloriam Dei optatur bonum proximo, vt bonum ipſius, & ita ex dilectione Dei ſequitur dilectio proximi, quo ad omnia bona ipſius: quia qui alicui diligit bonum aliquod ſicut bonum ipſius, quodcunque bonum ei conueniens diligat oportet, cum eadem ſit omnium ratio. Si vero dicat ſecundum, tali modo diligere reuera non eſt diligere proximũ, ſed ſolũ Deũ; patet: quia optare, vt proximus diligat Deum propter ſolam Dei gloriam nulla habita ratione boni, quod inde illi prouenit, huiuſmodi amoris ſolus Deus eſt obiectum formaliter, & proprie. Denique dilectio proximi in hoc conſiſtit, vt optemus illi euenire omne bonum ei conueniens, & nullum accidere malũ; ergo dilectio proximi, quæ ſequitur ex dilectione Dei, omnia bona proximi reſpicit. Conſimilem rationem facit contra Scotum Ferdinandus Velloſillus loco ſupra

Velloſil.

relato, & hi acceperunt ſuas rationes à Soto lib. 2. de iuſt. & iur. q. 3. art 8.

Salon contra concluſionem.

Præterea contra concluſionem principalem arguit Salon, vbi ſupra aſſertione tertia. Quemadmodum quicquid ſequitur neceſſario ex propoſitione de fide, eſt etiam de fide; ita quoque quod ſequitur neceſſario, & aperte ex principio per ſe noto lumine naturali, & neceſſario neceſſitate finis, eſt ſimiliter per ſe notum lumine naturali, & neceſſarium neceſſitate finis: Sed in hoc principium iuris naturalis, Quod tibi uis &c. Et quod tibi non uis &c. eſt omnibus per ſe notum, & neceſſarium abſolute, & ſimpliciter, ac neceſſitate finis citra omne præceptum poſitiuum, & ex iſto principio deducuntur aperte, & neceſſario præcepta ſecundæ tabulæ. Non occides. Non furtum facies &c. Ergo &c.

Præterea gentes ſine lege poſitiua ſeruant præcepta iſta ſecundæ tabulæ, vt ſeruent ius naturale, aliter contra illud grauiter peccaturi; Gẽtes autem quibus adhuc nulla lex poſitiua poſita erat, tantum tenebantur ad ea præſtanda, quæ ſimpliciter, & abſolute neceſſaria ſunt, ac neceſſitate finis; ergo &c. Et confirmatur. Ante omnem legem poſitiuam peccauit Cayn occidens Abel, peccabant cæteri, qui vel vita, vel bonis, vel honore expoliabãt fratres ſuos; non alio nomine, niſi quia violabant iſta præcepta iuris naturalis, Non occides, Non furaberis &c. Ceſſare autẽ ab omni peccato eſt abſolute neceſſarium ad ſalutem, non ſolum neceſſitate præcepti, verum etiam neceſſitate finis, ergo &c.

Præterea tertio. Quemadmodum homini conueniunt hæc duo, vt ſit conditus ad beatitudinem, & vt ſit pars huius Reipub. humanæ; ita habet duplicem finem ſibi propoſitum, alium ſupernaturalem obtinendum per gratiam nempe beatitudo æterna & alium naturalem, vt eſt homo, & pars Reipub. in quem inclinatur vel ſolo dictamine rectæ rationis, qui eſt pax, & tranquillitas Reipub. qui finis in illum vltimum ſupernaturalem ſicut & cætera omnia neceſſario quoque dirigitur. Vnde tenetur homo non ſolũ neceſſitate præcepti, verum etiam neceſſitate finis tam ad illa, quibus directe, & immediate indiget ad obtinendam beatitudinem, quam ad ea ſine quibus pax, & tranquillitas Reipub. haberi non poteſt. Sed præcepta ſecundæ tabulæ ſimpliciter, & omnino ſunt neceſſaria ad pacem, & tranquillitatem Reipub. ergo &c.

Soluũtur rõnes Salonis.

Pro ſolutione iſtarum rõnũ obſ. eſt, quod docuit ſupra Doct. ſub. ſcilicet, quod de præcepto dilectionis proximi poſſumus loqui dupliciter, vno modo prout à Deo explicatum eſt, quomodo à nobis in ſtatu naturæ lapſæ obſeruandum eſt; alio modo prout eſt à lege naturę dictatum, & quatenus etiam obſeruatum fuiſſet in ſtatu innocentiæ ſi Adam non peccaſſet: Nam certum eſt, quod ea, quæ ſunt de lege naturæ ſtricte pro quocunque ſtatu ſeruanda ſunt, vt docet Doct. in hac quæſt. in reſponſione ad tertium principale; & tamen in ſtatu innocentiæ ſi perduraſſet non fuiſſent præcepta ſecundæ tabulæ eo modo, quo nunc tradita ſunt: Non enim parentes indiguiſſent à filijs ſuſtentari; Nullum fuiſſet homicidium, nullum furtum, nulla fornicatio, nullum adulterium &c. Et tamen idem ius naturæ fuiſſet tunc, quod eſt modo cum ius naturæ ſit, quod lumine naturali intellectus noſtri nouimus eſſe faciendum, & ex natura rei ęquum eſt, & iuſtum, ſicque ius naturæ immutabile, atque inuariabile.

Hoc ſuppoſito ad primam rationem dico, quod concludit de dilectione proximi, quatenus explicata eſt à Deo debere obſeruari, ſed non prout eſt à lege naturæ dictata; Nam dilectio proximi explicata à Deo, non ſequitur neceſſario ex dilectione Dei, vt diximus ſupra, atque adeo non eſt de lege naturæ ſtricte loquendo.

Ad ſecundam patet reſponſio per idem, Nam qui habet temporalia, & non ſubuenit indigentia proximi, non diligit proximum eo modo quo Dominus explicauit proximum eſſe diligendum, & ſecundum hoc habet charitatis defectum; & cum dicit, quod dilectio proximi, quæ reſpicit eius bona temporalia ſequitur neceſſario ex dilectione Dei, falſum eſt, & probatione indiget.

Ad tertiam, quando petit cum operamus proximum diligere Deum, aut hoc optamus propter gloriam Dei, & bonum quoque ipſius proximi, aut propter ſolam gloriam Dei, Do primum; & cum infert, ergo præter gloriã Dei optatur bonum proximo, atque ita ex dilectione Dei ſequitur dilectio proximi, quo ad omnia bona ipſius, nego conſequentiam quo ad omnia bona vniuerſaliter, quia non quo ad bona temporalia, ſed præciſe quo ad bona ſpiritualia, quæ maxime ad Dei dilectionem conducunt: & cum dicit, quod qui diligit alicui bonum aliquod ſicut bonum ipſius, quodcunque bonum ei conueniens diligat oportet; concedo, quia ſunt eiuſdem rationis; vel ſi omnium non tamen eadem neceſſitate, quia bona ſpiritualia, ſcilicet gratiam, & gloriam diligit proximo, de neceſſitate natura, bona autem temporalia neceſſitate præcepti. Per idem patet ad aliud, dilectio enim proximi dictata à lege naturæ conſiſtit, vt diligamus proximum diligere Deum, & ei optemus bona ſpiritualia ſine quibus dilectio Dei haberi non poteſt. Dilectio autem proximi à Deo explicata, conſiſtit vt optemus illi euenire omne bonum ei conueniens, & nullum accidere malum.

Ad primum contra concluſionem dico, quod præcepta ſecundæ tabulæ bene cognoſcuntur lumine naturali, ſed non neceſſario, neque vt principia neceſſaria, neque vt concluſiones ex illis neceſſario deductæ; ſed naturaliter co-

Digitized by Google

ter cognoſcuntur præciſe, vt conſormia illis principijs, cum ergo dicitur, quod ſequitur neceſſario ex principio per ſe noto naturali lumine, &c. concedo ſi neceſſario cognoſcatur in lumine naturali; ſed in propoſito nego minorem.

Et cum probatur per ſecundam rationem, quia gentes ſine lege poſitiua &c. dico, quod Gentes, quæ legem ſcriptam non habebant faciebant, quæ ſunt legis: non qđ illa naturaliter cognoſcerent: ſed quia per ſucceſſionem à parentibus in ijs, quæ ſunt legis fuerunt edocti; quæ fuerunt primo à Deo reuelata; Vnde legimus, ante Chriſti Domini aduentum, & eius Euangelij promulgationem, atque etiam inter Gentes tempore legis Moſaicæ; Non paucos ignoraſſe præcepta Decalogi. Nam Germani quidam putauerunt latrocinia non eſſe peccata, vt refert

Cæſar. Plato. Iulius Cæſar; Plato cenſuit mulieres eſſe omnibus communes, multi ignorauerunt multos contractus vſurarios, & iniuſtos cõtra ius naturale eſſe; atque adeo ſi aliqui ex gentibus ea, quæ ſunt legis ſeruabant, à parentibus procul dubio fuerunt edocti; & ipſi, vel à Deo immediate, vel ab alijs, qui à Deo edocti fuerunt.

Non placet. Sed contra hoc eſt D. Paulus ad Rom. 1. vbi dicit. Gentes, quę legem non habent, id eſt, poſitiuam, vel ſcriptam, naturaliter ea, quæ ſunt legis faciunt, huiuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, ergo non à parentibus hoc habent. Ideo aliter dicendum eſt, & forte melius, quod ipſi ſibi ſunt lex, & ea, quæ legis ſunt naturaliter faciunt, id eſt, natura duce: quia præcepta ſecundæ tabulæ cognouerunt lumine naturali, non quidem velut principia, aut concluſiones, ab illis neceſſario deductas; ſed vt valde conſona illis principijs.

Ad tertium dico, quod ſuppoſito hoc principio pacifice viuendum eſt in politia; Non ſequitur neceſſario, ergo non eſt occidendum, non eſt furandum &c. Niſi ſecundũ ſtatũ naturę lapſę; & ſuppoſita infirmitate illorũ, qui conuiuunt. Præcepta ergo ſecundæ tabulæ, ſunt neceſſaria ad pacem, & tranquillitatem Reipub. ſuppoſito lapſu humanæ naturæ, ſed non ſunt ſimpliciter, & abſolute neceſſaria ad pacem, & tranquillitatem Reipub. Nam ſi ſtatus innocentiæ ſtetiſſet fuiſſet pax, & tranquillitas Reipub. ſine illis, atque adeo non ſunt neceſſaria niſi neceſſitate præcepti; vt patet.

2. Concl. Secunda Concluſio. Secundæ tabulæ præcepta ſunt de lege naturæ ſuſe accepta. hæc concluſio eſt Scoti, in hac quæſt. ſub litera C. & E. Probatur, illa præcepta ſunt de lege naturæ late accepta, quæ ſunt illi legi quam maxime conſona; Præcepta autem ſecundæ tabulæ ſunt huius generis, ergo &c. Maior patet, & minor probatur. Quoniam licet præcepta ſecundæ tabulæ non ſequantur neceſſario ex principijs neceſſarijs ex terminis per ſe notis omni intellectui apprehendenti terminos; eorum tamen rectitudo eſt primis principijs per notis ex terminis valde conſentanea; quod declaratur exemplo, Nam ſuppoſito iſto principio iuris poſitiui, pacifice eſſe viuendum in cõmunitate, vel politia; ex hoc non ſequitur neceſſario, igitur quilibet debet habere poſſeſſionem diſtinctam à poſſeſſione alterius, poſſet enim ſtare pax in conuiuendo etiamſi omnia eſſent eis communia, nec etiam ſuppoſita infirmitate illorum, qui conuiuunt eſt neceſſaria illa conſequentia; Cæterum poſſeſſiones eſſe diſtinctas pro perſonis infirmis valde conſonat pacificæ conuerſationi: Infirmi enim magis curãt bona ſibi propria, quam bona communia, & magis vellent bona communia appropriare ſibi, quam communitati, & cuſtodibus communitatis; atque ita fieret lis, & turbatio; & ita fere in omnibus iuribus poſitiuis: quia licet ſit aliquod principium, quod eſt fundamentum in condendo alias leges vel iura; tamẽ ex illo principio non ſimpliciter ſequuntur leges poſitiuæ, ſed declarant ſiue explicant illud principium, quantum ad certas particulas, quæ explicationes conſonant valde principio naturali vniuerſali.

Ita in propoſito præcepta ſecundæ tabulæ ſunt valde conſona legi naturæ: Nam primum præceptum de honore parentum, multum conſonat huic principio. Benefactori ſunt beneficia reſpondenda: cætera negatiua ſunt huic principio conſentanea; Non eſt proximus iniuſtè damnificandus.

Probatur ſecundo Concluſio, primo argumento principali. In his, quæ ſunt de lege naturæ ſtricte non videtur poſſe Deus diſpenſare, ſed in aliquibus præceptis ſecundæ tabulæ Deus diſpenſauit, ergo præcepta ſecundæ tabulæ non ſunt de lege naturæ ſtricte: Maior patet: quia quæ ſunt de lege naturæ ſtricte, vel ſunt principia neceſſaria nota ex terminis, vel concluſiones neceſſario ſequentes ex illis principijs; ſed quæ ita ſe habent, neceſſariam habent veritatem; ergo ſunt indiſpenſabilia; quia non poteſt Deus facere, quod illa ſint falſa: Minor probatur, occidere, furari, & mœchari ſunt contra præcepta ſecundæ tabulæ, vt patet Exodi 20. & in iſtis videtur Deus diſpenſaſſe; & de homicidio quidem patet Gen. 22. quando pręcepit Abrahæ, vt immolaret filium ſuum Iſaac, de furto patet Exodi 11. & 12. de filijs Iſrael, quibus præcepit, vt ſpoliarent Ægyptios, quæ ſpoliatio fuit ablatio rei alienæ inuito Domino, quæ eſt definitio furti: de tertio ſ. mœchari patet Oſeæ 1. Sume tibi mulierem fornicariam, & fac filios fornicationis; ergo &c.

Ex his ergo recolligendo patet primo qđ duo præcepta primæ tabulæ ſunt de lege naturæ ſtricte loquendo; ſecundo dubitatum eſt de tertio præcepto primæ tabulæ, an ſit de lege naturæ ſtricte, & concluſum, quod ſic: quantum ad id, quod morale eſt: in illo tertio negatum eſt præcepta ſecundæ tabulæ eſſe de lege naturæ ſtricte loquendo: & quarto conceſſum eſt omnia eſſe de lega naturæ ſuſe accipiendo ius naturæ.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Præcepta primæ tabulæ ſint diſpenſabilia.

Occam. DE hac re fuit ſententia Guilelmi Occam in 2. q. 19. concl. 3. de obſtinatione Dæmonum, & in ſolutione 3. 4. & 5. dubij, vbi implicite docet non ſolum omnia præcepta Decalogi eſſe diſpenſabilia; verum & Deum poſſe contraria præcipere. Vnde ita ſcribit. Eodem modo aſſignari poteſt ratio obſtinationis malorum, per hoc, quod Deus cauſat tamquam cauſa totalis quicquid abſolutum eſt in actu nolendi, & odiendi Deum, & ille actus non compatitur ſecum actum diligendi Deum, nec aliquem actum bonum propter repugnantiam formalem inter illos, & ſtante iſto actu, & cõſeruato à Deo totaliter; non poteſt voluntas creata in oppoſitum de potentia ſua abſoluta; & ideo quamdiu ſtat iſte actus voluntas obſtinata eſt, ſic vt non poſſit oppoſitum velle.

Et quod Deus poſſit cauſare actum odiendi Deum quantum ad eſſe abſolutum in actu in voluntate creata ſic probat, Deus poteſt omne abſolutum cauſare ſine omni alio, quod non eſt idem illi abſoluto; ſed actus odiendi Deum quantum ad abſolutum in eo, non eſt idem cũ difformitate, & malitia in actu; ergo Deus poteſt cauſare quicquid abſolutum eſt in actu odiendi Deum, vel nolendi; non cauſando aliquam diſformitatem, vel malitiam in actu; ergo &c.

Item non minus poſſet ſeparari difformitas ab odio Dei; quam bonitas moralis à dilectione Dei, ſed dilectio Dei in Angelo beato poteſt ſeparari à bonitate morali, & meritoria; ergo odium Dei in Angelo poteſt ſeparari à difformitate, & tunc omne quod non includit contradictionem nec malũ culpæ poteſt fieri à Deo ſolo, ergo &c.

Item reſpectu cuiuſcunque eſt Deus cauſa partialis, reſpectu eiuſdem eſt, vel poteſt eſſe cauſa totalis: quia ipſe ſuplere poteſt omnem cauſalitatem cauſæ ſecundæ in genere cauſæ efficientis, ſed reſpectu eiuſdem poſitiui maxime abſoluti producti à creatura eſt Deus cauſa partialis; ergo poteſt eſſe cauſa totalis reſpectu cuiuslibet abſoluti, & per conſequens reſpectu actus odiendi Deum.

Item odium non eſt formaliter peccatum, ergo poteſt cauſari à ſolo Deo. conſequentia patet, & antecedens probatur: quia ſi ſic, quicquid eſſet cauſa odij peccaret; & per conſequens cum habitus generatus ex actu, vel actibus odiendi Deum ſit cauſa alterius actus conſimilis, ſequitur quod habitus peccaret.

Et

Et infra obijciens contra prædicta, inquit, Aliqui actus ſecundum Phil. 3. Ethic. ſunt, qui ſtatim nominati habẽt malitiam annexam, & difformitatẽ; & nullus talis poteſt fieri à Deo; ſed odium Dei eſt huiuſmodi, ſtatim enim vt nominatur habet malitiam annexam, & difformitatem; ergo non poteſt à ſolo Deo cauſari.

Item omne factibile à Deo ſine peccato, quod etiam fieri poteſt à voluntate creata, poteſt cadere ſub præcepto diuino, & poteſt Deus præcipere voluntati, quod faciat illud; quia omne illud, quod non eſt peccatum pōt cadere ſub præcepto Dei; ſi ergo actus odiendi Deum pōt fieri à ſolo Deo ſine peccato, & pōt ẽt fieri à voluntate creata, ergo Deus poteſt præcipere voluntati, vt odiat Deum; & tamen cum voluntas creata meretur implendo præceptum diuinum, ergo voluntas creata poteſt mereri odiendo Deum; quod videtur magnum inconueniens.

Item dilectio Dei eſt bona propter debitum finem, & odium Dei malum propter indebitum finem, ergo ſicut nullus poteſt Deum diligere propter debitum finẽ, quin dilectio eius ſit bona, & meritoria: ita nullus pōt odiſſe Deum pp indebitum finem, quin odiũ ſit malũ, ſed nullũ qđ nõ pōt ſeparari à peccato pōt fieri à ſolo Deo, ergo &c.

His rationibus reſpondens ad primam dicit, quod licet odium Dei, furari, adulterari, &c. habeant malam circũſtantiam annexam, & ſimilia de communi lege; quatenus fiunt ab aliquo, qui ex præcepto diuino obligatur ad contrarium; ſed quantum ad eſſe abſolutum in illis actibus poſſunt fieri à Deo ſine omni circunſtantia mala annexa; & etiã meritorie poſſunt fieri à viatore ſi caderent ſub præcepto diuino, ſicut nunc de facto eorum oppoſita cadunt ſub præcepto diuino. Et ſtante præcepto diuino ad oppoſita eorum, non poteſt aliquis tales actus meritorie, nec bene exercere: quia non fierent meritorie niſi caderent ſub præcepto diuino; & ſi fierent à viatore meritorie; tunc non dicerent, nec nominarent, furtũ, adulteriũ, odium &c. Quia iſta nomina ſignificant tales actus non abſolute, ſed connotando, vel dando intelligere, quod faciens tales actus, p præceptũ diuinum obligatur ad oppoſitum, & ideo quantum ad totum ſignificatum quid nominis talium nominum ſignificant circunſtantias malas; & quantum ad hoc intelligunt ſancti, & Philoſ. quod iſta ſtatim nominata conuoluta ſunt cum malitia: ſi autem caderent ſub præcepto diuino, tunc faciens tales actus non obligaretur ad oppoſitum, & per conſequens tunc non nominaretur furtum, adulterium, &c.

Ad ſecundam dicit, quod ſi aliquis actus ab vna cauſa poteſt fieri bene, & fiat ab alia, non poteſt fieri niſi male: & tota ratio eſt: quia vna cauſa obligatur ad actum oppoſitum, & alia non. Sic eſt in propoſito, voluntas creata obligatur ex præcepto diuino ad diligendum Deum; & ideo ſtante illo præcepto non poteſt bene odiſſe Deum, nec cauſare actum odiendi, ſed neceſſario male cauſat malitiam moris, & hoc quia obligatur ex præcepto diuino ad actum oppoſitum; nec ſtante primo præcepto poteſt ei Deus oppoſitum præcipere, ſed Deus ad nullum actũ cauſãdũ obligatur; ergo quemlibet actũ abſolutũ pōt ſine omni malo culpæ cauſare, & eius oppoſitũ, & ideo ſicut poteſt cauſare totaliter actum diligendi ſine bonitate, vel malitia morali: quia bonitas moralis, vel malitia connotant, quod agens obligatur ad illum actum, vel eius oppoſitum, ita poteſt totaliter cauſare actum odiendi Deum ſine omni malitia morali propter eamdem cauſam: quia ad nullum actum cauſandum obligatur.

Ad tertiam dicit, quod ſi odium Dei cauſetur à ſolo Deo ſemper eſſet hoc propter bonum finem: quia Deus ex odio creaturæ, in nullo damnificatur, ſed odiſſe Deum propter indebitum finem eſt malum, & ſic eſt actus creaturæ, & non à ſolo Deo. Illud etiam quod aſſumit eſt falſum, quod dilectio Dei ſit ſemper bona propter debitum finem: quia aliquando poteſt eſſe mala, & propter indebitum finem, puta quando amo Deum amore concupiſcentiæ. Hactenus Occam. Hanc Occami ſententiam ideo volui diffuſe vt ab ipſomet ponitur referre, vt prudens lector videat hanc eius opinionem non eſſe adeo abſurdam, & rationi repugnantem, quin probabilibus, vel ſaltem valde apparentibus rationibus fulciatur, vt quidam dixerunt.

Oppoſitam tamen ſententiam vna cum D. Thoma, & cæteris Theologis docet Doct. ſub. in hac quæſt. ſub litte- ra C. §. De præceptis autem primæ tabulæ &c. Vbi docet quod prima duo præcepta. Non habebis Deos alienos. & Non aſſumes nomen Dei tui in vanum ſunt indiſpenſabilia, ita vt in iſtis non poſſit Deus diſpenſare, vt aliquis poſſit licite facere oppoſitum tali prohibito. *Sotus, vbi ſupra, & Ferdinan.* *D. Thom.* *Sotus.*

Vnde iuxta ſententiam Scoti, pono quatuor Concluſiones. Prima Concluſio. Duo prima præcepta primæ tabulæ ſunt penitus indiſpenſabilia. probatur. duo prima præcepta prohibent neceſſariam malitiam, ita vt ſicut neceſſarius eſt vnus Deus, ita neceſſaria malitia eſt fateri multos eſſe Deos, ergo Deus non poteſt diſpenſare in hoc, quod colantur multi Dij; & ſimiliter talia præcepta dicunt neceſſariam bonitatem: quia neceſſario bonum eſt, vnum Deum confiteri, & colere; ergo &c. 1. Concl.

Secunda Concluſio. Tertium præceptum primæ tabulæ quãtum ad id, quod prohibetur, nimirum facere opus ſeruile diſpenſabile eſt: probatur: quia in hoc Deus interdum diſpenſauit, vt patet in Exodo. Tum quia opera ſeruilia non prohibentur in illo die, niſi propter cultum Deo exhibendum, ſed Dei cultus, & opus ſeruile poſſunt ſtare ſimul; ergo &c. 2. Concl.

Tertia Concluſio. Tertium præceptum, primæ tabulæ, quo ad cultum Deo exhibendum, pro determinato tẽpore, & determinate, videlicet in die Sabbati, vel in die Dominica, diſpenſabile eſt, & de facto diſpenſatum fuit: Nam dies Sabbati commutatum eſt in diem Dominicum, vt patet. 3. Concl.

Quarta Concluſio. Tertium præceptum quoad cultum Deo exhibendum pro aliquo determinato tempore, indeterminate tamen, indiſpenſabile eſt. Non enim poteſt Deus diſpenſare, quod in nullo tempore ſibi cultus exhibeatur: quia ſequeretur, quod nullum motum bonũ circa finem vltimum haberet homo licite; & per conſequens neque circa media; atque ita nunquam teneretur habere aliquod bonum velle, quod, inquit Scotus, non eſſe probabile. 4. Concl.

Ad argumenta Occam reſpondeo, & ad primum, quã do dicit, quod Deus poteſt cauſare omne abſolutum ſine omni alio, quod nõ eſt idem illi abſoluto &c. Dico quod hæc propoſitio non eſt vniuerſaliter vera, Fallit enim quando illud aliud ſequitur abſolutum neceſſario, & ex natura rei; ſicut patet de ſimilitudine, quæ realiter diſtinguitur à duobus albis; & tamen quia poſitis duobus albis, neceſſario, & ex natura rei ſequitur ſimilitudo; non poteſt Deus facere duo alba ſine ſimilitudine. Ita in propoſito nolle ſiue odium Dei ſequitur neceſſario, & ex natura rei difformitas, atque adeo non poteſt poni nolle Deum, ſiue odium Dei, ſine difformitate, & deordinatione. Soluũtur argumẽta Occam.

Ad ſecundum dico, quod non eſt ſimile de bonitate morali meritoria, & de malitia, ſeu difformitate, nõ enim bonitas meritoria poſitis omnibus circunſtantijs moralibus ſequitur neceſſario actum bonum moraliter, ſed oportet, quòd actus ille acceptetur à Deo, in qua acceptatione conſiſtit formaliter ratio meriti; & quod eliciens actum ſit in ſtatu merendi, & demerendi; ita vt ſit viator, & non ſimpliciter comprehenſor, at nolle Deum, ſiue odium Dei neceſſario, & ex natura rei ſequitur difformitas, vt dictum, & vt docet Scot. in 1. diſtin. 1. quæſt. 2. art. 3. §. Sed de poteſtate abſoluta voluntatis &c. Et in 2. diſt. 21. quæſt. 2.

Ad tertium dico, quod reſpectu cuiuſcunq; Deus eſt cauſa partialis, reſpectu eiuſdem poteſt eſſe cauſa totalis, qñ illud non habet ex natura rei, & ex ſe inuolutam malitiam, & deformitatem, quæ Dei bonitati repugnet, & ideo licet Deus cum voluntate creata generali influxu, & vt cauſa vniuerſalis ad actum odij concurrat, hoc ideo eſt, quia difformitas, & deordinatio, quæ ſequitur actum, eſt à voluntate creata deficiente, at ſi Deus immediate, & totaliter cauſaret actum odij, cum actus ille ſtatim poſitus habeat ex natura rei inuoluntariã malitiam, Deus eſſet immediata cauſa peccati; quod omnino eius infinitæ bonitati repugnat. Poteſt ergo Deus eſſe cauſa totalis reſpectu cuiuslibet abſoluti, quod neceſſario, & ex natura rei non ſequitur difformitas.

Ad vltimum nego antecedens, & ad probationem dico, quod quicquid eſt cauſa odij libere peccat; & in hoc ſenſu nego, ꝙ habitus ſit cauſa odij, habitus .n. naturaliter & non libere concurrit ad actum. Id aũt quod in ſolutione argumentorũ dicit, ꝙ Deo pręcipiẽte odium ſui, actus ille laudabilis eſſet, & meritorius, falſum eſt, & condemnatum per articulum Pariſiẽſem, qui condemnat eos, qui affirmant poſſe quempiam per odium Dei mereri; Neq; articulus admittit Gloſſam, vt intelligatur de potentia Dei ordinaria; nam de illa nulla vnquam potuit eſſe controuerſia; articulus autem non eſt definitus niſi ad aliquam controuerſiam dirimendam.

Et q̃n dicit, ꝙ Deus poteſt cauſare abſolutum odij ſine difformitate, quia Deus ad nullum actum cauſandum obligatur. Dico primo, ꝙ Deus (eo modo quo in Deo põt cadere obligato) tenetur cauſare dilectionẽ ſuimet, quia tenetur neceſſario ſe diligere, ſicut neceſſario neceſſitate abſoluta ſe diligit, in tantum vt non ſolum poſſit ſe odiſſe, ſed non poſſit ſe non diligere: quia alias diuina voluntas obligaretur, eſſet non recta, & non eſſet Deus, & licet non teneatur cauſare dilectionem ſui in aliquo extra ſe, ex hoc tamen non ſequitur, quod poſſit cauſare odium ſui in voluntate creata, quia vt diximus odium Dei habet neceſſario malitiam annexam; nec etiam poteſt præcipere, vt Deum odiat; quia ad hoc præceptum ſequeretur manifeſta contradictio. Nam id dicitur implicare contradictionem, quod poſita natura vnius partis contradictionis, ex cõceſſis infert alteram, verbi gratia. quia natura animalis rationalis eſt immutabilis, & illi à natura conuenit non eſſe hinnibilem, ſi concederetur Deum poſſe facere hominem eſſe equum, eſſet hinnibilis, & non eſſet hinnibilis. Ita Deum odio haberi tam intrinſece eſt malum, quam intrinſecum homini eſſe rationalem; ergo tam repugnat id eſſe licitum, quam hominem eſſe, & eundem irrationalem, atque adeo repugnat Deum odium ſui, vel efficere, vel præcipere: nam ſequeretur ſtatim eumdem actum eſſe ſimul licitum, & illicitum, licitum quia à Deo præceptum, & illicitum, quia de ſe, & natura ſua malum. Et confirmatur, ſit. v. g. uir iuſtus qui iuſſu Dei ipſum odio habeat, ſequeretur talem ſimul eſſe in eius gratia, & in eius inimicitia, quod implicat, quod maneat in eius amicitia palam eſt poſtquam nihil aliud facit, quam obſequi voluntate eius; quod ſimul ſit inimicus docet eius odium, quo Deum proſequitur.

Præterea, Deus ſe ipſum odiſſe non poteſt: quia intellectus contrarium capere nõ poteſt, ratio autem tota repugnantiæ eſt, quod odium Dei adeo habet innatam malitiam, vt nulla recta voluntate poſſit illud optari; ſimilis ergo repugnantia eſt, vt Deus idem alteri præcipiat, eſſet enim præcipere, vt faciat ſecundum ſuam regulam, & voluntatem, & ſimul faciat contra.

Sed contra hanc determinationem q. 5. quod præcepta primæ tabulæ ſunt indiſpenſabilia, eſt ſecundum argumẽtum principale Doctoris, quod eſt tale. Quæ ſunt nota ex lege naturæ, ſciuntur eſſe vitanda, vel agenda, etſi non ſint ſcripta, nec præcepta, ſicut ea, quæ ſunt naturaliter nota in ſpeculabilibus, eſſent etiam naturaliter nota ſi non eſſent reuelata, ſed aliqua præcepta Decalogi non ſunt nota niſi quia ſcripta, & præcepta; ergo &c. Probatur minor authoritate D. Pauli ad Rom. 7. Concupiſcentiam neſciebam niſi lex diceret Non concupiſces.

Ad hoc argumentum reſpondet Sco. Quod ſi Deum eſſe poſſet concludi ratione naturali ex principijs per ſe notis; tamen illi populo rudi, & non exercitato in intelligibilibus, non erat hoc notum niſi ex lege; Vnde ad Hebr. 11. dicitur, oportet accedentem ad Deum credere: quia eſt, intellige ſi non habeat, vel habere poſſit aliam notitiã de Deo. Ita in propoſito, & ſi aliqua concupiſcentia poſſit concludi eſſe contra legem naturæ; hominibus tamen corruptis non erat notum eſſe contra legem naturæ: Nã ex longa malitia eorum deuenerunt ad tantam mentis cæcitatem, & obnubilationem, quod non cognoſcebant peccatũ eſſe peccatũ, quod naturali lumine poterant cognoſcere, & iõ neceſſariũ fuit id explicari per legem datã.

Vel aliter põt dici, ꝙ cõcupiſcentia ꝓhibet̃ p præcepta ſecundæ tabulæ, & de illis cõceſſũ eſt, ꝙ nõ ſũt p ſe nota, neq; neceſſario deducta ex p ſe notis, nec ſũt idiſpẽſabilia.

ARTICVLVS V.

Vtrum præcepta ſecundæ tabulæ ſint indiſpenſabilia.

D. Thom.

De hac re eſt triplex opinio. Prima eſt D. Thomæ, 1.2.q.100. art. 8. & omnium Thomiſtarum, qui docent omnia præcepta Decalogi eſſe omnino indiſpenſabilia. Fundamẽtum D. Thomæ eſt, quod in præceptis fieri contingit diſpenſatio, quando occurrit aliquis particularis caſus, i quo ſi verbũ legis obſeruaretur cõtrariaretur intentioni legislatoris: Intentio autem legislatoris ordinatur primo, & præcipue ad bonum commune, ſecundo ad ordinem iuſtitiæ, & virtutis, ſecundum quẽ bonum commune conſeruatur, & ad ipſum peruenitur. Ex his deducit S. Thomas, quod ſi quæ ſint præcepta, quę contineant ipſam obſeruationem boni communis, vel ipſum ordinem iuſtitiæ, & virtutis; huiuſmodi præcepta continent intentionem legislatoris, & ideo indiſpenſabilia ſunt. v. g. ſi poneretur hoc præceptum in aliqua communitate, quod nullus deſtrueret Rempub. neque proderet Ciuitatem hoſtibus, ſiue, quod nullus faceret aliquid iniuſte, & male; talia præcepta eſſent indiſpenſabilia. Ex eiſdem fundamentis infert, præcepta Decalogi tam primæ quam ſecundæ tabulæ eſſe indiſpenſabilia: continent enim intẽtionem legislatoris, & ipſum ordinem iuſtitiæ, & virtutis; Nam præcepta primæ tabulæ ordinant ad ad Deum, & ſic ad bonum commune, & finale, quod eſt Deus; & præcepta ſecundæ tabulæ continent ordinem iuſtitiæ obſeruanda inter homines, vt ſcilicet nulli fiat indebitum, & cuilibet debitum reddatur.

Caietan.

Addit Caiet. quod præcepta Decalogi poſſunt dupliciter conſiderari: primo ſecundum ordinem iuſtitiæ quẽ continent, & ſic ſunt indiſpenſabilia etiam à Deo: ſecundo ſecũdum applicationem ad aliquem ſingularem actũ, & ſic dicit, quod præcepta ſecundæ tabulæ, de quibus eſt quæſtio, ſunt diſpenſabilia à Deo; ſed talis diſpenſatio nõ eſt relaxatio præcepti, aut declaratio illius in hoc caſu, ſeu actu, ſed eſt facere, ꝙ iſte actus nõ eſt homicidiũ, qui ſine hac authoritate eſſet homicidiũ, & ſimile eſt de alijs.

Durand.

Secunda opinio eſt Durandi in 1. d. 47. q. 4. Qui tenet quartum dumtaxat, & quintum præceptum eſſe diſpenſabilia, & primo dicit, quod præceptorum quædam ſunt affirmatiua, quædam negatiua, quæ vocãtur prohibitiones, & fiunt de malis: & hoc dupliciter, quia vel fiunt de malis, quæ non eſſent mala niſi eſſent prohibita, ſicut comedere carnes Feria ſexta non eſſet malũ niſi ab Eccleſia eſſet prohibitũ; aut fiunt de malis, quæ ſm ſe ſunt mala, & iõ prohibentur, ſicut furtũ, & ſimilia. De primis preceptis tenendum eſt vniuerſaliter, ꝙ ſunt diſpenſabilia: Nam in illis, quæ ſolũ ſunt mala, quia ꝓhibita, tota rõ illiciti eſt ꝓhibitio, prohibitionem aũt põt amouere, qui fecit, atq; ita amouẽdo cõditionẽ, q̃ ponit totã rõnẽ illiciti diſpẽſat. De illis aũt præceptis quib. prohibentur ea, quæ ſunt mala ſm ſe, & non ſolũ, quia prohibita, tenendũ eſt in generali, quod ſi ab illis põt amoueri rõ mali ipſa ſunt diſpenſabilia; ſi vero conditio apponens rõnẽ mali non põt à talibus amoueri ipſa non ſunt diſpenſabilia. Eiuſmodi aũt præcepta videntur eſſe præcepta cõia iuris naturalis, vtpotè, ꝙ non eſt iniuſte agendũ, & debitũ non eſt ſubtrahẽdũ, & conſimilia: quia .n. hæc continent formaliter ipſam rõnem iuſti, & debiti, oppoſitum non põt habere rõnẽ liciti; ſed habet ſe per rõnẽ iniuſti, & indebiti; propter ꝙ Deus non poteſt diſpenſare, quod iniuſte agendum ſit.

Secundo dicit, ꝙ ſimiliter dicendũ eſt de præceptis affirmatiuis; q a quædã ſunt quib. præcipiuntur talia bona, q̃ non ſunt neceſſaria fieri, niſi quia ſunt præcepta; vt dicere tales Pſalmos in Eccleſia, vel extra, & hæc ſunt diſpenſabilia: quia in iſtis tota ratio boni neceſſarij ex præcepto pendet, atque ita ſicut amota prohibitione à negatiuis, in quibus tota ratio mali eſt ex prohibitione, poſſunt licite fieri: ſic in iſtis amoto præcepto poſſunt omitti licite. Alia vero ſunt præcepta, quibus præcipiuntur talia bona, quæ ſecundum ſe ſunt neceſſaria, vel debita fieri ſemper, vel loco, & tẽpore, vt iuſte agere, diligere Deũ,

bono-

Digitized by Google

honorare parentes,& conſimilia; & inter hæc ſi qua ſint talia, à quibus poſſit amoueri ratio debiti, illa ſunt diſpenſabilia: ſi qua vero ſint talia à quibus non poſſit amoueri ratio debiti illa non ſunt diſpenſabilia. Et talia ſunt vniuerſalia præcepta iuris naturalis, vtpote, quod eſt iuſte agendum.

Tertio dicit, quod aliqua præcepta Decalogi ſunt indiſpenſabilia alia vero non: Indiſpenſabilia ſunt, quæ includunt intrinſece, vel inſeparabiliter ratione debiti ſi ſint affirmatiua, vel indebiti ſi ſint negatiua; huiuſmodi ſunt prima tria præcepta primæ tabulæ, & præcepta ſecundæ tabulæ præter primum, & ſecundum. Nam in negatiuis præceptis quibuſdam includitur intrinſece, & inſeparabiliter ratio indebiti; vt patet de illis tribus præceptis, ſecundæ tabulæ, furari, mœchari, & mentiri, & de illo præcepto primæ tabulæ, Non periurabis in nomine meo. furari enim mœchari, & mentiri, quæ ſunt proxima, & immediata materia illarum trium præceptorum. Non mœchaberis, Non furtum facies, Non falſum teſtimonium dices, eſt inſeparabiliter inuoluta cum malo, furari enim eſt accipere rem alienam inuito Domino, mœchari eſt accedere ad mulierem non ſuam, mentiri eſt aſſerere, vel negare aliquid cuius oppoſitum in mente tenetur. Qui autem vtitur re non ſua, vt ſua, manente hac conditione, abutitur re illa; & idem eſt de muliere non ſua; qui etiam inſinuat voce ſe tenere mente, quod non tenet, abvtitur voce, vt eſt ſignum conceptus mentis; ita vt manente tali natura, & tali conditione rerum ipſe actus includit abuſum ex ratione terminorum; atque adeo ratio indebiti inſeparabilis eſt à proxima materia iſtorum præceptorum ea manente, & ita ſunt indiſpenſabilia, & idem eſt de illo præcepto non periurabis in nomine meo: quia periurium includit mendacium, & præter hoc irreuerentiam diuinam, quæ non poteſt habere rationem liciti.

De alio autem præcepto ſecundæ tabulæ, ſcilicet Non occides dicit, quod ſi generaliter ſumatur ſecundum rationem nominis, non eſt ſic illicitum occidere; quin in multis caſibus ſit licitum, & ſecundum legem diuinam, quæ dicit Exodi 22. Maleficos ne patiaris viuere, & ſecundum leges humanas, quæ idem dicunt in pluribus caſibus; atque ita non pertinet ad præceptum Decalogi, non occidere ſecundum generalem rationem nominis; ſed vel provt intelligitur de occiſione innocentis, vt lex videtur exponere dum excipit maleficos, & ſic recipit diſpẽſationem non hominis, ſed Dei, qui cum ſit Dominus vitæ, & mortis, eius authoritate poteſt licite occidi nocens, & innocens; Vel provt intelligitur de occiſione, quæ fit authoritate priuata, quod etiam videtur haberi ex lege, quæ excipit occiſionem, quæ fit authoritate publica, quando dicit. Maleficos non patiaris viuere Exodi 22. Ibi enim loquitur de iudicijs quorum executio pertinet ad perſonas fungentes authoritate publica; & ſic non eſt diſpenſabile: quia nunquam licet authoritate priuata hominem occidere; & ſi de mandato diuino aliquis alium occidat, non diſpenſatur in præcepto: quia non occidit authoritate priuata, quod prohibetur ſolũ per illud præceptum non occides; ſed occidit authoritate publica Dei, qui eſt vniuerſalis iudex, & Dominus, & ſic patet de præceptis negatiuis an ſint diſpenſabilia an non; Et idem eſt iudicium, inquit, de illis duobus præceptis. Non concupiſces rem proximi tui; nec vxorem eius &c. Quo ad diſpenſabilitatem, vel indiſpẽſabilitatem; ſicut de illis duobus Non mœchaberis, Non furtum facies: quia non differunt niſi ſecundum actum interiorem, & exteriorem.

De præceptis autem affirmatiuis, dicit, quod quædam ordinant hominem ad Deum, vt illa, quæ ſunt primæ tabulæ, & iſtorum materia habet annexam rationem debiti inſeparabilem, atque ita indiſpenſabilia ſunt; & vnum ordinat hominem ad proximum, & pertinet ad ſecundã tabulam, ſcilicet Honora patrem, & matrem tuam, in cuius materia licet ſit annexa ratio debiti; quia debitum eſt, quod filius honoret parentes, verum tamen ratio debiti, non eſt ei annexa inſeparabiliter: quia debitum filij ad patrem poteſt ſeparari authoritate diuina; atque ita tale præceptum authoritate diuina diſpenſabile eſt.

Tertia ſententia eſt Doct. noſtri ſub. aſſerentis præcepta primæ tabulæ eſſe quidem indiſpenſabilia, præcepta vero ſecundæ tabulæ cum ſint de lege natura, non ſtricte, ſed late, eſſe à Deo diſpenſabilia, pro cuius explicatione obſeruan. eſt primo. Quod diſpenſare non eſt facere, quod ſtante præcepto liceat facere contra præceptum; ſed diſpenſare, eſt reuocare præceptum, vel declarare, qualiter debeat intelligi, Eſt enim duplex diſpenſatio, ſ. iuris reuocatio, & iuris declaratio. Diſpenſatio. n. eſt quaſi diuerſorum penſatio: nam ille qui diſpenſat debet diuerſa penſare, nempe, quod diſpenſatio fiat, aut propter neceſſitatem aut propter vtilitatem, & duplex eſt diſpenſatio, inquit Doct. in quæſt. ſub littera A. §. Sed iſtę expoſitiones &c. Scilicet iuris reuocatio, & iuris declaratio; Reuocatio importat remotionem obligationis præcepti, quo ad omnes, velut quando Chriſtus Dominus reuocauit legem veterem quo ad cæremonialia, & iudicialia, dando legem nouam; Non quidem faciens quod ſtante præcepto de cæremonialibus non eſſent illa ſeruanda; ſed faciens, quod actu illo manente eodem ſecundum ſpeciem, homo non teneretur amplius ad actum illum ſicut prius; atque ita diſpenſat quicunque legiſlator ſimpliciter, quando reuocat præceptum iuris poſitiui; qua reuocatione facta tollitur obligatio, & efficitur licitum, quod prius fuiſſet illicitum; velut ſi Papa reuocaret ieiunium Quadrageſimale, nullus obligaretur tunc ad ieiunandum. Iuris declaratio, ſeu interpretatio fit, quando interpretatur præceptum, quod non eſt aliud quam dare rationabilem intellectum præcipientis, & præcepti, non tollendo obligationem in aliquo, ſicut interpretamur, quod ieiunium Quadrageſimæ non obligat pueros impuberes, nec grauiter infirmos: nec propter hoc tollitur aliqua obligatio ab illis, qui huic præcepto ſubduntur: & talem interpretationem poteſt quilibet facere in valde manifeſtis, vt in caſu iam dicto de grauiter infirmis, & pueris, quod non tenentur ieiunare; ſed in dubijs pertinet ad illum ſolum, qui condidit, aut ad parem, vel ſuperiorẽ, & hæc iuris explicatio non poteſt proprie appellari diſpenſatio, de qua loquitur hic Doctor; Nam diſpenſatio proprie reſpicit eos, qui legi ſubduntur.

Scotus.

Diſpenſare quid ſit.

Diſpenſatio eſt duplex.

Interpretatio autem vel iuris explicatio, quæ diſpenſatio appellatur importat relaxationem præcepti in caſu, & quo ad aliquid, vel aliquos; ſicut ſi diſpenſaretur cum aliquo, quod non ieiunet in Quadrageſima. Quod fit cum declaratur in tali caſu particulari non voluiſſe legiſlatorem legem ſuam aliquem obligare: leges enim humanæ, quæ generaliter feruntur, poſſunt, & debent exceptionem accipere dum ratio legis deficit. Quando videlicet ſi legiſlator adeſſet, vel alius prudens interrogatus exciperet caſum particularem à generali conſtitutione. Declaratio ergo iuris, qua fit, quod in tali caſu particulari, qui ſub generalibus verbis legis comprehenditur, lex non obliget, eo quod ratio legis deficit, appellatur diſpenſatio ſecundi generis.

Eſt autem ſic accepta diſpenſatio commenſuratio, ſeu diſtributio boni communis, quale lex ad ſingulos provt circunſtantiarum varietas occurrerit ſecundum legis intentionem diſponit, & hæc diſpenſatio ſi non fideliter, prudenterque fiat B. Bonauentura eam non diſpenſationem, ſed diſſipationem putat, & maxime quo ad Deum, & conſcientiam, ſi hoc conſtiterit, aut conſtare debuerit. *D. Bonau.*

Secundo obſeruan. eſt, id quod dicit Doct. quod quicunque legiſlator ſimpliciter diſpenſat, quando reuocat præceptum iuris poſitiui facti ab eo, ex quo dicto ſequitur, quod Papa non poteſt diſpenſare ſuper iure diuina, provt diſpenſare idem eſt, quod reuocare ius, poteſt tamen diſpenſare, id eſt, declarare, & interpretari ius diuinum, quod ſic, vel alio modo debeat intelligi. Cæterum omnia Eccleſiæ ſtatuta poteſt diſpenſare primo modo, id eſt, reuocare. Tum quia Eccleſia committit ei omnes vices ſuas ſecundum tenentes Concilium eſſe ſuper Papam. Tum quia hoc poteſt authoritate ſua ſibi à Chriſto Domino tradita. ſecundum tenentes oppoſitum, atque ita ſequitur, quod Papa poteſt diſpenſare, & reuocare ieiunium Quadrageſimale vt tale; maxime imminente periculo, & cauſa legitima, qñ Papa nõ poſſet

Papa non poteſt diſpẽſare ius diuinum.

bono modo congregare Concilium. Et ſi dicas ergo Papa poterit reuocare ſtatuta, & decreta præteriti Concilij. Dico, quod ſi illud Concilium fuit à Papa confirmatum non poteſt illius decreta, quæ fidem, & mores pertinent reuocare, quia hoc tranſiuit in rem iudicatam, & eſt articulus fidei, quod Concilium legitime congregatum regatur à Spiritu Sancto: atque ita licet, quæ ſunt fidei in Cõcilijs determinẽtur per homines; non poteſt tamen Papa ſuper illis diſpenſare, id eſt, reuocare, quia Spiritus Sanctus magis ſpeciali dono, aſſiſtentia, & influxu aſſiſtit illis determinationibus quam alijs, poteſt tamen decreta præteriti Concilij, vt diximus, explicare, & interpretari.

Quo & ſuper quod cadat diſpenſatio in p̃cepto. Tertio obſeruan. eſt, quod ſuper illud dicitur fieri diſpenſatio, quo remanente, id quod alias fuerat illicitum diſpenſatione factum eſt licitum; nunquam autem poteſt fieri licitum, vt quis authoritate propria occidat innocentem, vel cognoſcat non ſuam, vel rem accipiat alienam, atque adeo non poteſt ſuper agentis circunſtantia diſpenſari; quod vtique fieret ſi alicui propria authoritate licitum eſſet innocentem occidere, vel non ſuam cognoſcere &c. Fit ergo diſpenſatio in materia præcepti, & non ſuper circunſtantia agentis.

Vnde obſeruan. eſt quarto. Quod in omni præcepto præſcribitur propria materia, & hæc duplex, vel immediata, & propinqua, vel mediata, & remota; vt in hoc p̃cepto, Non occides, materia immediata, & proxima eſt non occidere, materia remota, & mediata eſt homo innocens, in omni etiam præcepto vltra materiam, & alias circunſtantias, conſideratur etiam circunſtantia agentis, nempe exercere actum præcepti, vel actum oppoſitum, propria, vel aliena authoritate; diſpenſatio non cadit ſuper circunſtantiam agentis, ita vt manente circunſtantia agentis fiat licitum, quod prius fuerat illicitum, ſed diſpenſatio cadit ſuper materiam præcepti ſiue propinquam ſiue remotam, adeo vt manente eodem actu occiſionis, & idem homo innocens, id, quod prius fuerat illicitum, nempe occidere innocentem, diſpenſatione mediante, factum eſt licitum; atque ita manente illa circunſtantia mala, puta occidere innocentem authoritate propria, quæ vtique maneret ſi ſuper eam caderet diſpenſatio, nunquam licet innocentem occidere, & vt ſic præceptum eſt indiſpenſabile; ſed hoc non eſt ex parte obiecti, aut materiæ; ſed ex parte circunſtantiæ, & iuxta hunc ſenſum concludunt argumenta Thomiſtarum contra Doct. quod occidere hominem authoritate ſuperioris, vel capere alienũ, ſiue alienã cognoſcere ſuperioris authoritate, non habet rõnẽ homicidij, neq; furti, neq; adulterij; atque adeo ibi præcepta non diſpenſantur; Dico, quod non diſpenſatur quidem quantum attinet ad circunſtantiam agentis, ſed diſpenſatur quantum eſt ex parte obiecti, & materiæ; & obſerua, quod ſi rationes Thomiſtarum concluderent, probarent etiam omnia præcepta humana, & Eccleſiaſtica eſſe indiſpenſabilia; quia ſtante prohibitione de ieiunio ſeruando, nullus poteſt licite non ieiunare authoritate propria.

Vnde obſeruan. eſt quinto, quod præcepta ſecundæ tabulæ non cadunt ſub Decalogo, cum hac particula adiuncta iniuſtè, vt aliqui dicunt, verbi gratia. Non occides iniuſte, non furtum facies iniuſte &c. Quia cum præcepta Decalogi negatiua prohibeant ea, quæ ſunt mala ſecundum ſe (licet malitia ſeparabili per Dei potentiam) oportet, quod materia præcepti ſecundum ſe includat rationem iniuſti, vel mali, & non ſolum generali, & extrinſeca additione: quia ſimilis additio fieri poteſt circa quamcunque materiam, quæ non eſt de ſe illicita, vtpote ſi dicatur, non ibis per campum iniuſte, vel non equitabis equum alterius iniuſte, & ſic erunt tot præcepta Decalogi, quot erunt actus, qui poſſint iniuſte fieri, quod eſt abſurdum, & ſequeretur etiam quod nullum præceptum ſtante eiuſmodi additione eſſet diſpenſabile.

Caietan. Ex hoc patet quid veritatis contineat, quod dixerat ſupra Caiet. Nempe quod præcepta Decalogi ſecundum ordinem iuſtitiæ, quem continent, ſunt indiſpenſabilia, at vero ſecundum applicationem ad aliquem ſingularem actum ſunt per Deum diſpenſabilia: Nam per primum membrum ſuæ diſtinctionis videtur dicere, quod præceptum non eſt diſpenſabile permanens contra iuſtitiam, vel vt dicit Durandus loco relato coniunctim, id eſt, non poteſt Deus præcipere, aut permittere, vt iuſte fiant mala, dum mala ſunt in ſenſu compoſito, quod quidem cum nullatenus ſit dubitabile, nihil ad rem pertinet; præterquam quod hoc pacto omne præceptum ſecundum ordinem iuſtitiæ, quem continet erit indiſpenſabile, cum nullum ſit præceptum, quod ordinem aliquem iuſtitiæ non contineat. Dubitatio autem ſolum eſt, vtrum hoc, quod eſt accipere alienum inuito Domino, aut hominem occidere, quod vetant præcepta ſecundæ tabulæ, poſſit diſpenſatione Dei fieri licitum, & reſpondere, quod eſt diſpenſabile per applicationem ad ſingularem actum &c. Eſt principium petere.

His obſeruatis reſpondetur ad quæſitum vnica Concluſione. **Concluſ.** Præcepta ſecundæ tabulæ ſunt à Deo omnia diſpenſabilia. probatur concluſio, quæ præcipiuntur in ſecunda tabula, omnia ſpectant ad creaturas, ſed talia non habent bonitatem neceſſariam, ſed contingentem, ergo ſunt diſpenſabilia, probatur minor: quia non ideo præcipiuntur à Deo, quia bona ſunt, ſed quia præcepta à Deo ideo bona, ergo non habent neceſſariam, ſed contingentem bonitatem. probo antecedens, quia alias diuina voluntas haberet regulam ſuæ bonitatis ad extra, quod non eſt dicendum, cum voluntas diuina ſit regula omnis bonitatis; & eſſentialiter ipſa bonitas.

Præterea ſecundum omnes Doctores diuiſio bonorum non eſt de lege naturæ ſtricte, quamuis ſit conforme, ergo poteſt Deus diſpenſare, quod accipiat aliquis bona, quæ alius poſſidet, ſicut potuerunt omnia bona eſſe communia; atque ita poteſt dici, quod diſpenſauit Deus in ſeptimo præcepto cum populo Iſraelitico Exodi cap. 11. & 12. quando expoliauerunt Ægyptios, & in quinto quãdo Geneſ. 22. præcepit Abrahæ, quod occideret filium; & in ſexto cum Oſea Propheta, quando præcepit illi, vt acciperet mulierem fornicariam, quæ omnia ſine peccato poſſunt fieri, iubente Deo, ſed de hoc latius infra.

Præterea quæro, an ſtantibus omnibus circunſtantijs eiſdem in actu iſto, qui eſt occidere hominem variata ſola circunſtantia prohibiti, & non prohibiti, poſſet Deus facere, quod ille actus, qui cum talibus circunſtantijs alijs eſt aliquando prohibitus, aliàs eſſet non prohibitus, ſed licitus: ſi ſic, igitur ſimpliciter poteſt diſpenſare, ſicut ſimpliciter mutauit legem veterem, quantum ad cæremonialia, quando dedit nouam; non quidem faciens, quod manente præcepto de cæremonialibus, illa non eſſent ſeruanda; ſed faciens quod actu illo manente eodem, non tenebatur quis ad illum ſicut prius; ſi autem Deus non poteſt facere de actu, qui cum talis circunſtantijs erat prohibitus, quod manentibus eiſdem circunſtantijs prioribus de prohibitione, non ſit prohibitus, igitur non poteſt facere, quod prohibitum non ſit occidere, cuius oppoſitum manifeſtum patet de Abraham. Qui ne dum licite occidiſſet, imo meritorie, vt inquit D. Auguſt. lib. 1. de Ciuit. Dei c. 21.

Reſpondent aliqui, quod præceptum accipiendo ſecundum formam præcepti eſt indiſpenſabile: forma autem præcepti non eſt non occidere ſimpliciter, & abſolute, ſed non occidere innocentem, & ex authoritate propria; oppoſitum aũt non poteſt bene fieri. ſ. occidere innocentem ex authoritate propria; Vnde nec Abrahã occidiſſet Iſaac authoritate propria, ſed authoritate Dei, qui eſt Dominus vitæ, & mortis cuiuslibet. Contra hoc videtur. Quia non eſt quæſtio, vtrum manente obligatione præcepti, & per conſequens ſtante malitia, & difformitate actus oppoſiti, poſſit Deus diſpenſare pręceptum, hoc.n. implicat manifeſtam contradictionem, tunc.n. faceret eumdem actũ ſimul licitum, & illicitum. Sed quæritur, vtrum Deus poſſit relaxare obligationem pręcepti, & actus oppoſitus per talẽ relaxationem poſſit eſſe non illicitus, ſicut contingit in alijs diſpenſationibus. Quãdo.n. dicitur, quod Papa põt diſpenſare ſuper irregularitate, non intelligitur, quod ſtante irregularitate, poſſit facere Papa, quod licitum ſit irregulari miniſtrare &c. Sed intelligitur, quod Papa poteſt ſoluere, & relaxare pœnam irregularitatis, & tunc licitum eſt iſti, qui prius erat irregularis miniſtrare ex Papæ diſpenſatione.

Sic

Digitized by Google

Sic in propoſito diſpenſatum fuit cum Abraham, vt poſſet licite, & meritorie facere actum oppoſitum præcepto; obligatione tamen præcepti relaxata à diuina voluntate vide D. Bernardum loco infra allegando in artic. 6.

Contra hanc concluſionem videntur eſſe ea, quæ habẽtur in decreto d. 1. §. Humanum genus &c. Vbi dicitur humanum genus duobus regitur modis, naturali videlicet iure, & moribus, ius naturale eſt, quod in lege, & Euãgelio continetur, quo quiſque iubetur alij facere, quod ſibi vult fieri, & prohibetur alij facere, qd ſibi nollet fieri. Vnde Chriſtus in Euangelio, Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis. Hæc eſt enim lex, & Prophetæ, Matth. 7. Item d. 6. §. His itaq; reſpondetur. In lege, & Euangelio naturale ius continetur; non tamen quæcunque in lege, & Euangelio inueniuntur, naturali iure cohærere probantur. Sunt enim in lege quædam moralia præcepta, vt non occides, quædam myſtica, vtpote ſacrificiorum præcepta, vt de agno, & alia ſimilia his. Moralia mandata ad naturale ius ſpectant, atque adeo nullam mutabilitatem recepiſſe monſtrantur.

Scotus. Ad primum reſpondet Doct. in 4. diſt. 17. q. 1. ſub littera A. §. Illud autem eſt verum de iure naturali &c. Vbi inquit, & ex hoc patet, quod non recte loquitur Gratianus de iure legis naturæ volens, quod illa, quæ ſunt in ſcriptura veteris, & noui teſtamenti de lege naturæ eſſe: quia nec illa omnia ſunt principia practica, nec concluſiones practicę demonſtratæ, nec vera euidenter conſona talibus principijs, & concluſionibus. Exponendus ergo eſt, quod extendit ius naturale, ad ius poſitiuum ab authore naturæ, vt diſtinguitur contra ius poſitum ab aliquo, qui non eſt author naturæ.

Ad ſecundum reſpondet Doct. in hac quæſt. ſub litt. I. §. Ad illud in oppoſitum de Canone, quod debet intelligi de lege naturæ large loquendo, & hoc de præceptos ſecũdæ tabulæ, id eſt, præcepta moralia ad ius naturale ſpectant, ſed non omnia eodem modo: nam præcepta moralia, quæ ſunt primæ tabulæ ſpectant ad ius naturæ preſſe acceptum, præcepta vero moralia ſecundæ tabulæ ſpectant ad ius naturæ late ſumptum.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Deus diſpenſauit cum Abraham in præcepto Non occides.

Licet ex his, quæ dicta ſunt in ſuperioribus articulis appareat, quid ſit dicendum ad hanc difficultatem, atque etiam ad illas; quæ proponentur in duobus ſequentibus articulis, tamen pro abundatiori doctrina duxi ſingulas has difficultate ſeorſum examinare, iuxta diuerſas Doctorum ſententias.

Diuina, & humana diſpenſatio differunt.

Vnde obſer. eſt primo, quod inter diuinam, & humanã diſpenſationem maximum eſt diſcrimen. Nam actus qui nobis videtur malus, & illicitus, Dei præcepto, & diſpenſatione poteſt fieri licitus. v.g. Petrũ occidere Ioannem eſt illicitum, vel nobis videtur illicitum, tamen ſi Deus mandat quod Petrus Ioannem occidat, faciet illud eſſe licitũ: quia ipſe interponet aliquid, propter quod illud, quod nobis videbatur illicitum, erit licitum. Sic etiam iſtum furari, ſiue auferre (vt mitius dicamus) bona illius, nobis manifeſte videtur eſſe furtum, Deus tamen ſi mandauerit, faciet eſſe licitum. Sic ẽt ſi aliquis carnaliter vxorem cognoſcat alterius ſciens, & volens iudicatur eſſe adulterium; ſi tamen Deus mandet faciet illud licitum.

Hominibus autem non eſt conceſſa poteſtas interpretandi, & diſpenſandi circa omnia talia: quia tunc totum ius periret, cum voluntas humana ſit malus canon, vt ait Phil. 9. Ethic. Ideo homines quantęcunque poteſtatis ſint non poſſunt interpretari, aut diſpenſare circa talia. Nam Summus Pontifex non põt diſpenſare, ꝙ Petrus licite occidat Ioannem, ſi nullam vlteriorem cauſam cognouerit. Nec poterit diſpenſare, vt Franciſcus cognoſcat vxorem Tullij licite, ſi ipſa tenetur, vt vxor Tullij, & ſic eſt; dato ẽt quod ſm veritatem non ſit, ſi ab omnibus tenetur, vt vxor, vtpote quia facit ſolemnitates nuptiales in facie Eccleſiæ; nec poterit diſpenſare, quod Plato auferat res Martini, ſi nulla cauſa ſubeſſe cognoſcatur, quare eas perdere debeat, & ratio diuerſitatis eſt ex radice actus cuiuslibet. ſ. conſiderando ſecundum quid quilibet actus eſt licitus, vel illicitus; Nam diſpenſatio Dei apponit actui id, per quod eſt licitus, ideo diſpenſatio Dei ſemper eſt iuſta. Diſpenſatio humana non apponit actui id, per quod eſt licitus niſi ab extra ſit; ideo non poteſt exiſtere diſpenſatio proprie, vel cuiuslibet alterius licita, niſi cauſa ſubſit faciens actum licitum; Et tunc Papa, quia poteſtatem habet, vel alij inferiores ſecundum gradum poteſtatis, & rerum diſpenſabilium quantitatem, iudicat illum actum licite fieri, illud autem iudicium ſolum eſt interpretatio, à nobis vocatur diſpenſatio: quia eſt iuris communis relaxatio; & iſta interpretatio non pertinet ad quemlibet hominem: quia non omnes ſcirent diſtinguere de cauſa, quæ facit actum licitum, vel illicitum; & non ſolum non pertinent ad omnes: quia nec ad omnes ſapientes; quia interpretatio diſpenſatiua eſt poteſtatis, & iuriſdictionis.

Res naturales & ſpirituales cõformiter ſe habent.

Secundo obſeruan. eſt, quod conformiter ſe habent ſpiritualia, & naturalia. In naturalibus autem ſic fit, quod nihil poteſt calefieri ſine calido oppoſito, vt ſi debeat lignum, vel homo calefieri naturaliter, neceſſe eſt apponi ignem, vel aliquid alterum, quod ſit aut formaliter, aut virtualiter, id eſt, effectiue calidum. Vnde ſi Summus Pontifex præciperet, quod aqua illa calefiat, non propter hoc calefiet, niſi faciat apponi aliquid ad extra calidum ex quo efficiatur calida, Deus autem ſi præcipiat aliquid calefieri, quod frigidum eſt, dato quod nullum calidum naturaliter formaliter, vel virtualiter apponat, calefaciet: quia ibi eſt aliquid, quod eminenter continet virtutem horum omnium, ſcilicet potentia Dei, quæ continet virtualiter frigidum, & calidum, & omne quod eſt, ipſa ergo per ſe ipſam nullo appoſito ad extra calefaciet id, quod frigidum erat, ſicut ipſa ſine aliquo exteriori adiuncto fecit eſſe per creationem, quod nihil vnquam fuerat.

Sicut ergo Papa non poteſt ſupplere locum cauſæ extrinſece ad hoc, quod tale, vel tale, ſit, ita in ſpiritualibus, & ex poteſtate ſua, aut voluntate non poteſt ſupplere locum cauſæ extrinſecę facientis actum licitum, aut illicitum. Nunquam ergo poterit licite diſpenſare aut interpretari, niſi cum ab extra aliquid extiterit, quod faciat actum licitum & diſpenſabilem.

Deus autem ſicut in naturalibus non indiget aliquo extrinſeco appoſito ad cauſandum actum calidi, vel frigidi, ſed ipſe per ſe ipſum ſupplet, Ita in ſpiritualibus non indiget, quod ſit aliqua cauſa extrinſeca ſecundum ſe ipſam faciens actum licitum, vel illicitum. Nam ipſe ſupplet locum illius cauſæ facientis actum licitum, verbi gratia, ſi ponatur, quod aliquis debeat occidere alterum; occidere eſt ſecundum ſe actus illicitus niſi ille, qui occiditur, habeat aliquid propter quod ei mors ſit debita; & illa eſt cauſa extrinſeca faciens actum licitum. Ideo Papa non poteſt ſupplere illam actus circunſtantiam, ſecundum quam actus ſit licitus. Deus autem poteſt ſupplere locum illius cauſæ extrinſecæ: nam licet ex parte iſtius non ſit aliqua cauſa, propter quam ſecundum iudicium hominum debeat mori, ex parte Dei eſt; quia omnes ei ſumus obligati, & iuſte ſic nos occidit, vel facit occidi.

Ita etiam actus iſte, qui eſt coire, ſecundum ſe eſt licitus, quando inter perſonas coeuntes eſt fœdus matrimonij, ita erit licitus ſi non ſit fœdus matrimoniale, & Deus cauſet inter illas duas perſonas tale vinculum, quale matrimonium, licet illud vinculum non ſit eiuſdem generis cum actu matrimoniali, nec obligabit illas duas perſonas in perpetuum, ſicut vinculum matrimoniale, ſed obligabit pro tanto tempore, pro quanto Deus imponens illud voluerit; & ſicut in naturalibus ſupplebat locum alicuius calefacientis; ita hic ſupplet locum matrimonialis vinculi actum licitum facientis.

Toſtat. His obſeruatis Toſtatus tomo 1. ſuper Exodum cap. 3. q. 10. dicit, quod ex illa immolatione, quam volebat facere Abraham de filio ſuo, non commiſiſſet Abraham homicidium: quia Abraham non ex cauſa ſua, ſed ſolo mandato Dei volebat occidere Iſaac: quia ſtat, quod Abrahã non ageret contra legem: quia non occidebat innocentem. Nam eſſe innocentem eſt, vel malum non egiſſe, vel malum non habere. Quod ſtat dupliciter aut quantum ad Deum, aut quantum ad homines. Quod autem aliquis ſit innocens coram hominibus bene ſtat: quia multi ſunt, qui nulla mala, aut nocumenta alijs hominibus intulerunt. Eſſe autem innocentem quantum ad Deum in nullo reperitur, quia omnes nocentes ſunt ei, vel peccato mortali, vel veniali, vel originali, vel ſaltem pœna peccati originalis. Nam ipſe Chriſtus, qui peccatum nullum egit, aut contraxit ſubiectus erat neceſſitati moriendi, vt ait Apoſtolus ad Hebræos 8. Quia ſtatutum eſt vnumquemque hominem ſemel mori; & per illam legem Chriſtus moriturus erat, & hoc ex præuaricatione primi parentis.

Cum ergo Iſaac nocens eſſet coram Deo, quantum ad peccata venialia ſaltẽ, & originale, vel etiam de mortalibus, licet ſi quæ fuerunt taceatur, quo ad illa debitor erat mortis, quo ad Deum, & poterat eam Deus repetere ab eo quandocunque vellet, & vbicunque, & per quamcunque perſonam.

Abraham ergo volendo immolare Iſaac, volebat immolare nocentem Deo, & qualiter oportebat, ſcilicet mãdato illius, qui præcipere poterat, ſcilicet Dei, ergo homicida vocandus non erat in hoc, ſed executor iuſtitiæ. Imo etiam, quod non ſtaret illa obligatio peccati primi parentis, adhuc Deus licite nos occideret, inquit Toſt. vbi ſupra cap. 20. quæſt. 35. *Toſtat.* Nam ipſe agit omnia propter ſe, & creauit nos propter ſe, redemit propter ſe, glorificat propter ſe, & tollit peccata propter ſe, iuxta illud Hieremiæ, cap. 43. Ego ſum, qui deleo peccata tua propter me, Deus ergo vtitur nobis, & non fruitur; Quia ergo ſicut nos res noſtras conſeruamus: quia vtile eſt nobis eas conſeruare, & interdum eas deſtruimus: quia nobis ſic bonum eſt: ita Deus propter gloriam ſuam nos creauit tanquam res ſuas, & propter gloriam ſuam nos interdum occidit. Licet ergo Adam non peccaſſet, adhuc exiſtebat iſta ratio: quia ſemper poſſet nos licite occidere, nec in hoc aliquod iniuſtum faciebat: quia nullum iniuſtum eſt Dei ad hominem. *Ariſtot.* Nam vt inquit Philoſ. 5. Ethic. non eſt aliquod iuſtum hominis ad poſſeſſionem ſuam: quia ſiue eã deſtruet, ſiue ædificet, ſiue plãtet, ſiue eradicet nullũ iniuſtũ agit ei. Cum ergo homo ſit poſſeſſio Dei, vt patet Pſal. 103. cum dicitur. Omnia in ſapientia feciſti impleta eſt terra poſſeſſione tua. Poterit Deus facere de omnibus, quæ ſunt in orbe tanquam homo de ſua poſſeſſione, ſiue deſtruere ſiue conſtruere, atque ita ſi aliquis homo vellet alterum occidere iniuſtum faceret, ſi tamen Deus ei mandaret iam iuſtum eſſet, ſiue quia iam obligatus erat homo ad mortem ex peccato primi parentis: ſiue quia Deus volebat eum occidere: quia erat gloria eius; ſicut homo vult deſtruere domum ſuam, aut vineam ſuam.

Caietan. Caietanus, vt diximus ſupra ad hanc difficultatem reſpondens diſtinguit, quod præcepta Decalogi ſecundum ordinem iuſtitiæ quem continent ſunt indiſpenſabilia, ſecundum vero applicationem ad aliquem ſingularem actum ſunt per Deu diſpenſabilia, addit tamen quod diſpenſatio illa non eſt præcepti relaxatio, ſed eſt facere, quod iſte actus non ſit homicidium, v. g. Dum præcepit Abrahe, vt filiũ immolaret, non relaxauit legẽ naturæ, veluti cum Papa diſpenſat in ieiunio relaxat ſuam legem in tali caſu; ſed facit, vt ille actus non ſit homicidium, eo quod à ſuprema authoritate iubetur ſine qua homicidium eſſet; Nam homicidium non quamcunque occiſionem ſignificat, ſed iniuſtam.

Sotus. Verum hæc reſpõſio Caietani non placet cæteris Thomiſtis. Nam vt inquit, Sotus lib. 2. de iuſt. & iur. quæſt. 3. art. 8. dicere, quod præceptum non eſt diſpenſabile in quantum includit ordinem iuſtitiæ, idem eſt ac ſi dicas, non eſt diſpenſabile per manens contra iuſtitiam, id eſt, non poteſt Deus præcipere aut permittere, vt mala iuſte fiant, vt mala ſunt, vel dum mala ſunt in ſenſu compoſito, quod cum nullatenus ſit dubitabile, nihil ad rem attinet: nam dubitatio ſolum eſt, an hoc, quod eſt hominẽ occidere, quod præceptum illud, Non occides vetat; permiſſione, vel diſpenſatione Dei, poſſit licitum fieri. Reſpondere autem, quod eſt diſpenſabile per applicationem ad ſingularem actum eſt principium petere.

Ideo aliter reſpõdent Thomiſtæ iuniores, Quod Deus duas habet poteſtates in vniuerſum orbem, vnam quod iure creationis eſt Dominus, non ſolum bonorum æternorum, ſed corporis, & vitæ, & Angelorum, quos in nihilum redigere poteſt. Altera vero eſt, quod eſt legislator: atque adeo vniuerſalis Iudex omnium; & claritatis cauſa oportet alteram ab altera ſeorſum conſiderare.

Hoc ſuppoſito dicunt, quod ſi Deus non eſſet rerum Dominus, ſed tantum legislator, & iudex, non poſſet diſpenſare, vt quis alterum occideret: quia occidere innocentem authoritate propria adeo intrinſece eſt iniquum, vt iuſte fieri nequeat; atque ita ſi non eſſet niſi legislator id facere non potuiſſet, ſed quia eſt Dominus vitæ potuit tradere poteſtati Abrahæ; ſicuti pecori Dominus poteſt eius vitam cui voluerit tradere; atque hac ratione illic non fuit homicidium: quia interdictione homicidij ſolum illud prohibetur, quod lex naturalis abhorret: quare cum iudex tradit reum carnifici non diſpenſat in homicidio, quia occiſio illa non contrariatur iuri naturali imo eſt conſona illi; ſicuti neque eſt diſpenſatio, quod quiſque inculpata tutela inuaſorem occidat: quia id natura non prohibet: Vnde ſi homo eſſet Dominus vitæ ſuæ, ſicut ſuæ pecudis, citra diſpenſationem poſſet alteri facere facultatẽ, vt ſe occideret: & quia iſto modo Deus eſt Dominus, citra diſpenſationem potuit filium iugulandum patri tradere. *D. Thom.* Quin vero vt Sanctus Thomas ait; Non ſolum tanquam Dominus, ſed tanquam iudex poteſt innocentem occidere: Nam ratione præuaricationis Adæ omnes incurrimus pœnam mortis quam idcirco morbis, & caſibus fortuitis indies à nobis poſcit. Verum tamen & de hoc diuina miſericordia laudatur, quod noluit Iſaac innocentem occidi.

Richard. Eodem modo reſpondet Richar. hac d. artic. 1. quæſt. 5. ad 2. ſed in 1. diſt. 47. artic. 1. quæſt. 4. ad primum, dicit quod præcipere innocentem interfici, non eſt præcipere malum, quod per præceptum non poſſet fieri bonum, ſicut enim Deus poſſet iuſte flagellare innocentem, vt per illam flagellationem augeretur præmium innocentis patienter flagellationem ſuſtinentis, ita poſſet præcipere interfici innocentem, vt illam mortem patienter ſuſtinendo, maius præmium mereretur.

Secundo dicit, quod ſi Iſaac innocens erat peccato actuali, obligatus tamen erat pœnis temporalibus, quia natus fuerat in peccato originali.

Tertio dicit, quod Deus illis verbis non intendebat præcipere, vt Iſaac interficeretur, quamuis hoc Abraham intellexerit, ſed intendebat præcipere, quod Abraham haberet propoſitum, & promptum animum hoc faciendi, dicit tamen quod prima reſponſio videtur clarior.

D. Bonau. Hanc tamen vltimam reſponſionem approbat D. Bonauen. in 1. diſt. 47. dubio 5. ſuper Magiſtrum, vbi dicit, quod quædam præcipit Deus ad faciendum, vt præcepta moralia, quædam ad probandum, id eſt, probata oſtendendum, vt præceptum Abrahæ, vbi ſignatur, quod Deus non voluit immolationem, ſed voluit, quod Abraham illam vellet, & ideo cum voluit illam, ſe ſibi conformauit. Quædam præcipit Deus ad erudiendum, vt præceptum, quod fecit Deus in Euangelio quibuſdam curatis à lepra, quibus præcepit ne cui dicerent, in quo ſignificauit ſe velle contemptum laudis, & ideo Abraham laudandus eſt in voluntate obedientiæ, & curatus à lepra in hoc, quod non tacuit propter gratitudinem. Hæc Sanctus Bonauentura.

Cæterũ ipſemet D. Bon. in 1. d. 47. art. vnico q. 4. diſtinguit, quod aliud eſt malum in ſe, & aliud eſt malum ſecundum ſe: malum in ſe eſt, quod poteſt fieri bene, malum ſecundum ſe eſt, quod nullo modo poteſt fieri bene: ſicut odium Dei, & mendacium, ſunt mala ſecundum ſe; quæ nullo modo poſſunt bene fieri, & ſic Deus non poteſt illa præcipere, quia non poteſt auferri ab eis deformitas, &

Digitized by Google

nitas, & deordinatio ad Deum, quam habent, occidere autem innocentem, & accipere alienum ſunt mala in ſe, quia poſſunt fieri bene cum authoritate Dei,& ſic poteſt Deus in illis diſpenſare, ſicut in omnibus præceptis ſecundæ tabulæ, quia illa quæ prohibētur in his præceptis ſunt tantum mala in ſe,& non ſecundum ſe. Nam præcepta ſecundæ tabulæ tantum ordinant hominē ad proximum, & oppoſita illorum deordinant illum à proximo, ſed iſta deordinatio eſt mala in ſe, atque adeo poteſt Deus præcipiendo oppoſitum præcepti facere illud bonum.

Alex. de Ales. *D. Bern.*

Hanc Doctrinam accepit D. Bona. ab Alexan. de Ales. 1. par. q. 37. m. 2. & 3. & Alex. à D. Bernar. in lib. de diſpenſatione,& præcepto ſub principiū ſub litt. E. vbi diſtinguit neceſſarium tripliciter,& ibi idem neceſſarium eſt, quod præceptum dicens. Neceſſarium in tria hac ſubdiuiditur ſtabile, inuiolabile, incommutabile: & quidem ſtabile dixerim, quod ita eſt neceſſarium, quod non cuilibet hominum illud mutare fas ſit: niſi ſolis diſpenſatoribus myſteriorum Dei, id eſt, præpoſitis vt, Verbi gratia, regulæ ſanctorum Baſilij. Auguſtini, Benedicti, nec non authentici Canones, & ſi qua ſunt Eccleſiaſtica inſtituta dignæ authoritatis. Quæ quoniam à Sanctis tradita ſunt ſancita ſtabiliter perſeuerant, nec omnino cuiuis ſubiectorum ea aliquo modo variare, vel mutare conceditur,& infra. Neceſſarium inuiolabile intelligo, quod non ab homine traditum, ſed diuinitus promulgatum, niſi à Deo, qui tradidit mutari omnino non patiiur, vt exempli cauſa, Non occides, Non mœchaberis. Non furtum facies.& reliqua illius tabulæ legis ſcita, quæ etſi nullam prorſus humanam diſpenſationem admittunt, nec cuiquam hominum ex his aliquo modo ſoluere, aut licuit, aut licebit. Dominus tamen horum, quod voluit, & quando voluit ſoluit, ſiue cum ab Hebreis Aegyptios ſpoliari, ſiue quādo Prophetam cum muliere fornicaria miſceri præcepit. Quorum vtique alterum, quid niſi graue furti facinus, aliud quid niſi flagitij turpitudo reputaretur ſi non excuſaſſet vtrunque factum authoritas imperantis?& infra. Neceſſarium immutabile accipi velim, quod nil congruentius, quam quod diuina iſta conſtat, & æterna ratione firmatum, vt nulla ex cauſa poſſit, vel ab ipſo Deo aliqualiter immutari, vt mandatum charitatis, & mandatum primæ tabulæ.

Durand. in 1. d. 47. q. 4.

Dicit ergo D. Bonauentura, quod occiſio Iſaac non erat malum ſecundum ſe, quia Iſaac ratione peccati originalis erat reus mortis,& Deus poterat cōmittere Abrahæ vt occideret illum authoritate diuina. eodem fere modo reſpondet Durandus dicens, quod occiſio innocentis non eſt ſic mala, quin ratio mali ſit ab ea ſeparabilis authoritate Dei, qui eſt plenus dominus vitæ, & mortis, & ideo potuit à Deo præcipi. Quid autem dicendum ſit ſecundum Scotum ex ſuperius dictis facile patet.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Deus diſpenſauit cum filijs Iſrael in præcepto Non furtum facies.

QVod Deus præceperit Iudæis petere commodato ab Ægyptijs vaſa aurea,& argentea,& veſtem plurimam, clarum eſt Exodi cap. 3. vbi in extremis verbis dixit Deus Moyſi. Dabo gratiam populo huic coram Ægyptijs,& cū egrediemini non exibitis vacui, ſed poſtulabit mulier à vicina ſua, & ab hoſpita ſua, vaſa argentea,& aurea,& veſtes, ponetisq; eas ſuper filios, & filias veſtras, & ſpoliabitis Ægyptios. Idemq; dixit Deus Moſi in initio c. 11. his verbis. Dices omni populo, vt poſtulet vir ab amico ſuo,& mulier à vicina ſua, vaſa argentea,& aurea. Dabit autem Dominus gratiam populo ſuo coram Ægyptijs. Quod autem id effecerint Hebræi patet Exodi 12. vbi ita legitur. Fecerunt filij Iſrael, ſicut præceperat Dominus Moyſi,& petierūt ab Æegyptijs vaſa argentea,& aurea, veſtemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Æegyptijs, vt commodarēt eis,& ſpoliauerunt Ægyptios.

Et ex his tribus locis ſcripturæ liquido apparet, nō eſſe verum, quod quidam dixerunt. Ægyptios vltro donaſſe illa dona Hebræis, præueniendo eorum petitionem, nec commodaſſe eis, quaſi poſt vſum eorū in ſacrificio, quod in ſolitudine facturi erant Deo ſuo reddēda ipſis, ſed gratuito,& liberaliter ea donaſſe. Hoc enim eſſe falſum euidenter oſtendunt verba ſcripturæ, quæ ſupra ex capite 12. retulimus, illis enim verbis dicitur, & Hebreos petijſſe ab Ægyptijs,& Ægyptios commodaſſe ea Hebræis, & Hebræos ſpoliaſſe Ægyptios. Si enim bona illa fuiſſent liberaliter donata Hebræis; non dicerentur ea commodata Hebræis. Aliud enim eſt commodare alicui quippiam, & aliud donare ei; Nec Hebræi dicerentur ſpoliaſſe Ægyptios, ſi ea bona liberaliter,& dono accepiſſent ab eis. Nō eſt ergo probabile quod Ioſephus lib. 2 Antiquitatum de hac re ſcripſit his verbis. Tunc Rex accito Moſe mandat, vt abeant, ratus poſt eorum exitum, regionem ceſſantibus calamitatibus ſubleuatum iri. Donis etiam Hebreos honorabat, alij quod celerius diſcederent, alij propter vicinitatis conſuetudinem; atque hoc pacto egreſſi ſunt Hebræi, flentibus Ægyptijs, & pœnitentibus ob præteritam malam eorum tractationem. ſic Ioſephus. *Ioſephus*

Hoc itaque præſuppoſito tanquam certo, nempè quod Dominus Hebræis præceperit commodato accipere vaſa aurea,& argentea,&c. Quærimus an Hebræi ſine peccato Aegyptios proprijs ipſorum bonis ſpoliauerint, vel ſpoliatio illa Ægyptiorum facta ab Hebræis fuerit iniqua, & merito culpanda. Hanc quæſtionem tractarunt. Philo. lib. 1. de vita Moſi. Irenæus lib. 4. contra hæreſes capit. 49. Tertullianus lib. 2. aduerſus Marcionem. Clemens Alex. in lib. 1. ſtromatum S. Aug. in lib. quæſtionum in Exodum quæſt 6. & 39. & 45. & copioſiſſime lib. 22. contra Fauſtum cap. 71. & Rupertus primo commentariorum in Exodum. Ex quibus ſua placita acceperunt omnes Scholaſtici.

Philo. *Irenæus.* *Tertull.* *Clemens.* *Alexand.* *D. Aug.* *Rupertus.* *Alex. de Ales.*

Vnde Alex. de Ales 1. p. quæſt. 37. m. 3. ad 3. dicit quod Deus non præcepit furtum: quia furtum dicit accipere rem alienā ex cupiditate, quod nullo modo dices, ſed tantum præcepit accipere rem alienam, quod quidem eſt licitum ex obedientia Dei; accipere enim rem alienam tantum priuat ordinem ad creaturam, ſed accipere ex cupiditate priuat ordinem ad Deum, quod nullo modo licet.

Eodem modo reſpondet D. Bonauentura in 1 diſt. 47. art. 1. quæſt. 4. ad 2. dicens, quod illa expoliatio non fuit mala ſecundum ſe, quia nunquam præcepit Deus, quod ex libidine expoliarent illos, ſed tantū fuit mala in ſe, ſcilicet accipere rem alienam, quod factum fuit licitum per Dei mandatum, qui cum ſit Dominus omniū bonorum, potuit transferre illis dominium. Simili modo reſpondet D. Thomas 2. 2. quæſt. 66. artic. 5. ad primum, & quæſt. 104. art. 4. ad 2. & 1. 2. quæſt. 100. art 8. ad 3. *D. Bonau.* *D. Thom.*

Richardus in 1. diſt. 47. art. vnico quæſt. 4. ad tertiū dicit, quod filij Iſrael non ſpoliauerunt de mandato Domini Aegyptios iniuſtè, quia cum Deus ſit Dominus omnium transferre potuit iuſtè dominium illorum vaſorum & veſtium Aegyptiorum in filios Iſrael. Vnde filij Iſrael hoc acceperunt ſicut rem ſuam, nō ſicut rem alienam. Si autem aliqui de filijs Iſrael inpetendo illa vaſa, & veſtes habuerunt fraudulentam, & malignam intentionē, hoc non præcepit eis Dominus, ſed tantum voluit transferre illas diuitias ab Aegyptijs filios Iſrael, quia filij Iſrael pluribus annis ſeruierunt Aegyptijs, nec ab eis aliquam mercedem receperunt. *Richard.*

Eodem modo reſpondet Scotus in hac quæſt. ſub litt. I. §. & ad aliud quod tangebatur, &c. vbi dicit, quod de filijs Iſrael ſpoliantibus Aegyptios poteſt dici, quod ibi non diſpenſauit contra præceptum de furto, quia ipſi non acceperunt ſimpliciter alienum, tum quia Deus erat ſuperior Dominus, & potuit transferre dominium illarum rerum in eos etiam inuitis inferioribus Dominis, & hoc modo non peccauit Chriſtus licentians in porcos intrare dæmones, qui ſtatim præcipitati ſunt in mare; non enim iniuſtè priuauit eos porcis ſuis. Tum etiā quia filij Iſrael ſeruiendo Aegyptijs meruerant tanta recipere, licet Aegyptij nollent ea reddere, & tunc per ſuperiorem Iudicem potuerunt compelli, de cuius licentia filij Iſrael potuerunt iuſtè, & licite accipere. Et ex hoc patet non fuiſſe *Scotus.*

mentem

mentem Scoti furtum permanēs ſub ratione furti diſpenſari à Deo, vt falſò Thomiſtæ illi imponunt, ſed quod Deus per ſuum imperium diſpenſat, & efficit, quod illud quod prius fuiſſet peccatum, & furtum, iam non ſit peccatum, & furtum: nam diſpenſatio, vt diximus, cadit ſuper materiam, & non ſuper circunſtantiam agentis: nam fieri nequit, quod ego propria authoritate accipiam, & retineam rem alienam inuito Domino, ſine peccato: quia hac ratione res illa nunquam fieret mea, ſed ſemper remaneret aliena: ita vt ſit diſpenſatio in materia, quia manet ſemper eadem materia, & quantum eſt ex me acciperem alienum, niſi Deus Dominium transferret, atque adeo diſpenſatione non mutatur materia, ſed ipſa materia mutat conditionem, quia de non mea fit mea.

Durand. Durandus eodem fere modo reſpondet cum Alex. de Ales, & D. Bonauentura, & ab eis ſolum differt in verbis. Dicit enim, quod ablatio rei alienæ nunquam fuit à Deo præcepta cum includat intrinſece, & inſeparabiliter rationem indebiti, ſed Deus poteſt mutare naturas, & conditiones rerum, potuit ergo facere, quod res quæ erant Aegyptiorum fierent Hebræorũ, vel ex mero dono Dei, qui eſt Dominus omnium, vel in recompenſationē laboris, & ſeruitij, quod impenderant Hebræi Aegyptijs, & ſic Hebræi non abſtulerunt rem alienam, ſed ſuam, & ideo non ſunt furati. Nullo ergo modo facta eſt, inquit, diſpenſatio in illo præcepto, non furtum facies, quia non eſt factum, quod furto manente in natura ſua, ſit ablata ratio illiciti, quod pertinet ad diſpenſationem, ſed ſolum mutata eſt natura, vel conditio rei, vt iam in ea non habeat locũ furtum; nec eſt ibi aliqua diſpenſatio; ſi autem alicui eſſet prohibitum bibere vinum, & vinum ipſum oblatum mutaretur in aquam, certè poſſet bibere vinum illud conuerſum in aquã abſque diſpenſatione. Semper enim diſpenſatio fit quando manente materia præcepti in ſua natura, & conditione amouetur ab ea ratio obligationis, & illiciti; Hoc autem amoueri non poteſt à materia illius præcepti, quia includitur in ea intrinſece, vt dictum eſt. Si autem forma præcepti eſſet talis, nõ accedas ad hanc mulierē, vel non accipias hanc ouem, licet in veritate mulier ſit non tua, & ouis non tua: quia tamen in materia præcepti non includũtur intrinſece, ſed ſunt conditiones extrinſecæ, in talibus præceptis poſſet cadere diſpenſatio per hoc, quod de non tuo efficeretur tuum, quia tunc non eſſet mutatio materiæ præcepti, ſed ablatio conditionis adiunctæ, quæ ponebat rationem illiciti.

Vult dicere Durandus, quod accipere rem, quæ eſt alterius, ſpecificatiue non includit intrinſece rationem illiciti, hoc eſt, non eſt malum ſecundum ſe, licet ſit in ſe malum, ſed accipere rem, vt eſt alterius reduplicatiue includit intrinſece rationem illiciti, & eſt malum ſecundum ſe, & in hoc conuenit cum Alexandro, & Bonauentura, ſed differt ab eis in hoc, quod illi volunt, quod materia illius Præcepti nõ furtum facie ſit res aliena ſpecificatiue, id eſt, res quæ eſt alterius, & ideo dicunt, quod accipere rem alienam non eſt malum ſecundum ſe, ſed eſt malum in ſe. Ad Durandus vult, quod illius præcepti materia ſit res aliena reduplicatiue, id eſt, vt aliena, ſed in hoc ipſe deceptus eſt.

Toſtatus. Toſtatus Tom. 2. in Exodum cap. 3. quæſt. 10. Reſpondet, quòd Hebræi acceperunt rem alienã, & commiſerũt furtum materialiter, quia furtum conſiſtit in cõtractione rei alienæ inuito Domino animo lucrandi facta, quæ omnia hic reperiuntur ſaltem materialiter, quia Hebræi tulere illa, quæ vt ſua Aegyptijs poſſidebãt, pro quibus etiam poterant aduerſus Iudæos agere ratione furti: Hoc etiam fuit inuitis Dominis, quia Aegyptij tradiderunt iſtas res commodatas ad certum locum, & tempus, cum aũt Hebræi reduxerunt ea ad alia loca, & maiori tempore, fecerunt contra voluntatem Aegyptiorum, etiã hoc fuit intentione lucrandi, quia non faciebant Hebræi cauſa illudendi Aegyptios, ſed vt iſta pro ſe reciperent; Non commiſerunt tamen furtum formaliter, quia furtũ formaliter ſemper eſt peccatum mortale, quod Deus nunquam diſpenſat, ſed ſolum interpretatur in tali caſu accipere rẽ, quæ ab alio poſſidetur, non eſſe furtũ, & iſte modus diſpenſandi eſt in legibus humanis, & Eccleſiaſticis. Quoniam Papa condens Canonem non dicit, quod aliquis concedens ordines, vel beneficium, eſſe Simoniacum, vel nõ eſſe Simoniacum, etiam nunquam dicit, quod incidere voluntarie in excommunicationem per communicationem cum excommunicatis non ſit peccatum, vel quod ſit bonum, ſed interpretatur in tali, vel tali caſu communicando excommunicato non incurrere excommunicationem; adeo vt Hebręi non commiſerint furtum, ſed eorum actio fuit talis, qualis eſt actus furãdi, ſed Deus interpretatus fuit non eſſe illam actionem furtum tribuens eis poteſtatem accipiendi illa bona, quæ Aegyptij tunc poſſidebant, & hoc fuit mutando dominia rerum ab Aegyptijs in Hebræos, quod ſatis facile Deus agit cum omnia Dei ſunt.

Quam reſponſionem explicans magis c. 20. q. 35. dicit, quod nullus poteſt tollere res alterius niſi habeat ad eas titulum; titulus autem, qui cauſat dominium, eſt cauſa faciens, quod accipere res, quæ alterius erant, ſit licitũ: homines autem non poſſunt iſta facere: Non poteſt Papa diſpenſare, quòd Petrus licitè accipiat res Ioannis, ſi nihil intercedat, quare alius debeat perdere res ſuas, & quare acquiratur iſti titulus ad recipiendum eas. Deus autem ſine appoſitione cauſæ extrinſecæ poteſt diſpenſare, vt iſte licite accipiat res illius. Et ſicut hic extrinſece requirebantur duæ cauſæ ad hoc, quod ſecũdum ſe iſte actus licitus eſſet; Ita Deus ſupplet locum duarũ cauſarũ, ſcilicet quod ſit aliqua cauſa quare ille qui poſſidet perdere mereatur, & alia ex qua ille, qui non poſſidet acquirere debeat, & iſta ſecunda vocatur titulus. In lege humana crimina (accipiendo large crimen) vel alij errores ſunt cauſa, vt ille qui poſſidet perdat, quod poſſidet; ſupplet autem Deus iſtam cauſam extrinſecam: nam nullus homo eſt qui in conſpectu Dei non ſit peccator, iuxta illud Pſal. 100. Non intres in iudicio cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens, & Exodi 24. Apud quē nullus per ſe innocens eſt. Et cum ipſe pro peccato mortali debeat dare vitam æternam, & pro peccato veniali alias temporales pœnas, poteſt conuertere illas, vel partem illarum in pœnas pecuniarum cum ſit minor pœna.

Secunda cauſa extrinſeca erat titulus ex parte recipientis, vt iuſte recipiat, & hãc ſupplet Deus, quia cuilibet poteſt dare titulum ad quamcunque rem. Nam omnia quęcunque ſunt, Dei ſunt, vt patet Pſalm. 23. & 103. & Exodi cap. 9 & licet homines illa poſſideant, & ſint Domini eorum, non ſunt principales Domini, ſed quaſi œconomi, aut procuratores; vel ſi velimus verius dicere ſunt cõmodatarij, vel Precatarij, id eſt, accipientes à Deo commodatum, vel precario, licet magis poteſt dici precarium, quam commodatum, quia bona, quæ nos videmur poſſidere magnam habent conuenientiam cum precario, vt patet extra de precarijs in cap. precarium. Cũ ergo ea quę poſſidemus nõ ſint noſtra, ſed Dei, & nos tenemus ea precario, quandocunq; voluerit Deus poteſt iuſte reuocare precarium, ſicut per leges humanas fit. Et ſicut alicui poſſidenti precario attribuitur poſſeſſio iuſta per traditionē factame precarij; ita quãdo Deus voluerit rem vnius ei tollere, quã à Deo precario tenebat, & alteri dare; ille cui dederit, licite eam recipiet, & habebit ad eam titulum.

Patet ergo, quod ſi Deus voluerit res vnius alteri dare, (etiam illo cui aufertur res nihil peccante) ille qui acceperit etiam violenter, nec furtum committit, nec rapinam, nec aliquo modo peccat.

Iudæi ergo non commiſerunt furtum formaliter loquendo accipiendo bona Aegyptiorum, quia non contrectabant rem alienam, ſed non ſuam Domino transferente Dominium.

Secundo reſpondet, quod dato, quod Deus non mandaſſet eis accipere iſta ab Aegyptijs, potuiſſent ipſi facere iure ſuo. Quia Aegyptij abſtulerunt multa bona Iudæorũ, per exactiones extortas, & irrationales penſiones impoſitas; maxime, quia cum liberi eſſent cogebant eos laborare multis laboribus, in quibus nihil eis ſoluebant. Erant ergo Aegyptij debitores pro omnibus his Hebræis. Inſuper quia filios eorum in flumine merſerant, quod poterat redigi in pœnam pecuniariam.

Et quia nemo debet accipere debitũ ſibi ab altero propria authoritate, vel rem ſuã inuentã apud alterũ accipere violenter; non poterant Hebræi violẽter rapere iſta ab Aegyptijs, nec poterant Hebręi cũ Aegyptijs iudicio contendere.

Digitized by Google

tendere. Tum quia nõ erat idẽ iudex Hebreis, & Aegyptijs, tum quia Aegyptiorum iudices non libenter eos audiſſent, & contra eos iudicaſſent, eoſq. durius afflixiſſent. Habentes ergo Hebræi Iudices Aegyptiorum ſuſpectos, non tenebantur coram ipſos ventilare ſuam actionem, ſed magis requirentes Aegyptios, vt redderent eis res ſuas, ſi nollent, poterant indicere bellum, & repetere damna, & iniurias per iuſtum bellum, quouſque ſufficienter ſatisfactum ſibi eſſe putarent. At Hebrei non poterant Aegyptijs indicere bellum, quia pauciores eis erant, & penè inermes atque omnibus bellicis ſubſidijs diſtituti. Poterant ergo, quocumque alio modo propria authoritate, res ſuas apud Aegyptios detentas, aut labores ſuos iuſtè inuadere, & accipere, ſiue hoc clandeſtinè, ſiue publicè exerceatur.

Sed licet iſta potuiſſent facere Iudæi propria authoritate, tamen diuinum mandatum valde eis conueniens fuit, vt non agerent aliquid contra conſcientiam.

Mag. ſent. Magiſter Sententiarum hac diſtinctione ſentit ex Iudæis, viros ſapientes & optimos non peccaſſe; rudiores autem, & infirmos peccaſſe, quia cupiditate quadam bona illa acceperunt. Cæterum communis Theologorum ſchola iudicat, factum illud nullo modo fuiſſe peccatum. Ita habetur in cap. Gaudemus, extra de Diuor. & eſt ſententia D. Aug. q. 39. in Exodum, quam probat ex illo Sap. 10. *D. Aug.* Iuſti tulerunt præmia impiorum, ſi in illo namque facto peccaſſent, quomodo vocarentur iuſti; & Exodi 12. dicitur. Filij Iſrael fecerunt ſicut Dominus præceperat Moyſi, quod Domino præcipiente fit, nequit peccatum eſſe; iuſtè ergo tulerunt Iſraelitæ bona Aegyptiorum vna ex his quatuor cauſis, vel propter omnes ſimul.

Quatuor ex cauſis Hebręi expoliauerunt Aegyptios. Prima eſt, Domino Aegyptios puniente, & priuante illos bonis ſuis, propter eorum delicta & peccata, applicanteq. illas Iſraelitis, ſicut ob crimen hæreſis, vel læſæ maieſtatis, priuantur homines ſuis bonis, & applicantur illa Fiſco, qua etiam ratione terra promiſſionis fuit ſublata Cananæis, alijſq. nationibus, ob eorum Idololatriã, & delicta, & tradita Iudæis. Hanc rationem breuiter, & pulchrè comprehendit D. Aug. in q. 19. in Exodum, & in lib. 22. contra Fauſtum. c. 71. *D. Aug.*

Secunda ratio eſt, quia filij Iſrael ſeruierunt Aegyptijs multis annis in operibus lateris, & luti, pro quibus laboribus ab eis nullam mercedem acceperant. Deum vt iuſtũ iudicem præcepiſſe illud, velut ſua ſententia adiudicantem illa bona Iſraelitis tamquam iuſtè eis debita, quod inſinuatur Sapientiæ decimo. Reddit iuſtis Deus mercedem laborum ſuorum, &c. & tranſtulit per mare. Hanc rationem tangit Philo. lib. 1. de vita Moſi, & Iræneus li. 4. contra hæreſes. c. 49. *Philo. Irenaus.*

Tertia ratio eſt, quia furtum eſt acceptio rei alienæ, inuito Domino, & cum Deus ſit Dominus omnium rerum Iſraelitas ex pręcepto Dei, tamquam veri domini illorum bonorum, illa accipientes, non commiſiſſe furtum: ita Philo, D. Aug. & Irenæus, locis citatis. *Philo. Irenaus. D. Aug.*

Philo. Irenaus. Clemens Alex. Epiphan. Quarta ratio, quam habent Philo, Irenæus, Clemens Alexandrinus primo libro ſtromatum, & Epiphanius in libro Anchoratus. Quia filij Iſrael, ea nocte, qua Aegyptij ſuffocati ſunt, habuerunt cum eis, velut bellum iuſtum, Domino pro eis pugnante, & cum in bello iuſto liceat exſpoliare inimicos, quæ mutuo acceperunt, retinuiſſe tamquam ſpolia illius belli. Quam rationem adducit etiam Sapiens, Sap. 10. Ideo iuſti tulerunt ſpolia impiorum, & decantauerunt, &c.

Poteſt his addi quinta ratio, quam tangit Irenæus loco citato, qui præter grauiſſimas cauſas ſuperius commemoratas, cauſatur etiam grauiſſimum ingratiſſimi animi Aegyptiorum in Hebræos crimen, ob quod ſuis illis bonis meritò expoliati fuerint. Ampliſſima enim beneficia à Sãcto Patriarcha Ioſeph, qui per octoginta annos vniuerſam Aegyptum admirabili prudentia, & inæſtimabili eius gentis vtilitate, ſummo cum imperio, adminiſtrauerat, quamobrem Aegyptios in eius gentem humaniſſimos, & benigniſſimos eſſe oportuit, cui tamen illi fuere inhumaniſſimi, atque crudeliſſimi.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum Deus diſpenſauit cum Oſea in Præcepto: Non mœchaberis.

QVi arbitrantur, quæ Propheta ſe feciſſe dicit, non fuiſſe re ipſa, verèq. facta, ſed tantum in viſione prophetica contigiſſe; nullam patiuntur difficultatem de diſpenſatione præcepti, Non mœchaberis, quemadmodum cõtorquentur hac difficultate, qui pro certo & indubitato tenent, hoc non ſpiritu, ſed re vera ita geſtum eſſe, vt narratur.

Ionathas. Ionathas quidã Chaldeus Paraphraſtes, ita verba prophetæ tranſtulit, vt dubium non ſit, imaginariam viſionẽ fuiſſe ad aliquid ſignificandum; Nam vbi nos habemus. Vade, ſume tibi vxorem fornicationum & c. ipſe vertit: Vade, prophetiza contra habitatores ciuitatis Idololatræ, qui audẽt peccare; quia errando errabunt habitatores terræ à cultu Domini; & pro eo, quod eſt. Et abijt, & accepit Gomer &c. ipſe ait. & abijt & prophetauit ſuper eos.

Moſes Aegyptius. Burgenſis. Hunc nonnulli Hebræorum ſecuti ſunt, vt Moſes Aegyptius lib. 2. directoris dubiorum, cap. 46. vbi planè docet fuiſſe viſionem imaginariam, & Burgenſis in additione 3. ad primum cap. Oſeæ. & additione ſexta, in cap. 25. Geneſis. Idem etiam multis verbis docet Diuus Hieronymus in prœmio Commentorum ſuper Oſeam: Nec in horum verborum expoſitionem, ſententiam mutauit, vt quibuſdam videri poſſet; tantum oſtendit, quomodo ſe tueri queat, qui non viſionem, ſed factum eſſe diceret. Idem affirmat in illud Ezechielis quarto. Si commendent filij Iſrael, &c. vbi ita ſcribit. Quomodo Oſea non recuſauit ſcortum ducere, cum alij Prophetæ faciliora recuſarint? cui quæſtioni reſpondet. Ex quo oſtenditur figuram fuiſſe Synagogæ, vel Eccleſiæ, non verò iuxta litteram perpetratum, quod ipſum exponentes, Prophetam plenius diſſeruimus. Sic Hieron. *D. Hieron.*

Ruffin. Ruffinus præfatus eſt, magnam de hac re fuiſſe Doctorum hominum contentionem, Palæſtinam, & Aegyptum, & omnes, qui Origenis authoritate plurimum commouentur affirmaſſe, coniugium iſtud in ſpiritu tantum fuiſſe geſtum. Contra Syros exiſtimaſſe carnaliter impletum, tandem ait, compendioſius videri, & tutius, & ad ſignificationem rerum accommodatius, ſi res ſpiritu geſta credatur.

D. Iren. Cæterum, pro certo & indubitato credendum eſt, non in ſpiritu, ſed re vera ita geſtum eſſe. Ita docet Sanctus Irenæus, libro quarto, cap. 37. cuius verba, quia pulchrè veritatem confirmant, libenter referam: Non ſolum autem, inquit, per viſiones, quæ videbantur, & ſermones, qui præconabantur, ſed & in operationibus viſum eſt Prophetis, vt per eos præfiguraret, & præmonſtraret futura, propter quod & Oſea Propheta accepit vxorem fornicationis, per operationem prophetans, Quod fornicando fornicabitur terra à Domino, hoc eſt, qui ſuper terram ſunt homines, & de huiuſmodi hominibus beneplacitum habebit Deus aſſumere Eccleſiam ſanctificandam communicatione filij eius, ſicut & illa ſanctificata eſt communicatione Prophetæ, & propter hoc Paulus ait, ſanctificatam mulierem infidelem viro fideli. Hæc Irenæus. Et eadem eſt ſententia Baſilij in Iſaiæ cap. octauo, prope principium. D. Auguſtinus libro tertio de Doctrina Chriſtiana, cap. 12. & libro contra Secundinum Manichæum, cap. 21. & in libro vigeſimo ſecundo contra Fauſtum, ca. 80. & 89. Cyrillus verò & Theodoretus, non ſolum ita factum eſſe confirmant, ſed grauiter etiam inuehuntur in eos, qui negare auſi ſunt, eidem ſententiæ ſubſcribunt multi ex recentioribus, & denique Burgenſis fatetur hanc eſſe communem ſententiam Doctorum, tam noſtrorum, quam Hebræorum. *Baſil. D. Aug. Cyrill. Theodore.*

Suppoſita ergo hac communi ſententia explicandũ eſt, quomodo præcepit Deus Prophetę, vt ſumeret mulierem fornicariam, & faceret filios fornicationis.

Alex. de Ales. Alexander de Ales 1. par. quæſt. 37. in 3. ad tertium, dicit, quod etiãſi Deus præcepit Prophetæ miſceri mulieri

forni-

fornicarię, non ſequitur propter hoc, quod pręceperit fornicari, quia fornicari dicit cognoſcere non ſuam ex libidine, quod eſt ſecundum ſe malum, quia priuat ordinem ad Deum, & ſic nullo modo poteſt cadere ſub diuino præcepto. *D. Bonau.* Eodem modo reſpondet S. Bonauentura in 1. diſt. 47. artic. 1. q. 4. ad 1. vbi dicit, quod Deus non præcepit Oſeæ actum libidinoſum, quia hoc eſt malum ſecundũ ſe, ſed tantum, vt duceret in vxorem mulierem, que fuerat fornicaria, quod quidem non erat malum ſecundum ſe, quia cognoſcere non ſuam tantum eſt malum in ſe, & ideo poterat per præceptum fieri bonum, quia faciebat ex obedientia Dei; *D. Thom.* Pari modo reſpondet S. Thomas. 1. 2. quæſt. 100. art. 8. ad tertium, vbi dicit. Et ſimiliter etiam Oſeas accedens ad vxorem fornicariam, vel mulierem adulteram, non eſt mœchatus, nec fornicatus, quia acceſſit ad eam, quę ſua erat ſecundum mandatum diuinum, qui eſt author inſtitutionis matrimonij.

Quod ſi vrgeas vt dicit S. Bona. quod non tantum præcepit Deus, vt ſumeret vxorem fornicariam, ſed etiam, vt faceret filios fornicationum, ergo præcepit fornicari. Reſpondetur ſecundum Patrum ſententiam, quod hic locus habet multas expoſitiones. Prima eſt, quod in Hebræo, & Græco exemplari, non legitur fac, ſed ſume tibi vxorẽ fornicationum. & filios fornicationum, atque ita habetur in multis codicibus Latinis manu ſcriptis, & in Complutenſi, & Hieronymus, & Ruffinus ita legerunt. Præcepit ergo Deus Oſeæ, vt non ſolum duceret mulierem fornicationum, id eſt, multum fornicationi deditam, id eſt, mulierem multarum fornicationum, ſed etiam vt adduceret in domum ſuam filios, quos illa ex fornicatione ſuſceperat. Sed tamen, quia editio vulgata legit, vt ſumeret mulierẽ fornicariam, & faceret filios fornicationum. Ideo aliter eſt exponendus iſte locus. Vnde ab alijs exponitur fac filios fornicationum, id eſt, filij qui ex matre meretrice naſcentur dicentur filij fornicationum; non quia ſint ex fornicatione geniti, ſed quia ſunt nati ex matre, quæ olim erat fornicaria. Hæc expoſitio placet D. Hieronymo; & *Richard.* multi ex ſcholaſticis illam ſequuntur, vt Richardus in 1. d. 47. art. 1. quæſt. 4. ad ſecundum licet in 3. d. 37. quæſt. 5. *Sotus.* ad 3. ſequatur reſponſionem Alex. & Bonau. & Sotus lib. 2. de iuſt. & iure quæſt. 3. art. 8. Sed tamen alijs diſplicet, quia videtur eſſe contra communem modũ loquendi, vocare filios fornicationũ eos, qui ex vero matrimonio ſunt nati, propterea quod fuerint ex matre olim fornicaria.

Ideo tertio alij interpretantur, quod per filios fornicationum intelligit filios, qui ſecuturi erant exemplum matris, quia plurimum erant fornicaturi. Per hanc autẽ fornicationem intelligit Propheta idololatriam, & vt oſtenderet, quod filij Iſrael eſſent ſecuturi idololatriam, & eſſent à Deo receſſuri, ideo vocat filios fornicationũ, id eſt, idololatras, qui erant imitaturi matrem ſuã Synagogam, quæ etiam erat idololatra. Hoc modo interpretãtur multi, quos adducit Doctor Ribera in ſuis Commentarijs in *Ribera.* Prophetas minores Oſeæ cap. 1. quæ expoſitio videtur eſſe conformis litteræ ipſius Prophetæ.

Durand. Durandus in 1. diſt. 47. quæſt. 4. ad argumentũ in oppoſitum, & alij dicunt, Deum non præcepiſſe Prophetę concubitum cum fornicaria, ſed quia Deus poteſt mutare naturas, & conditiones rerum, potuit facere, quòd mulier, quæ non erat Oſeę per perpetuum matrimoniũ eſſet eius ad temporaneum vſum, & ſic acceſſit ad ſuam, nec eſt fornicatus, quia fornicari eſt accedere ad non ſuam.

Toſtatus. Toſtatus loco relato in ſuperiori art. dicit, quòd Deus non mandauit Oſeæ fornicari, ſed præcepit, quòd illam vxorem ad quam accederet, in vxorem acciperet, quia non dixit accipe fœminam fornicariam, ſed accipe vxorem fornicariam, vxor autem nomen cõiugij dicit; Cum vxore autem ſua nemo fornicari poteſt, qualitercunque cum ea ſe habeat: Nec poteſt dici, quod ibi vxor accipiatur pro muliere, vel fœmina; quoniam ſicut in noſtro textu ponitur vxor, quod eſt nomen ſignificatiuum cõiugij, & non ſexus; ita ponitur in Hebręo. Quando ergo dicitur Oſeæ accipe vxorem fornicariam, non eſt ſenſus, quod Deus ei mandet fornicari, ſed quod mandet ei accipere in vxorem illam, quæ fuit fornicaria In quæſt. autem 35. ſuper cap. 20. dicit, quod actus iſte, qui eſt coire, ſemper eſt illicitus, niſi cum inter perſonas coeuntes ſit fœdus matrimoniale: nam vinculum matrimoniale eſt cauſa, & radix, vt actus iſte qui eſt coire ſit licitus: at quia Deus ſicut in naturalibus non indiget aliquo extrinſeco oppoſito ad faciendum actum calidi, & frigidi (vt dictum eſt ſupra,) ſed ipſe per ſe ipſum ſupplet; ita in ſpiritualibus non indiget, quod ſit aliqua cauſa extrinſeca ſecundum ſe ipſam faciens actum licitum, vel illicitũ; Nam ipſe ſupplet locum illius cauſæ facientis actũ licitum. atque ita ſi ponatur, quod aliquis coeat cum vxore alterius, iſte actus ſecundum ſe eſt illicitus, quia deficit ibi illud, quod facit dictum eſſe licitum, ſcilicet vinculum matrimoniale; at Deus actum illum licitũ facit, quia ſicut actus iſte, quòd eſt coire, ſecundum ſe eſt licitus, quando inter perſonas coeuntes eſt fœdus matrimonij, ita erit licitus, ſi non ſit fœdus matrimoniale, & Deus cauſet inter illas duas perſonas tale vinculum, quale matrimonium, quod ſecundum veritatem ita faciat actum licitum ſicut matrimonium; licet illud vinculum non ſit eiuſdem generis cum actu matrimoniali, nec obligabit illas duas perſonas in perpetuum, ſicut vinculum matrimoniale, ſed obligabit pro tanto tempore, pro quanto Deus imponens illud voluerit. Vnde ſicut in naturalibus poteſt ſupplere locũ alicuius calefacientis, & immediatè cauſare calidum: Ita hic ſupplet locum matrimonialis vinculi actum licitum facientis.

Ex hac Doctrina Toſtati dixerunt aliqui ad difficultatem, eam fœminam eſſe in matrimonium Prophetæ collocatam diuinitus, & inter eos verum coniugium interceſſiſſe, eos copulante, & coniungente Deo abſque mutuo illorum conſenſu: nam conſenſus viri, & vxoris ſolum eſt cauſa efficiẽtis matrimonij, & proinde quod vir, & mulier per conſenſum efficiunt, poteſt Deus ſine illorum conſenſu ſupplere. Sotus vero in 4. diſt. 33. quæſt. *Sotus.* 1. art. 2. & apertius lib. 2. de iuſt. & iure quæſtio. 3. artic. 8. cui multi neoterici ſubſcribunt, Reſpondent aientes Prophetam huiuſmodi fœmina vſum fuiſſe, etiam ſibi non nupta, nec tamen peccaſſe, quia potuit Deus Prophetę poteſtatem concedere vtendi ea fœmina, etiam in matrimonium non ducta. Deus enim cum ſit Dominus corporis cuiuſque, facultatem Prophetæ conceſſit extra matrimonium in fœminæ corpus.

Reſponſio vero, quæ mihi admodũ placet eſt ea, quam *Paulus de Palatio.* affert Paulus de Palatio; nimirum vt præcipiatur ibi ſumere Oſeas vxorem virginem quidem, & honeſtam mulierem tempore quo nubebat, fornicaturam tamen deinde, & fidem matrimonij violaturam, ita vt vox illa ſume vxorem fornicationum. Non qualis mulier illa fuiſſet, vel eſſet tempore contrahendi matrimonij, ſed qualis eſſet in poſterũ futura declaret. Fauet huic expoſitioni primum vox ipſa ſume vxorem fornicationum ſiue fornicariam, quæ enim ante matrimonium fornicata eſt, poſtea vero nihil tale committit, ſed inuiolatã ſeruat viro ſuo fidem; non eſt dicenda vxor fornicaria, ſed iam honeſta.

Secundo, quod ſubdit fac filios fornicationũ, filij ſiquidem illius, quæ fidem connubij obſeruat, nequeunt dici filij fornicationum.

Tertio quod ſequitur, Quia fornicans fornicabitur terra. Etenim cum inſtitueret Deus oſtendere Oſeæ illo matrimonio, quam iuſte eſſet populo ſuo infenſus, præcepit ei ſumat in vxorem mulierem, tempore quidem matrimonij honeſtam, ſed deinde fornicaturam, vt domi ſuæ experiatur Propheta, quæ Deus ab illo populo patiebatur, & iuſtas vindictæ in illum per Chaldæos exercendæ cauſas. Vnde debet eſſe hic ſenſus, Sume vxorẽ, quæ non ſeruabit tibi fidem, ſed fornicabitur cum alienis; ſicut terra hęc Iſrael fornicata eſt, & fornicans fornicabitur mihi.

Hac rõne quadrat egregiè hiſtoria Oſeę habentis vxorem adulteram cum hiſtoria Dei, qui Rempub. Iſraeliticam in primis illis Patriarchis Abrahã, Iſaac, & Iacob viris ſanctiſſimis, & omnis Idololatrię ac infidelitatis expertibus, velut honeſtiſſimam virginem duxerat in vxorem, vt ex ea filios ſuſciperet verę pietatis amicos, & ideo bonorum Dei hæredes; at Reſpub. illa vt mulier adultera ſpiritualis illius connubij fide violata, Deum ſuum derelinquens, & Dijs alienis adhærens, filios genuit Idololatras; & in fide fornicarios, cui conſonant verba illa Chriſti Domini ad illos. Generatio praua, & adultera, &c.

DISTIN-

DISTINCTIO XXXVIII.

Intẽtio, & continuatio.

SCiendum tamen tria eſſe genera mendaciorum &c. Poſtquã Magiſter in præcedenti diſt. egit de octo primis præceptis generaliter, in hac diſtin. 38. ſpecialiter circa ſeptimum præceptum ſoluit difficultates aliquas; & quoniam falſum teſtimonium poteſt bifariam committi, interdum ſimplici mendacio quandoque etiam addito iuramento, Ideo primo tractat de mendacio in hac diſtin. ſecundo de periurio diſt. ſequenti. Diuiſio, *Diuiditur autem hac præſens diſt. in tres partes In prima multa genera mendaciorum præmittit. In ſecunda docet quid ſit mendacium. Et in tertia, quod omne mendacium includat peccatum oſtendit, atque adeo tota littera Magiſtri tribus concluſionibus explicabitur.*

1. Concl.

Prima Concluſio. Octo ſunt mendaciorum genera quæ tanto grauiora ſunt quanto primo mendacio fuerint proximiora Hanc Magiſter inſinuans diſtinguit primo mendacium in tria genera. Triplex ẽ mẽdaciũ. *Quorum primum eſt officioſum quale eſt mendacium, quod fit pro commodo vel ſalute corporis Sicut fuit mendacium obſtetricum in Aegypto, & Raab meretricis abſcondentis exploratores, & iſtud nunquam poteſt fieri ſine peccato: Nã in uiris perfectis peccatum damnabile eſt & in imperfectis veniale: quia excuſatur quodam modo propter pietatem, & miſericordiam; ſicut mendacium obſtetricum, & Raab excuſari dicitur; Non tamen propter hoc quis debet peccata cõmittere vt intendat velle per miſericordiam. & pietatem excuſari; non enim ſunt facienda mala, vt inde eueniant bona, vt nullus debet furari diuiti, vt det pauperi.*

Secundum genus mendacij eſt mendacium iocoſum quod fit cauſa ſolatij. vel ioci; Quod ſimiliter in uiris perfectis damnabile & in imperfectis eſt veniale. Tertium vero genus mendacij eſt pernicioſum quod fit ex malignitate. ſeu quod prouenit ex animo nocendi & hoc eſt omnibus fugiendum. Hac diſtinctione poſita enumerat Magiſter octo genera mendaciorum, quæ ponuntur à D. Auguſt. in lib de mendacio cap 14. Octo ſunt genera mẽdacium. *Quorum primum maximeque fugiendum eſt, quod fit in doctrina fidei ſecundum, quod nulli prodeſt, ſed alicui obeſt. tertium quod alicui prodeſt & alicui obeſt. quartum eſt quod fit ex ſola libidine. & delectatione mentiendi. quintum eſt, quod fit cupiditate placendi in ſuaui colloquio. ſextum eſt, quod nulli nocet, & prodeſt alicui; vt ſi quis pecuniam alicui iniuſte tollendam ſciens, vbi ſit neſcire ſe mentiatur ſeptimum eſt, quod nulli obeſt, ſed alicui prodeſt, vt ſi quis nolens hominem ad mortem quæſitum prodere mentiatur. octauum eſt, quod nulli obeſt, ſed alicui prodeſt. quantum ad præſeruationem ab immunditia corporali. Prima tria genera iſtorum octo mendaciorum reducenda ſunt ad pernicioſum mendacium. Duo media ad mendacium iocoſum, & tria vltima ad officioſũ, vbi obſeruandum eſt, quod in omnibus prædictis mendacijs debet attendi gradus quantum ad grauitatem. ſecundum quod magis, vel minus accedunt ad primi mendacij genus.*

2. Concl.

Secunda Concluſio Mendacium illud proprie dicitur cum quis intentione fallendi falſum dicit; eſt enim mendacium cum profertur falſum intentione fallendi, & quod aliud dicatur ore, aliud teneatur corde: Nam mentiri eſt loqui contra illud quod quis animo ſentit; ſiue illud verũ ſit, ſiue falſum: ex quo ſequitur, quod omnis, qui mendacium loquitur mentitur, at non è contra omnis, qui mentitur mendacium loquitur: Nam quandoque verum eſt illud, quod loquitur, qui mentitur: Qui enim mentitur loquitur contra illud quod animo ſentit, atque ita non dicit mendacium quia non dicit falſum. Vnde etiam patet, quod quis falſum loquendo ſit verax, vtpote ſi non loquitur contra illud quod animo ſentit.

Iuxta quod quæritur, vtrum Iudæus mendaciũ loquatur, dicens Chriſtum eſſe Deum, cum tamen id corde non credat. Reſpondetur quod minime loquitur mendacium quia licet non credat corde eſſe verum, quod loquitur, tamen quia verum eſt, quod loquitur non dicit mendacium; quia mendacium eſt aſſertum falſum cum intentione fallendi ſed bene mentitur cum dicat contra mentem.

3. Concl.

Tertia Concluſio. Vniuerſaliter omne mendacium eſt peccatum, licet inter mendacia ſint gradus grauitatis in peccando; Hanc concluſionem probat Magiſter teſtimonio D. Auguſt. lib de mẽdacio cap 22. dicentis. D. Auguſ. *Mihi videtur omne mendacium eſſe peccatum, ſed multum intereſt quo animo, & de quibus rebus quiſque mẽtiatur &c. Quod explicans Magiſter dicit quod ex hoc mẽdaciũ habet rationem peccati, quod ſecundum ordinem rationis homo illud loqui debet, quod in animo ſentit, cuius oppoſitum facit, qui mendacium loquitur, ipſe enim vtitur verbis non ad id, ad quod ſunt inſtituta, ſcilicet ad cogitationum noſtrarum notificationem. ſed ad fallaciã. Quod peccatum eſt interdum damnabile, id eſt, mortale, iuxta illud Pſal. 5. Perdes omnes qui loquuntur mendacium, & Sapien. 1. Os, quod mentitur. occidit animam. Quæ teſtimonia non intelliguntur de omni mendacio, ſed tantum de damnabili, & pernicioſo.*

Conſe-

Conſequenter agit Magiſter de ſequela peccati, qui eſt error, & dicit, quod errare in fide, vel quantum ad vitam æternam magnum peccatum eſt & periculum; ſed errare tantum in rebus, quæ ad curioſitatem pertinent non eſt peccatum, etſi peccatum ſaltem leuiſſimum. Et ſi quæras quis

Quis errare dicatur.

proprie errare dicitur? Reſpondetur, quod ille qui credit ſe ſcire quod neſcit, & ſic falſum pro vero approbat, & quamuis illud generaliter ad omnem ſit requiſitum errorem, tamen multum refert in quibus erratur: Nam in aliquibus errare eſt periculoſum: in alijs vero melius eſt errare quam non errare. Sunt enim quæ neſcire ſit melius, quam ſcire, quod intelligas per accidens in quantum ſcilicet homo aliquando ex cognitione alicuius mali pœna prorumpit in impatientiã, & aliquando ex cognitione alicuius delectabilis ſecundum ſenſum inclinatur ad inordinatam proſequutionem, per ſe tamen nullius rei ſcientia mala eſt, imo ſcientia malorum per ſe eſt bona, & intelligo de ſcientia, quæ vere ſcientia eſt; quod dico ad excludendas ſuperſtitiones, quæ per ſe mala ſunt. Item in aliquibus errare prodeſt quandoque. Sed inquit Magiſter in via pedum, non in via morum.

D. Aug.

Poſtremo quærit verum Iacob dicẽdo Ego ſum Eſau, ſit mentitus? & Reſpondet Magiſter ex D. Auguſt. lib contra mendacium cap. 10. quod non, Tum quia non intendebat fallere. Tum quia fuit myſterium: intendebat enim matri obedire, quæ per Spiritum Sãctum nouerat myſterium, & ideo propter familiare conſilium Spiritus Sancti, quod mater acceperat, à mendacio excuſatur Iacob, & hæc de tota diſtinctione ſatis. Circa quam Scotus vnicam mouet quæſtionem.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum omne mendacium ſit peccatum.

Mendaciũ quid ſit.

PRo explicationi tituli obſeruandum eſt, quod mendacium proprie loquendo eſt locutio contra mentem, cum videlicet aliud loquimur exterius, aliud interius ſentimus. Nomine locutionis accipi poteſt omnis ſignificatio, ſiue verbis fiat, ſiue geſtu, ſiue alia ratione, poteſt enim mendacium fieri actibus, & geſtibus, his enim ſæpe vice verborũ vtimur, vnde ſimulatio eſt mendacium in geſtu. Porro ſicut ad actum veritatis tria requiruntur, ſcilicet voluntas dicendi verum, id eſt, edendi

Tria ad veritatem requirũtur, & tot etiã ad mendacium.

ſignum conſonne menti, ipſa locutio, & ſignificatio mentis iudicio conformis; ita tria ad mendacium requiruntur, voluntas dicendi falſum, ipſa locutio, & ſignificatio mentis iudicio contraria, ex quibus conſequitur quartum, id eſt, deceptio alterius, ſed hoc non eſt neceſſarium ad rationem mendacij, ſicut nec intẽtio deceptionis, quia poteſt quis velle mentiri, vt non poſſit conuinci ex propria confeſſione, etiam ſi norit alterum non crediturum; regulariter tamen qui mentitur intendit falſam opinionem in animo alterius ingenerare, ſiue decipere, vnde deceptio eſt effectus ordinarie conſequens mendacium.

Ex his ſequitur primo, mendacium formaliter, & directe opponi veritati, ſeu veritatis actui: quia ſicut hæc procedit ex affectu veri, ſeu vt locutio ſit conformis menti; ita illud ex affectu falſi, nempe, vt oratio à mentis iudicio diſſentiat; non quod falſitas per ſe ametur, ſed quia abſolute eſt volita, & ſi propter aliud, & ſicut actus veritatis eſt expreſſio veri opinione noſtra; ita mendacium eſt expreſſio falſi opinione noſtra. Dixi opinione noſtra, quia ſi dicas verum cum putes eſſe falſum, mentiris, & mendacium formaliter dicis; nam ex affectu falſi, & intentione ſignificandi falſum loqueris, quamuis materialiter ſeu præter intentionem verum ſit, quod dicis; Ita è contrario ſi dicas falſum cum putes verum, ex virtute veritatis, & formaliter verum dicis, quia ex affectu veri, & intentione ſignificandi veri, & ſi materialiter falſum ſit.

Mendaciũ opponitur formaliter veritati.

Secundo ſequitur, Non eſſe mendacium cum quis vtitur amphibologia, vel reſtrictione mentis tacita, quia nõ intendit dicere falſum nec loqui contra mentem, ſed vel mentem ſuam aliter exprimere, quam alter intelligit, vt in amphibologia, vel non totam exprimere, ſed ſolum ex parte, altera parte orationis interius retenta, de qua mentis reſtrictione diximus in practica noſtra Criminali Canonica.

Vtens amphibologia non mentitur.

Tertio ſequitur malitiam huius peccati conſiſtere in abuſu ſignorum, quod illis vtamur contra naturalem inſtitutionem, & finem: cum enim ſigna non ſint data niſi ad exprimendum iudicium mentis, vtimur illis contra iudicium mentis, ita vt ſit contradictio inter mentem, & linguã, quod enim lingua affirmat, mens negat, & quod mens negat, lingua affirmat; at qui per ſe turpe eſt, & vituperabile, vt in vno eodemque homine inter interiora, & exteriora ſit contradictio, cum exteriora debeant interioribus conformari, ſic ergo vti ſignis externis, vt contradicant iudicio interno per ſe malum eſt.

Malitia mendacij in quo cõſiſtat.

Secundo obſer. eſt, quòd mendacium tripliciter diuidi poteſt, ſcilicet ſecundum propriam rationem, id eſt, vt opponitur veritati, & hoc modo iuxta Ariſt. lib. 4. Ethicor. cap. 7. diuiditur in Iactantiam, & Ironiam, ſed hoc intellige non de omni mẽdacio, ſed de eo, quo quis in ijs, quæ ad laudem ſuam pertinent mentitur. Iactantia eſt cum quis maiora de ſe prædicat, quam inſint. Ironia eſt cum minora quam inſint, vel cum laudabilia quæ inſunt, negat. Secundo diuidi poteſt ratione finis, vel effectus, in iocoſum, officioſum, & pernicioſum. De quibus dictum eſt in littera Magiſtri, & magis patebunt ex dicendis. Tertio poteſt diuidi ratione ſigni quo quis vtitur; hoc modo aliud conſiſtit in verbis, aliud in factis, illud proprie vocatur mendacium, hoc vero ſimulatio, quæ nihil aliud eſt quam mendacium in actionibus vitæ; nimirum cum quis per has intendit aliud ſignificare, quam interius in animo ſentit, hoc modo mentiuntur, qui externis geſtibus, & actionibus præſeferunt gaudium, dolorem, compaſſioenm, amorem, amicitiam, & ſimilia; cum nihil tale ſubſit.

Mendaciũ tripliciter diuiditur.

Tertio obſeruandum eſt, quod peccatum eſt triplex, ſcilicet originale, mortale, & veniale, de originali non eſt modo ſermo, peccatum mortale nominat auerſionem à Deo, & conuerſionem indebitam ad creaturam, iuxta id, quod dicit D. Auguſt. 14. de Ciuit. Dei; Quod amor ſui, (ecce conuerſio) vſque ad contemptum Dei (ecce auerſio) ædificat Ciuitatem Babylonicam. Definitur peccatũ mortale tripliciter. Primo à D. Auguſtino in lib. contra Fauſtum. Peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Secundo definitur ab eodem D. Aug. in lib. contra Manichæos de duabus animabus. Peccatum eſt voluntas exequendi, vel retinendi, quod iuſtitia vetat. Tertio definitur à D. Ambroſio in libro de Paradiſo. Peccatum eſt præuaricatio legis diuinæ, & cœleſtium inobedientia præceptorum. Peccatum veniale conſiſtit in ſola inordinata conuerſione ad creaturam. Et dicitur veniale tripliciter, vno modo ex cauſa; quod ſcilicet aut ex infirmitate, aut ex ignorantia naſcitur, & hoc pacto deriuatur à venia, quia aliquam habet veniæ cauſam; Secundo ab euentu, & ſic omne peccatum mortale debite confeſſum dicitur veniale, quia conſecutum eſt venia. Tertio dicitur peccatum veniale ex genere, quod eſt peccatum leue, & parum à recta ratione diſſentaneum, vt verbum iocoſum,

D. Aug.

D. Ambr.

iocoſum &c. Plura diximus de peccatis in lectionibus noſtris de peccatis, vide ibi.

Senſus tituli eſt. An mendacium, quod eſt cõe, ad iocoſum officioſum, & pernicioſum, ſit ex ſuo genere peccatũ mortale, vel veniale, reſolutio erit, quod mendacium per ſe non eſt peccatũ mortale, ſed ſolum veniale: quia inordinatio illa neminẽ grauiter lędit, & deceptio ꝓximi, qñ nihil intereſt, ſic an aliter res ſe habeat, eſt parui momenti, nec euertit vitam ſocialem; & ſi illi nonnihil incommodet; & hoc loquendo de mendacio in ſe; Mendacium vero iocoſum, & officioſum, ſunt ex ſe peccatum veniale, pernicioſum autem mortale. Diuiditur autem hæc quæſtio in 16. articulos.

Art.1. Vtrum mendacium ſit peccatum.

Art.2. Vtrum mendaciũ ſit peccatũ quia eſt contra primã veritatẽ, vel quia trãſit ſuper indebitã materiã.

Art.3. Vtrũ mendaciũ ex eo ſit peccatum: quia eſt falſa ſignificatio vocis cum intentione fallendi.

Art.4. Vtrũ mendaciũ pernicioſum ſit peccatũ mortale.

Art.5. Vtrum mendacium iocoſum, & officioſum ſint peccatum mortale.

Art.6. Vtrum mendacium officioſum, & iocoſum ex circumſtantia perſonæ fiat mortale peccatum.

Art.7. Vtrum mendacium iocoſum in actu docendi, vel iudicandi ſit peccatum mortale.

Art 8. Vtrum interdum eligendum ſit mendacium veniale ex magno pietatis affectu.

Art.9. Vtrum mendacium in facto, quæ ſimulatio appellatur, ſit peccatum.

Art.10. Vtrum grauius peccatum ſit mentiri laudando ſe, quam vituperando ſe.

Art.11. Vtrum Deus poſſit alicui præcipere, quod mentiatur.

Art.12. Vtrum Abraham mentitus ſit, quando dixit pueris Expectate hic cum aſino, & quando dixit Saram eſſe vxorem ſuam.

Art.13. Vtrum Iacob fuit mentitus, quando dixit. Ego ſum Eſau &c.

Art.14. Vtrum Ioſeph mentitus fuit.

Art.15. Vtrum Raab, Rachel, & Obſtetrices mentitæ fuerint.

Art.16. Vtrum Iudith mentita fuerit Holopherni.

ARTICVLVS I.

Vtrum mendacium ſit peccatum.

Origenes. DE hac re fuit olim ſententia Origenis lib.6. ſtromatum explicantis obiter locum illum Ego ſum Eſau primogenitus tuus; vbi docet ſimulationes, & mendacia aliquando eſſe proficua, poſſeque prudentem, & ſapientem virum officioſo mendacio nõ ſecus quam medicamine cum neceſſe fuerit vti, ſecutus in hoc ſententiam Platonis, qui in 3. de Repub. lib. ita ſcribit. Veritas ſectanda magnopere eſt, ſi enim vt paulo ante rectiſſime dicebamus Deo indecens, & inutile mendacium eſt, hominibus quandoque vtile vt vtantur eo, quaſi condimento, atque medicamine; nulli dubium eſt quin huiuſmodi licentia medicis danda ſit, & ab imprudentibus remouenda. Ergo & Principes vrbium, ſi quibus, & alijs hoc conceditur, oportet aliquando mentiri, vel contra hoſtes. vel pro patria, & Ciuibus, ab alijs vero, qui mendacio vti neſciunt, auferendum eſt omne mendacium ſic Plato. His ſubſcribens Origenes. Homo, inquit, cui incumbit neceſſitas mentiendi diligenter attendat, vt ſic vtatur interdũ mendacio tamquam condimento, & medicamine, vt ſeruet menſuram eius, nec excedat terminos: quibus vſa eſt Iudith. contra Holoſernem, & vicit cum prudenti ſimulatione; imitetur Heſter, quæ Artaxerxis ſententiam diu tacita veritate correxit, & in primis Patriarcham Iacob, quem legimus benedictiones patris artificioſo impetraſſe mendacio; ex quo perſpicuum eſt, quod niſi ita mentiti fuerimus, vt magnum nobis ex hoc quæratur bonum, iudicandi ſimus, quaſi inimici eius, qui ait. Ego ſũ veritas, hæc Origenes. In 10. autem eiuſdem operis li-

Plato.

bro hoc ipſum Apoſtolico exemplo confirmans dixit, Petrum, & Paulum Apoſtolorum principes non vera, ſed ſimulata contentione inuicem apud Antiochiam contendiſſe, vt eo ſimulationis genere Iudæos, & gentiles inter ſe de legibus diſſidentes ad concordiam reuocarent.

In eamdem ſententiam ire videtur Chryſoſtomus in fine lib. 1. de Sacerdotio, vbi apertiſſime tradit fraudes, dolos, deceptiones, & impoſturas, quæ non ſtudio nocendi, ſed alicuius magni boni gratia, & ex recto animi iudicio fiunt, eſſe vſque adeo neceſſarias, vt per multi pœnas ſæpe numero luerint hoc ipſo, quod fraudes non exercuerint. Idem docet hom. 15. in Gen. & hom. 32. & in Epiſtola ad Olympiam. *Chryſoſt.*

Idem fuſe tradit Abbas Ioſeph apud Caſſianum, collat. 17. c. 8. vbi inter cætera dicit. Mendacio vtendum tamquam elleboro, quod ſumitur imminente aliquo exitiali morbo, cui videtur Caſſianus conſentire. Hieronymus ẽt in Commentarijs Epiſtolæ ad Galatas huic Origenico dogmati acceſſiſſe videtur. Denique Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, & plerique Græci in cap. 2. ad Galatas dum docent obiurgationem Pauli fuiſſe ſimulatam, & factam ex compoſito; licitum enim eſſe boni alicuius cauſa vti ſimulationibus, atque ſimulatio eſt mendacium in facto lege Sixtum Sen. ãnt. 89. & 107. *Caietan.* *Hierony.* *Theodor.* *Theophyl.* *Oecumen.* *Sixtũ Sẽ.*

Verum hanc ſententiam eſſe falſam, & contra ſcripturas fuſe docet D. Auguſt. præſertim lib. 1. de mendacio c. 5.6.7. & ſequentibus, & in Epiſtola ad Hieronymum dolet eam aliquando à Hieronymo defenſam ſic ſcribens. Legi quædam ſcripta, quæ tua dicerentur in Epiſtolas Pauli, quarum vnam ad Galatas cum enodare velles, venit in manus locus ille, quo Apoſtolus Petrus a pernicioſa ſimulatione reuocatur, ibi patrocinium mendacij ſuſceptum eſſe abs te tali viro, fateor, nõ mediocriter doleo, mihi enim videtur exitioſiſſime credi eos homines, per quos nobis diuina ſcriptura miniſtrata eſt atque conſcripta aliquid fuiſſe mentitos. Hæc Auguſtinus, eam damnat D. Hieronymus apologia .1. contra Ruffinũ arguens ob illã Origeniſtas, eſt & aperta aduerſus hanc ſententiam Eccleſiæ determinatio in decretalibus tit. de vſuris c. Super eo. Vbi Innocentius III. conſtanter affirmat diuini verbi præcepto vetari, ne quis etiam pro alterius vita ſeruanda mentiatur. *D. Aug.* *Inno. III.*

Verum putarem pleroſque ex prædictis Patribus excuſari poſſe, quod mendacium vocent etiam orationem alio ſenſu dictam, vel habentem tacitam mẽtis limitationem, ita vt alter aliud intelligat, & decipiatur, & nomine ſimulationis etiam diſſimulationem intelligant, vt patet ex Chryſoſtomi, & Hieronymi exemplis. Poterat etiam illa obiurgatio Pauli fieri ex compoſito abſque proprio dicto mendacio, & vera ſimulatione, ſicut aliquando ex compoſito obiurgamus aliquem, vt tertius qui offenſus eſt, placetur, vel ne audeat imitari factum ipſius, quæ obiurgatio intelligenda eſt ſecundum externam ſpeciem facti, quod malum videtur, vel videri poſſit, ſed de hoc plura in 4. d. 3. q. 4. de ceſſatione legalium, vbi Deo annuente hanc materiam latiſſime explicabimus.

Hac itaque ſententia reiecta tamquam erronea, eſt cõmunis omnium Scholaſticorum ſententia affirmans omne mendacium ex ſe eſſe peccatum, quod probatur primo ex D. Auguſt. in libro de mendacio; & poteſt ſic formari ratio. Nulli licet mentiri, ergo omne mendacium eſt peccatum, conſequentia patet: quia omne illicitum eſt peccatum; ergo omne mendacium eſt peccatum; probatur primum antecedens, ſcilicet, quod nulli liceat mentiri. Si alicui licet mentiri; ergo nulli credere licet: conſequens eſt falſum, ergo & antecedens. falſitas conſequentis patet, quia tunc peribit conuictus humanus; conſequẽtia patet ex D. Auguſt. dicente, quod ſtultum eſt credere illi, cui licet mentiri; ſed per te alicui licet mentiri, & neſcio cui, ergo nulli eſt credendum. *omne mẽdaciũ eſt ex ſe peccatum.* *D. Aug.*

Præterea omne id, quod eſt contra præceptum legis naturæ, eſt peccatum; ſed mendacium eſt contra illud præceptum legis naturæ, Non facies alij, quod tibi facere nõ vis ſm rectam rõnem, ergo omne mendacium eſt peccatũ. Maior patet, & minor probatur. Nullus vult ſe decipi à proximo, quando proximus debet ei conceptum ſuum exprimere; igitur nec alter debet alterum decipere.

 Etſi di-

Etſi dicas, deceptio eſt interdũ mihi vtilis, ergo eſt aliquando à me eligibilis. Antecedens patet, Ego v.gr. quæro Ioannẽ interficere, percũtor à Petro an Ioãnes ſit ibi, vbi eſt ipſe, & ille me decipit dicẽdo quod nõ eſt ibi: hęc deceptio eſt mihi vtilis, quia niſi decepiſſet me, Ioãnem interfeciſſem, ergo debeo illã appetere, aut ſaltẽ in caſu illã appetere poſſum, ergo & aliũ decipere potero; iuxta illud præceptũ naturæ, quod tibi vis fieri, alteri facito. Reſpõdeo, quod etſi illa deceptio ſit mihi vtilis, nihilominus nego quod ſit appetẽda, etſi dicas eſt bona; ergo vtilis, ergo appetibilis. Dico quod non eſt bona per ſe, ſed tñ per accidens; at nõ omne tale bonũ per accidens eſt appetibile; ſicut peccatũ primi parentis fuit bonum per accidens, quatenus fuit occaſio boni noſtræ redemptionis, proinde dixit B. Gregorius o fælix culpa, &c. ſic eſt in propoſito de mendacij deceptione, quæ etſi aliquãdo poſſit eſſe vtilis, nihilominus nunquam eſt optabilis, quia mentiens ſemper intendit contra mentem ire, & in intellectu proximi cauſare errorem, quod eſt intrinſece malum.

Sed circa hanc rationem, quæ eſt prima ratio Sco. poſt oppoſitum obſer. eſt, quod non omne mendaciũ eſt mortale, quamuis ſit contra illud præceptum Matth. 7. Quod vultis vt faciant vobis homines, &c. niſi intendat quis decipere proximum in fide, & moribus, vel niſi materia ſit mortalis, quod eſt etiam intelligendũ de alijs rationibus poſt oppoſitum, quarum ſecunda eſt talis.

Quicquid eſt contra aliquã virtutẽ neceſſariã, vel eius actum, eſt peccatũ, mendaciũ eſt huiuſmodi, quia eſt contra veracitatẽ, quę eſt virtus contenta ſub iuſtitia, verax enim cõicat proximo, quod eſt cõicandum. ſ. conceptum cordis ſui ſicut eſt, mendax aũt non, ſed ſubtrahit illud; quod in loquendo debet cõicare, quia ad hoc loquitur, vt conceptum ſuũ exprimat, & illud non exprimit ſed oppoſitũ; ergo &c. Pro intelligẽtia huius rõnis obſer. eſt, quod duplex põt eſſe veritas ſermonis, & ſimiliter duplex falſitas, ſecundum quod ſermo põt referri ad rẽ ſignificatam,

Veritas ſermonis eſt duplex.

vel ad intentionẽ proferentis; nã comparando ſermonem ad rem ſignificatã, ſi fuerit adæquatio rei ad ſignũ, ita vt res ita ſe habeat, quomodo ſe habere ſignificatur, dicitur ſermo verus. Sĩ autem aliter ſe habeat, quam ſe habere ſignificatur, dicitur ſermo falſus. Cõparando vero ſermonẽ ad intentionẽ proferentis, ſermo dicitur verax, aut fallax, verax ſi hoc quod verba foris ſonant etiã mente credẽdo intẽdat, ſi vero aliud credit mẽs, & aliud ſonat vox, dicitur ſermo fallax etiã ſi verus fuerit, vt ſi quis falſum putet, quod verum eſt, & credens falſum aſſerat pro vero, fallax eſt aſſertio illa, licet ſit vera materialiter.

Mendacium itaq; vtranq; falſitatem dicit. ſ. inadæquationem ſermonis ad rẽ, & ad proferentis intentionẽ; mentiri vero vnã tñ importat falſitatem. ſ. in adæquationem ſermonis ad intentionẽ mentis, ſiue ad credulitatẽ mentis. Ex quo ſequitur, quod ſtat aliquẽ dicendo verũ mentiri, & dicendo falſum non mentiri, vt D. Petrus qñ dixit Chriſto Domino, Nõ te negabo, falſum dixit, ſed nõ fuit mẽtitus, nã aſſeruit falſum, quod credebat verũ: et ſi Turca diceret Chriſtũ eſſe Deũ mentiretur, etſi eſſet verum, quod diceret, quia aſſereret verum, quod credit eſſe falſum; nã in hoc caſu loquitur contra mentẽ, atq; ita mentitur, quia mentiri eſt contra mentẽ ire; ſiue verũ ſiue falſum aſſerendo. Secundo ſequitur, quod oĩs mentiens dicit mẽdaciũ; patet in primo caſu, dũ aſſerit verũ credẽdo ipſum eſſe falſum; Dicit ergo Doct. quicquid eſt cõtra aliquã virtutẽ neceſſariã, vel eius actũ, eſt peccatũ; Mendaciũ eſt huiuſmodi, quia eſt cõtra veracitatẽ, &c. vt ſupra.

Præterea Quicũq; re aliqua abutitur peccat, ſed dicẽs mendaciũ abutitur voce, ergo oĩs dicens mendaciũ peccat, atq; adeo omne mẽdaciũ eſt peccatũ. Maior patet ex

D. Aug.

D. Aug. 10. de Trinit. c. 10. dicente, Non eſt alia vita hoĩs, atq; culpabilis, quã male vtens, & male fruẽs, ex quibus verbis patet, quod male vti eſt peccatũ, & per conſequẽs abuti; cũ abuti ſit male vti. Minor probatur. Quicũq; vtitur rebus ad contrariũ eius ad quod inſtitutæ ſunt, abutitur eis, ſed dicens mendaciũ, vtitur ſermone ad contrariũ eius, ad quod inſtitutus eſt, ergo abutitur eo; Maior patet & minor probatur, Quicunq; vtitur ſermone ad ſignificandũ eſſe, quod nõ eſt in mente, vel in conceptu, vel non eſſe quod eſt, vtitur eo ad contrariũ eius ad quod inſtitutus eſt, ſed quodlibet mendaciũ ſignificat eſſe, quod non eſt, vel non eſſe, quod eſt in mẽte vel in conceptu, ergo dicens mendacium, vtitur ſermone ad contrarium eius, ad quod inſtitutus eſt. Maior patet, quia ad hoc voces inſtitutæ ſunt ſecundum Platonem in Timeo, vt præſto ſiant voluntatis indicia, & Ariſtot. 1. Periher. inquit. Voces ſunt earum, quæ ſunt in animo, &c.

Plato
Ariſtot.

Præterea D. Auguſt. in lib. de mendacio prope finem. Quiſquis, inquit, eſſe aliquod genus mendacij, quod peccatum non ſit putauerit, decipit ſe ipſum turpiter. & in eodem libro non multum longe à principio dicit. Mẽdaciorum genera multa ſunt, quę quidem oĩa vniuerſaliter odiſſe debemus. Nullum enim eſt mẽdacium, quod non ſit contrarium veritati, ſed nihil odiſſe debemus niſi peccatum, ergo omne mendacium eſt peccatum.

Et Philoſ. 4. Ethi. dicit, quod mendaciũ eſt per ſe prauũ & fugiendum, verũ aũt, eſt per ſe bonũ, & laudabile. Et Eccleſ. 7. Noli velle mentiri omne mendaciũ, aſſiduitas enim illius nõ eſt bona. Quibus verbis excludit Spiritus Sanctus tã mendaciũ iocoſum, quã officioſum. Vnde contra rectã rõnem faciunt, qui vtẽtes vocibus nõ manifeſtãt vere mentẽ, diſcordia. n. inter mentẽ, & linguã eſt contra rectã rõnem, & verũ dictamen conſciẽtiæ, quare materiale mẽdacij ſunt verba, formale vero eſt conſciẽtia oppoſita cũ intentione fallẽdi, & ſic apud Ægyptios ſymbolum veritatis erat pomũ perſicum cui tñ vnũ foliũ adhærebat, per hoc oſtendentes linguã cordi coniunctã eſſe, quę tunc cordi eſt coniũcta, quando vere loquitur, quod latet in corde, huius ſymboli ratio eſt, quia pomum perſicũ habet cum corde ſimilitudinem, & folium cum lingua.

ARTICVLVS II.

Vtrum mendacium ſit peccatum quia eſt contra primam veritatem, vel quia tranſit ſuper indebitam materiam.

Petrus. Taran.

PEtrus de Tarantaſia in 3. diſt. 38. queſt. 4. ex eo dicit mendaciũ eſſe intrinſece peccatũ, quia neceſſario auertit à Deo qui eſt veritas, & mendaciũ eſt contra veritatem. Nã omne auertens à Deo eſt peccatũ, ſed mendaciũ neceſſario auertit à Deo, ergo mendacium eſt peccatum. Maior patet, & minor probatur; omne mendacium auertit à veritate, quia eſt contra veritatẽ, ſed Deus eſt veritas, ergo omne mendacium auertit à Deo.

Cæterũ hęc rõ Petri aſſumit vnũ falſum, vt aliud falſum cõcludat, falſum quod aſſumit eſt, quod omne mendacium auertit hoĩem à Deo; Nullũ enim peccatũ auertit hoĩem à Deo formaliter niſi odiũ Dei, nec virtualiter niſi ſit peccatũ mortale. Nec eſt verũ id per quod probat aſſumptum, quia videlicet mendaciũ opponitur veritati. Non. n. ſẽper opponitur formaliter primę veritati increatæ, q̃ Deus eſt, ſed interdũ veritati creatæ alicuius rei, de qua loquitur, qui mentitur. Aliud falſum quod cõcludit eſt, quod omne mendaciũ ſit lethale peccatũ, quod tamẽ ex eius probatione ſequitur, quia nullũ peccatũ niſi mortale, eſt auerſiuum hoĩs à Deo, at omne mendacium eſſe mortale peccatum eſt falſum, & cõtra omnes Doctores. Nam ſicut malitia oppoſita alicui bono creato, à Deo increato nõ neceſſario auertit, ſicut eſt malitia peccati venialis, imo etiam mortalis, quæ auertit formaliter à bonitate creata, nõ auertit à bonitate increata primo, & per ſe, ſed tñ conſequenter: Nam qui peccat in proximũ, primo & per ſe, atq; ita immediate, & formaliter auertit ſe a proximo, & virtualiter, & conſequẽter à Deo: ita qui falſum dicit nõ auertit ſe à veritate increata primo, et per ſe, ſed qñque à veritate creata, atque ita patet inſufficientia huius rationis; Nam ſi ex hoc quod mendacium eſt contra primam veritatem eſſet peccatum, multa mendacia non eſſent peccata, qa multa ſunt, quæ repugnãt veritati create.

D. Thomas. 2. 2. quæſt. 110. art. 3. dicit, mendacium ex eo eſſe peccatum, quia tranſit ſuper indebitã materiam, quod probat hoc modo, quia actus dicitur bonus, vel malus in genere moris ex obiecto, genus autem ſumitur à potentia, & eſt potẽtiale reſpectu differentiarũ. Primũ vero per quod conſtituitur actus in genere moris, vt poſſit vlterius per alias circũſtantias determinari quaſi per

diffe-

Digitized by Google

differentias eſt obiectum; Nam vltra bonitatem naturæ, quam habet actus ex quidditate ſua, primũ quod determinat ipſum, vt ſit moralis potentialiter, & materialiter eſt obiectum. Tũc ad propoſitũ dicit, quod actus malus ex genere nunquam pōt eſſe bonus, quia nulla circũſtantia adueniens, poteſt tollere malitiã illã, quæ habetur ex per ſe obiecto: cum omnis alia circumſtantia præſupponat obiectum. Mentiri autẽ eſt actus malus ex genere, quia tranſit ſuper materiam diſconuenientẽ actui: nam materia conueniens actui loquendi debet eſſe, verũ, vel creditũ eſſe verũ, in mentiendo aũt eſt materia oppoſita.

Pro explicatione huius ſententiæ D. Thomæ obſer. eſt, quod hæc litera, quæ refertur à Doctore hac q. ſub litt. I. §. Aliter dicitur quod actus, &c. non eſt formaliter D. Thomæ. Sic enim ſcribit ille in loco ſupra relato. Quod eſt ſecundum ſe malũ ex genere, nullo modo pōt eſſe bonum & licitũ, quia ad hoc quod aliquid ſit bonũ, requiritur quod omnia rectè concurrant; bonũ enim eſt ex integra cauſa; malum verò ex ſingularibus defectibus, vt dicit D. Dionyſius cap. 4. de diuinis nominibus. Mendaciũ aũt eſt malum ex genere: eſt enim actus cadens ſuper indebitam materiam; cũ enim voces ſint naturaliter ſigna intellectuum: innaturale eſt, & indebitum, quod aliquis voce ſignificet id, quod non habet in mente. Vnde Philo. dicit 4. Ethi. cap. 7. Quod mendacium eſt per ſe prauum, & fugiendum, verum autem eſt per ſe bonum, & laudabile. Vnde omne mendacium eſt peccatum; ſicut etiam D. Aug. aſſerit in libro contra mendacium cap. 1.

D. Diony.

Ariſt.

D. Aug.

Secundo obſer. eſt, quòd præter bonitatẽ naturalẽ, quæ conuertitur cum ente, quã habet actus ex quidditate ſua quatenus eſt ens; triplex aſſignatur bonitas. ſ. bonitas ex genere, bonitas moralis, & bonitas meritoria, & vltima ſupra ſupponit alias: bonitas ex genere eſt, qñ actus tranſit ſuper debitam materiã, vt diligere Deum, &c. Et appellatur bonitas ex genere, quia ſicut genus eſt potẽtiale, & per differentias determinabile, ita actus qui tranſit ſuper debitam materiam, id eſt, qui terminatur ad debitũ obiectum, habens vt ſic bonitatẽ ex genere, eſt potentialis, & determinabilis per multas circumſtantiãs. Bonitas moralis dicit aggregationem omnium circũſtantiarũ, nempe finis agentis, loci, temporis, & ſi quæ ſint aliæ. Bonitas meritoria eſt bonitas, quam habet actus, qui elicitur ab exiſtente in charitate, & ſecundũ charitatis inclinationem, quæ formaliter conſiſtit in diuina acceptatione, vt docet Scotus in 1. diſt. 17. & alibi ſæpe.

Actus poteſt habere triplicẽ bonitatẽ.

Scotus.

Tertio obſer. eſt, quod triplex eſt malitia oppoſita, ſcilicet malitia ex genere, & eſt quando actus tranſit ſuper indebitam materiam, vt odiſſe Deum, vel maledicere, & blaſphemare Deum: malitia moralis eſt ex defectu vnius circumſtantiæ, vel omnium ſimul: ſed malitia demeritoria eſt peccatum mortale.

Malitia ẽ triplex.

Quarto obſer. eſt, quòd malitia ex genere eſt ex ſe mala, ita vt per nullam circũſtantiam poſſit bene fieri vt ſi latria tranſeat ſuper idolum, & maledictio in Deum.

Poſtremo obſer. eſt, quod actus mentiendi tranſit ſuper materiam indebitam, atque adeo eſt malus malitia ex genere, & ideo non poteſt benefieri: nã actus loquendi debet tranſire ſuper verum, vel ſuper illud quod creditum eſt eſſe verum, ergo actus mentiẽdi eſt de ſe malus, & ex conſequenti omne mendacium eſt peccatum, & ſic patet ſententia D. Thomæ.

Contra quæ arguit Scotus tribus rõnibus. Prima eſt talis. Non magis eſt materia indebita huius actus, ſ. qui eſt occidere, homo iuſtus & innocẽs, quã ſit materia locutionis indebita falſum, ſed homo iuſtus & innocens, pōt eſſe materia licita, & debita occiſionis, ſi Deus reuocet illud præceptũ, Non occides, ſicut dictũ eſt in q. 1. ſ. præced. ergo falſum pōt eſſe materia debita loquentis, vel ſaltẽ nõ erit indebita, ſi præceptũ reuocetur, quod videtur eſſe de non decipiendo, ſicut ſi reuocaretur præceptũ de non occidẽdo. minor probatur. Nõ magis ligat hoc præceptũ de non decipiendo, quã illud præceptũ de non occidẽdo, ſed præceptũ de non occidendo pōt diſpenſari, & de facto diſpenſatũ eſt, vt patet in Abrahã, ergo, &c. Maior probatur. Maius nocumentũ eſt auferre homini iuſto vitã, quã opprimere verum per actum mentiendi, ſed per actũ occidendi aufertur vita corporalis, & per actũ mẽdacij opprimitur verũ, ergo non minus eſt materia indebita occiſio hoĩs iuſti, & vtilis Reipub. maior patet: quia minus malum eſt auferre proximo opinionem verã, vel occaſionaliter generare in eo opinionẽ falſam, quam auferre ei vitam corporalem, imò non eſt quaſi cõparatio, ergo ſicut poteſt fieri licitum occidere hominem iuſtum, Deo reuocante præceptum non occides, & non ſolũ licitũ, ſed meritorium: puta ſi Deus præcipiat occidere, ſicut præcepit Abrahæ occidere Iſaac, ergo à ſimili, vel potius à maiori, poteſt fieri licitum proferre propoſitionem falſam, vel creditam falſam ſi præceptum reuocetur.

Ad hoc argumentũ reſpondens Thomiſta negaret minorem, quia dicit homicidiũ pro quanto eſt contra præceptũ Non occides, eſſe penitus indiſpenſabile, quẽadmodũ mendacium: Scotiſta ẽt habet huic argumẽto reſpondere, qui tenet homicidiũ eſſe diſpenſabile. & mendaciũ indiſpenſabile. Ideo cũ dicitur diſpenſatur in hoc præcepto, Non occides, ergo & in mendacio, cũ deterius ſit hoĩem innocentem occidere, quã mentiri, nego conſequentiam, quia malitia mendacij eſt magis intrinſeca obiecto, quã malitia homicidij; atque adeo prima eſt oĩno indiſpenſabilis, ſecũda verò minime: & rõ eſt, quia ſi mendaciũ eſſet diſpenſabile, Deus poſſet immediate decipere hoĩem, & immediate cauſaret deceptiones in mentibus hominum, qđ eſt abſurdũ, licet aliqui concedãt non eſſe incõueniẽs, Deũ poſſe decipere hoĩem ſpeculatiue, quãuis non practice. Alijs nõ placet, quod nec ſpeculatiue, neque practice.

Cõtra. In caſu quo tota vita Socratis periclitaretur, niſi ego Chirurgus abſcinderẽ ab eo brachiũ; tunc poſſum licite ab eo brachium abſcindere, ergò vbi eminet periculum ne Socrates interficiatur à Platone poſſum licite cauſare errorẽ ſpeculatiuum in eo, dicendo non eſt hic, eſto quod ſit hic, ſaluando vitã eius corporalem; conſequẽtia probatur, quia maius malũ eſt abſcindere brachiũ, quoad incommoditatem corporis illius, quã ſit deceptio ſpeculatiua in Platone, ergo ita licite poſſum hoc efficere, ſicut illud. Et cõfirmatur, quærat aliquis Petrũ abſcõditum in domo mea ad mortẽ, & quærat à me, an ſit in domo, ſi dicã quod ſic, ero cauſa mortis eius, quod eſt à me fugiẽdum, & idẽ eſt ſi tacuero, ergo in illo caſu licet mihi mentiri, alias ero perplexus; non eſt ergò de ſe illicitũ mentiri. Ad primum nego conſequentiã, quia non dico mendaciũ eſſe indiſpenſabile, nec poſſe benefieri, quia ſit malum incõmodi, ſed quia eſt actus intrinſece malus, & prius natura malus, quam ſit proximo incõmodus, eo quod auertit à veritate, quæ in ſe eſt bonum virtutis. Et ſi dicas, poſſum intendere cauſare errorem in Platone, non cogitando de veritate, quia intendo tñ illũ ſpeculatiue decipere, vt ſaluem vitã Socratis: ergo ex obiecto non trahit maiorẽ malitiam, quã adulterium; concedo formaliter, ſed virtualiter nego, atq; adeo etſi non auertat formaliter in eo caſu à veritate, auertit tñ ab ea virtualiter, quia ſicut non pōt quis bene velle, quod proximus diſcordet à volũtate ſigni diuina, quia tũc peccaret materialiter. Ita volẽs decipere, vel cauſare in proximo errorẽ; vult ſaltẽ implicite, & virtualiter intellectũ proximi diſcordare à veritate, atque ita dicitur mendacium indiſpenſabile. Et ſi iterũ dicas, quod pari modo indiſpenſabile erit adulterium, eo quod virtualiter auertit à diuina voluntate, poſſet negari conſequentia. quia mendacium de formali includit deordinationem & eſt malum nedum in ſe, ſed etiam ſecundum ſe; cæterum cognoſcere alienam eſt tantũ malũ in ſe, vt diximus ſupra ex Alexand. de Ales. & ex D. Bona. à quibus non diſſentit Scotus vt videbimus infra.

Ad confirmationem dico. Neutrum dicere poſſum. ſi prodo verũ pecco, & magis quã mentiẽdo. vt vitam eius ſaluem, ſi mentiar etiam pecco: ergo neutrum faciam, ex mea taciturnitate non cognoſces Petrũ eſſe in domo mea abſconditũ. Faciã ſicut recitat D. Aug. in lib. cõtra mẽdaciũ de illo Sancto Epiſcopo, Dũ talis queſtio ab eo quereretur, reſpondit. Non poſſum mentiri, nec prodere virũ ſi hic eſſet; dabo ei aliud os rodendũ, ei illoquendo quatenus diſcedat ſine peccato, ſecundũ quod poſſum excogitare, vtendo nimirũ amphibologia; & reſtrictione mentis.

D. Aug.

Secunda ratio contra D. Thomã eſt talis. Si mẽtiri habet neceſſariam malitiã ex hoc, quod tranſit ſuper talem materiam, igitur mentiri non prohibetur per præceptum

Digitized by Google

ſecundæ tabulæ, quia in ſecunda tabula non prohibentur niſi mala proximi; Iſtud autem per ſe non eſt tantū malum, quia nocet proximo, quia tunc, vt probatū eſt, cum ſit minus malum, quam occidere hominem, ita eſſet poſſibile, quod hoc non haberet ratione mali, ſicut illud, imo poſſibilius, igitur eſt contra præceptum primæ tabulæ, quod non videtur probabile, quia non auertit immediate à Deo, ſicut nec actus oppoſitus habet Deum immediate pro obiecto loquendo de aliquo vero indifferente.

Pro intelligentia huius rationis obſer. eſt, quod mendacium partim prohibetur per præceptū primæ tabulæ, & partim per præceptum ſecundæ tabulæ: per præceptum quidem primæ tabulæ cum dicitur, Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum, quo prohibetur, vt diximus diſt. præcedenti, omnis irreuerentia Dei, & non ſolū irreuerentia per periurium, ſed etiam omni verbo, & facto; per mendacium autem fit Deo irreuerētia, quia mentiens irreuerenter opponitur veritati, atque adeo cum Deus ſit prima veritas, qui mentitur, Deum irreueretur, & ex iſta parte, qua prohibetur per præceptū primæ tabulæ eſt indiſpenſabile. Et ſi dicas, quod etiam qui peccat cōtra præcepta ſecundæ tabulæ, vt fornicator, facit Deo irreuerentiam, quia facit peccatū, & peccatum opponatur bonitati, qui eſt Spiritus Sanctus, ergo ſicut peccatum mēdacij prohibetur per primam tabulam, quia eſt contra primam veritatem: pari modo fornicatio, quia eſt contra primam bonitatem. Reſpōdeo, quòd licet fornicatio ſit contra bonitatem primam, & cætera peccata prohibita per ſecundam tabulam, & per ea fiat Deo irreuerentia; non eſt tamen neceſſario, & intrinſece ex obiecto, ſed tantū ex ſuppoſitione præcepti, quo reuocato poſſet bene, & recte fieri: mendacium autem quia eſt ex obiecto, & intrinſece malum: (non enim poteſt quis mentiri niſi cum peccato irreuerentiæ Dei) ideo eſt contra primam tabulam: & ratio eſt, quia in ſe, & ex natura ſui includit intentionē malam, & malum velle, quod nunquā pōt bene fieri: Nam mendacium eſt falſum aſſertum cum intentione fallendi.

Poteſt etiam dici, quòd ideo mendacium eſt intrinſece malum, quia Deus, & natura dederūt homini vocem, vt illa vteretur tamquam ſigno vero ad exprimendum conceptus, quos habet in mēte, & hoc eſt notum à parte rei; Mentiens autem quantum in ſe eſt falſificat huiuſmodi ſignum; atque ita per ſuum mendacium oſtendit Deum eſſe authorem mendacij, & falſitatis, ac proinde vtens voce, vt ſigno falſo, interpretatiue oſtendit, quòd Deus dedit illi ſignum illud ad falſitatē probandā, & ita facit quātum in ſe eſt Deum mendacem cōtra illud ad Hebræos 6. Impoſſibile eſt mentiri Deum. Ideo eſt contra preceptum primæ tabulæ, quatenus vt ſic immediate auertit à Deo.

Prohibetur etiam mendacium præcepto ſecundæ tabulæ, illo ſcilicet Non loqueris contra proximum tuū falſum teſtimoniū, neque decipiet vnuſquiſque proximum ſuū, & ex iſta parte eſt diſpenſabile, quia ex obiecto non eſt malum, ſed tantum ex præcepto, & quia Deus poſſet reuocare præceptum de non decipiendo proximum, ideo actus ille poſſet bene fieri. Et ſi dicas, volo decipere proximum, imo volo leuare feſtucam contra conſcientiā, ſunt actus intrinſece mali, & tamen prohibentur præceptis ſecūdæ tabulæ, quia ſunt circa creaturas. Reſpōdeo, quod non ſunt intrinſece mali ex obiecto, ſed tantum ex circūſtantia, ſicut & fruitio creaturæ, vt ſic, nunquam pōt bene fieri, etiam per diuinam potentiam, non tñ ex obiecto, ſed tantū ex circumſtantia finis, quia diligit creaturā propter ſe vltimate, quā deberet diligere relatiue ad Deū tāquā ad vltimū finem. Ita in propoſito volo hoc facere contra conſcientiā, non eſt ex obiecto malum, ſed tm̄ ex circumſtantia. ſ. operantis, quę eſt vt nunquā quis operetur contra conſcientiam. Et ſi iterum dicas, oēs iſtę circūſtantiæ ſunt creaturæ; ergo actus qui circa illas verſatur nō eſt intrinſece malus, quia Scotus in 4. d. 50. q. 1. dicit quod nullus actus qui verſatur circa creaturā eſt ex genere malus. Dico quod dicit ex genere tamquā ex obiecto, & non ex circumſtantia. Cōtra volo habere illā circumſtantiā loco obiecti, vtpote hoc totū, volo occidere Petrū contra conſcientiam, & hoc eſt creatura, & tñ eſt intrinſece malum. Dico, quod hoc totum eſt tm̄ vnum obiectū per accidēs. Scotus autem intelligit de obiecto per ſe vno, obiectum | *Scotus.*

autem per ſe in hoc exemplo eſt Petrus, & ſic patet quomodo poteſt ſuſtineri, quod mendacium ſit contra præceptum primæ, & ſecundæ tabulæ.

Tertia ratio contra D. Thomam ſtat in hoc. Sint duo ſcilicet Petrus, & Ioannes, & Petrus credat, Franciſcum currere, cum tñ ſtet, & proferat iſtam Frāciſcus currit, & Ioannes ſcit Franciſcum ſtare, tñ vt fallat dicit, Frāciſcus currit. Tunc ſic actus loquendi vtriuſq; cadit ſuper eamdem materiā, & vnus eſt malus. ſ. locutio vel ſermo Ioannis, & alter bonus. ſ. locutio vel ſermo Petri; ergo actus dicendi, vt tranſit ſuper oppoſitum veri, nō eſt de ſe malus, quia tunc actus Petri eſſet malus, ſicut actus Ioannis; non eſt ergo mendacium ex ſe malum, quia tranſit ſuper indebitam materiam præciſe loquendo.

ARTICVLVS III.

Vtrum mendacium ex eo ſit peccatum, quia eſt falſa ſignificatio vocis cum intentione fallendi.

ET videatur quod non: quia abſtracti, & concreti eadem eſt definitio, ſed mētiri pōt quis ſine falſa vocis ſignificatione, ergo mendaciū nō eſt falſa vocis ſignificatio, atq; adeo ex hoc non habet rōnem mali, & peccati. Minor probatur, quia ſiquis intendens dicere falſum dicat verum, mentitur, vt dicit Magiſter in littera, & talis non mentitur cum falſa vocis ſignificatione. | *Magiſter.*

Præterea ſicut mendacium contingit eſſe in verbis, ita etiam in factis, ergo non tantum debet dici falſa vocis ſignificatio, ſed etiam falſa operis ſignificatio; ergo nō tantum mendacium eſt peccatum, quia eſt falſa vocis ſignificatio, ſed etiam quia eſt falſa operis ſignificatio.

Præterea ſi ex falſa vocis ſignificatione cū intentione fallendi mendacium eſſet peccatū, ſequeretur, quod mendacium iocoſum, & officioſum non eſſent peccatū. Conſequēs falſum, ergo & antecedens. conſequentia probatur, quia qui mentitur mendacio officioſo non intendit fallere, ſed prodeſſe, & qui mentitur mendacio iocoſo non intendit niſi delectare, ergo &c.

De hac re agit D. Bonau. in 3. d. 38. art. 1. q. 2. vbi docet, quod dupliciter dicitur aliquid eſſe malū. Vno modo ex genere actus, vtpote quando actus tranſit ſuper materiā indebitam: & hoc poteſt eſſe duobus modis, priori modo reſpectu Dei, atque ita eſt malum in ſe, & ſecundum ſe, nec poteſt aliquo modo bene fieri; ſicut eſt odiſſe ſummū bonū, & blaſphemare Deū: altero modo reſpectu proximi, & ſic eſt inferre proximo nocumētū in perſona, vel in rebus, & eſt malum in ſe, quod aliquo fine pōt bene fieri, quia poteſt recta intentio ſuperueniente ex diſpenſatione. | *D. Bonau.* Dupliciter dicitur aliquid eſſe malū.

Secundo modo pōt aliquid dici malū ex malitia intentionis, & tale malū ſiue ſit reſpectu Dei, ſiue reſpectu proximi ſimpliciter, & ſecundum ſe malum eſt, & nullo fine poteſt bene fieri, quia dicit priuationē debiti finis. Vnde facere hoc malum eſſe bonū, nihil eſt aliud facere, quā aliquid eſſe ſimul bonum, & malum, & huius generis mali eſt mendacium. Non enim ex hoc ſolū mendaciū dicitur malum, quia trāſit ſuper materiā indebitā, ſed etiā ex indirecta intentione. Quoniā ad omne mendaciū duo concurrunt. ſ. dicere falſum, & intentio fallendi, primum, vt materiale, ſecundum vt formale, & primum eſt malū in ſe, & poteſt bene fieri ab eo qui ignoranter dicit falſum; ratione vero ſecundi eſt malum ſecundum ſe, & nullo fine poteſt bene fieri, & circa ipſum non poteſt bene diſpenſari. Sicut nullo modo poteſt bene fieri, quod aliquis cognoſcat alienam intentione adulterandi, ſiue ex improbitate voluntatis. hęc eſt ſententia D. Bonauenturæ.

Quam Doct. ſub. in hac q. ſub litt. A. §. Aliter dicitur, quod mentiri optime explicat, & ſequitur. Dicit ergo Scotus, quod licet actus poſitiuus, & malitia non ſint vnū per ſe, nec in re, nec in cōceptu: poteſt tñ aliquod nomē imponi ad ſignificandum nec actū ſolum, nec deformitatē ſolā, ſed totum ſimul; adeo vt mendaciū pōt bifariā ſumi, vno modo pro actu poſitiuo, altero modo pro aggregato ex actu poſitiuo, & difformitate; ſicut hoc nomē adulterium impoſitum eſt non tm̄ ad ſignificandū actum naturalem coeundi, ſed cū difformitate. ſ. cum aliena, & ſimiliter hoc nomen furtum impoſitum eſt ad ſignificandum non ſolum acceptionem alicuius rei alienæ, ſed etiam | *Scotus.* *Mendaciū poteſt bifariā ſumi.*

contra

Digitized by Google

contra voluntatem eius cuius eſt, & cuiuſcũque alterius ſuperioris Domini, vt puta Dei, qui eſt omnium rerum vniuerſalis Dominus, quod dicit propter Hebræos, quando ex Domini præcepto expoliauerũt Ægyptios, qui furtum non cõmiſerunt, quia non acceperunt alienũ inuito Domino, ſcilicet Deo; talia tota importata per huiuſmodi nomina. ſ. aſſertio falſi cum intẽtione fallendi, actus coeundi cum aliena, & acceptio rei alienæ contra voluntatem eius cuius eſt: non videntur poſſe eſſe bona, quia ſtatim dicunt conuolutam malitiam, ſed illud quod eſt ibi ſubſtratum, nimirum actus coeundi, & accipiendi rem alienam, poſſibile eſt eſſe ſine tali difformitate.

Ita in propoſito licet prolatio talium, vel taliũ verborum, quorumcunq; ſignificatorum poſſit eſſe ſine peccato; tñ prolatio eorum cum conſcientia oppoſiti, & per conſequens cum intentione fallendi non põt eſſe ſine peccato, quia includit actũ ſub ſtratũ cum circunſtantijs ipſum neceſſario difformantibus. Quod aũt quis poſſit proferre poſitiuũ mendacij ſine difformitate patet, quia iſtã orationem, Si dixero, quia neſcio eũ, ero ſimilis vobis mendax. protulit Chriſtus, ſed non aſſertiue. Protulit namq; Chriſtus hãc orationem, Neſcio eum, quã ſciebat, & credebat eſſe falſam, & tñ non fuit mendax, quia locutio illa non habebat annexam difformitatem, quia nõ dixit illa cum intentione fallendi: ſimiliter quæcunq; verba latina quantumcunq; falſa, poſſet vnus Græcus proferre ſine peccato. Vnde ſequitur, quod ex eo mendacium eſt peccatum, quia eſt falſa ſignificatio vocis cum intentione fallendi. Nam ex iſtis duobus tanquam ex materia, & forma conſtituitur mẽdacium, & cum materia ſit de ratione rei materiam habentis, ſequitur quod falſum, vel falſa enunciatio ſit etiam de ratione mẽdacij, quamuis principalius ſit de ratione eius fallacia, quæ conſiſtit in voluntate falſum enunciantis, ſicut forma principalius eſt de ratione rei, quam materia.

Sed videtur, quod hęc ratio D. Bona. & explicatio Scoti, non concludat omne mendaciũ eſſe peccatũ, quia non omnis mentiens intendit fallere illum, cui mentitur, cum frequenter multi mentiãtur illis, quos ſciunt per ſua mendacia non decipi, quia agnoſcunt illa eſſe falſa, & eorum contraria vera: nam iocoſe mentientes non intendũt fallere nec fallunt, cum de talibus mentiantur, quorum contraria eſſe vera ab oĩbus cognoſcatur.

In mendacio quatuor conſiderari poſſunt. Dico primo, quod circa mendacium quatuor conſideranda ſunt, ſ. materia, forma, quædã eius accidentalis perfectio, & effectus: materia mẽdacij eſt falſa ſignificatio, ſiue per verba, ſiue per ſigna, ſed magis dicitur eſſe per verba, propter hoc quia

D. Aug. ſecundum D. Aug. lib. 2. de Doctr. Chriſtiana multũ poſt principium. Verba inter ſigna obtinent principatum; forma eius voluntaria enunciatio huius, quod ſcitur, vel creditur eſſe falſum, & ex iſtis duobus tanquam ex materia, & forma, vt diximus, conſtituitur mendacium, eſt enim mendacium falſa ſignificatio vocis cum voluntate enunciandi falſum. Perfectio eius accidentalis eſt intentio generandi falſam opinionem in animo audientis, & cũ iſta

Richard. intentione (inquit Richardus hac diſt. art. 1. q. 1.) mendacium fortius eſt, ſine illa tñ mendacium eſſe poteſt; vt patet in mẽdacio iocoſo. Effectus mendacij eſt deceptio audientis, qui tamen effectus non ſemper ſequitur ad cauſam, quia audientes non ſemper acquieſcunt mentientibus. Ex hac Richardi Doctrina, põt colligi, quid ſit dicendum ad inſtantiam; nempe quòd intentio generandi falſam opinionem in animo audientis non eſt de intrinſeca ratione mendacij, ſed tantum perfectio eius accidentalis atque adeo ſine ea mendacium eſſe poteſt, dummodo ſit falſa enunciatio vocis cum voluntate enunciandi falſum, quæ duo cum reperiantur in mentiente iocoſe: nam falſum dicit, & voluntarie ſequitur, quod vere, & proprie mendacium dicit.

Mẽdaciũ dupliciter ſumi põt. Dico ſecundo, & melius, quod mendacium, vt elicitur ex littera Doct. poteſt accipi dupliciter, vno modo, vt includit deordinationem, id eſt, quod talis actus proferatur cum circunſtantia mala, id eſt, iniuſte, indebite, contra legem, ſecundum quam acceptionem mox nominatum mendacium eſt conuolutum malitia, ſicut Philoſ. dicit de adulterio, & furto, & ita communiter accipitur mendacium à Sanctis, & Doctoribus, ſecundum quem modum impoſſibile eſt Deum mentiri, vt dicit Apoſt. ad Hebræos 6 aut mendacium præcipere, aut decipere; eo quod impoſſibile eſt Deum aliquid facere inordinate.

Alio modo accipitur mendacium, vt nõ connotat huiuſmodi deordinationem ſeu circunſtantiam in ſe malam, ſed tantum dicit actum illum contra mentem prolatum ſiue ordinate, ſiue inordinatè fiat; adeo vt proferens non habeat intentionem proximum fallendi; primo modo omne mendacium eſt peccatum, ſed non ſecundo modo. Et cum dicitur, quod mendacium non includit neceſſario intentionem fallendi, vt patet de mendacio iocoſo, dico quod falſum eſt. Non enim mẽdacium iocoſum, vt dicit Scotus infra, eſt narrare fabulam de qua omnes

Scotus. audientes ſciunt, quod non eſt verum, neque narratur tãquam verum, vbi nec audiens decipitur, nec loquens intendit decipere, nec ſermo eſt de ſe deceptiuus; quia non eſt talis, qui ſit natus credi ab audientibus, ſed mendaciũ iocoſum eſt, quando aliquis iocando intendit decipere, ita vt deceptus vere decipiatur, licet non in aliquo in quo ſibi nocumentum magnum inferatur.

Ad primum in oppoſitum dico, quod mendaciũ non tantum dicit comparationem ad mentientem, ſed etiã ad ipſam, rem de qua ſit ſermo; Mentiri vero propriè dicit comparationem ad ipſum mentientẽ, & ideo plus claudit in ſe mendacium, quam mentiri, nec eſt idẽ omnino mendacium dicere, & mentiri; ſicut apertè dicat Magiſter in

Magiſter. littera; nec ſequitur ſi aliquis mentitur, quod dicat mendacium, ſi proprie ſumatur mendacium; Niſi forte ſumatur mendacium, vt eſt quid commune ad mendaciũ ſecundum quid, & ſimpliciter, atque adeo negandum eſt, quod mendacium, & mentiri, ſe habeant ſicut abſtractum & concretum.

D. Ambr. Ad ſecundum dico, quòd mendacium vtique non ſo-
D. Aug. lum eſt in verbis, ſed etiam in factis; iuxta ſententiam D. Ambroſij; proprie tantẽ eſt in verbis; prout dicit D. Aug. Verba enim propriè inſtituta ſunt, vt ſint ſigna cõceptuũ mentis, pro eo quod ab interiori procedunt, & volũtarie formantur, & quoniam mendacium reſpectum dicit ad illud, quod eſt in mẽte interius, hinc eſt quod proprie eſt in ſermonibus, & vocibus, & ita per falſam vocis ſignificationem definitur, licet & in factis analogicere periatur.

Ad tertium dico, quod definitio mẽdacij analogice dicitur de mendacio pernicioſo, iocoſo, & officioſo, & per prius dicitur de pernicioſo, iocoſo autem, & officioſo conuenit quodammodo quaſi per poſterius: vnde vocabulum fallendi in notificatione mendacij non tantum importat decipere, ſed etiam falſum dicere, & hoc eſt omni mendacio commune, & generale, falſum enim dicere externus, quodammodo fallere eſt dum homo id dicit, quod poteſt hominem ad falſitatem deducere, & deducendo ad falſitatem fallere, & decipere. Vnde ille qui peccat mendacio iocoſo, licet non intendat decipere, intendit tamen dicere falſum, ex quo poſſet eſſe in aliquo deceptio, atque adeo conuenit ei ratio mendacij, eſt enim intentio falſum di-

Alex. de Ales. cendi. In mendacio vero officioſo, vt inquit Alex. de Ales 2. par. quæſt. 122. m. 1. eſt ſimul vtraque pars mendacij, licet enim ſit vlterior intentio, ſcilicet iuuare proximũ, nihilominus certior eſt intentio fallendi, & quo ad hoc dicitur mendacium. Illa enim intentio per ſe reſpicit ſermonem; altera vero intentio reſpicit voluntatem, & non per ſe ſermonem.

Et ſi quæras cum in mendacij definitione ſint duæ partes nempe dicere falſum, & intentio fallendi, & contingat aliquem dicere verum cum intentione fallendi, & aliquẽ dicere falſum ſine intentione fallendi, quod iſtorum plus accedit ad rationem mendacij, priuatio primæ partis cum poſitione ſecundæ, id eſt, dicere verum cum intentione fallendi; an poſitio primæ partis cum priuatione ſecundæ, id eſt, dicere falſum ſine intentione fallendi? Reſpondeo, quod plus pertinet ad eſſe mendacij intentio fallendi, quam falſa vocis ſignificatio, falſa enim vocis ſignificatio eſt ſicut materiale in mendacio, complementum autem eſt intentio fallendi, ac proinde vbi remanet intentio fallendi plus dicitur mendacium, nihilominus tamen vtrunque eſt mendacium ſecundum quid.

ARTICVLVS IV.

Vtrum mendacium pernicioſum ſit peccatum mortale.

PRo explicatione huius difficultatis obſer. eſt, prout vidimus in littera Magiſtri, quod D Aug. in libro de mendacio, & refertur etiam 22. q. 2. ponit octo genera mendaciorum. Primũ eſt, quod fit in doctrina religionis ſiue fidei, cum intentione ſubuertendi, vt eſt hæreſis, & infidelitas. Secundum eſt, quod obeſt alicui, & nulli prodeſt, vt detractio, & murmuratio, vel mendaciũ falſi teſtis in cauſa criminali. Tertium eſt, quod obeſt alicui, vt proſit alteri, vt mendacium falſitatis in cauſa pecuniaria. Quartum eſt, quod fit ſola mentiendi libidine, quod eſt hiſtrionum, & conſimilium. Quintum eſt, quod fit placẽdi cupiditate de ſuaui colloquio, vt eſt mendaciũ adulationis. Sextum eſt, quod nulli obeſt, & prodeſt alicuius pecuniæ conſeruandæ, vt ſi quis alicui volenti tollere pecuniam dicat ſe non habere, & tamen habet. Septimum eſt, quod nulli obeſt, ſed prodeſt vita alterius conſeruandæ. Octauum eſt quando, quis mentitur propter caſtitatem alicuius conſeruandam.

Secundo obſeruandũ eſt (vt patet ex dictis) quod mendacium habet pro formali, & completiuo ſui eſſe intẽtionem fallendi, & ideo iuxta intentionem mentientis mendacium in ſuas ſpecies diſtinguitur; Mentiẽs ergo aut intendit lædere, aut delectare, aut prodeſſe: ſi intendit lædere eſt mendaciũ pernicioſum, & hoc dupliciter, quia aut intendit lædere in damno ſpirituali, & ſic eſt primum genus mendacij, aut in damno temporali, quod fieri poteſt duobus modis; aut enim ſimpliciter lædit, & ſic eſt ſecundum genus, aut lædit vnũ, & alteri prodeſt, & eſt tertium genus. Si vero aliquis mentitur, vt delectet, quod eſt mendacium iocoſum, hoc poteſt contingere biſariã, quia aut mentiens ideo mentitur, vt ſe ipſum delectet, & eſt quartum genus; aut mentitur, vt delectet alium, & eſt quintum genus, vt quando mẽtitur per adulationem citra tamen peccatum mortale. Si vero aliquis mentitur, vt proximo proſit, quod eſt mendaciũ officioſum; hoc fieri poteſt duobus modis, quia aut mentitur quis, vt proſit proximo in rebus fortunæ, & ſic eſt ſextum genus, aut mentitur, vt proſit proximo in rebus internis, & hoc dupliciter, quia aut in rebus naturæ, vt eſt vita hominis, & eſt ſeptimum genus aut in rebus gratiæ, vt eſt caſtitas, & ſic octauum genus.

Scotus. His obſeruatis dicit Scotus in hac queſt. ſub. litt. B. §. Secundo videndũ eſt &c. Mendaciũ pernicioſum eſt, quod eſt nociuum ex ſe, vel nocet cui mentior, vel de quo mentior, & ſi nocumentum eſt quantum ad religionẽ Chriſtianam, puta circa fidem, vel mores, tunc eſt peccatũ mortale. Mendacium circa fidem eſſet ſi hæreticus diceret ſacramentalem confeſſionem non eſſe de iure diuino, vel in Sacramento altaris, ſub ſpeciebus panis, non eſſe verum corpus Chriſti, &c. hoc pacto mentiens intendit inferre nocumentum in Doctrina fidei. Mendacium vero circa bonos mores eſſet, ſi quis volens mulierẽ ad fornicationem inducere ei perſuaderet fornicari non eſſe peccatum, & iſto modo mentiens inferret nocumentum circa bonos mores, & hoc genus mendacij eſt peccatum mortale.

Si vero nocumentum ſit quantum ad vitam corporalem, Verbi gratia, vt ſi aliquis perſequatur Petrũ ad mortem, & mendaciter dicat Principi ipſum eſſe proditorem, &c. Vel quantum ad fidem coniugalem non ſeruandam ſibi, vt ſi aliquis diceret vxori Platonis, vt eam ad adulterium induceret. Non ſeruanti fidem, non eſt ſeruanda fides, &c. vel quantum ad prolem, vel perſonas quantumcunque, vel qualitercunque ſibi coniunctas auferendas, vel quantum ad alia bona temporalia, ſecundum quod plus, vel minus nocet, quod penſatur ex bono cuius eſt ablatiuum; ſecundum hoc penſatur grauius, vel minus graue, & vniuerſaliter omne tale mendacium ex deliberatione dictum, eſt mortale peccatum cuicunque.

Sed hic oritur difficultas; An grauius peccatũ ſit mentiri in materia fidei, quod eſt prima ſpecies mendacij pernicioſi; an mentiri in vitam alicuius, qui eſt multũ vtilis Reipub. Verbi gratia, mentitur aliquis dicendo Chriſtum non aſcendiſſe ſuper aſinã, quando intrauit Hieruſalem in die palmarum ex quadam vrbanitate, quia indecẽs ſibi videtur aſcendiſſe Chriſtum Dominũ tam vile iumentum. Et idem imponit falſum crimẽ proximo valde vtili Reipub. per quod ad mortem damnatur, quæritur quod iſtorum mendaciorũ ſit maius, id eſt, grauius peccatum, & videtur, quod ſecundum, cuius tamen oppoſitum dicit D. Aug. affirmans primum genus mendacij eſſe grauiſſimum, & vltimum leuiſſimum, & mẽdacium illud, quod inter octo genera mendacij magis accedit ad primũ cæteris eſſe grauius, & quo magis elõgatur ſiue à prima recedit eſſe leuius. Et confirmatur, quia priuationes diſtinguũtur per habitus, ſed primum mendacium eſt contra fidem, ſecundum eſt contra charitatem generaliter loquendo, ſed maius bonum eſt charitas, quam fides, ergo grauius peccatum eſt ſecundum mendacium, quam primum. D. Aug.

Reſpondeo, & ad primũ dico, quod in eo caſu verum eſt, quod ſecundum mẽdacium eſt grauius primo, ſed ex hoc non ſequitur, primum genus mendacij non excedit in grauitate ſecundum, quia dicere Chriſtum non aſcendiſſe ſuper aſinam, non eſt ſummum mendacium in Doctrina fidei, ſed quãdo quis ex certa malitia impugnat veritatem, ſeu fidem Chriſtianam, & bonos mores ſubuertit, non eſt inuenire grauius mendacium. Vnde obſeruandum eſt ſecũdum Altiſiodoren. quod Doctrina religionis biſariam ſumitur, vno modo communiter, & ſic tota ſcriptura eſt doctrina religionis: alio modo propriè, & ſic dicit neceſſitatem credendorum, & agendorum, vt ſunt articuli fidei, & precepta moralia D. Auguſtinus loquitur de Doctrina religionis proprie, & ſtricte ſumpta, non autem communiter accepta. Altiſiod.

Ad ſecundum dico, quod argumentum non probat intentum, quia non ſequitur, ſi aliqua bona ita ſe habeant vt vnum alterum excedat, quod ſimiliter inter eorum priuationes exceſſus habeat reperiri, quia negationes oppoſito modo ſe habent ad affirmationes; plus enim negat non homo, quam non animal, & tamen plus affirmat animal, quam homo, ſic etiam eſſe poteſt in habitibus, & priuationibus, vnde quamuis charitas ſit maius bonũ, quam fides; tamen maius malum eſt infidelitas, quam odium, quia plus priuat infidelitas, quam odium Vnde obſeruandum eſt, vt docet Alex. de Ales 2. par. quæſt. 122. m. ad primum, quod grauius poteſt dici multipliciter. Vnõ modo ratione iniuriæ proximi, & hoc modo grauius dicitur furtum, & homicidium, quam mendacium. Secundo dicitur grauius, quod addictum eſt maiori pœnæ, & ſic etiã furtum, & homicidium dicitur grauius, quam mendacium, quia illa addicta ſunt maiori pœnæ, quam mendaciũ in genere, licet aliquod mendacium, vt illud, quod eſt blaſphemiæ ſit addictum grauiori pœnæ in veteri teſtamento, ſicut habetur Leuit. 24. Qui blaſphemauerit nomen Domini morte moriatur, lapidibus obruat eum, &c. Tertio dicitur vnum peccatum grauius altero, ex eo quod inordinationem dicit reſpectu rei nobilioris, & ſecundum hoc quia veritas eſt nobilior pecunia, vel vita temporali mendacium dicitur grauius furto, & hac ratione mendacium contra fidem eſt grauius, quam ſit mendaciũ contra vitam hominis, vide Alex. vbi ſupra. m 7. per totum. Alex. de Ales.

Sed eſto quod Catholicus quidã bene credens proponat contrarium alicuius articuli corã ſimplici, qui neſcit vtrum illud ſit verũ, vel falſum, & ex alia parte ſit aliquis hæreticus credens verum dicere, qui proponat idem falſum coram ſimplici, quis iſtorum plus peccat? & videtur quod hæreticus, quia Catholicus, etſi peccat in dicto; radix tamen non eſt corrupta, quia ipſe bene ſentit; hæreticus autem, & in dicto peccat, & in radice: maior autem eſt corruptio vbi eſt vtrumque, quam alterius tantum.

Reſpondeo, quod magis peccat Catholicus, quia contra conſcientiã dicit, quod dicit, & ſcit quod ille ſimplex poteſt falli ex dictis eius hæreticus autẽ neſcit iſtud, vnde nec dicit contra conſcientiam, nec putat illum fallere, ſi ergo plus peccat, qui ex certa ſcientia peccat, quam qui ex ignorantia, plus peccat Catholicus, quam hæreticus. Et ad id quod obijcitur, quod in hæretico eſt corruptio maior, quia corruptio radicis, &c. Dico quod maior corruptio radicis, poteſt dupliciter dici, vel in intel-

lectu,

lectu, & ſic tenera maior eſt corruptio in hæretico; vel in affectu, & ſic maior corruptio eſt in Catholico, qui vult dicere contra conſcientiam ſuam, & dare ſimplici occaſionem ruinæ: maioritas ergo corruptionis primæ non fuit cauſa faciendi peccatum, ſicut maioritas corruptionis radicis modo ſecundo, & ideo plus peccat in hoc caſu Catholicus, quam hæreticus.

Concluſ. Ex doctrina Scoti quantum ad iſtum articulum poteſt elici hæc Concluſio. Mendacium pernicioſum ex deliberatione dictum eſt mortale peccatum, & nota, quod non dixi omne mendacium pernicioſum, quia aliquis poteſt pernicioſe mentiri pro re parui momenti, quod mendacium, etiam deliberate factum, non eſt mortale peccatū: quia ſicut modicitas materiæ excuſat furtum, ne ſit peccatum mortale, ita videtur, paruitas rei de qua mentitur excuſet mendacium ne ſit mortale peccatum. Tum quia aliquod eſt mendacium veniale, quod alicui nocet, & nulli prodeſt in re parui momenti, & parui precij, atque ita eſt dabile aliquod pernicioſum mendacium veniale. Tū quia ſi tale mendacium eſſet mortale hoc eſſet, quia pernicioſum eſt mortale ex genere, ſicut eſt furtum, ſed hoc non conuincit omne mendacium pernicioſum eſſe mortale, ſicut neque omne furtum eſt peccatum mortale.

Hoc notato probatur ſic concluſio. Mendacium pernicioſum ſimpliciter prohibetur illo præcepto. Non dices contra proximum tuum falſum teſtimonium. Non enim præciſe eſt falſum teſtimonium, quod datur, vel perhibetur in iudicio; ſed etiam eſt falſum teſtimonium, quando aliquis ex certa deliberatione, aſſerit quod ignorat, vel cuius oppoſitum nouit eſſe verum, ſiue in iudicio ſiue extra iudicium id fiat. Nam quicunque dicit oppoſitum eius, quod ſcit eſſe verum, vel ſaltem, quod credit eſſe verum, cum intentione decipiendi eum cui loquitur, & ſic loquendo intendit illi nocere, vel de quo loquitur dicit falſum teſtimonium contra proximum, ſed tranſgreſſio grauis diuini præcepti eſt peccatum mortale; ergo &c. Præterea aliquod eſt mendacium pernicioſum, contra charitatem Dei, & contra charitatem proximi, exemplum primi ſicut eſt mendacium in doctrina fidei; exemplum ſecundi, quando eſt in nocumentum ſpirituale, aut corporale, vel in magnis bonis fortunæ proximi; ſed omne peccatum, quod eſt grauiter contra charitatem Dei, & proximi eſt mortale; ergo &c. An autem indeliberatio excuſet, tangetur quæſt. ſequenti.

Ad idem ſunt multæ authoritates ſcripturæ vtriuſque teſtamenti. Nam Sapien. 1. dicitur. Os, quod mentitur occidit animam, ſed non occiditur anima niſi propter peccatum mortale; ergo &c. Et in Pſalm. 5. Odiſti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Plus autem eſt perdere, quam odiſſe, ſed odium Domini non eſt niſi propter mortale peccatum; ergo & perdere non eſt niſi reſpectu eorū, qui mortaliter peccant, & ſimilia multa, quæ intelligunt de mendacio pernicioſo.

ARTICVLVS V.

Vtrum mendacium iocoſum, & officioſum ſint peccatum mortale.

Triplex ē genus mēdacij. PRo explicatione huius difficultatis obſeruan. eſt, quod, vt diximus ſupra, tria ſunt mendaciorum genera, id eſt, mendacium malignitatis, & duplicitatis, quod ex malignitate, & duplicitate procedit, & appellatur á ſcholaſticis mendacium pernicioſum. Secundum eſt, mendacium benignitatis, quod ex benignitate procedit, & eſt mendacium, quod pro ſalute, & commodo alicuius, non malitia, ſed benignitate dicitur, & appellatur mendacium officioſum. Tertium eſt mendacij genus, quod fit ioco, quod non fallit, ſcit enim cui dicitur cauſa ioci dici, quod iocoſum appellatur. De pernicioſo mendacio, & eius ſpeciebus dictum eſt in ſuperiori articulo, quod de re graui, & cum deliberatione factum, eſt peccatum mortale.

Secundo obſeruan. eſt, quod mendacium benignitatis ſiue officioſum eſt, quod nulli nocet, & alicui eſt vtile, & habet tres ſpecies, vt dicit D. Auguſt. in lib. de mendacio. Quia iſto genere mendacij contingit mentiri, vel pro re alterius ſeruanda, vel pro vita corporali, vel pro caſtitate alicuius ſeruanda, ita vt vtilitas huius mendacij conſiſtit, vel in bonis fortunæ, vt qui mentitur alicui, ne ſibi furentur pecunias, vel in bonis corporis, vt qui mentitur, vt ſaluet vitam corporalem proximi, aut in bonis animæ, vel propter munditiam animæ, vt Miles capta Ciuitate inuenit mulierem coniugatam vult coire cum ea; & ipſa dicit ſum Virgo, mentitur, hoc mendacium eſt propter bonum animæ, id eſt, vt ſeruet mundiciam animæ, & fidem viro ſuo; & hoc mendacium officioſum eſt de ſe peccatum veniale. Mendacij officioſi tres ſunt ſpecies.

Sed eſt difficultas, quæ iſtarum ſpecierum mendacij officioſi ſit leuius peccatum. D. Auguſtinus dicit, quod minus peccatum eſt mentiri pro conſeruatione caſtitatis, quæ eſt tertia ſpecies mendacij officioſi, & octauum genus mendacij, quam mentiri pro conſeruatione vitæ corporalis. Cuius oppoſitum videtur verum; Tum quia caſtitatem nemo inuitus amittere poteſt: nam caſtitas eſt virtus animæ non carnis, vitam vero corporalem poteſt quis perdere inuitus, ergo proximus magis indiget auxilio pro vita conſeruanda, quam pro caſtitate tuenda; ergo videtur, quod magis ſpectet ad officium pietatis, & magis leue peccatum ſit mentiri pro vita conſeruanda, quam pro caſtitate retinenda. Tum quia qui vitam corporalem perdit; deſtituitur ſpatio merendi, & pœnitendi; at non caret ſpatio pœnitentiæ, qui continentiam amittit; ergo periculoſius eſt, & damnabilius alicui interfici, quam carnaliter violari, atque adeo magis videtur pium in tali caſu pro vita corporali mentiri, & per conſequens leuius peccatum. D. Aug.

Reſpondeo, & ad primum dico, quod licet alicui inuito non poſſit auferri virtus continentiæ, quantum ad illud, quod eſt mentis, tamen quia eo inuito poteſt auferri, quod eſt annexum, id eſt, integritas carnis, & timendum eſt ne interueniat conſenſus, atque ita mentis continentia corrūpatur, & q; vita ſpiritualis animæ ſit præferenda vita corporis, hinc eſt, quod magis accedit ad pietatem mentiri pro continentia carnis conſeruanda, quam pro vita corporali, Vnde & ſi pietas naturalis aliquo modo plus moueat ad tuendam vitam corporalem, tamen pietas gratuita plus moueret ad conſeruandam integritatem carnis propter conſeruandam concomitanter vitam gratiæ, & virtutis, & per hoc patet etiam ad ſecundum: Cum enim dicitur, quod auferens vitam aufert ſpatium pœnitentiæ, dico, quod neſcitur vtrum homo á periculo mortis euaſus vitam futuram expendat in bonis operibus, an in malis, & ideo non eſt ſimile hinc, & inde, quia carnaliter violari, eſt periculum propinquius vitæ ſpirituali, quæ eſt præponenda vitæ ſpirituali.

Concedendum eſt, ergo maius malum eſſe pati ſtuprum, quam mortem propter periculum peccandi, quod illi voluptati coniunctum eſt. Vnde minus peccatum eſt mentiri ad vitandum ſtuprum, quam ad vitandam mortem, ſicut minus eſt ad vitandam mortem, quam ad cauendum damnum pecuniarum. Quo enim maius eſt bonum propter quem mentiris, eo mēdacium eſt minus peccatum: quia malitia, & deformitas illius minus eſt voluntaria, qui enim nollet mentiri niſi neceſſitas magni boni conſequendi, vel mali auertendi cogeret, ſatis oſtendit ſibi non placere per ſe mendacium, & ſe inuitum, & cum diſplicentia illius per ſe conſiderati ad illud deſcendere, idque eo magis, quo cauſa, qua impellitur maior eſt, vel ſaltem iuſtior apparet. Hinc dici ſolet bonitatem intentionis minuere malitiam operis.

Secundo obſeruan. eſt, quod mendacium iocoſum (vt docet Scotus in hac quæſt. ſub littera C. §. Iocoſum autem &c.) Non eſt narrare fabulam; de qua omnes audientes ſciunt, quod non eſt verum, nec narratur tamquam verum, vbi nec audiens decipitur, nec loquens intēdit decipere, nec ſermo eſt de ſe deceptiuus: quia non eſt talis, qui ſit natus credi ab audientibus, ſed magis vt ſciatur eſſe dictum ſine opinione facienda alicui de veritate; ſed mendacium iocoſum eſt, quādo aliquis iocando intendit Quid eſt mendaciū iocoſum.

Digitized by Google

intendit decipere; ita vt deceptus vere decipitur, non tamen in aliquo in quo ſibi nocumentum magnum inferatur; in quo etiam iocantur illi, qui ſciunt ipſum decipi, & ſimiliter poteſt ipſe iocari. Quemadmodum dicit D. Auguſt. fuiſſe de mendacio Ioſeph, qui veraciter voluit decipere fratres ſuos dicens. Exploratores eſtis &c. Et tamen ipſe, qui ſciuit veritatem iocari potuit de ipſorum deceptione, & timore, quem incurrerunt decepti; etſi etiam alij hoc ſciuiſſent percepiſſent ipſum tandem non ſerioſe, ſed iocoſe fuiſſe locutum.

D. Aug.

De iſtis duobus officioſo, & iocoſo conceditur communiter, quod neutrum eſt peccatum mortale. probatur ex D. Auguſt. ſuper illud Pſal. 5. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium, vbi dicit. De mendacio, quod eſt pro ſalute, vel commodo alterius non ex malitia, ſed ex benignitate dictũ, & de mendacio iocoſo, quod non ſunt ſine culpa, ſed non cum magna, ſed omne peccatum mortale eſt magna culpa, ergo mendacium officioſum, & iocoſum, non ſunt peccatum mortale. Item D. Gregorius. Hoc peccati genus facile credimus relaxari (& loquitur de mendacio benignitatis) nam ſi quælibet culpa ſequenti pia operatione purgatur, quanto magis hoc facile abſtergitur, quam mater boni operis pietas comitatur?

Gregor.

Præterea iſta duo mendacia non contrariantur charitati Dei, vel proximi, ergo non ſunt peccata mortalia: nam propter ea perniciosum mendacium eſſe peccatum mortale diximus, quia eſt contra charitatem Dei, & proximi.

Sed hinc eſt vna difficultas, quod nam ſit leuius peccatum ex ſuo genere, an mendacium officioſum, vel iocoſum, & videtur quod officioſum ſit grauius. Illud mendacium eſt grauius, in quo magis ſeruatur ratio mentiendi, ſed mendacium, quod fit ſerio habet magis de ratione mentiendi, quam mendacium, quod fit ioco, & huius generis eſt mendacium officioſum: nam quodlibet tale mendacium fit ſerio; ergo quodlibet mendacium officioſum eſt grauius quam iocoſum. Reſpondeo quod mendacium iocoſum eſt grauius. Nam D. Auguſt. ponit octo gradus mendacij lib. de mendacio cap. 14. Quorum primus, & infimus eſt, cum quis mentitur ad impediendum ſtuprum, ſeu caſtitatis violationem ſibi, vel alteri inferendam. Secundo cum ad impediendum homicidiũ. Tertio, ad impediendam fortunarum direptionem. Quarto cum placendi cupiditate. Quinto cum ſola mentiendi libidine. Sexto cum quis ita mentitur, vt vni proſit, & alteri obſit. Septimo cum ita mentitur, vt nulli proſit, & obſit alicui. Octauo quando mentitur in doctrina religionis, & hi gradus ab infimo mendacio creſcunt ad ſummum. tres primi gradus pertinent ad mendacium officioſum: quia nemini nocent, & præterea aliquam vtilitatem afferunt. Quartus, & quintus gradus pertinent ad mendacium iocoſum: minus tamen culpæ eſt in quarto quam in quinto quia minus turpe eſt mentiri, vt alterum oblectes, quam vt libidini mentiendi ſatisfacias; ſextus ſeptimus, & octauus pertinent ad mendacium pernicioſum. Cum ergo mendacium iocoſum accedat magis ad pernicioſum, quã faciat officioſum, erit officioſo grauius. Tum quia in vtroque mendacio mentiens intendit dicere falſum: in vno vt delectet, in altero, vt proſit; minus autem inordinata eſt intentio, quæ intendit prodeſſe, quam ſit ea, quæ intendit delectare, atque adeo minus peccatum eſt mendaciũ officioſum, q̃ ſit iocoſũ. Cum ergo dr̃, quod mendacium iocoſum non ſit ſerio, dico, quod falſum eſt. Serio enim mentitur illo mendacio mentiens, licet non mentiatur ad ſeducendum, ſed ad delectandum.

Octo gradus mendacij.

Et ſi quæras an mendacium, officioſum, & iocoſum poſſint fieri peccatum mortale. Reſpondet quidem Doctor, quod ſic, quod ita explicat: mentiri contingit dupliciter, videlicet ex libidine veniali, vel mortali. Libido mortalis à D. Auguſt. in libro contra mendacium ſic definitur. Libido eſt appetitus animi, quo æternis bonis quædam temporalia præponuntur. Libido autem venialis eſt appetitus inordinatus ſenſualitatis, vel rationis, quo diligitur nimis aliquod temporale tamen ſub Deo; Cum ergo ſit triplex mendacium in genere, pernicioſum, quod obeſt, officioſum quod prodeſt, & iocoſum quod delectat, pernicioſum mendacium ſemper eſt ex libidine mortali; officioſum vero, & iocoſum poſſunt eſſe ex libidine veniali, & mortali. Ex libidine mortali mendacium officioſum eſt, cum quis propter ſeruandam vitam alicuius ex amore præſentis vitæ illius ſupra Deum, mentitur. Iocoſum vero ex libidine mortali eſt, cum quis mentitur ex amore delectationis ioci, quem diligit aliquis ſupra Deum. Ex delectatione veniali eſt mendacium officioſum, quod fit ex amore vitæ corporalis ſub Deo tamen, ſimiliter iocoſum eſt veniale, quod fit ex amore delectationis ioci ſub Deo. Et ſic patet, quomodo mendacium iocoſum, & officioſum, quæ proprie, & ex ſuo genere ſunt venialia poſſint fieri mortalia ratione complacentiæ inordinate ſuperadditæ, & confirmatur ex D. Auguſt. prout refertur diſt. 35. cap. criminis, vbi dicitur. Nullum peccatum eſt adeo veniale, quod non fiat mortale dum placet, ſcilicet inordinate. Ita Alex. de Ales 3. part. quæſt. 37. m. 6.

An mendacium officioſi, & iocoſi poſſint fieri mortale.

D. Aug.

Alex. de Ales.

Sed probatur, quod mendacium officioſum, & iocoſum ſint peccata mortalia etiam ex ſuo genere, & primo ſic: Quod eſt cõtra virtutem veritatis, & eam perimit eſt peccatum mortale; ſed omne mendacium repugnat veritati, & eam perimit, ſicut fornicatio caſtitati, ergo ſicut fornicatio ex ſuo genere eſt peccatum mortale, ita mendacium ſecundum ſe, & ſecundum genus ſuum eſt peccatum mortale.

Præterea omne quod eſt contra conſcientiam ædificat ad gehennam, vt dicitur 28. quæſt. 1. Omnes deinceps §. ex his. Sed omnis mentiens contra conſcientiam loquitur, quia alias non mentiretur, ergo loquens mendacium ædificat ad gehennam. Sed nullus dicitur ædificare ad gehennam niſi per peccatum mortale; ergo &c. Et confirmatur. Iſidorus in libro de Synonimis cap. 10. & habetur 22. quæſt. 2. omne genus. Omne genus mendacij (inquit) ſummopere fuge, nec caſu nec ſtudio loquaris falſum; nec vt præſtes, id eſt, alteri vitam, mentiri ſtudeas, nec qualibet fallacia vitam alterius defendas; caue mendacium in omnibus. hæc ille.

Iſidorus.

Præterea, ſecundum D. Auguſtinum lib. 1. de doctrina chriſtiana. Nemo mentiens in eo, quod mentitur ſeruat fidem, omnis autem fidei violator eſt iniquus, ſed nullus dicitur fidei violator, vel iniquus per peccatum veniale, ergo omne mendacium eſt peccatum mortale.

D. Aug.

Ad primum cum dicitur, mendacium opponitur virtuti veritatis; Dico quod veritas in propoſito poteſt ſumi tripliciter; vno modo pro veritate, quæ eſt obiectum intellectus, qua veritate aliquod dicitur verum, & ſic veritas non eſt virtus, ſed obiectum, vel finis virtutis. ſecundo modo poteſt accipi veritas pro habitu ſcientiæ, qui eſt in intellectu, quo habituatur intelligens ad cognoſcendum veritatem eorum, quæ tractantur in illa ſcientia, & hoc modo non eſt habitus virtutis. tertio modo poteſt accipi veritas pro quodam habitu cauſato in anima ex frequenter verum dicere, quo quis vult, & eligit prompte, expedite, & delectabiliter verum dicere, ſiue manifeſtare alteri veritatem in corde conceptam, & iſte eſt habitus virtutis, qui appellari poteſt veritas, & talis habitus eſt in voluntate ſicut alia virtutes morales; & hac veritate denominatur homo verax. Quando ergo dicitur, quod omne mendacium perimit virtutem veritatis; Dico quod eſt falſum, ſed ſolum habitus mendacij cauſatus ex frequenter dicere falſum; & licet prolatio ipſius mendacij, repugnet actui dicendi verum; non repugnat tamen virtuti veritatis, per quam aliquis refugit mendacium pernicioſum, nec illam perimit: nam vnus actus oppoſitus non tollit habitum, niſi eſſet valde intenſus.

Veritas ſumitur tribus modis.

Nec eſt ſimile de fornicatione reſpectu caſtitatis, & de mendacio reſpectu veritatis: quoniam omnis actus fornicationis eſt prohibitus: non ſic autem omnis differentia mendacij, & hoc eſt propter lubricitatem linguæ; cum enim lingua poſita ſit in lubrico, & facilius ſit loqui, quam fornicationem committere, & non ſemper ponderantur, nec ita facile ponderari poſſunt actus linguæ. Vnde quædam ſunt mendacia exteriora, quæ non opponuntur proprie virtuti veritatis, velut ſunt mendacia, quæ ſunt peccata venialia, ſicut nec etiam primi motus proprie virtuti caſtitatis opponuntur. Quædam vero ſunt mendacia mortalia, quæ opponuntur virtuti veritatis,

Digitized by Google

taris, & hæc generaliter prohibentur illo præcepto. Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.

Ad ſecundum dico, quòd conſcientia aliquando dictat aliquid eſſe ſimpliciter fugiendum, quia eſt iuſtitiæ contrarium: & interdum dictat aliquid eſſe fugiẽdum, quia facit à iuſtitia aliqualiter declinare. Qui facit cõtra conſcientiam primo modo peccat mortaliter propter intercedentem contemptum; & ille eſt, qui ædificat ad gehennam; Qui vero facit contra conſcientiam ſecundo modo, non ædificat ad gehennam, nec proprie dicitur facere contra conſcientiam, ſed præter conſcientiam; Conſciẽtia enim non dictat omnia mendacia eſſe æqualiter vitanda: quia quædam ſunt mortalia, vt mendacia pernicioſa, & quædam venialia, vt mendacia officioſa, & iocoſa.

Ad confirmationem dico, quod verba Iſidori ſunt conſultoriè dicta; quia homo non tenetur mentiri pro aliquo, nec tenetur animam ſuam lædere pro ſalute alterius corporali. Cum ergo omne mendacium, ſi eſt mortale, inducat mortem, & ſi eſt veniale diſponat ad mortem. Ideo optime conſulit Iſidorus, quod mendacium omnino fugiatur, ſed ex hoc non ſequitur omne mendacium eſſe lethale peccatum.

Ad tertium dico, quod aliquid poteſt dici iniquum dupliciter, vel quia contra iuſtitiam; & ſic mendacium pernicioſum appellatur iniquum, & omne peccatũ mortale; vel dicitur iniquum quia eſt præter iuſtitiæ æqualitatem, & hoc modo peccatum veniale poteſt dici iniquum iuxta illud Ioan. 3. Omnis qui facit peccatum, iniquitatem facit, & peccatum eſt iniquitas, & in hac ſignificatione loquitur D. Auguſtinus.

ARTICVLVS VI.

Vtrum mendacium officioſum, & iocoſum ex circunſtantia perſonæ fiat mortale peccatum.

PRo explicatione huius difficultatis obſeruan. eſt, quod circunſtantia perſonæ poteſt intelligi, vel ratione ſtatus, vel ratione actus; ratione ſtatus, vt ſi mendacium dicens ſit Religioſus, vel Prælatus, aut ſuperior, nempe iudex &c. Ratione actus, vt ſi ex nimia complacentia, vel multa libidine quis mentiatur: in vtroque ſenſu eſt hæc difficultas examinanda.

Et quo ad primum, Alex. de Ales. part. 2. q. 122. m. 5. dicit, omne mendacium officioſum, & iocoſum in viris

Mendaciũ triplex.

perfectis eſſe mortale. Sic enim ipſe diſtinguit; mendacium poteſt ſumi multipliciter, vno modo falſa vocis ſignificatio cum voluntate falſum enunciandi; alio modo enunciatio falſum enunciare volentis, vt fallat; tertio modo libido perſeuerans mentiendi. Item ſecundum ipſum homo perfectus poteſt dici tripliciter, vno modo vt

Homo poteſt dici perfectus tribus modis.

dicatur perfectus, qui perfectam habet charitatem; & ex perfecta charitate perfectam cognitionem, vt adhæreat totaliter Deo ſecundum intellectum, & ſecundum affectum, prout eſt poſſibile in via: ſecundo modo qui eſt in ſtatu perfectionis acquirendæ, vt religioſus: tertio modo, qui eſt in ſtatu perfectionis exercendæ, vt eſt Prælatus. Hoc ſuppoſito

Dicit primo, quod ſi mendacium ſumatur primo modo, vt eſt falſa vocis ſignificatio, cum voluntate falſum enunciandi, & perfectus dicatur religioſus, qui ex profeſſione non habet non dicere mendacium, non eſt ei prohibitum, nec peccat mortaliter ſic perpetrando mẽdacium, id eſt, dicendo mendacium iocoſum, vel officioſum.

Secundo dicit, quod ſi ſumatur mendacium ſecundo modo, ſcilicet, vt eſt enunciatio falſi volentis falſum enũciare, vt fallat; & perfectus dicatur ille, qui perfectam habet charitatem, & ex perfecta charitate perfectam cognitionem, vt adhæreat totaliter Deo, ſecundum intellectum, & ſecundum affectum prout eſt poſſibile in via, ſi peccat talis in genere mendacij, ſiue officioſi, aut iocoſi, peccat mortaliter. Quia qui perfecte adhæret Deo, nullam habet rationem trahentem quare mentiri debeat, ergo non poteſt à Deo recedere niſi per contemptum; ſed contemptus eſt peccatum mortale, ergo &c. Et confirmatur: quia Adam in ſtatu innocentiæ ratione perfectionis perſonalis non potuit primo peccare venialiter, ſed ratione ſtatus peccauit mortaliter; ita & iſte ratione ſtatus in hoc genere mẽdacij mortaliter peccat. probat 2. authoritatibus D. Auguſt. ſuper illud Exodi 1. Bene ergo fecit Dominus obſtetricibus &c. Et lib. 2. contra Mendacium; vbi aperte dicit, quod perfectis præceptum eſt omnino non ſolũ nõ mentiri, ſed nec velle mentiri. Summopere, inquit, cauendum eſt omne mendacium, quamuis nõ nunquam ſit aliquod genus mendacij culpæ leuioris, ſi quiſpiam præſtando mentiatur. Sed quia ſcriptum eſt, os quod mentitur occidit animam; & perdes omnes, qui loquuntur mendacium; hoc quoque mendacium perfecti viri ſũmopere fugiũt, vt nec vita cuiuslibet per eorũ fallaciam defendatur: nec ſuæ animæ noceant, dum præſtare nituntur carni alienæ. Hæc D. Auguſtinus.

D. Aug.

Tertio dicit, ſi ſumatur mendacium primo, vel ſecundo modo, & perfectus dicatur, qui eſt in ſtatu perfectionis exercendæ, ſi in iis, quæ ſpectant ad ſuum officium, iocoſe, aut officioſe mentiatur, peccat mortaliter. & probatur, perfectis vt ſic, ratione ſtatus vt ſunt prælati creditur tamquam conſeruatoribus veritatis, & ſi mentiendo à veritate deuient, de cætero eis non creditur, quod non eſt ſine magno præiudicio Eccleſiæ, & ſui ſtatus, ergo omne mendacium eſt eis graue ſiue mortale peccatum. & confirmatur ex D. Aug. in libro de mendacio, vbi dicit, q. perfectis præceptum eſt omnino non ſolum non mentiri, ſed nec velle mentiri, ſed facere contra præceptum eſt peccatum mortale; ergo &c.

Hanc ſententiam impugnat D. Bonauentura hac diſt. artic. 1. quæſt. 4. Tum quia pauciſſimos, aut nullos eſt reperire in iſta charitatis perfectione, de qua loquitur Alex. in 2. dicto; Tum quia quantumcunque aliquis ſit pfectus perfectione tranquillitatis, ſi dicat aliquod verbum otioſum non peccat mortaliter. Tum quia quanto homo eſt maioris perfectionis in ſtatu præſenti, tanto maioris eſt pietatis, & eo pronior ad ſubueniendum alienæ ſaluti, atque adeo cum videt perfectus, quod ſaluti corporali, vel ſpirituali proximi ſubuenire poteſt per falſitatem verbi ſui, videtur quod hoc mendacium debeat inclinare ex ipſa pietate, & dulcedine; ſicut videmus, quod magis eſt pronus pater ad mentiendum pro ſalute filij, quam pro ſalute extranei. Eſt etiam, quod nulla ſit pronitas, cum mendacium iocoſum, & officioſum non ſit prohibitum, ſi aliquis ad hoc non ſe aſtrinxerit per votum, quantumcunque ſit perfectus, non videtur, quod incurrat mortale peccatum.

D. Bonau.

Impugnata opinione Alexan. ponit D. Bonauen. ſuam opinionem, à qua ſi recte intelligatur nõ declinat Doct. ſub. ſed eam magis explicat. Dicit ergo Seraphicus Doctor, quod ad aliquid obligatur homo ſpecialiter præter alios, vel ratione voti emiſſi, vel ratione officij commiſſi; vel ratione ſcãdali alios inuitantis, vel ratione conſcientiæ dictantis. Si ergo dicamus viros perfectos obligari ad non mentiendum aliquo genere mendacij, cum hoc non ſit ex præcepto, nec ex officio commiſſo, nec ex voto, erit propter ſcandalum, & conſcientiæ vinculum. Viri ergo perfecti non obligantur magis ad non mentiẽdum aliquo genere mendacij, quam alij Chriſtiani ex præcepto diuino, quia ad illud omnes æqualiter obligantur; Neque ex officio commiſſo, ſicut Prælati obligantur, neque ex voto; quia illud non vouerunt; tamen plus obligantur, quam alij Chriſtiani, & hoc ratione imminentis ſcandali, & ratione conſcientiæ dictantis, & hoc intelligendo de perfectis, vt ſunt religioſi, vel huiuſmodi; quod declaratur ſic.

Quia viris talibus publice perfectis adhibetur fides tanquam conſeruatoribus veritatis, & quia mendacium deprehenſum facit, vt homo alteri non credat, ſi viri perfecti mentiantur, iam ipſis non creditur, nec aliquibus alijs, & ſic veritati magnum fit præiudiciũ, & datur alijs occaſio ſcandali, dicent enim communes: Quibus poterimus credere, quia in religioſis, & perfectis viris, qui nos debent ad veritatem dicendam inducere minime veritas reperitur? & inde ſeculares, & laici ſcandalizarentur,

Digitized by Google

tur, propter quod tales viri perfecti debent habere conſcientiam, quod pro nulla re ſcienter falſum dicant. Tales igitur peccant mortaliter, tũ q̃a faciunt contra conſciẽtiæ dictamen; tum quia alios fideles actiue ſcandalizant. Non ſcandalizantur autem ſic commune de imperfectis, vel de perfectis occultis, & ideo tales non ſic obligantur ad omne mendacium vitandum. Et ponit exemplum, ſi enim fides per aliquem Tyrannum impugnaretur licitum eſſet imperfectis fugere, vel latere, ſed viri perfecti tenerentur ſtare, & fidem libere confiteri, quia per ipſorum fugam, & latitationem populus infirmus caderet à fide, & per eorum conſtantiam, & fortitudinem plurimi, confirmarentur. Conſcientia igitur perfectis debet dictare, quod nullo modo eſt fugiendum, & ita ſi fugerent grauiter peccarent propter ſcandalum, quod inde oriretur; & tamen alij non peccarent. Hactenus D. Bonauentura.

Scotus. Scotus autem in hac quæſt. ſub littera D. §. De iſtis duobus officioſo, & iocoſo &c. diſtinguit de perfectione dicens, quod quædam eſt perſona perfecta in ſtatu perfectionis exercendæ, ſicut prælatus; quædam in ſtatu perfectionis acquirendæ, vt religioſus. De homine perfecto in ſtatu perfectionis exercendæ erit ſermo in ſequẽti art. De homine autem perfecto in ſtatu perfectionis acquirendæ ponit Doct. duas concluſiones.

1. Concl. Prima Concluſio. Homo perfectus in ſtatu perfectionis acquirendæ (vt ſunt ſimplices Sacerdotes, & Religioſi) non eſt obligatus ad aliqua; quæ ſunt perfectionis plus cæteris, niſi ad illa, quæ vouit, hoc eſt, ad quæ ſe voluit ſecundũ ſtatum ſuum obligare, hæc concluſio eſt etiam Alexandri, D. Bonauen. & omnium Theologorum. Probatur concluſio: omnis obligatio ad peccatum mortale, vel eſt ex præcepto ſuperioris, vel ex obligatione proprij voti; ſed mentiri officioſe, vel iocoſe non eſt contra præceptũ generaliter factum omnibus: quia tunc ſic omnes mentientes peccarent mortaliter, quod omnes negant: Nec eſt contra præceptum factum perfectis ſpecialiter: quia illud præceptum nunquam legitur, nec eſt contra votũ perfectorũ; quia nullus pfectus perfectione perſonali, vel ſtatus vouet non mentiri; & ſi quis vouẽt caueãt tibi; ergo mentiri officioſe, vel iocoſe non eſt uiris perfectis peccatum mortale. Et confirmatur: quia nulla circumſtantia facit, quod eſt veniale in vno eſſe mortale in alio, niſi ille alius neceſſario obligetur ad illud, ad quod non obligatur alter; ſed vir perfectus non obligauit ſe ad veritatem ſeruandam in verbis, aliquo voto, vel iuramento, pluſquam quicunque Chriſtianus, igitur circumſtantia perſonæ, ex quo ipſa non eſt ſpecialiter obligata, non transfert veniale in mortale.

2. Concl. Secunda Concluſio. Licet mendacium officioſum, & iocoſum, quantum eſt ex natura mendacij officioſi, & iocoſi, non ſit viris perfectis mortale peccatum; tamen ratione ſcandali pusillorum poteſt eſſe lethale peccatum. Pro explicatione huius concluſionis obſeruan. eſt primo, quod homo perfectus in ſtatu perfectionis acquirendæ cum non aſſumat ſtatum curæ paſtoralis, nec actum per conſequens pertinentem ad prælatum, ſi non exerceat actus perfectionis, cuiuſmodi ſunt docere, prædicare, & huiuſmodi, non videtur plus peccare mortaliter in mendacio officioſo, vel iocoſo, quam alius Chriſtianus: quia non eſt obligatus ad aliqua, quæ ſunt perfectionis plus cæteris; niſi ad illa, quæ vouit, vt probauimus ſupra.

Secundo obſeruan. eſt, quod actus non debent iudicari ſcandaloſi, vel non, eo quod ex eis ſequatur ſcãdalum, vel non ſequatur, ſed debet cenſeri ſcandaloſus ex natura actus, id eſt, ſi actus ſit talis, qui de ſe natus ſit ſcandalum cauſare, quia poteſt interdum contingere, quod ſcandalum non ſequatur, quamuis actus ex ſe ſit ſcandaloſus, verbi gratiã, Si aliquis Prædicator prædicet in aliqua vniuerſitate, vel collegio, in quo auditores omnes ſunt ipſo doctiores, & in prædicatione intermiſceret ne dum impertinentia, ſed impertinenter, eſto, quod auditorium illud non ſcandalizaretur, tamen actus ille impertinens, vel mendacij, eſſet ſcandaloſus, quia quantum eſt de ſe, & ex natura actus eſſet ſcandalizatiuus, licet in illo auditorio ſcandalum non ſequatur; & è contrario poteſt interdum contingere, quod ſcandalum ſequatur, etſi actus ex natura ſua non ſit natus ſcandalum parere, vt patet de ſcandalo Phariſeorum: non debent ergo facta iudicari eſſe talia qualia ſunt ex ſcandalo conſequente, vel non conſequente.

Tertio obſeruan. eſt, quod in lege Euangelica quæcunque ſcandala actiua puſillorum vitanda ſunt, iuxta illud Matth. 18. Væ autem homini illi, per quem ſcandalum venit, intelligẽdo de ſcandalo dato, id eſt, actiuo, ſcandala autem Phariſæorum non data, ſed accepta non ſunt vitanda iuxta illud Matth. 15. Dicentibus diſcipulis ad Dominum: Scis quia Phariſæi audito hoc verbo ſcandalizati ſunt? Reſpondit Chriſtus Dominus. Sinite illos abire, cæci ſunt, & duces cæcorum. Vnde loquendo de ſcandalo dato, ſiue in factis indifferentibus ex ſe, qualia ſunt comedere carnes, de quo dicit Apoſtol. 1. Corint. 8. Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum; ſiue in factis, quæ habent aliquam malitiam venialem; cum nata ſint ſcandalizare occaſionaliter puſillos præſentes, vitanda ſunt propter ſcandalum.

Vnde obſeruan. eſt quarto, quod omnia opera noſtra ſunt in triplici differentia: Nam quædam ſunt opera neceſſaria ad ſalutem, vt ſeruare præcepta, & iſta nullo modo ſunt omittenda propter ſcandalũ proximi, ex quacunque radice proueniat ſiue ex malitia ſiue ex infirmitate, ſiue ex ignorantia, quia nemo debet ſuam ſalutem dimittere ad euitandam proximi damnationem. Alia ſunt opera ſupererogationis, vt eſt obſeruantia conſiliorum, & iſta ſolum ad tempus ſunt omittenda, ad euitandum ſcandalum proximi proueniens ex infirmitate, vel ignorantia; quouſque, ſcilicet ignorans inſtruatur, & infirmus roboretur, nec iſta omiſſio merito præiudicat, imo ſic omittens meretur æquale præmium, ſicut ſi faceret, & forte maius: quia eiuſmodi omiſſio non remittit de perfectione charitatis, ſed magis diſponit ad augmentum. Quædam vero ſunt opera indifferentia ex ſe, quæ nullam habent annexam malitiam; vt comedere carnes, bibere vinum, debita repetere; temporalia acquirere, cuſtodire, & debito modo augere; quædam vero ſunt, quæ habent aliquam venialem malitiam annexam, vt mentiri officioſe, vel iocoſe, & iſtorum operum, & maxime primi generis omiſſio nemini præiudicat niſi operanti, & in temporalibus tantum nocet, iſta inquam omittenda ſunt propter proximi ſcandalum ex infirmitate, vel ignorantia proueniens, & ſi probabiliter timetur ſcandalum proximi mortale, tunc omiſſio eſt in præcepto, & non omittens peccaret mortaliter; ſi vero veniale, eſt de conſilio. Poſtquam vero oſtenſum eſt proximo, quod non debet ſcandalizari, non tenetur tale opus omittere, quia tunc tale ſcandalum eſſet ex malitia.

Ex his obſeruatis patet concluſio, & quoad primam partem probata eſt ſupra in prima concluſione; & quoad ſecundam, licet non poſſimus iudicare quale ſit illud factum ex natura facti in ſe, atque adeo quantum eſt ex natura mendacij officioſi, & iocoſi in factis ſecundo modo dictis, id eſt, quæ habent aliquam malitiam venialem; non obligetur perfectus in ſtatu perfectionis acquirẽdæ, ex profeſſione ſua ad uitãdum tale peccatum, pluſquam quicunque alius Chriſtianus. Nihilominus ſi recta ratio dictat, quod actus eius vnicus, vel frequenter repetitus ſit ſcandalum audientibus, quamuis conſimilis actus in homine communi non eſſet ſcandalizatiuus, tenetur ex charitate proximi ſcandalum vitare, & abſtinere à mendacio: alias ſi ſcandalum proximi eſſet mortale, mortaliter peccaret.

Probatur à ſimili; Nam quemadmodum in caſu perſecutionis, Paſtor tenetur quandoque non fugere, iuxta illud Io. 10. Mercenarius, & q̃ non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ vidit lupum venientem, & dimittit oues, & fugit; Quod D. Auguſt. optime explicat in Epiſt. *D. Aug.* ad Honoratum, & Henricus de Gand. quolib. 15. quæſt. *Henric.* vltima. Alius etiam in ſtatu perfectionis aquirendæ, & qui non eſt paſtor, non tenetur ex neceſſitate non fugere, ſi poteſt aliter fieri; ſed tenetur non ſcandalizare proximum fugiendo, & quandoque eius fuga ſcandalizatiua eſſet; quando fuga infirmi non eſſet ſcandalizatiua, iudicarent enim proximi ex fuga eius; quod ex quo talis, qui tam arctam vitam elegit, non exponit vitam ſuam pro

fide

Digitized by Google

fide defendenda; quod non eſſet vita pro tali cauſa ponenda; vel quod talis non bene ſentit de fide, adeo vt ſi religioſus tempore perſecutionis fugeret; licet non peccaret quo ad factum, peccaret tamen propter ſcandalum: quia dicerent homines communes, & imperfecti; prædicabat iſte fidem, & quando eſt defendenda fugit; in hoc ergo caſu tenetur non fugere, ſed vitam pro vitãdo proximi ſcandalo exponere. Ita in propoſito. Quamuis religioſus, id eſt, qui eſt in ſtatu perfectionis acquirendæ, ſi dicat mendacium iocoſum, vel officioſum non peccet mortaliter quantum eſt ex natura actus, per accidens tamen, id eſt, ſi ita mentiretur ex contemptu, vel contra cõſcientiam etiam erroneam, aut ſcandalizaret proximũ, aut damnum, ſeu nocumentum inferret proximo, peccaret mortaliter: quia iam mendacium non eſſet officioſum, aut iocoſum; ſed pernicioſum.

Ex his patet diſcrimen quo ad hanc difficultatem inter Alexand. & Bonauen. & Scotum. Alexan. tenet, quod in uiris perfectis perfectione perſonali mendacium iocoſum, & officioſum ſit peccatum mortale, D. Bonauen. & Scotus negant. In uiris autem perfectis ratione ſtatus, ſi ſit ſermo de his, qui ſunt in ſtatu perfectionis acquirendæ, omnes communiter tenent, quod mendacium officioſum, & iocoſum ex natura actus non eſt peccatum mortale; cæterum ſi religioſi exercerent actus perfectionis, cuiuſmodi ſunt docere, predicare, & huiuſmodi, quia in his actibus eis adhibetur fides tamquam promulgatoribus, & conſeruatoribus veritatis, & ſi probabiliter cognoſcerent ex eorum mendacijs puſillos ſcandalizari, ſic mentiendo peccarent mortaliter, nec aliter, me iudice, intelligit D. Bonauentura, de perfecto autem ratione ſtatus perfectionis exercendæ quid ſentiant videbimus in ſequenti articulo.

Ad rationes pro ſentẽtia Ale. dico, quod æque concludit de quolibet veniali peccato, quod non poſſit eſſe in perfectis uiris ſicut de mendacio, & conſtat, quod illud eſt falſum cum B. Ioan. de ſe, & alijs dicat Epiſt. 1. ſi dixerimus, quod peccatum non habemus &c. Sancti enim viatores non ſic addicti ſunt veritati diuinæ, nec eius bonitati, ſicut beati, qui ab ea non poſſunt recedere, nec ſic vt ſemper de ea actu cogitent, vel actualiter omnia dicta, & facta ſua in eum ordinent, ſed poſſunt ex conſideratione, vel ex alia cauſa ab ea diſcedere, dicẽdo, vel faciẽdo cõtra eã per peccatũ mortale, & præter eã per peccatum veniale. Ad confirmationem nego aſſumptum. Nam Adam in ſtatu innocentiæ potuit primo peccare venialiter; vt docet Scotus in 2. diſt. 21. quæſt. 1. & nos oſtendimus in Commentarijs noſtris ſuper Gen.

Scotus.

Ad authoritates. D. Auguſt. dicunt aliqui, quod D. Auguſt. loquitur de viro perfecto, qui vouiſſet in nullo caſu mentiri, ſed hæc reſponſio nulla eſt; quia idem eſſet dicendum de viro imperfecto ſi vouiſſet non mentiri. Ideo dicendum eſt, quod D. Auguſt. non intelligit, quod perfectus homo ſemper peccet mortaliter officioſe, vel iocoſe mentiendo; ſed intelligit, quod vir perfectus debet vitare mendacium, ne pro vita alicuius ſeruanda committat diſcrimini animam ſuam; ita vt per veniale ad mortale perueniat; & hoc eſt, quod dicit; ne dum vitam alterius, ſupple veniali mendacio ſeruat, animam ſuam perdat, id eſt, contingat aliquando perdere per mortale mendacium.

Ad aliud pro tertio dicto Alex. dico, quod perfectis perfectione ſtatus non creditur tamquam conſeruatoribus veritatis in omnibus dictis, & factis eorum; ſed in illis tantum, quæ ad officium conſeruandæ veritatis ſpectant, ſicut eſt doctrina, & iudicium, in quibus ſi a veritate deuiarent non eſt dubium quin peccarent mortaliter.

Quo ad ſecundum an mendacium officioſum, & iocoſum ex circumſtantia actus ſit peccatum mortale. Dicit irrefragabilis Doctor, vbi ſupra, Quod ſi ſumatur mẽdacium tertio modo, vt eſt libido perſeuerans mentiendi, mendacium iocoſum, & officioſum eſt mortale peccatũ tam in imperfectis, quam in perfectis, & ſecundum hoc dicitur Eccleſ. 7. Noli velle mentiri omne mendacium; aſſiduitas enim illius non eſt bona, & D. Auguſt. lib. de mendacio cap. 6. inquit. Quis integrum dixit eſſe animũ mentientis? etenim libido ipſa recte definitur appetitus animi, quo æternis bonis quælibet temporalia præponuntur.

Alex. de Ales.

D. Aug.

Nemo itaque poteſt conuincere aliquando eſſe mentiendum, niſi qui potuerit oſtendere æternum aliquod bonum obtineri poſſe mendacio. Sed cum tanto quiſque ab æternitate diſcedat, quanto à veritate diſcordat, qui autem mẽtitur à veritate diſcedit: abſurdiſſimum eſt dicere diſcedendo inde poſſe ad bonum aliquid aliquem peruenire; aut ſi eſt aliquod bonum æternum, quod non complectatur veritas, non erit verum, & ideo non erit bonum, vt autem animus ipſi corpori, ita veritas ipſi animo præponenda eſt, vt eam non ſolum magis quam corpus, ſed etiam magis quam ſe ipſum appetat animus. Hæc D. Auguſtinus. Ex quo ſequitur quod ſi quis ex tanta libidine mentiretur, quod paratus eſſet mendacium committere etiam ſi eſſet contra præceptum, nulli dubium, quod peccaret mortaliter, vt diximus in ſuperiori articulo.

ARTICVLVS VII.

Vtrum mendacium iocoſum in actu docendi, vel iudicandi ſit peccatum mortale.

Hanc difficultatem breuiter pertractabimus, prænotando, quod perſona perfecta, quæ eſt in ſtatu perfectionis exercendæ, vt eſt prælatus, ſi in actibus, qui competunt ipſi ratione ſtatus, vt ſunt docere, iudicare, prædicare, in talibus, & ſimilibus, dicat mendacium iocoſum, vel officioſum, peccat mortaliter. Ita docet Alexand. vbi ſupra D. Thomas, 2. 2. q. 110. artic. ad 5. D. Bonauen. loco citato in ſuperiori artic. & Scotus, in hac quæſt. ſub littera D. §. De prima perſona poteſt concedi &c. Quia per talia mendacia admixta auffertur vtilitas, & authoritas doctrinæ, quam prædicat iuxta dictũ D. Aug. in Epiſt. ad D. Hieronymum. Si ad Sacras Scripturas admiſſa fuerint, quantumcunque iocoſa mendacia, nihil remanet in eis ſoliditatis, verbi gratia, Si prælatus cui ex ſtatu perfectionis incumbit prædicare, prædicans miſceat mendacium iocoſum, nihil remanet firmitatis in doctrina ſua, poterit enim quicunque audiens dubitare de quocunque alio dicto ab eo, ſicut de mendacio, vel qua ratione non aſſentiret illi mendacio iocoſo, pari ratione nec alijs verbis eius; atque ita peribit in Eccleſia authoritas Doctorum in docendo, & vtilitas populi audientis. Conſimiliter peribit authoritas in iudicio ſolemni; atque adeo ſi in huiuſmodi actibus perfectionis exercendæ fuerint admixta mendacia, mentiens lætha liter peccat.

Alex. de Ales.
D. Thom.
D. Bonau.
Scotus.
D. Aug.

Quod intelligendum eſt, inquit Scotus, ſi mendacium illud ita dicatur, vt non percipiatur eſſe dictum ſeorſum, & vt remotum ab actu docendi, vel iudicandi: quia ſi ex forma loquendi appareat manifeſte dictum illud fuiſſe iocoſe, & ſeorſum dictum fuiſſet ab actu docendi, vel iudicãdi; non eſſet peccatum mortale; Dum enim aliquis ſedet ad iudicandum, vel eſt in cathedra ad docendum, poteſt aliquam truffam, id eſt, aliqua iocoſa, vel aliquam fabulam miſcere ſine mortali peccato, dummodo, vt dictum eſt ex modo loquendi cognoſcantur non eſſe de iudicio, & doctrina. Ex quo ſequitur, quod ſi Doctor inter legendum miſceat aliquam fabulam ad excitandũ auditores, non peccat mortaliter. Et ſimiliter ſi Prædicator poſt primam partem Concionis (vt antiquitus mos erat in Die Palmarum, & in Die Reſurrectionis Domini) referat aliquam fabulam non peccaret mortaliter; ſecus ſi eam adducerent ad comprobandam aliquam veritatem credibilem.

Secundo obſeruan. eſt ex Caiet. 2. 2. q. 110. art. 4. ad 5. ad hoc, quod mendacium in materia ſcibili committatur formaliter, & ſit peccatum, oportet quod ſit falſa vocis ſignificatio, cum intentione dicendi falſum nociuum proximo, ita vt niſi tertia conditio, ſcilicet nocumentum proximi cadat ſub intentione, non incurritur formaliter tale mendacium, & ex hoc habetur, quando Doctor pec-

Caietan.

cat morta-

Digitized by Google

eat mortaliter dicendo falſa, quando ſcilicet aduertit ſe docere falſum inſcibilibus, & tamen aſſertiue illud docet; conſtat enim quod inexcuſabilis eſt ab intentione nocumenti, qui nociuum ex ſuo genere ſciens, & præuidens infert, vt iſte facit; vniuerſaliter autem, quicunque ſcienter mendacium dicit contra iudicium, vel doctrinã, mortaliter peccat. Vnde ſi iudex dum iudicat mendacia aliqua impertinentia imiſceat, licet peccet non tamen mortaliter: quia non mentitur contra veritatem iudicij, ſed impertinentium ad iudicium. Idem autem eſt iudicium de Doctoribus, ſi docendo mentiantur non tamen contra veritatem doctrinæ.

Tertio obſeruan. eſt, quod prædicator ſemper contra veritatem doctrinæ Chriſtianæ mentitur, quando miracula falſa ſcienter prædicat: quoniam quantum in ſe eſt veritatem miraculorum Chriſti, & Sanctorum, euacuat, efficit enim quantum in ſe eſt, vt falſa etiam putentur Chriſti, & Sanctorum miracula; & ſimile eſt ſi vitam Sãctorum fingunt eam aliter quam ſit conſcribendo, vel referendo eadem ratione, mentiendo autem in nominibus authorum aut quotationibus puta c. 10. pro. 12. aut Iſaiam pro Hieremia, vel Hieronymum pro Auguſtino dicendo quia tunc non occurrit, & turpe putat ſic pertranſire, peccat quidem, ſed non mortaliter: quia non cõtra, ſed præter veritatem doctrinæ mentitur, falli namque in his non eſt falli in doctrina, ſed in accidẽtibus eius.

Sed dubium eſt, an primum, vel ſecundum mendacium veniale ſit in viris perfectis in actu docendi, vel iudicandi, peccatum mortale, & videtur, quod ſecundum, quia vnicum mendacium iocoſum, vel officioſum, non videtur, quod impediat authoritatem docentis, vel iudicantis, ſed tale mendacium frequentatum, vel conſuetudo ſic mentiendi, at ſecundum iura binus actus inducit conſuetudinem, atque adeo actus ſecundus erit peccatum mortale, & non primus; ſed in oppoſitum eſt: quia actus ſecundus eſt omnino ſimilis primo, vt videtur ſecundum omnes circumſtantias, ergo ſi primus non fuit peccatum mortale nec ſecundus.

Pro ſolutione obſeruan. eſt, quod rubrica de titulo poſſeſſionis, & hæreditatis cap. cum Eccleſia tenet oppoſitum, & hoc propter breuitatem temporis intercepti, vbi Papa ordinat, quod Clerici regulares in Ciuitate Sutrina qui ter fuerunt vocati pro ſuffragio in electione Epiſcopi illius Ciuitatis, volebant hanc conſuetudinem obtinuiſſe vim legis, vt ſemper deberent dare ſuffragium in huiuſmodi electione, ordinat, inquam, Innocẽtius III. iſtam conſuetudinem perdidiſſe vim legis, quia tempus illud in cuius ſpatio fuerant vocati ad talem electionem, non fuit conformiter prolixum ad hoc, vt conſuetudo induceret legem.

Poteſt tamen dici, quod mendacium iocoſum in homine Hierarchico, actu hierarchizante, ſi pluries iteratur cum notabilitate ſufficientis temporis, & ex hoc tali modo fiat conſuetudinarie, ſit in eo peccatum mortale, & cum dicitur in prima vice non fuit peccatum mortale; ergo nec in decies, nego conſequentiam, quia frequentatio talis mendacij facit vileſcere verbum Dei. Sed quicquid ſit de vno, vel de pluribus actibus in docendo, iudicãdo, & prædicando, ſaltẽ inquit, Doct. loco ſupra relato, vti talibus mendacijs in actibus alijs à prędicando, & iudicãdo non eſſet eis peccatum mortale excluſa ratione ſcandali, adeo vt extra actus perfectionis exercendæ, ſi prælatus, iudex, aut Doctor, dicerent aliqua mendacia iocoſa, vel officioſa excluſa ratione ſcandali, non peccarent mortaliter.

Alexander loco ſupra relato ad tertium dicit, quod prælatus ratione prælationis non tenetur niſi ad non dicendum mendacium in his, quæ ſpectant ad ſuum officium; ſi tamen mendacium importaret aſſiduitatem mentiendi, eſſet in eo crimen.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum interdum eligendum ſit mendacium veniale ex magno pietatis affectu.

SEnſus huius difficultatis eſt. Vtrum quis pro caſtitate propria ſeruanda, poſſit mentiri ſine peccato, vel eſto, quod aliquis habeat conſcientiam, quod mendacio eius interueniente, poſſit aliquis conuerti ad fidem ſiue ad Baptiſmum, poterit ne in hoc caſu mentiri. Et quo ad primum videtur, quod ſic: quia vt dicit D. Aug. in libro de mendacio. *D. Aug.* Illa peccata, quæ ita committuntur in homine, vt faciant immundum etiam peccatis noſtris euitare debemus, ac per hoc nec peccata dicenda ſunt, quæ propterea fiunt, vt immunditia euitetur, ex hoc ergo videtur, quod ipſe quaſi per compenſationem vult dicere, quod peccatum minus, quod propter vitationem maioris fit, non iam dici debeat peccatum; atque ita ſi aliquis mentitur propter corruptionem caſtitatis ſuæ vitandam, non erit iſtud peccatum. Et quo ad ſecundum non videtur, quod debeat omitti tantum bonum pro tam modico malo, ergo videtur, quod quis licite mentiri poſſit, vt quis conuertatur ad fidem, vel Baptiſmum ſuſcipiat.

Item Pſalm 14. dicitur. Qui loquitur veritatem in corde ſuo, vbi præciſe videtur dictum eſſe de illo, qui conſequitur ſalutem in corde ſuo retinẽdum eſſe verum, ergo ore ad alios loqui falſum non erit peccatum. Item ſuper illud Leuit. 19. Non mentiemini dicit D. Auguſt. *D. Aug.* omnia, quæ prohibentur committi contra proximum, ad hoc referuntur, Non nocebis proximo, ſed mendacium officioſum, ex pietatis affectu prolatum committitur ſine proximi nocumento, ſed interdum pro maximo eius bono, vt pro ſalute Spirituali animæ; non videtur ergo hoc mendacium eſſe prohibitum atque ita licite fieri poteſt.

Præterea veniale mendacium delebitur qualitercunque, vel in hac vita, vel poſt, motus autem magnus charitatis, qui eſt magnum meritum, meretur aliquem gradum præmij, qui erit æternus, ſed propter qualecunque malum, quod eſt ex ſe temporale, non videtur omittendum aliquod, quod eſt ex cauſa æterni.

Ad oppoſitum. Quod eſt ex ſe malum prohibitum nõ eſt eligendum, ſed omne mendacium eſt ex ſe malum, & prohibitum; ergo nulla de cauſa eſt eligendum. Maior patet, & minor probatur ex D. Auguſt. Quod eſt contra *D. Aug.* veritatem iuſtum eſſe non poteſt, eſt autem contra veritatem omne mendacium, nullum igitur iuſtum poteſt eſſe mendacium; ergo eſt ſecundum ſe malum, ergo prohibitum.

Præterea D. Auguſt. lib. 1. de Doctrina Chriſtiana. Omnis qui mentitur inique facit, & ſi cuiquam videtur aliquando vtile eſſe mendacium, poteſt videri aliquando vtilem eſſe iniquitatem: Nemo enim mentiens in eo, quod mentiens ſeruat fidem: nam hoc vtique vult, vt cui mentitur fidem ſibi adhibeat, quam tamen mentiendo ei non ſeruat, omnis autem fidei violator iniquus eſt.

Hanc difficultatem tangit Doct. in hac q. ſub littera G. § Sed tunc eſſet dubium, &c. Sed eam non ſoluit. Ad quam reſpõdet Tataretus in hac q. per quatuor dicta. *Tataret.* Primo dicit, quod impoſſibile eſt per vnum, & eũdem actũ aliquem poſſe mereri vitam æternam, & peccare mortaliter. Secundo dicit, quod impoſſibile eſt per eumdem actum mereri, & peccare venialiter. Dicit Tertio, quod per nullum opus pietatis debet quis primo eligere peccatum veniale. Quarto dicit, quod propter motum pietatis poteſt quis conſequenter eligere peccatum veniale; quia verbi gratia, volo iſtum ſaluare motus ex affectu pietatis, & ad iſtud ſequitur peccatum veniale; quod non eligo, nec volo, ita vt ſolum reſpicio ad meam, vel proximi ſalutem, & indirecte, ſeu concomitanter venialiter pecco.

Obſeruan. eſt, cum affectus pietatis ſit motus quidam charitatis, quod charitas præſupponit veritatem, vnde ad nihil mouet, quod veritati repugnat, veritati dico ex parte animæ.

D. Bernar. te animæ. Vnde dicit D. Bernardus, quod ad hoc, quod opus ſit laudabile, neceſſe eſt, quod ſit charitas in intentione, & veritas in electione. Et quia veritas non ſeruatur in prolatione mendacij; hinc eſt, quod mendacium ex charitate non poteſt dici. Sicut enim ex charitate non poteſt ſcienter committi malum, quod quidem maneat malum, vt inde eueniat bonum; ita etiam non poteſt ex charitate dici falſum, vt inde ſequatur verum, aut bonum. Et eſt ſimile: quia ſicut uis operatiua deſeruit affectiuæ; ſic uis interpretatiua deſeruit intellectiuæ, & ſicut finis affectiuæ eſt bonum; ita finis intellectiuæ eſt verum, ſicut ergo nullum opus poteſt ex charitate fieri, niſi quis intendat bonum, & illud opus ſit ordinabile ad bonum; ſic etiam nullus ſermo poteſt ex charitate proferri niſi in illius ſermonis prolatione primo intendatur verum; & quia mendacium ordinatum eſt ad contrarium veri, videlicet ad indicandum falſum ex ipſa intentione proferentis; ideo nnn poteſt fieri ex charitate, nec meritorie, ſed ſemper male, atque ita propter nullum opus pietatis poteſt quis primo eligere veniale mendacium.

Alex. de Ales. *D. Bonau.* Ad primum in oppoſitum reſpondent Alexand. de Ales. par. ſecunda quæſt. 122. m. 7. §. Sed quæritur poſtea vtrum quis &c. Et D. Bonauentura hac diſt. art. 1. queſt. 6. ad penultimum. Et inquit, Alexan. quod duplex eſt munditia, vna corporis, & pro hac vitanda neminem oportet mentiri, quia ſicut dicit D. Auguſt ibidem, Nullus recte agens immundus fieri poteſt quolibet contagio corporali. Eſt autem alia immunditia non ſolum corporalis, ſed etiam ſpiritualis, & hæc dupliciter poteſt fieri, vel reſpectu perfecti, vel reſpectu imperfecti. Vnde ſi perfectus ſit in periculo conſtitutus, vel de caſtitate amittenda, aut de mendacio dicendo, ſi ita eſt perfectus caſtitatis amator, vt poſſit de continentia mentis confidere, ita vt etiam ſi violentia illi inferatur, poſſit confidere, quod nullo modo conſentiet corruptioni violenter illatæ; non debet pro caſtitate tuenda quo ad corruptionem carnis mendacium dicere: quia ſicut dicebat B. Lucia, ſi me inuitam violaueris caſtitas mihi duplicabitur ad coronam, atque ita meritorie ſuſtinebit; & ratio eſt, quia in tali caſu poteſt ſuſtinere talem violentiam ſine culpa, ſed mentiri non poteſt ſine culpa.

Si autem in tali periculo conſtitutus eſt imperfectus, vt infirmus, qui rationabiliter poteſt timere, ne ſuccumbat ſi ad illam violentiam venerit; tali propter infirmitatem conceditur redimere periculum maioris peccati per minus peccatum; Vnde ſi probabiliter videt, quod per mendacium poteſt declinare ſtuprum, ſanius conſilium eſt iſti cum diſplicentia aliquod falſum dicere, quam corruptionem illam ſuſtinere. Et in hoc caſu intelligitur authoritas D. Auguſt. Nec propter hoc eſt intelligendum, quod ſi in hoc caſu mentiatur, quod mendacium illud non ſit peccatum, & quod dicit D. Auguſt. non ſunt peccata dicenda, non eſt intelligendum ſimpliciter, ſed comparatiue, hoc eſt, quaſi non ſunt reputanda peccata reſpectu eorum, pro quibus vitandis iſta fiunt, quæ longe maiora ſunt iſtis. Et quod dicitur de viro imperfecto reſpectu ſui, ſic eſt intelligendum de viro imperfecto reſpectu alterius imperfecti: quia ſicut debet proprium peccatum vitare, ita quantum poteſt debet vitare alienum.

Alexand. Ad ſecundum reſpondet Alexan. vbi ſupra m. 5. §. Sed quæritur &c. Quod ſecundum D. Auguſt. lib. contra mẽdacium cap. 20. Non debet quis in eo caſu mentiri, & ratio D. Auguſt. eſt talis. Si per luxuriam mei non licet mihi procurare alterius caſtitatem, vel conſeruare, quanto magis nec per corruptionem veritatis, & hoc accipitur ex littera 70. interpretum Prouer. 29. in fine: Nam vbi nos legimus. Verbum cuſtodiens filius, extra perditionem erit iuxta 70. ita legitur. Verbum ſuſcipiens filius à perditione longe aberit, & nihil falſi ex eius ore procedet, quod exponens D. Auguſt. dicit, filius ſuſcipiens per gratiam verbum æternum, tam ſibi clauſum deputet ad ſubueniendum bono homini per mendacium, quam ſi per ſtuprum tranſire cogatur; *D. Bonau.* Quia vt dicit D. Bona. loco ſupra relato ad vltimum, Nec perfectus nec imperfectus debet mentiri propter hoc vt alterum ad viam veritatis perducat: quoniam ſecundum D. Auguſt. in lib. de mendacio, *D. Aug.* Ad ſempiternam ſalutem nemo ducendus eſt opitulante mendacio; nec debet aliquis credere quod aliquis conuertatur à malo per falſam ſuggeſtionem, ſed potius per Spiritus Sancti inſpirationem; ſecundum quod dicit D. Gregorius. *Gregor.* In vanum laborat lingua Doctoris, niſi intus operetur gratia Saluatoris. Sed quid erit? Nunquid remanebit iſte non baptizatus hac occaſione? Reſpondet D. Auguſt. Illa veritas, quæ fecit ſibi eum adhærere, & elongari à falſitate, docebit alium modum ſubueniendi, vt perueniat ad Baptiſmum.

D. Aug. Ex hoc patet, quod multo minus licet mentiri pro vita corporali ſeruanda. Vnde dicit D. Auguſtinus lib. de mendacio c. 13. Quid ſi ad Chriſtianum homicida confugiat, & de hac re interrogetur, mentiendum eſt? dicturus ergo es falſum teſtimonium, & occiſurus animam tuam, ne occidatur homicida? Quid ſi ipſe Iudex iniquus ad ſuplicium querat innocentem, falſus teſtis, aut proditor eris? Quanto ergo fortius dices, nec prodam, nec mentiar; fecit hoc Epiſcopus Targaitenſis Eccleſiæ Firmus nomine. Nam cum homo quæreretur iuſſu Imperatoris, Reſpondit quærentibus; nec mentiri ſe poſſe, nec hominem prodere. Atque adeo cum quæritur, inquit, D. Auguſt. vtrum pro alterius ſalute aliquis mentiri debeat, idẽ eſt ac ſi quæreretur, vtrũ pro alterius ſalute quis iniquus eſſe debeat.

D. Aug. Ad aliud, quod fuit Argumentum Priſcillianiſtarum, reſpondet D. Auguſt. Dicunt Priſcillianiſtæ in corde retinẽdum eſſe, quod verum eſt, ore autem ad alienos proferre falſum, nullum eſſe peccatum. Quia ſcriptum eſt. Qui loquitur veritatem in corde ſuo, &c. tamquam hoc ſatis ſit ad iuſtitiam ſi loquatur quiſquam in ore mendacium, quando non proximus, ſed alienus hoc audit. Propterea putant etiam Paulum Apoſt. cum dixiſſet. Loquimini veritatem, ſtatim addidiſſe, vnuſquiſque cum proximo ſuo. Quæ ſententia ſanctos Martyres exhonorat, imo vero aufert omnino martyria. Iuſtius. n. & ſapientius facerent ſecundum iſtos, ſi perſecutoribus ſuis non ſe eſſe Chriſtianos faterentur, ne eos ſua cõfeſſione facerent homicidas: propterea non facit ad propoſitum, quod dicunt heretici, Qui loquitur veritatem in corde ſuo: quia ſtatim ſequitur. Et non egit dolum in lingua ſua, qui enim mentitur dolum facit in lingua: quia aliud loquitur, & aliud intendit.

Ad aliud ex D. Aug. dico, ꝙ etſi omne mendacium non noceat temporaliter proximo; tamen in eo, quod fallit fit contra proximum, quia nullus vult falli; & ideo fit alij, quod nollemus nobis fieri mentiendo: mendacium enim eſt falſa vocis ſignificatio cum intentione fallendi, vt diximus ſupra.

Ad vltimum dico, quod non ſunt facienda mala, vt veniant bona: Mendacium aũt ſecundum ſe malum eſt, atque adeo pro nullo bono licitum eſt mentiri; *D. Aug.* Vnde D. Auguſt. in lib. contra mendacium c. 20. Quiſquis dicit pro periclitantis hominis ſalute corporali, vel ſpirituali eſſe mentiendum, vt ſi quiſque baptizandus in poteſtate ſit impiorum conſtitutus, ad quem perueniri non poſſit, vt baptizetur, niſi deceptis mendacio cuſtodibus, monſtratur à veritate exorbitare; & poſt paucis interpoſitis ſubiungit, Quomodo iubeat veritas, vt homo baptizetur eſſe mentiendũ, ſi non iubet caſtitas, vt homo baptizetur eſſe mæchandum. Si ergo non docet caſtitas facere propter hominem baptizandum, quod eſt contrarium caſtitati, non docebit veritas propter hominem baptizãdum facere, quod eſt contrarium veritati. Et iterum ſubdit. Si non eſt ſubueniendum homini per ſtuprum, quod eſt contrarium caſtitati, nec erit ſubueniendum homini per mendacium, quod eſt contrarium veritati,

Hæc autem (vt verbis vtar D. Bonauent. hac d. q. 4. in fine quæſt.) dicta ſunt de mendacio, ſecundum quod verba B. Aug. prætendunt, qui propter magnum veritatis zelum maxime deteſtatus eſt mendacium, & conatus eſt illud ab omnibus excludere; ſaltem à viris perfectis, & cũ non poſſet mendacium ab omnibus excludere, ſaltem à viris perfectis voluit elongare, vt veritas in aliquibus inueniret ſolidam ſedem.

ARTICVLVS IX.

Vtrum mendacium in facto, quæ ſimulatio appellatur ſit peccatum.

D. Amb. OBſeruandum eſt, quod mendacium, vt dicit D. Ambroſius, non ſolum eſt in verbis, ſed etiam in operibus ſimulatis: Nam Chriſtianum ſe eſſe dicere, & opera Chriſtiani non facere mendacium eſt, cum autem oſtenſum ſit mendacium in verbis non poſſe licite fieri; quæritur modo, num mendacium in factis ſit licitum; Nam ſi mendacium in operibus ſimulatis poteſt licite fieri: ſequeretur quod etiam in verbis poſſet licite fieri: quia non eſt maius peccatum ſimulatio in verbis, quam in factis, imo vituperabilior videtur falſitas in factis: quia facta magis oſtendunt ea, quæ ſunt in anima, & per conſequens maior erit fallacia ſi non vere oſtendant, quæ ſunt in corde. Quod autem in operibus ſimulatis mendacium licite fieri poſſit, patet per D. Hieronymum qui dicit. Simulatio bona eſt, & in tempore *Hierony.* aſſumenda, & hoc probat exemplo Iehu, qui ſimulauit ſe velle colere Baal, vt ſacerdotes interficeret, nec in illa ſimulatione vituperabatur, ſed magis laudabatur; quia videbatur habere zelum Dei contra Baal, 4. Reg. 10. Item exemplo Dauid, qui ſimulauit ſe furioſum coram Achis. primo Reg. 21. & Ioſue, qui ſimulauit fugam, vt facilius comprehenderet habitatores Hay. Ioſue ſeptimo, & Dominus finxit ſe longius ire Lucæ vlt. ex quo relinquitur licitum eſſe mendacium in operibus ſimulatis.

Hanc difficultatem tangit Doct. in hac q. in ſol. vlt. principalis, ſub litt. K. §. Ad vltimũ de ſimulatione. Pro cuius explicatione obſ. eſt, primo, quod quadruplex eſt ſimulatio, vt dicit Alex. de Ales, 3. queſt. 37. m. 6. ad 1. & D. Bon. hac diſt. quæſt. 2. ad 3. Simulatio cautelæ, qualis Iehu 4. Reg. 20. vt interficeret ſacerdotes Baal, & Ioſue, qui ſimulauit fugam Ioſue 8. Secunda eſt ſimulatio doctrinæ de qua Lucæ vlt. finxit Dominus longius ire, in quo erudiuit diſcipulos in officio hoſpitalitatis in quo coegerunt illum apud ſe manere, per quod etiam meruerunt illum cognoſcere. Tertia eſt ſimulatio ſignificationis, qualis, fuit ſimulatio Iacob Geneſ. 27. quando ſimulauit ſe Eſau, in quo ſignificauit, quod minor populus præferendus erat maiori, ſcilicet Gentilis Iudaico. Quarta eſt ſimulatio duplicitatis, qualis eſt hypocriſis.

Simulatio eſt quadruplex. Alex. de Ales. D. Bonau.

mendaciũ dicitur tripliciter. Secundo obſeruan. eſt, quod mendacium dicitur tripliciter: primo ſuſe, & communiter, & ſic omne peccatum dicitur mendacium. Vnde D. Auguſt. in lib. contra mendacium capit. 20. Nomen mendacij pro peccati nomine accipitur iuxta illud. Omnis homo mendax, id eſt, omnis homo peccans, & iuxta illud ad Roman. tertio, ſi autem veritas Dei in meo mendacio abundauit. Secundo dicitur mendacium preſſe & proprie & ſic accipitur pro peccato duplicitatis, cum aliud eſt in mente, & aliud doloſe ſimulatur in opere, ſecundum illud Pſalm. 61. Mendaces filij hominum in ſtateris, vt decipiant, &c. Tertio ſumitur preſſius, & magis proprie, & tunc (ſicut dicit D. Auguſt. in lib. de mendacio cap. 4.) dicitur falſa ſignificatio vocis cum intentione fallendi.

Alex. de Ales. D. Bonau. His obſeruatis dicit Alexan. quod mendacium de ſe dicit quid vituperabile, & contrarium veritati, & ideo non poteſt recte fieri, ſiue ſit in voluntate ſicut primo modo; ſiue in facto, ſicut ſecundo modo: ſiue in dicto, ſicut tertio modo. Vnde tres primæ ſimulationes non habent rationem mendacij, non enim eſt mendacium ſimulatio cautelæ, vel doctrinæ, vel figuræ in facto; ſed illa, quæ eſt duplicitatis, & fallaciæ. Præterea non eſt ſimile de verbo, & facto: quia verbum non eſt principaliter inſtitutum ad ſignificandum mentis conceptum; ſermo autem ad hoc inſtitutus eſt, vt ſit nuncius, & interpres ipſius mentis, & vt homo ſignificet alteri, quod eſt apud ſe, & vt aſtruatur veritas apud audientem, quæ eſt apud loquentem, & ideo qui ad aliud vtitur ipſo ſermone, abutitur ipſo ſermone, & incurrit peccatum mendacij; non ſic autem eſt ſemper ex parte facti: ita Alex. & Bonauentura.

Doctor ſub. rem ſubtilius perpendens dicit, quod ſimulatio eſt duplex: primo modo per ſigna probabilia, *Scotus.* & hoc tripliciter, primo oſtendendo ſe habere aliqua bona, quæ non habet, vt quis per genuflexiones, & orationes, adorationes, & deuotiones, poteſt oſtendere ſe habere religionem, & deuotionem, quæ non ineſt, & talis ſimulatio eſt hypocriſis, & eſt de genere ſuo peccatum mortale.

Alio modo poteſt quis ſimulare per ſigna ſe non habere, & hoc contingit dupliciter, vno modo oſtendendo ſigna oppoſita illis malis, vt ſi quis luxurioſus audiens loqui de mulieribus ſpuat in ſignum caſtitatis, oſtendens ſe eſſe caſtum, cum non ſit, & talis ſimulatio eſt hypocriſis, & de genere ſuo peccatum mortale: ſecundo modo non oſtendendo ſigna, quæ communiter conſueuerunt ſequi mala illa; vt ſi aliquis ſimulat, non ſibi ineſſe mala, quæ habet, nullum tamen ſignum oppoſitum oſtendendo, vt ſi quis fornicator cum mulieribus haud conuerſatur, neque illas alloquitur, vt ſimulet ſe continentem; non peccat, imo facit bene, & talis ſimulatio non eſt malum, imo ſicut poteſt eſſe laus in malo eſt laudabilis: quia vituperabile eſt prædicare peccatum proprium. Nam ſi eſt malus in corde, & illud per ſigna exteriora oſtendit, peccat grauiter cum illis, qui peccata ſua ſicut Sodoma prædicauerunt. Nam & ſi malũ ſit eſſe malum interius in corde, addere tamen malum ſignum exterius, eſt addere malum malo. Ex tribus ergo prædictis ſimulationibus, quæ ſunt in ſignis probabilibus, duæ primæ ſunt peccatum, & frequenter mortale, & prohibentur illo præcepto, Non dices contra proximum tuum falſum teſtimonium; de quibus intelligitur dictum D. Ambroſij in quodam ſermone. Cauete fratres mendacium: quia omnes qui amant mendacium filij Diaboli ſunt, non ſolum in verbis falſis, ſed etiam in ſimulatis operibus mendacium eſt. Mendacium enim eſt ſe Chriſtianum dicere, & opera Chriſti non facere. tertia autem ſimulatio dummodo aliquod malum non concomitetur laudabilis eſt.

Secundo principaliter contingit ſimulationes fieri in indifferentibus, & hoc dupliciter, vno modo vtendo aliquibus ſignis, quæ ex natura ſua ſunt ſigna alicuius; ſicut ſudare ex natura ſua eſt ſignum alicuius reſolutionis corporalis; ſecundo modo ſi aliquibus ſignis vtatur, quæ ex natura rei non ſunt ſigna, quæ ſignificent id, pro quo aſſumuntur, ſed ſcit ea concipi à circumſtantibus tanquam ſigna eius, ad quod ſignandum aſſumuntur, vt quod ſaliua decurrat per barbam ex natura ſua non eſt ſignum inſanæ mentis; poteſt tamen aliquis ſcire illud iudicari à circumſtantibus tamquam ſignum ſtutiæ, vel inſaniæ; vtpote quia talia conſueuerunt eſſe ſigna furioſorum in terra illa; priori modo ſimularet ſi quis oſtenderet ſe eſſe fatigatum faciens ſe ſudare ſine labore, & talis ſimulatio non eſſet peccatum ſaltem graue niſi ex circumſtantia. Nam quidam ioculatores vtuntur ſuis corporibus ad aliquos motus, ſignificantes aliquas diſpoſitiones, quæ non inſunt eis, nec præceſſerunt; qui forte in hoc haud peccant, vel ſaltem non grauiter: poſteriori modo fuit ſimulatio Dauid, & non peccauit, & de tali ſimulatione loquitur D. Hieronymus dicens, vtilem eſſe ſimulationem, & in tempore aſſumendum; Iehu Regis Iſrael nos doceat exemplum, qui cum non potuiſſet interficere Baal, niſi finxiſſet ſe velle Idolum colere dicens, Congregate mihi omnes ſacerdotes Baal, Achab coluit Baal parum, ego autem colam eum amplius. & exemplum Dauid, quando mutauit faciem ſuam coram Abimelech, & dimiſit eum & abijt. Hac Hieronymus.

Cæterum circa ſimulationem Iehu dicit Scotus, quod non oportet eum excuſare: quia præter illam ſimulationem, qua forte poſſet excuſari adduxit mendacia dicens. Sacrificium mihi magnum eſt Baal; quod mendacium licet ſecundum intentionem ſuam eſſet quodammodo officioſum: quia deſtructiuũ cultus Baal: tamen ex ratione ſua erat pernicioſum: non ſolũ quia procuratiuũ mortis

illorum;

illorum; ſed etiam pro vocatiuum, quantum erat ex ſe ad cultum Baal. Et licet ipſe commendetur in quantum deteſtabatur, & perſequebatur cultum Baal; vituperatur tamen, quia non receſſit à cultu Hieroboam, nec fuit verus cultor Dei Iſrael. Hæc Scotus.

In ſacto Iehu quinque conſiderari debent.

Circa hoc ſactum Iehu, quinque conſideranda ſunt. Nam Iehu inſidioſe occidit cultores Baal, dixit mendacio, quia dixit, quod vellet colere Baal. tertio ipſemet intrauit in templum Baal; quarto ſtimulauit cultores Baal ad ſacrificandum Baal, & quinto permiſſit cultoribus Baal facere ſacrificium Baal, & videndum eſt an in omnibus his peccauerit Iehu. Et quo ad primum dico, quod non peccauit, ſed valde meruit occidendo cultores Baal: quia nihil magis repugnabat Deo quam cultus Idolorum; & inter Idola nullum erat temporibus Iehu, cuius cultus magis præiudicaret cultui Dei, quam cultus Baal, eo quod nullum Idolum erat, cuius cultus tacitus tunc increuiſſet, ſicut Baal, & hoc fuit propter Iezabel, vt patet lib. tertio Reg. cap. 17. & 18. Atque adeo occidere cultores illius, valde erat laudabile. competebat autem hoc Iehu ex officio: quia erat Rex, & Rex debet punire delinquentes in regno ſuo, & Deuter. 13. & 17. mandauit Deus Idololatras occidi. Tum quia hoc fecit ex magno zelo Dei. Tum quia Deus laudauit nimis Iehu, quod ſecerat omnia iſta, non autem laudaret ſi peccaſſet.

Nec obſtat, quod doloſe occidit eos, vt dicitur quarto Reg. 10. Porro Iehu faciebat hoc inſidioſe, vt diſperderet cultores Baal. Hoc inquam non obſtat: quia judices diligenter debent ſe habere circa malefactores, vt poſſint eorum peccata cognoſcere, et ſi non ſe habent diligenter, peccant, quia euadent crimina impunita in præiudicium Reipub. In propoſito autem ſi Iehu inſidioſe non inquiſiſſet cultores Baal, nullus eorum veniret: quia putarent, quod vocaſſet eos ad occidendum, ſicut occidebat totam progeniem Achab. In bello etiam iuſto licitum eſt ponere inſidias, vt patet Ioſue 8. atque ita cum iuſte deberent occidi cultores Baal, poterant poni inſidiæ ad occidendum eos. Præterquam quod non facit alteri iniuriam, qui iure ſuo vtitur, ſed iudex inquirendo malefactores prudenter, non facit alicui iniuriam, & iure ſuo vtitur, ergo non peccat.

Scotus.

Quo ad ſecundum an peccauerit mentiendo, Doct. noſter ſub. videtur hic dicere, quod peccauit mortaliter, quia eius mendacium fuit pernicioſum, non ſolum prouocatiuum mortis illorum, ſed quantum eſt ex ſe prouocatiuum ad cultum Baal. Si quis tamen vellet eum excuſare à peccato mortali poſſet dicere, quod non peccauit mortaliter in iſto mendacio, ſed potius Deum coluit occidendo Prophetas Baal, ſed peccauit venialiter: quia fuit mendacium officioſum. Et ſi dicas, quod melius fuiſſet Iehu, non mentiri, & non occidere Prophetas Baal, quam mentiri, & occidere: quia cum iſte actus eſſet peccatum veniale ſaltem, non poterat mereri per illum. Dico, quod in peccato veniali non meretur aliquis, ſed potius demeretur: cæterum in hoc actu Iehu fuerunt multi actus diſtincti, ſcilicet velle occidere Prophetas Baal propter Deum, & velle occidere eos mentiendo, & occidere eos realiter. Primus actus erat valde meritorius, quia nimis placebat Deo occiſio Idololatrarum, & quia potiſſimum ex magno zelo Dei mouebatur ad occidendum iſtos idololatras, ſicut dixit ad Ionadab. Vide zelum meum pro Domino. Secundus actus erat peccatum veniale, ſcilicet mendacium officioſum. Tertius actus erat valde meritorius: quia erat executio iuſtitiæ. Dico ergo actus fuerunt in ſacto Iehu, qui placuerunt Deo nimis. Secundus vero actus, qui eſt medius inter eos, aliquo modo diſplicuit, ſed non omnino, quia non fuit mortalis, ſed venialis. Et cum obijcitur, quod eius mendacium fuit pernicioſum, quia in damnum cultorum Baal: quia per illud occidit eos. Poteſt dici, quod non fuit mendacium pernicioſum, quia non fuit mentitus Iehu in præiudicium alicuius, ſed potius in fauorem Dei; nam quod ipſe occideret cultores Baal quocunque modo poſſet pertinebat ad Deum de iure: quia erat iudex, & cultores Baal merebantur de iure occidi; Ideo quicquid ageret Iehu ad occidendum illos, non dicebatur præiudicare eis: quia erat in fauorem Dei: Nam occiſis illis magis Deus coleretur, quam non occidendo ipſos, atque adeo mendacium officioſum fuit, quod non eſt peccatum mortale.

Quod ad tertium, an peccauit intrando in templum Baal; & ratio dubitandi eſt, quia locus ille erat execrabilis, cum pertineret ad cultum Baal: dico tamen quod non peccauit: quia non intrauit illud ad honorandum idolum: Tum quia introiuit ad confringendum ſtatuam Baal. Tum quia Ionadab filius Rechab introiuit in templum cum Iehu, quod non feciſſet, ſi eſſet peccatum: quia erat vir ſanctus. Tum quia fecit hoc propter cultum Dei, ſcilicet vt occiderentur conuenientius cultores Baal, & vt inter eos non occideretur aliquis de cultoribus Domini. Nam intrauit ad dicendum, perquirite, & videte ne quis ſit inter vos de ſeruis Domini. Tum quia etſi ſtetiſſet præſens, quando faciebant ſacrificium, adhuc non peccaſſet; quia non ſtetiſſet ibi ex deuotione cultus Baal, ſed ad confuſionem ipſorum cultorum Baal, vt melius poſſet eos occidere; Quemadmodum, & Elia fuit præſens in monte Carmelo, quando Prophetæ Baal faciebant ſacrificium 3. Reg. 14. & tamen non peccauit.

Quo ad quartum, an peccauerit ſtimulando cultores Baal ad ſacrificium. Dico, quod non peccauit, quia non incitauit ipſe ad malum. Nam ſi ipſi nullo modo culturi eſſent Baal, nec deſiderarent eum colere niſi incitaret eos Iehu, malum ageret incitando eos; nam tunc eſſet malignus incitando eos ad hoc, & eſſet iniuſtus occidendo illos pro hoc. Sicut ſi quis iudex incitaret aliquem vt adulteraretur, & poſtea occideret eum: nam tam incitando eum ad adulterium, quam occidendo pro hoc peccaret. Verum cultores Baal deſiderabant ſemper colere ipſum, etiamſi non diceret eis hoc Iehu; & colebant illum ſecreto in domibus ſuis: atq; adeo Iehu non incitauit eos ad faciendum aliquid, quod ipſi alias non faciebant, vel non feciſſent; ſed ſolum permiſit eos facere publice, quod occulte faciebant, & hoc non erat addere malum ad malum ipſorum, nec incitare ipſos ad malum, quod non faciebant, ſed permittere eis publice agere, quod ſecreto faciebant.

Sic etiam fecit Elias cum cultoribus Baal, vt legitur 3. Reg. 14. Et ſi dicas, quod nō licet iudici, peccata occulta, quæ non poteſt punire, permittere, vt publice fiant. Dico quod ſi Iehu permiſiſſet hoc ea intentione, vt ſerui Baal, qui alias non poterant compeſci de malo ſuo, publice colerent Baal; malum faceret, & peccaret grauiſſime. Nam quod iudex non puniat peccata ſecreta, quia non poteſt, non eſt culpa ſua, ſed quod permittat illa publice perpetrari culpa ſua eſt, cæterum Iehu non fecit, neque permiſit cultoribus Baal hoc facere, ſed vt per illam publicationem eos occideret, atque ita illa publicatio fuit tam quam modus probandi delictum.

Et ſi iterum dicas, quod hoc non ſatisfacit: Quia peccatum publicum peius eſt cæteris paribus peccato occulto. Serui autem Baal colebant ipſum in occulto, & pro illa vice permiſit Iehu eos publice colere, ergo permiſit aliquod malum fieri, quod prius non fiebat. Dico, quod non permiſit aliquid fieri, quod alias, non fieret. Præterquam quod malum publicum non eſt grauius malo occulto cæteris paribus: niſi quia eſt magis ſcandaloſum, & incitatiuum non peccantium ad peccandum.

In propoſito autem non fuit ſecutum aliquod ſcandalum, nec malum exemplum ex iſto actu publice factum; ſed potius ſecuta eſt caſtigatio quorumdam, qui alias culturi eſſent Baal, etiam non colerent: atque ita non fuit iſtud malum maius, quam ſi occulte fieret: atque adeo cum Iehu pro hac vice permiſit illud, non permiſit aliquod maius malum fieri, quam alias ipſi cultores Baal faciebant, & per conſequens nō peccauit in hoc.

Quo ad quintum, an peccauerit permittendo cultoribus Baal facere holocauſtum. Dico, quod non: quia non permiſit facere ſacrificium ex intentione: ita vt deſideraret ſacrificium illud compleri; ſed ſolum fecit ex neceſſitate, quod patet, quia Sacerdotes Baal duo ſacrificia facere debebant, ſcilicet holocauſtum, & victimas, vt patet 4. Reg. 10. & tñ non permiſit eis facere vtrunq; ſed ſolum

Digitized by Google

holocauſtum, ſi autem ex deſiderio, & intentione permitteret holocauſtum fieri, permiſiſſet etiam victimas. Adde quod ideo permiſit, quia voluit cultores Baal ſecurare, vt melius poſſet eos occidere. Secundo vt haberet pleniſſimum teſtimonium contra cultores Baal ad occidendum eos; Nam poterant aliqui non eſſe cultores Baal, qui venirent nunc ad colendum Baal, arbitrantes ſe obſequium præſtare Regi, & etiam aliqui deſiderio veſtium, quas Iehu dabat cultoribus Baal, aliqui vellent introire in templum Baal, qui non eſſent de cultoribus ſuis, nec vellent facere aliquas cæremonias Baal, & ideo voluit Iehu videre prius, an omnes colerent Baal, & poſtquam vidit hoc dum fieret holocauſtum, habuit plenam probationem, & iuſſit illos occidi.

Tertio quia Iehu conſtituerat octoginta milites in ſecreto ad occidendos ſeruos Baal, & illi non erant apud templum Baal, ne videntes cultores Baal, illos ſuſpicarentur aliquid mali, & nollent introire in templum, ideo erant iſti armati in aliquo loco procul occulti, & fecit vocare illos Iehu poſtquam ſerui Baal introierant in templum, & dum illi venerunt, iam ſerui Baal compleuerant holocauſtum, & non permiſſi ſunt vltra procedere in cæremonijs, ſed illico occiſi fuerunt.

Et ſi dicas, quod Iehu bene poterat cognoſcere cultores Baal antequam facerent holocauſtum, quia introduxerat illos in templum Baal, in quo poterant occidi, ergo non debebat permittere eis incipere holocauſtum, ſed antequam inciperent debuerat illos occidere; quia alias ipſe faciebat ad hoc, quod fieret vnum ſacrificium Baal, quod nullo modo erat neceſſarium ad aliquod bonum inde colligendum. Dico, quod Iehu non ſponte permiſit fieri holocauſtum iſtud Baal, ſed ex cauſis ſupra aſſignatis, ideo non peccauit.

ARTICVLVS X.

Vtrum grauius peccatum ſit mentiri laudando ſe, quam vituperando ſe.

Ariſtot. VIdetur quod ſit grauius mendacium laudando ſe: Nam ſecundum Philoſ. 4. Ethic. cap. 4. declinare à veritate in minus non eſt ita oneroſum, ſicut declinare à veritate in maius: hoc eſt dictum, quod ſuperabundantia peior eſt quam defectus, ſed qui mentitur laudando ſe declinat à veritate in maius: qui vero mentitur vituperando ſe, declinat à veritate in minus, ergo grauius peccat, qui mentitur laudando ſe, quam vituperando ſe.

Item grauius eſt peccatum, quod eſt ſimilius peſſimo vitio, ſed mentiri laudando ſe ſimilius eſt ſuperbiæ, quæ eſt peſſimum vitium, quam mentiri vituperando ſe, ergo eſt vitium grauius.

Sed contra Eccleſ. 14. Qui ſibi nequam, cui alij bonus erit, ergo magis peccat homo ſibi malum faciendo, quam alijs: ſed magis peccat homo mendaciter vituperando alium, quam mendaciter laudando, ergo multo fortius magis peccat ſe ipſum mendaciter vituperando, quam mendaciter laudando.

Item ſecundum Philoſ. quarto Ethic. capit. ſeptimo, peior eſt, qui ſe non dignificat quibus dignus eſt, quam qui dignificat ſe maioribus, quam dignus ſit; quia vt dicit Philoſ. ibidem, peior eſt puſillanimis, quam caymotes, ſed qui mentitur laudando ſe, magnificat ſe maioribus, quam dignus ſit, & qui mentitur vituperando ſe non dignificat ſe, quibus dignus eſt, ergo magis peccat mentiens vituperando ſe, quam mentiens laudando ſe.

Pro explicatione huius difficultatis obſeruan. eſt, quod de hac re duplex eſt ſententia: aliqui enim dicunt, quod grauius eſt mendacium mentiri vituperando ſe, quam laudando ſe, quia primo mendacio homo magis lædit ſe ipſum, quam altero, quia vituperando ſe lædit ſe in fama, quæ eſt læſio valde grauis, & magna: non ſic autem lædit ſe, qui laudando ſe mentitur: magis etiam lædit alios: quia vituperando ſe facit homines credere ſe peiorem eſſe quam ſit; mendaciter autem laudando ſe, facit homines credere ſe ipſum eſſe meliorem quam ſit, peius autem eſt credere proximum ſuum eſſe peiorem quam ſit, quam credere ipſum eſſe meliorem quam ſit: ſicut magis decipitur, qui putat bonum eſſe malum, quam malum eſſe bonum, ſecundum D. Bernardum in lib. de præcepto, & diſpenſat. cap. 32. *D. Bernar*

Alij vero dicunt, quod cæteris paribus grauius peccat mentiens laudando ſe, quam mentiens vituperando ſe, vt auarus dicens ſe eſſe liberalem, quam liberalis negans ſe habere liberalitatem. Illorum enim vitiorum, inter quæ eſt virtus media, illud grauius eſt, quod longius recedit à virtute. Virtus autem veritatis à qua homo dicitur verax inter prædicta duo vitia media eſt; & ab ea longius eſt mentiens laudando ſe, quam mentiens vituperando ſe; & accipio hic vituperare ſe, pro negare bonum, quod ipſemet homo habet. Vnde dicit Philoſ. quarto Ethic. capit. 7. Quod iactator magis dicitur opponi veridico, quam eyron, quia enim virtus eſt de bono, & difficili, recta ratio dictat, quod virtus media inter duo extrema vitia, plus debet tendere verſus extremum, ad quod accedere difficilius eſt; Vnde quia difficilius eſt accedere ad audaciam, quam ad timorem; fortis magis accedit ad audacem, quam ad timidum; difficilius eſt autem hominem accedere ad negandum ſe habere nobilitatem, quam habet, quam ad dicendum ſe habere nobilitatem quam non habet; & ideo verax magis accedit ad eyron, quam ad iactatorem ſiue arrogantem: iactator ergo ſiue arrogans peior eſt, & hoc rationabile eſt, ex turpi enim motiuo mouetur homo, vt in pluribus ad dicendum ſe habere nobilitatem, quam non habet, quam ad negandum ſe eam habere, quam habet. Vnde inquit, Ariſtot. Qui maiora, quam habeat fingit, ſi id nullius rei cauſa facit, prauo quidem ſimilis eſt: alioqui enim minime gauderet mendacio, vanus tamen potius videtur, quam malus. Sin alicuius cauſa, aut gloriæ, & honoris; atque is non admodum vituperabilis ſicut arrogans aut argenti, eorumq; quę ad argentum pertinent, qui deformior eſt, & ſupra dixerat; Mentientes vituperio afficiendi ſunt, vtrique illi quidem, id eſt, arrogans, & diſſimulator, ſed magis tamen arrogans, & in fine capituli concludit, Ac veraci quidem arrogans magis opponitur, peior enim eſt. Prior namque mouetur propter lucrum, vel honorem, vt dicit Philoſ. ſecundus vero mouetur, ne ſe reddat alijs oneroſum; inuidioſæ enim ſunt nimia excellentiæ, atque adeo diſſimulans minus quam ſit dicens, moribus eſſe elegantior videtur: apparet enim eum non quæſtus gratia id facere, ſed vt exitet importunitatem ac faſtum: quia nimis laudans ſe, videtur, quod velit alios ſuper excellere, & propter hoc dicit Philoſ. ſuperabundantias eſſe oneroſas.

Cæterum ſi negaret verbo, vel facto (vtpote veſtimenta viliora portando, quam ipſum deceat) temporalem dignitatem, quam habet, vt crederetur habere dignitatem ſpiritualem, quam non habet, iſte peior eſt, quam ille, qui ſe dicit habere bonum, quod non habet: Nam iſte eſt ſimul iactator, & eyron diuerſis reſpectibus, vnde dicit Philoſ. vbi ſupra, tam exceſſus, quam nimius defectus ad arrogantiam ſpectat. Quapropter hæc ſecunda opinio probabilior apparet, ideo admittenda ſunt duo prima argumenta.

Ad primum in oppoſitum cum dicitur, quod magis peccat homo malum ſibi faciendo, &c. dico, quod non eſt verum de quocunque malo: magis enim peccat homo occidendo equum, alienum, quam proprium, & diffamando alienum, quam ſe ipſum: quia plus habent de ratione iniuriæ; occidendo tamen ſe plus peccat, quam occidendo alium. Nam D. Auguſt. ſuper illud Ioan. 7. Niſi granum frumenti &c. inquit, quod tales ſunt ſceleratiores homicidæ, & ratio eſt, quia occidendo ſe, præcludit ſibi viam pœnitentiæ, nec minus habet de ratione iniuriæ, quam occidendo proximum, nec minus nocet Reipub. cæteris paribus occidendo ſe, quam interficiendo alium. *D. Aug.*

Ad

Ad ſecundum dico, quod non eſt ſimile de magnanimitate, & veritate: quia enim dignificare ſe difficilius eſt, quam non dignificare: ideo magnanimus magis accedit ad Caynum, quam ad puſillanimem; facilius eſt autem homini dicere ſe habere bonum, quod non habet, quam negare ſe habere bonum, quod habet. Vnde dicere de ſe bonum, quod homo non habet, non eſt dignificare ſe, ſed magis ſecundum veritatem ſeipſum vilificare.

ARTICVLVS XI.

Vtrum Deus poßit alicui præcipere, quod mentiatur.

VIdetur, quod ſic, quia Deus de facto præcepit Hebræis petere commodato ab Aegyptijs vaſa argentea, & aurea, & veſtes &c. Quibus ea reddi nec Deus volebat, nec in animo habebant Hebræi, atque adeo id præcipiens docuit, & fecit Hebræos mentiri; & fraudulenter agere cum Aegyptijs.

Hæc quæſtio in generali diffuſe fuit à nobis explicata ſupra diſtin. 24. q. vnica art. 14. In hoc artic. explicabitur tantum in hoc particulari caſu, & præcepto facto Hebreis.

D. Aug. D Auguſtinus diſputat de hac re in lib. 22. contra Fauſtum, cap. 71. & omnes ſeſe verſat in partes, vt ex hac difficultate, quaſi è quodam ſcopulo euadat, cuius ſententiam paulo poſt indicabimus. Vnde ad hanc propoſitam quæſtionem quatuor modis reſponderi poteſt.

Primo vere dici poteſt, Deum non præcepiſſe Hebræis, vt bona illa commodato ab Aegyptijs peterent, ſed abſolute tantum, & præciſe iuſſit eis petere bona illa. Ita reſpondet Ioan. Maior hac d. quæſt. 4. in reſponſione ad
Maior. quartum, vbi ita ſcribit, Deus Hebræis tranſtulit dominium rerum, quas ab Aegyptijs ceperant, & dedit gratiam in oculis Aegyptiorum, vt darent eis ſi habebant, quod Hebræi petebant, inſtigabat eos interius ad hoc dãdum. Hebræi tamen ex ſtultitia ſua poterant dixiſſe, date nobis commodato, vel mutuo, & reſtituemus, vt citius allicerent Aegyptios ad res dandas, intendentes non reſtituere, ſed defraudare, tunc Hebræi ex imprudentia ſua, & malitia peccabant, non ſatis in Deo confidentes, qui dediſſet gratiam in oculis Aegyptiorum dare eis omnia, quæ petebant. Hæc Maior.

Et certe liquido, hoc cernet Lector conſiderans præceptum illud Dei Exodi cap. 3. in fine, & in principio cap. 11. & in medio ferme cap. 12. in quibus locis hoc Dei præceptum traditur, nec dicitur, aut ſignificatur, Deum præcepiſſe, vt commodato peterent ab Aegyptijs. Prædixit quidem Deus fore, vt Aegyptij bona illa commodarent Hebræis; ſed non dixit, vt Hebræi commodato peterent ab ipſis. Fieri enim potuit, vt petentibus Hebræis, dicerent Aegyptij libenter ſe tradere ea bona Hebræis, non quidem dono, ſed commodato, reddenda vtique ſibi abſoluto ſacrificio, quod facturi erant in ſolitudine, idque non abnuerint Hebræi. Fieri etiam poteſt, vt Hebræi, licet iuſſi eſſent à Deo ſimpliciter petere, ipſi tamen peterent commodato, vt inquit Maior, vt facilius impetrarent.

Secundo modo reſponderi poteſt, Deum præcepiſſe Hebræis, vt commodato peterent illa bona; non proprie accipiendo verbum præcipiendi, ſed prout in ſcriptura interdum idem ſignificat, atque permittere, vel ordinare, vt ſit ſenſus. Præcepit Deus, vt Hebræi commodato peterent bona illa, id eſt, permiſit iſto modo peti; vt petitio fuerit præcepta, modus autem petendi commodato fuerit tantum permiſſio. Hoc autem fieri ab illis permiſit Deus, & ordinauit, atque conuertit in ſpoliationem Aegyptiorum, quam illi iuſtiſſime merebantur pati.

Quod autem ea, quæ in Sacris Scripturis videntur habere ſpeciem quandam imperij, & præcepti, interdum Dei permiſſionem præciſe ſignificent, apparet primo apud Ioan. cap. 13. vbi Dominus dixit Iudæ, Quod facis fac citius, non enim ſunt hæc verba imperantis teterrimum illud facinus Iudæ, ſed non prohibentis, & tamquam non prohibentis, vt hic ſit ſenſus: Poſſem equidem impedire, quod in me nequiter machinatus es, ſed ego non prohibeo, nec obſto, quo minus quam primum hoc perficias. Nam videns Dominus inemendabilem Iudæ malitiam, & firmum proditionis propoſitum, ne ille exiſtimaret ſe timore aliquo eum beneficijs affeciſſe, nempe lotione pedum, communione corporis ſui, & buccella intincta, quaſi his omnibus ſibi timens, eum retrahere vellet, & non potius illi conſulere, idcirco dixit, Quod facis, fac citius, id eſt, non me exiſtimes timore aliquo te tot beneficijs retrahere à mala tua cogitatione ſtuduiſſe. Quod facis, id eſt, quod facere iam decreuiſti; exequere cito, & celeriter, non contradico, non obſiſto, nec timeo. Vel ſic. Ne exiſtimaret Iudas ſe à Chriſto non poſſe impediri, & ſuas fraudes inanes reddere ſi vellet propterea dicit Fac citius, quaſi diceret, Quod facis vtique facere niſi me permittente non poſſes, & ne me tibi reſiſtere non poſſe arbitreris, fac citius, non prohibeo; ſi enim prohibere vellem non valeres efficere. Non ſunt ergo verba præcipientis, quaſi eum inducat ad malum, ſed permittentis. ita Liranus. *Liranus.*

Quare non mihi placet expoſitio Cyrilli lib. 9. ſuper Ioan. cap. 17. vbi illa verba non Iudæ, ſed Diabolo dicta eſſe cēſet. Quia dictum eſt intrauit in eum Satanas, ſuntque verba potius minantis, quam hortantis. Nam quemadmodum, inquit, ſi vir fortis, aduerſus quem frementis quiſpiam feratur, ipſe vero viribus ſuis fretus ceſurum illum non dubitet, magnaque voce militans dicat, Quod facis fac citius, vt meæ dexteræ vires experiaris; non tam properantis mori verba eſſe diceremus, quam præſcientis potius: quia cadet aduerſarius. Sic Dominus noſter velocius currere Diabolum, ad ea, quæ præparauit iubet: vt citius victus atque vinctus à tyrannide ſua orbem dimittat. Hæc, inquam, expoſitio non placet, quia non videtur conformis verbis Ioannis. Nam ſubiunxit. Hoc autem nemo ſciuit diſcumbentium ad quid dixerit ei; non dicit Ioan. ad quid dixerit, ſed ad quid dixerit ei, quo verbo docet verbum hoc dictum eſſe Iudæ, quod magis patet ex ſequentibus. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixiſſet ei Ieſus, eme ea; quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum &c. Et rurſus in principio dicitur, Dixit ergo ei Ieſus nempe Iudæ; non ergo ad Satanam hæc verba ſunt referenda, ſed ad Iudam. *Cyrillus.*

Caietanus inquit, verba illa eſſe imperantis non quidem facinus ipſum Iudæ, ſed circumſtantiam temporis quo fieri debebat: Nam etſi Deus non voluit ſcelus illud Iudæ, voluit tamen vt tempore à ſe definito, & non ante nec poſt perduceretur ad effectum. Verba Caiet. ita ſe habent. Dicendo Fac citius, non præcipit, vt faciat, quod facit, ſed præcipit circumſtantiam temporis ſignificatam per citius, vt ſcilicet eo tempore ille faceret, quo tempore fieri decreuerat Deus. Quamuis enim Deus non præceperit, quod Iudas proderet Ieſum, præcepit tamen, vt non alio id tempore faceret, quam eo, quod ipſe decreuerat, & quia illud tempus iam aduenerat, ideo præcipitur, vt citius faciat, & impleat tunc, quod erat tempus decretum à Deo. Sic ille. ſed violenta eſt expoſitio. *Caietan.*

Conſimilem ſententiam ac interpretationem habet, quod in lib. tertio Reg. cap. 22. ſcriptum eſt, Satanæ pollicienti ſe decepturum Regem Achab dixiſſe Deum. In quo, ſcilicet decipies? & ille dixit, Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius, & dixit Dominus, Decipies, & præualebis, egredere, & fac ita; illa verba Egredere, & fac ita, non continent proprie imperium Dei præcipientis Satanæ, vt deciperet Achab, ſed permiſſionem, & non prohibitionem. Quæ verba explicans Liranus dicit; Non eſt intelligendum, quod falſitas ſiue malum reueletur à Deo, vel *Liranus.* de eius mãdato, cum ſit veritas per eſſentiam, ſed per hoc intelligitur permiſſio diuina: quia iuſto iudicio Deus permittit malos homines decipi à Dæmonibus, qui non habent poteſtatem aliquid faciendi, niſi quantum ipſe per-

Caietan. mitti:,eamdem fere expoſitionẽ eius loci habet Caiet.dicens. Verba hęc relata ad malum culpæ, actionem ſcilicet iniquam Dæmonis,permiſſiua ſunt,relata vero ad punitionem ipſius Achab, præceptum ſunt.

D. Aug. Hanc reſpõſionem ſiue hunc modum diſſoluendi hanc difficultatem videtur commendare,& ſequi D.Auguſt. loco ſupra relato, hocmodo ſcribens. Fortaſſe ſecundum ſuas voluntates, & cogitationes Hebræi magis permiſſi ſunt facere iſta, quam iuſſi, ſed eis Deus permiſſionem hanc per famulum ſuum Moſen innoteſcere voluit,quando mandauit, vt illud diceret Hebræis.

Tertio modo reſponderi poteſt, Deum re vera iuſiſſe Hebræos bona illa commodato petere ab Ægyptijs, & ipſos Hebræos ita petijſſe, & quidem ſine vllo fuco, & mendacio,aut fallacia; illi enim in animo habebant (ſaltem, qui probi erant viri) ea bona reddere Ægyptijs: ſed poſtea, quia illi contra fidem datam abeuntes hoſtiliter illos inſectati ſunt,cenſuerunt Hebræi,& ſe officio reddẽdi ea bona ſolutos eſſe; & indigniſſimos eſſe Ægyptios, quibus ea redderentur.

Tertul. Quarta reſponſio eſt,quam, refert Tertullianus,ex traditione quadam antiqua in lib. 2. contra Marcionem,vbi ſic ſcribit ſub numero 16.Obijciunt,inquit, Creatori,vel maxime fraudem illam,& rapinam auri,& argenti mandata ab illo Hebræis in Ægyptios. Age infeliciſſime hæretice, te ipſum expoſtulo arbitrum, cognoſce in vtranq; gentem prius,& ita de authore præcepti iudicabis. Repoſcunt Ægyptij de Hebræis vaſa aurea, & argentea, contra Hebræi mutuas petitiones inſtituunt, allegantes ſibi quoque eorundem Patrum nomine ex eodem ſcripturæ inſtrumento mercedes reſtitui oportere illius operariæ ſeruitutis pro laterinis deductis, pro ciuitatibus, & villis ædificatis. Quid iudicabis optimi Dei elector? Hebræos fraudẽ agnoſcere debere, an Aegyptios cõpenſationem? Nam & aiunt ita actum per legatos vtrinque, Aegyptiorum quidem repetentium vaſa, Iudæorum vero repoſcẽtium operas ſuas, & tamen has iuſtitia renunciauerunt ſibi Aegyptij. Hodie aduerſus Marcionitas amplius allegant Hebræi negantes compenſationi ſatis eſſe, quantumuis illud auri,& argenti, ſi ſexcẽtorum millium operæ,per tot annos, vel ſingulis nummis diurnis æſtimentur, quæ autem pars maior repetentium vaſa; an incolentium villas,& vrbes? Querela ergo maior Aegyptiorum, an gratia Hebræorum? Vt ſolo iniuriarum iudicio Hebræi Aegyptios repercuterent, liberi homines in ergaſtulum ſubacti, vt ſolas ſcapulas ſuas ſcribæ eorum apud ſubſellia ſua oſtenderent flagellorum contumelioſa atrocitate laceratas, non paucis lancibus, & ſcyphis pauciorum vtique diuitum vbique, ſed totis, & ipſorum facultatibus,& popularium omnium collationibus ſatisfaciendum Hebræus pronunciaſſet. Igitur ſi bona Hebræorum,cauſa bona,iam & cauſa, id eſt, mandatum Creatoris; cui & Aegyptios gratos fecit neſcientes, & ſuum populum in tempore expeditionis anguſto, aliquo ſolatio tacitæ compenſationis expunxit. Plane minus exigi iuſſit. Hebræis enim etiam filios Aegyptij reſtituere debuerant. Hæc Tertullianus.

Ægyptij ergo poſtquam Hebræi tranſmiſerant mare rubrum (ſecundum hanc traditionem) miſerunt legati ad Moſen repoſcentes ea bona, quæ commodato dederant Hebræis. Reſponderunt autem Moſes, atque Hebræorum Principes ea ſe libenter reddituros, ſi tamen viciſſim illi, tot tantorumque laborum, quibus Hebræi perfuncti fuerant duriſſimam Aegyptijs ſeruitutem tot annis ſeruientes, iuſtam ipſis rependerent mercedem; Cumq; ab Aegyptijs mercedis perſoluendæ computatio fieret, ſubducta ratio, in tantam euaſit ſummam, vt ſatius eſſe duxerint Aegypiij remitterę bona illa Hebræis, quam debitam illis mercedem perſoluere.

ARTICVLVS XII.

Vtrum Abraham mentitus ſit quando dixit pueris Expectate hic cum aſino, & quando dixit Saram eſſe ſororem ſuam.

Legitur Geneſis 22. quod cum perueniſſet Abrahã ad montem ſuper quem ex mandato Dei offerre in holocauſtum volebat filium ſuum Iſaac, dixit ad Pueros ſuos Expectate hic cum aſino, ego autem & puer illuc vſque properantes poſtquam adorauerimus reuertemur ad vos, quibus verbis videtur,quod Abraham fuerit mentitus, quia non intendebat redire cum puero,ſed eum immolare.

Item Gen. 20. Timens Abraham, ne interficeretur ab Abimelech propter Saram vxorem ſuam, dixit de Sara ſoror mea eſt,quæ tamen non erat ſoror,ſed fratruelis, atque adeo mendacium dixit.

Alex. de Ales. Quo ad primum quidam dicunt Abraham fuiſſe mentitum ſecundum verborum tenorem, quod contra mentem diſſimulandi cauſa locutus eſt. Ita ſentit Alexand. de Ales 2.par.quæſt.122.m.6. vbi ſecutus D.Ambroſium lib. 1. de Abraham, cap. 8. dicit,quod licet Abraham ſecundum formam verbi mendacium dixerit, & propter hoc non eſt imitandus à nobis; nihilominus ratione figuræ, ad quam inſpiratus à Deo reſpexit, non eſt præſumendum illum mendacium dixiſſe. Quod autem dixerit mendacium iuxta formam locutionis his verbis manifeſtat D.Ambroſius. *D. Ambr.* Prophetauit, quod ignorabat; Ipſe ſolus diſponebat redire immolato filio, ſed Dominus per os eius locutus eſt, quod parabat, captioſe autem loquebatur cum ſeruulis, ne cognito negotio aut impediret aliquis,aut gemitu obſtreperet, aut fletu; hæc Ambroſius,ex qua D. Ambroſij ſententia arbitratus eſt Alexander Abraham mendacium, quamuis leuiſſimum dixiſſe, eo quod contra mentem diſſimulandi cauſa locutus fuerit. Prophetaſſe tamen quia dixit verum; quod tunc ſcilicet ipſe ignorabat,ratione tamen figuræ ad quam inſpiratus reſpexit non dixit mendacium: Nam immolatio illa figura fuit immolationis Chriſti. Et ſi enim filius Dei incarnatus, ſicut Pater Abraham Iſaac, duceret humanã naturam ad immolandum in paſſione, reuerti debuit tamen Iſaac cum Abraham: quia poſtquam Filius Dei ſemel aſſumpſit humanam naturam nec in paſſione, nec poſt dimiſſit eam. Vnde ad hoc reſpiciens Abraham, non intendebat mentiri,atque adeo, quia mentiri non intendebat Dominus ita diſpoſuit, vt nec etiam ſecundum litteram dixerit niſi verum, Ipſe enim reuerſus eſt cum Iſaac,ſicut dixerat, vt patet Gen. 22. Qua propter quamuis verba ſanctorum Patrum videantur eſſe mendacia ad litteram, excuſantur tamen ratione ſignificatorum. *Adrian. Canus* Adrianus quolib.1.ad 3. dicit Abrahamum quadam pietate motum mentitum fuiſſe, quemadmodum obſtetrices Aegyptiæ.Canus lib.2.de locis,c.4.in principio, Sunt alij,inquit, quibus ego uehementer aſſentior, qui admittunt quidem Abraham ea ratione mentitum fuiſſe, quod contra mentem diſſimulandi cauſa locutus eſt, prophetaſſe autem quia dixit verum, quod tunc ſcilicet ignorabat. id numquam Ambroſij verba præſeferunt.

D. Thom. D. Bona. Scotus. Cæterum D. Thomas, 2.2. q. 110.art.3. D. Bonauent. hac diſtin.quæſt.2.& Doct.ſub. in hac quæſt.ad 1. ſecuti D. Auguſtinum Serm. 1. de immolatione Iſaac, qui eſt 72.de tempore,& in quæſt. ſuper Geneſim dicunt, Abraham non fuiſſe mentitum: quia non dixit contra illud, quod habuit in mente. *Ioſeph.* Nam ſicut refert Ioſephus lib Antiquitatum, dum iret ſolus cum puero relictis pueris informauit eum, qualiter fuerit miraculoſe conceptus, & qualiter ſi eſſet immolatus Deus eum miraculoſe reſuſcitaret,& hoc creditur firmiter expectaſſe; quia non dubitauit de promiſſione Dei, In Iſaac vocabitur tibi ſemen. Ipſe igitur licet intenderet immolare Iſaac; credebat tamen eum miraculoſe reſuſcitandum à Deo, & ſecum reuerſurum ad pueros, vnde quando dixit Reuertemur ad

uos,

Digitized by Google

nos, dixit, quod habuit in corde, atque adeo non fuit mẽtitus. Et hæc ſententia eſt conformis valde verbis D. Pauli ad Hebræos. 11. fide obtulit Abraham Iſaaccum cum tentaretur, & vnigenitum offerebat, qui ſuſceperat repromiſſiones (ad quem dictum eſt, Quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen) arbitrans, quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus. Nec eſt (inquit Scotus) faciliter imponendum mendacium aliquod Abrahæ, cuius vita fuit valde exemplaris.

Alex. de Ales. Hanc eamdem ſententiam docuit Alex. de Ales, 3. par. quæſt. 37. m 6. ad 4. vbi inquit. Dicendum ſecundum Albuinum, quod Abraham habebat certam fidem de filio ſuſcitando: quia promiſſum ei fuerat à Domino, qui mentiri non poteſt, quod in Iſaac vocaretur ei ſemen, in quo benedicerentur omnes gentes, Vnde credebat ipſum ſurrecturum poſt immolationem, propter quod non eſt mẽtitus. Et ſi dicatur ſecundum Ambroſ. in lib. de Patriarchis, quod ipſe ſolus immolato filio proponebat redire; dicendum, quod non determinate diſponebat, ſed ſub conditione, niſi Dominus aliter ordinaſſet, ſubintelligendum ergo eſt ſi Dominus voluerit. Hæc Alex.

Toſtatus. Toſtatus ſuper Gen. cap. 22. dicit, quod Abraham prophetice dixit, ſcilicet mouente eum Spiritu Sancto hæc verba, Poſtquam adorauerimus Deum reuertemur ad vos; & quando aliquis mouetur ab alio in loquendo, nõ eſt ſui iuris, nec poteſt dici, quod mentitur qualitercunque dicat: quia non poteſt aliter dicere, vt patet Num. c. 22. Sed ſi dederit mihi Balach omnem domum ſuam plenam auri, & argenti, non potero immutare verbum Dei mei, vt plus, vel minus dicam; ſed non propter hoc vocatur Abraham Propheta, licet ex alijs cauſis vocetur Propheta, niſi accipiatur valde large: quia intellectiua, id eſt, intelligentia opus eſt in Propheta; vt patet Daniel. 10. c. Abraham vero non videtur quod iſta verba intelligeret in ſenſu, in quo eũ proferre faciebat Spiritus Sanctus.

Cle. Ale. *Lippoma.* *Sotus* *Caietan.* *D. Hier.* Quo ad ſecundum aliqui volentes excuſare Abraham à mendacio, inter quos eſt Clemens Alexan. lib. 2. ſtromatum ſub finem. Lippomanus in Catena ſuper 20. cap. lib. Gen. & Dominicus Soto lib. 2. de iuſt. & iure quæſt. 3. art. 8. ad quartũ, Caietanus in Cõmentario ſuper Gen. cap. 11. & 20. quibus apertiſſime fauere videtur D. Hierony. de traditionibus Hebraicis in Gen. ſuper cap. 20. vbi ita ſcribit. Etenim vere ſoror mea eſt de patre, ſed non de matre, id eſt, fratris eius eſt Arã filia non ſororis, ſed quia in Hebræo habet Vere ſoror mea eſt filia patris mei, & non filia matris meæ, & magis ſonat, quod ſoror Abrahæ fuerit; in excuſationem eius dicimus, nec dum illo tempore tales nuptias lege prohibitas. Quare Sotus loco citato, inquit, mihi probabilius fit, fuiſſe fratres, quam fratrueles, tum quia non ſolum Gen. 12. verum & c. 20. Maritus appellauit coniugem ſororem, cum ad cauendum periculum ſatisfuiſſet ei perſuadere, vt diceret, ſe ſuam eſſe fratruelem. Quin vero ſecundo loco littera Hebræa habet, Vere ſoror mea eſt. Et quamuis fratrueles dicerentur etiam fratres, vt Iacob frater Domini; tamen vere ſoror, maiorem habet emphaſim. Illud autem potiſſimum eſt argumentum, quod ſi tantum ſignificare voluiſſet eſſe fratris filiam, non tanta verborum explicatione vteretur dicens, Filia Patris mei, & non filia matris meæ. Filia enim patris dictum eſt pro eo vſurpare, quod eſt neptis aui mei; maxime cum tam ſignificanter ſubiungatur, & non filia matris meæ. Hoc enim totum poſitum eſt ad explicandum rationem, qua eſſet ſoror. Nam forte quando ſoror erat non vterina, ſed tantum paterna, non erat interdictum coniugium.

Ioſephus. Attamen Ioſephus, quia hoc forſan non intellexerat primus fuit qui lib. 2. Antiquitatum cap. 15. dixit Saram eſſe filiam Arã, ſororemque Loth, ac ſubinde fratruelem Abrahæ. Quem authorem D. Auguſtinus ſuper Gen. ſecutus eſt, ac deinceps alij.

Cæterum huic ſententiæ aduerſantur fere omnes alij Patres. Vnde obſeruan. eſt, vt habetur Geneſ. 11. quod Nachor genuit Thare, Thare autem genuit Abraham, & Nachor, & Aram, Arã genuit Loth, Melcha, & Ieſche. Secũdo obſeruan. eſt, quod Aram mortuus eſt ante Thare patrem ſuum in terra natiuitatis ſuæ in Vr Chaldeorũ; Itaque Thare habebat duas neptes, filias Aram, matrimonio copulandas, ſcilicet Melcham, & Ieſcham, & duos filios, ſcilicet Abraham, & Nachor. Quarto obſeruan. eſt Ieſcha [illegible] eſt, vt tradit D. Hierony. lib. de traditionibus Hebraicis in Gen. cap. 11. vbi ita ſcribit Aram filius Thare frater Abraham, & Nachor, duas filias genuit Melcham, & Sarai cognomento Ieſcham [illegible] ex quibus Melcham accepit vxorem Nachor, & Sarai Abraham; Nondum quippe inter patruos, & fratrum filias nuptiæ fuerant lege prohibitæ: quia in primis hominibus etiam inter fratres, & ſorores initæ ſunt. Hæc Hieronymus. Tertio obſer. eſt, quod Abraham, & Nachor duxerunt vxorem, Nomen vxoris Abrahã Sarai; quæ alio nomine appellabatur Iſche, & nomen vxoris Nachor Melcha filia Arã Patris Melche, & Patris Iſche. Multi autem viri, & mulieres in Sacra Scriptura habent nomina varia, vt Iſaia, & Ieſſe, Ioſue, Oſeæ, & Ieſus, ex his ergo patet, quod Sara erat filia Aram fratris Abrahæ, & neptis Thare. *D. Hier.*

Dicendum eſt, ergo quod Abraham non dixit mendacium, quia Sara erat ex eodem patre cum Abraham, Pater Abrahæ erat auus Saræ, atque ita ex quo patre erat Abraham immediate; ex eodem erat Sara mediate, & hoc Abraham Regi Abimelech dixit inquiens, Vere ſoror mea eſt filia patris mei, non filia matris meæ, & duxi eam vxorem, quorum verborum ſenſus eſt, vt optime explicat D. Chryſoſtomus hom. 45. in Gen. Quaſi vellet dicere, Non ſum mentitus cum dixi eam eſſe ſororem meam: nam ſecundum conſuetudinem gentis noſtræ cũ ea ſit filia fratris mei, vere dici potuit ſoror mea, & illud verbum quod ſequitur, filia Patris mei, & non matris meæ hunc habet ſenſum, omnes qui erant ex familia Thare ipſum appellabant patrem, & idcirco appellabant ſe mutuo fratres, & ſorores. Erat enim Thare Pater Abraham, & Aram; cuius Aram filia erat Sara, atque adeo Sara auum ſuum patrem appellabat, & maxime mortuo Aram. *Chryſoſt.*

Sed quicquid ſit, non eſt modo animus tractare in præſentia, atque definire celebrem illam quæſtionem fuerit ne Sara vera ſoror Abrahæ, an tantum fratruelis, id eſt, filia fratris ſui Aram: Nam quidquid ſit de hoc, ſatis eſt, quod vere potuerit eam ſororem appellare; atque adeo non dixit mendacium, ſed vt docet D. Auguſt. in quæſt. ſuper Gen. Sara erat Abrahæ ſoror, & vxor, & dicendo ipſam eſſe ſororem ſuam, & non vxorem, veritatem tacuit, & mendacium non dixit. Eodem modo reſpondetur ad id, quod poſſet adduci de Iſaac, qui Gen. 28. dixit de vxore ſua, ſoror mea eſt. Nam Rebecca fuit vere eius cognata, filia Bathuelis, filij Nachor fratris Abrahæ, more autem illius gentis omnes cognatæ ſorores dicebantur; ſicut cognati dicebantur fratres. *D. Aug.*

ARTICVLVS XIII.

Vtrum Iacob fuit mentitus, quando dixit Ego ſum Eſau &c.

Circa hanc quæſtionem, imo circa omnia dicta, vel facta in quibus ſancti Patres veteris teſtamenti mentiti fuiſſe videntur, quidam ex D. Auguſtino multitudinem mendaciorum in duas Claſſes diſtribuũt. In prima ſtatuunt eos, qui cum non ſint mentiti, mendaces fuiſſe videntur, qui tamen non ſunt; quia figurate, & myſtice locuti sũt; Veluti Iacob, qui illis verbis, Ego ſum primogenitus tuus Eſau, mentiri videtur, & tamen vera pronunciabat, quia ſecundum diuinam prouidentiam vere primogenitus erat. Alij vero in ſuſpicionem fallaciæ, & mendacij deciderunt, quia occultatis animi conſilijs, veritatem aperire noluerunt, ceu Abraham de vxore ſua interroganti reſpondens eſſe ſororem, mendacium protuliſſe, & veritatem abnegaſſe viſus eſt, cum tamen nullo modo mentitus fuerit, ſed veritatem tantum occultauerit, tacens eam eſſe vxorem, & indicans, quod verum erat, eam eſſe ſororem, erat enim ei vere ſoror ex patre, ſed non ex matre. Ad hanc occultandæ veritatis regulam Theologi referunt omnes militares inſidias, & cæ- *D. Aug.*

teras

Digitized by Google

teras gubernatorum, iudicum, & Medicorum ſimulationes, quæ remota omni ſalſitate in ſola occultatione veritatis conſiſtunt. Tales ſunt fictiones Moſis Aegyptum expoliantis, Iudith Holofernem obtruncantis, Dauidis inſaniam ſimulantis, & Pauli ficta obiurgatione Petrum increpantis.

In ſecunda vero claſſe Doctores Scholaſtici collocant, quos conſtat fuiſſe mentitos, quales ſunt Dauid coram Abimelech ſacerdote, Ionathas coram Saule, Iehu Rex coram Sacerdotibus Baal, Raab pro exploratoribus Iudæorum, & Michol pro Dauidis ſalute. His ergo exceptis, & conſimilibus, illos omnes, qui in prima claſſe collocati ſunt penitus à mendacio excuſant, atque ita dicunt Iacob haud fuiſſe mentitum.

D. Aug. Et quidem D. Auguſt. in quolib. ſuper Geneſ. Iacob à mendacio excuſat, Adducitque in hoc, quod ſcriptura de illo dixit, virum ſimplicem fuiſſe, hoc eſt, non fictum, & ſine dolo, vt 70. Interpretes conuerterunt, ſine dolo igitur erat, qui dolum feciſſe videtur. Quia propter in eo loco (vt ait) Spiritualem myſterium cogimur intelligere, & 16. lib. de Ciuit. Dei cap. 37. Quis eſt, inquit, dolus ſimplicis, quæ fictio non mentientis, niſi profundum myſterium veritatis? *D. Chryſ.* Chryſoſtomus etiam Hom. 6. in Epiſt. ad col. 8. & Homil. 53. in Gen. ſicut Abraham, & Phynees ab homicidio, ita & Iacob (quoniam Deum illi cooperatum eſſe credit) à mendacio excuſat, Ambroſius lib. de Iacob, & vita beata cap. 2. & 3. Innocentius de Diuortijs, cap. Gaudemus, Magiſt. ſenten. in 3. d. 38. Gratianus, 22. quæſt. 2. cap. Quæritur, Alex. de Ales. 2. par. q. 122. m. 6. ad 1. & 3. par. q. 37. m. 6. ad ſextum D. Thom 2. 2. q. 110. artic. 3. ad 3. & D. Bonauen. in 3. diſt. 38. dub. 4. circa litteram Magiſtri.

D. Amb. Innocen. Magiſter. Gratian. Alex. de Ales. D. Thom. D. Bonau. Rab. Sal.

Verum non omnes eodem modo illum excuſant, Rab. Sal. vt refert Nicol. de Lyra volens excuſare Abraham à mendacio ſic punctuat litteram. Ego ſum, ſcilicet, qui porto tibi cibum, Eſau primogenitus tuus, id eſt, Eſau eſt primogenitus tuus, ſed iſta locutio eſt valde abſurda propter duo: primo quia manifeſte corrumpit ſenſum; Nam dicit, quod Iacob intendebat ſignificare per iſtam propoſitionem Ego ſum, ſcilicet qui apporto tibi cibum, Eſau primogenitus tuus, id eſt, Eſau eſt primogenitus tuus, ſed hoc falſum eſt: quia Iacob per iſta verba intendebat ſignificare patri, quod ipſe eſſet Eſau, vt benediceretur ab eo: ſecundo quia per hoc non habet intentum: Quia quacunque arte verborum quis iuret, vel fallat alium, à mendacio non excuſatur ſecundum D. Auguſt. *D. Aug.* Non ergo excuſatur Iacob quocunque modo diceret: quia verba eius non ita ſignificabant; at verba, quæ proferuntur debent reduci ad intellectum audientis, vel ad communem intelligentiam.

Alex. de Ales par. 2. quæſt. 122. & in 3. p. locis citatis dicit, quod quādo dixit. Ego ſum Eſau primogenitus tuus, non volebat ad litteram dicere, quod ipſe eſſet Eſau, ſed quod ipſe eſſet ille, cui iura primogenituræ debebantur; atque adeo excuſatur per ſenſum figuratiuum: per Eſau enim figurabatur populus Iudaicus, per Iacob gentilis: quia licet eſſet minor natu, ipſi tamen ante Iudaicum debebatur benedictio fidei Chriſtianæ, ſicut vult Apoſt. ad Rom. 9. & 11. *Alex. de Ales.* Hanc reſponſionem explicat Canus lib. 2. de locis cap. 4. ad ſecundum, Apoſt inquit, duo filiorum genera exprimit, inquiens ad Rom. 9 Non omnes qui ex Iſrael ſunt, ij ſunt Iſraelitæ: nec qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij Abrahæ; ſed qui filij ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine. & ſtatim; Non ſolum autem illa, ſed & Rebecca ex vno concubitu &c. Et quia maior ſeruiet minori, &c. Paulus itaque ſemen Abrahæ vocat populum gentium, eumdemque fratrem appellat minorem, cui maior erat ſeruiturus; vt igitur ſine mendacio gentium hic populus in fidem iam, & hæreditatem Iudæorum ſuffectus, dicere poterat, Ego ſum ſemen Abrahæ; ita & Iacob, quoniam ius habebat ad primogenituram, in quam Deo authore fuerat ſubſtitutus, vere vtique dixit, Ego ſum primogenitus Eſau. Quid cum Ioannes Baptiſta Elias à Domino vocatus ſit; non natura quidem, ſed præcurſoris officio, & non ad eumdem quoque modū Iacob, qui hereditario iure fratri ſucceſſit, ſe eſſe Eſau, ſine falſitate potuit hoc aſſerere? ita Canus, quam reſponſionem replicat Alex. 3. par. loco relato, eam vbi ſupra ſequitur D. Thomas.

Canus.

Eamdem reſponſionem explicatius refert D. Bonauen. loco citato inquiens, ſecundum B. Ambroſium, & etiam Auguſtinum, Iacob vir ſimplex à mendacio excuſatur, & quantum ad id, quod dixit verbo, & quantum ad id, quod egit in facto, verbo enim dixit, & facto ſimulauit, ſe eſſe Eſau, quantum ad id, quod dixit verbo excuſatur: quia non intendebat patrem fallere, ſed dirigere. Non enim intendebat ſe dicere Eſau quantum ad perſonam, ſed quantum ad dignitatem primogenituræ, & benedictionis, quam ſibi à Deo vendicauerat, & ſic verum dixit, & in hunc ſenſum, quæſtio Iſaac debebat intelligi: Quærebat enim de eo, cui benedictio debebatur. propter quod non decepit Patrem: nam illa debebatur Iacob electione diuina, qua elegit eum in vtero materno adhuc exiſtentem. Nam matri pregnanti, & Dominum conſulenti reſpondit Dominus: Duæ gentes in vtero tuo ſunt, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, maior minori ſeruiet. Gen. 25. Tranſumptiue ergo, & non proprie locutus eſt Iacob dicens, Ego ſum Eſau; non enim in perſona, ſed iure primogenituræ; & hoc non propria authoritate dixit, ſed matris imperio, & Spiritus Sancti conſilio. Quātum autem ad id, quod egit facto, ſimulādo ſe eſſe Eſau, non peccauit: quia ſecundum D. Ambroſ. factum illud figuram præferebat futurorum: vnde propter figurationem, & rectam intentionem, qua dirigebatur ſecundum Spiritus Sancti inſpirationem dicit B. Auguſt. Iacob, non commiſiſſe mendacium, ſed impleuiſſe myſterium, eodem etiam modo reſpondet Liranus ſuper Geneſ. capit. 27.

Alex. de Ales. D. Thom. D. Bonau. D. Amb. D. Aug. Liranus.

Cæterum licet iuxta hanc reſponſionem poſſit Iacob à mendacio excuſari, non videtur tamen excuſari poſſe à fraude, & quin patrem fefellerit; Nam Iacob protulit propoſitionem amphibologicam duos ſenſus habentem, quorum alter eſt verus, & in illum Iacob ſuum dictum intellexit, atque ita non eſt mentitus, ſecūdus erat falſus, quem Pater primo intellexit, & Iacob hoc putabat, ſcilicet patrem propoſitionem in ſenſu falſo intelligere nempe, quod ipſe eſſet Eſau in perſona; ergo fefellit. probo conſequentiam. Si aliquis quærat Petrum, quem habeo in cubiculo, & ego dico non eſt in cubiculo meo, intelligens tertiam perſonam de Edo; & video quod alter intelligit, vt eſt tertia perſona de Sum, ego non ſum excuſatus à fallendo, & à deceptione, cum verborum arte alium circumuenio. Sed Iacob dicens Ego ſum Eſau primogenitus tuus, protulit propoſitionem amphibologicam duos ſenſus habentem; quorum vnus erat verus, nempe iſte, Ego ſum Eſau officio, & iure primogenituræ, alter autem falſus, nimirum iſte, Ego ſum Eſau in perſona, & ſciebat Patrem intelligere illam propoſitionem in ſecundo ſenſu, qui erat communis ſenſus propoſitionis, ergo fefellit.

Et confirmatur: quia quandocunque propoſitiones ſic tranſumuntur, vt veræ ſint oportet, quod pateat de intentione dicentis, quod intelligat dicere de dignitate, & non de perſona; & tunc omnes audientes intelligunt illam propoſitionem eſſe veram, vt patet de propoſitione Chriſti dicta de Ioanne, ſcilicet ipſe eſt Elias Chriſtus enim intentionem habebat dicendi, quod ipſe Ioannes dignitatem Eliæ habebat, & hoc alijs volebat innuere, & non quod eſſet Ioanne Elias ſecundum perſonam; & alij ſecundum modum loquendi Chriſti, & ſecundum materiam in qua loquebatur, ſcilicet de dignitate Ioannis intelligebant manifeſte. In propoſito autem nullo modo ſic erat. Quia licet Iacob ſciret ſe non eſſe Eſau in perſona, ſed in dignitate, tamen ipſe nolebat, quod iſta propoſitio faceret talem ſenſum, ſcilicet quod ipſe erat Eſau ſecundum dignitatem: quia ſic ipſe nihil habuiſſet de intento, ſed volebat, quod per illam propoſitionem, Iſaac eum intelligeret eſſe Eſau ſecundum perſonam; & ei benediceret.

Et patet hoc manifeſtiſſime, quia ad exprimendum ſe eſſe Eſau ſecundum ius primogenituræ non erat neceſſe circundare collo, & manibus pelles hœdorum, ſed hoc fiebat ad ſignandum ſe eſſe Eſau ſecundum perſonam; & confirmatur: quia quando Iacob timuit hoc agere,

reſpondit

reſpondit matri ſuæ Rebeccæ Eſau frater meus homo piloſus eſt; homo autem nomen eſt perſonæ, & non dignitatis; & mater addidit modum, per quem Iacob aſſimilaretur homini illi, ergo videtur quod volebat ſignificare ſe eſſe Eſau ſecundum perſonam, atque adeo decepit.

Præterea ſi Iſaac dixiſſet Iacob, Iura quod tu ſis Eſau primogenitus meus; ſi iuraſſet manifeſte mentitus fuiſſet, quia iuramentum debet eſſe ad intentionem dantis, & non iurantis; Nam Deus non reſpicit quacunque verborum arte iuretur, ſed intentionem eius, cui iuratur; atque Iſaac ſi poſtulaſſet iuramentum iurare feciſſet, quod eſſet Eſau in perſona, ergo ſi iuraſſet periurus fuiſſet, & peccaſſet, ergo & prius peccabat cum abſque iuramento dixit ſe eſſe Eſau.

Præterea Iſaac reuerſo Eſau, & benedictionem poſtulanti, reſpondit. Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam; ergo cum fraude; ac proinde peccauit dicens Ego ſum Eſau primogenitus tuus.

Ad primum dicunt quidam, quod Iacob non fefellit neque mentitus eſt, quia dixit, & fecit inſtinctu Spiritus Sancti. Vnde ſicut cuius eſt condere ius, eius eſt ambiguitatem incidentem in iure interpretari, ita Deus, qui eſt iuris diuini conditor, & legiſlator, eſt etiam eius infallibilis expoſitor, Vnde recte dici ſolet, quod ſenſus litteralis non eſt ſenſus ille, quem nuda verba prima facie oſtendunt, ſed eſt ſenſus à Spiritu Sancto intentus, quem interdum ex alijs locis ſcripturæ colligimus, & nonnunquam per reuelationem, & Spiritus Sancti inſpirationem, & ille eſt certiſſimus ſenſus, & infallibilis.

Modo in propoſito Rebecca mater Iacob edocta erat ab oraculo, quod ius primogenituræ debitum erat minori, vt patet Gen. 25. Nam Deus iura, & dominia omnia pro libito equiſſime confert, quia ipſius ſunt. Iacob tamẽ vir ſanè optimus primo reluctatus eſt, grande reputans nephas patri velle illudere, ſed à matre, & illuminatione Dei edoctus, tandem Spiritus Sancti inſpiratione acquieuit, atque adeo dictum eius, Ego ſum Eſau primogenitus tuus, habebat ſenſum hunc à Spiritu Sancto intentũ, Ego ſum cui debetur ius primogenituræ: quia de illo ſenſu contendebatur, & de illo ſenſu intendebat, & ad illum ſenſum mentis aciem cum reſpondentibus ſignis tam verbo quam geſtu applicuit. Et ad id, quod obijcitur, quod intendebat perſuadere, quod eſſet Eſau perſonaliter, dicunt, quod etſi intendebat facere aliquid, quo facto Iſaac crederet ipſum eſſe Eſau, hoc tamen non primo intendebat, ſed occaſionaliter, & concomitanter, principaliter enim intendebat benedictionem ſibi debitam vendicare, verbum vero ſimpliciter verum erat, quia allegorice, & transſumptiue erat enunciatum.

Et cum dicitur, quod Iacob, & Rebecca præparabant ſtudioſe pelles circa collum, & manus Iacob &c. Dicunt, quod induebat pelles hœdorum quatenus verum, quod non tenebatur dicere Iſaac occultaret, exemplum eſt in ſimili, Petrus eſt iniuſte obſeſſus in vrbe ab vno Tyranno, induit veſtes fœminæ quatenus ſic euadat, talis cum licite facit, quod poteſt, nullo modo fallit, ita vt Iacob induens pelles hœdorum, & Petrus veſtes fœminæ duobus modis poterant ſe habere, vno modo vt fallant, & hoc eſt malum; alio modo vt occultent vnum verũ, quod non tenentur dicere, vel propalare, & hoc eſt fallere indirecte, & non eſt fallere ſimpliciter, licet veſtes induens iu dicet, quod ex induitione pellium, vel veſtium, hoc videns falleretur erronee aſſentiens, nihil ad induentem autem, cum induens licite agat.

Ad ſecundum dicunt, quod Iacob potuiſſet iurare, & tamen non peccaſſet; & cum dicitur, quod oportet iurare ad intentionem dantis &c. dicunt, quod iuraſſet ad intentionem Spiritus Sancti; quia omnia iſta operabatur. Vnde capitulum illud 22. quæſt. 5. Quacunque arte verborum quis iurat, Deus tamen qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, cui iuratur intelligit, ita intelligitur, id eſt, ſicut intelligere debet, iuxta verum ſenſum propoſitionis, vt patet de conſecr. d. 4. cap. Non illud, ſufficit mihi dicere veritatem ſecundum materiam ſubiectam, qualitercunque tu intelligas. Iacob autem verum dixit ſecundum verum ſenſum a Spiritu Sancto intellectum, atque ita dixit, quod licite dicere poterat, & per conſequens non fefellit, directe fallere eſt peccatum. Si ergo aliquis dicat, quod licite dicere poteſt, nunquam alium fallit, ſed alter male intelligens, fallitur à ſe ipſo.

Ad tertium dicitur, quod multiplex eſt fraus, ſcilicet Fraus eſt
inſpirationis, vt cum filij Iſrael ſub ſpecie commodati petriplex.
tierunt vaſa argentea, & aurea, & expoliauerunt Aegyptios. Quare? quia præceperat Dominus, vt ſic facerent, atque ita illa fuit fraus inſpirationis. Alia eſt fraus eruditionis, qualis fuit illa Ioſeph, quando fecit ponere ſcyphum in ſacco Beniamin, vt eum retineret, & erudiret. Alia eſt fraus deceptionis, vt cum quis prodit aliquem ad mortem; Iacob autem cum fraude inſpirationis accepit benedictionem Eſau, & ideo non peccauit.

Poteſt etiam dici, quod Hebræi legunt prudenter, vbi nos legimus fraudulenter, quia vt inquit Nicolaus de Ly *Nicol. de*
ra, dictio Hebraica, quæ eſt ibi, eſt æquiuoca, & aliquãdo *Lyra.*
accipitur pro dolo, interdum accipitur pro prudentia, ſeu pro bona cautela; pertinet enim ad omnem actum demonticæ virtutis, quæ eſt uis naturalis intellectus practici, in qua fundatur prudentia, vt ait Ariſt. in fine 6. Ethic. & *Ariſtot.*
magis proprie vocatur prudenter, quam fraudulenter: quia Deus mouebat eum ad iſta, ergo nõ erat fraus cum vteretur iure ſuo.

Contra hæc tanm poſſet adhuc inſtari. Quia non fuerat mandatum, vel reuelatum Rebeccæ, vel Iacob à Deo, quod iſto modo ſe haberet in acquirendo benedictionem paternam, & quando dicitur, quod reuelatum fuit Rebeccæ, quod maior minori ſeruiret, dico, quod ſolum fuit reuelatum ei in vniuerſali, quod iura primogenituræ ad minorem filium transferenda erant, & quod minor dominaturus eſſet maiori, modus tamen quo iura primogenituræ, vel benedictio filio minori danda eſſet, non fuit declaratus. Quod autem determinarent ſe Rebecca, & Iacob ad talẽ, vel talẽ modũ non erat à Deo reuelatum, ſed erat à iudicio ipſorum, & patet ex verbis Rebeccæ, quando dixit Iacob, Acquieſce concilijs meis, quibus innuitur, quod iſta non erant mandata Dei, ſed conſilia Rebeccæ. Et quia iſte modus, ad quem ſe determinauerunt, non erat valde honeſtus, non videtur quare non ſit ibi peccatum. Et quando dicitur, quod Rebecca faciebat hoc mota à Spiritu Sancto, dico quod non ſufficiebat ad excuſationem peccati, quod ipſa hoc ageret mota à Spiritu Sancto, ſed quod ſciret ſe moueri à Spiritu Sancto, hoc autem non fuit in ea: quia non dixit iſta filio tamquam à Deo edocta, ſed tamquam recte conſulens ex ſuo ſenſu, cum dixit Acquieſce conſilijs meis.

Quapropter licet aliqui conentur multum, ſaluare Iacob, & aliquos Patres veteris teſtamenti non fuiſſe mentitos, cum tamen in alijs concedant eos habuiſſe legem imperfectam, & gratiam modicam reſpectu noſtri, qui & legem habemus perfectam, & gratiam ſuperabundantem, & de noſtris non negatur aliquando mentiri, vel fuiſſe mentitos. Non videtur, inquit Doct. ſub. multum rationabile negare illos quandoque fuiſſe mentitos, vel potuiſſe mentiri. Quod ſi ita eſt, etſi laudemus bona facta eorum, & illa ſumamus in exemplum: mala autem nec recipimus in exemplum, nec pertinaciter excuſamus.

Vnde ſecundum Scotum non eſt magna neceſſitas excuſare antiquos Patres veteris teſtamenti, & ante legẽ datam à peccato veniali; quale fuit hic: quia illud fuit mendacium officioſum, quod nulli nocebat, & alicui proficiebat. Et ſi dicas quod non fuit officioſum, ſed pernicioſum: quia nocuit Eſau, cum per illud mendacium fuerit ei ablatum ius primogenituræ, & paterna benedictio, & ſi non fuiſſet confictum illud mendacium non obtinuiſſet benedictionem Iacob. Reſpondetur quod non nocuit illud mendacium Eſau: quia tunc alicui nocemus, quando iuri eius aliquid detrahimus, ſed per iſtud mendacium non tollebatur aliquod ius Eſau; quia ad eum non pertinebat primogenitura ius, ergo non nocuit; ſed iure ſuo vſus eſt, ſibi debitam primogenituram per mendacium acquirendo; Sicut ſi nos per mendacium haberemus cautam inueniendi furem, & tollendi ea, quæ portabat, non noceremus ei: quia illa non pertinebant ad ius ſuum.

Mendacium autẽ officioſum, & alia peccata venialia,

non

non debent negari fuiſſe in antiquis patribus: quia etiam in patrib. nouæ legis, ſcilicet in Apoſtolis, & alijs viris perfectis iſta fuerunt, vt ait Ioan. 1. Cano. c. 1. Si dixerimus, quod peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. In omnibus ergo pure hominibus (D. Virgine excepta) nullum à veniali culpa liberũ reor, vt ait D. Auguſt. in lib. de natura, & gratia; Quanto magis patres antiqui, qui imperfectiores fuerunt, cum multi eorum grauia peccata mortalia commiſerint, vt patet de Dauid, qui accepit alienam vxorem, & virum eius occidi fecit, vt patet 2. Reg. cap. 11. Filij etiam Iacob, qui Patriarchæ erant, ex graui odio vendiderunt fratrem ſuum Ioſeph, etiam alia crimina faciebant enormia: quia dicitur Geneſ. 37. quod Ioſeph accuſauit eos apud Patrem de crimine peſſimo. Nullum ergo eſſet inconueniens dicere, quod Iacob mentitus eſt vocando ſe Eſau, peccauit tamen ſolum venialiter: quia mendacium illud fuit officioſum. Hanc reſponſionem ſequuntur Liranus, & Toſtatus, Gen. cap. 27. & Gabriel. hac d. q. vnica art. 3. ad ſecundum.

D. Aug.

Liranus. Toſtatus. Gabriel.

Verum quia ſanctos Patres. Chryſoſt. Ambroſium, & Auguſt. latere non potuit id, quod perſpicuum, & exploratum erat, nempe verba illa Iacob in ſenſu proprio eſſe mendacium, nec eſſe abſurdum, ſi homo quamlibet iuſtus ſemel aut iterum mentiatur, & tamen aſtruãt Iacob non fuiſſe mentitum exiſtimandi ſunt peculiares eãſ demque graues cauſas habuiſſe, quibus in hãc ſententiam inducerentur. Quare melius videtur eum à mendacio excuſare, quam etiam venialiter fuiſſe mentitum.

ARTICVLVS XIV.

Vtrum Ioſeph mentitus fuit.

Legitur de Ioſeph Gen. 42. quod dixit fratribus ſuis Exploratores eſtis, & tamen ſciebat oppoſitum eſſe verum, nec aſſentiebat propoſitioni, quam protulit: ergo dixit mendacium. Item Gen. 44. Præcepit diſpenſatori domus ſuæ, vt diceret fratribus ſuis, Scyphus quem furati eſtis, ipſe eſt, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari ſolet, & ipſemet dixit fratribus, An ignoratis, quod non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia? & tamen non erat augur, quia non licebat augurari habentibus legem Dei, videtur ergo quod mendacium dixerit.

Quoad primum, quidam conantur ex toto excuſare Ioſeph à mendacio, & aliqui dicunt, quod non fuit mentitus Ioſeph, quia mentiri eſt contra mentem ire, Ioſeph autem non iuit contra mentem, quia ignorabat, an eſſent exploratores, vel non; ſed hoc nihil eſt, quia Ioſep bene cognoſcebat eos, quia vt dicitur in principio capituli agnouit eos, & non eſt cognitus ab eis. Sed dices adhuc. Bene poterat eos cognoſcere eſſe fratres ſuos, & dubitare vtrum eſſent exploratores.

Sed hoc ſtare non poteſt: Quia exploratores dicuntur homines miſſi ad inquirendum vias, & ſtatus terræ alicuius, vt poſtea inuadant eam, vt patet de exploratoribus miſſis à filijs Iſrael ad videndum, vtrum terra Chanaan eſſet murata, an ſine muris, plana, an montoſa, & ſic de alijs, vt patet Num. 13. & Deut. cap. 1. Iſti autem vt bene nouerat Ioſeph erant filij vnius patris, de cuius progenie nulli alij exiſtebant, quomodo ergo poterant inſidiari alicui terræ ad inuadendam eam?

Alij aũt dicunt, quod Ioſeph non eſt mentitus: quia nõ intendebat eos vocare exploratores, id eſt, inquirentes de ſtatu terræ, ſed vocauit exploratores, id eſt, inquiſitores viæ bonæ per quam venirent in Ægyptum, quod vtique erat verum ita Rab. Sal. Sed hoc eſt valde friuolum, & falſum, & patet cõtrarium in littera, ſcilicet quod Ioſeph vocabat eos exploratores, id eſt, inquirentes loca opportuna ad inuadendum terram; quia immediate dicitur; Immunita terræ conſiderare veniſtis. Item quia Ioſeph intendebat eos affligere ijs verbis duris, ſed ſi exploratores vocaret, eos, id eſt, explorantes viam bonam, per quã venirent nullo modo ex hoc affligerentur.

Etſi dicas, quod Ioſeph intelligebat intra ſe, quod eſſent exploratores viarum bonarum, & hoc eis declarare nolebat, ſed quod eſſent exploratores in malum; ita vt protulerit Ioſeph propoſitionem amphibologicam duos ſenſus habentem. Adhuc nihil valet: quia repugnat illa littera Immunita terræ conſiderare veniſtis, quæ non poteſt intelligi aliquo modo in bona ſignificatione. Tum quia dato hoc non excuſatur mendacium: quia quacunque arte quis iuret, Deus non reſpicit fraudem iurantis, ſed intentionem audientis, aut modum communem loquendi, & ſenſum quem ſolent facere verba illa.

Ioannes Maior hac d. q. 4. Negat Ioſeph eſſe mẽtitum; quia ironice, & interrogatiue hoc dixit, quemadmodum inquit, Ego dicerem Philoſophis vos eſtis homicidæ, & raptores, furati eſtis Scyphum, hoc eſt, clãculum habetis eſt modus loquendi, ſi breuiarium meum ponam in caputium tuum, & neſcio vbi eſt, inueniens ipſum poſt explorationem dico iocoſe, furatus es breuiarium meum. Ita Maior, ſed hæc ſolutio nulla eſt, vt patet ex ſupra dictis, & magis conſtabit ex infra dicendis.

Maior.

Alex. de Ales, par. 2. quæſt. 122. m. 6. & par. 3. quæſt. 37. m. 6. Reſpondet ex D. Auguſt. in lib. quæſt. in Gen. dicens quod verbum Ioſeph, non ſerio, ſed ioco dictum eſt, vt exitus docuit, & ideo non eſt habendum pro mendacio. Mendacia enim à mendacibus ſerio dicuntur non ioco: Cum autem quæ non ſunt, ioco dicuntur, non reputantur mendacia, prout mendacium dicitur falſa ſignificatio vocis cum intentione fallendi. Et ſi dicatur, quod ad minus videtur mentitus fuiſſe ſaltem iocoſe: dicit, quod non eſt verum: quia ſicut dicit D. Auguſt. in lib. contra mendacium cap. 10. Non ſolum quod fecit, & dixit Iacob, vt benediceretur, ſed neque illud quod Ioſeph velut illudendo dixit fratribus, nec cætera huiuſmodi mendacia iudicanda ſunt, ſed locutiones, actioneſque Propheticæ ad ea, quæ vera ſunt intelligenda, referendæ. Et vniuerſaliter de patribus antiquis dicit D. Auguſt. credendum eſt illos homines, qui propheticis temporibus digni authoritate fuiſſe commemorantur omnia, quæ ſcripta ſunt de illis prophetice geſiſſe, atque dixiſſe; nec minus prophetice eis accidiſſe, quæcunque ſic acciderunt, vt eodem prophetico ſpiritu memoriæ, litteriſque danda iudicarentur.

Alex. de Ales.

D. Bonauentura hac d. q. 2. ad 1. dicit, quod Ioſeph non dixit mendacium, quia verba illa Exploratores eſtis, non dixit aſſerendo, ſed tentando, aut interrogando.

D. Bonau.

Liranus quem ſequutus eſt Abulenſis, dicit quod nulla eſt neceſſitas excuſandi Ioſeph à mendacio, atque adeo dicunt, quod Ioſeph dixit mendacium officioſum, atque ita non fuit peccatum mortale: quia erat ad inquirendã veritatem de ſtatu Beniamin, vel an pœniterent: quia vẽdiderant eum; nec oportet laborare excuſando Ioſeph, & alios Patriarchas à mendacio: quia Apoſtoli multo perfectiores fuerunt, quam patres, & tamen non excuſantur omnino à peccato veniali, iuxta illud 1. Cano. Ioan. cap. 1. Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus &c.

Liranus. Toſtatus.

Scotus vero dicit. De Ioſeph, qui erat perfectus ſeruator legis diuinæ poteſt dici, quod eius mendacium contra fratres non fuit niſi iocoſum, quod patet ex euentu, in fine enim aperuit fratribus veritatem, & interim dum terruit eos puniuit eos, ſicut meruerunt puniri; Illa enim proditio, qua vendiderũt eum in Ægyptum, bene meruit non tantum illo timore, ſed maiori pœna puniri. Et hæc reſponſio videtur eſſe eadem cum illa Alexandri, & poſſet dictum Ioſeph à mendacio excuſari ſicut excuſant D. Auguſt. & Alex.

Scotus.

Quoad ſecundum dicit Ioannes Galen. Quod illa oratio. An ignoratis, quod non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia? non cauſat mendacium: quia nec eſt vera nec falſa, cum ſit interrogatiua. Interrogatiuæ autem orationes non ſunt affirmatiuæ, vel negatiuæ. Sed ſalua reuerentia ſua hoc nihil eſt: quia licet orationes interrogatiuæ, non ſint veræ, vel falſæ ex toto; ſunt tamen veræ, vel falſæ pro parte ſua, id eſt, pro eo, quod præſupponunt, vt ſi dicamus. Nunquid neſcitis quomodo Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit? iſta eſt interrogatiua, & licet ſecundum ſe totam affirmatiua, vel negatiua non ſit: tamen ſecundum aliquid quod præſupponit affirmatiua eſt:

Io. Galen.

quia

Digitized by Google

quia clariſſime iſta oratio dicit, Chriſtum mortuũ fuiſſe, & reſurrexiſſe. Ita tota iſta oratio prolata à Ioſeph, non erat negatiua, vel affirmatiua, tamen ſecundum partem aſſerebat Ioſeph ſe eſſe peritiſſimum in ſcientia augurandi, & licet hoc non teneret Ioſeph, volebat tamen hoc facere credere fratres ſuos, & in hoc eſt proprium mendacium, alias ſi ſic non intelligat non procedit aliqua ratio ſua contra fratres ſuos.

Secundo reſpondet idem Ioannes, quod Ioſeph per illam orationem intelligebat, quòd nullus Augur in Aegypto, vel in tota terra erat ſicut Ioſeph, quia alij erant Augures inquirendo reſponſa Dæmonum; ipſe autem erat Augur accipiens omnia per diuinam reuelationem.

Sed neque iſta reſponſio tollit difficultatem; Quia verba illa debebant proferri à Ioſeph in illo ſenſu, in quo à fratribus ſuis intelligerentur, alias non prodeſſent. Sed fratres ſui nec aliquis alius intelligeret illa verba ad iſtũ ſenſum, Ideo non protulit ea Ioſeph ad hunc ſenſum.

Toſtatus. Toſtatus dicit, quòd Ioſeph intendebat oſtendere ſe ſapientem in augurijs, & quia hoc falſum erat, mentiebatur Ioſeph: ſed iſtud mendacium erat aliqualiter officioſum, quia ad inueniendam quandam veritatem, & non ad puniendum aliquem; ideo licet peccatum fuit, erat tamen veniale ſolum, à quo non eſt neceſſe eum excuſare, & hanc dicit eſſe intentionem D. Auguſt. Augurium autem dupliciter ſumitur, vno modo late, pro omni arte diuinandi, alio modo preſſe, prout ſignificat ſolam inquiſitionem futurorum in auium volatibus, vel garritibus: priori modo dixit Ioſeph ſe eſſe augurem; non enim dicebat ſe eſſe peritum in contemplando garritus auiũ, quia hoc nihil eſſet ad propoſitum. Nam dixit Procurator Domus fratribus Ioſeph, Scyphus quem furati eſtis ipſe eſt in quo Dominus meus bibit, & in quo augurari ſolet. quaſi his verbis innuens, vas illud eſſe factum in certis temporibus correſpondentibus motibus cœli ſiue aſpectibus planetarum, in quo auguraretur Ioſeph, ſed hoc falſum eſt, quia Ioſeph verus Dei cultor, ſciebat auguria illicita eſſe: cum ibi tribuatur dæmonibus quidã diuinus honor. atque adeo cum hoc intendebat oſtendere fratribus ſuis, mendacium dixit. Ita Toſtatus.

Poſſet autem etiam in his verbis Ioſeph à mendacio excuſari, primo ſi dicamus, quod loquebatur vt plures more Aegyptiorum eum reputãtium augurem, Aegyptij enim erant magni Augures, & veroſimile eſt, quod ille Scyphus erat, in quo Rex bibebat, & in quo augurari ſolebat, & ideo iuxta exiſtimationem Aegyptiorum Ioſeph augurem ſe appellauit. Sicut B. Virgo dixit Luce. 2. Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te; appellauit Ioſeph patrem Chriſti, quia erat modus loquendi apud alios, vel *Alex. de Ales.* ſi dicamus ſecundum Alex. de Ales. par. 2. quæſt. 122. m. 6. quod verbum augurandi, quandoq; ſumitur preſſe, & ſonat in malum, & ſic non cepit Ioſeph: interdum ſumitur fuſe, & communiter ad bonum, & malum, pro notitia ſcilicet futurorum, & ſic verum eſt, quòd Ioſeph habuit ſcientiam augurandi, quia fuit præſcius aliquorum futurorum, vt patet Gen. 40. & 41.

ARTICVLVS XV.

Vtrum Raab, Rachel, & Obſtetrices mentitæ fuerint.

DE mendacio Raab legitur Ioſue 2. quod cum ipſa abſcondiſſet exploratores miſſos à Ioſue, & hoc renũciatum fuiſſet Regi Iericho, miſit Rex ad Raab dicens. Educ viros, qui venerunt ad te, & ingreſſi ſunt domum tuum; exploratores enim ſunt, & cunctam terram conſiderare venerunt. At illa reſpondit. Fateor venerunt ad me, ſed neſciebam vnde eſſent; cumque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierũt, neſcio quo abierunt, perſequimini cito, & comprehendetis eos. Ipſa autem fecit abſcondere viros in ſolarium domus ſuæ, operuitque eos ſtipula lini, quæ erat ibi. Hi autem qui miſſi fuerant ſecuti ſunt eos per viam, quæ ducit ad vadum Iordanis, illiſque egreſſis ſtatim porta clauſa eſt. Quibus verbis aperiſſime mentita fuit. Tum quia dixit ſe neſcire exploratores vnde eſſent, & tamen ſciebat eos eſſe Iſraelitas, & eſſe exploratores, Tum quia dixit exploratores exijſſe domo, & tamen domi erant

De obſtetricibus vero legitur Exodi 1. quod Rex Ægypti mandauit obſtetricibus Iudæorum, quarum vna vocabatur Sephora, & altera Phua. Quando obſtetricabitis Hebræis, & partus tempus aduenerit, ſi maſculus fuerit interficite eum, ſi fœmina reſeruate. Timuerunt autem obſtetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum Regis Ægypti, ſed conſeruabant mares. Quibus ad ſe accerſitis. Quid nam eſt hoc quod facere voluiſtis, vt pueros ſeruaretis? Quæ reſponderunt. Non ſunt Hebrææ ſicut Ægyptiæ mulieres; Ipſæ enim obſtetricandi habent ſcientiam, & priuſquam veniamus ad eas pariunt, quibus verbis non eſt dubium, quod mentitæ fuerint.

De Rachel autem legitur Gen. 31. quod cũ pater eius Laban quæreret Idola ſua, quæ Iacob neſciente furata fuerat, feſtinans abſcondit Idola ſubter ſtramenta Cameli, & ſedit deſuper, ſcrutantique omne tentorium, & nihil inuenienti ait. Ne iraſcatur Dominus meus, quod coram te aſſurgere nequeo, quia iuxta conſuetudinẽ fœminarum nunc accidit mihi, ſic deluſa ſolicitudo quærentis eſt. In quibus verbis apparet manifeſtũ mendacium, quia dixit: ſibi accidiſſe ſecundum conſuetudinem mulierum, quod tamen non erat verum, ſed hoc dixit, ne Pater ſuus inueniret Deos aureos quos ipſa furata fuerat.

Ioannes Maior loco ſupra relato dicit, quod mulieres communiter, aut multum bonæ ſunt, aut multum prauæ, raro medium more virorum tenentes, Iſtæ vero adductæ in hoc art. non reliquerunt illud mulieribus proprium, fallere, flere, nere; vnde iuxta Alexandrum, mulierum proprietas ſiue accidens inſeparabile, eſt fallere, & mentiri; patet, iſtæ probæ mulieres, quæ erant de deuoto fœmineo ſexu ita fecerunt, quid erit de tota multitudine? Vnde concedit iſtas mulieres mentitas fuiſſe. *Ioannes Maior.*

Cæterum, vt rem exactius explicemus obſeruandum eſt, quod mendacium officioſum, in quo eſt peccatum veniale poteſt aggrauari, vel diminui diuerſimode: Nam cũ generale ſit, quod in mendacio officioſo alicui bonum proueniat, & nulli noceatur, nimis differt, an bonũ, quod alicui prouenit ſit in lucro captando, vel in malo euitando, nam multa permittuntur in viribus diuinis, & humanis pro damno euitando, quæ non licerent, pro captando lucro. Nam licet alicui defendendo bona pro euitando damno occidere alterum, ſed non licet nobis quemquam occidere vt lucrum captemus quomodocunque. Eſt ergo regula, quòd quandocunque mendacium officioſum eſt pro captando lucrum eſt maioris culpæ, quam ſi ſit pro euitando malo. Mẽdaciũ officioſũ quomodo poſſit aggrauari, & diminui.

Secundo obſeruandum eſt, quod malum euitandum quoddam conſiſtit in perditione rerum. Quoddam in damnis circa perſonam, mala autem, quæ infliguntur perſonæ, peiora ſunt, quam quæ infliguntur rebus, atque adeo mendacium officioſum pro euitando damno perſonali, eſt minoris culpæ, quam mendacium pro euitãdo damno rerum. Amplius nocumẽta perſonalia differunt; nam quædam ſunt grauiora, quædam minus grauia, vt percuti, infamari, occidi, deflorari, &c. atque ita mendaciũ officioſum pro maiori nocumento perſonali euitando eſt ſemper minoris culpæ, & mendacium officioſum ad euitandum maximum nocumentum eſt minimæ culpæ. Item nocumentorum perſonalium, quæ inferuntur, quædam infliguntur iuſte, alia vero hominibus nihil meritis, & quia ea, quæ nihil meritis infliguntur maiora mala ſunt, eſt regula, quod mendacium officioſum pro euitandis malis perſonalibus iniuſte inflictis cæteris paribus ſemper eſt minoris culpæ.

Tertio obſeruandum eſt, quod in actu Raab tria conſiderari poſſunt. primum quod Raab exploratores Iudæorum liberare voluit. Secundum fuit, quod ad liberãdum eos mentita eſt. Tertium quod per aſtutiam ſuam eos à morte liberauit. Quo ad primum, quod Raab voluiſſet ſaluare à morte exploratores, non erat ſecundum ſe valde honeſtum, quia exploratores digni erant morte, quia ad ſubuertendum ſtatum totius illius terræ veniebãt, impedire

autem

Digitized by Google

autem executionem iuſtitiæ videbatur, quod malum potiſſime, quia non ſolum iſti peccauerant; quaſi ſimpliciter peccantes, ſed peccauerunt contra ſtatum publicum, quæ peccata ſunt valde grauia.

Factum Raab iuſtificatur. Iuſtificatur tamen factum Raab. Tum quia intellexit, & clariſſime cognouit mota à Deo, quod iſti exploratores erant viri de exercitu Domini, & quod Deus volebat dare terram illam in manus eorum, vt patet Ioſue. cap. 2. Noui enim quòd Dominus tradiderit vobis terrã, etenim irruit in nos timor veſter, & ideo voluit cooperari eis in hoc, vt non repugnaret menti diuinæ, ſed magis eius executoribus cooperaretur, & non ſolum hoc, ſed etiam cognouit Ciuitatem, & totam terram delendam à Iudæis, & ipſa in hoc doluit condolens patriæ cadenti: quia tamen cognouit hoc impermutabile eſſe, cum Deus illud firmiter determinaret, volens, vt patria cadente, ipſa ſaltem ſaluari poſſet, conciliata eſt exploratoribus Iudæorum, eos liberans de manibus Ierichontinorum, vt cum Deus traderet terram in manibus eorum ſic miſererentur eius. Quod autem iſta fuerit intentio eius patet, quia poſtquam locuta fuit ad ipſos de liberatione ipſorum, & de ſtatu terræ ait: Nunc ergo iurate mihi per Dominum Deum, vt ſicut ego feci vobiſcum miſericordiam, ita & vos faciatis cum Domo patris mei. Si autem ſciuiſſet Raab, aut ſaltem dubitaſſet vrbem Iericho poſſe permanere, & non conſtaret ei contrarium, ſcilicet quod immutabiliter tradenda erat in manus Iſraelitarum, peccaſſet nimis ſi fauiſſet exploratoribus occultans eos, & dans opportunitatem redeũdi; at quia firmam Dei cognouit ſententiam, vt traderetur Vrbs Iericho in manus Hebræorum, & hoc ineuitabiliter. Ideo non potens aliquo modo ſuccurrere patriæ, ſuccurrit ſaltem ſibi. In quo nimia prudentia recte egit, nec ordini charitatis repugnauit in aliquo; quin potius à Deo ad hæc mota eſt, vt ipſa declarauit. Non peccauit ergo Raab, quod exploratores Iudæorum liberare voluit.

Quo ad ſecundum peccauit in hoc, quod mentita fuit. Dico quod mendacium Raab fuit officioſum, quia in eo nulli nocebatur, & procurabatur bonum aliquorum. Item non erat mendacium officioſum pro lucro captando, ſed pro damno euitando; nam nullum bonum hic acquirebatur, vel inueſtigabatur, ſed ſolum exploratorum vita conſeruabatur. Item non erat officioſum mendacium pro euitando damno rerum, ſed pro euitando damnõ perſonali; nam auferri vitam, in perſonis eſt. Itẽ non erat illud mendacium ad euitanda parua damna perſonalia, ſed maximum, ſcilicet mortem: Nam mors eſt vltimum terribilium iuxta Ariſt. 2. Ethic. cum per illam totum bonum indiuidui tollatur, Raab quidem mendacium ad defendendam vitam exploratorum erat. Ariſt. Amplius Raab iuſte iſtos exploratores defendit, quia erant exploratores exercitus Dei, & hoc ipſa cognoſcebat, vt diximus, fuit ergo mẽdacium Raab officioſum, & veniale, & leuiſſimæ culpæ.

Quo ad tertium, quod per artificia ſua exploratores à morte liberauit, hoc non differt à primo, niſi tanquam actus imperatus ab elicito, vel tanquam actus voluntatis ab actu executiuarum potentiarum. Iſti autẽ ſemper pertinent ad eumdem gradum, vel modum bonitatis, & malitiæ: quia actus exterior nõ habet aliquid bonitatis, vel malitiæ, niſi ſecundum quod eſt procedens à voluntate, quia ſenſus, ſeu potentiæ executiuæ ad quas pertinet actus exterior, non ſunt principia actionũ humanarum proprie ſumendo, ſed ſolum intellectus, & voluntas iuxta Ariſt. 6. Ethic. cap. 1. cum ergo actus interior bonus eſt, Ariſt. neceſſe eſt actum fore bonum exteriorem; ſi autẽ actus interior malus fuerit, neceſſe erit, vt actus exterior malus ſit, ſicut ergo de primo eſt dictum, ita de tertio eſt dicendum. Non eſt ergo Raab à mendacio excuſanda: Non enim in ſcriptura eius factum commendatur, quantum ſcilicet ad mendacium, vt inquit Scotus, licet commendetur prudentia ipſius, qua ſibi, & ſuis procurauit ſalutem; Scotus. adeo vt mendacium eius fuerit officioſum, propter quod tamen non commendatur, ſed propter pietatem in exploratores.

De obſtetricibus non eſt dubium, quin falſum fuerit hoc quod dixerunt Regi; atque adeo mentitas fuiſſe cum falſum dixerint animo fallendi Regem, ſed dubium eſt an tale mendacium fuerit malum, & peccatum, an vero peccati expers, & laudandum potius, quam culpandum. D. Auguſt. in lib. quæſt. ſuper Exodum quæſt. 1. hanc quæſtionem tangens, eam inſolutam reliquit, quamquam videatur eſſe propenſior ad putandum illud mendacium D. Aug. fuiſſe malum, & peccatum. In libro autem contra mendacium cap. 10. de iſtarum obſtetricum, & Raab mendacio, abſque vlla dubitatione, imò cum maxima aſſeueratione tradit fuiſſe malum, & peccatum. Idem docet D. Gregorius lib. 12. moralium ſuper illis verbis Iob cap. 26. D.Gregor. Donec ſupereſt halitus in me non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendaciũ. Quod prius iniquitatẽ dixerat Iob (inquit Gregorius) hoc poſtmodum mendacium dicit: Nam & omne mendacium D.Gregor. iniquitas eſt, & omnis iniquitas mendacium, quia profecto ab æquitate diſcrepat, quicquid à veritate diſcordat. Et infra. Nonnulli tamen de obſtetricum fallacia conantur aſſerere, hoc mendacij genus non eſſe peccatum, maxime quod illis mentientibus ſcriptum eſt Deum ædificaſſe illis domos. Verum in ea ipſa recompenſatione cognoſcitur, quid mendacij culpa mereatur. Nam benignitatis earum merces, quæ eis potuit in æterna vita retribui pro admiſſa culpa mendacij in terrenam eſt recompenſationem declinata, vt in vita ſua, quam mentiendo tueri voluerunt, ea quæ fecerant bona reciperent. Nam ſi ſubtiliter perpendatur, amore vitæ præſentis mentitæ ſunt, non intentione mercedis. Parcendo quippe conatæ ſunt infantium vitam tegere mentiendo ſuam. Hæc Gregorius.

Cæterum Rupertus illius mendacij Obſtetricum acerrimus eſt propugnator. Rupertus. Idque nec malum fuiſſe, nec peccatum tripliciter probat lib. 1. Commentariorum in Exodum cap. 7. Primo ſi mendacium illud obſtetricum damnatur, ſimiliter arguendum, & damnandum eſſet mendacium Raab dictum ab ea inquirentibus exploratores Hebræos; at Raab & ab Euangeliſta iuſtificatur, nam Matth. 1. in Chriſti mater aſſumitur, & parens veritatis, quæ Chriſtus eſt, & à propheta Dauide Pſalm. 80. vbi de eadem in typum Eccleſiæ de gentibus cecinit. Memor ero Raab, & Babylonis, &c. Deinde illud mendacium obſtetricum, ex magno profectum eſt charitatis affectu. Charitas eſt ſuper omnia, & omnia delicta extinguit, & omnem mendacij prauitatem abſtergit, & præualet, ac præponenda eſt inutili veritati. Ad hæc ſi mendacium illud fuiſſet malum, nõ eſſet à Deo remuneratum, ſed eſt remuneratum à Deo, non temporali tantum, ſed etiam æterna mercede, ergo bonum fuit, & Deo acceptum, ſic Rupertus.

Sed hæc opinio Ruperti nec eſt vera, & rationes quibus eam firmauit infirmæ ad modum, & leues, & nihili Reijcitur opinio Ruperti. ſunt. Nam ſi illud fuit mendacium non potuit eſſe non malum, & peccatum, cum omne mendacium, qualecunque ſit intrinſece malum ſit, inſeparabilem habens inordinationem, & prauitatem, vt ſupra demonſtrauimus.

Vnde ad rationes Ruperti dico, ad primam, Raab nõ fuiſſe iuſtificatam propter mẽdacium, ſed propter fidem in Deum, & Charitatem, quam exhibuit Hebræis: Nec quia memoratur in genealogia Saluatoris propterea mẽdacium eius commendatur; hac enim ratione commendaretur etiam inceſtus Thamar, & adulterium Bethſabeæ, quarum nomina etiam ponuntur in eadem genealogia Chriſti.

Ad ſecundam dico, mendacium illud non ex charitate, ſed ex timore perdendæ vitæ proprie profectum eſſe, vt affirmat S. Gregor. loco ſupra citato: neque charitas præponẽda eſt veritati, ita vt falſum dicatur propter amorem alicuius boni; eſſet enim id inordinatum. Bonum enim non eſt contrarium bono, nec charitas aduerſari debet veritati; Nec facienda ſunt mala, vt eueniat bona; alioquin ex charitate furari liceret, vt indigenti ſubueniatur.

Ad tertiam dico, quòd mendacium illud non fuit remuneratum à Deo, ſed miſericordia erga Hebræos, & timor Dei remunerata ſunt. Hoc enim apperte indicant illa verba. Quia timuerunt Deum obſtetrices ædificauit illis domos; mendacium enim cum ſit intrinſece malum, diſpli-

diſplicens Deo, & dignum aliqua pœna non poteſt eſſe meritorium illius boni apud Deum.

Sed adhuc eſt dubium, an hoc mendacium obſtetricum fuerit peccatum mortale, an veniale? Alexand. de Ales.ſecunda parte, quæſt.122.memb.ſexto ad ſecundum dubium dicit, quod in facto obſtetricum duo fuerunt opera, fuit enim ibi vnum opus compaſſionis, ſiue pietatis, & fuit etiam ibi mendacium, quod habuit duplicem reſpectum, vnum ad vitam puerorum ſeruãdam, & alterum ad vitam propriam; mentiebantur enim pro vtraque ſeruanda. Quantum ad primum, opus ſcilicet compaſſionis dicit, quod illud bonum fuit, ſed in genere tantum, etſi affuiſſet charitas, quæ foras mittit timorem, ſicut dicitur 1. Ioan. 4. bene ex iſto motu potuiſſent meruiſſe vitam æternam. Vnde ſicut dare eleemoſynam, quod eſt bonum ex genere tantum, ſi fiat in charitate meritorium eſt vitæ æternæ. Sed quia fuit factum extra charitatem fuit in illo motu pietatis potentia ordinata ad gloriam, ſed remota, & non neceſſitas, ſiue potentia proxima; fuit ergo bonum illud opus, ſed non ſufficiens ad merendam gloriam propter defectum charitatis: ſed quia nullum bonum irremuneratum; ideo Dominus opus illud, quod non habet ſufficientiam, vt remuneretur in cœlis remunerauit hic in terra, & iuxta hoc intelligitur, quod dicit D. Gregor. Benignitatis earum merces, quæ potuit in æterna vita retribui, pro culpa mendacij in temporalem recompenſationem declinata eſt: Nam non dicit debuit, ſed potuit potentia remota; Vnde non eſt intelligendum, quod pro opere illo deberetur eis prius vita æterna: ſi ſine mendacio factum fuiſſet, & pro mendacio amiſerint illam mercedem, ſed ſi fuiſſent in charitate, quæ tamen charitas non erat in ipſis; imò timor ſeruilis, vel humanus tantus, quo magis diligerent forte tueri vitam præſentem, quam mereri æternam, ſed hic timor non ſtat cum charitate; atque adeo illa declinatio non dicit ablationem præmij debiti; imò poſſumus dicere, quod dicit inſufficientiam operis facti reſpectu præmij æterni.

Alex. de Ales.

Quantum autem ad aliud, opus ſcilicet mendacij in tertia parte, quæſt. 37. memb. ſexto dicit, quod illud mendacium potuit eſſe mortale, & veniale, qui ſi radix fuit mortalis; ſcilicet libido, qua diligerent vitam temporalem Hebræorum ſupra Deum, mortale fuit & mendacium, & in illo caſu loquitur D. Gregor. quando dicit, quòd benignitatis earum merces, quæ potuit in æterna vita retribui in terrenam recompenſationem eſt declinata: nam ſi propter mendacium æterna merces in temporalem eſt commutata, cum amiſſio mercedis æternæ non ſit niſi propter peccatum mortale, videtur quod mentiendo mortaliter peccauerunt. Si autem radix fuit venialis, & amor vitæ ſub Deo, ſic fuit mendacium veniale. Verum in ſecunda parte dicit, quod mendacij obſtetricum duplex fuit cauſa; vna puerorum compaſſio, & reſpectu huius fuit mendacium veniale. Alia autem fuit tuitio propriæ vitæ: quam quia inordinate, & peruerſe diligebant, mendacium per relationem ad cauſam illam fuit mortale.

Bonau.

D. Bonauentura dubio primo circa litteram Magiſtri dicit, quod in obſtetricibus ſunt duo conſiderãda, ſcilicet pietatis beneficium præcedens, & mendacium ſubſequens, & primum fuit ex quadam naturali pietate, nec erat meritorium, ſed diſponebat ad meritum; mendacium vero ſubſequens diſponebat ad contrarium, & ideo pietas præcedens non fuit remunerata æternaliter, ſed temporaliter propter mendacium adiunctum; non quod mendacium illud auferret vitam gratiæ prius habitæ, ſed quia ad gratiam habendam viam præcluderet, quod quidem bene poteſt facere peccatum veniale.

Scotus.

Magiſter hiſtor.

Scotus in hac quæſt. inquit ad illud autem de obſtetricibus, cum dicitur, quod Deus ædificauit eis domum de hoc ſunt opiniones, ſicut refert Magiſter hiſtoriarum ſuper illum locum. Nam D. Gregorius (inquit) videtur dicere, quod peccauerunt mortaliter. Dicit enim quòd merces benignitatis earum potuit in æterna vita retribui, ſed pro culpa mendacij in terrenam compenſationem declinata eſt: amiſſio autem æternæ mercedis non eſt niſi propter mortale. D. Aug. dicit mendacium obſtetricum fuiſſe veniale. at D. Hieronymus ſuper Iſaiam videtur dicere, quod non peccauerunt, imò quod meruerunt. Nam ſuper illa verba, Et ædificabant domos, Iſai. 65. ita ſcribit. Domus in quibus habitaturi ſunt, qui ædificant eas, vel virtutes intelligendæ ſunt, vel diuerſæ manſiones apud patrem, quas iugiter poſſidebit, qui eas ædificauerit, quales ſibi ædificaſſe, & obſtetrices dicuntur in Exodo, quæ timebant Deum: licet ſcriptum ſit in Hebraico, à Deo eis ædificatas domos, quia timuerunt eum ſic Hieronymus. Doctor ſubtilis dicit, quòd forte opinio B. Gregor. eſt probabilior, quæ dicit illas habuiſſe bonum motum pietatis, & quod propter illum remunerauit eas Deus temporaliter, quia peccatum annexum demeruit ne remunerarentur æternaliter. Vel probabilius poteſt dici, quod mendacium illud fuit officioſum, quia vtile ad ſalutem puerorum Hebræorum, & nulli nociuum, & Deum remuneraſſe eas pro bono motu, & tamen non abnegaſſe eis vitam æternam pro illo peccato, quod erat in eis veniale; nam propter pietatem erga innocentes, & timorem Dei, Dominus dedit eis gratiam, per quam conuerſæ fuerunt ad fidem vnius Dei, & ritum Hebræorum, atque ita Deus ædificauit eis domos ſpirituales, vt dicit D. Hieronymus, & hoc non abſtulit mendacium ipſarum, quia fuit officioſum, & veniale peccatum, quod non aufert gratiam, fuerunt etiam illæ obſtetrices in populo Iudæorum inter maiores promotæ, atque ita ædificauit eis Deus domos temporales, vt dicit Diuus Gregorius. Dicendum eſt ergo, quod mendacium earum fuit veniale, & hoc etiam dicunt Lyranus, & Toſtatus, locis citatis.

Lyranus. *Toſtatus.*

Dubium.

Sed dubium eſt, quod nam fuit leuius mendacium illud Raab, vel iſtud obſtetricum, & videtur, quod fuerint æqualia, quia vtrunque fuit officioſum, & pro vitando damno, & vtrobique erat damnum perſonale, & vtrobique erat maximum ſcilicet euitatio mortis, ergo vtrobique erat æqualis culpæ mendacium.

Dicendum eſt tamen, quod mẽdacium obſtetricum fuit minoris culpæ, quam mendacium Raab. Nam licet ſint æqualia quo ad omnia ſupradicta, tamen adhuc manent aliqua in quibus ſunt inæqualia. Nam mendacium officioſum, quod eſt ad euitandum maius malum, vel damnum ſiue nocumentum perſonale, dupliciter eſt maius, vel minus, ſcilicet intenſiue, & extenſiue. Intenſiue eſt maius nocumentum perſonale, quando duæ perſonæ in eodem actu, vel diuerſis, læduntur in ſe ipſis, & tamen vna magis, quam alia. Damnum perſonale eſt maius extenſiue, quando in vno actu læditur vna perſona, vel paucæ, & in alio læduntur multo plures, etiam ſi quælibet harum plurium, non magis lædatur, quam quælibet perſonarum paucarum, quæ in alio actu læditur: vel dato, quod quælibet harum multarum non tantum lædatur. atque adeo quandocunque ſunt duo nocumenta perſonalia, vel in rebus, & ambo ſunt æqualia intenſiue, & vnum maius extenſiue, ſimpliciter eſt maius nocumentum. Si autem ſunt duo nocumenta æqualia intenſiue, aut vnum eſt maius altero intenſiue, & extenſiue ſimul, aut vnum eſt maius in intentione, & minus in extenſione, & alterum eſt minus in intenſione, & maius in extenſione: ſi primo modo ſe habeant nocumenta perſonalia, vel realia manifeſtum eſt, quod, nocumentum illud, quod tam intenſiue, quam extenſiue maius eſt, erit ſimpliciter maius.

Si autem vnum ſit maius intenſiue, & minus extenſiue, & alterum contrario, non poterit fieri comparatio immediate per vniuocum, ſcilicet per intenſionem, vel extenſionem, ſed comparanda eſt magnitudo intenſionis magnitudini extenſionis; & ita illa comparatio erit in vniuoco magnitudinis, eo modo quo potuerit reperiri vniuocatio: Nam ſatis cognoſci poterit, quid dicatur eſſe maius, ſcilicet an intentio vnius, vel extenſio alterius, etſi intentio vnius fuerit maior, quam extenſio alterius, id quod eſt intenſius eſt maius ſimpliciter; ſi autem extenſio vnius fuerit maior, quam alterius intenſio. id quod eſt intenſius eſt maius ſimpliciter.

Et ſecundum hoc dari poterunt regulæ. Quando ſcilicet mendacia officioſa ſunt ad euitanda duo damna realia vel perſonalia, quorum vnum eſt maius altero extenſiue, & ambo ſunt æqualia intenſiue, vel ambo ſunt æqualia extenſiue, & alterum eſt maius intenſiue; mendacium officioſum erit minoris culpæ, quod eſt pro euitando maiori damno intenſiue, vel extenſiue, & ſimiliter de æquali. — 1. Regula.

2. Regula. Quantum ad alterum horum ſit alia regula; Quando ſunt duo mendacia officioſa ad euitandum duo nocumẽta perſonalia, vel realia, illud quod eſt pro euitãdo maiori nocumento intenſiue, & extenſiue eſt minoris culpæ.

3. Regula. Sit tertia Regula. Quando ſunt duo mendacia officioſa, quorum alterum eſt ad euitandum maius malum intenſiue, & aliud ad euitandum maius nocumentum extenſiue, illud eſt minoris culpæ, quod eſt pro maiori ſimpliciter ſiue extenſiue, ſiue intenſiue. De Rachel autem non eſt neceſſe eam excuſare, vt dicit Doct. in littera vide eum.

ARTICVLVS XVI.

Vtrum Iudith mentita fuerit Holopherni.

PRoexplicatione huius difficultatis obſeruandum eſt, quod circa factũ Iudith duo conſiderare poſſumus, & factum, & dictum, factum: quia ornauit ſe ea intentione, vt Holoſernes caperetur in aſpectu ſuo; Et exploratoribus Aſſyriorũ dixit Filia ſum Hebræorum, ideo ego fugi à facie eorũ: quoniam futurũ agnoui quod dabuntur vobis in deprædationẽ, pro eo quod contemnentes vos noluerunt vltro tradere ſe ipſos, vt inuenirent miſericordiam in conſpectu veſtro, &c. & multa verba dixit Holoſerni, vt patet 11.

Vnde circa factum aliqui dixerũt, quod in Iudith duo fuerunt, ſcilicet affectio magna ad liberandum populum de manu Holoſernis, & iſtud fuit licitum, & ſanctum, & aliud quod ex hac affectione ſecutum eſt, id eſt, executio huius affectionis; in qua petiuit, & fecit, & dixit aliqua illicita. Nam petiuit ardorem libidinis excitare, & ad hoc ornauit ſe, & multa mendacia dixit Holoſerni, & ſatellitibus ſuis. Propter primum tantum commendatur in ſcriptura, & oratio eius fuit exaudita, & pulchritudo eius diuinitus augmentata; ſicut Exodi 1. Obſtetrices commendantur, de bona affectione, quam habuerunt ad ſeruandum pueros Hebræorum, non autem de mendacio, quod conſequenter dixerunt ad ſe excuſandum.

Alij vero dicunt, quod Iudith non peccauit in oratione prædicta, nec in ſui compoſitione, nec etiam in verbis, quæ videantur mendacia, quia dicunt, quod Iudith aliud intendebat, & aliud præuidebat: Intendebat enim ſe ita Holoſerni fieri gratam, vt cum eo eſſe poſſet familiariter ad eius interitum perpetrandum; quod erat licitũ, & bonum, cum eſſet Dei aduerſarius, ſed præuidebat amorem illicitum Holoſernis circa ſe; & non debebat propter hoc bonum prædictũ dimittere. Sicut nec Deus dimittit peccatorem punire, licet præuideat ipſum ex hoc deteriorari, ſicut patet de Pharaone, quem Deus præuidebat ex flagellis indurari.

Sed hæc ſententia ſtare nõ poteſt. Nam eadẽ eſt intentio finis, & eorum quæ ſunt ad finem, quando apprehenduntur, vt ad finem ordinata; ſicut mobile eodem motu mouetur in medium, & in terminum; Iudith autem intendebat mortem Holoſernis tanquam finem intentum, ad quem intendebat pertingere per priuatam familiaritatem cum ipſo, & hanc familiaritatem adipiſci per ardorem concupiſcentiæ Holoſernis in ipſam. Vnde dicebat orando Deum: Capiatur laqueo oculorum ſuorũ in me propter quod ſuper hoc eadem erat intentio Iudith cũ eſſet de medijs ad finem intentũ ordinatis; atque ita quia concupiſcentia Holoſernis fuit peccatum, vt ipſi dicunt, & per conſequens peccatum mortale, cum ſit tale de genere, oportet conſequenter concedere, quod petitio Iudith, quantum ad hoc, & eius ornatũ fuit mortale peccatum, licet minus graue, quam peccatum Holoſernis, propter affectionem adiunctam de populi liberatione. Ita videtur ſentire hic Doctor ſub. dum inquit. Sed ipſa etiam ſe ornauit ea intentione, vt Holoſernes caperetur in aſpectu ſuo, & hoc volendo ipſum ſecum velle peccare mortaliter, & velle alium peccare mortaliter, eſt peccatum mortale. Vnde non eſt omnino certum, quod excuſata ſit ab omni peccato mortali, & licet factum eius narretur in ſcriptura, & recitetur in Eccleſia tanquam laudabile quantum ad aliqua, quæ erant ibi religioſitatis; aliqua tamen ibi annexa nec laudantur nec licent. ita Scotus. — *Scotus.*

Cæterum, quia hæc ſententia nullo modo conſonat ei, quod dicitur Iudith cap. 10. vbi expreſſe dicitur, quòd eius compoſitio non ex libidine, ſed ex virtute procedebat, & ideo Dominus hanc in illa pulchritudinem ampliauit. ita enim ibi legitur. Et lauit corpus ſuum, & vnxit ſe myrrho optimo, & diſcriminauit crinem capitis ſui, & impoſuit myrrham ſuper caput ſuum, & induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ. Induit ſandalia pedibus ſuis, aſſumpſit dextriola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis ſuis ornauit ſe. Cui etiam Dominus contulit ſplendorem; quoniam omnis iſta compoſitio non ex libidine, ſed ex virtute pendebat. Hæc ibi. Ideo dicendum eſt aliter, ſcilicet, quod non fuit intentio Iudith allicere Holoſernem ad aliquod peccatum, ſed intendebat ſic apparere grarioſa coram ipſo, quod vellet eam vxorem habere, quod non erat illicitum Holoſerni, quamuis Iudith nullo modo vellet ſibi in coniugium copulari, ſed per hoc intendebat cum ipſo talem familiaritatem habere, vt poſſet ipſum interficere. nec talis interfectio inſidioſa peccatum erat. Nam in bello iuſto licitum eſt inſidijs vti, ſicut patet Ioſue 8. vbi de præcepto Domini, Ioſue poſuit inſidias poſt Vrbem Hay. Bellum autem filiorum Iſrael contra Holoſernem erat iuſtiſſimum, quia intendebat totaliter deſtruere cultum diuinum, vt patet in libro Iudith. Ita Lyranus. — *Lyranus.*

Quæ reſponſio poteſt ſic confirmari. Notum eſt enim mulierem poſſe ſe ornare, quatenus viro ſuo placeat ſecundum dictamen rectæ rationis; cui propoſitioni aliam addo: ſic licet mulieri ſe ornare, vt gratiam capiat in oculis truculentiſſimi hoſtis, quemadmodum erat Holoſernes, vt patet per illa, quæ immaniter peregit ante obſidionem Bètuliæ, licet ipſa iudicabat, quòd Holoſernes libidinoſe moueretur eius ſpecioſitatem contemplando, quia hoc non intendebat; ſed intendebat captare gratiam in oculis eius, quatenus ipſa libere ingrederetur, & egrederetur tentorium Principis militiæ ad nutum, quem ipſa perimere intendebat, quia hoc poterat, quia, vt diximus, ex parte Hebræorum bellum erat iuſtum. Adde quod ipſa peculiari Spiritus Sancti inſtinctu, hoc attentauit, & peregit, quod ex eo deprehenditur, quia in tota vita ſua non erat ſanguinaria, & auſu fœmineo cum ſola influentia Dei generali non eſt credibile, quod ipſa hoc attentaſſet. Inſuper in tota vita ſua fuit honeſtiſſima mulier, in tantum, quod vt legatur Iudith capitulo octauo, gerebat ſuper lumbos ſuos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ ſuæ præter ſabbata, & neomenias, & feſta domus Iſrael, timebatque Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum. Vnde colligitur, quòd per lotionem corporis, & veſtium nitorem nihil intendebat aliud, quam captare gratiam maiorem in oculis Principis. atque ita quo ad factum ſanctiſſima illa Vidua excuſari poteſt, quod non peccauit mortaliter.

Quo ad dicta eius an dixit mendacium. Aliqui nituntur iuſtificare verba Iudith a mendacio, dicentes, quod Iudith in nullo fuit mentita, quia verba illa exceſſiua, quæ dixit, non dixit Holoſerni, ſed Deo. Vnde dicunt iſti, quod ſicut in iuramento poteſt quis iurare non ad intentionem dantis iuramentum, ſed recipientis, ita in ſermone poteſt quis loqui, & ſecundum intentionem audientis, vel ſecundum intentionem loquentis. Nam dans iuramentum, vel eſt Prælatus, vel non; ſi non eſt Prælatus, vel eſt extraneus à fide, vel non; ſi eſt Prælatus debet accipiens iuramentum ſecundum intentionem dantis iurare, atque ita etiamſi non eſt extraneus à fide. at ſi fuerit

extra-

extraneus à fide, id eſt, infidelis poterit iurare ſecundum intentionem recipientis, & non dantis iuramentum; Ita in propoſito in ſermone loquens prælato, cui tenetur bona fide loqui, & reſpondere, tenetur loqui, & reſpondere ſecundum intentionem quærentis, ita vt ſi ei reſpondendo dicat aliqua verba, quæ ſunt falſa, ſi dirigantur ad audientem, vera autem ſi dirigantur ad Deum, non loquitur veraciter, quia in illo caſu non licet alloqui Deum. Sed loquens extraneo, ſcilicet infideli, non tenetur neceſſario ſecundum intentionem quærentis, & audientis reſpondere vel loqui, ſed ſecundum propriam ipſius loquẽtis intentionem, ſecus eſſet ſi loqueretur proximo. In propoſito autem, Iudith loquebatur Holoferni infideli, & ita poterat loqui, non ad intentionem Holofernis, ſed Dei; atque ita loquendo nullum dixit mendacium.

[Scotus.] Sed contra hunc modum dicendi inſtat Doct. Nam admiſſo hoc dicendi modo, nihil eſſet certum in humana loquela; nec poſſet aliquis habere certitudinem de ſermone proximi loquentis; ſaltem nullus videretur mentiri quicquid dicat in ſecunda perſona, dum illud poſſet verificari dirigendo ſermonem in Deum, & non ad extraneum. Præterea ſi teneor Prælato dicere verum, & non extraneo; non dicendo verum Prælato poſſum eſſe inobediens, vel mentiens, ſed non dicendo verum extraneo non ero inobediens, vel mentiens, atqui non videtur, quo modo ſim plus mentiens loquendo prælato quam alteri; ſic ergo verba illa exceſſiua, quæ fuerunt ibi dicta, non videntur rationabiliter ſaluari aliquo modo; nec videtur magnum inconueniens cõcedere eam fuiſſe mentitã officioſe genti ſuæ, ſed pernicioſe illi cui mortem intendebat. Iſta tamen officioſitas præfertur, inquit Scotus, illi pernicioſitati. Quia bonum Reipub. maxime colentis Deum præfertur bono temporali priuatæ perſonæ, maxime infidelis. Nec obuiat huic, quod in bellando contra quemcunque oportet ſeruare fidem, ita vt infidelitas, & mendacium cuiuſcunque extremo in bello contra infidelem damnatur, quia poteſt aliquis vti aliquibus cautelis belli, quæ per ſe non repugnant veritati, nec includunt mendacium.

3 Alij vero nituntur iuſtificare verba Iudith duplici via primo per conditionalem ſub intellectum, vt ſit ſenſus, quod Hebræi ſint, in tali conditione poſiti, quod tradentur Holoferni, & eius exercitui niſi cito veniat eis auxilium à Deo: ſecundo intelligendo eius verba myſtice, [Gloſſa.] ſiue prophetice iuxta explicationem Gloſſæ interlinearis Iudith capitulo vndecimo, quæ quicquid de Aduentu Holofernis, & Iudæorum futuro iudicio loquitur Iudith, prophetice eſſe dicta intelligit de expoliatione, & deſtructione Iudeorum, quæ erat futura tempore Titi, per exercitum Romanorum.

Sed prima non videtur conueniens, quia capitulo 11. affirmat Iudith diuinum auxilium ab Hebræis ſublatum, & quod per diuinam prouidentiam miſſa erat ad hoc nunciandum. Similiter nec ſecunda. Nam non eſt veriſimile, quod Iudith ſit locuta prophetice de tempore tam longinquo; ſed magis hiſtorice loquitur de caſu Hebræorum imminente de propinquo. Tum quia præter ſenſum myſticum, & figuratiuum oportet habere aliquem ſenſum litteralem verum, quia quod nihil eſt, non poteſt aliquid figurare. Tum quia Holofernes turpiter deiectus ab Hebræis non poteſt conuenienter dici figura Titi victorioſe Iudæos debellantis, & captiuantis.

Dicendum eſt ergo cum Doctore ſub. quod verba Iu- [Scotus.] dith ſaltem in pluribus fuerunt mendacia conficta ad liberationem populi Deum colentis, & ad deiectionem ſuperbi cultum diuinum deſtruere intendentis. Veriſimile eſt enim quod ipſa bona Vidua aliqua mendacia adiecit, & garriendo more fœminco plura promiſit, quã expediebat pro occidendo Holoferne, vtpote, quod ipſum duceret Holofernem per mediam Hieroſolymam, & quod haberet omnem populum Iſrael; Ad hoc autẽ Spiritus Sanctus non cooperabatur, ſed mouebat eam quatenus Holofernem occideret, & ad hoc dedit illi ſpecioſitatem incredibilem, & diſpoſuit Holofernem, & reliqua omnia vt facile occideretur, & eam ad huiuſmodi homicidium inſtigauit, ſed ipſa (de ſuo ſexu ſapiens) mendacia officioſa adiecit, à quibus non oportet eam excuſare, quia nec Apoſtoli longe perfectiores, & maxime poſt receptionem Spiritus Sancti, non dicũtur immunes à peccato veniali 1. Ioan. 1. c. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, &c. ad Gal. 2. dicit D. Paulus de D. Petro, quod erat vere reprehenſibilis, ſcilicet in modo obſeruandi legalia.

DISTINCTIO XXXIX.

NVNC de periurio videamus. In hac d. 39. ex quo Magiſter verba fecit de mẽdacio propoſitum ſibi eſt de periurio pertractare, & diuiditur hæc d. in tres partes. In prima agit de periurio ſpecialiter. In ſecunda diſſerit generaliter de iuramento. & in tertia quaſdam quæſtiones incidentaliter determinat. Nos totam hanc diſtinctionem tribus concluſionibus explicabimus. [Continuatio.] [Diuiſio.]

Prima Concluſio. Quamuis omne mendacium iuramento firmatum, ſit periurium, non eſt tamen omne periurium mendacium, primã huius concluſionis partem probat Magiſter per definitionem periurij. Periurium, inquit, eſt mendacium iuramento firmatum. Secundam vero partẽ, vt probet ponit tres modos periurij: quorum primus eſt, cum aliquis ſcienter aliquod falſum firmat iuramento, quod tamen falſum eſſe putat. Secundus eſt, cũ quis aliquod falſum iuramẽto confirmat, quod tamen verum eſſe arbitratur: Qui duo modi periurij nunquam ſine mendacio poſſunt reperiri. Tertius modus eſt cum aliquis aliquod verum iuramento firmat, quod tamen falſum eſſe arbitratur, qui peierandi modus ſine mendacio dicitur eſſe: nam non iuratur falſum: licet adſit intentio fallendi; non eſt tamen ſine peccato, eo quia non fuit adhibita debita iurandi cautela, quæ conſiſtit in hoc, vt res bene diſcutiatur, ſuper quam quis iurare præſumit. [1. Concl.]

Sed contra prædicta obijcit Magiſter dupliciter: Nam videtur, quod non periurat, qui verum, quod falſum putat, iuramento confirmat; Verum etenim iurat, nec verbis abutitur, quoniam illud iurat quod ſignificat. Ad hoc dicendum, quod non tantum qui iurat falſum, ſed etiam qui verum iurat, quod falſum eſſe putat, peierat; nam loqui contra mentem cum atteſtatione iuramenti periurium eſt, ſiue illud ſit verum, ſiue falſum, quod dicitur.

Secundo obijcit ſic, dictum eſt, quod qui falſum iurat periurat, ergo videtur quod omnis iurans ſe aliquid certo tempore daturũ alicui, quod tamen non dabit ſtatim, quod iurat, periurus ſit, quia falſum iurat.

Reſpondet Magiſter, quod in hunc modũ iurãs non dicitur incurrere periurium, niſi vel mutãdo propoſitum, vel tranſgrediendo terminum.

2. Concl.

Secunda Concluſio. Iurare non ſemper eſt licitum neque illicitum. Hanc Magiſter explicās quærit. Vtrum iurare ſit malum, vel illicitum? & Reſpondet, quod ſicut iurare falſum eſt grande peccatum, ita ſine neceſsitate iurare non erit ſine peccato, Verbi gratia, Si quis per iuramentum confirmat, quod Deus nō eſſet Creator omnium rerum, talis falſum iuraret, & ex conſequenti graue peccatum eſſet: è contra vero iurare ex neceſsitate ſuper aliquo licito. Verbi gratia, ſuper alicuius innocentia confirmanda, vel pro aliquo vtili, puta pro confirmanda pace, non eſt peccatum.

3. Concl.

Tertia Concluſio. Quamuis iurare per creaturas imperfectis non ſit permiſſum, perfectis tamen minime eſt illicitum ſeu prohibitum. Ad hāc probandā proponit Magiſter ſex quæſtiones. Quarū

1. Quæſt.

prima eſt hac Vtrū liceat per creaturas iurare? & quod non liceat probat per illud Matth. 5. Nolite iurare neque per cœlum, neque per terram, &c. & cōfirmatur: Nullus homo neque perfectus neq; imperfectus poteſt per creaturas iurare, ergo concluſio falſa. antecedens probatur. quia omne iuramentum eſt ad confirmandā veritatem ſed ſolus Deus eſt veritas, qui de ſe ipſo dicit Ego ſum via, veritas, & vita; ergo nullus iuramentum præſtabit niſi per Deum verum Conditorem.

Reſpondet Magiſter, quod imperfectis indictum fuit, per Creatorem, & non per creaturas iurare, ſed viris perfectis non eſt prohibitum iurare per Creaturas, eo quod ſciunt Creatorem in creaturis venerari, ſicut patet de Ioſeph, qui iurauit per ſalutem Pharaonis Gen. 42. Cum ergo Chriſtus prohibuit iurare per creaturas, hoc duplici de cauſa factum eſt. Prima ne crederetur aliquid diuini eſſe in creaturis pro quo eis reuerentia deberetur. Secūda ne iurans falſum per creaturas, crederet ſe non peccare; aut non obligari ad iuramenti obſeruantiam.

2. Quæſt.

Secunda quæſtio eſt. An magis obligetur qui iurat per Deum, vel qui iurat per creaturam? & reſpondet, quod magis obligatur qui iurat per Deū, quia per Deum omnia facta ſunt, & non è conuerſo. Vnde ſubdit quid ſit iurare per Deū Iurare, inquit, per Deum eſt Deum adhibere teſtē illius rei, pro qua iuratur. Similiter iurare per creaturā eſt creatorem eius vocare in teſtem, ſeu creatorē eius teſtem ſuum obligare. Vnde ſecundum B. Auguſt.

D. Aug.

de verbis Apoſt. ſermone 28. Ecce dico charitati veſtra, & qui per lapidem iurat falſum, periurus eſt, quia non lapidem qui non audit, ſed eius creatorem adhibet teſtem. Item eſt aliud iuramētum, quod fit per execrationem, vt cū homo dicit. Si feci illud, hoc patiar. vel contingat filijs meis, & hoc eſt grauiſsimum; ſecundum quem modum accipitur interdum cū aliquis dicit Per ſalutē meam, vel per filios meos, & huiuſmodi, obligat enim hac Deo. Vnde inquit D. Auguſt. loco citato Cum quis ait per ſalutem meam ſalutem ſuam Deo obligat, cū dicit per filios meos oppignorat eos Deo & concludit quod in omni iuratione aut Deus teſtis adhibetur, aut creatura Deo obligatur.

Sed circa ſolutionē huius quæſtionis ſunt duo dubia. Primum eſt quia non videtur, quod magis teneatur qui iurat per Deum, quam qui iurat per creaturam, vel per Euangelium. Quia iurans per creaturam non iurat niſi per Deum, quia nō intendit inuocare creaturam teſtem, ſed Creatorē Item quanto ſolemnius eſt iuramentum, tanto tranſgrediens eſt infamior. & tanto obligatio maior, ſed iuramentum, quod fit per Euangelium, cum maiori fit ſolemnitate. quam quod fit per Deum. Item maius malum eſt contemnere plura bona, quam vnum, ſed qui iurat per Creaturam ſi periurat contemnit Creatorem, & creaturā, qui vero iurat per Deum, & periurat contemnit Deum tantum, ergo iuramentum, quod fit per creaturam, eſt magis obligatorium quam ſit iuramentū, quod fit per Deū.

Reſpōdetur. quod magis tenetur, qui iurat per Deum quam qui iurat per creaturas, vel Euangelium, quia vt dicit B. Chryſoſtomus In opere imperfecto hom. 54. Quanto ſanctius eſt per quod iuratur tanto iuramentum eſt magis obligatorium: D. Chryſ. *quando cætera ſunt paria, & æqualis ſolemnitas obſeruatur. Et ad primum in contrariū dico quòd quando aliquis iurat per creaturam verū eſt quod intentio fertur in Deum. ſed tantū habitualiter, at vero quando quis iurat per Deum intentio fertur in Deum actualiter, & quia amplior eſt conuerſio actualis, quam habitualis; hinc eſt quod ſecundum ipſam maior attenditur obligatio & maioris culpa eſt ipſa tranſgreſsio Ad ſecundum dico primo, quod non ſit præciſe iuramentū per Euāgelia; atque adeo nedum in illo iuramento eſt conuerſio ad Deū habitualis ratione ſui effectus, ſed etiam actualis in ſe, & ad aſſumptam humanitatem. & ad prolatam veritatem, atque adeo eiuſmodi iuramentum debet rationabiliter fieri cum maiori ſolemnitate, & ampliorem inducit obligationem. Dico ſecundo, quod accidit propter ſolemnitatem ſuperadditam quam omnes in forma illa obſeruant.*

Ad tertium dico, quòd Creatura comparatione Creatoris nihil eſt, unde nihil quaſi addit ſuper diuinam excellentiam, & per hoc nec contemptus eius ſuper contemptum Dei. præterea non adeo contemnitur Deus in creatura, ſicut contemnitur in ſe ipſo: quia in creatura contemnitur contemptu habituali, & interpretatiuo, in ſe ipſo autem contemptu actuali & formali.

Secundo dubitatur, quia non videtur verum,

quod

Digitized by Google

quod iurare ſit Deum in teſtẽ adhibere quia hac forma iurandi Teſtis eſt mihi Deus. & hæc iuro per Deum, non eſſent diuerſa forma iurandi.

Reſpondeo quod in forma iuramenti introducitur ipſa veritas in teſtimoniũ, & hoc poteſt eſſe multipliciter, aut in quantum tenet rationem præcipientis, & ſic iuratur per Deum ita vt illa præpoſitio Per importat habitudinẽ principij aut quatenus importat habitudinem præcipientis & cognoſcentis & hoc pacto iuratur ſub iſta forma Teſtis eſt mihi Deus, ſiue ſcit Deus quod idẽ eſt; aut inquantũ importat habitudinem retribuẽtis reſpectu bonorũ, atq; ita iuratur Viuit Deus, qui vitam alijs tribuit aut quatenus importat habitudinẽ retribuentis reſpectu malorum, & ſic iuratur hac forma Hoc faciat mihi Deus, & hoc addat Et quoniã ipſa veritas nunc manifeſte adducitur ad confirmationem tanquam veritatis principiũ, & exemplar, hinc eſt quod in noua lege dupliciter iuratur ſcilicet Teſtis eſt mihi Deus & iuro per Deum, & quia tempore primitiuæ Eccleſiæ veritas nondum erat manifeſta, ſed indigebat maiori euidentia hinc eſt. quod tenebatur tunc iſta forma Teſtis eſt mihi Deus quia vero in veteri teſtamento conſiderabatur diuina veritas vt vindicans & vleiſcẽs. quia ſub ratione ſeueritatis & æquitatis hinc eſt quod duplicem formam in veteri teſtamento ſeruabant. ſcilicet Viuit Dominus & hoc faciat mihi Deus & hoc addat.

3. Quæſt. *Tertia quæſtio eſt Vtrum infideles peccẽt cum iurant per falſos Deos? Reſpondet ſecundum D. Aug Epiſt 154 ad Publicolã quod ſi infidelis iurat per falſos Deos. dupliciter peccat Primo quia iurat, vel iurauit per quos minime debuit: inſuper quia contra fidem iurauit, quam ſeruare debuit.*

Sed dubium eſt an ſit minus malum per Deos falſos iurare, quam per Deum verũ peierare. & videtur quod nõ quia maius peccatũ eſt Idololatria, quam periurium ſiue verũ, ſiue falſum. Sed Idololatra iurando committit Idololatriã quia Idolum veneratur iurando per ipſum: ergo ſi iurat verum per falſos Deos magis peccat quã ille qui iurat falſum per verum Deũ Reſpõdeo quod in iuramento illo, quo quis iurat per falſos Deos duo ſunt ſ. illud quod aſſeritur & illud propter quod aſſeritur: ſi reſpiciatur id quod aſſeritur ſic eſt minus malũ. & ita loquitur D Aug in Epiſt 154 ad Publicolam, D. Aug. *quia ex illa parte aperit verũ & ex alia parte falſum at ſi reſpiciatur illud per quod iuratur, maius malum eſt iurare verum per falſos Deos, quam falſum per verum Deum & hoc concludit ratio.*

4. Quæſt. *Quarta quæſtio. Vtrum omne iuramentum ſit implendum? Reſpondet Magiſter quod iuramentum incautũ ſcilicet, quod vergit in peiorem exitum non eſt implendũ, ſed mutandũ. & qui ipſum non mutaret dupliciter peccaret. Primo quia iniuſte iurauit. Secundo quia facit quod non debet, & ſubdit, quod iuramentum poteſt fieri illicitũ tripliciter Primo quãdo quis iurat quod in ſe vitioſum eſt vt Adulterium, vel homicidium & tale iuramentum non eſt ſeruandum. Secundo cum quis iurat quod in ſe minime vitioſum eſt ſed per accidẽs vt ſi quis poſt votum caſtitatis iuret aliquam accipere in vxorem Vel tertio quod iuret omittere aliquid, quod eſt in ſe bonum, ſcilicet non dare eleemoſynam alicui indigenti.*

5. Quæſt. *Quinta Quæſtio. An iurans incaute periurus debeat dici? & Reſpõdet quod ſic, ſed hoc non ideo. quia nõ ſeruat, quod iurauit quia tenetur illud mutare vt dictum eſt ſed quia iurauit iniuſtum reus efficitur, ſicut ille qui periurat, & ſubdit quod qualitercunque iuretur ſemper iuramentum refertur ad intentionem recipientis non iurantis, id eſt. dantis iuramentũ, non recipiẽtis Vnde qui fraudulenter iuramentum præſtat dupliciter peccat. Primo quia nomen Dei in vanum aſſumit. Secundo quia proximum doloſe nititur decipere.*

6. Quæſt. *Sexta Quæſtio. Vtrum ille peccet, qui alium iurare compellit? Reſpondetur quod ſi exigitur iuramentum ſolum vt fides fiat de re ſuper qua iuratur non eſt peccatum; ſed humana tentatio: Si autem recipiens iuramentum ſciat alium iurare falſum; Tunc ſi compellat illũ iurare mortaliter peccat Et ſubdit quòd ſecundum ordinationem Synodi Aurelianenſis ad iuramentũ debẽt homines ieiuni accedere niſi eſſet pro pace firmãda; vel vniuerſaliter in quibus mora præſtaret periculum.* Concilium Aurel.

Sed circa hoc ſunt duo dubia primũ eſt An qui prouocat hominem ad iurandũ peccet? & videtur quod non. Quia Iudex ſciens aliquem iurare falſum tenetur nihilominus ex officio ſuo ab eo exigere iuramentum Reſpõdetur quod exigens iuramentum, aut eſt perſona publica, aut priuata. ſi eſt perſona publica? tenetur iuramẽtũ exigere ſecundum iuris ordinẽ ſiue ſciat, ſiue neſciat ipſum falſum iuraturum, quia non imputatur ſibi, & in hoc ſenſu intelligendo ſunt verba D. Augu de verbis Apoſt ſer 28 dicentis. qui exigit iurationẽ multum intereſt ſi neſcit illum iuraturũ falſum, an ſcit Si n neſcit, & ideo dicit Iura mihi, vt fides ei ſit nõ eſt peccatũ; tamen humana tẽtatio eſt Si vero ſcit eũ feciſſe, & cogit eũ iurare homicida eſt. Itẽ in ſer. de decollatione S Ioa. Bapt. qui eſt 157. Qui prouocat hominem ad iurationẽ, & ſcit eum falſum iurare vincit homicidam. quia homicida corpus occiſurus eſt ille animã; imò duas animas, & eius quem iurare prouocauit, & ſuam; Intelliguntur hæc verba D. Aug de perſona priuata quæ non compellitur iuris ordine iuramentum exigere, ſed hoc efficit ex propria voluntate. Primum dubium. D. Aug.

Digitized by Google

2. Dubiū. *Secundo dubitatur an debeat quis iurare ieiunus, prout ſtatuit Aurilianenſe Concilium, & videtur quod non: quia iuramētū non eſt opus priuilegiatum; imo magis pertinet ad imperfectos, quā ad perfectos; ergo non videtur, quod circa ipſum ſit huiuſmodi ſolemnitas ieiunij obſeruanda. Reſpondetur, quod hoc non eſt propter priuilegium, ſed magis propter periculum: quia poſt cibum & potum homo pronior eſt ad multi loquium, atque ideo facilius cadere poſſet in periurium.*

Præterea ideo inſtitutum eſt, vt ieiuno ſtomaco fiat iuramentum, quatenus per hoc inſinuetur, quod cum magna reuerentia nomen diuinum eſt in teſtimonium inuocandum: & non paſſim pro quacunque cauſa; excipitur autem bonum pacis propter hoc, quod ipſum eſt maxime appetendum, & eius oppoſitum maxime fugiendum: Vnde quia in reformando pacem mora trahit periculum propter hoc in caſu iſto non ita ſeruatur ieiunium. Et hæc pro præſenti diſt. Circa quam mouet Scotus vnicam quæſtionem ſub hoc titulo.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum omne periurium ſit peccatum mortale.

PRo explicatione huius tituli obſer. eſt, quod periurium à peiero peieras, quod eſt iuramentum negligere, vel infringere ex per, & iuro abiecta. R. & V. longa, in E. breuem conuerſa. Vnde Cicero. 3. offic. Non enim falſum iurare, peierare eſt; ſed quod ex animi tui ſententia iurans, id non facere periurium eſt. Vnde peierator, peieratrix, & peieratio. Sumitur autem periurium tripliciter, communiter, proprie, & maxime proprie. Cōmuniter ſumitur periurium pro quocunque iuramento in quo deficit aliquis iſtorum comitum, veritas, iuſtitia, vel iudicium, & hoc modo accipit periurium D. Hieronymus ſuper Hierem. vbi enumeratis tribus comitibus, ſubdit ſi illa defuerint, id eſt, veritas iuſtitia, vel iudicium non erit iuramentum, ſed periurium. Proprie accipitur periurium pro iuramento, quo ſcienter, vel ignoranter iuratur falſum, aut doloſe verum, vel quod vergit in deteriorem exitum; & hoc modo accipit periurium B. Aug. de verbis Apoſt. Serm. 28. Melius creditur, & ille peierare, qui falſum voluntate fallendi iurat, & qui falſum putans, quod verum eſt iurat, & qui verum putans, quod falſum eſt iurat. Periurium vero maxime proprie ſumitur pro iuramento, quo ſcienter falſum iuratur; & hoc modo accipit iuramentum Magiſter in hac diſtin. cum inquit, quod periurium eſt mendacium iuramento firmatum, In qua definitione debet ſumi mendacium communiter, vt opponitur iudicio, aut iuſtitiæ, aut veritati.

Cicero. — Periuriū tripliciter ſumitur. — *D. Hiero.* — *D. Aug.* — *Magiſter.*

Quod ſit peccatum mortale, patet ex dictis ſuperius in titulo præcedentis quæſtionis. Secundo obſeruan. eſt ex D. Bonauentura, in hac diſt. artic. 1. quæſt. 3. quod periurium poteſt committi tripliciter, primo cum præuia deliberatione, & ſolemnitate, vt quando iuratur ſuper Sancta Euangelia; & hoc iuramentum nedum extat peccatū mortale, ſed hominem infamem cōſtituit; ſecundo poteſt committi præuia deliberatione, ſed abſq; ſolemnitate, atq; ita eſt peccatum mortale, ſed hominē infamē non reddit, tertio pōt committi periuriū ſine deliberatione præuia, & ex inaduertentia, & ſic eſt peccatum veniale, ſiue iuramētū ſit aſſertoriū, ſicut eſt iuramentū de præterito, aut præſenti; ſiue promiſſorium, ſicut eſt iuramentum de futuro.

Periuriū tripliciter committi poteſt. — *D. Bonau.*

Ex his patet titulus quæſtionis, cuius iſte eſt ſenſus vtrū periurium, quodcunque ſiue communiter, ſiue proprie, vel maxime proprie, vel aſſertorium, vel promiſſorium, aut execratorium, ſit peccatū mortale, reſolutio eſt, quod periurium ex deliberatione factum eſt peccatum mortale, diuiditur autem hæc quæſtio in ſequentes articulos.

Art. 1. Vtrum iuramentum ſit aſſertio dicti humani, quod ipſum ſit verum, & hoc vltimate.
Art. 2. Vtrum iuramentum execratorium, promiſſoriū & aſſertorium differant ſpecie.
Art. 3. Vtrum licitum ſit iurare ſiue per Deum, ſiue per creaturas.
Art. 4. Vtrum in iuramento promiſſorio præſupponatur qualitas iurati, & iurantis.
Art. 5. Vtrum periurium ſit contra præceptum primæ tabulæ.
Art. 6. Vtrum omne periurium ſit peccatum mortale.
Art. 7. Vtrum indeliberatio in iureiurando a peccato mortali excuſet
Art. 8. Vtrum adducens Deū in teſtem ad aliquid. quod credit eſſe verum, licet non ſit, de quo tamē habet aliquam opinionem, & magis aſſentit illi parti pro qua iurat, peccet mortaliter.
Art. 9. Vtrum iuramentum doloſum ſit obligatorium.
Art. 10. Vtrum iuramentum incautum ſit obligatoriū.
Art. 11. Vtrum iuramentum coactum obliget in conſcientia.
Art. 12. Vtrum omne iuramentum promiſſorium iuſtum ſit obſeruandum.
Art. 13. Vtrum ſit grauius peccatum peierare per Deū, an peierare per Euangelium.
Art. 14. Vtrum periurium ſit maius peccatum, quam homicidium, vel adulterium.

ARTICVLVS I.

Vtrum iuramentum ſit aſſertio dicti humani, quod ipſum ſit verum, & hoc vltimatè.

IVramentum dictum eſt à iure, quia inſtar iuris habēdum. Vnde à Latinis paſſim dicitur iuſiurandum. Nā Latinis idem erat Sacramentum, quod iuſiurandum. c. Qui Sacramento, 22. q. 4. In Authen. Sacramenta puberum C. ſi aduerſus vend. 1. §. Item Sacramenta de pacē ten. teſte Feſto id Sacramentum dicitur, quod iuſiurandi ſacratione interpoſita geritur. Hinc militiæ ſacramenta. Nam authore Vegetio, lib. 2. de re militari, milites iurare ſolent. l. miles ag: um §. Ignominioſa ff. de re militari. *Vegetius.*

Definitur autem iuſiurandum multis modis. primo quidam dicunt iuramentum eſſe affirmationem, vel negationem ſacræ rei atteſtatione affirmatam. Vnde Hoſt. in Sum. tit. de iureiurãdo. Abbas, Felinus, & alij in Rub. de iureiurando. Bal. l. 1. ff. de iureiuran. ac reliqui, vt refert Couar. in cap. quamuis de pact. 1. par. §. 1. num. 1. definiunt eſſe affirmationem, vel negationem, alicuius rei licitæ, quæ fieri poſſit ſacra atteſtationem munitam. Cicero lib. 3. de offic. Iuſiurandum, inquit, eſt affirmatio religioſa, quod autem affirmate Deo teſte promiſeris id tenendum eſt: iam enim non ad iram Deorum. quæ nulla eſt, ſed ad iuſtitiam, & ad fidem pertinet, ſic ille. Alij definiunt eſſe actum, quo diuinum nomen fidei faciendæ cauſa adhibemus. Nam cum iuramus Deum quaſi teſtem eius quod dicitur inuocamus.

Iuramētū quid ſit. — *Hoſtien.* — *Abbas.* — *Felinus.* — *Baldus.* — *Couar.* — *Cicero.*

Doct. noſter ſub. in hac quæſt. ſub littera A. §. Quantum ad primum: iuramentum in hunc modum definit, iuramentum eſt aſſertio dicti humani, quod ipſum ſit verum, & hoc vltimate. pro cuius definitionis explicatione obſer. eſt primo, quod iuramētum, vt diximus, dicitur à iure, vel quia vt inquit, D. Thomas pro iure introductū eſt, vt quod ſub inuocatione diuini nominis dr pro vero habeatur 2. 2. q. 89. ar. 1. vel vt inqt, D. Aug. de verbis Apoſt. Serm. 18. quia qui vtitur iuramento ius veritatis Deo reddit,

Scotus. — *D. Thom.* — *D. Aug.*

Digitized by Google

reddit, cui proprie conuenit patrocinium ferre veritati; vel denique vt Grammatici affirmant, iuramentum dicitur à iure: quia qui iurat perinde facit firmum, id quod iurat, ac ſi eſſet ipſum ius, id enim quod iuratur pro lege habendum eſt, quod denotare videtur D. Paulus ad Hebræos c. 6. cum dixit iuramentum eſſe finem omnis controuerſiæ, ac ſi lege eſſet ſancitum. Quare iura poſt præſtitum iuramentum nullam alia inquiſitionem permittunt.

Secundo obſeruan. eſt, quod ſicut in ſcibilibus, & ſpeculatiuis fit confirmatio per rationem, quæ procedit ex ijs, quæ ſunt naturaliter nota, atque infallibiliter vera; ita iuramentum eſt ad confirmationem ad inuentum; at vero quia circa particularia, & contingentia facta hominũ, non poſſunt per rationem neceſſariam confirmari, nec humanum teſtimonium ſufficit ad infallibilem confirmationem, tum quia homines vt plurimum in mendacium prolabuntur iuxta, illud Pſalm. Omnis homo mendax. Tum pp defectum cognitionis: quia homines naturaliter non poſſunt cognoſcere abſentia, neq; futura, neq; cordiũ occulta, ideo expedit rebus humanis, vt certitudo aliqua de prædictis habeatur, & neceſſarium fuit, vt fieret recurſus ad diuinum teſtimonium: quia ſolus Deus eſt, quem nihil latet, & qui ſolus de ſui natura mentiri non poteſt, atque adeo iurare eſt Deum in teſtem aſſumere, quod quaſi pro iure introductum eſt, vt quod ſub iuramento diuini nominis dicitur, pro vero ſemper habeatur, vnde

D. Aug. D. Auguſt. loco ſupra citato. Quid eſt, inquit, dicere per Deum, niſi dicere teſtis eſt mihi Deus?

Tertio obſeruan. eſt, quod cum non ſolum aſſerens, ſed etiam negans aliquando iuret, ideo aſſeriue in definitione iuramenti debet accipi affirmatiue, & negatiue, ſicut etiam accipitur in definitione iuramenti, quam ſupra ex Cicerone aſſignauimus; atq; etiam in definitione, quam

Ariſtot. tradit Ariſt. in Rethorica ad Alexandrum, vbi ſic inquit. Iuſiurandum eſt cum diuina veneratione dictio probationis expers. vbi nomine dictionis affirmationem, & negationem comprehendit, & addit probationis expers, vt naturam iuſiurandi penitus patefaceret, quæ eſt vt citra neceſſitatem, vbi res aliter probari poteſt licite non adhibeatur. Ita etiam Doct. ſub. hic per hoc nomen aſſertio affirmationem, & negationem comprehendit.

Scotus. Dicit ergo Scotus, quod iuramentum eſt aſſertio, id eſt, affirmatio, vel negatio dicti, ac etiam (adde) facti humani. Addidit facti, quoniam ne dum dictum, ſed etiam factum iureiurando confirmatur, dixit humani, id eſt, exiſtentis in facultate iurantis, vt innuat hæc proprie non eſſe iuramenta. Iuro quod Sol orietur cras, vel quod Deus eſt: quia non ſunt in poteſtate noſtra, & per conſequens non ſunt dicta, vel facta humana, ex quo patet, quod Scotus definit ſolum iuramentum humanum; dixit vltimate ad differentiam ſimplicis aſſertionis, in qua reſtat vlterius progredi, & eſt adhuc vlterior via aſſerendi; nimirum affirmare per iuramentum, hoc eſt, Deum immediate, vel mediate in teſtem adducere, & illud eſt vltimum, vltra quod non eſt vlterior confirmatio, iuxta illud D. Pauli ad Heb. 6. Omnis controuerſię finis &c.

Sed contra hanc definitionem arguitur: quia verba ad iuſiurandum non requiruntur neceſſario, ergo male dicitur, quod iuramentum ſit aſſertio; conſequentia patet, & antecedẽs probatur: quia mutus poteſt ſeſe alteri iureiurandu obligare nutibus, & ſignis tantummodo datis.

Præterea cum quis per Idola, & ſimulachra, vanaque, & ficta numina iurat, licet male faciat, iuſiurandi tamen vinculo tenetur, & tamen non confirmat id, quod dicit nominis diuini atteſtatione: deinde cum per creaturas iuramus, iureiurando obligamur: quia eſt verum, & proprie iuramentum, & tamen non eſt vltimum: quia adhuc reſtat vlterior via aſſertionis, nempe iurare per Deum.

Ad primum dico, quod tres ſunt opiniones circa materiam huius argumenti, an ſcilicet verba ad iuſiurandi ſubſtantiam requirantur. Nam Gloſſa, Ancharanus, Panormitanus, Cinus, Antonius Butrius, quos citat Selua, in ſuo tractatu de iureiurando, affirmant, verbis opus non eſſe, cum ea nec ius naturale, nec diuinum, nec humanum poſtulet. Præterea pactum, conuentum, promiſſum, matrimonium, verba minime requirunt, cum

Gloſſa. *Anchar.* *Panorm.* *Cinus.* *Butrius.* *Selua.*

poſſint ſignis, & nutibus perfici, & ſolæ ſtipulationes inter contractus humanos iure Ciuili certa verba depoſcunt, ergo iuſiurandum verba non exigit.

Secunda opinio tradit, verba ad iuriſiurandi ſubſtantiã pertinere in ijs, qui loqui poſſunt, in cæteris verba non eſſe neceſſaria. Sic Tiraquellus, Selua, ſic Paulus, Arret. Alexander, quos citat Selua. *Tiraquel.* *Selua.*

Tertia opinio docet in vniuerſum verba ad iuſiurandum requiri, ita inquit Couar. loco citato ſenſiſſe Bartolum, Albericum, Fulgoſum, & Romanum. Couarruuias in cap. quamuis de pact. par. 1. §. 1. num. 4. probat primam ſententiam: quoniam ſicut cætera pacta, promiſſa, conuenta, & matrimonia (vti diximus) nullum verbum requirunt etiam in ijs hominibus, qui fari poſſunt, cum ſignis, & nutibus queant inter ſe conuenire, ita etiam iuſiurandum verba non poſtulat; nam verbum iureiurando nec leges, nec canones nec alia iura vſquam requirũt, ſatis ſunt nutus, & ſigna, quibus iurantis conſenſus exprimatur, & teſtes, qui probent nutus, & ſigna fuiſſe. *Paulus.* *Aretin.* *Alexan.* *Bartolus.* *Alber.* *Fulgoſus.* *Roman.* *Couar.*

Quidam tamen aſſeueranter dicunt duo requiri ad eſſentiam iuramenti, intentionem iurandi, ſeu Deum teſtẽ faciendi, & locutionem, qua in teſtem vocetur, vnde ſi alterum horum abſit non erit iuramentum, ex quo inferũt, quod iurans illis formulis, Per fidem meam, fide boni viri, fide boni Chriſtiani, vel Sacerdotis, vt ordinarie accipiuntur, non facit iuramentum, vt docet Caiet. 2. 2. q. 89. art. 6. Sotus de iuſt. & iure lib. 8. quæſt. 1. art. 1. Nauar. cap. 12. num. 2. & multi alij: Nam qui ſic loquitur non intendit iurare, ſed ſolum ſignificare ſe loqui ex virtute fidei, vel veritatis, quam vir probus, Chriſtianus, Sacerdos in dictis, & promiſſis ſuis adhibere debet, & ſi fallat, vt non habeatur verax, aut fidelis. Si tamen intelligant fidem Catholicam erit iuramentum; qui enim dicit per fidem Catholicam per Sanctum Euangelium cenſetur authorem illius in teſtem adducere. Nihilominus ſi alio ſenſu, & alia mente huiuſmodi verbis vteretur, non eſſet iuramentum, vt ſi dicendo, per fidem meam feci, dixi, faciam &c. vellet ſignificare cauſam efficientem, vel impulſiuam. Secundo inferunt, quod neque in his eſt iuramentum, per meam conſcientiam (vt etſi Sotus aliter dicat) ſuper meam conſcientiam, in conſcientia, in veritate; tantum enim ſignificant ſe loqui ex conſcientia, & veritatis notitia; & idem valent per conſcientiã, & in conſcientia. Neque etiam in hac, Amen amen dico vobis, iuxta probabiliorem ſententiam, & ſi Origenes tract. 35. in Matth. & quidam patres illum ſecuti, & recentiores contrarium putent: Incredibile enim eſt Dominum tam ſæpe iuraſſe, quin potius veriſimile nunquam iuraſſe, qui omne iuramentum quantum fieri poſſet vitandũ docuit, tantum igitur volebat illa forma loquendi inſinuare ſe ex certiſſima veritatis notitia docere. *Caietan.* *Sotus.* *Nauar.* *Origenes.*

Tertio inferunt in his formulis. Coram Deo loquor, Deus ſcit ita eſſe, Deus videt me vera dicere, videt meam conſcientiam, prout vulgo accipi ſolent, eſſe iuramẽtum. Sic Apoſt. ad Gal. 1. Ecce coram Deo, quia non mentior, ſi tamen quis non intendat iurare, ſed ſolum affirmare Deum iſta ſcire, intueri, non erit iuramentum: quia deeſt intentio, vt recte Caiet. art. 1. & Sotus ſupra. *Caietan.* *Sotus.*

Quo ad locutionem vero dicendum eſt, quod etſi forte verba non ſint ad iuramentum ſimpliciter neceſſaria; Nihilominus tamen ad publica fœdera, & pacta, & ad priuilegia iureiurando firmata; & ad probationes in iudicio iureiurando teſtium confirmatas, neceſſaria ſunt verba, vt ait Couar. vt iuſiurandum idem facere poſſit. *Couar.*

Ad ſecundum dico, ad iuſiurandum ſufficere atteſtationem rei, quæ vere ſit facta; aut, qua apud homines talis habeatur, hoc eſt, quæ re vera, vel humanum opinione ſit facta. Cum enim homines Ethnici per Idola, falſoſque Deos iurant, vere iurare cenſentur: quia apud eos pro veris Dijs habentur, atque adeo infidelis, ſiue Idololatra putans Iouem eſſe Deum, erit periurus, ſaltem affectu, & culpa, ſi falſum iuret, vel prout iſta iurata non ſeruet. Si vero iurans per falſos Deos ſit homo fidelis, illud non eſt verum iuramentum, nec obligat niſi ex conſcientia erronea: quia nulla reuerentia illis debetur, nec metuendum eſt ne illos videamur feciſſe teſtes falſi. Vnde non eſt per ſe peccatum mortale iurare falſum per Iouẽ,

ſi ſcias

Digitized by Google

ſi ſcias Iouem nihil eſſe, quia vere non iuras, ſed iocaris, & ludis imagine iuramenti, perinde ac ſi chimæram teſteris, vel rem aliquam ratione carentem. Niſi forte fiat ſerio, vel ad imperium Tyranni, vel cum illis circumſtantijs, vt videaris Ioui honorem diuinum deferre.

D. Aug. Nec obſtat, quod D. Auguſt. Ser. 30. de verbis Apoſt. ſub finem ait eſſe periurium, qui falſum iurat per lapidē, id eſt, per Iouem (vt patet ex antecedentibus) etiam ſi ſciat Iouem nihil eſſe. Quia intelligi poteſt eſſe periurium ex opinione Ethnici, cui tale iuramentum præſtatur; & cui fides in contractibus ſeruanda, vel quia externa ſpecie periurus videtur: Nam ſerio videtur iurare; ſicut qui thus adolet Idolo, exterius eſt Idololatra, etiamſi in animo non habeat illud pro Deo, nec intendat illi honorem deferre.

Ad tertium dico, quod iuramentum per creaturas eſt verum iuramentum, quia cum ſic iuramus non volumus ipſas eſſe teſtes, ſed eum qui in ipſis ſingulari modo præſidet, & relucet, cuius ipſe ſunt templum, ſedes, Thronus, tabernaculum, & ſcabellum pedum, vt patet Matth. 5. & 23. de quo in 3. artic. accipitur continens pro contento, & ſignum pro ſignato, atque ita licet creatura res facta non ſit per eam tamen iuramus, quia eam adhibemus in teſtem tamquam aliquid, in quo Dei veritas refulget. Vnde nō per creaturam iuramus propter ipſam, ſed propter Deum, qui in ſuis creaturis elucet, & ita creaturam in teſtem aduocamus tamquam aliquid Dei.

ARTICVLVS II.

Vtrum iuramentum execratorium, promiſſorium, & aſſertorium differant ſpecie.

QVinque ſunt, quæ in iuramento ſpectari poſſunt. Primo id, quod iuramento confirmatur; atque ita iuramentum diuiditur primo in aſſertorium, promiſſorium, & comminatorium; Aſſertorium adhibetur ſolum vt credatur aliquid, quod aliter probare non poſſumus; ſiue ſit præſens ſiue præteritum, & hoc extendendo dictum aſſertoriū ad affirmationem, & negationē, eſt enim iuſiurandum aſſertorium, quo quippiā affirmatur, vel negatur eſſe vel fuiſſe. Promiſſorium eſt quo intendimus nos alteri obſtringere, ſeu quo confirmamus noſtram promiſſionem; vel iuſiurandum promiſſorium eſt, cum quippiam iurando promittimus nos in poſterū facturos, aut non facturos. Nam dictum humanum, vel eſt de præteritis, & præſentibus, quorum eſt determinata veritas, vt inquit Scotus in hac quæſt. ſub littera I. §.
Scotus. De tertio artic. dico &c. vel de futuris, quorum veritas eſt incerta, de primis quidem dicitur dictum aſſertoriū: In futuris autem cum non ſit in poteſtate iurantis dicitur eſſe promiſſorium, & ſecundum hoc cum iuramentum ſit vtriuſque dicti aſſertio duplex eſt iuramentum, ſcilicet aſſertorium, & promiſſorium. Comminatorium eſt quando minamur alteri pœnam, & differunt hæc iuramenta: quia in aſſertorio nullam intendimus nobis imponere obligationem, ſed ſolum facere fidem vt aliquid credatur. In promiſſorio intendimus nos obligare ei, cui promittimus. In comminatorio intendimus nos obligare non ei, cui minamur, ſed abſolute ad infligendam alteri pœnam, nempe, vt conſtricti reuerentia iuramenti non audeamus condonare.

Secundo conſiderari poteſt id, per quod iuratur, & ſic iuramentum aliud eſt per Deum, aliud per creaturam.

Tertio cōſiderari poteſt modus quo Deum teſtamur, & ſic duplex eſt iuramentum, vnum per ſimplicem conteſtationem, in quo Deus ſolum vt teſtis vocatur, verbi gratia, Teſtis mihi ſit Deus, teſtor Deum, iuro per Deum, quæ omnia idem valent, vt docet D. Auguſtinus
D. Aug. Ser. 28. de verbis Apoſt.

Aliud per execrationem, in quo Deus vocatur in vindicem, vt puniendo teſtetur ſi fallo; vel cum iurando rē aliquam Deo vltori, ac vindici ſubijcimus, ſi verum non ſit id, quod iuramus; quale eſt illud Pauli Apoſt. 2. Cor. 1. Teſtem inuoco Deum in animam meam. Item pereā, diſperеam, ita me Deus amet, adiuuet, ita ſit mihi propitius: Nam in his non ſolum ſignificatur, vt ſit propitius, vt adiuuet, vt amet ſi eſt verum, ſed etiam vt non ſit propitius, non adiuuet, & non amet, ſi falſum. Tale etiam eſt, quod frequenter in ſacris litteris legimus, Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat ſi ita non eſt, quaſi dicatur, mihi hæc aut illa mala contingant. Eundem ſenſum habent etiam hæc iuramenta; per animam meam, per caput meum, per vitam meam: Simile videtur illud, quo Deus in veteri teſtamento aliquando vſus eſt moribus humanis ſe accomodans vt Pſalm. 94. Quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. Vbi arbitrantur quidam particulam, Si accipi pro particula negante, Nō. Sed verius eſt quod alij tradiderunt eſſe Eclipticum ſermonem, vt ſi dicat, quibus iuraui, ſupplendum eſt, quod ſubijcetur non ſim ego Deus, aut pro Deo non colar, aut aliquid aliud ſimile. Si introibunt in requiem meam.

Quarto conſiderari poteſt in iuramento circumſtantia notabilis exterior, & hac ratione diuiditur iuramentum in ſimplex, & ſolemnē: ſimplex eſt, quod caret omni ritu, & formula ſolemni iuris. Solemne eſt, quod habet aliquam notabilem circumſtantiam externam, vt ſi fiat coram teſtibus, vel notario, vel in Tribunali, vel tactis Euāgelijs, cruce &c. Item ratione eius, quod iuramento confirmatur, diuiditur iuramentum in abſolutum, & conditionale. Abſolutum, & purum eſt, quod nullam habet conditionem, nec tacitam nec expreſſam: conditionale eſt in quo interuenit aliqua conditio tacita, vel expreſſa, tacita conditio ſubeſt, vel iuris diſpoſitione, vel ex iurantis intentione. Iterum aliud iuſiurandum pœnale appellant, quod adhibetur pœna aliqua conſtituta, vt cum iuro, ſi hoc, vel illud peccatum incurrero dabo in vſus pauperū centum aureos; differt conditionale à pœnali: nā quamuis pœna adiecta, conditio quædam ſit, conditionale tamen iuſiurandum eſt, quod affectu eſt conditione, quæ pœna non ſit, vt ſi Arretium veneris iuro me tibi daturum decem aureos.

Ex his dico primo, quod iuſiurandum execratorium, 1. Concl.
aſſertorium, & promiſſorium, ſpecie minime diſtinguuntur, Caietan.
ita Caiet. 2. 2. quæſt. 89. artic. 1. Sotus lib. 8. de Iuſt. & Sotus.
iure quæſt. 1. artic. 1. & Couar. in cap. quamuis de pactis, Couar.
par. 1. §. 1. num. 3. Quoniam iuſiurandum religionis eſt actus, & officium, quo Deo tamquam teſte vtimur ſiue per execrationem, ſiue aliquid aſſerendo, aut promittendo; Deus enim qui teſtis adhibetur vnus eſt.

Dico ſecundo, quod iuſiurandum, quo per creaturas 2. Concl.
iuramus, non differt ſpecie à iureiurando, quo quis iurat per Deum: quia quamuis Deo alius honor, & cultus debeatur, quam creaturæ, quatenus tamen per creaturam iuramus non propter ſe ipſam, ſed propter Deum, qui eſt author omnis veritatis iuramus: quare ſicut cum Dei imaginem veneramur, & colimus, eam non propter ipſam, ſed propter Deum omnis ſanctitatis datorem, & largitorem honoramus, & propterea eam veneramur eodem honore, & cultu, quo Deum: quia in ipſa imagine Deum colimus, & imaginem honoramus, quia Deum repræſentat, & refert, ſic etiam cum per creaturas iuramus, non propter ipſas, ſed propter Deum omnis creatæ veritatis authorem iuramus.

Dico tertio, iuſiurandum ſimplex à ſolemni ſpecie minime diſtingui: quoniam ſolemne nihil aliud habet præ- 3. Concl.
ter ſimplex, niſi iuris humani præſcriptum modum, & formulam, quæ iureiurando accedit, eoque ad eius ſubſtantiam non pertinet.

Dico quarto, iuramentum execratorium non differre 4. Concl.
ſpecie à conteſtatorio in ratione iuramenti: quia vtroque Deus vocatur in teſtem, ſed in conteſtatorio ſolum vt in generali teſtetur, & veritatem aperiat; in execratorio, vt aperiat puniendo ſi fallo. Periurium tamen execratorium videtur ſpecialem malitiam continere contra charitatem ſui; quatenus homo ſibi ipſi imprecatur malum. Deumque ad illud infligendum expreſſe prouocat, vnde pro diuerſitate mali, eſt diuerſa malitia huic periurio coniuncta, vt recte docet Caietanus loco ſupra Caietan.
citato.

Dico quinto, iuſiurandum, quod annexum habet ma- 5. Concl.
ledictum, quam blaſphemiam vocant in Deum, vel in

ſanctos

Digitized by Google

ſanctos ratione iuramenti ſpecie nō differre ab eo, quod omni maledicto, & blaſphemia vacat, ſpecie tamen diſtingui ob circumſtantiam adiunctam, ob quam periurium aliam accipit ſpeciem. Periurium enim cum blaſphemia, & maledicto coniunctum duas habet deformitates ſpecie diuerſas: quoniam eſt periurium, & conuicium, ac maledictum in Deum. Periurium eſt quatenus aliquid mendaciter iuratur. Blaſphemia vero quatenus habet adiunctum maledictum in Deum, vt ſi quis mendacium confirmet iureiurando per creaturam aliquam tamquam per numen, & Deum; Nam blaſphemus eſt, qui iurat per creaturam tamquam diuinitatis aliquid habentem, eo quod tribuit creaturæ, quod ſolius eſt Dei proprium, defert creaturæ honorem, & cultum, qui ſoli Deo debetur.

ARTICVLVS III.

Vtrum licitum ſit iurare ſiue per Deum, ſiue per Creaturas.

D. Bonau. MAnichæi vt refert D. Bonauentura hac d. quæſt. 1. & quidam Ethnici Chriſtianos calumniabantur, & aliquando ex neceſſitate iurare ſolitos tamquam Euangelij violatores accuſabant, aiebant enim illi Chriſtum Dominum in vniuerſum iuſiurandum interdixiſſe Matth. 5. illis verbis. Audiſtis quia dictum eſt antiquis non periurabis. Ego autem dico vobis non iurare omnino, neque per cœlum, neque per Hieroſolymam, neque per terram, neque per caput tuum; Sit autem ſermo veſter Eſt, eſt, Non, non, quod autem his abundantius eſt, a malo eſt. Idem penitus docuerunt multi Hæretici, vt Meſſaliani qui & Euchitæ dicti, Pelagiani, Vualdenſes, & noſtro tempore idem docēt Anabaptiſtæ, qui etiam id exacte ſeruant; Idem docuit Vvicleſ in contractibus humanis. Vide Caſtro contra hæreſes
Caſtro. V. Iuramentum, & Ianſenium in Concordia capit 40.
Ianſenius. Idem docuiſſe videntur multi patres, vt Baſilius ſermone
Baſilius. primo in Pſalm. 14. Hierony. Matth. 5. Theophylactus, &
Hierony. Euthymius. Matth. 5. Iterum Euthymius in Pſalm. 14.
Theoph. Oecumen. cap. 5. in Epiſt. Iacobi, Chryſoſt. in Matth. 5. &
Euthym. hom. 19. ad populum Antiochenum, & hom. 15. in Gen.
Oecumen. & hom. 9. in acta Apoſt. author operis imperfecti in Mat
Chryſoſt. th. cap. 5. hom. 17. & alij quidam ex patribus. Qui dicere videntur iurare eſſe per ſe malum, & veteri legi Iudæis fuiſſe permiſſum, vt minus malum, ne videlicet illi per Dæmones aut ſimulacra iurarent, at in noua lege eſſe penitus interdictum.

Audiamus verba D. Hierony. Matth. 5. Conſidera inquit, non per Deum iurare prohibuerit, ſed per cœlum, & terram, & Hieroſolymam, & caput ſuum, & hoc paruulis fuerat conceſſum in lege: vt quomodo Deo victimas immolabant, ne eas Idolis immolarēt, ſic iurare permitterentur per Deum, non, quod recte facerent, ſed quia melius eſt illud Deo exhibere quam Dæmonibus: Euangelica autem veritas non recipit iuramentum, cum omnis ſermo fidelis pro iureiurando ſit.

Quod autem per Creaturas iurare non ſit licitum patet ex D. Hierony. loco citato, vbi aperte docet Iudæos iurantes per creaturas honore, & obſequio diuino illas veneratos fuiſſe, ſic enim ſcribit. Hanc per elementa iurandi peſſimam conſuetudinem ſemper habuere Iudæi, ſicut prophetalis eos frequenter arguit ſermo, Qui iurat, aut veneratur, aut diligit eum per quem iurat. In lege præceptum eſt, vt non iuremus, niſi per Dominum Deū noſtrum. Iudæi per Angelos, & Vrbem Hieruſalem, & templum, & elementa iurantes, creaturas reſque carnales venerabantur honore, & obſequio Dei.

Item 22. quæſt. 1. cap. ſi quis Pius Papa. Si quis, inquit, per capillum Dei, vel per caput iurauerit, vel alio modo contra Deum ſuum vſus fuerit, ſi in Eccleſiaſtico ordine eſt deponatur. Si laicus anathematizetur. Et ſi quis per creaturas iurauerit acerrime caſtigetur. Si autem talem hominem non manifeſtauerit, non eſt dubium quin diuina condemnatione coerceatur. Iurare ergo per creaturas eſt tantum crimen, vt faciat depoſitionem, vel excommunicationem, & diuinam condemnationem, ergo non eſt licitum. Item Innocentius III. in cap. Et ſi Chriſtus *Innocent.*
de iureiuran. dicit Dominum non prohibuiſſe iuramentum per Creatorem, ſed per creaturas, ne per tale iuramē tum transferretur ad creaturas honorificentia creatoris.

Item 22. q. 1. ex Concilio Carthaginenſi 4. ſtatutum eſt *Coc. Cart.*
Clericum per creaturas iurantem acerrime eſſe obiurgandum, quod ſi perſtiterit in vitio excommunicandum.

Sed contrarium eſt fide tenendum; & ad Hæreticos falſitatis, & erroris conuincēdos ſatis eſſe deberet primo, quod in ſcripturis legimus viros ſanctiſſimos in contractibus iuraſſe Gen. 21. Abraham fœdus iniit cum Abimelech, & illud iuramento confirmat. Idem fecit Iſaac Gen. 26. cum eodem Abimelech, vel eius ſucceſſore, & Iacob Gen. 31. cum Laban. Alij ob alias cauſas ſæpe iurarunt. Moſes Deut. 4. Teſtes inuoco cœlum, & terram cito vos perituros, & cap. 3. idem repetit. Dauid ſæpe iurauit viuit Dominus q. d. per vitam Dei, & Pſal. 62. Laudabuntur omnes, qui iurant in eo, id enim erat ſignum eſſe Dei veri cultores, & Deut. 6. Dominum Deum tuum timebis, & per nomen eius iurabis, & rurſus cap. 10. Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies, ipſique adhærebis; iurabiſque in nomine eius.

Sed reſpondent, qui contrariam ſententiam tuentur, id permiſſum fuiſſe Iudæis in veteri lege, vt ſcilicet per Deum iurarent; at Chriſtianis, qui perfectiorem legem habent, eſſe interdictum. Matth. 5. Sed hoc reijcitur ex hoc, quia Deus proprie iuraſſe dicitur, quod non faceret ſi iurare eſſet ex ſe malum, & ex ſola permiſſione Iudæis conceſſum. Cæterum quoniam etiam huic obiectioni reſpondent dicentes. Soli Deo eſſe licitum iuramentum: quoniam ille ſolus verax eſt, & mentiri nequit, omnis autem homo mendax.

Ideo alijs Sacræ Scripturæ teſtimonijs, quæ de Chriſtianis loquuntur opere precium eſt hanc veritatem confirmare, & primum eſt, quod D. Paulus pluries in ſuis Epiſtolis iurauit. Nam ad Rom. 1. inquit, Teſtis eſt mihi Deus, quod memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis, & 2. ad Corint. 1. Ego teſtem Deum inuoco in animam meam, quod parcens vobis non veni vltra Corinthum, & ad Philip. 1. Teſtis eſt mihi Deus, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus Ieſu Chriſti, & 1. ad Timoth. 5. Teſtor coram Deo, & Chriſto Ieſu, & electis Angelis, vt hæc cuſtodias ſine præiudicio &c. Quibus omnibus locis Apoſt. Deum in teſtem eorum, quæ dicit inuocat, quod nihil aliud eſt quam iurare. (Nam quod Pelagiani dicebant non iuraſſe Paulum: quia non dixit per Deum, ſed coram Deo, aut Teſtis eſt mihi Deus; ridendum potius eſt, quam refutandum.) Non eſt ergo Chriſtiano viro prohibitum iuramentum; alias Paulus iurans peccaſſet, quod non eſt dicendum.

Item Apoc. cap. 10. Indignatur Angelus iurans manifeſte per nomen Dei, quod nulla ratione fieret ſi iuramen-
Conc. Eph. tum eſſet ex ſe malum. Præterea in Concilio Epheſino ſcribens Concilium Neſtorio, & petens ab eo, vt recantet ſuas hæreſes; quia non fidebant patres verbis ipſius exegerunt ab eo iuramentum per hæc verba. Sed conſequens eſt etiam iureiurando fateri te, quod anathematizes tua polluta, & damnata dogmata, quibus verbis aperte oſtendit Concilium mentem illius eſſe, quod iuramentum eſt licitum, ſiquidem illud a Neſtorio fieri præcipit.

Coe. Conſt. Denique hæc veritas definita eſt in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. Inter quadraginta enim quinque aſſertiones Ioannis Vvicleſ, quæ ibi damnantur 43. loco ponitur iſta de iuramento ſub illis verbis: Iuramenta illicita ſunt, quæ fiunt ad roborandum humanos contractus, & commercia ciuilia, quæ ſententia, tamquam hæretica à Concilio damnatur.

Probatur item rationibus, & primo ex vſu omnium gentium, & omnium Tribunalium, omnis enim controuerſiæ finis eſt iuramentum, teſte Apoſt. ad Hebræos 6.

Secundo iuramentum eſt cultus Latriæ apud omnes gentes, per hoc enim tacite teſtamur Deum habere prouidentiam rerum humanarum, & omnium rerum cognitionem, & poteſtatem.

Tertio iuramentum facit, vt reuerentia, & timore di-
uina

Digitized by Google

uini numinis, veritatem dicamus, pacta cuſtodiamus, fidem ſeruemus, pacem retineamus, ab iniurijs abſtineamus, controuerſias definiamus, quæ omnia valde bona ſunt, & rebus neceſſaria.

Pro ſolutione argumentorum nonnulla obſer. ſunt, primo obſeruan. eſt Alex. de Ales. 3. p. quæſt. 31. m. 2. art. 1. quod bonum in actibus multipliciter dicitur, ſcilicet bonum ſecundum ſe, bonum in ſe, bonum ex cauſa, & bonum ex occaſione Bonum ſecundum ſe dicitur, cum ſic deſignatur, & informatur actus, vt non poſſit fieri male, nec cadere, in oppoſitam differentiam; tale eſt diligere Deum ex charitate. Bonum autem in ſe eſt, quod ex ſua nominatione bonum eſt, tamen poteſt male fieri, vt prædicare, orare, dare eleemoſynam; hæc enim poſſunt male fieri ſi fiant propter vanam gloriam &c. Et tamen de ſe nominant bonum. Bonum ex cauſa eſt, quod nec ſecundum ſe, nec in ſe bonum eſt, tamen ex cauſa bonum eſt, vt eſt comedere propter ſuſtentationem corporis ad ſeruitium Dei. Bonum ex occaſione eſt, quod nec ſecundum ſe, nec in ſe, nec ex cauſa directe bonum eſt ſecundum primam intentionem; ſed ſolum dicitur bonum, quia eſt quædam occaſio ducens ad bonum, vt immolare victimas, & ſacrificia: erat occaſio quædam apud Iudæos ducens ad bonum: quia faciebat eos vacare ab Idololatria. Vnde vt retraherentur à cultu Idolorum, quibus victimas offerebant, præcipiebantur victimæ offerri Deo.

Alex. de Ales. Bonũ quadrupliciter dicitur.

Secundo obſeruan. eſt, quod etiam tot modis dicitur in actibus malum. Vnde malum ſecundum ſe eſt, quando actus ſic eſt deformatus, vt nullo modo poſſit bene fieri, nec cadere in oppoſitam differentiam; vt odium Dei, vel blaſphemare Deum. Malum in ſe eſt, quod in ſe nullo addito malum eſt, poteſt tamen addi talis circumſtantia, vt bene fiat, & eſt bonum; ſicut occidere eſt in ſe malum, tamen addita aliqua circumſtantia fit bonum, ſicut eſt occidere ex Dei præcepto, & ex iuſtitia. Malum ex cauſa eſt, quod ex genere bonum eſt, tamen ex cauſa malum eſt, ſicut dare eleemoſynam propter vanam laudem. Malum ex occaſione eſt, quod in ſe bonum eſt, tamẽ ex occaſione malum eſt: quia habet in ſe, quandam facilitatem, & pronitatem in malum. Hoc modo iurare malum eſt. Non enim iurare ſecundum ſe, vel in ſe malum eſt; habet tamen quandam facilitatem ad malum, ſicut ad Dei contemptum, ſcilicet ad periurium. Vnde ex occaſione eſt malum.

Malũ eſt quadruplex.

Tertio obſeruan. eſt, quod indifferens dicitur tripliciter. Vno modo quod nec eſt bonum, nec malum aliquo prædictorum malorum (moraliter loquendo,) ſcilicet nec ſecundum ſe, nec in ſe, nec ex cauſa, nec ex occaſione; & tale eſt ambulare, ſedere, &c. Secundo modo dicitur aliquid indifferens, quod non eſt malum nec in ſe, nec ſecundum ſe, tamen poteſt male fieri, & bene fieri ex occaſione, & tale indifferens eſt iurare. Tertio modo dicitur indifferens, quod malum eſt ex ſuo genere, tamen poteſt bene fieri, & male, & tale eſt occidere, atq; ita patet quomodo iurare eſt bonum, & malum, & indifferens.

Actus indifferens ẽ triplex.

Quarto obſeruan. eſt, quod vt docetur in iure Canonico cap. Omne. cap. Non eſt. cap. In nouo, cap. Vt noueritis 22. quæſt. 1 ex D. Auguſt. iuſiurandum interponere aliquando licet. Nam iuſiurandum ea tantum de cauſa inſtitutum eſt, vt eſſet tamquam remedium quoddam humanæ imbecillitatis, & ad fidem faciendam rei, quam dicimus, neceſſarium inſtrumentum. Quemadmodum igitur corpori medicamenta adhiberi non expedit niſi neceſſe ſit; eorumdem vero frequens vſus ſolet eſſe noxius, & pernicioſus, ita etiam niſi cum grauis, & iuſta ſubeſt cauſa iuramento vti ſalutare non eſt, quod ſi frequens adhibeatur tantum abeſt, vt proſit, vt magnum detrimentum, ac perniciem afferat, & Innocentius III. in cap. etſi Chriſtus de iureiurando dicit, quædam eſſe per ſe mala, vt furtum adulterium, & hæc quia per ſe mala ſunt prohibentur, & nunquam ſunt facienda; alia vero prohibentur alia ex cauſa: non quia per ſe mala ſunt, ſed quia ſi fiant frequenter, tunc multa ex his mala ſequuntur; vt vinum per ſe malum non eſt, & tamen prohibet Apoſt. dicens. Nolite inebriari vino in quo eſt luxuria, quoniam ex frequenti, & immoderata vini potatione luxuria generatur. Sic & iuramentum per ſe quidem malum non eſt, cum ſit confirmatio veritatis; ſed tamẽ prohibetur ea ex cauſa: quoniam ex frequenti, & incauta iuratione periurium ſæpe contingit. Hæc ibi pontifex.

Iuſiurãdũ interponere aliquando licitũ.

Innocent.

Quinto obſeruan. eſt, quod creatura ſpectari poteſt quadruplicitet, primo ſecundum ſe, ſecundo vt in ea elucet, vel apprehenditur numen diuinum, tertio vt eſt aliquid ad nos pertinens, quod obligamus deo, quarto vt falsò putatur habere aliquid diuinitatis. Si primo modo ſic iurare per creaturam non eſt verum iuramentũ; quia vel ipſa per ſe teſtis eſſe non poteſt, vel non vt prima veritas, vel enim ipſa non cognoſcit quid dicamus; & ſic ſtultum eſt illam in teſtẽ adducere, de quo vide Nauat. in Manu. cap. 12. num. 5. Vel cognouit, vt ſancti, & ſic poteſt quidem vocari ſecundum ſe in teſtem, ſed non vt ſuprema veritas. Vnde non eſt proprie iuramentum, ſed actus duliæ. Vt ſi quis iureiurando diceret, Teſtor B. Virginem, Sanctum Petrum, quemadmodum D. Paulus, 1. ad Timoth. 5. Teſtor coram Deo, & Chriſto Ieſu, & electis Angelis eius, ſed vt dixi non eſt proprie iuramẽtum. Ordinarie tamen tales formulæ ita accipiuntur, vt illis cenſeatur primario in teſtem vocari Deus, qui in ſanctis habitat, & ſecundario ipſi ſancti: qui etiam res noſtras cognoſcunt.

Creatura ſpectari poteſt quadrupliciter.

Nauar.

Si ſecundo modo conſideretur, vt continens ſingulari modo, & ſimul quodammodo inuoluens diuinum numen ſic per illam eſt iuramentum, hoc modo qui iurat per cœlum cenſetur iurare per eum, qui in cœlo habitat, qui per terram per illum, qui terram ſuſpendit in nihilo, cui ipſa inſtar pedum ſcabelli. Qui per templum per eum, qui ibi colitur, vt patet Matth. 23. Sic dum iuramus per Euangelia intelligimus ſimul eorum authorem, dum per Cruce Crucifixum, per reliquias ſanctorum numen diuinum ibi ſingulari modo aſſiſtens, & in ſanctis habitans. Hoc modo ſi quis in omni re norit Deum contemplari, per omnem creaturam iurare poteſt; quia ipſe omnium viuentium vita, & omnium exiſtentium eſſe, & fundus eſſentialis, vt Dionyſius loquitur, omnia creans, formans, ſuſtentans, & aſſiduo influxu conſeruans. Non tamen ſolemus iurare per res viles, & ſordidas ob ſpeciẽ indecentia, ſed ſolum per nobiliores in quibus manifeſtius elucet, quæque abſque indecentia adhiberi poſſunt.

D. Diony.

Si tertio modo conſiderentur erit iuramentum execratorium, vt cum iuramus per animam per vitam parentis vel per rem aliam nobis valde charam. Sic Ioſeph iurauit per ſalutem Pharaonis Geneſ. 42. à qua ſua felicitas pendebat obligans illam Deo, ſi verum non eſſet, quod dicebar.

Si quarto modo ſpectetur, tamquam ipſa aliquid diuinitatis habeat, erit blaſphemia, & ſpecies Idololatriæ.

Sexto obſeruan. eſt, Chriſtum Dominum duplicem errorem in Scribis & Phariſæis reprehendere Matth. 5. Vnum quod putarent mendaciter iurare per Deum eſſe lege prohibitum, non autem per creaturas, & inde deducebant. Si quis per creaturas iuraſſet eum non peccare, ſi quod iurando per creaturas promiſerat minime præſtitiſſet. Alter error Scribarum & Phariſæorum erat, quod iurare paſſim, & pro qualibet re leuiſſima, & nullius momenti ſolebant, credebant enim ſolum in lege prohibitum iurare mendaciter, & propterea dixit Chriſtus Nolite iurare omnino, id eſt, in quotidiano, & familiari ſermone, nullum penitus iuramentum adhibeatis, ſiquidẽ nulla eſt iurandi neceſſitas. Nec item per creaturas iuretis, ſed ſatis eſt ſi ſimplici affirmatione, aut negatione ſemper vtamini.

His obſeruatis, ad id, quod adducitur ex D. Matth. D. Hieronymus ita illum locum interpretatur, quod Chriſtus Dominus non prohibuit iurare per Deum, ſed per cœlum, vel per terram, & ratio illius fuit ne ſenſim ex vſu iurandi per has creaturas induceremur ad idololatriam, illas tamquam quædam numina venerantes, & huic interpretationi aſſentiri videtur Rupertus, Abbas. lib. 5. de gloria Chriſti. Sed contra hanc interpretationem videtur eſſe, quod ſtatim Chriſtus ſubdit, ſit ſermo veſter eſt, eſt. Non, non; quod autem abundantius his hoc à malo eſt. Quibus verbis omne iuramentum interdicitur.

Hierony.

Rupertus.

D. Ber-

Digitized by Google

D. Bernar. D. Bernardus 85. ſuper Cant. dicit illis verbis Chriſti contineri conſilium, & non præceptum; cui conſentiunt magna ex parte Doctores Scholaſtici. Verum neque hæc ſolutio ſatisfacit; Nam cum iurare aliquando nedum ſit licitum, ſed etiam interdum neceſſarium, & in præcepto tam diuino quam naturali, id facere non erit imperfectum, ſed potius eſſet imperfectum non iurare, quando oportet, ac proinde non poteſt eſſe conſilium Chriſti de nunquam iurando.

Quapropter his, & alijs interpretationibus omiſſis, quas videre eſt apud Ianſenium, Maldonatum, & alios, reſpondeo Chriſtum hic corrigere duos errores Phariſæorum: Quorum alter erat. Licitum iuramentum per creaturas non obligare; alter licitum eſſe quauis occaſione iurare per creaturas, vt ſupra diximus notabili vltimo. Itaque docet non iurandum omnino, id eſt, nullo iuramento nec per Deum, nec per creaturas, intellige quantum in nobis eſt, ſeu niſi neceſſitas compellat. Iuramentum enim, vt diximus notabili primo, non eſt de genere eorum quæ per ſe bona ſunt, & frequentanda, vt ieiuniũ, oratio, eleemoſyna, ſed quæ ſolum bona cenſentur poſita neceſſitate; vt antidota, & medicamenta, & ſicut occidere hominem, & capere alienum. Ratio eſt, quia irreuerentia eſt, tantum teſtem adducere ad confirmandam rem parui momenti, aut quando neceſſitas non poſtulat, vt optime oſtendit D. Chryſoſt. hom. 9. in Acta. *Chryſoſt.* quando vero res eſt grauis, & alia ratio commoda non ſuppetit, bonum eſt iuramentum adhibere, ſi debita circumſpectione, & reuerentia fiat.

Colligitur hæc expoſitio tum ex ipſa ſcriptura tum ex *D. Aug.* D. Auguſt. lib. 1. de Sermone Domini in monte cap. 30. & 31. Addit Dominus, quod his abundantius eſt, (extra neceſſitatem) à malo eſt. Non quidem à malo iurantis, ſed à malo cui iuratur, vel cui fit iuramentum: quia ſi eſſet bonus ſicut deberet eſſe, crederet ſimplici aſſertioni ſine iuramento. Ita interpretatur illum locum D. Aug. lib. 1. de ſermo. Domini in monte. Et ſignanter dixit à malo, & non omnino malum eſt, id eſt, ſi iurare cogeris ſcias, hoc eſſe à malo, id eſt, ab infirmitate lapſus ſtatus: non tamen eſt malum: quia tu non vteris tunc iuramento in malum, ex tali neceſſitate iurans coactus, & ideo non eſt iuramentum cauendum dummodo recte fiat.

Vel poteſt dici, quod his abundantius eſt, (id eſt, extra neceſſitatem) à malo eſt, id eſt, à Diabolo qui iurandi conſuetudinem induxit, vt docet Theophilactus in illum lo- *Teophil.* cum, quæ expoſitio videtur illius loci germanus ſenſus: quia in Græco idiomate dicitur, Quod amplius eſt à maligno eſt, quo nomine Diabolus vocari ſolet, & quia addit articulum, quaſi dicat, Quod amplius eſt à maligno illo introductum eſt; & quia tacita inter ſe, & Diabolum vtitur anthiteſi. Dixerat enim Saluator: Ego autem dico vobis, nolite iurare omnino, ſed ſimplici vti ſermone, eſt, nõ, quod enim amplius eſt, hoc eſt iuramentũ, quod ad ſimplicem negationem, vel aſſertionem adiungitur, non ego dico, non ego doceo adiungere: Diabolus eſt, qui docet, quiq; ad iurandum inſtigat, eius hoc eſt inuentum, tam *Maldon.* ſæpe, tamquam temere iurandi. Vide Maldonatum.

Significat ergo Dominus iuramentum ex neceſſitate adhibitum, vbi ſimplex affirmatio, vel negatio ſufficit à Diabolo nõ à Deo introductum eſſe, ideoque valde cauendum: atque adeo illis verbis non prohibet Chriſtus omnino iurare, ſed modum & exceſſum, quem Iudæi habebant in ſuis iuramentis. Quaſi diceret: Audiſtis quia dictum eſt antiquis non periurabis, id eſt, non iurabis falſum? Ego autem dico vobis non iurare omnino, id eſt, ne verum quidẽ iurare, & intelligitur ſine neceſſitate: quia alludit ad alteram ſignificationem verbi in vanum, id eſt, fruſtra, ſine cauſa, ſine neceſſitate.

Ad ſecundum reſpondeo, quod Patres loquuntur de iuramento per Deum paſſim adhibendo abſque neceſſitate; hoc enim illis cauſa maioris mali vitandi permiſſum fuit, ne videlicet more Ethnicorum iurarent per creaturas, & idola, Dominus autem hanc permiſſionem ſuſtulit. Itaque veritas Euangelica non recipit iuramentum intellige abſque neceſſitate, quomodo in vſu erat apud Iudæos. Non enim in omni euentu volunt eſſe illicitum iuramentum, præſertim per Deum, vt ex Hieronymo, & Baſilio patet; ſed ſolum quando res abſque iuramento poteſt expediri. Caſtro de hæreſibus verbo Iuramentum hæreſi. 1. in fine, videtur concedere D. Hieronymum, *Caſtro.* cui adſtipulatur Theophilactus, erraſſe in illa ſententia, quod ego etiam verum puto. Nam abſolute dicit Hieronymus, permiſſum fuiſſe iuramentum Iudeis: non quia eſſet bonum, ſed quia eſſet minus malum. Vide Alex. de *Alex. de Ales.* Ales. 3. p. q. 31. m. 2. art. 1. ad 2. & artic. 2. in corpore artic. Chryſoſtomus maxime inſectatur iuſiurandũ per Deũ, ſed id facit, vt in contrarium nitendo conſuetudinem prauam iurandi in populo reprimat.

Gloſſa. Ad tertium Gloſſa ſuper illud Matth. 5. Dico vobis nõ iurare omnino dicit. Non iuremus per creaturas, vt veneremur eas vltra quam debemus: Non iuremus per eas, vt viles extimemus: vt ſcilicet cum per eas iuramus nihil iurare exiſtimemus, ex hac Gloſſa habetur, quod qui iurat per creaturam, aut credit aliquid numinis eſſe in creatura, aut iurat per creaturam intendens fraudem, & decipere alium: quia ſcilicet non credit iuraſſe aut iurat per creaturam intendens ſolum proteſtari, quod Deus ſit prima veritas, & author creaturæ. Si primo modo iurat per creaturam, vt ſcilicet credat aliquid numinis eſſe in ipſa, & intendat venerari creaturam, dicendum quod peccat peccato idololatriæ; ſi autem intendit fraudem dicimus, quod talis peccat peccato periurij, & his duobus modis illicitum eſt per creaturas iurare, vt inquit, D. Hieronymus. Si autem nec intendat venerari aliquod numen in creatura, nec intendat dolum ad proximum, ſed ſolum intendat proteſtari per creaturã, & in ipſa primam veritatem venerari, ſic dicimus, quod licitum eſt iurare per creaturam, nec peccat, qui ſic iurat. Et hoc eſt, quod dicit D. Auguſt. ad Publicolam, & habetur 22. quæſt. 1. Deus per *D. Aug.* creaturas iurare prohibuit, ne vel more gentium aliquod numen Deitatis creaturis ineſſe crederemus, vel ne creaturas contemptibiles iudicando per eas promiſſa pro nihilo duceremus.

Cum autem dicitur, per quod quis iurat, illud veneratur, & amat. Dico, quod hoc dicitur per ſignificantiam quia talis ſignificat ſe Deum amare, & venerari, qui per Deum iurat; Ille enim qui iurat introducit ſemper teſtem ſuæ veritatis maiorem ſe, propter hoc ſignificat ſe venerari illum, per quem iurat; at iurans per creaturam per Deum iurat, vt dictum eſt. Iurans enim per creaturam Creatorem Deum, authorem creaturæ proteſtatur, & ipſum in creatura veneratur.

Ad quartum dico, quod Canon loquitur contra quoſdam, qui credebant Deum ſecundum diuinitatem habere capillos, & caput, & tales proprie ſunt blaſphemi.

Ad quintum dico, quod cap. illud, Clericum, loquitur de iurante per creaturas more Ethnico, tamquam Deos quoſdam, vt per Iouem, per Mineruam, per Solem; Quamuis enim non credantur Dij, tamen turpe eſt Chriſtiano, & ſcandaloſum ſic iurare, quia externo cultu videtur illis deferri cultus diuinus, & periculum eſt, ne ſenſim putetur aliquid diuinum illis ineſſe. Simili modo videtur intelligendum capit. Etſi Chriſtus. Quod ſi Iudæi hoc modo per creaturas iurarunt, id factum eſt more ethnico, & ex praua intelligentia, hinc tamen non ſequitur quin bene fieri poſſit à recte intelligente, qui per creaturas non propter ipſas, ſed propter Deum, qui eſt author omnis veritatis, & ſanctitatis quam habent creaturæ, iurat, & iuſiurandum huiuſmodi tantum abeſt, vt blaſphemiam contineat, vt ſit etiam religionis opus & officium, ſi iuretur in veritate, iudicio, & iuſtitia.

Ex his ſequitur, ſi licitum eſt iurare etiam licitum eſſe iuſiurandum exigere, contra Anabaptiſtas; qui ex eo, qđ cenſent iuſiurandum eſſe iniurioſum à Chriſto prohibitum, inferunt quoque eos grauiſſime peccare, qui iuſiurandum petunt, ſiue priuati homines ſint, ſiue Magiſtratus, & iudices. Sed illi vehementer falluntur. Iuramentũ enim maximum eſt remedium expendiendarum litium, vt inquit Iuriſconſultus in l. 1. ff. de iureiur. & ideo iuſtiſſime ſæpius cauſa controuerſiæ, & litis dirimendæ Magiſtratus, & Iudices poſtulant, & rei, vel actores alteri deferunt. Iuſte quoque in pactis, conuentis, & commercijs exigitur, & interponitur iuramentum, vt contractarum rerum fides ſit firmior, & certior.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS IV.

Vtrum in iuramento promiſſorio præſupponatur qualitas iurati, & iurantis.

HAnc difficultatem mouet Scotus in hac quæſt. ſub littera I. §. Hic tamen eſt vnum dubium &c. Pro cuius intelligentia obſeruan. eſt, quod qualitas iurati nihil eſt aliud, quam iuratum licitum, id eſt, materia iuramenti licita: qualitas autem teſtis, nihil eſt aliud quam Deum in teſtem adducere, pro adimpletione illius, quod iuratur: adeo vt qualitas iurati poteſt dici intentio iurantis, qua intendit dum iurat adimplere iuratum, ſed qualitas teſtis requirit, quod impleat illud quod iurat. Nam quando quis iurat adducit, Deum in teſtem, cuius conditio eſt immutabilitas, & inuariabilitas, atque adeo qualitas teſtis non eſt aliud, quam immutabilitas, & inuariabilitas propoſiti adimplendi iuratum. Quærit ergo Doctor ſub an iuramentum promiſſorium requirat, quod præſupponatur tantum qualitas iurati, nimirum, quod iuramentum tranſeat ſuper materiam licitam, cum intentione implendi illud addita qualitate teſtis, id eſt, cum inuocatione nominis Dei adducti in teſtem iurati, atque ita cum immutabilitate, & inuariabilitate propoſiti adimplendi iuratum. An vero requiratur qualitas teſtis præſuppoſita, puta, quod adducatur Deus in teſtem huius rei, quam vult implere addito iuramento, ſeu addita materia licita iuramẽti cũ intentione implendi, quod iuratur. Nam ſi tantum prærequitatur qualitas iurati, iuramentum promiſſorium non obligaret ſemper, quia poſſum mutare intentionem; at ſi præſupponatur qualitas teſtis, cum ille ſit inuariabilis, infallibilis, ſemper manens idem, iurans maneret ſemper obligatus adimplere iuratum.

Breuiter ſenſus huius difficultatis eſt, vtrum ad hoc, quod aliquis obligetur, vel abſoluatur à iuramento promiſſorio, ſufficiat quod habeat tunc, quando iurat, intentionem implendi illud; abſque eo, quod de facto poſtmodum impleat, & hoc primum membrum appellat Scotus qualitatem iurati, quæ nihil aliud eſt, vt diximus, quam intentio iurantis. An ſcilicet debeat præſupponi, quod obligatio iuramenti cadat præciſe ſuper intentione iurantis pro aliqua re iurata, quam tunc habet in animo adimplere; & pro tali intentione adducit Deum in teſtẽ. Vel non ſolum hoc requiratur, ſed cum hoc quod ſit aliquando impleturus iuramentum, ſeu rem iuratam, & hoc ſecundum membrum appellat Doct. qualitatem teſtis idonei præſuppoſiti, ſcilicet quod habeat intentionẽ ad rem aliquando adimplendam ob reuerentiam teſtis inuocati, & quod habeat oculum ad illud propoſitum adimplendi; quod nihil aliud eſt, quam quod illud iuſiurandum non ſolum cadat ſuper intentionem iurantis, ſed etiam ſuper adimpletionem rei iuratæ ob reuerentiam inuocationis teſtis diuini, ſcilicet Dei. Doctor magis adhærere videtur ſecundo membro vna cum cõmuni opinione, quia ſi primum tantum ſufficeret, ſatis eſſet quod iurans de futuro haberet intentionem faciendi, quando iurat, licet poſtmodum mutaret eam; atque adeo ſi Petrus iuraret dare mihi centum, cum res ſit licita, & in ſua poteſtate, & quando iurat habet intentionem obſeruandi; ſi poſtmodum pœniteret, & non dat mihi centum, non eſſet periurus; patet, quia obligatio eſt tantum ex parte rei iuratæ, & per te, ſolum qualitas iurati præſupponitur, quæ optime exiſtit in eius iuramento: Quod tamen non videtur: quia in illo iuſiurando dicitur iurans manere ſemper obligatus donec impleat illud. Dicendum eſt ergo, quod ad iuramentum licitum vtrunque requiritur, & qualitas rei iuratæ, & qualitas teſtis idonei, quia oportet, quod iurans intendat illud quod dicit exterius; nec ſufficit, quod iuratum ſit licitum, & iuſtum cum intentione adimplendi, quando iuratur: nec ſufficit propoſitum immutabile adimplendi, ſed vtrũq; requiritur. Cæterum de hac re prolixior erit ſermo cum de iuramento doloſo tractabimus.

ARTICVLVS V.

Vtrum periurium ſit contra præceptum primæ tabulæ.

DE hac re tractat breuiter Scotus in hac quæſt. ſub littera G. §. Sed obijcitur contra hoc &c. Pro cuius explicatione obſeruan. eſt, quod ſecundum præceptum Decalogi, Non aſſumes nomen Dei tui in uanum, contra quod dicitur eſſe periurium. Vnum prohibet, & aliud præcipit. Vniuerſaliter enim quando lex aliqua fieri prohibet, in ea etiam continetur earum rerũ præceptum, quas præſtare quiſque debet. Prohibet autem hoc præceptum, quod nomen Dei in uanum non aſſumatur. Id vero quod præcepit eſt, vt nomen Dei honoretur, atque per illud ſancte atque religioſe iuretur. Prohibet igitur hoc præceptum ne quis ſacroſanctum Dei nomen contemnat, polluat, vane vſurpet, atque etiam nẽ per ipſum falſe, aut fruſtra, aut temere iuret. Prohibet inſuper hoc præceptum ea omnia peccata quibus nomen Dei polluimus, nimirum ea crimina, quæ committuntur contra religinnem, qua Demonitini honorem, & cultum deferre debemus, quæ omnia ad hæc capita redigi poſſunt, primo cum quis male iurat, ſecundo cum promiſſionem iureiurando firmatã, non ſeruat, tertio cum quis male votum facit, quarto cum vota facta violat, quinto cum quis maledictis ac conuicijs ſanctum Dei nomen inſectatur, vel afficit, ſexto cum quis diuinis verbis in concionibus ad populum habitis abutitur, ſeptimo cum precationibus in Deum, vel ſanctos effuſis male vtitur.

Quæ prohibent hoc præcepto Non aſſumes nomen &c.

Dei vero nomen veneramur, & colimus, primo cum Deum laudamus, ſecundo cum in hominum conſpectu ipſum Deum, ac Dominum Noſtrum confitemur, tertio cum eum ſicut bonorum noſtrorum authorem agnoſcimus, ac etiam prædicamus, quarto cum eius ſermones, & verba ſtudioſe addiſcimus, legimus, audimus & religioſe, & honorifice tractamus, quinto cum de omnibus rebus tum proſperis, tum aduerſis Deo ſingulares gratias, agimus dicentes cum Iob. Sit nomen Domini benedictum, ſexto ſi fidenter eius opem, & auxilium imploramus, quo nos ſcilicet ab aduerſis liberet, aut ad eadem fortiter, & conſtanter perferenda vires, & conſtantiam largiatur, ſeptimo cum fidei facienda gratia Deum quaſi teſtem aduocamus, quod eſt per Deum religioſe, & ſancte iurare.

Quæ [illegible] & colimus [illegible]

Secundo obſeruan. eſt, quod lex Moyſi media eſt inter legem naturæ, & legem gratiæ; atque ita duplicem habet reſpectum vnum, provt educitur à lege naturæ, & alterum provt ducit ad legem gratiæ; & loquor de lege Moyſis, quantum ad Decalogum, qui educitur à lege naturæ, & ducit ad legem gratiæ, vt dicit D. Auguſt. in lib. de quæſt. noui, & vet. Teſtam. atque ita mandatum iſtud: Non aſſumes nomen Dei tui in uanum, poteſt conſiderari, provt ducit ad legem gratiæ, & tranſit in ſignum, & ſic non ſolum litterale eſt, ſed etiam myſticum, & ſic exponitur, vt pertinet ad Filium; ſicut primum pertinet ad Patrem, & tertium ad Spiritum Sanctum. Et iuxta hoc ita exponitur, Non aſſumes, id eſt, non credes Chriſtum putam creaturam. Ita exponit Gloſſa Exodi 20. Non aſſumes &c. i. Chriſtum putando tantum creaturam, & Deut. 5. Non exiſtimes creaturam eſſe filium Dei. Et Hugo lib. 1. de Sacramentis p. 12. cap. 6. Aſſumere inquit, nomẽ Dei in uanum, eſt Filium Dei viſibilem per humanitatem factum, creaturam exiſtimare.

Lex Moyſi media ẽ inter legẽ naturæ, & legem gratiæ.

D. Aug.

Gloſſa.

Hugo.

Si autem ſumatur hoc præceptum provt educitur à lege naturæ, aut conſideratur ſecundum ſuam formam, aut ſecundum ſuam virtutem, ſi ſecundum ſuam formã conſideretur, ſic proprie nomen in vanum aſſumere eſt, ſicut ſumitur in atteſtatione veritatis, velut in iuramento; & ſic exponitur Exodi 20. Non aſſumes &c. id eſt, iurando pro nihilo nomen Dei; & Deut. 5. dicit Gloſſa iurando pro re, quæ non eſt. Si autem ſumatur ſecundum virtutem; vt ſumatur in vanum ſumere, id eſt, abuti nomine; ſic exponitur Deut. 5. Non aſſumes &c. id eſt, nomen

Gloſſa.

Digitized by Google

men Dei ligno, & lapidi, & huiuſmodi tribuendo, & ſic mandatum iſtud habet expoſitionem myſticam, & litteralem, prior expoſitio eſt myſtica; litterales ſunt aliæ duæ.

Nomē Dei quō ſumatur in hoc præcepto. Non aſſumes nomen &c.

Tertio obſer. eſt, quod cum dicitur. Non aſſumes nomen Dei tui in uanũ; ſumitur hic nomen pro eo, quo id, quod eſt Deus, rationali menti innoteſcat; atq; adeo cum iubemur diuino nomini debitum honorem tribuere, non iubemur ipſius litteras, & ſyllabas, aut omnino per ſe nudum verbum tantummodo attendere; ſed in eam cognitionem mentem, & animum conijcere, quid nam valeat, quid contineat, quid ſignificet illa vox. Non igitur nomē Dei honoramus, & colimus propter ipſum vocis ſonum, aut propter litteras, & ſyllabas, quibus cōſtat, ſed propter immenſam Dei maieſtatem diuino nomine ſignificatam. Deinde hoc præceptum, quod nomen Dei imperat honorari, nō de vno aliquo nomine, ſed de omnibus, quæ Deo tribui ſolent intelligendum eſt. Multa enim Deo indita, & impoſita ſunt nomina, vt Domini, Omnipotentis, Altiſſimi, Excelſi, Regis Regum, & alia id genus, quę in ſcripturis paſſim leguntur.

Præterea poteſt ſummi nomen, prout hoc mandatum ducit ad legem gratiæ: atque ita ſumitur perſonaliter, & tunc illud nomen eſt Filius, per quem innoteſcit tota diuinitas. Matth. 11. Nemo nouit Filium niſi Pater, nec Patrē quis nouit niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Vel poteſt nomen accipi, prout hoc præceptum educitur à lege naturæ; atque ita ſumitur nomen eſſentialiter, & nomen Dei dicitur ipſa veritas, vt eſt nota; quia hæc eſt ratio nominis, Nomen enim dicitur, eo quod eſt nota; & hoc modo accipitur nomen Dei in Gloſſa ſuper illud Exodi 8. Percutiam omnes terminos tuos ranis &c. Nomen Domini veritas eſt. Ipſe enim dicit Ego ſum veritas; qui loquitur veritatem de Deo loquitur, qui autem loquitur mendacium de ſuo loquitur.

Triplex sēſus huius præcepti. Non aſſumes nomen &c.

Quarto obſeruan. eſt. Senſum huius præcepti, Non aſſumes nomen &c. triplicem eſſe, primus eſt: Non aſſumes in vanum, hoc eſt, pro re nullius momenti, pro re futili, & inani. Alter ſenſus eſt, Non aſſumes in vanum hoc eſt fruſtra: quaſi dicat, Ne iures in eius nomine, niſi neceſſitate compulſus. Tertius eſt, Non aſſumes in vanum, hoc eſt mendaciter, tamquam diceret: Ne iures per nomen Dei mendaciter. Mendacium enim & quicquid eſt falſum, & fictum, hebraico more dicitur vanum, qui ſenſus mihi valde probatur, & perinde eſt ac ſi dicatur: Nil falſi Deo teſte aduocato iureiurando confirmabis, in vanum, hoc eſt pro vano, pro falſo.

Ex his omnibus patet periurium eſſe contra præceptum primæ tabulæ. Sed hoc, inquit Scotus, videtur eſſe contra Magiſtrum. Cum enim periurium ſit quoddam mendacium, & mendacium ſit contra præceptum ſecundæ tabulæ (vt dictum eſt præcedenti diſtin.) nimirum contra illud præceptum. Non dices contra proximum tuum falſum teſtimonium. ergo & periurium erit contra præceptum ſecundæ tabulæ.

In periurio eſt iterdũ duplex peccatum.

Reſpondet Doct. quod in periurio eſt quandoque duplex peccatum, ſcilicet mendacium tamquam materiale, vt quando quis ſcienter iurat falſum; & aſſumptio nominis Dei in vanum, hoc eſt, iurans ſcienter falſum. Non ſolum illud periurium includit mētiri, ſcilicet falſam vocis ſignificationē, ſed ēt irreuerētiā; & quo ad primũ pertinet ad ſecundā tabulam, & quo ad ſecũdum ad primā. Nam per illud præceptum ſecundæ tabulæ prohibetur mendacium, & per præceptum primæ irreuerentia. Duo itaq; in periurio concurrunt, vnum formale, & eſt aſſumere nomen Dei in vanum, quod eſt contra præceptum primæ tabulæ, & alterum materiale, & eſt mendacium, quod eſt contra pręceptum ſecundæ tabulę; at quia vnũ quodque denominatur à forma, ideo periurium dicitur eſſe contra præceptum primæ tabulæ.

Iuramentũ poteſt interdum eſſe ſine mendacio.

Et ſubdit Doct. quod periuriũ pōt aliquando eſſe ſine mentiri, puta ſi ſimpliciter dubitans iurat partem de qua dubitat, quam forte dicendo non mentiretur: quia nō habet oppoſitum in mente, aut ſaltem in aliquo caſu, vbi iurans tenetur eſſe certus; & tamen ſi illud aſſereret ſine iuramento credens illud pluſquam oppoſitum, non mentiretur. Sed videtur, quod Doct. in hac littera contradictoria implicet. Nā primo dicit, quod periurium poteſt eſſe abſque mentiri, & ſtatim dicit iuramentum reddere apparenter certũ, quod iurans habet in mente dubiũ; ergo eſt verũ mendacium: nam ſic iurans vadit contra mentem. Aliud.n. habet in mente, q̄ exiſtimet percipi ab audiente. Sciens.n. quod ex modo iurandi, vel ex conſuetudine dictum ſuum ab audientibus atq; aſtantibus accipitur tāq̄ vndequaque certum, de quo iurans habet tantum probabilitatem, iam patet, ꝙ ibi eſt incluſum mendacium, quia vadit contra mentem; Nam aliud habet in mēte, & aliud exiſtimat ab audiente percipi. Dico, quod Doct. intelligit, quod periurium poteſt eſſe ſine mendacio materiali, ſed non ſine mendacio formali: quia licet iſta propoſitio materialiter ſit vera, Franciſcus eſt in Eccleſia: quia de facto eſt in Eccleſia, verum ſi ego non ſum vndequaque certus Franciſcum eſſe in Eccleſia, ſi abſque iuramento profero illam propoſitionem, non eſt mendacium: quia non eſt aſſertum contra mentem, at ſi ſuperaddo iuramētum iam contra mentem vado; Quia periurium ex natura rei dat intelligere aſſertum, vel iuratum eſſe mihi omnino certum, quod tamen eſt mihi dubium.

Ex his infert Doct. corollarie, quod periculum eſt habere frequēter iuramentum in ore: quia in multis ſermonibus ſine iuramento quis non peccaret, vbi addito iuramento peccat, & grauiter ſi fiat ex deliberatione, quapropter vtile eſt documentum illud Matth. 5. Sit ſermo veſter eſt, eſt; non, non.

ARTICVLVS VI.

Vtrum omne periurium ſit peccatum mortale.

Nomen piurij dupliciter ſumitur.

PRo explicatione huius tituli, & difficultatis obſ. eſt, ꝙ nomen periurij dupliciter accipitur primo ꝓprie pro iuramēto, cui deeſt ueritas ſiue præſens, vt ſi falſum ſciens confirmes, ſiue futura, vt ſi fidem datā, & iuramento confirmatā ſine iuſta cauſa nō ſerues. Secundo generatim pro omni iuramento, cui ex tribus comitibus aliquid deeſt ſiue iuſtitia, ſiue iudiciũ, ſiue veritas; ſi.n. iuſtitia deſit, quodammodo deeſt ueritas: quia ꝙ promittitur ſeruari non pōt. Si vero iudiciũ, tunc & ſi forte ex parte rei non deſit veritas, tamen periculũ eſt ne deſit, vt cum quis iurat re non ſatis perpenſa, quando tamen iura loquuntur de periurio intelligunt primo modo.

Tres ſunt comites iuramenti.

Secundo obſ. eſt, ꝙ licet ad iuſiurandũ ſatis ſit Deũ teſtē adducere, vt religioſe tñ & ſancte iuremus, plura requiruntur, quæ Hier. c. 4. breuiter enumerat, nimirũ, Iurabis viuit Dñs in veritate, & in iudicio, & in iuſtitia, quaſi dicat, in re ſeria, & iuſta confirmanda, non inuocabis alium niſi Deum viuentem (in veritate) hoc eſt, pro veritate, vel ad veritatem confirmandam (in iudicio) hoc eſt, pro ſeria, & graui, & alicuius momenti re (in iuſtitia) hoc eſt, pro re iuſta ac debita comprobanda; & hæc tria, ſcilicet veritas, iudicium, & iuſtitia appellantur à D. Hieronymo eo loci comites iuramenti, eo quia hæc tria legitimum iuramentum concomitari debent. Veritas nimirũ, vt qđ aſſeritur ipſum ſit verũ, & qui iurat ita eſſe arbitretur, non leui coniectura ductus, ſed certa, aut veroſimili, atque probabili, & qui iureiurando aliquid pollicetur eo debet eſſe animo, & voluntate, vt cum tempus aduenerit id re ipſa præſtet, quod iurando promiſit, hoc eſt, debet in animo habere id, quod iurando promittit exoluere, quod ſpectat ad iuramentum promiſſorium, ſicut prior particula ad aſſertorium ſecundo loco debet iuſiurandum cum iudicio coniungi: quoniam nec temere, nec inconſiderate, ſed conſulto, & cogitato iurandum eſt; ita vt qui iuraturus eſt primum conſideret, an neceſſitate cogatur nec ne, accurateque rem totam expendat, an huiuſmodi ſit vt iureiurãdo indigere videatur, ita vt ne odio, amore, aliauè animi paſſione impellatur. tertio in iureiurando neceſſaria eſt iuſtitia; quæ maxime in promiſſis requiritur, quare ſi quis iniuſtum aliquid, vel inhoneſtum promittit, &

D. Hier.

iureiurando peccat, & in præſtando promiſſa crimen crimini cumulat. Tale fuit impium, & nefarium Herodis Regis iuramentum. Tale etiam Iudæorum, qui ſe ipſos (vt eſt in Actis Apoſtol. 23.) ea conditione deuouerunt, vt nihil guſtarent donec Paulum occiderunt.

Actus iurādi bene circūſtantionatus ē bonus moraliter.

Tertio obſeruan. eſt, quod actus iurandi dummodo ſit bene circumſtantionatus eſt bonus moraliter. Tunc autem eſt iuſiurandum debite circumſtantionatum, quādo habet vtrumque obiectum debitum, & bonum finem intentum: eſt namque iuſiurandi duplex obiectum; vnum quod eſt ipſum iuratum, & alterum, quod eſt id per quod iuratur. Illud quod iuratur ad hoc, quod ſit iuſiurandi obiectum debitum, debet eſſe verum certitudinaliter agnitum, & aliqualiter arduum. Non enim quodcunque agnitum verum eſt iurandum: quoniam in actum iurandi adducitur Deus in teſtimonium, qui non debet indifferenter pro quolibet ſic adduci. Illud vero, per quod iuratur, eſt debitum obiectum, ſi tale ſit, quod non poteſt fallere, nec falli, nec aliquid ignorare. Homo enim ſciens hominem eſſe mendacem, & ignorantem, & per conſequens poſſe fallere, & falli; non poteſt, inquit Scotus certam fidem dictis eius adhibere; atque adeo inuentus eſt modus aſſerendi dicta, adducendo alium teſtem veracem, & omnia cognoſcentem, non fallibilem, nec fallere potentem. Et quia talis non eſt niſi Deus, ideo ſolus ipſe eſt obiectum hoc modo ſumptum iuramēti debitum. Iurare enim per quemcunque alium à Deo iſto modo, videlicet, tanquam per illum, qui non poteſt fallere, nec falli, nec aliquid ignorare, eſſet idololatrare, creaturæ quod ſoli Deo conuenit tribuendo, ac proinde contra primum præceptum primæ tabulæ, Non habebis Deos alienos &c. peccaret.

Periuriū ē duplex.

Quarto obſeruan. eſt, quod cum periurium ſemper reſpiciat iuramentum duplex eſt periurium, vnum quod reſpicit iuramentum aſſertorium præſens; & alterum, quod reſpicit iuramentum promiſſorium præcedens, vel etiam præſens: quoniam tale periurium contingit fieri dupliciter; Interdum enim huiuſmodi periurium eſt ſimul cum iuramento in animo, aliquando ſequitur iuramentum de facto. Priori modo, periurio ſcilicet reſpicente aſſertorium iuramentum: peierat omnis, qui aliquod falſum maxime ſibi notum aſſerit, vel iurat poſteriori autem modo, ſcilicet periurio exiſtente ſimul cum iuramento promiſſorio eſt periurus, qui iurat aſſerens aliquid ſe facturum verbo, quod tamen non proponit facere, quando iurat in animo: tertio modo, videlicet periurio ſequente aſſertorium iuſiurandum, eſt periurus, qui iurat aſſerens verbo ſe facturum, quod & habet in animo, quando iurat, quod tamen poſtea non complet de facto, nec animo complere proponit. Statim enim vt incipit habere voluntatem non complendi, quod iurauit, periurus eſſe incipit.

Quinto obſeruan. eſt, quod periurium vltimo modo dictum poteſt contingere, ſiue iuramentum promiſſorium licitum, quod reſpicit, ſit verbale ſimul, & mentale ſiue mētale tantum; Non autem quando eſt iuramētum tantum in verbo ſine propoſito in animo, quod eſt periurium ſecundo modo ſumptum; eſt quis periurus in non complendo, quod vouit, ſed tunc fuit periurus, quando verbo iurauit, quod in animo non habuit.

1. Concl.

His obſeruatis ſit prima Concluſio. Omne periurium eſt peccatum. probatur. omne illud, quod eſt contra rectam rationem eſt peccatum, ſed omne periurium eſt contra rectam rationem, ergo omne periurium eſt peccatum. Maior patet, & minor probatur, ſi iuretur ſcienter falſum, vel verum putatum falſum, non eſt dubium, patet etiamſi non habet omnes comites iuramenti deficit aliquid ad iuramentum licitum requiſitum, & per conſequens iuramentum eſt illicitum, atque ita eſt periurium moraliter loquendo. Præterea periurium non ſolum malum eſt in ſe, ſed etiam ſecundum ſe, ita vt nullo modo poteſt benefieri. Tum quia periurium plerunque claudit in ſe mendacium, quod vt patuit ſupra diſt. præcedenti, eſt ſecundum ſe malum; Tum quia omnis peierās contumeliam facit diuinæ veritati, dum eam adducit ad confirmationem falſi, ad quam adduci minime debet, vel quia non adimplet illud, quod cum adductione primæ veritatis adimplere promiſit: atque adeo quia periurium ſemper hominem deordinat reſpectu Dei, inde eſt, quod ſemper eſt malum, & per conſequens peccatum.

Secunda Concluſio. Periurium ſine deliberatione factum non eſt peccatum mortale. probatur: quoniam non minus deliberatio requiritur ad mortale peccatum, ſeu ad demeritum, quam ad meritum; non enim Deus eſt pronior ad puniendum quam ad condonandum; ſed ad omnem actum meritorium requiritur deliberatio, nullum enim actum Deus acceptat, vt præmio dignum niſi humanum: actus autem noſter non eſt proprie humanus, niſi cum deliberatione factus, ergo nec aliquid ſine deliberatione factum videtur eſſe mortale peccatum. hæc concluſio eſt Scoti, in hac quæſt. ſed contra D. Auguſt. de verbis Apoſt. Ser. 28. Falſa, inquit, iuratio eſt pernicioſa nulla ſecura; ſed quod eſt pernicioſum eſt mortale peccatum, ergo cum omne periurium ſit falſa iuratio, omne periurium erit peccatum mortale. Dico, quod falſa iuratio pernicioſa eſt illa, quæ fit cum deliberatione, & de hac intelligit D. Auguſt. & de tali verum eſt, quod eſt peccatum mortale. Contra, omne, quod eſt directe contra diuinum præceptum, & prohibitionem eſt peccatū mortale; ſed periurium eſt huiuſmodi, ergo &c. Dico, quod non omne periurium repugnat directe diuinæ prohibitioni, ſed tantum periurium cum deliberatione, & pleno conſenſu factum. Contra, omnis actus fornicationis, & adulterij, repugnat illi præcepto, Non mechaberis, & ideo eſt peccatum mortale, ergo &c. Dico, quod non eſt ſimile de verbo, quod facile euolat, & de perpetratione peccati mortalis in fornicatione; quia actus ille debet ſēper ſubiacere imperio voluntatis, vnde nunquā conſummatur opus carnis, quin homo pleno conſenſu exiſtimetur conſenſiſſe, & ideo magis generaliter, repugnat præcepto, quam actus periurij. Contra, contemptus inducit peccatum mortale; ſed omnis periurans contemnit ipſam ſummam veritatem, dum eam adducit in teſtimonium, falſi, ergo &c. Dico, quod cum aliquis iurat ex quadam conſuetudine, vel ioco, non deliberans de excellentia diuinæ veritatis in teſtimonium aduocatæ, etſi aliquo modo dici poſſit contemnere: quia non adeo veneratur eam ſicut debet, tamen proprie non contemnit, ſed potius eſt Dei debiti honoris omiſſio, & negligentia, ſi aūt deliberate, & cogitato hoc faceret mortaliter peccat.

2. Concl.

D. Aug.

Tertia Concluſio. Omne periurium cum deliberatione factum eſt peccatum mortale. hæc Concluſio eſt Scoti in hac quæſt. ſub littera A. §. Ex hoc ſequitur propoſitum &c. probatur. omne deliberate factum contra præceptum diuinum eſt mortale peccatum; ſed omne periurium ſiue illud, quod eſt in iureiurando aſſertorio, ſiue illud, quod eſt in iureiurando promiſſorio, verbali, doloſo, ſiue quod eſt in iuramento promiſſorio tantum mentali; ſiue quod eſt iuramentum promiſſorium, verbale, & mentale ſimul, & aliud quodcunque ponatur, eſt contra diuinum præceptum, ergo quodlibet eſt mortale peccatum. Minor declaratur: quoniam periurium, quod eſt in aſſertorio iuramento, & illud, quod eſt in promiſſorio doloſo, ſiue ſit de re licita, ſiue de illicita, eſt contra ſecundum primæ tabulæ præceptum, quod eſt, Nō aſſumes nomen Dei tui in uanum. Tam enim iſte, qui iurat eſſe verum, quod ſcit eſſe falſum, vel è contrario, quam ille qui iurat, ſe facturū aliquid, ſiue ſibi licitum, ſiue illicitū, quod tamen facere non intendit, nomen Dei in vanum aſſumit, & Deum in teſtem falſi adducit.

3. Concl.

Alia aūt duo periuria, quorum vnū eſt in iuramento promiſſorio tantum mentis, & alterū poſt iuramentum promiſſorium ſimul mentis, & oris, videntur eſſe non tm̄ contra 2m præceptū primæ tabulæ, ſicut duo prima, ſed ēt contra primū. Hoc apparet, quia non tantum aſſumere nomen Dei in uanū ore eſt contra 2m præceptum, ſed ēt aſſumere ipſum in vanū mente, hoc aūt fit in periurio mētis, ergo eſt contra præceptū ſecundę tabulę. Quod etiam ſit contra primū præceptū ex hoc videtur: quoniā ex illo primo præcepto quilibet obligatur aliquando mēte Deū colere, & nunquam vilipendere, quod tamen facit, qui non complet quod mentaliter Deo vouit.

Præterea, quicunque ſcienter Deum in teſtimonium falſi introducit, inducit Deum quantum in ſe eſt tamquam

quam

Digitized by Google

quam deceptorẽ, & promiſſorem falſi, vel non diſcretorẽ omnium verorum à falſis: Nam inuocans Deum in teſtẽ falſitatis, dat intelligere, vel quod Deus veritatem non cognoſcit, atque ita vt ſit ignorans, & non ſciens omnia, vel quod Deus falſitatem teſtari velit, ac proinde, quod non ſit omnino verax. Sed vtroque iſtorum modorum fit maxima irreuerentia Deo immediate cõtra illud præceptum primæ tabulæ, Non aſſumes &c. atque adeo grauiter peccat etiam mortaliter: nam omnis tranſgreſſio deliberata contra præceptum primæ tabulæ eſt peccatum mortale.

Pœnę periurij. Couar.

Deinde omne peccatum pro quo infamia viro infligigitur, & inſuper grauiſſimæ pœnæ, eſt mortale peccatum; ſed pœnæ periurij proprie dicti ſunt valde graues, vt docet Couarru. in cap. Quamuis pactum par. 1. §. 7. num. ſecundo, Nam apud Schytas, & Ægyptios plectebantur pœna capitis. Apud Indos manuum pedumque extremorum abſciſſione. In multis locis puniuntur præciſione manus. Iure ciuili ſunt infames, ſi periurium erat in nocumentum alterius, non autem ſi nemini noceat, vt docet Gloſſa in l. ſi quis maior C. de tranſactionibus. Iure Canonico etiam ſunt infames cap. infames, & c. Quicunque 6. quæſt. prima, Quod intellige ſi res eſt notoria. Hæc tamen infamia non adducit proprie irregularitatem, niſi irrogata ſit per ſententiam iudicis, vt ſi quis de periurio ſit condemnatus, tunc enim irregularis eſt, & eget diſpenſatione, etiam poſt vitæ mutationem; alia infamia tollitur bona vita, obliuione, & loci mutatione, vt Couarru. & alij docent. Præterea in foro externo imponitur illis grauis pœnitentia: Nam dicto capit. Quicunque, dicitur. Quicunque ſciens peierauerit, quadraginta dies in pane, & aqua, & ſeptem annos pœniteat ſequentes, & nunquam ſit ſine pœnitentia, & nunquam in teſtimonium recipiatur, commutationem tamen poſt hoc recipiat; at pœnæ adeo graues, atque etiam tam grauis pœnitentia non imponuntur niſi pro lethali peccato, ergo &c.

Gloſſa.

Et ſi dicas, quod ſi quis ſolemniter in Iudicis præſentia peierat, ſi accuſetur, & probetur, quod peierauerit, & detur ſententia contra ipſum, talis eſt infamis, & non ſolum ex periurio. Dico, quod hoc non impedit, quia licet talis proceſſus humanus requiratur: ad hoc, quod quis dicatur infamis: quia infamia eſt pœna à iure humano introducta; tamen radicalis cauſa illius infamiæ non eſt ſententia iudicis, ſed à periurio deliberato originem habet, & lex nulla tam magnam pœnam viro infligeret, niſi ratione maximi criminis.

Contra hanc concluſionem arguitur dupliciter, & ſunt argumenta principalia Scoti, nempe primum, & tertium, & primo arguitur ſic: poteſt quis iurare, quod illicitum eſt implere; quod autem eſt per ſe illicitum, non fit licitum per iuramentum, atque ita poſt iuſiurandum remanet illicitum; ergo implendo, quod iurauit, peccat mortaliter, & per conſequens non implendo iuratum non peccat mortaliter. Sed non implendo, quod iurauit eſt periurus, ergo non omne periurium eſt peccatum mortale, etiamſi factum ſit deliberate; Quod autem ſi non adimpleat iuratum illicitum non peccat, patet, quia alias eſſet perplexus in lege Dei, & præceptum Domini non eſſet lucidum illuminans oculos; nec iudicia Domini vera, & iuſtificata in ſemetipſa: Implendo enim peccaret mortaliter, & non implendo etiam mortaliter peccaret, ſi omne periurium deliberatum eſſet peccatum mortale. Reſpondet Doct. quod in turpi voto debet iurans mutare decretum, in iurando tamen peccauit mortaliter. Vult dicere Scotus, quod iurans iuramento incauto tranſeunte ſuper materiam omnino illicitam, vt ſi quis iurat ſe occiſurum, vel fornicaturum, non tenetur adimplere iuratum, ſed debet mutare decretum; peccauit tamen mortaliter in iurando. Et cum dicitur, quod talis non ſeruans iuratum erit periurus &c. Dico, quod iurans illicitum eſt periurus in facto, licet non periuret actu elicito: quia intendit tunc illud implere cum iurat, peierat tamen actu debito: atque ita non implens iuramentum illicitum non peccat nouo peccato, ſed ſolum illo, quo prius iurans peccauit, & ſic patet, quod non eſt perplexus, nec poteſt talis dici formaliter periurus.

Secundo arguitur, ſi omne periurium eſſet peccatum mortale, omne iuſiurandum eſſet obligatorium: conſequens eſt falſum, ergo &c. conſequentia patet. Ideo enim aliquis peiurus peccat; quia non ſeruat, quod iurauit. falſitas conſequentis etiam patet, primo de iuramento coacto extra de iureiurando cap. Verum. ſecundo, de iuramento doloſo: quia iurans doloſe non intendit ſe obligare; atqui nullus ſe obligat non intendens ſe obligare, & de iſtis duobus ſimul probatur per ſimile de matrimonio: Nam conſenſus coactus, & doloſus non obligant aliquem, vel aliquam ad matrimonium extra de ſponſalibus cap. Cum locum, & extra de his, quæ vi, aut metus cauſa cap. Si Abbas, & 22. quæſt. quarta cap. Si quis. Et probatur etiam de iuramento incauto: quia ſi impleat illud, fit in peiorem exitum, igitur malum eſt implere. Ad hoc argumentum patebit reſponſio in ſequentibus articulis, in quibus de iuramento doloſo, incauto, & coacto, erit ſermo.

ARTICVLVS VII.

Vtrum indeliberatio in iureiurando à peccato mortali excuſet.

PRo explicatione huius difficultatis obſeruan. eſt, quod (cum periurium duo includat, ſcilicet iurationem, & inordinationem: eſt enim periurium iuramentum indebitum, & inordinatum) iuratio poteſt eſſe triplex, quædam deliberata, & ſolemnizata, ſicut quando teſtes iurant per Sancta Dei Euangelia in præſentia iudicis. Quædam eſt deliberata, ſed non ſolemnizata, velut, quando aliquis aliquid occulte iurat, illud ex deliberatione intendens per diuinæ veritatis teſtimonium confirmare. Quædam nec eſt ſolemnizata, nec deliberata; ſicut quando aliquis iurat per Deum, vel per creaturas in communi ſermone, non attendens, quem inuocet, nec ad quid; ſed ex quadam conſuetudine, & iuxta hoc periurium poteſt committi tripliciter, & ſi committatur primo modo ſemper eſt peccatum mortale, propter rationes aſſignatas in ſuperiori art. Si autem ſecundo modo committatur diſtinguendum eſt: quia ſic iurans, aut deliberat de dicto, & de iuramento, vtrum ſcilicet dictum ſit verum, & an iureiurando confirmandum, & tunc ſi peierat peccat mortaliter: aut deliberat de dicto, vtrum ſcilicet dictum ſit verum, ſed non de iuramento, & tunc poteſt eſſe veniale: valde tamen cauendum eſt, quia eiuſmodi veniale peccatum eſt valde periculóſum, & multum lethali proximum; aut deliberat de iuramento, id eſt, an iurandum ſit, ſed non de dicto, nempe an ſit verum, vel falſum, & poſſet eſſe veniale; ſi ita fieri contingat, & forte diceretur mortale: quia ex quo de iuramento deliberat, tenetur aduertere de materia iuramenti, & poteſt; ſed non affirmo. Si autem committatur periurium circa iurationem non ſolemnizatam, nec deliberatam; ita vt peierans non aduertit de iuramento nec etiam de iurato, non peccat mortaliter, ſed venialiter; dummodo illa inaduertentia ſit ſurreptitia, vel ignorantia, quæ non ſit craſſa, vel ſupina: & ratio eſt, quia iuramẽtum non eſt deliberatum, & lingua in lubrico poſita eſt.

Periuriũ duo includit.

Iuratio poteſt eſſe triplex.

Periuriũ pōt committi tripliciter.

Quidam tamen dicunt (vt inquit Doct. in hac quæſt. ſub littera A. & B. §. Quantum ad primum communiter conceditur) quod vnum periurium leue non eſt peccatum mortale, tamen ex conſuetudine peierare eſt peccatum mortale; quia habitus generatus ex multis actibus, inclinat ad grauiorem actum, quam ſint præcedentes. Vnde obſ. eſt, ꝙ duo dicit hæc opinio. Primũ eſt, ꝙ primũ periurium ex indeliberatione factum non eſt peccatum mortale. Secundum quod periurium, quod eſt ex conſuetudine, etſi factum ſit ſine deliberatione, eſt peccatũ mortale, verbi gratia, Si aliquis primo iurat indeliberate, non peccat mortaliter, ſed ſi iurat aſſidue ex indeliberatione eſt peccatum mortale: quia procedit ex habitu prauo, vitioſe acquiſito.

Hanc ſententiam refellit Doct. ſub. pro cuius reiectionis intelligentia obſeruan. eſt, quod ex frequenti iurandi vſu, & conſuetudine quidam deprauatus habitus comparatur, qui hominem ad iurandum incitat, flectit, ac mouet, hic autem habitus genitus, & acquiſitus, quamuis ex malis actibus procreatus ſit, actu tamen peccatum non eſt, cum non ſit actus, ſed tantum vitioſus habitus ex malo genitus, & comparatus, ad malum inducens, actibus autem meremus, & peccamus, habitibus non item.

Secundo obſeruan. eſt, quod qui huiuſmodi prauo habitu incitatus, & motus iurat, ſi quando iurat certo, & manifeſto nouit, aut credit verum eſſe, quod iurat, lethale peccatum non incurrit: quia nec mendacium iureiurando confirmat, nec ſe periurij periculo exponit. Qui vero prauo illo habitu iurat, ſi ita ſubito iurat, vt plenam animi deliberationem iuſiurandum præcurrat, lethalis peccati reus cenſendus non eſt, vt ex proxime ante dictis patet. Quid ſi ita iuret, vt quamuis ſubito plene tamen, & perfecte animaduertat ſe iurare? certe lethaliter peccat, quamuis verum iuret non falſum: quoniam ſeſe periurij periculo objicit, vt docet
Sotus. hic Doctor. & Sotus lib. octauo de Iuſt. quæſt. ſecunda
Nauar. artic. tertio, & Nauar. in Manu. capit. 12. numer. ſexto Præterea qui ex iam dicto prauo habitu iurat, nullam rationem habens eius, quod iuraturus eſt ſit verum, nec ne, peccat lethaliter ſi ex animo plene conſiderante, & deliberante iuret: quoniam toties periurij periculum incurrit quoties iurat. Poſtremo qui prauam, ac peruerſam paſſim iurandi conſuetudinem habet, & apud ſe firma deliberatione conſtituit nunquã falſum iurando confirmare, ſi iuret verum, veniale tantum culpam contrahit: quoniam abſque iuſta, & debita cauſa iurat, ſi vero falſum iuret, lethaliter delinquit, quoniam periu-
Sotus. rus eſt. ſic Sotus vbi ſupra.

His obſeruatis patet impugnatio Doct. Si primus
Scotus. actus, inquit Scotus, non eſt peccatum mortale, igitur nec quicunque alius, ex quocunque habitu fiat: quia habitus inclinans non poteſt facere grauiorem culpam, id eſt, habitus inclinans non poteſt actum grauem reddere leuiorem, nec grauiorem, quantum ad genus peccati: quia habitus genitus ex actibus ſemper inclinat ad actum eiuſdem rationis, cum his ex quibus generatur, licet bene ad intenſiorem, ſed tamen in eadem ſpecie. ergo ſi actus præcedens habitum generatiuũ non fuit mortale peccatum, nunquam actus ſequens ad quem inclinat habitus erit peccatum lethale. Et confirmatur à ſimili. Si aliquis ex actibus in continentiæ acquiſiuit magnum habitum, & poſt pœniteat; ſi poſt pœnitentiam habeat aliquem motum incontinentiæ, cui non conſentit, licet ad illum inclinet magnus habitus vitioſus, non eſt in illo peccatum mortale; imo nec notabiliter maius quam ſi habitum non haberet, vel quam ſi eſſet in alio nullum habitũ habẽte. Ita in propoſito, ſit aliquis habituatus ad peierandum, pœniteat, & deliberet non amplius peierare, ſed poſt pœnitentiam ſemel tantum ex indeliberatione peieret; & ſit aliquis, qui non conſueuit peierare, ſed ita motus ex indeliberatione periuret ſemel, poſſibile eſt, quod periurium iſtius ſecundi ſit grauius, quam illius pœnitenus. ergo ſi periurium iſtius, qui non eſt habituatus, quia ſine deliberatione periurat, non eſt peccatum mortale, igitur neque alterius etiam habituati erit lethale peccatum.

Et confirmatur ſecundo, quia habitus non poteſt eſſe grauior, ſi quam grauitatem habet, quam actus ex quibus generatur, cum proprie loquendo nullam grauitatem culpabilem, hoc eſt, nullam malitiam habeat habitus niſi ex actibus. igitur cum actus ex quibus generatur ſint veniales, habitus iſte non faciet aliquam grauitatem mortalem in actibus elicitis ex habitu.

Dicendum eſt ergo, quod habitus, & conſuetudo nihil facit ad propoſitum, ſcilicet ad rationem peccati mortalis, ſed deliberatio, & conſenſus in actum illicitum: & ideo periurium ex pleno conſenſu: quia eſt contra preceptum primæ tabulæ, & per conſequẽs immediate auertens à fine vltimo, nihil ſibi deficit de ratione peccati mortalis. Si autem periurium fiat indeliberate, quantumcunque frequenter fiat, non eſt peccatum mortale. Et ratio eſt: quia ſicut ad actum meritorium requiritur deliberatio, alioquin non eſſet ſtudioſus, nec humanus, ita & actus demeritorius requirit deliberationem; Non enim eſt Deus pronior ad puniẽdum, vt diximus ſupra, quam ad præmiandum. Vnde cum actus iurandi poſſit interdum fieri indeliberate, cum ſcilicet fit quadam conſuetudine mala, vel ex lapſu linguæ ſine intentione firmandi dictum ſuum per teſtimonium diuinum, cum tale periurium non ſit proprie actus humanus, quia fit præter intentionem, & etiam interdum neſcientibus ijs, qui loquuntur, & penitus non aduertentibus, tale periurium non eſt peccatum mortale, quoties fuerit iteratum.

Obſeruan. eſt tamen, inquit Scotus, quod aliter deliberat habituatus, & aliter qui non eſt perfecte habituatus, ſicut perfecte fortis in repentinis eſt impauidus: Habituatus enim deliberat ſubito, id eſt, in tempore imperceptibili, vt dictum eſt ſupra diſt. 33. nã talis habituatus, quia habet prudentiam magnam, quia promptius eſt ad deliberandum, quia in tempore imperceptibili; Ita eſt de malo habitu. Ita enim poſſet aliquis ex habitu vitioſo acquirere facilitatem deliberandi prompte de actu vitioſo, & quaſi in tempore imperceptibili; & talis deliberatio eſſet ſufficiens ad rationem peccati, ſicut eſt ſufficiens ad rationem meriti.

Reſolutio ergo eſt, quod ſi primus actus peierandi in ſe non eſt peccatum mortale, ſed veniale; circumſtantia frequentationis, aut conſuetudinis non facit id mortale. Vnde quotieſcunque talis actus elicitur ſemper manet venialis, atque adeo in propoſito diſtinctio periurij quantum ad raritatem, & frequentiam nihil facit ad rationem peccati mortalis; ſed diſtinctio, inter deliberationem, & indeliberationem, ita vt deliberatio concurrens reddit peccatum mortale, & hoc ſiue ſemel, ſiue frequenter; & indeliberatio excuſat, etiam ſiue ſemel, ſiue frequenter: quia habitus, ſeu conſuetudo peccandi, non ſe tenet ex parte circumſtantiæ.

Et ſi dicas, Petrus tenetur confiteri, quod eſt conſuetus facere hoc peccatum, ergo vel conſuetudo eſt principale peccatum, vel ſe tenet ex parte circumſtantiæ. Dico, quod tenetur confiteri, quod eſt aſſuetus peierare; non quia conſuetudo aggrauet peccatum; vel faciat de veniali mortale; ſed quia tenetur confiteri numerum, & quoties illud peccatum reiterauit, & quia pluries non eſt memor, ideo implicite tenetur confiteri de numero, quod vtique præſtat ſi dicat Ego ſum aſſuetus, ſiue habituatus in hoc peccato. Ex hac determinatione Doct. ſequitur, quod milites, & plurimæ aliæ perſonæ eſto ſint habituati, periurando, quod ſæpiſſime non peccãt mortaliter: quia indeliberate faciunt, aut ſaltem ſemiplena tantum deliberatione; tamen non eſſet hoc illis prædicandum ne laxior peccandi anſa eis daretur. Verum eſt tamen quod mali conſuetudinarij, qui ex tali conſuetudine fere ad ſingula verba iurant per Chriſti Domini membra, nullã adhibendo diligentiam ad remouendum conſuetudinem iſtam, eſto ſic indeliberate iurent, puto non excuſari: quia videntur contemnere: Nam iſti etſi formalem non habeant deliberationem, habent tamen interpretatiuam: quia deliberare poſſent, & contemnunt, & maxime cum deliberare teneantur: quia in Sacramentorum ſuſceptione, & in diuinis tractandis, proferendis, & ſumendis, propter diuinam reuerentiam deliberate agere tenemur.

Vnde qui confeſſionem audit eius hominis, qui prauam habet iurandi conſuetudinem, interrogare eum debet, an antea ſæpe fuerit admonitus, vt eam conſuetudinem radicitus euellendam, & à ſe objiciendam curaret. Deinde an ea de re admonitus, curam & diligentiam ad eam conſuetudinem extirpandam contulerit; Si enim nunquam eſt admonitus, abſolui à peccatis iure poteſt ea conditione, vt ſtatuat apud ſe eam conſuetudinem velle omnino deponere. Idem iuris eſt, ſi alioqui admonitus ſtudij, curæ, & laboris aliquid adhibuerit ad eam depellendam. Si tamen ter, quaterue ac ſæpius etiam admonitus nihil in ea re ſtudij, & ope- Qũo ſe gerat confeſſarius cũ peccatore conſuetudinario.

te po-

Digitized by Google

re poſuerit; & ſi abſolutio ſimpliciter deneganda non eſt, videtur tamen ad tempus differenda, vt opere aliquid interim in id afferat, niſi iuſta alioqui cauſa ſubſit, quæ ſtatim à peccatis abſolui debeat, poſſunt enim iuſtæ cauſæ ſubeſſe. Ita Medina in ſua inſtruct. Confeſ. lib. 1. cap. 14. §. quarto.

Medina.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum adducens Deum in teſtem ad aliquid, quod credit eſſe verum, licet non ſit, de quo tamen habet aliquam opinionem, & magis aſſentit illi parti pro qua iurat, peccet mortaliter.

PRo intelligentia tituli, ponatur, quod Frãciſcus intret quoddam nemus, & inueniat hominem recenter mortuum, & iugulatum; & videat Ioannem currentem cum gladio euaginato, ſtatimque intra ſe dicat, certe ille eſt qui occidit eum; quod tamen non eſt verum: quia fugiebat Ioannes, eo quia credebat quod Franciſcus iugulaſſet illum, vocatur Franciſcus in iudicium, & iurat, quod Ioannes eſt ille, qui hominem illum occidit; Quæritur vtrum ſit periurus, atque ita peccet lethaliter?

Iurare incertum cõtingit dupliciter.

Pro ſolutione huius difficultatis obſeruan. eſt, quod iurare incertum contingit dupliciter, vno modo in condemnabilibus, altero modo in fauorabilibus; in condemnabilibus, vt in cauſa mortis, vel cuiuſque alterius pœnæ; In fauorabilibus, vt in promotionibus ad ordines, & dignitates: præſens articulus in vtroque ſenſu eſt examinandus, & primo videndum eſt in condemnabilibus, vtrum iurans in certum pro certo ſit periurus, & peccet mortaliter. pro cuius reſolutione, inquit Scotus in hac quæſt. ſub litera D. §. Quantum ad ſecundum dubium &c. quod ille, cui iuratur, poteſt duobus modis accipere iuſiurandum iurantis: primo tamquam aſſertium, iurati, adeo vt vel ex lege poſitiua, vel ex conſuetudine accipiat iuramentum tamquam ſimpliciter aſſertiuum iurati: ſecundo modo tamquam inductiuum probabiliter ad credendum iurato. exemplum primi, Petrus vocatur, vt teſtis, & ei præcipitur, quod iuret, an Ioannes fuerit fur aut homicida, accipitur à Iudice iuramentum tamquam aſſertiuum iurati; atque ita fit communiter. exemplum ſecundi, fuit aliquis de nocte occiſus, & nullus ſcit, quiſnam illum occidit; conuocantur vicini, non vt iurent tamquam aſſerentes iuratum; ſed vt iuramentum ſit inductiuum ad credulitatem iurati, verbi gratia, iuro quod opinor Petrum occidiſſe Ioannem.

Scotus.

His ſuppoſitis ponit Doctor aliqua dicta, primo dicit, quod iurans quomodocunque dubium iudici, qui ex lege, vel conſuetudine accipit iuramentum, vt ſimpliciter, & certe aſſertiuum iurati, ex quo conuictus per illud condemnatur ad mortem, vel ad aliam pœnam, iurans, inquam, falſum, quod verum putat, peccat mortaliter; neque hoc ſolum, ſed etiamſi verum iurat; quod tamen non eſt ſibi omnino certum, ſed aliqua ex parte dubium, peccat lethaliter: quia ad confirmandum illud, quod aſſerit eſſe ſimpliciter certum, & verum, inducit Deum teſtem; cum tamen illud non ſit ſimpliciter certum, & hoc modo debent intelligi iuramenta illorum, qui iurant in iudicio, pro quorum teſtimonio conſueuit ferri ſententia, qualis non deberet ferri; niſi illud aſſertum eſſet, vt ſimpliciter certum, verbi gratia, ſententia mortis non debet ferri niſi pro crimine certo; ideo iurans illum crimino ſum, cum non ſit certus de hoc, quantumcunque coniecturet illum eſſe talem probabiliter; quia ſcilicet vidit illum fugientem euaginato enſe, iurans hoc in tali foro, vbi ex lege poſitiua, vel conſuetudine ſequitur condemnatio ad mortem peccat mortaliter. Conſimiliter in foro quocunque, vbi ex hoc, quod aliquis conuincitur per iurantes condemnatur, vt reus ſimpliciter. Ibi enim non ſolum fit irreuerentia nomini Domini contra præceptum primæ tabulæ; ſed etiam eſt quid pernicioſum: quia nociuum proximo, mentitur enim iurando eſſe certum, quod non eſt certum. Nam in tali iudicio condemnationis ſententia non debet ferri, niſi illud aſſertum tamquam ſimpliciter certum probatum ſit; nec ſolum teſtes in illo foro, ſed etiam Iudex culpabilis eſt, ſi tamen ſciat, quod teſtes ex conſuetudine non teſtificantur, niſi de credulitate ſub iureiurando, Tunc enim ſimpliciter non debet ferre ſententiam, qualis eſſet ferenda ſi culpa eſſet coram eo ſimpliciter probata; Nam ſcit ex conſuetudine culpam non eſſe ſufficienter probatam, vt tali pœna puniatur.

Et ſi dicas quod eſt vtile Reipub. quod ad credulitatem teſtium talis pœna infligatur alioquin delicta manerent impunita, & mali nimis multiplicarentur. Reſpondet Deus (inquit Scotus) Deuteron. decimoſexto, quod iuſtum eſt iuſte exequere: atque adeo licet ſeditioſum occidere iuſtum ſit, oportet tamen quod iuſte fiat. Sunt enim quædam mala, quæ non ſunt punienda per homines, ſed relinquenda vltioni diuinæ, puta omnia, quæ homo, vt homo non poteſt ſufficienter ſcire, & de quibus non poteſt ſufficienter docere veritatem, eo modo quo deberet doceri, ad hoc quod iuſte feratur ſententia debita punitiua. Nec in iſtis ſunt culpabiles ſoli teſtes, ſed etiam Iudex, vt diximus: niſi eos excuſaret ignorantia inuincibilis; Puto enim quod ſi homines contra B. Siluanum teſtati fuiſſent, quod eum vidiſſent ſub lecto fœminæ latitantem, dum viderunt Diabolum in eius perſonam ſe transformantem, vt legitur in vita Diui Hieronymi, non peccaſſent. Et ſi Tobias iunior hominem ſecum in Rages Medorum ambulaſſe iureiurando firmaſſet, quamuis homo non fuerit, ſed Angelus, haud peccaſſet.

Quædam mala ſunt vltioni diuine relinquenda.

Secundo dicit Doct. quod ſi ex lege poſitiua, vel ex conſuetudine habeatur, quod iurans non tenetur deponere de certitudine, ſed de credulitate; quia iuramentum habetur pro credito, non autem ſimpliciter pro certo, tunc iurans non peccat dummodo ex ſignis probabilibus coniecturet magis partem iſtam, quam aliam; adeo vt iurans dubium pro certo, ſi ad partem quam iurat habeat ſigna probabilia, præbens iuramentum ad iudicandum credulitatem iurati, non eſt periurus nec peccat, verbi gratia, dicit Franciſcus opinor illum eſſe qui occidit: quia ſic, & ſic vidi; ſed neſcio ipſum fuiſſe. Tunc non eſt periurus, nec peccat. Contra per illud iuramentum condemnabitur: Dico, quod ſi condemnabitur, peccabit Iudex, & non teſtis. Cæterum circa dubium pro certo non habens ſigna probabilia pro parte ad quam iurat, eſt periurus, & peccat mortaliter, verbi gratia, Martinus videt Petrum loquentem cum meretrice, tunc immediate infert ille eſt fornicator, & pro hac parte nullum aliud ſignum probabile habet; niſi quod locutus eſt cum meretrice; ſi vocatur ad iudicium, & iuret ſe opinari Petrum fornicatorem, periurus eſt, & peccat lethaliter.

Quo ad fauorabilia. Epiſcopus vult promouere examinatos ad ordines, & poſtquam Archidiaconus, præſentans ordinandos dixit Epiſcopo. Reuerende Pater, poſtulat Sancta Mater Eccleſia Catholica, vt hos præſentes Diaconos ad onus presbyterij ordinetis. Epiſcopus interrogat dicens; ſcis illos eſſe dignos, reſpondet, ſunt digni. Si Epiſcopus diceret iura eos eſſe dignos; & Archidiaconus iuraret, dubium pro certo iuraret. Quæritur an eſſet periurus? & videtur quod non: quia licentiandi in Theologia Pariſius, lectis ſuis vitis, vt inquit Maior hac diſt. queſt. quarta, & quod ſunt legitimo matrimonio nati, iurant vnum non certitudinaliter eis notum; & tamen non peccant: quia ſi eſſet peccatum, facultas tot annis illud non permitteret, quod autem non certitudinaliter no-

Maior.

tum iurent patet: quia plerique iurant ſe natos legitimo matrimonio, qui realiter ſunt illegitimi. Reſpondetur. Non requiritur in omnibus eadem certitudo, & 1. Ethic. docet Ariſt. Non ita exacte quærenda eſt veritas in operationibus humanis, ſicut in Mathematicis. Vnde in fauorabilibus, inquit Doct. omnem illum, quem ego non cognoſco indignum, debeo reputare dignum. Et ideo ſi ex lege poſitiua, vel ex conſuetudine habeatur, quod iurans non tenetur deponere de certitudine, ſed de credulitate, tunc iurans non peccat, dummodo ex ſignis probabilibus coniecturet magis partem iſtam, quam alteram; ſicut habetur extra de teſtimonio, & ſcrutinio faciendo cap. vnico, Dominus Papa. Reſpondet enim quod quantum humana fragilitas ſinit noſcere ſcit, & teſtificatur illum ad huiuſmodi officij onus eſſe dignum, & dicit Papa, quod in tali teſtificatione aliquem peccare non credimus, & Papa ille eſt Innocentius III. dummodo contra conſcientiam non loquatur: quia non ſimpliciter aſſerit eſſe dignum, ſed quatenus humana fragilitas patitur, & noſſe ſinit. In promotionibus ergo talibus ſiue ad ordines, ſiue ad quaſcunque dignitates per electiones faciendas, in quibuſcunque Collegijs; puta in vniuerſitatibus ad magiſterium, in religionibus ad prælationem, vel ad aliquos alios actus; ſi ſit conſuetudo approbata, quod tales reſpōſiones ſub iuramento præſtito, vel ſub fide data, vel ſub obedientia promiſſa non debent intelligi niſi de credulitate, quantum ſinit humana fragilitas noſcere: cum illum quem non nouit indignum debeat æſtimare dignum: omnes tales reſponſiones debent intelligi de illo ſecundum conſuetudinem communem, nec reſpondentes peccant in aliquo, quamuis ſic promotus non ſit dignus. Vel poteſt reſponderi, (& quidem tutius) cum additione illa, quā ponit decretalis prædicta; non ſimpliciter, ſed quantum ſinit humana fragilitas; & in talibus etiam iudex, vel prelatus promouens talem non peccat: quia conſuetudo eſt vt talis teſtificatio de credulitate ſufficiat. Hac enim fauor ampliatur, & odium reſtringitur iuxta illam regulam iuris.

In condemnabilibus itaque oportet teſtem iurantem ſtricte dicere veritatem, & hoc certum: quia aliter non eſſet propter eam ſententia condemnationis ferenda: at in fauorabilibus ad ſententiam ferendam ſufficit iuramentū de credulitate, potiſſime vbi eſt talis conſuetudo, vel lex poſitiua in collegio iurare de credulitate: quia propter veritatem ſic teſtificatam præſidens poteſt promouere ad talem gradum. Vniuerſaliter autem ſiue in fauorabilibus, ſiue in odijs iurans de illo, cuius oppoſitum magis credit, vel de illo de quo eſt dubius, id eſt, quod non magis aſſentit vni parti, quam alteri peccat mortaliter: quia adducit Deum tanquam teſtem eius, quod neutro modo eſt ſibi certum, quo deberet eſſe certum: atque adeo vniuerſaliter iurans debet magis credere eſſe verum illud, quod iureiurando affirmat: quam eius oppoſitum.

ARTICVLVS IX.

Vtrum iuramentum doloſum ſit obligatorium.

IN hoc, & ſequentibus articulis eſt ſermo ſpecialiter de iuramento promiſſorio, quod poteſt eſſe quadruplex: doloſum, incautū, coactum, & carēns iſtis conditionibus. Vnde obſeruan. eſt, quod tres conditiones requiruntur in genere ad hoc, quod iuramentū ſit bonū, & licitū, q̃ à D. Hieronymo (vt diximus ſupra) comites iuramenti appellantur; quas tangit Hieremias, cap 4. Iurabis, dicit Dominus, in veritate, in iudicio, & in iuſtitia. Requiritur ergo veritas tam in conſcientia iurātis, quam in ſermone ipſo, quo iuratur; in conſcientia quidem, vt ita eſſe credat ſicut erat in aſſertorio, vel ita facere intendat ſicut iurat in promiſſorio; In ſermone, vt ſermo quo iurat verus ſit.

Requiritur iuſtitia, vt non iuret, quod eſt ſecundum ſe iniuſtum, illicitum, vel inhoneſtum, aut meliori boni impeditiuum, vtrumque enim illorum vergit in deteriorem exitum: nam ſicut iuramentum non debet eſſe vinculum iniquitatis, de iureiurando c. Quanto; ita nec impedimentum perfectionis.

Requiritur tertio iudicium; non illud, quod eſt executiuum iuſtitiæ, ſed iudicium diſcretionis, vt ſcilicet non leuiter, indiſcrete, & ſine debita neceſſitate iuret. Verum hæc diſcretio multas inuoluit circumſtantias, præſertim ſex attendēdas, ſcilicet cur, quis, cui, per quid, quomodo, quando, de quibus latius alias. His tribus comitibus tres conditiones opponuntur iuramentum vitiantes, ſcilicet dolus, indiſcretio, coactio; dolus contra veritatem. indiſcretio contra iudicium, coactio contra iuſtitiam, à quibus denominatur iuramentum, vel doloſum, vel incautum, vel coactum. In præſenti artic. de iuramento doloſo eſt ſermo. Eſt autem iuramentum doloſum, quando iurans aliquid ſe facturum in ipſo actu iurandi intendit oppoſitum, vel non intendit ſe obligare ad illud, quod iuratur.

Iuramentū doloſū quid ſit.

Et de hoc iuramento ponit Doct. ſub. in hac quæſt. ſub littera K. §. Doloſum eſt, &c. hanc concluſionem. Quamuis doloſum iuramentum obliget ad pœnam æternam ſimpliciter, & ad ſeruandum promiſſum in foro Eccleſiæ exteriori; non tamen obligat in foro conſcientiæ interiori. Hæc concluſio habet tres partes, prima pars dicit, q̄uod doloſe iurans in eo actu iurandi peccat mortaliter ſi ex deliberatione iuret: patet, quia adducit Deum in teſtem falſitatis in iuramento doloſo aſſertorio, vel promiſſi implendi, cuius tamen oppoſitum intendit in promiſſorio, ergo peccat mortaliter. tenet conſequentia: quia facit magnam irreuerentiam Deo adducēs illum in teſtem falſitatis, & per conſequens obligatur ad pœnam æternam, & in hoc conueniunt omnes Theologi.

Cōcluſio Scoti.

Secunda pars concluſionis dicit, quod obligatur in foro Eccleſiæ cōtentioſo ſeruare promiſſum. probatur: quia ſecundum iudicium illius fori compellitur ad ſeruandū promiſſum: Nam Eccleſia iudicat de his, quæ patent: & quia verba obligatoria manifeſta ſunt, ideo talem iudicat obligatum. In hoc etiam omnes Theologi conueniunt.

Tertia pars dicit, quod non obligatur poſt iuramentū in foro interiori conſcientiæ; ſed circa hanc tertiam partem eſt controuerſia inter Doctores. Nam Alexan. de Ales. 3. p. q. 31. in 4. art. 3. & fere omnes Thomiſtæ tenent, quod iuramentum promiſſorium doloſum, quo quis iurans habet animum iurandi, ſed non ſe obligandi illo iuramento, vere obligat ad præſtandum ea, quæ iurantur, ita Caiet. 2. 2. q. 89 art 7. Sotus de iuſt. lib 8. quæſt. 1. art. 7. Arragona de iuſt. & iure quæſt. 89. art. 7. & Couar. in cap. Quamuis de pactis in 6. par. 1. §. 4. num. 2. & probāt quia obligatio eſt omnino inſeparabilis à iuramento promiſſorio, & ex natura ſua ex iureiurando promanat, nec eſt in poteſtate hominis efficere, quod ſit tale iuramentum, & ex eo non naſcatur obligatio: quia nemo poteſt poſitis rerum naturis earum neceſſarios effectus impedire. Secundo quicunque aliquid iurat tenetur efficere, vt verum ſit, quod iurat, nec vlla arte poteſt hanc obligationem euadere: quia cauendum ei quam maxime, vt non adducat, vel adduxit Deum in teſtem falſi, ergo tenetur exequi, quod iurauit ſe facturum. Tertio in iuramento promiſſorio eſt duplex veritas, præſens ſcilicet, quod habeas animum implendi, & futura quod re ipſa implebis, ſed non potes efficere, q̄ nō obligeris ad veritatē pſentē, ergo neque vt non aſtringaris ad futuram. Quarto ex iuramento naſcitur obligatio non ratione intentionis obligandi, vt in contractibus; ſed ex natura operis; ſicut ex damno illato naſcitur obligatio reſtitutionis, & ex facto vnde damnum metuitur naſcitur obligatio impediendi, ergo etiamſi intentio obligandi abſit, nihilominus orietur obligatio in iuramenti.

Alex. de Ales.

Caietan.

Sotus.

Aragon.

Couar.

Oppoſita ſententia docet huiuſmodi iuſiurandum nullo obligationis vinculo deuincere iurantem, ita docēt D. Bonauent. hac d. art. 3. quæſt. 1. & in 4. d. 38. art. 1. q. 1. Richar. in 3. d. 39. art. 2. q. 1. & in 4. d. 38. art. 3. q. 3. Rubiō, in 3. d. 39. q. 2. art. 1. §. Secundo videlicet &c. Gabriel eadem d. q. 1. art. 2. concl. 5. Almayn. eadem d. q. 1. Angelus iuramentum 5. q. 32. Silueſter. verbo Iuram. 4. §. 19. Nauar. in Manu. cap. 12. num. 38. & Gloſſa in cap. Literaturam de vot. & vot. redemp. Qua ſententia ita probatur: quia

D. Bonau.

Richard.

Rubion.

Gabriel.

Almayn.

Angel.

Silueſter.

Nauar.

Gloſſa.

Digitized by Google

quia in priuatis obligationibus nullus non intendens ſe obligare coram Deo obligatur quia Deus iudicat ſecundum ſecretum conſcientiæ: Nam homo accipit verba ſecundum quod foris ſonant: Deus autem accipit ſecundum quod intus concipiuntur. Hinc dicitur 1. Reg. 16. Homo videt, quæ patent; Dominus autem intuetur cor,

D. Greg.

& D. Greg. 22. moralium inquit. Humanæ aures talia verba noſtra iudicant, qualia foris ſonant. Deus autem accipit ſecundum quod intus concipiuntur, vel diuina iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur: & eſt ſimile in matrimonio, in quo verba foris prolata non obligant, ſine conſenſu interiori, qui ergo intus non intendit ſe obligare, coram Deo non eſt obligatus. eamdẽ ſent. docet Maior in 3. diſt. 39. quæſt. 2.

Ad quid teneatur doloſè iurans.

Pro huius controuerſiæ explicatione obſeruandũ eſt, quod doloſè iurans, licet poſt iuramentũ non maneat obligatus in foro conſcientiæ ex vi iuramenti, obligatur tamen ex vi charitatis, & tenetur mutare dolum in verum conſenſum, vt dicitur de homine doloſè nupto, & doloſe etiam Religionem profitente: eſto enim quod ex vi voti non teneatur ad obſeruantiam illius Religionis, tenetur tamen ex vi charitatis, & ratione euitandi ſcandalum, ne credentes illum profeſſum talis Religionis, & videntes tranſgredi illius præcepta ſcandalizentur.

Obligatio duplex.

Secundo obſeruandum eſt duplicẽ eſſe obligationem, vnam communem, & eſt quæ oritur ex voluntate legislatoris, & ex ſuſceptione alicuius ſigni, vel ſacramenti, ad quod ex ordinatione Dei, vel Eccleſiæ ſequitur eiuſmodi obligatio, ſicut dicebat D. Paulus ad Gal. 5. Teſtis eſt mihi Deus, quod omnis, qui circũciſus fuerit conſtitutus eſt debitor vniuerſæ legis; debitor ſcilicet tentione communi, ob ſuſceptionem illius ſacramenti à Deo inſtituti. Similiter baptizatus poſt ſuſceptum Baptiſma tenetur ad obſeruantiam legis Chriſtianę. Exemplum de ſtatuto vel inſtitutione Eccleſiæ. Nouitius poſt annum probationis, eſto nunquam profiteatur expreſſe, & non ignoret quod probatio non datur niſi per annum, & deferat habitum profeſſorum, tenetur ad illam religionem, non quidem alia tentione niſi communi, ob ſignum habitus profeſſorum, quia inſtituit Eccleſia poſt annum probationis deferentem habitum profeſſorum obligari ad illam Religionem. Similiter ſuſcipiens ſacros ordines, eſto promittens caſtitatem aliud habeat in mente, tenetur tamen ad ſeruandam caſtitatem tali communi tentione ex illo ſigno ſuſceptionis ſacrorum ordinum inſtituto à Chriſto, vel Eccleſia.

Alteram priuatam, quæ naſcitur tantũ ex proprio conſenſu, & hac obligatione priuata, & perſonali, nullus ſe intendens obligare obligatur. Cum ergo in iuramento doloſo promiſſorio non ſit niſi obligatio priuata, ideo iurans, & non intendens ſe obligare, non remanet obligatus.

Tertio obſeruandum eſt, quod ſi is, qui iurat, ad iurandum voluntatẽ habet, & nihil de obligatione cogitat, iureiurando eo ipſo deuincit, & in hoc ſenſu puto eſſe veram Caiet. & Sot. ſententiam: quoniam ex iureiurando naturaliter, & neceſſario obligatio profluit non impedita aliunde. Si tamen quis iuret voluntatem quidem iurandi habens, non tamen ſe ſe obligandi, ex iureiurando obligatio minime ſurgit: quoniam voti, promiſſionis, & iuramenti obligatio proficiſcitur quidem natura ſua ex voto, promiſſione, & iureiurando, ſed id locum habet in eo, qui cum vouet, promittit, aut iurat, contrariam voluntatem non habet: nam eo ipſo quo quis ſe alteri obligare non vult, reuocat voluntatem iurandi, & tunc iuſiurandum ſpeciem quidem, imaginem, & ſimilitudinem iuſiurandi gerit, ſed re vera iuſiurandum non eſt: quoniam is qui iurat à iureiurando recedit, ita vt iurando

Scotus.

nolẽs ſe alteri obſtringere, perinde ſe habeat atque is, qui iurat nolens iurare: in vtroque enim iuſiurandum habet ſimilitudinem iuſiurandi, ſed re ipſa iuſiurandum non eſt. Non aliter ac ſi Princeps legem ferat, nolens tamen ſibi obligare populum, ſpecie quidem, nomine, & ſimilitudine lex eſſe cenſetur, re tamen lex non eſt, & per hoc ſoluuntur argumenta oppoſitæ ſententiæ.

Nec tamen ſequitur, quòd talis doloſe iurans reportet commodum ex peccato ſuo, ſcilicet iuramento doloſo, cum non obligetur ad ſeruandum, quod vouit, ad quod tamen eſſet obligatus ni ſi doloſe iuraſſet. Quoniam, vt inquit Scotus, nullum eſt commodum, ſed incommodum

Scotus.

reportare mortale peccatum, ſed doloſe iurãs peccat mortaliter, non autem ſine dolo iurans, qui poſt votum ſeruare tenetur, quod vouit, huiuſmodi autem obligatio, non eſt ipſi damnoſa, ſed fructuoſa, & ex voto non reportat aliquod incommodum, ſed fructum. E contrario autem doloſe iurans, licet ex voto non remaneat obligatus, hoc non eſt ipſi commodum, nullum enim eſt commodum non eſſe obligatum ad bonum, & ex alia parte etiam iſte conſequitur incommodum: quia iurando incurrit mortale peccatum: Nullum enim commodum eſt reportare mortale peccatum, & obligari ad pœnam æternam, quod incomparabiliter peius eſt, quam ſit obligatio ad ſeruandum iuratum: Obligatur tamen doloſe iurans etiam in foro conſcientiæ ad hoc, vt is, cui iurauit, ex dolo ſuo non lædatur, iuxta illud 1. ad Theſſal. 3. Ne quis ſuper grediatur, & circumueniat in negocio fratrem ſuum.

Sed Vtrum ſi ipſum pœniteat ſic doloſe iuraſſe erit ne obligatus adimplere? Reſpondet Almayn, quod non niſi

Almayn.

adueniat noua promiſſio; Ideo ex ſola deteſtatione non ſequitur obligatio; vt ſi Titius promiſerit doloſe Catharinæ ſe illam in vxorem accepturum, & intentionẽ non habeat contrahendi cum ea, ſi poſtea ipſum pœniteat de doloſa promiſſione, non eſt obligatus, niſi ſuperueniat nouus conſenſus.

Sed quid dicendum eſt de eo, qui iurat animo non implendi? Quidam dicunt teneri adimplere iuratum, quod probant eodem modo, ſicut de eo qui iurans non habuit voluntatem ſe obligandi. Cæterum D. Bona. in 3. diſt. 39.

D. Bonau.

art. 3. quæſt. 2. aperte inſinuat, eum qui iurauit non animo implendi, ſed euadendi periculum, non teneri, & Silueſt. Iura. 4. quæſt. 26. ex Panor. dicit, eum qui iurauit ſe

Silueſter.

rediturum ad carcerem iniquum nõ teneri, ſi iurauit animo euadendi, ſecus ſi animo ſe obligandi. Et confirmatur hæc ſententia: Quia quicunque habet animum non implendi cenſetur etiam ſe nolle obligare, vt docet Valentia

Valentia.

Tomo. 3. diſp. 6. quæſt. 7. pun. 4. quorſum enim vellet ſe obligare, ſi nollet implere. Sane ſi rogaretur ſtatim diceret hanc eſſe mentem ſuam: Quare ſicut diximus non teneri eum, qui iurat abſque animo ſe obligandi; ita dicendum eſt eum non teneri, qui iurauit animo non implendi, quia in hoc illud tacite cenſetur contineri. Nam quandocunque deeſt animus faciendi, deeſt etiã animus promittendi. Contra Caiet. & Sotum locis citatis.

ARTICVLVS X.

Vtrum Iuramentum incautum ſit obligatorium.

Iuramentum aliquod poteſt eſſe incautum, vel ratione modi iurandi, vel ratione eius, quod iuratum eſt; primo modo dupliciter: nimirum, vel quia non eſt factum ex deliberatione, & ſic non obligat de neceſſitate, ſed tantum de congruitate, etiam ſi licitum ſit quod iuratur; aut quia non ſit cum debita reuerentia: atque ita peccat homo iurando, & obligatur ad obſeruãdum, quod iurauit, ſi id licitum eſt, quod iurauit.

Quot modis iuramentum poſſit eſſe incautũ.

Iuramentum incautum ratione eius, quod iuratum eſt, poteſt fieri quadrupliciter. Primo quando iuratur aliquid, quod vergit ſimpliciter in ſalutis detrimentũ, quia videlicet tranſit ſuper materiam omnino illicitam, vt ſi quis iuret ſe occiſurum, vel adulteraturum. Secundo dicitur eſſe iuramẽtum incautum cum quis iurat aliquid, quod vergit in ſalutis ſuæ diſpendium, & perfectionis impedimentum, & eſt quoniam tranſit ſuper aliquam materiam, quæ eſt de ſe licita, ſed non eſt materia iuramenti licita, vt ſi aliquis abiurat opera perfectionis; nimirum ſi quis iuraret ſe nunquã intraturum religionem. Tertio dicitur iuramentum incautum, quando quis iurat aliquid in omnem euentum, quod vno caſu contingente vergit in ſalutis diſpendium, & alio euentu contingente

vergit

vergit in ſalutis profectũ. Sicut cum iurat aliquis ſe nunquam recepturum prolationem, quod quidem eſt in ſalutis diſpendium ſi vtilis ſit,& canonice eligatur, & à maiori ſibi iniungatur; Tunc autem vergit in ſalutis profectum ſi ſit perſona vilis,& inutilis ſibi,& alijs, ad ſtatum illum promoueri. Quarto modo eſt incautum iuramentum, quando aliquis iurat ſe facturum aliquid, quod non poteſt facere, ſed cum iurat putat ſe poſſe illud facere.

1. Concl.

His obſeruatis ſit prima Concluſio. Iuramentum incautum primo modo non obligat ad promiſſi obſeruantiam; obligat tamen ad mortalem culpam. hæc concluſio eſt Scot. in hac quæſt. ſub. Litt. L. §. Iuramentum incautum.

Scotus.

Prima pars probatur, quia non poteſt inferior obligare ſe ad non obediendum ſuperiori; nec ad id quod eſt ſecundum ſe illicitum: Neque quod eſt ſecundum ſe illicitum, poteſt per iuramentum (quod non poteſt eſſe vinculum iniquitatis) fieri licitum; peccatum enim mortale non facit conditionem peccantis magis liberam; talis autem ſic iurando peccat mortaliter, vt ſtatim probabitur; ſic ergo iurans non ſolum non obligatur tali iuramento, ſed etiam non debet ſeruare, quia non poteſt ſine mortali ſoluere promiſſum.

D. Amb.

Vnde D. Ambroſius lib. de officijs. Eſt, inquit, nonnunquam cõtra officium ſoluere promiſſum, ſicut Herodes, qui necem Ioan. præſtitit, ne promiſſum negaret,

D. Aug.

& B. Auguſt. ſer. de decollatione Ioan. Bapt. dicit. Quod Dauid iuramentũ per ſanguinis effuſionem non impleuit, maior pietas fuit. Iurauit Dauid timere, ſed non impleuit maiori pietate, & loquitur de iuramento quo Dauid iurauit ſe occiſurum Nabal virum ſtultum,

D. Iſidor.

vt legitur 1. Reg. 25. & B. Iſidorus in ſoliloquio: In male promiſſis, inquit, reſcinde fidẽ, in turpi voto muta decretum, quod incaute vouiſti non facias, iniqua eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur, & lib. 2. ſent. cap. 13. Non eſt obſeruandum, inquit, ſacramentum, quo malum incaute promittitur. Secunda pars probatur. Nam quando iurauit, vel habuit intentionem implendi, quod iurauit, vel non habuit. Si non habuit intentionem implendi peccauit mortaliter, quia adduxit Deum in teſtimoniũ falſi; ſi etiam habuit intentionem implendi peccauit mortaliter, quia velle peccare mortaliter, eſt peccare mortaliter. Talis ergo in tali actu iurandi omnimodo lethaliter peccat. poſt iuramentum tamen debet non implere iuratum, quia non debet addere peccatum peccato: Non enim quia iurauit illicitè, fit ſibi licitum, quod prius fuit illicitum. Item quicunque vocat Deum in teſtem contra ipſummet Deum, mortaliter peccat, quia Dominus non eſt diſſenſionis Deus, vt dicit Apoſt. 1. Corinth. 14. Sed qui iurat incaute primo modo, iurat contra præceptum diuinum, id eſt, iurat nolle obedire præcepto, ergo inducit Deum in teſtem contra Deum, atque ita peccat contra ſecundum præceptum: quo omnis Dei irreuerentia prohibetur, atque adeo mortaliter peccat.

Secunda Concluſio. Iuramentum incautum ſecundo modo, id eſt, quod tranſit ſuper materiam de ſe licitam, non autem licitam in iuramento, non obligat ad promiſſi obſeruantiam, obligat tamen ad mortalem culpam. hęc concluſio eſt Scoti vbi ſupra.

Scotus.

Prima pars probatur. Nullum iuramentum, quod obuiat charitati, obligat ad ſeruandum iuratum, quia ab obligatione charitatis abſolui non debemus, iuxta illud Apoſt. ad Roman. 13. Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis, ſed omnia iuramenta, quæ vergunt in deteriorem exitum ſunt, huiuſmodi, ergo, &c. ſunt autem talia iuramenta de non implendis conſilijs Euangelicis, de non faciendis operibus ſupererogationis, & generaliter de his, quibus ponitur obex motioni Spiritus Sancti, aut quæ ſunt in perfectionis detrimentum. Vt ſi quis iurat nunquam ſe intraturum Religionem, nunquam viſitaturum talem infirmum, &c. tale iuramentum licet ſeruari poſſit ſine peccato, non enim tenetur aliquis ingredi religionem; ideo non peccat qui Religionem non intrat; non tamen obligat tale iuramentum, ad non intrandum, atque adeo qui iurauit non intrare, poteſt intrare ſine peccato, quia non tenetur illo iuramento.

Et confirmatur authoritate Bedæ ſuper Matth. 5. dicentis.

Beda.

Si aliquid fortè nos incaute iurare contigerit, & obſeruatum in deteriorem vergat exitum, libere illud ſalubriori conſilio mutandum nouerimus, ac magis inſtante neceſſitate peierandum, quam pro vitando periurio in aliud crimen grauius eſſe diuertendum, & hæc vltima pars authoritatis reſpicit incautũ primo modo dictum.

Secunda pars concluſionis probatur ſicut de iuramento incauto primo modo. Quicunque inuocat Deum in teſtem contra ipſummet Deum, mortaliter peccat: quia Dominus non eſt diſſenſionis Deus: Sed qui iurat incaute ſecundo modo iurat reſiſtere motioni Spiritus Sancti, ergo adducit Deum in teſtem contra Deum atque a Deo mortaliter peccat. Nam vt inquit Scotus, licet abſolute liceat non facere opera perfectionis: non licet tamen habere fixum velle nunquam faciendi opera perfectionis, quia hoc eſt habere velle fixum contra motionẽ Spiritus Sancti, & notãter dicit Doctor fixum velle, ſcilicet per iuramentum, quia bene poſſum habere etiam licite propoſitum non intrandi religionem, ſed non iurãdo deliberate, ac ſi contemnerem motionem Spiritus Sancti, ſi mihi illud inſpiraret. Nam in iuramento promiſſorio attenditur principaliter qualitas teſtis, & non qualitas iurati, vt dictum eſt ſupra.

Scotus.

Sed contra dubium videtur, quod ego non poſſim iurare non intrare religionem, quia licet mihi iurare facere aliqua, quæ operibus perfectionis ſunt incompoſſibilia: ergo licet mihi iurare, me non facere opera perfectionis, imò illa abiurare; antecedẽs patet, quia licet mihi nedum iurare de contractu matrimonij cum Catharina, ſed etiam vt illam cognoſcã intra limites matrimonij, ergo &c. concedo antecedens, & nego conſequentiam, quia licet quidem iurare aliquid, quod eſt incompoſſibile operibus perfectionis: illa tamen non contemno nec abiuro, ſed de per accidens illis inhabilem me reddo, quia non eſt meæ intentionis illis contraire: imò poſſum de illis non conſiderare. poſſet etiam negari antecedens, & ad probationem dici, quod illud non eſt incompoſſibile operibus perfectionis, quia poſt illud factum poſſem de vxoris conſenſu religionem intrare.

Et ex hoc dicto Doct. exponi poteſt illud Eccleſ. 5. Ne tardes conuerti ad Dominum, nec differas de die in diem. Vnde videtur, quod exiſtens in peccato mortali teneatur agere pœnitentiam ſubito; atque adeo ſtatim confiteri, & tamen ſi teneor hodie ad pœnitentiam pro hac hora, ſcilicet prima, non teneor cras pro hora ſecunda, &c. Exponitur ſic. Ne tardes, id eſt, ne differas conuerti ad Dominum, id eſt, non habeas velle fixum nolendi facere pœnitentiam pro hora prima: quia alioquin quantum eſſet ex parte cauſæ, videlicet nolitionis pœnitentiæ, ponerem reſiſtentiam Spiritui Sancto. In propoſito ergo de iuramento: cum enim iuſiurandum dicat velle fixum adimplendi, quantũ eſt de ſe, pronus ſum velle iuratum, iurans non ingredi religionem, quantum eſt ex parte cauſæ, id eſt, nolitionis perfectionis ponit reſiſtentiam Spiritui Sancto, quicquid dicãt Thomiſtæ, & Nauar. in Man. c. 12. patet ergo, quod in his duobus iuramẽtis doloſo, & incauto, duobus modis prædictis, quod iurans non manet obligatus ad implendum, quod iurauit poſt iuramentum, ſed in actu iurandi peccat mortaliter. ita cum Scoto D. Bona. in 3. diſt. 39. art. vlt. quæſt. 3. Angelus Iuram. 5. nu. 3. & Silueſt. iuram. 2. quæſt. 7.

D. Bonau.
Angelus.
Silueſter.

3. Concl.

Tertia Concluſio. Iuramentum incautum tertio modo, quando vergit in ſalutis profectum, obſeruandũ eſt; ſi vero vergit in deteriorem exitum illicitum eſt, & non obſeruandum; cum videlicet in ſalutis detrimentũ vergit. Pro explicatione huius concluſionis pono Caſum, quod aliquis iuret, quod nunquã erit Epiſcopus, Vtrum illud iuramentum ſit obligatorium? & videtur quod ſic, quia habet tres comites, diſcrete enim iurat, quia arbitratur ſe non eſſe ſufficientem ad paſcendum Domini gregem. Secundo habet iuſtitiam, quia laudamus ſanctos, qui dignitates, & animarum curam tenuerunt. Habet veritatem, quia ſola veritate mouetur: Nã cognoſcit ſuam inſufficientiam; videtur ergo, quod hoc iuramentum obliget. Sed pono vltra, quod poſt mortem Epiſcopi, ita eligatur in Epiſcopum. Quæritur an teneatur ſeruare iuramentum? vide Alexand. tertia parte, quæſt. 31. memb. 4. articulo 4.

Reſpondetur, quod aliquid dicitur eſſe licitum dupli-

Digitized by Google

Licitũ dicitur eſſe aliquid duppliciter. pliciter. Primo quia expediens, Secundo quia licitum, ſed non expediens; illud eſt licitum, & expediens, quod eſt iuſtum, & dicit promotionem ad melius; illud eſt licitum, & non expediens, quod eſt iuſtum, ſed non promotiuum ad melius. Dico ergo quod licitum fuit iſtum iurare, ſed non expediens ſeruare iuramentum in caſu, in quo non poteſt inueniri aptior ad hoc munus obeundum, atque adeo iuramentum illud cum fuerit incautum nõ eſt obligatorium; ac proinde ſi eueniat electo tenetur acceptare. Et ſi dicas omne iuramentum, quod habet tres comites eſt obligatorium, ſed iſtud habet tres comites, ergo, &c. Nego minorem, quia non iurat diſcreto vndequaque, quia ſi non inueniatur melior, oportet quod ipſe ſit Epiſcopus. Et ſi quæras, an ſic iurando peccet. Dico quod poteſt eſſe quod ſic, & poteſt eſſe quod non: ſicut de eo qui iurat ſe non intraturum religionem, poteſt peccare, & non peccare: Nam ſi cognoſceret, quod ex ſua fragilitate non poſſet ſuſtinere onera religionis, & timeret ſe fore transgreſſorem, nõ peccaret: ſi autẽ facit, vt liberius viuat, & religionem contemnat, peccat; atque ita de alio, ſi iurat, quia credit, quod nunquam habebit gratiam regendi populum, non peccat; ſi vero faciat ne portet laborem, & onus, peccat, quia forte eſt fructuoſus populo.

4. Concl. Quarta Concluſio. Iuramentum incautum quarto modo, ſcilicet quo quis ſe facturum iurat, quod præſtare nequit, dum ſeruare non poteſt non obligatur; probatur, quia ad impoſſibile nemo obligatur. Verum ſi nunc ſeruare nõ poteſt propter aliquid ſuperueniens impedimentum, poteſt autem poſtenus, tunc manet iurans obligatus vt faciat cum poſſit, vt ſi quis iurat ire ad Sanctum Iacobum, & ſuperueniat corporalis infirmitas, non tenetur peregrinari infirmitate perdurante, manet tamen obligatus vt conualeſcens impleat, & ſi dum iurauit credidit probabiliter ſe poſſe, excuſatur in fauorabilibus; ſecus ſi non putabat, aut ſtulte exiſtimabat ſe poſſe, & præſertim excuſatur ſi impedimentum de nouo ſuperueniat, quod præuiſum non eſt.

ARTICVLVS XI.

Vtrum iuramentum coactum obliget in Conſcientia.

Coactio eſt duplex. PRo explicatione huius difficultatis obſeruandum eſt primo, quod duplex eſt coactio, quædam eſt coactio ſimpliciter, quæ non cadit in actum voluntatis elicitum, neque imperatum, vt fiat à volũtate, quamuis poſſit cadere in actum voluntatis imperatum, vt non fiat etiam voluntate ad illud mouente, ſicut aliquis poteſt ſimpliciter cogi, quod non iuret, quia poteſt ei lingua præſcindi, ſed non poteſt cogi, vt iuret, vel ambulet voluntate imperante. Alia eſt coactio ſecundum quid, quæ eſt per metum, qui poteſt cadere in voluntatem tam quo ad actus elicitos, quã imperatos, tam in dictis, quam in factis; ſicut metu alicuius mali fit, vel dicitur, quod alias non fieret, nec diceretur.

Metus eſt duplex. Secundo obſeruandum eſt quod metus apud Iuriſconſultos eſt duplex, ſcilicet metus grauis, & metus leuis, qui à Theologis dicuntur metus cadens in conſtantem virum, & metus non cadens in conſtantem virum; metus cadens in conſtantem virum in hominem virtute præditum eſt, quo quis metu maioris mali fugiendi eligit minus malum, & ille poteſt cadere in virum conſtantẽ, & ſtudioſum, vt quando non leui æſtimatione, ſed certitudinaliter (ſaltem certitudine ſufficiente in actibus humanis) ſcit malum ſibi inferendum, quod maius eſt ſibi inconueniens, quam actum illum ſibi diſplicentem elicere, & poteſt contingere, quod ſecundum rectam rationem ſibi ſit maius inconueniens; vt puta, mors, carcer, mutilatio enormis, ſtuprum, & ſimilia, cum enim ille ſit Dominus voluntatis ſuæ, poteſt velle aliquid, quod alias nollet, & imperare actum alias nolitum, antequam incurrat iſta mala, & hoc ſecũdum rectam rationem, & talis metus dicitur cadere in conſtantem virum, dum illud malum fugiendum ſit magis inconueniens viro, quam illud, quod tali metu elicit, vt ſi quis voluerit aliquem interficere, niſi det centum aureos, metus inducens ad dandum centum cadit in conſtantem virum: quia vir conſtans, & ſtudioſus magis debet velle dare, & effectualiter tradere centum, quam vitam perdere. Et ex hoc infertur, quod nullus metus poteſt inducere virum conſtantem ad peccandum mortaliter, quia non poteſt eſſe maius malum, quod imminet, quam peccatum mortale, & eſto quod vnum peccatum mortale ſit maius alio, nullum tamen eſt peccatum mortale magnum, vel paruum, quin vitari poſſit abſque hoc, quod committatur aliud peccatũ mortale, quia nunquam poteſt mortaliter peccari, niſi pleno voluntatis conſenſu; at voluntas non poteſt cogi ad conſenſum; licet poſſint violentari membra exteriora ad actum, qui tamen nunquam eſt peccatum volũtate non conſentiente, & ideo maius mortale ſemper vitari poteſt abſque perpetratione minoris peccati mortalis.

Metus leuis, ſiue cadens in virum inconſtantem, eſt quando maius malum, vel inconueniens admittitur ad fugiendum minus malum, vel inconueniens, vt qui peccat ne ſubſtantiam temporalem perdat, aut mortem ſuſtinet corporalem, ne diuitias habitas perdat.

His obſeruatis eſt prima Concluſio. Iuramentum metu extortum obligat in foro conſcientiæ, modo factum ſit animo obligandi, de re licita, vel prolatum non ſit oratione ambigua, vel tacita mentis reſtrictione. Hæc concluſio quo ad primam partem eſt cõmunis ſententia omnium Theologorum, & probatur: quia quicunque iurat volens, cæteris paribus, id eſt, ſi adimpletio iuramenti non vergit in deteriorem exitum, obligatur obſeruare iuramentum, & fidem ſi poteſt, ſed iurans coacte iurat volens, ergo &c. Maior patet, & minor probatur: quia coactio ad iurandum non eſt coactio ſimpliciter, & abſoluta, quæ fit per violentiam, cui reſiſti non poteſt: quia neque voluntas poteſt cogi ſimpliciter, neque lingua ad formandum verba, ſicut manus ad operandum, puta ſcribendum, vel percutiendum, vel tenendum aliquid, poteſt tamen cogi ſecundum quid, id eſt, metu alicuius magis noliti, ſed talis coactio non eſt ſimpliciter inuoluntaria, licet ſit inuoluntaria ex conditione, ſicut proiectio mercium in mare. 1. Concl.

Præterea ſi metus aliquis tolleret obligationem iuramenti, maxime metus cadens in conſtantem virum, quia metus minor non excuſat, ſed talis metus non cadit in iurationem; hoc eſt, non inducit virum conſtantem ad iurandum contra mentem, quia non ad mentiendum, ſiue ad doloſe iurandum; ergo ſi metu inducitur ad iurandum, iurat in veritate, iuſtitia, & iudicio, quia iurat iuramentum licitum, quod iurare, & ſeruare poteſt ſine peccato, quia ſi iuraret cum peccato, iam non eſſet metus cadens in conſtantem virum: quia maius malum eſt peccatum, quam id pati, pro cuius metu peccat, ſi vero metu inducitur ad iurandum verum, & licitum, tenetur tali iuramento, quia omne iuramentum licitum eſt ſeruandum. Et confirmatur, quia iure naturæ tenemur efficere, vt verum ſit quod iurauimus, ne Deum faciamus teſtem falſi, hoc enim eſt magna iniuria in tantam maieſtatem, quam ne committamus ante mors nobis præoptanda. Neque refert vtrum id, quod iuramento promiſſum eſt, ſit per ſe actus virtutis, an non, ſufficit rem eſſe indifferentem, quæ ſine peccato poſita promiſſione fieri poſſit. Quod patet: quia ſoluere vſuras non eſt per ſe bonum, ſed potius habet ſpeciem mali, cum præbeat occaſionem maioris iniquitatis, & tamen ſi iuramento promiſiſti teneris, cap. Debitores de vſuris.

Et ſi dicas, quod coacte quis promiſit latroni inuadenti centum, vt redimeret ſuam vexationem, qua promiſſione facta liberat ſe, manuſque latronis volẽtis eum occidere fugit, atque adeo nullam patitur vexationẽ, nec aliquam vim repellit, cum iam ſit in tuto, ergo non tenetur amplius promiſſionem adimplere. Nego conſequentiam: Ad hoc enim vt quis teneatur ſeruare iuramẽtum poſtquam declinauit ſatis eſt, vt ipſum iuramentum fuerit firmum tempore, quo fuit emiſſum: præterquã quod ipſa actualis exhibitio pecuniæ, virtute prioris volitionis,

Digitized by Google

nis, quam quis habuit tempore, quo iurauit adhuc vere dicitur redemptio vexationis.

Dixi modo factum ſit animo ſe obligandi, quia ſi abſque tali animo factum ſit, non obligaret, vt diximus ſupra. Dixi etiam, vel prolatum non ſit oratione ambigua, vel reſtrictione mentis occulta. Et certe de oratione ambigua eſt communis ſententia, quod ſi aliquis iniuſte cogitur ad iuramentum, vel alias habet iuſtam cauſam celandi mentem ſuam oratione ambigua, non peccat, etiam ſi alio ſenſu iuret, quod intelligas ſi neceſſitas, vel vtilitas iuramentum exigat. Et ratio eſt, quia cũ non tenetur loqui ad mentem alterius poteſt orationem in aliam ſententiam vſurpare, & aliena à propoſito alterius reſpondere, & conſequenter ſi ratio poſtulet, poteſt illi in eo ſenſu adiungere iuramentum, quod vtique non obligat adimplere iuratum: quia iuſiurandum vi ſua ſolum obligat ad id, quod per ipſum eſt confirmatum, & aſſertum, quia ad hoc ſolum is, qui iurat, Deũ in teſtem adduxit, ſed ſolum id aſſertum eſt, quod iurans in mente habuit, ergo ſolum ad illud præſtandum obſtringit. Præterea iuramẽtum ſequitur naturam promiſſionis, cui accedit: atqui promiſſio non obligat vltra intentionẽ promittentis, ergo &c. Ita Couar. in cap. Quamuis pactum par. 1. §. 1. in principio. Caietanus, & Arragonius 2. 2. q. 89. art. 7. & Sotus lib. 8. de Iuſt. quæſt. 1. art. 7. circa 4. arg. & multi alij.

Couarr. Caietan. Arragon. Sotus.

De reſtrictione autem occulta negant Caietan. Sotus Arrag. & quidam alij: quia oratio illa, quæ exterius profertur eſt falſa, vt ſi promittas latroni centum tacite addendo ſi debeo, ſi ius habes, &c. exterius mentiris, quia oratio extẽrna id non ſignificat. Cæterum contrarium eſt probabilius, quo docent Adrianus in 4. quæſt. de ſigillo Confeſſionis. Maior in 4. diſt. 15. quæſt. 18. Angelus iuram. 5. nu. 9. Silueſter iuram. 3. quæſt. 2. Nauar. cap. 12. nu. 8. 9. & 19. & in Comment. cap. Humanæ aures 22. q. 5. Toletus lib. 4. cap. 21. & lib. 5. cap. 58. & Valent. Tom. 3. diſp. 5. quæſt. 13. par. 2. & diſp. 6. quæſt. 7. part. 4. & alij multi. Verbi gratia, ſi reus non iuridice rogetur, poteſt dicere non feci, mente addendo, In carcere; Non habui complices, puta in alio crimine. Ita Toletus capitulo 58. Si venis ex loco qui putatur falſo infectus peſte, potes cuſtodibus oppidorum reſpondere, te inde non venire, te illac non tranſiſſe, intelligendo, vel addendo tacite, hoc die, vel vbi ſit infectio, ſic enim reſpõdes ad intentionem eorum remotam. Ita Silueſt. iuram. 5. quæſt. 3. Toletus lib. 4. cap. 21. Nauar. ſuprà Addit Toletus, quamuis locus ſit infectus peſte, ſi tamen viator non ſit infectus, poteſt vti æquiuocatione, quia non facit contra præcipuam intentionem illorum, quod intelligas, ſi ſit omnino certus à ſe nihil eſſe periculi. probatur, quia in ſimilibus euentis non tenetur homo totam mẽtem ſuam circa rem de qua interrogatur aperire, ergo nec tenetur omnia verba exprimere, quibus ea aperiatur; poterit ergo partem exprimere, & partẽ tacitus addere. Nec obſtat, quod illud quod exprimit per ſe ſit falſum, quia non intendit per ſe & ſolitarie affirmare, ſed coniunctum cum eo, quod tacitus addit, cum quo eſt verum, quod enim exprimitur ſolum eſt pars totius orationis, quæ conſtat partim locutione mentali, partim externa. Neque etiam obſtat, quod alter inde decipiatur, quia non directe intendis decipere, ſed tegere tuam intentionem, ne ipſe eam cum tuo incommodo cognoſcat. Quod autem ipſe falſum iudicium ſibi formet, ad hoc ſolum permiſſiue te habes, quia iure tuo vteris, & ipſe ſi omnino prudenter agere voluiſſet, debuiſſet iudicium ſuſpendere, & cogitare poſſe iuſtam cauſam celandæ veritatis ſubeſſe. Accedit, quòd nihil incommodi ex illa deceptione ei proueniat.

Adrian. Maior. Angelus. Silueſter. Nauarr. Toletus. Valentia.

Quotieſcunque autem licitum eſt vti oratione ambigua, vel tacita reſtrictione, etiam licitum eſt vti iuramento, ſi neceſſitas, vel notabilis cauſa poſtulet. Nunquam tamen licitum eſt vti hoc artificio orationis, niſi quando iuſte poſſumus veritatem occultare, vt ſi aliquod malum, vel incommodum aliter auerti non poſſit. atque adeo quando non poſſumus hoc artificio orationis vti, vel coactus iurare eo non vtitur, ſi iurat licitum, & animo ſe obligandi, tale iuramentum metu expreſſum obligat in conſcientia ad ſeruandum iuratum, vt probatum eſt.

Hinc ſequitur primo eum, qui pro redimẽda vita promiſit cum iuramento latroni 100. aureos tenere ſoluere, vt docet Caiet. vbi ſupra art. 9. & Sotus art. 7. & alij, etſi enim latro ex hac promiſſione nihil iuris acquiſiuerit, eique nulla iniuria fiat, ſi non ſoluas; tamen Deus ius habet, vt verifices id, ad quod illum teſtem adduxiſti. Vbi tamen ſoluiſti potes repetere, quia momentanea ſolutione ſatisfacis; quando iniuria cauſam dedit, quod ſi latro condonet, etiam coactus metu, non teneris. Idem dicendum, ſi Prælatus abſoluat, vel ſuperior latronis relaxet, quia hæc omnia tacite in tali iuramento intelliguntur.

Caietan. Sotus.

Sequitur ſecundo, eum qui iureiurando promiſit ſe rediturum ad carcerem teneri, ſi carcer nõ ſit iniurioſus, vtpote Tyranni, vel Iudicis non competentis, vel Iudicis legitimi, ſed non procedentis ſecundum ordinem iuris, etiam ſi ſciat ſe morte plectendum. Probatur. Iſta promiſſio fuit prudens, quia abſque illa non potuit obtinere reditum ad res ſuas componendas, ergo eius executio eſt licita; licitum enim eſt exequi, quod prudenter promittitur; ſi licita, ergo ſi firmetur iuramento eſt ſeruãda. Præterea ſuppoſita promiſſione redeundi, iſte reditus nõ ſolum eſt licitus, ſed etiam eſt honeſtus, vtpote opus virtutis fidei, veritatis, & fortitudinis, vt ex ſenſu omnium gentium conſtat, ergo ſi iuramentum accedat naſcitur obligatio; niſi forte cum aliqua reſtrictione animo concepta iurauerit.

Dixi ſi carcer non ſit iniurioſus: quoniam ſi ſit iniurioſus non tenetur, quicquid dicant Caiet. Sotus locis citatis, Silueſt. Iuram. 4. quæſt. 26. & Toletus lib. 4. cap. 22. Ita docet Nauar. cap. 12. num. 18. qui pro ſe adducit Tabienam Iuram. 5. §. 10. Panor. in cap. Si vero de iureiur. Gloſſam communiter receptam in Clemen. Paſtoralis de ſenten. & re iud. v. per violentiam. Ioan. And. in ſpecul. Dub. de iureiur. & Angelum Iuram. 5. §. 37. qui citat cap. Lotharius 31. quæſt. 2. & Barto. in l. relegatis. ff. de pœnis. Idem docet Couar. lib. 1. variarum cap. 2. nu. 7. vbi citat Baldum, Curtium ſeniorem. Ancharanum, & Maiorem in 4. diſt. 15. quæſt. 22. addit que non ſolum non teneri redire (de quo dicit non eſſe dubitandum) ſed ſi redierit grauiter peccare. Et ratio eſſe poteſt, quia redire in tali caſu eſt ſe ipſum quodammodo occidere, & vitam ſuã prodigere, hoc autem eſt illicitum, quia tenetur vitam ſuam iuſte conſeruare. & Confirmatur, quia perterritus tali carcere tenetur capeſcere fugam ſi poteſt, ergo ſi liber ſit non tenetur redire; Tum quia iuramentum non eſt ſeruandum, quando vergit in deteriorem exitum, cap. Quintauallis de iureiurando, ſed hic vergit, ergo &c. Hinc ſequitur non ſolum non teneri, ſed etiam non poſſe redire.

Caiet. Sotus. Silueſt. Toletus. Nauar. Tabienas. Panormit. Gloſſa. Ioan. And. Angelus. Bartolus. Couar. Baldus. Curt. ſen. Anchar. Maior.

Et ſi quæras, quale peccatum eſt violare tale iuramentum, metu extortum. Canoniſtæ putant eſſe ſolum veniale. Ita Panor in cap. Si vero. Ioan. And. Hoſt. & alij in c. Verum. Angelus in verbo Periurium nu. 7. & citat pro ſe Petrum Aureolum, & probãt ex dicto cap. Verum, de Iureiur. Vbi Celeſtinus nu. 3. reſpondet, ſi eos qui inuiti pro vita, vel rebus ſuis ſeruandis iurarunt, non ſeruauerint, non eſſe tanquã pro mortali crimine puniendos. Cæterum communis ſententia Theologorum eſt, eſſe peccatum mortale, præſertim ſi materia ſit grauis, & is in cuius fauorem factum eſt, vel alius poteſtatem habens non relaxet. ratio eſt, quia facere Deum teſtem falſi eſt grauis iniuria. Ita Caietan. & Sotus locis citatis. Nauar. nu. 14. Silueſt. iuram. 4. quæſt. 7. & alij. Ad cap. illud reſpondetur. Tãtum vult dicere in foro Eccleſiaſtico externo non eſſe puniendos pœna Canonibus in periuros conſtituta, ſed mitius agendum, quia metus culpam attenuat, & venia ex parte dignos reddit. ita Gloſſa, vel vt Caiet. ait, hoc pertinet ad Iudicium præſentis Clementiæ Pontificiæ, alioquin eodem cap. ſatis ſignificatur eos eſſe periuros.

Panorm. Ioan. And. Hoſt. Angelus. Petrus. Aureol. Caietan. Sotus. Nauar. Silueſt. Gloſſa. Caietan.

Et ſi iterũ quæras, an iurans coacte in actu iurandi peccauit? Reſpondet Angelus iuram. 5. nu. 9. quod ſi non habuit animum ſe obligandi, ſed ſolum inducendi iuramentum ad reuerentiam Dei, ſed non ad obligationem ſuam, & in mente habuit aliquam circumſtantiam debitã, qua verum iurabat, puta promitto quod dabo tibi centũ, cum iſta ſubauditione, ſcilicet ſi ſum tibi obligatus ex debito, & non aliter, licet hoc non explicet, vel exprimat, & huiuſmodi, quæ ſic vtitur ſimulatione licita, quæ licet,

Angelus.

vt

Digitized by Google

Panor. vt in cap. Vtilem 22. quæſt. 2. non peccat nec etiam venialiter, licet Pano. in cap. Si vero dicat, quod ſi eſt homo perfectus peccauit venialiter, alias non. At ſi iurando credebat ſe obligatum ex iuramento, & tamen non intendebat obſeruare, peccat mortaliter, vt in cap. Querelam de iureiur. & facit cap. Ille 23. queſt. 5. & quod notat Gloſſa in d. cap. Authoritatem.

2. Concl. Secunda Concluſio. Iuramẽtum coactum in foro exteriori non ligat: non enim competit actio ei, qui iniuſte compellit ad iurandum. Et ſi dicatur, qui raptori metu mortis iurat dare centum, tenetur ei dare, hoc conceditur, quia magis tenetur homo ſuſtinere iacturã corporalem, quam frangere fidem ſacramento firmatam; habet tamen talis remedium, quia poteſt datum in iudicio repetere, aut Iudici denunciare, qui ex officio tenetur raptorem ad reſtituendum compellere. Nec debet iurare, quod non velit denũciare, quia hoc eſt contra fraternam correctionem, atque ita illicitum; ad quod non compellit metus cadens in conſtantem virum. Si dicatur, metus tollit obligationem matrimonij, atque etiam voti; quæ maior eſt quam obligatio ſimplicis iuramẽti. Dico quod metus tollit obligationem matrimonij: quia eſt contra inſtitutionem matrimonij. Voluit enim Deus matrimonij inſtitutor, quod talis conſenſus non ligaret, nec matrimonium conſtitueret: Nam matrimoniũ debet eſſe perpetuum, & ſi violentum eſſet, perpetuum eſſe non poſſet: & quoad votum dico, quod alia eſt ratio voti alia iuramenti: Nam in votum ſpectatur ſolum, vtrum executio operis ſit Deo gratior, an eius omiſſio. In iuramento, vtrum executio ſit licita, & promiſſario commoda.

Et ſi contra primam Concluſionem dicatur, Infirmus metu mortis vouens viſitare Sanctam Mariam Lauretanam, & huiuſmodi, &c. & iſte eſt metus cadens in conſtantem virum, & tamen obligatur, ergo, &c.

Dico quod duplex eſt metus cadens in conſtantem virum, Vnus qui eminet ab intrinſeco, & naturalis, & iſte non inualidat votum, nec iuramentum, nec ſimplicẽ promiſſionem, cuiuſmodi eſt periculum mortis, ex infirmitate corporali: alter eſt iniurioſus iminens ab extrinſeco, puta ab hoſte, & iſte bene inualidat promiſſa, & vota, ſed non iuramentum.

ARTICVLVS XII.

Vtrum omne iuramentum promiſſorium iuſtum ſit obſeruandum.

Iuramẽtum promiſſorium iuſtum eſt, quod caret iſtis tribus conditionibus, ſcilicet dolo, incautela, & coactione; atque adeo eſt debite circũſtantionatũ ſuis comitibus, ſcilicet veritate, iuſtitia, & iudicio, & de hoc quærimus an omne tale ſit obligatorium. Pro cuius explicatione obſeruandum eſt; id quod promittitur, vel eſt bonum exequi, vel eſt malum, vel indifferens, item vel promittitur ſub aliqua conditione, vel ſub nulla.

His obſeruatis dicit Doctor in hac quæſt. ſub litt. H. §. Iuramentum promiſſorium, &c. quòd Iuramentum promiſſorium carens iſtis conditionibus dolo, incautela, & coactione, obligat iurantem ad nunquam habendum oppoſitam voluntatem ei, quod iurauit, & licet differat implere illud propter circumſtantias, propter quas videtur rationabiliter differendum, non peccat, ſed tunc eſt primo periurus, quando habet voluntatem non implendi illud quod iurauit: quia tunc vult Deum primo fuiſſe teſtem falſi.

Vult dicere Doct. in hac littera, quod iuramentũ promiſſorium ſuis comitibus debite circũſtantionatũ obligat iurantem ad verificandum, quod iurauit ſaluis conditionibus generalibus, quas in iuramento ſubintelligimus commune voluit: quæ autem ſint huiuſmodi conditiones patet ex Gloſſa in cap. Quemadmodum de iureiurando ſuper verbo Condit. quæ breuius ad tres reduci poſſunt. Prima conditio eſt delatio authoritatis ſuperioris: Nam in omni iuramento ius ſuperioris intelligitur exceptum, vt in cap. Venientes de iureiurando, & ideo in omni iuramento intelligitur, niſi aliud præcipiat aut velit ſuperior, & hoc in his rebus, quæ ſuperioris authoritati, & diſpoſitioni ſunt ſubiectæ, ſecus in his, in quibus ſuperior non habet authoritatem, vel limitatam authoritatem, ſecundum quam poteſt præcipere. Hinc in omni iuramento vniuerſaliter tacite intelligitur ſi Deo placuerit; ſic & authoritas Papæ excepta intelligitur, ſaltem dum cauſa rationalis ſubſit. Sic cuiuslibet Iudicis authoritas, ac vis præcipiendi intelligitur excepta in eis, quæ ſuæ iuriſdictioni ſubſunt: Vnde ſi quis iurauit ſoluere centum florenos in certo tempore, ſi Iudex per areſtam, vel alias prohibuit, tenetur obedire Iudici iuramento non obſtante.

Glossa

Secunda conditio reſpicit fidem ſeruandam, propter quam iuratur: quia non ſeruanti fidem fides ſeruanda non eſt, Intelligitur ergo conditio in iuramento promiſſorio, ſi mihi fidem ſeruaueris, vt habetur de iureiurando præuenit el 2. & c. Sicut. Ideo iurans ducere aliquam ſi fidem ſponſæ non ſeruauerit non tenetur iuramento. Iuraſti Petro ſeruare promiſſa, ſubintelligitur tacite niſi ipſe, qui tibi promiſit non ſeruet. facta pace cum inimico iuraſti, te illi nõ nociturum, nimirum ex cauſa præterita; ſiue niſi ipſe cauſam nouis inimicitijs dederit, aut niſi ob flagitia præſcribi contigerit, &c.

Tertia conditio ſtatum rerum ipſarum reſpicit tã iurantis, quam ei cui iuratur, quam rei, pro qua aut ratione cuius iuratur, quam etiam iuramenti, vnde ſubintelligitur conditio, ſi res in eodem ſtatu permanet, nam ſi quis vt officialis iurat ceſſante officio non tenetur; Si quis Prelato, vt tali iurat, gratia exempli, obediẽtiam, ſi cedit Prælationi ſubditus, non tenetur. Si quis in pinguiori fortuna iurat aliquid ſe daturum, ſi mutatur fortuna, vt præſtare non poſſit, non tenetur durante impotentia. Similiter iuraſti puellæ te illam ducturum, ſcilicet niſi ipſa fornicetur, vel in morbum incurabilem, paupertatem, infamiam, &c. incidat, vel niſi ipſe religionem ingreſſus fueris. Iuraſti ſeruare ſecretum, niſi vergat in damnum alterius. Iuraſti te caſtigaturum filium, vel famulum, ſcilicet niſi forte inde naſceretur maius incommodum, vel niſi veniam deprecando impetrauerint, vel ob aliquam cauſam, aliud expediens viſum fuerit. Iuraſti parere ſuperiori ſcilicet niſi excommunicetur, vel priuetur officio. Iuraſti honoris cauſa te non præceſſurum alterum, ſcilicet niſi te cogat: cum enim ſit in fauorem ipſius cenſetur relaxare dum non vult prior intrare, vel ſubintelligitur, quantum in te eſt, vt vult Caiet. 2. 2. quæſt 89. art. 7. & Caietan.
Nauar. cap. 12. nu. 7. Iuraſti ſeruare ſtatuta Capituli, ſcilicet quæ nunc ſunt in vigore, & maioris momenti, ſeu Nauar.
quæ ex vi iuramenti ſunt in viu; non enim iuramento vult aſtringere ſe ad minima, neque ad ea, quæ non ſeruantur, vel ſi ſeruentur non ex religione iuramenti, neque etiam ad ſtatuta futura, niſi aliud intenderit. Iuramentum enim ſtrictam habet interpretationem ob periculum animæ, vt docet Panor. in cap. Clericus de iureiu- Panor.
rando. Silueſt. iuram. 4. quæſt. 23. Iuraſti dicere in cauſa Silueſt.
quicquid noſti videlicet, ſi ſecundum ordinem iuris dici debet, non autem ſi occultum ſit.

Et breuiter quando promiſſio vel propoſitum de re bona, habet tacitam aliquam conditionem, vel reſtrictionem, ſiue ex mente loquentis, ſiue ex diſpoſitione iuris, vel recepta conſuetudine, iuramentum illi appoſitũ cenſetur eandem conditionem habere, de qua re vide Co- Couar.
uarru. in cap. Quamuis pactum part. 2. §. 4. in principio. probatur, quia iuramentum ſequitur naturam actus ſuper quem cadit. Acceſſorium enim ſequitur naturã principalis, vt habetur Regula iuris 42. in 6. itaque ſi actus habet tacitam conditionem, etiam iuramentum habere cenſetur.

Item ſi abſoluitur à iuramento, ab eo qui poteſt abſoluere ſubſiſtente cauſa rationabili, non tenetur iuramento à quo fuerit abſolutus. Cum etiam aliqua generaliter iurantur, intelligitur ſemper ſi honeſta, licita, poſſibilia, moderata, & ſecundum intentionem illam ſecundum, quam ordinator iuramenti obligari voluerit, & rationabiliter debuerit. Hinc per generale iuramentum ſeruandi ſtatuta, & ſtatuenda, & conſuetudines Eccleſiæ. Vniuerſita-

Digitized by Google

uerſitatis, aut Communitatis cuiuslibet, nõ obligatur iurans niſi ad ea, quæ ſunt licita, honeſta, non abolita: Nam de alijs ordinator iuramenti non intendit, neque debet iurantem velle obligare. de his omnibus latius apud Summiſtas.

Ex his dico primo, ſi executio eius quod eſt promiſſum eſt peccatum, iuramentum promiſſorium adiectum non obligat; inuoluit enim contradictionem obligari quempiam ad peccatum, tali autem iuramento dicitur deeſſe iuſtitia. circa quod ſi deſit animus exequendi, erit periurium defectu veritatis primario requiſitæ, ac proinde erit peccatum mortale; ſi autem adſit animus, iam ratione illius affectus, quem includit erit, peccatum mortale, vel veniale pro qualitate operis exequendi, ſed tunc erit primo periurium quando iurans habet voluntatem non implendi, vt dicit Scotus loco citato, quia tunc primo vult Deum fuiſſe teſtem falſi: cæterum ſi iuramentum conſideretur quatenus eſt teſtificatio Dei ſuper re illicita facienda, ſiue id quod iuras ſit peccatum mortale, ſiue veniale, iuramentum tamen eſt peccatum mortale: quoniam vel Deum adducis ſolum, vt teſtem propoſiti tui, & operis futuri, & ſic non refert vtrum opus ſit peccatum mortale, vel veniale: vel vt approbatorem, vel vt ſponſorem, atque ita vtrobique videtur eſſe peccatum mortale: nam facere Deum approbatorem peccati venialis, eſt blaſphemia.

Dico ſecundo. Si quis iuret aliquid ſe facturum, quod eſt indifferens, vel quod non fieri eſt melius, non obligatur niſi forte ſit factum in fauorem alterius; ita colligunt ex D. Thoma. 2. 2. quæſt. 89. art. 7. Caietan. ibidem. & in ſumma. v. Periurium. Nauar. cap. 12. nu. 12. Sotus lib. 7. de Iuſt. queſt. 1. art. 3. circa 2. Concl. vbi dicit eſſe in hoc eamdem rationem voti, & iuramenti, & probatur: quia quando iuramentum non eſt in fauorem alterius ſolum poteſt obligare per modum voti, cum ſolum Deum reſpiciat: atqui votum de re tali non obligat, ergo nec iuramentum. Item quando iuramentum factum eſt in fauorem alterius non obligat ipſo nolente, vel condonante debitum; ergo ſi factum ſit in proprium fauorem, non obligabit ſi is, qui fecit mutet propoſitum, & nolit implere. exempla ſunt, ſi iures te hodie non ambulaturum, non egreſſurum domo, vel contrarium huius, nullo fine honeſto, ſed ex indignatione, vel ob aliquod commodũ, vel incommodum naturæ. Item ſi iures te initurum matrimonium abſque vlla promiſſione alteri facta, non daturum eleemoſynam, non mutuaturum, nunquam fideiuſſorem futurum, &c. Dices, teneris facere ne Deum adduxeris in teſtem falſi; ſi enim nõ facis quod iuraſti falſum erit, Deumque falſi teſtem feceris. Dico non fore falſum, quia huiuſmodi iuramenta habent tacitã conditionem; Niſi mutauero, niſi aliter viſum fuerit, cum enim nullius interſit illa impleri, præterquam iurantis, iuri ſuo cedere poteſt, & ſibi ipſi condonare. atque adeo, vt inquit Nauar. loco citato. huiuſmodi iuriſiurandi vinculum non eſt obſeruandum, ſed propria authoritate frangendum.

D. Thom.
Caietan.
Nauar.
Scotus.

Ex quo perſpicitur, qua ratione de multis, quæ iureiurando firmamus recte iudicare poſſumus, Iurat quis. Verbi gratia, ſe cum hoc aut illo homine non collocuturum, hunc aut illum in domum ſuam non admiſſurum, &c. de his, & ſimilibus videndum eſt, an boni aliquid habeant, vt re vera habere queunt, nimirum ſi quippiam horum quis iurat, vt omne peccati periculum, & omnem mali occaſionem præcidat, & tunc iuſiurandum eſt ratum, & firmum, & obligationem gignit; ſi vero ſint res penitus indifferentes, iurans nullo iuriſiurandi nexu, & vinculo obſtringitur.

Dixi niſi factum ſit in fauorem alterius, Tunc enim obligat etiam ſi ſit de re indifferenti, niſi ille remittat: quia in promiſſione facta homini, ſpectatur quid gratius ſit homini, non quid in ſe melius. Secus in promiſſione facta Deo, cui ſemper magis placet, quod eſt melius.

∴

ARTICVLVS XIII.

Vtrum ſit grauius peccatum, peierare per Deum an peierare per Euangelium.

Videtur quod grauius peccatum ſit periurium factum per Euãgelium; quoniam vt dicit D. Aug. ad Publicolam, & habetur in Canone 22. quæſt. 1. Dupliciter reus eſt, qui per creaturas iurat mendaciter, quia & contra prohibitionem iurat, per quod ſibi iurare nõ licet, à quo peccato eſt immunis, qui nõ niſi per Creatorem iurat, & proximum dolo capit, quod facit etiã per Creatorem mendaciter iurans. Si ergo duplex eſt reatus in illo, qui iurat falſum per creaturam, à quorum vno immunis eſt, qui iurat falſum per Creatorem, grauius eſt periurium factum per Euangelium (eſt quippe Euangelium creatura) quam per Deum.

D. Aug.

Præterea ille qui iurat per Euangelium non iurat per ipſum ſolum, ſed etiam per eius Authorem Deum; ille enim qui iurat per Euangelium, Deum Authorem illius teſtem inuocat, ſed maior eſt contemptus in illo, qui contemnit creaturam, & Creatorem, quam in illo qui ſolum alterum contemnit; cum ergo omnis periurans contemnat illud per quod iurat, maius & grauius eſt periurium vbi contemnitur Deus, & creatura, quam vnde contemnitur Deus ſolus, grauius eſt ergo periurium factum per Euangelium, quam per Deum.

Item Iuramentum ſolemne magis obligat, ſed iurare per Euangelium eſt iuramentum ſolemne, quia ad ſolemnitatem iuramenti aſportatur Euangelium, per quod iuratur ſolemniter; Iurare autem per Deum eſt ſimplex iuramentum. ergo iuramentum per Euangelium magis obligat, ſed quo magis iuramẽtum obligat, eo magis periurium oppoſitum eſt grauius, ergo, &c.

Item Violatio iuramenti ſolemnis quod fit per Euangelium, inducit irregularitatem, quod non facit ſimplex iuramentum per Deum, ergo videtur quod peierare per Euangelium ſit grauius peccatum, quam peierare per Deum.

In oppoſitum eſt D. Auguſt. in Epiſt. ad publicolam, & refertur 22. quæſt. 1. Quanto per quod iuratur magis ſanctum eſt, tanto magis eſt pœnale periurium: ſed magis eſt ſanctus, imò in infinitum eſt ſanctior Deus, quam creatura, ergo magis eſt pœnale periurium, quando iuratur falſum per Deum, quam quando iuratur falſum per creaturam, ſed non eſt magis pœnale periurium; niſi quia eſt peccatum grauius, ergo &c. Nam ſi tanto magis periurium pœnale eſt, quanto ſanctius eſt illud, per quod iuratur, apparet quod & ſi per creaturam mendaciter iurans dupliciter peccet, grauiori tamen ſe ſubijcit pœnæ, qui per Creatorem iurat mendaciter.

D. Aug.

Item D. Chryſoſtomus hom. 24. in Matth. in opere imperfecto. Si qua, inquit, cauſa fuerit modicum videbitur facere, qui iurat per Deum: qui vero iurat per Euangelium, maius aliquid feciſſe videtur. Ita opponit ipſe ſecundum quoſdam, ſed poſt reſpondet dicens. Quibus dicendum eſt: Stulti, ſcripturæ propter Deum factæ ſunt, non Deus propter ſcripturas, ita creaturæ factæ ſunt propter Deũ; ex quo vult habere quod maius eſt iurare per Deum, quã per creaturas, ac proinde grauius peccatum eſt periurare per Deum, quam per Euangelium.

D. Chryſ.

Hanc difficultatem tangit Scotus in hac quæſt. in reſponſione ad ſecundum principale; vbi ita ſcribit, quod cæteris paribus maximum iuramentum eſt iurare per Deum: quia per nihil aliud licite iuratur, niſi in quantum in eo ſpeciali modo eſt, vel habitat Deus, puta per Euangelium, quia in eo ſpecialiter relucet Deus, per cœlum, quia in eo ſpecialiter habitat Deus, per templum, quia ibi ſpeciali modo colitur Deus. Conſuetudo tamen rationabilis hoc exigit, vt quædam iuramenta fiant cum maiori ſolemnitate, quam alia, & de factis cum ſolemnitate præſumitur, quod nunquam fiant ſine deliberatione. Statuit igitur Eccleſia ad terrorem, vt per huiuſmodi non iuretur niſi ſolemniter

Scotus.

tan-

Digitized by Google

tantum, & per conſequens deliberate, & vbi veritas ſimpliciter eſt communiter aſſerenda. Per Deum autem iuratur communiter, & leuiter, & frequenter ſine deliberatione.

Dico tamen, quod cæteris paribus grauiſſimum eſt iurare per Deum, & dico cæteris paribus, id eſt, quantum eſt ex parte obiecti, non tamen quantum eſt ex parte circumſtantiæ ſolemnitatis vnius iuramenti, quæ non eſt in alio: Et quando dicit Scotus, quod Eccleſia ſtatuit, quod per huiuſmodi non iuretur niſi ſolemniter tantum; videtur ex hoc quod ſolemnitas iuramenti ſit tantum traditio humana; atque ita dicam ſimiliter de voto ſolemni; quod non erit de iure diuino. Dico quod ſolemnitas voti, & iuramenti eſt de iure diuino, modus autem ſolemnitatis talis, vel talis, eſt de iure poſitiuo Eccleſiaſtico. Trahitur autem à iure diuino in vniuerſali ſolemnitas voti ex illo loco Lucæ 14. Niſi quis renunciauerit omnibus, quæ poſſidet, &c. Sed de his in 4. in materia de voto.

Subdit Scotus, ſed poſita deliberatione ex illa parte, ſcilicet cum iuratur per Deum, & plena deliberatione ex alia parte, qualis habetur quando iuratur per Euangelium, ponitur hoc eſſe peccatum mortale, non ſolum propter irreuerentiam illius per quod iuratur, ſed propter deliberationem, quæ ponitur hic, & non ibi. Hinc poteſt trahi, quod conſuetus iurare excuſatur frequenter à peccato periurij, non quod conſuetudo iurandi deobliget illum à peccato, ſed quia per illam conſuetudinem ſæpe iurat indeliberate, ratione cuius indeliberationis illud iuramentum non eſt periurium, nec per conſequens peccatum.

Ad argumenta in oppoſitum dico, ad primum, quod non quicunque iurans per creaturam mendaciter eſt dupliciter reus; ſed ſolum ille, qui in illo iuramento creaturam intendit venerari, tanquam in ſe aliquid diuinum habentem, & qui etiam cum hoc proximum dolo capit, & ideo dicit Canon, (qui iurat per quod non licet) quando iuratur per creaturam honorando ipſam tanquam diuinam.

Ad ſecundum dico, quod bonitas Creatoris, vt in ſe eſt, excedit in infinitum bonitatem eius, prout habet eſſe in creatura. Vnde Pſalm. 148. Confeſſio eius, id eſt, laus eius ſuper cœlum, & terram, id eſt, pluſquam de ipſa in creaturis appareat; Ideo ſanctius eſt cum iuratur per creatorem in ſe, quam per creatorem in creatura, & fortius eſt iuramentum.

Ad tertium dico, quod comparando ſimplicem formam iuramenti ſimplicis plus eſt hoc, quã illud, ſed comparandum iuramentum factum per Deum, & cum hoc, addito iuramento per creaturam, ad iuramentum factum per ſolum Deum, bene concedo quod plus eſt illud, quam iſtud. Quanto enim creſcunt plures ſolemnitates, vt cum iuratur per Crucem, reliquias, & Euangelia, tanto maius eſt iuramentum; Non tamen eſt maius iuramentum per creaturam in ſe, quam creatorem, imò è conuerſo; licet maius iuramentum eſt ſolemnius collectum per iuramentum per Deum, & creaturam, quam iuramentum factum per Deum ſolum.

Ad vltimum dico, quòd violatio iuramenti ſolemnis facit irregularem ratione infamiæ; infamia enim facit irregularem. Oportet enim qui debet ad ſacros ordines accedere, habere bonam famam communem. Vnde Apoſto. 1. ad Timoth. 3. dicit, quod oportet ordinandos maxime in prælatione habere bonum teſtimonium ab his, qui foris ſunt: & de Diaconibus dicit ibidem, quod ſint nullum crimen habentes, & ad Titum, id eſt, præcipit ipſe Apoſt. Tito, vt conſtituat presbyteros, & diſponat, quales debeant eſſe, quoniam ſine crimine debent eſſe. Ratione ergo huiuſmodi infamiæ prouenit illa irregularitas. Et ſi quæras, quare periurans per Euangelium eſt infamis, periurans autem per Deum non eſt infamis. Reſpondet Scotus, quod infamatio non ſequitur ſemper qualitatem culpæ, ſed crimen publicum. *Scotus.* Statutum eſt autem, quod iuramentum publicum, & cum deliberatione eſt, quando iuratur per Euangelia, & ideo tranſgreſſor talis iuramenti præſumitur tanquam violator fidei, & ideo rationabiliter habetur infamis; non ſic autem poteſt præſumi de aliquo leuiter periurante per Deum, vult dicere Doct. quòd infamia eſt pœna canonica, quæ non ſemper ſequitur magnitudinem, & qualitatem delicti, ſed ſtatutum Eccleſiæ, &c.

ARTICVLVS XIV.

Vtrum periurium ſit maius peccatum, quam homicidium, vel adulterium.

HÆc quæſtio intelligenda eſt cæteris eodem modo ſe habentibus, puta ſurreptione, tentatione, impulſione, timore, & cæteris huiuſmodi, & quo ad Homicidium eſt duplex ſententia, prima eſt D. Thomæ 1. quol. articulo 18. *D. Thom.* vbi docet periurium eſſe grauius peccatum, quam homicidiũ; Tum quia periurium eſt contra præceptum primæ tabulæ, & per hoc immediate contra Deum; homicidium vero eſt contra præceptum ſecundæ tabulæ, & contra Deum mediate; Tum quia in cauſa homicidij defertur iuramentum, vt per hoc ſit finis controuerſiæ; ſed fruſtra id fieret ſi homicidium eſſet grauius peccatum: præſumeretur enim vt qui maiorem culpam homicidij commiſit, non timeret minorem culpam incidere, vnde ex hoc ipſo quod in cauſa cuiuslibet peccati defertur iuramentum oſtenditur, quod periurium pro maximo peccato haberi debet. Tum quia periurare nomen Dei, videtur quædam diuini nominis denegatio. Vnde ſecundum locum poſt idololatriam peccatum periurij tenet, vt ex ordine præceptorum patet. Nec obſtat, quod peccatum homicidij grauius punitur, quia in iudicio humano quantitas pœnæ non ſemper reſpondet quantitati culpæ, interdum enim infligitur maior pœna pro minori culpa, quando grauius nocumentum imminet hominibus, aut Reipub. ex minori culpa; ſed in Dei iudicio grauior culpa grauiori plectitur pœna.

Alia eſt opinio Richardi de media villa hac diſt. artic. *Richard.* quarto, quæſt. 1. quod homicidium eſt grauius peccatum quam periurium. Tum quia illud eſt grauius peccatum, quod meliori bono, atque maiori virtuti, & actui digniori contrariatur; ſed periurium eſt immediate, & directe contra actum virtutis latriæ; homicidium autem eſt directe, & immediate contra charitatem Dei, & proximi, ratione actus ſecundarij charitatis, qui eſt diligere proximum; certum eſt autem, quod nobilior actus eſt proximum ex charitate diligere, quam verum ex legitima cauſa iurare; ſicut charitas eſt virtus nobilior, quam latria. Tum quia ſi ex eo periurium eſt grauius, quam homicidium, quia immediate eſt contra Deum; ſequeretur quod quodlibet peccatum commiſſum immediate contra Deum erit maius quocunque peccato, vel quibuſcunque peccatis contra proximum commiſſis, quod eſt falſum. Sequeretur etiam, quod grauius peccatum eſſet facere opus ſeruile aliquod in die Dominico, quam homicidium: quia illud eſt contra præceptum primæ tabulæ, non autem homicidium. Tum quia, etſi cæteris paribus maius ſit peccatum ferire Principem, quam ſubiectum, ex quinto Ethicorum, tamen maius peccatum eſt occidere ſubditum hominem, quam male loqui de homine Rege, ergo ita in propoſito; Et ſi dicas, quod Rex terrenus non excedit infinite virum ei ſubiectum; Deus tamen quamlibet creaturam infinite excedit, propterea non eſt ſimile. Contra hoc modo omne peccatum commiſſum immediate contra Deum eſſet infinitum, quod liquet eſſet falſum: quia conſtat peccatum aliquod eſſe grauius commiſſum contra hominem, quam hoc vel illud peccatum commiſſum immediate contra Deum. Et confirmatur quia licet offenſa, quæ fit contra Deum, & quæ opponitur diuinæ charitati, puta odium Dei cæteris paribus, imò ſimpliciter, ſit maior, quam offenſa proximi, vel odium proximi; non tamen quæcunque offenſa vel irreuerentia Dei, grauior eſt quacunque offenſa proximi: ſicut non quacunque offenſa Regis in propria perſona grauior eſt quacunque offenſa ſubditi ſui, licet cæteris paribus ſit maior. Sic in propoſito.

Dicendum eſt ergo homicidium omnibus ſpectatis eſſe grauius, & deteſtabilius, tum ob grauiſſimum, & irreparabile damnum, quod proximo directe infertur. Tum quia difficilius multo committitur; periurium autem facile committitur, & ſolum indirecte honor Dei læditur: non enim id intenditur. Accedit quod violatio voti non cenſetur tantum peccatum, quantum homicidium, etſi honor Dei in eo lædatur, eſt tamen periurium crimen valde graue, dignum depoſitione, vt habetur cap. Cum non ab homine de Iudicijs. Ita ſentiunt cum Richardo Baſſolis hac d. quæſt. 2. articul. 3. Durandus quæſt. 5. Gabriel quæſt. 2. articulo tertio, dub. 4. Maior quæſt. 5. & Angelus verbo Periurium numero octauo, quicquid dicant Silueſt. Periurium 5. quæſt. 2. & Sotus lib. 8. de Iuſtitia quæſt. 2. art. 3.

Baſſolus. Durand. Gabriel. Maior. Angelus.

Ad motiua alterius ſententiæ, ad primum dico, quòd cæteris paribus grauiora ſunt peccata contra præcepta primæ tabulæ, quam alia, ſed non quodlibet eſt quolibet, grauius ſicut dictum eſt ſupra alioquin exercere opus ſeruile in ſabbato, eſſet peccatum grauius homicidio & adulterio, quod nemo concedit.

Ad ſecundũ dico, quod ſi concluderet, probaret etiam quod periurium eſſet ſimpliciter maximum peccatum, quo tamen ſecundum omnes maius eſt Idololatria, hæreſis, & odium Dei. Vnde quando in cauſa homicidij defertur iuramentum, hoc eſt, quia talis nondum probatus eſt eſſe homicida, quod ſi probatum eſſet, iam ei iuramentum non deferretur: nam vbi non conſtat de alia probatione ſtatur in iuramento, ſed non ſequitur propterea, quod periurium ſit maius peccatum, quam homicidium. Homines etiam interdum plus de minore peccato erubeſcunt, quam de maiore. Iudæi enim non fecerunt conſcientiam procurare mortem innocentis, etiam Meſſiæ in lege promiſſi, & tamen fecerunt conſcientiam precium ſanguinis in corbonam mittere, & in Pilati Prætorium ingredi excolentes culicem, deglutientes camelum. Et multi rurales inter Angliam, & Scotiam, inquit, Maior ſunt, quia magnam faciunt conſcientiam aliquo modo frangere ieiunium, vel panem in die ieiunabili comedere, qui nullam conſcientiam faciunt tollere viginti equos, vel boues à vicino.

Maior.

Ad tertium dico, quod peierare non eſt ſimpliciter, & directe nomen Dei negare, poteſt enim confitens nomen Dei corde, nihilominus ex cupiditate odio proximi, vel ex inordinato amore, vel timore peierare, ſed per quamdam reductionem periurans nomen Dei negat, pro quanto reuerentiam tanto nomini debitam non impendit.

Quo ad ſecundam partem, videtur quod adulterium ſit grauius, quia grauius eſt peccatum, quod contrariatur duabus virtutibus, quam illud, quod cõtrariatur vni tantum; ſed periurium non contrariatur directe, & immediate alicui virtuti niſi latriæ, adulterium autem directe, & immediate, contrariatur caſtitati, & iuſtitiæ; ergo grauius eſt adulterium, quam periurium.

Reſpondeo, quod maius peccatum eſt periuriũ quam adulterium: quoniam quanto perſona contra quam eſt iniuria eſt dignior, tanto iniuria eſt maior, ſed Deus cui iniuriatur homo peierando eſt dignior, quam proximus, cui iniuriatur homo adulterando, ergo grauius eſt periurium quam adulterium. Præterea tanto peccatũ eſt grauius, quanto corrumpit ordinem digniorem, ſi æque perfecte ipſum corrumpit, ſicut ordo minus dignus corrumpitur per aliud peccatum; certum eſt autẽ quod dignior eſt ille ordo, qui debet eſſe hominis ad Deum immediate, & directe, quam ille, qui debet eſſe ad proximum, & ad Deum proximo mediante, primus autem ordo corrumpitur per periurium, ſecundus per adulterium, nec perfectius corrumpitur ſecundus ordo per adulterium, quam primus per periurium. Adulterium enim non eſt propinquius maximæ iniuriæ, quæ poſſit eſſe contra proximum, quam periurium maximæ iniuriæ, quæ poſſit eſſe contra Deum, imo è conuerſo: Periurium enim maxime approximat blaſphemiæ: quæ eſt contra Deum ex eius odio, quam adulterium homicidio, & ex hoc manifeſtum eſt, quod periurium eſt maius peccatum, quam furtum, quia maius eſt adulterio, quod grauius eſt furto: grauius eſt enim iniuriari proximo in vxore, quam in exteriori poſſeſſione. Ita Richardus vbi ſupra quæſt. 2. quem ſequuntur omnes.

Ad rationem in oppoſitum dico, quod periurium non tantum contrariatur latriæ immediate, & directe, ſed etiam quatenus mendacium includit contrariatur virtuti veritatis, præterquam quod latria dignior eſt virtus, quam iuſtitia Cardinalis, quia directe, & immediate ordinat hominem ad Deum.

DISTINCTIO XXXX.

SEXTVM præceptum eſt. Non deſiderabis vxorem proximi tui &c. Hac 40 diſt. huius tertij in qua Magiſter ſentent. ex quo de præceptis, quæ in verbo conſiſtunt, & facto, verba fecit Nunc ſibi propoſitum eſt de alijs duobus loqui, quæ in animo conſiſtere dicũtur & diuiditur hæc diſtinctio in tres partes, in quarum prima ponit ſextum, & ſeptimum præceptum ſecundæ tabulæ, in ſecunda remouet quaſdam dubitationes de lege, & in tertia ponit differẽtiam Moſaicæ legis, & Euangelicæ. Breuiter littera Magiſtri comprehenditur tribus concluſionibus. Continuatio. Diuiſio.

Prima Concluſio. Sextum ſecundæ tabulæ præceptum prohibet mœchandi appetitum, & ſeptimum furandi voluntatem hanc explicans Magiſter dicit, quod ſextum præceptum ſecundæ tabulæ eſt. Non concupiſces vxorem proximi tui, ſed quia poſſet alicui contrarium videri, nimirũ, quod hoc ſextum præceptum de non concupiſcendo vxorem proximi, ſit idem cum tertio præcepto ſecundæ tabulæ de non mœchando, & quod ſeptimũ ſit idem cum quarto de non furando. Reſpondet quòd non ſunt idem, ſed in tertio, & in quarto prohibentur actus exteriores tantum, in iſtis autẽ duobus præceptis quinto, ſexto, & ſeptimo prohibentur actus interiores: atque adeo non ſunt idem. Sed contra iſtud adhuc replicat dicens, ex iſta reſponſione habetur, quod in lege veteri tam actus exterior, quam interior prohibeantur: atque ita non erit verum, quod communiter dicitur, quod lex comprimat manum, & non animum. Euangelium vero, & manum, & animum. Reſpondet, quod lex vetus & manum, & animum comprimit, quantum ad præcepta moralia, ſed dicitur tantum comprimere manum, quantum ad cæremonialia, vel poteſt dici, quod in lege veteri non ſic exprimitur generalis prohibitio cuiuslibet concupiſcentiæ, ſicut fit in Euangelio, ideo dicitur lex manum comprimens; Euangelium vero vtrunque ſcilicet tã manum, quam animum comprimit. 1. Concl.

Pro ampliori huius concluſionis intelligentia obſeru. eſt, quod in omnibus moralibus præceptis non ſolũ manus, id eſt, operatio exterior cõprimitur ſed etiã animus; cũ enim præcepta moralia inducant ad actus ſtudioſos, & retrahãt ab actibus In omnibus moralibus præceptis, & animus, et manus cõprimitur.

vitioſis,

vitioſis, qui primo ſunt in animo, id eſt, in voluntate: ergo primo, & principaliter comprimit animum, quantum ad moralia. Secus de caeremonialibus, qui fuere figuralia ex facto, nō ex animi motu; ſimiliter & de iudicialibus, quæ non puniebant interna animi, ſed factum; neque reſpicientes animam immortalem minabantur pœnas æternas, ſed pœnas temporales, & propter hoc etiā quo ad moralia dicitur non comprimere, ſcilicet pœnam irrogando aut minando, animum, ſed manum, id eſt, pœnam corporis; principaliter tamē dictum illud D. Auguſt. quod lex vetus conſtringit D. Aug. *manum non animum, referendum eſt ad caeremonialia, & indicialia, vt dicit hic Magiſter. Ex eo etiam dicitur comprimere non animum, ſed manum, quo ad moralia, quia in lege non eſt generalis prohibitio omnis mortiferæ concupiſcētiæ aperte, & manifeſte ſicut, in Euangelio; eſt autem generalis prohibitio exterioris actus mortiferi.*

Vel etiam lex prohibet manum non animum ſecundum carnalem Iudæorum intelligentiam, in qua tamen multum errabant. Cur autem concupiſcentia magis in furto, & fornicatione apertè prohibetur, quam in homicidio, & falſo teſtimonio? ratio eſt, quia obiectum furti, & fornicationis, plus mouent concupiſcentiam, quam homicidij, & falſi teſtimonij: nam obiectum furti eſt bonum vtile, & obiectum fornicationis bonum delectabile, atque adeo quia habent aliquā rationem boni mouent appetitum; ſed non ſic de obiecto homicidij, quæ eſt mors, quæ ſecundum ſe eſt horribilis, ſicut & mendacium contra naturalem inclinationem, quæ omnis homo deſiderat ſcire, & non falli.

2. Concl. *Secunda Concluſio. Littera Legis dicitur occidens, non quia inſufficienter prohibuit, ſed quia non ſicut Euangelium gratiam præbuit. hanc Magiſter inſinuans quærit, de qua littera intelligatur illud Apoſtoli Littera occidit ſpiritus viuificat, & reſpondet, quod intelligitur de littera Decalogi, vel legis veteris, quæ dicitur occidere, non quia mala ſit, ſed occaſionaliter: quia ponendo mandata, ſeu prohibendo peccata, concupiſcentiā augebat, & præuaricationem addebat, ea præcipiendo quæ ſine gratia impleri nequeunt, quæ tempore legis veteris ſicut tempore Euangelij non abundabat: ideo littera, id eſt, ipſa lex Moſaica occaſionaliter occidere dicebatur, & iſte eſt intellectus authoritatis Apoſt.*

Quatuor modis dicitur aliquid viuificare. *Obſeruandum eſt tamen, quod quatuor modis dicitur aliquid viuificare, ſcilicet effectiue, & ſic ſolus Deus viuificat formaliter, & ſic gratia expellens peccatum quod animam occidit, viuificat Tertio affectu, & ſic viuificat fides per dilectionem operans, Quarto exercitij vſu, & ſic viuificant præcepta quibus iuſtitia exercetur. In lege autem tria attenduntur ſcilicet mouentia, vt promiſsiones: dirigentia ſicut præcepta, & adiuuantia, velut Sacramenta. Caeterum in lege Euangelica iſta ſunt ſpiritualia, quia promiſſa æterna: mandata ad vitam morum intus animum dirigentia, & Sacramenta ſanctificantia: quæ omnia ad ſpiritum pertinent, ac proinde legi nouæ tripliciter viuificare conuenit, formaliter, ratione gratiæ Sacramentalis; affectu, ratione amoris ſpiritualis, ad quem excitant promiſſa: & exercitio, ratione multiplicitatis bonæ operationis tam præceptorū, quam conſiliorum.*

*In lege autem veteri promiſſa erant temporalia, præcepta exterius regulantia, Sacramenta figuralia: atque ita promiſſa non excitabant ad amorem ſpiritualem; præcepta non dirigebant ad iuſtitiam interiorem; Sacramenta non adiuuabant ad faciliorem legis impletionem, & ita non viuificabant, quia erat ibi oſtenſio culpæ, & non erat adiutorium gratiæ, & per conſequens dabatur occaſio concupiſcentiæ, quæ traheret ad mortem; atque adeo lex illa ſecundum ſenſum litteralem, erat occidens, non ſecundum ſpiritualē; Nam ſecundum iſtum concordabat cum Euangelio, & hoc eſt quod dicitur ad Rom 7. Peccatū per mandatum occaſione accepta ſeduxit me, & per illud occidit, vbi Gloſſa ex prohibitione namque vbi de*ficit charitas deſiderium mali creſcit, & ſic occaſionaliter occidit. Nā ex hoc ipſo, quod peccatum commemorando prohibebat, is in quo concupiſcentia peccati extincta non erat, magis in ipſum exardeſcebat, ſicut cum aqua oſtenditur ſitienti; ſiquidem homo ex natura corrupta cupidus malæ libertatis, nititur in vetitum, concupiſcitque negatum.* Gloſſa.

Tertia Concluſio. Lex Moſaica ab Euangelica multipliciter differt. Ad quam inſinuandam vltimo loco Magiſter triplicem aſſerit differētiam legis antiquæ, & nouæ. Prima eſt, quod in antiqua lege temporalia, & terrena tantum promittebantur; in Euangelio autem terrena, & cœleſtia. Secunda eſt, quia veteris legis Sacramenta gratiam tantum ſignificabant; at nouæ legis, & ſignificant, & iuſtificant conferendo gratiam. Tertia & vltima eſt, quod in veteri lege quædam caeremonialia fuerunt, & in noua non ſunt, licet præcepta moralia vtrobique ſint eadem. Et ita in eo qui omnium principium, & finis eſt, Liber tertius finitur, cui honor, & gloria in ſæcula ſæculorū. Amen. Circa hanc diſt. Scotus quærit vnicam quæſtionem. 3. Concl.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum lex noua ſit grauior veteri.

Lex quid ſit.

PRo explicatione huius tituli obſeruandum eſt primo, quod lex eſt dictamen practicum, de aliquo agibili, vel fugibili agendo vel fugiendo ſecundum iudicium rationis, & hoc vel tanquam de principio, vel tanquam de concluſione deducta, vel deducibili ex tali principio, & hæc deſcriptio ſe extendit ad omnem legem iuſtam, quæ ſimpliciter lex dicenda eſt: quia lex iniuſta non eſt proprie nec ſimpliciter lex dicenda, & extenditur etiam hæc deſcriptio ad legem diuinam, quæ eſt in mente diuina ab æterno, & ad legem naturæ, quæ eſt menti rationali impreſſa, vel intellectuali quoquo modo, & ad legem quamcunque poſitiuam datam, vel conſtitutam, vel etiam poſſibilem rationabiliter conſtitui, ſiue poni; ſiue ſecundum rectam rationem ſimpliciter, ſiue apud aliquos ſpecialiter: quia non eædem leges poſitiuæ omnibus expedirent, nec omnibus eædem vniuerſaliter debent dari ſecundum iudicium rectæ rationis, ſed diuerſæ diuerſis. & ex his ſequitur, quod ſicut dictamen practicum, & directiuum ad intellectum pertinet, & non ad voluntatem; ita etiam lex pertinet ad intellectum practicum, & non ad voluntatem, & accipio hic dictamen practicum large, prout quodcunque dictamen de agibilibus poteſt practicum appellari.

Dictamen ſumitur diſpliciter.

Secundo obſeruandum eſt, quod dictamen aliquando accipitur pro habitu dictatiuo, & ſic eſt dictamen habituale, interdum pro actu ipſo dictandi, & eſt ipſemet actus dictandi, & interdum pro obiecto dictato. In deſcriptione autem legis nõ accipitur dictamen pro habitu, neque pro actu, ſed magis pro obiecto complexo boni agibilis, vel mali fugiendi ſecundum rectam rationem; Vnde lex proprie eſt tale dictatum ab intellectu practico dictante, hoc eſt faciendum, illud eſt fugiendum, & habitus generatus ex illis actualibus dictaminibus, nec actus intelligendi legem, non poteſt dici lex proprie, & formaliter, eſt ergo lex verum agibile complexum ſe habens per modum obiecti reſpectu intellectus, quod patet tam de principio legis, quam de concluſione.

Duplex eſt lex.

Tertio obſeruandum eſt, quod duplex eſt lex, vt ad propoſitum ſpectat, ſcilicet lex Moſaica, quæ dicitur lex vetus, & lex Chriſti, quæ dicitur lex noua: quæ dupliciter ſumi poſſunt, vno modo ſecundum eſſe, quod habent in mente legiſlatoris æterni, ſcilicet Dei, & ſic nulla earum eſt noua, vel antiqua proprie accipiendo, ſed vtraque eſt æterna, tanquam partialiter, vel quaſi contenta in lege æterna Dei: quæ omne agibile, vel fugibile ſecundum rectam rationem comprehendit, qua ratione etiam lex naturæ partialiter in lege diuina continetur, & quantum ad eſſe tale eſt æterna, ſicut obiectum à Deo intellectum eſt ab æterno. Secundo modo poſſunt accipi iſtæ leges, vt traditæ ſunt in ſcripto, vel in verbo, primis recipientibus ipſas, & hoc modo quælibet earum antiqua dici poteſt: multa enim fluxerunt tempora ex quo traditæ ſunt, licet Moſaica multo ſit antiquior: atque adeo lex Chriſti comparatione illius poteſt noua appellari, atque etiam quælibet in ſua traditione poterat dici noua lex, tamen Chriſti noua ſpecialiter dicitur: quia poſt ipſam non ſuccedet alia, & hoc modo lex Moſaica non poteſt dici noua, vt patet. Similiter lex naturæ quantum ad eſſe, quod habet in mente creaturæ rationalis, vel intellectualis potuit dici noua in principio creaturæ; at modo bene poteſt dici antiqua, licet quotidie innouetur in creaturis rationalibus, quæ quotidie in generationibus hominum de nouo creantur, cuiuſmodi ſunt animæ humanæ, & ſic etiam quotidie innouatur lex antiqua Moyſis, & lex Chriſti in cordibus ſuſcipientium eas de nouo.

Lex vetus poteſt accipi tripliciter.

Quarto obſeruandum eſt, quod lex vetus poteſt accipi tripliciter. Vno modo pro toto contextu librorum ſacræ ſcripturæ veteris teſtamenti, & tunc includebantur ibi tam libri legales, & Prophetales, quam ſapientiales, & hiſtorici, & hoc modo non diſtinguitur lex à Prophetis, ſed includuntur Prophetæ in lege, & iſto modo ſolemus nos dicere legem Iudæorum, vel legem veterem omnes libros, qui ſunt in ſacra ſcriptura, præter libros noui teſtamenti, & in hac ſignificatione ſumitur Ioan. 15. quando Chriſtus dixit, vt impleatur ſermo qui in lege eorum ſcriptus eſt: quoniam odio habuerunt me gratis, & tamen hoc non eſt ſcriptum in lege, ſed in Pſalmis. Pſalm. 108. & Ioan. 10. Nonne in lege veſtra ſcriptum eſt, Ego dixi Dij eſtis? & palam eſt quod habetur in Pſalmis. Pſal. 81.

Secundo modo accipitur lex ſolum pro lege Moyſis, quæ continetur in quinque libris veteris teſtamenti, quos nos vocamus pentatheucum more Græco, id eſt, quinque libros legis, & Hebræi vocant illos Torath. id eſt, legem, vel humas, id eſt, quinarium, ſcilicet quinque libros, vt dicit D. Hierony. in prologo Galeato: ita accipitur communiter apud Iudæos lex, & ponunt iſtos quinque libros per ſe in primo ordine canonis, & vocant eos legales, vt dicit D. Hierony. vbi ſupra. Ita accipitur Malachiæ quarto. Mementote legis Moyſis ſerui mei, & iſto modo accepit etiam Chriſtus Lucæ 24. dicens oportebat impleri omnia, quæ ſcripta erant de me in lege, & Prophetis, & Pſalmis, & Ioan. 1. lex per Moyſen data eſt, & Ioan. ſeptimo. Moyſes dedit vobis legem, & tunc diſtinguitur lex contra alios libros, ſcilicet contra Prophetales, & ſapientiales, Agiographos, & Apocriphos. Sic vt Chriſtus diſtincte nominauit legem, & Prophetas.

Tertio modo accipitur lex ſpecialiter pro libro Deuteron. qui vocatur lex ſecunda, & proprie dicitur lex Moyſis: quia iſta fuit quædam explanatio legis facta à Moyſe. Sic dicitur Deutero. capitulo primo, quod cœpit Moſes explanare legem, & continetur in breui quaſi tota virtus legis, quæ in alijs libris præcedentibus habetur, & dicitur iſte liber eſſe lex diſtincta à lege, quæ fuit data in monte Synai, quoniam iſta data eſt in campeſtribus Moab, ſicut dicitur Deuter. 29. Hæc ſunt verba fœderis, quod præcepit Dominus Moyſi, quod feriret cum filijs Iſrael in terra Moab, præter iſtud fœdus, quod cum ipſis pepigit in Oreb. id eſt, in monte Synai, & hoc modo raro accipitur lex, ſed tantum quarto Regum. 22. & ſecundo Paralip. decimoſeptimo, quibus in locis vocatur liber legis Deuter. In hoc titulo ſumitur lex vetus primo modo, vel ſecdo modo. Vel ſumitur lex vetus pro lege antiqua Moyſis, quatenus continet omnia obiecta præceptorum, & aliorum ſcriptorum in libris Moyſis, quæ per ſe pertinent ad agibilia, & quorum notitia eſt directiua voluntatis in agendo aliquid, vel fugiendo, ſecundum præcepta moralia iudicialia, vel cæremonialia illius legis.

Quomodo ſumatur lex noua.

Quarto obſeruandum eſt, quod lex Chriſti in propoſito complectitur omnia, quæ in Euangelio continentur, ſiue vt præcepta, ſiue vt conſilia, & omnia quæcunque erant moralia antiquæ legis, & ſi qua non in propria forma forte explicantur, & ſimiliter omnia, quæ ex traditis in Euangelio cadunt ſub lege ſaluandorum, vt Sacramenta, & huiuſmodi.

Grauitas legis dupliciter attendi poteſt.

Sexto obſeruandum eſt, quod grauitas legis poteſt attendi, vel ex parte præceptoru, & ſic antiqua lex erat longe grauior noua lege, vel ex parte remediorum, & ſic etiam antiqua erat grauior, pro quanto lex Euangelia habet plura adiutoria, & abundantiorem gratiam iuxta illud Ioan. 10. Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant. Per accidens tamen poteſt lex noua dici grauior veteri, pro quanto Matt. 23. dicitur, Super cathedra Moyſis ſederunt, &c. & ad Hebr. 13. obedite præpoſitis veſtris & 1. Petri. 2. Subditi obedite prepoſitis veſtris nõ tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis: atque adeo poſſunt Prælati ſtatuere pro arbitrio tot, & plura præcepta, quam eſſent in lege antiqua; quod vtique in lege veteri Superiores præſtare non poterant. atque ita

lex

Digitized by Google

lex noua diceretur grauior. Verum quia grauitas iſta ſubleuatur propter mulutudinem remedinrum, & abundantiorem gratiam, ideo ſimpliciter lex noua leuior iudicanda eſt. Et ex his patet ſenſus tituli, & reſolutio quæſtionis, quæ talis eſt, quod lex noua non eſt grauior veteri ad obſeruandum, quod patet auth. Saluat. Matth. vndecimo. Venite ad me omnes, &c. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Et quia grauitas alicuius legis reſpectu alterius ex duobus dependet. Primo ex onere impoſito, hoc eſt, ex pluribus, & difficilioribus præceptis. Secundo ex defectu remedij ad ſupportandum onus, id eſt, ad adimplenda præcepta, de his duobus videndum eſt, quæ lex ſit grauior altera. Onera impoſita in veteri lege erant præcepta moralia, cæremonialia, & iudicialia: Vnde de ſingulis formabimus ſingulos articulos, qui erunt numero ſeptem.

Art. 1. Vtrum lex noua, quo ad præcepta moralia grauior ſit lege veteri.
Art. 2. Vtrum lex noua lege veteri ſit grauior quo ad præcepta cæremonialia.
Art. 3. Vtrum lex noua ſit grauior lege veteri, quo ad præcepta iudicialia.
Art. 4. Vtrum lex noua abſolute loquendo ſit leui or lege veteri.
Art. 5. Vtrum lex noua quatenus non ſolum eſt à Chriſto Domino explicata, ſed etiam quatenus eſt per alios declarata, & ſuper eam aliqua per alios addita, ſit lege veteri grauior.
Art. 6. Vtrũ lex noua contineat plura remedia, quam lex vetus.
Art. 7. Vtrum lex noua ea omnia contineat, quæ lex vetus continebat, & vltra aliquid ſuperaddat.

ARTICVLVS I.

Vtrum lex noua quo ad præcepta moralia grauior ſit lege veteri.

Præcepta veteris legis erãt in triplici genere.

PRo explicatione huius difficultatis obſeruandum eſt primo, quod in lege veteri erant præcepta moralia, cæremonialia, & iudicialia. Moralia vocamus Decalogum. Cæremonialia ſunt quæ in cultu Dei dirigunt. Iudicialia vero quæ ad dirimenda foralia negocia, & contractus humanos regulandos dicta ſunt. in præſenti articulo loquimur præciſe de moralibus.

Quomodo præcepta dicantur moralia.

Secundo obſeruandum eſt, quo accipiendo mores humanos id, à quo moralem virtutem dicimus, omnia præcepta vocantur moralia, ſed aliqua poſſunt vocari moralia dupliciter. Primo, quia omne præceptum ſecundum ſe eſt morale, atque adeo ſicut ſe habet aliquid ad eſſe præceptum; ita ſe habet ad eſſe morale: ſed quædam ſunt præcepta per ſe, quædam non per ſe, ſed quatenus ſunt illorum determinationes; Ideo prima vocantur moralia per excellentiam, ſicut vocantur præcepta per excellentiam; ſicut eſt in propoſito, quod quædam ſunt, quæ ſunt præcepta per ſe, & regulatiua morum: alia vero ſunt tantum præcepta in quantum ſunt determinationes primorum præceptorum, quæ ſi per ſe intelligerentur, nulla alia præcepta eſſent. Ideo illa ſolum per excellentiam vocamus præcepta moralia, alia vero alijs nominibus.

Tertio obſeruandum eſt, quod aliqua præcepta appellamus moralia, quia vbique ſunt ad dirigendos mores, quæ etſi à nobis non inſtituantur, eis tamen competit ex dictamine rationis, quod ſint directiua morum, & iſtam vim habent vbique, & vt ſic appellamus moralia ea præcepta, quæ ſunt iuris naturalis. Alia autem ſunt ad regulandos mores: quia ſic inſtituuntur, & ſi non inſtituerentur, nullam vim ad hoc haberent, atque adeo iſta non vocamus præcepta moralia, ſed determinationes moralium, & alijs nominibus ea appellamus, ſcilicet cæremonialia, & iudicialia. Vnde præcepta moralia proprie ſunt, quæ in Decalogo continentur, & ſimilia, quæ aliquando habentur tam in lege, quam in Prophetis, quæ etiam ſine aliqua inſtitutione humana ex ipſo naturali dictamine rationis habent, quod obligent.

Præcepta moralia, & manũ, & animũ cohibent.

Quarto obſeruandum eſt, quòd præcepta moralia proprie ſumpta nedum manum, ſed etiam animum cohibebant, Iudæi tamen, aut ſaltem plurimi ipſorum tempore Chriſti putabant, quod peccatum conſiſteret in ſolo actu exteriori; atque ita præcepta Dei de ſolo actu exteriori intelligebant, quod apparet ex omnibus additionibus, quas Chriſtus fecit Matth. quinto. Nam putabant homicidium eſſe peccatum, ſed non iram, aut deſiderium occidendi. Ideo dixit Chriſtus: Audiſtis quia dictum eſt antiquis non occides? Ego autem dico vobis, qui iraſcitur fratri ſuo, &c. Ita adulterium peccatum eſſe dicebant, ſed non deſiderium adulterandi, alias poſtquam Chriſtus dixit: Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Non mœchaberis, ſuperflue addidiſſet, Ego autem dico vobis: quia omnis qui viderit mulierem, &c. atque ita de alijs additionibus, ſi ipſi intellexiſſent præcepta Dei non ſolum de actu exteriori, ſed etiam de interiori. Item patet, quia non ſolum ita opinabantur; ſed etiam increpabant eos, qui aliter crederent. Sic enim Ioſephus libro duodecimo antiquitatum increpat Polybium Hiſtoriographum aſſerentem, voluntatem peccandi eſſe peccatum, dicens, Vnde miror Polybium Megapolitam, quod vir bonus exiſtens, dicit ideo periiſſe Antiochum, quia voluit templum Dianæ in Perſide deuaſtare: & ſubdit cauſam dicens. Nam qui nullatenus egit peccatum, licet tantum cogitauit, nullo reatu tenetur. Idem aſſerit Diuus Auguſtinus ſuper Exodum fuiſſe antiquam poſitionem, quod lex Moyſis cohibebat manum, & non animum. *Ioſephus.* *D. Aug.*

D. Aug. Quomodo intelligatur lex prohibet manũ, & non animum.

Quinto obſeruandum eſt, quòd Diuus Auguſtinus ſuper Exodum tripliciter explicat quomodo intelligatur, quod lex Moyſis prohibet manum, & non animum. Primo modo quod lex prohibet manum generaliter, id eſt, circa omnia præcepta, animum tamen non cohibebat niſi in moralibus. Secundo modo dicit, quod intelligitur de generali prohibitione: quia ſcilicet in Euangelio prohibetur generaliter omnis concupiſcentia cuiuſcunque rei illicitæ, in lege autem Moyſis ſolum prohibetur concupiſcentia vxoris alienæ, & rei poſſeſſæ; aliarum vero rerum concupiſcentia non vetatur. Tertio dicit quod poteſt intelligi hoc quantum ad prauum intellectum Iudæorum, ſcilicet quod lex Moyſis cohibebat manum, & animum vere, & tamen Iudæi intelligebant ſolam manum eſſe cohibitam, & ſecundum illorum intellectum dicebatur ſolum lex prohibere manum.

Cæterum prior reſponſio, & ſecunda, quas etiam ponit Magiſter in littera, vt vidimus, videntur pati calumniam.

Prima quidem, quia prohibere, vel non prohibere concupiſcentiam ſolum pertinet ad præcepta moralia, & iudicialia: quia iſta ſunt præcepta de actionibus humanis; in cæremonialibus vero nec poterat animus cohiberi, nec manus: quia ibi nulla concupiſcentia, aut actus malus exterior diſſuadetur, ſed ſolum ponuntur cæremoniæ diuini cultus, & ſi ponerentur aliqua prohibentia manum aut animum noſtrum, iam non eſſent præcepta cæremonialia, ſed moralia, vel iudicialia: quia iſta actiones humanas dirigunt. Niſi dicamus quod cæremonialia cohibebant manum, & non animum, id eſt, in eis pœna imponebatur pro peccatis manus, & non animi; quia mandabat Deus pro peccatis quibuſdam ſacrificia offerri; pro peccatis tamen quæ tantum in animo eſſent nullum præcipiebatur ſacrificium, ſed pro eo quod eſſet in re, & ſic manus cohibebatur, id eſt, puniebatur actus exterior.

Secũda etiam ſolutio improbabilis videtur ex eo: quia per illa duo præcepta de non cõcupiſcendo vetatur omnis concupiſcentia. Nam omne quod concupiſcimus aut eſt vtile, aut delectabile, aut honeſtum, quia iſta ſunt ſolum tria genera bonorũ, vt patet 3. Ethi. Concupiſcẽtia autem

Digitized by Google

bonorum honeſtorum nunquam eſt prohibita, ſed quanto magis aliquis illa concupiuerit, tanto eſt laudabilior; quia quanto de illis plus habuerit, tanto erit melior; ideo in iſtis nullus eſt exceſſus, vt dicitur ſeptimo Ethicorum, circa delectabilia autem, & vtilia poteſt concupiſcentia eſſe mala, & ideo iſta prohibentur interdum; delectabilia enim propter ſe ipſa concupiſcuntur: quia ſunt ad fruendum eis, & iſta prohibentur illo præcepto. Non concupiſces vxorem proximi tui: quia vxor non concupiſcitur ad poſſidendum, ſed ad fruendum. Vtilia autem concupiſcimus propter alterum: quia in ſe ipſis non ſunt bona, ſed ſolum in quantum proficiunt ad quemdam vſum, cuiuſmodi ſunt omnia, quæ poſſidentur, vel quaſi poſſidentur, & iſta prohibentur concupiſci in illo præcepto. Non concupiſces ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, nec omnia, quæ illius ſunt. atque adeo omnis concupiſcentia vetatur per iſta duo præcepta: cum non ſit aliquid quod poſſit male concupiſci, niſi res delectabilis, aut vtilis. poſſet tamen excuſari hæc ſolutio dicendo: quod licet implicite per iſta duo præcepta prohibeantur omnia, quæ male concupiſcuntur, tamen explicite ſicut ad rudes attinet, non prohibentur niſi quædam genera rerum. In Euangelio autem, id eſt, in toto nouo teſtamento, generaliter prohibentur omnia mala, quæ ad animum pertinent quomodocunque quis male concupiſcat, ſiue in delectabilibus, & vtilibus, ſiue quod quis velit malum proximo, vt per odium, & iram, omnia enim hæc vetita ſunt. Quapropter tertia ſolutio probabilior videtur. nempe quod Iudæi falſe intelligebant ſolam manum eſſe prohibitam. Nam non ſolum in his, ſed in quibuſdam alijs errabant: Quia vt dicitur Matth. quinto, dicebant. Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum, & tamen Deus nunquam præcepit hoc Iudæis, ſed magis vetuit. Vnde non dicebatur dictum eſſe antiquis ſecundum veritatem, ſed ſecundum falſam exiſtimationem Iudæorum, qui ſic exponebant ſcripturam, vt diximus ſupra diſtinctione trigeſima.

Nota diſcrimē inter prohibere, & cohibere.

Poſſet etiam dici, quod lex vetus prohibebat animum, & manum generaliter, & tamen ſolam manum cohibebat, vel comprimebat: lex autem Chriſti manum, & animum prohibet, & cohibet. Eſt enim prohibere vetare, vel diſſuadere cum authoritate ſcilicet quando poteſt hoc facere ille, qui iubet, & obligare eum cui iubet ad obſeruandum hoc. Cohibere eſt pœnam apponere pro tranſgreſſione mandati, & iſtud eſt cogere, vel comprimere. Primum facit lex Moyſis: quia prohibet concupiſcentiam, & odium, quæ ſunt mala animi, & tamen non cohibet iſta; quia non punit ea, ſed ſolum punit peccata exteriora: quæ dicuntur peccata manus. Euangelium autem omnia prohibet, oſtendendo peccatum eſſe tam in actu interiori, quam exteriori, & etiam omnia cohibet, quia pœnam æternam comminatur pro omnibus peccatis, tam cordis, quam operis, ſicut dicitur Matth. quinto. Qui iraſcitur fratri ſuo reus erit Iudicio. Et ratio eſt: Quia coactio legis ſecundum Philoſoph. decimo Ethicorum in fine, eſt neceſſaria ad hoc, vt illi qui perſuaſionibus ad bonum non inclinantur, per pœnas cogantur. Vnde cohibitio legis tantum ſe extendit, quantum pœna inflicta per legem ſe poteſt extendere. Sicut autem Lex vetus infirmis animis, non niſi terrena promittebat, ita etiam pro peccatis pœnam temporalem infligebat, ſcilicet oculum pro oculo, dentem pro dente, &c. pœnæ autem temporales non poſſunt infligi pro peccatis animi; niſi quatenus in actum exteriorem exeunt. Alias autem ab homine de eis iudicari non poteſt, & ideo lex vetus manum, & non animum cohibere dicebatur. lex autem Chriſti bona æterna promittit, & comminatur peccatoribus pœnam æternam; pœna autem æterna infligitur ab illo iudice, qui eſt ſcrutator cordis; ideo non ſolum manum, ſed etiam animum cohibet; quia Deus ita nouit animum ſicut manum.

His obſeruatis patet, quid dicendum ſit ad quæſtionem, ad quam reſpondet Scotus in hac quæſtio. ſub litt. B. §. Comparando vero, &c. vbi dicit, quod comparando moralia ad moralia dubium eſt vtrum fuerit æqualitas, hoc eſt, an ſit æqualis grauitas: quia dubium eſt Vtrum illi, id eſt, Iudæi teneretentur ad omnia illa præcepta, & eodem modo explicata, ſcilicet à Chriſto Domino Matth. quinto, ſicut nos tenemur modo; quia ſi illi non tenebantur ad præcepta illa niſi ſicut Iudæi interpretabantur; tunc licuiſſet amare amicum, & odio habere inimicum; ita enim docuerunt Phariſæi ſimplices de populo. licitum etiam fuiſſet eis dare vxoribus libellum repudij. Hoc autem non licet hodie Chriſtianis, & ita de quibuſdam alijs explicantibus quædam præcepta moralia, vt patet Matth. quinto. Quod ſi non, ſupple, tenebantur ad præcepta moralia obſeruanda eo modo explicata, ſicut nos tenemur, tunc lex noſtra eſſet grauior quantum ad moralia, ſed hæc grauitas non æquiparatur grauitati cæremonialium legis veteris, de qua ſtatim dicetur. Sed quid dicendum eſt? Tenebantur ne Iudæi obſeruare præcepta moralia eo modo quo explicata ſunt, & quo tenemur nos ea obſeruare? Dicendum eſt quod ſic, Nam interpretationes Phariſæorum erroneæ erant, & deſtruentes verum intellectum legis, vt patet ex notabilibus, atque adeo dicendum eſt, quod lex noua quo ad præcepta moralia non eſt grauior lege veteri: quia eadem præcepta moralia ſunt in vtraque atque eodem modo obſeruanda, & licet Chriſtus explicauerit aliqua, ſicut illud de dilectione inimicorum, & præcepta de non concupiſcendo, virtualiter tamen illæ explicationes continebantur in ipſis præceptis moralibus veteris legis. Hebræi enim ſecundum ſuam malitiam perturbatam habebant legem in multis moralibus, & ideo Chriſtus illa explicauit.

ARTICVLVS II.

Vtrum lex noua lege veteri ſit grauior quo ad præcepta cæremonialia.

CÆremoniale dicitur à Cerere Dea frugum, potius putata Dea more gentilium à creando dicta: Saturni, & Opis filia, vt Cicero in libro de natura Deorum ſcribit, Ceres dicta eſt tanquam geres à gerendis fructibus. G. mutata in C. quæ quandoque Luna dicitur, ſicut ſol Liber, vt Virgilius primo Georgicorum. Vos ò clariſſima mundi Lumina labentem cælo quæ ducitis annum, Liber, & alma Ceres; ponitur interdum pro pane iuxta illud Terentij ſine Cerere, & Baccho friget Venus. Cæteale ergo vel cæremoniale ſecundum illam inſtitutionem eſt illud, quod ad illam Deam pertinet. Sacræ hiſtoriæ bibliorum modum loquendi ſuperſtitioſum Gentilium non abhorrent. Valerius Maximus refert nomen cæremoniæ introductum eſſe ſignificandum cultum diuinum apud Latinos a quodam oppido iuxta Romam quod Cere vocabatur, eo quod Roma capta à Gallis illic ſacra Romanorum ablata ſunt, & reuerentiſſime habita. Iam ex vſu ad quemcunque ritum Dei colendi vocabulum tranſlatum eſt, & ad ceremonias Religioſorum. Ceremonialia itaque præcepta ſunt, quæ dirigunt hominem in Dei cultum, & ſunt quædam determinationes cultus. Cæremonia enim ipſe diuinus cultus eſt, cæremonialia autem ſunt, quæ nos in colendo determinant, & dirigunt; nempe circa modos ſacrificiorum, & oblationum, & circa ritum, qui tenendus eſt circa animalia cuiuslibet ſacrificij, velut eſt oblatio Thuris, compoſitio lucernarum, & compoſitio veſtium Sacerdotalium. Et non ſolum hæc, quæ immediate ſunt ad Deum, & impenduntur ei, ſunt cæremonialia; ſed etiam ea, quæ diſponunt homines, vt apti ſint ad Deum colendum. Verbi gratia, quod homines non veſcantur carnibus, quas lex immundas iudicat, quod

Cæremoniale vnde dictũ ſit.

Cicero.

Virgilius.

Terent.

Valerius Maximus.

caueant

caueant ab immunditijs tactus, quod non tangant leproſum, neque fluentem ſemine, neque mulierem fluentem ſanguine aut menſtruatam; & omnes modi purificationum, & lotionum, vt purificatio à lepra, & fluxu, & contaminatione, & multa huiuſmodi, quæ homines reddebant mundiores corporaliter reſpectu Dei, & ita erant aptiores ad cultum eius. Et de his multa ſunt tam in Exodo, quam Leuitico, Numeris, & Deuteron.

Cur Deus dedit Hebræis præcepta cæremonialia.

Secundo obſeruan. eſt, quod ideo dedit Deus populo Hebræorum tantam multitudinem cæremonialium præceptorum, quantam legimus in toto lib. Leuit. quia populus ille erat valde propenſus ad idololatriam, & male initiatus in Ægypto. Ægyptij enim & Babylones ſuperſtitioſis vanitatibus erant dediti, propterea Deus dedit præcepta de ſe colendo multiplicia, iuxta illud Oſeæ octauo, Scribam eis multiplices leges, vt retraheret eos à delitijs Ægyptiorum. Quemadmodum prudens Pater habens multos liberos, quorum maior pars eſt, mala imponeret eis aliqua facienda, vt occupati maneant ne ſegnitie ad aliqua flagitia ſe conuertant. Lex reſpicit totam multitudinem eſto, quod pauci ſint boni non ſolum ad eos eſt reſpectus, etiam illi implentes iſtud mandatum poterant multum mereri. Etiam in primo egreſſu de Aegypto, non multiplicauit eis iſtas leges, ſed poſtquam conuerterunt ſe ad vitulum conflatilem in abſentia Moyſis iam multiplicauit eis leges, vt patet Hierem. ſeptimo, Non ſum locutus cum patribus veſtris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocauſtorum, & victimarum, propter ſe iſta non quæſiuit, iuxta illud Iſaiæ, 1. Holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & hircorum, & agnorum nolui.

Iudæi tenebant̃ præcepta cæremonialia obſeruare.

Tertio obſeruan. eſt, quod Iudæi tenebantur præcepta cæremonialia obſeruare: Nam licet (vt dicit Scotus, in hac quæſt. ſub littera A. §. De cæremonialibus etiam patet &c.) poſſent tangere morticinium, & huiuſmodi ſine peccato mortali, tamen per hoc incurrebant multas immundirias, ſeu irregularitates quaſdam, ad quarum purgationem ſi non faciebant, quæ in lege mandabantur, peccabant mortaliter, ſicut explicatur Numer. decimoquinto, Anima quæ fecerit, vel non fecerit ſic, vel ſic morte morietur, & peribit de populo ſuo, quæ eſt comminatio damnationis æternæ.

Et ſi dicas, quod ſicut Deus pro legis obſeruatione promittebat illis bona temporalia, & non vitam æternam, ergo nec comminabatur mortem æternam. Dico, quod verum eſt explicite, ſed non implicite, imo implicite promiſſiones Dei intelligebantur de vita æterna; Vnde illa verba. Si ſeruaueritis præcepta mea, bona terræ commedetis, principalius interpretantur de vita æterna, ſicut illud Geneſ. tertio, In quacunque hora comederis, morte morieris, principalius intelligitur de morte æterna. Vnde Scotus in præſenti loco, ex damnatione vitæ corporalis in lege veteri, arguit peccatum mortale in hunc modum. Iſte tangens morticinium, meretur lapidari, ergo peccauit mortaliter. Sed non ſic licet argui in lege noua; quia bene poteſt iudex interdum ex ſola cauſa præſumpta aliquem ad mortem damnare, qui tamen forte nec peccauit venialiter.

Et ſi dicas, omnis tranſgreſſio mandatorum in lege Dei, erat peccatum mortale; fateor, & in hoc apparet mititas legis Euangelicæ. Et ſi iterum dicas. Mendacium iocoſum, & officioſum, non erat in lege veteri, ſicut nec modo in lege noua peccatum mortale. concedo. Cæterum mentiri iocoſe, vel officioſe non erat contra mandatum legis, ita vt eſſet prohibitum ſpeciali præcepto, ſicut alia ibi inhibita, ſed erat contra ius naturæ; at mentiri pernicioſe in lege Moyſis erat ſpecialiter inhibitum per illud præceptum. Non dices contra proximum tuum falſum teſtimonium.

In lege noua præcepta cæremonialia non remãſerunt.

Quarto obſeruan. eſt, quod in lege noua non remanſerunt cæremonialia veteris legis: atque adeo non ſolum non obligant: imo nullo modo ſunt ſeruanda: Nam præcepta cæremonialia principaliter ſecundum ſenſum litteralem, (quem aliqui allegoricum vocant) erant ſignatiua eorum, quæ fieri debebant circa Chriſtum authorem noui teſtamenti, & ſecundario litteraliter ſignabant ea, quæ figurabat littera in cortice; ad emundationem gentis ſtatus illius. Illi ergo qui iſtas cæremonias obſeruabant in veteri teſtamento, obſeruabant ea, tacitè, vel expreſſe ſub proteſtatione Meſſiæ futuri, prout per illas vocabatur Meſſias venturus. Si autem nunc obſeruatemur eſſet, proteſtari Chriſtum nondum veniſſe, ſed adhuc expectari, quod eſt deſtruere veritatem totius noui teſtamenti aſſerentis Chriſtum iam veniſſe, & redemiſſe nos, & propter hoc dicebat Apoſt. ad Galat. 5. Si circumcidamini Chriſtus vobis nihil prodeſt, quaſi dicat, ſi circumcidamini, per ipſam circumciſionem, quam ſuſcipitis tamquam neceſſariam ad ſalutem, proteſtamini Chriſtum non veniſſe: quia iſta cæremonialia veteri teſtamenti ſignabant Chriſtum futurum; & ſi vos ſic proteſtamini, Chriſtus vobis nihil prodeſt: quia hoc pacto dicitis eum non veniſſe, & nihil egiſſe.

Cæremonialia veteris legis erant i duplici differentia.

Quinto obſeruan. eſt, quod cæremonialia veteris legis erant in duplici differentia: nam quædam erant, quæ non tangebant immediate Chriſtum venturum; ſed munditiam populi illius, & ſanitatem: & hæc licet non debeant obſeruari in lege noua, quaſi vim habentia obligandi; tamen quod aliquis ſeruet illa propter conſiderationem ſanitatis, aut aliam conſimilem cauſam: nullo modo aduertendo, aut illa conſiderando, vt cæremonialia veteris legis, non peccat, verbi gratia, in veteri lege vetabatur comedere porcum, vel anguillam, & ita de alijs: quia forte nociua ſunt alicui, vel ſecundum ſe non ſunt ſana, ſi aliquis hæc, quæ in lege veteri vetabantur, non comedat, quia ſunt ei non ſana, vel nociua, non peccat; dummodo non abſtineat ab eis, quia vetantur, vel quia exiſtimat ſe obligatum ad non comedendum ea.

Alia cæremonialia erant, quæ nullo modo ſeruare licet, vt Circumciſio, immolatio ſacrificiorum, & obſeruatio Azimorum: Nam iſta, & ſimilia ſunt præcipuæ cæremoniæ veteris teſtamenti, in quibus principaliter ſtabat ius totius legis, & ſignatio futurorum: Quocunque ergo modo ſe aliquis nunc circumcideret repugnaret directe ſtatui noui teſtamenti; quia ageret id, quod confirmabat totam antiquam legem. Vel ſi aliquis immolaret Deo capram, aut arietem, vel aliquid tale, directe repugnaret nouo teſtamento: quia iſta ſacrificia directe, & principaliter ſignabant ſacrificium noui teſtamenti, ſcilicet Chriſtum, quæ agendo quomodocunque notaremus Chriſtum adhuc immolandum, quod falſum eſt; quia Chriſtus ſemel mortuus eſt, & iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Ad Hebr. capit. octauo, Obſeruare ergo præcepta cæremonialia quæcunque, quatenus fuerunt data in lege veteri, ſi credamus ea obligare quoad cæremonialia primi generis, vel quocunque modo obſeruentur ſiue vt ſunt data in lege veteri, & credamus ea obligare, ſiue alio modo, quoad cæremonialia ſecundi generis mortiferum eſt, quia nulla cæremonialia veteris legis remanſerunt in lege noua, ſed omnia euacuata fuerunt per Chriſtum.

Ex his patet ſolutio quæſt. ad quam ſic reſpondet Scotus ſub littera C. §. Quantum enim ad cæremonialia &c. quod lex vetus fuit multo grauior, & quantum ad multitudinem, & quantum ad difficultatem obſeruandi. Nam vt inquit D. Auguſt. ad inquiſitiones Ianuarij (vt refertur in decreto diſtin. 12. capit. Omnia talia, non quidem tota authoritas, ſed pars quædam) dicit, quod Rabbi Moſes enumerauit pluſquam ſexcenta præcepta ad quæ tenebantur illi, id eſt, Hebræi: quorum quædam fuerunt valde difficilia, puta quod omne maſculinum ter in anno præſentaretur in Hieruſalem, quantumcunque diſtarent, & ſeptimum annum colere: propter quod oportebat eos duobus annis vacare à collectione fructuum, & multa alia; ſicut de non tangendo morticinium, vel de non comedendo, vel bibendo poſt tactum mortui ſine baptiſmo, vt patet Exodi 22. Leuit. 25. & Deuteron. 15. Vnde dicit D. Petrus

Scotus.

D. Aug.

Digitized by Google

trus in actibus Apoſt. 15. Quare vultis nobis imponere onus graue, quod nec nos, nec patres noſtri portare potuimus.

Lex autem noua ſecundum D. Auguſt. ibidem, paucis, & maniſeſtis Sacramentorum ritibus contenta eſt, Non enim habet lex noua niſi ſeptem Sacramenta: quæ etiam omnia non ſunt omnibus Chriſtianis neceſſaria. Non enim omnes recipiunt Ordines, nec omnes matrimonium contrahunt. Sed neceſſarius eſt Baptiſmus, & poſt Baptiſmum in peccatum mortale recidiuando pœnitentia. Ita vt difficilius, quod eſt in Eccleſia videtur eſſe confeſſio: difficile enim videtur alicui peccata priuata ſoli Deo, & ſibi nota reuelare alicui homini. Sed ibi apposita ſunt remedia: ita vt propter reuelationem talem non oportet timere confuſionem: obligatur enim audiens ad maximum ſigillum ſecreti.

Alia Sacramenta forte non ſunt neceſſaria, & dicit forte: quia dubium eſt de Sacramento Euchariſtiæ, de quo erit ſermo in quarta, aut ſi ſunt neceſſaria, ſunt tamen ſatis facilia; puta Confirmatio, Euchariſtia, extrema vnctio, quæ forte præter Baptiſmum, Pœnitentiam, & Euchariſtiam, non ſunt neceſſaria ſimpliciter; ſed bene quo ad contemptum. Neceſſarium eſt enim vnicuique non contemnere Sacramenta, ſed de hoc in 4. diffuſius. Quantum ergo ad cæremonialia, lex noua eſt longe facilior lege veteri, quatenus à Chriſto tradita eſt, quia cæremonialia, quæ per Chriſtum ſtatuta ſunt, ſunt pauciora, & leuiora. Sed videtur, quod in lege noua præter Sacramenta à Chriſto Domino inſtituta ſint alia præcepta cæremonialia,

Quoniam quodcunque præceptum eſt vltra moralia, eſt cæremoniale, vel iudiciale: ſed in lege Chriſti multa ſunt talia: Nam moralia vocamus Decalogum, ſed præter Decalogum multa ſunt, vt vendere omnia, & dare pauperibus. Si quis te percuſſerit in vnam maxillam &c. Qui angariauerit te mille paſſus &c. & his ſimilia, quæ habentur Matth. 5. & 19. Quæ non pertinent ad Decalogum; ergo cum non ſint iudicialia, vt de ſe patet, erunt cæremonialia.

Item non repudiare vxorem, quod præcipitur Matth. 5. & 19. Non iraſci, non videre mulierem ad concupiſcendam eam Matth. 5. & multa ſimilia. Sicut quæcunque vt faciant vobis homines. Matth. 7. Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. Matth. 22. non ſunt præcepta moralia cum non ſint in Decalogo, nec ſunt iudicialia, vt patet, ergo ſunt moralia.

Preterea ſine ceremonialibus preceptis, non poſſet lex Chriſti perfecte obſeruari: quia præcepta moralia ſunt valde generalia, & non tangunt conditionem particularem. In moralibus autem licet ſermones generales ſint veriores, particulares tamen ſunt efficaciores, vt dicitur ſecundo Ethic. quia particularium eſt actio; atque adeo vniuerſales ſermones determinati oportet per particulares, ſed particularia præcepta determinatiua vniuerſalium ſunt cæremonialia: quia cæremonialia ſunt determinationes moralium pertinentium ad Deum, vt dictum ſupra. ergo neceſſe eſt in lege Chriſti eſſe cæremonialia: quia ſine illis non poteſt lex Chriſti ſeruari.

Ad primum dico, quod vtique omne præceptum præter moralia, eſt cæremoniale, aut iudiciale, cæterum præter Sacramenta nullum tale tradidit Chriſtus. Et cum obijcitur de prædictis. Dico, quod illa non ſunt præcepta, ſed conſilia: non enim obligantur homines abſolute, & indifferenter ad illa faciendum; quod tamen eſſet, ſi eſſent præcepta, ſed quia pertinent ad perfectionis gradum, inuitantur homines ad illa, ſed non coguntur. In veteri etiam teſtamento, erat aliquid pertinens ad conſilia, ſicut obſeruatio ritus Nazareorum, Numer. capit. ſexto, Nam ex voto obſeruabatur à volentibus, & non de præcepto, vt patet eodem cap.

Ad ſecundum dico, quod illa non ſunt præcepta cæremonialia, nec iudicilia, ſed moralia: Nam illa ex naturali dictamine rationis obligant nulla exiſtente humana, vel diuina inſtitutione expreſſa; atque adeo moralia ſunt: cum autem dicitur, quod non ponuntur in Decalogo, concedo; ergo non ſunt moralia, nego conſequentiam: Nam non eſt verum quod omnia moralia ponantur formaliter in Decalogo, ſed bene omnia aliquo modo ad Decalogum reducuntur: quia Decalogus totus ad moralia pertinet, præter præceptum de Sabbato, quod magis eſt cæremoniale, quam morale, quantum ad aſſignationem diei, licet aliquid morale contineat, vt diximus ſupra, atque ita Decalogus magis ponitur, vt exemplum quoddam moralium, quam vt expreſſe continens omnia moralia. Tot enim moralia ſunt, quot eſſe inueniuntur de naturali dictamine rationis. Omnia autem iſta talia ſunt, & multa alia.

Ad aliud dico, quod illa non ſolum ſunt moralia: ſed etiam moralium quædam principia. Nam illud, ſcilicet quæcunque vultis, quod faciant vobis homines, continet omnia moralia pertinentia ad modum ſe habendi hominis ad hominem, & illud, Diliges proximum tuum &c. continet omnia præcepta moralia, quantum ad vnitatem finis: quia iſte eſt finis, ſcilicet vt diligatur Deus, & proximus, & propter hoc de vtroque iſtorum dicit Chriſtus, quod in eo eſt lex, & Prophetæ, vt patet Matth. ſeptimo, & vigeſimoſecundo, id eſt, omnia præcepta legis, & prophetarum includuntur in illis.

Ad vltimum dico, quod verum eſt, quod ſine cæremonialibus non poteſt lex Chriſti obſeruari, & tamen Chriſtus præter ſeptem Sacramenta nulla tradidit præcepta cæremonialia, ſed bene tradidit Apoſtolis, & ſucceſſoribus poteſtatem condendi cæremonialia: atque adeo licet non ſint expreſſe inſtituta in lege Chriſti; eſt tamen in Eccleſia poteſtas ſufficiens ad iſta inſtituendum, atque adeo legiſlatio Chriſti non eſt incompleta; eſſet autem incompleta, ſi cum ſint neceſſaria cæremonialia, non ponerentur in ea, neque daretur poteſtas ſufficiens ad ea conſtituendum.

ARTICVLVS III.

Vtrum lex noua ſit grauior lege veteri quo ad præcepta iudicialia.

IVdicialia vocantur quædam præcepta, quæ ſunt determinatiua habitudinis hominis ad hominem, ad ſeruandam iuſtitiam ne vnus alteri noceat, quod in generali dicuntur præcepta Decalogi, ſed quia oportebat iſta ſpecificari, ne ſit error in applicatione circa particularia, vltra commune præceptum morale, vel naturale de bene ſe habendo ad proximum data ſunt multa præcepta, tam de modo communicandi hominum inter ſe, quam de pœnis eorum, qui peccarent in conuerſatione ad proximum, & vocantur iudicialia, quia executio illarum legum, quantum ad pœnas, pertinebat ad ſolos iudices. Etiam quia generaliter inſtruebantur iudices per illa præcepta ad reddendum iura partibus tam in ciuilibus, quam in criminalibus. Quæ ſint præcepta iudicialia.

Vnde obſeruan. eſt primo, quod præcepta iudicialia ſunt leges illæ forales, quas generaliter totus orbis obſeruat, ſi quæ tales ſunt: ſicut quondam fuerunt leges Romanæ dilatato toto imperio eius per totum orbem. Nunc vero etſi non ſint eædem forales leges apud nos Chriſtianos; ſunt tamen cuilibet populo illa iudicialia, quæ ipſe ſibi conſtituit, vel à maioribus ſuis ſuſcepit, & hæc ſunt conuenientes determinationes præceptorum moralium pertinentium ad proximum poſitorum in lege Chriſti, vel non expreſſorum in ea, ſecundum quod illi genti, vel illi regioni conueniunt. Nam à Chriſto Domino data fuit Apoſtolis, & omnibus ſucceſſoribus eorum poteſtas ſtatuendi omnia, quæ ſunt in conſtructionem Eccleſiæ, ſicut dicitur Ioan. capit. vigeſimoquarto, Sicut miſit me pater, ita ego mitto vos, id eſt, eamdem poteſtatem do vobis, quam dedit mihi pater. Sed Chriſtus homo

per

Digitized by Google

per poteſtatem Dei dedit legem; Ideo illi per poteſtatem ab illo ſuſceptam poſſunt ſupplere omnia, quæ deſunt ad bonum ſtatum Eccleſiæ. Et ita Apoſtol. dicit ſecundo Corint. decimo, & decimotertio, Quod habent miniſtri Eccleſiæ poteſtatem in conſtructionem, & non in deſtructionem, & iſtud eſt ſupplere ea, quæ deſunt legi Chriſti ad hoc, quod ſit conſummata; & ideo dixit Apoſtol. primo Corint. tertio, Quod Dei adiutores ſumus.

Secundo obſeruan. eſt, quod præcepta iudicialia non ſunt nota lumine naturali, & data ſunt pro pace habenda inter homines, vt inferiorum erga ſuperiores, & è contrario, & viri ad vnumquemlibet ei vicinum, tam circa bona corporis, quam circa bona animæ, & fortunæ de non furando, de non mæchando ſub determinata pœna; de percuſſione, de compeſcenda libidine, & cæteris id genus, quæ litem excitare ſolent inter homines.

Tertio obſeruan. eſt, quod Iudæi tenebantur ad omnia iudicialia, vel per ſe, vel quando diſcernebantur per iudices eorum, & maxime per Sacerdotem Leuitici generis, ſi quando erat caſus dubius apud iudices inferiores, iuxta illud Deuteron. decimoſeptimo, Omnis anima, quæ contempſerit iudicium Sacerdotum, morte moriatur. Præcepta enim iudicialia cum data fuerint à conſtitutore veteris teſtamenti, & data fuerint ad ſolam directionem illius populi, qui faciebat vnam ſpecialem politiam, vt patet Exodi decimonono, & Deuteron. ſeptimo, Quia Deus eum accepit in populum familiarem, & peculiarem de cunctis tribubus, & gentibus, ſolum homines illius politiæ obligabant; ſicut quælibet politia ſpecialis ſuas leges habet directiuas ſpecialiter illius politia.

Quarto obſeruan. eſt, quod ſicut deſtructo ſtatu politico oportet deſtrui regulatiuas leges politiæ. Ita populus Iudaicus, qui fuit quędam ſpecialis politia, cum ſtatum illum mutauerit adueniente Meſſia, qui erat cõſummatio illius ſtatus, neceſſe fuit leges datas ad ſpecialem regulationem illius ſtatus perire.

Huiuſmodi autem ſunt præcepta legalia, quæ erant ſolum directiua illius populi, quatenus erat ſub illo ſtatu. Ex quo ſequitur, quod ſi aliquis nunc obſeruaret illa præcepta iudicialia, dicens illa obligare vſque nunc; diceret manere ſtatum veteris teſtamenti, & eſſet tacite affirmare Chriſtum nondum veniſſe ad ſumendum carnem, ſed adhuc expectari, quod eſſet deſtruere veritatem totius noui teſtamenti, vt diximus ſupra de cæremonialibus.

Quinto obſeruan. eſt. Quoniam præcepta iudicialia ſunt leges datæ ad conſeruationem alicuius politiæ, quod ſi illa forte conueniant politijs temporis noſtri, poterimus illa accipere pro directione noſtra non tamquam obligantia ad cuſtodiam; ſed quia nos ea nouiter ſtatuimus, & eis vim obligandi tribuimus. Sicut ſi aliquis Princeps in terra ſua ſtatueret ſic fieri, vt in iſtis præceptis iudicialibus continebatur, ita vt ipſe ea ſtatueret, & tunc ea obligare incipere, notificaret ea non obligauiſſe à principio. Et iſto modo Eccleſia approbauit quaſdam de iſtis legibus, & ſtatuit ea ſeruari, vt patet extra de homicidio, & extra de adulterijs, & ſtupro; & extra de iniurijs, & damno dato: & nunc nos illas obſeruamus, non ex authoritate Dei illas in veteri teſtamento condentis: quia illa legislatio tranſijt, cũ ipſe noluerit eas leges durare in æternum, ſed vſque ad aduentum Meſſiæ, ſed obſeruamus ex authoritate Eccleſiæ de nouo inſtituentis. Et nihil magis eſt Eccleſiam, vel aliquem principem condere, & approbare iſta præcepta iudicialia, vt obſeruentur in ditione ſua: quam vnam Rempub. accipere leges alterius.

Vt patet de Romanis, qui acceperunt leges à Græcis. Nam Romani decem viros Athenas miſerunt, qui leges ex authoritate Solonis in Latinum de Græco ſermone transferentes decem tabulis expoſuerunt. Et quia poſtea Romanis illa legislatio perfecta viſa non eſt, duas tabulas addiderunt facientes duodecim tabulas. Vnde apud Legiſtas vocantur leges duodecim tabularũ, quæ in Digeſtis continentur. De his Paulus Oroſius ſecundo, de Ormeſta mundi, & Iſidorus libr. quinto, Etymo. capit. primo, & in decretis diſtinct. octauo capit. Moyſes. Conſtat autem, quod Romani non acceperunt illas leges Solonis tamquam ſe putarent obligatos legibus Solonis, vt Solonis, quæ ad ſolos Athenienſes datæ erant; ſed accipiebant ea, tamquam dicta viri ſapientis, vt ſi placeret illis ſtatuerent eas, & darent authoritatem legum, ſin minus, relinquerent.

Paul. Oro.
Iſidorus

Ita nos accipimus præcepta iudicialia data à Deo tamquam dicta ſapientis viri, & non tamquam dicta alicuius legislatoris nos ad obſeruantiam obligantis. Quod autem ſeruare præcepta iudicialia non repugnet ſtatui noui teſtamenti, ſicut ſeruare cæremonialia, ex eo patet: quia præcepta iudicialia dabantur Iudæis, qui erant vna ſpecialis politia tamquam directiua illius politiæ, & non dabantur ad ſignandum aliquid futurum in nouo teſtamento, ſicut ſignabant cæremonialia. Ideo eſto, quod cuſtodiantur, non derogant ſtatui noui teſtamenti: quia non ſignificant aliquid venturum eſſe, quod iam venerit, ſicut ſignarent cæremonialia, ſi ſeruarentur, vt ſupra docuimus. Si autem dicantur aliquo modo iudicialia eſſe ſignificatiua, vel figuralia, non eſt per ſe, ſed per accidens quatenus dabantur populo, cuius erat ſtatus totus figuralis perfectionis, & veritatis, quam expectabant in conſummatione ſtatus illius: magna ergo differentia eſt in obſeruationem legalium, ſiue cæremonialium, & in obſeruatione iudicialium: Nam cæremonialia per ſe derogant ſtatui noui teſtamenti, iudicialia vero non repugnant niſi per accidens.

Et ſi dicas, cum intentio legislatoris politiæ ſit dare rectas leges conſeruatorias ſtatus politici, & conſtet, quod apud homines non eſt certitudo in legibus, quas dant, ſcilicet quod prudentia ſua non ſufficit totaliter ad inquirendum rectas leges, & ideo interdum dant leges non bonas, & ex altera parte Deus eſt prudentiſſimus, imo eſt pura prudentia, & impoſſibile eſt eum errare; atque adeo leges, quas dat alicui populo neceſſe eſt eſſe optimas. Quare homines non accipiunt leges à Deo conditas pro eorum politijs regendis, ſeu quare præcepta iudicialia, quæ Deus dedit, non obſeruantur in omnibus politijs?

Dico primo, quod politiarum, & principatuum, quidam ſunt boni ſimpliciter, quidam ſunt boni huic, vel illi genti, ſecundum quod ſæpe declarat Ariſtot. in tertio, & quarto Politicorum. Nam principatus Monarchicus ſecundum ſe optimus eſt: quia maxime aſſimilatur optimo principatui naturali, de quo loquitur Ariſtot. decimoſecundo Meth. in fine, Quod entia nolunt male diſponi: mala eſt pluralitas principum: bonus eſt ergo vnus princeps. Iſte tamen non eſt multum conueniens politijs; quia eſt periculoſus, vt declarat Ariſtot. in fine tertij Polit. Nam difficile eſt omnia committere vni: quia illo male agente cuncta deſtruuntur; maxime cum non conſtet de bonitate illorum, qui ſunt Monarchæ, potiſſime quando non eliguntur, ſed veniunt per ſucceſſionem.

Ariſt.
Principat⁹ Mon archicus ſm ſe optim⁹ ē.
Ariſt.

Poſt hunc principatus Ariſtocraticus eſt optimus, cum communitas regitur per plures, & prudentes atque ſtudioſos; & quilibet magis habet de poteſtate, ſecundum quod maioris virtutis eſt. Sed iſte principatus non conuenit cuilibet politiæ: cum ſit multum ſeditioſus, & occaſio inuidiæ inter eos, qui potentes, & magni ſunt: Nam quibuſdam electis, alij qui non eliguntur, per hoc innuuntur, non eſſe ita boni, & ſtudioſi, ſicut illi, qui eliguntur, quod magnam radicem inuidiæ, & ſeditionis præſtat. Concludit ergo Philoſ. in tertio Polit. principatum Democraticum eſſe bonum politiæ: nam licet non ſit bonus ſecundum ſe, cum ſit vnus de imperfectiſſimis principatibus: quia eſt vnus de tribus malis, eſt tamen ſecurus, cum non ſit ſeditioſus: Nam Principatus Democraticus eſt Principatus popularis, id eſt, in quo omnes de populo æqualiter dominari poſſunt, & ſic ad inuicem non inuidebunt. Sicut ergo eſt de politia

Principatus Ariſtocraticus.
Principatus Democraticus.

ita

ita eſt de legibus: quia leges ponuntur ad directionem ſtatus politici. Quia ergo quædam politia, ſiue ordo politicus eſt per ſe, & ſimpliciter bonus, licet forte ille nulli populo conueniat: ita erunt leges correſpondentes illi politiæ, quæ erunt ſimpliciter bonæ, & tamen forte nulli politiæ conuenient. Aliæ ſunt politiæ, id eſt, ordines politici conuenientes huic, & illi populo, & iuxta hoc dantur leges conuenientes huic populo, vel illi.

Dico ſecundo, quod legislator non debet dare leges ſimpliciter bonas, ſed leges bonas alicui populo. Sicut Medicus non dat ægrotanti cibum, qui eſt ſimpliciter ſanus, ſed cibum, qui eſt ſanus illi ægrotanti; & ſicut nutrix non debet dare puero tenero cibum, qui eſt ſimpliciter nutritiuus, ſed qui eſt nutritiuus illius: nam cibus qui eſt nutritiuus ſimpliciter, eſſet fortis, & indigeſtibilis puero delicato. Ita legislator non debet dare legem bonam ſimpliciter, ſed bonam illi politiæ, quia forte populus ille eſt imperfectus, & non poteſt tolerare legem ſimpliciter bonam, legem ſimpliciter bonam appello, quæ tollit omnes defectus. Vnde ſi aliqua lex vellet tollere omnia mala, eſſet mala ſimpliciter: quia non conueniret illi politiæ, cui dabatur, cum deſtrueret totum ſtatum politicum.

Dico tertio, quod præcepta iudicialia, quæ Deus dedit Iudæis, non erant ſimpliciter bona: cum populus ille non eſſet bonus ſimpliciter, nec diſpoſitus ad hoc diſpoſitione propinqua, & ipſa lex vetus, cuius quædam pars ſunt præcepta iudicialia, non ſit perfecta, nec præcepta legalia erant perfecta ſimpliciter, ſed erant talia, qualia conueniebant illi populo, & quia non ſunt omnes populi taliter diſpoſiti, qualiter Hebræi tunc erant; ideo non ſunt bona cuilibet populo ea, quæ bona erant Iudæis. Ideo licet illa præcepta fuerint ſine dubio bona, & conuenientia Iudæis, non tamen conueniunt nobis: quia non habemus eamdem diſpoſitionem quam ipſi.

Cum ergo dicitur, quod Deus eſt prudentiſſimus legislator non potens errare &c. Dico, quod non ſequitur, quod omnes homines, & populi debeant accipere pro ſe illas leges. Quia licet impoſſibile ſit, quod illa lex, quam Deus dat alicui populo, ſit illi populo mala; tamen ſatis poſſibile eſt, & ſic eſt de facto, quod eſſet pro alijs populis mala: Nam multa ponuntur in iſtis præceptis iudicialibus Iudæorum, quæ obſeruata militarent contra ſtatum politiæ noſtræ. Non decet ergo quod Eccleſia, vel aliquis Princeps de modernis confirmet omnia iſta ſtatuta iudicialia, promulgando ea tamquam leges ſubditis ſuis.

Ratio autem quare præcepta iudicialia Hebræorum non erant ſimpliciter bona eſt, quia non erant præcepta vniuerſalia, quæ obligarent omnes nationes, & populos; ſed præciſe populo Iſraelitico data erant, atque adeo tantum illi ſimpliciter bona; lex enim vetus data fuit vni ſoli genti, ſcilicet genti Iudæorum, quam Deus accipiebat in populum peculiarem de cunctis populis terræ per illam legem, vt patet Exodi decimonono, cum dicitur. Si audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, debebat ergo iſta lex, vt bona eſſet, conformari ſtatui illius gentis cui dabatur, ſicut menſura, & menſuratum, cum iſtæ leges ſint menſuræ actuum humanorum, ſed illa gens erat imperfecta, ergo aliqua, quæ ad imperfectionem pertinerent permittebantur. At lex noui teſtamenti eſt ſecundum ſe, & ſimpliciter bona: quia nullum malum permittit, vt patet diſcurrendo per totam: & ratio eſt, quia non fuit data alicui populo ſpecialiter, ſed toti mundo, vt patet Matth. vigeſimooctauo, cum dicitur. Ite per vniuerſum mundum, & prædicate Euangelium omni creaturæ: non ergo debebat conformari ſpecialiter conditioni alicuius gentis. Ex his ergo patet, quod præcepta iudicialia, quæ obligabant Iudæos, nullo modo vt præcepta legis veteris obligant nos Chriſtianos.

Ex his patet ſolutio quæſtionis. Ad quam reſpondet Scotus in hac quæſt. ſub littera B. §. Iudicialia nulla, & ſub littera D. §. Quantum ad iudicialia. Vbi ſcribit, quod iudicialia nulla impoſita ſunt per Chriſtum, ſed magis lex Chriſti eſt lex mititatis, & humanitatis: in qua non oportet habere iudicialia, intelligas ſub præcepto, ſicut erant in lege veteri: quia licet non ſit præceptum per Chriſtum, hominem nequam tradere morti, atque hæreticos flammis comburere, eſt tamen tamquam expediens conſultum Matth. decimooctauo, cum dicitur. Si quis ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis &c. expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria &c. Et D. Paulus inquit, Non ſine cauſa gladium portat ad Roman. decimotertio, Cum ergo lex Euangelica ſit lex mititatis, non oportet in ea haberi præcepta iudicialia, iuxta illud primo Corint. ſexto, Iam quidem omnino delictum eſt in vobis, quod iudicia habeatis inter vos, quare non magis iniuriam accepiſtis, quare non magis fraudem patimini? Hoc enim docuit Chriſtus Matth. quinto, Si quis percuſſerit te in vnam maxillam, præbe ei & alteram; & ſi quis voluerit tibi tollere tunicam, relinque & pallium.

Ex quo patet grauitas legis veteris quo ad iudicialia ſuper nouam. Nam lex noua leuiſſima eſt, quia nulla iudicialia Chriſtus impoſuit.

ARTICVLVS IV.

Vtrum lex noua abſolute loquendo ſit leuior lege veteri.

PRo explicatione huius difficultatis obſeruan. eſt. primo, quod Chriſtus Saluator Matth. ſeptimo loquens de lege Euangelica appellat eam viam arctam. Arcta, inquit, eſt via, quæ ducit ad vitam. Eſt autem lex Chriſti via arcta propter præceptorum difficultatem, non quod Chriſtus introduxerit aliquas nouas difficultates ſuper legem veterem: quia nulla præcepta poſuit vltra ea, quæ de iure naturali erant, ſed quia illa explicauit quantum ad aliqua, quæ obſcura erant, vel potius per prauam conſuetudinem obſcurata: atque ita ius naturale ſi plene obſeruandum eſt habet multas difficultates, & ratio eſt: quia omnes operationes noſtræ per virtutem dirigendæ ſunt, operari autem ſecundum virtutem eſt valde difficile: quia virtus conſiſtit in medio, ſecundo Ethic. inuenire autem medium eſt valde difficile, vt patet ibidem, quanto magis circa medium inuentum operari, & ideo dicitur Matth. ſeptimo, quod pauci ſunt, qui inueniunt eam; operari autem vitioſe eſt valde facile propter duo. Lex Euangelica quā rōne diffi cilis.

Primo quia nulla eſt difficultas in inueniendo viam: quia non eſt aliquis modus certus operandi ad male agendum; ſed qualitercunque velimus poſſumus male facere. Secus autem de bono: quia non poteſt bonum fieri niſi vno modo, ſcilicet obſeruando omnes circumſtantias ſecundum rectam rationem; malum autem fit ex defectu cuiuſcunque circumſtantiæ, quapropter dicitur ſecundo Ethic. quod peccare contingit infinitis modis, bene autem agere ſolum vno modo; & ponit exemplum de ſagittantibus, quia difficile eſt percutere ſignum, eo quod ad percutiendum non eſt niſi vna via; ad deficiendum autem ſunt infinitæ, quia totus mundus via eſt; atque ita arcta eſt via ſalutis: quia virtus conſiſtit in medio, & ſi declinemus ad vnam partem, vel alteram, iam incidimus in vitium, via autem perditionis eſt lata: quia malum operari habet infinitam latitudinem.

Secundo quia operari malum non habet difficultatem, cum ſit inclinatio naturæ noſtræ deprauatæ: inclinamur enim ſemper ad aliquod extremum in omnibus paſſionibus, & actionibus; vitia autem conſiſtunt in extremo. Virtus autem ſemper eſt contra inclinationem naturæ deprauatæ, quia eſt circa medium,

Digitized by Google

dium, & ideo operari ſecundum virtutem, etiamſi in omnibus rebus medium eſſet cognitum, eſſet difficile propter difficultates repugnantiæ ad naturalem inclinationem: peccare autem eſt facere quicquid delectat, ideo nihil facilius eſt, quam peccare, & nihil difficilius quam bene agere, vnde D. Gregor. ſuper Ezech. Quamuis, inquit, charitas ſit lata, tamen per anguſta, & ardua homines ducit à terra. Satis anguſtum eſt omnia dimittere, vnum ſolum diligere, proſpera non ambire, proſpera non timere, & quo ad hanc difficultatem æquales ſunt, vtraque lex.

Quõ lex Moyſis ſit grauior, aut leuior lege noua.

Secundo obſeruand. eſt, quod de difficultate, aut grauitate legis Chriſti, & Moyſis poſſumus loqui dupliciter, aut quantum ad grauitatem præceptorum in ſe ipſis: aut per comparationem ad virtutem obſeruantium. Si primo modo ſtat dupliciter: quia aut conſideratur iſta grauitas propter multitudinem præceptorum, aut propter difficultatem ipſorum. Si primo modo, grauior erat lex Moyſis: quia erant plura cæremonialia, & iudicialia, quæ propter multitudinem vix homo ſufficiebat obſeruare, de quibus nulla ſunt in lege Chriſti, ſed ſola præcepta moralia, quæ ſunt iuris naturalis, continet includens ea breuiter in præcepto, de dilectione Dei, & proximi Matthæi ſeptimo, & 22.

Si autem conſideretur grauitas præceptorum in ſe ipſis, dicendum eſt, quod cum in lege noua contineantur ſola præcepta iuris naturalis, quæ etiam omnia obligabant in lege veteri, non poſſunt eſſe grauiora, quæ ſunt in lege noua, quam quæ erant in veteri, & tamen quantum ad explicationem iſtorum præceptorum iuris naturalis, videtur eſſe maior difficultas legis nouæ ſuper veterem; vt patet Matth. quinto, vbi Chriſtus declarat multa præcepta quomodo obſeruanda ſunt. Nam apud antiquos dicebatur. Non occides, & putabant ſe non obligatos niſi ad cauendam occiſionem, & corporalem percuſſionem: Chriſtus autem dixit, non dicebat dicere verbum contumelioſum, nec etiam iraſci in animo. Idem fuit de adulterio, quod antiqui putabant ſolum eſſe prohibitum, Chriſtus autem dixit, quod etiam non licebat videre mulierem ad concupiſcendum eam; & ita de multis alijs declarationibus iuris naturalis quas Chriſtus fecit. Iſtæ enim licet obligauerint omni tempore: quia in eis non conſtituitur ius nouum, ſed explicatur antiquum; tamen in veteri lege non erant, atque adeo licet peccarent tunc homines contrafaciendo, non tamen ita grauiter ſicut nunc; & quantum ad hoc lex noua eſt valde dura quia regulare opera exteriora facilius eſt; regulare tamen animum eſt difficile: quia iſtud eſt tollere deſideria noſtra, & abnegare nos ipſos, & quantum ad hoc dixit Chriſtus Matth. ſeptimo, quod arcta eſt via, qua ducit ad vitam, & pauci inuenerunt eam.

Inſuper lex Chriſti ponit conſilia, quæ ſunt magnæ perfectionis, quæ non erant in veteri, ad ea tamen non obligat, ſed inuitat, & incitat. Inſuper Chriſtus quædam prohibet nunc, quæ in veteri lege permiſſa erant propter infirmitatem hominum, & in hoc manifeſte difficilior eſt lex noua, quam vetus: quia ibi permittebatur libellus repudij, Deuteronom. vigeſimoquarto, Nunc autem non permittitur. Matth. quinto, & iſta eſt quædam magna difficultas, ſicut dixerunt diſcipuli Chriſto Domino. Matth. decimonono, Si ita eſt cauſa hominis cum vxore, ſcilicet quod non poteſt eam repudiare, non expedit homini nubere. Etiam permittebatur illis dare vſuras extraneis, Deuteron. vigeſimotertio, Nulli autem nunc permittitur, quod etiam eſt difficile Lucæ ſexto, Mutuum date nihil inde ſperantes. Etiam tunc permittebatur appetitus vindictæ, & perſecutio hoſtium, & occiſio eorum, etiamſi eſſent innocentes, Deuteron. decimonono, & trigeſimoquinto, Nunc autem non ſolum innocentes; ſed etiam hoſtes iniuſtiſſimos odiſſe non licet, ſed diligere eos monemur Matth. quinto; atque ita in his maior patet difficultas legis nouæ ſuper veterem.

Si autem ſecundo modo, & principaliter conſideretur difficultas per comparationem ad virtutem obſeruantium, dicendum eſt, quod lex vetus erat abſolute difficilior, & grauior, & hoc propter duo.

Primo quia lex vetus ex opere operato gratiam non conferebat; in lege autem noua eſt plenitudo gratiarum, quia ſunt ibi multa, ſcilicet omnia Sacramenta, in quibus ex opere operato gratia confertur, id eſt, quod non ſolum tantam gratiam, quis recipit ex quanta deuotione Sacramentum ſuſcipit; ſed etiam Sacramentum ex ſe ipſo gratiam auget vltra id, quod deuotio meretur, ſicut patet in abſolutione pœnitentiali, quia non ſolum remittitur homini de pœna tantum, quantum valet pœnitentia ſibi impoſita à Sacerdote ex ſe ipſa; ſed etiam virtute clauium, quas Sacerdos habet, remittitur aliquid de pœna debita; quia aliâs æqualis valoris eſſet, quod quis ſponte aſſumeret vnum diem ieiunij ad ſatisfaciendum pro peccato, & quod Sacerdos ei imponat, vt illud ſubeat, quod falſum eſt. In veteri autem teſtamento omnia opera facta ex deuotione, ſiue eſſent à lege poſita; ſiue non, erant meritoria: quia propter Deum fiebant, & ex deuotione: tamen non erant magis meritoria, quam (cum propter Deum fiebant) eſſet quantitas charitatis, & deuotionis ex quibus fiebant, atque ita opera ex ſe ipſis non erant meritoria. Nunc autem quia aliqua opera ex ſe ipſis gratiam conferunt, vel augent, facilius eſt homini habere gratiam, quam olim. Item prouenit hoc ex conditione temporis: quia poſt mortem Chriſti, qui pro nobis omnia meruit, promptius, & abundantius Deus gratiam hominibus elargitur, quam prius, quia prius nemo meruerat nobis illam dari; copia autem gratiarum reddit opera faciliora.

Secundo fit hoc propter motiuum, quia lex vetus inducebat hominem ad bonum propter timorem, ad Hebræos duodecimo, Lex autem mouet ad bonum propter amorem, ad Roman. octauo, Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, hoc eſt; quia non imponit pœnas, quas ſtatim inferat tranſgreſſoribus ſicut lex Moyſis, quæ mox puniebat delinquentem. Amor autem omnia facilia reddit. Ideo quantum ad hoc facilius eſt tolerare legem nouam quam veterem.

Eſt ergo lex Chriſti leuior lege veteri propter duo, primo quoniam multo pauciora continentur in lege Chriſti præcepta, quam in lege veteri; quia tantum præcepta moralia iuris naturalis, nulla autem cæremonialia, nec iudicialia: neque addit quo ad moralia ſuper veterem: Nam explicationis iuris naturalis, quæ in veteri non erant explicite, continebantur tamen ibi in virtute. Vnde non vere additur aliquid in hoc: quia etiam Iudæi obligabantur hoc obſeruare, & licet quantum ad iſtam explicationem eſſet aliquid difficultatis maioris in lege noua: non ſequitur, quod lex noua ſit ſimpliciter, & abſolute difficilior veteri: quia vt dicit Scotus hæc grauitas non æquiparatur grauitati cæremonialium, & iudicialium veteris legis. Nam hæc eſt ſimpliciter leuitas, id eſt, carere cæremonialibus, & iudicialibus præceptis, quæ longe præponderat illi grauitati, ſi qua ſit in moralibus maior. Scotus.

Secundo eſt lex Chriſti leuior propter conſiderationem præmij, & adiutorium ad operandum. Nam ſeruantibus legem Euangelicam propoſuit Chriſtus Dominus vitam æternam. Sed conſideratis bonis cœleſtibus vileſcunt omnia, quæ habentur in terris, vt dicit D. Gregor. in quadam hom. & ipſi Iacob amanti Rachelem facile videbatur ſeruire ſeptem annis pro ea, vt legitur Geneſ. vigeſimonono, ita vt videbantur ei pauci dies præ amoris magnitudine, & hanc cauſam tangit Chryſoſtomus. Eſt inſuper adiutorium gratiæ, & charitatis: quia ſine gratia nemo poteſt legem Chriſti obſeruare, etiam propoſito ſibi fine beatitudinis: Gratia vero eſt, quæ res aſ-

D. Gregor.

D. Chryſ.

peras

peras molles reddit: ita vt non ſolum præcepta, ſed etiam conſilia obſeruare leue ſit.

ARTICVLVS V.

Vtrum lex noua quatenus non ſolum eſt à Chriſto Domino explicata, ſed etiam quatenus eſt per alios declarata, & ſuper eam aliqua per alios addita, ſit lege veteri grauior.

PRo huius articuli explicatione obſeruan. eſt, certum eſſe Eccleſiam accepiſſe à Chriſto poteſtatem regendi, & paſcendi gregem Domini. Ad regimen autem animarum quo ad mores multa ſunt pro tempore, pro loco, pro perſonarum qualitate conſtituenda; nec ſtabilem, & generalem legem huiuſmodi habent, ſed eſt penes prudentes patresfamilias dare in tempore tritici menſuram, Lucæ duodecimo, & propter hoc fideles diſpenſatores vocantur Eccleſiæ miniſtri. Quare Chriſtus non ſatis Eccleſiæ ſuæ conſuluiſſet niſi talem poteſtatem reliquiſſet. Certum eſt etiam, quod Eccleſiæ Prælati Apoſtolis ſucceſſerunt, vt ſupra oſtendimus in tractatu de Eccleſia, Apoſtoli autem multas huiuſmodi leges tulerunt. Nam D. Paulus, primo Corint. decimoquarto, de ratione, & ordine prophetandi multa præcepta dat. primo Timoth. tertio ordinat, ne vel neophytus, vel bigamus ordinetur in Epiſcopum. Apoſtoli in Concil. Act. decimoquinto ſtatuerunt decretum de abſtinendo ab immolatitijs, & ſanguine. Paulus ait ad Titum primo: Reliqui te Cretæ, vt ea, quæ deſunt corrigas, ſuper corrigas, & ſuper addas noua præcepta pro noua rerum exigentia; atque ita reliqui Epiſcopi poſſunt.

Præcepta Eccleſiæ poſſũt quadrupliciter conſiderari.

Secundo obſeruan. eſt, quod mandata Eccleſiæ in quantum comparantur cum diuinis, poſſunt quatuor modis conſiderari. Primum vt ſint huiuſmodi, quæ in ſcripturis aperte ponuntur; vt cum iubet Eccleſia honorare parentes, quod etiam in Decalogo iubet ſcriptura; & hoc modo ſunt Dei præcepta quo ad authoritatem Eccleſiæ tantum quo ad miniſterium, id eſt, ſunt pure diuina: quia à Deo immediate lata ſunt, & Eccleſia in huiuſmodi præconis tantum miniſterio fungitur. Talia ſunt præcepta moralia ad rectum gratiæ viũm ſimpliciter neceſſaria, quæ vetus ſcriptura ſufficienter complexa eſt, vt docet S. Thomas, prima ſecunda quæſt. 108. attic. 2.

D. Thom.

Alio modo conſiderantur præcepta Eccleſiæ quatenus etſi in ſcripturis aperte non ponuntur, tamen ex ſcripturis bona conſequentia deducuntur, vt quia ſcriptura dat presbyteris poteſtatem ſoluendi peccata, iubet Eccleſia eadem confiteri: quia ſine confeſſione cognoſci, & conſequenter ſolui non poſſunt. Talia etiam diuina ſunt: quia proximum fundamentum in verbo Dei habent; & Eccleſia in huiuſmodi tantummodo exponit ius diuinum.

Tertio modo conſiderari poſſunt, quod generaliter, vel ſcriptura, vel natura in ſpecie iubet, Eccleſia in particulari determinat, vt quia Deus in ſcriptura iubet ieiunare, & mortem Domini commemorare, & orare; Eccleſia certa ieiunandi, & orandi, & communicandi tempora præſcribit. hæc ſunt Eccleſiæ præcepta propria, id eſt, non proprie diuina, & ſi per poteſtatem diuinitus acceptam, vt Gerſon opinatus eſt, ſed Eccleſiaſtica: quia ipſa eſt Eccleſia, quæ tales leges condit. ſicut Reges per poteſtatem à Deo acceptam leges condunt, non tamen diuinas, ſed humanas, & ciuiles. Vide Sotum de iuſtit. & iure lib. primo quæſt. ſexta, attic. quarto.

Gerſon.

Sotus.

Quarto modo conſiderantur præcepta Eccleſiæ, quæ abſolute Eccleſia facit, nec determinando, nec exponendo ius diuinum, aut naturale, ſed ea ſetendo, quæ ad ædificationem præſentem facere iudicat, & quæ nullo mandato diuino repugnent, & in Eccleſia eſſe hanc poteſtatem, ex primo notabili patet, & per Concilium Trident. ſeſſ. ſexta, can. vigeſimo, vbi patres anathema dicunt eis, qui dicunt hominem iuſtificatum ad obſeruantiam mandatorum Dei, & Eccleſiæ non teneri, quibus verbis manifeſte innuunt eſſe quædam Eccleſiæ præcepta à Dei præceptis diſtincta.

Præcepta Eccleſię cõſcientiã obligant.

Tertio obſeruan. eſt, quod præcepta Eccleſiæ conſcientiam obligant, quod patet per illud Apoſtol. ad Hebræ. decimotertio, Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete illis, ipſi enim peruigilant pro animabus veſtris, quaſi rationem Deo reddituri, atque adeo non obedire peccatum eſt contra præceptum Apoſtol. id eſt, Dei per Apoſtolum loquentis. Item Paulus per ambulans Schytiam, & Ciliciam, & confirmans Eccleſias, præcepit cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & ſeniorum Act. decimoquinto, Et cum pertranſirent Ciuitates Paulus, & Barnabas tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & Senioribus. Act. decimoſexto, & ſecunda Theſſal. tertio, Si quis (inquit D. Paulus) non obedit verbo noſtro, per Epiſtolam hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, quibus verbis tamquam grauiter peccantem à fidelium conſortio ſuſpendit. Item ad Roman. decimotertio, omnis poteſtas à Deo eſt, quæ autem ſunt à Deo ordinata ſunt, itaque qui reſiſtit poteſtati Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt ipſi ſibi damnationem acquirunt. Ex his verbis, quod leges Principum obligant conſcientiam colligunt, & concedunt nobis etiam Lutherani, etſi Caluinus cum ſuis repugnet, at Eccleſiaſtica poteſtas quædam eſt à Deo accepta ferendi leges, vt ſupra dictum eſt, ergo & ille, qui reſiſtit damnationem ſibi acquirit. Hoc argumento vtitur Sanctus Baſilius in conſtitut. Monaſt. conſt. vigeſimatertia tamquam à minori ad maius. Demum fuit Arrij manifeſta, & damnata hæreſis, qua negauit Eccleſiæ leges ligare conſcientiam: aiebat enim ſtatuta ieiunia ſolemniter celebranda non eſſe, ſed dum quiſque voluerit ieiunandum, ne videatur eſſe ſub lege, vt refert D. Auguſt. de hæreſibus, hæreſ. 53. Item de illo Epiphanius refert hæreſ. 75. lib. tertio tom. primo, Ieiunium, inquit, non erit ordinatum: Hæc enim Iudaica ſunt, & ſub iugo ſeruitutis. Si vero omnino volo ieiunare, qualemcunque eligam diem à me ipſo, & ieiunabo propter libertatem. Hæc ille antiquus hæreticus. Reſpondet autem Epiphanius: Mater noſtra habet ſtatuta in ſe poſita indiſſolubilia; & ſtatutum matris nemo poteſt diſſoluere. Hæc ille.

D. Baſil.

D. Aug. Epiphan.

Lex quatuor modis cõſciẽtiam obligat.

Quarto obſeruan. eſt, quod lex aliqua conſcientiam obligat, & culpam inducit quatuor modis. Primum ex ſola legiſlatoris voluntate, vt principali cauſa obligationis, vt videlicet ideo neceſſario ſit iuſtum, & ſanctum ideoque obligans, quod lex dicit: quia legiſlator ſic mandat. Hoc autem eſt proprium ſolis diuinis legibus, quas videlicet aut in ſcriptura Deus reuelauit, aut in mentibus hominum per naturæ inſtinctum inſcripſit. Quicquid enim vel Deus in ſcriptura iubet, vel naturæ lex dictat, hoc ipſo obligat.

Alio modo ex legiſlatoris voluntate, nõ quidem principaliter, ſed quatenus à diuina voluntate deriuatur, & illi innitutur. Quo quidem modo tum Principes ſæculares, tum Prælati Eccleſiaſtici leges tulerunt, accepta à Deo poteſtate. Sed iuxta ſolam hanc conſiderationem non obligant ſub mortali peccato, vel principum, vel Eccleſiæ leges: Contingit enim eorum voluntates interdum ab æquo aberrare. Quo quidem in caſu obligant eo vſque, vt non debeant contemni leges legitimi legiſlatoris etiam iniuſtæ, tamen in manifeſta iniuſtitia, aut in materia leuiſſima, non obligant ſub mortali peccato.

Tertio modo in quantum lex ipſa eſt Reipub. vtilis, & de bono honeſto; & ſic etiam leges humanæ obligant ſub peccato mortali, non quidem ſimpliciter; & ſem-

Digitized by Google

& ſemper, ſed pro grauitate materiæ, id eſt, pro magnitudine boni communis, quod lex reſpicit, vel quando transgreſſio legis contrariatur charitati, & iuſtitiæ.

Quarto modo ex parte finis, id eſt, in quantum lex non ſolum eſt de bono honeſto, ſed etiam ad lucrum vel cuſtodiam fidei, vel charitatis Chriſtianæ, ac denique ad ædificationem totius Eccleſiæ, aut cõmunitatis, ſeu proximi in particulari directè facit; Et ſic leges Eccleſiaſt. multò fortius, & certius ligant, quàm ciuiles ſub pœna peccati: quia pro proprio obiecto habent, & fine proximo animarum ſalutem. Neutræ tamen ex ſola voluntate Legiſlatoris; ſed ex ipſa legum vtilitate, & ratione ſub peccato mortali obligant. Sic Diuus Auguſtinus docet legibus Eccleſiaſticis etiam certarum regionum obediendum eſſe: quando nihil habent quod ſit contra fidem & bonos mores. epiſt. 118.

D. Aug.

Lex obligat cõſciẽtiam ſubditi duob. modis.

Quinto obſeruandum eſt, quod lex & mandatum obligat conſcientiam ſubditi duobus modis. Vno modo per viam coactionis, & timoris: & hæc eſt obligatio ſeruilis, qualis in veteri lege fuit, qualis inter principes ſeculares & ſubditos, inter dominum, & ſeruum, inter pedagogum & paruulum eſt; & hoc ſenſu omnis lex onus graue, & iugum eſt, vel ex parte rei, quatenus quæ præcipiuntur, magis obedientiam exercent, quam vtilitatem adferunt, vt veteris legis cæremoniæ; vel ex parte carnalis affectus ſubditi, qui inuitus omnia facit, aut certè ex timore pœnæ, vt omnes faciunt, qui ad vetus teſtamentum pertinent.

Alio modo lex obligat per viam liberæ ſubiectionis, & obedientiæ liberalis, & hæc eſt obligatio filialis, qualem filius patri exhibet. Talis eſt obligatio legum Eccleſiaſticarum, tam ex parte rerum, quæ etſi multæ, & variæ ſint; tamen non niſi pro commodo, & ſalute ſubditorum feruntur, quam ex parte ſpiritualis affectus ſubditorum, qui ex dono Spiritus ſancti, & affectu dilectionis ſic Eccleſiæ legibus obediunt, vt ipſius Dei, maximè ardua ſeruent, & vias duras cuſtodiant, iuxta illud Pſalmi decimiſexti, qualia ſunt diligere inimicos, orare pro perſequentibus, non aſpicere mulierem ad concupiſcendum, non iraſci fratri, carnem crucifigere cum ſuis concupiſcentijs, omnia pro Chriſto relinquere, id eſt, paratum ſemper eſſe relinquere, ſic vti hoc mundo, quaſi non vtatur, quæ ſunt omnia nouæ legis præcepta. Talem obligationem adferunt Eccleſiæ præcepta, & pertinent ad onus Chriſti leue & iugum ſuaue: propter donum charitatis, quæ facit, vt mandata eius non ſint grauia, denique prioris generis eſt ſub lege poſterioris ſub gratia, quæ liberè ſeruit iuſtitiæ, iuxta quam ſerui ſumus obeditionis ad iuſtitiam, vt Apoſtolus loquitur ad Roman. ſexto, de hac materia lege Roffenſem articulo vigeſimo ſeptimo, Alphonſum de Caſtro in verbo Eccleſia, hæreſi tertia, Ioannem Driedonem de libertate Chriſtiana, capite octauo, & nono. Sotum in 4. diſtinctione vigeſimaſecunda, quæſtione prima, & Medinam prima ſecundæ, quæſtione nonageſima ſexta, articulo quarto.

Roffenſis.
Alfonſus
Driedo.
Sotus.
Medina.
Scotus.

His obſeruatis dicendum eſt cum Doctore ſubtili in hac quæſtione, ſub littera D, §. Si tamen loquamur de lege noua, &c. & ſub littera D, §. Quantum ad iudicialia, &c. quod loquendo de lege noua, quatenus eſt non ſolum a Chriſto tradita, ſed etiam quatenus eſt per alios explicata, vel in quantum ſuper ea alia per alios ſunt addita, quantum ad cæremonialia poteſt dici illud, quod dixit Diuus Auguſtinus ad inquiſitiones Ianuarij, ſcilicet, quod Eccleſia paucis & manifeſtis Sacramentorum ritibus contenta eſt, quidam tamen ſeruilibus premunt oneribus, adeo vt tolerabilior ſit conditio Iudæorum, qui non humanis præſumptionibus, ſed diuinis ſubijciuntur inſtitutis. Quibus verbis conqueritur Diuus Auguſtinus de tanta præceptorum, & ſtatutorum multiplicatione in Eccleſia Dei; non quidem vniuerſalis Eccleſiæ, quæ ſunt a Spiritu Sanctò condita: imo illa dicit eſſe pauciſſima, quæ tangunt omnes homines, vt ſtatutos ab Eccleſia feſtos dies ab operibus ſeruilibus abſtinendo celebrare. Sacrum Miſſæ officium diebus feſtis reuerenter audire, Quadrageſima, Quatuor anni temporibus, & vigilijs, ſecundum morem Eccleſiæ ieiunare, & feria Sexta, & Sabbato a carnibus abſtinere, peccata Sacerdoti approbato confiteri, & ſacroſanctã Euchariſtiã circa feſtum Paſchæ ſumere, idq. ſaltem ſemel in anno, diebus ab Eccleſia interdictis nuptias non celebrare; Continentia autem & Clericales cœlibatus non tangunt vniuerſos, ſed eos tantum, qui ſe ſponte ad hæc obligarunt. Sed cõqueritur de ſynodalibus, & particularibus ſtatutis, & præceptis ſine ratione multiplicatis ab Eccleſiæ Prælatis in damnationem animarum, nam etſi licitum ſit Prælatis, & Iudicibus leges condere ad pacem ſeruandam, ſiue illas, quæ fuerunt in lege Moyſis, vel omnes, vel aliquas, vel alias & quaſcunque, & quotcunque, & eas teneantur ſubditi obſeruare, nedum propter pœnam, ſed propter conſcientiam, vt diximus ſupra, dummodo non repugnent legi diuinæ: tamen eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines, &c.

D. Aug.

Genus humanũ principaliter a Deo regulari debet.

Vnde obſeruandum eſt, quod principalis regulatio generis humani, eſt per leges a Deo latas, & neceſſe eſt: quia nemo habet iuriſdictionem ſuper homines, niſi qui eis maior eſt; naturaliter autem non eſt maior vnus homo altero, cum pertineant ad eamdem ſpeciem; ideo homo debet regi per aliquem ſuperiorem homine; iſte autem eſt Deus, ideo per præcepta a Deo data debet regi homo. Et hoc propter duo,

Primo, propter authoritatem: quia homo non habet naturaliter authoritatem ſuper hominem, eo quod non eſt maior eo. Deus autem eſt ſummæ authoritatis.

Secundo, propter certitudinem: nam ſi homo regit hominem, cum poſſit quilibet homo errare, poterit errare is, qui regitur, imo neceſſe erit, quod regulatus erret, ſi is, qui eum rexerit errauerit. Vnde dixit Chriſtus Matt. decimoquinto, contra Scribas & Phariſæos, qui dabant præcepta erronea. Sinite eos, cæci ſunt, & duces cæcorum, atque adeo ad hoc, quod directio hominis certa ſit, neceſſe eſt, quod ſit a Deo, qui errare non poteſt, & ad hoc ſaltem oportet, quod ea, quæ præcipua ſunt, id eſt, in quibus magis dubitari poſſit, aut ſaltem ea, quæ ſunt vt principia, ex quibus poſſunt ſequi deductione neceſſaria inſtituantur a Deo. Hoc autem Deus fecit: & ideo omnibus hominibus tradidit leges communes, quas vocamus leges naturæ, ad Romanos ſecundo. Et iſtæ leges ſunt principia quædam generalia omnium actionum humanarum, ex quibus quilibet acuti ingenij, & exercitatus circa conuerſationem politicam poterit inferre cætera, quæ ſunt neceſſaria ad complementum politicæ conuerſationis.

Deus dedit ſpeciales leges.

Secundo obſeruandum eſt, quod Deus præter hæc dedit ſpeciales leges populis illis, ad quos habuit conuerſationem. Iudæis autem primum, & his tradidit multas leges, vt patet in quinque libris Moyſis. Poſtea autem Chriſtus in carne aſſumpta, conuerſatus eſt cum paucis hominibus, quaſi conuerſaretur cum toto orbe, & dedit leges toti orbi, ſed iſtæ pauciores fuerunt. Cæterum præter ea, quæ Deus dedit vtrobique, erant multa alia neceſſaria, ſecundum quæ regerentur homines circa multa particularia, atque tam inter Iudæos, quã nunc in ſtatu noui teſtamenti: oportuit relinqui aliquibus poteſtatem condendi leges. Et certè in nouo teſtamento reliquit Chriſtus hanc poteſtatem omnibus Prælatis & Dominis temporalibus. Nam dixit Diſcipulis, Sicut miſit me Pater: ita ego mitto vos, id eſt, in eadem poteſtate, vt diximus ſupra.

In veteri autem teſtamento, ſenioribus, qui manſerunt poſt Moyſem, licuit leges condere. Sed hi, quibus relicta eſt talis poteſtas, non habuerunt eam limitatam ad tot leges, vel tot leges, aut ad tales, ſiue in tali materia: imo generaliter, vbicunque videretur eis expedire, poterant conſtituere, quod rectum putarent, & ideo neceſſaria eſt magna prudentia, ſcilicet, vt neque deficiat lex in neceſſarijs, neque ſuperuacuas & oneroſas leges ponant, neque contra rationem inſtituant.

Qũo peccent leges condentes

Vnde circa hoc obſeruandum eſt tertio, quod aut leges ponuntur ab iſtis cauilloſè, intentione illaqueandi ſubditos, vt pecuniam eorum exhauriant eis in legem incidentibus; aut alia intentione.

Si primo modo, non ſolum peccant mortaliter, ſed etiam valde grauiter; & Deus comminatur eis nimis, Iſaiæ decimo capite. Væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentes iniuſtitiam ſcripſerunt, vt opprimant in iudicio pauperem, & vim facerent cauſæ humilium populi mei, vt eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent.

Si autem conſtituat quis paucas leges, & neceſſarias, & non grauatorias, quacumque intentione conſtituat, dum tamen non ad diripiendum, vt ſupra, non peccat.

Si tamen quis multas leges conſtituat, quarum obſeruatio, propter ſuam multitudinem, eſt difficilis: vel quia paucas conſtituat, ipſæ tamen ſunt difficiles, peccat conſtituens.

Non enim debet eſſe multitudo legum ſine cauſa neceſſaria: & non occaſione perfectionis, vt quidam volunt; qui vt deducant ſubditos ad perfectiorem ſtatum onerant eos multis legibus, vel ſaltem condunt leges difficilis obſeruationis. Hoc autem inconueniens eſt. Nam in Religione conueniens eſt eſſe obſeruantias multas, vel difficiles, eo quod eſt voluntarie aſſumpta; & qui non vult, non ſubeſt illis difficultatibus.

Secus autem in generali ſtatu, in quo homines neceſſario manent. Item, quia in Religione pauci ſunt, & illorum intentio eſt, vel eſſe debet, tendendi ad perfectionem, ſed in generali profeſſione omnes manent: ideo non poſſunt omnes tendere ad perfectionem: atque ita non debent eis leges imponi, quæ ad perfectiones deducant.

Ex his ſequitur primo, quod illi, qui in nouo teſtamento poteſtatem habent condendi leges, non debent ſtatuere multa, neque grauia, vt deducant ſubditos ad aliquam perfectionem: quia magis Communitatibus præſunt, in quibus non poſſunt omnes tendere ad perfectionem, & manent etiam neceſſario in his profeſſionibus.

Secundo autem ſequitur, quod pauciores leges debent dari a Principe totius Eccleſiæ: quam ab eis, qui præerant in veteri teſtamento. Nam ſtatus ille paucos ſubditos habebat, ſcilicet, ſolum populum Iudæorum, qui ad vnum modum viuendi coaptari facilè poterat. Status autem nouæ legis habet omnes homines, qui non poſſunt coaptari ad eumdem particularem viuendi modum. Ideo neque multa, neque valde particularia debent conſtitui a Principe totius Eccleſiæ, pro vniuerſa Eccleſia.

Et huius ſignum eſt, quod Chriſtus, qui dedit legem pro hoc ſtatu pauca mandata inſtituit, cum in veteri teſtamento eſſent multa. Et ideo Princeps Eccleſiarum, & potiſſime, qui toti Eccleſiæ præeſt, pauca debet inſtituere ſeruanda ab hominibus, neque debet curare, quod ad perfectionem homines tendant, ſed ſolum vt a mortalibus caueant, & ideo ſine neceſſitate non debet legem aliquam condere: quia quandocunque legem aliquam condit, inducit nouam obligationem, & reducit homines in ſeruitutem, cum tamen Chriſtus voluit nos liberos eſſe a iugo mandatorum, & in hoc ſenſu loquitur D. Aug. vbi ſupra.

Nota Cõfeſſor. Simile quoque eſt quantum ad impoſitionem pœnitentiæ confitentibus; in eis quippe vbi eſt arbitraria pœnitentia, id eſt, vbi non eſt reſtitutio neceſſaria, vel debitum ſpeciale alicui, nemo ſe grauem debet oſtendere, ſed ſequi conditionem pœnitentis, etſi ille vult pro magnis peccatis paruam ſibi imponi ſatisfactionem, parua imponenda eſt, prout docet Diuus Chryſoſtomus ſuper Matthæum vigeſimo tertio, in libro homiliarum quinquageſimo quinto, homilia quadrageſima tertia. *D.Chryſ.* Tales ſunt, inquit, qui graue pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt: qui dicunt & non faciunt, & ſic dum pœna pœnitentiæ præſentis fugitur, contemnitur pœna peccati futuri.

Si enim faſcem ſuper humeros adoleſcentis, quam non poteſt baiulare poſueris; neceſſe habet, aut vt faſcem reijciat, aut ſub pondere confringatur. Sic & homini, cui graue pœnitentiæ pondus ponis, neceſſe eſt, aut, vt pœnitentiam tuam reijciat, aut ſuſcipiens, dum ſufferre non poteſt, ſcandalizatus amplius peccet, deinde etſi erramus paucam pœnitentiam imponentes, nonne melius eſt propter miſericordiam rationem dare, quam propter crudelitatem? Vbi enim paterfamilias largus eſt, diſpenſator non debet eſſe tenax. Si Deus benignus eſt, vt quid Sacerdos eius auſterus? Vis apparere ſanctus? circa tuam vitam eſto auſterus, circa alienam autem benignus. Audiant te homines parua mandantem, & magna videant facientem. Hæc ille.

Ex quibus patet, quod quantum ad hoc poſſet poni maior grauitas in lege Chriſtiana, quam in lege veteri; quia, vt inquit Scotus. *Scotus.* In lege veteri non licuit Sacerdotibus, vel Iudicibus condere quaſcunque leges, ſicut modo licet Principibus Chriſtianis.

Dicendum eſt ergo quantum ad hunc articulum, quod cum pauciora ſint onera legis Chriſtianæ, quatenus ipſa eſt a Chriſto tradita, eſt lege veteri leuior. Cæterum, quia forte plura nouæ legi ſunt addita per eos, qui Chriſtianam Rempublicam regunt, poteſt dici grauior.

Simpliciter tamen loquendo lex noua leuior eſt lege veteri: tum quia motiuum obſeruationis eſt amor, & motiuum obſeruantiæ veteris legis, fuit timor, quaſi ſeruilis, amiſſionis ſcilicet bonorum temporalium. Quod autem fit ex amore, facilius fit, licet ſecundum ſe, & ex parte ſui ſit difficilius, & perfectius, vel magis arduum, quam illud, quod fit ex timore.

Vnde ſecundum Diuum Auguſtinum, breuis diſtinctio Legis, & Euangelij, eſt timor, & amor; tum quia etiam lex noua habet perfectiora auxilia, & remedia, vt videbimus in ſequenti articulo. *D Aug.*

ARTICVLVS VI.

Vtrum lex noua contineat plura remedia, quam lex vetus.

SCOTVS in ſecundo articulo huius quæſtionis, ſub littera F, §. quantum ad ſecundum articulum dicit, legem nouam leuiorem eſſe lege veteri: quia habet plura & efficaciora remedia, ad ſupportandum onus impoſitum, & poteſt ſententia Doctoris hac concluſione explicari. Lex noua ſuauior, leuiorq. eſt, quam antiqua, pluraq. habet remedia, atque efficaciora.

Probatur prima pars. Lex vetus fuit dicta lex timoris, lex autem Euangelica lex amoris: Noua enim lex ex oſtentione diuinæ charitatis initium ſumpſit, iuxta illud Ioannis tertio cap. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, & in effuſione ſanguinis Chriſti, quod fuit perfectiſſimæ charitatis ſignum, nouum teſtamentum conſummatum eſt.

Lex autem vetus ex oſtenſione Diuinæ poteſtatis, quæ timorem ingerit, ſumpſit exordium: vnde in ipſa legiſlatione, propter fulgura, & tonitrua terror inuaſit, ita vt dicerent filij Iſrael. Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur, Exodi vigeſimo cap. & ideo lex vetus per comminationem pœnarum inducebat ad ſui obſeruantiam; noua vero per beneficia exhibita, & exhibenda.

Secunda pars probatur: quia illa lex non præſtabat vires ſpirituales ad ſua præcepta obſeruanda, ſicut lex noua; quæ ideo dicitur lex ſpiritus, quia docens facienda, præbet ſpiritum, & vires, vt fiant, quæ præcipiuntur. Roborantur. n. Fideles 5. maximis auxilijs, quæ iuuant nos ad Euangelicæ legis obſeruantiam. Primum eſt paſſio Chriſti exhibita: quæ plus meretur, maioremq. gratiam

con-

Digitized by Google

confert credentibus eam iam exhibitam, quam meruerit ipſa, vt exhibenda illis, qui illam exhibendam crediderunt. Nam paſſio Chriſti, vt docet Scotus in 4. diſt. 2. quæſt. 1. duobus modis efficaciam habet, vno modo, vt præuiſa, altero modo vt exhibita; obſequium autem exhibitum, vt dicit ibi Doctor, acceptatur amplius, quam præuiſum, & quia lex noua habet paſſionem exhibitam, vetus autem tantum præuiſam; ideo maius remedium, & auxilium datum eſt nobis, quam illis, exhibitio autem paſſionis Chriſti, vt notat Doctor ibidem, facta fuit dupliciter, ſemel actu interiori, atque ita exhibita fuit ab inſtanti ſuæ conceptionis, & iterum actu exteriori, & vt ſic exhibita fuit tempore paſſionis.

Secundum auxilium vel remedium eſt maior gratiæ collatio; cum enim ſacramenta efficaciam habent à virtute & merito paſſionis Chriſti exhibitæ, plus conferunt de gratia, quam ſacramenta veteris legis. Imo ſacramenta veteris legis, præter Circumciſionis ſacramentum, tantum gratiam ſignificabant, ſacramenta vero nouæ legis ſignificant, continent, & conferunt. & præter hæc habemus plura adiutoria gratiæ: quia plura ſacramenta. Nam illi præter matrimonium, ſi tamen fuit illis ſacramentum, de quo ſermo erit in quarto, nullum habuerunt proprie ſacramentum, niſi Circumciſionem, & hoc vt remedium contra originale peccatum.

Vnde obſeruandum eſt, quod apud Theologos ſunt duo dubia. primum eſt an in lege veteri eſſent Sacramenta vt modo ſunt in lege noua. Alterum eſt, eſto quod eſſent aliqua Sacramenta vtrum conferebant gratiam. Ad primum reſpondetur, quod Sacramentum ſumitur dupliciter, vno modo communiter, & fuſe, vt eſt rei ſacræ ſignum; atque ita proteſtationes, oblationes, & cæremoniæ ſunt Sacramenta: quia ſacræ rei ſigna; & hoc modo non eſt dubium, quod in lege veteri fuerunt Sacramenta. Altero modo propriè, & preſſe, & ſic eſt ſignum efficax collatiuum gratiæ, & hoc modo certum eſt, quod fuit in lege veteri vnum Sacramentum, ſcilicet Circumciſio: quæ gratiam conferebat. Nam tollebat originale peccatum, & Deus de potentia ordinata non remittit peccatum niſi gratiam infundat. Sed de Matrimonio dico, quod vnius ad vnam erat Sacramentum, de quo amplius in quarto. Ad ſecundum, vtrum illa Sacramenta iuſtificarent, & gratiam conferrent, videtur quod ſic, quia Geneſi quarto. Reſpexit Deus ad Abel, & non ad Cain, ergo ſacrificium Abel erat meritorium. Item dicitur in Miſſa. Suſcipias ſacrificium de manibus meis, vt de manu pueri tui iuſti Abel, verba autem Canonis ſunt, ſupra, quæ propitio atque ſereno vultu reſpicere, & accepta habere, ſicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iuſti Abel; & ſacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ; & quod tibi obtulit ſummus ſacerdos tuus Melchiſedech Sanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam, ſed iſtud noſtrum eſt meritorium, ergo & illud Abel, Abrahæ, & Melchiſedech. Item Lucæ ſecundo. Virgo meruit cum obtulit par turturum: ergo &c. Dico, quod illa ſacrificia, & oblationes poſſunt conſiderari dupliciter, primo quo ad opus operatum, & ſic non conferebant gratiam; vt puta ex ipſa combuſtione Agni, vel oblatione panis, aut turturum non conferebatur gratia, quemadmodum ex collatione noſtrorum Sacramentorum gratia confertur, ita vt opus ipſum operatum; id eſt, ipſa Sacramenti collatio gratiam confert. Alio modo intelligitur ex vi operis operantis, vt puta, quia forte ex motu charitatis offerebant, & erant in gratia; & hoc pacto gratiam conferebant, hoc eſt, augmentum gratiæ. Et ſubdit Doctor poſt recidiuationem in peccato; ſi mereri potuerunt gratiam aliquo motu proprio bene quidem. Nam poterant vtique per aliquem bonum motum de congruo mereri gratiam: Nam potuiſſet aliquis tantum atteri de peccato, vt in inſtanti ei daretur ſibi gratia. Cæterum ad gratiam tunc acquirendam nullum fuit Sacramentum inſtitutum apud eos; Non enim habuerunt Sacramentum pœnitentiæ; nec alia plura adiutoria ad gratiam impetrandam ſicut nos: Nam modo ſi aliquis non ſufficienter conteratur, ſi attritus accedat ad pœnitentiam, & abſoluitur recipit gratiam, quia illud in quo deficit ſuus motus, ſupplet efficacia Sacramenti: ex quo patet excellentia Sacramentorum nouæ legis. Ideo in hac lege eſt maioris gratiæ collatio quam in illa.

Tertium remedium eſt maior præceptorum explanatio: nam licet eadem præcepta moralia ſint data Iudæis, & nobis, tamen non fuerunt ita explicata tunc, ſicut modo, ideo iſta eſt leuior, & illa grauior.

Quartum remedium eſt copioſa theſauri Eccleſiæ diſtributio, qui theſaurus eſt ſuperabundantia meritorum Chriſti, B. Virginis, & multorum ſanctorum, qui non ſolum meruerunt ſibi, ſed etiam nobis, & in poteſtate Summi Pontificis eſt diſtribuere, & ideo dicit Scotus, quod habemus plura merita Sanctorum, qui forte non tantũ ſibi, ſed etiam nobis meruerunt, & nos etiam meremur inuocando auxilium eorum, & interceſſionem apud Deum; & dicit forte, non quod dubitet ſanctos pro nobis intercedere; ſed ſi aliquis vellet facere differentiam inter orare, & mereri, & contendere, quod non poteſt quis mereri niſi primam gratiam, vel augmentum gratiæ; & hoc Sancti non poſſunt; & dicit forte propter hoc: quia ſunt opiniones. Saltem certum eſt, quod merentur ſaltem diſpoſitionem ad gratiam; vel dicit forte referendo ad orationem, & non ad meritum; quia oratio eſt quoddam ſuffragium dignum exauditione dignitate congrui; ſed non condignitate debiti; ſed de hoc in 4. d. 45. quæſt. 4.

Quintum remedium eſt copioſa, & certa æternorum bonorum promiſſio, quod eſt auxilium valde notabile: quia nobis pro obſeruatione nouæ legis promittitur explicite vita æterna: Iudæis vero vel raro, vel nunquam, niſi bona temporalia promittebantur: nunquam autem tantum alliciunt animam ad ſeruandum legem bona tẽporalia, ſicut bona æterna.

Adde quod facit etiam onus Euangelicum leue, & ſuaue imitatio Chriſti legiſlatoris, ſicut enim verba, & opera Ducis animum præbent militibus, ne deficiant in bello; Ita verba, & opera Chriſti, & Sanctorum fortes reddunt fideles ad legem ſeruandam. Denique ex propinquitate præmij, & coronæ, quam de proximo ſperant fideles redditur lex noua ſuauior: Iudæi enim de longe ſperabant promiſſiones. Chriſtiani vero de proximo: qui ſi in Dei gratia deceſſerint, ſatisfactione expleta, ſtatim ad cœlum tranſibunt; quia per Chriſti paſſionem aperta eſt cœli ianua. & ſic Beatus Dionyſius libro quarto, cœleſtis hierarchiæ dicit, quod lex noua media eſt inter cœleſtem, & ſtatum veteris legis; bona enim, quæ in cœleſti Eccleſia palam, & copioſe exhibentur, in lege noua promittuntur manifeſte, in veteri autem non niſi ſub quibuſdam figuris, vnde ad Hebræos decimo, dicitur de illa lege. Vmbram habens lex futurorum bonorum; quam vmbram ille lucidiſſimus ſol Iuſtitiæ ſuæ doctrinæ, & gratia lucidiſſimis radijs fugauit, Eccleſiam ſuam ſanctam pulcherrimam reddens. Simpliciter ergo plura adiutoria, & efficaciora ſunt in lege Chriſtiana, quam in lege veteri, quare ex ea parte lex noua eſt leuior,

Digitized by Google

ARTICVLVS VII.

Vtrum lex noua ea omnia contineat, quæ lex vetus continebat, & vltra aliquid ſuperaddat.

ARticulus iſte petit explicationem illorum verborum Chriſti Matt. 5. Non veni ſoluere legem ſed adimplere, cum certum ſit legem Moyſis ſolutam eſſe, quia ceſſauit, quam difficultatem tangit Doctor. in primo argumento principali huius quæſtionis, quo probat legem nouam grauiorem eſſe veteri lege: quia quod quid lex vetus continebat, continet lex noua & plus, ergo iſta eſt grauior veteri; conſequentia patet & antecedens probatur: quia lex noua multa ſuperaddit legi veteri, ſicut patet Matth. 5. dictum eſt antiquis non occides. Ego autem dico, Qui iraſcitur fratri ſuo &c. & ſic de alijs præceptis; quod autem contineat omnia quæ continebat lex vetus, patet Matth. 5. Non veni ſoluere legem ſed adimplere.

In lege & prophetis quæ continebantur. Pro cuius explicatione obſer. eſt primo, quod in lege & prophetis erant quædam per modum præcepti; & alia per modum promiſſi, obſeruantibus legem; per modum præcepti erant præcepta moralia, cæremonialia, & Iudicialia. per modum promiſſi erant bona temporalia, & honoris excellentia, vt patet Deuter. 26. Cuſtodias omnia præcepta eius, & faciet te excellentiorem cunctis gentibus; atque etiam ipſe Meſſias, qui in lege, & prophetis promittebatur.

Lex dupliciter impletur. D. Aug. Secundò obſer. eſt, quod lex dupliciter impletur, vno modo faciendo ea, quæ in illa ſcripta ſunt. Alio modo implendo ea, quæ per eam ſunt promiſſa, vt dicit D. Auguſt. in libro contra Fauſtum. Impletur ergo lex, vel cum fiunt ea, quæ in illa ſcripta ſunt, & quæ ibi præcepta ſunt, vel cum exhibentur quæ prophetata ſunt. Chriſtus autem dicebat ſe veniſſe ad implendum ea, quæ in lege promiſſa erant, ſcilicet in ſe ipſo illa oſtendendo, & hoc apparet quia dixit, quod venit implere legem: Nam ſi intelligeretur de obſeruatione eorum, quæ præcepta ſunt, nemo poteſt venire ad implendum legem: quia nullus naſcitur ad hoc, quod obediat præceptis legis, vel ſecundum eam viuat: quia hoc non habet rationem finis, ſed omnis lex ordinatur ad aliquem finem, ſcilicet ad bonum quoddam, quod intendunt homines conſequi per obſeruationem illius legis. Item quia ſi aliquis poſſet ad hoc naſci, vt viueret ſecundum legem, competeret hoc omnibus hominibus, qui ſubditi ſunt legi, & ſic non eſſet aliquid ſpeciale in Chriſto, quod ipſe veniret ad implendam legem, id eſt, ad obſeruandum eam. Et tamen ipſe nihil loquebatur ſine cauſa; oportet ergo quod intelligatur de aliqua impletione, quæ alijs non competeret, & iſta erat quod implerentur in eo, quæ in lege promiſſa erant. Et ad hoc conuenienter poterat aliquis mitti, vel naſci: quia iſta habebant rationem cuiuſdam magni boni, & finis, ad quem omnes Iudæi tendebant, Ideo ad hoc exhibendum conueniens erat aliquem magnum naſci, vel mitti. Vnde illis verbis oſtendebat Chriſtus ſe eſſe Meſſiam: Nam nullus erat per quem poſſent compleri omnia promiſſa in lege, & prophetis niſi Meſſias: quia iſtud erat totum bonum Iudæorum, cum nihil aliud adhuc hodie niſi per ignorantiam deſiderent, & erat etiam totum bonum gentilium. Geneſi quadrageſimo nono. Donec veniat qui mittendus eſt & ipſe erit expectatio gentium. dicendo ergo quod ipſe adimpleret legem dicebat ſe eſſe Meſſiam. Quia ad hoc veniebat, vt ſe Meſſiam & Deum oſtenderet. Nam Ioannes quarto, quando mulier Samaritana dixit quod veniebat Meſſias, dixit ei Chriſtus. Ego ſum qui loquor tecum.

Soluere legem quid ſit. Tertiò obſer. eſt, quòd ſicut implere legem bifariam ſumitur, vt diximus, ita ſoluere legem, aut eſt ea quæ lex præcipit non obſeruare, vel quæ promittit non adimplere. Soluere enim eſt deſtruere, & tunc res deſtruitur, quando vigor eius auſertur. Habet autem lex vigorem in duobus, videlicet quia aliquid fieri iubet, & aliquid ad exhibendum promittit, promiſſum eſt principale in lege, cum propter illud lex obſeruetur, dicitur autem res manere, quando manet ſecundum illud quod in ea principale eſt, & deſtrui ſimpliciter, quando deſtruitur ſecundum id, quod eſt principale eius. Si ergo lex annihilaretur quantum ad promiſſa; ita vt ea quæ promiſſa erant nunquam exhiberentur, diceretur lex ſolu ; ſi autem promiſſa in lege omnino exhiberentur, diceretur lex ſimpliciter impleri. Hoc modo Chriſtus locutus eſt dicẽs. Non veni ſoluere legem id eſt, euacuare promiſſa eius, ita vt non exhibeantur; ſed implere, id eſt illa exhibere realiter. Et per hoc quod venit, prædicauit, & paſſus eſt, & reſurrexit impleuit legem, quia nihil aliud in lege promittebatur. Chriſtus ergo nihil aliud intellexit, niſi quod ipſe non veniebat ad euacuandum promiſſa legis, ſicut ſi vellet nouam legem dare, & nouas promiſſiones: quia illud eſſet omnino ſoluere legem, ſed venit ad implendum; quia perfecit omnia, quæ promiſſa erant in lege, & prophetis.

Duplex eſt vigor legis. Quartò obſer. eſt, quod ſolui aliquid ſignificat illud deſtrui vt diximus; res autẽ deſtruitur quando tollitur vigor eius. Eſt autem duplex vigor legis, Vnus eſt in obligando ſubditos ad ſui obſeruationem, & iſte eſt in quantum lex comparatur ad ſubditos. Alius eſt in deducendo ad ipſum finem, ad quem ordinatur: quia nulla lex eſt propter ſe ipſam, ſed propter finem aliquem. *Legis duplex eſt finis.* Finis autem legis in propoſito eſt duplex, vnus internus, qui ſcilicet eſt intra legem, & habetur in ipſa legis obſeruatione, & talis eſt charitas ſeu dilectio, iuxta illud Apoſtoli finis legis eſt dilectio, & ad Galatas quinto omnis lex in vno ſermone impletur. Diliges proximum tuum ſicut teipſum, & iſte finis non eſt vltimus finis legis, quia non eſt vltimus finis operantis vel obſeruantis legem, ſed eſt finis à legislatore intentus. Nam legislator intendit per legem introducere quandam bonam habitudinem inter ſubditos, nimirum vt obſeruando legem non ſe offendant, atque ita intendit quandam pacem, vel amicitiam procurare inter Ciues, quæ tamen pax vel amicitia non eſt vltimum bonum quod homines expectant per obſeruationem legis, ſed immediate ordinat ad illud bonum; & ſic intelligitur quod Apoſtolus dixit legem impleri in vno ſermone, id eſt, totum; quod lex intendit per diuerſa præcepta, non eſt niſi quod homines inter ſe charitatem habeant, vt magis inducit ad Roman. decimotertio, & tamen non eſt iſte finis vltimus legis, ſicut pax, vel amicitia non eſt in politia vltimus finis. Alius eſt finis externus, vt ſunt promiſſa per legem, quæ ſunt aliquid extra legem, id eſt, quæ non habentur in actu obſeruationis legis, ſed præſtantur obſeruantibus legem, & de huiuſmodi fine loquimur in propoſito, & vigor qui in hoc fine conſiſtit eſt præcipuus vigor legis, quia primus ordinatur ad illum: Nam non habet lex propter aliud virtutem obligandi, niſi vt determinate & directe deducat homines in finem, quod præſtare non poſſet, ſi non haberet cùm obligandum: quia pauci eam ſeruarent. atque ita non peruenirent homines ordinatè ad finem ipſum, quem lex intendit.

Si loquamur de vigore ſecundo legis Moyſis, qui eſt perducere in finem, non fuit ſoluta, ſed impleta: quia finis ſuus erant illa bona, quæ in ea promittebantur, quæ omnia completa ſunt: quia Chriſtus omnia illa exhibuit realiter. & de hoc intelligitur quod ipſe dixit, quod venit legem implere, ſcilicet exhibendo promiſſa, & non ſolum completa eſt,

ſed

ſed etiam vſque ad vnguem fuit impleta: quia non defecit de ea nec vnum iota, aut apex, ſicut dixit Chriſtus Matth. quinto. Si vero loquamur quantum ad obſeruationem mandatorum, iam ſoluta eſt lex Moyſis: quia ceſſauit. Cum iam non ſolum non obſeruetur; imo non liceat obſeruari, & peccatum ſit ſeruare illam.

A quo lex Moyſis fuit ſoluta.

Fuit autem ſoluta lex Moyſis, primo per Deum definientem tempus, & durationem eius, & dantem aliam legem per quam ipſa tolleretur, iuxta illud Ieremiæ trigeſimo primo. Ecce dies veniunt dicit Dominus, & feriam Domui Iſrael, & Domui Iuda fœdus nouum, non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus veſtris in die, qua comprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti, pactum quod irritum fecerunt; ſed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael, poſt dies illos dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum: quod vaticinium manifeſte intelligitur de lege Chriſti, quæ vocatur lex noua, ſicut hic dicitur, feriam fœdus nouum. & per hoc quod vocauit legem iſtam nouam innuit, quod lex Moyſis aliquando ceſſatura erat. Nam id quod inueteraſcit prope interitum eſt & ſic aliquando finem habet. vt dicit Apoſt. ad Hebræos 8. vbi hanc authoritatem Ieremiæ explicat,

Secundò fuit ſoluta per ſe ipſam; quia peruenerat ad finem ſuum, & ſic naturaliter ceſſabat. Nam habito termino ceſſat motus. Lex enim Moyſis ordinabat ſolum ad Meſſiam, tanquam ad finem; cum ergo Meſſias veniret, & compleret omnia, quæ in lege, & prophetis promiſſa erant, ad quæ lex ipſa ordinabat, iam erat contra rationem manere ipſam legem, cum haberetur totalis finis ſuus. atque ita ipſa lex Moyſis per ſe ipſam ſoluta eſt, id eſt, ceſſationem inducebat vt iam non eſſet ſignum fallax.

Tertiò ſoluta fuit per Chriſtum tanquam per complentem omnia, quæ in ea promiſſa erant, & deducentem eam ad ſuum finem. Nam ipſe impleuit legem Moyſis exhibendo omnia in ſe ipſo, quæ in ea, & in prophetis promiſſa erant, Matth. quinto. Impletis autem omnibus ad quæ lex ordinabatur, non poterat ipſa amplius manere. Item ſoluit eam auferendo aliquid de præceptis, vel permiſſionibus eius, vt libellum repudij, dare vſuram extraneis, odium inimicorum, appetitum vindictæ, & multas alias permiſſiones abſtulit de lege Moyſis, quæ vim habebant à legiſlatore: atque ita Chriſtus diſſoluit vim legis Moyſis,

Quartò, fuit ſoluta per Eccleſiam, & Apoſtolos. in Concilio congregatos Act. decimo quinto. Quia cum ante dubium eſſet, an legalia adhuc obligarent conuerſos ad Chriſtum, definitum eſt non eſſe eos obligatos; ſed per ſolum Chriſti fidem poſſe ſaluari. Atque ita in ſolutione legis Moyſis Deus fuit tanquam legiſlator, Eccleſia tanquam Iudex, & D. Paulus, (qui expreſſe de hac materia locutus eſt, oſtendens nihil proficere obſeruationes legalium, vt patet ad Gal. quarto, quinto, & ſexto,) tanquam oſtendens ſententiam Iudicis. Primus habet authoritatem abſolutam non dependentem ab aliquo, ſed ſolum quia vult. Secundus habet poteſtatem limitatam, ſcilicet iudicandi ſolum per legem: quæ tamen poteſtas quædam eſt; quia non licet cuilibet in alterum ius dicere per leges, ſed ſolum ei, qui iuriſdictioni præeſt, atque ita Eccleſia ſoluit legem oſtendendo ex ſcriptura ſacra, quod iam non erat obſeruanda: quia Deus volebat illam ceſſare. Tertius non habet iuriſdictionem aliquam quantum ad iſtum actum, ſed ſolum habet vicem Doctoris, cui creditur, quantum ad ea, quæ probat, atque ita D. Paulus quantum ad ea, quæ per Eccleſiam definita erant, nullam iuriſdictionem habebat, ſed cum ille interfuiſſet illi Concilio, & vidiſſet plene intentionem Eccleſiæ, potuit in omnibus dubijs occurrentibus, & quandocunque acciderent oſtendere, quid Eccleſia ſuper hoc determinaſſet, non tanquam ipſe determinans, ſed tanquam determinationem oſtendens. & ſic varie dici poteſt quod lex Moyſis ſoluta eſt a Deo, vel à Chriſto, vt erat Meſſias, vel ab Eccleſia.

Cōueniēs fuit quod lex Moyſi ceſſaret.

Quintò obſer. eſt quod fuit conueniens legem Moyſis ceſſare propter multa, primo propter imperfectionem ſuam: quia licet eſſet bona, non erat tamen bona abſolute, ſed bona pro hominibus imperfectis: ſicut aliquod eſt bonum paruulis, quod non eſt bonum viris; & ita ad Gal. tertio & quarto, lex Moyſis comparatur pedagogo legenti pueros per timorem; lex autem Chriſti viris plenæ ætatis, qui iam viuunt in libertate. & quia non conuenit homini ſemper manere in pueritia; ita non conueniebat homini manere ſemper ſub lege Moyſis; ſed iuſtum erat peruenire aliquando ad legem perfectionis vitæ, in qua non eſſent rudimenta puerilia, nempe cæremoniæ, quæ in ſe inutiles erant.

Secundò, quia lex Moyſis mala quadam continebat: Nam quamuis omnia, quæ in lege erant licita eſſent; quia Deus illa iuſſerat, vel permiſerat, quædam tamen illorum non erant ſimpliciter bona: quia melius erat ſuum oppoſitum; ſicut dare ad vſuram, dare libellum repudij, perſequi inimicos, & deſiderium vindictæ. hæc enim non erant bona ſimpliciter, ſed eorum oppoſita; vt mutuum dare nihil inde ſperando, matrimonium eſſe indiſſolubile, & non habere vllas inimicitias, nec rancorem contra proximum: Iſtæ autem imperfectiones tolli debebant, ad hoc quod lex eſſet perfecta; Et quia quilibet legiſlator intendit ſemper legem perfectam imponere: niſi in quantum perfectio legis repugnare poteſt ſtatui politiæ; vel quia non poſſunt exiſtentes in politia illa legem adeo perfectam tolerare. Deus qui eſt legiſlator dediſſet Iudæis legem ſimpliciter bonam & perfectam à principio ſi Iudæi potuiſſent eam tolerare: at quia erant viri valde imperfecti, qui non potuiſſent illam ſuſtinere, non dedit eis legem perfectam, ſed continentem imperfectiones aliquas. Cæterum quia homines futuri erant diſpoſiti ad ſuſcipiendum legem perfectam, Ideo conueniens erat, quod illis tunc daretur, & ceſſaret illa, quę continebat imperfectiones, atque ita ceſſare debuit lex Moyſis.

Tertiò, quia ipſa lex ex ſe ipſa importabat, quando aliquando ceſſatura eſſet; quia omnis res, quæ habet aliquem terminum, illo adueniente ceſſat. Terminus autem legis Moyſis erat aduentus Meſſiæ & bona conferenda per illum, atque adeo adueniente Meſſia, & exhibente omnia, quæ promiſſa erant in lege & prophetis lex illa ceſſare debuit.

Quartò, quia ſi lex Moyſis, ſemper ſeruaretur implicaret in ſe quamdam repugnantiam: Nam cæremonialia eius erant omnia figuralia, omnia enim ſignificabant Meſſiam, & ea qua Meſſias facturus erat, iuxta illud ad Hebreos decimo. Vmbram futurorum bonorum lex habet. & primo Corint. decimo. Omnia in figura contingebant illis, & ad Coloſ. tertio. Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte dies feſti, aut Neomeniæ: quæ ſunt vmbra futurorum: atque adeo ſi nunc obſeruarentur, oſtenderetur quod adhuc expectaremus illa omnia, vt futura, quorum cæremonialia erant ſigna prognoſtica: atque ita eſſent ſigna falſa, cum iam omnia, quæ ſignificabantur per illa, præterita ſint. Quare repugnat ſtatui noui teſtamenti poſtquam Chriſtus mortuus eſt, quod cæremonialia illa ſeruentur, quia ſignificaretur Chriſtum non eſſe natum, non eſſe mortuum, & nondum impleuiſſe ea, quæ in lege, & prophetis ſcripta erant, ſed adhuc ſperarentur tanquam futura, quod eſt valde inconueniens. Et hanc rationem tangit D. Auguſtinus in libro contra Fauſtum dicens. Si Chriſtus legem, & prophetas non ſoluiſſet, adhuc promitteretur naſciturus, paſſurus, & reſurrecturus. *D. Aug.*

Ex his patet ad argumentum poſitum in principio art. ad quod dicit Scotus, quod lex noua continet omnia moralia, quæ continebat lex vetus. Secundò dicit quod lex noua ſuperaddit veteri explicationem perfectam, aliquorum, ad quæ forte ipſi non tenebantur. Tertiò dicit, quod licet lex noua aliquid addat ad veterem quo ad mo-

Digitized by Google

talia, illa tamen non habent tantam grauitatem, & difficultatem ſicut Iudicialia, & cæremonialia antiquæ legis, atque ita licet lex noua contineat omnia moralia, quæ lex vetus, & addat alia, vel ſaltem addat aliquam explicationem aliquorum, ad quę forte ipſi non tenebantur, & quantum ad hoc lex noua poſſit dici grauior: tamen hoc non tantum grauat ſicut ex alia parte grauat cæremonialium, & iudicialium multitudo. & ex parte legis nouæ plus alleuiat, multitudo, & efficacia auxiliorum: ita vt illa modica grauitas (ſi qua ſit maior in moralibus) non præponderat grauitati in alijs, & hoc penſatis auxilijs hinc inde. Et ſi dicas lex Euangelica eſt perfectior lege veteri, ergo eſt difficilior. probatur conſequentia: quia virtus eſt circa difficile. Reſpondet doct. huic inſtantiæ, quæ eſt ſecundum principale. & tria dicit. primo dicit quod difficultas in opere ſtudioſo non eſt ex parte operantis, ſed ex parte operis; difficilius eſt enim auaro dare vnum ſolidum, quam liberali decem. & tamen non eſt ſtudioſius: non enim actus dandi vnum nummum in auaro eſt ſtudioſior, quam ſit actus dandi decem in liberali; licet actus auari fiat cum maiori difficultate. Secundò dicit, quod non qualiſcunque difficultas ex parte operis arguit actum magis ſtudioſum; ſed illa quæ per ſe includit excellentiam obiecti, quod per ſe attingitur per operationem, talis autem difficultas ſtat cum maiori leuitate: nam leuis eſt attingere amando obiectum excellentius, quam obiectum minus excellens; & idcò difficilius eſt diligere pròximum, quàm Deum: quia multa retrahunt ab amore proximi, ſed non tanta ab amore Dei, ſed non eſt perfectius diligere proximum quam Deum: quia obiectum eſt nobilius. Tertiò dicit, quòd cum talis difficultas ex parte operis ſtet cum maiori leuitate, obſeruantia legis nouæ erit leuior: quia licet lex iſta habeat multa difficilia, habet etiam multa remedia trahentia ad eius obſeruantiam; opera enim excellentia legis nouæ immediate reſpiciunt Deum. Nam multi actus dilectionis Dei immediate magis explicantur Chriſtianis, quam Iudæis; nec mirum quia illa dicitur lex timoris, hæc autem amoris, amor autem, & præcipuè finis, ſi ille quæratur in omnibus, facit omnia onera leuia, vt verum ſit, quod dixit ſaluator Matth. vndecimo. Venite ad me omnes, &c. & ſequitur. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Cum ergo arguitur ſtatus legis Euangelicæ eſt perfectior, ergo difficilior, nego conſequentiam: quia diligere Deum eſt excellentius, quam diligere proximum; ſed non eſt difficilius. Ideo concluditur, quod lex noua eſt lex pacis & amoris, & non eſt grauior veteri, ſed leuior: atque ita in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, eiuſque ſacratiſsimæ, & ſemper immaculatæ Virginis Matris, ac Seraphici Patris Franciſci, Finit Secunda pars Commentariorum in tertium librum Sentent. Doct. ſub. Ioannis Scoti: In quibus ſi aliquid boni eſt, gratiæ referantur ei, qui corda hominum illuminat, & intellectum dat paruulis, ſi quid autem reperiatur non ita bene digeſtum, & explicatum, vel minus bene dictum, imperitiæ, atque ignorantiæ meæ tribuatur. Hæc tamen, & omnia mea ſcripta, & ſcribenda, ac me ipſum, ſanctę Romanæ, Vniuerſalis Eccleſiæ, & cuiuſque eruditoris cenſuræ ſubmitto. Amen.

F I N I S.

pag.	col.	lin.	Errata	Correctio
2	1	12	iuſtiſſimus	iuſti ſumus
3	2	1d	prima	primam
5	2	16	bonum	horum
8	1	58	includitur	inducitur
		76	vedimus	credimus
10	2	45	fuit	facit
		50	murſus	rurſus
13	1	13	inditione	conditione
		32	veſtra	noſtra
		51	da	ad
		70	ponit	poſſit
14	2	61	requiſitus	ſequiſitus
		63	creatix	creatus
15	1	33	diſierer	diſceret
	2	16	menimo	non enim
16	1	2	inopinio	opinio
17	1	70	nunquid	nunquam
	2	4	adhererit	adherere
18	1	14	dominum	conſequens
19	1	23	vna	via
		46	deo	ideo
	2	12	es	ex
		35	quod	quando
23	1	33	poſſunt	præſtat
25	1	32	ſententia	conſequentia
	2	46	tequiſita	acquiſita
27	1	6	regiſnōâ Spū	regiſ à Spiritu
		36	intoſa	acquiſita
	2	24	inſenſus	intenſus
28	1	58	aſſertam	aſſertum
	2	4	poſt fidẽ ſequitur	illis qui veniſſet ad fidem
30	1	1	quæritur	quam
		8	vt	at
		17	vtque	atque
			tanq;	tanquam
		19	vt	at
			poſt hoc verbũ maior	ſequitur ergo minor
31	1	24	num	non
33	2	68	tertius	certius
		74	tertius	certius
34	1	2	ſunt	ſicut
35	1	54	requiſitæ	acquiſitæ
36	1	21	requiſitus	acquiſitus
38	1	10	non	nam
		12	quo	qua
	2	46	cognito triſtẽ	cognitio ſtrictẽ
		53	gigia	gigoi
39	1	2	quærſitis	quæritis
		54	præciſe	preſſe
		32	maioribus	viatoribus
40	2	63	Pauli	Iacobi
44	1	6	requiſitus	acquiſitus
		20	viſibilem	riſibilem
	2	1	auctoritatis	autem
45	2	71	non	nobis
4	2	62	præciſe	preſſe
49	1	76	primo	pro
	2	52	ſcriptorum	ſcripturarum
50	2	55	veroq;	vtroque
53	2	64	quia	qua
56	1	32	&	vt
		67	&	rſ
58	2	70	ſapientiam	ſcientiam
60	1	32	externa	extrema
61	1	65	credibilius	credibilibus
	2	30	meglius	medius
62	1	57	poſt plures	ſequitur ſpẽs
65	1	5	&	ex
67	1	2	reſurgere	reſurgent
			aſſenti	aſſentit
			fides	fidis
			aſſerenti	aſſertioni
68	1	10	aſpectus	reſpectus
	1	31	eſt	&
		73	&	eſt
69	1	41	ea	eſt

pag.	col.	lin.	Errata	Correctio
75	2	21	deſcenſo	de ſummo
76	1	48	ſiue	ſi non
	2	2	poſt impoſſibile. ſequitur	autem & poſſibile
			& poſt dicitur, ſequitur	vel potẽtia prima ſimpliciter
	2	67	vt	at
		73	vt	at
77	1	2	&	at
		78	ſecus	ſeu
78	1	56	poſt tamen	ſequitur non
	2	15	probat	probatur
		39	quam	quod
		44	quodque	cumque
79	1	23	vſum	vſura
		32	chiritatis	charitatem
			poſt charitatẽ, ſequitur	veritatis
			fient	fierent
81	2	47	ſui	cui
85	1	51	infernum	inferorum
89	2	24	factura	iactura
91	2	78	ſoluis	ſolius
92	1	15	primo	pro
		18	primo	pro
		44	Iudæ	Iudex
	2	28	obſcurum	ob ſuorum
94	1	29	&	eſt
95	1	23	effecta	affecta
98	1	30	rationibus	nationibus
103	2	21	etiam	&c.
		46	etiam	&c.
107	2	10	claritatem	charitatem
109	1	38	ſyliris	ſyluis
115	2	24	minores	montes
118	2	54	quod	quid
119	1	54	innocuie	innocuis
124	1	3	quando	quoniam
126	2	51	dico	duo
139	2	50	ingenuie	ingemuit
144	1	43	ſit	ſicut
	2	17	credentes	recedentes
150	1	22	ergo	ego
151	2	30	erat	orat
		76	non	nam
152	1	60	illo	ille
154	1	58	prius	pius
158	1	31	placare	placere
	2	38	vere	iure
		51	dependit	defendit
159	1	64	inclitum	illicitum
		37	ad	at
162	1	16	poſt coſter	ſequitur &
165	2	88	filium	filum
167	1	8	præter	præterea
171	2	12	bis	nobis
172	1	51	ad	at
	2	7	eccleſiæ	ſcripturæ
173	1	65	ſucceſſiones	ſucceſſores
	2	11	ex	&
174	2	11	nos	non
174		30	agetur	aperitur
		31	ita vſum	clauſum
175	1	51	alijs	alios
181	2	17	antiſtocraticẽ	ariſtocraticam
186	2	78	adiunctione	ad iuriſdictionem.
187	2	19	diſpoſitiuum	diſpoticum
188	1	65	aut	an.
191	1	57	ſingulari	a ſingulis
192	1	53	mea	in ea
201	1	18	canonizationẽ	canonizatiõnẽ
206	1	30	vno	imo
207	1	23	pontificiæ	pontificias
		66	pontifex	pontifices
	2	22	ad potentia	ad patentia
		37	fuerit	fecerit

pag.	col.	lin.	Errata	Correctio
208	1	7	confirmare	infirmare
210	1	75	paulo	oculo
211	1	7	ſoluis	ſolius
216	1	37	iudicia	iudica
218	1	8	in ſe	in re
		23	poſt poteſtatẽ ſequitur	applicandi põtificatum certæ perſonæ et tamen non habet poteſtatẽ
	2	31	deſecāert	defecerant
	1	21	incolarom	inchoatum
		18	incolarum	inchoatum
		68	poſt ſecunda ſequitur	eſt
		75	contra	coacta
241	1	6	de quali	de quo
	2	9	non	nam
226	1	5	nam	non
228	1	86	aitegreſſis	antegeſtis
231	2	43	faciebat	fauebat
232	1	14	imperatorum	imperator
245	2	22	propoſitione	propoſito
			poſt propoſito ſequitur	eſt
249	1	29	paſſibilis	poſſibilis
251	1	12	eſſet	tenet
259	2	52	iute	in re
260	2	27	dico	duo

Nota: vbi inuenitur imaginationis legatur imaginis

pag.	col.	lin.	Errata	Correctio
262	1	10	mediate	immediate
265	2	13	ſi	.ſ. quod
267	2	3	poſt bonum	deletur non
		58	alibi	alia
269	2	6	poſſidendi	poſſidenti
		32	vel	nec
		69	perſecutionis	proſecutionis
270	2	40	confirmat	confirmati
280	2	20	Deo	Dei
281	2	68	in fine	in fide
290	2	40	gratia	grata
301	1	42	concilij	conſilij
303	1	44	verum	vtrum
304	2	55	concedet	condeset
305	1	47	impoſſib:	impaſſibilitatẽ
319	2	42	quanta	quam
321	1	45	nobis	modis
325	1	16	durius	durus
326	1	28	vt	ſit
326	1	40	amicitia	inimicitia
327	2	26	prædicationẽ	prædictionem
		60	occiſio dei	ociſio rei
328	1	14	deum	reum
		43	reſpicere	reſpuere
329	2	16	poſſim	paſſim
	1	71	orcendis	orientis
333	1	19	vt	eo
334	2	19	amicum	inimicum
335	2	18	concilium	conſilium
352	1	20	vincite	vinci te
355	2	34	generandi	generali
358	1	74	genitum	ad genitum
361	1	13	finita	infinita
	2	76	extra	è contra
362	1	28	gratia	in gratia
363	1	6	vnica	vnita
364	2	25	ſeparauit	reparauit
372	1	9	viridicat	vindicat
373	2	8	quoſque	quouſque
375	1	28	habitu	habito
		13	ſic	ſit
377	1	54	viuant	iuuant
378	1	22	vult	non vult
		34	cupiendo	capiendo

pag.	col.	lin.	Errata	Correctio
	2	23	extremæ	externæ
380	1	37	manus	munus
382	1	77	dico	duo
385	1	64	ergotio	erogatio
386	1	31	contractum	contractu
387	2	50	formatorem	formitatem
		57	delectatione	delectationum
		72	extremam	externam
395	2	39	actui	actiui
405	1	60	habitus	habilitas
406	2	37	in more	in mere
407	1	3	eſt	&
411	1	73	cedit	recedit
413	1	22	canonem	canem
416	1	28	illis	ſi illis
417	1	75	ſpes	ſpecies
418	1	75	eſt	&
419	1	50	oſtendere	offendere
420	2	56	at	vt
425	1	8	intenſus	intentus
	1	68	concilij	conſilij
433	2	28	habitur	habitus
436	1	70	concilium]	conſilium
437	1	72	obligare	obliquare
	2	20	finem	fine
440	2	28	dictat	dicta
442	1	14	iure	vere
448	1	13	eſt	&
450	2	47	malorum	mediorum
451	1	55	integratio	integra ratio
452	1	60	proprij	principij
	2	13	obedientibus	odientibus
453	1	49	debet	delet
	2	61	poſt quod	ſequtur ſcilicet
470	1	22	poſt non	ſequitur eſt
		46	poſt extrinſece	ſequitur ſine
471	1	23	ſtultiæ	ſtultitiæ
472	2	70	nam	non
473	1	1	charitatem	charitate
474	2	41	præfectiones	perfectiones
		75	nam	nec
477	1	59	niſi	imo
478	2	65	poſt actualiter ſequitur	nec habitualiter
480	1	30	te:	:&
	2	10	in imo	in vno
481	2	74	vt ſupra	vt præcepta
484	2	43	viſibilis	riſibilis
485	1	13	hæc	hæ
487	2	59	opus	apud
488	2	15	curis	iuris
489	1	26	poſt præcepta	ſequitur non
490	1	32	nolentis	dolentis
491	2	52	operamus	optamus
492	1	52	poſt per	ſequitur ſe
		64	his	lis
493	1	47	poſt Et	ſequitur ſi
	2	53	moribus	moralibus]
		73	inuoluntariam	inuolutam
494	1	18	poſt ſolum	ſequitur non
		18	poſſit	poteſt
		19	poſſit	poteſt
		20	obligaretur	obliquaretur
497	2	24	oppoſito	appoſito
500	1	56	ad	ac
	2	63	non	rem
516	1	21	quetationibus	citationibus
518	1	72	verbum	factum
519	1	66	dico	duo
526	1	77	bioi	lioi
529	2	60	intentione	intenſione
		73	intentio	intenſio
		74	intentio	intenſio
545	1	45	aſſertium	aſſertiuum
546	2	68	in	vi
554	2	46	quinto	ſcilicet
563	1	10	proſpera	aduerſa
		48	dicebat	decebat

Digitized by Google



VENETIIS, M DC XV.

Apud Ioannem Guerilium.

Correctore Ioanne Thuilio Mariæmont. Tirol.

Digitized by Google

INDEX RERVM, ET VERBORVM, QVAE IN PRIMO CONTINENTVR LIBRO, MEMORABILIVM.

A

ABSCISSVM ex ſe non repullulat. pag.47
Actiones omnes in vita communi ad virtutem referuntur, & eunt. 2
Actiones partium ex earum eſſentia ſunt examinandæ. 2
Actiones partium & à Philoſopho, & Medico conſiderantur. 40
Actiones qualibet quæ requirant, vt ritè peragantur. 54
Actionis probæ cauſa eſt ſanitas. 40
Actionum omnium in noſtro corpore ſolus calor author eſt. 55
Actionum omnium calor dux eſt, & finis. 60
Actionum plurimas eſſe differentias, & fines. 5
Actionum perfectio ſummum eſt bonum. 40
Actio partis patefacit morbum. 2
Actio vt ab vſu diſcrepet. 6
Actio vitam conſeruat, & metitur. 78
Aegilopes, quæ ferè carcinomata ſunt, & quæ ad nares tendunt, ſunt incurabiles. 74
Aegilops in oculi angulo fixa, cur tam difficulter curetur. 74
Aegrorum votum. 40
Aer externus ſpirituum eſt Alimentum. 32
Aeris in cerebrum tranſpiratio. 30
Aeris in voce edenda variatio. 22
Aeſtatis temperamentum. 58
Aetas ab ætate differt. 54
Aetas facie indicantur. 7
Affectus ab affectu diſcrepat. 54
Agentia duo efficaciora vno. 50
Αγκτῆρος *Etymologia.* 52
Αιτιολογικὴ *Medicinæ pars.* 41
Alcmæonis error. 19
Alexandri Benedicti de curtis reparandis ſententia. 62
Alimentum quod re vera dicatur. 22
Amantium hamus quis. 11
Ambroſii Parei de curtorum refectione iudicium 63
Αναλυτικὴ *Medicinæ pars.* 40
Anatomia Philoſophi, non Medici eſt munus. 40
Angiologiæ vtilitas, & adminiſtrandi ratio 65
Angiologiæ periculum maximum. 66.75
Anguli oculorum quot, quomodo appellentur, & eorum locus. 4
Animæ organum eſt corpus. 5
Animæ ſedes, & virtus eſt in facie. 11.13
Anima hominis Diuina, & à corporis commercio longiſſimè ſecluſa eſt. 9
Animalia cur ægrotent. 26
Animalia vt inter ſe dignoſcantur. 9
Animal omne ſemper eandem animam, idemque corpus obtinet. 8
Animalis facultas a cerebro per neruos defertur, & quę præſtet partibus. 89
Animalis ſpiritus, vbi, & vnde fiat. 32
Animalium animas multum differre. 5
Animi affectus, vt ex facie pateſcant. 16
Animi cum corpore eſt conſpiratio maxima. 8
Animi impulſus plurimum corpus mutant ibidem.
Animi propenſio, an ex corpore diiudicari poſſit. 8.9
*Animi quantum ſit in corpus imperium. ibidem.*9
Animus plurimum a corpore patitur. 8
Ανθελιξ *aurium.* 5
Αντιλ *oſſis aurium* 5
Antiquiſſimum quodque eſt veriſſimum. 29
Antiquorum ſcripta vt legenda ſint, & veneranda. ibidem
Apoplexię præſeruatio. 22
Apro cur dentes exerti. 5
Arbores cur facilè à frigore lædantur. 57
Arbores cur Vere aptius inſerantur. 45

Arbores etiam diuerſæ formæ inſitione vniformes fiunt. 59
Arbores natura diſcordes ut per traducem conſocientur. 45
Arbores quaſnam priſci ſibi inuicem inſeri voluerint. 44
Arbores tribus modis inſeruntur, & quatuor ſecundum Columellam. 44
Arboribus plurimum antecellit homo. 57
Archidami Regis mulcta. 11
Archelai error. 19
Arionis Mitylenæi hiſtoria. 37
Ariſtoteles Metoſcoporum princeps. 8
Arteriarum exciſionem cur, quando, & quomodo Veteres moliti fuerint. 67
Arteriæ aſperæ propagatio. 15
Arteriæ variatio vocem variat. 21
Arteriæ deperditæ non regenerantur. 90
Arteriæ cur non penetrent ad exteriora. 92
Arterię diſciſſæ non vniuntur amplius, nec opus eſt. 92
Arterię cordi miniſtrant. 6
Arteriæ magnæ progreſſus. 16
Arteriotomiæ vſus, & vtendi modus. 65
Arteriotomiæ ſæuitia. 65.66
Artium quis ſit verus finis. 40
Artuum amputatio cur ſit doloroſa. 82
Aſcarides vt oriantur. 70
Aſini cur ſonis opponant auriculas. 37
Aſperæ Arteriæ inciſio in ſynanchicis cur ſit inutilis. 74
Aſpera Arteria, quando, & quomodo ſit molienda. 74
Aſperæ Arteriæ propagatio. 15
Aſthmatis occaſio. 26
Atheroma proprium habet folliculum. 68
Auditio vt fiat. 38
Auditionis meatus. 5
Auditionis ſitus. 6
Auditorij meatus ſede. 38
Auditus neruos habet ampliſſimos. 20.
Auditus in quo præualeat uiſui. 36
Auditus curas adimit. 36
Auditus Philoſophię eſt ſenſus. 36
Auditus obiecta ſunt ſoni, & cantus. 36
Aures ablatæ cur per cutem reſtituantur. 47
Aures ex toto reſectæ non poſſunt reſtitui. 87
Aures curtę cur non ex humero, ſed vicina cute reparandæ ſint, & quomodo. 49
Aures memoriæ ſunt conſecratæ. 37
Auricula quid. 5.36.37
Auriculæ vſus. 16
Auricula dextra cur Arioni fuerit ſanguine arietis contacta. 37
Auriculæ cur ita ſint patulæ. 37
Auriculæ cur duæ. 38
Auriculæ cur habeant ſubſtantiam cartilagineam. 37
Auriculę cur homini non in vertice, ſed in oculorum orbe ſint conſtitutæ. 38
Auricularum figura duplex, huiuſque vſus ſingularis. 38
Auricula cur anfractuoſa. 38
Auriculas cur bruta ad ſonos flectant. 37
Auricularum ſitus commodus, temperies, connexus, 38
Auriculæ vt muſculorum, ita & motus ſunt expertes. 38
Auriculæ teſtium cur olim tangebantur. 37
Auribus auriculæ ſunt propugnaculo. 37
Auribus cur antiquitus ſeruitutis nota fuerit impreſſa. 37
Aurium curtarum differentię. 87
Aurium curtarum, quæ facilius reparentur. 16
Aurium dignitas, & vtilitas eximia. 36.37
Aurium iactura quantum deturpet. 42
Auris externæ partium nomina. 5
Aures virtutis, ac ſcientiæ ſunt viæ. 36
Auris quid dicatur Ariſtoteli, quid proſit. 5
Auris vnde dicatur. 5.13
Auris partitio. 5
Autumnus cur partium vnitioni obſtet. 57

B

B*Alenæ cur in ceruice habeant oculos.* 7
Barba cur quædam faciei partes careant. 12
Barba quanta denotet, eius nomenclatura varia, ac diuiſio. 4
Barba virum facit. 4.13
Bellorum incommoda plurima. 81
Biloſi rarum habent corpus. 55
Biloſum temperamentum cur coalitum partium citò expediat, & cur eundem periculoſum reddat. 55
Βλεφαρί δες. 3
Bona Medica ſunt tria. 40
Bonum malo expellitur. 80
Bonum ſummè neceſſarium eſt actionum perfectio. 40
Bos facie caret. 2
Bouina ægritudo, vt cauſetur, & curetur. 70
Brachia cur prius cerebro, ac facie perficiantur. 13
Brachij pars tradux à partibus reficiendis nil differt. 45
Brachij cute ſenſilior eſt naſi cutis. 59
Brachium locus eſt ſummè idoneus curtis reficiendis, & cur. 47.48.49
Branca ſiculus curtorum reparatricis profeſſor. 63

Broi-

Digitized by Google

Broici qui. 34
Bruta cur auriculas ad ſonos flectant. 37
Bruta cur menti locum tangi non patiantur. 4
Bruta carent malis. 4
Bruta carent mento. 4
Brutorum robur eſt in dentibus inferioribus. ibidem.
Buccarum locus, & ſigna. 4
Bucculenti qui dicantur. 4

C

CAcochymia quid ſit, & in quo diſcrepet à corpore pituitoſo, & quantum obſtet vnioni. 56
Cadauera vt poſſint dignoſci. 12
Caius Marius cur Varicum exciſionem ſufferre noluerit. 73
Calculorum exciſio infinitis malis eſt expoſita, cur hanc Hippocrates Medicis interdicat. 79
Calculorum exciſioni, cur immineat conuulſio. 83
Calculorum exciſio vt ſit adminiſtranda ſecundum Celſum, quando, & in quibus. 78
Calculus pro varia ſua figura varijs modis eſt extrahendus. 78.79
Calculus qui facilius qui vero difficilius educatur. 79
Caloris inſiti vis, & vna ferè in omnibus hominibus. 59
Calor eſt vnicus functionum miniſter. 26. 54. 55.90
Calor opifex. 45
Calor cum ſiccitate vnionis partium author eſt. 55
Caloris inopia medici conatus tardat. 56
Cancris cur oculi in ceruice ſiti. 7
Cancri in pectore curatio Chirurgica ſecundum Aeonidem, & Aetiinum, quam ſit periculi plena. 68
Cancri vbicumque conſtiterint incurabiles ſunt. 69
Canes cur ad ſonum auriculas flectant. 37
Καρβὸς oculi. 4
Capitis diuiſio. 2
Capitis emiſſaria. 22.23
Capitis deſcriptio. 2
Capitis cur ſtrues ſit cauernoſa. 28
Capitis dolor totalis ut mitigatur. 67
Carbunculi quando frequentes. 58
Carbunculi vt procreentur. 22
Cardani hiſtoria de ſuo famulo. 14
Cardani opinio, cur ex facie mors præſciatur, aut ſalus. 15
Cardani improbatio. 15
Cari præſeruatio. 22
Carnoſa facilè rumpuntur. 38
Carpi motus. 48
Cartilagines narium quinque ſunt, earum connexus, ſubſtantiæ vtilitas. 31
Cartilagineæ ſubſtantiæ quanta ſint commoda 31 37.38
Cartilago eſt frigida. 31
Cartilago eſt ſicca. 38
Caſtitatis ſingulare exemplum in Sancta Ebba. 18
Catalepſis facie potiſſimum ſignificatur, & eius ſigna varia. 14
Catarri acres vt ſiſtantur. 67
Cauda uuluę extuberans, ut ſit curanda, & quam hoc ſit periculoſum. 70
Cauernoſi natura. 26
Cerebri actio. 13
Cerebri inſtrumenta. 6
Cerebri ſubſtantia. 6
Cerebri connexus cum facie. 15.16
Cerebri emiſſaria. 15.26.22
Cerebri emiſſariorum neceſſitas. 22.23
Cerebri Ventriculorum officia. 23
Cerebri ſitus. 29.32
Cerebri temperies vt ex facie dignoſcatur. 13
Cerebri affectus. 15
Cerebrum cur poſt artus perficiatur. 13
Cerebrum quando morbis corripiatur. 22
Cerebrum per quas vias purgetur, vera Galeni ſententia. 23.26.27
Cerebrum per quas vias purgetur ſententia Veſalij. 24.25
Cerebrum quibus auxilijs deſiccetur. 26
Cerebrum ſeptem vijs depuratur, & cur. 26
Cerebrum neutiquam per oculos, & vt vult Veſalius purgatur.
Cerebrum quam cautè per palatum & oſſa ſpongioſa depuretur. 26
Cerebrum per vias tortuoſas purgatur. 27
Cerebrum animalis facultatis fons eſt. 89
Κέρχνωσις quid ſit, eiusque cura. 70
Κῆλαι. 4
Χιασμὸς quid dicatur. 16
Chilones qui dicantur. 34
Chirurgia curtorum vtilitas, ac neceſſitas. 1
Chirurgia curatoriæ inſtrumentum eſt non pars. 42
Chirurgiæ errores vnde proueniant. 82
Chirurgiæ Tyroni, duce ſemper opus eſt. 81
Chirurgiam quanta cum ſeueritate veteres exercuerint. 64.72
Chirurgiæ quæ nam operationes cum dolore, aut exitio ſint coniunctæ. 65.66.70.71
Chirurgiceæ operationes cur cum dolore, & exitio coniungantur. 71.83
Chirurgicæ operationes plurimæ veterum ſunt atrociſſimæ. 69.70.71

INDEX.

Chirurgicæ operationes, cur nunc exoleuerint. 72
Chirurgicæ operationes aliæ benigniores quæ & quot ſint. 72
Chirurgicæ operationes variæ quæ adhuc hodie obſeruantur. 78.79.80
Chirurgicæ operationes ob dolores aliquos non ſunt abolendæ. 80.81
Chirurgicæ operationes dolorem potiſſimum, & vnde coniunctum habeant. 82
Chirurgicæ operationes vnde inflammationem, gangrenam, neruorum diſtentionem, hæmorrhagiam. 82
Chirurgicarum operationum ſymptoma deterrimum ſyncope, & cur. 83
in Chirurgicis operationibus ritè peragendis tria in primis ſunt tenenda. 82
in Chirurgicis operationibus paucis ea omnia poſſe obſeruari. 82
Chirurgus quomodo ſecurè, & tutò operetur. 82
Chirurgus quanta ſemper attentione opus habeat. ibidem.
Chirurgus rectè operans non facilè fine ſuo fruſtratur. 84
Chærades vt ſecundum Paulum ſint eximendæ. 68
Cibi vt benè maſticentur. 34
Cicatrix vt deleatur. 54
Cicatrix quando pulchra fiat. 53
Cicatricis fœdæ cauſa. 55.56
Cilia quæ dicantur. 3
Cilia quid præſtent. 3
Ciſternarum Venetarum colatio. 25
Ciues vt ſint coercendi. 80
Ciuitas vt conſeruetur. 80
Claudij Tiberij ſumptus in facie polienda. 12
Coalitum partium, quæ in primis facilitent. 55.56.58
Coctionis læſæ in ventriculo occaſio. 26
Cælites qui. 3
Cognitioni aptior eſt auditus, quam viſus. 36
Κοιλιδιᾶν. 4
Colis glans præputio denudata vt curata fuerit à veteribus. 67
Colli vulnera vt ſint liganda. 52
Κολοβώματα quid ſint. 39.62
Coloris varij in corpore vnde. 13
Columellæ ſitæ ad fauces vtilitas. 20.37
Columella quartum inſitionis modum inuenit. 44
Columna naſi quæ. 4
Κόμμωσις. 11
Concentus auditus ſunt obiectum. 36
Concentuum mira efficacia. 36
Concha, ſeu Conchylia aurium. 5
Condylomatum exciſio vt inſtituenda ſit. 73.74
Coniunguntur partes diſſitæ tribus modis. 51
Conſeruatiua medicina quæ, & vt à præſeruatiua differat, quotuplex ſit. 40
Conuulſio quando, & cur fiat, in operationibus Chirurgicis lethale eſt. 53
Cordi arteriæ ſeruiunt. 6
Cordis actio. 13
Cordis connexus cum alijs partibus. 16
Cornelius Celſus quid de Curtorum reſartione ſtatuerit. 62
Coryza vt fiat. 24
Corporis totius menſura in facie. 7
Corporis maximus conſenſus cum animo. 8
Corporis temperies quomodo facie dignoſcatur. 13
Corporis decorem quantum veteres defenderint. 67
Corporis eſt conſenſus & conſpiratio vna. 92
Corpus animum afficit, & ab eo afficitur. 8
Corpus ſemper eadem, non aliena anima eſt præditum. 8
Corpus nullum habet cum animo penitus commercium, ſed ab eo immutari omnino poteſt. 9
Corpus vt impurum fiat. 22
Corpus trium viſcerum arbitrio eſt ſubditum. 15
Corpus ob quas cauſas tabeſcat. 50.56
Corpus vt vitam ſenſuſque recipiat. 92
Corpus, à corpore diſcrepat. 54
Corpus noſtrum nullos niſi corporeos influxus admittit. 91
Corpus eſt animæ organum. 5
Corpus accommodatum moribus. 5
Corporum affectio diuerſa varias medicinæ partes conſtituit. 41
Corpora melancholica pilis, & fuliginibus ſcatent, arida ſunt, exucca, gracilia. 56
Corpora Vere ſuaui colore, & humore perfunduntur. 58
Κόρσαι. 21
Cortex ſtirpium cur tam eneruus. 45
Cortex ſtirpium vt differat à noſtra cute. 45
Cortex ſtirpium cur ad inſitionem minimè ſit aptus. 45
Corticis ſtirpium cum noſtra cute parratio, ſoli numquam cum arbore coaleſcunt. 45
Κοσμητικὴ vtrum medicinæ pars ſit. 41
Cranium cur ſit foraminum expers. 28
Cremaſteris ſitus, & magnitudo. 75
Κρόταφοι. 2
Crura cur prius cerebro, ac facie abſoluantur. 13
Chryſtallinus reliquis oculi partibus excellit, & oculi actionem perficit. 6
Cupiditatis humanæ ſitus, ac uis, & diſſenſio à ratione. 13
Curarum leuamen eſſe auditus. 37
Curatiua medicina quæ ſit. 40.41
Curatiuæ medicinæ partes pro magnitudine morborum ſunt conſtituendæ. 40

Cura-

Curatiua medicinæ abſentem ſanitatem reſtituit. 41
Curatiuæ medicinæ inſtrumenta ſunt tria. 42
Curtum quid propriè dicatur. 39
Curta ut reficiantur. ibid.
Curta ex qua materia. 39.46.47
Curta è quo loco. 35.45.48.63
Curtorum differentia uariæ. 85
Curtis vt materia aſſuatur. 39
Curtorum doctrina ex agricultura deſumitur. 39. 43
Curta ad quod genus morbi referantur. 42
Curta ex cute humeri reficienda ſunt. 47
Curta quam prudenter. 47
Curta cur. 47.48.49.61.63
Curta ſimili, quoad fieri poteſt, ſunt reficienda. 46.47.56
Curta cute ſatis larga ſunt reſtauranda. 47.48. 89
Curtorum primo, deinde traducis magnitudo notanda. 49
Curta omni anni tempore poſſunt reparari. 57
Curta in quo magis, aut minus commode. 57. 58
Curta aliud in conficiendo, aliud confirmando anni tempus poſtulant. 58
Curtæ commodiſſimè in vere, minus in æſtate reparantur. ibid.
Curta incommode Autumno, & Hyeme. ibidem.
Curtorum vt incommoda ſint corrigenda. ibidem.
Curtæ partes arbori ſiſſa, ac detruncata reſpondent. 46
Curtorum & traducis coalitum ligatura arcta in primis adiuuant. 60
Curta ut reficienda ſuadeat Alexander Benedictus. 62
Curta ut reficienda ſuadeat, Veſalius, Pareus, Gourmeſius, Sabeuchius. 63
Curta oblique ſecta cur difficilius ſanentur. 86
Curtorum refectio ad quamnam Medicinæ partem ſpectet. 42
Curtorum refectio quid praſtet. 45
Curtorum refectio ab inſitione ſcaturijt. 43.45. 46
Curtorum refectio ratione non caſu nititur. 43
Curtorum refectio à quibus inſitionis modis promanarit. 43.46
Curtorum refectio ut ijs correſpondeat. 45
Curtorum refectio, vt diſſentiat. 46.57
Curtorum refectio inſitioni per traducem eſt ſimillima. 45
Curtorum refectio utque, & cur ab hac differat. 45.57
Curtorum refectioni quantopere natura adminiculetur. 88
Curtorum refectricis facilitas. 45
Curtorum reficiendorum ſcopus præcipuus, & proprius eſt, refectam partem bene formare, & cur. 46.59
Curtorum refectricis facilitas partim artificis, partim naturæ eſt opus. 46
Curtorum refectricis facilitatis materia eſt cutis. 46.47
Curtorum reſtaurandorum quę cutis potiſſimum. 47
Curtorum refectricis facilitas quibus iuuetur, aut tardetur. 54.57
Curtorum refectrici facilitati quæ obſit, aut proſit corporis temperies. 54.57
Curtorum refectrici facilitati quam ſit idoneum corpus εὔκρατον. 54.55.56
Curtorum refectricem facilitatem poſt εὔκρατον humidum, & calidum iuuat. 55.56.58
Curtorum refectricem facilitatem quantum, & cur, & quando diſturbet temperamentum bilioſum, frigidum, item & humidum. 55. 56
Curtorum refectrici facilitati quid conducat melancholicum temperamentum, & quid officiat. 56
Curtorum refectricem facilitatem cacochymia impedit. 56.59
Curtorum refectrici facilitati cur obſit ſenectus, & pueritia. 56
in Curtorum refectrice facilitate quę habenda ſit cautio. 57
Curtorum refectrici facilitati commodiſſima eſt iuuenilis ętas. 57
Curtorum refectricem ſummè coloris venuſtas commendat. 54.59.60
Curtorum refectricis operationes, & ſymptomata varia. 60
Curtorum refectricis vtrum aliqui ex veteribus meminerint. 62
Curtorum refectricis ut meminerit Galenus. ibidem.
Curtorum refectricis authoris, quantum à veterum doctrina diſcrepet, & modernorum. 63.64
Curtorum refectricis ſummatim doctrina comprehenditur. 63.83
Curtorum refectricem ueterum operationes moleſtijs longè antecedunt. 66.81
Curtorum refectrix quam ſit leuis. 81.83
Curtorum refectrix ſaluberrima eſt, & mitiſſima. 72.81
Curtorum refectrix omnes alias facilitate, & celeritate vincit. 82.83.84
Curtorum refectrix quot operibus peragatur. 82.83
Curtorum refectrix cur tam ſit tuta. 84

Curtorum reſectricis cur tam difficultas inſignis. 88
Curtorum reſectori quæ, quotve conſideranda. 54.58.63.
Cutis commune eſt corporis tegmen. 31.45.47
Cutis eſt frigida. 31
Cutis partium omnium eſt temperatiſſima. 36
Cutis ab humoribus coloratur. 13
Cutis commodius, quam nulla alia pars à cæteris poteſt dimoueri. 47
Cutis ſunt differentiæ.
Cutis quæ ſit accommodata curtorum regenerationi. 47
Cutis è loco natali aliò tranſplantata plurimum debilitatur. 57.89
Cutis potiſſimum in naribus. 90.92.93
Cutis eſt quaſi neruus quidam expanſus. 91
Cutis plena fibris venarum. 91
Cutis eſt ſanguine præditus neruus. 92
Cutis in Naſo varietas. 31
Cutis faciei ut colorum ſit receptibilis. 13.15.17
Cutis labiorum eſt potius muſculus. 47
Cutis humeri aptiſſima eſt curtis reficiendis. 47
Cutis cur. 47.48.49.61
Cutis cur ſit ſola reſtauratricis curtorum materia. 46
Cutis brachij ante inſertionem multum decreuit. 49.50
Cutis cur. 49.50.51
Cutisque citius flacceſſat. 50.51
Cutis eſt albidior cute faciei. 88
Cutis tradux cur amplior curtis eſſe debeat. 48.89
Cutis quæ conditiones eſſe debeant. 47
Cutis loci, ex quo ſumitur. 47.48
Cutis cur non ex vlna, manu tibia, &c. reſcindi tutò poſſit. 48.89
Cutis iuſta quantitas quam ſit neceſſaria. 49.51.89
Cutis vt ſit inueſtiganda. 49.51
Cutis quæ optima ſit conditio. 54.59
Cutis quomodo ob ſui culpam marceſcat. 50
Cutis, oportet, vt prius occalleſcat. 50
Cutis cur arctè ſit deliganda. 50.60
Cutis cur decrementum nequeat præſciri. 50.51
Cutis vt queat. 51
Cutis ſemper largior, quam parcior ſecanda eſt. 51.89
Cutim applicandi varij ſunt modi. 51
Cutis tradux quo ligaturæ generum ſit aſſuenda. 53
Cutis quomodo, cur, & quando arctè ſit liganda. 60
Cutis cur aliquando tam ſiniſtrè adaptetur. 55.56
Cutis cur facilè à frigore lædatur. 58
Cutis cur ex alieno corpore poſſit deſumi. 59.60
Cutis cur è ſano, non ægro. 59
Cutis deriuatio valdè eſt doloroſa, & quibus fiat inſtrumentis. 60
Cutim negatur eſſe doloroſam. 81.82.83.84
Cutis eductio, & reſciſſio momentanea, & indolens quaſi eſt; atque fiat. 83
Cutis torpeſcit compreſſione forcipis. 83
Cutis inſitio cur doloroſa ſit, & quomodo adminiſtranda. 83
Cutim cur aliquando animi ſequatur deliquium. 84
Cutis cur ſenſu initio penè orbetur. 89
Cutis cur potius nutriatur. 89 93
Cutis cur maior ab initio eſſe debeat, ſæpè pileſcit, & undè viuat, & ſentiat. 89.90.92
Cutis venas ſuas ſeruat, quas cum narium ſtipite conſociat. 91
Cutis per eas ſanguinem haurit: & neruos, & arterias, & cur prius naturali, poſtremo animali facultate donetur. 91.93
Cutem traducem non poſſe ex alieno corpore deſumi rationes variæ. 61.68
Cutem vnde priſci deſumpſerint, & quomodo adminiſtrarint. 63
Cutem ut moderni. 64
Κυβάδες aurium. 5

D

Deligationes tres ſunt. 52
Deligatio incarnatiua quæ ſit, & vt molienda. 52
Deligatio expulſoria qualis, & ut fiat. 52
Deligationis contentiuæ vſus, natura, modus varius. 52
Deliria unde ſcaturiant. 71
Denſi proprietas. 26
Dentes quid uoci formandæ præſtent. 22.23
Dentes vt defædentur. 33
Dentes labris muniuntur. 33.34
Dentibus defædatis nihil eſt turpius. 34
Dentes inferioris maxillæ Brutis arma ſunt. 4
Diæta curatoria eſt inſtrumentum, non pars. 42
Digitorum in reſectione curtorum figura.
Digitus reſectus ex toto neutiquam poteſt agglutinari. 62
Διορθωσιν oculorum vt veteres ſanarint. 66
Dolor ille intenſiſſimus vnde in Chirurgiæ actionibus excitetur. 82
Doloris illius intenſiſſimi ſymptomata varia. 83
Dracunculorum ſecundum Leonidem deſcriptio, ſitus, curatio. 69
Duræ facilè contuſione læduntur. 38

E

S. Ebbæ Anglæ caſtitas heroica. 18
Elementorum doctrina à Philoſopho, nō medico tractanda. 40
Emplaſtratio quid ſit Agricolis. 44
Empyematum percuſio ut ſit molienda ſecundum Aeginetam, & Leonidam. 70
Empyematum pertuſio quod ſit periculoſiſſima. 71
Emunctionis narium modus, & finis. 29
Enterocele ut amoueatur. 75
Ephori animaduerſio, in Archidamum. 11
Epilepſiæ præſeruatio. 22
Ἐπισκύνιον. 3
Equus animal ſuperbum. 5
Equus cur ungulis, & iuba ornatus. ibid.
Equi cur ad ſonos auriculas inclinent. 37
Eryſipelatis generatio. 22
Eryſipelatis cauſa. 55
Eryſipelatis tempus. 58
Errorum in Chirurgia cauſæ. 81
Euirationis modi uarij, & pericula. 79
Euiratio cur ſit admodum deteſtanda. 80
Eunuchiſmus quot modis fiat, quamque ſit periculoſus. 79
Excrementum quid. 22
Excrementum vt coaceruetur. ibid.
Exacti quid perficere eſt difficillimum. 51
Excrementa morbi ſunt organa. 26
Excrementa in corpore ſunt duplicia, eorum proprietas, & emiſſaria. 22
Excretricis quanta ſit in animalibus neceſſitas. ibidem.
Expectorantur humores ope labiorum. 34
Εὔκρατον quid re vera dicatur, eiuſque commoda maxima. 54.55
Εὐεκτικὴ Medicinæ pars. 40

F

Faciei partes. 2.6.15
Faciei differentiæ ſecundum Phyſiognomonas. 10
Facies omnibus corporis partibus antecellit. 2.5.6.9.11.12.13.
Facies quomodo. 9
Faciei nomen, ac circumſcriptio. 2.6
Faciei nomen ſoli homini competit. 2.5
Faciei partium finis. 2
Faciei temperies. 15
Facies ubi illam ponat Ariſtoteles. 2
Facies ut ſit omnis expers actionis. 6
Facies omnium ſuarum partium eſt receptaculum. 6
Facies plurimas obit actiones neceſſarias. 6.7
Facies ſola principalium partium uim aperit. 6.15.17
Facies ut cum iis omnibus connectatur. ibid.
Facies omnium ſenſuum inſtrumenta tenet. 6.11.13.16
Facies cur in editiori ſit loco conſtituta. 7.13
Facies generis eſt indicium. 7
Facies animi. 8.10
Facies Phyſiognomiæ eſt fundamentum. 7
Facies pars præſtantiſſima. 9
Facies totius corporis menſuram continet. 7
Facies corporis, ac animi affectus declarat. 7.8.10.
Facies parentes refert. 7
Facies rarò duæ ſimiles videntur. ibid.
Facies nouies in ſe ducta perfectam hominis longitudinem complet, & de hac re diuerſæ opiniones. 7.8
Facies magna, puſilla, parua, cracea, carnoſa, carnulenta, gracilis, oſſea, oblonga, plana, rotunda, rugoſa, mediocris quid indicet. 10
Facies hominum ætates prodit. 10.12
Facies animæ eſt ſedes. 11.13
Facies unde ſit pulcherrima. 11.14
Facies amoris eſt initium. 12
Facies cur πρόσωπον nuncupetur. 2
Facies cur tantum ſit à genitalibus remota. 13
Facies cerebri eſt propago. ibid.
Facies cur in Pneumonia rubeat. 14
Facies in morbis acutis ante omnia eſt examinanda. ibid.
Facies ſenum, & melancholicorum qualis. 14
Facies cerebri eſt cloaca. 15
Facies vulnerata ut ſit uincienda. 52.53
Facies Hippocratica quæ. 14
Facies ſana non ſemper boni coloris, & quando. 14.17
Facie homines diſtinguuntur. 7
Facie latitudinem totius dimetimur.
Facie ſexus diſcernuntur, & qualis ſit in utroque. 7.12
Facie conditio hominis, & uitæ inſtitutum cognoſcitur. 12
Facie temperies totius, ac cerebri agnoſcitur. 13.15
Facie humores corporis noſcuntur. 13
Facie morbi multi indicantur, & uerius. 13.14
Facie cur morbi multi indicentur. 16.17
Facie morborum prognoſtica colliguntur, & ut ſit habenda cautio. 14.15.16.17
Facie cur ita certa ſalus, aut mors ſignificetur. 15
Facie pulchritudo totius colligitur. 10.7.11.12.17
Faciei quæ ſit longitudo. 7
Facies eſt tripartita. 7
Faciei delineatio Gaurica uerior. 8
Faciei partes cur poſt artus efformentur. 13
Faciei ſymptomata in Catoche. 14

Faciei

Faciei ſymptomata in alijs morbis. 15
Facies eſt ſingularis compoſitio, & connexus cum ventre inferiori, medio, cerebro, corde, & omnibus partibus. 15.16.17
Faciem quo antiqui illeniuerint. 12
Faciem vt coluerint ſummopere. 12
Faciem cur Virgines antiquitus occuluerint. ibidem.
Faciem cur iniuri reis leges prohibebant. 12
Facierum cur tanta diuerſitas. 7
Facultas ſentiens debilitata omnibus alijs tardius reſpicitur. 93
Facultatem ad reparandam quæ ſint neceſſariæ. ibidem.
Facultatis vitalis, & naturalis cognitio quaſi eſt indiſſolabilis, & hac cæteræ ne momento quidem carere poſſunt. 93
Facultates vt ad Philoſophum, & Medicum ſpectent. 40
Fuſciarum tres ſunt differentiæ & quales. 52
Fauces vt exulcerentur. 26
Febris cauſæ. 22
Fibulæ quid ſint, vsque, & quando adhibeantur. 52
Fibularum noxæ. 53
Ficus apta eſt inoculationi, & cur. 44
Finis diuerſus Philoſophi, & Medici. 40
Finis cauſarum eſt princeps. 59
Finis noſtrarum dux actionum. 60
Finis artium quis. 40
Fiſtulæ in genitalibus mulierum vnde fiant. 70
Fœminarum barbararum Mangones. 12
Fœtus cerebro non indiget. 13
Fœtus mortui exciſio omnium Chirurgicarum operationum eſt difficillima, & eius adminiſtratio, & quando ſit educendus. 77
Fœtus uarius educendi modus, pro illius ſitu uario. 77
Fœtus extractionem cur ſequatur inflammatio. 83
Fœtus ſi totus nequit, conciſus extrahatur. 77
Forma temperiei ignoratur. 50
Fracturæ vel ſine, vel cum vlcere ſunt. 80
Fracturarum reſartio eſt moleſtijs plena. 80
Fracturu quibus ſcopis perſiciatur, & diætam requirit accuratam. 80
Fræni labiorum ſitus, ac motus. 35
Friabilia facilè contuſione læduntur. 38
Frontis nomen, ac locus. 3
Frontis cutis eſt muſculoſa. 47
Fuligines cerebri quà exhalent. 25.28
Fullonum harpaginulæ. 52
Functionum miniſter eſt calor. 26

G

Galenus fuit Metoſcopus. 9
Galenus falsò reprehenditur à Veſalio. 23
Galeni defenſio. 23.26.27
Galenus vt probè ſit intelligendus. 25
Galenus quid de curtis reparandis ſcribat. 62
Galeni vera de pituitæ ex cerebro eiectione ſententia. 25.26.27
Gangrena vnde, & quid ſit. 83
Gangrenarum malignarum cauſæ. 71
Gargareon vt voci conducat. 21
Gargareon vt relaxetur. 26
Gargareon ut inflammetur. 26
Gaudij efficiens eſt auditus. 37
Genæ vnde dicantur. 3
Genæ priſcorum. 4
Genarum extrema ut vocentur, & diſtinguantur. 4
Genarum ſubcauum varijs in morbis intumeſcit. ibidem.
Genitalia membra cur à facie tam ſint diſſita, & eorum ſitus, & ratio. 13
Genus omne in oppoſitas dirimendum eſt differentias. 42
Γηροκομικὴ Medicinæ eſt pars, & eius munus. 42
Glabella vnde dicatur. 3
Glandula oſſis ſphænoidis. 23
Glandula oſſis ſphænoidis quid proſit. 27.29
Glans colis præputio exuta, vt ſit curanda. 67
Globulus. 4
Gloſſocomium Galen. 83
Guſtus neruos habet ampliſſimos. 20
Guſtus olfactus vicem obit. 30

H

Hadriani Romani Conſulis remedium in ſurditate. 37
Hæmorrhagię cauſa, & effectus peſſimi. 83
Hęmorrhagiarum magnarum cauſę. 71
Haſpuginulę fullonum. 52
Helix. 5
Helleborus albus veteribus formidabilis, vt in vſum poſt uenerit. 65
Hemicrania per angiologiam tollitur. 65
Hemicranię inueteratę cura. 67
Hepar ſanguinem cur ex chylo conficiat. 6
Hepati venæ inſeruiunt. 6
Hepatis finis. 13
Hepatis connexio varia. 16
Herniarum ſpecies variæ, & earum curatio. 74.75
Hernia cur ſit exitialis. 76

Her-

Hernia varicoſa, vt ſit tollenda, vt flatuoſa. 75
Herpetis cauſæ. 22.55.58
Hippocrates cur medicis calculi exectionem interdicat. 79
Hippocratis ſcamnum. 80
Hippocratis decretum de facie in acutis examinanda, ut ſit rectè intelligendum. 14.17
Hippocratis ſingularis ex facie prognoſticandi ſagacitas. 16
Hippocratica facies quæ. 14
Hircanus Iudæorum Rex. 18
Hirqui. 4
Homines facie diſtinguuntur. 7
Hominum ſenſa facie produntur. 16
Hominum excellentia in quo fundetur. 33
Homo vt diſcrepet à brutis. 2.33
ab Homine differt patum reſpectu naturæ. 59
Homo totus in vultu, ac facie conſiſtit. 9
Homo caloris benignitate, ac ubertate longè arbores ſuperat. 57
Hominis conditio facie diſcernitur. 12
Humana diligentia nil non rimatur, nil ei inacceſſum. 43
Humanæ cupiditatis vis, ac ſitus. 13
Humeri ſitus. 48
Humeri cutis Narium, & Aurium naturæ eſt ſimillima. 48
Humerus locus eſt aptiſſimus, & tutiſſimus curtis reparandis. 47
Humerus cur. 47.48.49
Humerus non auribus, ſed labijs, & naribus tantum. 49
Humerus vt naribus curtis ſit adaptandus, & quam figuram tum ſeruet, & vtrum hic ſitus ſit doloroſus. 48
Humiditas partium unionem moratur. 55
Humor aqueus oculi quid proſit, vitreus, cryſtallinus. 6
Humores praui vt generentur, & coaceruentur. 22
Hydroceles curatio. 74
Hydropicorum perforatio quando, & quomodo tentanda, & vbi, ac vnde periculum vitæ inferat. 71
Hydropis curatio varia. 74
Hyems cur coalitum partium retardet. 58
Hypopathiſmi Etymologia, & vtendi modus. 65
Hypoſpathiſmi periculum. 66

I

Iecur cur tam exiguas arterias habeat. 92
Imperfecta priora ſunt perfectis. 13
Imperiti eſt artificis ſcopum ſuum non poſſe aſſequi. 49
Indicationis curatiuæ vnde ſint deſumendæ. 2
Indicatiua medicinæ pars eſt, & eius differentiæ. 41
Inediæ cura. 1
Infantes labijs lac ſugunt. 31
Infibulationis modus. 52
Inflammationum cauſæ. 22
Inflammationum cauſæ vehementium. 71
Inflammatio quando in vulneribus ingruat. 55
Inflammatio cur violentas Chirurgi operationes ſequatur, & quando. 83
Influxus incorporeus nullus eſt in noſtro corpore. 91
Infundibuli cerebri vſus. 23
Inguinum tumor ex elapſis inteſtinis, vt ſit remouendus. 76
Inoculatio quid ſit Agricolis, quæ eius natura. 44
Inoculatio vt fiat. 44.45
Inferendæ partes in homine, & arbore, vt conueniant, & inſitionis rationes. 46
Inſitionis quatuor ſunt modi, & qui. 43.44 45
Inſitionis modi priſcis tantum tres. 44
Inſitio curtorum reſtitrici anſam præbuit. 43. 46
Inſitio perterebratione vt perficiatur. 44
Inſitio qualis à veteribus permiſſa fuerit. 44
Inſitio diuerſorum ſurculorum eſt commodiſſima. 44.45
Inſitio diuerſorum ſurculorum cur commodiſſima. 45
Inſitio cur Vere fælicius ſuccedat. 45
Inſitio vt per traducem peragatur. 45
Inſitio vt, & cur à curtorum refectione diſcrepet. 45.57
Inſitio non omni eſt apta tempore. 57
Inſitionis diuerſus modus Catonis. 44
Inſitionis primus, & quartus modus vt differant. 45
Inſitionis quinam modi curtorum refectioni fundatores extiterint. 45.57
Inſitionis efficiens eſt calor. 45
Intellectus eſt ſermonis affinitas. 33
Intercilia cur non ſemper ſint conſpicua. 3
Interitus cauſa. 13
Inteſtinorum ad inguina prolapſus, vt reſtituatur. 76
Inuenire adhuc quotidie noua poſſe. 43
Ioannis ſchrenckrij de curtorum regeneratione opinio. 63
Ἴουλος. 4
Iſcæ quid ſint, & earum vſus. 71
Iugulares externę. 16
Iuſtiniani Imperatoris pæna. 18
Iuuenum deceptio in Chirurgia. 82

Labeo-

L

LAbeonis qui. 34
Labernis qui. 34
Labia alba, frigida habere lethale. 16
Labia ſunt ſermonis miniſtra, & quantum propter hoc in homine à brutis diſcrepent. 33
Labia cur dicantur verbi diuini nuncia. 33
Labia tutantur dentes. 33.34
Labia ſaliuæ effluuium reprimunt. 34
Labia tetros odores propulſant. 34
Labia maſticationi inſeruiunt. 34
Labia animi, ac naturæ ſunt indices. 34
Labia multos habent muſculos. 35
Labia cur ſint gemina. 35
Labijs infantes ſugunt. 34
Labijs potatio adiuuatur. 34
Labijs expectoratur. 34
Labiorum inſignis decor. 34.35
Labiorum quæ ſubſtantia, & compoſitio. 35
Labiorum uitia, vt appellentur. 34
Labiorum actio, & celeritas quibus adiuuetur. 35
Labiorum frenum vbi ſitum. 35
Labiorum motus cur difficulter dignoſcantur. 35
Labiorum quæ ſit temperies. 36
Labiorum magnitudo, figura varia, cutis eſt muſculoſa. 36.37
Labiorum materia commodè ex humero deſumitur. 49 87
Labiorum curtorum refectio inoculationi reſpondet. 45.
Labiorum refectio cur potiſſimum ex humero fiat. 47
Labia vbi ſita. 4.33.36
Labia quid quantumque proſint. 4.21.33.34.35
Labia cur rubeant. 4.36
Labia ore ſeparantur. 4
Labiorum varia nomenclatura, & diuiſio. 4
Labiorum priuatio quam ſit turpis. 42
Labia curta facilius quam nares reſtituuntur.
Labia cicatricoſa, aut leporina vt reparentur. 87
Labiorum defectus quo maior, aut minor, cò etiam facilior erit curatu. 87
Lac aſininum faciem dealbat. 12
Lacuna labri ſuperioris. 4
Lachrymæ cur non continuò fluant. 29
Lanugo quæ. 4
Lapides conſiderare eſt Philoſophi. 40
Laxa facilè diriguntur. 51
Leo cur dentes, ac vngues validos habeat. 5
Leontij Imperatoris ſupplicium. 18
Lethargus vt præcaueatur. 22
Λευκανίας diuerſæ ſignificationes. 4
Lex ne reis facies inuratur. 12
Ligaturarum. 3
Ligaturarum ſpecies variæ ſunt apud medicos ſpecies. 52
Lingua cur humida ſit & ſpongioſa. 20
Lingua ſapit. 20.34
Lingua quid ſermoni, & voci formandæ conferat. 21.22.33.34
Lipothymię leuis ſępe cauſa eſt. 84
Literæ ſermonis ſunt materia. 33
Literæ vt probè exprimantur, quibus organis. 33
Λόβιον ſeu λοβὸς auris. 5
Λόβιον locus eſt factus ſuperbiæ hominibus. 5
Locorum in homine differentia. 9
Locus in homine qui ſit principalior. 9
Locutionis ſcaturigo à mente. 33
L. Apronij filius, ut pinguedine nimia liberatus fuerit. 69
Lumbricus cutaneus vt generetur, & ſanetur. 70
Luxata tribus modis reſtituuntur, Paleſtrico, & qui ſit: Methodico, qui quibusque adhibendus, & quomodo, Organico, quibus hic quoque inſtrumentis indigeat. 80
Luxatorum reſtitutio maximis eſt obnoxia cruciatibus. 80

M

MAlæ quæ. 4
Malæ ſunt pudoris ſedes, & in ſolo extant homine. 4
Mala cur rubeant in pudore. [illegible]
Malæ quibus muſculis moueantur. 35
Malo nodo malus cuneus opus eſt. 80
Malum non expellitur bono, ſed malo. 80
Mammarum in viris tumefactio, vt antiquitus curabatur, & quam immanis hęc erat operatio. 69
Mammillares proceſſus cerebrum purgant, ex Galeno. 23
Mammillares proceſſus expurgare cerebrum negat Veſalius. 24.25
Mammillaris proceſſus cerebrum purgare affirmat Author ex Galeno, & quomodo. 26
Mammillarium proceſſuum ſitus. 15
Mammillarium proceſſuum vſus ſingularis. 23
Mammillarium proceſſuum ortus, & figura. 25.26
Mangonum finis. 11
Manus diſperſę ut corporis longitudinem indicent. 8
Manus diſperſæ cur ineptæ ſint certorum reparationi. 49
Maſticatio vt ritè fiat. 34
Materia in omnibus artibus primò eſt examinanda. 46
Matricis finis. 13
Maxillam inferiorem cur bruta ſibi tangi renuant.

Digitized by Google

nuant. 4
Medicamenta ocularia qui ore expiantur. 29
Medicamenta omnia vel demunt, vel addunt. 1
Medicæ operationes, vt ritè perficiantur, tria in primis obſeruanda eſſe. 82
Medicina eſt adiectio, & ablatio. 1
Medicinæ principia. 1
Medicina vt omnibus alijs ſcientijs anteeat. ibid.
Medicinæ partes cur ita ſint dubiæ. 39
Medicinæ finis eſt ſanitas. ibid.
Medicinæ cur tam variæ ſint partes & quæ. 40
Medicinæ partium conuenientia, & differentia. 41
Medicina rectè in ſalubrem & curatiuam diuiditur. 41.42
Medicina quæ curatiua, quę præſeruatiua. 40
Medicinæ ſalubris partes ſunt [Greek], [Greek].
Medicinæ partes ſunt V. 5.40
Medicinæ partes ſunt nouem. 41
Medicinæ partes ſunt tres, & eorum ſubdiuiſio, ac connexio, & cur ſic variet. 41
Medicinæ diuiſiones quænam ſint laudabiles. 41.42
Medici officium duplex. 1.42
Medicus qui re vera ſit. 1
Medici finis vt diſcrepet à Philoſophi. 40
Medici obiecta ſunt, tria, & illius termini. 40
Medico quæ ſint neceſſaria ad finem aſſequendum. 40
Medici iniqui eſt præter rem ægros excruciare. 49
Medicus bonus, non qui nihil, ſed qui parum errat. 51
Medici in agendo norma eſt temperamentum ſi
Medicus laudandus non qui nullis, ſed qui non vehementiſſimis doloribus ægros torquet. 81
Medicus vt omnia citò, tutò ac iucundè agat, tria vt in primis obſeruet oportet. 82
Medicorum veterum ſingularis induſtria. 62
Medulla ſpinalis cerebro famulatur. 6
Melancholica corpora pilis, & fuliginibus abundant. 56
Melancholicorum facies. 14
Melancholicum temperamentum Phlegmatico in vnione partium præualet, & in quo reſpondeat. 56
Meliceris proprium habet folliculum. 68
Melitenſis equitis curatio. 87
Membra cur tabeſcant. 50
Membrana eſt frigida. 31
Membri eſſentia vt ſit explicanda. 30
Mens locutionis eſt fons. 37
Mentum quid. 4
Mentum in ſolo extat homine, eius delineatio, & cur manibus pertractetur. 4
Menynx vtraque cur ad nares ſit peruia. 26
Μεσόφρυον. 3
Metalla à Philoſopho ſunt conſideranda. 40
Metopoſcopiæ eadem, quæ Phyſiognomiæ diuiſio. 8
Metopoſcopiam dari Ariſtotelis rationes, non dari rationes Authoris. 9
Metopoſcopiæ naturalis ſcriptores. 8
Metoſcopi qui, & quotuplices. 8
Metopoſcoporum princeps eſt Ariſtoteles. 8
Mollia facilè ſcinduntur, ac rumpuntur. 38
Morbi Idea vt cognoſcatur, eius eſſentia in quo conſiſtat, eius notitiam præcedere debet loci affecti cognitio. 2
Morbi vehementia vt ęſtimanda. 14
Morbus vt exacerbetur. 54
Morbus non niſi morbo alio tollitur. 80
Morbus non ſine moleſtijs tollitur. 81
Morbi arcentur duobus. 1
Morbi multi ex facie noſcuntur. 13
Morbi concentibus abiguntur. 36
Morborum cauſa, & neceſſitas. 26
Morborum & ſanitatis cauſas Philoſophus explicat. 40
Morbi ratione vehementiæ ſunt triplices. 41
Morbos quanta ſæuitia priſci tractauerint. 64
Morbi regij indicia in facie. 14
Morbi acuti ex facie indicantur ſecundum Hippocratem. 14
Morbi materiales vt generentur. 22
Morborum in numero duæ ſunt differentiæ. 41
Mores quid vocet Galenus. 9
Mortem hominibus quidam etiam ex effigie ſua depicta prędicere potuit. 8
Motiuę facultatis principium. 89
Mucor quid. 4
Mucor quantum faciem dedecoret. 29
Muliebria genitalia cornuta, ut diuidenda. 70
Muſculorum temperies natiua. 31.36
Muſculi attactioni tantum partis ſeruiunt. 6
Muſculorum naſi utilitas & connexio. 31
Muſculi labiorum quot: & ubi inſerantur. 35
Muſculus cutaneus in labijs. 47
Μύξα quibus tribuatur. 4
Μάσταξ. 5
Μυῶδες πλάτυσμα Galeni. 35

N

Nares. 4
Narium partes. 85
Narium tunica exquiſitiſſimè ſentit. 72
Narium cur amputationem minetur Deus Samariæ. 18
Narium Monas, ac Dyſas Pythagorica. 19
Nares ſunt olfactus organa. 19.20.30
Narium propugnaculum. 29
Narium ſtructura prudentiſſima. 19.20.32.89
Nares uocem & ſermonem clariorem reddunt, & quomodo. 21

Naribus efformandis quæ præſtent. 21.22
Nares cerebrum expurgant. 22
Nares cur neceſſario cerebrum expurgent. 22. 23.29.30
Nares non expurgant ſecundum Veſalium. 26
Narium meatus cur ſint tortuoſi. 26.27
Nares ſubſidiariæ ſunt Palati. 27
Narium oſſa cur ad oculos pateant. 29
Nares cur longas, cauas, in ſummitate arctas, in declini uero amplas eſſe oportuit. 29.31.32
Nares cur ad Palatum pateant. 29
Narium oſſa cur mollia, & leuia. 30
Narium Anatomia, & connexio varia. 30.31. 32
Narium quæ ſit magnitudo debita. 32
Narium extrema cur cartilaginea. 31
Nares cur ſint mobiles. 31
Nares cur carneæ. 31
Nares quantum pulchritudini conferant. 17.18
Narium quanta ſit dignitas. 17.18.19.29
Nares cur recta ſub prioribus cerebri ventriculis ſint poſitæ. 32
Narium reſtauratio cum inoculatione conuenit. 45
Nares ex cute, non carne reficiuntur. 46
Nares cur. 47
Nares ex ſolo humero poſſunt refici. 49.63
Narium redintegratio quod operationibus perficiatur. 83.86
Narium redintegratio quàm ſit indolens, & conformatio diuturnior eſt. 83
Narium mutilatarum differentiæ, & quæ pulchior alia ſit, aut turpior, & facilior curatu. 85.86
Narium globuli, quæ, & cur facilis ſit reparatio. 85
Narium alæ mutilæ, vt ſint turpes, vt, & cur facilè reparentur. 85
Nares penitus abſciſſę cur ſint difficiles curatu, & vt ſint tuendæ. 86
Nares cum labij ſuperioris portione reſectę ſunt incurabiles. 86
Nares ſublimius, obliquè, aut incuruè diſſectę cur difficulter reſtaurentur. 86
Nares nouę in quibus à prius reſectis diſcrepent, cur palleant, cur non ita ſolidari poſſint, vt abſciſſę erant, quantum tempore mutentur. 88
Nares vt nutriantur, & ſentiant, vtrum in ijs nouæ vaſa regenerentur. 90.91
Nares vt vita fruantur. 92
Nares cur primo nutriantur, vltimo ſentiant. 92
Nares cur tot expoſitæ ſint ſymptomatis. 92. 93
Naſi ſitus. 4
Naſus cur in medio ſit faciei. 4.32
Naſi vſus varij. 4.13.17.19.29.30
Naſi ſeptum, vel dorſum, vel interſeptum. 4.30
Naſi exſectum quam ſit turpe, noxium. 86
Naſi pinnę. 4
Naſi alę, quę & cur ſic vocentur. 4
Naſi Globulus. 4.31
Naſi apex, columna. 4.85
Naſi temperamentum. 31
Naſi figura apta. 31
Naſi cutis cur dura ſit, & glabra. 89
Naſi Phyſiognomia. 19
Naſi oſſa, & partes cur non odorentur. 20
Naſi foramina, & diſcrepantia in homine ab alijs animalibus. 4
Naſi vitia in forma, quæ ſint. 17
Naſi iactura quantum deformet hominem. 18. 42.85.86
Naſi aquilini authoritas. 18.19
Naſo priuatis imperium adimitur. 18
Naſo homines dignoſcuntur. 18
Naſus animæ eſt index, & honeſtatis, quis fuerit Socrati. 19
Naſus eſt primum reſpirationis inſtrumentum. 19.20.21.30.32
Naſus odores defert, non percipit, & cur. 20. 21
Naſus cur ad palatum pateat. 29
Naſus cur ad frontem ſit coarctatus. 32
Naſus quibus ſit piloſus. 31
Naſus nouus cur partibus faciei ſenſibilitatè anteeat, & cur maior reſciſſus euadat. 89
Naſus cur anguſtiora naturalibus foramina habeat, & ut amplianda ſint. 89
Naſum melius eſt ab initio exeedentis, quàm debitæ eſſe quantitatis. 89
Naſuti ſunt ſagaces. 19
Natura elegantiæ eſt ſtudioſa perpetuò. 10.12
Natura quando non. 34
Natura vbi diuitias ſuas magis oſtendat. 11
Natura prius neceſſaria conficit. 4.13.89
Natura confuſæ multitudinis eſt inimica. 19.29. 33
Natura nihil facit fruſtra. 26
Natura ſemper quod melius eſt perficit. 34
Natura ſuum ſemper vnicuique ritè accommodare ſtudet. 61
Natura quam longè artem ſuperet, & eius mirabilis effectus in naribus reſarciendis. 88
Natura maiorem præſtantioris curam gerit. 20. 32.89
Naturæ in partibus condendis triplex finis. 13
Naturæ in partibus diſponendis, & perficiendis prudentia. 13.19.32
Naturæ prudentia ſumma in vocis inſtrumentis condendis. 22
Naturæ in purgando corpore ſolertia. 22.26
Naturæ ſagacitas in ſenſuum organis. 29
Naturę in curtorum regeneratione prouidẽtia. 61

Naturæ maieſtas nulla exprimi arte poteſt. 88
Naturæ eſt continuus motus,& indefeſſus. 93
Neotericorum de curtis reſtituendis decreta. 62
Neotericorum error maximus. 63.64.84
Neotericorum cum veteribus comparatio. 63
Nerui cerebro ſubſeruiunt. 6
Nerui partibus animalem facultatem deferunt. 89
Nerui quò ampliores, eo hę perfectius ſentiunt. 89.92
Nerui amiſſi non regenerantur. 90
Neruorum tertij paris diductio. 31
Nobiliora ſunt poſteriora ignobilioribus. 13
Nutritionis modus. 22
Nutritionis quanta ſit neceſſitas. 93
Nymphæ. 4
Nympha uuluæ eluxurians vt ſit reprimenda, & quam ſit periculoſum. 70

O

Obedientiæ ſimulacrum ſunt aures. 37
Ὀφρυαία linea quæ dicatur. 66
Obſtructio vt curetur. 1
Occipitis locus. 2
Ocellæ qui. 3
Ocium vires recreat. 1
Oculi partium omnium corporis ſunt pretioſiſſimi. 3
Oculi indices ſunt animi. 3
Oculi cur olim morientibus clauſi,ac in rogo rurſus patefacti fuerint, ſolis hominibus deprauantur. 3
Oculi vnde denominentur. 3
Oculi cur in eminenti loco conſtituti. 7
Oculi cur quibuſdam in ceruice longa poſiti. 7
Oculi quando vna cum ſuis muſculis lædantur. 27
Oculi cerebrum ſecundum veſalium defecant. 25.26.27
Cerebrum oculos defecare vt abſurdum improbatur ab Auctore. 27
Oculi cur perui ſint ad nares. 29
Oculi per quas vias purgantur. 29
Oculorum ſitus. 3.7
Oculorum anguli ſunt duo. 4.29
Oculi vt ſiti ſint. 29.4
Oculorum propugnaculum ſunt ſupercilia. 37
Oculorum vtilitas inſignis. 6.7.13
Oculorum actio vnde perficiatur. 6
Oculorum in Ictericia diſcoloratio. 14
Oculorum variegatio in morbis quid portendat. 16
Oculorum tutela mira. 29.37
Oculorum defluxus diuturni Arteriotomia curantur: auores Angiologiæ. 65
Oculorum Δυστριχίασιν vt veteres curarint. 66
Oculus cur ſit lucidus. 20
Odoratus ſedes. 6
Odores non percipiuntur à Naribus. 20
Odores à Naribus deferuntur tantum. 20.21.26
Odores aerei ſunt. 20
Odoris cognitio nitę eſt neceſſaria. 30
Oeſophagus omnibus infimi ventris partibus annectitur. 15
Olfactus inſtrumentum ſunt nares. 19.29.30
Olfactus inſtrumentum ſunt proceſſus mamillares. 25.26
Olfactus organum habituoſum eſt. 20
Olfactus inſtrumentum ſunt proceſſus mammillares. 25.26
Olfactus viſu,& auditu eſt inferior. 20
Olfactus ſit tantum ſpiritu naribus hauſto. 21.30
Olfactus eſt guſtus uicarius. 30
Oliuæ vt commode inſerantur. 44
Oppoſita natura ſimul ſunt, & mutuò ſtare nequeunt, neque vnum alterius eſſentiæ quicquam confert. 42
Oratio vt fiat. 21
Orationis locus eſt vox. 21
Os quid dicatur. 4
Os non eſt neceſſarium reſpirationis inſtrumentum. 20
Ore maſticamus, & loquimur,ceu vaſe generali. 6.33
Ore non ſine multa noxa animal reſpirat. 20.34
Oris cælum quid ſit. 21
Os frontis cur cribroſum ad fuliginum exhalationem. 25
Os petroſum. 38
Oſſa ſunt frigida. 31
Oſſa deperdita vt reſtituantur. 46.47
Oſſa narium quot,quę,quid ve proſint. 30
Oſſa temporum fuliginibus expirandis deſeruiunt. 25
Oſſa quæ cerebrum purgant,cur ſpongioſa. 26.27
Oſſium ſpongioſorum proceſſus quales ſint. 30
Os Cribriforme cur Galenus potius ſpongioſum vocet. 28
Oſſis ſitus,vſus,etymologia. 23.25.28
Oſſis ſitus,vſus,etymologia dari negatur à Veſalio,affirmatur à Galeno. 25.28
Oſſis cuneiformis varia deſcriptio à Galeno. 25
Oſſis cuneiformis vt notetur à Veſalio propterea. 26
Os cuneiforme cur inæquale ſit. 28
Oſſis cunei formis connexus,vſus varius,Etymologia. 28.27

P

Palatum principale eſt cerebri emunctorium, & cauſa ſæpe morborum. 26
Palatum ſermonis, ac vocis in brutis eſt organum. 33
Palatum ut cerebrum defecet. 23.26
Palpebræ ubi ſint, unde dicantur, quæ dicantur eſſe Plinio, earum pili et motus eſt celerrimus, & obtutum reſeit. 3
Palpebrarum pili adaucti ut tollantur. 66
Pappus quid. 4
Paradiſum ut perdiderimus, & recuperemus. 37
Παρακέντησις in hydrope ut fiat, & cur ita noxia ſit. 71
Paralyſis ut præcaueatur. 22
Pars una cur plures habeat utilitates. 19.29. & 33
Pars una ut dicatur abundare. 42
Pars nulla, ut cutis, citra ſummum incommodũ à cæteris auelli poteſt. 47
Partis natura actionem ſui manifeſtat. 2
Pars, quæ reuera dicatur princeps. 5
Partes noſtri corporis omnes Dei ſapientiam prædicant. 2
Partes animæ inſeruiunt. 5
Partes omnes totius uiſceribus cohærent. pagina 15
Partes cur rubeant. 36
Partes abſciſſæ ex ſe non repullulant. 47
Partes principes ut, & cur alijs excellant. pagina 52
Partes principes ſunt tres, & quæ. 6.15
Partes principes ut operentur, omnibus alijs particulis faciei tamen in primus palam opitulantur. 6.15
Partes principes cur tot vijs expurgentur. pagina 26
Partes minus principales quos vſus præſtent. pagina 6
Partes genitales cur factæ, & tantum diſſitę ſint a facie. 13
Partes ſentientes cur non uiolenter ſint tractandæ à Chirurgis. 71
Partes ſeminales ſemel perditæ non regenerantur. 90
Partium natura confirmatio & c. indicationes curatiuas conſtituunt. 2
Partium ab utilitate dignitas ac diſcrimen æſtimatur. 5.6
Partibus utilitates dignitate priores, & ſi ortus poſteriores ſint. 6
Partium omnium totius tres ſunt ſcopi, certæque ſedes & cur. 13
Partium hiſtoria in quibus conſiſtat. 30
Partium numerus ut deficiat. 42
Partium amiſſarum deperditio ſimilibus eſt recompenſanda. 46.47
Partium amputatio ut ſit adminiſtranda. pagina 76
Partium amputatio quam ſit, & cur doloris plena. 82
Παθολογική Medicinę pars, & eius obiectum. pagina 41
Paulus Aegineta curtorum reſectricis ut mentionem faciat. 62
Pectus per quas uias afficiatur. 26
Pedis plantę cutis arctiſſime hęret. 47
Peluis cerebri quid proſit. 26.27
Penis glans detecta ut cooperienda. 67
Perfectiora imperfectis poſteriora ſunt. 13
Periſcyphiſi adminiſtratio & utilitas. pagina 65.66
Periſcyphiſi moleſtię inſignes. 66.82
Pharmacia curatorię inſtrumentum eſt, non pars. 42
Philoſophi eſt ſanitatis ac morbi cauſas explicare. 40
Philoſophi fine diſcrepant a Medicis. 40
Φίλτρον labri ſuperioris. 4
Phlegmaticis difficulter vulnera uniuntur. pagina 55
Phlegmatici ſemper habent corpus ſcatens uitioſis humoribus, & cur. 55
Phthiſeos cauſa. 26
Phymus vulue ut ſecandus ſit. 70
Phyſiognomię fundamentum eſt in facie. pagina 7
Phyſiognomię aſſertio faciei dignitatem extollit. 8
Phyſiognomiam naturalem certam eſſe, Ariſtotelis rationes. 8
Phyſiognomiam incertam eſſe rationes Authoris. 9
Φυσιολογική Medicinę pars, & eius obiectum. pagina 41
Pilis nigris, & denſis abundant melancholici. pagina 56
Pinguedo exuperans, ut in L. Aproniȷ filio adempta fuerit. 69
Pinnę Naſi. 4
Piſcis facie caret. 2
Pituita ut ex cerebro excernatur. 23
Pituita ut ex cerebro excernentur, ſecundum Galenum, et Authorem. 23
Pituita ut ex cerebro excernatur ſecundum Veſalium. 24.25.26.27.28
Pituita coctione ita attenuatur, ut quocunque poſſit deduci. 26
Pituita ſua natura deorſum fertur. 26
Pituitę redundantis in capite noxę. 24

Pituita quam miraculosè ex cerebro excernatur. 26
Pituitoſum corpus, quid differat à Cacochymo. 56
Plantæ à Philoſopho ſunt conſiderandæ. 40
Plantę diuerſa idem ingenium iunctæ aſciſcunt. 59
Plantæ virtute non autem genere ſunt diuerſæ. 59
Plintheum Hilei. 80
Pneumonia ex malarum Rubore innuitur. 14
Poeti. 3
Polypum curandi modus, & malignus vt ſanetur, quomodo, quanto cum dolore, & periculo. 72.73
Poppeæ heronis coniugis mangones. 12
Potatio labijs promouetur. 34
Præſeruatiua Medicina quæ, qualis, vt differat conſeruatiua. 40
Primis perditis perduntur poſteriora, non contra. 21
Probarbium vbi. 4
Πρόχειλα. 4
Prognoſtica vt ex facie ſint colligenda. 14
Prognoſtica veriora ex facie in ægrotis colliguntur. 14
Prolabia. 4
Προφυλακτικὴ quæ. 40
Προπαγώνιον. 4
Πρόσωπον cur dicatur facies. 2
Προσόμιον. 4
Πτερύγιον quid ſit, cauſa, exciſio veterum, doloris, ac periculi plena eſt. 66.67
Pudendorum actio, ſitus, ac huius cauſa. 13
Puerorum temperamentum. 57
Pulchritudo hominis ex facie ſola agnoſcitur. 7.10
Pulchritudo cur. 11.12
Pulchritudo eſt duplex. 10
Pulchritudo eſt triplex, Socratica, & Hippocratica. 11
Pulchritudo fucata qualis. [illegible]
Pulchritudo cur tantum ab hominibus expetatur. 11
Pulchritudo regno digna eſt, diuina. 11
Pulchritudo in facie difficillimè acquiritur. 11
Pulchritudo ex quibus conſtetur. 14.17
Pulchritudo non eſt bonum corporis per ſe. 40
Pulchritudinis præſtantia. 10
Pulchritudinis origo. 10.40
Pulchritudinis cur diuerſa iudicia. 11
Pulchritudinis valor apud antiquos. 11
Pulchritudinem naſus in primis efficit. 17.18
Pulmonum excretio plerunque per os fit. 15
Ῥάκωσις quid ſit vnde fiat, ac vt curetur, & curationis pericula. 70

R

Ramex aquoſus vt ſit curandus, tophacius, carnoſus, inteſtinalis. 75
Ramicum horum omnium cur ſecundum veteres cura ſit exitialis. 76
Ramicum quæ ſint ſpecies, eorum curatio eſt ſæuiſſima. 74
Ramicum curatio cur ſit ſæuiſſima. 82
Raritas cum tenuitate res ſubito contabeſcere facit. 51
Ratio vbi conſiſtat. 9
Rationis quanta cum cupiditate ſit diſſenſio. 13
Rationis ope omnia homo, etiam ardua exſicatur. 43
Rectum etiam eſt, quod rectò proximum. 51
Recti ſimul, & obliqui eſt index. 2
Remedia difficilia vt in uſum venerint. 65
Remedia et ſi aliquando lethalia, non tamen ideò planè ſunt abolenda. 81
Reſpiratio fit per os abuſiuè. 20
Reſpiratio eſt incommodiſſima, & quando neceſſaria. 10.34
Reſpiratio quæ damna pariat. 20.34
Reſpirationis primum inſtrumentum eſt naſus. 19.20.31
Reſpirationis cautelæ mirabiles. 19
Rhyadij affectus occaſio. 70
Riſus ex quo deprehendantur indicia. 4
Roberti Antiſidorienſis hiſtoria. 18
Rotundum ab iniurijs eſt remotum. 38
Ῥώθωνες. 4
Rubedinis in partibus cauſa. 36
Ῥυάς vnde procreetur. 67

Sacerdotibus Hebræis cur auricula dextra ſanguine arietis tacta fuerit. 37
Saliua affluuium quam ſit turpe, & quibus caueatur. 34
Salubris pars eſt medicinæ, & quæ eius ſubdiuiſio, quod munus. 14
Sanguis eſt ruboris in partibus ſedes. 36
Sanguis in magnis vulneribus vt commodè frenetur. 53
Sanguis Vere potiſſimum gignitur. 58
Sanguis nullibi in corde extra ſua uaſa eſt conſtitutus, alias extra ea effuſus putreſcit. 91

Sanguis vitalis alit. 93
Sanguis tenuiſſimus eſt, & facilè, quæque ſubit. 93
Sanitas quid ſit. 14
Sanitas quotuplex. 41
Sanitas cauſa eſt bonæ actionis, forma. 40
Sanitas eſt Medici finis præcipuus. 40
Sanitatis diuerſa conſideratio. 41
Sanitatis cauſæ. 54
Sanitatis rationes reddere debet Philoſophus. 40
Sanitatem vt rectè tueamur reparemus. 42
Supor in humido fundatur. 20
Sarcocele vt auferatur. 75
Scamnum Hippocratis. 80
Scarabęis cur oculi in ceruice ſint ſiti. 7
Scientiarum Organum ſunt aures. 36
Scientus capeſcendis cur aptior ſit auditus, quam viſus. 36
Scolopomachęrij vſus. 65
Scolopomacharij periculum. 66
Soroti laxitas vt nominetur, creetur, curetur. 8.30
Sella cerebri, quę quidve pręſtet. 23
Senectutis noxæ ſunt infinitæ. 56.57
Senſuum omnium ſedes eſſe in facie. 2.9.11.13.16
Senſuum omnium munus. 11
Senſuum omnium organa cur ſint tam à genitalibus diſſita. 13
Senſus omnes cur obuelentur a Natura. 29
Senſuum organa cur omnia ſint gemina. 38
Senſus organum ſenſili ſuo eſt ſimillimum. 20
Senſus organum, vt partibus impertiatur. 92
Senſus organum quando non neruis ad ſui participationem indiget, conſiſtit in exquiſita Qualitutum omnium temperie. 92.93
Senſus organum, cur difficulter reparetur. 93
Sentientes partes neutiquā doloroſe ſunt tractandæ à Chirurgis. 71
Sentientis facultatis in partibus origo. 89.90
Senum facies. 14
Sermo mentis eſt interpres. 33
Sermo quibus inſtrumentis exprimatur. 33
Sermo ut fiat. 21
Sermo ut corrumpatur. 22
Sermo clareſcit magis ob nares, & quomodo. 21.22
Sermonis materia eſt uox. 21
Sermonis literæ. 22
Sermonis & intellectus cognatio. 33
Scaturigo eſt mens. 33
Sexus quò dignoſcantur. 4.7.12
Συνθετικὴ *Medicinæ pars, & eius munus.* 41
Siccitas cum calore partium unionem iuuat. 55
Signa quæ ſint manifeſtiora. 9
Signa ex facie in morbis deſumpta ſunt certiſſima. 14
Singręi iuuenis hiſtoria. 38
Sobolis procreatio, uiuenti eſt naturaliſſima. 80
Socrates ſeria iocis ſemper miſcuit. 11
Somni uis. 1
Spermaticæ partes ſemel amiſſę non reſtituuntur. 90
Spiritus Animalis, vbi fiat, & ex quo. 32
Spiritus Animalis Vitali longè eſt tenuior. 92
Spiritus animalis quia tenuiſſimus eſt, citò diſſipatur, Vitalis non item. 92
Spiritus uitalis ſemper cum ſanguine deſertur. 92
Staphyloma Oculi, vt excindatur. 68. & 69
Staphyloma oculi quam ſit periculoſum, & eius incommodu uariu. 69
Steatoma proprium habet folliculum. 68
Stephani Gourmelij de curtis decretum. 63
Sternutatio quid ſit, & vbi fiat. 20
Strumę vt ſecundum Paulum eximantur. 67
Strumæ proprium ſemper habent folliculum aliæ ſunt canceroſę, alię benignæ, & hę vt eximantur earum ſedes, & modus generandi, & difficilis admodum curatio 68
Struthio camellus utrinque ut homo cilia habet. 3
Strabones. 3
Subocularia. 4
Superbia hominum. 5
Supercilia unde dicantur, & ubi conſiſtant, cur apud Poetas faſtum ſignificent. 3
Superciliorum pili quid pręſtent. 37
Surculi diuerſi, vt mutuo ſibi poſſint inferri. 44
Surditas vt aliquo modo corrigatur. 37
Suturę quandò facilè rumpantur. 86
Suturæ Chirurgicæ, vt, & cur fiant cur profundæ etiam per carnem ſint.
Suturæ agglutinantes uariant pro varietate vulnerum. 52
Suturæ
Suturæ ſiccæ uſus, & tempus adminiſtrandi. 53
Sutura acubus incuruis molienda, quam ſit truculenta. 86
Suturu contentiua, vt & quando ſit uſurpanda. 53
Sutura interſciſſa quæ ſit, & quando adhibeatur.

tur. 52
Sutura pinnata quando, & quomodo fiat. 52. 53
Syncopes in operationibus Chirurgicis uis inſignis, & cauſa. 83.84

T

TAbis in corpore, & membris cauſa. 50
Tabis ſubitaneæ cauſa eſt, tenuitas rei. 51
Tactus Organum, temperatum eſſe oportet. 89
Tactus à quo reddatur, aut acutior, aut obtuſior. 89
Τάρσοι. 3
Taurus cur cornua gerat. 5
Temperamentum totius facie dignoſcitur. 13
Temperamentum eſt duplex. 54
Temperamenti diuiſio ſecundum Arabes. 54
Temperamentum quod nam curtorum reſartioni commodum ſit, quod verò minus. 54. 56. 95
Temperamenta vt ad medicum attineant, & Philoſophum. 40
Temperatorum vis eadem penè eſt in omnibus hominibus, & cur. 59
Temperamenti εὐκράτυ ſumma utilitas norma eſt actionum medico. 54
Temperamentum calidum, & humidum poſt εὔκρατον eſt præſtantiſſimum. 55. 56. 93
Temperamentum calidum, & humidum statim partes redintegrat. 93
Temperamenti bilioſi præſtantia, commoditas, & incommoditas in vniendis partibus. 55. 93
Temperamentum frigidum, & humidum cur tantopere unioni obſtet. 55
Temperamentum frigidum & humidum cur tantopere obſtet partium refectioni. 93
Temperamentum melancholicum potius eſt ad vnionem partium, quam Phlegmaticum, & in quo ei obſit, & conueniat cum hoc. 96
Temperies functionum præcipuum eſt inſtrumentum. 92
Temperiei forma nos latet. 50
Temperiei uariatio tactum acuit, aut hebetat. 89
Temporum ſitus ac nomen. 2
Temporum oſſa cur ſint cauernoſa. 25
Tempus à tempore differt. 54
Tenuitas in rebus eas citiſſimè facit tabeſcere. 53
Teſtes quid agant. 13
Teſtes partes ſunt principes, & cur citra uitæ metum non poſſint ſecari. 76
Teſtium cum veretro reſectio quibus adhibeatur. 79
Teſtium amputatio in humanitatis plena eſt. 80.
Teſtudinibus cur oculi, in ceruice ponantur. 7
Θεραπευτικὴ Medicinæ pars, & eius differentiæ. 41
Tibia cur minimè ſit commoda pro curtorum reſectione. 89
Tonſillæ uoci, ac ſermoni famulantur. 33
Τράγος aurium. 5
Triſpaſtum Apellidis 80
Tractorium organum Nymplodori. 80
Tumori uentris ex crapula, vt ſit Medendum. 1
Tunica cornea oculi ἀραχνοειδὴς. 6
Tunicæ Narium ortus, ſitus, uſus. 31
Turcæ vt Eunuchos faciant. 79

V

VArices qui dicantur locus & reſectio eorum ex cruribus ſecundum Aeginetam, & Celſum. 73
Vaſa ſpermatica cur ſint tortuoſa. 32
Vaſorum triplex eſt genus in noſtro corpore. 90
Venæ hepati famulantur. 6
Venæ corporiſi noxiæ, vt auferendæ ſint, quantaque id fiat cum moleſtia. 73
Venæ deperditæ quando regenerantur, unde, quomodo. 90
Venæ in minutiſſima capillamenta per cutem diſperguntur. 91
Venæ habent mutuas cunctæ ἀναστομώσεις. pagina. 92
Venæ etiam maiores diſſectæ facilè uniuntur, & quomodo. 91
Venæ cauæ diſſeminatio. 16
Venctarum ciſternarum colatio. 25
Venter imus regio eſt omnium in corpore abiectiſſima. 9
Ventris imi, & medij connexio cum facie. 15
Ventris eructatio quò fiat. 15
Ventriculi coctio vt euertatur. 26
Ventriculorum cerebri ſitus eſt depreſſus. 29
Ventriculorum anteriorum poſitio, numerus, & uſus ſingularis. 32
Ventris inferioris vulnera vt ſuantur. 53
Ver curtorum reſtitutioni eſt accommodatiſſimum, & cur. 58
Ver ſanguinem generat: & eius temperies. 58
Vermes quibus enecentur. 69

Vermes unde oriantur. 70
Vermis cutaneus vt generetur, & ſanetur. 70
Vertex capitis vbi ſit. 2
Vertigo Arteriotomia curatur. 65
Veſalius impugnat falſo Galenum de emiſſarijs cerebri. 23
Veſalius notatur. 25.26.27
Veſalius cur errarit tantopere. 26.28
Veſalij de curtis reſarciendis ſcriptum. 63
Veſica læſa conuulſiones, ac mortem infert. 78.79
Veternoſorum ſymptomata in facie. 14
Veterum in medicina facienda ſeueritas. 64
Veterum in reſtituenda ægro ſalute ſolertia. 66
Veterum ſolertia in corporis decore ſaluando. 67
Veterum operationes aliquot Chirurgiæ atrociſſimæ. 70.71.72
Veterum operationes Chirurgicæ cur nunc deſuerint. 72
Veterum ſcripta vt ſint legenda, nec omnibus iſtis facilè eſſe credendum. 82
Victus liberalior vires reficit. 1
Vigiliæ curatio. 1
Vires abſumptæ vt curentur. 1
Viri dignitas in quo conſiſtat, & præſtet fœminæ. 12
Virtutis organum eſt Auris. 36
Viſcera obſtructa vt deobſtruantur. 1
Viſcera ſunt tria quæ corpus omne moderantur. 15
Viſio quando obſcuretur. 27
Viſus neruos habet ampliſſimos. 20
Viſum vt natura mirificè tueatur. 32
Viſus quantopere omnibus ſenſibus antecellat. 36
Viſui in quo auditus præſtet. 36
Viſus inſtrumenta vbi. 6
Vitalis facultas ſemper vna cum naturali reſtituitur: & earum cognatio maxima. 93
Vitalis ſanguis nutrit. 93
Vita communis vt bene ſit inſtituenda. 2
Vita actione ſuſtentatur. 38
Vitæ amor inſignis. 64
Vita in partibus cauſa. 90
Viuenti naturaliſſima eſt ſobolis procreatio. 80
Vites duobus modis inſeruntur. 44
Vlcerum cauſa. 55
Vlcera vellicantia unde producantur. 71
Vlcus cauum, & ſinuoſum vt ſit deligandum. 52
Vlna cur nequeat pro cute traduce eligi. 48.49
Vngulæ Ruſi. 4
Vnionem planè ſubuertit Cacochymia. 56
Vnionem planè ſubuertit ſenectus. 57
Vnionem calor cum ſiccitate maturat. 55.59
Vnionem tardat humiditas, & frigus. 55.56
Vox cur Græcis αὐδὴ dicatur. 5
Vox clarior, & ſuauior euadit ob nares, & cur. 21.22.
Vox vt fiat. 21
Vox vt uarietur. 21.22
Vox materia eſt ſermonis. 21
Vox ſedes eſt orationis. 21
Vocis inſtrumenta quæ quot, & qualia. 22.23
Vſus vt ab actione partis differat. 6
Vulnera colli & faciei, vt ſint liganda. 52.53
Vulnera amplæ vt commode conſuantur. 52
Vulnera profunda, lacera, leuia, uentris inferioris, vt commode conſuantur. 52.53
Vulnera commode Vere, minus æſtate, minime Autumno, aut Hyeme conſolidantur. 58
Vulnerum differentiæ variæ, vt uariæ ſint conſuendæ. 52
Vulnerum coalitum, quæ iuuent, & accelerent. 54.55.56.
Vulnus etiam leuiſſimum partis temperiem lædit. 49
Vulnus rectum vt ſit faſciandum. 52
Vulnus carnis hians, infibulandum potius, quam faſciandum eſſe. 52
Vultus quid ſit. 9
Vultus unde dictus, quid poſſit, & cur uaria eius deſcriptio. 9
Vultus animi eſt index. 9
Vultui hominis non fidendum eſt: quia fallax. 9
Vuluæ coalitus, vt reſerandus: item Nympha, Phymus, cauda: & cur hæc operatio ita ſit periculoſa. 70

X

Ξυστὴ vel ξύστριον *aurium.* 5

Y

Ὑγιεινὴ *Medicinæ pars.* 40.41
Ὑπώφρυον. 4
Ὑπώπια. 4

INDEX RERVM, ET VERBORVM, QVAE IN SECVNDO CONTINENTVR LIBRO, MEMORABILIVM.

A

ACTIO nulla ſine inſtrumentis perfici poteſt. 2
Actio quomodo probè perficiatur. 27
Actio quantum diſtet à rei contemplatione. 1
Actio omnis negligentia, & temeritate uacare debet. 1.27
Actio noſtra ſcopis dirigitur, qui prius ſunt diligenter ponderandi. 2
Actionis dignitas quò æſtimetur. 41.50
Actio dignior ea eſt, quæ maiori cura obitur. 41. 50
Acus quot, & quæ, & quomodo inſitione curtorum ſint adaptandæ. 44.45
Adoleſcentiæ uer ſimile eſt. 23
Adoleſcentia cutis traducis quæ ſit. 38.42
Aegyptiaci vſus, & compoſitio eius perfectior. 22
Aeſtas iuuentuti reſpondet. 23
Aetas uirilis cutis brachicæ quæ ſit. 38.42
Aetas uirilis quam eius implatantioni ſit aptiſſima. 43
Aetates traducis quæ ſint: & cur in has illa diſtribuatur. 38.42
Agricolæ ſcopi in ſerendis diuerſæ naturæ arboribus. 2.3
Agricolæ quæ incumbant agenda. 13
Alarum naſi determinatio gemina. 75
Albumina ouorum in vulneribus, vt, & quando ſint amouenda. 18
Alui conſtipatio quantum obſit belioſis. 6
Alui deiectio à bile irritatur. 6
Anaxarchi diuina in tyrannide perferenda uirilitas. 65
Animalia multa cur homine ſint viuaciora. 41
Animi paſſiones quantum corpus frangant. 63
Animi paſſiones ut ſedentur. 63.66
Animus triſtis ſolitudine magis carpitur. 66
Apex traducis inſititius quis ſit. 34
Aranearum tela qualis nam conglutinet. 60
Arbores multæ cur homine ſint longæuiores. 41
Arbores quæ differentis ſunt naturæ, vt ſibi inuicem inſerantur. 2
Area in curtorum Chirurgia quæ dicatur. 30
Areæ vulnus ut ſit ſanandum. 34.35.69.70
Areæ vulnus cur exiccantibus validioribus, quam traducis vulnus ſit ſanandum. 35
Area cur vlcuſculis ſæpè erodatur, et vt hæc curentur. 36
Area cur vlceribus nonnumquam excauetur, ac horum medela. 37
Areæ ſymptomata diæta potius, quam Pharmaco corrigenda ſunt. 37
Arma pacis ſunt miniſtra. 3
Arnogloſſi ſingularis in partibus conſolidandis efficacia. 60
Ars quid ſit. 26
Ars vt augmentata fuerit. 27
Arteriæ diſſectio quam ſit periculoſa. 91.92.93
Arterys vulneratis quomodo ſanguis ſit frenandus. 93
Artifex is bonus, qui opus tum perficit, tum conſeruat. 3
Artificis officium. 26
Artis dignitas in quo conſiſtat. 41
Aurium curtarum inſitio quam proximè adnarium reſartionem accedat. 86.93.94
Aurium curtarum inſitio quantum ab hac, & labiorum refectione dignitate vincatur. 86
Aurium curtarum inſitio quot, & quibus potiſſimum perficiatur. 91.92
Aurium curtarum adaptatio quo apparatu, & quibus inſtrumentis opus habeat. 92
Aurium curtarum propago vnde petatur. 91.92
Aurium curtarum propago cur maior portione deficiente eligenda ſit. 92
Aurium curtarum reparatio, vt à cæterorum reſtauratione diſcrepet quam ſit facilis: cur tã ſit cito expedienda: & quæ adiuncta habeat ſymptomata. 91.92
Aurium curtarum refectio quibus faſcijs opus habeat: vbi hæ ſint admouendæ: earumque partes, ac ſcopi duò ſunt. 92
Aurium curtarum tradux cur una opera, quomodo, ac quo ſtudio delineandus, eximendus, curtiſque adaptandus. 91.92.93
Aurium curtarum tradux cur ſimulatque excinditur

Digitized by Google

ditur ſanguis ſit cohibendus, ac quibus. 93
Aures curtæ cur, ac quantum excoriandę ſint. 93
Auribus curtis aſſuto traduci vt medendum ſit: quæ conueniat diæta, quibus inflamatio caueatur: & quando ſtuppæ ſint amouendæ. 93.94
Auribus nouis, & traducis areę quamdiu ſuppurantia ſint adhibenda, vt hic in callũ excoquendus, & quibus, vtque efformandus. 94
Aures nouæ vt in ſede ſua naturali ſint continendæ, ac quantum huic rei præſtent operæ pulluli varij. 94

B

BArba cur in curtorum inſitione ſit detondenda, & quantum eam impediat. 44
Bilis unde augeatur. 5
Bilis vt demulcenda ſit, ac præparanda. 6
Bilis alui deiectioni commodat. 6
Bilioſis officit uenus, & alui conſtipatio. 6
Bilioſum temperamentum quid ſit. 5
Bilioſum temperamentum vt corrigendum. 6
Brachium quot uaſis ſcateat. 11
Brachium quamdiu pro inſitione traducis capiti affixum detineatur. 44
Brachium quot motibus agitetur. 47
Brachium cur ob poſitum in inſitione curtorum multoties doleat, & quam is ſit uiriliter ferendus. 65.66
Brachium vbi præcipue doleat, & cur homoplatę, non item humerus doleat. 66.67
Brahium quando, & quibus mitigetur. 65.66
Brachij poſitus in curtorum inſitione qualis commodus ſit. 46.51.66
Brachij poſitus in curtorum inſitione doloris expers. 46
Brachij poſitus cur, quo ordine, ac quot faſcijs ligãdus, vt immotus perſtet. 46.47.48.51.58
Brachij poſitus quantum conſolidationi inſitorum conferat. 46

C

CAcochymia Gangrenæ cauſa eſt. 22
Cacochymia inueterata rarò curatur. 8
Cacochymum corpus quam ſit detrimentoſum 8
Cacochymum corpus vt ſit corrigendum. 5
Cæſaries cor, quomodo, quando dum inſitio cutis m olienda, abradenda ſit. 43.44
Calida benigna Gangrænam cauent. 26
Callus quid ſit, & vt inducatur parti. 38
Callus uda reſpuit. 40
Callus iuſto durior vt emoliatur. 40
Callus cur partibus, aut plantis ſemel coadunatis difficilior ſit ruptu, reliquo corporis conformatio. 59
Caloris ui partes ſentiunt, & viuunt. 21
Calor vt opprimatur. 21
Calor in traduce vt pene emortuus reſuſcitetur. 40
Caloris innati ſubſtantia, & uigor, & quid à frigore perpetiatur. 71
Calor innatus fractus, quo pacto redintegretur. 72.74.75
Caro in vulneribus, vlceribus, ac curtis inſitis flaccida, mollis, ſpongioſa vndè gignatur. 35.65.64.
Caro flaccida in vulneribus, vlceribus genita quibus auferatur. 35.64
Caro flaccida vt auferatur quo victu vtendum eſt. 36
Caro in naribus nouiter formatis exuberans cur, quomodo, quando, vbi & qua diligentia ſemper ſit auferenda. 77
Corpus quare doleat in inſitione curtorum, eiuſque diuerſa à ceteris partibus conſtructio. 67
Caſſia bilioſis competit. 6
Caſſia nocet plurimum frigidis, & humidis, flatus excitat. 6
Centaurium minus feliciter etiam magna vulnera connectit. 60
Cerata præſtantiſſima, quæ deperditum in partibus calorem reſuſcitant. 74.75
Ceratum ex ceruſſa cicatrices decoras infert. 88
Cerati ex ceruſſa uis ſingularis, ac vſurpandę tempus. 60
Cerebrum per nares expurgatur. 54.61
Chirurgiæ actiones non certis horis, ſed pro natura rei determinantur. 29.40.77
Chirurgiæ operatio quò potiſſimum impediatur. 29
Chirurgicis operationibus cur matutinum tempus ſit aptiſſimum. 50.51
Chirurgo cur ægri ante omnia corporis temperies ætas, tempus anni &c. conſideranda ſint. 4
Chirurgo operanti aptior eſt diei quam candelæ lumen. 40
Chirurgo in vulneribus uniendis quæ meta propoſita eſſe debeat. 89
Chirurgum plurimum iuuat habere inſtrumenta expedita. 30
Chirurgus cur ſemper venuſtati in primis partium inuigilare debeat. 90
Cicatrices fœdas quæ procreent, & tollant. 85
Cicatrices pulchras, vt chirurgus poſſit inducere. 89
Cicatrix cur partibus vnitis ita nonnumquam ægrè inducatur. 62.64.69.78
Cicatrix quando & quibus venuſta in curtis inducatur. 69.74
Coalitus partium quouis anni tempore perficitur. 41

Coali-

Coalitus quomodo naturæ ſimul, atque artis opus ſit. 49.54.89

Coalitus quibus iuuetur, aut tardetur. 54. 61. 62.63.69 90

Coalitus partium arctior eſt, quam naturalis prius erat copula. 59

Coalitus quibus diebus, & quo in loco citius plerumque compleatur. 61.62.81

Coctio in corpore quæuis extirpat uitia. 8

Columellæ inſerendi modus nouus. 2

Columna narium vt ſit indaganda. 76

Columna naſi quæ, & vbi ſit. 75

Columna pro naſo nouo cur largior iuſto ſit in traduce ſemper incidenda. 76

Columnæ naſi munus. 76

Columna robuſta cur & ampla eſſe debeat. 76

Columna naſi cur, aliquando contracta marceſcat. 78

Columnæ ante inſitionem quæ præparanda ſint. 7

Columna quando ſit inſerenda: & cur tunc non effor metur ſimul. 78

Columnæ inſitio quæ requirat instrumenta: & quando, cur, quomodo, & quali forpice ſit utendum. 79

Columnæ baſis quam difficulter efformetur: et cur ea pars prius forpice idoneo ſuſpendenda ſit. 79

Columna cur baſi lata indigeat. 76

Columnæ locus cur prius ſit excoriandus. 79

Columna cur acubus incuruis ſit aſſuenda non rectis. 79.80

Columna cur non aſſuenda ſit ſuturis nec rectis, nec tranſuerſis et quam ægrè hæ per baſin tranſmittantur. 79

Columnæ inſitio quot actus, quæue alia ad hoc opus neceſſaria exigat. 79.80

Columnæ inſitio quandò firmiter adoleſcat. 81

Columnæ baſis ſuſpenſa quibus cultris, & cur forpice aliquando, quomodo, quouſque quantum ac cur plus ſit ſecanda. 80

Columnæ baſis ſutura cur prius præcindatur, quã ipſa columna. 80

Columna vt baſi vulneratæ ſit aſſocianda, aſſociata vlterius curanda: quo uictus regimine obſtringendus tunc ſit æger. 80

Columnæ aſſutæ quales curandæ ſint inſigenda. 80.79

Columnæ aſſutæ futuræ quando ſint laxandæ. 81

Compoſitum non eſt præter ſimplicia. 91

Confuſio errorum mater eſt. 43

Conſuetudo ægrè immutatur. 5

Contrarijs iuxta ſe poſitis magis illuceſcit ueritas. 26

Corpora noſtra à quibus neceſſario immutentur. 4

Corpora frigida ut ſint curanda. 7

Corpus quantum eneruetur ab animi paſſionibus. 64

Corpus quantum lætitia reficiatur. 64

Corpus calid. & ſicc. quibus medicamentis ſit tractandum. 6

Corpus in quo curta reficienda quale eſſe debeat. 4.9

Corpus à quibus immutetur. 4.42

Corpus vt corrigendum prius. 5.6.7.8.9.22

Corpus ut collocandum ſit. 10.11

Corruptio cita citam generationem arguit. 41

Cruditas omnium morborum eſt mater. 8

Cucullus quam arctè capiti pro inſitione traducis ſit adaptandus: & quæ ei obſtent. 43.44

Cuculli deſcriptio. 47

Cuculli utilitas, & applicandi modus. 48. 51

Cucurbitulæ ſcarificatæ uenæ ſectionis vicem gerunt. 24

Cultri qui, quales, quotque curtorum inſitioni deſeruiant. 44.51

Curatio duplex eſt, victus ſcilicet & remedia. 4

Curatio nulla rectè perfici poteſt neglecto corpore. 4

Curatio omnis inanis eſt, niſi vitæ habeat regimen ſocium. 58

Curationem uariat uariatio cauſarum. 4

Curantur difficulter ea, quæ diuturna fuere. 8

Curtorum Chirurgia cur tam ſit benigna. 1

Curtorum chirurgia cur à veteribus non fuerit tradita. 27

Curtorum Chirurgia arborum inſitionem æmulatur, quos, quotque indè ſcopos deſumat. 2. 3. 34.73

Curtorum ſcopi quo ordine ſibi ſuccedant. 2.3.40

Curtorum Chirurgia iu quo excellat inſitionem, & naturam. 13.40.41.49.54.73

Curtorum Chirurgia vt naturam imitari in primis in omnibus ſtudeat. 31.75

Curtorum Chirurgia qua opus habeat ſolertia. 4. 10.11.13.15.26.27.33.37.41.42

Curtorum Chirurgiæ quæ competat uictus ratio, & quæ aliarum rerum non naturalium conditio. 5

Curtorum Chirurgia duobus miniſtris indiget. 9

Curtorum Chirurgia duo miniſtri quales eſſe debeant, quidve incumbat iis. 9.32.64.70.

Curtorum Chirurgia quis locus commodus ſit, quod ſtratum, & qui aer. 10.11.17.32

Curtorum Chirurgiæ quæ inſtrumenta commoda ſint. 13

Curtorum Chirurgiæ qui apparatus ſit commodus. 13. 14

Curtorum Chirurgiæ quis ligandi modus idoneus ſit. 14.16.17

Curtorum Chirurgia finis vltimus. 3. 14.15.73

Curtorum Chirurgiæ finis quomodo remoretur. 3. 33.38.84.

Curtorum Chirurgia multum à lue Gallica impeditur. 5.9.21.22

Curtorum Chirurgia multum impeditur à Plethora utque hæc tollatur. 5.22

Curtorum Chirurgia cur pharmacia potius lædatur, temperamentoque calido, & ſic. 5
Curtorum Chirur. finem ſuum partim ex ſe partim natura cooperãte aſſequitur. 41.42.49.73
Curtorum Chirurgiæ, & naturæ inter ſe collatio. 73.74
Curtorum Chirurgia laus, & dignitas in quo fundetur. 41.42.74.73
Curtorum Chirurgiæ quantis ſit expoſita calumnijs. 4.21.22.
Curtorum inſitio longè naturam ſuperat. 41.54.73
Curtorum inſitio quibus adiuuetur, ac promoueatur. 13.46
Curtorum inſitio quam cum alijs Chirurgicis operibus collata leuem dolorem comitem habeat. 66.67
Curtorum inſitio omnes reliquas curtorum operationes dignitate, & difficultate ſuperat. 9.40.49.50
Curtorum inſitionis cum illis collatio. 40.41.49.54
Curtorum inſitio in duo bipartitur tempora. 63
Curta inſita quomodo ritè uniantur quantum ei ueſtitus commodet inſititius, vtque, ac quando hic ægro ſit induendus, cur dolorem aliquoties procrearit. 46.47.55.48.51.67
Curtorum unio naturæ accepta refertur, at decora, & congrua arti, & cur. 49.50.54.59.73.89
Curtorum unio cur tot ſubdita ſit moleſtijs, ac difficultatibus. 54.61
Curtorum vnio quibus inhibeatur. 67
Curtorum vnio quibus maturetur. 69
Curtorum conformatio longè leuior eſt, quam eorum inſitio, & cur. 50
Curtorum conformatio hæc naturę illa artis eſt. 73
Curtorum labiorum, aurium, narium Chirurgia in quibus eadem ſit. 86
Curtis vt uenuſta cicatrix obducatur. 50
Cutanea propago quę dicatur. 16
Cutis tradux antè omnia eſt ſeligenda curtorum reſectori. 3.9
Cuti traduci quis neceſſarius ſit apparatus. 9.15
Cutis traducis area quæ ſit, & vt curanda. 29.30.33.69.
Cutis traducis, & brachij varia comparatio. 31
Cutis traducis nomina varia vnde hauriantur. 34
Cutis traducis partes item, & circunſcriptio. 34
Cutis traducis apex quis ſit, quæ radix, quod corpus, quæ confinia linearia ſeu labia. 34
Cutis traducis ætates ſunt quatuor, & cur ei tribuantur, earumque dignotio. 38.42.
Cutis traducis cur tot ſubeat mutationes. 42
Cutis brachicæ quanta ſit à narium cute, quò ad temperiem differentia. 54
Catis brachicæ quanta ſit à narium cute, quò ad quantitatem differentia. 54
Cutis inſita vnde commeatum recipiat. 68
Cutis traducis vt ſit incidenda. 11.15.72.16
Cutis traducis quam diu, & qua induſtria ſit deliganda. 3.15
Cutis tradux inciſa cur contrahatur ſemper, & imminuatur. 12.16.32.38.72.76
Cutis traducis quanta ideo pericula immineant. 29.39
Cute traducis reſciſſa quid ſuperſit Chirurgo agẽdum. 3.11.13.14.16.33.34
Cute inciſa traducis cur tantopere motus ſit vitandus. 11.15.50.58
Cute inciſa traducis ſtatim ſanguis ſiſtendus eſt. 11
Cute traducis inciſa vt humorum fluxus caueatur. 12.17.18
Cute traducis inciſa vbi repellentia potiſſimum ſint ponenda. 12.20
Cutis traducis ſectio cur hæmorrhagiæ ſit obnoxia. 12.11.16.23
Cutis traducis ſectio cur larga eſſe debeat. 11.13.15
Cutis traducis largior ſemper, non æqualis curtis. 32.72.
Cutis traducis cur diſgreganda ſit à ſubiectis partibus. 13.15.16
Cutis traducis delineatio ac inſitio quanta cura, ratione, ac attentione Chirurgi indigeat, & cur. 15.26.42.50.54.55.56.58.72
Cutis traducis delineatio baſis eſt totius operis. 15.16
Cutis delineandę vt quantitas æqua ſit inuenienda, & quis eam ſit delineandi modus. 15.16
Cute delineata vt linteum ſit trayciendum. 16
Cutis delineata ut ſit faſcianda. 17.21
Cute delineata vt linteum ſit iterum eximendum. 19
Cutis abſciſſa iam item vt ſit faſcianda. 30.33.39
Cutis delineata vt ſit collocanda. 17.26.33.34
Cutis delineata quæ conueniat victus ratio. 18.20.26
Cutis delineata in optimè etiam conſtitutis diligentem poſtulat rationem. 26
Cute delineata à vino abſtinendum eſt, & quamdiu. 20
Cutis delineata quibus ſymptomatis diuexetur, et quod eorum ſit peſſimum. 21.29
Cutis delineata vt ab inflãmatione ſit præſeruanda, & vt humores qui affluxerunt, ſint auferendi. 18

Cur-

Cutis delineata cur inflammatione, quando, et in quibus tentetur, utque ea curetur. 22.23
Cute delineata quę ſuppuratio ſit molienda. pagina 18.26
Cutis delineatę mortificatio, ut et quibus cauſetur facilè. 17.21.22.29.39.40.42
Cutis delineatę mortificatio ut cognoſcatur. pagina 22.34
Cutis delineatę mortificatio ut curetur. 21.22. 29.39.40.42
Cutis delineatę mortificatio ut pręſeruetur. 21. 3940
Cutis delineata enecata quibus medicamentis, & victus ratione opus habeat. 22
Cute inciſa hęmorrhagia cur, & quando irruat, et ut obturetur. 24.25.56
Cute inciſa an huic potius, an uero Gangręnę impendenti ſit occurrendum, & utrique citra noxam. 25.26
Cute inciſa quamdiu pręcautio utriuſque ſit habenda. 26
Cutis traducis cur diſtinctis, & non uice potius vnica excindatur, et delinetur. 28.29.42
Cutis traducis quando nam ſit cxeindenda. pagina 29.30
Cutis traducis quomodo ſit excindenda. 30.32. 37.72
Cutis traducis ex quo loco ſit excindenda. 31
Cutis traducis cur ex brachio potiſſimum ſit deſumenda. 31
Cutis traducis quam ſit, ſi pręcipitanter reſcecetur, periculoſum. 29
Cutis traducis vbi pro labro inferno reficiendo ſit excidenda. 31.32
Cutis inciſio duobus poteſt modis inſtitui. 32
Cutis inciſio obliqua eſt potiſsimum neceſſaria. 32 72
Cutis tradux reſecta cur tam ſit ſedulò ſemper explicanda, collocanda, eligenda præcipuè. pagina 33.39
Cutis reſecta quibus ſymptomatibus torqueatur. 38
Cutis reſecta ſymptomata quando potiſſimum remittuntur. 29
Cutis traducis vulnera ſunt duplicia, & vt ſint curanda. 34.35.37
Cutis traducis vulnera noua, & vetera, vt ſint curanda. 35
Cutis traducis vulnera noua, & vetera quando, & quamdiù ſuppuranda, & quæ huius à priori cutis ſuppuratione ſit differentia, & quando cicatrici opera ſit danda. 35
Cutis traducis reſciſſa vnde craſſeſcat tantum. 29.35.37
Cutis tradux duplicem habet ſuperficiem, & vtra curtis ſit applicanda. 31.34
Cutis traducis reſecta cur, & quibus callo ſit obducenda, quoque ſtudio. 37.38
Cutis traducis cur prius labia confinia occaleſcant. 38
Cutis traducis reſectæ quæ radix. 38.40
Cutis traducis recta quando ſit inſerenda curtis. 37
Cutis inſitio cur in eius minimè ſenectute ſit attentanda. 43
Cutis traducis reſecta cur parcius nutriatur? pagina 38
Cutis traducis reſciſſa quando tabe emacietur, & cur. 39.40.41.42
Cutis traducis reſciſſa cur vlcuſculis mox erodatur, & vt hæc caueantur. 39
Cutis traducis reſciſſæ vlcuſcula vt abigantur. 39.40
Cutis traducis inſitio non indiget certo anni tempore. 40.41
Cutis traducis quo cælo, qua diei hora, quave ſui ætatę ſit tranſplantanda. 41.42.43.50.51
Cutis tradux cur vitiata eius coctione non ſit inſerendus. 51
Cutis traducis inſitio in quo ab arborum inſitione diſcrepet. 41
Cutis traducis inſitio cui maxime innitatur. pagina 42
Cutis traducis inſitio ſolius artis, non naturæ munus eſt. 50
Cutis inſitioni quæ, quantaque adminiculentur. pagina 43.46
Cutis inſitio quæ inſtrumenta exigat, quam forpicem, quos cultros, & ad quid hi conueniant. pagina 44
Cutis inſitioni cur plures præſtò eſſe debeant. 51. 53
Cutis inſitio quantopere cæſarie, barba, myſtacibus intricetur. 43.44
Cutis traducis inſitio caput, & brachium firmũ, ac immobile poſtulat. 43.46.47.48.58
Cutis inſitio quiete exacta indiget. 43.44.46.47. 58.63.
Cutis inſitio quam faſciam, & cur Cephalicam expetat. 44.51.56
Cutis traducis inſitio quas acus requirat, vt hæ ſint diſponendæ, adornandæ, traijciendæ. 44. 45.56
Cutis traducis inſitioni quæ acus potiſſimum medico ſint eligendæ. 45
Cutis inſitio quod linum poſtulet. 45.51.56
Cutis inſitio quod filum poſtulet. 45
Cutis inſitio quam poſtulet ſellam. 45.51.56
Cutis inſitio quæ alia neceſſaria poſtulet. pagina 45.51
Cutis inſitioni cur excoriatio curtorum ſit præmittenda. 44.51.52
Cutis inſitioni excoriatio vt, & quanta cura ſit inſtituenda. 44.51
Cutis inſitioni curtorum excoriatio quantum profit, ſemper largior, quam parcior eſt facienda,

cur

cur æqualiter quam altè, & cur oblique, n:qua quam uerò ad angulum rectum, q.ibus, q.ioti.e cultellis. 51.52
Cutis inſitionis difficultas quanta ſi:, & vnde fluat. 51. 54.60
Cutis inſitioni cur ſuturæ laxę adhibeant. r pr.ius. 45.46.56
Cutis inſitioni ſuturæ quando poſtmodum ſint con ſtringendæ. 45
Cutis inſitioni ſuturæ vbi, ac quouſque ſint inſigen dæ. 46.56
Cutis traducis inſitio cur ægro potius ſellæ inſiden te, quam in lecto recumbente ſit perficienda: & vt is ſit collocandus. 45. 51. 56
Cutis inſitio quibus plerumque interpelletur. 45. 46.50.51
Cutis inſerenda quam ſit prius accuratè commenſuranda, & inſitioni adamuſſim apparanda. 53
Cutis inſerendæ confinia vt ſint incidenda. 53, 60
Cutis inſerendę confinia cur minus exactè curtis poſſint applicari. 54.60
Cutis traducis quibus ſuturis ſit curtis aſſuenda, & vt hic à uulgari ſuendi modo differat: quantumque cum difficultate vincat. 53. 54
Cutis brachicæ ſuturæ quo ordine ſint, & ritu adminiſtrandæ, & cur non eadem, quæ in naribus curtis illarum ſeruetur diſtantia, huiuſque Mathematica demonſtratio. 55. 56
Cutis inſitæ ſuturæ quando, & vbi poſtea ſint con trahendę, qua ſerie, ſedulitate, moderatione. 56.57.58
Cutis inſitæ ſuturæ cur nonnumquam prematurè laxentur, & quando, qua lege, quęue primò diſſoluendæ ſint à medico, & de hoc Authoris experientia. 61. 62
Cutis inſitæ ſuturis coarctatis quæ ſuperſint agenda tum medico, tum ægro. 59.45.46
Cutis brathicæ ſuturæ quæ nam primò conſoliden tur, & cur, huiuſque rei, inconſtantia, & cur ac quomodo eximendæ ſint. 62
Cutis inſitæ ſuturis diſſolutis quid reſtet agendum. 62.63
Cutis traducis cum curtis connexio in quo potiſſimum conſiſtat. 55
Cutis traducis cum curtis vt connectatur. 59. 62
Cutis traducis cum curtis naribus connexio quo tempore. 61.62.68.69
Cutis traducis cum curtis naribus cur tam difficilis. 54
Cutis inſita cur foris glutinantibus ſolis, intus vero ſuppurantibus curetur, qualia hæc requirantur, & quomodo ſint admouenda. 60. 61, 69
Cute inſita quibus affluxus, ac inflammatio cohibeatur. 46.58
Cutis inſita quibus medicamentis ſit curanda. 58. 59.60.61
Cute inſita vt brachium ſit collocandum, ne dolorem inſerat, & quouſque in eo ſit poſita firmandum, quibus faſcijs 46. 47. 51. 58
Cute inſita vt faſciæ ſint applicandę, ac nominandæ: earumque inter ſe ratione vſus, varia comparatio. 49.58
Cute inſita quando faſciæ ſint ſoluendæ. 61
Cute inſita cur homoplatas potius, non humerum dolor exacerbet. 66
Cute inſita homoplatarum dolor quam ſit fortiter ferendus. 65. 66. 74
Cute inſita homoplatarum dolor quibus leniatur. 66.67
Cuti inſitæ quando cicatrix obducatur. 62. 68. 69
Cutis inſitæ cicatrix cur tantum ſæpè intra imprimis nares tardet. 62.69.78
Cute inſita quomodo æger ſit regendus, & alendus, quando victu tenui, & quando pleniori, & cur potius ſorbili. 63.64
Cuti inſitæ quænam ſymptomata inſidientur, eorumque diuiſio & cauſæ. 64
Cutis inſitæ ſuturæ cur hient nonnumquam, & quam graue hoc ſit, ac difficile curatu malum. 65
Cute inſita cur ſiti langueant ægri, vtque hæc extinguantur. 67
Cute inſita cur vigilijs exagitentur, quamque hæ ſint pernicioſæ. 67
Cute inſita, vt vigilię ſint propulſandæ. 68
Cute inſita cur, & quando renes dolore tententur. 68
Cutis inſita adnata iam, quando ab area ſit ſemouenda. 63.68.69
Cutis inſita cur non tam cito ab area ſit dimouenda, ſed ſecundo primum ſeptenario. 68.69
Cutis inſita quomodo à brachio ſit dimouenda, & quibus opus habeamus inſtrumentis, cultris, remedijs. 69. 70. 74
Cutis inſita dum exciditur, quæ tum medicis, tum miniſtris ſint peragenda. 70. 71. 74
Cutis inſita vt, vbi, quando ſit faſcianda. 70. 71. 75
Cutis inſita qualibus linteaminibus, ac quamdiu obtegenda, & fouenda ſit. 70. 71
Cutis penitus ab area reſectæ, quę competat victus ratio. 73
Cute reſecta vt brachium priſtino more ſit locandum. 71. 70
Cutis traducis reſecta palleſcit, aut albeſcit: refrigeratur ſemper, ſine tamen periculo, & cur hoc ac quando eueniat. 70
Cutis traducis cum palleſcit, aut albeſcit, num internecionis tunc adſit periculum. 71
Cutis reſciſſa cur tam facile intermoriatur, & quam illi inimicum ſit frigus externum, ac bruma.

male. 71.73.78
Cutis traducis reſciſſa vt vegetetur ab innato calore. 71.74
Cutis traducis reſciſſæ calor quibus præſidijs recuperetur. 74.75.82
Cutis traducis reſciſſa quando, & vnde robur acquirat. 74.78.77
Cutis adoptiuæ ſectio nequaquam eam potens eſt vita orbare. 71
Cutis adoptiua cur radice tenus ſit euellenda à brachio, & ſi quid illius ſuperfluit, vtrum, quando, ac quantum ſit demendum. 72
Cutis traducis quantitatem æquam inueſtigare quam ſit neceſſarium. 72
Cutis adoptata iam vt ſit curanda interim, & quamdiu extremæ ipſius oræ ſuppurantia addenda. 74.77
Cutis adoptatæ finis vltimus eſt eius conformatio, quæ in tertio potiſſimum conſiſtit. 74
Cutis adoptatæ conformatio quando ſit auſpicanda. 74.75
Cutis adoptatæ conformatio quid ſit, & eius officium, ac ſcopus. 81
Cutis adoptatæ conformationem quando tum Artifex, tum Natura aggrediatur. 81
Cutis adoptatæ conformationem quando, quibus, & quot perficiatur. 81.83.84
Cutis inſita vt ſit effingenda faſciarum operā. 75
Cutis inſita vt ſecundum quemnam naturalium modulum effingenda ſit. 75.78
Cutis pro naribus inſitæ longitudo debita vt inueſtigandæ. 75
Cutis inſitæ partes, quæ primo, quæ vltimò, & quomodo ſint delineandæ. 76
Cutis inſita, quomodo, & qua cautela ſit execanda pro columnæ, & alarum efformatione, eiuſque ſectionis diuerſa ratio. 76.77
Cutis inſita quomodo pro Rothombus rectè conſtituendis ſit cælandā. 77
Cutis inſitæ caro ibi continuò luxurians quomodo, & cur ſit exſtirpanda, eiuſque incommoda maximā. 77
Cutis traducis nunquam niſi ſedulò excauetur in decentem naſum redigi poteſt. 77
Cutis traducis crebra illa inciſione plurimum iuuatur, & quando cicatricem perfectam contrahat. 77.78
Cutis traducis conformatio ſecundo Tubulis eget, & qua præditos hos eſſe figura. 81
Cutis traducis conformationem qua magnitudine. 81.82
Cutis traducis cōformationem cur, Tubulos plumbeos eſſe, quando immittere, & cur variare oporteat, cur, ac quando argentei, vel aurei, & quam diu ſint uſurpandi. 82.83
Cutis traducis conformanda tectorio obducenda eſt, & quali, & quod, & quando, quaque longitudine donandum ſit, quæ exequatur, eiuſque ſumma vtilitas. 81.82.83.84 85
Cutis conformandæ tectorium vt colliculos alis imprimat. 82
Cutis formandæ tectorium quouſque ſit extendendū, quando panno inueſtiendum, cur ſæpius permutandum, & quamdiu in naribus geſtandum ſit. 82.83
Cutis trad. dum formatur, tectorium quibus, vt, & cur ſit ibi conſtringendum ac firmandum. 82.83.84.
Cutis traduc. dum formatur vt, & quot illi funiculi alligandi, vbi arctius id ſit contrahendum. 83.84
Cutis tectorij faſcia regia quæ ſit, eius vtilitas ſumma, & faſtidia vt ſint nonnumquam alleuiandā. 83.84
Cutis tradu. iam effecta, at decolor, vt ſit expolienda egregiè, vt fœditas iſta, ac quo calore ſolis extergatur. 85
Cutis effectæ cicatrix fœda, vt generetur, vt emendatur. 85
Cutem trad. inſerturus qualē ſe debeat gerere. 51

D

DIæta reliquis medicinæ inſtrumentis quantum præualeat. 37.58
Dignora præire alijs ſemper debent. 41
Dignora quæ difficiliora. 41.50
Difficiliora, quæ pulchra. 65
Dolor homoplatæ in brachio alligato capiti, vnde excitetur. 65.66.67
Dolor homoplatæ in brachio alligato capiti vt leuetur. 66.67

E

EMplaſtri barbari virtus, eoque vtendi modus. 60
Epulotica quando valida, & quando non adhibenda ſint, quæque ſint meliora. 35
Epulotica vt agant. 35
Error etiam inopinatus illaudabilis eſt. 26
Errorum mater eſt confuſio. 43
Experientia rationis eſt comes. 30

F

FAſcia arcta quantopere Chirurgo ſit uitanda. 17
Faſcia axillaris, quæ in curtorum inſitione commoda præbeat, & vbi prodeat. 48.51
Faſcia cubitalis quæ ſit, & vnde porrigatur. 48
Faſcia cubitalis vt ſit applicanda. 48 49.51
Faſciæ pectoralis, ac brachialis deductio, & commoda. 49.51
Faſcia regia quæ ſit, quidve commodi curtorum inſitioni præſtet. 84

Faſcia regiæ ſitus. 51.48
Ficus, vt olea ſit inſerenda. 2
Fines agendorum antequam agas diligenter ſunt ponderandi. 1
Finis opus, & conſilia dirigit. 2
Fluxiones vt inhibeantur. 24
Forceps columnalis quis vocetur, quid proſit, cumque adhibendi modus. 79. 80
Fortitudo vera in quo conſiſtat. 66
Frictiones vt hæmorrhagiam ſiſtant. 24
Frictiones vt tabi medeantur. 40
Frigus externum qua violentia partes viuentes enecet. 71
Foramina narium quę ſint elegantiora. 75
Foramina narium noua vt ſint exculpēda ſedulò. 77
Foramina narium difficilius rectè, quam res vlla alia perfici poſſunt. 78

G

Gangræna quid ſit, vnde generetur, vt cognoſcatur, & curetur. 21. 22
Gangrænę cauſa eſt inflammatio vehementior. 22
Gangrænæ vtrum præſenti potius, an verò hæmorrhagię ſimul ingruenti ſit obuiam eundum. 25. 26
Globulus naſi qui ſit. 75
Glutinantium facultas quæ. 59. 60
Goſſypium vſtum quamuis hæmorrhagiam compeſcit. 92

H

Hæmorrhagię cauſa, pericula, quando difficilius curetur, quave ætate, anni tempore, corporis temperie ſit frequentior. 23
Hæmorrhagia duplex eſt curatio. 24
Hæmorrhagia deligationibus ſępe ſolis ſiſtitur, item quiete. 24. 51
Hæmorrhagia vt à Natura coerceatur. 24. 25
Hæmorrhagię quantum, & quæ conducat victus ratio. 25
Hæmorrhagia vtrum potius, an verò ingruens parti Gangræna ſit curanda. 25. 26
Hepati cur in Cacochymia pręcipue ſit conſulendum. 8
Hiera frigidis, & humidis, conducit. 6
Hirudines quando ſint vſurpandæ. 23
Hirudines temperamento frigido, & ſicco ſunt proficuæ. 7
Hominum maxima in rebus inueniendis cæcitas. 28
Hominum opiniones vanæ vnde exoriantur. 59
Humani ingenij inconſtantia maxima. 94

I

INdorum in corporibus ſuis indurandis pertinacia. 66
Inflammatio vt caueatur in vlceribus. 18
Inflammatio Gangrænam præcedit. 22
Inflāmationis cauſę ſymptomata, pericula, curatio, diæta, & quando potiſſimum ingruat. 22
Ingenij humani inconſtantia quanta ſit. 94
Inſitio arborum, reſtitutionem curtorum dirigit. 2. 72
Inſitio arborum quos ſcopos reſpiciat, hæc quos. 2. 72
Inſitionis qui, & quot ſint ſcopi. 2
Inſitionis modus agendi. 13
Inſitionis nouus modus Columellæ. 2
Inſitioni in quo anteeat curtorum chirurgia. 3. 41
Inſitio, & curtorum chirurgia vt inuicem differant. 41. 73
Inſitus firmius trunco infigitur, quam qui huic innatus eſt à teneris ſurculus. 59
Inſtrumenta quæ ſint curtorum reparatori neceſſaria. 13
Inſtrumenta fruſtra ſunt, niſi à fine operis dirigantur. 2
Inſtrumenta varia curtorum inſitioni neceſſaria. 44
Intercipientia quæ, & qualia. 12
Interitus ſubitus ſubitam præſupponit generationem. 41
Inuenire aliquid quam ſit difficile. 28
Inuidorum hominum certiſſima merces. 90
Iſatis ſatiua quantum in partibus iungendis poſſit. 60
Iuuentuti par eſt æſtas. 23

L

LAbia traducit quæ ſint. 34
Labiorum curtorum inſitio quanta affinitate narium reparationi iuncta ſit. 86. 90
Labiorum curtorum inſitio quantum illa ſit inferior. 86
Labiorum curtorum ad inſitionem ritè obeundam quæ chirurgo molienda ſint. 86
Labiorum curtorum curatio variat pro eorum varietate, & quot eorum ſint genera. 86
Labia leporina quæ dicantur, & eorum differentiæ, ac cauſæ. 86
Labiorum leporinorum quæ ſit curatio, quam facilis, & vt ſit inſtituenda. 86
Labia leporina vt ab Ægyptis Germanicis redintegrentur. 86. 87
Labia leporina vt verè vitiantur. 86. 87

Labia

Labia leporina tum arte, tum natura curantur. 87
Labia leporina cur, ac quomodo primò ſint excorianda: quouſque. 87
Labia leporina quomodo deinde conſuenda ſint: ubi acus ſint transfigendæ: & cur ſuturæ citò ſint diſſoluendæ. 87.88
Labia leporina iam conſuta ut ulterius curanda ſint. 87
Labia leporina quibus glutinantibus intus, & extra ſint conſolidanda. 87
Labijs leporinis ut cicatrix uenuſta obducatur. 88
Labia cicatricoſa, quæ uocentur. 86
Labia cicatricoſa à quibus cauſis dependeant. 88.89
Labia cicatricoſa in quibus labijs eueniant. 88
Labia cicatricoſa quam ſint turpia, & noxia, tum ſermoni, & dentibus, tum ſibipſis. 88
Labiorum cicatr. curatio. 86.88
Labiorum cicatr. curatio quibus iuuetur. 89
Labiorum cicatr. curationis finis ultimus, ac uerus. 89.90
Labiorum cicatr. differentiæ plurimæ: & quæ faciles, quæ uerò minus curatu ſint: & quomodo adimantur. 89
Labia cicatr. ut, ubi, quantumve incidenda ſint. 89
Labiorum cicatr. callo inciſo quæ medicamenta applicanda ſint. 89
Labiorum cicatr. deligationi, ac compreſſioni quã diu uacandum ſit. 89.90
Labia uere curta ſola inſitione reparantur, et cur, eodemque quo nares tradice. 86.88.90.91
Labia uerè curta numquam, niſi narium prius inſitione aliquoties attentata refici poſſunt. 90
Labiorum uerè curtor. exiguus defectus, cur minimè compenſandus ſit à Medico. 90
Labia inſigniter mutilata reficienda ſolum ſunt: & unde trad. ſit demendus, & cur alius pro infernis, alius ſupernis labijs. 90.91
Labiorum curtorum tradux cur callo prius duro muniendus ſit, & quomodo poſtea inſerendus, quibus acubus. 90
Labiorum curtorum trad. quando à matre ſua ſit ſeparandus. 92
Labiorum curtorum trad. cur tardius coaleſcat, utque confirmandus, ac faſciandus ſit. 92
Labij ſuperni longitudo à quo conſtituatur. 35
Lætitia quantopere uires augeat. 64
Laudabilia ſunt quæ periculoſa. 41
Leoninus naſus quis ſit. 75
Lichenum remedium eſt ulmus. 60
Ligaturæ dolorificæ hæmorrhagiam curant, & ut ſint adminiſtrandæ. 24
Ligatura regia, & lateralis, ſeu catholica in tectorio noui naſi quæ dicatur, & quem uſum eius conformationi præbeat. 83.84
Linteamen cicatrizans egregium. 37
Lux diurna aptior eſt chirurgo operanti, quam candela. 10

M

MAgnanimitas uera quæ dicatur, & eius exempla. 65 66
Matutinum tempus quam, & cur Chirurgicis operationibus ſit idoneum. 50.51
Medicamenta ſunt duplicia, chirurgia, & pharmacia. 5
Medicamentis ut prudenter utendum ſit. 24
Medicinæ actiuæ ſunt partes tres, & quæ: non autem omni morbo conueniunt. 5
Medicinæ partes omnes ita cohærent, ut nequeãt ullo pacto ſeiungi. 58
Medicina nemini eſt deneganda, & cur à Deo ſit creata. 8
Medici eruditi officium. 26
Medici munus duplex. 4.5
Medico non quod debet, ſed quod licet, agendum eſt. 5
Medicum quæ ſpe ſua fruſtrentur. 4
Medicus ut medicamentis uti diuerſis debeat. 24
Mediocritate nihil eſt aptius ad operandum. 17
Melancholici offenduntur ualdè à coitu. 7
Melancholicis cur uinum incommodet nigrum, dulce, proſit autem ſomnus. 7
Melancholicorum cura qualis eſſe debeat. 7
Membrana carnoſa unde ſit dicta. 12
Membranarum eſſentia in frigiditate, & ſiccitate poſita eſt. 61
Monachi cuiuſdam hiſtoria, cui auris fuit reſarta. 93
Morbus neglecto corpore non poteſt curari, ſed augetur potius, & cur. 4
Morbus gallicus quid ſit: eius cauſa, ſigna, differentiæ, curatio. 5.8.9
Morbus Gallicus gangrænæ author eſt. 22
Morbi non ſemper omnibus tribus curatiuæ inſtrumentis indigent pro ſui curatione. 5
Mortificatio partium quid ſit. 21
Morbis uiolẽtis cur magis partes actionis effectrices infeſtentur, quam quæ ab his remotæ ſunt. 66
Mulier cur dignitate cedat uiro. 41
Multitudo, confuſionis mater eſt. 75
Maſculorum vulnera fortius exſiccantibus opus habent. 35
Myſtaces in quo curtorum tranſplantationi obſint. 44
Myxæ narium quæ ſint. 71

N

NAres cur ita frigeant. 54
Nares primum reſpirationis ſunt inſtrumentum,

mentum,& cerebri emiſſarium. 54.61
Narium differentiæ infinitæ ſunt,& quarumnam forma ſit naturalior, & ex quibus conſtitur. 75
Narium longitudo quæ ſit debita, & ut hanc in nouis poſſimus aſſequi. 75
Narium globulus quis ſit, quod ſeptum, ſeu columna, quæ alæ, & earum æqua definitio. 75
Narium quæ foramina ſint elegantiora. 75
Narium reſectio labiorum, ac aurium regenerationi Authorexitit. 86.90
Nares curtæ cur, quomodo, & quibus ante traducis inſitionem ſint excoriandæ. 44
Narium utraq; ſuperficies quantum inuicem diſſideant, & cur interna tardius, quam externa conſolidetur. 60.61
Nares cur tam difficulter cum traduce coaleſcant. 54
Nares nouæ quo potiſſimum tempore cicatrice firmentur. 62.63
Nares nouę cur ubi ritè coaluerunt, tenacius reliquis totius partibus hæreant. 59
Nares non natura, ſed arte informandæ ſunt. 3.74
Nares curtæ facilius conformantur, quam inſeruntur. 10
Narium efformatio qualis ſit. 55.74.75
Nares nouæ ut probè efformentur. 75.76.77.83.84
Narium rothones ut benè conformentur. 77
Nares nouas quantum caro eluxurians infeſtet, et cur tam ſit ſedulò ea, quomodo, ubi, quoties adimenda. 77
Nares nouæ quibus medicamentis ſint tractandæ. 77
Narium cauitas tardius, ac ægrius quam ullum aliud efformatur. 78
Narium colliculi ut in alis nouis addantur. 82
Narium inſitio, & adaptatio, cur tantis ſit obiecta difficultatibus. 54
Nares cur ſæpè mutilæ fabricentur. 72
Naſus leoninus quis ſit. 75
Naſi noui color fœdus quo Mangonio ſit corrigendus. 85
Naſus nouus quantopere apricatione in Sole æſtiuo excolatur, & quando ſit, ac quomodo inſolandus. 85
Naſi noui cicatrix inæqualis ut corrigenda ſit, & ut procreetur. 85
Natura non ortui ſolum, ſed & conſeruationi rerum ſtudet. 3
Naturæ in partibus, & conſtruendis, & ornandis induſtria ſingularis. 85
Natura in quo à curtorum Chirurgo ſuperetur. 3
Nobiliora primas ſemper tenere debent. 41
Nobiliora tardius ſemper aliis perficiuntur. 41

O

Olea ut fico ſit inſerenda. 2
Opinionibus uanis hominum quę anſa præbeatur. 59
Opus artificem, & hoc finis ſuus commendat. 3
Oxyſacchari uis eximia in ſedanda ſiti. 63

P

Paci arma famulantur. 3
Pars cutis proprię expers cur debilitetur. 12
Partes noſtræ quouis anni tempore coaleſcunt. 41
Partes ſentiunt, & uiuunt ui caloris. 21
Partes uiuentes facilè ob extremi frigoris iniuriam emoriuntur. 71
Partes diſſitæ, ubi benè conſolidentur, pertinacius quam unquam antea cohærent. 59
Partium formandarum materia, nec abundare, nec deficere debet. 3
Partium plurimi pluris uenuſtatem, quam utilitatem faciunt. 90
Pericula coniuncta operationem commendant. 41
Pharmacia quid ſit. 5
Pharmaca uentriculo officiunt, & quam à multis faſtidiantur. 37
Phlictenarum in area traducis cauſa, ac curatio. 36
Pituita ut præparetur, quibus purgetur, purganda eſt fortioribus ſæpiùs iteratis. 6.7
Pituitoſis quando uenæ ſectio obſit. 7
Plethora duplex eſt, & eius cauſa, differentia, curatio. 5
Plethora benigni etiam humoris periculoſa. 4
Porrigo unde producatur. 43
Poſca Gręcorum ut ſit paranda. 12
Poſca optimum eſt repellens in uulneribus. 12
Præcipitati uſus, & præparatio. 22
Principium omne graue. 29
Pueritia trad. quæ ſit, & eius indicia. 38.42
Puluinaria ex plumis peiora ſunt iis, quæ ex lana, aut goſſypio conficiuntur. 30
Purgantia quæ ſint, & quomodo vacuent, quantumque noceant non præſente analogo. 5
Purgantia cur in corpore cal. & ſicco mitia, & quæ eſſe debeant. 5.6
Purgantia humoribus peccantibus ſunt analoga. pagina 8
Putrido iunctum neceſſario quoque putreſcit. 8

Q

Quantum agendum à quibus dirigatur. 22.23

R

Radix cutis trad. quæ dicatur. 34
Ratio recta ſcientiarum omnium magiſtra

ſtra eſt. 30
Rationis comes eſt experientia. 30
Remedia ſunt duplicia, chirurgia, & pharmacia. pagina 5
Renum dolor quomodo ex decubitu, & quando inducatur, & leniatus. 60
Repellentia quæ, quot, & qualia ſint: ubi ponenda, ut agant. 12.20
Repellentia adminiſtrandi modus. 12.13
Repellentia ne incaleſcant, ſemper eſt attendendum. 19
Res non naturales neceſſario corpora noſtra immutant. 4
Res non naturales curam aut iuuant, aut tardant. pagina 4
Reſpirationi dicatæ ſunt nares. 54.61
Rhabarbarum bilem, pituitamque crudam, & aquoſam educit. 6
Rothones narium, qui ſint, & ut in nouis rectè efformentur, caroque ibi cur ſubinde noua pullulet, & cur continuo eximenda ſit. 76.77

S

SAnguis cur in adoleſcentibus tantum exuberet. 23
Sanguis frigidus, & fribroſus, ineptus eſt ad fluxum, utque tum hic, tum ei contrarius dignoſcatur. 24
Sanguinis impetus ut ſit frenandus. 24.30
Sapientiſſimi multa, non omnia ſciunt. 28
Scientiarum origo, & propagatio. 27
Scientiarum indagatio quam ſit difficilis. 28
Scientiarum dignitas unde æſtimetur. 41
Scientiarum omnium magiſtra eſt ratio. 30
Scientis munus. 26
Senectus traducis quando ingruat. 38.42
Senectus cur huius inſitioni tam ſit inimica. 43
Senectus vnicuique morbus rei eſt. 43
Sermocinatio continua caput excalfacit. 63
Sermonis excellentia inſignis. 88
Sicca ſanguinem ſiſtunt. 26
Sitis quantum proſit corpori cacochymo. 7
Sitis quomodo reſpiratione impedita oboriatur, & quibus reſtinguatur. 67
Somnus humectat. 7
Somnus melancholicis multum prodeſt. 7
Stigmata papularum medicamentis ulmi deleantur. 60
Stuppaceæ plagellę quales aptę ſint hęmorrhagię ſiſtendę. 14.30
Suppurationis terminus unde ſit deſumendus. 35
Suppurantia inflammationem cauent, & quæ agant alia. 18
Suppurantium differentiæ uariæ, uerúſque utendi modus. 18.19
Suppurantia cur hyeme ualentiora requirantur. 18
Suturarum duæ ſunt ſpecies. 79
Suturę pro partium uarietate uariandæ ſunt. 53. 79
Suturę quęnam partis ſaluti ſint aptiores. 54
Suturę qua debeant lege, ac modo aſſui. 55
Suturę cur nonnumquam, premantur & relaxentur, & quando, quoque ordine, quibus inſtrumentis, ac cur ſint a medio ſoluendę. 61.62
Suturę quęnam prius, quę poſterius coaleſcunt, huiuſque rei uarietas. 62
Suturarum finis. 46
Sutura laxa quę dicatur, & eius in trad. inſertione utilitas. 45
Suturę peculiares in aſſociando curtis traduce, & cur, ac quomodo à vulgatis diſcriminentur. 53. 54
Symptomata in vulneribus quando deferueant. 42

T

TAbi ut medendum ſit. 40
Temperamentum εὔκρατον quid ſit. 5
Temperamentum cal. et humidum quòd ſit, quod Plethorę eſt cauſa. 5
Temperament. cal & ſicc. quale ſit, utque ſit remittendum. 5.6
Temperament. frig. & hum. quam ſit malum, & ut curandum, eius fons. 6
Temperament. frig. & ſicc. quibus emendetur. 7
Theodori Gręci magnanimitas. 65
Totum non extat citra partes. 91
Tubulorum, qui narium conformationi deſeruiunt, deſcriptio, numerus, materia duplex, munus, tempus immittendi, variatio. 81.82.83

V

VAcuatio corporis neutiquam fortuita eſſe debet. 4
Vaſorum brachij numerus, & diductio. 11
Venę ſectio peculiare eſt remedium plethorę, quęque alia conferat corpori. 5
Venę ſectio quando offendat pituitoſos. 7
Venę ſectio inflammationem vt reuellendo ſanet. 22
Venę ſectionis quis modus ſeu quantitas. 22.23
Venæ ſectio quando prohibeatur. 24
Vena iecoraria ſecta unde ſanguinem educat. 5
Ventriculus frigidus ut alterandus ſit. 7
Venus cur bilioſis ſit infenſa. 6
Venus cur pituitoſis ſit infenſa. 7
Venus melancholicis multum damni gignit. 7
Ver adoleſcentiæ æquiparatur. 23
Veritas magis eluceſcit contrarijs iuxta ſe poſitis. 26
Vertiginis ſæpè cauſa, eſt praua purgatio. 5
Veſtitus inſititius quis ſit, & quam inſitioni curtorum neceſſarius. 47

INDEX.

Veſtitus inſititÿ partes variæ, officia, atq; ad præſens negocium accommodatio. 48
Veſtitu inſititio quando, ac quomodo æger ſit veſtiendus, & cur fœminalibus etiam ſit induendus. 51.48
Veſtitus inſititius cur dolorem inferat corpori, & ut huic occurratur. 67
Victus ratio ægris, & ſanis, confert plurimum. 5. 23
Victus quænam ratio curtorum refectioni ſit neceſſaria. 5
Victus ratio quæ bilioſis competat. 6
Victus ratio quæ pituitoſis competat. 7
Victus ratio quæ melancholicis commoda. 7
Victus ratio quæ Cacochymis commoda. 8
Vigiliæ quibus cum incommodis ſemper coniunctæ ſint. 67
Vinum nigrum, craſſum, dulce, cur melancholicis noceat. 7
Vinum cum Guaiaco paratum, quantum proſit morbo infectis Gallico. 9
Vinum ὀλιγοφόρον *quale.* 20.26
Violentum nullum eſt durabile. 41
Vires medici operam dirigere debent. 22
Vires quantopere ob uigilias concidant. 67
Vitis tribus modis inſeri debet. 52
Vlcus ſicco gaudet. 35
Vlcerum malignorum cauſa. 9
Vlceris Dyſepulotici cauſa. 21
Vlmi lachryma quæ dicatur. 60
Vnio partium, natura, ſed decora, & congrua artis ſolius opus eſt. 49.50.89
Vnio partium fit communione ſanguinis tanquam glutine. 52
Vnio quibus acceleretur, aut tardetur. 54.59. 61.62.63.67.69.90
Vlmi inſignis in vulneribus, & lichenibus ſanandis efficacia. 69
Vnio inducta pertinacius, quam prius erant, partes copulat, & huius cauſa. 59
Vnio cur diverſis diverſè, & quibus plerumque maturius ſuccedat. 61.62
Vnio quo potiſſimum tempore ſuccedat. 62.81
Vulnera areæ, ac trad. duplicia, ut ſunt, ita tractanda ſunt bifariam, & ut nouum, ut antiquum. 34.35
Vulnera carnis cur validius exſiccantibus ſint curanda. 35
Vulnera cur diverſimodè conſuantur. 53
Vulnera quibus medicamentis citò coadunentur. 60
Vulnera putrida, flaccida, et marcida carne ſcatentia, ut ſint ſananda. 36
Vulnera ſicca ſanitati ſunt proxima. 61.94
Vulneratæ partes ut ab affluxu humorum ſaluentur. 12.17
Vulneratæ partes ut ab inflammatione ſaluentur. 18
Vulneratis cur motus ſit uitandus. 11.17
Vulnerum ſymptomata quando deferueant, pagina 42
Volenti nihil difficile. 65

ΤΕΛΟΣ.

Lectori Beneuolo S.

Grauiores à Typographo in toto noſtri operis curſu errores admiſſi, qui Legentis animum retardare nonnihil poſſent, hic adſcribere placuit. Leuiores reliquos quique tum in accentibus aduerbiorum caudæ appendendis, tum periodis (vt vocant) in commata, ſeu inciſa, ac κῶλα ſeu membra diſpertiendis irrepſerunt, Lector pro tua humanitate ſingulari excuſare, interpretari amicè, & politiori etiam admota lima emendare non dedignaberis.

Libri autem primi Menda emendentur hoc pacto.

Pag.	Lin.	Erratum.	Correctio.
1	34	nec quod.	nec,quod.
2	18	actooes	actiones
2	38	Ariſto:iles.	Ariſtoteles.
3	55	ſola ut hómo utrin quę palp ebras.	ſola,ut homo,utrinque,
4	2	cocunt. Rufus.	cocunt,Rufus.
4	19	Μυξαr latini mucorem Hippocr.	Μύξα-(latini mucorem) Hippocr.
4	42	homini.	hominem.
5	41	feroci dentes.	feroci,den tes.
6	15	conſeruanc.	conſeruent.
6	56	artis.	arcis.
9	4	diſcernunt.	diſcernunt?
10	49	flexnoſus.	flexuoſas.
11	10	collocat ipſum.	collocat,ipſum
11	24	diſciſſaq;.pectore.	diſciſſoque pectore,
11	42	dignitatem.	dignitate.
11	47	rei erunt.	referunt.
11	53	plendorem.	ſplendorem.
11	56	præcipium.	præcipuum.
12	14	paulo.	paulò.
12	33	conſita,coofpicitur	conſita conſpicitur.
13	35	aliquo.	aliquò.
16	9	Enunciat.	Enunciatur.
16	30	mirum ſit.	mirum ſi.
17	21	inimicum primum.	inimicum, primum.
18	49	litteris.	literis.
19	46	recta.	rectà.
18	9	imnutiſſimis.	minutiſſimis.
19	9	ſuffucatione.	ſuffocatione.
21	10	inſtilles quoniam.	inſtilles: quoniam.
21	21	hic	hic.
22	8	recta.	rectà.
23	40	doagma.	dogma.
24	5	recta.	rectà.
24	38	modo alio quotis.	modò alio quonis.
24	45	ac	hac.
25	15	recta.	rectà.
24	35	ſubſtantia pumicis.	ſobſtantiæ, pumicis.
26	14	cur cum Galeno.	cur contra Galenum,
26	47	attonitum, & conuulſum.	attonitus, & conuulſis.
26	54	quo recta.	quò rectà.
27	5	alias.	aliàs.
27	30	præſta.	præſto.
28	53	ſic atque fuleritum.	ſit atque fulerum.
29	37	quidam.	quædam.
30	13	aereis.	aeris.
30	48	digenter.	diligenter.
31	26	pnne.	ponè.
32	9	apperhendi.	apprehendi.
32	21	recta.	rectà.
32	20	alio.	aliò.
33	21	ſicunt.	ſicut.
34	38	excarnes ſint ſimiæ demonſtrent.	excarneſſint,ſimiæ demonſtrant.
35	41	labijs.	labij.
35	42	uoa.	una.
35	47	nequaquaquam.	nequaquam.
35	in marg.	Deſal.	Veſal.
35		ubi ubi hi.	ubi hi.
25	25	ipſos nimirum,	ipſa nimirum,
25		commone.	communem.
26	19	hac,	hàc.
29	24	cenſus.	ſenſus.
34	47	hæc uera.	hæc uerba.
34	32	aſpernenda.	aſpernanda,
38	15	poſitæ, ſunt.	poſitę ſunt.
40		προφυλακτικιν.	προφυλακτικῶν.
41	19	rationem.	ratione.
42	12	ſanitatem corporũ.	ſanitatem, corporum.
42	13	inueſtigandi.	inueſtigandę.
42	34	ue.	uel.
44	21	oigeſſimum.	uigeſimum.
46	25	Oliuæ.	Oliua.
47	39	operatione.	operationem.
50	14	altius,	alicuius.
50	25	ea quæ.	ea,qua,
50	43	repellitur hæc.	repellitur:hæc.
51	4	præſcripto ſi.	preſcripto,ſi
55	16	deflectet.	deflectat.
55	32	alias præſertim.	aliàs,preſertim.
59	21	nitis cum	nitis,cum.
60	52	quàm.	quam.
61	21	delineatione,	delineatione.
61	24	dium.	diu.
61	34	noſce.	noſſe.
63	18	fieris.	fieri.
63	39	iuniones.	iuniores,
63	48	recindimus.	reſcindimus.
55	51	propaginem, haud.	propaginem haud.
64	28	occuramus.	occurramus.
65	19	Effluxo quot.	Effluxo,quod.
66	4	σφαρεια.	σφαιρεια.
68	43	uertitur.	uerſatur.
69	21	præcium.	pretium.
70	7	boni nam.	bonam.
70	15	uinculis.	uinculis.
71	37	quæ partes.	quo partes,
72	24	ægri lopis.	ægilopis.
73	30	cruri.	crure.
75	56	eum.	cum.
76	44	morte.	mortem.
77	13	hos.	os.
78	9	eſſet.	eſſe.
80	51	modo.	nodo.
82	2	ad hac.	ad huc.
82	17	conferto.	collato.
84	48	reluctare.	reluctari.
88	48	eumeaot.	eminceat.
89	48	reſtituti.	reſtitutæ.
93	1	deſeuerit.	deſæuierit.

Libri

Libri ſecundi errores ſic corriguntur.

Pag.	Lin.	Erratum.	Correctio.
1	36	peritionibus.	peritioribus.
2	37	nona.	noua.
2		ſimilitune.	ſimilitudine.
3	38	miniſtrę.	miniſtri.
4	2	expiratione.	expiatione.
4	24	integra' ſaltem.	integra ſaltem.
5	50	pertimeſcamus plurimum niſi.	pertimeſcamus plurimum niſi,
6	1	Dorag.	Borrag.
6	10	Cicher.	Cichor.
6	16	Rhabarbaro.	Rhabarbaro.
6	22	pemiſtus.	permiſtus.
6	30	Vapore.	Vapores.
6	44	Lenter.	Lentor.
7	8	Trochiſcus.	Trochiſcis.
9	2	exuſcit.	exuſcitet.
9	6	iubranda.	uibranda.
12	13	immoderatio.	immoderatior.
12	24	Cichonij.	Cithonij.
12	25	nuces,cupreſſi.	nuces cupreſſi.
13	44	ſubrectis.	ſubiectis.
15	10	edoctos.	edoctis.
18	22	quamciſſimè.	quam citiſſimè.
18	34	conficiuntur.	conficiatur.
20	29	uiri.	uini.
20	41	ελυγέρρεσαι.	δαγγέρρεσαι.
21	12	pernicioſam.	pernicioſum.
23	31	reliquimtur.	relinquuntur.
24	24	ſeruiat.	ſeuiat.
24	56	obijce.	obice.
25	23	Madich.	Maſtich.
26	24	conſtitutas.	conſtitutos.
26	28	latiſſimæ.	latiſſimè.
26	37	adminiſtradi.	adminiſtrandi.
27	1	conſtans,eſt.	conſtans eſt.
29	8	denudetur.	denudentur.
29	48	obripuerit, acerbius.	obripuerit, acerbius.
29	56	praragare.	prorogare.
31	21	externæ.	externa.
32	10	illa.	illuo.
32	21	molem.	moles.
32	22	imminui.	imminuatur.
35	6	excitatione.	exiccatione.
35	37	transferamus.	tranſeamus.
36	26	hæc.	hac.
37	21	caccabo.	cacabo.
37	24	cribat.	cribrat.
37	40	ſecuritari.	ſecuritati.
39	40	inſitius.	inſititius.
40	19	conſiliat.	conciliat.
43	36	ſingulos.	ſingulis.
43	49	ſomnium.	ſomnum.
44	26	tondamus.	tondeamus.
47	30	diſpertiuntur.	diſpertiuntur.
47	37	fœminalia.	feminalia.& ſic poſthac.
50	3	commutamus.	committamus.
50	13	effingimur.	effingimus.
51		Numerus paginę 53.	51
51	8	peſpectus.	perſpectis.
51	11	tutor.	ſutor.
52	13	qualiſcunque	qualeſcumque.
52	20	ſecuritatis.	ſecuritati.
53	9	diſtingi.	diſtingui.
53	22	adradat.	abradat. & ſic conſequenter ubiuis legatur.
54	23	diſtentanea.	diſſentanea.
54	44	adrades.	abradas.
55	24	ſcindentur.	ſcindetur.
56	2	dic.	ſic.
57	1	nox.	mox.
59	21	quiſquam.	quicquam.
59	36	Vſqueque.	Vſquequaque.
59	44	imitatur.	innitatur.
60	2	Phylomunculus.	
60	21	folliculam.	folliculum.
61	11	perſpicet.	perſpiciet.
61	13	ſuppuratio autem.	ſuppurantia autem.
61	25	Brunali.	Brumali.
64	3	aliquas.	aliqua.
64	22	excitaris.	excitatis.
64	51	incutricem ducere.	cicatricem inducere.
65	44	tyranididij.	tyrannicidij.
66	6	hic.	hæc.
66	46	hnmures.	humeris.
67	2	loro.	loco.
67	4	ab.	ob.
67	21	natura.	naturali.
67	52	ſummo.	ſomno.
68	41	eam.	ea.
68	51	habent.	labens.
69	5	Tandè.	Tardè.
69	5	ab.	ob.
69		fore.	foret.
70	14	ac.	ad.
70	20	corpum.	carpum.
70	53	& calorque.	calorque.
72	22	Hos.	His.
73	51	prius apta.	prius,apta.
75	45	ſuperiori.	ſuperioris.
75	53	depreſſas.	depreſſos.
76	46	obliquæ.	oblique.
78	6	tringinta.	triginta.
81	32	ſubulis.	tubulis. ſicque deinceps.
84	25	ſnmma.	ſumma.
84	49	intentam.	intentatam.
85	43	quęquę.	quæquè.
87	56	quæ naturali lege unicæ.	quas unicas.
88	33	concilient.	conciliet.
88	51	ſi quamplurimum.	ſic quamplurimum.
90	6	gratiam.	gratia.
39	30	acceperis.	occeperis.

Digitized by Google

INDEX RERVM PRÆCIPVA OBSERVATIONE DIGNARVM.

Quæ in hac Secunda Parte Summæ Theologiæ continentur; in quo numerus primus paginam, ſecundus columnam explicat.

A

ABbates ex priuilegio habent votum in Concilio. 225.2
Actus fidei optimus, qui nam ſit. 12.1
Actus fidei damnatorum eſt ſemper malus. 41.1
Actus fidei damnatorum quamuis ſit bonus ex genere, nõ eſt tamẽ actus fidei infuſæ, quam habuerunt in uia. 41.2
Actus quomodo cognoſcitur, quod cadat ſub præcepto. 93.2
Actus implicitus fidei circa articulos fidei omni tempore fuit neceſſarius. 101.1
Actus fidei poteſt dici ſupernaturalis tripliciter. 101.2
Actus fidei ſupernaturalis an ſit neceſſarius ad iuſtificationem. 102.2.103.1.& 2
Actus fidei ſi eliciatur ab exiſtente in charitate eſt meritorius. 123.2
Actus primus fidei, quem quis elicit cum primum ſibi proponitur Chriſtus, an ſit meritotius. 124.1
Actus alicuius virtutis poteſt actio dupliciter dici. 130.2
Actus quilibet ad ſalutem neceſſarius cadit ſub præcepto 130.2
Actus fidei non eſt velle confiteri fidem. 130.2
Actus voluntatis imperantis neceſſarius eſt ad credendum. 121.1
Actus idem poteſt ad diuerſas virtutes ſpectare. 131.1
Actus charitatis poteſt eſſe ſine actu deſiderij. 251.1
Actus ſpei eſt deſiderare ſummum bonum ſibi poſſibile. 264.1
Actus potentiæ poteſt bifariam impediri, 268.2
Actus duo præciſe ſunt in voluntate. 279.1
Actus voluntatis a charitate elicitus eſt duplex. 265.2
Actus ſpei an ſit in præcepto. 265.2
Actus agenti, & obiecto proportionari debet. 320.2
Actus duobus modis dicitur eſſe ex charitate. 325.2
Actus diſtincti ſpecie poſſunt eſſe de eodem obiecto ſub eadem ratione. 343.1
Actus fidei, & ſpei de potentia Dei abſoluta non poſſunt manere in patria. 344.1
Actus ſperandi & credendi, non manent in patria. 344.2
Actus quo Deus diligit omnia non eſt proprius alicuius perſonæ diuinæ, ſed communis tribus perſonis. 357.1
Actus moralis quid ſit. 370.2
Actus moralis quomodo cauſet habitũ, & è contra. 371.1
in Actibus humanis duplex eſt difficultas. 125.2
Actus Theologicarum virtutum an ſint connexi, 479.2
Actus poteſt habere triplicem bonitatem, 507.1
Actus indifferens eſt triplex. 538.1
Actus iurandi bene circumſtantionatus eſt bonus moraliter. 542.1
Actiones humanæ ſunt in duplici differentia. 84.1
Adam in ſtatu innocentiæ habuit explicitam fidem Incarnationis. 107.1
Ad fidem Theologicam quid ſpectet. 63.1
Ad fidei generationem, & conſeruationem quid requiratur. 71.2
Ad generandum internum aſſenſum fidei non ſufficiunt motiua exteriora. 21.2
Adultus quilibet pro quocunque ſtatu tenetur explicite credere ſaltem aliqua, quæ per ſe ad ſalutem pertinent. 94.2
Adultus poſt annos diſcretionis non retinens viua memoria omnes articulos fidei non peccat mortaliter. 99.2. 100.1
Adultus habens vſum rationis debet habere actum explicitum fidei. 101.1
Adultus quilibet in ſtatu gratiæ tenetur credere explicite myſterium Trinitatis. 106.1
Aliquid poteſt eſſe prius altero dupliciter, 6.2
Amicitiæ quatuor ſunt conditiones. 276.2
Amicitiæ ratio duo requirit. 277.1
Amicitia eſt propriè inter Deum, & homines, 277.2
Amicitiæ duplex eſt genus. 278.1
Amicitia addit aliquid ad amorem. 356.1
Amicitiæ ſigna ſunt in duplici differentia. 336.1
Amicitia eſt perfectiſſima omnium virtutum moralium, 415.2
Amicitia & beneuolentia differunt. 431.1
Amicus quis ſit. 325.1
Amici tria debent inter ſe habere. 325.1
Amici debent eſſe pauci. 325.1
Amor hominis circa Deum eſt duplex, 274.2
Amor eſt triplex. 279.1.352.1
Amor eſt velle voluntatis. 279.1
Amor eſt duplex, 279.2
Amor & dilectio idem important. 279.2
Amor amicitiæ addit ad amorem charitatis, & beneuolentiæ. 277.1
Amor quid ſit. 278.2
Amor eſt duplex ſimplex, & cõplexus. 308.1.354.1.356.1
Amoris honeſti duæ ſunt ſpecies. 331.2
Amor naturalis, & humanus non eſt charitas, 331.2
Amor vnde dicatur, & quid ſit. 352.1
Amoris definitiones diuerſæ. 352.1
Amor dilectio, & charitas differunt. 352.2
Amor quid ſignificet. 352.2
Amor Dei, & noſter quomodo differant. 277.1.352.2
Amor quid ſit, & quomodo competat Deo. 354.1
Angeli an cognouerint myſterium incarnationis, 120.2
Angeli ſi fuerunt creati in gratia ante beatitudinem habuerunt fidem Trinitatis, & aliorum myſteriorum fidei. 39.1
Apoſtoli immediate ab ipſo Chriſto ordinati fuerunt Epiſcopi. 183.1
Apoſtoli alij à D. Petro quomodo dicantur fundamenta. 183.2
Apoſtolis neceſſaria fuit certitudo mediorum, ſed non ſuccedenti Eccleſiæ. 161.1
Apoſtoli poteſtatem exercuerunt à Chriſto acceptam. 176.1
Apoſtoli ſoli, & ab eis ordinati, & miſſi hanc poteſtatem habuerunt. 176.2
Apoſtoli duplicem habuerunt poteſtatem. 176.2
Apoſtoli omnes immediatè à Chriſto duplicem acceperunt poteſtatem. 182.2
Apoſtoli a D. Petro duplicem acceperunt poteſtatẽ. 182.2
Apoſtoli bifariam conſiderari poſſunt. 182.2
Apoſtoli oẽs fuerũt æquales D. Petro in apoſtolatu. 184.1
Apoſtolicum munus tria continet. 197.1

Index Rerum Notabilium.

Apoſtolicum munus eſt quadruplex. 182.2
Apoſtolis mediorum certitudo fuit neceſſaria, ſed non ſuccedenti Eccleſiæ, 161.1
Appetitus naturalis quid ſit. 279.1
Appetitus eſt triplex. 278.2
Appetitus iraſcibilis, & concupiſcibilis quomodo diſtinguantur. 412.2
Appetitus duplex habet nolle. 413.1
Appetitus ſenſitiui paſſiones quomodo diſtinguantur, 413.2
Appetitus iraſcibilis, & concupiſcibilis paſſiones ſpecie differunt. 413.2
Appetitus concupiſcibilis dolor quomodo differat à dolore iraſcibilis. 414.1
Appetitus iraſcibilis, & concupiſcibilis quomodo differant in voluntate, 414.1
Appetibile eſt duplex. 418.1
Approximatio obiecti ad potentiam eſt duplex. 347.2
Articulus de vnitate Dei biſariam conſiderari poteſt. 63.1
Articuli fidei ſunt euidenter credibiles. 69.1
Articulus vnde dicatur. 95.1
Articulus tribus modis ſumitur. 95.2
Articuli definitio. 96.1
Articuli fidei ſunt duodecim. 96.1
Articuli fidei ſunt quatuordecim. 96.2
Articuli habent ordinem inter ſe, 97.2
Articulus fidei non eſt omne id, quod creditur. 98.1
Articuli fidei quantum ad ſubſtantiam non creuerunt ſucceſſione temporis. 98.1
Articuli fidei quantum ad explicationem creuerunt ſucceſſione temporis. 98.1
Articulus fidei biſariam ſumitur. 116.2
Articuli fidei ſecundum aliquos ſunt enunciabilia 117.1
Articulus fidei ſeu obiectum fidei eſt duplex, 117.1
Articulus fidei nouus dupliciter conſiderari poteſt. 119.2
Articuli tres ſeu tria inſtantia ſunt in principio vſus rationis. 310.2
Articulus neceſſitatis dupliciter conſiderari poteſt. 336.1
Aſſenſus eſt duplex. 16.2.19.1
Aſſenſus eſt quadruplex. 15.2
Aſſenſus fidei non eſt totus à voluntate. 25.1
Aſſenſus habituum intellectualium ex parte obiecti eſt certior, quam aſſenſus fidei. 32.2
Aſſenſus fidei in intellectu credentis certior eſt aſſenſu ſcientifico. 33.1
Aſſenſus fidei abſolute loquendo certior eſt quocunque aſſenſu cuiuſuis habitus intellectualis. 33.1
Aſſentire, conſentire, & ſentire differunt. 40.2
Authoritas ſumitur dupliciter. 172.2
Auxilium Dei nobis concedi diuinitus ad credendum eſt de fide Catholica. 5.1
Auxilium Dei eſſe nobis neceſſarium ad credendum fides Catholica docet. 5.1
Auxilium diuinum eſt duplex. 21.1
Auxilium ſpeciale eſt duplex. 21.2
Auxilium Dei ad bene agendum eſt duplex. 291.1.296.1
Auxilium Dei eſt multiplex. 291.1

B

BEatus Petrus non habuit fidem paſſionis, & mortis Chriſti. 47.1
Beatifica tentio quid ſit. 343.2
Beatitudo ſumitur dupliciter. 410.1
Beatitudinum numerus. 429.1
Beatitudinum numerus, & ſufficientia. 430.2
Beneuolentia differt ab amicitia. 356.1
Bonitas diuina biſariam conſiderari poteſt. 287.2
Bonitas moralis eſt reſpectus intrinſecus adueniens. 371.1
Bona temporalia ſe habent per accidens ad charitatem. 330.1
Bonum quadrupliciter dicitur. 538.1
Bruta an ſint ex charitate diligenda. 311.1

C

CAnonizatio Sanctorum quare fit, 204.2
Canonizatio per ſolum Papam fieri debet. 204.2
Canonizatio quid ſit, 204.2
Canonizatio quid complectat, 204.1
Canonizatio non eſt ſimpliciter neceſſaria ad quod aliquis habeatur pro Sancto. 204.1
Cauſa gratia eſt triplex, 282.2
Catechumeni non ſunt membra Eccleſiæ. 138.2
Cardinales non Epiſcopi ex priuilegio habent votum in Concilio. 225.2
Charitas eſt forma fidei, 10.2
Charitas eſt fidei forma extrinſeca. 10.2
Charitas multis modis dicitur forma fidei. 10.2
Charitas quomodo ſit intrinſeca fidei. 11.1
Charitati, & ſpei non poteſt ſubeſſe falſum, 76.1
Charitatem requiri ad actum credendi dupliciter intelligi poteſt. 122.1
Charitatis actus poteſt eſſe ſine actu deſiderij. 251.1
Charitas eſt dilectio qua diligitur Deus propter ſe, & proximus propter Deum. 272.2
Charitas eſt duplex. 274.1.353.1
Charitas increata ſumitur tribus modis, 274.1
Charitas infuſa quid ſit, 274.1
Charitas acquiſita quid ſit, 274.1
Charitas habet tres excellentias, 274.2
Charitas eſt virtus Theologica, 280.1
Charitas etiam in infimo gradu eſt virtus. 280.2
Charitas eſt excellentiſſima omnium virtutum, 281.1
Charitas eſt omnium virtutum forma, 281.2
Charitas quomodo infundatur iuxta perfectionem naturalem, 28 .2
Charitas acquiſita gignitur ex actibus charitatis infuſæ. 283.1.& 2.
Charitas non augetur quolibet actu meritorio. 285.1.& 2
Charitatis obiectum eſt Deus vt beatificans, ſecundum D. Thomam, 286.1
Charitas ponitur propter tria, 302.2
Charitas eſt principium tendendi in Deum actu recto, & in proximum actu reflexo. 313.2
Charitas quæ amitti poteſt in via fide, & ſpe euacuatis manet in patria. 340.2
Charitatis imperfectio in via tolletur a beatis in patria, 341.2
Charitas patriæ ſemel habita nunquam excidit. 348.2
Charitas eadem quam habet iuſtus in via manet in patria, 348.2
Charitas eadem eſt, & hæc creata, qua diligimus Deum, & qua diligimus nos. 351.1
Charitas immediate inclinat in actum meritoriũ. 366.2
Charitas creata neceſſaria eſt ad diligendum Deũ. 375.2
Charitas eſt amor amicitiæ erga Deum. 277.2
Charitas eſt ſubiectiue in voluntate. 300.2
Charitas qua diligitur Deus, & proximus eſt vnus habitus ſpecie. 306.1
Charitas & gratia non diſtinguuntur realiter. 290.1
Charitas poteſt dici virtus vera dupliciter. 442.1
Cæremoniale vnde dictum ſit. 558.2
Cæremonialia veteris legis erãt i duplici differẽtia. 559.2
Chriſtus vt homo habuit dilectionem, qua maior eſſe nõ poteſt. 272.2
Chriſtus in hac vita fide, & ſpe caruit. 346.2
Chriſtus in via illum ordinem charitatis ſeruauit, quem ſeruant beati in patria. 342.1
Chriſtiani omnes tenentur explicite credere præcipuos articulos diuinitatis, & humanitatis Chriſti, quos Eccleſia ſolemniter celebrat. 116.1
Chriſtiani omnes tenentur explicite credere Sacramentũ Baptiſmi, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ. 116.1
Chriſtianus quilibet tenetur explicite credere Sacramentum, quod recipit. 116.2
Chriſtianis inter infideles degentibus an licitum ſit omittere ſignum, quo ab alijs diſtinguuntur, vt ſe eſſe Chriſtianos occultent. 132.2
Chriſtianis an liceat inter infideles deferre ſigna infidelium. 133.1

Chri-

Digitized by Google

Index Rerum Notabilium.

Chriſtianis an liceat abſque peccato negare ſe eſſe Chriſtianos. 133.2
Chriſtianus grauius peccat non diligendo inimicum, quam Iudæus. 333.2
Coactio eſt duplex. 549.1
Comites iuramenti ſunt tres. 541.2
Concilium eſt ſupra Papam in ſex. 208.2
Concilium generale legitime congregatum habet ſupremam poteſtatem in definiendo ea, quæ ſunt fidei. 209.2
Concilium, & Papa in definiendo ea, quæ ſunt fidei ſunt æqualis authoritatis. 210.2
Concilium eſt ſuſpectum vbi eſt diſſenſio inter illud, & Papam. 211.1
Conciliorum origo diuina eſt non humana. 220.2
Concilia generalia ſunt quinque. 220.2
Concilium duobus modis dicitur generale. 220.2
Concilia generalia, quæ ſint ab Apoſtolica Eccleſia approbata. 220.2
Conciliorum triplex eſt genus. 227.2.234.2
Concilia vniuerſalia duplici ex cauſa congregãtur. 235.2
Concilium vniuerſale Eccleſiam repreſentat. 235.2
Concilium generale legitime congregatum errare non poteſt in fide. 236.1
Concilia generalia à Papa confirmata ſunt. 238.1
Concilia generalia à Papa non confirmata omni fide carent. 238.1
Concilia generalia quare confirmantur à Papa. 240.2
Concilij Patres ſunt iudices. 239.2
Conciliorum decreta, & ſcriptura ſacra valde differunt. 244.1
Conciliorum decreta quomodo cognoſcantur pertinere ad fidem. 245.2
Concilia generalia reprobata. 221.2
Concilia partim reprobata, & partim confirmata. 221.2
Concilium generale nec approbatum nec reprobatum. 222.1
Concilia ob ſex cauſas celebrantur. 222.1
Concilia prouincialia poſſunt errare in cauſis fidei, & morum. 241.2
Ad Concilium qui ſunt vocandi. 226.1
A Concilijs qui ſunt repellendi. 224.2
In Concilijs qui admittendi ſint. 225.1
In Concilijs tria tractari ſolent. 228.1
Conſilium tripliciter ſumitur. 435.2
Confeſſarius quō ſe gerat cum peccatore conſuetudinario. 544.2
Certum eſt ex fide ſemper in Eccleſia eſſe aliquos, qui habent fidem infuſam. 29.2
Certitudo quid ſit, & quomodo differat à firmitate. 31.2
Certitudo habet gradus. 31.2
Certitudo bifariam conſideratur. 31.2
Certitudo quid proprie ſit. 248.2
Certitudo mediorum fuit Apoſtolis neceſſaria, ſed non ſuccedenti Eccleſiæ. 161.1
Communicatio eſt quadruplex. 319.1
Communicatio charitatis eſt omnium præcipua. 320.1
Confeſſio exterior fidei eſt actus fidei virtutis. 130.2
Confeſſio exterior fidei non eſt ſemper de neceſſitate ſalutis. 131.1
Confeſſio exterior fidei eſt de neceſſitate ſalutis neceſſitate præcepti, non finis. 131.2
Cognitio intuitiua, & abſtractiua differunt ſpecie. 347.2
Cognitio de Deo tribus modis haberi poteſt. 435.2
Cognitio eſt triplex. 38.1
Conditio fidei eſt duplex. 38.1
Cognoſcere veritatem, & illam euidentem cognoſcere differunt. 38.2
Conditio eſt triplex. 83.2
Concupiſcere bonum alicui contingit dupliciter. 265.1
Concupiſci poteſt aliquid dupliciter. 266.1
Creatura poteſt tripliciter conſiderari. 362.1
Creatura dupliciter poteſt participare beatitudinem. 305.1
Credere, Deo, Deum, & in Deum differunt. 2.1
Credere vt oportet quid ſit. 24.2
Credere Deo poteſt quis dupliciter. 41.1
Credere intelligere, & videre circa idem differunt ſecundum Henricum. 58.1
Credere poteſt quis tribus modis. 94.1
Credere explicite aliquod ſupernaturale omnibus adultis fuit neceſſarium ad ſalutem neceſſitate medij, & præcepti tam ante, quam poſt peccatum originale. 94.1
Credere in Deum an ſit actus ſemper à charitate procedens. 94.2
Credere explicite myſterium incarnationis poſt peccatum, & ante legem gratiæ non fuit omnibus neceſſarium. 107.2
Credere ſicut oportet eſt de neceſſitate ſalutis. 200.2
Credens fide Catholica præter euidentiam miraculorũ habet ſcientiam ſpeculatiuam de his, quæ credit. 72.1
Ad Credendum ſicut oportet duo requiruntur. 21.2
Credibilia ſunt in duplici differentia. 3.1
Credibili reuelato poteſt quis bifariam aſſentiri. 15.1
Credibilia non videntur neque intelliguntur. 47.1
Credibilia ſunt in triplici differentia. 346.2
Credibilia ſunt in duplici genere. 47.1
Credibile quid, & quotuplex ſit. 47.2
Credibilium eſt aliquod primum immediatum per ſe notum, & neceſſarium, ſed non nobis. 66.1
Credibilia quæ principaliter credere debemus ſufficienter continet ſymbolum Apoſtolorum. 98.2
Ad credendum ſicut oportet requiritur auxilium diuinum ſpeciale. 21.2
Credens videt ſe credere, quia hoc experitur in ſe. 28.2
Creduntur abſentia, videntur præſentia. 68.2
Cornelius Centurio ſicut Trinitatis, ita & incarnationis fidem diuina habuit reuelatione. 92.2
Conſultatio non tantum eſt de medijs, ſed etiam de ipſa materia finis. 449.2
Conſilium poteſt ſumi bifariam. 451.2
Conſcientia quid ſit. 452.2

D

DAmnati poſſunt habere actus bonos ex genere. 41.1
Damnati non ſunt hæretici. 42.2
Damnatio tria includit. 271.2
Decalogus, quid ſit. 482.1
Definitio fidei tradita à D. Paulo eſt vera definitio. 7.1
Definitio fidei tradita à D. Paulo eſt fidei Theologicæ. 7.2
Definitio fidei tradita ab Apoſtolo explicat totam eſſentiam, & quidditatem fidei. 8.1
Definitio fidei tradita à D. Paulo conuenit fidei prout abſtrahit à fide formata, & informi. 9.2
Definitio concilij prouincialis in cauſa fidei eſt argumentum probabile. 243.2
Definitiones conciliorum quamuis ſint infallibiles non ſunt annumerandæ inter ſcripturas Sacras. 244.2
Definitio ſpei explicatur. 248.1
Definitio ſpei, quam tradit Magiſter competit ſpei formatæ, atque informi. 249.2
Definitio iuſtitiæ. 367.1
Definitio prudentiæ. 397.1
Definitio fortitudinis. 367.1
Definitio temperantiæ. 367.2
Definitio virtutis ſecundum Stoicos, & Peripateticos. 367.1.& 2
Deus de potentia abſoluta poteſt mouere hominem ad credendum ſine habitu infuſo. 5.1
Deus duobus modis reuelat aliquod credibile. 21.1
Deum concurrere cum creatura quid ſit. 22.1
Deus in ſacris litteris appellatur veritas 50.2
Deus eſt obiectum materiale fidei. 51.1
Deus ſub ratione deitatis eſt obiectum formale fidei. 54.1
Deus ſecundum Armenos ne dum poteſt mentiri, & fallere, ſed etiam de facto mentitus fuit, & fefellit. 78.1
Deus ſecundum Abiacum, Adamum Olchot, & Gab. de potentia abſoluta mentiri, & fallere poteſt. 78.2
Deus decipit, quia permittit aliquem decipi. 78.2

Deus poteſt dicere, & ſæpe dixit in ſcriptura aliqua ex quibus accidentes decepti ſunt; ipſe tamen non decepit, nec falſum dixit. 79.2
Deus de potentia abſoluta non poteſt mentiri. 80.1
Deus duobus modis res cognoſcit. 82.1
Deus quomodo procedat in generatione, & conſeruatione fidei. 87.2
Deus quomodo præcognoſcatur amandus. 124.1
Deus vt beatificans eſt obiectum charitatis ſecundum Diuum Thomam. 286.1
Deus duobus modis poteſt diligi ſuper omnia. 275.1
Deus non præcepit Iudæis inimicos odiſſe, ſed perſequi. 333.2
Deus ab æterno reprobos non dilexit 351.1
Deum aliquid diligere duobus modis intelligi poteſt. 354.1
Deus omnia diligit. 354.1
Deo eſt amor amicitiæ, & concupiſcentiæ. 356.2
Deus eadem dilectione diligit ſe, & creaturas. 360.2
Deus quomodo æqualiter diligat innocentem, & pœnitentem. 365.2
Deus plus diligit ſe quam creaturam. 361.1
Deus non diligit omnia æqualiter comparando dilectionem ad obiecta ſecundaria. 361.2
Deus aliter amat, quam nos. 362.1
Deus in bonis naturæ plus diligit Angelum quam D. Virginem. 363.2
Deus in bonis gratiæ plus dilexit B. Virginem quam ſimplicem quamlibet creaturam. 364.1
Deus quomodo magis diligat Angelos, quam homines. 364.2
Deus quomodo magis dilexit Petrum, quam Ioannem, 365.1
Deus cur dedit Hebræis præcepta cæremonialia. 559.1
Deſiderium eſt duplex. 264.2
Deſiderium efficax ſequitur ſyllogiſmum practicum. 264.2
Deſiderium & fuga quomodo ſint in Deo. 353.2
Dicere ſumitur quatuor modis. 358.1
Diligere Deum ſuper omnia eſt actus rectus. 279.2
Diligere Deum ſuper omnia tripliciter contingit. 295.1
Diligere ſuper omnia bifariam intelligi poteſt. 297.1
Diligere Deum ſuper omnia quatuor modis contingit. 297.2
Diligere Deum ſuper omnia tenemur præcepto affirmatiuo. 298.2
Diligendum ex charitate an ſit omne diligibile. 304.2
Diligibile ex charitate quid ſit. 304.2
Diligere inimicum omnibus eſt præceptum, & quomodo. 324.2
Diligi aliquid ex charitate dupliciter contingit. 353.1. 356.2
Diligi aliqua inæqualiter tribus modis contingit. 360.1
Dilectio & amor idem important. 279.2
Dilectio Dei ſuper omnia eſt duplex. 291.2
Dilectio, qua diligitur amicus eſt magis meritoria quam ſit ea, qua inimicus diligitur. 323.2
Dilectio inimicorum eſt in præcepto. 334.1
Dilectio eſt duplex. 333.1. 366.1
Dilectio inimicorum ſpectat ad legem naturalem. 333.1
Dilectio Dei ſecundum eſſentiam non ſuſcipit magis, & minus. 351.2
Dilectio inimicorum poteſt bifariam conſiderari. 333.2
Dilectio Dei bifariam conſiderari poteſt. 360.2
Dilectio in diuinis tripliciter ſumitur. 358.2
Dilectio qua Deus diligit creaturam eſt ſumma. 361.1
Dilectio Dei in ſe conſiderata eſt vna. 361.1
Diſpenſare quid ſit, & quotuplex ſit. 395.2
Diſpenſatio quomodo, & ſuper quid cadat in præcepto. 496.1
Diſpenſatio diuina, & humana differunt. 497.1
Differentia eorum quæ ſunt in Eccleſia. 137.1
Difficultas in actibus moralibus eſt duplex. 125.2
Difficultas in actu virtutis ex quatuor prouenit. 388.2
Diſceptatio ſeria, & actis quæſt. non definitæ non ſoluit vnitatem. 144.2
Diſpoſitio duplex requiritur in receptiuo gratiæ. 282.1
Diſtributio eſt duplex. 275.1. 353.1
Doctrina fidei tripliciter dicitur neceſſaria. 167.2
Dominus cur præcepit diligere inimicos, & alibi odio habere parentes. 312.1
Dona Spiritus Sancti fuerunt in Chriſto. 407.2
Dona Spiritus Sancti quomodo maneant in patria. 412.1
Donatiſtarum duplex error. 139.1
Donum prophetiæ, & linguarũ nõ manet in patria. 344.2
Donum quid ſit. 410.1
Donum accipitur tripliciter. 410.1
Donorum Spiritus Sancti ſufficientia. 411.1. 429.2
Donorum Spiritus Sancti figura ſeptem. 411.1
Dubium conſcientiæ eſt duplex. 115.2
Dubitatio poteſt eſſe duplex circa ea, quæ ſunt fidei. 25.1
Dubitare quid ſit. 130.1
Duo mala euenerunt nobis per peccatum. 295.1
Durandus negat fidem eſſe virtutem. 12.2
Durandus opinatur ſcientiam & fidem ſtare ſimul de eodem obiecto. 62.1

E

Eccleſia pro quibus Deum oret. 71.2
Eccleſiæ authoritas duo habet. 87.1
Eccleſia Chriſti multis nominibus appellatur. 137.1
Eccleſiam eſſe viſibilem, audibilem, atque tractabilem eſt de fide. 140.2
Eccleſia multis modis dicitur vna. 143.1
Eccleſia dicitur vere vna. 144.1
Eccleſia ex diuerſo ſtatu non multiplicatur. 144.1
Eccleſiam Catholicam eſſe vnam eſt de fide. 144.2
Eccleſia poſt Chriſtum natum magis dicitur vna, quam antea. 145.1
Eccleſiæ varia nomina. 146.1
Eccleſia qua ratione dicatur ſancta. 146.1
Eccleſia quomodo eſt omnium gentium. 148.1
Eccleſia reſpectu quorum dicatur vniuerſalis. 148.2
Eccleſia qua ratione dicatur Apoſtolica.
Eccleſiæ definitiones. 154.2
Eccleſia Romana eſt vera Eccleſia Chriſti. 156.1
Eccleſia Romana ſola eſt vna. 156.2
Eccleſia Romana ſola eſt Sancta. 156.2
Eccleſia Romana ſola eſt Catholica. 157.1
Eccleſia Romana ſola eſt Apoſtolica. 158.1
Eccleſia bifariam ſumitur. 160.2
Eccleſia non expectat doceri à Deo immediate. 160.2
Eccleſia in ſingulis medijs non habet infallibilem veritatem. 160.2
Eccleſia in concluſionibus fidei ſemper eſt certiſſima, & infallibilis. 161.1
Eccleſia non docet ex arte, ſed ex authoritate. 161.1
Eccleſiæ infallibilitas quid requirat. 161.2
Eccleſia in fide errare non poteſt. 161.2. & inde.
Eccleſia quatuor habet regulas ad non errandum. 164.2
Eccleſia tripliciter ſumitur. 150.2
Eccleſiæ & ſynagogæ diſcrimen. 150.2
Eccleſiæ defectio extenſiue bifariam ſumi poteſt. 150.2
Eccleſia quomodo cêſetur traditiones aliquas tenere. 166.1
Eccleſia dicitur Catholica ab vniuerſitate eius doctrinæ. 149.1
Eccleſia eſt vniuerſalis quo ad omnium hominum genera, & vniuerſas nationes. 149.1
Eccleſiæ defectio ſecundum ſe, & intrinſece bifariam ſumi poteſt. 151.1
Eccleſia vnde incæpit. 151.1
Eccleſiæ authoritas quadrupliciter cum ſcripturæ authoritate comparari poteſt. 172.1
Eccleſia & ſcriptura continent infallibilem veritatẽ. 173.1
Eccleſia & ſcriptura quomodo differant. 174.2
Eccleſia tota quomodo habeat aſſiſtentiam Spiritus Sancti. 175.1
Eccleſiæ poteſtatẽ Chriſtus ſolis Apoſtolis tribuit. 176.1
Eccleſia quæ nunc eſt poteſtatem condendi nouos articulos non habet. 179.1
Eccleſia nullam additionem ſymbolis fecit. 179.2
Eccleſia libros ſcripturarum canonicos approbare, & cõſignare poteſt. 179.2
Eccleſia libros apochriphos certos reijcere poteſt. 180.1

Eccle-

Index Rerum Notabilium.

Eccleſia dubios ſcripturæ libros ſua authoritate approbauit. 180.2
Eccleſia præſens aliquos libros in canone ſcripturarum etiam hodie referre poteſt. 181.1
Eccleſia vnicum caput requirit. 189.2
Eccleſia eſt perfectiſſime vna. 160.1
Eccleſiæ eſſentia quid requirat. 172.2
Eccleſia militans bonis, & malis conſtat. 146.1
Eccleſia quatuor generibus hominum conſtat. 225.2
Eccleſiaſtica poteſtas eſt duplex. 87.2
Eccleſiaſtica poteſtas non eodem modo eſt in Eccleſia ſicut firmitas, & infallibilitas fidei. 175.2
Eccleſiaſticæ poteſtates ſunt ſex. 183.1
Electi nondum baptizati in Chriſto non ſunt membra Eccleſiæ. 138.1
Electio quomodo ſumitur apud Ariſt. 449.1
Epiſcopus vrbis, & orbis eſt vnus, & idem Epiſcopus. 196.1.
Epiſcopus Romanus potius, quam alius eſt Petri ſucceſſor ex Euangelica inſtitutione, vel ſaltem ex facto Petri Romanam ſedem ibi ſtatuentis. 196.2
Epiſcopus Romanus ex inſtitutione Chriſti habet in terris vices Chriſti. 197.1
Epiſcopi tribus modis ad Concilium conuocari poſſunt. pag. 223.2
Epiſcopi de iure ſunt de corpore Concilij. 225.2
Epiſcopus titularis, an vocari debeat ad Concilium. pagina 228.2
Epiſcopus habens plures Eccleſias, an in Concilio habeat plura vota. 229.1
Error de Eccleſiæ perpetuitate. 150.1
Error eſt duplex. 114.2
Error & peccatum in Eccleſia differunt. 151.1
Eſſentia diuina eſt primum obiectum diuinæ voluntatis. pag. 360.2
Euidens poteſt eſſe aliquid duobus modis. Euidens eſt moraliter infidelibus audientibus. 38.2.39.2
Euangelium credendum eſſe fidei noſtræ. 71.1
Euidentia eſt triplex. 39.2
Euidentia eſt de intrinſeca, & formali ratione ſcientiæ. pag. 57.2
Euidentia credibilis ex quo penſanda eſt. 70.2
Euidentia tribus modis cauſatur. 70.2
Euidentiſſimum eſt credendum eſſe ſacris hiſtoriis. 70.2
Exceſſus amoris Dei ſuper alia biſariam intelligi poteſt. pag. 297.2
Explicatio verborum Domini. Si duo ex vobis conſenſerint, &c. 243.1
Explicatio verborum Domini. Vbi fuerint duo, vel tres, &c. 242.2
Explicatio definitionis fidei traditæ ab Apoſtolo. 7.2
Explicatio, & propoſitio articulorum fidei in quantum eſt humana gratia non eſt cauſa efficax aſſenſuum. pag. 88.1
Explicatio illius maximæ. Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam. 111.2

F

Factum Raab iuſtificatur. 528.1
Fides eſt virtus, qua creduntur quæ non videntur. 1.2
Fides capitur tribus modis 1.2.23.2.48.1
Fides informis eſt donum Dei. 2.1
Fides informis per peccatum mortale non tollitur. 2.2
Fides quomodo ſit vna iuxta D. Paulum. 2.2
Fides eſt de non apparentibus, & de non viſis. 2.2
Fides qua creduntur, quæ non videntur, certiſſima ſcientia tenetur. 2.2
Fides quare dicitur fundamentum. 2.2
Fides capitur multipliciter. 3.1
Fidem infuſam, ſpem, & charitatem eſſe eſt de fide. 5.1
Fides Catholica docet auxilium Dei ad credendum eſſe omnino neceſſarium. 5.1
Fidem, ſpem, & charitatem eſſe habitus infuſos non eſt de fide. 5.2
Fidem, ſpem, & charitatem eſſe habitus infuſos eſt valde conſonum ſacræ ſcripturæ. 5.2
Fidem, ſpem, & charitatem ſi quis diceret non eſſe habitus, eſſet temerarius, & fere hæreticus. 5.2
Fides quomodo ſit prior reliquis virtutibus. 5.2
à Fide incipiendum eſt in tractatu de virtutibus. 6.1
Fidem diſtingui in informem, & formatã eſt de fide. 9.1
Fidem eamdem numero eſſe cum charitate, & ſine charitate non eſt de fide certum, ſecus ſecũdum ſpeciẽ. 11.1
Fides informis, & formata num ſunt diſtincti habitus. 11.2
Fides informis & formata non diſtinguatur ſpecie. 11.2
Fides abſolute eſt appellanda virtus 12.2
Fides formata eſt vera virtus habens perfectum ſtatum virtutis. 12.2
Fides informis eſt proprie virtus. 13.2
Fides an ſit habitus intellectualis. 14.2
Fides eſt duplex infuſa, & acquiſita, & quomodo differant. 14.2
Fidem acquiſitam eſſe in nobis certiſſimum eſt. 15.1
Fides infuſa et hæreſis non ſtant ſimul. 15.2
Fides infuſa non eſt neceſſaria vt firmiter credamus reuelatis. 15.2
Fides infuſa reſpicit immediate Deum. 18.2.19.2
Fides infuſa reſpicit Deum ſub ratione deitatis. 18.2
Fides infuſa non eſt cauſa aſſenſus credibilium. 20.1
Fides duo per ſe requirit. 21.2
Fidem infuſam euidenter eſſe in nobis probari non poteſt. 23.2
Fidem infuſam eſſe neceſſariam ad ſalutem eſt de fide. 23.2
Fides infuſa propter quid ponatur. 25.1
Fides infuſa eſt neceſſaria ad ſubſtantiam actus credendi, ita vt ſine ea non poſſimus credere ſicut oportet. 24.2
Fidei totius aſſenſus non eſt à voluntate 25.1
Fides differt à prophetia. 25.1
Fides quam dubitationem excludat. 25.1
Fidei infuſæ indeceptibilitas non prouenit præciſe ex obiecto, ſed etiam ex habitu. 27.1
Fides infuſa inclinando dirigitur à Deo. 27.1
Fidei obiecta non ſunt præſentia per fidem infuſam. 18.2
Fides ea ſolum reſpicit quæ ad religionem ſpectant. 1.2
Fides infuſa non corrumpitur effectiuè, ſed demeritoriè. 30.2
Fides dupliciter ſumi poteſt pro habitu, & pro actu. 30.2
Fidei ſubiectum eſt duplex. 32.1
Fides ſuperat in certitudine omnes habitus intellectuales. 32.2
Fidei certius eſt aſſentiendum quam dictis Angelorum. 33.1
Fides duobus modis augeri poteſt. 35.1
Fides eſt ſimpliciter habitus practicus. 37.1
Fides eſt in intellectu tanquam in ſubiecto. 37.2
Fides propriiſſime, & præciſe eſt in omnibus habentibus cognitionem ſupernaturalem nondum adepta beatitudine. 39.1
Fides biſariam conſiderari poteſt. 40.1.46.2.50.2
Fides informis eſt duplex 40.2
Fides non inclinat ad actum malum. 41.1
Fides Dæmonum eſt coacta. 41.2
Fides non eſt in Dæmonibus per liberum voluntatis arbitrium in ordine ad bonum. 41.2
Fides eſt in Dæmonibus de omnibus veritatibus, quas docet Eccleſia. 41.2
Fides infuſa manet in peccatoribus fidelibus. 45.1
Fides eſt de viſis. 46.2
Fides non eſt de omnino incognitis. 47.1
Fides an ſimul & immediate inclinet ad omnes articulos fidei. 49.2
Fides catholica & infuſa differunt. 51.1
Fides catholica ea tantum reſpicit, quæ ſunt reuelata à Deo in ſcriptura. 51.2
Fides infuſa & Catholica ſunt vnus habitus numero inclinans in omnia, quæ reuelantur à Deo. 52.1
Fides Theologica quid poſtulet. 63.1
Fides habet duo conſideranda. 68.2

Fidei generatio,& conſeruatio,quid requirant. 71.2
Fides infuſa, & acquiſita demonſtrationibus probari non poſſunt. 75.1
Fidei infuſæ actus, etſi rationibus topicis non innitatur eas tamen non excludit. 75.2
Fidei Religionis chriſtianæ nequit ſubeſſe falſum. 76.1
Fides non poteſt reſolui in authoritatem fallibilem. 87.1
Fidei Eccleſiæ decernendæ iudicium non eſt humanum ſed protſus diuinum. 87.1
Fides noſtra diuina ex natura ſua reſoluitur in authoritatem Dei. 88.2
Fides noſtra quatenus eſt in nobis reſoluitur in authoritatem Eccleſiæ. 88.2
Fidei noſtræ reſolutio fit etiam in lumen internum,& in motionem Spiritus Sancti intus in animo noſtro operantis. 91.1
Fides ſupernaturalis fuit, pro omni tempore, & ſtatu neceſſaria. 92.1
Fides Mediatoris poſt lapſum fuit omnibus neceſſaria ad ſalutem. 92.1
Fides Mediatoris non omnibus ſub eodem gradu cognitionis fuit neceſſaria. 92.1
Fides poſt Chriſti aduentum ad vniuerſa, quæ continentur in ſymbolis ſe extendit. 92.2
Fides antiquorum, qui Chriſti aduentum præceſſerunt, quid poſtulabat. 92.2
Fides,ſpes, charitas ſibi mutuo correſpondent. 92.2
Fides infuſa fuit, pro omni ſtatu neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem. 94.1
Fides implicita, & explicita quid ſint. 98.1.99.1
Fidem explicitam habere contingit dupliciter. 99.2
Fides explicita myſterij Trinitatis poſt ſufficientem Euangelij prædicationem fuit omnibus neceſſaria ad ſalutem. 106.1
Fides implicita myſterij Trinitatis in ſtatu naturæ,& legis fuit omnibus neceſſaria ad ſalutem. 106.1
Fides explicita eſt duplex. 106.2
Fides Chriſti explicita poſt ſufficientem Euangelij publicationem eſt omnibus neceſſaria neceſſitate medij, & præcepti ad ſalutem. 108.1
Fides Chriſti implicita ante Euangelij promulgationem ſufficiens fuit ad ſalutem. 108.2
Fides Chriſti implicita poſt Euangelij ſufficientem promulgationem an ſit ſufficiens ad ſalutem. 109.1
Fides explicita, quod Deus eſt,& quod ſit requirentium ſe remunerator, in omni ſtatu fuit neceſſaria ad ſalutem. 115.2
Fides explicita articuli creationis in omni ſtatu neceſſaria fuit omnibus ad ſalutem. 115.2
Fides explicita immortalitatis animæ, pro omni tempore fuit omnibus neceſſaria ad ſalutem. 115.2
Fides explicita, quod Deus ſit placabilis his, qui illum offendunt poſt peccatum, fuit omnibus neceſſaria ad ſalutem. 115.2
Fides explicita Mediatoris poſt lapſum fuit omnibus neceſſaria ad ſalutem. 116.2
Fides antiquorum patrum an fuit eiuſdem ſpeciei cum noſtra,& de iiſdem credibilibus. 117.1.& 2.118.1.& 2
Fides infuſa non perditur per quodlibet mortale peccatum. 129.1
Fides infuſa per nullam corrumpitur creaturam. 129.1
Fides infuſa demeritorie perditur, per hæreſim iuncta pertinacia. 129.1
Fides infuſa non perditur per quamlibet hæreſim deliberatam vel indeliberatam. 129.2
Fides infuſa non perditur per quemlibet actum infidelitatis mortaliter. 129.2
Fides infuſa per dubitationem perditur. 129.2
Fides eſt ſub præcepto. 121.1
Fides infuſa a quo habeat ſuam vnitatem. 135.2
Fides eſt anima Eccleſiæ. 144.1
Fidei dogma eſt duplex. 144.1
Fidei fundamentum,quid poſtulet. 144.2
Fidei ignorantiam poteſt quis tribus modis habere. 160.2
Fides acquiſita bifariam ſumitur. 263.1
Fides & ſpes quo ad habitum de potentia Dei abſoluta poſſunt manere in patria. 345.1
Fides & ſpes an ſine charitate ſint virtutes. 479.2
Fidelis vt articulis fidei aſſentiat oportet, quod ei proponantur. 88.1
Fidelibus an liceat migrare ad infideles, vt Euangelium prædicent,vel martyrium patiantur. 133.2
Fidelibus an liceat fugere tempore perſecutionis, 134.1
Fideles peccatores quamuis præſciti ſint vera membra Eccleſiæ. 137.2
Fideles excommunicati ſunt vera membra Eccleſiæ. 138.1
Finis credendi eſt aſſecutio boni diuini. 10.2
Finis dicitur tripliciter. 274.1
Firmitas eſt duplex. 25.2
Firmitas quomodo differat à certitudine. 31.2
Firmitas in fide toti Eccleſiæ promittitur. 175.1
Forma duplex Phyſica,& moralis. 10.1
Forma regiminis eſt triplex. 178.1
Fortitudo tripliciter ſumitur. 377.2
Fortitudo eſt circa pericula mortis. 378.1
Fortitudo eſt ſpecialis virtus. 378.1
Fortitudinis functiones. 378.2
Fortitudinis materia quid ſit. 378.2
Fortitudinis definitio. 378.2
Fortitudinis effectus præcipui. 379.1
Fortitudinis partes. 379.1
Fortitudinis partes integrales. 379.1
Fortitudinis partes potentiales. 379.1
Fortitudo poſt iuſtitiam eſt præſtantior alijs virtutibus. 388.2
Fortitudo habet ſub ſe plures ſpecies. 415.1
D. Franciſcus heroicus, & Hector, ſed vario modo. 428.2
Frater minor poteſt eſſe liberalis. 404.1
Frui aliquo contingit dupliciter. 399.2
Fructus quid,& quotuplex ſit. 410.1

G

GEnerales ordinum habent ex priuilegio votū in Concilio. 225.2
Gradus hominum diuerſi ſunt in Eccleſia Dei. 112.2
Gratia & charitas non diſtinguuntur realiter. 290.1
Gratia interdum late ſumitur. 291.1
Gratia iuſtificationis multis modis appellatur. 301.2
Gratia iuſtificans quorundā præceptorum obſeruantiam præcedit, quorundam comitatur. 301.2
Gradus in propoſitionibus ſpeculabilibus, & practicis. 484.2
Grauitas legis dupliciter attendi poteſt. 556.2

H

HAbens fidem formatam, vel informem poteſt illis male vti. 13.2
Habens fidem acquiſitam,& infuſam elicit actum ſecundum inclinationem vtriuſque. 28.1
Habens vſum rationis tenetur pro aliquando ad aliquē actum explicitum articulorum fidei. 101.1
Habens charitatem magis tenetur ſe diligere poſt Deum, quam proximum. 314.1
Habere fidem infuſam nemini per fidem poteſt eſſe certum. 28.2
Habere aſſenſum fidei diuinæ nemini poteſt eſſe euidens. 29.1
Habere fidem explicitam contingit dupliciter. 99.2
Habitus quid ſit. 4.1
Habitus infuſi ſunt in duplici differentia. 4.1
Habitus infuſi,& acquiſiti ſunt eiuſdem ſpeciei. 4.1
Habitus idem fidei ſpecie,& numero eſt informis,& formatus. 11.2
Habitus & ſpecies intelligibilis differunt. 24.1
Habitus fidei infuſæ habens ipſum tantum probabiliter conſtat. 28.1

Habi-

Habitus infuſi non cognoſcuntur ex actibus, ſed acquiſiti. 31.1
Habitus intellectuales qui, & quot ſint, & eorum diſcrimen 31.2
Habitus fidei eſt perfectior habitibus acquiſitis. 32.1
Habitus fidei infuſæ poteſt augeri ſecundum maiorem intenſionem factam in ſubiecto per quoſcumque actus meritorios tam elicitos a fide quã imperatos. 35.1
Habitus fidei infuſæ augetur per ſuos actus etiam informes, 35.1
Habitus fidei infuſæ augetur ne dum per actus meritorios intenſiores; ſed etiam remiſſiores. 35.2
Habitus fidei infuſæ tam ſecundum ſe, quam vt in ſubiecto augeri poteſt. 35.2
Habitus fidei infuſæ probabile eſt, quod augeatur ſolum ſecundum exceſſum gradus, aut etiam ſecundum totã latitudinem graduum. 35.2
Habitus fidei acquiſitæ producitur in intellectu per actus fidei infuſæ. 36.1
Habitus diſtinguuntur ſpecie ex obiectis formalib. 43.1
Habitus infuſus non inclinat ad actum niſi ſubiectum fuerit exercitatum. 73.1
Habitus ſtudinſus intellectus, & voluntatis differũt. 76.1
Habitus fidei acquiſitus perditur per hæreſim actualem illi oppoſitam. 129.1
Habitus infuſus compatitur ſecum habitum infidelitatis acquiſitum 129.1
Habitus charitatis in voluntate non eſt neceſſarius ad hoc, vt imperet actum fidei 122.2
Habitus duplex eſt vnitas, 134.2
Habitus charitatis eſt duplex 306.1
Habitus fidei & ſpei de facto nõ manent in patria. 346.2
Habitus tendendi in Deum eſt duplex 349.2
Habitus poteſt accipi tribus modis. 402.2.405.1
Habitus ponuntur in potentia executiua corporali. 405.2
Habitus ponuntur in brutis. 406.1
Habituum omnium duplex ſufficientia 417.1
Habitus eſt triplex. 466.1
Habitus intellectuales an ſint connexi. 479.2
Hebræi quatuor ex cauſis expoliauerunt Aegyptios. 501.1
Hæreticum eſt dicere ſemel iuſtificatos non poſſe amittere gratiam. 348.2
Hæretici perperam de paucitate gloriantur. 158.1
Hæretici iam damnati per Eccleſiam ſententia publica non ſunt membra Eccleſiæ. 138.1
Hæretici veram Eccleſiam ſibi arrogant. 156.1
Hæretici occulti ſunt partes Eccleſiæ. 158.1
Hæreticus eſt duplex. 137.1
Hæreticus vt quis dicatur quot requirantur. 43.1
Hæreticus negans vnum articulum non habet fidem infuſam aliorum. 43.2
Hæreticum eſt dicere quod Deus de facto falſum protulerit. 79.2
Hæreticum eſt dicere quòd Deus homo aliquando fuerit mentitus. 80.1
Hæreticum eſt dicere, quod Deus aliquando ſit mentitus per aliquem alium à ſe. 80.1
Hæreticum eſt affirmare quòd Deus etiam de potentia abſoluta poſſit mentiri. 80.2
Hæreſis quid ſit, & quæ ad illam requirantur. 126.2
Hironia eſt duplex. 83.1
Homo poteſt licite vti malitia alterius in bonum finem 79.1
Hominis rationalis duplex eſt perfectio. 401.1
Homo fidelis quare Deum offendat. 46.1
Homo Theologus poteſt habere ſimul cum fide habitus notitiæ eorum, quæ tradũtur in canone Bibliorũ de creditis reuelatis. 66.2
Homo Theologus poteſt habere habitum exponẽdi ſcripturam deducendo concluſiones & ſoluendo ea, quæ videntur contraria vna cum fide. 67.2
Homo Theologus poteſt habere habitum qualem habẽt Doctores Eccleſiæ, qui primo recipiunt ſcientiam diſtinctam à fide. 67.2
Homo priuatus in ſtatu gratiæ non tenetur explicite & diſtincte credere omnes articulos fidei. 101.1
Homo ad operandum quid accipiat à Deo. 102.1
Homo dupliciter poteſt rationibus moueri ad credendum. 124.2
Homo in ſtatu naturæ inſtitutæ viribus naturæ potuit diligere Deum ſuper omnia abſque habitu charitatis infuſo. 295.1
Homo in ſtatu naturæ lapſæ in peccato exiſtens ſiue ante receptam fidem interdum poteſt implere præcepta per ſua naturalia ſolo generali Dei auxilio 296.1
Homo in ſtatu naturæ lapſæ non poteſt viribus proprijs diligere Deum ſuper omnia. 296.2
Homo in nullo ſtatu poteſt Deum diligere ſuper omnia meritorie ſine habitu charitatis 297.1
Homo poteſt alium odiſſe dupliciter. 326.1
Homo ſtudioſe, & vitioſe tripliciter operatur. 419.1
Homo duplex habet principium mouens 424.1
Hominem cognoſcere oportet credibilitatem noſtræ fidei, vt prudenter credat. 71.1
Hominis ſtatus ſunt ſex. 291.1
Homines omnes an æqualiter diligere teneantur. 311
Humanæ rationes vel præcedunt vel ſequuntur fidem, 125.1
Homo poteſt dici perfectus tribus modis 513.1

I

Ignorantiam fidei poteſt quis tribus modis habere. 160.2
Inductio ſumitur bifariam. 17.2
Inimicus proprie nullus homo eſt. 325.1
Inimicus eſt duplex. 325.1
Inimicus dupliciter conſiderari poteſt. 326.1
Inimicum formaliter acceptum poteſt quis licite odiſſe. 326.2
Inimicorum dilectio bifariam conſiderari poteſt. 332.1
Inimicum quomodo diligere teneamur. 332.1.& 2
Inimicum non diligendo grauius peccat chriſtianus quàm Iudæus. 333.2
Indianis ſufficienter prædicatum eſt Euangelium. 71.1
Inquiſitio quomodo ſe habeat ad Concilium. 450.1
In facto Ieſu quinque conſiderari debent 519.1
Intellectum perfici in actu primo quid ſit. 24.1
Intellectus bifariam poteſt denominari practicus. 36.2
Intellectus quare aſſentiatur articulis 41.1
Intellectus humanus bifariam conſiderari poteſt. 74.2
Intellectio omnis fit virtute luminis. 50.1
Intelligere ea, quæ ſunt fidei, contingit dupliciter. 58.2
Intelligibilia quædam excedunt proportionem luminis naturalis. 50.2
Iudæi in lege veteri tenebantur inimicos diligere. 333.2
Iudicium de doctrina fidei eſt triplex. 175.2
Iudicium publicum eſt tributum in cauſa fidei. 227.2
Iudicium eſt quadruplex. 381.2
Iuramentum poteſt eſſe triplex. 543.2
Iudicare de rebus fidei, & non poſſe errare in fide differunt 175.1
Iudicari de hæreſi poteſt duobus modis 242.1
Iuramentum quid ſit. 534.2
Iniurandum interponere aliquando licitum. 538.1
Iuramentum poteſt interdum eſſe ſine mendacio. 541.1
Iuramentum doloſum quid ſit. 546.1
Iurare incertum contingit dupliciter. 545.1
Iuſtitia eſt duplex. 372.2 416.1
Iuſtitia quomodo conſiſtat in medio. 372.2
Iuſtitia ſumitur quatuor modis. 380.1
Iuſtitiæ legalis obiectum. 380.2
Iuſtitia legalis eſt diſtincta virtus. 380.2
Iuſtitia tres definitiones. 381.1
Iuſtitia eſt virtus. 381.2
Iuſtitia eſt præclara virtus. 381.2
Iuſtitia non eſt ſpecies ſpecialiſſima. 381.2
Iuſtitia eſt virtus moralis, & Cardinalis. 381.2
Iuſtitiæ munus quid ſit. 381.2
Iuſtitiæ partes ſunt triplices. 382.1
Iuſtitiæ partes ſubiectiuæ 382.1
Iuſtitiæ partes potentiales. 383.1

Iuſtitia eſt omnium virtutum excellentiſſima. 388.2
Iuſtitia habet ſub ſe multas ſpecies. 415.2
Iurans doloſe ad quid teneatur. 547.1
Iuramentum quot modis poſſit eſſe incautum. 547.2

L

LEx diuina tripliciter accipi poteſt. 174.1
Lex quadruplex & quid ſit vnaquæque 483.1
Lex diuiditur ſicut & ius. 483.1
Legis definitio multiplex. 483.2
Lex Moyſis media eſt inter legem naturæ,& legem gratiæ. 540.2
Lex cohibet prohibet manum,& non animum quomodo intelligatur. 557.2
Lex quid ſit. 556.1
Lex Euangelica qua ratione difficilis. 562.2
Lex quatuor modis conſcientiam obligat. 564.2
Lex obligat conſcientiam ſubditi duobus modis. 565.1
Liber vitæ tribus modis ſumitur. 341.1
Liberalitas eſt imperfectior ſpecies iuſtitiæ quam miſericordia. 431.1
Licitum dicitur eſſe aliquid dupliciter. 549.1
Loca Theologica ſunt decem. 74.1
Loca Theologica reducuntur ad tria. 74.2
Lumen eſt triplex apud Henricum. 58.2
Lumen ſcientiale & intelligere ſecundum Henricum ſtant ſimul cum fide. 58.2
Lumen ſcientiale eſt clarius lumine fidei. 59.2
Lumen medium ſufficit ad cauſandam ſcientiam de credibili ſecundum Henricum. 59.2
Lumen ſupernaturale eſt duplex. 65.2
Lumen fidei triplicem habet proprietatem. 73.1

M

MAla quædam ſunt vltioni diuinæ relinquenda. 545.2
Malum eſt quadruplex. 538.1
Maiores Eccleſię in ſtatu naturæ,& legis tenebantur credere explicite myſterium Trinitatis, minores autem implicite. 106.1
Maiores primitiuæ Eccleſiæ explicite nouerunt omnia quæ poſtea per concilia fuerunt definita de fide. 112.2
Maiores plura tenentur explicite credere quam minores. 113.1
Maiores in lege Moyſis plura explicite credere tenebantur,quam minores,eiuſdem legis non tamen plura implicite. 113.2
Mala quæ peccatoribus imprecantur biſariam conſiderari poſſunt. 327.1
Malitia duobus modis poteſt excæcare intellectum. 455.1
Materia per ſe virtutis quid ſit. 93.1
Media ad iuſtificationem quæ ſint. 102.1
Medium ad aliquid determinandum tribus modis conſiderari poteſt. 164.1
Media pro fine conſequendo ſunt in duplici differentia. 489.2
Medium eſt duplex. 372.1
Memoria quid ſit. 377.1
Mendacium eſt intrinſece malum. 79.2
Mendacium duo dicit. 79.2
Mendacium eſt triplex. 504.2.503.1
Mendaciorum octo ſunt genera. 503.1
Mendacium quid ſit. 504.1
Mendacium tot requirit,quot requirit veritas. 504.1
Mendacium opponitur formaliter veritati. 504.2
Mendacij malitia in quo conſiſtat. 504.2
Mendacium omne peccatum eſt. 505.2
Mendacium eſt duplex. 508.2.509.1
Mendacium quatuor includit. 509.1
Mendacium pernicioſum eſt multiplex. 510.1
Mendacij triplex eſt genus. 518.2.511.1
Mendacij officioſi tres ſunt ſpecies. 511.2
Mendacium iocoſum quid ſit. 511.2
Mendacij octo ſunt gradus. 512.1
Mendacium officioſum & iocoſum num ſit peccatum mortale. 512.1
Mendacium officioſum quomodo poſſit aggrauari, & minui. 527.2
Metus eſt duplex. 549.1
Metaphyſicus quidditates phyſicas diſtincte conſiderat. 57.2
Minores legis gratiæ plura tenentur explicite credere, quàm illi,qui erant in lege veteri. 114.1
Minores,id eſt,ſimplices non tenentur de neceſſitate omnia credibilia explicite,& diſtincte credere. 114.1
Myſteria fidei ſunt in duplici differentia. 74.1
Myſteria noſtræ fidei eſſe poſſibilia, vel impoſſibilia per rationes naturales probari non poteſt. 75.1
Myſterium incarnationis in quorumque ſtatu aliquo modo credere oportuit,atque fuit creditum. 106.2
Myſteria fidei dupliciter probari poſſunt. 124.2
Modus cognoſcendi in notitia fidei eſt triplex. 58.1
Modus cognoſcendi eſt triplex. 61.1
Modus legitimus recipiendi aliquem in D.Petri locum. 192.2
Mos ab experientia differt. 371.1
Multis modis contingit aliquem non credere. 72.1

N

NEceſſaria ad ſalutem ſunt in duplici differentia. 93.1
Neceſſaria neceſſitate medij, & neceſſitate præcepti differunt. 93.1
Neceſſarium dicitur aliquid dupliciter. 93.2
Neceſſarium ad ſalutem dicitur aliquid tripliciter. 102.1
Neceſſitas ſpiritualis proximi poteſt eſſe triplex. 317.1
Neceſſitas eſt duplex. 325.2
Nemo vnquam iuſtificatus eſt ſine fide Chriſti implicita vel explicita. 208.1
Nomen Papiſta non eſt nomen partis. 255.2
Nomen Dei quomodo veneratur & colitur. 540.2
Notitia eſt duplex. 66.2
Notitia complexa eſt duplex. 66.2
Non aſſumes nomen domini Dei tui in vanum quæ prohibentur. 540.2
Nomen Dei quomodo ſumatur in hoc præcepto. Non aſſumes nomen Domini.&c. 541.1
Non aſſumes nomē Domini &c. triplex eſt ſenſus. 541.1
Nomen periurij dupliciter ſumitur. 541.2

O

OBiectum eſt duplex. 3.1
Obiectum fidei quomodo ſit euidens. 28.1
Obiectum formale quid ſit. 43.1
Obiectum fidei eſt duplex. 48.2.49.1
Obiectum complexum & incomplexum quid ſit. 49.1
Obiectum fidei ſecundum ſe eſt aliquod ſimplex & incomplexum. 49.1
Obiectum habitus quid ſit & quotuplex. 50.1
Obiectum materiale eſt duplex. 50.1
Obiecta materia fidei ſupernaturalis ſunt Incarnatio,virtus ſacramentorum,tota Hiſtoria ſacra,& multa alia, quæ à ſacris Concilijs definiuntur. 51.2
Obiectum fidei diuinæ eſt quicquid à Deo reuelatum fuerit. 51.2
Obiectum formale habitus vel potentiæ ex duplex. 53.1
Obiectum formale fidei eſt Deitas. 53.2
Obiectum formale quo, ſeu ratio formalis ſub qua obiecti fidei eſt prima veritas. 54.1
Obiectum aliquod poteſt biſariam cognoſci. 66.1
Obiectum, & ratio formalis obiecti non variantur per reſpectus. 256.2
Obiectum potentiæ eſt terminatiuum actus adæquati. 268.1
Obiectum charitatis eſt Deus vt beatificans ſecundum D.Thomam. 286.1
Obiectum charitatis eſt duplex. 305.1
Obiectum aliquod ex charitate diligi contingit tripliciter. 304.1

Obiectiua ratio charitatis & habitus eſt duplex. 289.1
Obligatio duplex. 547.1
Officiorum duo ſunt genera. 183.1
Omnis malus ignorans quomodo intelligatur. 456.1
Opera quæ ſapiunt hæreſim. 127.1
Opinio quæ dicatur tutior. 115.1
Opinio tutior in moralibus eſt ſequenda. 115.1
Opinio duplex an ſit de fide infundi habitus Theologicos. 4.3
Opinio duplex de obiecto fidei. 48.2
Opinio duplex de obiecto formali fidei. 52.1.10.2
Opinio duplex an hoſtia conſecrata debeat adorari ſub conditione. 83.2.84.1
Opinio duplex an ſit de fide credere has, vel illas ſpecies particulares eſſe conſecratas. 84.2.85.1
Opinio multiplex ad quid ſtet vltima reſolutio noſtræ fidei. 85.1.86.1.2
Opinio triplex de antiquitate, & perpetuitate Eccleſiæ. 149.2
Opinio triplex an Papa hæreticus ſit ipſo facto depoſitus. 215.1
Opinio duplex an requiratur confirmatio Papæ ad ea, quæ definita ſunt de fide in Concilijs. 238.2
Opinio triplex ad quem ſpectet congregare Concilium. 222.2
Opinio triplex de materia præcepti dilectionis Dei ſuper omnia. 299.1
Opinio triplex an Deus omnia ex charitate diligat. 358.1
Opinio duplex de ſubiecto virtutum moralium. 390.1
Opinio duplex de notitia practica. 487.2
Orare pro inimicis interdum eſt præceptum, quandoque Concilium. 338.2
Ordo credendi in catechumenis. 124.1
Ordo charitatis quid dicat. 312.2
Ordo charitatis diuerſo modo aſſignatur à D. Ambroſio & à D. Auguſtino. 312.2
Ordo charitatis circa quinque attenditur. 313.1

P

Papa non poteſt diſpenſare ius diuinum. 495.2
Papa quot modis conſiderari poteſt. 198.2
Papam duobus modis intelligi poteſt poſſe errare in fide. 198.2
Papa non poteſt condere nouum articulum 200.1
Papa eſt immediatus Chriſti Vicarius. 200.1
Papa quando loquitur vt Doctor poteſt errare in fide. 200.2
Papa in rebus fidei ſi præuia inquiſitione, & faciendo quod in ſe eſt definiat, errare non poteſt. 200.2
Papa non poteſt errare definiendo circa mores. 20·.1
Papa canonice electus habet ordinare ea, quæ ſunt fidei. 201.2
Papa canonice electus dum exercet officium publicum definiendo errare non poteſt. 201.2
Papa vnde habet quod errare non poſſit. 203.1
Papa cum non poſſit errare quare congregantur Concilia. 203.1
Papa approbando modum viuendi in quo non vouetur ſolemniter forte poteſt errare. 207.1
Papæ poteſtas in Concilio eſt quadruplex. 208.2
Papa duplicem habet poteſtatem. 208.2
Papa quomodo ſit pars & filius Eccleſiæ. 210.1
Papa & Concilium in definiendo ea, quæ ſunt fidei, & quæ ſpectant ad mores ſunt æqualis authoritatis. 210.2
Papa eſt conſtitutus iudex etiam Concilij plenarij. 211.2
Papam non habere in Eccleſia poteſtatem ad canonizandos ſanctos ſi quis aſſereret pertinaciter, eſſet hæreticus. 205.2
Papam non poſſe errare in canonizatione Sanctorum eſt de fide. 205.2
Papa non poteſt errare approbando Religiones in quibus ſolemniter profitetur. 206.2
Papa hæreticus an ſit ipſo facto depoſitus. 215.1
Papa notorie hæreticus damnata hæreſi eſt ipſo iure priuatus. 217.2
Papæ peccatum quando cenſetur notorium & ſcandalizans Eccleſiam. 219.2
Papa duobus modis Concilium generale celebrat. 225.2
Papa ſolus debet Concilio præſidere aut per ſe, aut per ſuos legatos. 232.1
Papa quare Concilijs orientalibus non interfuit. 232.2
Papa quot præſidentes poteſt mittere ad Concilium. 232.2
Papæ confirmatio eorum quæ ſunt de fide definita in Concilijs an neceſſario requiratur. 238.2
Parochi & minorum Eccleſiarum Rectores atque Prædicatores tenentur credere, & ſcire tria ſymbola explicite, atque diſtincte. 113.2
Paſſiones duobus modis moderari poſſunt. 399.1
Patrum teſtimonia quatuor modis conſiderari poſſunt. 169.1
Patres Concilij ſunt iudices. 239.2
Peccatores fideles quamuis præſciti ſunt vera membra Eccleſiæ. 137.2
Peccatum ad mortem dupliciter ſumitur. 339.2
Periurium tripliciter ſumitur atque committi poteſt. 534.1
Periurium interdum duplex eſt peccatum. 541.1
Periurium eſt duplex. 542.2
Periurij pœnæ. 543.1
Periurium duo includit. 543.2
Periurium poteſt committi tripliciter. 543.2
Pertinacia quid requirat. 127.1
Perſecutio eſt duplex. 132.1
Petrus non eſt aliud fundamentum à Chriſto ſed alterũ. 183.2
Petrus fuit immediate inſtitutus à Chriſto paſtor omnium ouium & Apoſtolorum. 184.1
Petrus hanc ſupremam poteſtatem dum vixit exercuit. 186.1
Petrus & alij Apoſtoli quantum ad iuriſdictionem differebant dupliciter. 186.2
Petrus vt Eccleſia Paſtor reliquit ſucceſſorem. 189.2
Petri primatus & ſuprema poteſtas in eius perſona non deſijt. 190.1
Petrus Romæ ſedit & obijt. 192.2
Petri primatum ex ſcripturis oſtendunt patres. 193.1
Petrus in Vrbe Roma Epiſcopatum tenuit, & in eadem ſucceſſores reliquit. 193.2
Petrus ſibi ſucceſſorem in Romana Eccleſia ordinauit. 193.2
Petro quomodo data ſit infallibilitas circa fidem. 200.1
Perfectum dupliciter dicitur. 300.2
Pontifex ſummus & Epiſcopi tenentur explicite, & diſtincte credere articulos fidei. 113.2
Pontifices Romani vniuerſam poteſtatem eccleſiaſticam quæ ad primatum pertinet, per omnes ætates vſque ad hæc tempora exercuerunt. 193.2
Pontificem Romanum eſſe orbis Epiſcopum eſt de fide. 196.1
Potentia habituata concurrens ad actum eſt ſemper principale agens. 27.2
Potentia determinate vtitur habitu acquiſito ad eliciendum actum ſecundum illum habitum. 28.1
Potentia Dei eſt duplex ordinata & abſoluta. 78.2
Poſitio eſt duplex. 288.1
Poteſtas eccleſiaſtica eſt duplex 82.1
Poteſtas propagandi ea, quæ ſunt fidei, non eſt apud Reges, aut ſæculares Magiſtratus. 177.1
Poteſtas proponendi ea, quæ ſunt fidei apud quos ſit in Eccleſia. 178.1
Poteſtas docendi omnem fidem tribus modis conſiderari poteſt. 178.2
Poteſtas eſt duplex. 200.1
Poteſtas eſt duplex iuris, & facti. 219.2
Poteſtates eccleſiaſticæ ſunt ſex. 183.2
Præcepta dantur de actibus virtutum non de habitibus. 93.1
Præceptum ſpei eſt affirmatiuum, & negatiuum. 266.2
Præceptum ſpei quo tempore obliget. 266.2
Præceptum diligendi Deum ſuper omnia intelligendum

eſt

Index Rerum Notabilium.

eſt intenſiue, & extenſiue 297.2
Præceptum diligendi Deum ſuper omnia non obligat ad diligendum Deum actu perfectiori gradualiter quã ſe ipſum, vel cæteras creaturas. 298.1
Præceptum diligendi Deum ſuper omnia eſt ſpeciale. 299.1
Præceptum diligendi Deum ſuper omnia quomodo impleatur in ſtatu viæ. 300.2
Præcepta quædam obſeruari poſſunt ſine gratia iuſtificante. 302.1
Præceptum diligendi Deum ſuper omnia de potentia ordinata adimpleri non poteſt ſine gratia vel charitate comitante. 302.1
Præcepta decalogi ad duo præcepta charitatis referuntur. 437.2
Præceptum quid ſit. 481.1
Præceptum, mandatum, & prohibitin differunt. 481.2
Præceptum aliud affirmatiuum, & aliud negatiuum, & quomodo differant. 481.2
Præceptum tam affirmatiuum, quam negatiuum eſt triplex. 481.2
Præcepta diſciplinæ duplicia. 481.2
Præcepta legis quadruplicia. 481.2
Præceptorum decalogi duplex ſufficientia. 482.2
Præceptum Sabbata ſanctifices tria includit 485.2
Præceptum de ſanctificatione ſabbati quomodo ſit de lege naturæ. 493.2.486.2
Præcepta ſecundæ tabulæ ſunt de lege naturæ fuſe. 492
Præcepta ſecundæ tabulæ ſunt à Deo diſpenſabilia. 496.2
Præcepta veteris legis erant in triplici genere. 557.1
Præcepta quomodo dicantur moralia. 557.1
Præcepta moralia, & manum, & animum cohibent. 557.2
Præcepta cæremonialia Iudæi obſeruare tenebantur. 559.1
Præcepta cæremonialia non remanſerunt in lege noua. 559.1
Præcepta iudicialia quæ ſint. 559.2
Præcepta Eccleſię poſſunt quadrupliciter conſiderari. 564.1
Præcepta Eccleſię conſcientiam obligant. 564.2
Præſidere in aliqua multitudine congregata contingit tripliciter. 232.2
Prima concupiſcibilia ſunt duo. 414.2
Principes ſæculares ex quibus cauſis in Concilijs admittantur. 225.1
Prophetia triplici reuelatione habetur. 73.2
Prophetia eſt duplex. 82.1
Proportio quid ſit. 382.1
Proportio geometrica quid ſit. 381.1
Proportio Arithmetica quid ſit. 382.2
Proportio eſt duplex geometrica, & arithmetica. 24.2
Propoſitio immediata eſt duplex. 66.1
Propoſitio fidei vt obliget ad aſſenſum duo requiruntur. 71.2
Propoſitio catholica, vel de fide. 126.1
Propoſitio ſapiens fidem. 126.1
Propoſitio de probabilitate fidei. 126.2
Propoſitio de pietate fidei. 126.2
Propoſitio pia quid ſit. 126.2
Propoſitio ad fidem impertinens. 126.2
Propoſitio ſapiens hæreſim. 127.1
Propoſitio erronea quid ſit. 127.1
Propoſitio falſa, erronea ſimpliciter, erronea in fide, & hæretica differunt. 127.2
Propoſitio erronea, quomodo differat ab hæretica. 127.2
Propoſitio ſuſpecta, de hæreſi, & impia. 128.1
Propoſitio impia poſitiue. 128.1
Propoſitio rigoroſa, & dura. 128.1
Propoſitio temeraria. 128.1
Propoſitio male ſonans & piarum aurium offenſiua. 128.1
Propoſitio blaſphema. 128.2
Propoſitiones iſtæ differunt, ſub vero falſum eſt, & ſub vero eſt cognitio falſi. 75.2
Propoſitionum qualitates. 128.2
Prohibere & cohibere differunt. 558.1
Proprium & appropriatum differunt. 358.1
Proteſtatio fidei eſt omne opus bonum. 130.2
Prudentia vnde dicatur. 374.2
Prudentia bifariam ſumitur. 374.2.407.2
Prudentiæ definitio. 374.2
Prudentia eſt cognitio practica. 375.1
Prudentia eſt virtus. 375.1
Prudentia eſt virtus moralis 375.1
Prudentia eſt virtus ſpecialis. 375.1
Prudentiæ tria ſunt munera. 375.1
Prudentiæ tres ſunt partes. 375.2
Prudentiæ quæ ſint partes ſubiectiuæ. 376.1
Prudentiæ partes potentiales. 376.1
Prudentiæ partes integrales. 377.1
Prudentia an præſtantior ſit alijs virtutibus. 388.2
Prudentia eſt infima omnium virtutum moralium. 389.2
Prudentia ſumitur tripliciter. 407.1
Prudentia bifariam ſumitur 457.2.447.2
Prudentiæ formales tot ſunt, quot ſunt virtutes morales acquiſitæ. 466.2
Proximus tribus modis ſumitur. 305.1.309.2
Proximus quis à nobis ſit diligendus. 309.& 310
Proximi neceſſitas ſpiritualis poteſt eſſe triplex. 317.1
Proximus quando cenſetur eſſe in extrema neceſſitate. 317.1
Proximi mali an ſint magis diligendi, quam boni extranei. 312.1
Proximum ex charitate diligere quid ſit. 331.2
Proximum in quibus euentis ſpecialiter diligere teneamur. 332.1

Q

QVadrupliciter loqui contingit de patrum authoritate & teſtimonijs. 169.1
Quantitas effectus vnde conſurgat. 3[illegible]
Quatuor ſunt ex charitate diligenda. 303.1
Quatuor modis dicitur aliquis noſter proximus. 304.1

R

RAtio formalis obiecti ſub qua conſtituit diuerſum genus ſcibilis. 465.2.53.2
Ratio formalis obiecti fidei quæ eſt deitas. 53.2
Ratio præcedens fidem minuit eius meritum. 125.1
Ratio humana ſequens fidem non minuit meritum. 125.1
Rationale ſumitur tripliciter. 391.2
Rationes quæ adducuntur ad probandum ea, quæ ſunt fidei ſunt in duplici differentia. 74.2
Regulæ tres notabiles pro vero ſenſu ſacræ ſcripturæ. 81.1
Regula fidei quid ſit. 164.1
Regula fidei tribus modis ſumitur. 164.2
Regula eſt duplex in virtutibus theologicis. 259.2
Regulæ obſeruandæ circa ordinem charitatis. 321.1
Raptus, ecſtaſis, & mentis exceſſus pro eodem interdum accipiuntur. 47.2
Regnum Dei ſumitur multipliciter. 141.2
Religionis inſignis mutatio ſex requirit. 155.1
Religiones non ſunt nouum inuentum eccleſiæ. 106.2
Reipublicæ triplex eſt habitudo. 382.2
Reuelatio quid ſit & quotuplex. 3.1.47.2
Reuelatio, raptus, ecſtaſis, & mentis exceſſus differunt & quomodo. 47.2
Reuelatio poteſt fieri duobus modis. 271.2
Res naturales & ſpirituales conformiter ſe habent. 497.2

S

SAlus eſt duplex. 102.1
Sanctum aliquem ex cãnonizatis affirmare eſſe in inferno, temerarium & impium eſt, imo ſapiens hæreſim & forte hæreticum. 106.1

Sapien-

Index Rerum Notabilium.

Sapientia, intellectus, & ſcientia biſariam conſiderantur. 31.2
Sapientia, & ſcientia vt ſunt dona Spiritus ſancti differunt. 434.1
Sapientia, & intellectus tripliciter differunt. 434.2
Sapientia, & ſcientia differunt ab intellectu. 438.1
Sapientia ſumitur quatuor modis. 435.1
Sacrilegium tribus modis fit. 481.1
Schiſmatici non ſunt membra Eccleſiæ. 139.2
Scientia tres habet conditiones. 16.1
Scientia eſt duplex habitualis, & actualis. 24.1
Scientia ſumitur tribus modis. 48.1
Scientia ſubalternans tria poſtulat. 54.2
Scientiæ ſubalternatæ conditiones. 54.2
Scientia ſubalternans & fides ſecundum D. Thomam poſſunt eſſe de eodem obiecto. 55.1
Scientia eſt duplex per ſe, & per accidens. 57.1
Scientia & fides de eodem credibili poſſunt ſtare ſimul in eodem intellectu ſecundum Henricum. 59.2
Scientia ſecundum Henricum non poteſt præcedere fidem, licet fides ſcientiam præcedit. 60.1
Scientiæ proprium eſt claritas & euidentia. 62.1
Scientia non poteſt ſtare ſimul cum fide. 63.2
Scientia habet quatuor conditiones. 63.2
Scientia ſumitur multipliciter. 63.2
Scientiæ definitio. 64.1
Scientia, vt eſt notitia cum adhæſione firma abſque euidentia, poteſt ſtare cum fide. 64.1
Scientia vt eſt notitia, quæ habetur de aliqua re vera determinate, poteſt eſſe cum fide. 64.1
Scientia qua definitur ab Ariſt. primo poſt. t. 5. non poteſt ſtare cum fide. 64.2
Scientia & fides theologica differunt. 83.2
Scientia an euacuetur in patria. 342.2
Scientia eſt quadruplex. 335.2
Scriptura ſacra quomodo procedat definitiue, diuiſiue, & argumentatiue. 67.1
Scriptura diuina plures continet libros canonicos & plures ſenſus. 165.1
Scriptura ſacra tripliciter approbari, & confirmari poteſt. 180.1
Scripturæ liber tribus modis poteſt eſſe in dubio. 180.2
Scripturam nouam approbare quadrupliciter contingit. 181.1
Scriptura vbi nihil de fide dicit quid agendum. 200.1
Senſus litteralis ſcripturæ non poteſt intelligi proprio ſenſu. 165.1
Senſus non eſt uis collatiua. 399.1
Sententia pertinax vnitatem ſoluit. 144.2
Separatio ab Eccleſia eſt duplex. 137.1
Signum infidelium eſt quadruplex. 133.1
Signa amicitiæ biſariam conſiderari poſſunt. 336.1
Signa amicitiæ quæ teneamur inimicis exhibere. 336.1.2
Simulate falſam fidem nunquam ſerio licet. 132.1
Simulatio eſt quadruplex. 518.1
Symbolum vnde dicatur. 97.1
Symbolum in Eccleſia eſt triplex. 97.1
Symbolum Apoſtolorum ſufficienter continet omnia, quæ principaliter credere debemus. 98.2
Synagoga habuit varias perpetuitatis promiſſiones. 150.2
Synderiſis quid ſit. 452.2
Synderiſis, conſcientia, ratio, prudentia, lex, & liberum arbitrium differunt. 452.2
Synderiſis poteſt conſiderari dupliciter. 453.1
Synderiſis proprie ſumpta non poteſt quoad ſuam eſſentiam extingui, nec auferri, neque deprauari. 453.1
Synderiſis quo ad actum ſuum immediatum non poteſt extingui, abſorberi, & deprauari. 453.1
Synderiſis quo ad actum eius immediatum, etſi non poſſit extingui per errorem, poteſt tamen impediri per auerſionem, ſed hoc non eſt excæcare intellectum. 454.1
Speculatiuum & practicum non ſunt differentiæ eſſentiales intellectus. 36.2
Species intelligibilis & habitus differunt. 24.1
Spei & charitati non poteſt ſubeſſe falſum. 76.1
Spes eſt virtus, qua ſpiritualia, & æterna bona ſperantur. 246.2
Spes eſt certa expectatio futuræ beatitudinis. 246.2
Spes ſine meritis aut ſine propoſito merendi nõ eſt ſpes. 246.2
Spei obiectum eſt aliquod inuiſibile. 246.2
Spes & fides non differunt ſolo vocabulo. 246.2
Spes multis modis ſumitur. 247.1
Spes habitualis eſt duplex. 247.1
Spes eſt nomen affectionis & virtutis. 248.1
Spei definitio. 248.1
Spes eſt virtus à fide, & charitate diſtincta. 253.2
Spes ſumitur quatuor modis. 254.2
Spes infuſa & acquiſita differunt ſpecie. 254.2
Spes poteſt eſſe informis, & eſt eiuſdem rationis cum formata. 254.2
Spes acquiſita eſt virtus. 255.1
Spes informis eſt virtus. 255.1
Spes formata eſt ſimpliciter, & abſolute virtus. 255.1
Spes eſt duplex. 258.1
Spes informis eſt ſpeciale donum Dei. 260.2
Spem aliquam imperfectam poteſt homo viribus naturæ habere. 261.1
Spes infuſa neceſſaria eſt ad ſperãdum, vt oportet. 261.1
Spes Theologica eſt ſubiectiue in parte concupiſcibili voluntatis. 269.2
Spes fuit in Patribus exiſtentibus in Limbo, & eſt in ijs qui ſunt in Purgatorio. 270.1
Spes eſt in Chriſtianis viatoribus. 270.1
Spes non eſt in beatis, neque in damnatis, neque in hæreticis. 270.2
Spes & deſperatio non ſunt in Deo. 353.2
Spiritus ſanctus non ſemper vniformiter illuminauit Eccleſiam. 172.2
Status hominum eſt duplex. 106.2
Status hominis ſunt ſex. 291.1
Succeſſor quomodo cognoſcatur. 192.2
Succeſſio & ratio ſucceſſionis differunt. 195.2
Subiectum fidei eſt duplex. 32.1

T

Temperantia tripliciter ſumitur. 385.2
Temperantia quid ſit. 385.2
Temperantiæ materia. 385.2
Temperantia eſt virtus ſpecialis. 386.1
Temperantiæ munus & officium. 386.1
Temperantiæ regula. 386.2
Temperantiæ actus. 386.2
Temperantiæ triplices ſunt partes. 386.2
Temperantiæ partes integrales. 386.2
Temperantiæ partes ſubiectiuæ. 387.1
Temperantiæ partes potentiales. 387.2
Temperantia eſt infima inter virtutes appetitiuas. 389.2
Tempus poſt Chriſti aduentum eſt duplex. 108.1
Teſtimonia quæ cauſant euidentiam articulorum fidei ſunt octo. 691.2
Teſtimonia fide digna neceſſaria ſunt ad credendum. 121.1
Teſtimonia Chriſtianæ fidei ſunt tria. 91.2
Teſtimonia patrum in ſe ipſis tribus modis conſiderari poſſunt. 169.1
Teſtimonia ordinaria infallibilis veritatis ſunt quinque. 170.1
Theologia & ſacra ſcriptura multa continent argumenta, quæ oſtendunt myſteria noſtræ fidei eſſe euidenter credibilia. 75.2
Theologia ſumitur quadrupliciter. 263.1
Theologus poteſt euidenter diſſoluere omnia argumenta quæ ſunt contra fidem. 75.1
Timor & triſtitia non competunt Deo. 353.2
Timor & fuga differunt. 353.2
Timor eſt quadruplex. 408.2
Timoris ſeruilis proprietates. 409.1
Timor eſt duplex. 409.1
Timor ſeruilis & caſtus quomodo differant. 409.1
Timor initialis quomodo ſe habeat ad ſeruilem, & caſtũ. 409.2

Tho-

Digitized by Google

Index Rerum Notabilium.

Thomiſtæ tres gradus conſtituunt iuris naturalis. 484.1
Thomiſtæ contradicunt D. Thomæ. 484.1
Tyrannus poteſt quis eſſe duobus modis. 329.2
Tyrannum an interficere cuilibet liceat. 329.2
Totum, quodlibet, & omne differunt. 352.2
Traditio quid ſit. 165.2
Traditionum duplex eſt genus. 165.2
Traditiones quomodo ſunt recipiendæ. 166.1
Traditio quomodo cognoſcitur an ſit apoſtolica. 166.1
Traditiones aliquas quomodo cenſetur Eccleſia tenere. 166.1
Traditiones omnes ad quinque capita reducuntur. 166.2

V

VErba quæ Chriſtus dixit Petro ſunt in duplici differentia. 189.2
Verba quæ dicuntur de Deo ſunt in duplici differentia. 352.2
Verbum quid dicat de formali, & connotato. 358.1
Verbum quomodo ſit declaratiuum. 358.1
Verbum non dicit aliquem reſpectum proprium ad creaturam. 358.2
Velle confiteri fidem non eſt actus fidei. 130.2
Velle conditionatum ſufficit ad triſtitiam. 204.2
Veritas Catholica eſt abluens Fonte Baptiſmatis gratiam infundi. 5.1
Veritas fidei ſumitur dupliciter. 45.2
Veritas prima eſt duplex. 50.1
Veritates fidei vt credantur quid requiratur. 71.1
Veritates fidei ſunt in duplici differentia. 160.2
Veritas ſermonis eſt duplex. 506.1
Veritas ſumitur tribus modis. 512.2
Videntur præſentia, creduntur abſentia. 68.2
Videre dupliciter contingit. 68.2
Virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum. 12.1
Virtus bifariam conſiderari poteſt. 12.1
Virtus ſumitur quatuor modis. 14.1
Virtutis materia per ſe quid ſit. 93.1
Virtus Theologica ſumitur tripliciter. 247.1
Virtus tribus de cauſis poteſt dici Theologica. 256.2
Virtus Theologica quomodo conſiſtat in medio. 259.1
Virtutes Theologicæ duplicem habent regulam. 259.2
Virtus Theologica tres conditiones requirit. 262.2
Virtutes Theologicæ quem ordinem habeant inter ſe. 275.1
Virtutes Cardinales ſunt quatuor. 367.1
Virtutes quare dicantur Cardinales. 367.2
Virtutes Cardinales perfectiſſime fuerunt in Chriſto. 367.2
Virtutes Cardinales remanent in patria. 367.2
Virtus multipliciter ſumitur. 368.1
Virtus alia intellectualis, alia moralis. 368.1
Virtutes Intellectuales ſunt quinque. 368.1
Virtus Heroica quid ſit. 368.2
Virtutes Morales ſunt operandi cauſa, & quare dicantur morales. 368.2
Virtutes Theologicæ quo differant à moralibus. 368.2
Virtutum Moralium numerus. 369.2
Virtutes Morales quatuor ſunt præcipuæ. 369.2
Virtutes Cardinales an ſpecie differant. 370.1
Virtus Moralis quomodo in mediocritate cōſiſtat. 372.1
Virtutes eſſe in medio bifariam intelligi poteſt. 372.1
Virtutis mediū quomodo conſiſtat in indiuiſibili. 373.1
In virtute Morali an maius peccatum ſit ſuperabundantia, quam defectus. 373.2
Virtutum quatuor ſunt gradus. 389.1
Virtutes Morales ſunt ſubiectiue in parte intellectiua. 394.1
Virtutes Morales quomodo ponantur in Deo. 403.2
Virtutes Morales quomodo ſunt in Angelis. 404.1 & 2
Virtus Moralis eſt dignior quam prudentia. 407.2
Virtutum Theologicarum, & Moralium differentia. 429.2
Virtutes an ſint ex charitate diligendæ. 311.1
Virtus Moralis non inclinat ad actum malum. 41.1
Virtutes quare dicantur Beatitudines. 431.2
Virtutes ita ſunt connexæ, vt vna ſine altera haberi nequeat. 436.1
Virtutes ſi æquales ſint inter ſe inæqualiter tamen habētur à nobis. 437.1
Virtutes morales eſſe connexas multipliciter intelligi poteſt. 438.1
Virtus nulla poteſt obliquari. 439.2
Virtutis veritas eſt duplex. 442.1
Virtutis perfectio eſt duplex. 442.2
Virtutes poſſunt bifariam conſiderari. 442.2
Virtutes Morales duobus modis dici poſſunt connexæ. 444.2
Virtus Moralis dupliciter ſumitur. 468.1.471.2
Virtutis moralis perfectio eſt duplex. 471.2
Virtutes morales abſque Theologicis ſunt vere virtutes. 47.1
Virtus duas habet cauſas. 473.1
Virtus infuſa eſt duplex. 473.1
Virtus Moralis non eſt neceſſario prudentiæ connexa. 470.1
Vitij quatuor ſunt gradus. 389.1
Vnitas habitus eſt duplex. 466.1.134.2
Vnitatem Eccleſiæ quid ſoluat. 144.2
Vnitas Religionis quid requirat. 144.2
Vnitas eſt duplex. 464.2.190.1
Vnitatis diuerſi ſunt modi. 401.1
Vnitas intrinſeca eſt triplex. 464.2
Volitio eſt duplex. 404.2
Voluntas habet duas affectiones, ſ. iuſtitiæ & commodi. 251.2
Voluntas habet tantum duos actus. 279.1
Voluntas tripliciter conſiderari poteſt. 379.1
Voluntas quomodo moueatur in obiectum. 450.2
Voluntas poteſt non recte eligere ſtante recto dictamine intellectus. 458.1
Voluntas ex duobus bonis ſecundum omnem rationem æqualibus ſibi præſentatis & oſtenſis per intellectum poteſt ſe determinare ad alterum eligendum, non volendo aliud. 460.1

Finis Indicis Rerum Notabilium.

Digitized by Google

5-2

Digitized by Google